CORPUS
JURIS CANONICI,
PER
REGULAS NATURALI ORDINE DIGESTAS,
USUQUE TEMPERATAS, EX EODEM JURE, ET CONCILIIS, PATRIBUS, ATQUE ALIUNDE DESUMPTAS, EXPOSITI.

OPUS, TUM IN REBUS OBSCURIS CLARITATE, TUM DISPERSIS Collectione ac delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque INDICIBUS ac PRÆFATIONIBUS, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum.

AUTHORE

JOANNE PETRO GIBERT,
DOCTORE THEOLOGO, ET CANONISTA.

TOMUS TERTIUS
INCLUDENS

Tractatus **DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS,** DE CONTRACTIBUS, DE SACRAMENTIS, DE JUDICIIS, rem sibi propriam minutatim discutientes, prout cujusque PRÆFATIO demonstrabit.


Applic: Sociorum Jesu pro Anno Doni



COLONIÆ ALLOBROGUM,
Sumptibus MARCI-MICHAELIS BOUSQUET, & SOCIORUM.

M D C C X X X V.
CUM PRIVILEGIO ET APPROBATIONIBUS.

BIBLIOPOLA LECTORI.

Ndicem Titulorum, Sectionum, Paragraphorum, Quæſtionum, & Capitum, in duobus Primis Tomis contentorum, pagina Præfationi uniuſcujuſque proxima exhibet. Sed cum hic Tomus Quatuor Tractatibus abſolvatur, quorum Primus *de Beneficiis Eccleſiaſticis* agit, Secundus *de Contractibus*, Tertius *de Sacramentis*, Quartus denique *de Judiciis*, ſatius viſum eſt ſingulis Tractatibus ſuum Indicem ſubjungere. Quod te monere voluimus, Amice Lector, ne forſan putares hîc quidquam deſiderari. Generalem totius Tomi Indicem in fine Voluminis reperies.



EXPOSITIO JURIS CANONICI, IN SPECIE CONSIDERATI,

PER

REGULAS NATURALI ORDINE DIGESTAS, EX ILLIUS CORPORE, AUT ALIUNDE DESUMPTAS.



PARS SECUNDA.

TRACTATUS DE SACERDOTIIS, *SEU* BENEFICIIS ECCLESIASTICIS,

Ex propriis Juris verbis præcipuè deſumptus.

PRÆFATIO.



T De Beneficiis agamus immediatè poſtquàm de Eccleſiâ, multis rationibus compellimur. 1°. Beneficia ſunt Miniſteria Eccleſiæ, quibus addicit portionem ſuorum redituum ad ſuſtentationem illorum qui illa exercent, & ad ſumptus Servitii Divini, & impletionem aliarum obligationum quibus onerantur. 2°. Hæc inſtituit Eccleſia prò omnibus his finibus. 3°. Hac viâ facit exercere ſuas poteſtates, & ſua munia replere quoad Curam animarum, celebrationem Divini Officii, adminiſtrationem Sacramentorum, necnon aliorum ſuorum bonorum ſpiritualium & temporalium diſtributionem. 4°. Per Beneficia incolumem ſervat rectum ordinem poſitum in ſuo Regimine. Tandem Beneficia ſiti ſunt in Eccleſiis particularibus ad quarum ſervitium eriguntur.

Tractando hanc materiam, incipitur per nomina vetera & nova impoſita Beneficiis, & quorum nonnulla

adhuc vigent. Antiquius nomen est, Titulus; hujus autem significationis ratio petitur ex eo quod illi Titulati denominabantur ab Ecclesiâ cui alligati erant: Nomen Beneficii, quod habent adhuc in omni Regione, oritur ex eo quod ab ipsa origine essent Beneficia Ecclesiæ in gratiam illorum qui rectè servierant ipsi; dabat illis administrationem alicujus fundi cujus reditus erat pro necessitatibus eorum, & operibus piis quibus bona Ecclesiastica semper fuerunt onerata; hæc sunt, hospitalitas, assistentia Pauperum, locorum Sacrorum reparationes, sumptus servitii. A nominibus transitur ad naturam eorum, positam in eo quod sint Officia perpetua cum certo quodam reditu pro oneribus; undè proceditur ad varias eorum species desumptas aut è variis modis illis providendi, quorum præcipuæ sunt Electio, Collatio libera aut coacta, undè nascitur divisio in Beneficium Electivum aut Collativum, aliavè similia; aut è qualitate eorum qui ea possidere valent, undè oritur divisio Beneficiorum in Sæcularia aut Regularia; aut functionum quæ illis sunt annexæ; undè procedit divisio Beneficiorum in Beneficia curam animarum habentia, aut Jurisdictionem, aut Officium personale exercendum quibusdam in locis, & in Beneficia quæ nullum ex his munus habent; & consequenter illa divisio Beneficiorum in ea quæ exigunt Residentiam, & indè incompatibilia dicuntur, & quæ illam non requirunt, & vocitari solent Beneficia simplicia, ac proindè compatibilia censentur.

Explicatis omnibus Beneficiorum divisionibus, pervenitur ad modos ea acquirendi; & postquàm ostensum est illa non posse possideri ex Successione hæreditariâ, neque sine Institutione Canonicâ, neque per ambitionem aut alias vias vetitas, neque per Collationem Laïcorum, qui Jure Communi excluduntur ab hoc munere; sub gravissimis pœnis contra illud usurpantes, & contra Clericos usurpationi faventes recipiendo Beneficia ab illis; in referendis his pœnis non omittimus observare, illas non vigere contra Privilegiatos, neque etiam prohibitionem hujusmodi Laïcæ provisionis: in cujus rei probationem loquimur deindè de nominatione Regis Francorum ad Episcopatus, Abbatias, Prioratus Conventuales electivos, quæ successit electioni ad hæc Beneficia, in illa verò explicanda refertur quidquid Concordatum de illa dicit, necnon & de illis quibus privilegium eligendi conservatum est. Quibus jungitur quidquid Jus docet de Commendis, sive temporalibus sive perpetuis, quia Beneficia Regularia nominationis Regiæ in Commendam dantur. Undè ad electionem transeundo, colligitur verbis expressis quidquid Jus docet, cum Concilio TRIDENTINO, de iis quæ ad illam spectant, nempè ejus formam & omnia ad illam pertinentia, quæ personæ ad eam vocandæ, quæ possint eligi, Officia Electorum qui tenentur capere ab aliis consilium; Collationem Suffragiorum, & quid intelligi debeat per Majorem partem & saniorem; quando & quomodò Electores absentes possint suffragia sua dare; quinam excludantur à jure eligendi, & quando Electio nulla sit, aut annullabilis vitio Electorum; quinam sint ineligibiles, & quâ ex causâ Electio irrita sit aut valeat irritari solo vitio electionis; quod factâ Electione, Electores non possint resilire; quod exigendus sit consensus Electi, necnon Electionis Confirmatio postulanda; quæ sint agenda in contestationibus circa Electionem aut ejus Confirmationem; tandem quid sit observandum in Electione per Compromissum.

Provisionem per Electionem sequitur Provisio per Præsentationem. Ista collocatur inter Electionem & Collationem liberam, quia Electio in eam ingreditur, quoties fit à Corpore, & tendit ad quamdam Collationis speciem quæ vocatur Institutio; quæque valdè tamen differt ab illâ quæ facit Electionis partem aut solemnitatum illius: nam hæc Collatio nihil aliud est quàm comparatio suffragiorum, super quam pronunciatur an sit Electio necne, & declaratur quæ sit Persona electa; Collatio autem quæ fit per Institutionem est donum aut concessio Tituli.

Argumentum autem de Provisione per Præsentationem reducitur in Quæstiones, quæ resolvuntur ex propriis Juris verbis; scilicet 1°. An in genere Beneficiorum Patronatûs, illa possint acquiri per solam præsentationem, aut per solam Collationem? & probatur utramque esse necessariam. 2°. Quodnam tempus habeant Patroni ad præsentandum, & an possint variare ante aut post Institutionem Præsentatorum? & illa Quæstio resolvitur per multas distinctiones. 3°. Quænam sit Præsentationis forma? Quæ Præsentatorum qualitates? An Episcopus debeat omnibus institutionem dare, aut saltem illos examinare ad rejiciendum alios, aliosque admittendum? Quibus omnibus subjiciuntur Responsa Juris præcisa. 4°. Quæ sint necessaria ad acquirendum in aliquâ Ecclesiâ Patronatum? Quomodò jus probandum sit, & quæ sint ejus prærogativæ? 5°. Quæ vetentur Patronis? An quid ex Ecclesiis suis possint exigere? 6°. Quandò & quomodò Jus Patronatûs ad hæredes transmittatur? Qua de causâ possint præsentare? 7°. Quomodò Jus Patronatûs sit spirituale? An possit vendi aut tradi, & aliâ aliquâ simili viâ valeat acquiri? 8°. Quid agendum sit, cùm multæ præsentationes à variis Patronis factæ sunt, pro quâ sit judicandum?

Deindè explanantur postremæ illæ Quæstiones per Observationes collectas ex Textibus citatis; aut alias quæ argumento applicantur; & non inhærentes ampliùs verbis juris tractamus materiam majori cum methodo.

Ubi attigimus Collationem ab omni Præsentatione independentem, Observamus quæ intercedat differentia istam inter Collationem, & eam quæ fit super præsentatione, quæ in rigore verborum vocatur Institutio. Annotatur verbum, *Institutio*, quatuor habere significationes, exprimentes unum ex istis, 1°. Plenam Tituli Collationem. 2°. Collationem super Præsentatione. 3°. Collationem in possessione. 4°. Missionem Canonicam, aut concessionem animarum curæ personæ provisæ à Prælato Inferiori qui non potest illam dare: Isthæc autem gestat pluribus abhinc

abhinc sæculis nomen Institutionis authorisabilis. Imò 5°. accipitur pro Titulo Canonico in Regulâ quæ dicit, *Obtineri non posse Beneficia sine Institutione Canonicâ*, & vocatur intrusus omnis homo ea possidens alio modo.

Deindè ingrediendo in materiam, agitur de intrusione, & de pœnis hujus criminis, & colliguntur Juris Textus ipsissimis istius vocabulis circa utrumque Caput.

Idem fit quoad Quæstiones aut Decisiones sequentes, Collationis materiam spectantes. Docetur in Primâ Episcopum esse Collatorem Ordinarium omnium suæ Diœcesis Beneficiorum, tùm simplicium, tùm curam animarum habentium. In 2ª. Nullum sibi posse conferre Beneficia, & Sæcularia esse pro Sæcularibus, ut Regularia pro Regularibus. In 3ª. Patronos & Collatores debere tertiam partem Beneficiorum suæ præsentationis aut Collationis Graduatis Universitatum Francorum Regni; & quomodò debeant illam solvere: colligendo è Concordato quidquid hac de re expressè statuit. In 4ª. Esse tempus quoddam studii præscriptum ut quis habeat Litteras nominationis; quandò & quomodò insinuandæ sint aut significandæ? In 5ª. Cui concedendæ sint istæ Litteræ? Quæ in illis exprimenda? Quæ Beneficia possint requiri vi illarum? & quando id fieri possit? In 6ª. Quas pœnas incurrant Collatores & Patroni qui non satisfaciunt iis quæ sibi præcipiuntur à Concordato, & quibus debeant dare prælationem in concursu? In 7ª. Collatores & Patronos teneri ad implendum Indultum EUGENII IV. PAULI III. & CLEMENTIS IX. in gratiam Domini Cancellarii, Præsidentium, & Consiliariorum Parlamenti Parisiensis; & referuntur verba horum Indultorum quæ imponunt hanc obligationem, & præscribunt modum illi satisfaciendi. In 8ª. Qua in re Jus præscriptum quoad Gratias Expectativas in gratiam Graduatorum & Indultariorum servetur? In 9ª. Conferendum esse personis idoneis, & quænam tales reputentur? In 10ª. Colliguntur præcipuæ qualitates quæ ineptos aut indignos Beneficiis homines reddunt. In 11ª. Dicitur de qualitaribus præsertim requisitis, videlicet scientiâ & ætate. In 12ª. Examinatur quomodò judicandum sit in foro externo aliquem non esse idoneum. In 13ª. In unum coacervantur casus in quibus Collatores debent suspendi à potestate conferendi, aut amittere illam propter abusum de de illa factum. In 14ª. Ostenditur, Collatoribus sex menses dari ut conferant. In 15°. Collationem ab ipsis factam post esse nullam; nec posse nisi per gratiam subsistere. Differitur in 16ª. de Devolutione potestatis conferendi; de casibus in quibus locum habeat; quomodò illa sit adhibenda? Dicitur in 17ª. Non conferenda esse Beneficia non vacantia, neque facto neque jure. In 18ª. Non illa esse promittenda ante vacationem. In 19ª. Unum Beneficium pluribus non esse tribuendum, ut illud possideant indivisim, ita ut duo sint Titulares, neque per portionem, ita ut plura ex uno fiant.

Papa singularem inter Collatores locum tenet. Cùm sint hac de re multa jura ipsi adhuc in Franciâ reservata, ideò necessarium visum est separatim loqui de ejus potestate quoad Beneficiorum Collationem. Attrendendo igitur ad hanc potestatem, demonstratur 1°. Summum Pontificem non ampliùs posse concedere Gratias Expectativas aut Mandata conferendi quibusdam personis Beneficia in posterum vacatura. 2°. Nonnullos esse casus in quibus potest, etiam apud Francos, conferre pleraque Beneficia veluti Ordinarius; tales sunt inprimis illi in quibus ad illum recurritur quoad resignationes in favorem, aut permutationes. 3°. Papam ibi potiri jure præveniendi Ordinarios in Beneficiorum collatione, excepto casu ubi agitur de Dignitatibus verè Electivis. 4°. Hoc jus limitatum esse, & quomodò? Circà quam præventionem Editor collegit consueto sibi more quidquid Jus Commune, necnon & Gallicum docet. 5°. Duorum Impetrantium in concursu, anteriorem in datâ aliis præferri; si autem data ejusdem diei sit, Collationem irritari, & invalidam fieri, cùm duæ hujusmodi Collationes sese invicem destruant. 6°. Quandò & quomodò possit promovere ad Beneficia *in Curiâ* vacantia? Eaque de re collectum est consuetâ methodo Editoris quidquid Jus Commune & Jus Gallicum docent.

Finis imponitur iis quæ dicenda sunt de Collatione, per distinctionem diversi generis Collatorum; quorum alii sunt Ordinarii, alii Extraordinarii: Ordinarii sunt tales vulgò, aut Titulo Beneficii, aut commissione generali, ut Vicarii Generales nominari ad conferendum; alii tales sunt, aut per Commissionem particularem, sicuti aut privilegium aut fundationem habentes. Hac de re colligitur quid utrisque commune, quid peculiare singulis sit; & hoc propriis Juris verbis refertur.

Posteà de casibus agitur, in quibus plures sunt eorumdem Beneficiorum Collatores, quorum alter suum jus amittit aut per obitum, aut per Censuras, aut per aliquam aliam mutationem; & probatur totum integrum hoc jus aliis esse devolutum. Tandem postquàm demonstratum est Collationem ad Beneficiorum fructus pertinere, & ipsam esse Jurisdictionis voluntariæ aut necessariæ actum, sermo fit de Collatione in Regalia proveniente ex custodia fructuum vacantium Episcopatuum.

Quovis modo acquiratur Beneficium, sive per nominationem Regiam, sive per Electionem, sive per Præsentationem aut Institutionem, sive per Collationem, hujus est capienda possessio post acceptationem. Acceptio hæc possessionis vocatur modò Investitura, modò Intronizatio, modò Institutio, modò Receptio; & hac de causâ cùm dixerimus de omnibus modis acquirendi Beneficia, sermo habendus est de captione possessionis, quæ explicanda est sub nominibus omnibus ipsi impositis.

Non idem est de Beneficiis ac de bonis temporalibus: Solus Titulus non dat illorum fruitionem.

Idem est potiùs de illis ac de Feudis, quorum capienda Investitura, quæ fit cum quibusdam solemnitatibus similibus illis ritibus qui adhibentur in Captione possessionis Beneficiorum; undè apparet quod non immerito ista nomen gestet Investituræ: differt tamen ab illâ, præcipuè in eo quod Beneficiarius possit semper per Procuratorem possessionem capere, Investitura autem fit in quodam Capite personalis: tale est hominium: Acceptio possessionis non debet esse deterioris conditionis quàm provisio Beneficiorum, quorum est consecutio. & Provisio per Procuratorem datur, ut & acceptatio per Procuratorem fieri potest: fictio operatur ibi veritatis effectum, extrà Regaliam quæ nullam recipit fictionem. Vocabulum, *Receptio*, multa significat, quemadmodùm vox illa, *Institutio*: Quandoque pro provisione usurpatur; ita olim promovebatur ad Canonicatus, quicunque ab uno Capitulo accipiebatur *in Fratrem*, ut frueretur omnibus & singulis Canonici juribus: Significat quoque acceptationem, admissionem, approbationem; in hoc sensu dicitur, provisiones sunt *receptæ*; *receperunt* illum Canonicum; hæc expressio spectat peculiariter ad Captionem possessionis Beneficiorum quæ sunt in Corporibus Ecclesiasticis. Tandem usurpatur pro missione in possessione vi provisionum: hæ significationes explanabuntur per Textus Juris relatos propriis verbis, sicut quod dictum est antea de Captione possessionis. Idem fiet, quoad illa quæ ibi supersunt dicenda in genere de eodem possessionis subjecto, nempè naturâ ejus, variis speciebus, effectibus, præsertim qui pertinent ad possessionem pacificam, sive annalem, sive Triennalem.

Abusus spectans ad pluralitatem Beneficiorum, tàm sæpè condemnatur in Jure, & tantâ cum ratione, ut necessarium judicarum sit colligere, & methodicè digerere ea omnia quæ hâc de re docet: Est adhuc aliundè tàm frequens ille abusus ut talis labor non possit esse nisi utilissimus. Videtur abusus ille incepisse cum erectione Beneficiorum: Canones deprompti è GRATIANO hoc probant invictè, cùm sint eodem paulò anteriores, & circà illius tempus facta sit hæc erectio. Ostenditur 1°. Juxta Leges Ecclesiæ prohiberi, ne quis plura habeat Beneficia; deindè in quæ Beneficia hæc præcipuè inhibitio incidat? 2°. Quænam sint illius causæ, & quàm sint justæ? 3°. Quibus pœnis afficiantur illi qui multas possident Curas, vel Personatus pluresve Dignitates. 4°. Quænam Beneficia vocentur compatibilia, quia unus & idem vir potest impunè benemultis frui sine dispensatione? Quænam sint Beneficia generis oppositi? ad quorum Caput ponitur Episcopatus, qui est tam valde incompatibilis cum omni alio Beneficio, quod Episcopus perdat per suam Consecrationem omnia quæ anteà habebat Beneficia. 5°. Qua ratione per incompatibilitatem vacent Beneficia? Et an primum, an secundum vacent jure? 6°. Potestatem dispensandi de Incompatibilitate reservari Summo Pontifici. 7°. Dispensationem esse irritam, si Impetrans non expresserit in supplicatione omnia quæ habet Beneficia, quamvis sint è numero compatibilium; nisi Papa conferat ex suo proprio motu, aut Impetrans ignorarit collationem sibi factam Beneficii omissi. 8°. Ejusmodi Dispensationem esse maximè odiosam, & ob hanc causam esse restringendam. 9°. Contra Ecclesiæ intentionem esse, ut homo qui fruitur Beneficio sufficienti ad honestam suam sustentationem, alterum possideat. Hæc autem intentio demonstratur Collectione Canonum præcipuorum contrà pluralitatem Beneficiorum servato ordine temporis digestâ, Notisque necessariis illustratâ. Ab hoc abusu avocare conati sumus simili congerie Canonum eorum qui spectant usus quibus insumendi sunt reditus Ecclesiastici; hâc enim patescit illorum administrationem maximè periculosam esse. 10°. Quid oporteat, ut Beneficium tali modo sufficiens reddatur? 11°. Religiosos modo magis peculiari subditos inhibitioni pluralitatis Beneficiorum, & ab eâ minùs dispensari illorum ergò, sive ratione voti paupertatis, sive defectûs ordinarii justæ causæ.

Quoniam pacta & conditiones quæ possunt intervenire in acquisitione Beneficiorum pertinent ad Provisionum materiam: proximè subjungi possent ea quæ de his pactis Jus dicit, illis rebus quas hactenùs quoad Provisiones docuit; sed satius erat id omne collocare post ea quæ dicenda sunt de modis perdendi Beneficia, quorum primus est Unio, per quam alii acquirunt Beneficia quæ alii amittunt.

Postquàm ergò finis impositus est iis omnibus quæ spectant ad varios modos acquirendi Beneficia, transitur ad modos illa perdendi, qui sunt Unio, Divisio, Depositio, Privatio solo facto aut Sententiâ, Resignationes, Permutationes. Loquendo de Unione explicatur ejus natura, variæ species, rationes quibus istæ justificantur; quâ autoritate fiat, Summi Pontificis & Episcoporum potestas, quod reservatur illi & aliis permittitur, quæ requisitæ illarum validitati conditiones. Dum de Divisione, immoramur iis quæ sunt illi peculiaria, postquàm monuimus principia circà unionem exposita extendi ad divisionem; eruta sunt ex Jure quæcumque de illâ clarè & expressè dispersim dicit docetve.

Resignatio est pura, aut conditionalis: Prior suum sortitur effectum, ubi primùm à Superiore admissa est: Posterior non item; sed nisi cùm conditio adimpletur. Quædam autem ex conditionibus non possunt autorari, nisi à Summo Pontifice; ut ista, quod Beneficium detur personæ electæ per Resignantem, & pro isto sit pensio; aliæ quæ possunt autoritate donari ab Episcopo, nempè quod Beneficium uniatur tali loco, Resignans verò hujus retineat fructus per reliquum vitæ curriculum, hæc etiam conditio educitur è Jure, nempè quod Resignatarius capiat possessionem intrà tempus præscriptum, quo expirato Resignans restituitur in suum Beneficium: Cùm Beneficium vacat per demissionem aut per obitum, Collator potest ad illud functionem adjungere. Si nulli debeatur, & necessitas aut utilitas Ecclesiæ id postulat, quandò litigiosum est, & jus Partium dubium

bium, Judices etsi simplices Arbitri, possunt adjudicare Beneficium uni, & pensionem alteri, modò non sit inter illas collusio.

Quidquid dictum est de Resignationibus in favorem, extenditur ad Permutationes Beneficiorum; nam sunt hujus generis Resignationes, quæ sunt reciprocæ: Idem est de plerisque Quæstionibus quæ tractabuntur circà Resignationes, sicuti circà alias ad libertatem spectantes, confirmationem per Juramentum earum quæ vi factæ sunt, cujus sit probare eas esse vi extortas: Resignationes Minorum, Novitiorum, ægrorum, commissiones ad recipiendas Resignationes, publicationem illarum, earum quoque à Superiore legitimo autorisationem. Ne quid verò deesset explicationi hujusce Resignationis, fusè egimus de Regulis Cancellariæ Romanæ; idque quia Pars sunt non minima nec negligenda Juris Communis & Gallici, ac non paucæ Resignationem hanc contingunt, dataque occasione cæteras Beneficiarias seriatim explicuimus, solitâ methodo non prætermissâ: Pari de causâ de pensionibus disseruimus juxtà utrumque Jus.

Vacationibus Beneficiorum per Resignationem expressam junguntur illæ quæ per Resignationem tacitam fiunt, aut per desertionem, aut amplectendo statum cum illis incomparibilem, nempè Matrimonium, vitam Religiosam, professionem armorum. Quod autem spectat hoc Resignationis genus, explicatur per Regulas hâc de re confectas, illis consimiles quibus exposita est Resignatio expressa.

Indè transitur ad vacationem per scelus, quæ fit aut per Sententiam, aut per solum Jus. Quoad vacationes omnes & singulas colligitur quidquid Jus de illis expressè dicit, & præcipuè quas conditiones requirat ut locum habeant.

Huc usque explicatum est quod præcipuum est in Beneficiis, scilicet Officium; & ostensum quomodò illa acquiruntur, conservantur, & amittuntur. Superest ut loquamur de eo quod est eorum accessorium, scilicet temporale, vulgò intellectum sub nomine Bonorum Ecclesiæ, quorum quisque Beneficiarius portionem habet ad Officium suum implendum.

Dividuntur, ut bona profana, in Mobilia, qualia Vasa Sacra, ornamenta, vestes, & alia omnia destinata ad servitium Altarium; & in Immobilia, funda, agros, domos &c. Jura in bona profana, Decimas, Primitias, Dona fidelium, Oblationes, Jura Prælatorum in reditus Inferiorum; Procurationes, Cathedraticum, Synodaticum, Subsidium Caritativum; quæ omnia cùm proveniant ex pietate fidelium, debent adhiberi ad opera pia, sustentationem Ministrorum Sacrorum; sublevationem pauperum & peregrinorum, captivorum redemptionem, decorationem & reparationem Ecclesiarum, & aliorum omnium locorum cultui Divino dicatorum.

Sicut autem perpetui sunt sancti usus quibus Bona Ecclesiastica debent impendi, ita hæ res debent esse inalienabiles extrà casus necessitatis urgentis, & utilitatis evidentis, quorum præcipui sunt illi in quibus aliquis ex his sacris usibus requirit alienationem.

Quibus omnibus de causis postquàm ostensum est per Textus expressos licere Ecclesiæ habere bona, eodem modo probabitur quibus usibus debeant adhiberi, quàm expressè sit vetitum alios ex illis usus facere: Alienationem eorum generaliter esse prohibitam: Hanc Regulam suas habere exceptiones; quænam illæ sint? Pœnas esse latas contrà eos qui ea alienant extrà casus permissos: Quod si in his casibus Ecclesia læsa est, in integrum restituitur, & in aliis reddenda sunt illi bona malè alienata & damna resarcienda: Autoritatem Laïcorum posse necessariam esse pro alienatione bonorum Ecclesiasticorum; sed illam non sufficere, requiri adhuc potestatem Prælatorum Ecclesiæ cum consensu illorum Capituli: Idem esse de Mobilibus Ecclesiæ ac de bonis Immobilibus; alienationem eorum non licitam esse nisi ob justam aliquam causam.

Hanc esse obligationem communem omnibus Beneficiariis, ut rectè Res Ecclesiasticas administrent, & bonum ex suis reditibus usum faciant. Esse & Regulas quoad simplices agrorum locationes, & Emphyteuticas, quas isti debent sequi. Successorem obligari debitis contractis per Prædecessorem ad commodum Ecclesiæ. Permutationem Bonorum Ecclesiasticorum permitti in casibus Juris. Conservandas esse accuratè Res Beneficiariorum defunctorum, præsertim cùm Ecclesia ipsis succedit. Dari aliquas Regulas quibus discernitur, quandò bona data Beneficiariis ad eorum Ecclesiam aut ad ipsos pertinent. Nihil debere innovari Sede vacante, tùm pro bonis, tùm pro aliis rebus.

Regulæ collectæ quoad alienationes bonorum mobilium & immobilium Ecclesiæ extenduntur ad jura percipiendi Decimas, Oblationes, Census, Procurationes, & alia similia: Perpetua sunt, producunt reditus, ut bona immobilia, & reditus illi sunt iisdem oneribus subjecti.

Primum est gravioris momenti, ideò de illo agitur in benemultis Textibus Juris, quibus traderur ordo sequens. Apponentur initio illi qui tractant de Institutione Decimarum, docentes quam potestatem super illas habeat Consuetudo. 2°. illi, qui dicunt, ex quibus bonis sint solvendæ. 3°. Illi, qui docent eas esse debitas ex omnibus fructibus, non deductis impensis. Videbitur in aliis posse illas à Ministris exigi, illas esse Parochis Jure Communi debitas, cum hoc discrimine quod personales debeantur ei à quo Sacramenta accipiuntur, aliaque Bona Spiritualia; prædiales verò pertineant ad locorum Parochum in quibus res sitæ sunt. Hæc de Jure Communi: Jure autem Particulari, sive Privilegio, sive Præscriptione, sive Consuetudine ad alias Ecclesias pertinere posse. Videbitur etiam deberi ab omnibus fructus Decimales percipientibus; nemini licere illas quas debet alteri Ecclesiæ solvere quàm suæ; quid per Novale intelligatur; Debitores

Deci-

Decimarum illas redimere posse, Illis subrogantes aliquid æquivalens cum consensu Creditorum; solius esse Summi Pontificis eximere à solutione Decimarum; Laïcos esse Jure Communi incapaces juris decimandi, ideòque & illud præscribendi; Ecclesiam tolerare ut qui illas receperunt in Feudum antè *Tertium Concilium* LATERANENSE *Generale* illas retineant: Ecclesias non posse à Laïcis alias Decimas recipere, quàm possessas ab iisdem Laïcis in Feudum, ita tamen ut Parochiales illæ sint, cùm, ut dictum est, Decimæ omnes istis Jure Communi debitæ sint.

Transeuntes à jure Decimandi ad jus percipiendi Oblationes, colligimus singulos Textus de illo expressè loquentes atque docentes quid sub eo nomine comprehendatur; Laïcos illas percipere non valere sine Sacrilegio; illasque ad Sacerdotes pertinere, potissimùm Curatos: quibus Textibus, cum pauci essent, alii adjuncti sunt Canones.

Postrema Pars de Bonis Ecclesiasticis contingit Census, per quos præsertim intelliguntur Pensiones quæ à nonnullis Ecclesiis solvendæ sunt aliis Ecclesiis, aut per Beneficiatos aliis Beneficiatis, sivè impositæ fuerint fundationis tempore, sivè aliundè proveniant. Congeritur quidquid in Corpore Juris expresè docetur has circà pensiones, quod potissimùm reducitur ad prohibitionem factam Collatoribus & Patronis ne novas imponant, neve antiquas augeant; insimul & Beneficiatis, ne nova onera persolvant etiamsi sese juramento ad illud adstrinxissent, ac ista obligatio ab Episcopo confirmata fuisset. Adjunguntur his pensionibus illæ quas Curati Primitivi solvunt Vicariis perpetuis; quamvis ab illis differant, in eo quod istæ possint & debeant augeri quotiescunque onera accrescunt, aut mutatione aliquâ accedente insufficientes efficiuntur & illorum sustentationi & muniorum suorum adimpletioni: Occurrit etiam hocce discrimen, quod pensiones posterioris generis à Superioribus debeantur Inferioribus, aliæ verò Superioribus ab Inferioribus solvantur.

Cum Jura Beneficiorum temporalia, de quibus mox, venalia non sint, nihilo magis quàm Jura illorum Spiritualia, operæ pretium esse visum est, ut hîc de Simonia sermo fieret, habita jam priùs de utrisque Juribus Tractatione; Simonia siquidem est venditio rerum Temporalium Spiritualibus rebus annexarum, quemadmodùm & earum quæ Spirituales sunt. In disserendo de Simoniâ, de origine nominis sermo fit, de ipsius enormitate, speciebus, effectibus, & pœnis, ostenditurque per Textus expressos, 1°. Illam positam esse in voluntate aut cupiditate vendendi aut emendi Spiritualia, aut Spiritualibus annexa. 2°. Gravissimum esse crimen ad hæresim accedens. 3°. Committi exactione pecuniæ aliúsve rei æquipollentis, veluti favoris, servitii, obsequii, muneris, mercedisve pro rebus Sacris, præsertim Ordinatione. 4°. Accipere licitum esse spontè oblatum pro talibus rebus. 5°. Fas esse dare pecuniam ad redimendam vexationem, quandocunque jus completum habetur circà Beneficium, aliamve rem Sacram debitam, & quæ aliter haberi nequit. 6°. Nihil exigi posse pro benedictione nubentium, nec pro obsequiis, & sepulturâ mortuorum; sed servandas esse laudabiles consuetudines. 7°. Benemultas esse res vetitas ut Simoniacas, speciem tantùm Simoniæ habentes, quæ tamen species justam reddit inhibitionem. 8°. Illius rei quamplura exempla in Beneficiis reperiri, ac illorum Investiturâ vel missione in possessionem. 9°. Accipiendum nihil quod pretii locum habeat: Munuscula excipiuntur imparia movendo ad conferendas res spirituales. 10°. Conventionem omnem aut promissionem rei, sive Temporalis, sive Spiritualis, in re Beneficiaria, autores illarum Simoniacos efficere, ideòque irritas fieri. 11°. Non valere excusationem dicentium, datum aut acceptum non cadere in spirituale, sed in temporale ipsi annexum. 12°. Simoniam commissam pro alio, ipso inscio, non excusare illum quoad effectum, adeò ut ex illâ nullum commodum capere possit, quia inficit actum illumque nullum facit. 13°. Quæ pœnæ in Simoniam latæ sint quoad Beneficia: adeptum per illam dimittendum, restituendum acceptum temporale, suspensionem & Excommunicationem incurri. 14°. Quibus pœnis plectatur Simonia circà Ordines. 15°. A pœnis Simoniæ eximi, contra quos inscios ipsosque prohibentes patrata est. 16°. Beneficia Simoniacè accepta retineri non posse sine dispensatione Pontificiâ, si annexam habeant curam animarum, aut Dignitates sint; sufficere verò Episcopalem, si sint simplicia. 17°. Quid in foro externo faciendum ab eo cui objicitur Simonia. 18°. Nonnullos esse casus à Simoniâ exemptos, etiamsi aliquid accipiatur aut retineatur. 19°. Simoniam mentalem pœnis non subjici. 20°. Quid sit confidentia? Quot modis committatur? Quæ pœnæ, quæ signa illius? Hæc autem omnia ac singula Capita duplici methodo tractantur, nempè per Decisiones Juris propriis ipsius verbis relatas, atque per Regulas ex mente Canonum depromptas, cum ipsarum exceptionibus, objectorum solutione, aliisque adjunctis, quibus nequidquàm eorum quæ ad rem pertinent inexplicatum relinquitur; eoque modo Decisiones per Regulas illustrantur, & Regulæ per Decisiones confirmantur.

Cæterum in hac Præfatione Tractatus de Beneficiis ipsius totius Synopsis habetur, justaque Analysis, in qua cernere est quid sciendum circà nomina, naturam, species, vias illicitas licitasve quibus comparantur, obligationes & dispensationes, missionem in possessionem, varios perdendi modos, Ecclesiastica bona quæ ipsis accedunt, pleraque alia Jura ipsorum, sive temporalia, sive Spiritualia.

Quod dictum est de hac Præfatione, ipsam esse compendium totius Tractatûs, convenit cuilibet alii Præfationi particulari hujus Operis ergà Tractatum cui præfigitur.

TRACTATUS

TRACTATUS
DE SACERDOTIIS,
SEU
BENEFICIIS ECCLESIASTICIS,
Ex propriis Juris verbis præcipuè desumptus.

TITULUS I.
De Beneficiis Ecclesiasticis secundùm se, & de modis in genere illa acquirendi.
SECTIO I.

Nomine Beneficii Ecclesiastici intelligi Titulum spiritualem, perpetuum, qui dat locum in Ecclesia, & jus percipiendi certos reditus. Colliguntur locutiones veteres quibus hac exprimuntur, vel designantur; indicantur quoque loca ubi illas reperire est.

I. ENEFICIUM Ecclesiasticum assignare, est ad Jus Spirituale intitinere. *De Præb.* Cap. *Dilecto.* §. 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 25.

II. Clericus de spirituali Beneficio investitur. *De Renunciatione.* Cap. *Cùm inter.* §. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 9. Cap. 2.

III. Beneficium habet qui locum in ipsâ Ecclesiâ habet. *De Præb.* Cap. *Cùm non ignores.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 15.

IV. In quâ Ecclesiâ quilibet titulatus est, in eâ perpetuò perseveret. DIST. LXX. Cap. 2. *Sanctorum.*

V. Dignum est, ut Ecclesiæ stipendiis sustententur, in quâ & per quam Divinis Obsequiis adscribuntur. *De Præb* Cap. *Cùm secundùm. post init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 16. *Constitutiones* RICULPHI *ann.* 889. Cap. 11. TOM. IX. CONC. *p.* 419.

VI. Beneficium Ecclesiasticum est certus Titulus de quo necessaria vitæ Clericus percipiat. *De Præb.* Cap. *Episcopus. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap 4. *Conc.* TRIBUR *ann.* 895. *Can.* 14. TOM. IX. CONC. *p.* 448.

VII. Beneficium Ecclesiasticum datur, cùm in aliquâ Ecclesiâ Clerico convenientia stipendia Militiæ Clericalis assignantur. *De Præb.* Cap. *Episcopus.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 4.

VIII. Beneficia Ecclesiastica habent, qui in Ecclesiis locum habent, de quibus certas pensiones consueverunt percipere, portiones, vel reditus. *De Præb.* Cap. *Avaritiæ. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. *Cap.* 10. Vide AGOBARDUM *Lugdunensem de Concil.* ATTINIACENSI. *ann.* 822. TOM. VII. CONC. *p.* 1530. *med.*

IX. Rectoria Dignitas est simplex Beneficium. *De Præb. Cap. ult.*

Hæc ex Corpore Juris desumuntur; similia reperies in subdendis locis quoad assignatas Ministris portiones. *Conc.* TURON. II. *an.* 567. *Can.* 24. (Clero qui stipendiis ex ipso alimento pascuntur) TOM. V. CONC. *p.* 864. *Conc.* BRACAR. III. *ann.* 572. *Can.* 2. *med.* TOM. V. CONC. *p.* 897. vetat Episcopo, ne ultra portionem sibi in Beneficium assignatam, aliam sumat.

X. *Conc.* TOLET. III. *ann.* 589. Cap. 3. TOM. V. CONC. *p.* 1010. Cap. 9. Cap. 19. *Conc.* RHEMENS *ann.* 625. *Can.* 1. TOM. V. CONC. *p.* 1689. *Conc.* TOLET. VI. *ann.* 638 Cap. 5. TOM. V. CONC. *p* 1744. *Conc.* TOLETI IX. *ann.* 655. *Can.* 3. 4. TOM. VI. CONC. *p.* 457. *& Can.* 6. *Conc.* EMERIT. *ann.* 666. Cap. 13. TOM. VI. CONC. *p.* 504. Cap. 16. Cap. 28. *Conc.* TOLET. XVI. *ann.* 693. Cap. 5. TOM. VI CONC *p.* 1339. *& p.* 1765.

XI. *Conc.* GERMANICUM I. *ann.* 742. *Cap.* 1. Falsos Presbyteros de pecuniis Ecclesiam abstulimus. TOM. VI. CONC. *p.* 1534. *Conc.* FRANCOFORT. *ann.* 794. *Can.* 7. TOM. VII. CONC. *p.* 1059.

XII. Prima mentio Beneficii in *Concil.* FRANCOFORT. *ann.* 794. *Can.* 25. 26. TOM. VII. CONC. *p.* 1061. Beneficium hîc sumitur pro feudo ex rebus Ecclesiæ dato, eâ lege ut solverentur onera ipsis annexa.

XIII. Prima mentio Tituli in *Concil.* PARIS. V. *ann.* 615. *Can.* 8. TOM. V. CONC. *pag.* 1651. TOM. V. CONC. *p.* 1656. *Can.* 11. ut Abbates, vel Archipresbyteri, absque culpâ de Ecclesiastico Ministerio removeri non debeant. Multò antiquiora allata sunt testimonia de nomine Tituli Ecclesiastici, dùm de illo de industria egimus in Sacramento Ordinis. Origo Beneficiorum ex Epistola SYMMACHI ad CÆSARIUM *ann.* 501. Cap. 1. BINIUS *in Nota.* TOM. IV. CONC. *p.* 1295. Vide *Conc.* AGATHENS. *Can.* 22. 23. *ann.* 506. TOM. IV. CONC. *p.* 1387. *Canone.* 26. 33. 36. 49. 59.

XIV. Præceptum THEODORICI Regis *ann.* 507. CONC. TOM. IV. *p.* 1401. quo vetatur ne detur Ministris Ecclesiæ proprietas cum usufructu illius rerum.

Suprà collectæ Canonum locutiones, quibus designantur Beneficia, conveniunt quoque Officiis Ecclesiasticis; illa siquidem dant locum in Ecclesia, necnon jus ad reditus, vel pensiones, vel stipendia Ecclesiastica: solâ perpetuitate distinguntur, quæ deest Officiis, inest Beneficiis. Huic distinctioni adjiciunt non pauci aliam, desumptam ex facultate transmittendi Beneficia ad alios, quâ non gaudent Officiarii; quæ post sæculum XII. concessa est, & primò comparuit in permutatione.

Quod dictum est de præcedentibus locis extendendum est ad subsequentia, quorum est eadem ratio. *Conc.* AUREL. I. *ann.* 511. *Can.* 5. TOM. IV. CONC. *p* 1405. *Can* 7. *Ibid.* (pro petendis Beneficiis) *Ibid. Can.* 14. 15. *Can.* 23. *Conc.* TARRACON. *an.* 516. *Can.* 8. TOM. IV. CONC. *p.* 1565. Vide *Quartam Notam* BINII *ad* Cap. 8,

Vide *Concilium* EPAONENSE *ann.* 517. *Can.* 14. TOM. IV. CONC. *p.* 1517. *Can.* 17. *Ibid. Can.* 18. Vide *Epistolam Concil.* CARPENTORASENSIS *ann.* 527. TOM. IV. CONC. *p.* 1663.

Vide *Conc.* TOLETANUM *vulgò* II. *verè* I. *ann.* 531. Cap. 4 TOM. IV. CONC. *p.* 1734. Vide *Conc.* AURELIAN. III. *ann.* 538. *Can.* 5. TOM. V. CONC. *pag.* 296. *Ibid. Can.* 17. 18. 19. AURELIAN. IV. *ann.* 541. *Can.* 18. TOM. V. CONC. *p.* 384. *Can.* 36. *Concil.* ARELAT. V. *ann.* 554. *Can.* 6. TOM. V. CONC. *p.* 781. *Concil.* LUGDUN. II. *ann.* 567. *Can.* 5. TOM. V. CONC. *p.* 849. Cœperunt bona Ecclesiæ esse fixa ut non auferrentur.

De tribus portionibus redituum, vide *Conc.* BRACHAR. II. *ann.* 563. Cap. 7. TOM. V. CONC. *p.* 840. *Conc.* EMERIT. 666. *Cap.* 14. TOM. VI. CONC. *p.* 505. *Epistola* GREGORII II. *ad Clerum*. BONIF. (de reditu Ecclesiæ in quatuor partes) TOM. VI. CONC. *pag.* 1443. *Conc.* MOGUNT. I. *ann.* 857. Cap. 10. TOM. VIII. CONC. *p.* 44. *Capitulare ejusd.* GREGORII II. *ann. circ.* 721. Cap. 5. TOM. VI. CONC. *p.* 1453. Qui dat spirituale Beneficium. *Ut Ecclesiastica Beneficia.* Cap. Ut *nostrum*. §. 5. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 12. Cap. un. *Excerptiones* EGBERTI. Cap. 5. TOM. VI. CONC. *p* 1586.

Si quis Beneficium de rebus Ecclesiæ habet &c. *Conc.* ARELAT. VI. *ann.* 813. TOM. VII. CONC. *pag.* 1238. *Conc.* MOGUNTIACUM *ann.* 813. *Can.* 42. TOM. VII. CONC. *p.* 1251. *Conc.* RHEM. II. *ann.* 813 *Can.* 36. 37. TOM. VII. CONC. *p.* 1257. *Conc.* TURON. III. *ann.* 813. *Can.* 16. TOM. VII. CONC. *p.* 1263. *Can.* 46. *Can.* 51. *Conc.* AQUISGR. *ann.* 813. Cap. 121. 122. TOM. VII. CONC. *p.* 1391. *Conc.* VI. PARIS. *ann.* 819. Cap. 15. TOM. VII. CONC. *pag.* 1610. Cap. 16. Si Dignitatem vellet intelligi ubi curam apposuit, dignitatis vocabulum expressisset. *De Sent.* Cap. *Cùm olim. in int. med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 12. *Conc.* PARIS. VI. *ann.* 829. Cap. 15. 16. TOM. VII. CONC. *p.* 1610. & Cap. 31. *p.* 1621. *Concil.* AQUISGR. II. *ann.* 836. Cap. 2 *Can.* 9. TOM. VII. CONC. *p.* 765. *p.* 1712. & Cap. 3. *Can.* 8.

D. DALO, qui has citationes collegerat, haud dubiè meditabatur aliquid operis in illas componere, de origine & natura Beneficiorum, quod morte præventus non potuit. Alii usui utiliter impendi vix possunt; solùm inferre licèt Beneficia ad formam hodiernam par varios gradus & paulatim devenisse.

SECTIO II.

Propter quid instituta sint Beneficia Ecclesiastica? & quæ res nomine Beneficiorum contineantur, præcipuè cùm de Beneficiis aliquid statuitur?

I. Beneficia ad Divinum Cultum atque Ecclesiastica Munia obeunda sunt constituta. *Conc.* TRID. SESS. XXI. *De Ref.* Cap. 3. *init.*

Propter Officium Beneficium Ecclesiasticum datur. *In 6. De Rescriptis.* Cap. ult. LIB. I. *Tit.* III. Cap. 15. *ante* §. Nos volentes.

II. Præbendæ & alia Beneficia generali Beneficiorum nomine continentur. *De Verbo. Signif.* Cap. *Tua nobis* §. *Nos igitur. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 40. Cap 32

III. Personatus, & Dignitates, & hujusmodi Beneficia. *De Filiis Presbyterorum.* Cap. *Nimis.* §. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 17. Cap. 18. *finali.*

IV. Personatus, vel Dignitates, aut Præpositura, sive Administratia, vel Officium perpetuum in Ecclesia, quocumque nomine censeantur. *In 6. De Consuetud.* Cap. 1. *fin.* LIB. 1. *Tit.* 4. Cap. 1.

V. In privilegiis appellatione Beneficiorum comprehenditur Beneficium curam habens animarum. *In 6. De Præbendis.* Cap *Si tibi. juncta Glossa.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 26.

VI. In materia odiosa, appellatione Beneficii Ecclesiastici non veniunt Xenodochia, Leprosariæ, Eleemosynariæ, seu Hospitalia, (etiamsi Ecclesias, vel Capellas, Decimas, aut alia spiritualia jura noscantur habere) nisi hoc caveatur expressè. CLEM. II. *De Præb. junctâ Glossâ.* LIB. III. CLEM. *Tit.* 2. Cap. 2.

VII. Beneficia intelliguntur Dignitates, aut Personatus, cùm curà vel sine curâ. CLEMENTINA IV. *Si Romanus Pontifex. fin. De Præb. juncta Glossa.* LIB. III. CLEMENTINARUM *Tit.* 2. Cap. 4.

Nomeo Beneficii intelligitur de quocumque. *Glossa.*

VIII. Patriarchales, Archiepiscopales, & Episcopales Ecclesiæ, & etiam Monasteria, Prioratus, Dignitates, Personatus, & Officia, necnon Canonicatus, & Præbendæ, & Ecclesiæ, cæteraque Beneficia Ecclesiastica, cum curâ & sine curâ, Sæcularia & Regularia. EXTRAVAG. *Ad Regimen. De Præb.* 1. § *init. Inter Communes.* LIB. III. EXTRAVAG. COMMUN. *Tit.* 2.. Cap. 13. BENEDICTUS XII. *ann.* 1335.

IX. In Cathedralibus Ecclesiis, Canonicatus, Præbendas, Dignitates, Personatus, & Officia, ac alia Beneficia Ecclesiastica obtinentes. *Ibid.* EXTRAVAG. COMMUNIUM. LIB. III. *Tit.* 2. Cap. 11. JOAN. XXII. *ann.* 1319.

X. Sub appellatione Archiepiscopalis vel Episcopalis Ecclesiæ, aut Regularis Abbatiæ; Præbendæ, Dignitates, Personatus, & Officia nequaquam intelliguntur, nec etiam includuntur. *Ibid.* §. 1. *init.*

XI. Laicis data Beneficia. Vide *Conc. ad* THEODONIS *Villam.* Cap. 35. TOM. VII. CONC. *p.* 1802. *Concil.* VERNENSE II. *ann.* 844. *Can.* 12. TOM. VII. CONC. *p.* 1809.

XII. Propter servitutem tantum datur Beneficium. *Glossa ad* Cap. *Super inordinata. De Præb.* verbo, *Pueri. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 35. Cùm sint ad hoc Ecclesiastica Beneficia deputata. *De Cler. non resid.* Cap. *Cùm ad hoc sint. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 4. Cap. 16.

XIII. Dignitatis oomine, ut plurimùm intelligitur Præmineotia, seu Administratio rerum Ecclesiasticarum cum Jurisdictione, ut Archidiaconatus. RABUFFUS, *Tractatu De Pacificis Possessorib. n.* 69.

Personatus est Præeminentia sine Jurisdictione, sive quædam prærogativa. *Ibid. n.* 70.

Officium est rerum Ecclesiasticarum Administratio sine præeminentiâ & honore, ut Sacrista. *Ibid. n.* 71.

SECTIO III.

Quot sint Beneficiorum Ecclesiasticorum genera, tam ratione modi iis providendi, quàm ratione personarum quæ illa possunt obtinere, aut ratione functionum quæ sunt ipsis Beneficiis annexa?

De his Beneficiorum generibus exempla habes in iis, quæ suprà dicta sunt. 1° De Episcopis, eorumque Superioribus. 2°. Canonicis & Parochis.

I. Beneficia verè electiva, videlicet in quorum Electionibus forma Capituli, *Quia propter*, servari, & confirmationes electionum hujusmodi solemniter peti consueverunt. *Concordata. Tit.* 1. *De Constitutionib.* §. 2. *Monasteriiss. init.* & *Glossa ad* CLEMENTINAM II. *De Religiosis Domib.* verbo, *Per electionem*, scilicet per Superiorem confirmandam, cùm Electionem de Rectore Hespitalis erit providendum. LIB. III. CLEMENTINARUM *Tit.* 11. Cap. 2. §. *Ut autem.*

II. Per Electionem, postulationem, seu nominationem Canonicam, persona idonea præsentari debet. *De Postul.* Cap. *Bona. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* V. Cap. 3.

III. Beneficium Electivum collativum. Si Clericus inveniturde consensu majoris partis Capituli fuisse de prædicto Beneficio investitus. *De Renunciatione.* Cap. *Cùm inter.* §. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 9. Cap. 2. sive electiva, collativa.

IV. Cum Canonici, intelligentes Beneficii donationem ad eos devolutam, illud conferunt, investientes Clericum de ipso, & solemniter installantes. *De Concess. Præb.* Cap. *Post electionem.* §. 3. *Ipsius igitur. post init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 7. Beneficia Collativa, quæ per Ordinarios Collatores personis idoneis, juxtà Juris Communis dispositionem conferri debent. *Concordata. Tit.* 5. *De Collationib.* 2. *fin.*

Beneficia

Beneficium Ecclesiasticum consuetum Clericis Sæcularibus assignari. *In 6. De Præb.* Cap. *Cùm de Benefic. init.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 5.

V. Regularia Beneficia in ritulum Regularibus professis provideri consueta. *Conc.* TRID. SESS. XIV. *De Refor.* Cap. 10. *init. Regularia.*

VI. Simplex Beneficium, quod nec Rectoriam, vel Dignitatem comprehendit. *De Præb.* Cap. *Cùm olim.* §. *Cùm igitur.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 38. finali.

VII. Simplex Beneficium cui animarum cura imminet. *In 6. De Præb.* Cap. *Eum qui. init.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 8. Beneficia curam animarum habentia. *In 6. De Præb.* Cap. *Cùm in illis. init.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 16.

VIII. Majora Ecclesiæ Beneficia. *De Præb.* Cap. *Majorib. init.* LIB. III. *Tit.* 5. Cap. 8. Inferiora Ministeria quæ curam animarum habent annexam. *De Elect.* Cap. *Cùm in cunctis.* §. 2. *init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 7.

IX. Episcopi ad curam aliorum positi. *De Elect.* Cap. *Cùm in cunctis. post init.* LIB. I. DECR. *Tit* 6. Cap. 7.

X. Clerici Beneficia quæ Residentiam exigunt assecuti. *De Clericis non residentib.* Cap. *Clericos. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 4. Cap. 17.

XI. Beneficia Ecclesiastica personalem Residentiam, de jure sive consuetudine, exigentia. *Conc.* TRID. SESS. VI. *De Refor.* Cap. 2. *init.*

SECTIO IV.

Quæ dici debeant Sæcularia vel Regularia Beneficia? Quæ curam animarum annexam habentia?

I. Cùm de Beneficio Ecclesiastico, consueto Clericis Sæcularibus assignari, provideri mandatur, de illo debet intelligi, quod tanto tempore ab uno vel pluribus Sæcularibus Clericis, institutis in eo Rectoribus, extitit continuè ac pacificè gubernatum, ut Præscriptio legitima (40. annorum *Glossa.*) sit completa: etiamsi antè vel post Religiosi quandoque ministraverint in eodem. *In 6. De Præb.* Cap. *Cùm de Beneficio.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 5.

II. Prioratus Regularis est, qui per Religiosos (juxtà modum præmissum) est solitus gubernari. *Ibid. In 6. De Præb.* Cap. *Cùm de Beneficio.* §. 1. *med.* LIB. III. *Tit.* Cap. 5.

III. Ecclesia Regularis est, quæ habet Privilegium, in quo continetur expressum, ut nullus qualibet subreptionis astutiâ præponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum pars consilii sanioris, secundùm Dei timorem, & B. AUG. Regulam, providerint eligendum. *De Elect.* Cap. *Cùm causam. in int.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 27. Unde, quamvis multi Priores continuè unus post alium in ipsâ Ecclesiâ per multa & longa tempora fuerint non professi, non desinit esse Regularis. *Ibid.* Colligitur. LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 27.

IV. Illa duntaxat, & non alia Beneficia Ecclesiastica, quocumque nomine nuncupentur, curam habere censemus, quæ Parochias habent, in quibus est animarum cura annexa; non per Vicarios perpetuos, sed per Rectores, aut Ministros Beneficiorum ipsorum, vel illorum temporales Vicarios, exercenda. EXTRAVAG. COMMUN. *Execrabilis. De Præb.* §. *ult. Quantùm.* LIB. III. EXTRAV. COM. *Tit.* 2. Cap. 4. *fin.*

V Necnon etiam illa, quorum Ministris ratione Beneficiorum hujusmodi competit visitare, inquirere, Procurationes recipere, suspendere, excommunicare, seu ab excommunicationis & suspensionis Sententiis absolvere, de consuetudine, vel de jure. *ibid.* EXTRAV. COMMUN. *Execrabilis.* §. *ult. Quantùm.* LIB. III. EXTRAV. COM. *Tit.* 2, Cap. 4. *fin.*

VI. Præbendis aliquibus Parochiales Ecclesiæ sunt annexæ. *In 6. De Præb.* Cap. *Super eo. init.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 6.

VII. Personatibus aliquibus cura imminet animarum. *Ibid. In 6. De Præb.* Cap. *Super eo, fin.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 6.

VIII. Cùm Beneficiarius de consuetudine suspendit, excommunicat & absolvit, & interdicit; necnon visitat, & inquirit, & Procurationes ratione Visitationis recipit, evidenter apparet, quòd curam habeat animarum annexam. *De Elect.* Cap. *Dudùm.* §. 4. *med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 54.

IX. Aliquæ Dignitates & Personatus curam non habent animarum. *De Præb.* Cap. *De multâ.* §. 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 28.

SECTIO V.

Beneficia Ecclesiastica non posse hæreditario jure obtineri?

I. Hæc Præsumptio numquam fiat, ut Sacerdotes in mortis confinio constituti in locum suum alios designatis nominibus audeant subrogare, & non legitima expectetur electio. Quæ Dei sunt, ab homine dari non possunt. CAUS. VIII. QUÆST. I. Cap. 5. *Plerique. Ex* HILARIO *Papa in* SYNODO ROM. *ann.* 465. TOM. IV. CONC. *p.* 1061.

II. Apostolicâ autoritate prohibitum est, ne quis Ecclesias, & Præbendas, Præposituras, Capellanias, aut aliqua Ecclesiastica Officia, hæreditario jure valeat vendicare. *Ibid.* CAUS. VIII. QUÆST. I. Cap. 7. *Apostolicâ. init. Ex* INNOC. II. *in* CONC. ROM. *ann.* 1139.

III. Ut nullus de Clero, sive de populo, Ecclesiastica bona jure consanguinitatis requirat sibi habenda. *Concilium* PICTAVENSE *ann.* 1078. *Cap* 3. TOM. X. CONC. *p.* 368. X. *Concil.* NEMAUSANSE *ann.* 1096. Cap. 7. 8. TOM. X. CONC. *p.* 608. *Conc.* TOLOS. *ann.* 1119. *Can.* TOM. X. CONC, *p.* 857. *Concil.* RHEMENSE *ann.* 1119. *Can.* 4. TOM. X. CONC. *p.* 863. *Concil.* LONDIN. *ann.* 1125. *Can.* 5, TOM. X. CONC. *p.* 915. *Concil.* RHEMENSE *ann.* 1131. *Can.* 15. TOM. X. CONC. *p.* 985, *Concil.* LONDON. *ann.* 1138. *Can.* 6. TOM. X. CONC. *p.* 995.

IV. Quod si quis improbus attentare præsumpserit, debitâ pœnâ mulctabitur. *Ibid. fin.* CAUS. VIII. QUÆST. I. Cap. 7. *Apostolicâ.*

V. Sanctuarium Dei jure hæreditario teneri non potest. *De Jure Patronatûs.* Cap. *Consulit.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 15.

VI. Apostolici Rescripti Decretum successionem in Ecclesia Dei hæreditariam detestatur. *De Filiis Presbyt.* Cap. *Ex transmissâ.* §. 1, *fin.* LIB. I DECR. *Tit.* 17. Cap. 7.

VII. Sanctuarium Dei non convenit jure hæreditario possideri. *De Institutionib.* Cap. *Ad decorem.* §. 1. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 7. Cap. 5.

VIII. Sanctuarium Dei jure hæreditario possideri non debet. *De Decimis.* Cap. *Ad hæc.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 15.

IX. Sacris Canonibus prohibitum est, ne qui hæreditario jure Ecclesiastica Beneficia possidere præsumant. *De Filiis Presbyter.* Cap. *Quoniam. in int. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 17. Cap. 10.

X. Si Ecclesiæ Clericis sint tali tenore concessæ, quod post eorum obitum alii nominatim succedant; hoc iniquum est, & Sacris Canonibus inimicum, & ideò non debet aliquatenùs tolerari. *De Pactis.* Cap. *Accepimus. init* LIB. I. DECR. *Tit.* 35. Cap. 5.

XI. In Beneficiis & Ecclesiis successio locum habet. *Glossa.*

Hujusmodi successiones tàm detestabiles & iniquæ prohiberi debent, & omninò frivolæ & inanes decerni. *Ibid. fin.*

XII. Ad extirpandas successiones à Sanctis Ecclesiis, studio totius sollicitudinis debemus intendere. *De Filiis Presbyt.* Cap. *Ad extirpandas. in int.* LIB. I. DECR. *Tit.* 17. Cap. 11.

De illorum Beneficiorum origine, & antiquitate, necnon de aliis quæ ipsis sunt peculiaria, dicetur infrà; quemadmodum & de Commendis, quæ sunt Beneficia partim Regularia partim Sæcularia.

SECTIO VI.

Beneficia Ecclesiastica non posse legitimè acquiri sine institutione Canonicâ, seu legitimo Titulo.

I. Ecclesia Sacerdotem Canonicè habeat, qui liberè suum Ministerium valeat exercere. *De Jure Patron.* Cap. *Perlatum est.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 2. *Conc.* CABILLON. II. *ann.* 813. *Can.* 26. TOM. VII. CONC. *p.* 1277.

II. Eos qui per vim se intrudunt in Beneficia esse expellendos. Vide TOM. IV. CONC. *p.* 692. ubi referuntur Regulæ CXV. & CXVI. *De Episcopis*, ex Canonib. 16. & 17. *Concilii* ANTIOCHANI occasione DATIANI Episcopi intrusi.

III. Vide *Conc.* LUGDUN. I. *ann. circ.* 517. *Can.* 5. TOM. IV. CONC *p* 1585. *Conc.* CABILLON. II. *ann.* 813. *Can.* 42. TOM. VII. CONC. *p.* 1281.

IV. Nullus se ingerere debet Ecclesiasticæ Prælationis Officiis. *De Jure Patron.* Cap. *Per nostras. med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 26.

V. Nullus Fratrum & Coepiscoporum, vel quisquam, constituat Presbyteros, aut quemlibet alium Clericum, in Ecclesiis quæ sibi subjectæ non sunt, præter voluntatem Episcopi, cui Ecclesia illa commissa est. *Conc.* CONSTANTINOPOLITANUM IV. *ann.* 870. *Can.* 23. TOM. VIII. CONC. *p.* 1141.

VI. Non decet aliquatenùs sustinere, ut Clerici Ecclesias à Parentibus suis fundatas, propriâ autoritate detineant. *De Jure Patronatûs.* Cap. *Consuluit.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 15.

VII. Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione Canonicâ haberi. *In 6. De Regulis Juris. Regula* 1.

VIII. Beneficium retineri potest, dummodo in eo ex Collatione Canonicâ competat Jus. EXTRAVAG. COMMUNI, *Execrabilis. De Præbendis.* LIB. III. EXTRAVAG. COM. *Tit.* 2. Cap. 4. §. *Porrò.*

IX. Si quando Clerici transactione, vel alio modo, Ecclesias obtinuerint, in quibus certum sit eos Institutionem Canonicam nullatenùs habuisse, nec possessionem etiam corporalem, nullus debet eos in possessionem mittere. *Cap.* 8. *De Off. Jud. Deleg.* Sine institutione Titulum non habent; Titulus enim non acquiritur per transactionem in Spiritualibus, sed Cannnicâ Institutione. *Glossa*, verbo, *Canonicam. De Officio Jud. Deleg.* Cap. *Si quando.* LIB. I. DECR. *Tit.* 29. Cap. 8.

X. Monentur Ordinarii, ut diligenter inquirant, ne quis sine Titulo Beneficium possideat. *Concordata. Tit.* 12. *De Pacificis Possessoribus.* § *Lis autem.* Et si quem Beneficium sine Titulo possidere repererint, declarent illi jus non competere, cujusvis temporis detentione non obstante. *Ibid. fin.*

XI. Si Beneficiatus suam Canonicam Institutionem probare potuerit, ipsa rata permaneat. *De Procuratoribus.* Cap. *Ex Insinuatione. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 38. Cap. 3.

XII. Cùm institutio alicujus in Præbenda nulla fuit, etiamsi in possessione fuerit, & obtinuerit quæ nonnisi Canonicis consueverunt assignari, ad restitutionem eorum, quæ ratione prædictæ institutionis tenebat, condemnandus est. *De Præb.* Cap. *Dilecto.* §. ult. *Undè.* Colligitur. LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 25.

XIII. Ne ad Beneficia Ecclesiastica ingressus patere valeat vitiosus. *In 6. De eo qui mittitur.* Cap. unico. LIB. II. *Tit.* 7. Cap. un.

XIV. Licèt alicui imponatur perpetuum silentium super Ecclesiâ, de qua mota est controversia, non tamen propter hoc eadem Ecclesia est adversario assignanda, nisi super aliis facta fuerit plena fides. *De Rescriptis*, Cap. *Olim. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 3. Cap. 25.

XV. Beneficii Spiritualis perceptio non dat jus, sed sola Canonica Institutio. *Glossa.*

XVI. Patientia non facit Canonicum, sed tantùm Canonica Electio.

XVII. Nnn possunt Beneficia ex possessione haberi, sed solùm ex Canonicâ institutione. *Gl.* verbo, *Vitiosus.*

XVIII. Qui falsat literas ad Beneficium obtinendum, debet eo privari; propter hoc tamen non acquiritur jus alteri Parti.

Beneficia haberi non posse nisi vacent.

XIX. Nulla Ecclesiastica Ministeria, seu etiam Beneficia &c. *De Concess. Præb.* Cap. *Nulla.* LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 2. *Vide* Cap. 1.

Donationes, vel concessiones Ecclesiarum, si quæ fiant privatis personis, viventibus illis qui ipsas Ecclesias possident, nullius debent esse momenti. *De Donat.* Cap. *Consultationib. in int.* LIB. III. DECR. *Tit.* 24. Cap. 4.

Actum est de necessitate Institutionis Canonicæ ad Beneficia, dum *De Titulo Clericali*, & dum *De Vocatione ad Ministeria Sacra, in* 1. *Parte* TOM. II.

SECTIO VII.

Jure Communi non posse Laicos quoscumque, etiam Principes, conferre Clericis aut Monasteriis Titulum Beneficiorum Ecclesiasticorum.

Ad Jus Commune SECTIO restringitur, quia ex Privilegio Laici possunt Beneficiis providere, ut patebit ex dicendis circà Collationem Laïcam.

I. Laici Presbyteros in Ecclesiis non constituant sine consensu Episcoporum suorum. CAUS. XVI. QUÆST. VII. Cap. 37. *Laïci.*

II. Per Laicos nullo modo quilibet Clericus, vel Presbyter, obtineat Ecclesiam, nec gratia, nec pretio. *Ibid.* CAUS. XVI. QUÆST. VII. Cap. 20. *Per Laïcos.*

III. Non licet Laicis Clericos in Ecclesiis præsumptione propriâ ordinare. *De Jure Patron.* Cap. *Cùm Laïci fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 10.

IV. Non decet aliquatenùs sustineri, ut Laïci filiis aut aliquibus aliis concedant Ecclesias. *De Jure Patron* Cap. *Consuluit. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 15.

V. Qui occasione Laicæ recognitionis, non requisitâ Episcopi audientiâ, Beneficia Ecclesiastica sibi præsumunt in Episcoporum Parochiis vendicare; hujusmodi personæ non intrant per ostium, sed aliundè conscendunt, ac per hoc indigni sunt Pastoris nomine vel prærogativâ gaudere. *De Jure Patron.* Cap. *Relatum. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 21.

VI. Ex donatione Laicorum, nisi autoritas Diœcesani Episcopi & consensus adsit, nullus aliquas sibi Ecclesias vendicare præsumat, vel retinere taliter acquisitas, nisi legitimâ fuerit Præscriptione munitus, aut Diœcesani Episcopi habuerit posteà consensum. Cùm enim Laici non possint in alios, nisi jus quod habent, transferre, hujusmodi concessiones sunt penitùs irritæ. *De Jure Patronat.* Cap. *Cura.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 11.

VII. Cùm Laici Episcopis nescientibus, aut non consentientibus, Ecclesias Clericis concedunt in quibus habent jus Patronatûs, illa concessio (quæ nulla est) omninò evacuari debet. *De Jure Patron.* Cap. *Cùm Laïci.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 10.

VIII. Nullus Laicus Ecclesiam, sine concessione sui Pontificis, Monasteriis vel Canonicis conferat. *De Jure Patron.* Cap. *Nullus. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 17.

IX. Si Laicus, Episcopo inconsulto, Ecclesiam concedit Religiosæ Domui, illa concessio de Jure nullius potest esse momenti, quia Laicus sine autoritate Episcopi nemini potest Ecclesias dare. *De Jure Patron.* Cap. *Illud.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 8.

Si Laici Clericis vel Collegiis, de concessionibus vel donationibus instrumenta, confecerint, in hæc verba vel similia: *Concessi vel dedi Ecclesiam & præsenti chartâ firmavi*: Si consensus Episcopi non accesserit, nihil agi videtur; quia pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de Jure donare. *Ibid. De Jure Patron.* Cap. *Quod autem.* LIB. III. DACR. *Tit.* 38. Cap. 5. Agitur de Collatione Beneficii factâ à Patrono, jus plenum non habente, non de Concessione Juris Patronatûs, ad

istam

istam enim consensus Episcopi necessarius non est. *Ex Concil.* MOGUNT. I. *ann.* 813. *Can.* 29. TOM. VII. CONC. *pag.* 1249. ALEXAND. II. *ann.* 1063.

XI. Ut Laici sine Episcopali licentiâ Presbyteris Ecclesias dare, vel eos dimittere, non præsumant. *Conc.* ENGILENHEIMENSE *ann.* 948. Cap. 4. TOM. IX. CONC. *p.* 626. *Synodus* AUGUSTANA *ann.* 952. Cap. 9. TOM. IX. CONC. *pag.* 657.

XII. Ut per Laicos nullomodo quilibet Clericus aut Presbyter obtineat Ecclesiam, aut pretio, aut gratis. *Concil.* ROMANUM *ann.* 1059. *Can.* 16. TOM. IX. CONC. *p.* 1010. *Conc.* ROM. *ann.* 1063. *Can.* 6. TOM. IX. CONC. *p.* 1176. *Conc.* CLAROMONT. *ann.* 1095. Cap. 15. 16. TOM. X. CONC. *pag.* 508. *Conc.* NEMAUS. *ann.* 1096. Cap. 8. TOM. X. CONC. *p.* 608.

XIII. Laïcorum est Ecclesiam tùm non tradere. PASCHALIS II. *Epist.* 3. TOM. X. CONC. *p.* 625. *Conc.* LONDIN. *ann.* 1125. *Can.* 4. TOM. X. CONC. *p.* 915. *Conc.* LATER. II. *ann.* 1139. *Can.* 25. TOM. X. CONC. *p.* 1008. *Conc.* PICTAVANSE *ann.* 1100. *Can.* 3. TOM. X. CONC. *p.* 725.

XIV. *Conc.* TURON. III. *ann.* 813. *Can.* 15. interdictum Clericis sive Laicis, ne quis cuilibet Presbytero præsumat dare Ecclesiam sine licentiâ & consensu Episcopi sui. TOM. VII. CONC. *p.* 1263. *Conc.* MOGUNT. I. *ann.* 857. Cap. 12. *fin.* TOM. VIII. CONC. *p.* 45. *Conc.* MOGUNT. II. *ann.* 888. Cap. 5. TOM. IX. CONC. *p.* 406.

Illud omne frivolum reputamus, si qui fortè se dicant ex donatione Regiâ quasdam obtinuisse Præbendas; quasi Regalis Sublimitas tempore suspensionis Archiepiscopi Præbendas ipsas suâ potuerit autoritate conferre. *De Concess. Prab.* Cap. *Quia diversitatem. fin. in int.* LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 5. *Synodus* ROM. sub LEONE IV. *ann.* 85. Cap. 41. TOM. IV. CONC. *p.* 119. Cap. 42.

Hinc partim natæ Sæculo XI. turbæ inter Sacerdotium & Imperium circà investituras; quæ sedari potuissent concessione privilegii, quo nedum Principes, sed & plures feudorum Domini, ac nonnulli alii Patroni potiuntur.

SECTIO VIII.

Quæ pœnæ decreta sint, tùm in Clericos recipientes titulum Beneficiorum à Laïcis, tùm in Laïcos etiam Principes hujusmodi titulum conferre præsumentes?

Conc. MELFITANUM *in Apuliâ ann.* 1089. Cap. 8. TOM. X. CONC. *p.* 476. *Conc.* LONDON. *ann.* 1138. *Can.* 5. TOM. X. CONC. *p.* 995.

I. Si quis Clericus, Abbas, vel Monachus, per Laïcos Ecclesias obtinuerit, secundùm Sanctorum Apostolorum Canones, & ANTIOCHENI *Conc.* Capitulum, excommunicationi subjaceat. CAUS. XVI. QUÆST. VII. Cap. 16. *Si quis Clericus.* PASCH. II. *fortè ann.* 1107. Vide *Ejus Epist.* 42 TOM. X. CONC. *p.* 665.

II. Quicumque Clericorum investituram Ecclesiæ, vel Ecclesiasticæ Dignitatis, de manu Laïca receperit; & ipse, & qui ei manum imposuit, gradûs sui periculo subjaceat, & Communione privetur. *Ibid.* CAUS. XVI. QUÆST. VII. Cap. 17. *Constitutiones. Idem* PASCHAL. II. *ann. fortè* 1107.

III. Clericus, qui Ecclesiam per Laïcos sine proprii Episcopi autoritate receperit, Communione privetur; & si perstiterit, à Ministerio Ecclesiastico & Ordine deponatur. *De Jure Patron.* Cap. *Præterea. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 4.

IV. Hi, qui Beneficium Ecclesiasticum à Laïco susceperunt, eodem sunt Beneficio spoliandi. *De Renuntiat.* Cap. *Quod in dubiis.* LIB. I. DECR. *Tit.* 9. Cap. 8.

V. Nullus Clericorum Investituram Episcopatus, vel Abbatiæ, vel Ecclesiæ, de manu Regis, vel alicujus Laicæ personæ, viri, vel fœminæ, suscipiat. Quod si præsumpserit, recognoscat investituram illam Apostolicâ autoritate irritam esse, & se usque ad condignam satisfactionem excommunicationi subjacere. CAUS. XVI. QUÆST. VII. Cap. 13. *Quoniam. med.* GREGOR. VIII. *in Conc. Romano* V. *ann.* 1078. Cap. 2. TOM. X. CONC. *p.* 375.

VI. Si quis Episcopatum, vel Abbatiam, de manu alicujus Laicæ personæ susceperit, nullatenus inter Episcopos vel Abbates habeatur; nec ulla ei, ut Episcopo, seu Abbati, audientia concedatur. Insuper & ei gratia B. PETRI, & introitus Ecclesiæ interdicitur, quousque locum, quem sub crimine tàm ambitionis quàm inobedientiæ (quod est scelus idololatriæ) cœpit, resipiscendo non deserit. CAUS. XVI. QUÆST. VII. Cap. 12. *Si quis deinceps.* GREG. VII. *in Synodo Generali ann.* 1080.

VII. Similiter etiam de Inferioribus Ecclesiasticis Dignitatibus constitutum est. *Ibid.* Si quis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet Sæcularium Potestatum, aut personarum, investituram Episcopatuum, vel alicujus Ecclesiasticæ Dignitatis dare præsumpserit, ejusdem Sententiæ vinculo se esse sciat obstrictum. *Ibid.* §. 1. CAUS. XVI. QUÆST. VII. Cap. 12. *Si quis deinceps.*

Si in tantùm Laïcorum procedat audacia, ut Episcoporum auctoritate neglectâ Clericos instituant in Ecclesiis, decretum est Anathemate feriendos. *De Jure Patron.* Cap. *Præterea. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 4.

Præfatæ pœnæ justissimæ contrà Usurpatores: Ecclesiarum Fundatores mitiùs habendi; id animi gratitudo exposcit. Inter collectos Textus, plures pertinent ad investituras; quarum alia erat merè temporalis, & fiebat per Baculum & Annulum à Laïcis acceptos; alia spiritualis, & fiebat per Collationem Tituli: ista prædictis pœnis digna erat, non idem de alia. Vide circà utramque GONZAL. in Cap. 43. *De Elect.* n. 6. 7. 8. *&* VANESPEN. *Comment. in* GRATIANUM. CAUS. XVI. Ubi etiam indicat alia loca, in quibus de eadem re egit, postquàm notavit GREG. VII. turbarum prædictarum primum Autorem fuisse.

SECTIO IX.

Neque per ambitum expostulanda esse Beneficia Ecclesiastica, neque in ea malè ac perversè ingrediendum.

I. Apostolicâ autoritate prohibitum est, ne quis Ecclesias, & Præbendas, Præposituras, Capellanias, aut aliqua Ecclesiastica Officia expostulare præsumat. Quod si quis ambitionis reus attentare præsumpserit, debitâ pœnâ mulctabitur, & postulatis carebit. CAUS. VIII. QUÆST. I. Cap. 7. *Apostolicâ.* INNOC. II. *in Conc.* ROMAN. *ann.* 1139. Vide *Conc.* ARVERNENSE *ann.* 535. *Can.* 2. TOM. IV. CONC. *p.* 1804.

II. Principatus in populos non sanguini deferendus est, sed vitæ. At nunc cernimus plures hanc rem Beneficium facere, ut non quærant eos in Ecclesiâ erigere columnas, quos plus cognoscant Ecclesiæ prodesse; sed quos, vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus Majorum quispiam rogaverit, & (ut deteriora taceam) qui ut Clerici fierent, muneribus impetrarunt. *Ibid.* CAUS. VIII. QUÆST. I. Cap. 6. MOYSES. *Ex* S. HYERON. *in Commentario ad Epistolam ad* TITUM *ad hæc verba*, Et constituas per Civitates Præsbyteros, *ann.* 386.

III. *Qui vos spernit, me spernit.* Ex quo manifestum est, eos, qui Apostoli Lege contemptâ, Ecclesiasticum gradum non merito voluerint alicui deferre sed gratiâ, contrà CHRISTUM facere, qui qualis in Ecclesiâ Presbyter constituendus sit, per Apostolum suum executus est. *Ibid.* CAUS. VIII. QUÆST. I. Cap. 54. *Qui vos spernit. Idem.* S. HYERON. *Ibid.* Grave est, quando in hujusmodi causis non ex judicio, sed ex solo favore venit electio. CAUS. VIII. QUÆST. I. Cap. 57. *Nec novum. fin.* S. GREG. LIB. VIII. *Ep.* 4. *an.* 600.

IV. Sicut locus Regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus. *Ibid.* CAUS. VIII. QUÆST. I. Cap. 9. *In Scripturis. init. Idem.* S. GREG. LIB. V. *Epist.* 5. *ann.* 597.

V. Ad Dignitates, Personatus, & Beneficia Ecclesiastica patere non debet ingressus vitiosus. *In 6. De eo qui mittitur in possessionem.* Cap. un. LIB. II. *Tit.* 7. Cap. unico. *med.*

VI. Apud Deum non gradus elegantior, sed vitæ melioris actio comprobatur. CAUS. XXIII. QUÆST. IV. *Cap.* 48. *Sicut excellentiam. med.* GREG. I. LIB. I. *Epist.* 72. *ann.* 591.

VII. Principatus, quem ambitus occupavit, etiamsi moribus atque actibus non offendit, ipsius tamen initii sui est perniciosus exemplo. Et difficile est ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. DIST. LXI. *Cap.* 5. *Miramur.* §. 1. LEO I. *Epist.* 85. *al.* 87. *nunc* 1. *ann* 442. Cap. 1.

VIII. Si ad honores Mundi sine suffragio temporis, sine merito laboris, indignum est pervenire, & notari ambitus solent, quos probitatis documenta non adjuvant: quàm diligens, & quàm prudens habenda est dispensatio Divinorum munerum & Cælestium Dignitatum. *Ibid.* DIST. LXI. *Cap.* 5. *Miramur.* §. ult. *Ibid.* Cap. 4.

IX. Si non potest Monasterio de personâ idoneâ meliùs provideri, illum qui de honestate ac industriâ commendatus est, nullum prorsùs habendo respectum ad petitionem illicitam, quam quidam Laici faciunt, sed ex suæ duntaxat provisionis Officio, potest Collator instituere in Abbatem. *De Ætate & Qualit.* Cap. *Tuam.* §. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 14. Cap. 10.

Licèt preces sint illicitæ, tamen si non habeatur respectus ad illas, non committitur Simonia. *Glossa.*

X Nullus per ambitum ad Episcopalem honorem permittatur accedere; nam cùm hic excessus in Laica conversatione culpetur, quis dubitat, quin Religiosis & Deo servientibus incurrat opprobrium. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap* 118. *Nullus itaque.* SYMMACHUS *ad* CÆSARIUM *Epist.* 1. Cap 5. *ann.* 502.

XI. Si is qui valet Omnipotentis Dei oves renuit pascere, ostendit se Pastorem Summum minimè amare. CAUS. VIII. QUÆST. I. *Cap.* 9. *In Scripturis.* §. 1. Si Unigenitus de secreto Patris egressus est ad publicum nostrum, nos quid dicturi simus, si secretum nostrum præponimus utilitati proximorum. *Ibid.* GREGOR. I. LIB. VI. *Epist.* 5. *ann.* 597.

XII. Duo sunt Præcepta charitatis, Dei videlicet amor, & proximi. *Ibid* §. 2. Ne quisquam Inferioris Ordinis Clericus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat. CAUS. VII. QUÆST. I. *Cap.* 37. *Episcopus. init. ex Conc.* CARTHAGIN. IV. *an.* 398. Cap. 27.

XIII. Inferioris gradûs Sacerdotes, vel alii Clerici, concessione suorum Episcoporum possunt ad alias Ecclesias transmigrare. CAUS. VII. QUÆST. I. *Cap.* 37. *Episcopus. fin.*

XIV. Latorem præsentium per intercessionem B. Sanctitatis vestræ Acolytum fecimus, quem ad obsequia vestra transmisimus, ut si in lucrandis animabus ampliùs servierit, proficere ampliùs possit. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 121. *Latorem.* GREGOR. I. LIB. VII. *indict.* 1. *Epist* 2. *ann.* 597.

XV. Nullus neque gratiâ alicujus, neque supplicatione, aliquos ad Sacros Ordines audeat promovere, nisi eum quem vitæ & actionis qualitas ad hoc dignum esse monstraverit. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 117. *Quibusdam.* §. 2. *fin.* GREG. I. LIB. IV. *Epist.* 56. *an.* 595.

XVI. Oportet, ut neque per commodum, neque per gratiam, aut quorumdam supplicationem, aliquos ad Sacros Ordines consentiatis vel permittatis adduci. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 116. *De Ordination.* GREGOR. I. LIB. IV. *Epist.* 55. *ann.* 595.

Tria vitanda in ingressu ad Beneficium. 1o. Ne usurpetur propriâ autoritate. 2o. Ne accipiatur ab eo, qui non habet jus illud dandi. 3o. Ne à Collatore legitimo per vias illicitas obtineatur; nempè per ambitionem, pecuniam, obsequia temporalia, preces Magnatum quæ præcepta sunt, vim, metumque incussum. De iis viis dictum est, dum de indiciis vocationis ad Sacra Ministeria.

SECTIO X.

In Regno Franciæ solum Romanum Pontificem ad nominationem Regis Christianissimi conferre posse Archiepiscopatus & Episcopatus. Et quomodo?

I. Cathedralibus & Metropolitanis Ecclesiis in Regno Franciæ, Delphinatu, & Comitatu DIENSI ac VALENTINENSI, pro tempore, etiam per cessionem in manibus Romanorum Pontificum Canonicè intrantium sponte factam, vacantibus, illarum Capitula & Canonici ad electionem, seu postulationem, inibi futuri Prælati procedere non possint. *Concordata inter* FRANCISCUM I. & LEONEM X *ann.* 1517. *Tit.* 1. *init.*

II. Illarum occurrente hujusmodi vacatione, Rex Franciæ pro tempore existens, unum gravem Magistrum, seu Licentiatum in Theologiâ, aut in utroque seu altero Jurium Doctorem, aut Licentiatum in Universitate famosâ, & cum rigore examinis, & in vigesimo septimo suæ ætatis anno ad minus constitutum, & aliàs, idoneum, infrà sex menses à die vacationis Ecclesiarum earumdem computandos, Romanis Pontificibus, seu Sedi Apostolicæ nominare, & de personâ per Regem hujusmodi nominatâ per Romanum Pontificem, seu Sedem prædictam, provideri debeat. *Ibid. Concordatorum Tit.* 1. *Juxtà aliam divisionem, Tit.* 5.

III. Si contingeret præfatum Regem personam taliter non qualificatam ad dictas Ecclesias sic vacantes nominare, Romanus Pontifex, seu Sedes hujusmodi, de personâ sic nominatâ eisdem Ecclesiis minimè providere debeat. *Ibid.*

IV. Teneatur idem Rex, infrà tres alios menses à die recusationis personæ nominatæ non qualificatæ sollicitatori nominationem non qualificatam prosequenti Consistorialiter factæ intimandæ, computandos, alium suprà dicto modo qualificatum nominare. *Ibid.*

V. Alioquin, ut dispendiosæ Ecclesiarum hujusmodi vacationi celeriter consulatur, Ecclesiæ tunc sic vacanti per Romanum Pontificem, seu Sedem, hujusmodi de persona, ut præfertur qualificatâ, necnon per obitum, apud Sedem prædictam vacanti, semper etiam nullâ dicti Regis præcedente nominatione, liberè provideri possit. *Ibid.*

VI. Decretum est, electiones contrà præmissa attentatas, ac provisiones per Romanos Pontifices, seu Sedem, hujusmodi factas, nullas & invalidas existere. *Ib.*

VII. Consanguineis tamen præfati Regis ac personis sublimibus, ex causâ rationabili & legitimâ, in nominatione & Apostolicis Literis exprimendâ; necnon Religiosis Mendicantibus reformatis eminentis scientiæ, & excellentis doctrinæ, qui juxtà sui Ordinis Regularia Instituta ad gradus hujusmodi assumi non possunt, sub prohibitione præmissâ minimè comprehensis; sed de eorum personis, dictis Ecclesiis pro tempore vacantibus, ad dicti Regis nominationem per Romanum Pontificem, seu Sedem hujusmodi, liberè provideri possit. *Ibid. Concordat. Tit.* 1. *Juxta aliam divisionem. Tit.* 5.

VIII. Secundùm Statuta Canonica electiones Episcoporum ad Cathedralium Ecclesiarum Clericos regulariter pertinere noscuntur, nisi alibi secùs obtineat de consuetudine speciali. *De Causâ Possess.* Cap. *Cum Ecclesia.* §. 3. *med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 12. Cap. 3. Vide *Formulas promotionum Episcopalium* SIRMONDI *Append.* TOM. VIII. CONC. Vide *Concilium incerti loci. ann.* 868. *Ibid. p.* 1942.

Reges semper habuisse partem aliquam in Galliâ ad Episcoporum consecrationem. *Epistola* LEONIS *Episcopi* SENON. *ad* CHILDEBERTUM. *ann. circ.* 550. TOM. V. CONC. *p.* 377. *Conc.* AURELIAN. V. *ann.* 549. *Can.* 10. TOM. V. CONC. *p.* 393. *Conc.* PARIS. III. *ann.* 557. *Can.* 8. TOM. V. CONC. *p.* 817. JOAN. VIII. *Epist.* 70. TOM. IX. CONC. *p.* 56. *Preceptum* CAROLI CRASSI quo Ecclesiæ *Cabillonensi* concedit facultatem eligendi Episcopum. *an* 885. TOM. IX. CONC. *p.* 378. Vid. *Epist.* 1. & 2. JOANN. X. TOM. IX. CONC. *p.* 574. 576.

In

In telatis Concordatorum locia plura sunt quæ jamdiù non servantur, quæ ad unum reducuntur; nempè quod ad illa Beneficia numquam provideri potest sine nominatione Regia, non obstante reservatione Romæ vacantium per obitum, & devolutione ad Papam, si Rex nominare neglexerit ultra tempus præfixum, & si nominaverit non qualificatum; idque quia Rex nominat ut Patronus Laicus, ut & Privilegiatus, ut patet ex dicendis, dum *De Reservatione in Curia.* De hoc etiam in novis Commentariis Cleri Gallicani Tom. X. *p.* 166. ubi de Articulis Concordatorum, *Tit. De Regia nominat.* abrogatis.

SECTIO XI.

Etiam Abbatias, & Prioratus verè electivos, ad nominationem duntaxat Christianissimi Regis à Romano Pontifice conferri in Regno Franciæ; & quæ Monasteria excipiantur?

I. Monasteriia, & Prioratibus Conventualibus, & verè electivis, videlicet in quorum Electionibus forma Capituli (Quia propter) servari, & confirmationes electionum hujusmodi solemniter peti consueverunt in Regno, Delphinatu, & Comitatu, hujusmodi pro tempore, etiam per solemnem cessionem, vacantibus, illorum Conventus ad electionem seu postulationem Abbatis, seu Prioris, procedere non possint. *Concordata. Eod. Tit.* 1. *med.* Sect. 6. *init.*

II. Idem Rex, illorum occurrente hujusmodi vacatione, Religiosum ejusdem Ordinis in ætate viginti trium annorum ad minùs constitutum, infra simile tempus sex mensium, a die vacationis Monasteriorum & Prioratuum hujusmodi computandorum, Romanis Pontificibus, aut Sedi hujusmodi nominare; & de personâ per Regem hujusmodi Monasterio vacanti nominatâ, per Romanos Pontifices seu Sedem hujusmodi provideri: Prioratus verò personæ ad illum per eumdem Regem nominatæ conferri debeat. *Ibid. Concordat. Tit.* 1. *Sect.* 6.

III. Si idem Rex Presbyterum Sæcularem, aut Religiosum alterius Ordinis, aut minorem viginti trium annorum, vel aliàs inhabilem, Romanis Pontificibus, infrà dictum semestre, seu Sedi hujusmodi, nominaret; talis nominatus recusari & nullatenùs sibi provideri debeat. *Ibid.*

Rex ipse infrà trimestre, à die recusationis suprà dicto modo intimandæ computandum, alium modo suprà dicto qualificatum Monasterio, seu Prioratui, tunc vacanti nominare, & de persona ad Monasterium nominata illi providere; ad Prioratum verò nominato, Prioratus ipse per Romanum Pontificem, seu Sedem prædictam, conferri debeat. *Ibid.*

Alioquin dictis novem mensibus effluxis, nullâ, seu de personâ minùs idoneâ, & modo præmisso non qualificatâ, factâ nominatione; ac etiam vacantibus apud Sedem prædictam, semper etiam nullâ dicti Regis expectatâ nominatione, per Romanos Pontifices, seu Sedem prædictam, Monasteriis provideri, Prioratus verò personis ut præfertur qualificatis duntaxat conferri liberè possint. *Ibid.*

Huc recurrir Nota ad calcem Sectionis præcedentis posita. Paucissima sunt Monasteria, quæ jus electionis conservarunt, Moniales jamdiù amiserunt: utrumque ostensum in *Institutionibus Ecclesiasticis & Beneficialibus. Part. Prima.*

SECTIO XII.

Episcopos, Abbates, & alios Præpositos à Rege Christianissimo nominatos, non posse nullatenus Ecclesiarum administrationi se ingerere, antè confirmationem seu Bullas provisionis à Romano Pontifice obtentas; & sub quibus pœnis id vetitum sit?

I. Non posse Episcopos nominatos, aut Abbates à Rege Christianissimo Ecclesiarum investituram accipere. Caus. XVI. Quæst. VII. *Capit.* 12. 13. *&c.* Episcopus electus concedendi honores, vel Præbendas, aut aliàs disponendi de rebus Ecclesiæ (cùm sua non sit electio confirmata) non habet facultatem. *De Elect.* Cap. *Nosti. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 9.

II. Ad Regimen Ecclesiarum electis, Jure prohibente, non licet se antè confirmationem electionis celebratæ de ipsis, administrationi Ecclesiarum ad quas vocantur ingerere. *In 6. De Elect.* Cap. *Avaritiæ, §.* 1. Lib. I. *Tit.* 6. *Cap.* 5. Exceptis casibus. *Cap.* 28. 44. *De Elect.* & Cap. 43. *De Elect. In 6.*

III. Episcopi & alii Prælati Superiores, necnon Abbates, Priores, & cæteri Monasteriorum Regimina exercentes, quocumque nomine censeantur, qui apud Apostolicam Sedem promoventur, aut confirmationis munus recipiunt, ad commissas eis Ecclesias & Monasteria, absque dictæ Sedis literis hujusmodi eorum promotionem seu confirmationem continentibus, accedere, vel bonorum Ecclesiasticorum administrationem, accipere, non præsumant; nullique eos absque dictarum literarum ostensione recipiant, aut eis pareant & intendant. *Extravagant. I. De Elect. §.* 2. *Præsenti.* Extrav. Commun. Lib. I. *Tit.* 3. Cap. 1. Bonifac. VIII. *ann.* 1300. Cir à id genus Bullarum antiquior Textus nullus nec alius illarum necessitatem monstraverit.

IV. Quod si forsan contrà præsumptum fuerit, quod per Episcopos, Prælatos, Abbates, Priores, & alios Monasteriorum Regimina exercentes prædictos, medio tempore actum fuerit, irritum habeatur: Nec quicquam interim iidem Episcopi, vel Prælati, Abbates, Priores, vel Regimina exercentes, de Ecclesiarum vel Monasteriorum proventibus percipiant eorundem. *Ibid. Extravag. I. De Elect.* §. 2. Lib. I. Extrav. Comm. *Tit.* 3. Cap. 1.

V. Si postulatum Episcopum quoad temporalia, vel spiritualia, recepisse constet vacantem Ecclesiam, vel ministrasse in temporalibus aut spiritualibus in eadem: Postulatio facta de ipso nuncietur irrita. *De Elect.* Cap. *Bonæ memoriæ. post init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 23.

Quod aliquis antè confirmationem præsumpserit ministrare, sicut & post confirmationem cassatam; hoc ad electionis ejus cassationem sufficit. *De Preb.*Cap. *Cùm jamdudum.*§.1.*&* 2. Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 18.

VI. Si electus antè confirmationem administrationi Episcopatûs se Irreverenter immiscuit, non attendens quod secundùm Apostolum nemo debet sibi honorem assumere, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron; electio de ipso facta possit irritari, & quicquid ex ea & ob eam factum est penitùs non tenet. *De Elect.* Cap. *Qualiter.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 17.

VII. Generali Constitutione sancitum est, ut nullus administrationem Dignitatis, ad quam electus est, priusquàm celebrata de ipso electio confirmetur, sub Oeconomatus vel Procurationis nomine, aut alio de novo quæsito colore, in spiritualibus vel temporalibus, per se vel per alium, pro parte vel in totum, gerere vel recipere, aut illis se immiscere præsumat. *In 6. De Elect.* Cap. *Avaritia. §.* 2. Lib. I. *Tit.* 6. Cap. 5.

VIII. Avaritiæ cæcitas, & damnandæ ambitionis improbitas, aliquorum animos occupantes, eos in illam temeritatem impellunt, ut quæ sibi à Jure interdicta noverint, exquisitis fraudibus usurpare conentur. *In 6. De Elect.* Cap. *Avaritia. init.* Lib. I. *Tit.* 6. Cap. 5.

IX. Ad Regimen Ecclesiarum electis, Jure prohibente, non licet se antè confirmationem electionis celebratæ de ipsis, administrationi Ecclesiarum, ad quas vocantur, ingerere. *Ibid. In 6. De Elect.* Cap. *Avaritia. §.* 1. Lib. I. *Tit.* 6. Cap. 5.

X. Omnes illos, qui secùs fecerint, Jure, si quod eis per electionem quæsitum fuerit, decretum est eo ipso fore privatos. *Ibid. In 6. De Elect.* Cap. *Avaritia. fin.* Lib. I. *Tit.* 6. Cap. 5.

XI. Capitula verò, Conventus Ecclesiarum & Monasteriorum ipsorum, & alii quicumque, ipsos absque dictæ Sedis literis recipientes, vel obedientes eisdem, tamdiù sint à Beneficiorum suorum perceptione suspensi, donec super hoc ejusdem Sedis gratiam meruerint obtinere. EXTRAVAGANT. COMM. *De elect.* §. 3. LIB. I. EXTRAVAG. COMM. *Tit.* 3. Cap. 1.

Excipiendus videtur ab hac Sect. casus in quo Papa Bullas injustè denegaret, quia eo casu nominatio redit ad Jus Commune. *Cap.* 18. *&* 44. *De Elect.* ut ostensum est in Tractatu *De Libertatibus Gallicanis.* Vide *Novos Comment. Cleri Gall.* TOM. X.

SECTIO XIII.

Intra tres menses Episcopos nominatos debere consecrari; & quibus pœnis obnoxii sint, si id facere neglexerint?

Vide *Concil.* RAVENNENSE *ann.* 878. *Statuto* 1. *&* 2. TOM. IX. CONC. *p.* 300.

I. Placuit Sanctæ *Synodo* CALCEDONENSI, intra tres menses fieri Ordinationes Episcoporum, nisi fortè inexcusabilia necessitas coegerit tempus Ordinationis ampliùs protelari. DIST. LXXV. *Cap.* 2. *Quoniam. init.* & DIST. LXXV. *Cap.* 2. ubi additur: Si autem quis Episcoporum hæc non observaverit, ipsum debere Ecclesiasticæ condemnationi subjacere. *Ex Conc.* CALCEDON. *anno* 451.

II. Ultra tres menses Ecclesiam vacare Pontifice, Statuta Sacrorum Canonum non permittunt, ne &c. DIST. L. Cap. 11. *Postquàm. init. Ex* S. GREGOR. LIB. VI. EPIST. *Epistola* 39. *anno.* 597.

III. Scientes Ecclesiam Dei sine proprio diù Pastore non debere consistere. DIST. LXIII. Cap. 18. *Lectis. med.*

IV. Ultrà tres menses vacare Ecclesiam Sanctorum Patrum prohibent Sanctiones. DIST. LXIII. Cap. 35. *Obeuntibus. init. Ex Concil.* ROMANO *sub* INNOCENT. II *anno* 1139.

V. Ad majores Ecclesias promoti, munus consecrationis infrà tempus à Jure statutum suscipiant. *Conc.* TRID. SESS. VII Cap. 9. *De Reform.*

VI. Prorogationes ultra sex menses concessæ nulli suffragentur. *Ibid.*

Ut post mortem Episcopi non liceat Episcopatum esse sine Pastore suprà menses três, nisi talis necessitas grandis evenerit, ut nullo modo aliter fieri possit. *Conc.* VERNENSE. *ann.* 755. *Can.* 17. TOM. VI. CONC. *p.* 1668.

VII. Ecclesiis Cathedralibus, seu Superioribus, quocumque nomine ac titulo Præfecti, etiamsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, si munus Consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur. *Conc.* TRID. SESS. XXIII. *De Reform.* Cap. 2.

VIII. Si intra totidem menses posteà id facere neglexerint, Ecclesiis ipso jure sint privati. *Ibid. Conc.* TRID. SESS. XXIII. *De Reform.* Cap. 2.

In Canone legitur de electo, ut si ultra sex menses per suam negligentiam retinuerit Ecclesiam viduatam, nec ibi nec alibi donum Consecrationis accipiat. *De Translatione Episcopi.* Cap. *Inter corporalia.* §. *Sed neque. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 7. Cap. 2. *Edictum* BLESENSE. *Articulo* 8.

IX. Si consecrandi Episcopi negligentiâ provenerit, ut ultra tres menses Ecclesia viduata consistat, Communione privetur, quousque aut loco cedat, aut se consecrandum offerre non desinat. DIST. C. Cap. 1. *Quoniam quidam.* §. 1.

X. Quòd si ultrà quinque menses per suam negligentiam retinuerit viduatam Ecclesiam, neque ibi neque alibi consecrationis donum percipiat. *Ibid.*

XI. Quivis electus infrà tres menses post consensum electioni de se celebratæ præstitum, confirmationem electionis ipsius petere non omittat. *In* 6. *De Elect.* Cap. *Quàm sit.* §. *ult.* LIB. I. *Tit.* 6. Cap. 6.

XII. Quod si, justo impedimento cessante, intra hujusmodi trimestre tempus omiserit, electio eadem eo ipso viribus vacuetur. *Ibid. fin.*

XIII. Quàm sit Ecclesiis ipsarum dispendiosa vacatio, quàm periculosa etiam esse soleat animabus, non solùm jura testantur, sed etiam Magistra rerum efficax experientia manifestat. *In* 6. *De Elect.* Cap. *Quàm sit. init.* LIB. I. *Tit.* 6. Cap. 6.

XIV. Ne pro defectu Pastoris, gregem Dominicum lupus rapax invadat; aut in facultatibus suis Ecclesia viduata grave dispendium patiatur; volentes in hoc etiam occurrere periculis animarum, & Ecclesiarum indemnitatibus providere: Statuimus, ut ultra tres menses Cathedralis vel Regularis Ecclesia Prælato non vacet. *De Elect.* Cap. *Ne pro defectu.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 41.

XV. Electiones autem & illarum confirmationes, necnon provisiones per Romanos Pontifices, ac Sedem prædictam, contra præmissa pro tempore factas, nullas, irritas, & inanes esse decernitur. *Concordat. Tit.* 1. *fin.*

XVI. Per præmissa tamen non intenditur in aliquo præjudicare Conventibus Monasteriorum, & Prioratuum hujusmodi privilegia à Sede Apostolicâ proprium eligendi Prælatum obtinentibus, quominùs ad electionem Abbatum, & Priorum, juxtà privilegia eis concessa, liberè procedere possint juxtà formam in eorum privilegiis contentam. *Ibid. Concordat. Tit.* 1. *fin.* Ex *Edicto* BLESENSI *Articulo* 3. Servatur Privilegium electionis Monasterii, quæ sunt Ordinum Capita; qualia sunt CLUNIACENSE, CISTERCIENSE, PRÆMONSTRATENSE, GRANDIMONTENSE, VALLIS *Scholarium*, S. ANTONII VIENNENSIS, TRINITATIS dictum *Mathurinorum Vallis Caullum* & ea quibus Jura & privilegia electionum sunt conservata; similiter etiam Abbatiis & Monasteriis PONTINIACENSI, TRINITATIS, CLAREVALLENSI, & MORIMONDI, quæ vulgò dicuntur quatuor Filiæ Monasterii CISTERCIENSIS. Sunt qui contendant Episcopos consecratos, non privari Beneficiis anteà obtentis, nisi post adeptam possessionem Episcopatûs, & integram fructuum fruitionem, ne careant congruâ pro Dignitate sustentatione; æquitas id exposcit.

SECTIO XIV.

Quot, & quibus modis fieri possit Inferiorum Ecclesiæ Beneficiorum provisio? Et in quo differant illi modi providendi?

I. Sunt Prælaturæ, Personatus, vel Dignitates, ad quos seu quas per electionem ii, qui eis habent præfici, assumuntur. *In* 6. *De Præb.* Cap. *Cùm in illis.* §. 1. *fin.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 16.

II. Electio quæ facta est de tribus, dicenda videtur potiùs nominatio. *De Elect.* Cap. *Quod sicut. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 28.

III. Est Beneficium quod ad alicujus Præsentationem vel Institutionem pertinet. *In* 6. *De Præb.* Cap. *Cùm in illis.* §. 2. *Cùm inter. med.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 16.

IV. Est Beneficium quod ad alicujus Collationem spectat. *In* 6. *De Præb.* Cap. *Cùm in illis.* §. 2. *init.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap 16.

V. Officium vel Beneficium per electionem & confirmationem acquiritur. *De Accusationib.* Cap. *Super his. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap 16.

VI. Post electionem & confirmationem Canonicam, inter personas eligentium & electi conjugium est spirituale contractum. *De Translatione Episcopi.* Cap. *Inter corporalia. post med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 7. Cap. 2.

VII. Spirituale Fœdus Conjugii in electione initiatur, fit ratum in confirmatione. *Ibid. De Translatione.* Cap. *Licet. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 7. Cap. 4.

VIII. Inter Collationem, Præsentationem, & Institutionem, differentia magna esse noscitur. *In* 6. *De Præb.* Cap. *Cùm in illis.* §. 2. *Cùm inter. init.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 16.

X. Per simplicem nominationem (sive Præsentationem) nihil juris acquiritur nominato. *De Elect.* Cap. *Qaod sicut.* §. 1. *init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 28.

XI. Præsentatos à Patronis admittere, est eos instituere in Beneficiis, ad quæ fuerint præsentati. *In 6. De Institut.* Cap. *Etsi.* LIB. III. *Tit.* 6. Cap. 1.

XII. Cùm Præpositura, dum vacabat, alicui per eum, qui conferre potuit ipsam, collata fuit, Collatio hujusmodi Canonica existit. *In 6. De Concess. Præb.* Cap. *Quia cunctis.* §. 1. *init.* LIB. III. *Tit.* 7. Cap. 1.

XIII. Ecclesia non perpetuò conceditur, sed ad tempus commendari potest. *De Accusationib.* Cap. *Si constiterit. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap. 12.

XIV. Ecclesia Canonicè concedi & tradi potest. *Ibid. De Accusationib.* Cap. *Si constiterit.* §. *ult. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap. 12.

XV. Institutio est Collatio ad Præsentationem Patroni.

XVI. Institutio impropriè aliquando sumitur pro missione in possessionem, ut infra; sed vulgò non appellatur simpliciter institutio, sed institutio corporalis.

XVII. Quot modis sumatur institutio, Vide *Glossam ad* Cap. *Authoritate.* De *Institutionib.* verbo, *Instituatur.* LIB. III. DECR. *Tit.* 7. Cap. 4.

Conferre est pleno jure dare: undè sæpiùs Collatio sumitur pro institutione, & vice versa institutio sumitur pro omni legitimo Titulo Beneficiali. *Regula prima, In 6.*

XVIII. Cùm non fuit ad Collationem processum, per consequens jus in re non fuit acquisitum. *In 6. De Concess. Præb.* Cap. *Quoniam.* finali. §. *ult. fin.* LIB. III. *Tit.* 7. Cap. 8.

XIX. Antè Collationem Beneficii non datur jus quæsitum in re, sed ad rem. *Glossa.*

Per collationem jus in re acquiritur.

XX. Electiones, Postulationes, provisiones, sunt extrajudiciales actus. *In 6. De Appell.* Cap. *Concertationi. init.* LIB. II. *Tit.* 15. Cap. 8. Idem dic de præsentatione aut nominatione.

Ante factam Collationem Præbendæ nullus habet jus in eadem. *In 6. De Præb.* Cap. *Qaodam. med.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 40.

Jus in Præbenda non competit, cùm Collatio non præcessit. *Ibid. fin.*

Si præcessisset Collatio, jus habuisset, non ad rem, sed in re. *Glossa finali.*

Etsi Laïcus Clericum ad Ecclesiam præsentaverit, si tamen per Diœcesanum Episcopum admissus non fuit, non jus est assecutus in Ecclesiâ. *De Jure Patron.* Cap. *Cùm Dilectus.* §. 3. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 28.

Clericus à Laïco præsentatus, à Diœ esann Episcopo institutus, jus assequitur in Ecclesiâ. *Ibid.*

Observationes in Section. XIV.

Tres sunt præcipui modi Beneficia acquirendi, seu ad illa promovendi; Electio, Collatio, Præsentatio. Nomine Provisionis omnes comprehenduntur. His alii horum nonnullis aliis quandoque præmittuntur; ejus generis est nominatio: Hæc autem multiplex est, vel multipliciter sumitur; nempè aliquando pro Præsentatione: vocatur Præsentatio quæ fit à Rege Franciæ ad Beneficia Consistorialia: hoc nomine donatur quoque propositio facta à Capitulo plurium personarum quarum una assumatur à Rege, ut præsentet Pontifici; ita aliàs fiebat in Ecclesia CAMERACENSI, & in Ecclesia BISUNTINA: Ita etiam appellatur Propositio facta ab Universitatibus vel Academiis facta Collatoribus, vel simplicibus Patronis quorumdam Graduatorum, ut ipsis provideatur, mensibus ipsis assignatis: eodem modo nuncupabatur propositio facta à Curia PARISIENSI Senatorum ipsius ut à Rege Indultum sive Exspectativam concederet, ut patet ex DOUJACIO *Speciminis Parte Prima*, & ex PINSONIO Tractatu *De Juribus Regiis sive Regalibus.* Hujusmodi nominationis meminit *Cap. 1. De Treuga & Pace.* EXTRAVAG. COM.

Præsentatio quoque duplex in aliquibus Provinciis distinguitur. Alia dicitur simpliciter Præsentatio, & fit Archidiaconis, ut præsentatos examinent & probent vel rejiciant: Alia vocatur Repræsentatio, eaque fit à quatuor Archidiaconis, ipsi Episcopo, eorum quos probaverunt. De ista fit mentio in *Notario Apostolico*, & in *Processibus Civilibus in Officialitatum. Part.* 2. Ex his tribus modis providendi, sola Collatio tribuit plenum jus in Beneficio: Præsentatio & Electio tribuunt jus imperfectum, quod perficitur ab Institutione, vel à Confirmatione; ideòque neutra est modus providendi omninò liber, sed is non competit, nisi Collationi. Ab hac libertate tamen excipiuntur Collatores Inferiores, circà Beneficia Curata, quæ conferre pleno jure non possunt, cum quoad effectum illorum Collatio pendeat ab approbatione Ordinarii, quæ dicitur Institutio Autorisabilis, sine qua Collatarii animarum curam exercere nequeunt. Excipiuntur quoque Collationes Papæ, & Legati, in forma *Dignum*, quæ effectum suum completum habere nequeunt, nisi Provisus ab Ordinario approbetur.

Præsentatio minùs juris transfert quàm Electio, cùm tribuat tantùm jus ad rem, & ista jus in re: Electio minùs juris transfert quàm Collatio, cùm ista jus plenum & perfectum soleat tribuere, Electio verò jus cui aliquid deest, ab alio accipiendum.

In Electione fit quædam Collatio, quæ non est aliud quàm comparatio votorum, ad id unum necessaria, ut discernatur an quis electus fuerit, utpotè habens numerum sufficientem suffragiorum: Undè differt multùm à Collatione, de qua dictum est plenum jus conferre, cùm Collatio quæ fit in Electione nullum jus tribuat, sed tantùm acquisitum declaret.

SECTIO XV.

Quamdam extare Beneficiorum custodiam: hanc esse vel temporalem, vel perpetuam; illam ab Episcopis, hanc à solo Summo Pontifice fieri posse.

I. Clericis & personis Ecclesiasticis Ecclesiæ ac Monasteria destituta Pastoribus sub Commendæ seu curæ, vel guardiæ, aut administrationis titulo perpetuo, ad vitam, seu ad certi temporis spatium, committuntur. *Extravag.* CLEM. V. *Inter commun. Ex superna.* §. 1. *med. De Præb.* LIB. III. EXTRAVAG. COMMUN. *Tit.* 2. Cap. 2. CLEMENS V.

II. Qui plures Ecclesias retinet, unam quidem titulatam, aliam verò sub commendatione retinere debet. CAUS. XXI. QUÆST. I. Cap. 3. *Qui plures.* LEO IV. *fortè circà ann.* 850.

III. Nullus potest plures Parochiales Ecclesias obtinere, nisi unam Intitulatam, & alteram Commendatam. *De Elect.* Cap. *Dudum.* §. *penult. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 34.

IV. Nemo deinceps Parochialem Ecclesiam, alicui non constituto in ætate legitimâ, (scil: quod attigerit 25. annum. *Glossa ibi*) & Sacerdotio (ut possit interim ipsi Ecclesiæ in Sacerdotali Ordine deservire. *Glossa*). commendare, (hic de Commenda agitur seu Custodia Ecclesiæ alicui commissâ. *Glossa hic*) præsumat. *In 6. De Elect.* Cap. *Nemo. init.* LIB. I. *Tit.* 6. Cap. 15.

V. Nec tali etiam nisi unam, & evidenti necessitate, vel utilitate ipsius Ecclesiæ suadente, commendare præsumat. *Ibid.* Hujusmodi Commendam, (ut præmittitur) ritè factam, ultra semestris temporis spatium non durare. *Ibid.* §. 1.

VI. Statutum est, quicquid secùs de Commendis Ecclesiarum Parochialium actum fuerit, esse irritum ipso jure. *Ibid. fin.*

VII. Romanus Pontifex cùm alicui Ecclesiæ quempiam in Procuratorem concedit, liberam administrationem ei, tàm in temporalibus quàm in Spiritualibus, committit. *De Elect.* Cap. *Cum nobis.* §. ult. *fin.* LIB. I. DECR. *Tit* 6. Cap. 19.

Comprehendit solos Episcopos: Si, *v. g.* sit contentio inter Patronos de jure Patronatûs.

SEC-

SECTIO XVI.

Commendam perpetuam haberi pro vero Titulo, & Commendatarios teneri iisdem Legibus ac Titulares.

I. Qui Prioratus habuerint, infrà annum computandum à tempore Collationis, seu commissionis sibi factæ de eis, & possessionis eorum adeptæ, se faciant ad Sacerdotium promoveri. LIB. III. CLEMENTINA. I. *Ne in agro.* §. *Cæterum. De Statu Monachorum.* LIB. III. CLEMENT. *Tit.* 10. Cap. 1.

II. Is, qui ad Parochialis Ecclesiæ Regimen assumetur, intra annum à sibi commissi Regiminis tempore numerandum, se faciat ad Sacerdotium promoveri. *In 6. De Elect.* Cap. *Licet Canon.* §. 1. LIB. I. *Tit.* 6. Cap. 14.

III. Annus hujusmodi à tempore illo incipit quo ipsius Ecclesiæ Regimen commissum sibi extitit. *In 6. De Elect.* Cap. *Commissa.* §. 1. *init.* LIB. I. *Tit.* 6. Cap. 35.

Ex his tribus decisionibus. *Glossa.* PRAGM. SANCTION. concludit Commendatarios non minùs teneri ad promotionem Presbyteratûs, quàm Titularios. In Prœmio. §. *Nam Ecclesiarum*, verbo, *Vultus. n.* 2. *p.* 37. REBUFFUS *in Tract.* De *Pacifi. Poss. n.* 36. Quando Commenda sit ad vitam dicitur verus Titulus. *Glossa* PRAGM. SANCT. *De Pacific. Possessor.* verb. *Titulum. p.* 421. Dicunt communiter Doctores in dicto *Cap. Nemo.* quod Commenda est Titulus Canonicus, sicut & alii.

Actum est fusè de Commendis in 1a. Parte, dum *De Personis.* Inter jura Commendatarii non infimum locum tenent sub nomine Custodiæ. Hic agi poterat de Regalia, quæ est jus custodiæ, vi cujus administrantur fructus Beneficiorum Consistorialium, & conferuntur Beneficia ab Episcopis conferenda: sed cùm hoc jus peculiare sit Gallis, nec paucis explicari queat, illius Tractatio ad hoc Opus non pertinet. Potuisset quoque agi de Jure Custodiæ; sed cùm non conferantur Beneficia vi illius, nec aliter ipsis provideatur, nec ipsum propriè sit provisio Beneficialis; ideò de illo alibi tractabitur congruentiùs, & præsertim dum *De Archidiaconis*, ad quos peculiariùs pertinet. De his autem actum est. *In* TOMO II. *pag.* 168.

TITULUS II.

Quomodò Patroni providere possint de suis Beneficiis & de Jure Patronatûs.

SECTIO I.

Fundatores, seu Patronos Ecclesiarum jus habere duntaxat præsentandi Clericos ab Episcopis, seu Collatoribus in illis instituendos; nec valere Collationem Ecclesiarum sine Patronorum præsentatione.

I. FUndatores Ecclesiarum Rectores idoneos in eisdem Basilicis offerant Episcopis ordinandos. CAUS. XVI. QUÆST. VII. *Cap.* 32. *Decernimus. init.*

Ea vi Juris Patronatûs, non concessio, sed præsentatio pertinet ad Patronum. *De Jure Patron.* Cap. fin. *Transmissa.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 31.

II. Si Capitulum Ecclesiam vacantem, in quâ jus obtinet Patronatûs, alicui Clerico concessit, sed postmodùm alium Clericum Episcopo ad eamdem Ecclesiam præsentaverit, potest Episcopus præsentatum (si ei aliquod non obsistat Canonicum) instituere in ipsâ Ecclesiâ, utpote potiorem. *Ibid. De Jure Patron.* Cap. *Transmissa.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 31. ult.

III. Si Laïcus Episcopo inconsulto Ecclesiam non vacantem concedit Religiosæ Domui, & posteà cum vacaverit ad præsentationem ejusdem Laici Clericus ibi fuerit per Diœcesanum Episcopum institutus, prior concessio secundam institutionem, quominùs habeatur rata & firma, non potest aliquatenùs impedire. *De Jure Patr.* Cap. *Illud. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 8. Agebatur de mutatione Rectoris, qui inconsulto Episcopo mutari non poterat ob perpetuitatem sui tituli: Patet ex lectione Textus: Hinc GONCALEZ sic illum interpretatur.

IV. Cùm Laici, Episcopis nescientibus aut non consentientibus, Ecclesias Clericis concedunt, in quibus habent jus Patronatùs, & posteà pœnitentiâ ducti, alios ad easdem Episcopis repræsentant, & illi ad eorum præsentationem in eisdem Ecclesiis ab Episcopis instituuntur; eorum debet institutio stare, qui autoritate sunt Episcopi instituti, concessione priori (quæ nulla est) omninò evacuatâ. *De Jure Patron.* Cap. *Cùm Laici.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 10.

V. Licèt in donationibus Ecclesiarum requirendus sit & expectandus Patronorum consensus, tamen Ecclesiæ, nisi autoritas intervenerit Pontificalis, Canonicè concedi non possunt. *De Jure Patr.* Cap. *Suggestum.* §. 1. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 20.

VI. Si jus Patronatùs, vacante Ecclesiâ, Religioso loco collatum fuerit, & aliquis sine præsentatione Fratrum ejusdem loci fuerit in ipsâ Ecclesiâ institutus, ejus (secundùm rigorem Juris) est institutio irritanda. *De Jure Patron.* Cap. *Illud. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 8.

VII. Cùm ad Ecclesias, in quibus Collegia jus præsentandi habere noscuntur, Abbates Episcopis præsentant; in præsentationibus Prælatorum intelligi debet quod fiant de Collegiorum suorum assensu, sine quo non obtinent firmitatem. *De his quæ fiunt à Prælatis &c.* Cap. *Ea noscitur.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 10. Cap. 6.

Undè si constiterit Conventûs vel majoris & sanioris partis non affuisse consensum, institutiones hujusmodi convenit evacuari; nisi ex antiqua & approbatâ consuetudine, vel concessâ libertate, aliqui eorum probaverint commissi sibi Collegii non debere in Ecclesiarum, seu Beneficiorum, Collationibus requiri consensum. *De his quæ fiunt à Prælat.* Cap. *Ea noscitur.* §. 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 10. Cap. 6.

VIII. Si qui Frater ejus jus Patronatûs, quòd in quibusdam Ecclesiis habebat, liberaliter contulit, eas sine assensu ipsius nullus occupare potest, aut detinere occupatas: sed earum detentores, ut easdem restituant, per eum liberè & pacificè ordinandas, compelli debent. *Ibid.* Cap. *Ex insinuatione.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 14.

IX. Si, spretis Fundatoribus, Rectores in Ecclesiis præsumpserit Episcopus ordinare, & ordinationem suam irritam noverit esse, & ad verecundiam suam alios in eorum loco (quos iidem ipsi Fundatores condignos elegerint) ordinari. CAUS. XVI. QUÆST. VII. *Cap.* 32. *Decernimus. fin.* Quod restingendum ad casum, in quo Patronus intra tempus sibi datum conqueritur.

X. Cùm Ecclesias vacare contigerit per intitulationem quamcumque, in illis nullum Patronis præjudicium generatur, quin possint alios ad illas Ecclesias præsentare, nisi de Patronorum processisset assensu. *De Jure Patr.* Cap. *Postulasti.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 30. *med.*

XI. Ad mulierem donatio Præbendarum Sacerdotalium pertinere potest. *De Testib.* Cap. *Dilecto. init.* LIB II. DECR. *Tit* 20. Cap. 40. *Conc.* TOLET. IX. *an.* 655.

XII. Prætextatus quousque fuerit institutus non videtur habere plenum jus. *Glossa. in* Cap. *Cùm Dilectus. De Jure Patronatûs.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 28.

Clericus ad aliquam Ecclesiam à Patrono Laico præsentatus, si Diœcesanus Episcopus ipsum non duxerit admittendum, ex hujusmodi præsentatione plenum jus non assequitur in illâ. *De Jure Patr.* Cap. *Pastoralis.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 29.

XIII. Plus juris habet in concessione Prælatus, quàm in præsentatione Patronus. *De Officio Legati.* Cap. *Dilectus.* §. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 30. Cap. 6.

Plus confertur per Prælatum, quàm per Patronum. *Glossa.*

SEC.

SECTIO II.

Quantùm temporis habeant Patroni, tàm Laici quàm Ecclesiastici, ad præsentandum ad Beneficia? & utri eorum variare possint antè vel post præsentatorum institutionem?

I. Patronus Laïcus ad præsentandum tempus habet quadrimestre dumtaxat *In 6. De Jure Patron.* Cap, un Lib. III. *Tit.* 19. Cap. unico. §. 1. *init.*

II Ecclesia, vel Monasterium, cui facta est à Laïco Juris Patronatûs Collatio, tempus habet semestre. Et omninò quantùm ad præsentationem pertinet, non ut Pattonus Laïcus, sed ut Patronus debet Ecclesiasticus reputari. *Ibid. In 6. De Jure Patron.* Cap. un. Lib. III. *Tit.* 19. Cap. unico. *fin.* Patronus Ecclesiasticus habet sex menses ad præsentandum.

III. Si Clericus idoneus ad vacantem Ecclesiam præsentatus, non fuerit ab Episcopo Diœcesano admissus, & postmodùm alius idoneus præsentatus, & institutus ab Episcopo, possessionem tenuerit corporalem, primo Clerico Ecclesiam petente; dubium non est, quin in casu isto melior sit conditio possidentis, & debeat posterior priori præferri. *De Jure Patron.* Cap. *Quod autem. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 38. Cap. 5.

Licitum est Laïco Patrono variare antè institutionem præsentati. *Glosso.*

IV. Si Clericus tanquam Laïcus ad aliquam Ecclesiam præsentaverit Subdiaconum, qui tamen per Diœcesanum Episcopum admissus non fuit, sed alius ab eodem Clerico præsentatus à Diœcesano Episcopo est institutus, juxtà Staturum, *supra Decis. 3. ex* Cap. 5. *Quod autem.* Alexandri Papæ, non primus, sed secundus jus est assecutus in Ecclesiâ memoratâ. *De Jure Patron.* Cap. *Cùm Dilectus.* §. 3. *init.* Lib. III, Decr. *Tit.* 38. Cap 28.

Clericus Patronus ratione patrimonii sui variare potest, quia in hoc non reputatur Clericus, sed Laïcus *Glossa.*

V. Cùm Advocatus Clericum idoneum Episcopo præsentaverit, & postulaverit postmodùm, eo non refutato, alium æquè idoneum in eadem Ecclesiâ admitti: Quis eorum alteri præferatur, judicio Episcopi relinquitur, si Laïcus fuerit cui competit jus præsentandi. *De Jure Patron.* Cap. *Cùm autem. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 38 Cap. 24. *Appendic. Conc.* Lateran. *Parte* 15. Cap. 8.

Laïcus Patronus variare potest in præsentando antequam præsentatus sit admissus. *Glosso.*

Verùm si Collegium, vel Ecclesiastica persona præsentationem haberet, qui prior est tempore, jure potior esse videtur. *Ibid. fin. & App. Ibid.* Collegium, vel Ecclesiasti a persona non potest variare. *Glosso.*

VI. Si Diœcesanus Episcopus Clericum ad aliquam Ecclesiam à Patrono Laïco præsentatum non duxerit admittendum; & post idem Patronus alium curaverit præsentare, ac secundum instituerit Episcopus præsentatum, Alexandri Papæ vestigiis inhærendum est, qui inter præsentatos à Clerico & Laïco Patronis distinguens, inter præsentatos à Laïco conditionem possidentis censuit meliorem; & dicendum, quod institutio præsentati secundo loco à Laïco Patrono, robur obtinet firmitatis. *De Jure Patron.* Cap. *Pastoralis.* Lib. III. Decr. *Tit.* 38. Cap. 29.

VII. Si concessio Ecclesiæ ab Abbatissâ, Conventu sciente & non contradicente, facta est, robur firmum debet habere. *De his quæ fiunt à Prælatis.* Cap. *Continebatur.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 10. Cap. 2.

Habetur in Textu *Decimæ*; sed intelligendum est de præsentatione ad Ecclesiam, ut probat Gonzalez eo loci. Si ignotante Conventu, aut contradicente, Ecclesiam priùs alicui concessit, & non post multùm temporis de assensu Conventûs eamdem Ecclesiam dedit alii, secunda concessio debet præjudicare priori. *Ibid.* §. 1.

VIII. Si quando in vacantibus Ecclesiis, in quibus Ecclesiastica persona præsentationem non habet, quia præsentatos instituere non licet, vel quia personæ minùs idoneæ præsentatæ fuerunt, sive alia de causa, Oeconomus institui potest, qui fructus percipiat, aut in personarum utilitatem expendat, aut futuris reservet. *De Off. Jud. Ordin.* Cap. *Cùm vos.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 31. Cap. 4. Oeconomus ille haud dubiè administrabat spirituale, ut & temporale, donec Ecclesiæ vacanti de Rectore provisum fuisset.

IX. Absurdum videtur omninò, ut ad singulas Patronorum secundùm humanam conditionem mutationes, Ecclesiarum ordinationes mutentur; & vicissitudines Ecclesiarum ab Advocatis vel aliis præsumantur. *De Jure Potron.* Cap *Querimoniam.* Lib. III Decr. *Tit.* 38. Cap. 9 Instituti in Ecclesiis Patronatis non possunt mutari per novos Patronos.

X. Si in tantùm Laïcorum processerit audacia ut, Episcoporum autoritate neglectâ, Clericos removeant ab Ecclesiis cùm voluerint, ipsi anathemate sunt feriendi. *De Jure Potron.* Cap. *Præterea. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 38. Cap. 4

Patroni Laici non possunt Clericos destituere in Ecclesiis Patronatis.

SECTIO III.

Quomodo, & quos Patroni præsentare possint ad Beneficia Ecclesiastica? & an præsentatione factâ Episcopi instituere, aut saltem examinare debeant præsentatos? & quos teneantur, aut repellere, aut admittere?

I. Ut faciliùs provideatur Ecclesiis, non inconveniens reputatur Patronos ipsos inter se posse liberè convenire, de Rectore ab eis alternis vicibus præsentando. Clement. *Plures. De Jure Patron.* §. 1. *init.* Lib. III. Clementinarum. *Tit.* 12. Cap. 2.

II Etiam ex eadem causa Patronis permittitur, ut plures ad vacantem Ecclesiam possint eo modo præsentare personas, quod una ex eis eligi per Episcopum valeat & admitti. *Ibid.* Clement. *Plures. De Jure Potron.* §. 1 *fin* Lib. III. Clement. *Tit.* 12. Cap. 2.

III. Ad Ecclesias, in quibus Patroni jus præsentandi habere noscuntur, aut per se, aut per litteras, personas idoneas Episcopis Diœcesanis præsentent. *De his quæ fiunt à Prælatis* &c. Cap. *Ea noscitur.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 10. Cap. 6.

IV. Nullus Clericus ad vacantem Ecclesiam, in quà jus obtinet Patronatûs, seipsum potest præsentare; quantumcumque idoneus sit, & quibuscumque studiis & meritis adjuvetur. *De Jure Patron.* Cap. *Per nostras.* Lib. III. Decr. *Tit.* 38. Cap. 26.

V. In Capella unus Presbyter à Patrono eligitur, & pro institutione habendâ, loci Episcopo præsentatur. *De Jure Patron.* Cap. *Nobis.* §. 2. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 38. Cap. 25.

VI. Antequàm præsentatio per Diœcesanum Episcopum approbetur, ratum non est quod à Patrono fuerat inchoatum. *De Jure Patron.* Cap. *Quod autem. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 38. Cap. 5.

VII. Patroni unum eligant Presbyterum, qui Sacrosancta sit idoneus procurare. *De Jure Patron.* Cap. *Quæcumque fin.* Lib. 3. Decr. *Tit.* 38. Cap. 32.

VIII. Non liceat Patrono, cujusvis privilegii prætextu, aliquem ad Beneficia sui juris Patronatûs, nisi Episcopo loci Ordinario, ad quem provisio seu institutio ipsius Beneficii, cessante privilegio, jure pertineret, quoquo modo præsentare; aliàs præsentatio ac institutio forsan secutæ nullæ sint & esse intelligantur. *Conc.* Trid. Sess. XIV. *De Refor. Cap.* 13. Restituit autoritatem Episcopi quoad institutionem.

IX. Non licet, inscio Diœcesano Episcopo, præsentatum Clericum in possessionem Ecclesiæ mittere; sed præsentandus est illi ad quem institutio pertinet. *De Officiis Jud. Deleg.* Cap. *Super eo.* Lib. I. Decr. *Tit.* 29. Cap. 15.

X. Donatio Ecclesiarum ad Episcopos pertinet, & ad Laicos assensum præbere spectat. *Append, Conc.* Lateran, *Parte* 15. Cap. 22. Idem

Idem hic donatio quod institutio, & assensus quod præsentatio: seu clariùs, Episcoporum est Ecclesiarum Beneficia conferre, Laicorum verò, qui in Ecclesia jus Patronatûs habent, assensum præbere: quibus in concessionibus illud observandum est quod Sancti Patres servare noscuntur.

XI. Quod si ad inferiores institutio pertineat, ab Episcopo tamen examinentur; alioquin institutio ab inferioribus facta irrita sit & inanis. *Conc.* TRID. SESS. XXV. DECR. II. *De Reform.* Cap. 9. *med.* Raro accidit, extrà Beneficia curata, quod institutio spectet ad Prælatos inferiores, & examinatio ad Episcopum; in istis autem hoc evenit, quia illorum institutio collativa pertinet sæpè ad Prælatos Minores, & institutio autorisabilis, quæ idem est ac examinatio ac approbatio, spectat ad Episcopum, ut ostensum est dùm *de Curato.*

XII. Liceat Episcopo præsentatos à Patronis, si idonei non fuerint, repellere. *Conc.* TRID. SESS. XXV. DECR. II. *De Reform.* Cap. 9. *med.*

XIII. Oporret ordinationem Ecclesiarum differre, pro eo quod personæ minùs idoneæ præsentantur. *De Officio Jud. Ord.* Cap. *Cùm vos. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. Cap. 4. Ut, si nondum habeant vel scientiam sufficientiam, vel mores satis probatos.

XIV. Vacantibus Ecclesiis, si personæ minùs idoneæ à Patrono Laico præsentantur, de jure personas non potest Episcopus in eis instituere. *Ibid. De Officio Jud. Ord.* Cap. *Cùm vos plerumque* §. 1. *init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. Cap. 4.

XV. Personæ idoneæ, quas Patroni ad Ecclesias vacantes præsentaverint, sunt admittendæ. *De Jure Patron.* Cap. *Significasti. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 18.

XVI. Episcopus, qui præsentatum idoneum malitiosè recusavit admittere, ad providendum eidem in competenti Beneficio compellatur; quatenùs puniatur in eo, in quo ipsum non est dubium deliquisse. *De Jure Patron.* Cap. *Pastoralis. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. *Cap.* 29.

SECTIO IV.

Quid requiratur ut aliqui sint, vel fiant de novo Patroni Ecclesiarum, seu jure Patronatûs gaudeant? & quomodò id probare teneantur? & quæ sint Juris Patronatûs prærogativa?

I. Si quis Ecclesiam cum assensu Diœcesani construxit, ex eo jus Patronatûs acquirit. *De Jure Patronatûs.* Cap. *Nobis.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 25.

Quod de constructione dicitur, ad fundationem, seu fundi assignationem, & ad dotationem producitur. Beneficia verè de Jure Patronatûs ex fundatione & donatione sunt. *Conc.* TRID. SESS. XXV. DECR. II. *De Refor.* Cap. 9. *med.*

Hinc vulgatum illud,

Patronum faciunt, dos ædificatio, fundus.

II. Nemo cujusvis Dignitatis Ecclesiasticæ, vel Secularis, quacumque ratione, nisi Ecclesiam, Beneficium, aut Capellam de novo fundaverit & construxerit, seu jam erectam, quæ tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis & patrimonialibus bonis competenter dotaverit, jus Patronatûs impetrare, aut obtinere possit aut debeat. *Concil.* TRID. SESS. XIV. *De Refor.* Cap. 12. *Conc.* TOLET. IX. *an.* 655. *Can.* 2. TOM. VI. CONC. *p.* 452.

III. Ut debita in omnibus ratio observetur, titulus juris Patronatûs sit ex fundatione, vel dotatione; qui ex authentico documento, & aliis Jure requisitis ostendatur, sive etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliàsve secundùm Juris dispositionem. *Conc.* TRID. SESS. XXV. DECR. II. *De Refor.* Cap. 9. *post init.*

IV. Non fuit sufficienter probatum, quod aliquis in possessione Juris Patronatûs exstiterit, cùm Clericum ad Ecclesiam præsentavit, cùm nihil aliud ostensum fuit, nisi pro quodam jure, quod de Ecclesia consuevit exhiberi Patronis, annuatim aliquam pecuniæ summam accepit. *De Sent.* Cap. *Cum* BARTHOLDUS. §. *Licet. med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 18.

V. *Conc.* TOLET. IV. *ann.* 633. *Can.* 38. TOM. V. CONC. *p.* 1716. meminit fundamenti omnium commodorum Patroni, nempè beneficentiæ erga Ecclesiam, intuitu cujus ista debet illis vices rependere. Ex eadem oriuntur onera, ut & prærogativæ, quæ compensant illa, sicuti ex sequentibus patebit.

VI. Pro fundatione Ecclesiæ honor processionis (hoc est honoratior locus in omnibus actibus. *Vide* GONZAL.) Fundatori servatur. *De Jure Patron.* Cap. *Nobis.* §. *ult.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 25.

VII. Oratorium Canonicè constructum à dominio Constructoris, eo invito, non auferatur. CAUS. XVI. QUÆST. VII. Cap. 33. *Monasterium. init. Ex Romanâ Synodo* EUGENII II & LEONIS IV. *anno* 826. & 853.

VIII. Liceat Constructori Oratorium illi Presbytero cui voluerit, pro Sacro Officio, cum consensu Episcopi commendare. *Ibid.* CAUS. XVI. QUÆST. VII. Cap. 33. *Monasterium. fin.*

IX. Rationis ordo non patitur, ut Monasterium contra voluntatem Fundatorum ab eorum dispositione ad arbitrium suum quis debeat vendicare. CAUS. XVI. QUÆST. VII. Cap. 34. *Rationis.* S. GREG. MAGNUS *ann.* 598.

X. Si Fundatores Ecclesiarum ad inopiam vergere cœperint, ab eisdem Ecclesiis temporalis vitæ suffragia percipiant. CAUS. XVI. QUÆST. VII. Cap. 29. *Contra.* §. 1. LEO IV. *ann.* 848.

XI. Si Fundator ad inopiam vergat, ab Ecclesiâ illi modestè succurritur, sicut in Sacris est Canonibus institutum. *De Jure Patron.* Cap. *Nobis. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 25.

XII. Fundatores Ecclesiarum pro eisdem locis curam permittantur habere sollicitam, atque Rectores idoneos in eisdem Basilicis iidem ipsi offerant, Episcopis ordinandos. CAUS. XVI. QUÆST. VII. Cap. 32. *Decernimus. Ex Conc.* TOLET. IX. *anni* 853. Ex collectis sequitur, Jus Antiquum & Novum, in his quæ Patronorum jura & onera spectant, consentire.

SECTIO V.

Quæ prohibita sint Patronis Ecclesiarum, & an aliquid ex Ecclesiis suis possint exigere?

I. Sicut legitima Patronatuum jura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare, æquum non est: ut etiam sub hoc colore Beneficia Ecclesiastica in servitutem redigantur, non est permittendum. *Conc.* TRID. SESS. XXV. DECR. II. *De Refor.* Cap. 9. *init.*

II. Jus Patronatûs, quod ad defensionis Ecclesiæ subsidium est inventum, ad depressionis ejus dispendium non debet retorqueri. *De Pœnis.* Cap. *In quibusdam.* §. 1. *init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 37. Cap. 12.

III. Prohibitum est expressè, ne Patroni plus usurpent, quàm reperiatur in Jure permissum; & si contra præsumpserint, per severitatem Canonicam districtissimè compescantur. *Ibid. De Pœnis.* Cap. *In quibusdam.* §. 1. *post init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 37. Cap. 12.

IV. Noverint Conditores Basilicarum, in rebus, quas eisdem Ecclesiis conferunt, nullam se potestatem habere; sed juxtà Canonum instituta, sicut Ecclesiam, ita & dotem ejus ad ordinationem Episcopi pertinere. CAUS. X. QUÆST. I. Cap. 6. *Noverint. Vide etiam* Cap. 2. *Sic quidam.*

V. Patroni in iis, quæ ad Sacramentorum administrationem spectant, nullatenus se præsumant ingerere. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Ref.* Cap. 3. *fin.*

VI. Neque Visitationi ornamentorum Ecclesiæ, aut bonorum stabilium, seu Fabricarum proventibus immisceant, nisi quatenus id eis ex institutione ac fundatione competat. *Ibid. Concil.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Refor.* Cap. 3. *fin.*

VII. Pa-

VII. Patroni Beneficiorum, cujuscumque Ordinis & Dignitatis, etiamsi Communitates, Universitates, Collegia quæcumque, Clericorum vel Laïcorum, existant, in perceptione fructuum, proventuum, obventionum, quorumcumque Beneficiorum, etiamsi verè de jure Patronatus ipsorum ex fundatione & dotatione essent; nullatenus nullâ causâ vel occasione se ingerant, sed eos liberè Rectori, seu Beneficiato, non obstante etiam quacumque consuetudine, distribuendos dimittant. *Concil.* Trid. Sess. XXV. Decr. II. *De Refor.* Cap. *9. med.*

VIII. Patroni, cùm vacantibus debet Ecclesiis de Pastoribus idoneis provideri, ne difficultates ingerant & malitias, nec etiam de possessionibus aliisque bonis Ecclesiasticis pro suâ voluntate ordinare præsumant. *De Pœnis.* Cap. *In quibusdam.* Lib. V. Decr. *Tit.* 37. Cap. 12.

IX. Cùm Fundatores Ecclesiæ, liberam eam esse volentes, fundationis tempore se in ea nihil juris retinere dixerunt; processu temporis nihil quoque exigere possunt. *De Testib.* Cap. *Significavit.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 41.

X. Prohibitum est Exemptis, ne cùm Jus Patronatûs in Ecclesiis Parochialibus acquisierint, Episcopo jus Parochiale minuere vel auferre præsumant. *De Jure Patron.* Cap. *Cùm sæculum.* Lib. III. Decr. *Tit.* 38. Cap. 13.

De Advocatis, seu detentoribus videtur intelligendum. *Vide* Gonzal. Vice-Domini Custodes, vel Guardias habentes.

XI. Statutum est, Patronos à gravaminibus Ecclesiarum cessare, nihilque in ipsis præter antiquos & moderatos reditus à locorum Episcopis institutos exigere; aut, si aliud exegerint, Excommunicationi subdantur. *De Jure Patron.* Cap. *Præterea. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 38. Cap. 23.

XII. Cùm quod ad defensionis subsidium est inventum, ad depressionis dispendium non debeat retorqueri, prohibitum est expressè, ne Ecclesiarum Patroni plus usurpent, quàm reperitur in Jure expressum; & si contrà præsumpserint, per severitatem Canonicam districtissimè compellantur. *De Pœnis.* Cap. *In quibusdam. med.* Lib. V. Decr. *Tit.* 37. Cap. 12.

SECTIO VI.

An, & quomodo jus Patronatûs transeat ad hæredes? & quomodo illi præsentare possint ad Beneficia?

I. Jus Patronatûs cum universitate transit in eum qui succedit. *De Sententiâ.* Cap. *Cùm Bertholdus. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 18.

II. Fundatores Ecclesiarum, aut hæredes eorum, in sua potestate Ecclesia huc usque sustinuit. *De Jure Patronatûs.* Cap. *Quoniam. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 38. Cap. 3.

III. Filiis, vel nepotibus, ac honestioribus propinquis ejus qui construxit vel ditavit Ecclesiam, licitum sit hanc bonæ intentionis habere solertiam, ut si Sacerdotem seu Ministrum aliquid ex collatis rebus præviderint defraudare, aut commonitionis honestæ conventione compescant, aut Episcopo aut Judici corrigenda denuntient. Caus. XVI. Quæst. VII. *Cap.* 31. *Filiis. Ex Concil.* Tolet. IX. *anni* 655.

IV. Ipsis hæredibus in eisdem rebus non liceat quasi juris proprii potestatem præferre, non rapinam, non fraudem ingerere, nec violentiam quamcumque præsumere; sed hoc solùm in salutarem sollicitudinem adhibere, quod nullam, ut in nullâ re noceatur Ecclesiæ, noxam operatio nocens attingat. *Ibid.* Caus. XVI. Quæst. VII. *Cap.* 31. *Filiis. §. Ipsis.*

V. De Ecclesiis, quæ inter cohæredes divisæ sunt, si secundùm providentiam & admonitionem Episcopi, ipsi cohæredes eas voluerint tenere, & honorare, faciant. Caus. XVI. Quæst. VII. *Cap.* 35. *Considerandum init. Ex Capitularib.* Lib. V. Cap. 44. *anno* 829.

VI. Ecclesia inter hæredes Patroni dividi non debet. *De Jure Patron.* Cap. *Perlatum est. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 38. Cap. 1.

VII. Plures ab uno ex Patronis Ecclesiæ relicti hæredes, vocem duntaxat unius habebunt in præsentatione Rectoris. *Clementinâ. Plures. init. De Jure Patron.* Clem. Lib. III. *Tit.* 12. Cap. 2.

Si Fundatores Ecclesiarum, aut hæredes eorum, cùm una Ecclesia unius debeat esse Rectoris, pro sua dissensione plurimos repræsentant; ille præficiatur Ecclesiæ, qui majoribus juvatur operibus, & plurimorum eligitur & approbatur assensu. *De Jure Patron.* Cap. *Quoniam. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 38. Cap 3.

Jus Patronatûs apud unumquemque hæredum est in solidum, quia res eadem æqualiter possidetur; *Glossa*, verbo, *Non debeat.*

SECTIO VII.

Quomodo jus Patronatûs spirituale sit? Et an donari, vendi, aut acquiri aliquo modo possit?

I. Jus Patronatûs est spirituali annexum. *De Jure Patron. §.* 1. *med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 38. Cap. 16. *Append. Concil.* Lateran. *anno* 1168. Cap. 16.

II. Causa Juris Patronatus conjuncta est & connexa spiritualibus causis. *De Judiciis.* Cap. *Quanto.* Lib. II. Decr. *Tit* 1. Cap. 3.

III. Transactio facta inter Laïcos & viros Religiosos super præsentatione alicujus Ecclesiæ, ita quod præsentationem Laicus obtineat, Religiosi novam vel majorem portionem percipiant in Ecclesiâ, pactio Simoniaca meritò videtur. *De Transact.* Cap. *Præterea.* Lib. I. Decr. *Tit.* 36. Cap. 9.

IV. Patronatus Ecclesiarum comparari vel quocumque modo acquiri non possunt, ut postmodùm filii vel nepotes ad easdem Ecclesias præsententur. *De Jure Patron.* Cap. *Quia Clerici.* Lib. III. Decr. *Tit.* 38. Cap. 6.

V. Laïcus Religioso loco Jus Patronatûs conferendi liberam habet facultatem. *De Jure Patron.* Cap. *Illud. post med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 38. Cap. 8.

VI. Si Laïcus Jus Patronatûs Ecclesiæ sibi competens, eidem vel alteri Ecclesiæ seu loco Religioso duxerit conferendum; hujusmodi Collatio (quamvis absque assensu Episcopi facta fuerit) efficax est censenda. *In 6. De Jure Patr.* Cap. un. Lib. III. *Tit.* 19. Cap. unic. *init.*

VII. Si Episcopus Ecclesiam viris Religiosis conferat de consensu Patroni, profectò Patronus, quod suum est, conferre videtur, Jus videlicet Patronatûs. *De Donation.* Cap. *Pastoralis.* §. 1. *init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 24. Cap. 7.

VIII. Inconveniens est vendi Jus Patronatûs; & si quis illud comparavit, contractus ille debet de jure irritus. *De Jure Patron.* Cap. *De jure.* Lib. III. Decr. *Tit.* 38. Cap. 16.

IX. Contractus quos de alienatione Patronatûs, vel fecerint, vel facere præsumpserint, ut Jus illud emptionis titulo, aliisque pro suâ voluntate contractibus, in alios transferre præsumant, vim aliquam decretum est non habere. *De Jure Patron.* Cap. *Præterea. in integrâ. fin.* Lib. III. Decr. *Tit* 38. Cap. 23.

X. Jus Patronatûs, venditionis aut alio quocumque titulo, in alios, contrà Canonicas Sanctiones, Patroni transferre non præsumant; si secùs fecerint, Excommunicationis & Interdicti pœnis subjiciantur. *Conc.* Trid. Sess. XXV. Decr. II. *De Refor.* Cap. 9. *med.*

XI. Ratione Feudorum emptorum, aliterve acquisitorum, Jus Patronatûs acquiritur. *De Jure Patron.* Cap. *Cùm sæculum.* Lib. III. Decr. *Tit.* 38. Cap. 13.

XII. Jus Patronatûs non dicitur propriè spirituale, sed spirituali annexum; & ideò ejus causa annexa est spiritualibus causis; undè spirituale censetur propter connexitatem, quia quæ Religiosis adhærent Religiosa sunt. *Glossa*, verbo, *Connexa.*

XIII. Emi non potest Ecclesia. *De Simoniâ.* Cap. *Querelam.* §. 1. Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 15.

XIV. Causæ Patronatûs Ecclesiarum ita junctæ sunt & connexæ Ecclesiasticis causis, quod non nisi Ecclesiastico judicio valent definiri, & apud Judicem Ecclesiasticum solummodò terminari. *Appendice Conc.* LATERAN. III. *Parte* 47. *Cap.* 4. *Quod saltem.* Apud Gallos non recipitur, ob annexionem cum temporali cujus accessio esse solet.

SECTIO VIII.

Quid agendum sit circà odinationem Ecclesiarum, cùm orta est controversia super præsentatione? Et per quam, ut plurimùm, sit judicandum?

I. Pro eo quod inter Collatores & Præsentatores personarum dissensionis radix emerserit, providendum est Episcopis, ne occasione hujus dissensionis & scandali, interim fructus illarum Ecclesiarum depereant, aut eis in Spiritualibus gravia proveniant detrimenta. *De Officio Jud. Ordinarii.* Cap. *Cùm vos. in int. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. Cap. 4.

II. Si ordinatio alicujus Ecclesiæ ad Episcopi ordinationem spectat, & pro controversiâ Laïcorum de Jure Patronatûs inter se disceptantium, prorogatur ultrà quatuor menses vacatio; fas est Episcopo, appellatione remotâ, in eadem personam idoneam instituere. *De Jure Patron.* Cap. *Si verò.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. *Cap.* 12. Quod restringendum ad Casum quo Patroni neminem præsentant, ideòque hujus temporis lapsu jus amittunt.

III. Ordinet Antistes Ecclesiam, sicut meliùs eam secundùm Deum viderit ordinandam, si de Jure Patronatûs quæstio emerserit inter aliquos, & cui competat intrà quatuor menses non fuerit definitum. *De Jure Patron.* Cap. *Quoniam. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 3.

Hoc fieri potest, vel conferendo liberè, vel ponendo Administratorem; priori casu, si neminem præsentaverint; posteriori, si præsentatus nullus Ecclesiam administret.

IV. Cùm propter discordias Laïcorum non debeat Ecclesiis præjudicium generari, si de Jure Patronatûs quæstio emerserit inter aliquos, & ab eo cui competit, intra quatuor menses, non fuerit definitum; extunc Episcopus Ecclesiam ipsam de personâ non differat idoneâ ordinare: Ita quod illi ex hoc non debeat in posterum præjudicium generari, qui jus evicerit Patronatûs. *De Jure Patron.* Cap. *Cùm propter.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 27. Notæ præcedentes recurrunt.

V. Illas Ecclesias, de quarum Patronatu controversia fuerit inter personas Ecclesiasticas, si intra sex menses, postquàm vacaverint, non fuerit controversia terminata, licitum Episcopo sit de personâ idoneâ ordinare. *De Jure Patron.* Cap. *Eam te.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 12. Cap. 4. *De Ætat. & Qualit.* Agitur de Patrono Ecclesiastico.

Clerico adjudicari debet Ecclesia, cùm per attestationes constitit evidenter, ipsum à vero Patrono fuisse ad illam Ecclesiam præsentatum. *De Sent.* Cap. *Cùm* BERTHOLDUS. fin. LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 18. Nunc instrumentis, non testibus, id probandum esset, saltem in Gallia,

VI. Clericus ab impetitione cujuscumque, super institutione de se factâ, in Ecclesiâ absolvi debet, cùm constiterit, quod Patronus in quasi possessione præsentandi existebat, quando ipsum ad illam instituit is ad quem Ecclesia eadem spectat in Spiritualibus pleno jure, salvâ Quæstione super jure Patronatûs. *De Elect.* Cap. *Querelam.* §. 2. LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 24. Præsentatio est fructus; fructus autem sunt Possessoria bonæ fidei, qualis præsumitur hic talis.

VII. Si aliquis Clericus ab Episcopo Ordinario Judice in Ecclesia fuerit institutus, ad præsentationem illius qui ejusdem Ecclesiæ credebatur esse Patronus, & posteà jus Patronatûs alius evicerit in judicio, institutus non debet ab ipsa propter hoc removeri, si tempore præsentationis suæ, ille qui eum præsentavit, jus Patronatûs Ecclesiæ possidebat: ex hoc, ei qui de jure debet habere, nullum in posterum præjudicium generetur. *De Jure Patron.* Cap. *Consultationibus.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 19.

VIII. Si verò non possidebat, sed tantùm credebatur esse Patronus, cùm non esset, poterit ab eadem Ecclesiâ removeri. *Ibid.*

IX. Si Diœcesanus Episcopus à Patrono Laico præsentatum non duxerit admittendum, etsi idem fortè præsentatus appellaverit, & post appellationem ab ipso interpositam, idem Patronus alium curaverit præsentare, ac secundum instituit Episcopus præsentatum, Institutio præsentati secundo loco à Laico Patrono robur obtinet firmitatis. *De Jure. Patron.* Cap. *Pastoralis.* §. 1. & 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 29.

X. Cùm Ecclesiæ quædam de assensu Domini fundi autoritate Episcopi concessæ sunt & assignatæ alicui, si alius concessionem illam irritare nitatur, occasione donationis quam sibi asserit priùs factam: Prior concessio, si cum assensu Patroni & autoritate Diœcesani Episcopi facta est, aut ejus assensus fuerit posteà subsecutus, posteriori concessioni præfertur. *De Jure Patron.* Cap. *Suggestum.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 20.

Alioquin illa concessio debet præferri, quamvis posteriùs facta, quæ consensu Domini fundi, & Episcopi autoritate fulcitur. *Ibid. fin.*

XI. Si constiterit quod alicui villa in qua Ecclesia sita est, à Monasterio fuerit, non excepto jure Patronatus, ad firmam, *hoc est*, ad longum tempus titulo locationis concessa, ei Clerico, quem ille ad eamdem vacantem Ecclesiam Episcopo præsentavit, adjudicari debet præfata Ecclesia, (dummodò aliàs sit idoneus) non ei quem Monasterium postmodùm præsentavit. *De Jure Patron.* Cap. *Ex litteris.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 7.

XII. Idem est si antequam de Jure Patronatûs inter Monasterium & Firmarium controversia esset suborta, præfatus Clericus in præscriptâ Ecclesiâ per Episcopum ad præsentationem Firmarii institutus fuerit. *Ibib. fin.*

XIII. Ut legitima sit præsentatio sufficere, ut qui præsentat sit in quasi possessione præsentandi. Vide *Conc.* TRIBUR. *ann.* 895. *Can.* 32. TOM. IX. CONC. *p.* 457. Præcipit ut, dissentientibus Patronis circà præsentationem, Episcopus claudat Ecclesiam, sublatis inde Reliquiis usquequò consentiant.

XIV. Si constet evidenter, quod ab Episcopis Archidiaconatus ipse sine reclamatione aliquâ Canonicorum duobus Archidiaconis continuè (qui ante electum extiterunt) fuerit assignatus; prædictus Archidiaconatus eidem electo per definitivam Sententiam adjudicari debet, Canonicis silentio imposito, *De Caus. Possess.* Cap. *Cùm olim.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 12. Cap. 7.

XV. Reservatur tamen Canonicis Quæstio proprietatis super collatione.

XVI. Illas Ecclesias de quarum Patronatu controversia fuerit, si infrà sex menses postquàm vacaverint non fuerit Quæstio terminata, licitum sit Episcopo de personâ idoneâ ordinare. *De Ætate & Qualit.* Cap. *Eam te. in integrâ. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 14. Cap. 4. Reservatâ eis causâ proprietatis, si voluerint adversùs Episcopum litigare. *De Causâ Possess.* Cap. *Cùm olim.* fin. LIB. II. DECR. *Tit.* 12. Cap. 7. Cùm par sit utrobique ratio.

XVII. Qui est in quietâ possessione eligendi vel præsentandi, potest eligere vel præsentare, & ille consequetur jus ex hoc. *Ibid. Glossa*, verbo, *Duobus.*

Qui est in quietâ possessione debet uti jure suo quousque evincatur ab eo. *Ibid. Glossa.* Vide *Cap.* 3. *De causa Possess. &c.* Ubi deciditur non valere electionem factam, neglectis iis qui sunt in quasi possessione eligendi.

XVIII. Suffi-

XVIII. Sufficit hoc electo vel præsentato tantòm in possessorio obtinere; *id est*, quod Elector sit in quasi possessione eligendi, ad hoc ut confirmetur electio vel præsentatio. *Ibid. Glossa.*

XIX. Citatum *Caput* 22. *De Jure Patron.* de Patronis Ecclesiasticis intelligit Gonzalez. Alia *Capita*, ubi quatuor menses tantùm conceduntur, intelligit de Patronis Laïcis.

SECTIO IX.

Quomodò per institutionem sive Collationem concedantur Beneficia Ecclesiastica?

§. I.

Beneficia Ecclesiastica haberi non posse sine institutione, seu Collatione Canonicâ: & quibus pœnis afficiantur qui sese in ea temerè intrudunt?

I. Non possunt Beneficia Ecclesiastica ex possessione haberi, sed solùm ex Canonicâ institutione. *Glossa*, verbo, *Vitiosus. Cap.* 1. *De eo qui mittitur. In* 6. Sed possessio triennalis pacifica tollere potest nonnulla vitia provisionis Canonicæ, non omninò tamen, sed tantùm coloratè.

II. Personatus, & Dignitates, & alia Beneficia curam animarum habentia, conferri debent per illos ad quos Collationem ipsorum de jure noscitur pertinere. *De Filiis Presbyt.* Cap. *Nimis. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 17. Cap. 18. finali.

III. Clericus de Præpositurâ non fuit aliquatenùs investitus; etsi mandatum fuerit, ut de eâ investiretur. *De his quæ fiunt, &c.* Cap. *Ex ore. §.* 2. Lib. III. Decr. *Tit.* 11. Cap. 3.

IV. Vi occupat Beneficium, qui se scienter injustè intrudit in eo. *In 6. De Præbendis.* Cap. *Eum qui. init.* Lib III. *Tit.* 4. Cap. 18.

V. Universis personis cujuslibet Episcopatûs sub districtione prohibitum est, ne Ecclesias Diœcesis ad ordinationem Episcopi pertinentes, absque assensu illius intrare audeant, aut detinere. Quod si quis contrà prohibitionem venire præsumpserit, Episcopus in eum Canonicam exerceat ultionem. *De Renunciatione* Cap. *Admonet.* Lib. I. Decr. *Tit.* 9. Cap. 4.

VI. Se intrudit in Ecclesias, qui præter ejus autoritatem ad quem Collatio pertinet. *De Concess. Præb.* Cap. *Quia diversitatem. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 8. Cap. 5.

VII. In Beneficiis Ecclesiasticis, ea quæ hæreditariæ successionis imaginem referunt, Sacris Constitutionibus sunt odiosa, & Patrum Decretis contraria. *Conc.* Trid. Sess. XXIII. Decr. II. *De Refor.* Cap. 7. *init.*

VIII. Ut violenti, qui autoritate (vel veriùs temeritate) propriâ, occupare Dignitates, Personatus, aut alia quæcumque Ecclesiastica Beneficia non verentur, etsi non virtutis amore, pœnæ saltem formidine, à suæ temeritatis audaciâ refrænentur: eo ipso jus, si quod in Dignitatibus, Personatibus, & Beneficiis occuparis taliter, vel ad ea, ipsis forsitan competebat, amittant. *In 6. De Præb.* Cap. *Eum qui. §.* 1. Lib. III. *Tit.* 4. Cap. 18.

Qui illicitè Ecclesiam occupavit, illi prælibata Ecclesia debet abjudicari. Nunc legitur (adjudicari) sed in 1. Compilatione legebatur (abjudicari) & ita legitur in ipso *Cap.* 1. *Conc.* Latar. ex quo illud Caput desumptum est, & ita vult legi Antonius August. Vide Gonzalem qui pleniorem vult esse hunc sensum, *Cap.* 4. *De Rescript.* Alius sensus verus esse non potest, nisi supponendo quod velit dispensare cum illo, qui alterutro vitio laboraret; cujus intentionis nullum vestigium apparet.

§. II.

Jure Ordinario non haberi Institutionem Canonicam tàm Beneficiorum curam animarum habentium, quam Præbendarum & Dignitatum, sine autoritate Episcopi, aut saltem absque prævio illius examine.

I. Oportet ut Canonicâ Regulâ servatâ, nullus absque consensu Episcopi sui, cuilibet Presbytero Ecclesiam det. Caus. XVI. Quæst. VII. Cap. 38. *Inventum est. med. Ex Concil.* Cabillonansi *anni* 813.

II. Nullus omninò Archidiaconus, aut Archypresbyter, sive Præpositus, vel Diaconus, animarum curam vel Prabendas Ecclesiæ, sine judicio vel consensu Episcopi, alicui tribuat: imò, sicut Sanctis Canonibus constitutum est, animarum curâ in Episcopi judicio & potestate permaneat. Caus. XVI Quæst. VII. Cap. 11. *Nullus. Ex* Callixto II. *anno* 1123. *aliàs ex Conc.* Rothomag.

III. Clericos Laïcæ donationis intuitu, in Ecclesiis sine autoritate Pontificis sui institui, aut institutos remanere, prohibitum est. *De Filiis Presbyt.* Cap. *Ex tuâ. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 17. Cap. 9.

IV. Satis est absurdum, & à Sanctorum Patrum institutionibus alienum, ut Archidiaconus autoritate propriâ debeat cuilibet Ecclesiarum curam committere. *De Offic. Archidiac.* Cap. *Cùm satis. in integrâ.* Lib. I. Decr. *Tit.* 23. Cap. 4.

V. Ecclesiæ, nisi autoritas intervenerit Pontificalis, Canonicè concedi non possunt. *De Jure Patron.* Cap. *Suggestum. §.* 1. *post init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 38. Cap. 2n.

VI. Quoniam obtentu alicujus consuetudinis, non debet Archidiaconus contrà Sanctorum Patrum Constitutiones venire, & quod ad suum non spectat Officium vendicare, nemini sine licentiâ & Mandato Episcopi curam præsumat committere animarum. *De Officio Archidiac.* Cap. *Cùm satis.* Lib. I. Decr. *Tit.* 23. Cap. 4.

VII. Ne Clerici Ecclesiastica Beneficia sine consensu Episcopi Diœcesis, vel Officialium suorum (qui hoc de jure possunt) recipiant; id enim à Sanctorum Patrum est Institutionibus alienum, & Ecclesiasticæ contrarium honestati. *De Institutionibus.* Cap. *Ex frequentibus. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 7. Cap. 3.

VIII. Tàm in illos, qui Ecclesiastica Beneficia taliter occupata scienter detinent, quàm in eos qui occupare præsumpserint, Excommunicationis Sententia proferri potest. Institutio personarum ad Episcopum in Diœcesi suâ spectat, tàm de Jure Communi, quàm de Consuetudine Generali. *De Institutionibus.* Cap. *Cùm venissent. init* Lib. III. Decr. *Tit.* 7. Cap. 6. *De Renunciatione.* Cap. *Admonet.* Lib. I. Decr. *Tit.* 9. Cap. 4. *De Clericis Peregrinis.* Cap. fin. Lib. I. Decr. *Tit.* 22. Cap. 4.

Conc. Namausense. *ann.* 1096. Cap. 9. Tom. X. Conc. *p.* 608. jubet ut qui Ecclesiam habens ad aliam ditiorem migrat, utramque amittat.

Conc. Later. I. *ann.* 1123. *Can* 7. Tom. X Conc. *p.* 897. præcipit ab Ecclesia arceri, qui Beneficia obtinet Episcopo non autorante. Contrarius usus invaluit quoad nonnulla.

IX. Ad Episcopi Officium institutio Sacerdotum noscitur pertinere. *De Hæreticis.* Cap. *Cùm ex injuncto. §. ult. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 7. Cap. 12.

Hanc habeant autoritatem Episcopi, ut in nullis Ecclesiis nec constituantur Presbyteri, nec expellantur, illis inconsultis, & non consentientibus, *De Jure Patron.* Cap. *Quæcumque. in integrâ. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 38. Cap. 2.

Interdicendum videtur Clericis, sive Laïcis, ne quis cuilibet Presbytero præsumat dare Ecclesiam sine licentia & consensu Episcopi sui. *De Sim.* Cap. *Quicumque. in int. fin.* Lib. V. Decrat. *Tit.* 3. Cap. 2.

Præsentati, seu electi, vel nominati à quibusvis Ecclesiasticis personis ad quævis Ecclesiastica Beneficia, non instituantur, nec confirmentur, neque admittantur, etiam prætextu cujusvis privilegii, seu consuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præscriptæ, nisi fuerint priùs à locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti; & nullus appellationis remedio se tueri possit, quominùs examen subire teneatur. *Concil.* Trid. Sess. VII. *De Ref.* Cap. 13.

Circà hunc §. II. observandum, 1o. Quod triplex Institutio distinguitur, nempè Collativa, Corporalis

poralis, & Autorizabilis: Primâ, datur Titulus Beneficii; Secundâ, ejus possessio; Tertiâ, Cura animarum. 2°. Quod collecti Canones de primâ & tertiâ loquuntur, easque prohibent fieri à Prælatis Inferioribus sine autoritate Episcopi, attamen primam præscripserunt, tertiam non item. 3°. Hujusmodi discriminis ratio peti videtur ex eo quod commissio curæ animarum semper habita est tamquàm res maximi momenti, ideòque posita inter Causas Majores Episcopo reservatas; undè extant Canones cujusque sæculi à CHRISTO ad nos, qui vetant, ne sine Episcopi autoritate hæc cura committatur, vel suscipiatur. Collecti sunt in Tractatu præmisso *De Curato, in Prima-Parte*. Præcipui illorum, & veluti cæterorum fontes, sunt Canones Apostolorum & Canones ANTIOCHENI, qui dicunt in judicio & potestate Episcopi animas positas esse; de hoc genere Canonum intelligendi *Can.* 11. CAUS. QUÆST. VIII. Cap. 4. & 9. *De Off. Archid.* Cap. 3. *De Institut.* qui docent rem esse Sanctorum Patrum Institutis contrariam, quod animarum cura ab aliis committatur, quàm ab Episcopo, aut illis qui ejus vices gerunt. Huc adduci adaptarique potest *Cap.* 4. *De Officio Legati*, asserens quædam esse reservata Summo Pontifici in signum peculiare Supremæ suæ Potestatis, ut à Legato etiam à *latere* fieri nequeant sine speciali ad hoc commissione; simile siquidem dici potest de nonnullis causis gravioribus, quæ Episcopo ita reservantur, ut Prælati Inferiores in his nihil possint sine ipsius autoritate, easque inter præcipuè recenseri commissionem curæ animarum. Videsis GONZAL. Cap. 4. *De Off. Archid.*

§. III.

Neminem sibi ipsi conferre posse Beneficium Ecclesiasticum; atque Sæcularia Beneficia Sæcularibus tantùm, & Regularia Regularibus, Jure ordinario conferri debere.

I. Cùm ratione Abbatiæ ad aliquem pertinet donatio Custodiæ, Dignitatum, ac etiam Præbendarum in Ecclesiâ, Custodiam ipsam recipere non potest à seipso; cùm inter dantem & recipientem debeat esse distinctio personalis. *De Institutionibus.* Cap. finali. *Cùm ad nostram.* LIB. III. DECR. *Tit.* 7. Cap. 7.

II. Is ad quem spectat Collatio Dignitatum seipsum instituere non potest. *Summa.*

Neque ab alio idem Beneficium recipere potest, cùm jus conferendi alius non habeat. *Ibid. fin.* vel si habeat, ab illo teneat, ut Vicarius Generalis.

III. Postquàm aliquis fuit Abbas effectus, Beneficium de Jure non potest obtinere; cum ratione Abbatiæ ad ipsum pertinet donatio illius. *Ibid. init.* Hinc fortè partim non licet Abbati habere Priorarum suæ Collationis; fingitur illum à seipso habere, etsi antè Abbatiam ab alio acceperit.

IV. Archidiaconi, qui se in Ecclesias, quæ in suis Archidiaconatibus vacant, & in quibus jus habent instituendi, autoritate propriâ intrudere non verentur; ad eas dimittendas Censurâ Ecclesiasticâ compelli debent, & eædem Ecclesiæ de personis idoneis sunt ordinandæ. *De Excessib. Prælatorum.* Cap. *Ad aures.* LIB. V. DECR. *Tit.* 31. Cap. 3.

V. Regularia Beneficia in titulum Regularibus professis provideri consueta, cùm per obitum aut resignationem, vel aliàs, illa in titulum obtinentis vacare contigerit; Religiosis tantùm illius Ordinis, vel iis qui habitum omninò suscipere, & Professionem remittere teneantur, & non aliis, ne vestem lino lanâque contextam induant, conferantur. *Conc.* TRID. SESS. XIV. *De Refor.* Cap. 10.

VI. Episcopus non debet Ecclesias, in quibus Monachi ministrare consueverunt, Clericis vel Laïcis assignate. *De Reb. Eccl. non alien.* Cap. *Possessiones. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 13. Cap. 10.

VII. Cùm Diœcesani locorum supplent negligentiam Regularium Prælatorum, Prioratus, Ecclesiæ, Administrationes & Beneficia, quæ consueverunt per Sæculares Clericos gubernari, Sæcularibus Clericis; alia verò quæ Religiosis duntaxat committi sunt solita vel conferri, Religiosis Monasteriorum, quorum Prælati hujusmodi negligentes fuerint, conferantur. CLEMENTINA, *Quia Regulares. De Supplenda Negligentia.* Cap. unico. CLEMENTINARUM LIB. I. *Tit.* 5. Cap. unico. *post init.*

VIII. Illi ad quos Beneficiorum Regularium spectat Collatio seu dispositio, prætermissis indignis, eadem Religiosis idoneis conferant, & assignent. Qui aliter fecerint, per eorum Superiores & Capitula Provincialia corrigantur, & subitè puniantur. PRAGM. SANCT. *Tit.* 4. *De Collat.* Cap. 2. §. 20.

IX. Cùm secundùm Legem Divinam, non sit in bove arandum & asino, nec quisquam debeat vestem induere de lana linoque contextam, irritari debet Electio Presbyteri, qui non est professus Observantiam Regularem, in Priorem Ecclesiæ Regularis. *De Elect.* Cap. *Cùm causam.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. *Cap.* 27. Idque etiam locum habet, quamvis multi Priores continuè unus post alium in Ecclesia Regulari, per multa & longa tempora fuerint non professi. *Ibid.*

X Juxta vulgatam Regulam, Regularia Beneficia Regularibus sunt conferenda. *Bulla* CLEMENTIS IX. *anni* 1667. 16°. *Calend. Aprilis, seu* 17. *Martii. Actorum Ecclesiæ Gallicanæ* TOM. II. *p.* 293. Hæc Regula legitur etiam in PRAGMAT. SANCT. in *Concord.* in *Conc.* TRID.

XI. Professus Observantiam Regularem compelli debet, ut vel Regulam in eadem Ecclesia constitutam profiteatur & servet, aut ipsam Ecclesiam omninò dimittat. *De Elect.* Cap. *Cùm causam.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 27.

§. IV.

Collationem Beneficiorum esse debere publicam; liberam, & gratuitam.

I. Cùm donatio Beneficii fuerit occulta, & ideò suspicione non caret. *Ut Ecclesiastica Beneficia &c.* Cap. *Ut nostrum.* §. 3. *Porrò.* LIB. III. DECR. *Tit.* 12. Cap. unico.

II. Electiones clandestinæ reprobantur. *De Elect.* Cap. *Propter.* §. *ult.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. *Cap.* 42. Idem de Collationibus; par ratio, nempè fraus vitanda; hinc Regula *De Publicand. resignat.*

III. Episcopus Beneficium propriâ liberalitate concedit. *De Concess. Præb.* Cap. *Post Electionem, init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 8. *Cap.* 7. Ideòque concessio debet esse gratuita, imò & libera; nam sine libertate nulla liberalitas. Canonici intelligentes Archidiaconatûs donationem ad eos pertinere, illum conferunt, investientes Clericum de ipso, & solemniter installantes. *Ibid. De Concess. Præb.* Cap. *Post Electionem.* §. 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 8. *Cap.* 7. Ex quo inferre est, Collationem liberam Beneficiorum pertinere posse Jure Communi, fundatione, Privilegio, consuetudine, eidem personæ.

§. V.

Teneri Collatores Ordinarios, seu Patronos Ecclesiasticos, conferre tertiam partem Beneficiorum suorum Graduatis Universitatum Regni Franciæ, seu ad illa præsentare; & quomodo?

I. Ordinarii Collatores, seu Patroni Ecclesiastici, quicumque fuerint, conferre teneantur. Si igitur Beneficiarius tria non habeat Beneficia conferenda, non tenebitur ullum Graduatis conferre. REBUFFUS. Tertiam partem omnium Dignitatum, Personatuum, Administrationum, & Officiorum, cæterorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum ad eorum Collationem, Provisionem, Nominationem, Præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem quomodolibet spectantium, viris litteratis, Graduatis, & per Universitates nominatis. *Concordat. Tit.* 3. *aliàs. Tit.* 11.

II. In primo, scilicet Januario cujuslibet anni, ex Edicto FRANCISCI I. anni 1518. post concessum à LEONIS X. mensem præfatum, Ordinarii Collatores, Dignitates, Personatus, Administrationes, & Officia ad eorum Collationem, Provisionem, Nominationem, Præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem, ut præfertur, spectantia, Graduatis hujusmodi, qui literas suorum graduum cum tempore studii debitè insinuaverint, conferre teneantur: Beneficia verò, quæ in duobus, scilicet Februario & Martio, sequentibus mensibus vacare contigerit, illa, juxtà Juris Communis dispositionem, personis idoneis liberè conferre, seu personas idoneas ad illa præsentare. *Ibid. Concord. Tit. 3. aliàs 11.*

Beneficia autem, quæ in quarto, scilicet Aprili, mense vacare contigerit; viris Graduatis per Universitatem nominatis, qui gradus & nominationis literas cum studii tempore debitè insinuaverint, conferre, seu præsentare teneantur; Beneficia verò, quæ in quinto & sexto, Maio & Junio, mensibus vacare contigerit, simili modo personis idoneis liberè conferre, seu personas ad illa præsentare possint. *Ibid.*

Beneficia, quæ septimo mense Julio, vacare contigerit, Graduatis, qui simili modo literas gradus cum tempore studii debitè insinuaverint, conferre teneantur: Beneficia verò, quæ mensibus Augusto & Septembri, octavo & nono mensibus, vacare contigerit, pari modo personis idoneis conferre, seu personas idoneas ad illa præsentare teneantur. *Ibid.*

III. Beneficia autem quæ in mense decimo vacare contigerit, Graduatis nominatis, qui gradus & nominationis literas cum tempore studii debitè insinuaverint, per eosdem Ordinarios conferri, seu ipsi ad illa præsentati debeant: Beneficia autem quæ undecimo, scilicet mense Novembri & Decembri, & duodecimo mensibus vacare contigerit, per eosdem Ordinarios personis idoneis, juxtà Juris Communis dispositionem conferri, seu ipsi ad illa præsentari debeant. *Ibid.*

IV. Viris literatis atque devotis tantò propensiùs providere tenemur, & suis commoditatibus diligentiùs intendere, quantò ex eorum provisione Sacris Dei Ecclesiis fœcundior potest fructus & utilitas provenire. ALEXAND. III. *Epist. 7. Append.* 2. TOM. X. CONC. *p.* 1250.

V. Statutum est quoque & ordinatum, quod Collatores Ordinarii & Patroni Ecclesiastici præfati, inter Graduatos, qui literas gradus cum tempore studii & attestationem nobilitatis debitè insinuaverint, quoad Beneficia in mensibus eis deputatis vacantia, gratificare possint illum ex eis quem voluerint. *Concordat. Tit. 3. aliàs 17.*

Duo menses dantur Collatoribus, quibus quem Graduatum voluerint, gratificare possint: Hi menses sunt Aprilis & October: Appellantur menses gratiæ, *mois de faveur.*

VI. Quo verò ad Beneficia, in mensibus Graduatis nominatis deputatis, antiquiori nominato conferre, seu antiquiorem nominatum, qui literas nominationis, temporis studii, & attestationis nobilitatis debitè insinuaverit, præsentare, seu nominare teneantur; Aliis duobus mensibus, scilicet Januario & Julio, tenentur Collatores antiquiorem nominatum præferre: Appellantur menses rigoris, *mois de rigueur.*

VII. Si quis cujuscumque status, etiamsi Cardinalatûs, Patriarchalis, Archiepiscopalis, aut Pontificalis, vel alterius cujuscumque Dignitatis, contrà prædictum ordinem & qualificationes superiùs ordinatas, de Dignitatibus, Personatibus, Administrationibus, vel Officiis, seu quibusvis aliis Beneficiis Ecclesiasticis hujusmodi, aliter quàm modo prædicto disposuerit; Dispositiones ipsæ sint ipso jure nullæ, Collationesque, & Provisiones, ac Dispositiones illorum ad immediatum Superiorem devolvantur, qui eisdem personis modo præmisso qualificatis providere teneantur; & si contravenerit, ad alium Superiorem devolvatur provisio & præsentatio hujusmodi Graduatis, donec ad Sedem Apostolicam fiat devolutio. *Ibid. Concord. Tit. 3. aliàs 12.* Irritatur quæcumque alia provisio. De Jure hoc devolutionis fusè suo loco.

VIII. Carissimo in CHRISTO Filio FRANCISCO Francorum Regi Christianissimo, super primo mense qui Ordinariis Collatoribus ad conferendum Graduatis conceditur, ne quis mensis sit dubitari aut hæsitari contingeret, ut primum mensem hujusmodi quis sit exprimere & nominare possit & valeat, autoritate Apostolicâ licentia & facultas concessa est. *Bullâ* LEONIS X. 17. *Kal. Julii* 1518. *Actorum Ecclesiæ Gall.* TOMO. II. *p.* 229.

IX. FRANCISCUS Dei gratia Francorum Rex, facultatem sibi a Sede Apostolica concessam insequens, consideransque Concordata in Curiâ Parlamenti PARIS. ann. 1516. in mense Martii fuisse publicata, mensem Aprilis dictam publicationem immediatè sequentem elegit ac nominavit, ex cujus initio ordo & computatio sequentium mensium, ut qui menses Graduatis simplicibus, necnon Graduatis nominatis, ac Ordinariis Collatoribus spectant sciant, & juxta illorum ordinem Beneficiis in illis vacantibus provideatur, tenorem dictorum Concordatorum insequendo, nullo habito respectu ad tempus publicationis eorumdem Concordatorum in aliis Curiis Parlamenti factæ. *Edictum* FRANCISCI I. BAUGIACI. *die* 25. *Oct.* 1518. *Actorum Ecclesiæ Gallic.* TOM. III. *p.* 228. CONC. TOM. XIV. *p.* 385. *& in Specimine Juris Gallici.* TOM. I. *p.* 136.

§. VI.

Quale debeat esse tempus studii ad habendas literas nominationis? Et quomodo illæ debeant exhiberi, ac quo tempore?

I. Collatores Ordinarii & Patroni Ecclesiastici præfati, qui Dignitates, Personatus, Administrationes, & Officia ac Beneficia, in mensibus Graduatis & nominatis assignatis vacantia, illis Graduatis simplicibus aut nominatis illa conferre, aut ad illa eos duntaxat præsentare teneantur qui per tempus competens in Universitate famosâ studuerint. *Concord. Tit. 3. aliàs 13.*

II. Graduati simplices sunt, qui non habent literas nominationis ab Universitate, sed solum gradum, in cujus vim possent hujusmodi literas impetrare. Tempus autem competens, decennium in Magistris, seu Licentiatis, aut Baccalaureis in Theologiâ. *Ibid.*

Septennium verò in Doctoribus, seu Licentiatis in Jure Canonico, Civili, aut Medicinâ. *Ibid.*

Quinquennium autem in Magistris, seu Licentiatis in Artibus, cum rigore examinis, à Logicalibus inclusivè, aut in altiori Facultate. *Ibid.*

Sexennium autem in Baccalaureis simplicibus in Theologiâ. *Ibid.*

Quinquennium verò in Baccalaureis Juris Canonici aut Civilis, in quibus Baccalaureis Juris Canonici aut Civilis, si ex utroque Parente nobiles fuerint, triennium esse decretum est.

Præfati Graduati & nominati Collatoribus Ordinariis, sive Patronis Ecclesiasticis, semel antè vacationem Beneficii, de literis gradus, seu nominatione, & de præfato tempore studii, per literas patentes Universitatis signatas fidem facere teneantur. *Concord. Tit. 3. aliàs 14.*

III. Teneanturque præfati Graduati, tàm simplices quàm nominati, Patronis Ecclesiasticis, aut Collatoribus Ordinariis, quibus gradus aut nominationis literas hujusmodi insinuare debent, literas suorum gradûs, & nominationis, certificationis temporis studii, duplicatas dare: ac singulis annis tempore Quadragesimæ, per se aut Procuratorem suum, Collatoribus, Nominatoribus, seu Patronis Ecclesiasticis, aut eorum Vicariis, eorum nomina & cognomina insinuare. *Ibid. Concordat. Tit. 3. aliàs 16. init.*

IV. Eo anno, quo præfatam insinuationem facere omiserint, Beneficium in vim gradus aut nominationis hujusmodi petere non possint. *Ibid.*

V. Si Graduatus simplex, aut nominatus, Beneficium, post insinuationem gradûs aut nominationis, in mensibus eis assignatis vacans petierit; & inter suam insinuationem & præfatam requisitionem supervenerit Quadragesima, in quâ nomen & cognomen insinuare debuerit: ad Beneficium sic vacans, eum capacem, ipsumque illud consequi posse, & debere, decretum est. *Ibid.*

VI. Mandatum Episcopo directum, ut Graduato de Beneficio spectante ad Collationem Capituli provideat, Beneficia ejusdem Capituli, sive dentur in communi per ipsum, sive per Canonicos ejusdem Ecclesiæ singulares, vice ac autoritate Capituli, aut ex jure ipsius, de consuetudine vel Statuto, meritò comprehendit. *In 6. De Præb.* Cap. fin. *Mandatum.* Lib. III. *Tit.* 4. *Cap.* 41. Vide *Ibi reliqua.*

Si Collatoribus Ordinariis, aut Patronis Ecclesiasticis, in mensibus deputatis Graduatis simplicibus, aut nominatis, non esset Graduatus aut nominatus, qui diligentias præfatas fecerit; Collatio, seu Præsentatio per Collatorem seu Patronum Ecclesiasticum, etiam eisdem mensibus facta alteri quàm Graduato vel nominato, non propter hoc irrita censeatur. *Ibid. Concord. Tit.* 3. *aliàs Tit.* 16.

§. VII.

Quibus dari debeant Literæ nominationis? Quid in illis exprimi? & quæ Beneficia in vim illarum peti possint & quando?

I. Monentur præfati Regni Universitates, sub pœna privationis omnium & singulorum privilegiorum à Sede Apostolicâ obtentorum, ne Collatoribus, seu Patronis Ecclesiasticis, habeant aliquos nominare, nisi eos, qui secundùm præfata tempora studuerint, & secundùm dictarum Universitatum Statuta, ad gradus, & non per saltum, promoti fuerint. *Concordat. Tit.* 3. *aliàs Tit.* 20. *init.*

II. Quod si secùs fecerint, ultrà nullitatis pœnam, quæ in præfatarum nominationum Literis futura est; nominandi privilegio ad tempus, secundùm culpæ qualitatem suspendantur. *Ibid.*

III. Nominati Literas nominationis ejusdem Universitatibus in quibus studuerint obtinentes, in nominationum Literis Beneficia per eos possessa, & eorum verum valorem exprimere teneantur; alioquin Literæ nominationis hujusmodi eo ipso nullæ sint, & esse censeantur. *Concordat. Tit.* 3. *aliàs Tit.* 18.

IV Tàm Graduati simplices, quàm nominati, Beneficia in mensibus eis assignatis vacantia petere & consequi possint secundùm propriæ personæ condecentiam & conformitatem; videlicet Sæculares Sæcularia, & Religiosi Regularia Beneficia Ecclesiastica. *Concordat. Tit* 3 *aliàs* 18.

V. Sæcularis nominatus Beneficia Regularia in mensibus deputatis vacantia, prætextu cujusvis Dispensationis Apostolicæ, nec è contrà Religiosus Beneficia Sæcularia, petere aut consequi minimè possit. *Ibid.*

VI. Si quis ex dictis qualificatis Graduatis simplicibus, aut nominatis, tempore vacationis Beneficii in mensibus eis deputatis vacantis, duas obtineat Præbendas in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, aut Collegiatis, seu Dignitatem vel Præbendam, vel aliud, seu alia, Beneficium seu Beneficia, quorum insimul vel cujus fructus, reditus, & proventus tempore Residentiæ,& horis Divinis interessendo, ad summam sexcentarum libellarum ascenderent: Beneficium in vim gradûs, seu nominationis hujusmodi, tunc petere seu consequi non possit. *Ibid. Concordat. Tit.* 3. *aliàs Tit.* 18.

VII. Beneficia simpliciter, vel ex causa permutationis, in mensibus Graduatis simplicibus & nominatis assignatis vacantia, eis non sint affecta nec debita. *Concord. Tit.* 3. *aliàs Tit.* 18. *fin.*

Simpliciter vacare dicitur Beneficium, quod non per obitum, sed per resignationem in manus Ordinarii,

Simpliciter vacantia Beneficia hujusmodi personis idoneis per ipsos Ordinarios liberè conferri possint. *Ibid.*

§. VIII.

Sub quibus pœnis teneantur Collatores, seu Patroni Ecclesiastici, graduatis conferre Beneficia? & quos in concursu præferre?

I. Collatores Ordinarii & Patroni Ecclesiastici, quibus Graduati & nominati, debitè ut suprà qualificati, suos gradus & nominationis Literas insinuaverint, adstringuntur, ut Beneficia ad eorum Collationem, vel Præsentationem spectantia, in mensibus Graduatorum simplicium & nominatorum vacantia, stantibus præfatis Graduatis aut nominatis, debitè qualificatis, illa prosequentibus, aliis quàm Graduatis, aut nominatis, non conferant, sub pœna suspensionis potestatis conferendi Beneficia, in octo mensibus illo anno ad Collationem eorum ac præsentationem liberam spectantibus. *Concord. Tit.* 3. *aliàs* 21.

II. Concurrentibus nominatis ejusdem anni, Doctores Licentiatis, Licentiatos Baccalaureis, præferri constitutum est. *Concord. Tit.* 3. *aliàs Tit.* 17. *med.*

Excipiuntur Baccalaurei formati in Theologia, quos favore studii Theologici Licentiatis in Jure Canonico, Civili, aut Medicinâ, præferendos decretum est. *Ibid.*

Baccalaureos Juris Canonici, aut Civilis, Magistris in Artibus præferri constitutum est. *Ibid.*

Concurrentibus autem pluribus Doctoribus in diversis Facultatibus, Doctorem Theologum Doctori in Jure, Doctorem in Jure Canonico Doctori in Jure Civili, Doctorem in Jure Civili Doctori in Medicinâ, præferendos esse decretum est. *Ibid.*

Et idem in Licentiatis & Baccalaureis servari debere constitutum est. *Ibid.*

Si in eisdem Facultate & gradu concurrerent, ad datam nominationis seu gradus recurrendum esset. *Ibid.*

III. Et si in omnibus iis concurrerent, tunc Collator Ordinarius inter eosdem concurrentes gratificare posset. Si quis Graduatorum aut nominatorum, in mensibus deputatis, à Collatoribus Ordinariis aut Patronis Ecclesiasticis, Beneficium vacans in vim gradûs aut nominationis petierit, & Collatorem Ordinarium in vim præfati gradûs aut nominationis in processu posuerit, & taliter molestaverit; illum extrà expensarum, damnorum, & interesse condemnationum, à fructibus sui gradûs & nominationis privandum esse decretum est. *Ibid. Concord. Tit.* 3. *aliàs* 21. *init.*

§. IX.

Collatores Ordinarios teneri ex Indultis Apostolicis ad conferenda Beneficia Cancellario Franciæ, Præsidibus & Consiliariis Parlamenti PARISIENSIS, & quomodo?

I EUGENIUS Papa IV. procurante clarè memoriæ CAROLO VII. Francorum Rege, Literas Apostolicas in forma Gratiarum Expectativarum, seu Mandatorum de providendo, tunc & pro tempore existentibus, Regni Franciæ Cancellario, necnon Præsidentibus & Consiliariis Curiæ Parlamenti PARISIENSIS, quorum nonnulli Laïci esse consueverunt, ac per eosdem Laicos loco sui nominandis parentibus, familiaribus, & aliis de ejusdem Curiæ corpore & gremio existentibus personis; ad omnium & singulorum Episcoporum, Abbatum, & Capitulorum, ac aliorum Ordinariorum Collatorum dicti Regni Collationes, & alias qualibet Dispositiones; ita ut Cancellario, Præsidenti, Consiliario Clerico, seu personæ per Cancellarium, Præsidentem, aut Consiliarium, seu aliam personam dictæ Curiæ Laïcam, & ad obtinenda Beneficia Ecclesiastica non capacem nominatæ, ad ejusdem CAROLI, & pro tempore existentis Regis

Regis nominationem uni ex eisdem Ordinariis Collatoribus, per suas patentes literas de persona hujusmodi faciendâ de uno Beneficio Ecclesiastico Sæculari, vel cujusvis etiam Cluniacensis Ordinis Regulari, semel in Cancellarii, Præsidentis, Consiliarii seu personæ nominandæ, & Ordinarii Collatoris vitâ duntaxat per eumdem Ordinarium Collatorem provideri debere Apostolicâ autoritate perpetuò concessit. *Bullâ Pauli III. ann.* 1538. 13. *Kal. Julii, seu* 19. *Junii. init.*

II. Paulus III. literas Eugenii Prædecessoris, cum omnibus & singulis in eis contentis clausulis, etiam ad hoc, ut Cancellarius, Præsidentes, & Consiliarii Curiæ Parlamenti Parisiensis hujusmodi tunc & pro tempore existentes, Beneficia Ecclesiastica, Sæcularia vel Regularia, sub dictis gratiis comprehensa assequi possint, & de eisdem Beneficiis illorum pro tempore occurrente vacatione per eosdem Ordinarios Collatores illis provideri liberè possit, autoritate Apostolicâ approbavit, confirmavit, innovavit. *Bullâ eadem.*

III. Item eisdem modernis, & pro tempore existentibus Cancellario, Præsidentibus, Consiliariis, & personis Curiæ hujusmodi, ut Beneficia Ecclesiastica, Sæcularia, vel Regularia, infrà valorem ducentarum librarum Turonensium, gratiarum expectativarum, seu literarum Mandati de providendo hujusmodi ac nominationum per præfatum Franciscum, & pro tempore existentem Francorum Regem faciendam, hujusmodi vigore acceptare, seu requirere minimè teneantur, indulsit. *Eadem Bullâ Pauli III. anni* 1538. 13. *Kal. Julii, seu* 19. *Junii. Actorum Cleri Gallicani* Tom. II. *Tit.* 9. *§.* 7. *p.* 292.

IV. Idem Paulus per alias suas literas decrevit & declaravit, mentis suæ numquam fuisse nec esse, Cardinales qui tunc erant, & pro tempore essent, in dicto Regno Ordinarii Collatores, sub literis hujusmodi quomodolibet comprehendi; ac ideò Cardinales Ordinarios Collatores prædictos, Beneficia, ad eorum ordinariam Collationem spectantia, quibusvis personis, quibus eis videretur, liberè conferre valuisse, & in posterum valere. *Bullâ Clementis IX. ann.* 1667. 16. *Kal. Aprilis, seu* 17. *Martii.*

V. Clemens IX. eisdem modernis, & pro tempore existentibus Cancellario, Præsidentibus, Consiliariis, & personis nominandis, ut de cætero gratiarum expectativarum, seu literarum Mandati de providendo, ac nominationum per Ludovicum XIV. & pro tempore existentem Francorum Regem faciendarum, hujusmodi vigore, Beneficia Regularia, quæ cessante eorum Commendâ, per obitum illorum Commendatariorum pro tempore vacabunt, dummodò non sint Monasteria, neque Prioratus Conventuales, & verè electivi, neque Officia Claustralia, acceptant, requirere ac recipere valeant, facultatem concessit & indulsit. *Bullâ Clementis IX. ann.* 1667. 16. *Kal. Apr.*

VI. Idem facultatem concessit & indulsit, ut illa ac quævis alia Beneficia Ecclesiastica prædicta, Sæcularia vel Regularia, infrà valorem sexcentarum librarum Turonensium, acceptare seu requirere minimè teneantur. *Ibid.*

VII. Item ut Parochiales Ecclesias, aliave Beneficia Ecclesiastica curam animarum actualem habentia, acceptare seu requirere minimè teneantur. *Ibid.*

VIII. Item eisdem Ordinariis Collatoribus, ut Beneficia Regularia superiùs expressa, Regiis nominatis, ut suprà, commendare valeant, facultatem concessit & indulsit. *Ibid.*

IX. Si ex Regiis nominatis prædictis, quibus Beneficia Regularia, ut præfertur, commendari contigerit, infrà octo menses à die Commendæ computandos, sibi de illis novam illorum Commendam à Sede prædictâ impetrent, ac Jura Cancellariæ Apostolicæ, & aliis propterea debita persolvere omninò teneantur; alioquin fructus non faciant suos, & ad illorum restitutionem teneantur, & Commendæ ipsis, ut præfertur, factæ cessent, eisque cessantibus Beneficia prædicta vacent eo ipso. *Ibid.*

X. In vacatione Beneficii Regularis Regiis nominatis, vigore literarum hujusmodi, pro tempore commendari, quod anteà commendari non consueverat, sed immediatè illius possessori, tantùm pro primâ vice, seu forsan etiam cum decreto revertendi in titulum commendatum extiterat, Beneficium prædictum ampliùs commendari nequeat, sed ad pristinam rituli naturam reverti, & personæ Regulari in titulum conferri debeat. *Ibid.*

Commendæ aliter & sine expressione præsentis Decreti factæ, nullæ sint eo ipso. *Ibid.*

XI. Pauli Prædecessoris literæ, præsertim in eâ parte ubi declaravit S. R. E. Cardinales Ordinarios Collatores sub Indulto hujusmodi minimè comprehendi, salvæ & illæsæ remaneant, ac omninò servari debeant. *Ibid.* Lib. I. Decr. *Tit.* 2. Cap. 12.

Præbendas personis idoneis conferatis. *De Constitutionibus.* Cap. *Ex parte.* Lib. I. Decr. *Tit.* 2.

XII. Ad providendum aliquibus de Beneficiis Ecclesiasticis, per inquisitionem solertem indagandum si eos esse vitæ laudabilis & conversationis honestæ repererint. *Clement. unicâ. De Officio Deleg.* Lib. I. Clem. *Tit.* 8. Cap. unico. *junctâ Glossâ.*

XIII. Non desendas improbum, & Sancta indigno committenda non arbitreris. Caus. XI. Quæst. III. Cap. 13. *§.* 1. S. Ambr. Lib. II. *De Off.* Cap. 24. n. 124.

Quæ suprà dicta sunt de privilegio Graduatorum, & de Indulto Curiæ Parisiensis, cùm utrumque sit quædam species Gratiarum Expectativarum, elucidatur ex dicendis, dùm de istis Gratiis sermo fiet. Inter collecta ex *Concordatis* circà prædictum privilegium, nonnulla sunt jam abrogata, quæ notantur in *Nova Collectione Actorum Ecclesiæ Gallicanæ.* Tom. X.

§. X.

Collatores quoslibet teneri Beneficia Ecclesiastica conferre viris idoneis, Episcopos debere ad id invigilare, licèt probare non teneantur se ita contulisse.

I. Ecclesiæ, quibus præficiuntur personæ minùs idoneæ scientiâ moribus vel ætate, graviа propter hoc (ut docet experientia) nonnunquam perferunt in spiritualibus & temporalibus detrimenta. *Clementinâ. Cùm Ecclesia. De Ætate & Qualitate &c.* Lib. I. Clementinarum *Tit.* 6. Cap. 1.

II. Grave nimis est & absurdum, quod Ecclesiæ Prælati, cùm possint viros idoneos ad Ecclesiastica Beneficia providere, assumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec literarum scientia suffragatur, carnalitatis sequentes affectum, non judicium rationis: Undè quanta Ecclesiis damna proveniant, nemo sanæ mentis ignorat. *De Præb.* Cap. *Grave nimis. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 29.

III. Igitur præceptum est ut, prætermissis indignis, Prælati idoneos assumant. *Ibid. De Præb.* Cap. *Grave nimis.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 29.

IV. Cùm in omni gente, qui facit justitiam, acceptus sit Deo, nec Sanctuarium Dei conveniat Jure hæreditario possideri; Episcopus viros literatos, & aliàs idoneos, undecumque originem duxerint, in suis Ecclesiis, & maximè in majori, instituere non postponat. *De Institutionibus.* Cap. *Ad decorem. §.* 2. *init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 7. Cap. 5.

V. Collator Ecclesiam personæ idoneæ Beneficio Ecclesiastico carenti incunctanter assignet. *De Præb.* Cap. *Referente. §.* 1. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap 7.

VI. Si ordinatus idoneus habeatur, & Ecclesiastico Beneficio non indignus, ei competens Beneficium tribuatur. *De Ætate & Qualit. Præfic.* Cap. *Accepimus. §.* 1. *post init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 14. Cap. 11.

VII. Ecclesiæ, cùm vacaverint, de personis idoneis ordinentur. *De Conceß. Præbend.* Cap. *Relatum est.* Lib. III. Decr. *Tit.* 8. Cap. 3. *fin.*

VIII. Per locorum Diœcesanos, quibus ratione

 Officii

Officii hoc competit, præcipuè super hoc diligentiùs præcaveatur. *Clementinâ. Cùm Ecclesia. De Ætate & Qualitate. post init.* LIB. I. CLEMENT. *Tit. 6.* Cap. 1.

IX. Dignitates & Personatus & alia Beneficia curam animarum habentia, personis idoneis conferri faciat Episcopus, per illos ad quos Collationem ipsorum de Jure noverit pertinere. *De Filiis Presbyter,* Cap. ult. *Nimis. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 17. Cap. 18.

X. Locorum Diœcesanis districtè injunctum est, ut ipsi Statuta Canonica, quæ super præficiendis personis in Ecclesiis hactenus emanarunt, diligentiùs per se ipsos observent, & faciant à suis subditis inviolabiliter observari, si Divinam offensam vitare voluerint. *Clementinâ. Cùm Ecclesia. De Ætate & Qualitate.* LIB. I. CLEMENTIN. *Tit. 6.* Cap. 1.

XI. Ecclesiæ frequenter minùs idoneis conferuntur, ex quo pericula imminent animarum. *In 6. De Præb.* Cap. 1. *§. 1. fin.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 1. Vid. *De Elect.* Cap. 40. *fin.* Cap. 41. §. 4. *fin.*

XII. Beneficia personis idoneis, per illos ad quos donatio pertinet, assignentur. *De Excess. Prælat.* Cap. *Grave. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. Cap. 15.

§. XI.

Qui reputandi sint idonei ad obtinenda Beneficia curam animarum habentia, præsertim Ecclesias Parochiales?

I. In illis, quibus Beneficia curam animarum habentia committuntur, major, quàm in iis qui ad alia promoventur, idoneitas requiritur. *In 6. De Præbendis.* Cap. *Cùm in illis.Init.* LIB.III. *Tit.* 4.Cap.16.

II. Cùm una Ecclesia unius debeat esse Rectoris, ordinet Antistes Ecclesiam, sicut meliùs eam secundùm Deum viderit ordinandam. *De Jure Patron.* Cap. *Quoniam.fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 3.

III. Est Ars Artium Regimen animarum. *De Ætate & Qualit.* Cap. *Cùm sit Ars. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 14. Cap. 14.

IV.Cùm Parochialis Ecclesiæ vacatio contigerit,Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit. *Conc.*TRID.SESS.XXIV.DECR. *De Refor.*Cap.18.

V. Beneficia Ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia,personis dignis & habilibus, & quæ in loco residere, ac per se ipsos curam ipsam exercere valeant, juxtà Constitutionem ALEXANDRI III. in LATERANENSI,*Conc.* (LIB.III. DECR.*Tit.*4.Cap. 3. *De Cleric. non Resid. §. sup. Decis. In 6. De Elect.* LIB. I. *Tit. 6.* Cap. 14.) quæ incipit, *Quia nonnulli*, & aliam GREGORII X. in Generali LUGDUNENSI *Concilio*, quæ incipit, *Licet Canon*, editam conferantur. Aliter autem facta Collatio sive Provisio omninò irritetur. *Conc.* TRID. SESS. VII. *De Refor.* Cap. 3.

VI. Si Juris Patronatus Ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum, & non alium pertineat; quem Patronus digniorem judicabit, Episcopo præsentare teneatur, ut ab eo instituatur. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Refor.* Cap. 18.

VII. Cùm verò institutio ab alio quàm ab Episcopo erit facienda; digniorem Patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat. *Ibid. Conc.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Refor.* Cap. 18.

VIII. Quòd si juris Patronatus Laicorum fuerit, debeat qui à Patrono præsentatus erit examinari, & non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti. *Ibid.*

Qui Parochialem habet Ecclesiam, non per Vicarium, sed per seipsum illi deserviat, in ordine quem ipsius Ecclesiæ cura requirit. *De Præb.* Cap. *Extirpandæ. §.1. Qui verò. init.* LIB.III.DECR.*Tit.*5.Cap.30.

IX. Nihil est, quod Ecclesiæ Dei magis officiat, quàm quod indigni assumantur Prælati ad Regimen animarum. *De Elect.* Cap. *Nihil. init.* LIB. I. DECR. *Tit. 6.* Cap 44.

X. Piæ sollicitudinis studio ducitur Sedes Apostolica, ut Dignitates, Personatus, Præbendæ, aliaque Beneficia Ecclesiastica, cum curâ vel sine cura, quæ apud Sedem Apostolicam vacare noscuntur, personis conferantur idoneis, per quas in eis debita impendantur obsequia, & Divinorum cultus exerceatur sollicitè in eisdem.*Extravag. Commun.* BONIF.VIII. *Pia sollicitudinis. init. De Præb.* LIB. III. EXTRAVAG. COMM. *Tit.* 2. Cap. 1.

Huc pertinent quicumque Canones de Irregularitate loquentes, sive ex defectu, sive ex delicto. Hujusmodi defectus & delicta excludunt à Beneficiis, præsertim curatis; ideòque cùm contrariorum eadem sit ratio, consequens est ut dispositiones animi corporisque dotes his vitiis contrariæ ad Beneficia requirantur.

§. XII.

Qui generatim reputandi sint idonei ad obtinenda Beneficia Ecclesiastica? & quid sit in specie Episcopis hac in re prohibitum, & sub quibus pœnis?

I. Non generis,sed virtutum nobilitas, vitæque honestas, gratum Deo facinnt, & idoneum servitorem, ad cujus Regimen non multos secundùm carnem nobiles & potentes elegit, sed ignobiles ac pauperes; eo quod non est personarum acceptio apud ipsum. *De Præb.* Cap. *Venerabilis.* §. 2. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 37.

II. Arctiùs prohibitum est Episcopo, ne Ecclesias, nisi personis quæ ætatem & scientiam habeant,regendas concedat; si secùs egerit, institutio & concessio ipsius omninò viribus careat. *De Ætate & Qualit.* Cap.*Ex ratione.fin.in integrâ.*LIB.I.DECR.*Tit.*14.Cap.2.

III. Non ex affectu carnali, sed discreto judicio, debet Prælatus Ecclesiasticum Officium & Beneficium in personâ magis idoneâ dispensare. *Ut Ecclesiastica Beneficia fine diminutione conferantur.* Cap. unico. §. *penultimo.* LIB. III. DECR. *Tit.* 12. Cap. unico.

IV. Qui secùs egit, comperitur fuisse culpabilis circà carnalitatem animi. *Ibid.*

V. Illi sunt in Ecclesiis idonei reputandi, qui servire possunt & volunt in ipsis. *De Præb.* Cap. *Super inordinatâ. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 35.

VI. Prælati idoneos assumant, qui Deo & Ecclesiis velint & valeant gratum impendere famulatum. *De Præb.* Cap. *Grave nimis. post init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 29.

VII. In cunctis Ecclesiasticis Ministeriis sunt ætatis maturitas, gravitas morum, & literarum scientia inquirenda. *De Elect.* Cap. *Cùm in cunctis. init.* LIB. I. DECR. *Tit. 6.* Cap. 7.

VIII. Episcopi tales ad Ecclesiasticas Dignitates promovere procurent, qui commissum sibi Officium dignè valeant adimplere. *De Elect.* Cap. *Nihil.* §. 1. *init.* LIB. I. DECR. *Tit. 6.* Cap. 44.

IX. Quando ex Beneficiorum quorumcumque erectione, seu fundatione, aut aliis constitutionibus, qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta, in Beneficiorum Collatione, seu in quacumque aliâ dispositione, eis non derogetur. *Conc.* TRID. SESS. XXV. *De Refor.* Cap. 5. *init.*

X. Ad Ecclesiarum Regimen tales personæ sunt admittendæ, quæ discretione præmineant, & morum fulgeant honestate. *De Ætate & Qualitate.* Cap. *Indecorum. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 14 Cap. 3.

XI. Arctiùs inhibitum est, ne Episcopi personas, quæ in Ecclesiis sui Episcopatûs ad curam animarum fuerint ordinandæ, in ipsis instituant, nec aliquâ occasione, vel etiam literarum Apostolicarum obtentu institui patiantur, quæ scientia, moribus, & ætate (*Conc.* LATER. *sub* ALEX. III. Vide *De Parochis Sect. II. Ex* Cap. 3. *De Elect.*) non congruant institutis. *De Ætate & Qual.* Cap. *Eam te.* §. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 14. Cap. 4.

XII. Episcopis prohibitum est, ne Ecclesias, nisi personis quæ ætatem & scientiam habeant, regendas concedant. *De Ætate & Qual.* Cap. *Ex ratione.* §. *ult.* LIB. I. DECR. *Tit.* 14. Cap. 2.

XIII. Quod si secùs egerint Episcopi, eis digna pœna infligatur, ac institutio & concessio omninò viribus careat. *Ibid. De Ætate & Qualitate.* Cap. *Ex ratione.* §. *ult. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 14. Cap. 2.

XIV. In ordinationibus Clericorum illam tu diligentiam debes adhibere, ut minùs idonei non ordinentur. *De Ætate*. Cap. *Accepimus*. Lib. I. Decr. *Tit.* 14. Cap. 13.

In omni gente, qui &c. viros litteratos & aliàs idoneos &c. *De Institution.* Cap. *Ad decorem*. §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 7. Cap. 5.

Ex collectis Textibus inferre est, omnia quæ ad Beneficia dignè accipienda, ac insimul administranda, requiruntur, ad quatuor genera qualitatum reduci; nempè ætatem, mores, scientiam, & discretionem: nec hac de re Beneficia inter se differre, nisi in hoc uno, quod illas qualitates in majori vel minori gradu exposcunt, quo munia ipsis annexa plus vel minùs conferunt ad Dei Cultum, animarum salutem, Ecclesiæque utilitatem, aut conferre possunt.

Cæteræ qualitates necessariæ non sunt, nisi nonnullis Beneficiorum speciebus; ejusmodi sunt Ordo, Gradus, Nobilitas.

§. XIII.

Qui sint reputandi speciatim idonei ad assequendas Præbendas & Officia Ecclesiarum, quæ obligant ad Residentiam?

I. In Præbendis Theologalibus, Magistralibus, Doctoralibus, aut Presbyteralibus, Diaconalibus, & Subdiaconalibus, quandocumque ita constitutæ fuerint, observetur, ut eorum qualitatibus, vel ordinibus, nihil in illâ provisione detrahatur; & aliter facta provisio subreptitia censeatur. *Conc.* Trid. Sess. XXV. Decr. II. *De Reform.* Cap. 5.

II. Neminem ad Dignitatem, Canonicatum, aut portionem recipiant, nisi qui eo Ordine Sacro aut sit initiatus, quem illa Dignitas, Præbenda, aut portio requirit, aut in tali ætate, ut infrà tempus à Jure statutum initiari valeat. *Conc.* Trid. Sess. XXIV. Decr. II. *De Reform.* Cap. 12. *med.*

III. Cùm Præbendas Ecclesiasticas, seu quælibet Officia, in aliquâ Ecclesiâ vacare contigerit, Personis, quæ dignè administrare valeant, conferantur. *De Conceff. Præbenda*. Cap. *Nulla*, §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 8. Cap. 2.

IV. Cùm Ecclesia, scil. Parochialis *ex init. Capitis*, vel Ecclesiasticum Ministerium, sc. Dignitas Ecclesiastica *etiam ex init. Capitis*, committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur quæ residere in loco, & curam ejus per seipsam valeat exercere. *De Clericis non Resid.* Cap. *Quia nonnulli*, §. 1. *init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 4. Cap. 3. *Ex Conc.* Lateran. *sub Alex.* III. *ann.* 1179.

V. Cùm in Lateran. (loco mox citato,) *Concilio* statutum sit, ut personæ tali, Ecclesia vel Beneficium Ecclesiasticum conferatur, quæ residere in loco, & curam ejus per se valeat exercere; verba accipienda sunt cum effectu. *Ibid. De Cler. non Resid.* Cap. *Relatum est. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 4. Cap. 4.

VI. Si tales præsentati fuerint, qui hoc se posse affirmant, sed efficere contradicunt, non debent admitti. *Ibid.* §. 1. *De Cler. non Resid.* Cap. *Relatum*. Lib. III. Decr. *Tit.* 4. Cap. 4.

VII. Ut idonea & honesta persona, cui Episcopus vacantem in Ecclesiâ Præbendam, vel Dignitatem, duxerit conferendam, præsentetur Decano & Capitulo. *De Conceff. Præb.* Cap. *Post electionem. post init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 8. Cap. 7.

VIII. Quod si Episcopus secundùm formam præscriptam personæ idoneæ non conferat, liceat Decano & Capitulo conferre. *Ibid.* §. 1.

IX. Ecclesiæ, Beneficia, Personatus, seu Dignitates, per eos ad quos eorum Collatio pertinet, personis idoneis conferantur. *In 6. De Off. Ordin.* Cap. *Ordinarii*. §. 1. *fin.* Lib. I. *Tit.* 16. Cap. 3.

X. Non debet differri, quòminùs statutus numerus Canonicorum de aliis Clericorum personis idoneis suppleatur. *De Institutionibus*. Cap. *In Ecclesiâ*. §. 2. Lib. III. Decr. *Tit.* 7. Cap. 2.

XI. Tales ad supplendum numerum invenire curet Collator, per quos Deo in Divinis Officiis per Ecclesiasticos Ordines congruè serviatur. *Ibid. De Institutionib.* Cap. *In Ecclesiâ. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 7. Cap. 2.

XII. Romanus Pontifex gerit in suis desideriis, quod per Apostolicæ suæ diligentiæ studium, ad quarumlibet Ecclesiarum, & Monasteriorum Regimina, & alia Beneficia Ecclesiastica, juxtà Divinum beneplacitum, & suæ intentionis affectum, viri assumantur idonei, qui præsint & prosint committendis eis Ecclesiis, Monasteriis, & Beneficiis prælibatis. *Extravag. Comm. Ad Regimen. init. De Præb.* Lib. III. Extravag. Com. *Tit.* 2. Cap. 13.

XIII. Electionem Canonicam de personâ idoneâ faciaris. *De Elect.* Cap. *Cùm nobis. init. in integrâ*. Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 19.

XIV. Aliis non fiat provisio, nisi iis, qui jam ætatem & cæteras habilitates integrè habere dignoscantur; aliter irrita sit provisio. *Conc.* Trid. Sess. XXII. *De Reform.* Cap. 4. *fin.*

XV. Ex Libro Ordinis Romani habetur. *De Officio Custodis*. Cap. *Custos*. §. 1. *Hoc est.* Lib. I. Decr. *Tit.* 27. Cap. 2. Ut ad opus Custodis tales ordinentur, quales meliores & sanctiores esse viderint, ut nulla negligentia in SanctâDei Ecclesiâ videatur. *Ib.* Sed hoc nihil habet commune cum Beneficiis Ecclesiasticis, aut instar consilii tantùm esse videtur.

Aptus Domui Dei constituatur Minister, ut omnia in laudem Dei fiant. De Custode Ecclesiæ agitur. *Cap.* 1. *De Off. Custodis.*

Si aliter actum fuerit. &c. *Ibid.*

XVI. Præbendas, quas inveneritis vacasse in Ecclesiâ, personis idoneis Canonici conferant. *De Constit.* Cap. *Ex parte. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 2. Cap. 12.

XVII. Cautum reperitur in Canone, ut tunc alter de alterâ eligatur Ecclesiâ, cùm nullus in propriâ fuerit repertus idoneus. *De Elect.* Cap. *Cùm nobis. med. in fin.* Lib. I. Decr. *Tit* 6. Cap. 19.

Hoc in favorem introductum est Clericorum. *Ibid.* Cap. 19.

Æquum est, ut fratres aliis præferantur, & isti illorum defectum suppleant.

§. XIV.

Quinam de Jure indigni sint ad habenda Beneficia Ecclesiastica?

I. Indecorum est, ut hi debeant Ecclesias regere, qui non noverunt gubernare seipsos. *De Ætate & Qualit. &c.* Cap. *Indecorum. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 14. Cap. 3.

II. Sustineri non debet, ut parvulis Ecclesiæ Regimen committatur. *Ibid. De Ætate & Qualit.* Cap. *Indecorum*. §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 14. Cap. 3.

III. Non debet aliquatenùs tolerari, ut pueris, qui sunt infra decennium constituti, Ecclesiæ, (id est Prælaturæ Ecclesiasticæ, *Glossa*) concedantur. *De Ætate & Qualitate*. Cap. *Ex ratione*. §. 1. *n.* 2. Lib. I. Decr. *Tit.* 14. Cap 2.

IV. Pueri & Beneficiati, qui non possunt in Ecclesiâ deservire, in ea non debent idonei reputari. *De Præb.* Cap. *Super inordinatâ. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 35.

V. Non licet suspensis Beneficia Ecclesiastica sic recepta aliquatenùs retinere. *De Ætate & Qualit.* Cap. *Cùm bona. med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 14. Cap. 8.

VI. Cùm excommunicatis communicari non debeat, Clericis Excommunicationis vinculo innodatis, Ecclesiastica Beneficia conferri non possunt, nec illi valent ea licitè retinere; nisi forsitan fuerit cum illis misericorditer dispensatum, cùm ea non fuerint Canonicè consecuti. *De Clerico Excom. Minist.* Cap. *Postulasti*. §. 1. Lib. V. Decr. *Tit* 27. Cap. 7.

VII. Suâ Pontifex ordinatione distribuat, prout cujusque locum meritumque cognoscit. Caus. XII. Quæst. II. Cap. 25. *Vulterana. med.*

Secundùm priorem locum & majus meritum conferendæ sunt Dignitates. *Glossa*, verbo, *Locum*.

VIII. Beneficia simplicia in tali ætate constitutis licitè conferuntur. *Glossa*, verbo, *Ecclesias*.

IX. Pueri

IX. Pueri usque ad decimum quartum benè possunt habere Beneficia. *Gloss. ad* Cap. *Super inordinatâ De Preb.* verbo, *Pueri.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 6.

X. Eos qui sunt publicè uxorati, non admittant Episcopi ad Ecclesiasticas Dignitates. *De Clericis Conjugatis.* Cap. *Cùm decorem. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 3. Cap. 8.

XI. Qui nondum fuit tonsuratus, cùm Literas super Ecclesiâ obtinuit, ei super prædictâ Ecclesiâ silentium imponendum est. *De Transactionibus.* Cap. *Ex Literis.* LIB. I. DECR. *Tit.* 36. Cap. 6. *fin.*

XII. Licet postmodùm tonsuram acceperit, non prodest ei. *Glossa*, verbo, *Tonsuratus.*

XIII. Si Episcopus Mandatum Apostolicum pro alicujus provisione receperit, si non potest ei sine scandalo provideri, Mandatum non exequatur. *De Preb.* Cap. *Cùm teneamur.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 6.

XIV. Cum Clericorum scandalo non debet aliquis locum in ipsâ Ecclesiâ quærere vel habere. *De Preb.* Cap. *Cùm non ignares. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 15.

XV. Si probaretur Clericum excommunicatum tunc temporis extitisse, cùm Episcopus eum de Præbendâ investivit; quod de ipso factum fuit, revocari debet. *De Clerico Excom. Ministr.* Cap. *Proposuit. in int. med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 27. Cap. 8.

XVI. Cùm verò Clericum investitutæ suæ tempore, ab Episcopo extitisse excommunicatum non probatur, aut ex adversis de absolutione & Communione dicti Episcopi fuerit facta fides, anteqnàm Clericus fuerit investitus; de Præbenda investitus remaneat. *Ibid. De Cler. Excomm. Minist.* Cap. *Proposuit. §. ult.* LIB. V. DECR. *Tit.* 27. Cap. 8.

XVII. Non merentur Ecclesias regere, qui sunt crimine perjurii irretiti. *De Jurejur.* Cap. *Querelam.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 10.

XVIII. Personis vilibus & indignis portæ Dignitatis patere non debent, juxtà legitimas Sanctiones. *De Excessib. Prælat.* Cap. *Inter Dilectas*, §. 1. *fin* LIB. V. DECR. *Tit.* 31. Cap. 11.

XIX. Ad Regimen animarum electus, indignè promotus censetur, maximè si homo sit insufficientis scientiæ, vel inhonestæ vitæ, vel ætatis illegitimæ. *De Elect.* Cap. *Nihil. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 4.

Infamibus portæ non pateant Dignitatum. *In* 6. *De Regulis Juris. Reg.* 87. LIB. V. *Tit. ult.*

XX. Etsi in temporalium dispositione bonorum habenda sit discretionis cautela, præcipuè ut ea dignè & laudabiliter disponantur: in Ecclesiasticis tamen rebus multò fortiùs invigilare debet Apostolica intentio, ut juxtà personatum conditiones & status, ad Divini nominis laudem, & ipsarum utilitatem, provideatur ex merito Ecclesiasticis personis: Cùm juxtà Canonicas Sanctiones nihil sit, quod Ecclesiæ Dei magis officiat, quàm quod indigni assumantur ad Regimen animarum. *Extrav. Comm. Etsi in temporalibus. initio. De Præbendis.* LIB. III. EXTRAV. COMM. *Tit.* 2. Cap. 3. CLEMENS. V.

XXI. Hæretici, Credentes, Receptatores, Defensores, & Fautores eorum, ad nullum Ecclesiasticum Beneficium admittantur: Quod si secùs actum fuerit, decernum est irritum & inane. *In* 6. *De Hæreticis.* Cap. *Quicumque.* §. 2. LIB. V. *Tit.* 2. Cap. 2.

XXII. Electio electi, qui abjurato Schismate ad unitatem Ecclesiæ rediit, non debet confirmari si à Schismatico Ordinem receperit. *De Elect.* Cap. *Quia diligentia.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 5. *init.*

XXIII Ad quatumlibet Ecclesiarum & Monasteriorum Regimina, & alia Beneficia Ecclesiastica, juxtà Divinum beneplacitum, viri assumantur idonei, qui præsint & prosint committendis eis Ecclesiis, Monasteriis, & Beneficiis prælibatis. *Extrav. Ad Regimen. init. De Præb. inter Communes.* LIB. III. EXTRAVAG. COMM. *Tit.* 2. Cap. 13 BENEDICTUS XII. *ann.* 1335.

XXIV. Singulæ Ecclesiæ Pastoribus gubernentur idoneis, & providis Rectoribus disponantur, quorum dispensatio est provida, & providentia circumspecta (illius cooperante Clementiâ, qui verè Pastor & Rector agnoscitur) spiritualium & temporalium proficiant incrementis. *Extravag. Ad cujuslibet. init. De Preb. inter Communes.* LIB. III. EXTRAV. COMM. *Tit.* 2. *Cap.* 9. JOAN. XXII. *ann.* 1319.

XXV. Sancta Universalis *Synodus* BASILEENSIS hoc unum singulari sollicitudine prosequendum arbitratur, ut per singulas Ecclesias Ministri instituantur idonei. PRAGM. SANCT. *De Collation.* §. *Dum autem.*

XXVI. Præbendâ suâ privet eumdem, & eam alii idoneæ personæ concedat. *De Appell.* Cap. *Pervenit.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 28.

§. XV.

Quæ scientia, & quæ ætas requiratur ad capessenda quæque Beneficia Ecclesiastica?

I. Qui Literaturæ licèt non eminentis, tamen convenientis, electus in Episcopum extitit, pro defectu scientiæ ab electione non debet excludi. *De Elect.* Cap. *Cùm nobis.* §. 5. *init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 19.

II. Quamquam & desideranda sit eminens scientia in Pastore, in eo tamen est competens toleranda; quia secundùm Apostolum, *Scientia inflat, caritas autem ædificat*: & ideò imperfectum scientiæ potest supplere perfectio charitatis. *De Renunciatione.* Cap. *Nisi cùm pridem.* §. 4. *Pro defectu.* LIB. I. DECR. *Tit.* 9. Cap. 10.

III. Eligant Presbyterum qui Sacrosancta sit idoneus procurare. *De Jure Patronatûs.* Cap. *Quacumque. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 2.

IV. Is sit Presbyter, qui ad populum docendum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda Sacramenta, idoneus comprobetur. *Conc.* TRID. SESS. XXIII. *De Refor.* Cap. 14.

V. Vix ad culmina Dignitatum (nedum ad Præbendas) viri ementis scientiæ valent reperiri. *De Preb.* Cap. *Venerabilis.* §. 2. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 37.

VI. Rex Franciæ pro tempore existens, unum gravem Magistrum in vigesimo septimo suæ ætatis anno ad minùs constitutum, Romanis Pontificibus nominare debet. *Concordat. Tit.* 1.

VII. Inferiora Ministeria, utpote Decanatum, Archidiaconatum, & alia quæ curam animarum habent annexam, nullus omninò suscipiat, sed nec Parochialis Ecclesiæ Regimen, nisi qui jam vigesimum quintum annum ætatis attigerit. Sufficit ergo quod inchoaverit annum 25. ætatis. *De Elect.* Cap. *Cùm in cunctis.* §. 3. *init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 7.

VIII. Nemo ad Dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem 25. suæ ætatis annum attigerit, juxtà Constitutionem ALEXANDRI III. *in Conc.* LATER. promulgatam, quæ incipit, *Cùm in cunctis. Conc.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Refor.* Cap. 12. *init.*

IX. Nemini infrà annum quartum decimum constituto, Personatum cujuslibet Ecclesiæ concedere Episcopus præsumat; quod si contrà præsumpserit, quod indè fecerit, irritabitur, & inobedientia illius graviter punietur. *De Ætate & Qual.* Cap. *Indecorum.* LIB. I. DECR. *Tit.* 14. Cap. 3.

X. Literis carens, Sacris non potest esse aptus Officiis. DIST. XXXVI. *Cap.* 1. *Illiteratos.* GELASII I. *Epistola ad Episcopos per* LUCANIAM. *Cap.* 19. *ann.* 494.

XI. Regnum Dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonis. DIST. XXXVII. *Cap.* 6. *Omnem. fin. Ex Responsione* HADRIANI I. *ad* CAROLUM. *Cap.* 49. *ann.* 794.

XII. Scientia pietatis est nosse Legem, intelligere Prophetas, Evangelio credere, Apostolos non ignorare. DIST. XXXVII. *Cap* 10. §. 1. *fin.* HIERONYM *ad* Cap. 1. *Epistolæ ad* TITUM, *ad hæc verba: Et cognitionem veritatis, quæ est juxtà pietatem. ann. circ* 386.

XIII. Clerici, qui cùm Beneficiis Ecclesiasticis abundent, nolunt ad majores Ordines promoveri, sed

sed tale quid secretò commisisse dicentes, quod eos salvâ conscientiâ ordinari non sinit, nisi in aliis Ecclesiæ servitiis valdè utiles fuerint, auferantur eis Beneficia, & aliis Canonicè conferantur. *De Ætate & Qual.* Cap. *Quaris.* Lib. I. Decr. *Tit.* 14. Cap. 6.

§. XVI.

Quomodò judicandum in foro externo aliquem Clericum non esse idoneum?

I. Clericus ad alicujus Ecclesiæ Beneficium obtinendum primâ facie præsumitur idoneus, nisi aliud in contrarium ostendatur. *De Præsumptionibus.* Cap. *Dudum. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* XXIII. Cap. 16.

II. Ad obtinendum Ecclesiasticum Beneficium eos debet Episcopus idoneos reputare, quos ad Ordines suscepit. *De Ætate & Qual.* Cap. *Accepimus.* §. 1. *post med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 14. Cap. 13.

III. De Beneficio misericorditer agatur cum Clerico suspenso, ne sustentatione privatus ad sæculi negotia revertatur. *De Clerico non ordinato.* Cap. *Ex literis.* §. 1. *med.* Lib. V. Decr. *Tit.* 28. Cap. 2.

IV. Si forte inter cætera quæ objiciuntur electo seu alias promovendo ad aliquam Dignitatem, evidentem scientiæ vel aliuo personæ defectum opponi contingat; in discussione objectorum ille ordo incommutabiliter observetur, ut promovendus super defectu ipso antè omnia subjiciatur examini. *In 6. De Elect.* Cap. *Si fortè.* Lib. I. *Tit.* 6. Cap. 11.

V. Videtur quod malitiosè vel indiscrete onus probationis Collatori imponitur, videlidet ut ostendat, quod Beneficium personæ idoneæ, modo Canonico, & tempore competenti donaverit. *Ut Ecclesiastica Benefi ia &c.* Cap. *Ut nostrum.* §. 2. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 12. Cap. unico.

§. XVII.

Quibus in casibus Collatores mereantur suspendi à facultate conferendi Beneficia, vel illam amittere?

I. Illi qui scienter Ecclesiastica Beneficia Clericis Excommunicationis vinculo innodatis contulerunt, tamdiù debent à Beneficiorum Collatione suspendi, donec super hoc veniam consequi mereantur, ut puniantur in hoc, in quo delinquere præsumpserunt. *De Cler. Excom Ministr.* Cap. *Postulastis.* §. 2. Lib. V. Decr. *Tit.* 27. Cap. 7.

II. Cùm Collator adeò inconstanter se habuit in concessione Beneficii, ut primâ donatione non reprobatâ, secundam facere attentaverit; in hoc ejus videtur varietatis inconstantia punienda, ut concedendi tale Beneficium hac vice nullam habeat facultatem. *De Excessib. Prælat.* Cap. *Inter Dilectos.* §. *ult.* Lib. V. Decr. *Tit.* 31. Cap. 11.

III. Qui post primam & secundam correctionem fuerit repertus culpabilis in assumendis indignis ad Beneficia Ecclesiastica; à Beneficiis conferendis per Concilium Provinciale suspendatur, institutâ in eodem Concilio personâ providâ & honestâ, quæ suspensi suppleat defectum in Beneficiis conferendis. *De Præbendis.* Cap. *Grave. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap 29.

IV. Quàm grave crimen sit Beneficia conferre indignis, ex pœnis contra indignè promoventes statutis conjiciendum.

Non solùm dejiciendus est indignè promotus, verùm etiam indignè promovens puniendus. *De Elect.* Cap. *Nihil. med. in init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 44.

V. Pro eo quod indignum nominando scienter contrà conscientias suas agunt, Divinam Vindictam possunt non immeritò formidare, necnon Apostolicæ ultionis metum. *In 6. De Elect.* Cap. *Perpetuò.* Lib. I. *Tit.* 6. Cap. 7. *fin.*

VI. Hujusmodi pœna nec in aliorum quàm Episcoporum & Superiorum ipsorum electoribus, cùm peccatur in ipsis, vendicat sibi locum. *In 6. De Elect* Cap. *Si compromissarius.* §. 3. *Hujusmodi. In 6.* Lib. I. *Tit.* 6. Cap. 37.

VII. Scienter in electionibus nominantes indignum, propter suffragium in scrutinio præstitum (nisi adeò in eo perstiterint, quod ex votis eorum communis electio subsequatur) nequaquam eligendi potestate priventur. *In 6. De Elect.* Cap. *Perpetuò. init.* Lib. I. *Tit.* 6. Cap. 7.

VIII. Episcopus, si quemquam elegerit ad inferiora Ministeria, utputà Decanatum & Archidiaconatum, & alia quæ curam animarum habent annexam, qui jam vigesimum quintum annum ætatis non attigerit, & scientiâ & moribus commendandus non existat, in conferendis prædictis Officiis & Beneficiis potestatem amittat. *De Elect.* Cap. *Cùm in cunctis.* §. 2. & 3. Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 7. Videtur agi de Episcopi Electione.

Circà collectos Textus notandum, quod abutentes potestate conferendi, vel illam amittant, pro prima vice; vel ab illa suspendantur ad tempus; vel illâ privantur per residuum vitæ.

§. XVIII.

Sex tantùm mensium spatium datum esse Collatoribus ad conferenda inferiora Beneficia Ecclesiastica: undè illud sumatur? quomodo & contra quos currat?

I. Beneficia Ecclesiastica sine dispendio diù vacare non possunt. *De Dolo & contumaciâ.* Cap. *Finem. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 14. Cap. 5.

II. Mora longior est in Electionibus valdè suspecta, imo sæpè damnosa. *De Elect.* Cap. *Cùm inter universas. post med.* §. *Quia tamen.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 18.

III. Propter longam moram, in Spiritualibus & Temporalibus pateretur Ecclesia læsionem. *Ut lite non contestatâ.* Cap. *Quoniam.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 6. Cap 5.

IV. Cùm Præbendas Ecclesiasticas, seu quælibet Officia in aliqua Ecclesia vacare contigerit, non diù maneant in suspenso; sed intra sex menses conferantur. *De Concess. Præb.* Cap. *Nulla.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 8. Cap. 2.

V. Canon Lateran. *Concilii* ab Alexandro Papa contra negligentes editus, ad Archiepiscopatus vel Episcopatus non solet extendi, sed ad Personatus alios, & minora Ecclesiastica Beneficia coarctari. *De Concess. Præb.* Cap. *Dilectus.* §. 1. *init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 8 Cap. 12.

VI. Tempus semestre, quo elapso ad Archiepiscopum vel ad Capitulum donatio pertinet, non à vacatione, sed à notitia computari debet. *De Supplendâ Neglig* Cap. *Licèt.* §. *Ne igitur.* Lib. I. Decr. *Tit.* 10. Cap. 3.

VII. Semestre tempus, non à tempore vacationis Præbendarum, sed notitiæ ipsius Prælati, potiùs debet computari. *De Concess. Præb.* Cap. *Quia diversitatem. fin.* Lib. III. Decr. *Tit* 8. Cap. 5.

VIII. Illa Lateran. *Concilii* Constitutio contrà negligentes tantùm fuerit promulgata. *De Concess. Præb.* Cap. *Quia diversitatem.* §. 2. *med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 8. Cap. 5.

IX. Tempus suspensionis in sex mensibus nullatenùs computetur. *Ibid.*

Semestre ad eligendum seu conferendum, à Jure præfixum, non currit legitimè impedito. *Summa.*

X. Tunc si voluerit, non tamen valuerit Archiepiscopus in conferendis Præbendis uti propria potestate, à quâ etsi fuerit suâ culpâ suspensus, non ad ipsum Capitulum ex illâ culpâ Præbendarum fuit donatio devoluta; sed ad illum tempore suspensionis illius Præbendarum donatio pertinet, qui præter (hoc est citrà Episcopi desidiam) ejus desidiam & negligentiam poterat Præbendas donare. *De Concess. Præb.* Cap. *Quia diversitatem.* §. 2. *med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 8. Cap. 5.

Ex hoc Textu patet Collationem præventivam derogare Juri provisoris legitimè impediri, quod non est minimum ex incommodis illam comitantibus, nempè jure suo sine sua culpa aliquem privari.

XI. Tem-

XI. Tempus qun Prælatus à sua Sede pulsus ad Apostolicam Sedem accessit, & apod illam permansit, vel recessit ab illâ, intra sex menses nullatenus compotetur. *Ibid. fin.*

XII. Cùm in aliquâ Ecclesiâ non sunt distinctæ Præbendæ, nec Canonicorum numerus est certus, intelligitur evidenter, Statutum LATERAN. *Concilii* de Beneficiis ultra sex menses vacantibus, locum in hoc articulo nullatenùs habere, etsi fortè talis Ecclesia Canonicorum patiatur defectum; quia nullæ in eâ Præbendæ vacant, cùm in illâ nec sint distinctæ Præbendæ, nec Canonicorum numerus definitus. Indè institutio per Archiepiscopum vel Episcopum facta, occasione *Concilii* memorati, carere debet toboré firmitatis. *De Concess. Præb.* Cap. *Ex parte.* §. 1. & 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 10.

XIII. Tempus in quo quis eligere non potest non currit; & impedito agere non currit tempus. *Glossa*, verbo, *Suspensionis.*

Canon *Concilii* LATERAN. non habet locum, ubi Præbendæ non sunt distinctæ, nec Canonicorum certus numerus, quia Præbendæ non dicuntur propriè vacare. *Glossa.*

§. XIX.

Collationem post sex menses factam à Collatoribus negligentibus esse ipso jure irritam; posse tamen de misericordiâ convalescere; & ad quos in casu negligentia tùm devolvatur hujusmodi Collatio?

I. Beneficia & Dignitates tanto tempore vacare possent, quod tàm Prælati quàm Capitula, secundùm tenorem LATERAN. *Concilii*, sint jure instituendi privati. *De Suppl. Negl. Prælat.* Cap. *Literas. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 10. Cap. 4.

II. Quia constat quod post elapsum sex mensium spatium, intra quod Episcopus & Capitulum procedere ad Electionem Cantoris neglexerunt, facta à Canonicis Electio, minùs Canonicè celebrata, eadem decernitur irrita & inanis. *De Suppl. Negl. Prælat.* Cap. *Dilecto.* §. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 10. Cap. 5.

III. Si emenso sex mensium spatio, intra quod ad Episcopum & Capitulum Cantoris Electio pertinebat, Archiepiscopus intelligens eligendi autoritatem ad se juxtà LATERAN. Statutum *Concilii* devolutam, aliquem in Cantorem eligat; per appellationem interpositam, factum Archiepiscopi (ad quem jam est eligendi autoritas devoluta) nequit aliquatenùs impediri: & nisi Electo aliquod Canonicum obviet, Electio de ipso facta debet confirmari. *De Supp. Negl.* Cap. *Dilecto. in integrâ.* LIB. I. DECR. *Tit.* 10. Cap. 5.

IV. Si Episcopus, ubi ad eum spectat, conferre distulerit ultrà sex menses Præbendas Ecclesiasticas, seu quælibet Officia, per Capitulum ordinetur. *De Concess. Præb.* Cap. *Nulla.* §. 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 2. Hæc devolutionis species exolevit.

V. Si constiterit Archidiaconatum vacare per annum, cùm extunc fuerit ad Superiorem donatio devoluta; Partibus litigantibus, quarum neutri fuit concessus intra tempus in LATERAN. *Concilio* definitum, silentium imponatur, & ad Superiorem spectare donationem publicè denuncietur; decernendo irritum & inane si quid in eo quisquam alius præsumpserit postmodùm ordinare. *De Suppl. Negl.* Cap. *Licet. in integrâ.* LIB. I. DECR. *Tit.* 10. Cap. 3.

VI. Quod si ad Capitulum conferre pertinuerit, & intra præscriptum terminum hoc non fecerit, Episcopus, secundùm Deum, hoc cum Religiosorum virorum (intellige de honestate, ut Glossa monet. *De Elect.* Cap. *Ne pro defectu*, Verbo, *Consilio*, non ex necessitate. LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 41.) consilio exequatur. *Ibid.*

VII. Si omnes fortè neglexerint, Metropolitanus de ipsis, secundùm Deum, absque illorum contradictione disponat. *Ibid. fin.*

VIII. Cùm ad Capitulum & Archiepiscopum simul donatio Præbendarum Ecclesiæ pertinet, si Præbendam vacantem intra semestre tempus neglexerint ordinare; sicut nec ab Archiepiscopo ad Capitulum, ita nec à Capitulo ad Archiepiscopum potestas devolvitur conferendi, sed, secundùm Statuta LATERAN. *Concilii*, ad Superiorem transit donatio. *De Concess. Præb.* Cap. *Postulatis.* LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 15. Unum in conferendo sunt; si ergo uterque negligat, ab utroque fit devolutio; jus æquale in utroque, par culpa, eadem pœna.

IX. Nisi fortè Archiepiscopus, non ut Prælatus, sed ut Canonicus, cum Capitulo jus habeat conferendi; & in hoc casu, cùm dolosè impedierit, dolus ei suffragari non debet. *Ibid. fin.*

X. Pro eo, quod aliquis Episcopus alium Superiorem non habet, tempore semestri lapso, ex tunc ad Apostolicam Sedem vacantis Beneficii donatio devolvitur. *De Suppl. Negl.* Cap. *Licet. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 10. Cap. 3.

XI. Si in Ecclesiis, ubi quædam Beneficia & Dignitates tanto tempore vacavissent, quod tàm Prælati, quàm Capitula, secundùm tenorem LATERAN. *Concilii*, essent jure instituendi privati, nihilominùs in Beneficiis illis personas instituere præsumpserint; si Beneficia vel Dignitates noscantur personis idoneis assignatæ, eas de patientiâ permitti potest ab ipsis pacificè possideri. *De Suppl. Negl.* Cap. *Literas.* LIB. I. DECR. *Tit.* 10. Cap. 4.

XII. Alioquin personæ amoveantur prorsùs ab ipsis, eaque Beneficia de personis idoneis non differatur quantocyus ordinari. *Ibid. fin.*

XIII. Præbenda alicujus Ecclesiæ tempore tanto vacare potest, ut, secundùm Statuta LATERANENSIS *Concilii*, ad Romanum Pontificem sit ejusdem donatio devoluta. *De Concess. Præb.* Cap. *Cùm Nostris. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 6.

XIV. Si is, ad quem spectat Beneficii Collatio, lapso tempore *Concilii* LATERAN. conferat, non valet Collatio, nisi de misericordiâ toleretur. *Summa.*

XV. Ita de Jure talis Ordinatio non valebat; & sola patientia dat hoc jus talibus institutis, non ex illâ Institutione ex tunc, sed ex nunc ex tali patientiâ. *Glossa*, verbo, *Patientia.* Collatio quæ non tenet, de patientiâ Superioris tenet; aliàs non valeret. *Glossa.* Huic Decisioni adversatur Regula, *Ex postfacto non valet quod ab initio non valuit*, præsertim defectu potestatis, quo major nullus est; sed excipienda Superioris Dispensatio, vel autoritas.

§. XX.

Illicitas esse quascumque promissiones à Collatoribus, seu Patronis, directè, vel indirectè factas, de Beneficiis non vacantibus; nec ullatenus obligare.

I. Nulla Ecclesiastica Ministeria, seu etiam Beneficia, vel Ecclesiæ alicui promittantur, antequàm vacent, ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum & Beneficium se crediderit successurum; cùm enim in ipsis etiam Legibus Gentilium inveniatur inhibitum, turpe est, & Divini plenum animadversione Judicii, si locum in Ecclesiâ Dei futuræ successionis expectatio habeat, quam ipsi etiam Gentiles condemnare curarunt. *De Concess. Præb.* Cap. *Nulla. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 2, *Ex Concilio* LATERAN. *sub* ALEXANO. III. *anno* 1179.

II. In LATERANENSI *Concilio* promissiones factæ de Ecclesiis non vacantibus, sunt cassatæ. *De Concess. Præb.* Cap. *Relatum.* §. 1. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 3. ALEX. III. *anno* 1180.

III. Promissio in charta exhibita, continens quod quis primam Ecclesiam ad donationem suam spectantem assignabit alicui, non tenet, utpotè contra Statuta LATERAN. *Concilii* attentata. *De Concess. Præb.* Cap. *Ex tenore.* §. 2. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 13.

IV. Clerico talem chartam exhibenti super hoc silentium imponatur, & ab impetitione ipsius Collator absolvatur. *Ibid. fin.*

V. Prætextu appellationis eorum qui dictis promissionibus innituntur, omitti non debet, quin Ecclesiæ, cùm vacaverint, de personis idoneis ordinen-

ordinentur. *De Conceſſ. Præb.* Cap. *Relatum. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 8. *Cap.* 3. Alexandri III. *ann.* 1180.

VI. Licèt olim fuerit Canonicâ Conſtitutione decretum, quod hi, qui promittunt aliquibus de Beneficiis Eccleſiaſticis, cùm poterunt, vel cùm facultas ſe obtulerit, providere, promiſſiones ſuas (facultate ſe offerente) debeant adimplere; quia tamen, ſicut experientia docuit, per promiſſiones hujuſmodi, quæ per importunitatem nimiam, & per ambitionem improbam, ut plurimùm extorquentur, aperitur via ſub tali pollicitatione verborum, ad promittenda damnabiliter contra Lateranense *Concil.* Beneficia vacatura, mortis alienæ votum ingeritur, & Eccleſiis, ac Prælatis, & perſonis Eccleſiaſticis, gravamina plurima inferuntur: Promiſſiones eædem; & aliæ quæcumque, ſub quovis modo aut formâ verborum de cætero faciendæ, per quas directè vel indirectè aperiri via valeat ad Beneficia vacatura, autoritate Apoſtolicâ ſunt penitùs reprobatæ, & omninò viribus vacuatæ. *In 6. De Conceſſ. Præb.* Cap. *Deteſtanda.* §. 1. Lib. III. *Tit.* 7. Cap. 2. *De Conceſſ. Præb.* Cap. *Accedens.* §. 2. Lib. III. Decr. *Tit.* 8. Cap. 14.

Decretum eſt per eas promiſſiones; vel ipſarum aliquam, ad providendum alicui nullum deinceps quomodolibet obligari. *Ibid. In 6. De Conceſſ. Præb.* Cap. *Deteſtanda. fin.* Lib. III. *Tit.* 7. *Cap.* 2. *fin.*

VII. Quòd Epiſcopus poteſtatem alicui det conferendi Præbendam, quæ primò fuerit in Eccleſiâ ſuâ vacatura; quia conceſſiones tales fieri poſſent in fraudem Canonicæ Sanctionis, per quam prohibentur Eccleſiaſtica Beneficia concedi, ſive promitti, antequam vacent, licentia non conceditur. *De Conceſſ. Præb.* Cap. *Conſtitutus.* §. ult. Lib. III. Decr. *Tit.* 8. Cap. 11. Innoc. III. *ann.* 1210.

VIII. Si quis fecerit promiſſiones de non vacantibus Beneficiis Eccleſiarum, in quibus jus obtinet Patronatùs, & donationes eorum in manibus poſuerit alienis, *id eſt*, alteri dederit poteſtatem præſentandi ad Beneficium quod non vacat: Id irritum decerni debet, & inhibitum eſt ne ſimilia attententur. *De Conceſſ. Præb.* Cap. *Cùm dilecta.* Lib. III. Decr. *Tit.* 8. Cap. 16.

Habens poteſtatem conferendi Beneficium non poteſt alteri tradere poteſtatem conferendi primum Beneficium quod vacabit. Vid. Gonzal. *hoc loco.*

Directa vel indirecta promiſſio facta à Patrono de Beneficio vacaturo non tenet. *Gloſſa. init.*

Patronus non poteſt promittere ſe præſentaturum aliquem ad Beneficium vacaturum, nec dare poteſtatem præſentandi antequam Beneficium vacet. *Summa.*

Textus collecti damnare videntur uſum Gratiarum Expectativarum vigentium etiam nunc in Gallia, aliiſque in Regionibus; cùm per iſtas nedum promittatur 10. vacaturum, ſed etiàm detur jus petendi illud cum ſpe certâ obtinendi: ſed non illas condemnant, cùm præcipui illorum Textuum loquantur de promiſſione Beneficii determinati, & hodiernæ Expectativæ non cadunt ſuprà determinatum Beneficium, ideòque non præbent anſam captandæ mortis alienæ.

§. II.

Unum Beneficium dividi, ſeu pluribus concedi, vel illius reditus reſervari aut imminui, omninò non poſſe.

I. Ut Eccleſiaſtica Beneficia ſine diminutione conferantur. *Titulus* 12. Lib. III. Decr.

II. Liberè & abſque diminutione aliquâ, collatâ ſibi Dignitate atque Beneficio quiſque perfruatur. Caus. I. Quæst. III. *Cap.* 15. *Si quis Præbendas. fin.*

III. Majoribus Eccleſiæ Beneficiis in ſuâ integritate manentibus, indecorum nimis videtur, ut Minorum Clericorum Præbendæ patiantur ſectionem. Idcircò, ut ſicut in magnis, ita quoque in minimis membris ſuis firmatam Eccleſia habeat unitatem, diviſionem Præbendarum fieri prohibitum eſt. *De Præb.* Cap. *Majorib.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 8. *Ex Conc.* Turonensi. *ann.* 1163. *Cap.* 1. Tom. X. Conc. *p.* 1418.

Duo ad unam Præbendam eligi non poſſunt, ut unus unam medietatem habeat, & alter alteram. *Gloſſa*, verbo, *Diviſionem.*

IV. Si duo unam Præbendam tenerent, illud eſſet contra *Conc.* Turonense quod Præbendarum inhibet ſectionem; ideòque ſi ad unam Præbendam duo Clerici eligantur, talis Electio de rigore Juris penitùs eſt caſſanda. *De Præb.* Cap. *Tua.* Lib. III. Decr. *T.* 5. Cap. 20.

V. Præbenda dividi non debet, ut ſub nomine unius Præbendæ cenſeatur uterque quaſi dimidius Canonicus, quia unitas non recipit diviſionem. *Gloſſa*, verbo, *Sectionem med.*

VI. In Præbendâ idem jus eſſe non poteſt apud plures. *Ibid. Gloſſa.* Turonensis Statuta *Concilii* ſectionem inhibent Præbendarum. *De Præb.* Cap. *Vacante.* §. 1. *init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 16.

VII. Ad unicum jus ſpirituale quod vacat, inſimul duos Canonicos inſtituere non licet; nam ſi duo unicam Præbendam haberent, id eſſet contra Turonense *Conc.* quod Præbendarum inhibet ſectionem. *De Præb.* Cap. *Dilecto.* §. 3, *init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 25.

VIII. In Eccleſia, quæ determinatum habet numerum Præbendarum, una individuo jure vacante, duo ſimul eligi non poſſunt ad illud; eo quod hujuſmodi ſpirituale jus dividi, ſeu communicari nequeat inter eos; quanquam interdum hi, ad quos ſpectat Electio, de communi aſſenſu augmentare valeant numerum Præbendarum, quoddam jus ſpirituale de novo creando. *De Præb.* Cap. *Dilecta.* §. 4. *med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 25.

IX. Ad reſtitutionem eorum, quæ ratione prædictæ inſtitutionis teneret, ſententialiter eſſet condemnandus. *Ibid. De Præb.* Cap. *Dilecto.* §. ult. Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 25.

X. Non licet ex pactione vel conventione quacumque, ſub modo vel tenore quocumque, concedere nudum Officium, & ſibi retinere proventus. *Ibid.* §. 4. *med.*

XI. Prohibitum eſt, ne ab Abbatibus, Epiſcopis, vel aliis Prælatis, novi cenſus imponantur Eccleſiis, nec veteres augeantur, nec partem redituum ſuis uſibus appropriare præſumant. *De Cenſib.* Cap. *Prohibemus. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 39. Cap. 7. *Ex* Lateran. *Concilio ſub* Alexandro III. *anno* 1179. Si quis aliter fecerit, irritum quod egerit habeatur. *Ibid. fin.*

XII. In Lateran. *Conc.* prohibitum eſt, ne quis conferendo Eccleſiaſticum Beneficium, partem proventuum ſuis uſibus retinere præſumat. *Ut Eccleſiaſtica, &c.* Cap. *Ut noſtrum.* §. 4. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 12. Cap. un.

XIII. Alibi cautum reperitur in Canone, quod Eccleſiaſtica Beneficia ſine diminutione debent conferri. *Ibid. Ut Eccleſiaſtica Beneficia* Cap. *Ut noſtrum.* Lib. III. Decr. *Tit.* 12. Cap. un. §. 1. *fin.*

XIV. Illud penitùs interdictum eſt, ne quis de proventibus Eccleſiæ, quæ curam habere debet proprii Sacerdotis, penſionem alii, quaſi pro Beneficio, conferre præſumat. *De Præb* Cap. *Extirpandæ.* §. ult. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 30.

XV. Sicut in unaquaque Eccleſiâ unus Presbyter debet eſſe, ita ipſa, quæ ſponſa, vel uxor ejus dicitur, non poteſt dividi inter plures Presbyteros; ſed unum tantummodò habebit Sacerdotem, qui eam caſtè & ſincerè regat. Unde interdictum eſt, ut nullus præſumat Eccleſiam inter duos vel plures dividere; quia Eccleſia Christi uxor & ſponſa debet eſſe, non ſcortum. Caus. XXI. Quæst. II. *Cap.* 4. *Sicut. In* Rhemansi *Conc. fortè anno* 813.

XVI. In apibus Princeps unus eſt, ſinguli Eccleſiarum Epiſcopi, ſinguli Archipresbyteri, ſinguli Archi-

Archidiaconi, & omnis Ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus nititur. CAUS. VII. QUÆST. I. *Cap.* 41. *In apibus.* S. HYERON. *Epistolâ* 4. anno 400.

XVII. Si ad unum Canonicatum, & ad Præbendam duo sint recepti simpliciter, receptio non tenet, etiam interveniente auctoritate Apostolicâ. *Summa.*

Diœcesani nullo modo permittant, quod Prælati, Prioratus, Administrationes, aut Beneficia hujusmodi applicent mensis suis, pensionesve novas eis imponant, aut veteres augeant; sive quòd ipsis de novo fuerint impositæ, sive auctæ solvantur. *Clementinâ unicâ. De Suppl. Negl. Pral. §.* 1. *init.* LIB. I. CLEMENT. *Tit.* 5. Cap. unico.

Ex Textibus collectis infertur 1º. Præbendas sumptas pro Canonicatu dividi posse ad tempus, ita ut fiant duo Canonici usque ad præfinitum tempus; Idque si sine justa causa fiat, rem esse à mente Ecclesiæ prorsùs alienam, cùm illa voluerit ut Canonicatûs Possessori sufficientem] ad honestam sustentationem redituum præberet; ea autem divisione, neuter Canonicus necessario gaudet proventu ad vivendum pro statûs sui decentiâ: Idem vel simile incommodum, si pars resecta Præbendæ alteri vel Canonico non concedatur, recurrit; cùm hæc resectio ex necessario facta supponatur, proindèque possessorem Cannnicatûs ad indigentiam redigat.

2º. Si Præbendæ ditiores, pinguioresque sunt, illas dividi posse in plures, ut cultus Divinus augeatur, multiplicato Canonicorum numero cum Præbendarum numero: Hanc autem divisionem fieri posse ad creandum novum genus Canonicorum, qui *Semi-Præbendati* vocari solent; quia cùm alii integram Præbendam habeant, isti dimidiam tantùm unius habent. His accensendi sunt Portionarii, de quibus *Concilium* TRID. *Cap.* 2. SESS. XXIV. *De Reformat.*

3º. Abusum his Textibus damnatum è diametro opponi abusui pluralitatis Beneficiorum, de quo suprà; cùm prior Sacros Ministros indigentiæ exponat; posterior nimiæ abundantiæ, æquè periculosæ ac indigentia: illo, uni Ecclesiæ plures viri; isto, uni viro plures uxores dantur.

TITULUS III.

De Collatoribus Ordinariis.

§. I.

Quot modis conferri possint Beneficia Ecclesiastica?

I. POtest quis Beneficia de facto vel de Jure conferre. *Ne Sede Vacante.* Cap. *Illa. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 9. Cap. 2. Confert quis de facto tantùm, quando Beneficium vacat tantùm de facto, ob invalidam vel cessionem vel depositionem, vel sine legitimâ potestate, vel non servatâ formâ.

II. Jure ordinariæ potestatis Beneficiorum Electio, Provisio, seu Collatio, ad aliquem pertinere potest. *In 6. De Præb.* Cap. *Licet.* §. 1. LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 2. Ordinaria potestas est quæ emanat è Beneficio, vel Officio, ad unum saltem negotiorum genus sese extendente.

III. Ii ad quos Beneficiorum spectat collatio, ea conferre valent, vel per seipsos, vel per suos Vicarios Generales, quibus id Canonicè est commissum. *In 6. De Præb.* Cap. *Statutum. fin.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 3.

IV. Vicarius literas super aliquorum Beneficiorum provisione generales, vel etiam speciales, recipere potest. *In 6. De Præb.* Cap. *Licet. §.* 1. *med.* LIB. III. *Tit.* 4 Cap. 2.

V. Alicui in genere potestas dari potest, Beneficia Clericorum cedentium, vel decedentium, personis idoneis conferendi. *In 6. De Præb.* Cap. *Quamvis. init.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 58.

Instituere ad Beneficia, est necessitatis; quare cùm omnia, quæ sunt Jurisdictionis, competant Vicario Generali, potest instituere absque speciali commissione.

§. II.

Qui sint Collatores Ordinarii, vel esse possint?

I. Ab Ordinario Beneficium confertur. *In 6. De Præb.* Cap. *Si à Sede. init.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 31.

II. Ordinarios intelligunus Episcopos, in quorum Civitatibus vel Diœcesibus consistunt Beneficia. *Extravagant. Communi. Execrabilis. De Præbendis. §.* 7. *Cæterum.* LIB. III. EXTRAVAGANTIUM COMMUNIUM *Tit.* 2. Cap. 4.

III. Aliquando ad Episcopum spectat conferre Præbendas Ecclesiasticas, seu qualibet Officia. *De Concess. Præb.* Cap. *Nulla. §.* 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 2.

IV. Aliquando ad Capitulum pertinet illa conferre. *Ibid.*

V. Aliquando ad Capitulum & Episcopum simul Donatio Præbendarum Ecclesiæ pertinet. *Ibid. De Concess. Præb.* Cap. *Postulastis. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 15.

VI. Beneficium ad Collationem Capituli pertinere potest communiter, vel divisim. *In 6. De Præbendis.* Cap. *Mandatum*, seu finali. §. 1. *fin.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 41.

VII. Sive Beneficia ejusdem Capituli dari possunt in communi per ipsum, sive per Canonicos ejusdem Ecclesiæ singulares, vice ac autoritate Capituli, aut ex jure ipsius, de Consuetudine vel Statuto. *Ibid. In 6. De Præb.* Cap. *Mandatum.* finali. *init.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 41.

VIII. Beneficia ratione Dignitatum, Personatuum, vel Officiorum, nonnulli ex Canonicis obtinere possunt in Ecclesia, ad eorumdem Collationem spectantia. *Ibid.* Quæ tamen, ut suprà notatum est, simul cum iisdem possidere non valent.

IX. Ratione Præbendarum suarum, ad ipsos Canonicos Collatio dictorum Beneficiorum singulariter pertinere potest. *Ibid.* §. 1. *init. In 6.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 41.

X. Cùm regulariter donare non valeat, is cui bonorum administratio etiam libera est concessa; Officialis, aut Vicarius Generalis Episcopi, Beneficia conferre non possunt; nisi Beneficiorum Collatio ipsis specialiter sit commissa. *In 6. De Officio Vicarii.* Cap. finali. LIB. I. *Tit.* 13. Cap. 3. *Vid.* GONZALEZ *in* Cap. 2. *Ne Sede Vacante*, ubi fusè exponit, cur Capitulum non fungatur vice Episcopi, Sedevacante, in Beneficiis conferendis, etsi succedat ejus Jurisdictioni.

XI. Officiales dicuntur, quibus Episcopi committunt vices suas. *Glossa hoc verbo.* Possunt instituere vice Episcoporum. *Glos. Ibid.* verbò, *Episcoporum.* De Jure possunt consentire, ut Clerici Ecclesiastica Beneficia recipiant. *De Institutionib.* Cap. *Ex frequentibus, post init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 7. Cap. 3.

XII. Postquàm aliquis fuit Abbas effectus, ratione Abbatiæ ad ipsum pertinet Donatio, tàm custodiæ, quàm aliarum Dignitatum. *De Institutionib.* Cap. finali. *Cùm ad nostram.* LIB. III. DECR. *Tit.* 7. Cap. 7.

XIII. Rex Præbendarum Ecclesiæ Collationem habere potest. *De Præbendis.* Cap. *Dilectus. med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 34. *Juncta Glossa.* GONZAL. *Loco cit.* refert alium Textum, de eodem jure loquentem.

XIV. Sunt Beneficia, quorum jus Patronatûs, Præsentatio, Collatio, Institutio, vel Provisio, ad Regem, jure Regaliæ, vel aliàs, aut alium quemcumque, vel alios, Jure Laico spectat & pertinet. PRAGMATICA SANCTIO. *De Armatis. Tit.* 9. § 3. *Item quod.*

XV. Offi-

XV. Officiales ſeu Vicarii ſine ſpeciali commiſſione non poſſunt conſerre Beneficia, quia gratuitæ donationis eſt tàm erga eum, cui hæc poteſtas committitur, quàm erga eum, cui Beneficium confertur, in caſu quo ſibi non debetur.

Poſſunt inſtituere, quia neceſſitatis, cùm Beneficium debeatur præſentato, ſi idoneus ſit.

XVI. Aliquando Ordinatio Canonicorum, ſeu perſonarum, libera eſt, ut videlicet idonea & honeſta perſona, cui Epiſcopus vacantem in Eccleſia Præbendam vel Dignitatem duxerit conſerendam, præſentetur Decano vel Capitulo. *De Conceſſ. Præb.* Cap. *Poſt Electionem. poſt init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 8. Cap. 7.

XVII. Jure Communi collatio Perſonatuum & Præbendarum Epiſcopo reſervatur. *Ibid. De Conceſſ. Præb.* Cap. *Poſt Electionem. in integra. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 8. Cap. 7.

XVIII. Inſtitutio perſonatum ad Epiſcopum in Diœceſi ſua ſpectat, de Jure Communi. *De Inſtitutionib.* Cap. *Cùm veniſſent. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 7. Cap 6.

XIX. Ad Epiſcopum in Eccleſiá Cathedrali, & aliis ſuis Eccleſiis, collatio pertinet Præbendarum. *De Conceſſ. Præb.* Cap. *Quia diverſitatem.* §. 2. Lib. III. Decr. *Tit.* 8. Cap. 5.

Inſtituere ad Beneficia eſt neceſſitatis; quare cùm omnia quæ ſunt Juriſdictionis neceſſariæ, pertineant ad Capitulum Sede vacante, illius eſt hoc caſu præſentatorum inſtitutio.

§. III.

Ad quem pertineat Beneficiorum Collatio, cùm pendet à pluribus, ſi contingat aliquem ex illis deficere?

I. Si ad Epiſcopum & Capitulum communiter pertineat Collatio Præbendarum, mortuo Epiſcopo, vel à Beneficiorum Collatione ſuſpenſo, poterit Capitulum vacantes conſerre Præbendas; etiamſi Epiſcopus intereſſe habeat in Collatione hujuſmodi, ut Prælatus. *In* 6°. *Ne Sede vacante.* Cap. *Si ad. init.* Lib. III. *Tit.* 8. Cap. unico.

II. Idem poterit Epiſcopus, ſi Capitulum ab ipſâ Collatione ſuſpendi contingat, vel ſingulariter omnes in Capitulo Majoris Excommunicationis vinculo innodari. *Ibid.*

III. Cùm ad ſolum Epiſcopum Præbendarum ſpectat Collatio, cum conſilio ſui Capituli vel aſſenſu; defuncto Epiſcopo, vel ſuſpenſo (niſi Epiſcopus in petenda relaxatione Suſpenſionis hujuſmodi ſit in morâ) Capitulum ſe non poteſt intromittere de eiſdem. *Ibid. In* 6°. *Ne Sede vacante.* Cap. *Si ad.* §. 1. Lib. III. *Tit.* 8. Cap. Unic. Mora ſua cuique eſt nociva; ideòque in pœnam illius jus conſilii vertitur in jus Collationis: ſed quanta debeat eſſe mora determinandum eſſet, ut ſciri poſſet quo tempore incipiat hæc pœna habere locum.

IV. Ubi de ſpeciali alicujus Eccleſiæ conſuetudine, vel Statuto, Beneficiorum Collatio ad aliquem cum conſilio Epiſcopi noſcitur pertinere; ſublato Epiſcopo de medio, (cùm conſilium nequeat tunc peti ab eo) non erit propter hoc vacantis Beneficii Collatio diſferenda. *Ibid.* §. 2.

Nec, etiamſi egerit in remotis, ità quod non poſſit ipſius præſentia in brevi haberi; quia in petendo vel expectando ejus conſilio, poſſet vacanti Beneficio periculum imminere. *Ibid. fin.* §. 2. Quod multiplex eſſe poteſt, nempè devolutionis, præventionis, animarum, vel Cultùs Divini diminutionis notabilis.

§. IV.

Collationem Beneficiorum computari inter fructus, ſeu reditus cujuſque Beneficii, & ad Juriſdictionem voluntariam, ſeu gratioſam pertinere; inſtitutionem verò ad neceſſariam.

I. Cùm regulariter donare non valeat is, cui bonorum adminiſtratio, etiam libera eſt, conceſſa; Beneficiorum Collatio nemini competit, niſi ſpecialiter ſit ipſi commiſſa. *In* 6°. *De Officio Vicarii.* Cap. *Finali.* Lib. I. *Tit.* 13. *Cap.* 3. Hoc non impedit, quominùs Collatio ſit fructus; ſed cùm ſit maximi pretii, ideò in commiſſione generali non cenſetur comprehenſus; in illá enim non veniunt quæ quis non eſſet in ſpecie veriſimiliter conceſſurus. Sunt autem plurimi Textus, qui docent Collationem computari inter fructus; nempè *Cap.* 7. & 19. *De Jure Patron.* Cap. 3. *De Cauſa poſſeſſ.* Cap. 18. *De Sent. & re.* Cap. 13. *De Elect. In* 6°. Pinson. in Tractatu ſingul. *De Regalib.* alios laudat *Cap.* 4. ubi hanc rem datâ operâ examinat.

II. Collatio Beneficiorum inter bona Epiſcopalia & fructus computatur. *Gloſſa ad* Cap. *Cùm olim.* De *Majoritate & Obed.* verbo, *Capitulo. poſt med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 33. Cap. 14.

In fructu honorifico Loubtius ad Regulas *Molinæ. n.* 248. *p.* 216. Tom. VI. Conferre Beneficia computatur inter fructus. *Gloſſa* Pragmaticæ Sanct. *Tit. De Collationibus.* §. *Cui rei.* verbo, *Juriſdictio.* Pragmatica Sanct. Francisci Pinsonii *p* 199.

Confirmare, inveſtire, Beneficia conſerre, & conſimilia, conſiſtunt in Juriſdictione. *Gloſſa ad* Cap. *Tranſmiſſam. De Elect.* verbo, *De talib. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 15.

III. Si Epiſcopus agens in partibus remotis, Beneficium alicui propriâ liberalitate concedat, inſtitutio facta per eum ſortitur effectum. *De Conceſſione Præbendæ.* Cap. *Poſt Electionem, in integrá.* Lib. III. Decr. *Tit.* 8. Cap. 7.

IV. Epiſcopus extrà Diœceſim poteſt conſerre Beneficia. *Gloſſa ad* Caput *Novit. De Officio Legati,* verbo, *Terminos. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 30. Cap. 7.

V. Ordinem Juris pervertit, qui non in Eccleſia, ſicut eſt Canonicum & honeſtum, non etiam in Palatio, non in Camerâ ſuá, ſed in loco remoto, contrà debitum Juris, & Officii ſui dignitatem, electiones confirmat. *De Appellationib us.* Cap. *Quâ fronte. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 25. Vide *Gloſſam ad* Cap. *Statutum. De Præb. In* 6°. verbo, *In remotis.* Lib. III. *Tit.* 4. Cap. 4.

VI. Ad jus Epiſcopale pertinet inſtitutio. *De Officio Jud. Ordin.* Cap. *Conquerente.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 31. Cap. 16.

Ordinariorum Collatio, ut naturalis & favorabilis, amplianda. *Gloſſa ad* Cap. 2. *De Officio Ordin.* Clementina II. verbo, *Nolumus. fin.* Lib. I. Clementinarum *Tit.* 9. Cap. 2.

VII. Etſi ab Apoſtolicæ Sedis Legato, de Beneficio facta Collatio Beneficium aliud obtinenti non valeat, niſi de illo quod obtinet facta fuerit mentio ſpecialis: In aliis tamen quibuslibet Collationem Beneficiorum habentibus, hoc non obſervatur. Clementina II. *De Officio Ordin.* Lib. I. Clementinarum. *Tit.* 9. Cap. 2.

Hujus rei ratio eſt, quod Legatos, etſi Ordinarius in delegata Provincia, confert tamen ut Papa ad petitionem Collatarii; is autem, qui eo modo Beneficia obtinet, teneatur exprimere in ſupplicatione illa quæ jam habet.

Circa explicationem eorum, quæ cuique Juriſdictioni propria ſunt; vide *Tract. De Juriſdictione, inſertum in Prima Parte* Tom. II.

§. V.

Reges Franciæ, vacantibus Regni ſui Cathedralibus Eccleſiis, jus habere conferendi Beneficia, quæ in ipſis vacant; exceptis iis, quæ curam habent animarum.

I. Illuſtris Rex Francorum, Eccleſiâ Laudunensi vacante, Præbendas ejuſdem Eccleſiæ, ut vacantes, ſecundùm antiquam & approbatam Conſuetudinem Regni ſui, concedit. *Epiſtola* Innocentii III. *Ad* Philippum Augustum. *ann.* 1210. 15. *Kal. Septemb. Probationum Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ.* Cap. 16. *n.* 5. *p.* 365.

De Jure Principum in custodiendis Ecclesiis, vide GONZALEM *ad* Cap. 4. *De Officio Ordin. & ad* Cap. 23. *De Jure Patron.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38.

II. Rex Francorum Illustris vacantes confert in Ecclesiâ Rhemensi Præbendas, à tempore quo eamdem Ecclesiam Pastoris Regimine contingit destitui, donec substitutus illi Archiepiscopus Regalia recipiat ab ipso Rege. *Epistolâ Sancto* LUDOVICO CLEMENTIS IV. *circ. annum* 1267. *Eodem Probationum Libro.* Cap, 56. *n.* 16. *p.* 368. *Idib. Septembris.*

III. Romanus Pontifex usui, quo in Ecclesiis Regni sui, circa Collationem Præbendarum vacantium, Sede vacante, utitur, præjudicare non vult, nec etiam intendit. *Ibid. p.* 359.

IV. Claræ memoriæ LUDOVICUS Rex Francorum, intellecto quod qui tunc erat Archidiaconus SENONENSIS in Archiepiscopum SENONENSEM electus fuerat, consecrationis munus apud Sedem Apostolicam consecutus; & quod per hoc Archidiaconatus vacaverat SENONENSIS; Archidiaconatum ipsum, alii nec debitum nec collocatum, Archidiacono MELODUNENSI duxit, prout ad ipsum spectabat, ratione Regalium, quæ habebat ibidem, liberalitate Regiâ conferendum. *Bullâ* GREGORII X. *anno* 1271. 5°. *Idus Julii.*

Romanus Pontifex excellentiam Regiam rogat & hortatur attentè, quatenus electo & confirmato in Pontificem Ecclesiæ NOVIOMENSIS, Regalia sine qualibet difficultate concedat. *Bullâ* GREGORII X. *anni* 1271. 10. *Kal. Janu.*

Electus in Archiepiscopum ROTHOMAGENSEM Regi Francorum Illustri, ratione temporalitatis ROTHOMAGENSIS Ecclesiæ, homagium & fidelitatis debitæ juramentum præstare tenetur. *Bullâ* GREGORII XI. *anni* 1375. 10. *Kal. Sept. Probationum* LIBERTATUM Cap. 16. *n.* 34. *p.* 386.

Apud CHOPINUM LIB. I. *De Sacrâ Politiâ. Tit.* 7. *num.* 14.

Rex Francorum Illustris Regaliam, ratione vacationis ROTHOMAGENSIS Ecclesiæ, ibidem habere dicitur, ac omnia & singula jura, ei, ratione ejusmodi Regaliæ, in quibuscumque consistant, competunt. *Ibid. Tempore* CAROLI V. *dicti Sapientis.*

Si Rex intendens aliquem electum favoribus prosequi gratiosis, Regaliam ac omnia Jura, ei ratione Regaliæ ejusmodi competentia, remittere, & ipsum ad præstandum homagium, & fidelitatis juramentum, per Procuratorem de speciali gratiâ admittere, aut saltem pro his, in propriâ personâ præstandis, longam & sufficientem dilationem concedere velit; cavendum maximè, quod per hujusmodi remissionem Regaliæ, si eam dictus Rex hac vice tali electo fecerit; vel etiam per receptionem præmissorum homagii & fidelitatis juramenti, ad hoc per Procuratorem admiserit, vel dilationem, ut præmittitur, dederit: eidem Regaliæ & ejus juribus, Regi, & ejus Successoribus seu etiam Coronæ Regiæ, nullum imposterum præjudicium generetur, nec ad consequentiam trahi valeant in futurum. *Bullâ* GREG. XI. *anni* 1375. 5°. *Kal. Sept. Probationum* LIBERTATUM *Cap.* 16. *num.* 34. *p.* 386.

Rufæus refert Pontificias tabulas CLEMENTIS IV. *Juris Regaliorum Judices.* 1. *parte Præfat. Regaliorum.* CHOPINUS LIB. I. *De Sacrâ politiâ. Tit.* 7, *num.* 14. *fin.*

Huc pertinet *Cap.* 13. *De Elect. In* 6. ubi *Conc.* LUGDUN. II. *sub* GREG. X. approbat Regaliam antiquâ consuetudine introductam, ac stabilitur. Textus hic fusè explicatur à PINSONIO in suo Tractatu *De Regalibus* variis in locis, sed præcipuè *Cap.* 1. Sed cùm ex adductis testimoniis pateat, hoc jus pro legitimo agnitum fuisse ab INNOCENTIO III. CLEM. IV. GREG. X. atque ea *cit. Cap.* 13. palam idem fiat; hinc transeundum ad ea quæ praxim proximè spectant, proindèque hic exscribendum Edictum 1682, usum Regaliæ præfigens: Itaque ecce dispositio illius Latinè reddita;

„ Volumus, nobisque placet ut nullus possit provideri
„ in Ecclesiis omnibus Cathedralibus & Collegiatis nos-
„ tri Regni, à Nobis & Nostris Successoribus, de De-
„ canatibus, & aliis Beneficiis, quibus animarum cu-
„ ra mandata est, quæ poterunt vacare in Regalia, ne-
„ que de Archidiaconatibus, Theologalibus Pœniten-
„ tiariis, & aliis Beneficiis, quorum Titulari Jus ha-
„ bent privatim, & in suo nomine exercendi aliquam
„ jurisdictionem, & functionem spiritualem & Ecclesiasti-
„ cam, nisi attigerit ætatem, gradus, & alias facultates
„ præscriptas à Sanctis Canonibus, & à nostris Ordina-
„ tionibus. Volumus ut illi, qui à nobis providebuntur
„ istis Beneficiis, offerant se Vicariis Generalibus à Ca-
„ pitulis constitutis, si Ecclesiæ adhuc vacent, & Præ-
„ latis, si qui sint jam provisi; ut obtineant eorum ap-
„ probationem & Missionem Canonicam, antequàm
„ ullam possint functionem facere. Statuimus quod in
„ casu recusationis, iidem Vicarii Generales, aut Præla-
„ ti, explicent hujus causas scripto, ut à nobis provi-
„ deatur aliis personis, si aptum judicaverimus; aut
„ ut provideant se illi qui sic fuerint recusati antè Su-
„ periores Ecclesiasticos, & per alias Juris vias, in Nos-
„ tro Regno observatas. Non intelligimus conferre
„ propter nostrum dictum Jus Regium, ulla Beneficia
„ quæ possunt ei esse obnoxia suâ naturâ, quàm illa
„ quæ Archiepiscopi & Episcopi sunt in bonâ & legi-
„ timâ possessione conferendi. Volumus ob hanc cau-
„ sam, ut in Ecclesiis Cathedralibus & Collegialibus,
„ in quibus Capitula possunt conferre omnes Dignita-
„ tes & Præbendas, pergant eas conferre Sedibus va-
„ cantibus, ut in illis in quibus sunt Præbendæ affecta-
„ tæ collationi Episcopi, & aliæ Canonicorum colla-
„ tioni: In illis in quibus Episcopus, aut Canonici eas
„ conferunt, vice hebdomadæ, mensis, aut alterius
„ temporis: In illis in quibus via seu turnus dirigitur
„ per vacantias: In illis in quibus Præbendæ ex unâ par-
„ te Chori affectantur collationi Episcopi, & aliæ ex
„ altera parte collationi Canonicorum, vices & affec-
„ tatio serventur & contineantur per aperturam Re-
„ gii Juris, quemadmodum sunt, dum Sedes reple-
„ tur: & hoc ita facto nulla sint. Alia Beneficia reserva-
„ ta collationi Episcopi, quæ vacabunt in sua vice, aut
„ ex parte qua collatio Præbendarum illi affectatâ est,
„ & quoad Ecclesias in quibus collatio Præbendarum
„ pertinet ad Episcopum & ad Capitulum conjunctim,
„ aut in quibus Episcopus jus habet ingressûs & vocis
„ in Capitulo, ut præsentet tanquam Canonicus, &
„ conferat deindè tanquàm Episcopus in præsentatio-
„ ne Capituli, à nobis deputabitur Commissarius qui
„ aderit Nostro Nomine Capituli Conventui, ut con-
„ ferat cum Capitulo Præbendas, si provisio illarum
„ pertineat ad Episcopum & ad Capitulum sine discri-
„ mine; aut ut præsentet eum Capitulo, si Episcopus
„ tanquam Canonicus vocem in eodem habeat ut fa-
„ ciat præsentationem; & in hoc casu præsentatio Ca-
„ pituli ad Nos mittetur, ut provisio expediatur Nos-
„ tro Nomine in eâdem forma, quâ per Episcopum so-
„ lum; cùm nostra intentio non sit exercendi, vacanti-
„ bus Ecclesiis Metropolitanis & Cathedralibus Nos-
„ tri Regni, jura Prælatorum earumdem, nisi quemad-
„ modùm & juxtà eandem formam qua solent illis uti
„ quoad sua Capitula; sine præjudicio insuper Nostri
„ Juris Regii, quo uti volumus eodem modo quo Re-
„ ges Nostri Prædecessores & hactenùs fecimus,„

Hoc Edictum conditum est de expresso consensu Cleri Gallicani scripto præstito, ut patet ex formula illius consensûs illud subsequenti; fuit autem is necessarius propter extensionem Regaliæ ad omnes Regni Ecclesias Cathedrales, etiam illas in quibus usus illius per plura sæcula non viguerat, quæque ideò ab illâ immunes esse prætendebantur: Porrò huic extensioni consensit Clerus, duplici de causâ. 1°. Ob zelum Regium in extirpendâ hæresi, fideque protegendâ. 2°. Ob reformationem nonnullorum abusuum maximi momenti in exercitio juris Regaliæ, in eo sitorum quod Beneficia quibus animarum cura incumbit, à Rege conferrentur pleno

pleno jure, absque olla missione Canonica ab Episcopis acceptâ, quæ à solis Episcopis dari potest, quodque in provisis non exigebantur animi dotes ad hanc missionem recipiendam necessariæ, nempè ætas & gradus. Abusus quoque erat non minimus, qnod etsi ratione Regaliæ, Rex aliud jus nou haberet in Beneficiis, qnàm jus Episcopi, nihilominus jus Capituli quandoqne sibi vindicatet.

Cætera quæ ad eumdem Regaliæ usum pertinent, habes in *Institutionibus Ecclesiasticis & Beneficiariis juxtà principia Juris Communis & usus Gallicanos. part. 2. n. 107.*

§. VI.

Beneficia quæ non vacant, etiam de facto, ritè conferri non posse.

I. Nulla Ecclesiastica Ministeria, seu etiam Beneficia, vel Ecclesiæ, tribuantur alicui, antequàm vacent. *De Concess. Præb.* Cap. *Nulla. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 8. Cap. 2.

II. Archidiaconatus non vacans non potest, nec debet in alium ritè transferri. *De Concess. Præb.* Cap. *Post Electionem.* §. 4. *seu ultim.* Lib. III. Decr. *Tit.* 8. Cap. 7.

III. Si quis Ecclesiam non vacantem concedit, illa concessio de Jure nullius potest esse momenti; qnia de re non vacante facta est. *De Jure Patronatus.* Cap. *Illud.* Lib. III. Decr. *Tit* 38. Cap. 8.

IV. Donationes vel Concessiones Ecclesiarum, si quæ fiant ptivatis personis, viventibus illis qui ipsas Ecclesias possident, nullius esse debent momenti. *De Donationib.* Cap. *Consultationibus.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 24. *Cap.* 4.

V. Qui in vivorum Sacetdotum loco ponuntur, hoc ipso sunt ab Ecclesiastica Communione pellendi, quo se passi sunt Successores vivis Sacerdotibus adhiberi. *De Concess. Præb.* Cap. *Qui in vivorum.* Lib. III. Decr. *Tit.* 8. Cap. 1.

VI. Viventis non licet locum usurpare. Caus. VII. Quæst. I. *Cap* 10. *Nos furem med.*

VII. Eum qui, contrà justitiæ regulam, in Archidiaconatum alterius se provehi consensit, ab ejusdem Archidiaconatûs honore depooimus. Qui, si alterius in loco eodem ministrare præsumpserit, se participatione Communionis Sacræ noverit esse privatum. Caus. VII. Quæst. I. Cap. 40. *Eum qui.*

VIII. Si quis supplicaverit sibi de Beneficio quocumque, tanquàm per obitum alicujus, licèt tunc viventis, vacante provideri, & postea per obitum ejus vacet; provisio & quævis dispositio, dicto supplicanri, per obitum hujusmodi, denuò facienda, nullius sit roboris, vel momenti. *Reg.* 21. *Cancellariæ approbata. ann.* 1623. *per* Urbanum VIII. Bullarii Tomo IV. *p.* 28.

IX. Etsi Præposituram de jure vaçantem alicui conferri contingat, quod factum fuit cùm Præpositura illa non vacat de facto, haberi debet irritum & inane. *De Concess. Præb.* Cap. *Cum nostris.* §. 2. Lib. III. Decr. *Tit.* 8. Cap. 6.

§ VII.

Collatione semel factâ Beneficii, nisi illa planè irritetur, novam ejusdem concessionem fieri non posse.

I. Pnst Electionem nondum cassatam, Electio est irritanda. *De Elect.* Cap. *Auditis. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 29.

II. Electio post aliam qualemcumqne Electionem non cassatam facta, omninò cassari debet. *De Elect.* Cap. *Consideravimus.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. *Cap.* 10. Non debet fieri secunda Electio, primâ non cassatâ.

III. Electio antiqua post Electionem alterius non cassatam, licèt de viro multæ literaturæ, honestæ vitæ, ac claræ famæ, præsumpta, est irritanda. *De Elect.* Cap. *Bonæ memoriæ.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 36.

IV. Priùs de primæ Electionis meritis debet cognosci, quàm processus fiat ad secundam; nam si aliquis in Electione jus habet, secundam constat penitùs non valere. *De Arbitris.* Cap. *Ex parte. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 43. Cap. 10.

V. Institutione de aliqno factâ, secundùm Juris ordinem minimè reprobatâ, Beneficium non vacans non potest nec debet in alium ritè transferri. *De Concess. Præb.* Cap. *Post Electionem.* §. *ult.* Lib. III. Decr. *Tit.* 8. Cap. 7.

VI. Cum pet depositiones testium constat, qnod concessio Beneficii alicui facta præcesserit; quamquam, propter indignitatem ejusdem, meruerit reprobari; concessio postmodùm alteri facta irrita decerni debet & inanis. *De Excessib. Prælat.* Cap. *Inter dilectos.* §. 4. Lib. V. Decr. *Tit.* 31. Cap. 11.

Primâ Electione non cassatâ, attentari non debet secunda, cùm fiat de re non vacante, & ita nulla. *Glossa.*

VII. Cùm Collatot adeò inconstanter se habuit, ut primâ Beneficii donatione non reprobatâ, secundam facere attentaverit; ad puniendam inconstantiam varietatis ejus, dignum est ut concedendi Beneficium ipsum hac vice nullam habeat facultatem. *Ibid. De Excessib. Prælat.* Cap. *Inter dilectos.* §. *ult.* Lib. V. Decr. *Tit.* 31. Cap. 11.

Inconstantiæ causâ punitur Elector, qui, primâ suâ Electione non cassatâ, secundam attentat. *Glossa.*

Ex Textibus collectis in duobus Paragraphis præcedentibus, patet Collationem secundam ejusdem Beneficii in eadem vacatione, primâ Collatione non reprobatâ, nullam esse, quemadmodum secunda Electio, primâ non cassatâ, in eodem casu nulla est.

Decisionum autem illarum rationem esse qnod primâ electione vel Collatione non cassata, Beneficium non est vacans, sed plenum, & de Beneficio pleno disponi non potest. Sed hi Textus quoad Collationem non vigent; idem enim Beneficium in eadem vacatione pluries confertur eidem, variâ ratione, vel diversis, non cassatâ primâ Collatione; nec unqnam secunda declaratur nulla & irrita, ex eo solo qood facta sit antè primæ cassationem; eo planè modo, quo non irritatur secundum Matrimonium, eâ præcisè ratione quod contractum sit priusqnàm prius declaratum sit irritum: nec valet ratio petita ex eo, quod eo casu conferatur Beneficium plenum facto; cùm in omni Collatione ex devoluto occurrat Collatio Beneficii hoc modo pleni.

Qnod de inconstantia dicit *Glossa relata*, non admittendum, nisi quando mutatio facta est sine justa causa; si enim ea subsit causa, mutatio licita est, ideòqoe pœnæ non subjicitur: *v. grat.* Ponatut quod qui electus fuit sit occultè irregularis; & auditâ sui Electione, id declaret Electoribus, qui statim procedant ad novam Electionem; hoc casu inconstantiæ isti argui nequeunt, cùm justa de causa mutaverint consilium, atque etiam sine præjudicio tertii, cùm Electus nullum jus acquisierit ex Electione de se factâ; proindèque secunda Electio irrita esse non poterit in pœnam Electorum, qui culpâ vacant. Quod dictum de Electione, ad Collationem meritò producendum est.

§. VIII.

Quæ sint in usu de Gratiis Expectativis in gratiam tùm Graduatorum, tùm eorum qui habent Indulta?

I. Si te Præbendam vel Dignitatem, in aliquâ Ecclesiâ proximè vacaturam expectante, aliquis Præbendam seu Dignitatem tenuem obtinens in eadem, fraudulenter ei renunciet; ut illâ primò sic vacante, præcludatur tibi via per consequens ad obtinendum Præbendam vel Dignitatem aliam pinguiorem, quæ per mortem alicujus, vel aliàs, in ipsa Ecclesia creditur verisimiliter in proximo vacatura; per renunciationem hujusmodi (dummodò de præmissâ fraude appareat,) nullum tibi obstaculum interponitur, quominùs (Præbendâ vel Dignitate prædictâ sic fraudulenter renunciatâ omissâ) possis dictam pinguiorem, cùm eam vel aliam, si priùs ipsam vacare contigerit, liberè petere

petere, velut ribi debitam, & habere. *In 6. De Renunciatione.* Cap. *Si te Præbendam.* LIB. I. *Tit. 7.* Cap. 2.

Huic fraudi provisum est *Edicto Insinuationum 1691. Art.* 13.

Si in fraudem expectantis primam vacaturam, cùm in proximo crederetur pinguis vacare, renuntiet aliquis tenuem quam habebat; non tenetur expectans illam recipere; imò, illâ dimissâ, expectabit aliam sine fraude vacantem. *Glossa prima.*

II. Præmissa fraus apparere debet, saltem per aliquas probabiles conjecturas; ut, quia dictæ Renunciationis tempore, is, qui Præbendam vel Dignitatem pinguiorem habebat, infirmitate gravi detinebatur; vel aliquid aliud imminebat, propter quod illius Præbenda seu Dignitas vacare in proximo probabiliter credebatur. *Ibid. In 6. De Renunciat.* Cap. *Si te, med.* LIB. I. *Tit.* 7. Cap. 2.

Fraus probari debet, saltem per probabiles conjecturas; cujus generis, si habens pinguiorem Præbendam, gravi infirmitate detineatur, sit valdè senex, sit Matrimonium contracturus &c. Secundum Exemplum non convenit Graduatis, qui jus non habent, nisi in Beneficia per obitum vacantia.

Si prædicto renuncianti hujusmodi Præbenda vel Dignitas pinguior forsitan conferatur, eo ipso dicta fraus intelligatur esse probata; & idem renuncians, habitâ omninò careat & ambitâ. *Ibid. §. Cæterùm.* Fraus certò probata intelligitur, si renuncianti tenuem pinguior Præbenda conferatur.

III. Licet aliqui Beneficia proximè vacatura expectent: illi tamen, qui, secundùm formam Juris, sua Beneficia permutare volentes, liberè ac sine fraude in manibus Episcopi ipsa resignant: occasione præmissâ, circa faciendam permutationem Beneficiorum hujusmodi, (quæ aliàs minimè resignassent) nullatenùs impediuntur. *In 6. De Rerum Permut.* Cap. un. LIB. III. *Tit.* 10. Cap. unico.

Potest fieri permutatio Beneficiorum non obstantibus gratiis expectativis. *Glossa.*

Æquitas præfertur in hac parte rigori. *Ibid.*

IV. Beneficium quod expectans acceptare potest, petendo sibi conferri, aut recipiendo sibi præsenti collatum; ipsum ex hoc acceptare, & collatio taliter sibi facta valere, censetur. *Clementinâ unicâ. De Concess. Præb. §. 1. fin.* LIB. III. CLEMENT. *Tit.* 3. Cap. unico.

V. Eo ipso Graduatus in vim graduum censetur acceptare Beneficium, quod ipsum petit conferri, vel recipit collatum.

Secundùm hunc ordinem, Præbendas assequi debent tres Graduati; ut cùm ex tenore gratiæ tertio concessæ apparet evidenter Principem voluisse primo tertium, & secundum tertio anteferri; primam secundus, secundam tertius, & tertiam primus debeat obtinere Præbendam; aliàs forma Mandati minimè servaretur. Licet enim ex personâ suâ, secundus primam obtinere non posset; ex personâ tamen tertii, qui primum superat, illam habet. *In 6. De Concess. Præb.* Cap. *Autoritate. §.* 1. LIB. III. *Tit. 7. Cap. 7.* Hic Textus locum non habet in Gallia, quæ rejicit Clausulam *anteferri*, utpotè contrariam Regulæ *de non tollendo jure alteri quæsito.*

VI. Abbatem, qui Mandatum Apostolicum jam recepit, ut uni Clerico, in aliquâ Ecclesiarum sui Monasterii provideret, cogi Juris ratio non permittit, nec super conferendis Ecclesiis, aut Beneficiis aggravari. *De Rescript.* Cap. *Abbatem.* LIB. I. DECR. *Tit.* 3. Cap. 40.

VII. Si in eâdem Ecclesiâ sunt plures Graduati expectantes, & primus habet prærogativam, ille præfertur primo, sed non secundo. *Glossa.*

Si Capitulo alicujus Ecclesiæ, cùm ad ipsum Canonicorum receptio, ac Præbendarum Collatio pertinebat, ut te in Canonicum reciperet, & tibi de Præbendâ (si tunc vacaret) inibi provideret, vel cùm se facultas offerret, directa fuerint Scripta Apostolica: per solam illorum præsentationem Capitulo ipsi factam, absque aliâ executoris insinuatione, inhibitione, seu reservatione, Beneficium, pro quo tibi conferendo scriptum extiterat, adeò est affectum, quod de illo alteri facta Collatio non obtinet firmitatem. *In 6. De Concess. Præb.* Cap. *Si Capitulo. init.* LIB. III. *Tit.* 7. Cap. 5.

CHOPINUS *De Sacra Politia.* LIB. I. *Tit.* 5. *n.* 20. observat non esse merum executorem in Mandatis Apostolicis.

TITULUS IV.

Quomodò jus competat Romano Pontifici conferendi inferiora Beneficia Ecclesiastica in Regno Galliæ.

§. I.

Romanum Pontificem non posse ullas Gratias Expectativas, seu Indulta, aut Mandata Apostolica concedere, de conferendis Beneficiis quæ sunt vacatura.

I. Gratiarum Expectativarum multitudo gravem Ordini & statui Ecclesiastico perturbationem, variasque inordinationes, ac plurima discrimina comperitur injecisse; ex his enim frequentiùs dati sunt in Ecclesiis Ministri non probati, nec cogniti; vacaturorumque Beneficiorum expectatio, sicut antiqua jura testantur, occasionem desiderandæ mortis alienæ præstare solet, quod plurimùm præjudicat animarum saluti: Sed & insuper lites innumeræ, & contentiones inter servos Dei excitantur, rancores & jurgia nutriuntur, pluralitatis Beneficiorum fovetur ambitio, Ordinariis Collatoribus suum Ministerium subtrahitur &c. PRAGM. SANCT. *Tit.* 4. *De Collationibus*, Cap. 1.

II. Statutum est & decretum, ut Pontifex Romanus, qui pro tempore fuerit, eas Gratias-Expectativas, aut Nominationes, nullo modo, nullave ex causâ concedat; cùm ipse præ cæteris, ne sit multorum occasio malorum, abstinere debeat. *Ibid.* PRAGM. SANCTIO. *Tit.* 4. Cap. 1. *§.* 3.

III. Si quæ fiant, nullæ sint ipso facto. *Ibid. §. 4. fin.*

IV. Quia Ecclesiarum & Beneficiorum factæ per Summos Pontifices Reservationes non parùm Ecclesiis onerosæ extiterunt; ipsas omnes, tàm Generales quàm speciales sive Particulares, de quibuscumque Ecclesiis & Beneficiis, quibus tàm per Electionem, quàm per Collationem, aut aliam dispositionem provideri solet, sive per EXTRAVAGANTES *Ad Regimen* & *Execrabilis*, sive per Regulas Cancellariæ, aut alias Apostolicas Constitutiones introductas, Sancta Synodus Basileensis abolevit, statuens, ut de cætero nequaquam fiant. PRAGM. SANCTIO. *Tit.* 3. *De Reservationibus. init.*

V. Reservationes etiam Particulares, quæcumque fuerint, Beneficiorum vacaturorum, tàm per Romanos Pontifices, quàm per Legatos Sedis Apostolicæ, sint nullæ ipso facto. PRAGM. SANCTIO. *Tit.* 4. Cap. 1. *§.* 5.

VI. Ordinatum est quod in Regno Franciæ, Delphinatu, & Comitatu Diensi, ac Valentinensi, non dentur aliquæ Gratiæ Expectativæ, ac particulares vel generales Reservationes, ad vacatura Beneficia, per Romanum Pontificem, & Sedem Apostolicam non fiant. *Concordatorum Tit.* 2. *art.* 8. *juxtà aliam divisionem.*

VII. Si de facto, per importunitatem aut aliàs, à Romano Pontifice, & Successoribus ejus, & Sede prædicta, emanaverint; illas irritas & inanes esse decretum est. *Ibid. Concordat. Tit.* 2. *art.* 8.

VIII. Decretum est, Mandata de providendo, & Gratias quæ *Expectativæ* dicuntur, nemini ampliùs, etiam Collegiis, Universitatibus, Senatibus, & aliis singularibus personis, etiam sub nomine Indulti, aut ad certam summam, vel alio quovis colore, concedi. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. *De Refor.* Cap. 19. *init.*

IX. Nec

IX. Nec Reservationes mentales, nec aliæ quæcumque Gratiæ ad vacatura Beneficia, nec Indulta ad alienas Ecclesias vel Monasteria, alicui etiam ex Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus concedantur. *Ibid. Conc.* TRID. Sess. XXIV. *De Ref.* Cap. 19.

X. Si concessa fuerint, abrogata esse censeantur. *Ibid. fin.*

XI. Intentionis non est Romani Pontificis, investituras de vacaturis Beneficiis factas contra Canonum Instituta ratas habere. *De Concess. Præb.* Cap. *Proposuit.* §. 2. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 4. HADRIANUS Papa IV. videtur primus dedisse occasionem Gratiis Expectativis & Mandatis. *Epistolâ* 13. TOM. X. CONC. *pag* 1154. Vide *Epistolam* 24. *post ann.* 1154. ALEXAND. III. *Epist.* 7. TOM. X. CONC. *p.* 1250.

Vacaturam expectare Præbendam LATERAN. *Conc.* non est dubium obviare. *De Præb.* Cap. *Dilectus.* *post med. in integrâ.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 19.

Relatum Decretum *Concil.* TRID. non obest privilegio Graduatorum, nec Indulto Curiæ PARISIENS. Hinc Concilium loquitur de futuris, & utraque jam antiqua erat. Quod de Reservationibus mentalibus decernit expressè, jam in genere decretum à PRAGMATICA SANCTIONE, & *Concordatis*, cùm omnes reservationes, tàm faciendas quàm factas, vetuissent. Hoc Decretum TRIDENTINUM præcipuum est illorum quæ, licet adversentur Papæ, servata sunt ab illo.

§. II.

Romanum Pontificem etiam Jure quasi ordinario, in nonnullis casibus conferre inferiora Beneficia Ecclesiastica in Galliâ, utpotè qui admittat Resignationes & Permutationes.

I. Ecclesiarum, Personatuum, Dignitatum, aliorumve Beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscitur Pontificem pertinere; ita quod ipsa, cùm vacant, potest de jure conferre. *In 6. De Præb.* Cap. *Licet. init.* LIB. III. *Tit.* 4. *Cap.* 2. Salvo jure Ordinariorum in casibus non receptis.

II. Romanus Pontifex præter, *hoc est*, *citra* Episcopi desidiam & negligentiam, potest Præbendas donare. Dominus Papa potest concedere Præbendas, sive Episcopus fuerit negligens, sive vigilans. *Glossa*, verbo, *Præter ejus.* *Ita* REBUFFUS, *& alii Juris Interpretes.* *De Concess. Præb.* Cap. *Quia diversitatem.* §. 2. *post med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 8. *Cap.* 5. Quod restringendum ad casus præventionis in Regno toleratæ.

III. Ad Romanum Pontificem Ecclesiarum, Personatuum, Dignitatum, aliorumve Beneficiorum Ecclesiasticorum plena & libera dispositio, ex suæ potestatis plenitudine noscitur pertinere. CLEM. I. *Ut Lite pendente.* Cap. *Si duobus.* LIB. II. CLEM. *Tit.* 5. Cap. 1. §. *ult. fin.* Galli restringunt ad casus concessos.

IV. Factâ Resignatione in manibus Romani Pontificis de Præbendâ Ecclesiæ, ab aliquo Canonico, per commutationem Præbendarum cum alio Canonico; autoritate Apostolicâ illi duntaxat assignari debet. *De Præbendis.* Cap. *Inter cætera.* Vide *integ. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 17.

V. Episcopus dictam Præbendam alteri de jure non potest assignare. *Ibid. fin. De Præb.* Cap. *Inter cætera.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 17.

Ex quo quis resignavit tali modo, ut daretur HENRICO, & non fuit ei data, non videtur ei renuntiasse, nec eam perdidisse. *Glossa*, verbo, *Assignari debebat.*

VI. Concessio Præbendæ facta per non habentem jus, etiam cum confirmatione Sedis Apostolicæ, si qua in formâ communi apparet obtenta, non valet. *Ne Sede Vacante.* Cap. *Illa.* §. 1. *post init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 9. Cap. 2.

VII. Qui Præbendas, vel Dignitates Ecclesiarum, ad donationem Episcopi spectantes, præter autoritatem acceperunt ipsius, eas non possunt, salvâ conscientiâ, detinere; non obstante confirmatione à Sede Apostolicâ obtentâ sub formâ communi, quæ confirmat Beneficia & Præbendas, sicut justè & pacificè possidentur: Nisi fortè aliqui ea speciali Mandato Apostolicæ Sedis sint adepti. *De Concess. Præb.* Cap. *Quia diversitatem.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 8 Cap. 7.

VIII. Per Confirmationem in forma communi, non creatur jus novum. *Glossa.*

IX. Si quis per Romani Pontificis literas, Canonicatum & Præbendam est adeptus, jus in Canonicatu & Præbendâ fuit Canonicè assecutus. *In 6. De Præb.* Cap. *Si is cui. post init.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 39.

Collecti Textus, docentes plenam dispositionem Beneficiorum pertinere ad Summum Pontificem, fœtus sunt falsarum *Decretalium*, tradentium Episcopos omnem Jurisdictionem suam tenere ab illo qui illam concessit, retentâ facultate illam restringendi, sive in parte auferendi; quæ doctrina examinata est in TOM. I. *Part.* 1.

§. III.

Romanum Pontificem prævenire posse Collatores Ordinarios in concedendis Beneficiis Ecclesiasticis. Dignitatibus verè electivis duntaxat exceptis.

I. Statutum est & ordinatum, Romanum Pontificem, & Successores ejus, jure præventionis Dignitates, Personatus, Administrationes, & Officia, cæteraque Beneficia Ecclesiastica Secularia, & quorumvis Ordinum Regularia, quæcumque, & quomodocumque qualificata, tàm in Mensibus Graduatis simplicibus, & nominatis, quàm Ordinariis Collatoribus assignatis vacantia, liberè conferre. *Concordata. Tit.* 4. *aliàs.* 22. *De Mandatis.*

Dicitur *statutum*, non declaratum; quia jus præventionis, juxtà Gallos, est jus concessum Pontifici, non agnitum in illo.

II. Etsi Romanus Pontifex Legato Apostolico concesserit potestatem recipiendi autoritate suâ Resignationem ab obtinentibus Beneficia Ecclesiastica, ac Beneficia ipsa personis idoneis conferendi; penes ipsum tamen remanet major, licèt eadem (*a*) potestas, propter quod Romani Pontificis, qui eamdem præoccupat potestatem, potior debet esse conditio, de concessione hujusmodi non habitâ mentione. *In 6. De Præb.* Cap. *Dudùm.* §. 1. LIB. III. *Tit.* 4. *Cap.* 14. Idem dicendum foret de Episcopis, si Papæ Vicarii, aut Legati essent.

(*a*) Est major & eadem potestas diverso respectu. *Glossa*, verbo, *Eadem.* Ordinaria enim Delegato commissa major est in Delegante, & minor in Delegato. *Ibid.*

III. Si post facultatem Episcopo concessam à Sede Apostolicâ, conferendi Beneficia suæ Diœcesis, (quorum Collatio est ad eamdem Sedem devoluta) Romanus Episcopus eorum aliquod, antequàm Episcopus, conferat specialiter alicui, de concessione Episcopo factâ non habitâ mentione; facta per Romanum Episcopum Collatio Canonica est censenda. *In 6. De Præb.* Cap. *Quamvis.* §. 5. LIB. III. *Tit.* 4. *Cap.* 38. Idque meritò, quia hoc casu jus Pontificis exercet, ejusque in hoc Vicarius est.

Ex his duobus Capitulis argumentari licet; idem enim principium valet contra omnes Collatores, quia major est semper Romani Pontificis potestas quoad casus solos, in quibus illam exercent, ipsiusque sunt Vicarii; non quoad eos, in quibus propriam exercent, quam à CHRISTO receperunt.

IV. Eadem est potestas, quia ab eodem fonte promanat, scilicet Sede Apostolicâ; sed major remanet in ipso Pontifice, quàm in Legato; quia Apostolicæ Sedis Legatus suæ Legationis autoritate tantùm providet. *In 6. De Præb*, Cap. *Si Apostolicæ. init.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 22.

V. *Synodus* BASILEENSIS statuit & definivit, generalem Reservationem omnium Dignitatum electivarum per Romanum Pontificem fieri non debere; sed quod per electiones, & confirmationes Cannnicas, secundùm Juris Communis dispositionem, prædictis Dignitatibus electivis vacantibus debitè provideatur; non derogando propterea Statotis, Privilegiis, & Consuetudinibus rationabilibus, quibuscumque postulationibus, in dispositione Juris Communis remanentibus. PRAGMATICA SANCTIO. *De Elect. Tit.* 2. *§.* 2. *&* 3. *Hæc* clausula est Juris Communis, quod probat exceptiones introductas Jure particulari, nempè consuetudine, Statuto, Privilegio.

VI. Abolitâ generali omnium dignitatum electivatum reservatione, providè decretum est ut prædictis Dignitatibus, per Canonioas Electiones & confirmationes, provideri debeat; Etiam speciales seu particulares ipsarum dignitatum electivarum prohibentur reservationes, per quas libera in eisdem eligendi & confirmandi facultas impediri possit: Quodque adversùs hoc Decretum Romanus Pontifex nihil attentet, nisi ex magnâ, rationabili, & evidenti causâ, in literis Apostolicis nominatim exprimendâ. *Pragmatica Sanctio. De Electionib. Tit.* 2. Cap. 2. *Licet dudum.*

VII. Ut ipsius Decreti mens (quæ fuit, omne obstaculum à Canonicis Electionibus & Confirmationibus tollere,) suo non frustretur effectu; statutum est, ut Electiones in dictis Ecclesiis sine impedimento aut obstaculo omninò fiant. Hinc *Glossa* PRAGMATICÆ colligit, quod Beneficia verè electiva non cadunt sub præventionibus, quæ causâ cognitâ, juxtà Juris Communis, & dicti Decreti dispositionem, confirmentur, vel infirmentur. *Ibid §.* 1. Adde quod expediat eo modo his provideri, cùm publica utilitas ex illis proveniens id exposcat.

VIII. Collationes per præventionem faciendas Ecclesia non intendit impedire Decreto *De Reservationibus* quoad cætera, & aliis Decretis, scilicet *De Electionibus*; undè inquit Glossa PRAGM. In Beneficiis verè Electivis non cadit præventio, quod satis patet hic per verbum *Collationes*, & quod hic versus situs est in Titulo *De Collationibus in suo robore duraturis.* PRAGMATICA SANCTIO. *Tit.* 4. Cap. 1. *§.* 7. *Neque etiam.* Non inutilis hæc declaratio, quia præventio habet reservationis effectum, in hoc quod Ordinarios privet jure proprio immerentes, ut & reservatio.

IX. Inhibitum est, ne aliquis Apostolicæ Sedis Legatus, quantumcumque Legationem obtinere plenariam dignoscatur, Ecclesiarum Cathedralium Dignitates, ad quas hi, qui præficiuntur eisdem, majores in earom Capitulis post Episcopos existunt, habent per viam electionis assumi, de ipsis ordinandis, conferendis, vel disponendis, se aliquatenùs intromittat; neque aliquod quòminùs hi ad quos pertinuerit eligere aut postulare liberè valeant, cùm vacabunt, obstaculum quomodolibet interponat. *In* 6. *De Officio Legati.* Cap. *Deliberatione. init.* LIB. I. *Tit.* 15. Cap. 4.

Hinc patet quàm odiosa sit præventio in Beneficiis Electivis, cùm Pontifex INNOCENTIUS IV. illam sibi permittens; Legatis tamen, etiam plena potestate fruentibus, eamdem prohibeat.

X. Decretum est quidquid contra hoc actum extiterit, eo ipso irritum esse & inane. *Ibid.*

Legati Apostolici, quibus est concessa potestas quantumvis plenaria conferendi Beneficia, non possunt prævenire in conferendis dignitatibus verè electivis. Cùm hæc prohibitio restringatur ad Beneficia electiva, illa in aliis permitti censetur. Hæc licentia non viget in Gallia, nisi erga Legatos AVENIONENS. quod reformatione egeret ob gravissimum hinc nascens Ordinariis præjudicium damnumque.

§. IV.

Quid requiratur, ut præventio Papæ valeat? seu de verisimili notitiâ obitus. Exprimendus valor Beneficii, & quodcumque Beneficium exprimendum ab impetrantibus Beneficia.

I. Sanctissimus in CHRISTO Pater Dominus Noster Papa voluit & ordinavit, quod omnes gratiæ, quas de quibusvis Beneficiis Ecclesiasticis, cum curâ vel sine curâ, Sæcularibus vel Regularibus, per obitum quarumcumque personarum vacantibus, in anteà fecerit, nullius roboris vel momenti sint; nisi post obitum, & antè datam gratiarum hujusmodi, tantum tempus effluxerit, quòd interim vacationes ipsæ de locis, in quibus personæ prædictæ decesserint, ad notitiam ejusdem Domini Nostri verisimiliter potuerint pervenisse. *Regula* 28. *Cancellaria, De verisimili notitiâ obitûs*, INNOCENTII VIII. *ex* REBUFFO *scripta in Commentariis Parlamenti* PARISIENSIS 20. *Nov.* 1493. *Actorum Cleri Gallicani* TOMO II. *Tit.* 3. *p.* 28.

II. Statutum quòd in provisionibus, quas personis quibusvis de Beneficiis vacantibus, per Romanum Pontificem, & Successores ejus, etiam motu proprio, etiam promotis ad Ecclesias Cathedrales, & Metropolitanas, ac Monasteria, ut obtenta per eos Beneficia retinere possint, fieri contigerit illorom verus annuus per florenos aut ducatos auri de Camera, aut libras Turonenses, seu alterius monetæ valor, secundùm communem æstimationem, exprimi debeat; alioqoin gratiæ ipsæ sint ipso jure nullæ. *Concordata. Tit.* 4. *aliàs* 6. *De Mandatis Apostolicis. fin.*

III. Si proponente aliquo nondum se Beneficium Ecclesiasticum assecutum, super provisione ipsius (licèt minùs competens obtinentis) Rescriptum Apostolicum de hoc mentionem non faciens, impetretur; illud veluti fraudulenter obtentum non valet. *De Rescript.* Cap. *Si proponente.* LIB. I. DECR. *Tit.* 3. Cap. 42.

IV. Si Romanus Pontifex motu proprio, alicui aliquod Beneficium obtinenti conferat aliud, de illo non habitâ mentione; non ob hoc gratiam hujusmodi, quæ de suâ merâ liberalitate processit, invalidam vult reputari. *In* 6. *De Præb.* Cap. *Si motu. init.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 23. Idque meritò; quia obreptitia esse nequit, cùm impetrans nec potuit nec debuit prius exprimere, posteriori obtento sine supplicatione.

V. Si Romanus Pontifex de Beneficio alicui motu proprio provideat de Beneficiis quæ obtinet non habitâ mentione, provisionem seu gratiam hujusmodi forè validam declarat, qualiacumque fuerint Beneficia, Dignitates, aut Personatus, cum curâ vel sine cura, & in numero quantocumque, quæ is habebat, cùm sibi provisio facta fuit. *Clementinâ IV. Si Romanus. De Præbendis.* LIB. III. CLEMENTIN. *Tit.* 2. Cap. 4. Nota præcedens recurrit.

VI. Si ad petitionem illius, vel alterius pro eodem oblatam, gratiam hujusmodi faciat; tunc (quantumcumque modicum Beneficium taceatur in eâ) ipsam veluti subreptitiam, vires non vult obtinere. *In* 6. *De Præb.* Cap. *Si motu. med.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 23. Hic Textus adversari videtur *Cap.* 20. *De Rescript.* in quo veritas tacita non irritat Rescriptum, nisi quando ea est quæ expressa ab eo concedendo amovere potuisset, quod de modicissimo Beneficio dici non potest: sed non adversatur, quia iste loquitur de Rescripto gratiæ; ille verò de Rescriptis justitiæ, quæ multò difficiliùs irritantur.

VII. Cùm non sit intentionis Romani Pontificis, ut personæ pluribus reditibus abundantes, per literas Apostolicas pauperes Clericos super minoribus Beneficiis inquietent; literæ, in quibus Actor suæ nomen Dignitatis supprimit, v.g. quod sit Decanus, Archidiaconus, Præcentor, vel aliis Ecclesiasticis prædi-

prædiтus Dignitatibus, simplici nomine se appellans tanquàm non habens aliquem personatum, vires non obtineant. *De Rescriptis.* Cap. *Ad aures.* Lib. I. Decr. *Tit.* 1. Cap. 8. Fraus & dolus nemini patrocinari debent: nemo de malitia sua commodum reportare debet.

VIII. Perpetuus Vicarius, nisi de Vicaria fecerit mentionem, commodum reportare non debet de litteris Apostolicis, utpotè veritate tacitâ impetratis. *De Rescriptis.* Cap. *Postulasti.* §. 1 *fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 3. Cap. 27.

IX. Si Clerici, qui ab Ecclesiis recipiunt annuas pensiones, litteras à Sede Apostolicâ impetrant, de illis mentione non habitâ, carere debent commodo earumdem; revocato in irritum, si quid earum literarum prætextu inveniatur esse factum. *De Rescriptis.* Cap. *Ad audientiam.* Lib. I. Decr. *Tit.* 3. Cap. 31. Sermo fit de secunda gratia, tacita primâ, quæ avertisset à concessione secundæ.

X. Cùm in litteris, quas aliquis impetrat, nec de Præbenda ipsius mentio habetur, nec Canonicus, imò nec Clericus dicitur, intelligi debet qualiter litteræ ipsæ fuerint impetratæ, in quibus de Beneficio pro quo scribitur, mentio non fit. *De Rescriptis.* Cap. *Cùm adeò.* Lib. I. Decr. *Tit.* 3. Cap. 17. Hac cautelâ Ordinarius, qui de gratia attonitus est, de illa querelam præveniet.

XI. Præventiones Papæ non valent; nisi tantum tempus effluxerit à die obitûs vacationis, ut verisimiliter potuerit pervenire ad notitiam Papæ. Verus annuus valor Beneficii exprimendus, sed ut benè observat Rebuffus ad hunc Titulum *De Mandatis* §. *Statuimus.* p. 628. Usus invaluit, ut non aliter exprimatur in Galliâ valor Beneficiorum, quàm dicendo quod fructus Beneficii non excedunt summam 24. ducatorum auri de Camerâ.

Debet exprimi Dignitas personæ impetrantis Beneficium.

Debet exprimi Beneficium quod habet, & novum quod impetrat.

Si duo super eodem Beneficio litteras impetrent; Primo illorum, per illius obitum qui tenebat; Secundo verò, per cessionem ejusdem, ipsum proponente vacare: Secundus, cùm Beneficium ipsum cessione, non morte, vacaverit, debet Primo in ipsius assecutione præferri. *In* 6°. *De Rescript.* Cap. *Susceptum* §. 1. Lib. I. *Tit.* 3. Cap. 6.

XII. Si quis impetravit à Papâ Beneficium vacans, expresso falso modo vacationis, non valet Collatio, utpotè subreptitia.

XIII. Huc facit Regula 17. Innoc. X. *De Concurrentibus in data*; Ubi sigillatim recenset præcipuas prælationis causas, nempe. 1°. Quibus proprio motu datur, aliis quibus supplicantibus conceditur. 2°. Graduatus non Graduato. 3°. Magis Graduatus, minùs Graduato. 4° Priùs Graduatus sibi posteriori. 5°. Possessor coloratus alii non possessori. 6°. Præsentes in Curia, absentibus ab ea. 7°. Inter præsentes Beneficiatus non Beneficiato. 8°. Inter absentes oriundus non oriundo, Diœcesanus non Diœcesano. 9° In reliquis, illi qui priùs executores litterarum impetraverint.

Non refertur hæc Regula prout jacet, nec proxima eodem spectans, quia apud Gallos non vigent: Sufficit sensum illarum exponere; Qui posterioris hic est, quod in concursu provisionis datæ per *fiat ut petitur*, quales quæ à Pontifice emanat; & provisionis datæ *per concessum*, qualis est quæ à Vicecancellario; præfertur prior posteriori, etsi ista prægnantiores habeat clausulas. Cujus prærogativæ Ratio est, quod prior à præstantiori procedat, cùm Vicecancellarius non sit nisi Papæ Vicarius. Rejicitur hæc Regula, ut fraudi cuivis obviam eatur. Perpetua Vicaria exprimi debet.

XIV. Debent exprimi pensiones, quas quis jam habet super Beneficiis, si quis impetret ratione paupertatis.

XV. Qui dicit se non habere Beneficium, & tamen habet Rescriptum ad obtinendum novum Beneficium, non valet.

Invalida est Papæ Collatio petenti Beneficium, si quæ jam habet, quantumvis exigua, non exprimantur.

XVI. Litteræ Apostolicæ, ut Præpositura, quæ vacare dicitur, alicui conferatur; cùm Præpositura illa non vacat de facto, habentur irritæ & inanes, eo quod per falsi suggestionem, & veri suppressionem fuerunt impetratæ. *De Concess. Præb.* Cap. *Cùm nostris.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 8. Cap. 6.

XVII. Si eo tempore, quo tibi de Beneficio, cum curâ vel sine curâ, mandavit Romanus Pontifex provideri, ad obtinendum Curatum Beneficium, idoneam non habebas ætatem; tibi, licet nunc legitimæ effectus sis ætatis, autoritate litterarum hujusmodi (cùm tempore datæ ipsarum adhuc non esses idoneus) de Beneficio curam animarum habente nequaquam poterit provideri. *In* 6°. *De Rescriptis.* Cap. *Si eo tempore.* Lib. I. *Tit.* 3. Cap. 9.

Beneficium autem sine curâ (cùm ad ipsum sufficientem tunc ætatem haberes) per eas licitè poteteris obtinere. *Ibid. fin.*

In litteris ad Beneficia impetratis inspicitur tempus datæ; undè per illas Beneficium Curatum obtinere non poterat, quia licèt nunc sit major, illo tempore minor erat. *Glossa prima.*

Litteræ illæ habentur ut odiosæ, cùm restringantur ad tempus, quo datæ fuerunt; etsi videantur producendæ ad tempus executionis, cùm pars illarum inutilis alioquin fiat.

Si quis supplicaverit sibi de Beneficio quocumque, tanquam per obitum ejus vacet; provisio & quævis dispositio dicto supplicanti, per obitum hujusmodi, denuò faciendæ, nullius sint roboris vel momenti. *Regula* 21. *Cancell. Rom. per* Innocentium X. Hic Titulus est de non impetrando per obitum Beneficium viventium. Quæ hoc §. 4. & 3. de præventione dicta sunt, methodicè explicabuntur infrà, hicque omissa supplebuntur.

§. V.

In concursu plurium Collationum ejusdem Beneficii factarum ab eodem diversis personis, vel data Collationis Beneficii facta à Papâ pluribus, eum præferri debere, cujus litteræ priores sunt in data; ubi autem eodem die datæ sunt litteræ, neutrum obtinere. Idem locum habere in Mandatis.

I. Assignetur illi Beneficium, qui priùs Mandatum Apostolicum reportavit, hoc est, obtinuit. Vide Gonzalam *hîc De Rescriptis.* Cap. *Capitulum.* §. *Quocirca. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 3. Cap. 30.

Duobus, super provisione simili sibi faciendâ in eadem Ecclesiâ, litteras à Sede Apostolicâ obtinentibus unâ die; si non appareat quis primò impetravit ex eisdem ex quo in gratiâ sunt æquales, & ambo simul concurrunt, neuter à Pontifice obtinet. *In* 6°. *De Rescriptis.* Cap. *Duobus.* §. 1. & 2. Lib. I. *Tit.* 3. Cap. 14.

II. Eum cui Canonicatus alicujus Ecclesiæ à Sede Apostolicâ est collatus, licèt nondum sit in ea receptus, decretum est in assecutione Præbendæ (juxtà suæ provisionis ordinem) omnibus præferendum, quibus postmodùm in ipsâ Ecclesiâ similis gratia est concessa; licèt isti primò suas litteras præsentaverint, & primò recepti fuerint in eadem. *In* 6°. *De Præbendis.* Cap. *Eum cui:* Lib. III. Decr. *Tit.* 4. Cap. 7.

III. Tibi, qui gratiam in aliqua Ecclesia à Sede Apostolica impetrasti, ut de Præbendâ tibi, quæ tunc vacat, provideatur; alius similem gratiam post tuam impetrationem obtinuit in eadem; licèt, priùsquàm tu suas litteras præsentaverit, & in Canonicum sit receptus, in Præbendâ tempore tuæ receptionis vacante

cante anteferri non debet. *In 6°. De Rescriptis.* Cap. *Tibi qui.* Lib. I. *Tit.* 3. Cap. 12.

Concessio est id quod præcipuum est in gratia; executio est velut accessio necessaria, ut illa suo fruatur effectu; ergo illius data attendenda, non executionis.

IV. Debes tu Præbendam vacantem potiùs quàm impetrator ultimus obtinere. *Ibid. In 6. De Rescript.* Cap. *Tibi qui.* §. ult. Lib. I. *Tit.* 3. Cap. 12.

V. Si à Sede Apostolicâ, vel Legato ipsius, uni, & ab Ordinario alteri, eodem die idem Beneficium conferatur, nec appareat, quæ Collatio fuerit primò facta, erit potior conditio possidentis. *In 6. De Præb.* Cap. *Si à Sede. init.* Lib. III. *Tit.* 4. Cap. 31.

VI. Si verò neuter possideat, is cui Sedes ipsa contulit, vel Legatus (propter conferentis ampliorem prærogativam) erit alteri præferendus. *Ibid. fin.*

In Gallia, si Ordinarius apposuerit horam, ipsius provisio anterior præsumitur; imò etiam si non apposuerit; idque, quia faciliùs citiùsque scire potuit vacationem, atque etiam præventio ut odiosa habetur.

§. VI.

An & quomodò Papa possit conferre Beneficia quæ vacant in Curiâ?

I. Collationem Ecclesiarum, Personatuum, Dignitatum, & Beneficiorum apud Sedem Apostolicam vacantium, specialiùs cæteris antiqua Consuetudo Romanis Pontificibus reservavit. *In 6. De Præb.* Cap. *Licèt.* Lib. III. *Tit.* 4. Cap. 2.

II. Statutum est, ut Ecclesias, Dignitates, Personatus, & Beneficia, quæ apud Sedem ipsam vacare contigerit, aliquis præter Romanum Pontificem, quacumque super hoc sit autoritate munitus (nisi ei sit super conferendis eisdem in Curiâ Romanâ vacantibus specialis & expressa ab ipso Pontifice Summo autoritas attributa) conferre alicui seu aliquibus non præsumat. *Ibid. In 6. De Præb.* Cap. *Licèt.* §. 1. CLEMENS III. *aliàs* IV. *ann.* 1190.

III. Si secùs actum, seu attentatum fuerit, Decretum est irritum & inane. *Ibid.* §. 2.

IV. Statutum felicis recordationis CLEMENTIS Papæ, de Beneficiis apud Sedem Apostolicam vacantibus, per alium, quàm per Romanum Pontificem, minimè conferendis, locum habet in Beneficiis, quæ Legati aut Nuntii Sedis ejusdem, vel quivis alii ad Romanam Curiam venientes, vel etiam recedentes, ab ipsa obtinere noscuntur, si eos in locis vicinis ipsi Curiæ mori contingat: quemadmodum si in loco, ubi eadem Curia residet, morerentur. *In 6. De Præb.* Cap. *Præsenti. init.* Lib. III. *Tit.* 4. Cap. 34. BONIFACIUS VIII. *ann.* 1298.

V. Loca verò intelliguntur vicina eidem Curiæ in præmissis, quæ remota ultra duas diætas, *id est*, nostro loquendi more 20. leucas; diæta enim legalis accipitur in Jure pro decem leucis; legales, ubi moratur ipsa Curia, non existunt. *Ibid. In 6. De Præb.* Cap. *Præsenti.* §. 2. Lib. III. *Tit.* 4. Cap. 34.

VI. Statutum felicis recordationis CLEM. Papæ de Dignitatibus & Beneficiis in Curiâ Romanâ vacantibus, nequaquam per alium, quàm per Romanum Pontificem, conferendis, taliter temperatum est; ut ii, ad quos eorumdem Beneficiorum & Dignitatum spectat Collatio (Statuto non obstante prædicto) demùm post mensem, à die quo Dignitates seu Beneficia ipsa vacaverint (non à die notitiæ, sed vacationis numerandum; Hoc statutum est in favorem Ecclesiarum. *Gloss.* verbo, *Numerandum.*) ea conferre valeant, tantummodò per seipsos, vel (ipsis agentibus in remotis) per suos Vicarios Generales, in eorum Diœcesibus existentes, quibus id Canonicè sit commissum. *In 6. De Præb.* Cap. *Statutum.* Lib. III. *Tit.* 4. Cap. 3. GREG. X. *in Conc. Generali* LUGDUNENS. *an.* 1273.

VII. Si Apostolicâ Sede vacante, aliquas Parochiales Ecclesias vacare contigerit apud ipsam, statutum est ut de eis (ne ipsarum vacatio diutina periculum valeat animabus afferre) per eos ad quos pertinet, possit liberè ordinari: Constitutione felicis recordationis CLEM. Papæ, de Beneficiis apud Sedem Apostolicam vacantibus, per alium, quàm per Romanum Pontificem, minimè conferendis, vel aliâ quavis contrariâ super hoc editâ, non obstante. *In 6. De Præb.* Cap. *Si Apostolicâ.* Lib. III. *Tit.* 4. Cap. 35.

VIII. Apostolicâ Sede vacante, possunt Ordinarii conferre Ecclesias Parochiales quæ in Curia vacant.

IX. Idem statutum est & de illis, quæ ibidem ipso Romano Pontifice vivente vacabunt, si de ipsis per eum ante ipsius obitum non fuerit ordinatum. *Ibid. fin. In 6.* Lib. III. *Tit.* 4. Cap. 35.

X. Etiam possunt Ordinarii conferre Ecclesias Parochiales, quibus Papa vivens non providit, si intrà mensem moriatur. GREGORIUS X. PHILIPPO Regi, quantùm cum Deo posset, in suis petitionibus gratificari disponens, & suis super hoc beneplacitis annuens, ut per inhibitionem & Constitutionem CLEM. Papæ, super Dignitatibus & Beneficiis apud ipsam Sedem vacantibus, per alium, quàm per Romanum Pontificem, minimè conferendis, nullum juri, quod in Beneficio apud Sedem prædictam vacante, tempore Regalium qui esset per Collationem Regiam assecutus, præjudicium generetur; quin & ipsius possessores nancisci, ac etiam de ipsius juribus & reditibus disponere valeat, tamquàm non processisset prædicta inhibitio, & ipsa Constitutio edita non fuisset, duxit concedendum. *Bullâ* GREGORII X. *anni* 1271. *Probationum Libertatum* Cap. 16. *n.* 18. *p.* 370. PHILIPPUS III. dictus *Audax.*

Cætera, quæ eamdem vacationem spectant, adjicientur, dum illa per Regulas infrà discutietur, ubi inter alia usus Gallicanus accuratiùs tractabitur.

Eadem vacatio examinatur in *Novis Comment. Clerici Gallic.* TOM. X.

§. VII.

Extractum ex Tractatu RUSÆI *De Mandatis Apostolicis, & de diversa illorum forma, sive mutationibus circa illa: Huic adjiciuntur Notæ necessariæ, tàm ad emendationem, quàm ad explicationem.*

Verùm antequàm ulteriùs procedamus, pulchrum est videre, quomodo Jure Antiquo, & Novo introducta sunt Mandata; Jo. AN. in *Addi. ad* SPECULATOREM *super Rubri. De Concess. Præb.* dicit, *quòd olim Romani Pontifices rarò faciebant Gratias Beneficiales*: Undè in toto Volumine DECRETORUM, non fatigamur illis. Inceperunt tantùm dari per GREGOR. IX. Curialibus, *primò rogando; posteà præcipiendo.* Nec facilè gravabat Papa Ecclesiam, nisi de uno tantùm; undè ponebat clausulam, *Si pro alio non scripserimus*: Ista sunt verba posita in *Cap. Mandatum*, in *Cap. Constitutus.* & in *Cap. Abbatem. De Rescrip.* & in *Cap. Capitulum Sanctæ Crucis. eod. in Titulo.*

Secunda forma est *in forma pauperum*, quam instituit CLEM. IV. vir Sanctissimus; de qua est Tex. in *Cap. Si pauper Clericus. De Præb. In 6.* quæ est conditionalis, *Si pauper est, & idoneus, & ad certum Beneficium*: Et tunc si consecutus est aliquod, etiam modicum expirat.

Et ad cognoscendum distinctionem ab aliis, illa forma non haber *Bullam cum filis sericeis*, ut ostendatur plus esse justitiæ quàm gratiæ. Ita eleganter declarat Jo. AN. in *Addi. ad* SPECULATOREM, *in Titulo, De Clericis non Residentibus.*

Tertia forma (*procedente tempore*) tradita est temporibus INNOCENTII IV. qui concessit Beneficium acceptandi per illam clausulam; *Quod duxeris acceptandum*; quasi omnia reponantur in arbitrium impetrantis. De quo est Text. in *Cap.* 1. *De Concessione Præben. in* SEXTO.

Quarta

Quarta forma fuit Clem. V. qui addidit ad formam Innoc. IV. ut cum illa clausula (*quod duxeris acceptandum*) poneretur mensis præfixio cum Decreto, ut Collatio in contrarium facta non valeret. Ita intelligitur Clem. *Si Dignitatem. §. Secus autem, De Concessione Præbe.*

Quinta forma per Bonif. VIII. introducta est, *Ut aliquando Mandata dirigerentur soli executori, ad compellendum Ordinarium ut conferret* : Et talis non poterat providere, sed habebat insinuare, & interdicere Collatori ne alteri conferret; & ex tunc Collatio alteri facta non valebat. Ita loquitur *Cap. Si soli. De Concession Præbend. In 6.* Notatur in *Cap. Cùm nostris. eodem Titul.* & in *Cap. Pro illorum. De Præbend.*

Aliquandò dirigebatur executori, ut provideret ; Juxtà *Cap. Executor. De Concession. Præbend In 6.* Et talis poterat reservare Beneficium primò vacaturum, & decernere irritum & inane, si secùs à quoquam actum fuisset; ut est Textus in *Cap. Si Capitulo. De Concession. Præbend. In 6.* & poterat cognoscere de exceptionibus contra Rescriptum oppositis. Cap. *Ad aures.* Cap. *Postulasti. De Rescr.* Panorm. in Cap. *De cætero: Extrav. De re Jud.*

Sexta forma est, cùm clausula *Motu proprii*, quæ tollit omnem subreptionem, sed non inducit Dispensationem. De quo in Clement. *Si Romanus. De Præb.* & in Clem. *Si Summas. De Privileg.*

Septima forma est, qua providebatur cum clausula *Anteferri* ; de quâ est Text. in *Cap. penult.* & in Cap. *Autoritate. De Concession. Præbend. In 6.* Et quid operetur illa clausula Felt ait latè in *Cap. Causam quæ. In 15. col. De Rescript.*

Octava, & ultima forma est, ut provideatur quandoque *separatim de Præbenda & Dignitate*, quandoque *de Canonicatu sub expectatione Præbendæ*, juxtà Cap. *Si postquam &c. Si Clericus. &c. Quia sæpè. De Præbend.* & plerumque incertæ personæ, ut in *Cap. Is cui. eod. Tit. In 6.*

Hæc Rusæus. Circa quæ notandum I. quod sub Greg. IX. Mandata Apostolica jam in usu erant à toto ferè sæculo, ut patet ex Thomassino *Disciplinæ* Tom. III. *Part.* 4 Lib. II. & ex ipsa Greg. *Collectione*, ubi refert Textus Innoc. III. hæc Mandata spectantes; *verbi gratia*, Cap. 19. *De Rescript.* in quo ille meminit hujus modi gratiæ concessæ à Prædecessore suo, illiusque executioni providet, & *Cap. 16. De Præb.* quod etiam mentionem facit de Mandato hujus generis; ideòque hæc Mandata non cœperunt dari per Greg. IX. Fortè sensus Rusæi est, illorum Mandatorum primam mentionem fieri in illius Pontificis Collectione; quod certum est, quoad spectat Corpus Juris Cânonici, tunc ut nunc usitatum.

II. Quod in *Cap. 6. De Præb.* Alex. III. mentionem facit Mandatorum pro pauperibus Clericis, occasione quorum introducta videntur. Undè ipse consentit quod si ia. pro quo scripsit, habeat Beneficium, Mandatum executioni non mandetur. Hinc Mandata pro pauperibus Clericis antiqua erant antè Clem. IV. Præterea *Cap. Si pauper Clericus*, quod Autor citat sub *Tit. De Præb. In 6.* ibi non reperitur, nec in alio *Tit. 6.*

III. Quod Quarta & Quinta forma quandoque secum trahebant nullitatem Collationis alteri factæ, quàm Mandatario. Prior Casus erat, si Ordinarius conferebat alteri, post significationem sibi factam expectativæ cum clausula, *Quod aut quam duxeris acceptandum intra mensem*, posito quod intra mensem alteri conferret: Clausula hæc reservabat Mandatario quoad mensem, quodcumque Beneficium, usque ad illius provisionem. Alter casus contingebat, quandò executor; cui Mandatum decretum erat, ut compelleret Ordinarium ad Mandatario conferendum, illi interdicebat ne alii conferret. Casui locus erat, quoties executionis facultas dabatur Mandatario providendi, atque idcircò sibi reservabat primum vacaturum.

IV. Textus antiquior, qui sermonem faciat de clausula *Motu proprio*, videtur esse *Cap. 23. De Præb. In 6.* Sed de Expectativa non loquitur, sed de Collatione Beneficii facta à Papa, ipso cui fit non requirente; quæque ideò valet, etsi de Beneficiis, quæ provisus anteà habebat, in ea mentio non fiat. Clem. *Si Romanus. De Præb.* quæ est IV. *hujus Tit.* loquitur de Provisione factâ à Pontifice *motu proprio*; non de Mandato, in eo solùm posito, quod juberet, ut alicui de Beneficio provideretur; undè dicebatur *Mandatum de providendo.* Clem. *Si Summas*, quam etiam laudat Rusæus, non reperitur in *Titulo de Privileg.* sub quo illam locat.

V. Clausula *Anteferri*, ut & Clausula *Motu proprio*, rejiciuntur in Gallia: Prior, ut contraria justæ Regulæ, *De non tollendo jure alteri quæsito.* Posterior, quia nihil ibi potest Papa, nisi requisitus, prætérquàm in Beneficiis sibi reservatis.

VI. Octo formis Mandatorum à Rusæo recensitis nona addi posset, nempè, *Mandata in forma ordinatorum sine Titulo*, de quâ in *Cap. 13. De Ætate & Qual.* & Cap. 16. *De Præb.* in quibus Innoc. III. præcipit provideri de Beneficio sufficienti hujusmodi ordinatos.

Cæterùm etsi Mandata Apostolica jamdiù abolita sint, attamen notitia eorum, quæ circa illa docet Jus Canonicum, inutilis non est, præsertim in Gallia, ubi extant quatuor Expectativarum species, illis Mandatis in multis consimiles, nempè Graduatorum, Indultariorum, Brevetariorum, tàm Sacramenti fidelitatis, quàm jucundi adventûs ad Regnum.

§. VIII.

De Pontificiâ in conferendis Beneficiis Præventione:

REGULÆ

E Corpore Juris Canonici deprompta.

Circa Præventionem hujusmodi quæri potest.

I. Quid sit? II. Quæ illius fundamenta in Jure leguntur? III. Quo tempore illam ad se pertinere declararunt Summi Pontifices? IV. Quo illâ uti cœperunt? V. An alius præter illos eodem jure gaudeat? VI. Circa quæ Beneficia locum habeat? VII. An quæ in aliis rebus Præventionem impediunt, Beneficiariam Præventionem etiam impediant? VIII. An in Jure habeantur Præventioni isti contraria, & quæ sint? IX. Quibus in locis vigeat.

REGULA I.

Præventionis Beneficiariæ jus aliud non est, quàm facultas conferendi intra tempus Collatori inferiori concessum.

REGULA II.

Præventionis istius fundamenta quæ in Jure leguntur, hæc esse videntur.

1°. Vigilius circa ann. 540. ad Eleutherium (legendum Eutherium. Tom. V. Conc. *pag.* 711.) scribens, de Ecclesia Romanâ dicit, quod ita reliquis Ecclesiis vices suas credidit largiendas, ut in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Idem ferè habet Greg. IV. *circa ann* 839. adeò ut ab illo exscripsisse videatur, dum de eadem Ecclesia ait: *Quæ vices suas ita aliis impertivit Ecclesiis, ut in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis*: Uterque Textus suppositius videtur, & à Pseudo Isidoro coosictus, ut & prior Julii Epistola, ubi plura iisdem verbis habentur, vel similibus. *Cap.* 12. Caus. II. Quæst. VI. Cap. 11. *Ibid.* Hæc suppositio probata est in *Prolegomenis, Part.* 2.

2°. Cunctâ

2°. Cunctarum Ecclesiarum curam Romano Pontifici incumbere. *Cap.* 13. CAUS. VII. QUÆST. I. desumitur ex S. GREGORIO I.

3°. INNOC. III. docet Rom. Pontificis Jurisdictionem fontem esse cujusvis alterius Jurisdictionis spiritualis; ideòque potestatem conferendi, quâ inferiores gaudent, ab eâ, quâ potitur S. Pontifex, emanare. *Cap.* 5. *De Conceff. Preb. in parte decis.*

4°. GREG. IX. Papam omnium fidelium Judicem Ordinarium esse docet; idque, quia Ecclesia Romana omnium aliarum Mater sit & Magistra. *Cap.* 10. *De For. Compet.* CLEM. IV. supponit, tanquam rem notam & certam, plenariam omnium Beneficiorum dispositionem ad Rom. Pontif. pertinere. *Cap.* 2. *De Prabend. In* 6.

REGULA III.

Facto & verbo declararunt Summi Pontifices se Collatores Ordinarios prævenire posse.

Facto, scilicet Expectativas Gratias concedendo, atque hoc versùs medium sæculi XII. cœpit. *Cap.* 8. *De Preb.*

Verbo, dicendo se præter Ordinarii desidiam conferre, idque accidit circa finem ejusdem sæculi, vel initium sequentis. *Cap.* 5. *De Conceff. Preb.*

Quod de Gratiis Expectativis dictum est, ad Reservationes extendendum; utrasque autem vim præventionis habere adeò notum est, ut inutiliter ostenderetur.

REGULA IV.

Non extant Juris Canonici Textus, sæculo XIII. antiquiores, qui clarè doceant Pontifices Summos præventione usos esse.

Omnium antiquissimus est *Cap.* 31. *De Preb. In* 6. è BONIF. VIII. ann. 1294. ad Pontificatum evecto desumptus.

Hinc patet quod Reservatio vacationis in Curiâ antiquior sit præventione, aut saltem quod de illa extent probationes antiquiores; cùm nonnulli Textus circa illam citari sunt, qui sunt vel exeuntis sæculi XII. vel ineuntis XIII. Undè præventio oriri potuit ex illa Reservatione.

REGULA V.

Pontifici præveniendi Juris particeps est Legatus à latere.

Cap. 6. *De Off. Leg.* docet Legatos usos fuisse præventionis jure sub INNOC. III. ann. 1198. creato cit. Cap. 31. *Cap.* 4. *De Off. Leg. In* 6.

REGULA VI.

Præter illos Textus, nullus est qui in Juris Corpore simili privilegio potiri legatur erga alium, quàm Vicarium suum.

Quod de Legato dicitur *Cap.* 14. *De Preb. In* 6. ad Vicarium quemlibet extendendum videtur.

REGULA VII.

Jure Communi, Papæ ergò, nullum Beneficium à præventione expressè eximitur. *Cap.* 2. *De Preb. In* 6. Respectu verò Legati, electiva Beneficia eximuntur. *Cap.* 4. *De Off. Leg. In* 6.

Hinc Mandatariis Apostolicis affecta Beneficia præventioni subsunt, modò præventione uti velle Papa exprimat. *Cap.* 7. *De Conceff. Preb.*

REGULA VIII.

Quæ ad Præsentationem vel Collationem Laicam pertinent Beneficia, tàm respectu Papæ, quàm Legati ergò, à præventione excepta præsumenda sunt. *Cap.* 28. *De Jure Patronatûs.*

Inferri quoque potest ex *Regula* 16. *De Reg. Jur.* Si enim deceat concessum à Principe Beneficium esse mansurum, maximè quando titulo oneroso concessum est, quale suum præsentandi vel conferendi jus habere solent Patroni, vel Collatores Laici.

REGULA IX.

Præventionem Beneficiariam impedit incepta provisio.

Fundamentum illius est, quod præventio Beneficiaria aliùs conditionis non sit, quàm aliæ præventiones alias res contingentes; cæteræ autem impediantur, quoties res cœpta est. *Cap.* 8. *De Off. Judic. Deleg.* Cap. 8. *De Procurator. In* 6. Cujus rei evidentissima ratio est: Quæcumque præventio supponit rem integram, alioquin subsecutio foret, non præventio.

REGULA X.

Plura habentur in Corpore Juris loca, quibus præventio Beneficiaria damnari videtur.

Hæc autem sunt quæ sequuntur.

1°. Quæcumque docent Ecclesiasticum Ordinem confundi, nisi sua cuique Jurisdictio servetur; nam conferendi Beneficia facultas inter præcipuas Jurisdictionis partes recensetur. *Cap.* 39. CAUS. XI. QUÆST. I.

2°. Quæ Collatori inferiori ad conferendum tempus præfigunt: cùm temporis hujus præstituendi duplex sit causa. Prior & in jure expressa est, ne Beneficiorum provisio diutiùs protrahatur. Posterior, ut per Collatorem liceat, prout res postulat, deliberare, inquirere, aliaque agere, quæ ad Canonicam Collationem necessaria sunt. *Cap.* 2. 3. 4. 5. *De Suppl. Negl. &c.* Cap. 2. *De Conceff. Preb.*

3°. Quæ ad digniores cæteris præferendos obligant, cùm præventio duplicem indignis conferendi januam aperiat; operatur siquidem, ut diligentiori superbiorique Papa conferre soleat, utque aliundè Collator, ne præveniatur, illius cui conferat delectum præcipitet. *Cap.* 6. CAUS. VIII. QUÆST. I. *Cap.* 18. SESS. XXIV. *De Ref.* CONC. TRID.

4°. Quæ Mandata Apostolica prohibent; cùm prohibenda sint, non solùm quia desiderandæ alienæ mortis periculo exponunt, sed etiam quia Collatores Ordinarios justâ conferendi facultate injustè privant. *Cap.* 19. SESS. XXIV. *De Ref.*

5°. Quæ Jurisdictionem Episcoporum, à Deo esse ostendunt, qualia quæ docent à Spiritu Sancto positos esse, ut Ecclesiam Dei regant: si enim suam à Papâ non recipiunt Jurisdictionem Episcopi, ab eo præveniendi non sunt; cùm haud æquum videatur, à Papâ quoad partem auferri, quod ipse non concessit. *Cap.* 4. SESS. XXIII. *De Ord.*

6°. Quæ negant ullum in Ecclesia esse Episcopum Universalem, idque quia, si quis talis esset, unicus esset Episcopus. *Cap.* 4. 5. DIST. XCIX. Horum locorum verba digna sunt, quæ legantur. In Priore PELAGIUS II. JOANNEM Patriarcham CONSTANTINOPOLITANUM vituperat, quod Papam Patriarcham Universalem nuncuparet; vituperationis causam affert: „ Si unus Patriarcha Universalis dicitor, Patriarcharum nomen cœteris derogatur. „ In posteriore idem facit GREG. erga EULOGIUM Patriarcham ALEXANDRINUM, eademque de causa.

REGULA XI.

Ubicumque servatur octava, vel nona Cancellariæ Regula, quâ conferendorum per annum Beneficiorum sex menses Papæ assignantur, alii autem Ordinario dimittuntur; præventionis nulla vis est.

Contenti in Regula usûs Ratio: Hac in Regula Cancellariæ non reservat sibi Papa præventionem in assigna-

assignatis Ordinario mensibus; reservat autem, si illâ uti voluisset, sicut illam sibi reservavit in *Concord. Tit. De Mandatis*, erga Mandatarios & Graduatos, quorum gratias hoc onere eximere noluit. Prætereà summa foret in præmissa divisione inæqualitas, cùm præventionis jure utendo, assignatâ Ordinarium portione frustrare posset Summus Pontifex.

Prædicta autem Cancellariæ Regula servatur in *Hispania*, in *Germania*, in *Belgio*, Franciæ Ditioni non subjecto, in *Britannia* in Comitatu *Burgundia*, in Episcopatibus Matansi, Tullansi, Virdunensi.

REGULA XII.

In Gallia toleratur præventio, sive à Papâ, sive à Legato, præterquàm in istis Beneficiis.

I. Quæ Rex confert.

II. Quæ ad Præsentationem vel Collationem Laïcam pertinent.

III. Quæ etsi non Consistorialia, Electiva, & Confirmativa sunt; idque quia *§. Declarantes De Mand.* loqui non videatur, nisi de collativis; cùm loquatur de solis Beneficiis, quæ suberant Mandatariis, quæque eadem erant cum his, quæ obnoxia erant Graduatis; ac soli Collatorum juri deroget, de Electoribus nullâ factâ mentione. Sed sunt usûs Gallicani callentissimi, qui dicant præventionem tolerari etiam quoad ista Beneficia; idque, quia facta sunt Collativa ipsâ in favorem Resignatione. Præventio hæc actu quolibet Electionis præparativo præpeditur.

IV. Beneficia ad Patronum Ecclesiasticum spectantia, si præsentatio aures Ordinarii pulsaverit, aut pulsasset, si iste non impediisset, aut Papæ Collatarius.

Quod de Legato dictum est, notorium est quoad Legatum Avenionensem; quantùm verò ad alios, illorum potestas hac in re, ut in aliis rebus, pendet ex modificationibus adjectis facultatibus Legationis. Cætera usus Gallicanos circà præventionem Beneficiariam spectantia habes in Commentariis novis Cleri Gallicani, *Tom. X. pag.* 811. *ad* 891. fusissimè tractata. Ibid. *n.* 98. Lege mutationes, quæ circà illos contigerunt in illius favorem, per duo proximè præcedentia sæcula. Eosdem quoque breviùs expositos reperies in Institutionibus Ecclesiasticis & Beneficiariis, *Parte* 2. *Tit.* 106. & *Tit.* 98. ubi de Regula, *de verosimili notitia*, conditâ ad præcavendas fraudes, quæ circa illam committebantur.

His Observationibus addendum, quod si comparetur superior Regula XII. cùm Regula XXII. circa Reservationem Beneficiorum vacantium in Curia, colligitur Beneficia, quæ Reservationi huic obnoxia non sunt, præventioni non subesse; & è converso, quæcumque præventioni subsunt, Reservationi prædictæ obnoxia sunt, quoad attinet ad usus Gallicanos hodiernos.

§. IX.

Regula ex Corpore Juris desumpta circa vacantium in Curiâ Beneficiorum reservationem.

REGULA I.

Vacare in Curia Romanâ, & vacare apud Sedem Apostolicam, idem sonant.

Certissima est Regula: nam *Cap.* 2. *De Præb.* dicit vacare in Curia Beneficia, quæ suprà dixerat apud Sedem vacare. *Cap.* 3. *Eod. Tit.* dicit vacare in Curia de Beneficiis, quæ *Cap.* 2. vacare dixit apud Sedem Apostolicam. *Cap.* 34. inter vacantia apud Sedem collocat Beneficia morientium in Curia, vel propè Curiam: Hoc ergo supposito proptet nonnullos qui aliter sine causâ sentiunt,

Hanc circa Reservationem quæri potest.

I. Quæ illius origo? Quæ antiquitas?

II. Quæ causa?

III. Ad quæ Beneficia sese extendat, & ad quos vacandi modos?

IV. Intra quæ loca vacare debeant?

V. Intra quod tempus conferenda, & à quo?

VI. Cum quo ex Regiis Juribus conveniat?

VII. In quibus ab aliis Juris scripti Reservationibus differat?

VIII. An in Galliâ vim suam habeat?

REGULA II.

Circà illius originem aliud nihil Canonicum Jus docet, quàm ex consuetudine illam ortam esse.

Cap. 2. *De Præb. In* 6. id expressè dicit.

REGULA III.

Quo præcisè cœperit tempore Consuetudo ista, quove in loco, ex Jure Canonico colligere non licet; sed id unum ex illo inferre fas est Sæculo XII. aut XIII. jamjam antiquam fuisse.

Citatum mox *Caput* Clementi III. tribuitur *ann.* 1458. ad Pontificatum evecto, in eoque legitur Beneficia in Curia vacantia antiquam Consuetudinem Summo Pontifici reservasse; sed ex nota ad verbum *Quartus* colligitur, *Cap. istud* ad Clem. IV. pertinere.

Verùm priusquàm ulteriùs progrediamur, notandum citatum Caput sic inscribi, Clemens III. aliàs IV. eamque inscriptionem nonnullis de Romana Sede detractandi occasionem quærentibus, dicendi locum dedisse Clementi IV. ad Pontificatum evecto ann. 1265. Caput istud pertinere, sed ut gratiùs acciperetur, Clem. III. & antiquiori & celebriori adscriptum fuisse: suam autem malignam obtrectationem his veritatis coloribus obtegere posse: Autores Primæ & Secundæ Collect. Decretales Clem. III. Epistolas, aliasve Constitutiones accuratè collegerunt; Majori curâ id etiam præstitit Greg. IX. Raimundi de Pegnaford operâ industriâque. Quis ergo Epistolam, de quâ quæstio, sive Constitutionem hos omnes effugisse credet, illam de industria prætermisisse? Constitutionis argumentum in medium adducere vetat, cùm inter collectas, quæ Sedi Apostolicæ magis faveat, nulla sit, ut conferenti patebit; supponens siquidem plenam liberamque Beneficiorum omnium donationem Summo Pontifici pertinere; haud dubium id esse Lectori facilè persuadet. In toto Sexti Decretalium Volumine antiquiores nullæ sunt Constitutiones, quam quæ post Collectionem suam à Greg. IX. editæ sunt. Sed omnia hæc, aliave similia, uno verbo evanescunt, cùm in vetustioribus Codicibus constanter legatur Clem. IV. ac consequenter nulla fraus adsit, sed mendum in recentioribus irrepsit. Prætereà quo tempore facta fuisset fraus illa, necessaria nequaquam erat; ab altero & ampliùs sæculo plenissimâ in Beneficia potestate potiebantur Summi Pontifices, cùm ab Alex. III. teste *Cap.* 6. *De Præb.* Mandata ad Beneficia, Gratias *Expectativas* vulgò dictas, concesserint, quæ Supremæ in Beneficia Potestatis argumenta sunt; prædicta autem fraus fieri nequiverit, nisi à Bonif. VIII. aliove recentiori: præterquàm quod nec ipsa fraudis hujus cogitatio in mentem Pontificum hujus sæculi intrare potuit; cùm à Greg. VII. fuerit vix unus Papa, qui nedum spiritualium rerum, sed & temporalium, Supremum Dominum Dignitatis suæ jure sese non existimarit.

Hinc patet C. MOLINÆUM falli, dum in notis circa illud *Cap.* 2. *De Præb. In* 6. & circa *Cap.* 17. *De Præbend.* prædictum *Cap.* 2. CLEMENT. III. tribuit; atque hinc ruere ipsius conjecturam contra Consuetudinis, de quâ CLEM. *in eodem Cap.* antiquitatem. Circa quod notandum obiter, quod quamvis ad CLEMENTAM III. *Cap. Cit.* reverà pertineret, nihilominùs falsa videretur MOLINÆI conclusio, eùm Consuetudo, de qua *Cit. Cap.* respiciat tantùm vacationem per mortem; sua verò conclusio vacationem per permutationem spectet: cùmque etiam falsò supponat Collationem Beneficii in Curia, per permutationem vacantis cassatam fuisse; hoc enim verbum *Revocavit* vel *retractavit*, id non significat. Ad singulas quoque oppositas conjecturas faciliùs fieret responsio: Cùm 1°. apud BONIFACIUM nonnullæ sint CLEM. IV. Constitutiones Sedi Romanæ admodum faventes, quæ suo dimissæ sunt Autori, circà quas prætensæ fraudi similis facta fuisset, si prior vera extitisset; talis autem videtur Constitutio, quæ legitur *Cap.* 1. *De Temporib: Ordin. In* 6. In ista siquidem supponitur Supremam in Ordinibus conferendis Potestatem ad Papam pertinere, quæ ipsâ Beneficia donandi facultate longè dignior est.

2°. Inter EXTRAVAGANTES COMMUNES sunt Constitutiones quæ 1°. Pontificatùs BONIFACII VIII. anno editæ sunt, quæque in BONIFACIANA Collectione de industria, vel alia de causa, prætermissæ sunt: Talis est quæ habetur *Cap.* 1. *De Præb.* EXTRAVAG. COMMUN. Extant aliæ à CLEM. V. factæ primo & secundo Pontificatùs anno, quæ ab ipso CLEMANTE in sua Collect. omissæ sunt: Tales sunt 2ª. & 3ª. loci mox citati. *De Præb.* EXTRAVAG. COMMUN. Sed his diutiùs immorari supervacuum foret.

REGULA IV.

Antè finem Sæculi XII. nullum antiquæ, quâ vacantia in Curia Beneficia Summo Pontifici reservantur, Consuetudinis vestigium in Jure habemus.

Colligitur ex eo quod hanc circa rem nullus in Jure extat locus *Capite* 23. *De Accus.* antiquior, desumpto ab INNOC. III. ad Pontificatum evecto ann. 1198.

Hoc autem in *Capite* De Præbendâ Cremonensi quæ apud Sanctam Sedem per obitum vacaverat, mentio fit, eaque collata à Papâ ob id illius Collatore.

Nota ex *Cap.* 17. *De Prebend.* inferri non posse tempore COELESTIN. III. Reservationem vacantium in Curia in usu non fuisse: non enim eâ opus erat, ut admissam permutationem tueretur, factamque contra illam Collationem irritaret; sed asserere sufficiebat Beneficia permutata eâ conditione vacasse, ut permutantibus daretur, quâ non positâ, nulla erat Collatio; Hinc ruit MOLINÆI conjectura prædicta. Vide *Casum illius. Cap.* 17. *in Gonzale*, confirmat quæ contra MOLINÆUM dicta sunt.

REGULA V.

Undè fluxerit talis Consuetudo in Jure non habetur. Verosimile est ex literis commendatitiis à Rom. Pontifice scribi solitis, & à Collatore effectui dari consuetis, vel ex præventione Papæ facili, ex eo quod vacationem prius sciebat, initium sumpsisse.

REGULA VI.

De Reservationis hujus causa hoc unum in Jure legitur; nempè factam esse, ut Beneficia, quæ apud Sanctam Sedem vacant, personis conferantur idoneis, per quas iis debita impendantur obsequia, & Divinorum Cultus exerceatur sollicitè in eisdem.

Cap. 1. *De Præb.* EXTRAVAG. COMM. *desumptum* ex BONIF. VIII. *Cit. Caput* Cap. 2. *De Præb. In* 6. adversari videtur: in illo siquidem BONIF. VIII. vacantia in Curia Beneficia sibi reservat, usque verbis, *Quæ Reservationem novam indigitent*; illius enim causam adducit, qualis in Regula refertur. In isto verò *Cap.* CLEM. III. supponens Reservationem jamdiù à Consuetudine introductam, quæ circà illam facienda præscribit. Verùm inter se non pugnant memorata *Capita*, quod triplici ratione probari potest. 1°. Illa quæ uno acquisita sunt titulo, alio acquiri possunt. 2°. Consuetudo interrumpi potest, & hæc de qua sermo, videtur interrupta fuisse, cùm Beneficia, quæ intra mensem Reservationi proximum vacaverant, BONIF. sibi reservet. 3°. Ex Reservatione inferre licet, vacantia prædicta Beneficia ad Collationem Papæ jam jure pertinuisse. Si hujusmodi non placuerit conciliatio, dici poterit BONIF. solo usu sibi reservari noluisse Beneficia in Curia vacantia; vel BONIF. consilium fuisse, ut vacantium in Curiâ Reservatione gaudere se velle significaret.

REGULA VII.

Reservationi vacantium in Curia non alia Beneficia subsunt, quàm quæ illi nominatim subjiciuntur in Jure.

Patet Regula ex eo, quòd odiosa, qualis dicta Reservatio, extra expressos casus locum non habeant.

Hinc sequitur Episcopatus, Abbatias, aliaque similia Beneficia, non comprehendi in Reservatione vacantium in Curia; eâque de causâ BENEDICT. XII. hujusmodi Beneficia ad tempus sibi reservantem, si intra illud vacarent, nominatim expressisse. *Cap.* 13. EXTRAVAG. COMM. Nec dici potest per Textum istum alios interpretandos esse; cùm Reservatio BENEDICTI, utpotè temporalis, minùs odiosa sit, atque idcirò ad Episcopatus & Abbatias extensam velle potuerit. Nec etiam dici potest BONIF. VIII. supponere Episcopatus, Abbatiasque vacationis in Curia Reservationi subesse, dùm præscribit his, qui apud Sedem Sanctam ad illas promovendi sunt Dignitates, quid facere debeant: Toc enim ob alios vacandi modos, ad illas Dignitates apud eandem Sedem promoveri quis potest, ut hujusmodi Lege circa promotionem concludi nequeat, Autorem Legis supponere Episcopatus ac Abbatias Reservationi in Curia subesse. Præterea ut id supponere potuisset BONIF. VIII., prædictæ Reservationi subdita fuisse, vel Lege, vel usu, utrumque mox memoratum Dignitatum genus, oportuisset: At quoad Legem nulla apparet; quoad usum nullum illius testimonium habetur.

REGULA VIII.

Vacantia in Curia Beneficia, perpetuò Sedi Apostolicæ reservata, quæ in Jure exprimuntur, hæc sunt.

1°. Dignitates. EXTRAVAG. I. *De Præb.*

2°. Personatus. *Ibid.*

3°. Præbendæ. *Ibid.*

4°. Beneficia omnia cum cura vel sine cura. *Ibid.*

5°. Ecclesiæ, quibus Parochiales similesque intelligendæ sunt; nec enim de Episcopalibus, Abbatialibus, aliisve similibus interpretandus est hic locus, cùm

cùm propter illarum Dignitatem in odiosis comprehensæ non censeantur, nisi nominatim exprimantur.

Dictum est perpetuò reservata; sunt etenim alia Beneficia, quæ ad tempus reservata erant, si eodem modo & intra tempus illud vacassent, ut videre est in *Cap.* 13. *De Præb.* Extrav. Comm. Talia sunt autem Monasteria, vel Abbatiæ, Sedes Patriarchales, Archiepiscopales, & Episcopales.

REGULA IX.

A præcedenti Regulâ excipiuntur Parochiales Ecclesiæ, quæ apud Sedem Romanam vacantem vacant, sive antè, sive post Papæ obitum vacaverint. *Cap* 35. *De Præb. In* 6.

Nota quod inspecta *cit. Cap.* tàm mente quàm literâ, extendi non debet ad alia Beneficia, quàm ad ea quorum vacatio diutina animabus periculum afferre valet, cùm periculum istud moverit ad expressam in Regulâ exceptionem faciendam; quod enim de periculo dictum est, ex *cit. Cap.* sumptum est; sed spectato quàm odiosæ sint Reservationes, dictum *Cap.* ut favorabile extendendum.

REGULA X.

Necessarius vacandi modus, ut Beneficia perpetuæ in Curia vacantium reservationi subsint, in Jure præfinitus non est; sed ex Juris Regulis ad vacationem per obitum restringenda est ista Reservatio. *Cap.* 2. 3. 39. *De Præb. In* 6. Cap. 1. *De Præb.* in Extravag. Comm. Sola sunt Juris loca quæ circà istam Reservationem facienda præscribunt. Hæc autem *Capita* generaliter loquuntur; undè duo clarè colliguntur: Primum est, huic Reservationi requisitum vacandi modum præfinitum non esse: Secundum est, ad vacationem per obitum illam restringendam esse, cùm in odiosis stricta facienda sit interpretatio, Reservatio autem memorata odiosa sit: atque interpretatio, quæ indeterminatum vacandi modum ad præcipuum communemque restringit inter strictas potior sit.

Contra Primam Regulæ Partem opponi potest *Cap.* 23. *De Accus.* quod, ut notatum est, docet tempore Inn. III. Pontifices Romanos Beneficia Romæ decedentium conferre consuevisse; undè inferre licet vacationem per obitum requiri, ut Papæ Beneficia, quæ apud Sanctam Sedem vacant, reserventur. Sed vana est hæc Objectio, cùm ex *cit. Capite* aliud nihil colligi queat, nisi Beneficia, quæ per obitum in Curiâ vacabant, Papæ tunc reservata fuisse.

REGULA XI.

Beneficia vacant in Curia, si in loco, in quo cum Cardinalibus domûs suæ, Sedisque Romanæ Ministris, Papa degit, vel in aliis, ab isto ultra duas legales diætas non distantibus. *Cap.* 34. *De Præb. In* 6.

Hinc cùm Avenione Papa sedebat, vacabant Beneficia in Curiâ, cùm Avenione, locisque prædicto modo vicinis, vacabant.

REGULA XII.

Regula præcedens duplicem patitur exceptionem. 1ª. Respicit illos, qui habentes propriam domum, vel domicilium in locis Curiæ Romanæ vicinis, ibidem decedunt. 2ª. Spectat ad Curiales, qui Curiam sequentes infirmi remanent in locis utcumque remotis à Curia, ac ibidem moriuntur. *Cap.* 34. *De Præb. In* 6.

Circa *cit. Caput* notandum, Beneficia decedentium in locis Curiæ vicinis, vacantium in Curia Reservationi non subjicere, nisi sua à Sede Apostolicâ obtinuerint Beneficia; sed Benedic. XII. *Cap.* 13. *De Præb.* in Extrav. Comm. quæcumque illorum Beneficia indistinctè huic Reservationi subdere.

REGULA XIII.

Beneficia in Curia vacantia ab alio conferri nequeunt quàm à Papa, sine speciali ad hoc delegatione; aliter facta Collatio irrita est. *Cap.* 2. *De Præb. In* 6. utrumque expressè docet.

Hinc patet quàm allucinentur, qui Collationem hujusmodi, cum Collatione spreto Patrono factâ comparant; constat enim istam irritam non esse, sed irritandam.

REGULA XIV.

Intra mensem à die vacationis numerandum, conferenda sunt; quo elapso ad Ordinarios conferendi jus revertitur, eâ lege ut per seipsos conferant; nisi in remotis agant, quo casu per Vicarios Generales conferri possunt; Ecclesiæ tamen Parochiales antè Papæ, sub quo vacare cœperunt, obitum conferendæ sunt; alioquin Ordinarius confert. *Cap.* 3. *De Præb. In* 6.

Hinc ob rationis paritatem inferre fas est, in quacumque Reservatione Ordinarium post mensem conferre posse.

REGULA XV.

In Galliâ Pragm. Sanct. vacantium in Curiâ Beneficiorum Reservationem, simul cum aliis in Corpore Juris clausis, conservarat; Concordata verò sola Beneficia Consistorialia huic Reservationi expressè saltem subjecerant, eoque tantùm casu quo per obitum ibidem vacant.

Cæterùm Gallicani Pragmatici existimant, hunc Concordatorum locum pro bono pacis dumtaxat servari, & quoad Regi placebit, servatum iri.

Non diffitendum, mirum omninò esse hac in re per Concordata plus Papæ concessum, quàm per Pragmaticam; cùm per istam non reservarentur Papæ Beneficia Consistorialia, & per Concordata illi reserventur. Nec dici potest æquum fuisse, ut concessâ Regi ad illa nominatione, certos illa liberè conferendi casus sibi Papa reservaret; cùm præter casum devolutionis, si intra tempus præfinitum Rex non nominaret, vel non qualificatas personas nominaret, institutionem ad omnia ista Beneficia sibi reservasset, quæ provisionis circa illa præcipua pars est.

Notandum Auctores, qui Pragmaticam quoad ea, quæ in Concordatis expressè non conservantur, abrogatam existimant, consequenter sentire debere abolitam illam esse, quantùm ad Reservationem Beneficiorum in Curia vacantium, aliter quàm per obitum si Consistorialia sint, & quoquo modo si Consistorialia non sint; cùm Consistorialium & per obitum vacantium solùm meminerint Concordata. Nec dicere posse abolitâ Pragmatica Gallias ad Jus Commune redactas fuisse; Reservationes autem prædictas Juris hujus Partem esse: nisi Jure Communi illud intelligatur, quo cuique sua servatur Jurisdictio, eoque casu Reservationes istæ ad Commune Jus nequaquàm pertinent.

REGULA XVI.

Gallia non patitur, ut Beneficia, ad Laïci Præsentationem vel Collationem pertinentia, prædictæ vacantium in Curiâ Reservationi subjiciantur.

Jure Commoni hujus generis Beneficia Reservationi vacantium in Curia subesse non debent; cùm nullo Juris Textu huic expressè subjiciantur, quomodò subjici debuissent, si mens fuisset illa huic subjicere.

Hine fortè hujus Regni Pragmatici inferunt, quod Beneficia ad Regis nominationem spectantia, ab hac Reservatione excipienda essent: sunt enim non pauci, qui Jure Patronatûs erga ista Beneficia Regem potiri sentiant, ac in confirmationem citant Indultum nominationis ad Episcopatum ELNENSEM, de hoc jure expressam mentionem faciens.

REGULA XVII.

Etsi Concordatnrum paragrapho, quo Papæ reservantur Beneficia Regularia Consistorialia, quæ ni Curia vacant, clausula, *Per obitum*, non inferatur, pro inserta haberi debet, atque ex usu semper habita est pro inserta.

RATIO restrictionis petitur ex eo quod hic §. explicandos per §. quo Consistorialia sæcularia Papæ reservantur, cùm vacant in Curiâ. Nec obstat *quod ista favorabiliora sint;* etsi enim istud verum fit, si in seipsis utraque considerentur; falsum videtur, si habiro respectu ad Concordata spectentur, cùm in cæteris *ibid.* parificentur, excepto qualitatum ad illa requisitarum articulo.

Prætereà cùm io odiosis versemur, generalis locutio ad præcipuam rem ipsâ locutione significatam restringenda videtur; ideòque in §. *cit.* quæ dicunrur de vacatiooe apud Sedem, intelligenda de vacatione per obitum, quæ inter vacationes præcipua est. His de causis REXUFFUS explicans hunc locum in *suo Commentario in Concordata*, restringit clausulam, *Apud Sedem Apostolicam*, ad vacationem per obitum; addit Beneficia vacantia per cessionem Romæ factam, subjici nominationi Regiæ; & quod si cessinne ista vacent, apud Sedem vacare dicuntur. Colligitur ex *Cap. 3. De Præb. In 6.*

REGULA XVIII.

Vacantium in Curiâ Consistorialium Reservatio post mensem expirat.

Quia limitarionem menstruam huic Reservationi positam non tollunt Concordata. Nec obstat vox, *Semper*, cùm ad durationem Reservationis non referatur, sed ad præcedentes casus, in quibus quandoque valet, & necessaria est Regia nominatio; interdum verò necessaria non est, nec etiam valet. Verùm ut clariùs pateat explicatio ista, referenda sunt verba quæ ad rem faciunt. Hæc autem sunt: *Necnon per obitum apud Sedem prædictam vacantibus semper, nulla dicti Regis præcedente nominatione.* Tit. *De Regiâ ad Prælat. nominatione:* Quæ verba etiam repetuntur §. *Monasteriis.* Cui respondetur: Difficultas fundatur in voce, *Semper*; ex illâ infertur quocumque tempore post vacationem in Curiâ elapso, Papam posse Consistorialia Beneficia liberè conferre; è contra videtur cum mense expirare Reservationem, eam vocem *Semper* referri ad alios casus vacationis, in quibus Papa quandoque ad Regis nominationem confert; interdum verò liberè casum vacationia in Curiâ ab aliis casibos voce, *Semper*, distingui, eaque significari tantùm, quod in Coria, quoties vacat Beneficiom, toties illius Collario ad solum Papam pertinet, intra tempos tamen sibi ad hoc præfinitum.

REGULA XIX.

Beneficia quæcumque sint, quoad Galliam, in Curiâ vacant, non aliter quàm per mortem.

Hinc Pontifices, qoi Indulta LUDOV. XIV. concesserunt circa nominationem ad Beneficia Consistorialia Regionum recens reunitarum, insinuarunt duobus modis Reservationem vacantiom in Curia ad casum obitûs restringi in Gallia: 1°. Excipiendo à concesso Indulto Beneficia per obitum in Curia, dein renonciando huic Reservationi. Vide *Indultum* CLEM. XI. *concedens nominationem ad Episcopatus* METANSEM, TULLENSEM & VIROUNENSAM.

REGULA XX.

Regio Albinatus Juri non absimile videtur Pontificium vacantia in Curiâ Beneficia conferendi jus.

REGULÆ RATIO: In utroque extraneorum bona Supremo, in cujus ditione decedunt, Principi reservantur.

Nec obstat, *quod Jus Albinatûs locum habeat, etsi extra Principam Curiam extranei decedat:* Prædictum verò Pontificium Jus ad casum restringatur, quo extranei in Pontificis Curia obeunt. Hinc enim aliud inferre non est, nisi jus istud Pontificium, Albinatûs Jus esse, ad quædam loca limitatum. Nec obstat etiam *quod priori casu extranei bona sua nullo modo donare possint, Irritaque sit quævis illorum donatio; posteriori verò casu extraneis Beneficia sua resignare liceat.* Nam 1°. Beneficia, quæ per Resignationem vacant, Reservationi isti subsunt, juxtà EXTRAVAGANTEM *Ad Regimen 13. De Præb. inter Commun.* 2°. Vel Beneficia simpliciter resignantur, & tunc non donantur; vel in favorem dimittuntur, & tunc quidem donantur, sed Jure Communi, ex merâ Summi Pontificis suo juri renunciantis gratiâ, talis Resignatio admittitur.

Nec obstat iterùm, *quod Albinatûs Jus vires suas non exerit, nisi ipso obitûs casu:* Pontificium verò, de quo hîc, Jus, in aliis casibus robore suo gaudeat: Tales autem sunt, depositionis Episcopalis, Consecrationis neglectus, Electionis cassatæ, Postularionis repulsæ, casus: *Cap. 13. De Præb.* EXTRAV. COM. Nam sufficit, ut utrumque Jus in vero casu conveniat, qualis est mortis casus: In cæteris autem Pontificium Jus alii Principum Juri simile videtur, nempè confiscationi.

Nec obstat denuò, *quod extranei Reipublicæ causâ, apud Principes degentes, Juri Albinatûs non subsint, si ibidem decesserint; qui verò negotiorum causâ, Romæ, vel in locis vicinis, obeunt, Reservationi vacantium in Curia obnoxii sint.* Cap. 13. cit. Nam locus citatus restringi potest & debet ad eos, qui privata negotia agunt, cùm Jure Gentium Reipublicæ causâ absentes non abesse censeantur: Undè Legati Principum apud Papam Indulto de non vacando in Curia non egent; si verò quidam oblatum à Papa acceperint, vitandæ cujusvis litis causâ id faciunt. Ut faciliùs concipiantur quæ de præcipuis inter Reservationem vacantium in Curia, & alias in Corpore Juris clausas differentiis dicenda sunt: Sciendum est, singula Reservationum in Corpore Juris clausarum genera referri in EXTRAVAG. COM. *Cap. 13. De Præb.* Primum illorum esse vacantium in Curia. Secundum est vacantium ex eo quod à Sancta Sede Romanâ cassata est Electio, vel repulsa Postulatio. Tertium vacantium per factam ab eadem Sede Depositionem. Quartum est vacantium per admissam ab eadem Beneficii cessionem. Quintum est vacantium per obitum Cardinalium, ac cujusvis Sedis Apostolicæ Officialis, quovis loco contingentem. Sextum est vacantium per incomparibilitatem, & præcipuè per Promotionem ad Episcopalem, Superioresque Dignitates.

Secun-

Sciendum etiam EXTRAV. citatæ Autorem esse BENEDICT. XII. proximum JOAN. XXII. Successorem, in eaque insinuare BENEDICTUM nullam ex his Reservationibus à se excogitatam, dum ait: In iis faciendis Prædecessorum suorum vestigiis inhærere, *Cap. 2. De Preb. In 6.*

Dicendum præterea, ex *Cap. 18. De Elect. In 6.* colligi Reservationem vacantium, per cassatam à Sede Apostolica Electionem, à BONIF. VIII. esse factam. Ex *Cap. 5.* EXTRAVAG. COMMUN. inferri JOAN. XXII. Reservationem per ineompatibilitatem fecisse Reservationem vacantium in Curia, ex consuetudine ortam.

Cæterarum Autores ex Libris Juris non detegi; tantum autem esse inter istarum nonnullas cum mox memoratis similitudinem, ut ex illis natas verisimile sit, *Verbi gratia*, Reservationes vacantium per depositionem à Papâ factam, ac per cessionem ab eodem admissam; adeò accedunt ad Reservationem vacantium per mortem in Curia, ut illius species esse videantur. Reservatio quoque vacantium, ex eo quòd Electio à Papa cassata sit, adeò similis est Reservationi vacantium, ex eo quòd rejecta sit ab eodem postulatio, ut ista illius ramusculus esse censeatur. Sciendum etiam in sola vacantium in Curia Reservatione tempus præfigi, intra quod vacantia conferenda sunt, nonnullaque ex iis, etiam intra dictum tempus, Ordinario conferenda dimitti. Ex prænotatis, cæterisque suprà dictis de vacantium in Curia Reservatione, sequentem educere licet Regulam.

REGULA XXI.

Præcipua inter vacantium in Curiâ Reservationem, atque alias in Juris Corpore clausas, discrimina hæc sunt.

I. Antiquior est, cùm sub CLEM. III. vel IV. jam antiqua esset; cæteræ verò sint BONIF. VIII. vel coætaneæ vel posteriores.

II. Per mensem tantùm durat; cæterarum durationi nullum præfigitur tempus.

III. Ad plura se extendit Beneficia, frequentioresque sunt illius casus, si juxtà citatam EXTRAVAG. accipiatur.

IV. Si ad mortis casum restringatur, iniquitatis occasio non est, cæterarum pleræque sunt; nam Reservationes vacantium per cassatam electionem, postulationem rejectam, per depositionem factam, movere possunt ad injustitias committendas circa cassationem Electionis, postulationis rejectionem, ac depositionem.

Notandum circà durationem nil innovari per EXTRAVAG. I. *De Preb.* Nam 1º. *Cap. 3. De Preb. In 6.* quod intra mensem clausit jus illud, desumitur è *Conc. Generali* LUGDUN. *sub* GREG. X. *celebrato*: EXTRAVAG. verò prædicta desumitur ex *Epistolâ, vel Constitutione* BONIF. VIII. Atqui si voluisset BONIF. tanto *Conc.* derogare, utique, ut moris est, expressisset; cùm inter Generalia collocetur, quibus à Papa derogatum non censetur, nisi deroget expressè. *Cap. 3. De Capell. Monach.*

2º. Præterea BONIF. restringens Constitutionem suam ad Beneficia, quæ intra mensem vacarant, insinuat menstruæ durationi derogare noluisse, imò illam confirmare velle. 3º. BONIF. non intendisse Novum Jus condere, sed vetus inobservatum innovare ac confirmare, eoque in posterum usum declarare.

REGULA XXII.

Extra dubium est, Reservationem prædictam in Gallia recipi, quoad Beneficia non Consistorialia; exceptis illis I. Quæ sunt Præsentationis, vel Collationis Laicæ. II. Quæ vacant in Regalia. III. Quæcumque alia, quæ ad collationem, Præsentationem, aliamque dispositionem Regis intra idem genus non Consistorialium pertinent. De Consistorialibus contenditur inter Gallos & Romanos; utque pax servetur, vel prævenitur lis per Indulta *De non vacando in Curia*; vel lite occurrente, ex improvisâ hujusce vacationis occasione, ea finitur, per provisiones Beneficiorum, mutuo consensu factas.

Prior Pars Regulæ patet ex *Tit.* III. PRAGMATICÆ SANCTIONIS, in quo Ecclesia Gallicana abolens, post *Concil.* BASILEENSE, Reservationes Generales & speciales, excipit cum illo, illas quæ expressè clausæ sunt in Corpore Juris; quatum præcipua, ut ostensum fuit, est Reservatio Beneficiorum vacantium in Curia. Hæc autem ad sola Beneficia non Consistorialia restringitur, ut patet ex præcipuo Textu suprà laudato, nempè *Cap. 2. De Prabend. In 6.* Præterea pro certo habent Jurisconsulti Galli, PRAGMATICAM SANCTIONEM adhuc vigere in his, quæ per Concordata non sunt abrogata; & hujusmodi est quod ex illa adductum est.

Prima exceptio hujus Partis patet ex *Articulo* 30. *Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ*, sic se habente: *Papa non potest derogare, aut præjudicare fundationibus Laicalibus, aut juribus Patronorum Laicorum.* Idem probatur in *Commentariis novis Cleri Gallicani.* TOM. X. *pag.* 770. & 780.

Secunda colligitur ex *Art. 66. earumdem Libertatum*, in quo jus Regaliæ dicitur esse jus Patronatus, nulli Regulatum Cancellariæ Romanæ obnoxium, proindeque nec cuiquam Reservationi. Id etiam probat PINSON. in sua Præfatione in Historia Tractatûs Regaliorum. *n. 6. & 7.*

Tertia infertur ex iisdem locis, cùm in omnibus Beneficiorum dispositionibus censeatur Rex Patronus Laicus.

Posterior Pars Regulæ patet ex Commentariis citatis *pag. 166.* ubi inter Capita abrogata Concordatorum collocatur in fronte illud, quod concernit Reservationem factam plenæ dispositionis Beneficiorum Consistorialium in Curia vacantium, & gravissimis momentis abrogatio probatur. Ibidem sit quoque sermo de secunda via pacifica, qua contentiones inter Papam & Regem hanc circa rem finiuntur; exemplaque referuntur hujusce pacificationis. Alterius meminit PINSON. in Collatione *Edicti 1637.* cum Declaratione *1646. num. 39.* ubi agit de Reservationibus Apostolicis, refertque praxim Gallicanam esse, ut dum Rex quem nominat ad Cardinalatum, nominato imponit legem habendi Indultum *De non vacando in Curia*, necnon adducit Senatus- Consulta Magni Concilii, quæ Collationes, pleno jure factas à Papa Beneficiorum in Curia, declararunt nullas, ob insertam in nominatione hujusmodi clausulam, & confirmarunt Collationes in contrarium factas à Rege; additque hanc clausulam subintelligendam quoties omittitur ob frequentem illam similibus nominationibus inserendi usum. Cæterum justam esse Gallorum causam hac in lite colligitur ex triplici exceptione, adjectâ Priori hujus Regulæ Parti, cùm Rex nominet ad Beneficia Consistorialia ut Patronus Laicus, ipso CLEM. IX. agnoscente in præcitatis Indultis.

TITULUS V.

An & quomodo idem Clericus habere possit plura Beneficia?

SECTIO I.

Legibus Ecclesiæ vetitum esse in genere habere plura Beneficia Ecclesiastica.

I. Non est conveniens, ut idem Præsbyter locum habeat in duabus Ecclesiis, adeòque Beneficio quod habet manere debet contentus. *De Preb.* Cap. *Cum non ignores.* §. 1. Lib. III. DECR. *Tit. 5.* Cap. 15.

II. *Concilium* PLACENTINUM *ann.* 195. Cap. 15. TOM. X. CONC. *p.* 504. Omninò autem alicui in duabus Ecclesiis titulari non liceat.

III. Nullus Preshyter duas habeat Ecclesias. CAUS. XVI. QUÆST. VII. Cap. 20. *Per Laicos. fin.* ALAXANDER *Papâ II. anno* 1063.

IV. Non aliquis Presbyter duas Ecclesias simul obtineat. CONCIL. ROM. *anni* 1059. *Can.* 8. *sub* NICOL. II. TOM. IX. CONC. *p.* 1010.

V. Clericus non connumeretur in duabus Ecclesiis. CAUS. XXI. QUÆST. I Cap. 1. *Clericus.* Negotiationis enim est hoc, & turpis commodi proprium, & ab Ecclesiastica consuetudine penitùs alienum. VIIa. *Synodus.* Cap. 15. *ann.* 787. TOM. VII. CONC. *p.* 610.

VI. Clericum in duarum Ecclesiis Civitatum eodem tempore conscribi non oportet. *Ibid.* CAUS. XXI. QUÆST. I. Cap. 2. *Clericum. Concil.* CALCHEDON. *anni* 451. Cap. 10.

VII. Confirmamus, ut nonnisi in unius Civitatis Ecclesiis quisquam à modo aliquod Clericale Officium accipiat; quod qui prævaricatus fuerit, Canonicâ ultione feriatur. *Concilium.* TUROR. *anni* 1060. Cap. 5. TOM. IX. CONC. *p.* 1110.

VIII. Singula Officia sunt singulis committenda personis. *In* 60. *De Præb.* Cap. *Cùm singula. init.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 32.

IX. Cùm Ecclesiasticus Ordo pervertatur, quando unus plurium Officia occupat Clericorum, sanctè Sacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Ecclesiis conscribi. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Refor.* Cap. 17. *init.*

X. Una Ecclesia unius debet esse Sacerdotis. *De Præb.* Cap. *Cùm non ignores. init.* LIB. III. DECR. *Tit* 5. Cap. 15.

XI. Nullus plures Ecclesias teneat sine adjutorio aliorum Presbyterorum. *Sermone Synodali Sancti* ALRICI, *qui refertur ad annum* 1009. TOM. IX. CONC. *p.* 804. Intellige de Ecclesiis, quarum aliæ ab aliis pendent, à singulis Presbyteris in titulum possidendæ.

XII. ALEXANDER III. Episcopo JANUENSI, *de Gennes, an.* 1170. ait: *Indignum est si uni personæ locum in pluribus Ecclesiis velit Episcopus concedere.* in *int.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 15.

XIII. Consuetudo Gallicanæ Ecclesiæ, quæ cùm unum ad plura recipiat Beneficia, contra Sacrorum Canonum instituta, non comprobatur à Sede Apostolica, licèt non possit præ multitudine delinquentium emendari. *Ibid. in integrâ.*

XIV. Presbyteros, Diaconos, cæterosque cujuslibet Ordinis Clericos, qui Ecclesiis quoquomodo militant, Abbates per Monasteria esse non permittas; sed, aut admissâ Clericatûs militiâ, Monasticis non provehantur Ordinibus; aut, si in Abbatis loco permanere decreverint, Clericatûs nullatenus permittantur habere militiam. CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 38. *Presbyteros. init.* S. GREG. I. *ann.* 593. Vide etiam *Cap.* 37.

XV. Satis incongruum est, si cùm unum ex his præ sui magnitudine diligenter quis non possit explere, ad utrumque judicetur idoneus. *Ibid. fin.*

SECTIO II.

Quæ potissimùm Beneficia vetet Ecclesia simul ab eodem Clerico haberi?

I. Nemo, quacumque etiam Dignitate, gradu, aut præeminentiâ præfulgens, plures Metropolitanas, seu Cathedrales Ecclesias, in Titulum sive Commendam, aut alio quovis nomine, contra Sacrorum Canonum Instituta recipere, & simul retinere præsumat; cùm valdè felix sit ille censendus, cui unam Ecclesiam benè ac fructuosè, & cum animarum sibi commissarum salute, regere contigerit. *Conc.* TRID. SESS. VII. *De Refor.* Cap. 2. *init.* Citatur *Concilii* CALCHED. *C.* 7. TOM. IV. CONC. *p.* 760. Ad rem non facit, cùm id unum vetet, ne Clerici vel Monachi ad militiam vel dignitatem Sæcularem veniant. *Conc.* PARIS. VI. *ann.* 829. Cap. 49. TOM. VII. CONC. *p.* 1629. abusum habendi plures Basilicas avaritiæ adscribit.

II. Sunt Beneficia, quæ simul nequeunt de Jure teneri. *In* 60. *De Rescriptis.* Cap. *Gratia.* LIB. I. *Tit.* 3. Cap. 7.

III. Presbyteri per Castella & modicas Civitates atque Villas debent ab Episcopis ordinari & poni: singuli tantùm per singulos titulos suos. DIST. LXXX. Cap. 3. *Episcopi. ex* ANACLETO. *Concil.* LATERAN. *Sub* ALEXANDRO III. *ann.* 1179.

IV. Quia nonnulli modum avaritiæ non ponentes, Dignitates diversas Ecclesiasticas, & plures Ecclesias Parochiales, contrà Sacrorum Canonum Instituta, nituntur accipere, ut cùm unum Officium vix implere sufficiant, stipendia sibi vendicent plurimorum: Ne id de cætero fiat, districtiùs inhibitum est. *De Clericis non Resid.* Cap. *Quia nonnulli. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 4. Cap. 3.

V. Per singulas Ecclesias Ministri instituantur. PRAGM. SANCTIO. *De Collationib. §. Dùm autem.*

VI. Quia in tantum quorumdam processit ambitio, ut non duas vel tres, sed plures Ecclesias perhibeantur habere, cùm nec duabus possint debitam provisionem impendere; per Episcopos hoc emendari præcipitur. *De Præb.* Cap. *Quia in tantum.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 5. *Idem Concil.* LATARAN. *ann.* 1179. Vox Præbendarum, quæ habetur in vulgatis, non est in antiquis, nec in Concilio.

VII. Illud est omni rationi contrarium, ut unus Clericus, in una vel diversis Ecclesiis, plures Dignitates vel Personatus obtineat; cùm singula Officia in Ecclesiis assiduitatem exigant personarum. *De Præb.* Cap. *Ad hæc.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 13. ALEX. III. *ann.* 1170. In integra habetur, *Archidiaconatum & Diaconatum.*

VIII. De multâ providentiâ fuit in LATERANENSI *Concilio* prohibitum, ut nullus diversas Dignitates Ecclesiasticas, & plures Ecclesias Parochiales reciperet contrà Sacrorum Canonum Instituta. *De Præb.* Cap. *De multâ. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 28. INNOCENTIUS III. *in Concilio Gener.* LATER. *ann.* 1216. Cap. 29.

IX. Additum est per *Concilium* LATARANENSE IV. ut in eâdem Ecclesia nullus plures Dignitates aut Personatus habere præsumat, etiamsi curam non habeant animarum. *Ibid.* Cap. *De multâ.* §. 1. *Hoc idem.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 28. *Concil. General. sub* INNOC. III. *ann.* 1216.

X. In diversis Ecclesiis duas, aut tres, aut plures Dignitates, Personatus, Officia, seu Prioratus, aut diversa Ecclesiastica Beneficia curam animarum habentia, non licet de Jure Communi recipere & simul licitè retinere. *Extravaganti, Execrabilis.* JOANN. XXII. *init. De Præbendis.* LIB. III. EXTRAVAG. JOANN. XXII. *Tit.* 3. Cap. Unico.

XI. Omnino in duabus Ecclesiis aliquem titulari non liceat, sed unusquisque in quâ titulatus est, in eâ tantùm Canonicus habeatur. Canonicus Præbendarius, nisi unius Ecclesiæ, in quâ conscriptus est, esse non debet. DIST. LXX. Cap. 2. *Sanctorum. Ex Concilio* URBANI II. *habito* PLACENTIÆ *ann.* 1095.

XII *Concil.* NANNETENSE *ann.* 890. *Can.* 8. TOM. IX. CONC. *p.* 470. confirmat subjunctam *n.* 11. SECT. 1. nempè nullum habere posse plures Ecclesias, cum adjutorio Presbyterorum, nisi sibi ab una aliæ pendeant, quæ singulæ in titulum teneantur.

XIII. Beneficia, quæ requirunt Residentiam, dicuntur Incompatibilia, quia nemo potest esse in duobus locis simul & semel naturaliter. *Glossa ad Caput Si plures.* CLEMENTINA III. *De Præb.* LIB. III. CLEMENT. *Tit.* 2. Cap. 3.

XIV. *Concil.* apud VINTONIAM *ann.* 1074. Cap. 1. TOM. X. CONC. *p.* 312. Nulli liceat duobus Episcopatibus præsidere.

XV. Cùm dissolutionis ac evagationis materia sit Religiosis præ cæteris auferenda; prohibitum est, ne aliqui Monachi pluribus Prioratibus, animarum curam habentibus, etiamsi cura per Præsbyteros exerceatur, absque Sedis Apostolicæ autoritate, præsint. *In 6. De Præb.* Cap. *Cùm singula.* LIB. III. *Tit* 4. Cap. 32.

XVI.

XVI. Confuetudo, quæ in Ecclefiâ fervata afferitur tanto tempore quod in contrarium memoria non exiftit; videlicet, quod Ecclefiæ Canonici duos Perfonatus, aut duas Dignitates, aut Adminiftrationes, aut duo Beneficia infimul habeant fine Difpenfatione Sedis Apoftolicæ, corruptela eft utpotè Canonibus inimica. &c. *In 6o. De Confuetud.* Cap. 1. *Confuetudinem.* Lib. I. *Tit.* 4. Cap. 1.

XVII. Pluralitas Dignitatum, quibus cura animarum fit annexa, abfque Difpenfatione obtineri nequeunt. *Extravag.* Joan. XXII. *Execrabilis. De Præb.*

XVIII. Idem de Perfonatibus, quod & de Beneficiis curam animarum habentibus, judicium eft habendum. *De Elect.* Cap. *Dudum.* §. *penult.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 54. Greg. IX. *anno* 1228. *Concil.* Metense *ann.* 888. Can. 3. Tom. IX. Conc. *p.* 413. Presbiter unam folummodo Ecclefiam habeat, nifi illi Capella infeparabilis annectatur.

XIX. Quoniam indecens eft, & non confentaneum rationi, ut idem, cum alia Ecclefiaftica Beneficia fibi fufficientia habeat & poffideat, ab Ecclefiâ, cui non defervit, Beneficium quærat: Si conftiterit, quod Clericus vel habeat Ecclefiaftica Beneficia fibi fufficientia, vel quod eidem Ecclefiæ non deferviat, fibi, fuper præfcripto Beneficio, quod afferit fibi fuiffe collatum, filentium imponi debet. *De Cler. non Refid.* Cap. *Conquerente. in integra.* Lib. III. Decr. *Tit.* 4. Cap. 6. Vide *De Exceptionib.* Cap. *Cùm Ecclefiaftica. in int.* Lib. II. Decr. *Tit.* 25. Cap. 3. Vide *Conc. Emerit. ann.* 666. Cap. 12. *p.* 504.

XX. Dignitates vel Ecclefias, quibus animarum curâ imminet, obtinentes, feu Perfonatum, aut Dignitatem, cum alio Beneficio cui cura fimilis eft annexa, fine Difpenfatione aliquâ, eo ipfo illicitè detineri conftat. *In 6o. De Officio Ordinarii.* Cap. *Ordinarii.* §. 1. Lib. I. *Tit.* 16. Cap. 3.

XXI. Non eft Canonicum ut qui curam animarum in diverfis habet Ecclefiis, Vicarius in alienis exiftat. *De Officio Vicarii.* Cap. *Ad audientiam.* §. 1. *init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 28. Cap. 1.

XXII. Epifcopus provideat attentiùs, ne in Epifcopatu fuo patiatur aliquem Vicarias habere plures. *De Officio Vicarii.* Cap. *Provideas. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 28. Cap. 2.

XXIII. Cùm Vicarii teneantur perfonis & Ecclefiis defervire, alienum eft ab ordine Juris, ut Vicariam quis habeat, præter unam. *Ibid. fin*

XXIV. Si Clericus in aliis Ecclefiis Vicarias habeat, vel Ecclefiafticos reditus, de quibus poffit fuftentari, à Vicariâ alterius Ecclefiæ, confirmationis Apoftolicæ litteris non obftantibus, removetur. *De Off. Vicar.* Cap. *Provideas. in int. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 28. Cap. 2.

XXV. Duplex Dignitas nulli, quantumlibet exercitatæ perfonæ, fecundùm Canonicas Sanctiones debet committi. *De Sent.* Cap. *Cùm olim. in integrâ, med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 12.

XXVI. Ut nemo Epifcopatum, Abbatiam, Archidiaconatum, Archipresbyteratum, Præbendam, vel alios Ecclefiafticos honores, vel in duabus Ecclefiis præfecturas exerceat, nifi in unâ tantùm &c. *Conc.* Pictavense *an.* 1078. Cap. 2. Tom. X. Conc *p.* 368.

XXVII. Ut nullus deinceps in unâ Ecclefiâ geminos honores habeat. *Concilium* Claromont. *anni* 1095. Cap. 14. Tom. X. Conc. *p* 507.

XXVIII. Nulli liceat in duabus Civitatibus duas Præbendas habere, cùm duos Titulos habere non poffit. Vide *Concilium* Belvacense. *anni* 1114. Tom. X. Conc. *p.* 800. Idem habet iifdem verbis; continet Collectionem Canonum hinc inde defumptorum.

XXIX. Præcipimus ne uni perfonæ Archidiaconatûs vel diverfi ordinis tribuantur honores. *Conc.* Londin. *anni* 1125. *Can* 12. Tom. X. Conc. *p.* 916.

XXX. Ut nullus Archidiaconus in diverfis Epifcopatibus diverfos Archidiaconatus teneat, fub anathemate prohibemus; imò ei qui prius affignatus erat, tantùm adhæreat. *Conc.* London. II. *anni* 1127. *Can.* 8. Tom. X. Conc. *p.* 921.

SECTIO III.

Quibus maximè de caufis Ecclefia vetet Beneficiorum pluralitatem?

I. Negotiationis hoc eft & turpis lucri proprium, & ab Ecclefiafticâ Confuetudine penitùs alienum; Audivimus enim ex ipfa Dominicâ voce, quod *Nemo poteft duobus Dominis fervire: Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget; aut unum fuftinebit, & alterum contemnet.* Unusquifque enim, fecundùm Apoftolicam vocem, in quo vocatus eft, in hoc debet manere, & in unâ locari Ecclefiâ. Quæ enim per turpe lucrum in Ecclefiafticis rebus efficiuntur, aliena confiftunt à Deo: Ad vitæ verò hujus neceffitatem ftudia funt diverfa. Ex his ergo, qui voluerit, acquirat corporis opportuna. Caus. XXI. Quæst. I. Cap. 1. *Clericus. VIIa. Synodus.* Cap. 15. *ann.* 787.

II. Singula Ecclefiaftici Juris Officia, fingulis quibufque perfonis fingulatim committi jubemus. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita in Ecclefiæ corpore, fecundùm veridicam Pauli fententiam, in uno eodemque fpiritu alii conferendum eft hoc Officium, alii committendum eft aliud. Neque uni, quantumlibet exercitatæ perfonæ, uno tempore duarum rerum officia committenda funt; quia fi totum corpus eft oculus, ubi auditus? Sicut enim varietas membrorum per diverfa officia, & robur corporis fervat, & pulchritudinem repræfentat: ita varietas perfonarum per diverfa nihilominùs Officia diftributa, & fortitudinem, & venuftatem Sanctæ Dei Ecclefiæ manifeftat. Et ficut indecorum eft ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur Officio, ita nimium noxium, fimulque turpiffimum, fi fingula rerum Minifteria perfonis totidem non fuerint diftributa. Dist. LXXXIX. Cap. 1. *Singula.* Vide *Correct. Rom.* qui docent hunc Canonem citatum ut defumptum ex aliqua S. Greg. Epiftolâ, fed depromptum effe ex Petro Diacono.

III. Hoc neceffariò inftituendum deligimus, ut plures Ecclefiæ uni nequaquam committantur Presbytero; quia folus per totas Ecclefias, nec Officium valet perfolvere, nec populis Sacerdotali Jure occurrere, fed nec rebus earum neceffariam curam impendere. Caus. X. Quæst. III Cap. 3. *Unio.* §. 1. *Sed & hoc. Ex Concilio* Toletano XVI. Cap. 5. *ann.* 693 Tom. VI. Conc. *p.* 1340.

IV. Adeptus Archidiaconatum cum pluribus Parochialibus Ecclefiis, quas retinere præfumpfit, tranfgreffionis notam, necnon cupiditatis vitium, quod in aliis reprobare debuerat, pluralitate Beneficiorum incurriffe. *De Elect.* Cap. *Dudum. med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 54. Gregorius IX. *anno* 1228.

V. De multitudine Præbendarum Canonibus inimicâ, quæ diffolutionis materiam & evagationis inducit, certumque continet periculum animarum, eorum qui Ecclefiis defervire valeant, vult Ecclefia indigentiam fublevari. *De Præb.* Cap. *Quia in tantum. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 5. *Ex Concil.* Lateran. III. *fub* Alexandro *III. anno* 1179. *Cap.* 14.

VI. Ambitionis & avaritiæ vitio nondum finem imponit, qui poffidens plures Dignitates, atque Præbendas contra Lateranensis Statuta *Concilii*, ad obtinendam Præpofituram fe ingerit. *De Præb.* Cap. *Cùm jamdudum* §. 1. *init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 18.

VII. Quod unus in diverfis Ecclefiis, nedum vicinis, fed etiam ab invicem longè diftantibus, duas aut tres, aut plures Dignitates, Perfonatus, Officia feu Prioratus, aut diverfa Ecclefiaftica Beneficia curam animarum habentia, poffit difpenfativè recipere, & fimul licitè retinere: Undè inter cætera inconvenientia, fubfcripta fequuntur; quòd videlicet interdum unus, qui unicum, quamvis modicum, vix Officium implere fufficeret, plurimorum fibi vendicet ftipendia, quæ multis litteratis viris vitæ puritate ac teftimonio bonæ famæ pollentibus, qui

mendicant, possent abundè sufficere, æquâ distributione collatâ. *Extravaganti, Execrabilis.* JOAN. XXII. *post init. De Preb.* LIB. III. EXTRAVAG. JOAN. XXII. *Tit.* 3. Cap. 1.

VIII. Habentibus ipsa Beneficia paratur vagandi materia, Divinus cultus minuitur; hospitalitas iis ipsis debita non servatur. *Ibid.*

IX. Dùm non sunt sui in unaquaque Regione Rectores, Ecclesiarum detrahitur commodis & honori, quæ carentes Defensoris auxilio in Juribus suis, & libertatibus, multipliciter collabuntur, & ruinis patent ædificia nobilia, quæ magnificentia extruxerat Decessorum. *Ibid.*

X. Quorumdam oculos sic avaræ cupiditatis vitium excæcavit, quod plurima Beneficia simul absque Dispensatione Canonicâ retinere præsumant. *Ibid. Extravaganti.* JOAN. XXII. *Execrabilis.* §. *Porrò. De Preb.* LIB. III. EXTRAVAG. JOAN. XXII. *Tit.* 3. Cap. unico.

XI. Cùm Romanus Pontifex, ad importunas & multiplicatas precum instantias, nonnullis Clericis, & Ecclesiasticis personis, Patriarchales, & Archiepiscopales, & Episcopales Ecclesias, ac Monasteria destituta Pastoribus, sub Commendæ vel Custodiæ, seu Curæ vel Guardiæ, aut Administrationis titulo, duxit perpetuò ad vitam, seu ad certi temporis spatium, committenda; ubi à negotiorum utcumque discussione semotus, ad hoc sub diligenti examine dirigit aciem suæ mentis, prospicit evidenter, quod Ecclesiarum & Monasteriorum eorumdem cura negligitur, bona & jura dissipantur ipsorum, ac subjectis eis personis & populis spiritualiter plurimùm & temporaliter derogatur, eisque redundant ad noxam, quæ dicebantur cedere ad profectum *Extravaganti* CLEMENTIS V. *inter Communes. Ex superna.* §. 1. *fin. De Preb.* LIB. III. EXTRAV. COMM. *Tit.* 2. Cap. 2.

Hic miscentur incommoda provenientia ex Commendis, cùm illis quæ nascuntur ex pluralitate Beneficiorum; tùm quia Commendæ sunt unus ex modis acquirendi plura Beneficia; tùm quia idem utrobique neglectus rerum Ecclesiasticarum, ædificiorum reparationum, hospitalitatis, eleemosynarum, cultûs Divini, aliorumque Mandatorum Beneficiarios propiùs respicientium.

XII. Ordini & statui Ecclesiastico magnum discrimen injicitur, cùm pluralitatis Beneficiorum fovetur ambitio. PRAGM. SANCTIO. *De Collationib.* §. *Cui rei.* Non vult Apostolica Sedes Divini Numinis minui cultum, sed potiùs augmentari. *De Constitutionibus.* Cap. *Ex parte.* §. 1. *init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 2. Cap. 12.

SECTIO IV.

Quibus pœnis identidem Ecclesia animadverterit contra eos, qui plures haberent Ecclesias Parochiales, vel Personatus, aut Dignitates?

I. *Concilium* LATERANENSE constituit, quod si unus diversas Dignitates Ecclesiasticas, & plures Ecclesias Parochiales acceperit: & qui receperit, quod contrà Sacros Canones accepit, amittat; & qui dederit, largiendi potestate privetur. *De Clericis non Resid.* Cap. *Quia nonnulli. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 4. Cap. 3. *Concil.* LATER. *Sub* ALEXAND. III. *ann.* 1179.

II. Qui unum Beneficium habet, non reputatur idoneus ad aliud. *Tit. eodem.* Cap. 35. *Super. Glossa finalis.*

III. De multâ providentiâ fuit in LATERANENSI *Concilio* prohibitum, ut nullus diversas Dignitates Ecclesiasticas, & plures Ecclesias Parœciales reciperet; alioquin recipiens sic acceptum amitteret, & largiendi potestate conferens privaretur. *De Preb.* Cap. *De multâ. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 28. *Concil* LATER. *Sub* INNOCENTIO III. *ann.* 1216.

IV. Quia verò propter præsumptiones & quorumdam cupiditates, nullus hactenus aut rarus de prædicto Statuto fructus provenerat, *Concilium Generale* evidentiùs & expressiùs occurrere cupiens, præsenti Decreto statuit, ut quicumque receperit aliquod Beneficium curam habens animarum annexam, si priùs tale Beneficium habebat, eo sit ipso jure privatus; & si fortè illud retinere contenderit, etiam alio spolietur. *De Preb.* Cap. *De multâ. post init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 28.

V. Is quoque ad quem prioris spectat donatio, illud, post receptionem alterius, liberè conferat, cui meritò viderit conferendum. *Ibid.* §. 1. In Gallia datur optio per annum, per quem provisus non fruitur fructibus cujus servitium non facit.

VI. Et si ultra sex menses conferre distulerit, non solùm ad alios, secundùm LATERAN. *Concilii* Statutum, ejus Collatio devolvatur, verùm etiam tantùm de suis cogatur proventibus in utilitatem Ecclesiæ, cujus est illud Beneficium, assignare, quantùm à tempore vacationis ipsius constiterit esse perceptum. *Ibid.*

Apud Gallos non viget postrema hæc pœna.

VII. Si inveniebatur Clericum habere plures alias Dignitates atque Præbendas, ei super obtinendâ novâ Præpositurâ silentium imponebatur. *De Preb.* Cap. *Cùm jamdudum.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 18. INNOCENTIUS III. *ann.* 1210. ALEXANDER III. *ann.* 1180.

VIII. In *Generali Concilio* est statutum, ut quicumque receperit aliquod Beneficium curam animarum habens annexam, si priùs tale Beneficium obtinebat, eo sit ipso jure privatus; & si fortè illud retinere contenderit, etiam alio spolietur. *De Elect.* Cap. *Dudum.* §. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 54.

IX. Qui receperint Dignitatem, vel Personatum, seu Officium, aut aliud Beneficium animarum curam habens annexam, si anteà simile Beneficium obtinebant, illud absque moræ dispendio in Ordinariorum manibus dimittere debeant; alioquin ex tunc sint ipso jure secundo privati; & nedum ad Sacros suscipiendos Ordines, quin etiam ad habendum quodcumque Beneficium Ecclesiasticum inhabiles reputentur. *Extravaganti* JOAN. XXII. *Execrabilis.* §. *Qui verò.* LIB. III. EXTRAVAG. JOAN. XXII. *Tit.* 3. Cap. unico.

X. Primo Beneficio ipso jure, postquàm secundi possessionem habuerint, vel per eos, omni dolo & fraude cessantibus, quominùs haberent steterit, privati noscuntur. *Ibid. Extravag.* JOAN. XXII. *Execrabilis. De Preb.* LIB. III. EXTRAVAG. JOAN. XXII. *Tit.* 3. Cap. unico CLEMENS V. *in Concilio* VIENNENSI *ann.* 1312. JOAN. XXII. *ann.* 1317. *idem.*

SECTIO V.

Quæ Beneficia de Jure Communi compatibilia sint, ut aiunt; sive talia, ut possit Clericus ea simul habere absque ullâ dispensatione?

I. In villis, quæ foris sunt, propter inopiam hominum indulgeatur, ut Clericus connumeretur in duabus Ecclesiis. CAUS. XXI. QUÆST. I. Cap. 1. *Clericus. fin.*

II. Nullus potest plures Parochiales Ecclesias obtinere, nisi una pendeat ex alterâ, vel unam intitulatam, & alteram in Commendam. *De Elect.* Cap. *Dudum.* §. *penult fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 54.

III. Habentes plures Ecclesias, quæ ex unâ non pendeant, cogi possunt ad unam ipsarum, quam maluerint, dimittendam; nisi ita fuerint tenues (in casu isto permittit Papa, propter paupertatem, habere plures Ecclesias. *Glossa.*) in substantiâ quod proprios Sacerdotes non possint convenienter alere. *De Ætate & Qualitate. &c.* Cap. *Eam te.* §. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 14 Cap. 4. Id quoque permittere potest Episcopus.

IV. Super eo quod aliqui Præbendas, quibus Parochiales Ecclesiæ sunt annexæ, simul cum Personatibus (quorum aliquibus cura imminet animarum) in eadem Ecclesiâ obtinent (cùm hoc non sit contra

Ca-

Concilium Generale) illius dispensatio necessaria non existit. *In 6. De Præbendis.* Cap. *Super eo.* Lib. III. *Tit.* 4. Cap. 6.

V. Archidiaconatum vacantem, non obstante quod certa sit sibi annexa Præbenda, potest quis acceptare. *Clementinâ. Si juxta. mod. De Præb.* Lib. III. Clem. *Tit.* 2. *Cap.* 6. Ob annexionem unicum est Beneficium.

VI. Si Præbenda Dignitati, Personatui, vel Officio sit annexa, ei debetur Dignitas, Personatus, vel Officium, qui præfertur in ipsâ. *In 6. De Præbendis.* Cap. *Quia sæpè. fin.* Lib. III. *Tit.* 4. Cap. 15.

VII. Si fortè Dignitati vel Præbendæ Parochialis Ecclesiæ cura sit annexa, in eo casu concessum, ut qui talem habet Præbendam vel Dignitatem, cùm oporteat eum in majori Ecclesiâ deservire, in ipsâ Parochiali Ecclesiâ idoneum & perpetuum habeat Vicarium Canonicè institutum. *De Præb.* Cap. *Extirpandæ.* §. 2. *Qui verò.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 30.

VIII. Si quæ Capellæ sunt, quæ suis reditibus Clericos sustentare non possunt, ea cura ac depositio Præposito majoris Ecclesiæ, cui Capellæ subditæ esse videntur, immineat; & tàm de possessionibus, quàm de Ecclesiasticis Capellarum Officiis ipse provideat. Dist. LXX. Cap. 2. *Sanctorum.* §. 2.

IX. Idem potest esse Archidiaconus & Canonicus ejusdem Ecclesiæ. *De Rescriptis.* Cap. *Eam te.* §. *penult.* Lib. I. Decr. *Tit.* 3. *Cap.* 7. Idque, etiamsi Canonica sit annexa Archidiaconatui, quia difformia sunt Beneficia; secùs de duobus Canonicatibus, quia sunt uniformia Beneficia, quæ simul possideri nequeunt. Gonzal. *n.* 6.

X. Clericus, si non habet sufficiens Beneficium Ecclesiasticum, in Canonicum recipi potest. *De Præb.* Cap. *Dilectus.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 5. *Cap.* 27. Agitur de Mandatario, cui Canonicatus debebatur, & denegari non poterat, nisi aliud Beneficium haberet.

XI. Cui causas, quæ ad Deum pertinent, committit, illum eligit ut præsit electioni, ne assumatur quis ad id inhabilis, qualis qui alii addictus est Ecclesiæ. Dist. LX. *Cap.* 17. *Catinensis.*

XII. *Joannes* in Roffensi & Eliensi Diœcesibus Beneficia obtinet. *De Rescript.* Cap. *Dilectus.* Lib. I. Decr. Tit. 3. *Cap.* 29. Gonzales, Beneficia compatibilia simplicia, vel minùs congrua ad sustentationem; aliàs nemo potest duo Beneficia possidere, *Ex Concil VII. Generali.*

XIII. Potest aliquis extra Civitatem habere plures Ecclesias; & hoc ideò, quia extra Civitatem sunt pauci Clerici, & propter paucitatem Clericorum multa permittuntur. *Glossa*, verbo, *In Villis.* Alex. III. *anno* 1180.

XIV. Habere personatum cum curâ, & Præbendam cui annexa est Parochialis Ecclesia, non est contra *Concilium Generale. Glossa.*

XV. *Paupertas, pendens, defectus, gratia, servans,*
Ecclesias retinere duas dat quodlibet horum.

Glossa. fin. ad Cap. *Eam te. De Ætate & Qualitate.* Lib. I. Decr. *Tit.* 14. Cap. 4.

XVI. Idem potest esse Archidiaconus & Canonicus. *De Arbitris.* Cap. *Non fine.* Lib. I. Decr. *Tit.* 43. *Cap.* 2. Recurrit nota *n.* 9. Ut dentur uni vel simul uniantur. *Glossa*, verbo, *Provideat.*

Certum est in eadem Ecclesia posse aliquem obtinere duo Beneficia, si modò difformia sint, ut Dignitas & Canonicatus; non verò si uniformia, ut duas Præbendas. Gonzal. *Ibid.* Commendatam habeat. Greg. IX. *ann.* 1228.

XVII. Potest quis habere plures Ecclesias: Primò, ubi una pendet ex alterâ. *Glossa*, verbo, *Intitulata.* Item, propter paupertatem Ecclesiarum. Item, propter pecuniam Clericorum. Bonif. VIII. *ann.* 1298.

XVIII. Potest dici quod habere plura Beneficia non Curata, & quæ de Consuetudine vel Statuto Residentiam non requirunt, non est vetitum, nec contra Jura. (*Gloss. ad* Cap. *Gratiâ. De Rescriptis. In 6.* Verbo, *Jure teneri.* Lib. I. *Tit.* 3. *Cap.* 7. Quæ est opinio vera, quam sequitur Consuetudo, quam Papa scit & tolerat. *Ibid. Concil.* Urbani II. *ann.* 1095.

Qui plures Ecclesias retinet, unam quidem Titulatam, aliam verò sub Commendatione retinere, non ut Prælatus, sed ut Procurator, ad tempus debet. Caus. XXI. Quæst. I. Cap. 3. *Qui plures.* *Glossa.*

Statutum est, ut cùm unum Officium vix dignè valeat aliquis adimplere, nulli liceat, nisi unicum Personatum, vel Dignitatem, aut Præposituram, sive Administrationem, vel Officium perpetuum, quocumque nomine censeatur, cum Præbenda insimul, absque Dispensatione Apostolicæ Sedis, in eadem Ecclesiâ obtinere, vel jam obtenta tenere: Quod si à quoquam secùs præsumptum fuerit, irritum sit omninò. *In 6. De Consuetudine.* Lib. I. *Tit.* 4. Cap. 1. *fin.*

SECTIO VI.

Post Consecrationem electi in Episcopum, vacant Beneficia quæ anteà habebat, & is ad quem illorum donatio spectat, illo ipso ea conferre potest.

I. Cùm Episcopus electus fuerit & Confirmationem Electionis acceperit, & Ecclesiasticorum bonorum Administrationem habuerit, (si sit in morâ perendi Consecrationem, mora sibi debet imputari, & debet etiam de illâ Dignitate repelli. *Glossa hoc verbo,* Nisi necessitas eum impedierit petere Consecrationem, quia tunc non cucurrerat ei tempus. *Gloss. Ibid*) tempore de consecrandis Episcopis à Canonibus definito, is ad quem spectant Beneficia quæ habebat, de illis disponendi liberam habeat libertatem. *De Elect.* Cap. *Cùm in cunctis.* §. *Cum verò.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 7.

II. Si ille qui Præpositus fuerat in Episcopum fuit assumptus, post Consecrationem suam ipsa Præpositura de jure vacat, & alii assignari potest corporaliter possidenda. *De Concess. Præb.* Cap. *Cùm nostris. in integrâ.* §. 1. Lib. III. *Tit.* 8. Cap. 6.

III. Quod ille ad ipsam Præposituram, post Consecrationem suam denuò ab ipsis Canonicis eligatur, id contrarium est Juri, nisi hoc eis specialiter ab Apostolicâ Sede fuerit indultum. *Ibid. in integrâ.*

IV. Nisi prædictus Episcopus sufficienter ostenderit, quod vel ex indulgentia Sedis Apostolicæ speciali, vel ex aliâ justa causa & necessaria, sibi, post Consecrationem suam, Præpositura concessa fuerit memorata; ad resignationem ipsius, si spontè noluerit, compelli debet. *Ibid. De Concess. Præb.* Cap. *Cùm nostris.* §. *ult.* Lib. III. Decr. *Tit.* 8. Cap. 6.

V. Post Electionem & Confirmationem (supple Consecrationem, juxtà Decisionem primam, *Glossa.*) Episcopi, vacat Archidiaconatus quem tenuerat. *De Concess. Præb.* Cap. *Post electionem. init.* Lib III. Decr. *Tit.* 8. Cap. 7.

De Capitulo est, qui est Archidiaconus & Canonicus alicujus Ecclesiæ, cùm non est adhuc in Episcopum consecratus. *De Rescriptis.* Cap. *Eam te.* §. 3. Lib. I. Decr. *Tit.* 3. Cap. 7.

VI. Capitulum, audito quod quondam eorum Præpositus in Episcopum electus & confirmatus fuerit, alium in Præpositum potest eligere. *De his quæ fiunt. &c.* Cap. *Ex ore.* §. 1. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 11. Cap. 3.

VII. Si quis jam translatus est ab aliâ Ecclesiâ in aliam, nihil habeat commune cum priore Ecclesiâ, sive sub hac Ecclesiâ constitutis Martyriis, sive in Parochiis, sive Xenodochiis, aut eorum negotiis. Caus. XXI. Quæst. II. Cap. 3. *Si quis. init.*

Videretur quod in Gallia Beneficia possessa antè Consecrationem, per istam vacare non deberent quoad fruitionem fructuum, nisi post adeptam plenam possessionem redituum Episcopatûs, ut consecratus habere possit necessaria ad honestam sustentationem suam pro dignitate sua.

SEC-

SECTIO VII.

Quomodo vacent Beneficia inferiora, quæ quis possidet, cùm aliud obtinet incompatibile; ita tamen ut si Beneficium de novo acquisitum pacificè non possederit, ad primum dimissum redire possit.

I. De Ecclesiis Curam animarum habentibus per receptionem aliarum similium amittendis statutum esse noscitur. *Clementinâ unicâ. De Officio Vicarii. init.* LIB. I. CLEM. *Tit.* 7. Cap. unic.

II. Eum, qui possidet Beneficium Personalem Residentiam exigens, vel curam animarum habens annexam, posse quidem aliud simile acceptare, sed teneri infra annum alterutrum quod maluerit dimittere; alioquin priùs obtentum ipso facto vacare, nisi sint Præbendæ in eadem Ecclesiâ.

III. Si quis in duplici Ecclesiâ est Archidiaconus constitutus, eumdem, altero quem maluerit Archidiaconatu Episcopus faciat esse contentum. *De Præb.* Cap. *Præstereà.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. *Cap.* 14. ALEX. III. *ann.* 1180.

IV. Cùm Presbyter duas habet Ecclesias, compellitur ut de prædictis Ecclesiis, unâ quam voluerit relictâ, alteram alii Presbytero non differat assignare. *De Præb.* Cap. *Referente.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. *Cap.* 7. ALEXAND. III. *ann.* 1180.

V. Cùm aliud Beneficium ab Episcopo tuo tibi est collatum; utrumque (si talia sint Beneficia, quæ simul nequeant de jure teneri) habere non potes; sed eligas quod ex eis malueris retinere. *In* 6. *De Rescript.* Cap. *Gratia.* LIB. I. *Tit.* 3. *Cap.* 7. BONIF. VIII. *ann.* 1302. Lege 1298. ut notat PITHÆUS *in fine* SEXTI.

VI. Cùm aliquis de una Præbenda eligitur ad aliam, Præbenda illa, etsi non de facto, de jure tamen vacare noscitur; & ut prædictus Canonicus illam sine difficultate resignet cogi debet. *De Concess. Præbend.* Cap. *Literas.* §. 3. & 4 LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 9. INNOC. III. *ann.* 1210.

VII. Si plures obtinens Dignitates, aliam Dignitatem aut Beneficium curam animarum habens acceptet, Dispensatione super hac legitimè non obtentâ; ejus possessione adepta pacificè, Dignitates, quas priùs habebat, ipso facto vacare censentur. *Clementinâ. Si plures. De Præb.* LIB. III. CLEM. *Tit.* 2. Cap. 3. *init.* CLEM. V. *in Concilio* VIENN. *ann.* 1312.

VIII. Si Dignitatem unicam obtinenti alia similis conferretur, ejus pacificâ possessione habitâ, prima de jure vacaret. *Ibid. Clementinâ. Si plures. fin De Præb.* LIB. III. CLEM. *Tit.* 2. Cap. 3.

IX. Si Beneficia, quæ per Sedem Apostolicam conferuntur, interdum contingat ab iis, ad quos aliàs pertinet Collatio eorumdem, aliquibus, hujusmodi Collationem ignorantibus, de facto conferri, & Beneficia, quæ illi tenebant anteà, & post prædictorum adeptionem dimissa, per eos aliis assignari, &c. *In* 6. *De Præb.* Cap. *Si Beneficia.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 20.

X. Canonicatum & Præbendam Ecclesiæ adeptus, Dignitatem, seu Archidiaconatum inibi post vacantem, non obstante quod certa sit sibi annexa Præbenda, poterit acceptare; primaque Præbenda hoc ipso vacabit, quòd secundam cum Archidiaconatu prædicto pacificè fuerit assecutus. *Clementinâ* 6. *Si juxta. De Præb.* LIB. III. CLEM. *Tit.* 2. Cap. 6.

XI. Qui plures Ecclesias (*a*) detinent, unâ quam maluerint retentâ, alias infrà annum dimittere teneantur; alioquin Ecclesiæ ipsæ, ultimò obtentâ dumtaxat exceptâ, eo ipso vacare censeantur. *Conc.* TRID. SESS. VII. *De Refor.* Cap. 2.

XII. Adeptus in Ecclesia Dignitatem habentem Præbendam annexam, perdit primam Præbendam quam habebat in illâ. *Glossa*, verbo, *Si juxta.*

In Præbendis ejusdem Ecclesiæ, ipso jure per receptionem secundæ vacat prima. *Glossa*, verbo, *Hoc ipso.*

(*a*) Decretum loquitur de Cathedralibus; sed usus obtinet ut vim habeat in Curatis & Parochialibus; Par ratio id exposcere visa est. Declaratio mensis Januarii 168. circa incompatibilia, hoc in omnibus hujus generis vigere supponit.

SECTIO VIII.

Per solam Dispensationem Apostolicam obtineri possè simul ea Beneficia, quæ dicuntur incompatibilia, & tantùm cum hujusmodi Dispensatione non debere retineri.

I. Si quis Archidiaconatum adeptus, ipsum cum pluribus Parochialibus Ecclesiis retinere præsumpserit; & pluralitatem Beneficiorum hujusmodi professus in Jure, per concessionem sui Archiepiscopi exhibitam, nitatur se excusare: dicta excusatio, utpotè frivola, nullatenus admittitur. *De Elect.* Cap. *Dudum.* §. 1. & 2. LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 54.

II. Sedes Apostolica sic unius Episcopalis Ecclesiæ Cardinalem constituit Sacerdotem, ut & alterius Cathedralis Ecclesiæ Pontifex esse non desinat, nec curam, gubernationemque ejus prætereat; sive ita uni Cathedrali Ecclesiæ præesse præcipit, ut ante dictæ Ecclesiæ sibi jura, potestatemve nullo modo subtrahat. CAUS. XXI. QUÆST. I. Cap. 6. *Illud quoque.*

III. Si constiterit quod idem Archidiaconatum Curam animarum habentem, & Parochiales Ecclesias retineat, nec ostendat secum per Sedem Apostolicam super hoc dispensatum, proferenda est Sententia contra ipsum; nisi tàm juri, si quod ei competere videtur, quàm liti cedat, spontaneâ voluntate. *De Elect.* Cap. *Dudum.* §. *ult.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 54.

IV. Si Presbyter cùm duas haberet Ecclesias, earum alterâ fuerit spoliatus; sed de Mandato Archiepiscopi, ad quem appellaverat, in prædictâ Ecclesiâ restitutus fuerit, cogitur unam quam voluerit relinquere. *De Præb.* Cap. *Referente.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 7.

V. Circa sublimes & literatas personas, quæ majoribus sunt Beneficiis honorandæ, cùm ratio postulaverit per Sedem (Quod dicit per Sedem Apostolicam, patet à contrario sensu, quod per alios in talibus non potest dispensari; quia quod de uno conceditur, de alio negatur. *Glossa.*) Apostolicam poterit dispensari. *De Præb.* Cap. *De multa.* §. *ult.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 28.

VI. Simplex Canonicus Ecclesiæ, postmodùm in ipsa in Præpositum assumptus, licet Archiepiscopus tàm Præposituram illam quàm Præbendam ei de communi Canonicorum confirmaverit assensu, ut illam Præbendam sine difficultate resignet, cogitur. *De Concess. Præb.* Cap. *Literas.* LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 9. GONZAL. *n.* 2. ubi remittit ad *Cap.* 28. *De Præb.* in quo de Dispensatione à pluralitate Beneficiorum agit, & notat casus, in quibus Episcopus dispensare potest.

VII. Ut in eadem Ecclesia habeat quis plura Beneficia Episcopus dispensare non potest. *Gloss.* verb. *Vacare.*

VIII. Illi, qui plures Parochiales Ecclesias, aut unam Cathedralem, & aliam Parochialem obtinent, cogantur omninò, quibuscumque Dispensationibus ac unionibus ad vitam non obstantibus, unâ tantùm Parochiali, vel solâ Cathedrali, retentâ, alias Parochiales infrà spatium sex mensium dimittere; alioquin tàm Parochiales, quàm omnia Beneficia, quæ obtinent, ipso jure vacare censeantur; ac tanquam vacantia liberè aliis idoneis conferantur; nec ipsi anteà illa obtinentes, tutâ conscientiâ, fructus post dictum tempus retineant. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Ref.* *Cap.* 17. Vide *Notam* *n.* 13. SECT. VII. & *n.* 5. SECT. IV.

IX. Statutum est & ordinatum, quod obtinentes ex Dispensatione legitimâ pluralitatem Dignitatum, Personatuum, Officiorum, aut Prioratuum, seu Beneficiorum, quibus cura animarum sit annexa, unam tantùm ex Dignitatibus, Personatibus, Officiis, Prioratibus, Ecclesiis, vel Beneficiis hujusmodi, quibus cura imminet

net animarum, cum Dignitate, Personatu, vel Officio, Prioratu, Ecclesia, vel Beneficio sine curâ, quod habere maluerit, prætextu Dispensationis sufficientis circa id eisdem indultæ, possint licitè retinere. *Extravaganti* Joan. XXII. *Execrabilis. De Præb. §. Statuimus.* Lib. III. Extrav. Joan. XXII. *Tit.* 3. Cap. unic.

SECTIO IX.

Quamcumque Dispensationem ab Apostolicâ Sede concessam, nullius planè esse momenti ad obtinenda plura Beneficia, etiam compatibilia, nisi expressum fuerit quodcumque Beneficium quantumvis modicum, quod habet Orator; nisi Papa conferat motu proprio, vel nisi ignoret se Beneficium habere.

I. Si proponente aliquo nondum se Beneficium Ecclesiasticum assecutum, super provisione ipsius (licèt minùs competens obtinentis) Rescriptum Apostolicum, de hoc mentionem non faciens, impetretur: Illud veluti fraudulenter obtentum dicimus non valere. *De Rescriptis.* Cap. *Si proponente.* Lib. I. Decr. *Tit.* 3. Cap. 42.

II. Quantumcumque modicum sit Beneficium, semper de ipso mentio est facienda, si aliud Beneficium voluerit impetrare. *Glossa.*

III. Cùm Clerici Ecclesiasticis præditi Dignitatibus, super minoribus Beneficiis Litteras impetrarunt, Apostolica Sedes Literas, in quibus Actor suæ nomen Dignitatis supprimit, vires non vult obtinere. *De Rescr.* Cap. *Ad aures.* Lib. I. Decr. *Tit.* 3. Cap. 8.

In Literis pro Beneficio obtinendo fieri debet semper mentio de Beneficio alio, si quod habet ille qui impetrat. *Glossa.*

IV. Cùm in Literis Apostolicis nec de Præbenda Clerici mentio habetur, nec Canonicus dicitur, intelligi potest qualiter Literæ ipsæ fuerunt impetratæ, in quibus de Beneficio ipsius, pro quo scribebatur, mentio non fit. *Ibid. De Rescript.* Cap. *Cùm adeò, in integrâ.* Lib. I. Decr. *Tit.* 3. Cap. 17.

Literas impetrantes nomen supprimere Dignitatis suæ non debent.

V. Perpetuus Vicarius (nisi de Vicariâ fecerit mentionem) commodum reportare non debet de Literis Apostolicis, utpotè veritate tacitâ impetratis, ut ei in Ecclesiastico Beneficio provideatur. *De Rescr.* Cap. *Postulasti. §.* 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 3. Cap. 27.

Semper est facienda mentio de priori Beneficio, aliter non valent Literæ. *Glossa.*

VI. Si Mandatum Apostolicum pro alicujus provisione recipiatur, qui aliud Beneficium habeat, de quo valeat commodè sustentari, nisi fortè in Literis ipsis de hoc mentio habeatur, executioni non mandatur. *De Præb.* Cap. *Cùm teneamur.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 6.

VII. De pensionibus exptimendis. *Cap.* 31. *Ad audientiam. De Rescriptis.*

VIII. Qui Literas super Beneficio impetrat, si habeat, debet facere mentionem de eodem. *Glossa.*

IX. Scilicet malè investituram Præbendæ à Pontifice Romano per falsam suggestionem obtinuit, quia se Beneficiatum in aliâ Ecclesiâ non exposuit. *De Except.* Cap. *Cùm Ecclesiasticæ, in int. med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 25. Cap. 3.

X. Non potest Dispensatio super pluralitate Beneficiorum concessa impetranti prodesse, qui quantumcumque modicum Beneficium subricuit in eadem. *In 6. De Præb.* Cap. *Non potest. init.* Lib. III. *Tit.* 4. *Cap.* 21. Bonifacius VIII. *ann.* 1298.

XI. Si alicui Beneficium obtinenti ad petitionem illius, vel alterius pro eodem oblatam, Romanus Pontifex conferat aliud Beneficium, de illo non habitâ mentione, gratiam hujusmodi invalidam vult reputari; tunc enim, quantumcumque modicum Beneficium taceatur (sive per malitiam, sive per simplicitatem taceatur. *Glos. ibid.*) in eâ, ipsam, veluti subreptitiam vires non vult obtinere. *In 6. De Præb.* Cap. *Si motu proprio. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 4. Cap. 23.

XII. Si motu proprio alicui aliquod Beneficium obtinenti Papa conferat aliud, de illo non habitâ mentione; non ob hoc gratiam hujusmodi, quæ de suâ merâ liberalitate processit, invalidam vult reputari. *In 6. De Præb.* Cap. *Si motu. init.* Lib. III. *Tit.* 4. Cap. 23.

XIII. Cùm Papa proprio motu confert Beneficium jam habenti, nullâ illius mentione factâ, gratia non est subreptitia, nec invalida.

XIV. Licèt valeant Literæ, non propterea poterit Beneficia retinere, cùm per hoc secum dispensatum non sit. *Glossa,* verbo, *Beneficium; ex* Cap. *Non potest supra* 21. priùs enim ignorari potuit.

XV. Si Romanus Pontifex de Beneficio alicui motu proprio provideat, de Beneficiis quæ obtinet non habitâ mentione, provisionem seu gratiam hujusmodi fore validam (*a*) declaratum est, qualiacumque fuerint Beneficia. (*a*) (Quoad virium subreptitionis; *id est,* non erit provisio subreptitia, sed aliam inhabilitatem non tollit; seu, per id non intelligitur in retentione Beneficiorum dispensatum. *Glossa*) Clementina IV. *Cap. Si Romanus. De Præb.* Lib. III. Clementinar. *Tit.* 2. Cap. 4.

XVI. Gratia, quam super Beneficio à Sede te impetrasse proponis, vitiosa reputari non debet, quamvis de alio Beneficio, ab Episcopo tuo anteà tibi absenti & ignoranti collato, nullam (cùm tempore impetrationis nescires) feceris mentionem. *In 6. De Rescriptis.* Cap. *Gratia.* Lib. I. *Tit.* 3. Cap. 7.

Ut locum habeat obreptio, oportet ut res tacita exprimi possit, quod de re ignorata fieri non potest.

XVII. Licèt ignorans Beneficium sibi collatum, in impetratione alterius illius mentionem non fecerit, valent Literæ. *Glossa.*

XVIII. Pro habente Beneficii sufficientis subsidium, ex certâ scientia super obtinendo alio Beneficio, de levi non scribit Sedes Apostolica, quin faciat de primo in suis Literis mentionem. *De Rescriptis.* Cap. *Postulasti. §.* ult. *fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 3. Cap. 27.

XIX. Indulgentia, quam super pluralitate Beneficiorum quis asserit se habere, invalida reputatur, si suppressit quod alios reditus in pluribus Ecclesiis noscitur habere. *De Elect.* Cap. *Dudum. §. penult. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 54.

XX. Si Clerici, obtentis à Sede Apostolicâ Literis super provisione suâ in aliquibus Ecclesiis, recipiant ab eis annuas pensiones, & alias Literas (de illis mentione non habitâ) impetrent, carere debent commodo earumdem, revocatis illis in irritum, si quid earum prætextu inveniatur esse factum. *De Rescr.* Cap. *Ad audientiam.* Lib. I. Decr. *Tit.* 3. Cap. 31.

XXI. Non valent Literæ Beneficiales impetratæ tacito quod habeat annuam pensionem ab Ecclesiis.

XXII. Clerici, Ecclesiis in quibus recepti sunt, debent esse contenti, nec permittitur alias ab eis, occasione Literarum Apostolicarum, molestati; nisi de receptione suâ expressam fecerint mentionem. *De Rescr.* Cap. *In nostræ. §.* 2. Lib. I. Decr. *Tit.* 3. Cap. 32.

XXIII. Papa non intendit alicui providere in pluribus Beneficiis, nisi in secundis Literis mentio fiat de primis. *Glossa,* verbo, *Mentionem.*

Collecti Textus docent quantùm Ecclesia abhorreat Beneficiorum plurium ab eodem possessionem, cùm irritet gratiam, quotiescumque impetratur secundum non factâ mentione primi, quantumcumque istud sit modicum: Hæc enim magna severitas aliundè nasci non videtur; Hinc Dispensatio circa illam, & rarior esse deberet quàm sit. Ex iisdem Textibus sequitur Ecclesiam non minùs severam fuisse in illos, qui falso Titulo paupertatis, Beneficia vel Mandata de providendo impetrabant; idque æquissimum esse, cùm hac fraude veris pauperibus debitum subsidium subtraheretur.

SEC-

SECTIO X.

Dispensationes ab Apostolica Sede concessas ad obtinenda plura Beneficia, quàm maximè restringendas esse, utpote valdè odiosas.

I. Si gratiosè tibi à Romano Pontifice concedatur, ut Beneficia, quæ tempore tuæ promotionis obtines, possis retinere; prætextu talis concessionis quæ debet (cùm sit ambitiosa) restringi, (quia odia restringi, & favores convenit ampliari. *Glossa.*) ea solùm Beneficia, quæ Canonicè (nil novi Juris in Beneficiis illis tribuit hæc Dispensatio, sed vetus conservat & prorogat. *Glossa fin.*) obtines, potes licitè retinere. *In 6. De Rescript.* Cap. *Si gratiosè.* Lib. I. *Tit.* 3. Cap. 5.

II. Si is, cum quo fuit per Sedem Apostolicam dispensatum, ut, non obstante defectu natalium quem patitur, valeat obtinere Beneficium, etiamsi curam habeat animarum, Dispensationem aliam (tacito de prædicto defectu) postmodùm obtineat à Sede præfatâ, ut duo aut plura Beneficia similem curam habentia possit recipere, si ei aliàs Canonicè conferantur, & ea simul licitè retinere: Talis Dispensatio, veluti per surreptionem obtenta, nullius penitùs est momenti. *In 6. De Filiis Presbyter.* Cap. *Si is.* Lib. I. *Tit.* 11. Cap. 2.

III. Non est verisimile Sedem ipsam cum illo prædictum patiente defectum voluisse, si hoc fuisset expressum, in pluralitate Beneficiorum hujusmodi dispensare. *Ibid. In 6. De Filiis Presbyt.* Cap. 2. *med.* Lib. I. *Tit.* 11. Cap. 2.

Apostolicæ Sedis Indultum, ut quis duo Beneficia curam animarum habentia, si aliàs Canonicè conferantur eidem, possit recipere ac simul licitè retinere, intelligitur de duobus primis Beneficiis, quæ cum curâ post dictum Indultum obtinere contingit eumdem. *In 6. De Præb.* Cap. *Non potest.* §. 1. Lib. III. *Tit.* 4. Cap. 21.

IV. Cùm tibi (non obstante, quod aliud Beneficium obtinere noscaris,) à Sede Apostolicâ de aliquo Beneficio provideri contingit, per hoc tecum (ut primum Beneficium cum secundo retinere valeas) non intelligitur dispensatum. Hoc enim solùm prædicta operatur expressio, quòd facta tibi gratia nequeat subreptitia judicari. *In 6. De Præb.* Cap. *Non potest.* §. 2. Lib. III. *Tit.* 4. Cap. 21.

V. Qui suggessit, quod plures Ecclesias Canonicè fuerit assecutus, quas nequivit Canonicè habuisse, intentionis non esse Romanis Pontificis aliquid ei de novo concedere, sed ut per indulgentiam possit habita licitè retinere. *De Elect.* Cap. *Dudum.* §. *penult. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 54.

VI. Ad Rectoriam vel Dignitatem Apostolica non fertur intentio, cùm pro simplici Beneficio jussio Apostolica manat. *De Præb.* Cap. *Cùm olim.* §. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 38. finali.

VII. Is, cui conceditur, ut autoritate Apostolicâ possit uni personæ idoneæ in suâ Ecclesia providere, alicui aliud Beneficium sufficiens obtinenti providere non potest; nisi primò ille Beneficium, quod obtinet, dimittat; vel, nisi in concessione hujusmodi sit expressum, quòd aliàs Beneficiatæ valeat providere personæ. *In 6. De Præb.* Cap. *Is cui. init.* Lib. III. *Tit.* 4. Cap. 19. Tunc providere poterit unicum &c. Vide *Ibid.*

VIII. Quamvis plenissima sit aliàs in Beneficiis interpretatio facienda, literæ tamen super obtinendis Beneficiis impetratæ, debent (cùm sint ambitiosæ) restringi. *In 6. De Præb.* Cap. *Quamvis. init.* Lib. III. *Tit.* 4. Cap. 4.

IX. Virtute talis Dispensationis, nec potest tertium Beneficium acceptare, nec aliud, si unum ex duobus dimiserit; nam literæ Dispensationis sunt odiosæ & restringendæ. *Glossa.*

X. Provisio alicui facta de Beneficio, non obstante quòd aliud habet, Dispensationem super utroque retinendo non inducit. *Summa.* In istis odiosis inspicienda & attendenda sunt verba gratiæ secundùm eorum proprium significatum. *Glossa.*

Dispensatio legitimè super duobus Beneficiis obtenta, ad duo prima refertur. *Summa.*

Expressio Beneficii Dispensationem non operatur, sed hoc solùm quod literæ subreptitiæ non dicuntur. *Glossa ad* Cap. *Gratia. In 6. De Rescript.* verbo, *Vitiosa. In 6.* Lib. I. *Tit.* 3. Cap. 7. Etsi omnis Dispensatio, utpotè odiosa, restringenda sit, id tamen peculiariùs convenit Dispensationibus Apostolicis, circa pluralitatem Beneficiorum, ob plura & magna hinc provenientia incommoda.

SECTIO XI.

Non videri intentionis esse Ecclesiæ dispensare cum quoquam, ut obtineat plura Beneficia, quorum quodlibet sufficit ad honestam vitæ sustentationem.

I. Intentionis non est Romani Pontificis cum aliquo in tot Beneficiis, præsertim habentibus curam animarum, dispensare. *De Elect.* Cap. *Dudum.* §. *penult. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 54.

II. Qui habet plura Beneficia, quorum alterum per se sufficeret, non potest sine mortali peccato retinere aliud; sed Dispensatio reddit licitum quod erat illicitum. *Glossa*, verbo, *Retinere.*

III. Non est intentionis Romani Pontificis, ut personæ pluribus reditibus abundantes per literas Apostolicas pauperes Clericos super minoribus Beneficiis inquietent. *De Rescr.* Cap. *Ad aures.* §. 1. *init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 3. Cap. 8.

Hinc patet Dominum Papam sic uni concedere Beneficium quod alium non lædat, vel gravet, saltem graviter. *Glossa*, verbo, *Intentionis.*

IV. Execrabilis quorumdam tàm Religiosorum quàm Sæcularium ambitio, quæ semper plus ambiens, eò magis sit insatiabilis, quò sibi ampliùs indulgetur; & improbitas importuna petentium à Romanis Pontificibus, non tàm obtinuisse, quàm extorsisse plerumque noscuntur, quod unus interdum etiam ad unum Beneficium Ecclesiasticum minùs idoneus, in diversis Ecclesiis, nedum vicinis, sed etiam ab invicem longè distantibus, diversa Ecclesiastica Beneficia, etiam curam animarum habentia, possit dispensativè recipere, & licite retinere. *Extravaganti* Joan. XXII. *Execrabilis. init.* Lib. III. Extravag. Joan. XXII. *De Præb. Tit.* 3. Cap. unico.

V. Quoniam multi improbæ cupiditatis affectu, se ipsos, non Deum decipientes, ea quæ benè constituta sunt variis artibus eludere, & plura simul Beneficia obtinere non erubescunt: Sancta Synodus Tridentina debitam regendis Ecclesiis Disciplinam restituere cupiens, præsenti Decreto, quod in quibuscumque personis, quocumque titulo, etiamsi Cardinalatûs honore fulgeant, mandat observari; Statuit ut in posterum unum tantùm Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur; Quod quidem, si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodò utrumque personalem Residentiam non requirat, eidem conferri. *Conc.* Trid. Sess. XXIV. Decr. II. *De Refor.* Cap. 17. *post init.*

VI. Hæc non modò ad Cathedrales Ecclesias, sed etiam ad alia omnia Beneficia, tàm Sæcularia quàm Regularia quæcumque, etiam Commendata, pertineant, cujuscumque tituli ac qualitatis existant. *Ibid. Conc.* Trid. Sess. XXIV. Decr. II. *De Refor.* Cap. 17. *med.*

VII. Episcopi Presbyteros duas Ecclesias, quarum unam sufficere videbunt, non permittant tenere; alioquin puniantur. *De Excessib. Prælat.* Cap. *Pervenit. med.* Lib. V. Decr. *Tit.* 31. Cap. 1.

In integrâ habetur duas Matrices, Ecclesias, ideòque non pendentes aliam ex aliâ.

SEC-

SECTIO XII.

Quâ ratione Beneficium sufficiens censeri debeat?

I. Qui Beneficium habet de quo valeat commodè sustentari. *De Præb.* Cap. *Cùm teneamur. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 6.

Tantùm alicui de proventibus Ecclesiæ assignetur, undè Hospitalitatem tenere, & jura Episcopalia possit persolvere, & congruam sustentationem habere. *De Præb.* Cap. *De Monachis.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 12.

II. Si Presbyter adeò fortè claruerit, tale Beneficium sibi & Ecclesiæ suæ concedatur, quo & ipse & sui sufficienter possint habere suæ sustentationis solatium. Dist. L. *Cap.* 39. *Studeat. fin.* Nicolaus I. *ann.* 860. Hosbaloo *Chorepiscopo.*

III. Presbyteri Ecclesiis competenter possint deservire, Episcopo in Episcopalibus respondere, & hospitalitatem sicut convenit transeuntibus imperriri. *De Supp. Negl. Prælat.* Cap. *Sicut.* Lib. I. Decr. *Tit.* 10. Cap. 2.

IV. Non cogantur divites pauperum cibis vesci: Utantur superfluis, dent inopibus necessaria: Utantur pretiosis, dent pauperibus vilia. Dist. XLI. *Cap.* 3. *Non coguntur.* S. August. *De verbis Domini secundùm* Matthæum *Sermones ann.* 410.

V. Sublimes & Litteratæ personæ majoribus sunt Beneficiis honorandæ. *De Præb.* Cap. *De multa. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 28.

Cardinales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui circà Romanum Pontificem Universali Ecclesiæ serviendo, singularum Ecclesiarum commoditatibus impendunt; ac Regum filii, qui propter sublimitatem eorum, ac generis claritatem, sunt potioris prærogativâ gratiæ attollendi, excipiuntur. *Extravag.* Joan. XXII. *Execrabilis. med. De Præb.* Lib. III. Extrav. Joan. XXII. *Tit.* 3. Cap. unic.

SECTIO XIII.

Religiosis etiam vetitum esse habere plura Beneficia.

I. Unum Abbatem duobus Monasteriis præsidere interdicitur. Caus. XXI. Quæst. I. *Cap.* 4. *Unum.* Agathense *Concil.* Cap. 57. *an.* 506. *imò Conc.* Epaonense. *Can.* 9. Tom. IV. Conc. *p.* 1577. Bonifacius VIII. *ann.* 1298.

II. Cùm dissolutionis ac evagationis materia sit Religiosis præ cæteris auferenda, prohibitum est ne aliqui Monachi vel Religiosi alii pluribus Prioratibus, vel Ecclesiis curam animarum habentibus, etiamsi eadem cura non per ipsos, sed per Presbyteros ad eorum præsentationem per Episcopos institutos, habeat exerceri, absque Sedis Apostolicæ autoritate præesse præsumant; nisi fortè unus ex eis ab alio dependeat, vel ad invicem sint annexi. *In* 6. *De Præb.* Cap. *Cùm singula. init.* Lib. III. *Tit.* 4. Cap. 32.

III. Statutum est, ut quicumque ipsorum, Prioratum vel Ecclesiam talem obtinens, alium receperit, primum, quo sit ipso jure privatus, statim omninò dimittere teneatur, per eum, ad quem pertinuerit, liberè alteri conferendum. *Ibid.*

Quod nisi fecerit, ex tunc eo ipso efficiatur ineligibilis, & tanquàm ambitiosus ab utroque penitùs repellatur. *Ibid.*

IV. Bonifacii Statutum, quod Religiosum quemcumque pluribus præesse prohibet Prioratibus, aut Ecclesiis curam animarum habentibus (etiamsi cura ipsa non per eum, sed per alium habeat exerceri) locum sibi vindicat, licet etiam eisdem Prioratibus cura non immineat supradicta. *Clementinâ unicâ. De Suppl. Negl. Prælat. fin.* Lib. I. *Clementinarum. Tit.* 5. Cap. unico.

V. Illud prohibetur ne unus Abbas pluribus Monasteriis præsidere præsumat. *De Relig. Domib.* Cap. *Ne nimia. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 36. Cap. 9. *finali.*

Regulares non possunt retinere Beneficia plura, etiam simplicia.

SECTIO XIV.

Collectio Canonum juxta temporis Ordinem digestorum quibus condemnatur Pluralitate Beneficiorum.

Quæ sint reflexiones agendæ antequam accipiatur secundum Beneficium, in casibus etiam in quibus videtur permitti pluralitas?

Cùm non parvo ducam honori, quod me consulueris, *Domine*, de acceptatione Capellæ, quæ tibi offertur; Respondeo statim, & dico tibi, tuam difficultatem benè fundatam videri, non solùm quia in aliis occasionibus similia recusasti Beneficia, nec conditionem mutasti; sed multò magis, quia aliis exemplum esse debes, pro tuâ Dignitate, pro tuo ortu, & vitæ rationis regularitate usque ad hodiernum diem. Revera si hoc Beneficium acciperes, timendum esset, ne qui nossent circumstantiam, & denegatam à te olim multorum Beneficiorum possessionem, illud tribuerent tuæ non satis accuratæ perpensioni Quæstionis de Beneficiorum pluralitate; quasi, cùm dubitares an permitteretur, noluisses exemplo tuo dare illi autoritatem; sed posteà hac Quæstione diligenter examinatâ, convictus fuisses multa Beneficia posse haberi sine scrupulo, modò non sint vehementer repugnantia. Locus esset adhuc verendi, ne alii attentos in te habentes oculos, propter circumstantias quas annotavi, & tuis insistentes vestigiis, facilè agerent quod viderent te facientem, & sic omnibus & singulis esses tabula quoad Beneficiorum pluralitatem acceptandam. Non obstantibus his rationibus, nolim suadere tibi ut recuses, nec ausim, quia non satis nota mihi sunt tua negotia: verùm non hærerem, si certò scirem Beneficium tuum omnibus oneribus reductis, suppetere tibi undè viveres honestè; & ad hoc impellerer Decreto *Conc.* Trid. quod prohibet, ne accipiamus Beneficium, etiam simplex, cùm sufficiat illud quod habemus ad honestum victum & cultum; collocarem inter onera, eleemosynas, quas exposcit Dignitas tua Ecclesiæ Rectoris; & consequenter aliorum cùm sis exemplum, nec non populi in te fiducia, ad hæc adderem sumptum epularum, quas tribuis diebus quibus solemni ritu rem Divinam facis. Collocarem in eodem ordine alios sumptus, ad quos adduceris qualitate loci, sive ratione peregrinorum in eo prætereuntium, sive ratione colloquiorum quæ ibi fiunt. Si placeret ut instruerer de reditu & muneribus tui Beneficii, sive summâ quâdam fixis, sive modò majori modò minori secundùm casus, exponerem expressè quid sentiam.

Attamen mitto tibi recollectionem præcipuorum Canonum contra pluralitatem Beneficiorum, ut per te ipsum videas, an casus, quem proponis, sit ex iis, quos condemnant. Ordinantur sæculorum ordine: Recollegeram illos in gratiam alicujus minùs perspicacis quàm tu, & hanc ob causam addideram ad eos reflectiones, quibus opus habere minimè potes: Is erat non ornatus magnis dotibus; multò minùs bonâ voluntate impulsus: Tria ipsi Beneficia erant, quorum unumquodque sufficeret victui & vestitui, & in mansionis suæ loco erant eodem tempore multi Ecclesiastici, qui utiliter Ecclesiæ ministrabant, & erant egeni; conscientiæ stimulis quibusdam incitatus, consilium petebat. Poposcerat an aliquod sibi ex suis Beneficiis esset relinquendum; quia audiverat Canones, qui prohibent pluralitatem Beneficiorum, solùm loqui de Beneficiis incompa-

tibilibus: Quo d si qui vetent pluralitatem Beneficiorum simplicium, abrogati sunt: Sicut licet eidem homini habere Beneficium 100000. libr. fructum afferens, sic & eidem licere centum Beneficia simplicia mille librarum possidere & 200, 500, libr. &c. Volens hunc hominem ab errore avertere, elegeram inter Canones contra pluralitatem Beneficiorum, præcipuos ex illis, qui indistinctè illam condemnant, sive antè distinctionem Beneficiorum in incompatibilia & compatibilia, sive post hanc distinctionem: illos adhuc elegeram, quibus nominatim vetatur multorum Beneficiorum simplicium possessio. Cùm metuerem ne hic Beneficiarius pluralitati Beneficiorum addictus non posset liberè videre quod est fortius in Canonibus qui eam condemnant, multò minùs vim illorum omnem ponderare, collectionem miseram ad unum inter ejus amicos, eundem & perspicacissimum & piissimum, ut per illum posset rem maturè examinare, & rogaveram ut his Observationibus ad id illum pararet. Ecclesiæ Leges *De Beneficiis* sancitæ sunt ad utilitatem & necessitatem ejusdem Ecclesiæ, & non propter utilitatem & necessitatem ejusdem Ministrorum; non igitur licet illarom Legum immunitatem dare, cùm causæ publicæ, propter quas factæ sunt, non exigunt. Ecclesiæ interest, ut qui ministrant illi, aut utiliter prodesse possunt, habeant unde alantur & vestiantur modo congruenti officiis quæ præstant, aut possunt conferre; & ideò bonum est Ecclesiæ, ut qui Beneficio sufficiente honesto victui & vestitui, quantùm ad sua munera, potitur, alia non habeat; ut alii, qui Ecclesiæ ministrant, aut possunt prodesse, Beneficia possideant, quæ victum ipsis & vestitum commodè suppeditent. Ejusdem Ecclesiæ utilitas exposcit, ut officia & munera eo sint modò distributa, ut nullus sit Clericus sine munere & tedio: quod ut fiat, par est, ut idem Clericus eodem tempore multis muneribus non fungatur, multò minùs fructu diversorum Munerum, & nullum officium reddat: *Qui non laborant, non manducent panem debitum laborantibus*, & pluralitas huic bono ordini advestatur; nam eundem hominem multis Officiis onerat, qui nullo sæpissimè fungitur per semet ipsum, utilitatem percipit commodè ex aliorum sudore, & panem ministrantium comedit. Quales Operarii qui conducerentur diversis in locis eodem die, laborarentque nullibi, sed alios sibi, vel in suum profectum mitterent, & nihilominus diurnam mercedem sibi arrogarent, quasi ipsi laboravissent, dantes solùm aliis valdè modicam ejusdem Portionem; aut quemadmodum Redemptores qui distribuentes laborem benè multis hominibus, nec ullum sibi retinentes, ex aliorum operibus percipiunt fructus maximos, sine defatigatione ditantur, dum Operarii, quos locant, non lucrantur undè vivant, quamvis sudent, exhauriantur, & immodicis laboribus valetudinem suam affligant.

Quoddam est monstrum, ut idem homo plures Abbatias eodem tempore habeat, multos Prioratus, multa Sacella, aut Abbatiam, Prioratum, Sacellum, cùm fiat eo modo Rector plurium Ecclesiarum & similis homini qui multa haberet capita. Non potest opponi, hoc monstrum reperiri in unione talium Beneficiorum Episcopatui, & non in hoc vituperari; nam unione Beneficia unira supprimuntur, & fiunt pars illius cui junguntur; itaque propriè loquendo nihil est monstrosum in hoc, & quando viderentur aliquid, sufficienter excusaretur utilitate evi lenti, aut urgenti Ecclesiæ necessitate, pro quibus solis fieri potest unio. Nulla ex his justis causis probat monstrosas difformitates annotatas in casu pluralitatis Beneficiorum, de quo loquimur, qui est ille, in quo Beneficium sufficit honesto victui & cultui: Undè sequitur ut spiritus sapientiæ Ecclesiam regens, non possit approbare hujusmodi pluralitatem Beneficiorum: idem spiritus, cùm sit adhuc spiritus Sanctitatis & justitiæ, nescit non condemnare eandem pluralitatem; nam nihil magis adversum est Sanctitati, quam suppeditare materiam luxûs, dissipationis, intempetantiæ, incontinentiæ, & dissolutionis; & hic unus est ex effectibus ordinariis pluralitaris Beneficiorum. Sine una ex justis causis de quâ locutus sum, nihil prodest ut dicat aliquis Beneficia opulenta ab Ecclesiâ approbata, obnoxia esse eidem incommodo; nam hæc Beneficia sunt necessaria viris, qui possunt magna in Ecclesiam conferre officia, & expositi ad magnas impensas effundendas pro ejusdem Ecclesiæ bono, quo in casu pluralitas Beneficiorum permittitur. Sed non obstante hâc ratione, JOANNES XXII. non approbavit Beneficia, quæ ponunt in discrimina jam notata, & ut ipse inquit, hanc ob rem divisit Episcopatum TOLOSANUM in multos Episcopatus. *Cap. 5. De Præb. & Dignit.* EXTRAVAG. COMM. Eadem pluralitas non minùs adversatur justitiæ, quàm Sanctitati spiritûs Ecclesiam regentis, cùm minuat Cultum Divinum, Ministrorum Domini numerum faciendo minorem. Reipsâ si sint eidem decem Beneficia, locum occupat decem Ministrorum, & ideò decem Officiorum quæ celebrarentur; unum dicitur ex decem qui canerent laudes Domini, unus tantùm superest, ut id agat. Possunt adverti aliæ injustitiæ in eadem pluralitate; nam privat Fundatores ex parte ipsorum intentionis: Fundantes Beneficia sufficientia victui & cultui possessoris, voluerunt habere Ministrum, qui non solùm pro ipsis oraret Celebratione Missæ, sed etiam recitatione Breviarii; & si unus & idem homo decem habeat Beneficia fundata ad hanc intentionem, decem Fundatores omnes simul habent unam Breviarii recitationem, cùm una debeatur cuique fundanti. Privatur populus auxiliis, quæ Fundatores ipsi voluerant procurare multiplicatione Ministrorom, quia nimirùm majora data fuissent illi documenta, majora bona exempla, plures Confessarii; majorem in afflictis rebus consolationem accepissent, consilia majora in difficultatibus ad salutem pertinentibus. Revera omnes injustitiæ annotatæ in pluralitate Beneficiorum, reperiuntur etiam in unionibus multorum Beneficiorum uni possesso ab uno homine; sed illæ injustitiæ compensantur justitiâ causarum, quibus fiunt uniones. Ultima Observatio erat, cùm voluntas Ecclesiæ manifestatur perspicuè suis Legibus, non licere usus his Legibus contrarios cuiquam excusare usibus quos probat; Ecclesia sibi non contradicit, si probet consuetudines, quæ videntur comprehendere vitia ob quæ prohibet pluralitatem Beneficiorum, quorum unum sufficit honesto victui & cultui, procul dubio bonas habet hujus discriminis rationes; & cùm non daretur mihi has aperire rationes, tamen mihi expediret condemnare cum illâ pluralitatem quam vetat; & cùm illa simul approbare usus qui, ut volunt quidam, eandem pluralitatem culpâ liberant; æquum est me profiteri non plus sapere quàm Ecclesia sapit; sufficit ut nota mihi sit ejusdem voluntas, ut cogar ipsi obsequi; & nullum mihi dubium esse potest, quin ipsius voluntas sit, ut nemo possideat plus quàm unum Beneficium sufficiens honesto victui & cultui, post Decretum expressum & formale, quod hac de re sanxit in ultimo Concilio generali in Collectione relato cum Decretis Conciliorum Galliæ, neenon & aliarum Regionum, quæ executionem hujus ordinaverunt.

SEC-

SECTIO XIV.

Canones pracipui contrà Beneficiorum pluralitatem, cum præjudiciis ex Canonibus omissis, ac notis ad explicationem collectorum.

Infiniti propemodùm cùm sint Canones Beneficiorum pluralitatem condemnantes, nonnullos seligendos duximus, eoque in delectu, vel antiquitatem, vel authoritatem, vel curam ostendendi abusum illum tùm Divinæ Scripturæ cùm rationi repugnare, considerabimus: Verùm priusquàm propositam Collectionem incipiamus, observanda sunt quædam præjudicia quæ legere est in prætermittendis Canonibus.

Maximum habes in iis, qui collecti sunt circà Titulum Clericalem; ostenderunt siquidem quemlibet Clericum per 12. ad minùs sæcula Ordinatione ipsâ Ecclesiæ cuidam adscriptum fuisse, atque in ea remanere usque ad mortem obligatum fuisse: Hinc enim sequitur per tot sæcula eumdem Clericum in diversis Ecclesiis Beneficia non habuisse.

Monstrare etiam potuissent iidem Canones, si singuli collecti fuissent, unumquemque Clericum deservisse in uno tantùm Ordine, eorumque quos susceperat majore; ita ut qui Presbyter fiebat, tamquàm Diaconus servire desineret, undè qui Archidiaconum deponere volebant in Presbyterum promovebant.

At hinc sequitur nulli tunc licuisse Clerico, Beneficia plura in eadem Ecclesia possidere. Idem quoque Canonum genus docet, singulos Clericos munia sua per seipsos obiisse, ideòque Officia plura eodem tempore, nec in cadem, nec in diversis Ecclesiis, exercere potuisse.

Alia præbent itidem præjudicia Canones contrà ambitionem vel avaritiam; nam, ut in colligendis Canonibus observabimus, abusus possidendi plura Beneficia ex ambitione, vel ex avaritiâ, vel ex utraque simul prodire solet.

Aliud habes non contemnendum in Canonibus, qui Translationes ab una ad aliam Ecclesiam vituperant: istudque præjudicium antiquissimum est, cùm ejusmodi Canones legere sit, nedum inter Canones Apostolicos *C.* 13. sed etiam inter ANTIOCHENOS *Can.* 21. & SARDICENSES *Can.* 1. 2. Hoc autem in eo situm est, qood illorum Canonum Conditores passi non fuissent, ut plures Ecclesias idem Clericus possessurus fuisset, cùm longè multò minùs rationi repugnare videatur, quem Ecclesiâ suâ dimissâ ad aliam migrare, quàm eidem retentæ aliam jungere.

I. His prænotatis præjudiciis, ab antiquissimo Canonum de prædicto abusu expressam mentionem facientium, promissam Collectionem ordimur: Hic autem est *Canon* 10. *Conc.* CALCED. *an.* 451. celebrati. Is autem ita se habet in Cod. Ecclesiæ Universæ.

Non licere Clericum in duarum simul Civitatum Ecclesiis conscribi, & in ea in qua ab initio ordinatus est, & in eâ in quam ut majorem confugit, propter inanis gloriæ cupiditatem, eos autem qui hæc faciunt, suæ Ecclesiæ restitui, in qua ab initio ordinati sunt, & illic tantummodò ministrare. Sed si jam quispiam ex alia in aliam translatus est, nihil prioris Ecclesiæ, vel eorum quæ sub ea sunt Martyriorum, vel Ptochiorum, vel Xenodochiorum rebus communicare: Eos autem, qui ausi fuerint post definitionem Magnæ & Universalis Synodi aliquid eorum, quæ sunt prohibita, facere, statuit S. Synodus eos proprio gradu excidere.

Aliæ versiones diversum nihil habent quod notari mereatur. Concilium præterito & futuro simul providet: Futuro, deponens Clericos qui præsumpserint duabus se Ecclesiis alligare; Præterito, privans omni prioris Beneficii, vel Ecclesiæ emolumento, qui reverà jam duabus in Ecclesiis conscripti erant, eaque privatione significans priorem Ecclesiam habendam esse pro dimissa, ipsos translatos censendos vinculo quo tenebantur absolutos, omnique proindè acquisito jure cecidisse.

II. Abbatibus singulis diversas Cellas aut plura Monasteria non liceat habere, nisi tantùm propter incursus hostilitatis intra muros receptacula collocare. *Conc.* VANETICUM, 465. *C.* 8. Idem habet *Concil.* AGATH. *C.* 38.

Unum Abbatem duobus Monasteriis interdicimus præsidere. *Conc.* AGATH. *C.* 57. *ann.* 506.

LABBÆUS notat Canonem hunc ad illud Concil. non pertinere, sed ex iis esse, qui adjecti videntur ex Canonibus, maximè *Conc.* EPAUNANA. 517. inter quos habetur. *n.* 9.

Concilium indistinctè loquitur, ideòque Monasteria ejusdem Civitatis comprehendit, ut & ea quæ in diversis sita sunt; idque meritò, quia Abbatis munus ad continuam vigilantiam obligat, quo nemo fungi, ut par est, potest, nisi in domo sit cui præest.

III. Ne pro cujuslibet Monachi, aut Abbatis promotione, aliquod onus Monasteria fortassè sustineant; studendum vobis est, ut si quispiam Abbatum, aut Monachorum, ex quocumque Monasterio, ad Clericatûs Officium, vel Ordinem Sacrum accesserit, non illic aliquam ulterius habeat potestatem; nec Monasteria hujus occasionis velamine, ea quæ prohibemus sustinere onera compellantur. S. GREG. *Ep.* 40. LIB. VI. *an.* 597. *ad* MARIANUM *Episcopum* RAVENNÆ.

Agebatur de quibusdam Clericis, qui occasione quasi Regiminis, Monasteria prægravabant, illa velut in proprietate possidentes, ut de eis loquitur S. GREGORIUS: Illud autem quasi Regimen natum erat ex eo, quòd Abbates ad Clericalia munia promoti, Monasteria ut priùs regendi potestatem retinuerant, simulque duplici Prælaturâ Sæculari & Regulari gaudebant; & sicut ut Sæculares res suæ Ecclesiæ dispensabant, Officiaque distribuebant, ita & similia ratione Prælaturæ Regularis in Monasteriis vendicabant sibi jura, quæ vocantur hic gravamina; hæc autem ut in posterum vitentur, quæ retulimus præcipiuntur: Undè patet S. GREG. non probasse ut Beneficia plura simul quis haberet, atque illius cui non deserviebat honoribus juribusque potiretur.

IV. Cognovimus denique quod quidam Diaconus, nomine JOANNES, in duabus Ecclesiis militet; ideòque si ita est, hoc tua Dilectissima Fraternitas pro Dei amore corrigat, ne denuò hujusmodi nefas proveniat ad instar malè viventium. VITALIANO. *Ep.* 3. *ad* CRATENS. *Episcopum.* Is autem creatus est Pontifex *ann.* 653.

Non prætermittendum, eumdem Diaconum aliûs culpæ accusatum fuisse, nempè post consecrationem uxorem duxisse, ac de utraque simul quod relatum est VITALIANUM dicere; undè pluralitas Beneficiorum pars illius quod vocat nefas, quâ voce gravissimum crimen intelligit.

V. Clericus ab instanti tempore non connumeretur in duabus Ecclesiis; negociationis enim est hic & turpis commodi proprium, & ab Ecclesiastica Consuetudine penitùs alienum; audivimus enim ex ipsa Dominica voce, quia *Nemo potest duobus Dominis servire; aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum sustinebit, & alterum contemnet:* Unusquisque ergo, secundùm Apostolicam vocem, in quo vocatus est, in hoc debet manere, & in una locari Ecclesia; quæ enim per turpe lucrum in Ecclesiasticis rebus efficiuntur, aliena consistunt à Deo. Ad vitæ hujus necessitatem studia sunt diversa: Ex his verò qui voluerit acquirat opportuna corporis; ait

enim Apostolus: *Ad ea, quæ opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ, & hac quidem in hac à Deo conservanda urbe.* Cæterum in villis quæ foris sunt, propter inopiam hominum indulgeatur. *Cap.* 15. *Concil.* VII. NICÆN. *celebr. ann.* 787.

Habes hic Regulam & Exceptionem circa possessionem plurium Beneficiorum.

REGULA est, quod *Nemini licet Beneficia plura possidere*; quia, aiunt Patres, vel plura possidebit absque ulla necessitate, & tunc ex avaritia peccat, Deoque haud acceptus esse potest, cùm CHRISTUS dicat; *Servire neminem posse duobus Dominis, Deo & Mammonæ*; aut ex necessitate privata, & tunc talis possessio turpe lucrum est, cùm spirituale inserviat temporali, pluraque simul Officia jungantur in Ecclesiarum præjudicium, ut Ministrorum necessitati subveniatur.

EXCEPTIO in eo sita est, quod Ecclesiarum necessitas postulet, ut quis plura habeat Beneficia, quia desunt Ministri, quibus singulæ conferantur; vel Ecclesiæ adeò inopes, ut pluribus sustentandis sufficere nequeant, tunc licitum sit plura simul Beneficia possidere.

VI. Statutum est, postquàm hoc impletum fuerit, ut unaquæque Ecclesia suum Presbyterum habeat, ubi id fieri facultas, providente Episcopo, permiserit. *Capitular. Episcoporum*, 816. *num.* 11. *Capitul.* LIB. I. *Cap.* 86.

Num. præcedenti jussum est, ut cuilibet Ecclesiæ Mansus integer, absque ullo servitio, attribuatur; atque illud est quod implendum erat, priusquàm quævis Ecclesia suum habitura esset Presbyterum.

Quapropter omnibus placuit, ut nullus Presbyter ampliùs quàm unam Ecclesiam sibi vindicet; quia sicut quisque Sæcularis non ampliùs quàm unam habere debet uxorem, ita & unusquisque Presbyter non ampliùs quàm unam habere debet Ecclesiam. *Capitul.* LIB. VI. *num.* 75.

VII. LEO IV. creatus ann. 847. *in Homil. De Cura Pastorali &c.* prohibet plurium Beneficiorum possessionem, etiam in casu necessitatis, nisi eâ adhibitâ cautelâ, ut Possessor congruentem habeat Presbyterorum numerum, qui ipsum adjuvent; sic enim exponenda videntur verba hæc; *Nullus plures Ecclesias teneat sine adjutorio aliorum Presbyterorum.* Eâ autem cautelâ adhibitâ, Beneficiorum singulorum onera persolvuntur, nec remanet avaritiæ fames, consumptis, sustentandis Presbyteris Adjutoribus, eorumdem Beneficiorum proventibus. Idem Canon explicari etiam potest subsequenti ejusdem Pontificis Canone.

Qui plures Ecclesias retinet, unam quidem titulatam, aliam verò sub Commendatione retinere debet. *Idem* LEO IV. *circa an.* 850. Vetus Codex addit Episcopis BRITAN. Refert GRATIAN. *Cap.* 3. CAUS. XXI. QUÆST. I.

Canonis sensus est, neminem posse babere plures Ecclesias simul in titulum, ita ut cujusque proprius Rector sit, sed unam tantùm ut Rectorem, aliam verò ut merum Administratorem ad tempus deputatum; alteram quàm ipse regat, alteram quam regendam per alios curet. Sicut enim Episcopus non plus potest habere quàm unam civitatem; vir unam uxorem; ita Presbyter unam tantùm Ecclesiam.

VIII. Itaque nullus Presbyter plures præsumat habere Ecclesias, nisi fortè alios Presbyteros sub se in unaquaque Ecclesia habeat, qui nocturnum atque diurnum Officium solemniter adimpleant, & Missarum Celebrationem quotidianis expleant Ceremoniis. *Conc.* NANNET. *circiter ann.* 900. *Cap.* 8. TOM. IX. CONC. *pag.* 470. REGIN. LIB. I. *Cap.* 254.

Unusquisque Presbyter unam solummodò habeat Ecclesiam, nisi fortè antiquitùs habuerit capellam, aut membrum aliquod adjacens sibi, quod non expedit separari; est enim multùm laudabile coram Deo & hominibus, si salubriter unam Ecclesiam providerit, & utiliter rexerit; quoniam non est nobis cura animarum adhibenda pro temporali commoditate, sed cunctis Sacerdotibus est optandum, ut cum suis ovibus recipiant pascua vitæ æternæ. *Conc.* METENS. *ann.* 888. *Cap.* 3.

Docet incongruum Beneficia plura, præsertim Curata, ab eodem possideri, ut commodiùs vivat, felicem, qui unum benè rexerit; Clericos cum subditis sibi bona æterna concupiscere debere.

In formula inquisitionis relatâ à REGIN. LIB. I. inter inquirenda à Visitatore, unum recensetur quod ad rem facit. Habetur *num.* 46. & sic se habet: *Si plures teneat Ecclesias, sine aliorum Presbyterorum adjutorio.* Id autem videtur desumptum è citato priore LEONIS Canone, ut & adductus mox *Concilii* NANNET. locus. REGINO. scripsit ineunte sæculo X Idem Auctor *Cap.* 253. & *Cap.* 254. docet non convenire, ut plura Beneficia ab unu eodemque Clerico simul possideantur. Prior Canon desumitur è *Cap* 86. LIB. I. *Capitul.* superiùs citato; posteriorem subministrat *Conc.* NANNET. mox citatum, idemque est ac relatus ejusdem *Concilii* Canon.

Quod in hoc testimonio, sicut & in præcedenti, permissum legitur, intelligendum est de Ecclesiis junctis, non de aliis per se subsistentibus, quas simul possidere quis non posset, nisi adessent in unaquaque qui Divina Officia celebrarent: id enim colligitur ex eo quod exigatur, ut qui illas Ecclesias simul possederit, in qualibet sub se habeant, qui nocturnum diurnumque Officium adimpleant, & Missis quotidianis satisfaciant. Explicari etiam possunt de Ecclesiis pluribus aliis subjectis, quas possidere censetur istius Rector, quia singulæ curæ ipsius subsunt.

IX. Nec aliquis Presbyter duas Ecclesias simul obtineat. *Cap* 8. *Conc. Rom.* 1059.

De Ecclesiis Sacerdotalibus tantùm loquitur, ut circà majorem abusum experimento facto, quid posteà circà minorem faciendum sit saniùs judicetur. Canonem hunc tribuit GRATIANUS *Cap.* 20. CAUS. X. QUÆST. VII. ALEX. II. creato *anno* 1051.

X. Omninò autem in duabus aliquos titulari non liceat, sed unusquisque in quâ titularis est in ea tantùm Canonicus habeatur: Licèt enim Episcopi dispositione unus diversis præesse debeat Ecclesiis; Canonicus Præbendarius, nisi unius tantùm Ecclesiæ, cui conscriptus est, esse non debeat. *Cap.* 15. *Conc.* PLACENT. *ann.* 1095.

Voces hæ, *Canonicus Præbendarius*, Sinonimæ sunt hîc cum ista, *Titulatus*; sensusque Canonis idem est planè ac Canonis LEON. IV. nimirùm necessitate Ecclesiarum exigente, posse quàmplures habere, sed ita ut unam tantùm possideat tanquàm Rector, alias verò nonnisi veluti Administrator: Inter utrumque autem hoc discrimen est, quod Rector faciat fructus suos, Administrator non item, sed illos custodit servatque piis usibus applicandos.

XI. Ut nulli Clericorum liceat deinceps in duabus Civitatibus duas Præbendas obtinere, cùm duos Titulos non possit habere. *Cap.* 12. *Conc.* CLAROMONT. *ann.* 1095.

Confirmat hic Canon explicationem præcedentis, cùm claré doceat non licere duos simul Titulos possidere, idque adducat pro ratione prohibitæ duarum Præbendarum possessionis. Ratio Canonis militat contra Beneficia simplicia, ut & contra alia, ostenditque nondum ortam distinctionem inter utraque circa pluralitatem. *Conc.* PICTAV. 1100. *Cap.* 16. præcipit ut Canon CLAROMONT. circà Beneficiorum pluralitatem servetur.

Quod autem prædictus Clericus in duarum Civitatum

tatum

tatum titulari non possit Ecclesiis, tàm ex vestris, quàm Prædecessorum vestrorum comprobamus Sententiis. Ivo Carnot. *Ep. 95, ad* Paschal. II. cujus præcepto celebratum mox citatum *Conc.* Pictav.

XII. Quia in tantùm quorumdam processit ambitio, ut non duas, vel tres, sed plures Ecclesias perhibeantur habere: Cùm nec duabus possit debitam provisionem impendere, per Fratres & Coepiscopos nostros hoc emendari præcipimus, & de multitudine Præbendarum Canonibus inimica, quæ dissolutionis materiam & evagationis inducit, certumque continet periculum animarum, eorum, qui Ecclesiis deservire valeant, indigentiam volumus sublevari. *Conc.* Later. *c.* 14. *ann.* 1179. Refertur quoque *Cap.* 5. *De Præb. & Dignit.*

Habes hic potissimas causas condemnationis pluralitatis Beneficiorum. Prima est, quod ex ambitione prodire soleat. Secunda, quod qui vix unum implere possunt, ut par est, Officium, multa implenda suscipiunt. Tertia, possessio plurium Beneficiorum dissolutionis & evagationis materiam præbet: dissolutionis, propter divitias quas subministrat; evagationis, propter negotia quæ suscitat, & relaxationem Residentiæ quam secum involvit. Quarta, certum continet animarum periculum ex prædictis vitiis nascens. Quinta, multos Dei Ministros ad indigentiam redigit.

Canonem retulimus, ut est apud Gregor. IX. In *Conciliis* post vocem hanc *tres* legitur, *sed sex aut* &c. quæ vox ostendit quanta esset ambitio ac avaritia; & post *valeant* legitur *Ecclesiasticis Beneficiis*.

Canon 13. ejusdem *Concilii* ad rem quoque optimè facit; docet enim quæ essent illa Beneficia, quæ eo modo coacervabantur, & quâ plectendi essent pœnâ tùm Collator, tùm recipiens: Hic autem sic se habet: *Quia nonnulli modum avaritiæ non ponentes, Dignitates diversas Ecclesiasticas, & plures Parochiales contra Sacrorum Canonum instituta nituntur acquirere, ita ut cùm unum Officium vix implere sufficiant, stipendia sibi vindicent plurimorum; ne id de cætero fiat, districtiùs inhibemus, Cùm itaque Ecclesia vel Ecclesiasticum Beneficium aut Ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & curam ejus per seipsum valeat exercere; Quod si aliter fuerit actum, & qui receperit, quod contra Canones accepit, amittat, & qui dederit, largiendi potestate privetur.* Cùm præscriptæ à *Concilio* pœnæ executio penderet ab iis, qui in similem culpam incidebant, quia vel ipsi uni eidemque plura conferebant Beneficia, vel ab aliis plura recipiebant, *Concilii* providentia suo omninò caruit effectu, ut mox docebit *Conc.* Later. sub Innocentio III.

Sed priùs notandum, in Canone relato distinguendum esse Legem sive Præceptum ab occasione Legis, cùm Lex ultra occasionem extendi videatur; nam abusus possidendi simul plures Dignitates, vel Ecclesias Paræciales, condendæ Legis occasionem dedit; attamen Lex de quovis Beneficii genere loqui videtur, cùm nullum sit Beneficium quod nominæ Ecclesiæ, vel Ecclesiastici Ministerii non comprehendatur.

Notandum etiam Concilium duo requirere in eo, cui committendum est Ministerium Ecclesiasticum, 1°. Quod residere valeat; quod non potest qui aliud Beneficium ad Residentiam obligans alibi possidet. 2°. Quod per se ipsum deservire possit; quod fieri nequit ab eo, qui in eodem loco aliud Beneficium obtinet, ad idem vel simile Officium eodem tempore obligans.

XIII. Si preces, & Mandatum nostrum recepisti pro aliquo, vel aliquando recipies, qui aliud Beneficium habet, de quo valeat commodè sustentari, nisi fortè in literis de alio Beneficio, quod habet, mentio habeatur.... æquanimiter sustinebimus, si pro eo preces & Mandatum nostrum non duxeris exequendum. *Cap.* 6. *De Præb.* Relatum est prout est in *Append.* 3. *post Conc.* Later. *Part.* 30. *C.* 1. ab Alexand. III. desumptum.

Item nullus Monachus, vel Canonicus censeatur (*Subaudi* in diversis Ecclesiis) nisi propter majorem Religionem, vel aliam justam causam, à Canonibus approbatam, unâ Ecclesiâ dimissâ, ad aliam transferatur; quia non potest unum pedem in una, & alium pedem in alia tenere, quia ex hoc multam dissolutionis, contemptionis & evagationis novimus materiam generari. Si qui autem jam facti sunt Monachi, vel Canonici Regulares in diversis Ecclesiis, cogantur in illa Ecclesia moram facere in quâ primò professionem fecerunt, nec in aliis vocem aliquam habeant. *Statuta Conc.* Monspellien, *ann.* 1214. *C.* 25. Quod habet Canon de incommodis, quæ nascuntur ex possessione plurium Beneficiorum Regularium, locum suum habet in pluralitate Beneficiorum Sæcularium, cùm subministret materiam dissolutionis, si illorum reditus excedat honestam Possessoris sustentationem, & evagationis, si in diversis sita sint Ecclesiis, & ad onera personalia obligent.

XIV. Quicumque receperit aliquod Beneficium, habens curam animarum annexam, si priùs tale Beneficium obtineat, eo sit jure privatus; & si fortè illud retinere contenderit, alio etiam spolietur. Verùm etiam hoc idem in Personalibus decernimus observandum, addentes, ut in eadem Ecclesia nullus plures Dignitates aut Personatus habere præsumat, etiamsi curam non habeant animarum. Circa sublimes tamen & literatas personas, quæ majoribus sunt Beneficiis honorandæ, cùm ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari. *Conc.* Later. *ann.* 1215. *C.* 19. *Conc.* Arel. *ann.* 1234. *C.* 1. præcipit, ut serventur omnia Decreta *Concilii hujus* Later.

Ex eo quod Concilium loquatur de solis Beneficiis Curatis diversarum Ecclesiarum, & de Dignitatibus, & Personatibus earumdem Ecclesiarum, à nonnullis illatum est, Concilium non damnate pluralitatem aliorum Beneficiorum: sed malè; cùm Concilii silentium proficisci potuerit ex aliis causis, nempè ex eo quod tentanda esset priùs gravioris morbi curatio, antequàm minor curandus susciperetur; vel ex eo, quod infligenda pœna contrà damnatum abusum, gravior erga alium esse videretur.

Falsitas ejusdem consequentiæ aliunde etiam demonstrari potest: Nam Concilium de Canonicatibus mentionem non facit, & nemo est qui indè concludere vellet illud approbasse, atque permisisse, ut quis simul plures haberet Canonicatus, tùm in diversis Ecclesiis, tùm in eadem; nec esse potest quisquam sanæ mentis, qui ita Concilium interpreteretur, si Canonem totum perlegerit, cùm ex omissa Canonis præfatione evidenter pateat condirum fuisse, ut quod frustrà præceperat *Conc.* Lateran. sub Alex. III. adhibitâ novâ pœnâ servaretur. Causæ relaxationis hic probatæ & expressæ novæ sunt: non alia hactenus notata est quàm ipsa utilitas, & necessitas Ecclesiarum, & quæ hic probantur, ad personas propiùs spectant quàm ad Ecclesias. Sed non negandum quod ad antiquas aliquatenus reducuntur, cùm ex his noviter expressis Ecclesiæ utilitas adveniat.

XV. Indulgentiam quam super hoc asserit se habere invalidam reputavimus, cùm in eâ falsitatem suggesserit, & suppresserit veritatem, quæ tacita vel expressa ipsam nullatenus habuisset; suppressit enim quod illas Paræciales Ecclesias, antequàm fuisset in Archidiaconum assumptus, Canonicè fuerat asse-

assecutus: cùm nulls potuerit plures Parochiales Ecclesias obrinere, nisi una penderet ex alterâ, vel unam Titulatam & alteram Commendatam haberet; undè cùm idem utramque intitulatam haberet, nequivit ipsas Canonicè habuisse. *Cap.* 59. *De Elect.* GREG. IX. *ann.* 1228.

Supponit Pontifex, Canonum peritissimus, neminem posse duas Ecclesias Curatas in titulum Canonicè habere.

XVI. Si plures Dignitates, Personatus, vel Beneficia cum cura quis habens, intra tempus praescribendum Dispensationem non exhibeat, ex tunc primum vacat, ut si velit cum secundo retinere, utroque privatus remanet. *Conc.* VIENN. *ann.* 1267. *C.* 6. in Austria celebratum à Legato Apostolicae Sedis.

Notandum hìc quod jam pluries notatum, Beneficiorum pluralitatem, quorum hìc expressè non meminit, à Concilio non probari, cùm alioqui probasset possessionem plurium Canonicatuum, tàm in diversis, quàm in iisdem Ecclesiis; quod verosimile nequaquam est, sed majori malo afferre remedium, donec minus curandi tempus adesset; in quo imitatum est prudentiam *Conc.* LATER. IV. loco suprà citato.

XVII. Si aliud ingredi praesumpserit, non ut recedat à primo, sed ut intitulari valeat in utroque, ad primum, per loci Episcopum, omni administratione privatus compellatur redire, & in neutro Monasteriorum ipsorum ad quemcumque honorem &c. ad triennium valeat promoveri; sed ejus promotio, si de facto procedat, irrita sit ipso jure. Eadem poena Monachis illis imponenda, qui plures administrationes in eodem Monasterio, vel diversis, absque Dioecesis consensu de caetero praesumpserint obtinere. *Ibid. Cap.* 7.

Hinc patet damnatam tunc fuisse Beneficiorum Regularium pluralitatem, ut & Saecularium, & eamdem in Episcopo dispensandi potestatem circa utraque agnitam; ex quo colligere licet Concilium hoc non putasse potestatem dispensandi à pluralitate Pontifici reservatam esse.

XVIII. Cùm in Provincia SALTZBURG. diversi Clerici Saeculares non ponentes terminum avaritiae, nec salutem propriam praetendentes, onerare de pluribus Beneficiis Ecclesiae non formidantes; nos, qui aliorum indigentiis & saluti occurrere cupimus, & Ecclesiarum necessitatibus providere, praecipimus, ut singuli plura Beneficia possidentes, aut ultimo recepto sint contenti, aut edoceant per eum qui potest secum esse dispensatum. *Conc.* SALTZBURG. *ann.* 1274. Cap. 7. *Can.* Praefatio quorumvis Beneficiorum pluralitatem spectat.

XIX. Approbatione Concilii declaramus, ut tunc vacet Primum per assecutionem Secundi (ad Residentiam obligantis, ut Primum) nisi Episcopi super his cum aliquibus duxerint dispensandum. *Conc.* SALMU. *C.* 3. *ann.* 1276.

Notanda duo hìc occurrunt: 1°. Nullum tempus dabatur obtinenti secundum incompatibile ad deliberandum quodnam ex possessis retineret. 2°. Episcopus permittere poterat ut utrumque simul possideretur; quod notatu eò est dignius, quò caeteri Canones circà incompatibilia Dispensationem soli Pontifici attribuere videantur.

Quod de Saecularibus Beneficiis Concilium habet, idem dicit de Beneficiis Regularibus. *Cap.* 7. „Olim Generali Concilio approbante noscitur institutum, ne quis in diversis Monasteriis locum Monachi audeat obtinere. Quod quia negligenter hactenus invenimus observatum, accidit aliquandò, ut tali Monacho, pluribus suis Abbatibus praecipientibus contraria, vel diversa, dum non possit utrique parere, vilipendatur utriusque obedientia, & inter Monachos utriusque Monasterii scandalum generetur. Propter quod eandem Concilii Generalis saluberrimam Constitutionem, poenae decernimus adjectione juvandam, statuentes, ut postquàm quis Religiosorum Monasterium ingressus fuerit, & professus, si aliud forsitan ingredi praesumpserit, non ut recedat à primo, sed ut intitulari valeat in utroque, ad primum per loci Episcopum, omni administratione privatus, compellatur redire; & in neutro Monasteriorum ipsorum ad quemcumque honorem, Dignitatem, Administrationem, vel Officium, usque ad triennium valeat promoveri; sed ejus promotio, si de facto procedat, irrita sit ipso jure. Eadem poena illis Monachis imponenda, qui plures Administrationes, seu Officia, in eodem Monasterio, vel diversis, absque Dioecesani consensu de caetero praesumpserint obtinere. Illi verò qui plures Administrationes, Prioratus, vel Officia obtinent in praesenti; ad eorum alterum resignandum per locorum Ordinarios compellantur."

Hinc patet quàm abhorreret Concilium Beneficiorum Regularium pluralitatem; cùm praecipiat, ut qui simplex Beneficium habens in uno Monasterio, aliud in alio obtinebit, secundo privatus ad quodcumque per triennium Officium inhabilis efficiatur, adeò ut promotio futura sit nulla, si ad illud promoveatur. Notanda causa peculiaris prohibitionis, ne Monachi plura simul habeant Beneficia, etiam simplicia, in diversis Monasteriis, petita ex impotentia implendi votum obedientiae.

XX. Cùm insuper nos dudum pluralitatem Beneficiorum sacrilege usurpatam cohibere volentes, inhibuerimus sub poena Excommunicationis, ne quis de facto tali in suis furtis & sacrilegiis contumaces manus extenderet absolvendas; quidam tamen Sacerdotes post Belial, quandiù Salvatoris contrarium facere praesumpserunt, occidentes animas CHRISTI sanguine redemptas, & enervantes Disciplinam Ecclesiasticam. Istas igitur quasi vulpes demolientes vineas Domini veraciter reputantes, sub pristina districtione iteratò praecipimus, quatenus à talibus absolvendis de caetero abstineant, & ad renunciandum Beneficiis illicitè obtentis vel retentis, sollicitè inducant; alioquin sciant se certissimè in die maledictionis fulgure feriendos. *Concil.* LAMBATHANS. Cap. 6. *ann.* 1281. *celebrato à* JOANN. DE PEKAM. *Archiep. Cantuariensi.*

Plura hìc notanda occurrunt. I. Habitos ut sacrilegos & fures, qui contra Canonum prohibitionem, Beneficia plura possidebant. II. Vetitum fuisse ne absolverentur, priusquàm renunciassent Beneficiis illicitè possessis, idque sub poena Excommunicationis. III. Confessores, qui Beneficiarios illos eà conditione non servatâ absolvunt, comparatos Belial, *id est*, jugum ferre renuenti, dictosque animas à CHRISTO redemptas occidere, ac Disciplinam enervare. IV. Eosdem reputatos vulpes vineam Domini demolientes, dignosque judicatos, qui aeterno anathemate ferirentur. V. Beneficia plura contrà Canonum prohibitionem possideri, non solùm quando absque necessaria Dispensatione possidentur plura illorum, quae vocantur incompatibilia; sed etiam quando absque legitimâ causâ, quales hìc, nullae aliae quàm Ecclesiarum aut necessitas aut utilitas, Beneficia plura habentur, sive compatibilia sive incompatibilia.

XXI. Nullus Parochialem habens Ecclesiam, ad Capellaniam; vel habens Capellaniam ad Parochialem Ecclesiam, de caetero praesentetur, nec eidem conferatur, nec ad eamdem admittatur; nisi fuerit Fundator Capellaniae; vel nisi hoc processerit de novi Fundatoris assensu; vel nisi Parochialis Ecclesia & Capellania in redditibus & proventibus ita sint tenues, & exiles, quod neutram praedictorum Beneficiorum per se sufficiat ad congruam Rectoris vel Servitoris proprii sustentationem. *Syn.* PICTAV. *ann.* 1284. *Cap.* 1.

Haud dubiè Capellania tunc erat Beneficium simplex, sicuti & nunc, & tamen vetabatur possessio Capellaniae cum Ecclesia Curata; cujus rei haec asser-

affertur ratio in Præfatione, quia dum ad utrumque festinant, neutrum peragunt prout decet.

Synodus excipit duos Casus: Prior ad posteriorem reducitur; Ecclesia etenim non probaret fundationem Capellaniæ eâ lege ut Parocho conferretur, nisi proventûs modicitas vel Curæ vel Capellaniæ id exposceret.

XXII. Nullus Monachus, seu Monialis, in pluribus Monasteriis, quorum in uno Dignitates, Personatus, seu Officia, & Præbendam obtineant; sed receptâ secundâ Dignitate, Personatu, Officio, Præbendâ, Collator primæ Dignitatis, Personatûs, Officii, & Præbendæ prioris, eam seu eas alii conferant intra tempus Juris. *Conc.* Colon. *Cap.* 18. *ann.* 1310. desumitur ex *Can. Conc.* Lateran. IV. *suprà citato.* Extabant tunc Canonicæ Regulares.

XXIII. Quorumdam oculos sic avaræ cupiditatis vitium excæcavit, quòd plura talia Beneficia (Dignitates, Personatus, Officia, sive cum cura & sive sine cura) simul absque Dispensatione Canonica retinere præsumunt. Nos de illis præsenti Decreto statuimus, ut omnia & singula Beneficia sic detenta (illo tamen retento, quod postremò receperunt, dummodo in eo ex Collatione Canonica competat jus eisdem) intra tempus limitatum (mensem) verbo & facto, ac sine fraude, coram Ordinario, sub testimonio publico dimittere teneantur. Quod si non fecerint, & illo sint ipso jure privati, in quo jus eis aliàs competebat, & inhabiles penitùs ad quæcumque obtinenda censeantur. Joan. XXII. *an* 1317. Extravag. Commun. *De Præb. Cap.* 4. Idem habet posteà contra eos qui eamdem commissuri sunt culpam post adeptam secundi Beneficii possessionem. Ex pœnæ severitate judicare licet, quàm gravis haberetur culpa plurium Beneficiorum absque Dispensatione retentio.

Non obstat quod Papa sibi reservaverit Collationem Beneficiorum sic vacantium; cùm id fieri potuerit in pœnam Collatorum, qui sua potestate abusi fuerant, vel in posterum abuterentur.

XXIV. Cùm singula Officia singulis commendanda sint personis, & unum Officium vix dignè valeat aliquis adimplere; observari præcipimus, ut nullus cujuscumque Ecclesiæ Canonicus Sæcularis, vel Regularis, duos Personatus, vel duas Dignitates, vel Præposituras, seu Administrationes, aut duo Officia, aut eorum alterum cum reliquo insimul & Præbenda, in eadem Ecclesia obtineat, vel jam obtenta retinere præsumat; Consuetudine aliqua etiam juramento vallatâ non obstante, cùm dicenda sit potiùs corruptela. Nec aliqui Monachi, vel Religiosi alii, pluribus Prioratibus, vel Ecclesiis curam animarum habentibus, etiamsi cura eadem non per seipsos, sed per Presbyteros ad eorumdem præsentationem per Episcopos institutos præesse præsumant, absque Dispensatione Sedis Apostolicæ speciali; nisi forte unus ex eis, vel ab alio dependeat, vel ad invicem sint annexi. Et si secùs factum fuerit, irritum sit; & transgressores eo ipso sint ineligibiles, & tamquàm ambitiosi ab utroque penitùs repellantur. *Conc.* Vaur. *Cap.* 18. *ann.* 1368. Idem iisdem verbis jam dixerat *Conc.* Auscit. *ann.* 1300. *Cap.* 11. sed in *Conc.* Auscit. aliter inscribitur; sic enim se habet Inscriptio: *Quod unus non accipit nisi unum Officium*: In *Conc.* autem Vaurensi Epigraphe hæc est: *Ut Beneficiorum incompatibilium pluralitas evitari debeat*, quod supponit stabilitam jam definitionem Beneficiorum compatibilium & incompatibilium, eamque propriis verbis usurpatam.

In Canone unum & alterum notanda occurrunt: 1°. Prohibens Beneficiorum pluralitatem in eadem Ecclesia, à fortiori prohibet in diversis, quia absurdum minùs, ut quis plura possideat Officia in loco ubi residet, quàm ut possideat aliquod extra locum suæ Residentiæ. 2°. Declarat hac in re consuetudinem non posse Juri Communi derogare; cujus rei ratio; in Jure illo aliquid inest Juris Divini vel Naturalis: Contrà Consuetudinem hujusmodi semper reclamant Canones, nec adest Prælatorum consensus.

Prioratus sine exercitio curæ, qui nunc merè simplices habentur, tunc recensebantur inter Beneficia non simplicia, eodemque loco ponebantur quàm Prioratus Curati, ideòque ut quis posset plures hujusmodi Prioratus possidere, relaxatione Sedis Apostolicæ indigebat. In Capitulis, quorum Statutis Dignitates affectantur Canonicis, licet istis Præbendam & Canonicarum cum Dignitate possidere cui neutrum annectitur, sicque duo Beneficia aliàs incompatibilia sine Dispensatione licitè obtinere.

XXV. Ne Beneficia plura habendi occasio detur. *Conc.* Dertusanum *ann.* 1429. *Cap.* 8. præcipit, ut Ordinarius, non aliter fundationi, vel Ordinationi Beneficii autoritatem aut consensum præbeat, nisi prius dos sufficiens ad sustentationem vitæ Presbyteri assignata fuerit in loco idoneo & securo. Supponit Concilium insufficientiam Beneficii excusare possessionem alterius itidem insufficientis.

XXVI. Si quis ex dictis qualificatis, tempore vacationis Præbendæ, seu Dignitatis hujusmodi, alias duas obtineat Præbendas, seu Dignitates & Præbendas, vel aliud seu alia Beneficium aut Beneficia, quod vel quæ residendo in altero ipsorum, & horis Divinis interessendo, valeret seu valerent usque ad Summam seu æstimationem ducentorum florenorum Cameræ; similiter quicumque duas Præbendas Cathedrales obtinuerit, nullatenùs in ipsa tertia parte (Graduatis affectatâ) includi seu comprehendi censeatur. *Concil.* Basil. Sess. XXXI. *n.* 3. *ann.* 1438.

Relatus Canon primâ facie consideratus, abusui possidendi plura simul Beneficia favere videtur, cùm non damnet eos, qui duo simul incompatibilia habent: Sed benè perpensus huic abusui maximè adversatur; certum est enim *Conc.* Latar. sub Innocentio III. Literatos recensuisse inter eos, quibus dispensari posset circa Beneficiorum pluralitatem; idque, quia majoribus Beneficiis, seu favoribus sunt honorandi: & nihilominus *Conc.* Basil. condens Canonem in favorem literatorum, prohibet ne, si ex uno vel duobus Beneficiis habeant undè vivant, privilegio concesso potiantur, eaque prohibitione significat Beneficiorum pluralitatem adeò illicitam reputasse, ut eam permitti noluerit etiam Literatis, nisi quando unum ad sustentationem honestam non sufficit.

XXVII. Quia in tantùm quorumdam processit ambitio, ut non duo vel tria, sed plura perhibeantur habere Beneficia: De consilio Venerabilium Fratrum & Patrum nostrorum, hoc emendari cupientes, statuimus, & sub pœna privationis Beneficiorum mandamus, ut omnes & singuli Clerici nostræ Diœcesis, incompatibilia de jure Beneficia retinentes, nobis aut nostro Vicario infrà hinc & festum S. Michaelis Dispensationes super hoc obtentas indicent & ostendant. Inhibemus quoque sub eadem pœnâ, ne quisquam plures quàm unum teneat Vicarium, nisi, evidentis necessitatis causâ, aliud sibi à nobis & Vicario nostro fuerit indultum. *Conc* Frisingens. *Cap.* 7. *ann.* 1440.

Possessio plurium Beneficiorum ambitioni adscribitur, eaque sub pœnâ privationis prohibetur, nisi ex Canonica Dispensatione procedat. Licentia serviendi per Vicarium restringitur, quia Beneficiorum pluralitati viam sternebat, insinuaturque non concedendam, nisi ex causa evidentis necessitatis; Quod enim de secundo Vicario dicitur, ad primum extendendum videtur. Hic Cœtus Synodus Diœcesana tantùm erat, constans nedum ex Capitulo & Curatis, sed etiam ex Abbatibus, quos Episcopus vocat Patres, ut alios Fratres.

XXVIII. Nequaquam uni Presbytero committatur deservitura duarum Ecclesiarum Parochialium non condependentium, absque evidenti necessitate. *Cleri* LEOD. *Refor. ann.* 1446. *§. Item prohibemus.* Factæ sunt à JOAN. Episcopo LEOD. à Majori Capitulo sigillatæ, & à NICOLAO V. approbatæ.

Non agnoscitur in loco relato alia Dispensationis justa causa circà pluralitatem Beneficiorum Curatorum, quàm evidens necessitas.

XXIX. Volumus autem quod nominati Literas nominationis ab Universitatibus, in quibus studuerint, obtinentes, in nominationum Literis Beneficia per eos possessa, & eorum verum valorem exprimere teneantur; alioquin Literæ nominationis hujusmodi eo ipso nullæ sint, & esse censeantur. Si quis ex dictis qualificatis, &c. quæ suprà ex *Concil.* BASIL. relata sunt. *Concord. inter* LEON. X. & FRANCISCUM I. *Tit.* 18. *ann.* 1516.

Quod de valore exprimendo sub pœnâ nullitatis præcipitur, confirmat quod suprà dictum est, dum exponebatur Decretum *Concil.* BASIL. Hæc enim cautela non aliâ de causâ adhibetur, quàm ne Clerici, etiam Literati, Beneficium ad sustentationem sufficiens habentes, aliud obtineant.

XXX. Odiosa semper apud Veteres fuit plurium Sacerdotiorum ambitiosa cupiditas, neque semel Generalibus Conciliis damnata... Quod difficile videatur, ut unus vicem duorum sustineat; absurdum si promiscuis actibus rerum turbentur Officia.... Qui verò Dispensatione Apostolicâ adversùs hæc se tueri velint, hi viderint, ut causam Dispensationis obtentæ Deo comprobent. *Concil.* COLON. *ann.* 1536. *Part.* 1. *Cap.* 32. Hinc patet in Dispensatione præcipuè requiri, ut Deo accepta sit.

XXXI. Beneficiorum pluralitas ab omnibus tollatur funditùs. Quod ita censeo necessarium, ut optem memoriam illius pluralitatis oblivione sempiternâ deleri, tamquàm avaritiæ Clericalis, ob quam malè audit Ordo Sacerdotum, primogenitam, & omnium malorum Lernam. Verùm ne Ministris Ecclesiæ congrua stipendia desint, iis, qui residere non possent, si haberent Beneficia, loco Beneficiorum poterit pensio aliqua assignari. *Sententia* GUILLELMI DE PRATO *Episcopi* CLAROMONT. *ad Patres Conc.* TRID. *ann.* 1546. Loquitur de pensione, quæ relinquat Beneficii Possessori necessaria ad vivendum, & oneribus illius satisfaciendum; aliàs remedium perniciosum foret.

XXXII. Quicumque vel cupiditate, vel quovis etiam honesto colore impellente, plura Beneficia obtinent; hoc nostro Mandato jubentur, sicut districtè præcipiendo mandamus, ut retento quod ex illis maluerint unico Beneficio, cætera intra annum resignent, aut Nobis, aut Deputatis ad hoc nostris, Dispensationum suarum privilegia hujusmodi ostendant. *Synod.* AUGUST. *ann.* 1548. *n.* 11.

XXXIII. Nullus cujuscumque gradùs, aut Dignitatis fuerit, ad alterius, aut plurium Beneficiorum possessionem admittatur, nisi Nobis, tanquàm Ordinario loci, Dispensationis Literas, pro Sedis Apostolicæ Dignitate conservandâ, inspiciendas priùs exhibeat. *Ibid.*

XXXIV. Hortamur etiam in Domino eos, qui plura Beneficia Curata ex Apostolica Dispensatione jam obtinent, ut uno, quod maluerint, retento, cætera intra annum sine ullâ pensione idoneis Presbyteris resignent. *Ibid.*

Synodus 1º. pro Regula ponit nulli licere ultra unum Beneficium possidere absque ulla Dispensatione, atque adeò indistinctè loquitur, ut de quovis Beneficii genere intelligi queat. 2º. Præcipit, ut qui ex Dispensatione plura obtinet Beneficia, illam exhibeat Ordinario, illamque iste examinet. 3º. Necessarium docet utrumque pro conservandâ Sedis Apostolicæ Dignitate, cujus est ex falsis causis non dispensare. 4º. Resignationi ad quam hortatur alterutrius Beneficiorum Curatorum, ex Dispensatione simul possessorum, conditionem justissimam apponit, nempè ut fiat nullâ pensione retenta. Quid enim æquiùs, quàm ut qui in alium onus transfert, ei quoque totum cedat annexum oneri emolumentum? Prætereà spes retinendæ pensionis impelleret ad plura Beneficia obtinenda incompatibilia. 5º. Datur annus ad optandum. Quod servatur in Gallia, ut & prohibitio retinendæ pensionis.

XXXV. Quia sine gravi Ecclesiarum detrimento accidere non solet, ut aliquis plura quàm unum, maximè si Curata sint, Beneficia occupet; solus enim per omnes Ecclesias, si munere suo rectè & diligenter fungi velit, nec Officium persolvere; nec rebus earum necessariam curam impendere velit; Curandum est.... ne Clerici singuli plura quàm unum Beneficia acquirant. *Reform. Ecclesiast. Can.* 5. *ann.* 1548. *Cap.* 18. Confirmat hic Canon quod sæpiùs notatum est, plurium Beneficiorum possessionem indistinctè prohiberi; idque, quia, etsi Beneficia simplicia aut compatibilia sint, illorum pluralitas in eodem, homine aliquid difforme ac monstrosum habet.

XXXVI. Sed quia tenuitas Beneficiorum facit ut cùm eorum singula multis in locis possessores suos sustentare nequeant, causam arripiant cur plura Beneficia coacervent; Episcopi curent, ut per unionem, aut per aliam quamdam, viam Beneficiorum tenuior reditus ita augeatur, ut de singulis Beneficiis singuli Possessores satis emolumenti pro munere atque dignitate quisque sua habere possint. *Ibidem.* Efficacissimum hic habes remedium, morbum ipsum curans præcisâ illius causâ apparenti; quæ sola ab homine removeri potest; veram enim, quæ est ipsamet cupiditas, unus Deus est qui auferre possit.

XXXVII. Unum tantùm Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur: Quod quidem, si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominùs aliud simplex sufficiens, dummodò utrumque personalem Residentiam non requirat, eidem conferri. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. *Cap.* 17. *ann.* 1563.

In Præfatione hujus Decreti notanda sunt. 1º. Pluralitas Beneficiorum dicitur pervertere Ordinem Ecclesiasticum. 2º. Insinuatur ex cupiditate nasci. 3º. Illius prohibitio vocatur debitæ Disciplinæ restitutio. 4º. Sublimiores personæ, scilicet ipsi Cardinales, expressè comprehenduntur. 5º. Supponitur Beneficiorum simplicium ac aliorum pluralitatem à Canonibus jamjam prohibitam fuisse.

In Decreto verò observandum, est, vetari pluralitatem Beneficiorum compatibilium, quoties unum ad honestam sustentationem sufficit; incompatibilium autem; etiamsi unum vitæ sustentationi non sufficiat. Optandum maximè foret ut Concilium summam honestæ sustentationi cujusque Dignitatis necessariam præscripsisset; infinita propemodùm non esset, ut nunc est in his qui ex cupiditate necessitates metiuntur. *Concil.* AVEN. *ann.* 1594. *Cap.* 37. Decretum hoc servari præcipit.

XXXVIII. Ad Divini Cultûs augmentum *Concil.* TRID. interdixit, ne ullus duo Beneficia obtineret; cujus autoritatem secuta hæc Synodus decernit, ut Capellæ in Cathedralibus Ecclesiis seu Parochialibus institutæ, si à primævâ suâ institutione Dignitati alicui seu Beneficio annexæ non sint, nequaquam Capitulari alicui, seu Beneficiato, conferantur, sed Clericis aliis, qui eis inserviant; sicque fiat, ut Ministrorum numerus, & Ecclesiarum cultus accrescat. *Concil.* MEXIC. *ann.* 1585. LIB. III. *Tit.* 3. *§.* 4.

Non est quod dubites quin *Concil.* Mexicanum prohibeat Beneficiorum pluralitatem; cùm Decretum *Conc.* Trident. illam vetans executioni mandari præcipiat; cùmque inhibeat, ne Capellæ conferantur Beneficiario Ecclesiæ, in qua sitæ sunt, finisque prohibitionis ad Beneficia simplicia se extendat.

XXXIX. Beneficiorum, etiam simplicium, sub eodem tecto obtinendorum prohibitionem, Jure Communi latam, omnibus Episcopis servandam & exequendam omninò proponimus & mandamus. *Conc.* Aquileg. *ann.* 1596. Cap. 10.

Intelligendus videtur hic Canon de Beneficiis, quorum quodlibet ad sustentationem sufficit; docetque pluralitatem, tàm simplicium quam aliorum, Jure Communi prohiberi, quo Jure intelligit nedum Canonem *Conc.* Trid. sed etiam veteres ab eodem restitutos.

XL. Pluralitas Beneficiorum certum continet animarum periculum, & totius Ordinis Ecclesiastici perversio est; ideòque mandat hæc Synodus exactè servari quidquid de ea in *Cap. De multa. Tit. De Præb.* ac in aliis Sacris Canonibus, & præsertim in *Conc.* Tridentino decretum & statutum est. *Conc.* Meclin. *anno* 1607. *Tit.* 19. Cap. 5.

Cùm inter Sacros Canones citatos, & inter Decreta *Conc.* Tridentini laudata circà pluralitatem Beneficiorum, sint quæ Beneficia, etiam simplicia, plura simul possidere vetent, haud dubium est quin *Conc.* Meclin. pluralitatem hanc prohibeat; utrumque enim executioni mandari vult, idque ob easdem causas, & præcipuè periculum animarum, & perversionem Ordinis Ecclesiastici.

XLI. Innumera penè Beneficiorum simplicium, maxime Regularium, multitudo, pro continuo Divinæ Majestatis celebrando cultu, Antecessorum nostrorum pietatem & zelum arguit indefessum; sed hoc nostro ævo infelici Beneficiorum hujusmodi expilatio, & sordidæ avaritiæ, & irreligiosæ profanationi subserviens prostitutio, Majorum zelum in filiorum cordibus jamdudum extinctum esse demonstrat. *Conc.* Burdigal. *ann.* 1624. Cap. 18.

Locum hunc circà abusum Beneficiorum illorum pluralitati applicantes, à mente *Concilii* non recedimus, cùm illam recolere liceat inter causas Beneficiorum prostitutionis, avaritiæ & profanationi subservientes.

XLII. Illud quoque districtè inhibemus, ne quis Monachus plures habeat Abbatias, vel Prioratus; & vel Abbatiam & Prioratum, nec in pluribus Monasteriis Monachatum; & qui administrationem habet in Abbatia exterius, cùm eà nullam habeat interiùs, nisi fortè interiori sit annexa. *Antiq. Stat. Monast. S.* Audoen. *n.* 12. *R. P.* Martini *veterum. Scriptor. p.* 298.

In Appendice ad Reginonem Balusius refert tres formulas admonitionis legendæ in Synodo, Episcopo aliisque assidentibus: Primam vocat *Antiquam*: Secundam *Novam*: Tertiam *Novissimam*. Nullius ætatem notat; in qualibet possessio plurium Beneficiorum prohibetur: In Primâ, ipsismet Leonis IV. verbis supra relatis, *Nullus Presbyter plures Ecclesias teneat, sine adjutorio aliorum Presbyterorum*: In Secunda, sic concipitur prohibitio: *Nullus plures Ecclesias, sine titulo, & contra Sacrorum Canonum dispositiones, nancisci præsumat.* In hac prohibitione duo habes: Alterum, quod plura Beneficia possideri nequeant absque Canonica Institutione: Alterum, quod non obtineantur absque justa causâ, qualis nulla alia à Canonibus admittitur, præter Ecclesiæ necessitatem vel utilitatem. In Tertia, idem & iisdem verbis ac in Secunda habetur.

Hac in Collectione habes, quod quovis Ecclesiæ sæculo simultanea plurium Beneficiorum possessio ubique & semper prohibita fuerit; vel tacitè, sive implicitè; vel expressè, sive explicitè: Priori modo, per quinque priora sæcula; idque patet ex præmissis Collectioni præjudiciis: Posteriori modo, per reliqua sæcula. Hoc probant collecti Canones.

Habes etiam quod eadem prohibitio fuit semper indistincta, saltem interpretativè, tàm post divisionem Beneficiorum in Beneficia incompatibilia & compatibilia, quàm antea. Pars Prior patet ex Observationibus cuique fere Canoni subjectis. Posterior infertur ex eo quod omnia ad Residentiam obligabant, distinctioque memorata nata sit ex Dispensatione a Residentia concessâ nonnullis Beneficiis, quæ simplicia nunc vocitantur, vel propter hanc immunitatem, compatibilia: Beneficiorum enim simplicium duplex est genus; Alia sunt absolutè simplicia, eaque ab aliis in eo præcipuè differunt, quod nullum onus habeant, cui satisfaciendum sit, in loco certo & determinato per ipsorum Possessorem; Alia dicuntur simplicia, respectivè ad Beneficia quæ curam animarum habent, sive in foro externo, sive in foro interno; vel Officium aliquod personale, quod obeundum est certo loco per Beneficiarium: Beneficia autem prioris generis sunt compatibilia cum quibusvis aliis; Beneficia verò simplicia posterioris generis sunt inter se incompatibilia, atque sic nuncupantur, quia simul possideri non possunt, ita ut si duo simul obtineantur sine Dispensatione, alterum vacet & impetrari possit; cui periculo non objiciuntur Beneficia simplicia prioris generis, licèt semper habita sint incompatibilia quoad Conscientiam, quoties unum sufficit ad honestam sustentationem, oneraque illius solvenda: Hæc incompatibilitas vacationem non inducit, quia nullus Canon illam præcepit.

In eadem habes quoque quod prædicta generalis prohibitio exceptiones quasdam patitur, provenientes ex evidenti utilitate, vel urgenti necessitate Ecclesiæ; quibus providetur, vel per Dispensationem ab illa, vel per modos Beneficia plura possidendi, nempè unum in Titulum, aliud in administrationem sine fruitione fructuum Beneficii sic possessi: undè origo Commendarum hodiernarum, quæ cùm sint Tituli, comprehenduntur in dicta prohibitione, ita ut qui excedunt requisita ad honestam sustentationem, retineri non possint in conscientia: sed quia nullus Canon determinet quid cuique sufficiat ad illam, in foro externo subsistunt, censenturque pro compatibilibus, quantumcumque excesserint, sive in se, sive cum aliis Commendis, sive cum aliis non Commendatis. Ad quem pertineat Dispensatio ab hac prohibitione? an reservetur Pontifici? an Episcopus, an Abbas illa potestate etiam fruatur? quæ causæ necessariæ ad illam? quid fruendum ex Dispensatione causâ justa & à Deo probata? quæ pœnæ contra obtinentes indebitè plura Beneficia? quæ hac in re variatio? quis in hoc usus hodiernus, alibi videbimus.

SECTIO XVI.

Quibus usibus insumendi Beneficiorum reditus sint, per Canones cujusque sæculi demonstratur.

In colligendis Canonibus circà usus, quibus Ecclesiastici reditus destinantur, duo imprimis examinanda sunt. Alterum, an doceant quemlibet Clericum Dominum fuisse partis sibi competentis, ita ut de superfluo pro libitu disponere posset? Alterum, an doceant per Beneficiorum institutionem, Beneficiato creditam dumtaxat partem quæ ipsius sustentationi necessaria judicabatur, factumque fuisse illius partis Dominum? an verò aliis oneribus subjecta remanserit?

I. II. III. Sæ-

I. II. III. SÆCULUM.

I. Sint manifestæ propriæ res Episcopi, si tamen habet proprias; & manifestæ Dominicæ; ut potestatem habeat de propriis moriens Episcopus, sicùt voluerit, & quibus voluerit, derelinquere.... ut nec Ecclesia detrimentum patiatur, ignoratione rerum Pontificis; nec Episcopus, nec ejus propinqui sub obtentu Ecclesiæ proscribantur. *Can.* 40. APOST. *Dyonis. Interprete.*

Ex ratione Canonis inferre est, quod sicut distinguebantur res Episcopi à rebus Ecclesiæ, sic quoque & separabantur utrarumque proventus; cùm enim rerum Episcopi reditus ad Episcopum, & rerum Ecclesiæ fructus ad Ecclesiam pertinerent, sine præjudicio alterutrius confundi non poterant.

II. In potestate Episcopus Ecclesiæ res habeat.... ita ut potestate ejus indigentibus omnia dispensentur per Presbyteros & Diaconos, & cum timore, omnique sollicitudine ministrentur. Ex his autem quæ indiget, si tamen indiget, ad suas necessitates, & ad peregrinorum fratrum usus ipse percipiat, ut nihil eis possit omninò deesse; Lex enim Dei præcipit, ut *qui Altari deserviunt, de Altari pascantur; quia nec miles stipendiis propriis contra hostes arma sustulit.* Cap. 41. APOST. *Dyonis. Interpr.*

Hinc patet res Ecclesiæ destinatas esse ad Ministrorum sustentationem, si indigerent, & ad hospitalitatem exercendam.

Legenda in Canone ratio hujus Episcopi potestatis, petita ex eo quod animæ totius Diœcesis ejus committantur curæ, istæque sint rebus temporalibus pretiosiores.

IV. SÆCULUM.

Quæ sunt Ecclesiæ sub omni sollicitudine, & conscientia bona, & fide quæ in Deum est, qui cuncta considerat judicatque, serventur; quæ etiam dispensanda sunt judicio & potestate Pontificis, cui commissus est populus. Manifesta sunt quæ pertinere videntur ad Ecclesiam, cum notitia Presbyterorum & Diaconorum..... Justum namque & acceptum est coram Deo & hominibus, ut sua Episcopus quibus voluerit derelinquat, & quæ Ecclesiæ sunt eidem conserventur Ecclesiæ: ut nec Ecclesia patiatur aliquod incommodum, nec Episcopus sub occasione proscribatur Ecclesiæ, & in causas incidant, qui ad eum pertinent; & ipse post obitum maledictionibus ingravetur. *Conc.* ANTIOCH. 341. *Cap.* 24.

Canon hic adeò similis est *Can.* 40. APOST. ut alter ab altero desumptus videatur, ut cùm *Can.* ANTIOCH. sit certæ ætatis, *Canon* verò APOST. incertæ, constetque præterea antè Sæculum VI. de his expressam mentionem non fieri; verosimillimum apparet *Conc.* ANTIOCH. Canonem suum è *Canonib.* APOST. mutuatum non fuisse. Multa sunt in Can. quæ ostendunt Episcopum alio modo possidere res Ecclesiæ quàm possideat proprias: istas possidere ut Dominum, ideòque quibus vult derelinquere, & propinquiores illas successione ab intestato acquirere; res verò Ecclesiæ possidere ut Oeconomum certis Legibus institutum, proindèque illas Ecclesiæ conservare teneri, Presbyteris & Diaconis manifestare, eorumque Ministerio dispensare.

Hinc evidens est, quantùm à vero aberrent qui docent Beneficiarios Dominos esse proventuum suorum, cùm his duobus Canonibus præcipui illorum Administratores declarentur Ecclesiæ necessitatibus & indigentibus impendere teneri, eosque in suos usus insumere non posse, nisi indigeant.

V. SÆCULUM.

I. Placuit ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicumque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Episcopatûs, vel Clericatûs sui, agros, quæcumque prædia suo nomine comparant, tamquam rerum Dominicarum invasionis crimine teneantur, nisi admoniti in Ecclesiam eadem contulerint. *Cap.* 32. *Codicis Ecclesiæ Afric. confirmati à Conc.* CARTH. *ann.* 419. *celebrato.* Habetur etiam in *Conc.* CARTH. III. *Cap.* 49. *anno* 347.

Canon hic ad rem pertinet, si intelligatur (ut par est) de fundis emptis ex Ecclesiæ reditibus, & Sæculi IV. quo conditus est spectatu usu, quo Clerici Episcopo inferiores redituum parte tantùm fruebantur.

II. Simul etiam de reditibus Ecclesiæ, vel oblatione fidelium quid deceat nescienti, nihil licere permittat; sed sola ei ex his quarta portio remittatur: Duæ Ecclesiasticis fabricis, & erogationi peregrinorum & pauperum profuturæ ab Onagro Presbytero, sub periculo sui Ordinis ministrentur: Ultima inter se Clericis pro singulorum meritis dividatur. At verò Ministeria Ecclesiæ, quæ alienata comperimus, reparare præsumptor, prædicti Fratris compellatur instantiâ: cui etiam huc specialiter præcipimus imminere, ut tres illas Portiones, quas per triennium dicitur sibi tantummodò vindicasse, restituat. SIMPLICIUS *an* 467. *creatus.* Loquitur de Episcopo ad administrandâ Ecclesia suspenso ob infidelem illius administrationem, sicut & propter illicitas Ordinationes. JUSTEL. TOM. I. *p.* 254. Primus Canon qui de divisione redituum Ecclesiasticorum, in 4. Partes expressè loquatur, illam tamen non instituit, sed institutam supponit, cùm ad restitutionem obliget Episcopum, qui alias competentes portiones sibi vindicavit. Ostendit quoque idem Canon redituum Ecclesiæ Administratores, ad præscriptos usus insumere teneri, nedum ex caritate, sed ex justitia, cùm restitutio sit actus justitiæ.

III. Quatuor tàm de reditu, quàm de oblatione fidelium, prout cujuslibet Ecclesiæ facultas admittit (sicut dudum rationabiliter est decretum) convenit fieri Portiones. Quarum una sit Pontificis; altera Clericorum; pauperum tertia; & quarta Fabricis applicanda. De quibus, sicut Sacerdotis intererit, integram Ministris Ecclesiæ memoratam dependere quantitatem, sic Clerus ultra delegatam sibi summam nihil insolenter noverit expetendum. Ea verò, quæ Ecclesiasticis ædificiis attributa sunt, huic operi veraciter prærogata, locorum doceat instauratio manifesta Sanctorum; quia nefas, si Sacris destitutis, in lucrum suum Præsul impendia his destinata convertat. Ipsam nihilominùs adscriptam pauperibus Portionem, quamvis Divinis rationibus se dispensasse monstraturus esse videatur: tamen juxtà quod scriptum est, *Ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est*, oportet etiam præsenti testificatione prædicari, & bonæ famæ præconiis non tacere. GELAS. *an.* 494. JUSTEL. TOM. I. *p.* 244.

Hæ voces *dudum* & *rationabiliter* ostendunt GELAS. existimasse, divisionem Ecclesiæ redituum in quatuor partes antiquam jam tum fuisse & justam. Quæ subdit de modo dispensandi partes fabricæ & pauperum, docent Beneficiarii eleemosynas, aliaque pia opera ad quæ tenetur, nota esse debere, alioquin famæ suæ detrahere, ac scandali ansam præbere.

VI. SÆCULUM.

I. Clerici etiam, vel Sæculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut testamentis relictas, retinere persliterint; aut id quod ipsi dotaverint Ecclesiis,

clesiis, vel Monasteriis, crediderint auferendum; sicut Synodus Sancta constituit, velut necatores pauperum, quousque reddant, ab Ecclesiis excludantur. *Canon* 4. *Conc.* AGATH. *ann.* 506. Casellas verò, vel mancipiola Ecclesiæ, Episcopi, sicut prisca Canonum percepit autoritas, vel vasa Ministerii, quasi commendata, fideli proposito integro Ecclesiæ jure possideant, *id est*, ut neque vendere, neque per quoscumque contractus res, undè pauperes vivunt, alienare præsumant. *Ibid. Cap.* 7.

Uterque Canon docet Ecclesiasticos reditus alendis pauperibus destinatos.

II. Ne cui liceat res vel facultates Ecclesiis, aut Monasteriis, vel Xenodochiis, pro quacumque eleemosyna cùm justitia delegatas, retentare, alienare, atque subtrahere. Quod si quisque fecerit, tamquam necator pauperum, antiquorum Canonum Sententiis constrictus, ab Ecclesiæ liminibus excludatur; quandiù ab ipso ea quæ sunt ablata vel retenta reddantur. *Concil.* AURELIAN. V. *ann.* 549. *Cap.* 13.

III. Indignè ad Altare Domini properare permittitur, qui res Ecclesiasticas & audet rapere, & injustè possidere iniquâ defensione perdurat: Necatores enim pauperum judicandi sunt, qui eorum taliter alimenta substraxerint. *Conc.* TURON. II. *ann.* 567. *Cap.* 25. Simile quid habetur *Cap.* 24.

IV. Ut in reparationibus Ecclesiarum, alimoniis Sacerdotum & pauperum, vel Redemptionibus captivorum, quidquid Deus in fructibus dare dignatus fuerit expendatur. *Concil.* AURELIAN. I. *ann.* 511. *Cap.* 5.

Relatus Canon ab antiqua divisione redituum Ecclesiæ, non discedit re, sed verbis tantùm; comprehendit enim omnes Clericos nomine *Sacerdotum*; sicut & præcedentes Canones, captivos nomine *pauperum* comprehendebant.

V. De rebus Ecclesiasticis tres æquæ fiant Portiones; Episcopi una; alia Clericorum; tertia in recuperatione, vel in luminariis Ecclesiæ; de qua parte sive Archipresbyter, sive Archidiaconus illam administrans, Episcopo faciat rationem. *Cap.* 7. *Conc.* BRACAR. I. *ann.* 561.

Canon hic Portionis pauperum non meminit, vel quia jam assignata fuerat certo loco, ut pauperum necessitatibus provideretur instituto; vel quia Pontifici ac cuique Clerico impositum erat onus pauperum sublevandorum.

VII. SÆCULUM.

I. Mos Apostolicæ Sedis est, Ordinatis Episcopis præceptum tradere, ut ex omni stipendio quod accedit, quatuor fieri debeant Portiones; una videlicet Episcopo, & familiæ propter hospitalitatem atque susceptionem; alia Clero; tertia pauperibus; quarta Ecclesiis reparandis. S. GREG. *ad* AUGUST. *Interrog. ann.* 604. Simile quid legitur in *Conc.* EMERITI *Cap.* 14. *ann.* 666. Quod dicit *Canon.* EMERIT. de imposito onere hospitalitatis ipsi Episcopo, confirmat quod de simili onere Clericis ut & Episcopo itidem imposito in præcedentis sæculi Canonibus dictum est.

II. Cùm præteritis Sanctionibus notissimum habeatur, quæ de rebus Parochialium Ecclesiarum pars Episcopo conferatur, opportunè duximus decernendum, ut si Episcopus tertiam, quam de rebus eisdem Sanctione paternâ sibi debitam novit; aut ipsi Ecclesiæ, cujus esse patescit; aut alteri Ecclesiæ, quam elegerit, conferre decreverit; licitum maneat, & irrevocabile robur ejus Sententia ferat. *Conc.* TOLET. IX. Cap. 6. *ann.* 655.

Quod de casu tertiæ hîc dicitur, restringendum ad tempus, quo Episcopus Ecclesiam regebat; quia alienare non poterat jura Successorum, sub quorum Pontificatu accidere poterat, ut alia Ecclesia hac tertiâ ampliùs egeret.

VIII. SÆCULUM.

I. De reditu verò Ecclesiæ, vel oblatione fidelium quatuor faciat Portiones, quarum unam sibi ipse retineat; alteram Clericis pro Officiorum sedulitate distribuat; tertiam pauperibus & peregrinis; quartam Ecclesiasticis Fabricis noverit reservandam, de quibus Divino erit judicio redditurus rationem. GREG. II. *Epist.* 4. *ad Clerum, Ordinem, Plebem*, cui BONIFACIUS ordinatus erat Episcopus *ann.* 721. Notat SIRMOND. *Epist.* hanc generalem esse formulam, qua scribi solebat Civitati, cui ordinatus fuerat Episcopus. Docet prætereà hic Canon Ecclesiæ Romanæ usum fuisse, ut peregrinis subveniretur ex Portione pauperum; Hispanæ verò morem, ut his provideretur ex Portione Episcopi.

II. Ut domus Ecclesiarum, & tegumenta ab eis fiant emendata, vel restaurata, qui Beneficia exindè habent; & ubi repertum fuerit per veraces homines, quod lignamen, & petras, sive regulas, quæ in Domibus Ecclesiarum fuerint, & modo in domo sua habeat, omnia in Ecclesia fiant restaurata, undè abstracta fuerunt. *Concil.* FRANCOFORD. *ann.* 794. Cap. 26.

Res Ecclesiæ in feuda tùm concedebantur tàm Laïcis quàm Clericis, eaque feuda, sicut & alia, *Beneficii* nomine donabantur; iisdem oneribus subjiciebantur, quibus res quibus constabant; proindèque, cùm inter onera rerum Ecclesiasticarum reparatio Ecclesiarum domorumque Ecclesiasticarum recenseatur, non mirum si prædicta Beneficia oneri huic subessent.

III. Propinqui vel hæredes Episcopi, res quæ ab Episcopo sunt acquisitæ, aut per comparationes, aut traditiones, postquàm fuerit ordinatus, nequaquam post ejus obitum hæreditare debeant, sed ad suam Ecclesiam redire. *Ibid. Cap.* 41. Canon hic desumptus videtur è Canone *Cod. Afric. Ecclesiæ* suprà citato sæculo V.

IV. Providendum est, ut non gravetur Mater Ecclesia, quam constat quotidiè subventioni pauperum, viduarumque, atque orphanorum, simulque egentium, Canonum jussione constrictam, debere esse semper intentam. *Reg.* CRODEG. *Cap.* 31. sæculo VIII. inclinante.

IX. SÆCULUM.

I. Ipsi Sacerdotes suscipiant Decimas, & nomina eorum quicumque dederint scripta habeant; & secundùm autoritatem Canonicam, coram testibus dividant; ad ornamentum Ecclesiæ primam eligant partem; secundam ad usum pauperum vel peregrinorum, per manus eorum misericorditer eum omni humilitate dispensent; tertiam verò partem sibimetipsis Sacerdotes reservent. *Capitul. Episcopor. ann.* 801. *n.* 7. CONC. TOM. VII. *p.* 1179.

Tertia pars duplici Portione constabat, nempè portione Episcopi, & portione Clericorum; utraque simul Episcopo credebatur; ut sumpto quod sibi competebat, reliquum inter Clericos divideret. Nomine *Sacerdotum* intellige totum Corpus Clericorum, cujus Caput est Episcopus.

II. Nonas & Decimas, quas qui res Ecclesiasticas tenent, solvere Rectoribus Ecclesiarum ordinati sunt, ad luminaria & stipendia Clericorum, multis in locis abstractas esse vidimus. *Conc.* TURON. Cap. 46. *ann.* 813. Jàm notatum res Ecclesiæ, dum in feudum dabantur, transire ad feudatarium cum oneribus suis: hic discimus hæc onera quandoque soluta non fuisse.

III. Ut si quis Beneficium de rebus Ecclesiæ habet, ad recta hujus Ecclesiæ restauranda, vel ad ipsas Ecclesias ædificandas omninò adjuvet. *Cap.* 25. *Conc.* ARELAT. VI. *ann.* 813. *Conc.* MOGUNT. Cap. 42. *ann.* 813. Hic locus confirmat præcedentem notam.

Juxtà

Juxtà hanc Regulam etiam nunc qui Decimas infeudatas babent, ad dictas reparationes subsidiariè in Gallia coguntur.

IV. Prælati Ecclesiæ, præcedeotium Patrum exempla sectantes, aliquod præparent receptaculum, ubi pauperes colligantut, & de rebus Ecclesiæ tantùm ibidem deputent, undè sumptus neeessarios juxtà possibilitatem rerum habere valeant, exceptis Decimis, quæ de Ecclesiæ villis ibidem conferuntur. Sed & Canonici, tàm de frugibus quàm de omnibus eleemosynarum-oblationibus, in usus pauperum Decimas libentissimè ad ipsum conferant hospitale. *Conc.* AQUISGR. *Cap.* 141. *ann.* 816.

Quod suspicati fuimus factum in Hispania, antè *an.* 563. præceptum hoc vidimus tamquam rem non novam, sed Patrum præcedentium exemplo comprobatam. Hæc suppositio confirmatur memorato facto.

V. Instruendi sunt Presbyteri, pariterque admonendi, quatenùs noverint decimas & oblationes, quas à fidelibus accipiunt, pauperum & hospitum & peregrinorum esse stipendia, & non quasi suis sed quasi commendatis uti. De quibus omnibus sciant se rationem posituros in conspectu Dei, nisi eas fideliter pauperibus, & his qui præmissi sunt, administraverint, damna passuros. Quibus verò dispensari debeant, Canones Sancti instituunt; scilicet ut quatuor partes inde fiant; una ad Fabricam Ecclesiæ relevandam; altera pauperibus distribuenda; tertia Presbyteris cum suis Clericis habenda; quarta Episcopo reservanda, ut quidquid exindè jusserit, prudenti eonsilio fiat. *Conc.* NANNET. *Cap.* 10. *Seculo IX.* CONC. TOM. IX. *p.* 470. *Capitul.* LIB. VII. *Cap.* 290. *Conc.* VOAMAT. Cap. 7. *ann.* 868. *Conc.* TRIBUA. Cap. 13. *ann.* 895.

Notanda illa verba, *non quasi suis, sed quasi commendatis*, quæ ostendunt Beneficiatum non Dominum, sed Administratorem redituum Ecclesiæ. Notandum quod dicitur de divisione quadripartita redituum Ecclesiæ pluries memorata.

VI. Quod nulli Sacerdotum liceat res Deo dicatas, sibique commissas, utporè proprias, tractare; vel ad multifarios, secundùm libitum suum, eas usus detorquere; sed potiùs secundùm Canonicam autoritatem, Sanctorumque Patrum dicta & exempla, administrare vel dispensare. *Conc.* PARIS. VI. *ann.* 829. LIB. I. *Cap.* 15. AQUISGR. LIB. III. *Cap.* 15.

Idem demonstrat hic Canon quod præcedens, nempè reditus Ecclesiæ juxtà præscriptam à Canonibus divisionem toties repetitam dispensandos esse.

VII. Quamquam Canonica Autoritas doceat, ut quarta pars decimarum & redituum ex oblationibus fidelium, in usus Episcoporum cedat; ubicumque tamen Episcopus sua habet, suis contentus sit; ubi autem nil rerum Ecclesiæ suæ habet, accipiat de memorata quarta parte sibi suisque, non quod avaritia, quod absit, suaserit, sed quod necessitas compulerit. Cæterùm si accipiendi nulla necessitas urserit, nihil de memorata quarta accipiat; sed usibus Ecclesiarum & pauperibos CHRISTI impertiendam secundùm suam dispositionem relinquat. *Conc.* PARIS. VI. LIB. I. *Cap.* 31. ann. 829.

Doctrina hujus Canonis eadem est ac Doctrina *Can.* 41. APOST. ideòque ex numero eorum, qui numquam rejecti fuerunt, & omnium qui isti conformes sunt notabilior est XXV. *Conc.* ANTIOCHENS *anni* 341.

VIII. Postquàm autem Episcopus factus est, quascumque res de facultatibus Ecclesiæ, aut suo, aut alterius nomine, qualiber conditione comparaverit, decrevimus ut non in propinquorum suorum, sed in Ecclesiæ, cui præest, jura deveniant. Similiter & de Presbyteris, qui de Ecclesiarum rebus, quibus præsunt, prædia eo modo emunt, faciendum statuimus. *Conc.* PARIS VI. *Cap.* 16. LIB. I. *ann.* 829.

Indistinctè loquitur Concilium, ideòque de residuo redituum intelligi potest quod dicit de rebus ad Ecclesiæ facultates pertinentibus, quibus aliæ comparantur; residuum enim pars erat illatum facultatum.

IX. Summoperè est decertandum, ne aliquis Pontificum, ea quæ Ecclesiasticis tradita sunt Ministeriis pro remissione peccatorum, aut aliis aptanda Officiis, aut pauperibus erogaoda, ne aliquis ea propriâ cupiditate, aut Potentium terrore, Patentumque procuratione, ad alios usus detorqueat; ne fortè quod aliis extat remissio peccatorum, ipsis fit damnationis augmentum. *Conc.* AQUISGR. II. *Cap.* 2. *n.* 7. *ann.* 836.

Allata à Canone ratio maximi roboris est ad avocandum ab abusu redituum Ecclesiasticorum. His autem abutuntur, quicumque aliis usibus applicant quàm ab Ecclesia præscriptis.

X. Presbyteri Ecclesiarum Decimas accipiant, & indè restaurationem Ecclesiarum, & luminaria, & hospitum ac pauperum receptionem exhibeant, & pro vobis ac statu Regni vestri, Domini misericordiam implorent. *Conc.* MELD. Cap. 75. *ann.* 845. CAROLI CALVI. VI.

Hinc patet creditum tunc Decimas eisdem oneribus subjici, quibus alii reditus Ecclesiastici, scilicet non solùm Ministrorum sustentationi, sed & Ecclesiarum & pauperum & hospitum necessitatibus.

XI. Ut Matricularios habeat juxtà qualitatem loci, non bubulcas aut porcarios, sed debiles & pauperes, & de eodem dominio; nisi fortè ipse Presbyter habeat fratrem, aut aliquem propinquum debilem ac pauperrimum, qui de eadem Decima sustentetur; reliquos autem propinquos, si juxtà se habere voluerit, de sua portione vestiat, atque nutriat. HINCM. Cap. *n.* 17. *ann.* 852.

Alendi ex reditibus Ecclesiæ pauperes debent esse verè pauperes locorom in quibus percipiuntur; Excipiuntur proximi Ministrorum ab ultima conditione, si sint paupertimi; alioquin nutriendi de portione Beneficiati, si velit eos secum habere. Portionem hanc Beneficiati honestam sustentationem non excessisse verosimillimum, cùm ex numero præcedenti pateat eam ex Decimis petitam, & in illarum quartâ parte positam esse; undè si quid ex ea propinquis tribuebat, id suis necessitatibus subtrahebat.

XII. Ut Ecclesiæ sarciantur & restaurentur in ædificiis, ab his qui earum rebus utuntur &c. *Cap.* 11. *Ex relictis. In Conc.* TULL. I. *ann.* 859.

XIII. Ut de rebus Deo sacratis, saltem Nonæ & Decimæ Ecclesiis, quibus jure debentur, fideliter ab his, à quibus tetinentur, ministreotur; quia si de proprio, Deo, ex voto Decimæ offeruntur, multò magis Divino in Lege Præcepto, post redhibitionis oblationem, quinta pars ejus Ministris Jure offertur. *Ibid. Can.* 13.

Jus Nonæ & Decimæ congrua Portio erat Ministrorum, ab his solvenda qui a Ministris percipiendas Decimas percipiebant; hæc portio ad primam Partem reducebatur, eaque Divino Jure debita dicitur.

XIV. Scire debetis quia facultates Ecclesiæ in quatuor Partes, Canonicâ Autoritate, sunt divisæ; ex quibus una est Episcopi, si voluerit; alia ad luminaria & sarta tecta, *id est*, ad restaurationem Ecclesiæ; tertia Presbytero & suis; quarta hospitibus deputata. RICULF. SUESS. *Constitut.* Cap. 11. *ann.* 889.

Hæc verba, *Si voluerit*, denotant Episcopum sibi non semper vindicasse quartam sibi debitam.

XV. Quia juxta Sanctorum Patrum traditionem, novimus res Ecclesiæ vota esse fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, cuique non solùm habita conservare, verum etiam multa, Deo opitulante, conferre optamus. *Capitul.* LIB. I. *Sac.* IX.

Ut in Veteri Lege vota & hostiæ pro peccato cedebant in commodum Sacerdotum; ita in Novâ quæ dicuntur vota fidelium, pretia peccatorum, utilitati Sacerdotum partim vertuntur.

Decima,

Decima, quæ à fidelibus dantur, Dei census nuncupanda est, & Deo ex integro reddenda: cujus tertia pars secundùm *Can.* Tolet. Episcoporum esse debet. Nos verò hac potestate uti nolumus, sed tantùm quartam partem juxtà Constituta Romanorum Pontificum, & observantiam Romanæ Ecclesiæ habere volumus. Ahiton. Basil. *Ep. Capitul. n.* 15. *circ. ann.* 812.

XVI. Admonendi sunt, ut perpendant, quia quidquid à fidelibus datur, redemptio est peccatorum; ideò non glorientur talibus uti sumptibus, sed magis timeant quod in Veteri Testamento Sacerdotibus dictum est: *Iniquitatem populi eos debere portare.* Ideò cum magno timore solliciti sint quorum donis participantur; quia magnum periculum est Judicem fieri alienæ vitæ, qui nescit tenere moderamina vitæ suæ. *Capitul.* Ahiton. *n.* 20. *sæculo IX.*

Qui reditu Ecclesiastico abutuntur ad luxum, habent hic aptissimum medium, quo ab hoc abusu avertantur, nempe hanc salubrem cogitationem, *Ea quibus abutor ad vanitatem, pretia sunt peccatorum superbiæ.*

X. Sæculum.

In formula inquisitionis faciendæ ab iis, qui Ecclesias visitant, recensetur *n.* 67. inter inquirenda nonnihil ad usum de reditibus Ecclesiæ pertinens, nempè si de decimis quatuor fiant portiones. *Regin.* Lib. I. *p.* 27. Is vixit sæculo X. Adeo autem in usu erat hæc formula, ut totum Autoris illius Opus eò tendat, ut ostendatur justè inquiri quæ in ea continentur.

XI. Sæculum.

Mulctæ & animadversiones ex delictis provenientes adversùs Deum patratis, etiamsi à Sæculari Magistratu impositæ, juxtà Episcoporum Constitutionem omninò pertinent ad orationes comparandas, pauperumque commodum promovendum, ad Ecclesiarum instaurationem, & ad populum Dei erudiendum, restituendum, & pascendum, ad libros, campanas & vestimenta Ecclesiæ suppeditandum. *Conc.* Ænhamense *in Angliâ ann.* 1009. *Cap.* 31.

Respicit Concilium has mulctas ut oblationes, ideòque in tres partes divisit, nempè primam Ministrorum, qui orant & instruunt; secundam pauperum, quorum necessitatibus spiritualibus & temporalibus subvenitur; tertiam Ecclesiæ quæ instauratur, cuique alia necessaria subministrantur.

XII. Sæculum.

I. Possumus itaque licitè divitias possidere, si tamen earum nos non reputaverimus Dominos, sed Ministros; si intellexerimus patrimonium pauperum esse patrimonium Christi, si proventibus; (legendum proventus) si (delendum hoc si) pauperum necessitatibus erogantur. Alioquin fures & latrones nos ratio manifesta convincet, si res alienas invitis Dominis nostro præsumpserimus arbitrio contrectare. Arnulf. Lexov. *Serm in Conc.* Turon. *sub* Alex. III. *ann.* 1163.

Christus, pauperes, Ecclesia, Domini sunt redituum Ecclesiasticorum; Ministri Sacri Dispensatores sunt: si deducto sibi necessario, alia ad suos applicent, fures sunt, quia res alienas, Dominis non consentientibus, sibi retinent.

II. Decimæ &c. in quatuor partes dividantur; quarum una sit Episcopi; alia Ecclesiarum; tertia pauperum; quarta Clericorum. Portionem pauperum Episcopus administret; portionem Ecclesiarum Archipresbyter conservet, & ex Mandato Episcopi in usibus Ecclesiæ fideliter expendat. *Conc.* Dalmaticum. *ann.* 1199. *Cap.* 3.

Notatu dignum quod exeunte sæculo XII. in Dalmatia quadripartita redituum Ecclesiæ divisio adhuc vigebat.

XIII. Sæculum.

I. Idem constituimus, si dederint cognatis suis bona Ecclesiæ suæ, nisi pauperibus, & ut pauperibus. *Conc.* Parii. *ann.* 1212. *Part.* 3. *Cap.* 13. Præceperat *Cap.* 10. ut Abbates, Priores, & Præpositi negligentes circà observantiam Ordinis, essent ineligibiles ad Dignitates, nec ad ulla Officia admitterentur, & si moniti non parerent, deponerentur. Hinc consequitur habitum reum gravioris criminis, qui suis, non pauperibus, Ecclesiasticos reditus impertiretur. Per *ordinem observandum, Concilium* intelligit tàm decantatam proventuum Ecclesiasticorum divisionem.

II. Statuimus, ut Prælati singuli eleemosynarios honestos habeant, ut ipsi Prælati, juxtà Apostolum, hospitales sint. *Concil.* Oxonien. *ann.* 1222. *Cap.* 2. Post institutionem Beneficiorum duo ex oneribus quæ reditibus Ecclesiasticis annectuntur, Beneficiorum possessoribus supponuntur; impositum nempè onus sustentandi pauperes, & hospitalitatem exercendi; idque quia res transit cum onere suo, & Beneficia his ex reditibus coalescunt.

III. Quicumque Ecclesiasticum Beneficium habent omninò adjuvent ad tecta Ecclesiæ restauranda, vel ipsas Ecclesias emendandas. *Cap.* 1. *De Ecclesiis ædif. Collect.* Greg. IX. *ann.* 1230. *conditæ.*

Restauratio Ecclesiarum unum est ex oneribus annexis ab origine reditibus Ecclesiasticis, ideoque Beneficiis impositis.

IV. De his qui Parochiales Ecclesias habent, duximus respondendum, quod ad reparationem, & institutionem Ecclesiarum cogi debent, cùm opus fuerit, de bonis, quæ sunt ipsius Ecclesiæ, si eis supersint, conferre, ut eorum exemplo cæteri invitentur. *Cap.* 4. *De Ecclesiis ædificandis. Collectionis* Gregor. IX. *ann.* 1230. *editæ.*

V. Bona quælibet per Ecclesiam acquisita eis debent juxtà *Concil.* Lateran. post acquirentis obitum remanere. Nomine Ecclesiæ . . . . . ubi est Collegium Clericorum, communis Congregatio intelligitur, quæ rerum illarum debet Canonicam distributionem & curam habere. Ubi non est Collegium, ordinandus qui ea bona (sicut & alia) in Dei timore dispenset. Licet mobilia per Ecclesiam acquisita, de Jure in alios pro morientis arbitrio transferri non possint; consuetudinis tamen est non improbandæ, ut de his, pauperibus, & Religiosis locis, & illis qui viventi servierunt, aliqua juxtà servitii meritum conferantur. *Cap.* 12. *De Testam. in ead. Collect.*

Eadem Lex bonorum mobilium per Ecclesiam acquisitorum ac immobilium: utraque ad Ecclesiam pertinent: per Ecclesiam acquirere idem est ac per Ecclesiastica Ministeria, sive Beneficiis annexa, sive non.

VI. Si Rector alicujus Ecclesiæ decesserit, Ecclesiâ suâ relictâ sine indumentis, vel sine libris, vel sine utrisque; vel si fortè domos Ecclesiæ reliquerit dirutas vel ruinosas; de bonis ejus Ecclesiasticis tanta portio deducatur, quæ sufficiat ad comparandum hoc, & ad defectus Ecclesiæ supplendos. Idem statuimus circa illos Vicarios, qui solvendo modicam portionem sive pensionem, omnes habent reditus; nam cùm ad præmissa teneantur, talis portio deducta satis poterit & debet inter eos computari: Semper tamen rationabilis consideratio habenda ad facultatem Ecclesiæ, cùm deducenda fuerit hæc portio. *Constitut.* S. Edmund. *Archiep.* Cantuar. Cap. 26. *anno* 1236.

Ratio Canonis: Res transit cum onere suo, quod & portioni Rectori promissæ, & reliquis fructibus Vicario dimissis convenit: Hinc ratio hujus oneris habenda esset in assignanda hujusmodi portione.

VII. Verùm quia quidquid habent Clerici, pauperum est, & domus eorum omnibus debent esse communes: perquàm indecens videretur, si de bonis

Ecclesiasticis CHRISTI pauperibus hospitalitas negaretur: Idcircò statuimus, quod nulla Parochialis Ecclesia concedatur ad Firmam; nisi juxtà Diœcesani arbitrium, Firmario tanta portio relinquatur, quod CHRISTI pauperibus valeat condecens hospitalitas exhiberi. Et ad id Rectores per Episcopos proprios compellantur. *Conc.* RIDON. *ann.* 1273. Cap. 2.

Post Beneficiorum institutionem, Ecclesiarum Rectores ad hospitalitatem ita tenentur, ut si Ecclesias suas ad Firmam concesserint vel locaverint, Firmario, seu Conductori, superesse debeant reditus sufficientes ad exercendam hospitalitatem. Locator non ideò immunis erat à subveniendo pauperibus locorum, ubi commorabatur, cùm haberet reditus Ecclesiasticos.

Conc. LAMBETH. *ann.* 1281. loquens de Firmis Beneficiorum permissis, *Cap.* 15. hæc habet: *Proviso etiam, Parochiæ pauperibus de Firmis hujusmodi pinguis portio Juri consona, secundùm arbitrium Episcopi, assignetur, sub testimonio quatuor fidelium Parochianorum eisdem fideliter eroganda.* Provisio hæc tutior, cùm Firmarii negligentiæ vel avaritiæ obviaret, eòque laudabilior, quò conformior usui optimo qui Beneficiorum erectionem præcesserat.

VII. Episcopi, Rectores Ecclesiarum, vel alii, qui ad hoc de consuetudine tenentur, compellantur ad reficiendas Ecclesias rurales, & alias domos quaslibet, & alias Officinas eisdem Ecclesiis necessarias; & Servitoribus earumdem, prout ipsis qui hoc tenentur facere, propriæ facultates suppetant. *Conc.* AAARAT. *Cap.* 17. *ann.* 1275.

Ad reparationes duplici ex Capite quis teneri potest, aut Jure Communi, aut Consuetudine. Jus Commune ad id obligat quemvis Beneficii Possessorem: Usus verò nonnullos alios quàm istum.

VIII. Ne res Ecclesiasticæ in usus indebitos convertantur, & fidelis dispensatio Prælatorum apparentiùs elucescat; definimus, ut de bonis Ecclesiæ semel in anno Prælatus cujuslibet Conventûs, suo de omnibus reditibus Monasterio plenam rationem faciat, præsente Episcopo, vel ejus Nuncio ad hoc specialiter deputato, si Episcopus fuerit ad hoc specialiter requisitus &c. *Conc.* SALTZBURG. *ann.* 1281. Cap. 2. JOAN. PECKHAM *Archiepiscopus* CANTUAR. *ann.* 1281. sigillatim recenset ea, quæ Parochiani Curato subministrare debeant; undè videre est, quibus usibus subdantur reditus Ecclesiastici, & quibus non.

XIV. SÆCULUM.

I. Cùm bona Ecclesiarum sint pauperum, statuimus quod de cætero, & prout sæpiùs & meliùs poterit, fiant juxtà possibilitatem eleemosynæ generales per Episcopos & Capitula Cathedralium Ecclesiarum... Et quilibet Episcopus, secundùm possibilitatem, quotidiè in prandium reficiat aliquos pauperes; & ut verecundis pauperibus valeat provideri...eligantur honorabiles viri, qui quæstam requirant, & dividant, prout eorum discretioni videbitur expedire. Qui laboraverit vel eleemosynam dederit secundùm sui possibilitatem, quadraginta dierum indulgentia ei conceditur, si verè pœnitens & confessus. *Conc.* RAVENNAT. *an.* 1311. *Rubric.* 30.

Notandum Canonis fundamentum supponitur tamquam certum, etiam post instituta Beneficia, Ecclesiæ reditus ad pauperes pertinere; exigitur contritio & confessio ad lucrandum indulgentiam quadraginta dierum.

II. Omnes Clerici vitent excessum quemlibet in vestibus, cibis, equis, sellis, & aliis quibuscumque. Non enim CHRISTI pauperis collatum sibi Patrimonium debent in excessu expendere, sed in necessitatibus suis moderatis; ut eorum modestia omnibus nota fiat, & specialiter in epulis; nam superfluitas in talibus notorium est peccatum; *Utere quasi homo frugi*, ait Sapiens, *iis, quæ tibi apponuntur, ut non, cùm manducas, multùm odio habearis.* *Constitut.* NICOS. *ann.* 1313. *numero* 27.

Notent hunc Canonem, qui existimant se veros & dignos Prælatos non habendos, nisi lautam splendidamque mensam habeant.

III. Qui de bonis Ecclesiasticis, filiis aut nepotibus, dotem aut donationem propter nuptias assignaverit; assignatio ipso Jure non valeat; & nihilominus assignans ipso facto in pœnam substractionis medietate fructuum Beneficii incidat. *Conc.* PALANT. *Cap.* 6. *ann.* 1322.

Cùm acquisita ex residuo, sive superfluo redituum Ecclesiasticorum ad bona Ecclesiastica pertineant, de his acquisitis intelligi potest relatus Canon: si de aliis bonis Ecclesiæ intelligatur, pœna culpæ gravitatem non adæquat; non enim aliud videtur quàm furtum sacrilegum depositione dignum.

IV. Quoties alicujus cancellis imminebit reparatio facienda, si sit pecunia vel thesaurus penes Thesaurarios Ecclesiæ, vel quoscumque alios, ante omnia in reparatione hujusmodi expendantur. Si autem non sit thesaurus, & super hoc sit aliqua consuetudo introducta, servetur, dummodò legitimè introducta sit. Si non sit pecunia, vel thesaurus, vel Consuetudo legitimè introducta; ii, qui recipiunt grossas Decimas, ad reparationem hujusmodi teneantur. *Conc.* ROTHOM. Cap. 8. *ann.* 1335.

Deficiente Jure Particulari, ad Commune remittitur: Commune enim est, ut qui grossos fructus, quales Decimæ prædiales, percipiunt, ad reparationes teneantur: Jus Particulare, quod Fabrica habeat speciales reditus ad id destinatos, vel quod alii ex Consuetudine id oneris subeant. Hic est usus hodiernus, saltem Galliæ.

V. Religiosi Beneficia appropriata, *id est*, ut propria obtinentes, secundùm hujusmodi Beneficiorum facultates, annis singulis, pauperibus Parochianis, circà eleemosynæ quantitatem, ipsorum locorum Ordinariorum moderandam arbitrio, per ipsos Episcopos distribuere compellantur, sub pœna sequestrationis fructuum, donec paruerint. *Conc.* LONDIN. Cap. 4. *ann.* 1342. indistinctè loquitur; ideò intelligi potest tàm de Exemptis, quàm de non Exemptis. Similis Ordinatio necessaria foret erga Beneficia Sæcularia.

VI. Tàm Religiosi, quàm alii, possessiones, prædia, vel reditus, quæ de glebâ reficiendarum Ecclesiarum seu dote non existunt, obtinentes..... in ipsis degentes vel alibi, ad quævis onera Parochianis prædictis in iis (construendis vel præparandis navibus, & tectis Ecclesiarum) incumbentia, de Consuetudine, vel de Jure, quæ consideratis possessionum & redituum quantitatibus convenienter imponantur, teneantur; & quoties opus fuerit, Censuris per Ordinarios compellantur. *Ibid. Cap.* 5.

Hujusmodi consuetudo non viget in diversis Regionibus, eaque introducta ex insufficientia redituum Ecclesiasticorum ad reparationem Parochiarum.

VII. Ordinamus quod saltem quolibet anno ponant in refectiones & culturas Beneficiorum aliquam quotam partem, Diœcesani arbitrio limitandam; quæ per deputandos à Diœcesano in refectiones & culturas hujusmodi convertatur; nisi ad reparationes vel refectiones prædictas, aliàs (*legendum alii*) teneantur. *Conc.* PARIS. Cap. 10. *ann.* 1346.

Si similes Canones servarentur, Ecclesiarum ruinæ obviaretur, provenienti ut plurimùm ex neglectu reparationum quotannis necessariarum.

VIII. Præcipimus sub pœnâ Excommunicationis, Decanis, Archipresbyteris, & eorum Vicariis, ut ipsi Beneficia Ecclesiastica in suis Decanatibus, & Archipresbyteraribus existentia, quæ reparatione indigent, sub manu nostrâ recipiant atque levent, ut de ipsis fructibus & emolumentis dicta loca, expensis eorum qui Beneficia

ob-

obtinent, teparari valeant condecenter. AIMEA. PICTAV. *Ep.* ia *Syn. ann.* 1367. Hic modus præveniendi ruinas Ecclesiarum optimus quoque est, vigetque in Regionibus, ubi Archidiaconi vel Archipresbyteri visitant quotannis, aut saltem frequenter, suos Districtus.

SÆCULUM XV.

I. Res immobiles emptæ de pecunia per Beneficiatum ea Beneficio acquisita, debent ad Ecclesiam seu Beneficium pertinere. Non potest neque debet Beneficiatus de illa te, tamquam de te alienâ, aliquid in præjudicium Beneficii vel Ecclesiæ suæ disponere, nisi magna urgeret necessitas; quod si faciat, tenetur ad restitutionem, nec à peccato illo absolvitur, nisi restituat alienum. *Syn* LING. *ann.* 1404.

Cùm pecunia collecta ea venditione fructuum Beneficii sit pecunia acquisita ex Beneficio, Canon hic confirmat quod pluries diximus, nempè res emptas ex superfluo redituum Ecclesiasticorum ad Ecclesiam pertinere.

II. Probibemus sub Eacommuuicationis pœna, ne Beneficiatus de boois mobilibus, vel pecunia per eum ex suo Beneficio acquisitis vel acquisita, emat aliqua bona nomine alieno, & quod in fraudem non solvat pecuniam pro tali re per alium empta. *Syn.* LINO. *ann.* 1404.

Adeò agnoscebatur pecuniam ex residuo redituum acquisitam ad Ecclesiam pertinere, ut si ea illa pecuniâ res aliquas emere quis volebat, sibique dominium vindicare, alieno nomine emebat; undè Canon hic expressè dicit quod multi præcedentes insinuarunt, scilicet residuum Beneficiati, emptaque ea illo, illius non esse, sed Ecclesiæ.

III. Quamvis res Ecclesiasticæ non ad alium, quàm ad pium usum in quem ordinatæ sunt, expendi debeant; quidam tamen Prælati & alii Clerici, plus timentes terrenam quàm Divinam offendere Majestatem, non verentur Laïcis Ecclesias, quantùm in eis est, facere tributarias. *Concil.* FRISINGAN. *ann.* 1440. Cap. 14.

Viguit aliquamdiù abusus imponendi census Beneficiis in favorem Patronorum, aliorumve Benefactorum Ecclesiæ: De illo loqui videtur citatus Canon, qui intelligi potest de acquisitis ex residuo Ecclesiæ pertinente, ac de aliis rebus illius.

IV. Ne Redemptoris Domini Nostri JESU-CHRISTI patrimonium consumatur inutiliter, aut in usus temporarios exquisitis Diabolicis suggestionibus expendatur, de quo potiùs pauperum necessitatibus est subveniendum; statuimus ne Clerici, maxime Beneficiati, quacumque Dignitate præfulgeant, Mimis, Joculatoribus, Histrionibus, Buffonibus, Galliardis, seu hominibus Artis ludicræ, prætextu nuptiarum, militiæ, vel alterius similis causæ, quidquam largiantur. *Idem Conc.* FRISING. *Cap.* 4. *ann.* 1440.

Abusus, quos sigillatim descriptos condemnat, vigent, proh dolor! etiamnunc, ac frequentes sunt in plerisque Regionibus. In eodem Canone notanda alia plura sese offerunt. 1°. Reditus Ecclesiastici vocantur *Patrimonium* CHRISTI. 2°. Hinc concluditur in usus inutiles, vel profanos, vel illicitos, expendendos non esse; ideòque hominibus ludicræ Artis cujusvis ne quidquam largiendum. 3°. E contrà pauperibus ea illis reditibus subveniendum, utpotè membris CHRIATI ab ipso peculiariter commendatis.

V. Licentia testandi alicui Presbytero, seu Beneficiato, per Literas sub sigillo Officialitatis Curiæ LAODIANSIS concessa, non expiret per cessum vel decessum illius Episcopi cujus tempore concessa fuit; sed sit perpetuò firma & stabilis. *Cleri* LAODIANSIA *Reform.* §. *Imprimis. ann.* 1448.

Canon hic ostendit in Diœcesi LAODIANSI non adhuc licuisse Clericis disponere de rebus ratione Ministerii Sacri acquisitis, sed ad id dispensatione Episcopi eguisse. Hæc autem Dispensatio hic & alibi communis facta, in Jus Commune posteà transiit.

SÆCULUM XVI.

I. In quibus (venationibus) plerique Patrimonium CHRISTI, quod in pauperes impartiendum fuit, consumpserunt. *Syn.* CARNOT. *ann.* 1526. Exemplum mali usus hujusce Patrimonii aliàs frequentissimum, & nunc non rarum.

II. Perniciosus abusus est, cum pudendo Cleri dedecore & animarum periculo, gravique Ecclesiarum detrimento conjunctus, quod in Ecclesiis quibusdam potissima portio Clericis non residentibus, nec quidquam utilis aut necessarii Ministerii exequentibus, distribuitur: Vicariis, qui diurnâ & nocturnâ fatigatione omnes Ecclesiæ functiones sustinent, vix tenui censu, & qui ad vitam miserè sustentandam ægrè sufficiat, relicto. *Conc.* MOGUNT. *ann.* 1549. *n.* 70.

Antiquus (& quod pejus est) nondum abolitus abusus; otiosi comedunt panem laborantium, & non erubescunt.

III. Cùm Apostolus victu, adeòque ipsâ vitâ indignos judicet homines otiosos, qui panem non labore suo partum, cum gravamine aliorum edunt; quantò graviori indignationi Divinæ eos subjacere putandum est, qui census Ecclesiæ, Sanctorum Martyrum patrimonia, & donaria piæ Plebis, ad Divini Ministerii sustentationem collata otiosè absumunt &c. *Ibid.* *n.* 72.

Reditus Ecclesiastici etiam post instituta Beneficia dicuntur *Patrimonia Martyrum*; idque meritò, quia hæc institutio non mutavit illorum naturam.)

IV. Cæterùm monet Sancta Synodus Abbates, Abbatissas, & alios Monasteriorum Præfectos, & Præfectas, ut sui meminerint Officii; seque non esse Dominos bonorum Monasterii, imò ne fructuum quidem; sed tantùm Administratores, & Dispensatores; neque se pro lubitu dispensare posse, sed secundùm intentionem Ecclesiæ, & piorum Fundatorum. *Concil*, CAMER. *Tit.* 18. Cap. 16. *ann.* 1565.

Notanda sunt hæc verba, *Ne fructuum quidem*, quæ disputandi aditum omnem præcludunt.

V. Bona quæcumque eorum Clericorum qui intestati moriuntur, ad Episcopum, vel consuetudine, vel alio, quocumque Jure pertinentia, ac devoluta, per eumdem Episcopum in pios tantùm usus, ejus arbitrio expendantur. *Conc.* TOLAT. *Act.* 2. Cap. 18. *ann.* 1566. Hic Canon æquè intelligi potest de Clericis non Beneficiatis ac de aliis, cùm indistinctè loquatur, ac inter illos extent, quorum successio ex emolumentis Ecclesiasticis provenit, ideòque subest spolio Clericorum intestatorum, quo Episcopi gaudebant in Hispania.

Episcopi obligatio nascitur ex obligatione Beneficiati, vel Officiarii Ecclesiæ; vel, si mavis, ea ipsa natura redituum Ecclesiasticorum, quæ ea est, ut nequeant in alios quàm pios usus expendi. Dicendum de testamento quod dictum est de spolio; non enim plus mutat naturam rerum circà quas versatur, quàm spolium.

VI. In his locis, in quibus Ecclesiarum Parochialium Fabricis nulla Decimarum pars dari solet, nec alii deputati sint annui reditus, aut ita tenues sint, ut ad onera necessariò sublevanda nequaquam sufficiant; ex omnibus Decimis, ad quoscumque & quomodocumque pertinentibus, ea pars Fabricis Ecclesiarum Parochialium deputetur, ac deputata censeatur, quæ ejusdem Diœcesis vicinioribus Ecclesiis ad Fabricam communiter dari, & in ejusdem Fabricæ utilitatem expendi consuevit. Alioqui arbitrio ipsius Ordinarii Ecclesiæ Parochiales ex omnibus Decimis reficiantur ac reparentur, &c. *Ibid.* Cap. 17. *Act.* 3.

Dispositio hujus Canonis conformis est dispositioni *Cap.* 21. *De Censibus*, præcipientis ut servetur Consuetudo Ecclesiarum vicinarum circa jura recèns introducenda in aliqua Ecclesia. Hæc verba, *Ex omnibus Decimis*, ostendunt omnes Decimas Jure Communi obligaras ad Parochiarum restaurationem.

VII. Cùm nemini dubium esse debeat, Divinæ indignationi eos omninò subjacere, qui Ecclesiarum reditus, Canonicis Decretis Dei Lege derivatis, Principum munificentiâ, & piæ ac Christianæ Plebis liberalitate, ad Divini Ministerii sustentationem collatos, absumere otiosè conantur, debita prolus obsequia nequaquam præstare curantes; eosque maledictos ex JEREMIÆ *Cap.* 48. qui Officium, cui addicti sunt, peragunt negligenter. *Conc.* TOLET. *Cap.* 3. *Art.* 1. *ann.* 1566.

Locus JEREMIÆ, & silentium circa restitutionem, ostendunt *Conc.* loqui tantùm de exercentibus negligenter Officia sua, non de omittentibus illa omninò; id præterea evincunt ultima verba: *Peragunt negligenter.*

VIII. Quod reliquum fuerit ex reditibus post honestam Abbatia & Monachorum sustentationem, Monasterii impendatur ornatui, aut Fabricæ Ecclesiæ, pauperibus, aut aliis rebus Monasterii. *Conc.* ROTHOM. *De Monast. n.* 16. *ann.* 1581.

Nequidquam est quod Prælati pro mero arbitrio impendere possint; sed in omnibus Canonum mentem sequi tenentur.

IX. Nec existiment sibi commendatum Monasteriorum Regimen ad luxum & prodigalitatem, aut ad augendam rem suam, & consanguineorum familiam; sed ad piam & justam alienarum rerum dispensationem, & quarum non habent proprietatem; Deoqua de omnibus reddendam esse rationem. *Conc.* ROTHOM. *De Monaster. n.* 4. *ann.* 1581. *Conc.* AQUAN. *an.* 1585.

Admonitio Commendatariis saluberrima; Utinam ut verbo, ita & re.

Admonitionis Ratio: Commenda rerum naturam non mutat, ideòque Commendati reditus iisdem oneribus subjiciuntur ac non Commendati; præterea *Concilium* expressè condemnat illos qui dominium redituum Ecclesiasticorum tribuunt Beneficiatis.

X. Episcopi congruentibus remediis invigilent, etiam per retentionem fructuum, usque ad eam partem quam judicaaint congruere, ut Monasteriorum Ecclesiæ, quæ renovatione aut restauratione indigent, reficiantur...... Paræciales Ecclesias, etiam si Juris Patronatua sint, ita collapsas procurent refici ex proventibus quibuscumque, ad easdem Ecclesias quomodocumque pertinentibus; qui si non fuerint sufficientes, omnes qui fructus aliquos à dictis Ecclesiis percipiunt, contribuere compellant. *Ibid. n.* 22. *Conc.* TRID. SESS. VII. *Cap.* 8. *Cap.* 7. *&* 8. SESS. XXI. His locis confirmantur quæcumque dicta sunt de obligatione piis usibus insumendi reditus Ecclesiasticua, etiam post institura Beneficia.

XI. Peculium CHRISTI sunt bona Ecclesiæ, Episcopis, Sacerdotibus, & Clericis, cùm ad honestum eorum vitæ subsidium & spiritualis sumptum Ministerii, tùm ad pauperum alimentum atque sustentationem tradita. *Conc.* BURDIG. Cap. 26. *De Rebus Ecclesiæ non alienandis*, *anno* 1583.

Singuloa usus quibus impendendi reditus Ecclesiastici, paucis complectitur. Idem habet de Quarta Episcopi, quia Episcopo assignati sunt reditus iisdem usibus destinati.

XII. Sciant Episcopi eis interdictum, ne ex reditibus Ecclesiæ, qui Dei proprii sunt, consanguineos, familiaresve suos locupletiores efficiant, cum Apostolicis Canonibus id adversetur. *Iid. Conc.* ROTHOM. Cap. 16. *De Episcopis. an.* 1581. *Conc.* RHEM. *ann.* 1583. *Conc.* TRID. SESS. XXV. Cap. 1. *ann.* 1563.

Inveteratum malum vetaor citata Concilia, aliundè non proveniens, quàm ex eo quod bona Ecclesiastica cum profanis confundantur.

XIII. Videant ne pauperum loco, Assentatores, Mimos, & id genus perditos homines mensarum habeant, asseclas, vel equos, canes venaticos, & aves alant; ne vellicationis potiùsquam villicationis reddant rationem. *Conc.* RHEM. *De Episcopis n.* 8. *ann.* 1588.

Inter Assentatores Jure recensendi Parasiti omnes. Quod de Mimis, jam vetiium legimus à *Conc.* FRIAINO.

XIV. Cùm Beneficium Ecclesiasticum non otiosis, sed Officium suum exequentibus, constitutum sit...... Denunciat Synodus omnibus, cujuscumque gradûs & conditionis, qui Beneficia Ecclesiastica solius proventûs temporalis gratiâ suscipiunt, eos non facere fructus suos, sed ad restitutionem teneri. *Conc.* BITUR. *Tit.* 36. Cap. I. *ann.* 1584.

Existimavit ergo Concilium, non licere in usus suos res Ecclesiasticas convertere, nisi pro Ecclesia laboranti; ideòque juxtà hujus Concilii Sententiam, quæ his D. PAULI verbis confirmatur: *Qui non laborat, non manducet*; infiniti propemodùm sunt, qui illicitè utuntur rebus Ecclesiasticis. Vox *denunciat*, notanda; demonstrat enim *Conc.* novum Jus non introducere, sed vetus declarare.

XV. Tàm de quarta Prælatum tangente, quàm de aliis partibus ad Capitulum, Fabricam, Hospitale, Regiam Majestatem, Servientes, & Officiales spectantibus, id omninò fiat, quod erectionis Ordinationes & Statuta disponunt. Quæ fundamentalis quidem, & quasi primaria Lex esse debet, quâ omnes & singulæ hujus Archiepiscopatûs & Provinciæ Cathedrales Ecclesiæ, absque ullius rei defectu vel excessu regantur & gubernentur. *Statut* MEXIC. *Par. I.* Cap. 10. *ann.* 1585. CONC. TOM. XV. *p.* 1350.

Rex Catholicus ut Patronus Ecclesiarum MEXICANARUM parte redituum illarum gaudet ex ipsâ fundationis Lege.

XVI. At verò ne putent Ecclesiasticum panem, qui temporaliter inter Ministros distribuitur, ad luxum, ad inania studia, ad venationes esse convertendum; cùm sit Patrimonium CHRISTI, alimenta Sacerdotum, qui verè Sacerdotes & verè Ecclesiastici sunt; Ministrorum stipendium, ut in Ecclesia, vel extrà, Deo laudes persolvant, & ipsi Deo obediant. *Conc.* AQUILEI. *ann.* 1596. *Tit.* 11. *§. Pensionarios.* Quod D. PAULUS dixit de viduis, nempè ex reditu Ecclesiastico non alendis, si verè viduæ non sint, ut si in deliciis vivant &c. hoc *Conc.* AQUILEI. dicit de Sacerdotibus, & Ecclesiasticis, nimirùm esse indignos qui stipendiis Ecclesiasticis sustentenrur, si ut Clerici non vixerint.

Idem *Conc.* recensens incommoda, quæ venationem Clericorum sequuntur, hoc ad rem habet: *Consequitur autem ut panis qui miserorum victui sufficeret, panis, inquam, de reditibus Ecclesiasticis collectus, quod est Patrimonium* CHRISTI, *ad bestiarum cibum indignè transferatur, cujus criminis ratio districtè in die Domini reddetur.*

Ex collectis Canonibus evidens est, reditus Ecclesiasticos piis usibus semper insumendos; hos autem usus alios non esse quàm Ministrorum Sacrorum honestam sustentationem, Divini Officii Celebrationem, Ecclesiarum restaurationem ac decorationem, pauperum sublevationem; idque quia Sacræ Ecclesiæ bona sunt peculium CHRISTI, Patrimonium Sanctorum, Fidelium oblationes, pretia peccatorum; eaque mens est Donatorum, confirmata ipsius Ecclesiæ acceptatione eodem fine factâ, nullum Prælatum quantæcumque Dignitatis sit, ab his Regulis eximi; Patronorum portionem iisdem subjici, aliis portionibus non sufficientibus vel deficientibus; hac in re nihil innovasse Beneficiorum creationem, illorumque possessores remansisse redituum puros Procuratores, nec effectos veros Dominos; in quoscumqua transeant illorum residua, sive Testamento, sive donatione, sive successione ab intestato, sive jure spolii, pristinam naturam semper retinere; propinquos illis uti non posse, nisi ut pauperes; domesticos verò, ut mercede debitâ ratione servitii exhibiti.

SEC.

SECTIO XVII.

Principia de Jure Devoluto latè sumpto, resolutionem dubiorum circa devolutum Beneficiarium comprehendens.

Etsi Devolutio à Jure devoluto distingui soleat, ut via quâ transitur à re quæ transit; nihilominus hic sub Jure devoluto comprehenditur, quia istud sine illa explicari nequit.

Antequàm hæc Dubia proponamus, operæ pretium est dicere verbum de natura, materia, causis, & speciebus Juris devoluti; faciliùs postcà hæc Dubia explanabimus.

Jus devolutum est Jus quod plerumque à Prælatis Inferioribus ad Superiores Prælatos ascendit, solâ culpâ Inferiorum.

Hujus Juris mentio fit in *Titulo De Supplendâ Neglig. Prælat.* qui tantùm exaratus est ad illud explicandum; & in *Tit. De Concess. Præbend.* De eo etiam sermo habetur in *Concordat. Tit. De Collationibus. §. Si quis verò. Tit. De Publicis Concubinariis. §. Quod si ii.* In *Ordinatione* Aurilian. *Art.* 4. *in Editione* Amboesiana. *Art.* 7. in *Constitutione* Blesensi. *Art.* 7. 46. 47. in *Edicto* Melodunensi. *Art.* 17. in *Ordinat. Civili. ann.* 1667. *Tit.* 15. *Art.* 13.

Dico *plerumque*, quia in Canonibus est aliquis casus, in quo jus transit ab Episcopo ad Capitulum, atque consequenter à Superiore ad Inferiorem pervadit, aut fortasse meliùs ab æquali ad æqualem; nam ratione bonorum Communionis quæ est inter Episcopum & Capitulum, hoc devolutum fit; Communio autem æquales reddit eos inter quos reperitur.

Hoc devolutum non acceptum est in Galliâ. Pastor. *Lib. I. Tit.* 22. *n.* 1. Louet. *in Regula De Infirm. n.* 75. dicit communi usu non esse illud acceptum. Rebuf. *Tit. De Devolut. n.* 23. idem dicit ut refert Louet *n.* 330. *De Public. Resign.*

Ratio usûs Franciæ procul dubio accipitur ab irregularitate talis devoluti. Quod si dicatur: *Par fieri à Papa ad Ordinarium, si Papa non conferat intra mensem Beneficia vacantia in Curia.* Cap. 3. *De Præb, In 6.* Respondetur, *Multum abesse, ut hoc sit verum devolutum, imò potiùs reditus est naturalis juris conferendi à reservatione impediti.*

Materia vero Juris Devoluti duplex est, scilicet Provisio Beneficiorum, & Correctio.

Locutum est de Jure Devoluto quod spectat ad Beneficia in locis suprà citatis; agitur de altero in *Cap.* 13. *De Off. Jud. Ordin.*

Causæ autem duæ sunt; quarum prima est communis utrique generi Juris Devoluti, & hoc fit negligentiâ Prælatorum Inferiorum. *Tit. De Suppl. Negl. Præl.* Secunda particularis est Juri Devoluto, quod pertinet ad Beneficia; & hæc est indignitas, incapacitas, imperitia promoti, quæ potuit & debuit agnosci à promovente ipsum. *Cap.* 7. *De Elect. §. Clerici.*

Species Juris Devoluti ex hujus materiâ colliguntur, & ex causis ipsius, & ideò distingui possunt sex species Juris Devoluti. Prima spectat ad Correctionem: Tres sequentes pertinent ad Beneficia distincta, aut ratione eorum præstantiæ, undè oritur Secunda species, quæ respicit Prælaturas; aut ratione statûs hominum, qui eas possidere queunt, ex quibus alii sunt Sæculares, undè nascitur Tertia species, quæ spectat ad Commune Beneficiorum Sæcularium; alii Regulares, undè oritur Quarta species, quæ pertinet ad Beneficia Regularia inferiora. Duo ultima genera depromuntur à negligentia providendi Beneficiis tempore à Jure constituto, aut ab abusu potestatis illis providendi, qui consistit in eo quod promoveantur ad illa homines indigni & insufficientes.

Primum genus situm est in eo quod Capitulum, quod pro more solet corrigere Canonicos, negligente hoc facere tempore ab Episcopo definito, jus correctionis transmittitur ad Episcopum. *Cap.* 13. *De Off. Jud. Ordin. §. Excessus.* Idem dicendum est de Monasteriis, si negligant animadvertere in Religiosos noxios.

Sermo habetur de secundo genere in *Cap.* 41. *De Elect.* Docet, quod si Ecclesia Episcopalis, aut Abbatialis, aut alia similis, omittat eligere Prælatum suum intra tres menses, jus eligendi hac ratione devolutum est Superiori immediato. Hujus adhuc mentio fit in *Cap.* 12. *De Concess. Præb* Innoc. III. in eo docet Canonem *Concilii* Later. habiti sub Alex. III. qui constituit Jus Devolutum quoad Beneficia Sæcularia, sicut *Conc.* Vienn. illud ordinavit quoad Regularia sub Clem. V. non spectare ad Episcopatus & Archiepiscopatus; sed hæc *Capita* loquuntur tantùm de Jure Devoluto orto à negligentia Electorum. Quod spectat ad alterum, quod oritur ab indignitate, aut incapacitate electi, mentio hujus facta est in *Cap.* 20. 22. 26. *De Elect.* & in *Cap.* 18. *De Elect. In 6.* In eo videtur, quod Electores, qui promovent ad Episcopatum hominem indignum aut incapacem hujusce, jus eligendi amittunt hâc vice, & quod devolutum sit Papæ, posito quod potuerint & debuerint cognoscere vitia electi.

Progrediendum non est ad tertium genus Juris Devoluti, priùs quàm annotatum sit, quod vacationi Prælaturarum, cùm sit multò periculosior quam aliorum Beneficiorum, Canones dant tantùm tres menses, ut provideatur Prælaturis, dum concedunt sex ut aliis Beneficiis possit provideri. *Cap.* 2. *De Concess. Præb.* Cap. 41. *De Elect.*

Quoad hoc tertium genus superest tantùm ut sciamus hac de re, omnia Beneficia Secularia obnoxia esse Juri Devoluto, exceptis iis quæ vacant in Regalia quæ est suprà omne Jus Positivum, & aliquibus aliis Collationis Laicæ quæ habent idem privilegium. Quod in hoc puncto admirandum est, illud est, quod Beneficia, quorum provisio spectat ad Papam, videantur in hac Regula contenta, ut videre est in *Cap.* 3. *De Præb. In 6.* Quamvis Papa non habeat Superiorem, & non sit Inferiori datum ut emendet Superiorem, & quamvis in usu devoluti sit correctio: sed hoc mirum videri non debet; nam Jus Devolutum introductum est, non in honorem Superiorum, sed ad bonum Ecclesiæ, cui cedere debent hæ omnes considerationes.

Quarta species nihil habet singulare, nisi, quod Beneficia, quæ Prælati Regulares negligunt tempore constituto à Canonibus largiri, sint devoluta Episcopis, quodque illa propria autoritate conferant, si illi Prælati non sint immunes; & autoritate Sedis Apostolicæ, si sint immunes; &, si inter Beneficia devoluta sint aliqua Regularia, teneri illos ea conferre Religiosis, quemadmodum debent Sæcularibus præbere ea quæ Sæcularia sunt. *Clem. un. De Suppl. Neglig.* Clem. I. *De Suppl. Neglig. Prælat.*

Annotandum tantùm est in quinta specie quod sequitur: I. Canones concedunt sex menses ad providendum Beneficiis. *Cap.* 3. *De Suppl. Neglig.* nisi sint è patronatu Laïcali, pro quibus quatuor menses tantùm dantur. *Cap.* 27. *De Jure Patron.* extra Normanniam; aut è nominatione Regia, pro quibus novem sunt menses. II. Quoad hæc Beneficia, tempus currit à die vacantiæ. *Concord. Tit.* 3. *De Reg. ad Prælat. Nomin.* In aliis verò tempus numeratur tantùm à die quo potuit & debuit esse nota vacantia. III. In singulis quibusque tempus non præterit in casu legitimi impedimenti, ut suspensæ, aut itineris necessarii. *De Concess. Præb.* Cap. 40. Devolutum vadit de gradu in gradum, à Superiori immediato usque ad Papam; excipe in Beneficiis nominationis Regalis, quæ sunt omnia immediatè Papæ devoluta, ut videtur *Concord. Tit.* 3. Quod devolutum non est in usu, cùm nullus sit casus in quo Summus Pontifex possit providere his Beneficiis sine Regis nominatione.

Beneficia devoluta transeunt ad Collatores eum suis oneribus. CLEM. *Unic. De Suppl. Negl Prælat.* hujus rei fidem facit; nam mandat Episcopis, ut dent Sæcularia Sæcularibus, Regularibus Regularia, in casu quo per devolutum conferunt hæc duo genera Beneficiorum. Idem videtur in *Concord. §. Si quis verò. De Collat.* In eo dicitur Beneficia debita Graduatis, sive simpliciibus, sive nominatis, debere illis conferri à Collatoribus, quibus devoluta sunt injustâ repulsâ Ordinariorum. In quo observandum est, posse adhuc distingui Tertiam Causam Juris Devoluti, nempè injustam recusationem Beneficiorum ad quosdam pertinentium: Tales sunt Graduati simplices, aut Nominati, Indultarii, Brevetarii; nam hæc repulsa est culpa longè diversa ab iis, quæ committuntur negligendo conferre, aut promovendo homines indignos, aut incapaces; nam his duobus tatis tantùm fit injuria Ecclesiis; repulsâ autem adhuc nocet hominibus, qui jus habent in Beneficia recusata.

Proferendum est unum verbum de Sexta specie Juris Devoluti; scilicet cùm major pars Electorum virum indignum eligit, jus eligendi tunc devolutum est ad minorem. *Cap. 23. De Elect.* Si omnes Electores in hoc delinquant, & agatur de Episcopatu, jus eligendi tunc devolutum est Summo Pontifici; sed si de aliis Beneficiis Inferioribus agatur, devolutum est Superiori immediato Electorum: & devolutum gradatim ad Papam transmittitur. *Cap. 2. 15. De Concess. Præb.* Cap. 3. *De Suppl. Negl. Prælat.*

Quod dictum est, statim atque electus est quis indignus, jus eligendi aliis esse devolutum, extenditur etiam ad casum, in quo confertur viro insufficienti, aut quis incapax producitur; nisi agatur de Patronis Laicis, inter quos constituendus est Rex Galliæ, quoad Beneficia Consistorialia quibus nominat; nam post admissum hoc delictum, possunt illud reparare, scilicet præsentando adhuc semel: Hæc exceptio fundatur in *Capit. 5. & 24. De Jure Patron.* quoad Patronos Laicos generatim; & quod spectat ad Regem in *§. 1. De Reg. ad Prel. Nomin. in Concord.*

Referri potest ad hanc Sextam speciem Juris Devoluti, ea quæ oritur ex incapacitate post provisionem orta ex aliquo delicto, aut quasi delicto, quo vacat Beneficium ipso facto; nam unus & alter casus nititur in incapacitate Beneficiarii, cum hoc solo discrimine, quod hic depromitur ab incapacitate Beneficiarii, quæ occurrit post provisionem, & producit consequenter novum genus vacantiæ; & alter Casus oritur ex incapacitate, quæ antecedit provisionem, & eàm eam nullam efficit, oportet ut prima vacantia permaneat, atque ratione ejusdem, Beneficium conferatur; è contra, cùm in secundo casu nova profectò fit vacatio, ideò Beneficium non potest unquam conferri sub eodem vacandi modo, quo primâ vice. *Cap. 5. De Cler. Conjug.*

Porrò ut perficiantur quæ sunt dicenda de Jure Devoluto, antequàm perpendantur dubia, quæ debent hac de re proponi, aliqua adhuc sunt observanda, nempè

I. Devolutum à Metropolitano ad Papam transfertur, cùm non est Primas qui fruatur Jure Primatûs, *Cap. 5. De Suppl. Neglig. Prel.* Itaque cùm in Gallia solus Archiepiscopus LUGDUNENSIS potiatur Juribus Primatis, necesse est in aliis Provinciis, ut devolutum transeat immediatè à Metropolitano ad Papam. GREGOR. TOLOSAN. LIB. XVII. *C. §. 9. n. 39.* Fortassè ex hoc excipienda est Provincia BITURICENSIS, ratione Provinciæ ALBIGENSIS, in qua Archiepiscopus BITURICENSIS potitur provisionaliter jure Primatûs, juxtà sententiam benemultorum Auctorum.

II. Observandum est, quod hoc Devolutionis genus, juxtà non paucos deberet restringi ad Collatores Papæ Inferiores, quia non est tempus definitum pro Summo Pontifice; quod nonnulli probant per usum petendi ab illo quotidiè Beneficia vacantia multis abhinc annis; sed malè, nam hic recursus potest in jure fundari, quod habet Papa præveniendi omnes Collatores. Alii putant *Concilium* LATERANENSE, cùm mentionem expressam non fecerit de Summo Pontifice, & cùm ageretur de pœna, ipsum non debere in hoc comprehendere; quia in genere pœnæ, viri præstantes non his sunt obnoxii, nisi sint expressè commemoratæ in Lege quæ illas fert: sed hoc ratiocinium non est aptius; nam hoc Decretum non expressè loquitur de Primatibus, & nihilominus in eo continentur. Ut ergo prædicta exceptio vel restrictio admitti possit, aliis & solidioribus eget adhuc probationibus.

III. Cuique Collatori per Devolutum sex sunt menses ad conferendum. *Cap. 2. 12. De Concess. Præb.* In eo hoc tempus conceditur Collatori sine ulla distinctione; quod videtur adversari fini Juris Devoluti, quod impedir ne Beneficia diutiùs vacent; nam posset indè evenire, quod Beneficia multos annos vacarent negligentiâ Collatorum, per Devolutum quod haberet locum, si eùm Capitulum, aut aliquis alter Collator inferior, neglexerit intrà sex menses, Episcopus cui devoluta esset Collatio, eandem culpam admitteret, & Metropolitanus & Primas idem agerent: sed cùm jactura juris conferendi per negligentiam eadem utendi pœna sit, hujus negligentiæ pœna, existimata est non infligenda nec statuenda in Collatores per devolutum, propter minus erratum quàm illud propter quod constituebatur contrà alios.

IV. Ex quo Summus Pontifex potitus est jure præveniendi Ordinarios, nullum ampliùs periculum fuit sex menses Collatoribus concedere; quia metuentes ne præoccupentur, diligentes evadunt ad conferendum; unde fit ut si jus illud stabilitum fuisset, cùm jus devolutum introductum fuit, non necessè fuisset illud statuere.

V. Canones sunt severiores in illos qui conferunt personis indignis, quàm in illos qui negligunt conferre; nam 1°. Clerici inferiores Episcopis, qui promovent quosdam insufficientes, non solùm privantur potestate conferendi hac vice, sed etiam suspensi sunt ab omni Beneficio Ecclesiastico per tres annos. *Cap. 7. De Elect.* 2°. *Concilium* LATER. IV. *sub* INNOCENTIO III. statuit, quod, si Collatores bis moniti, tamen aliquibus incapacibus conferunt, priventur & suspendantur jure promovendi, à Concilio Provinciali quod celebrabitur unoquoque anno; statuatque virum quemdam probum, qui eorum loco conferat; & nullus alius præter Papam & Patriarcham, possit absolvere ab hac suspensione. Quod si Metropolitanus tale erratum admittat, deferatur ad suum Superiorem ab eodem Concilio Provinciali. *Cap. 29. De Præb.*

VI. Impetratio per devolutum, fundata in incapacitate promoti, odiosa est. 1. Quia non fit illud in animo quo par est, & quo observentur Sacri Canones quoad Beneficia, & illi, qui reputantur indigni, ab eorumdem possessione, arceantur. 2. Quia non fit à viris probis, qui nedum ad Beneficia semetipsos appellent, imò ægrè ea accipiant, sed à viris qui non solùm hujusce muneris indigni sunt, quia se capaces reputant, sed etiam quia ornantur æquè parùm, ac sæpè minùs atque illi quos volunt expellere, præcipuis dotibus ad hocce genus vitæ rectè adimplendum. 3. Quia Beneficia respiciuntur oculis sensuum, & non fidei; quia spectantur tantùm commoda temporalia, quæ ipsa procurant; non verò munera, quæ imponunt, & nullum discrimen fit inter Beneficium boni reditûs, & amplam hæreditatem; & si quæ differentia ponatur, hoc fit quia Beneficium possidetur minùs difficilè viâ Canonibus contrariâ, quàm servatur & retinetur hæreditas viâ oppositâ legibus; undè accidit ut qui aufert ab homine Beneficium cujus est indignus, non tàm illum extrahit ex periculo evidenti perdendi animam suam, quàm antè mortem hæreditate suâ ipsum spoliat.

VII. Ut

VII. Ut purgaretur impetratio per Devolutum nixum incapacitate promoti omnibus vitiis quæ illam odiosam & horrendam efficere solent, postulandum esset Beneficium in gratiam alicujus probi viri, illo inscio; ita ut hujus rei nullo modo particeps foret, nec iste acciperet illud, aut illud persequeretur, quàm de Ordinarii voluntate & beneplacito, posito quod Diœcesanus non esset Fautor vel Protector illius contra quem facta est, nec aliàs manifestè suspectus foret.

VIII. *Ordinatio* Aurelianens. *Art.* 4. vetat ne detur aliquod Devolutum ex incapacitate, antequàm promotus sit declaratus incapax: sed hic Articulus expressè abrogatur *Articulo* 46. *Ordinationis* Blesensis. Et si prior opponi deberet nimiæ Ordinatorum facilitati in concedendis Devolutis; Secundus necessarius erat ad occurrendum eorum negligentiæ declarandi promotos incapaces suorum Beneficiorum; præsertim cùm incapacitas ex defectu oriebatur, & non ex crimine proveniebat.

Dubium I.

Cùm Procurator ad resignandum inter manus vices gerentis Legati, incapacem hominem promovere fecit, potestne Beneficium impetrari per Devolutum, antè mortem resignantis?

Hoc procul dubio fieri potest, & ecce fundamenta hujus decisionis.

I. Resignatio inter manus Legati vices gerentis, pura est, & simplex; nam solus Papa potest accipere resignationes in favorem. Duaren. Lib. VIII. Cap. 3. Pastor. Lib. III. *Tit.* 4. *n.* 1. Cabass. Lib. II. Cap. 11. *n.* 1. Cùm autem resignatio pura est & simplex, resignanti nullum ampliùs jus est ex quo admittitur à Superiore coram quo voluit illam fieri. Hoc potest inferri ex *Cap.* 3. *De Renuntiatione*, & ex *Clementina unica ejusdem Tituli*; In quibus videtur quod statim atque resignatio facta est & accepta, resignans non potest ampliùs reverti. Flaminius Parisius id expressè docet Lib. I. Quæst. IV. *n.* 5. 6.

Sed dicet aliquis, *Intentio resignantis est, ut Beneficium conferatur homini idoneo.* Reverâ pius resignans exoptat suum Beneficium concedi viro honesto & probo; sed non minùs verum est istam voluntatem, nec bonum nec malum inferre Collationi, quæ sequitur resignationem, quandò simplex est; nam hinc omninò libera est Collatio, & potestas simpliciter resignantis non extenditur ultra resignationem; quæ cùm facta sit purè ac simpliciter intrà manus Superioris quem ad hoc elegit, nihil illi juris restat ampliùs in Beneficio.

Sed adjiciet aliquis, *Resignatio quæ fit antè Legati vices gerentem, non est simplex; cùm soleat Beneficium dare juxtà resignantis intentionem, & facta solùm fit intrà manus hujus hac in mente.* Non negatur, quod secùndùm voluntatem resignantis, qui anteponit Legati vices gerentem Diœcesano, resignatio simplex fit resignatio in favorem; sed sufficit quod non sit juxtà formam: nam hic spectatur forma undè actus validitatem suam accipit; & non intentio, quæ est aliena actui in tali forma confecto. Insuper quamvis Legati vices gerens soleat Beneficium largiri nominato à Procuratore ad resignandum, hoc non impedit quin resignatio sit simplex, cùm sit sine conditione, quæ distinguit resignationem in favorem, à resignatione simplici. Quod si plerumque conferat juxtà intentionem resignantis, hoc facit per gratiam, non per meritum; nam agit non coactus ad id naturâ resignationis: Papa autem accipiens resignationem in favorem, sic tenetur conferre secundùm arbitrium resignantis, ut Collatio facta alteri sit invalida.

II. Demissio pura & simplex differt à resignatione in favorem, præcipuè in eo quod privet omni jure in Beneficium, statim atque admittitur; resignatio autem in favorem non spoliet resignantem omnibus suis juribus, nisi postquàm Resignatarius possessionem acceperit, & adhuc necesse est ut assumat ipsam intra tres annos.

Dubium II.

Potestne impetrari per Devolutum, Beneficium vacans propter incapacitatem promoti, provenientem ex defectu ætatis, cùm ille nondum possessionem hujus assumpserit?

Hoc potest, ut videtur ex rationibus sequentibus.

I. Tale potest Beneficium conferri; nam Canones nunquam distinxerunt ratione Collationis, inter Beneficia vacantia, quorum non capta est possessio, & alia quorum habetur possessio. Insuper hæc distinctio adversatur Canonum menti; & hæc est, ut Beneficia, quàm celerrimè fieri potest, adimpleantur; cùm, si ut daretur Beneficium vacans insufficientiâ promoti, expectandum esset dum promotus hujus accepisset possessionem, Collatio sine justa causâ retardaretur. Si autem tale Beneficium possit tribui, potest etiam impetrari: nimia est inter utrumque conjunctio, ut possit negari hæc consequentia.

II. Promotus, qui possessionem non sumpsit, potest resignare suum jus. Corras, *Part.* 1. Cap. 8. *n.* 8. Pastor. Lib. III. *Tit.* 3. *n.* 18. Cabass. Lib. II. *Cap.* 10. *n.* 4. nam in omnibus his locis, qui obtinuit literas collationis, quamvis non constitutos fuerit in possessione, numeratur inter eos qui possunt Beneficia resignare, potest etiam illa permutare. Corras. in eodem loco illud expressè dicit.

Necesse est igitur, si sit incapax Beneficii ad quod promotus est, ut hoc Beneficium possit impetrari; nam Autores citati non distinxerunt in hoc puncto materiam impetrationis, à materiâ resignationis & permutationis.

III. Beneficium, quod est in Quæstione, vacat propter solam promoti incapacitatem. Pastor. Lib. III. *Tit.* 22. *n.* 7. ibi dicit *defectum ætatis collationem efficere nullam*; oportet igitur ut sit impetrabile antequàm promotus possessionem acceperit; nam in omni genere vacationis, sive per mortem, sive per simplicem demissionem, sive per lapsum temporis Collatori concessum, sola vacatio sufficit ad impetrationem; & non videtur, illam scilicet vacantiam propter incapacitatem promoti, debere aliquo frui commodo præ aliis, nisi sit meritum alicui ad Beneficium promoveri cujus est incapax, aut alium promovere hujus insufficientem, seu incapacem.

IV. Collatio nulla debet haberi ut non facta. *Cap.* 64. *De Reg. Juris. In* 6. Undè sequitur quod Beneficium sic collatum, si vacaret demissione, per demissionem adhuc vacet; Hic quoque fortassè sensus est verborum Flaminii Paris. Cap. 11. *De Resig.* Quæst. V. *n.* 14. *In Devolutis non inducitur nova vacatio, sed remanet antiqua.* Beneficium autem vacans demissione potest impetrari. Oportet igitur ut, si Beneficium ad quod vir incapax promotus est, demissione vacaret, possit idem impetrari, quasi vacans demissione; quamvis Collatus illius possessionem non acceperit.

V. *Ordinationes Regiæ* favent huic Decisioni; nam inter eas, quæ præscribunt conditiones necessarias ut Devolutarius accipiatur ad persequendum Devolutum, non sunt quæ expostulent, ut ille io quem devolutum collatum est, in possessione sit tempore impetrationis.

Constitutio Bleiensis *Articulo* 46. insinuat sufficere ut Beneficium Jure vacet. Ecce hujus verba; *Omnes Devolutarii, qui obtinuerint collationes fundatas in*

in vacatione jure concesso, admittentur, eo lege ut sponsorem dent bonum & sufficientem: Ex quo videre est, ut quis accipiatur ad persequendum devolutum, sufficere illi, ut habeat collationes in vacatione Juris nixas, & ut de judicato sponsor detur. *Ordinatione* HENRICI II. satis est si Devolutarius eligat domicilium in Jurisdictione, in qua causa judicari debet, & satisdet.

Quod si utraque supponat defensorem in possessione esse, ideò fit quia plerumque hoc accidit hoc modo, præsertim tempore actionis intentatæ contra promotum, cui immorantur statuentes quod par est ex parte Devolutarii, ut ejus actio accipiatur: Non tamen exigunt, ut defensor fuerit in possessione quando impetratum ipsius Beneficium fuit. *Ordinatio* LUDOVICI XIV. *ann.* 1667. *Tit.* 15. *Art.* 11. nihil aliud requirit à Devolutario ut in jus admittatur, nisi det vadem pro 500. lib.

VI. BORNIERUS *in hoc Artic.* 13. benemulta dicit, quæ confirmant eandem decisionem; nam 1°. quæ datur ab illo definitio de devoluto, convenit impetrationi factæ contrà promotum, qui non est in possessione: hæc est, *Devolutum jus est, quod omnes homines in sacris*, (quibus verbis intelligit omnes Ordines inter quos Tonsuram ponit secundùm Cannonistas) *possunt habere & injicere in Beneficium Beneficiarii, et suum in locum sufficiatur autoritate justitia*. Reverà duo sunt in Beneficio; unum præcipuum, quod est titulus; alterum minùs grave, quod est possessio; & indè sequitur promotum esse Beneficiarium antè possessionem acceptam, quia præcipuam Beneficii partem habet.

2°. Idem Autor aperit deindè unam ex causis, propter quas Constitutiones HENRICI II. & HENRICI III. loquantur de promotis Possessoribus, quia nimirùm quæ statuunt de sponsore, ea ordinantur in gratiam tranquillorum Possessorum, juxtà interpretationem quam Senatus PARISIENSIS dedit bisce Ordinationibus eas comprobando, & quæ videtur in temperatione quam ipsis addidit.

3°. Tandem evidenter vult intelligi, Beneficium promoti, qui non accepit possessionem, posse impetrari jure devoluto, & his verbis ostendit, *Si Devolutorius antè promotum ob Ordinorio, occipiat possessionem, non tenetur sponsorem dare.*

DUBIUM III.

An potestas quam resignans metu mortis habet summ Beneficium repetendi, si sanus redeat, impedit ne Beneficium collatum homini incapaci impetretur ex Devoluto antè mortem resignantis?

Fundamentum hujus dubii est quod illud Beneficium videatur esse resignantis usque ad ipsius mortem, cùm possit in illud iterùm ingredi sine novâ Collatione, si ad sanitatem redeat, & ita non possit impetrari in resignatorium; quin, quantùm in se est, impetrans noceat & injuriam faciat resignanti.

Tamen certum est tale Beneficium posse impetrari ex Devoluto antè mortem resignantis: quia de hoc Beneficio idem fit, quasi de illo quod resignat reus, cùm appellaverit à Sententiâ quæ privatum illum eodem Beneficio declarat: nam quemadmodum hæc resignatio bona est, & Resignatarius titulum habet legitimum, quamvis omne pendeat ab eventu appellationis; ita devolutum apertum est, sed pendet ab eventu morbi, quo per mortem finiente, Beneficium pertinet ad Devolutarium, & cùm terminetur ad reditum sanitatis resignantis, Beneficium illi pertinet secundùm suppositionem contentam in dubio proposito. Itaque devolutum nocet tàm parùm resignanti de quo agitur, quàm resignatio nocentis de quo locutum est, noceret illi, cui suum collatum esset Beneficium, ubi primùm Sententia declaravisset illud vacans. FLAMIN. LIB. III. QUÆST. I. *n.* 17. *& seq.* CABAS. LIB. II. *Cap.* 10. *n.* 3.

SECTIO XVIII.

Quandonam, & ad quos devolvatur potestas conferendi inferiora Beneficia Ecclesiastica?

I. Si Electores eligunt scienter indignum, vel formam traditam in Generali Concilio non observant; eligendi potestatem ad Superiorem proximum devolvi in inferioribus Ecclesiis est censendum. *In* 6. *De Elect.* Cap. *Quamquam sic.* LIB. I. *Tit.* 6. Cap. 18. *De Elect.* Cap. *Quia propter.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 42.

Si intra tres menses, justo impedimento cessante, Electio celebrata non fuerit, eligendi potestas ad eum, qui proximò præesse dignoscitur, devolvatur. *De Elect.* Cap. *Ne pro defectu. med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 41.

Potestas conferendi devolvitur ad proximum Superiorem, cùm Beneficia scienter conferuntur indignis, vel cùm non servatur forma electionis præscripta in *Concil.* LATER.

Vide *De Suppl. Neglig. Prælat.* Cap. *Licet &c.* LIB. I. DECR. *Tit.* 10. *Cap.* 3. *& Cap.* 4. *&* 5. Vid. *Comment.* GONZAL. *ad Cap.* 5.

Vide *Cap.* 5. *Tit.* 8. *De Conceß. Preb. in iot. & Commentarium* GONZAL.

II. Episcopus, si quemquam elegerit ad inferiora Ministeria, ut purà Decanatum, & Archidiaconatum, & alia, quæ curam animarum habent annexam, qui jam vigesimum quintum annum ætatis non attigerit, & scientiâ & moribus commendandus non existat, aut consenserit eligi; in conferendis prædictis Officiis, & Beneficiis, per Capitulum, aut per Metropolitanum (si Capitulum concordare nequiverit) ordinetur. *De Elect.* Cap. *Cùm in cunctis.* §. *ult.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 7.

Potestas conferendi devolvitur ad Capitulum vel Metropolitanum, cùm Episcopus indignos confert.

SECTIO XIX.

Quâ ratione conferre debeant Beneficia hi ad quos conferendi potestas devolvitur?

Quia Regulares Prælati, Prioratus, Ecclesias, Administrationes, aut quævis alia Beneficia, ad eorum dispositionem spectantia, cùm vacant, interdum committere negligunt, vel conferre intra tempus in LATERANENSI *Concilio* constitutum; Diœcesani locorum in non exemptis suâ, in exemptis verò Apostolicâ autoritate, negligentiam super hoc suppleant eorumdem. CLEMENTINA I. *De Suppl. Negl. Prælat.* LIB. I. CLEMENTINARUM *Tit.* 5. Cap. unic.

Prioratus, Ecclesias, Administrationes, & Beneficia hujusmodi, illa videlicet, quæ consueverunt per Sæculares Clericos gubernari, Sæcularibus Clericis; alia verò, quæ Religiosis duntaxat committi sunt solita, vel conferri, Religiosis Monasteriorum, quorum Prælati hujusmodi negligentes fuerint, conferant. *Ibid.*

TITULUS

TITULUS VI.

De iis quæ spectant ad receptionem Beneficiorum, Investituram, seu installationem, atque possessionem.

SECTIO I.

Conferri posse Beneficium ignoranti & absenti, & per alium. Quando per Collationem acquiratur? & quomodo, pendente consensu, possit iterum Beneficium conferri?

I. Ecclesia potest inscium & absentem in Patrem & Pastorem per electionem Canonicam vocare. *De Simonia.* Cap. *Sicut. in integrâ. init.* apud GONZAL. LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 32. *ibid.* licèt hoc *Caput* in Vulgatis sit 33.

II. Tibi absenti per tuum Episcopum confertur Beneficium. *In 6. De Præb.* Cap. *Si tibi absenti. init.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 17.

III. Beneficium ab Episcopo tuo tibi absenti & ignoranti collatum, retinere potes. *In 6. De Rescriptis.* Cap. *Gratia.* LIB. I. DECR. *Tit.* 3. Cap. 7.

IV. Etiamsi aliquis nondum electioni de se factæ consenserit, eo tamen consentire volente, electio ipsius confirmatur. *De Elect.* Cap. *Cùm inter Canonicos. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 21.

V. Clerico Parochia per interpositam personam confertur. *De Rescriptis.* Cap. *Olim. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 3. *Cap.* 25. Vide GONZAL. *in hoc & in* Cap. 24. *De Præb.*

VI. Per Collationem Beneficii, donec eam ratam habueris, jus in ipso Beneficio, ut tuum dici valeat, non acquiris. *In 6. De Præb.* Cap. *Si tibi absenti.* LIB. III. *Tit.* 4. *Cap.* 17. Solo titulo jus acquiritur in Beneficio. *Glossa.* Sed suspensum manet usque ad acceptationem.

VIII. Si absenti conferatur Beneficium, Episcopus, vel quicumque alius de ipsius Beneficio (nisi consentire recuset) in personam alterius ordinare nequibit. Quod si fecerit, ejus Ordinatio facta de Beneficio non libero viribus non subsistet. *In 6. De Præb.* Cap. *Si tibi absenti.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 17.

VIII. Si Episcopus (notificata tibi Collatione) ad consentiendum terminum competentem assignet, nisi consenseris, poterit eo lapso Beneficium liberè, (cui viderit expedire) conferre. *Ibid. in 6. De Præb.* Cap. *Si tibi absenti. §.* 1. LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 17.

IX. Antequàm tamen Beneficium contulerit, tuum poteris (non obstante quod lapsus sit terminus) præstare consensum, & ex tunc de ipso non poterit aliter ordinari. *Ibid. In 6. De Præb.* Cap. *Si tibi absenti. fin.* LIB. III. *Tit.* 4. *Cap.* 17. In quo differt hic terminus, ab illo qui datur ad conferendum, quo elapso Collator non potest conferre.

X. Beneficium tibi absenti & ignoranti Episcopus tuus conferre potest. *In 6. De Rescriptis.* Cap. *Gratia.* LIB. I. *Tit.* 3. Cap. 7. *med.*

XI. Clericus absens per alium, vel alius magis pro ipso, poterit de Beneficio Ecclesiastico investiri. *De Præb.* Cap. *Accedens.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 24.

XII. Electio ex eo non fortitur effectum, quia electus consentire recusat. *In 6. De Elect.* Cap. *Si electio. init.* LIB. I. *Tit.* 6. Cap. 16.

XIII. Electus consensum adhibere intrà mensem à tempore præsentationis teneatur. *In 6. De Elect.* Cap. *Quàm sit.* §. 1. LIB. I. *Tit* 6. *Cap.* 6. Hoc elapso perdit jus suum, in quo differt à Collatario, qui post terminum sibi præfixum ad acceptandum, acceptare adhuc potest.

XIV. Ecclesiastica Beneficia non sunt donatione clandestinâ conferenda, teste veritate quæ dicit; *Qui malè agit, odit lucem. De Officio Archidiac.* Cap. *Ut nostrum. med. in int.* LIB. I. DECR. *Tit* 23. *Cap.* 9. Ex Decisionibus collectis sequitur quod absenti possit duobus modis conferri vel alio, vel nullo acceptante pro ipso.

SECTIO II.

Factâ Collatione Beneficii alicui, possessionem illius debere adipisci; & quid sit illa possessio & qualis?

I. Per solam Beneficii Collationem, non dicitur quis acquirere illius possessionem. *Glossa in* Caput. *Licet. De Præb. In 6.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 28.

II. Postquàm recepisti Beneficium, debes in possessionem ipsius induci corporalem. *In 6. De Præb.* Cap. *Licet.* Colligitur. LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 28.

III. Possessionem pacificam habere, vel per aliquem stare quominùs habeat eamdem, pro eodem habentur. *Ibid.*

IV. Possessionem Beneficii pacificam habere, vel per te stare quominùs habeas eamdem, idem operatur. *In 6. De Elect.* Cap. *Commissa. §.* 1. LIB. I. *Tit.* 6. Cap. 35.

V. Nemini licet auctoritate propriâ possessionem Ecclesiarum intrare, sed per Diœcesanum Episcopum in ipsâ sunt inducendi. *De Privilegiis.* Cap. *Pastoralis.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. *Cap.* 19. Consentiente Principe, à quo omnis possessio temporalis, qualis in Beneficio, repetitur.

VI. Possessio plus habet facti quàm Juris. *De Concess. Præb.* Cap. *Cùm nostris. §.* 1. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 8. *Cap.* 6. Si consideretur quoad substantiam, secùs si quoad effectus. GONZAL. *in illud.*

VII. Propter investituram quam fecit cum annulo, non efficitur quis Possessor, quia in adipiscenda possessione actus corporalis requiritur. *Glossa ad* Cap. *Ex ore. De his quæ fiunt à majori* &c. Verbo, *Etsi Mandatum.* LIB. III. DECR. *Tit.* 11. *Cap.* 3. Adi GONZAL. *in illud, & in* Cap. 4. *De Concess. Præb. n.* 2. Intelligenda *Glossa* de casu quo investitura fit per solum annulum extra testitutionem corporalem.

VIII. Instituere corporaliter, est ponere in Sede. *De Officio Archidiaconi.* Cap. *Ad hæc.* & Cap. *Ut nostrum.* LIB. I. DECR. *Tit.* 23. Cap. 7. & 9.

IX. Possessio est corporalis rei detentio, corporis & animi & Juris adminiculo concurrente; seu possessio est jus quoddam quo aliquis rem corporalem verè in potestate habet. *Glossa Magna ad* CLEM. I. *De Reb. Ecclesiæ non alienandis.* LIB. III. CLEMENT. *Tit.* 4. Cap. 1.

X. Si constiterit collatum esse Beneficium, in possessionem cujus Beneficii inducere Prælatus non differat. *De Filiis Presbyter.* Cap. *Ex transmissâ, in integrâ.* LIB. I. DECR. *Tit.* 17. Cap. 7.

XI. Possessio nihil spiritualitatis, vel vinculi indissolubilis. PYRRHING. LIB. I. DECR. *Tit.* 9. *Sect.* 5. *§.* 2. *n.* 64. *fin.* Hoc firmat notam *n.* 5.

XII. De investiturâ intelligendum quod investire est Jus Canonici vel Dignitatis tribuere. Potest fieri per annulum, vel librum; & sic intelligendum *Cap. Cùm venient. De Institutionib.* LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 6. *Glos.* ad Caput *Autorit. De Institution.* LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 4. Et meliùs *De Concess. Præb.* Cap. *Proposuit.* Ubi Decanus à CÆLESTINO Pontifice per annulum de vacante Præbendâ investitus, supponitur habuisse titulum. LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 4.

XIII. In acquirendâ possessione plurimum facti consistit & parùm Juris, quia sine corporali actu non procedit. *Glossa.*

XIV. Clericus Præbendæ illius, de quâ noscitur investitus, debet pacificâ possessione gaudere. *De Except.* Cap. *Cùm Ecclesiastica. §.* 1. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 25. Cap. 3.

XV. Exceptionem illam, quod Clericus in alia Ecclesiâ possidet, ei non possunt opponere, quos constat varia Beneficia in diversis Ecclesiis obtinere. *De Except.* Cap. *Cùm Ecclesiastica. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 25. Cap. 3. XVI.

XVI. Archidiaconi & Archipresbyteri est, præsentatum Clericum in possessionem Ecclesiæ mittere. *De Officio Deleg.* Cap. *Super eo. post init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 29. Cap. 14.

XVII. Quando concessio Ecclesiæ, facta alicui, pronunciatur Canonica extitisse, adjudicatur eidem præfata Ecclesia plenè ac pacificè possidenda. *De Jure Patronatûs.* Cap. *Cùm Dilectus. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 28.

XVIII. In possessionem corporalem. *De Elect.* Cap. *Dudum. in integrâ* LIB. I. DECR. *Tit.* 5. Cap. 22.

XIX. Qui quosdam in Canonicos Ecclesiæ ordinat, & in corporalem possessionem Præbendarum inducit. *De Concess. Præb.* Cap. *Ex parte.* LIB. III, DECR. *Tit.* 8. Cap. 10.

XX. Si Episcopus Ecclesiam Canonicis concessit, ita quod post decessum Clerici (qui præfatam Ecclesiam tunc tenet) usibus eorum omnibus modis proficiat, & interim autoritate ipsius Episcopi idem Clericus ipsis Canonicis annuam solvat pensionem; si præfati Canonici de prædictâ Ecclesia, autoritate ejusdem Episcopi, vivente Clerico, perceperunt annuam pensionem; eo mortuo, quamvis autoritatem ejusdem Episcopi non quæsierunt, vitiosè tamen non sunt possessionem ingressi; cùm, sicut cautum est, is possideat, cujus nomine possidetur. *De Restit. Spoliat.* Cap. *Cùm venisset,* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 9.

RATIO: Concessio suum effectum sortita fuerat tempore quo facta fuerat; itaque post possessoris mortem, Episcopi autoritate non egebant, ut ea fruerentur. Cùm autem hujusmodi sit vera, nunc non valeret, omissis præscriptis solemnitatibus ad unionem, de quibus infrà.

SECTIO III.

De possessione pacificâ, & quomodo habeatur? & triennalem possessionem pacificam esse instar tituli.

I. Cùm inter quosdam super spirituali Beneficio Quæstio fuerit agitata, si Judex invenerit Clericum, de consensu majoris partis Capituli, fuisse de Beneficio investitum, eum faciat Beneficium ipsum pacificè possidere. *De Renunciatione.* Cap. *Cùm inter.* §. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 9. Cap. 2.

II. Prælatus, ad probandum quod Ecclesia ad se in temporalibus pertinet, testes inducere potest per quos nitatur ostendere, quod tam dictam Ecclesiam, quàm molendina, terras, & alia bona ejus, sui Prædecessores diutiùs possederunt, de illis pro suæ voluntatis arbitrio disponendo. *De Exceptionib.* Cap. *Cùm Venerabilis.* Cap. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 25. Cap. 6.

III. Possessionem Beneficii pacificam habere, vel per se stare quominùs habeas eandem, pro eodem habentur. *In 6. De Elect.* Cap. *Commissa.* §. 1. LIB. I. *Tit.* 6. Cap. 35.

IV. Postquàm Beneficii possessionem pacificam habuisti, vel per te stetit quominùs haberes eandem, eodem jure censeris. *In 6. De Præb.* Cap. *Licet Episcopus.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 28.

V. Statuit & ordinavit idem Dominus noster, quod si quis quæcumque Beneficia Ecclesiastica, qualiacumque sint, absque Simoniaco ingressu, ex quovis titulo, Apostolicâ vel ordinariâ Collatione, aut electione, & electionis hujusmodi confirmatione, seu præsentatione & institutione illorum ad quos Beneficiorum hujusmodi Collatio, provisio, electio, & præsentatio, seu quævis alia dispositio, pertinet, per triennium pacificè possederit, dummodò in Beneficiis hujusmodi se non intruserit; super eisdem Beneficiis taliter possessis molestari nequeat; necnon impetrationes quaslibet de Beneficiis, ipsis sic possessis factas, irritas & inanes censeri debere decrevit. *Regula* 36. *Cancellariæ apud* REBUFFUM *in Praxi Beneficiorum.* Triennalis possessor non molestandus. *Bullarii* TOMO IV. *pag.* 20. *Reg.* 36. *Cancell. per* URBANUM VIII. *approbatâ an.* 1623.

VI. Quicumque, dummodo non sit violentus, sed habens coloratum titulum, pacificè & sine lite Prælaturam, Dignitatem, Personatum, Administrationem, vel Officium, seu quodcumque Beneficium Ecclesiasticum triennio possederit, seu possidebit, in petitorio seu possessorio à quoquam, etiam ratione juris noviter reperti, molestari nequeat; præterquàm putet hostilitatis aut alterius legitimi impedimenti, de quo protestari & illud juxtà *Concilium* VIENNENSE (a) intimari debeat. *Concordata Tit.* 12. *De Pacificis Possessorib. init.* & PRAGMATICA SANCTIO. *Tit.* 7. *De Pacificis Possessorib.* Cap. unico.

(a) Legitimè causa intimatur, porrecto videlicet sub scriptura authentica libello, vel perlecto illius tenore, & copia modo consimili, id est, sub scripturâ authenticâ, indè factâ. CLEMENTINA *Causam. De Elect.* LIB. I. CLEMENTINARUM *Tit.* 3. Cap. 3.

Lis autem hoc casu quoad futuras controversias intelligatur, si ad executionem citationis, jutisque sui in judicio exhibitionem, aut terminorum omnium observationem, processum fuerit. *Ibid.*

IX. Beneficium Ecclesiasticum per annum immediatè præcedentem pacificè possideri debet. *Regula* 35. *Cancellariæ De Annali Possessore, apud* REBUFFUM.

VII. Postquàm Beneficii possessionem habuerint, vel per eos, omni dolo & fraude cessantibus, quominùs habeant steterit. *Extravag.* JOAN. XXII. *Execrabilis. De Præb.* §. *Qui verò.* LIB. III. EXTRAVAG. Cap. unico. JOANNES XXII. *anno* 1317.

Quæ collecta sunt circa triennalem possessionem, illiusque vim, fusissimè explicabuntur infrà per Collationem Regulæ Cancellariæ *de triennali possessione* & Decreti *De Pacificis*, necnon & resolutionem multarum Quæstionum non levis momenti circa utrumque.

SECTIO IV.

Eos qui violenter Beneficiorum possessionem acquirunt, iis debere spoliari.

I. Qui non sunt veriti recipere Dignitates, Præbendas, ac Beneficia aliorum, qui absque culpa & sine causa rationabili fuerunt eis spoliati, sive qui in Beneficia, Præbendas, & Dignitates intrusi sunt, non solùm à Beneficiis ipsis, Præbendis, & Dignitatibus, verùm etiam ab aliis (si qua obtinent) & Ecclesiis prorsùs amoveri debent. *De Excess. Præl.* Cap. *Tanta.* §. *penult.* LIB. V. DECR. *Tit.* 31. Cap. 18. *finali.*

II. Qui contra justitiæ Regulam in Archidiaconatum alterius se provehi consentit, ab ejusdem Archidiaconatûs honore deponendus est: Qui si ulteriùs in loco eodem ministrare præsumpserit, se participatione Communionis Sacræ noverit esse privatum. CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 40. *Eum qui.* GREG. I. LIB. II. *Indictio. Epist.* 14. & 16. *anno* 592.

III. Ut violenti, qui autoritate vel potiùs temeritate propriâ occupare Dignitates, Personatus, aut alia quæcumque Ecclesiastica Beneficia, non verentur, etsi non virtutis amore, pœnæ saltem formidine à suæ temeritatis audaciâ refrænentur; eo ipso jus, si quod in Dignitatibus, Personatibus, & Beneficiis occupatis taliter, vel ad ea ipsis forsitan competebat, amittant. *In 6. De Præb.* Cap. *Cùm qui.* §. 1. LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 18.

TITULUS

TITULUS VII.

De Conditionibus & Pactis quæ licitè fieri possunt in Beneficiorum acquisitione.

SECTIO I.

Beneficio vacanti posse ex causa rationabili ab Episcopo imponi honestum quoddam onus, quod subire teneatur is cui confertur.

I. Episcopus & Capitulum Sacerdoti Præbendam unam in Ecclesia sua communi voluntate dare possunt, ita quòd Missam *de S. Mariâ*, nisi corporis infirmitate gravatus sit, debeat quotidiè celebrare. *De Præb.* Cap. *Significatum. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 11.

Vacante Beneficio potest onus imponi ipsi Beneficio, ut qui ad illud Beneficium eligetur, onus illud subeat, ut sic res transeat cum onere suo; & hæc conditio licita est & honesta, pro Divino cultu apposita. *Glossa.*

In Textu habetur *Præpositus*: sed cùm exfine *Capitis* pateat petitam fuisse Summi Pontificis confirmationem; colligunt Interpretes non valituram fuisse conditionis impositionem, nisi fuisset à Sede Apostolicâ confirmata; adeòque necessariam esse ad id Episcopi autoritatem.

II. Per unamquamque Cathedralem Ecclesiam, Magistro, qui Clericos ejusdem & Scholares pauperes gratis doceat, competens aliquod Beneficium præbeatur. *De Magistris.* Cap. 1. Lib. V. Decr. *Tit.* 5. Cap. 1.

III. Si vacante aliquâ Præbendâ statuerunt, quod illud onus docendi esset annexum illi Præbendæ, satis licitum est. *Gl. in* Cap *Quia. De Magistris*, verbo, *Unius Præbendæ. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 5. Cap. 4.

IV. Non posset aliquis Magister eligi in Canonicum sub illâ conditione ut doceret, quia cessare debet omnis conditio: sed si vacante &c. *ut sup.*

V. Sunt Ecclesiæ, quibus Præbendæ, & præstimonium pro Lectoribus Sacræ Theologiæ deputatum reperitur; Præbenda quomodocumque, præterquam causâ resignationis, primò vacatura, cui aliud onus incompatibile injunctum non sit, ad eum usum ipso facto perpetuò constituta & deputata intelligatur. *Ibid. Concil.* Trid. Sess. V. *De Refor.* Cap. 1.

VI. Ecclesia Theologum habeat, qui Sacerdotes & alios in Sacrâ paginâ doceat. *De Magistris.* Cap. *Quia.* §. 1. *init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 5. Cap. 4.

VII. Pœnitentiarius cum unione Præbendæ proximæ vacaturæ ab Episcopo instituatur. *Conc.* Trid. Sess. XXIV. Decr. II. *De Refor.* Cap. 8. *fin.*

Ex collectis Decisionibus infertur, Beneficium conferri non pactione, vel impositione oneris; nisi istud antea fit ei annexum, aut antè Collationem legitimâ autoritate justâque de causâ annectatur: hujus autem rei ratio est, quod Collatio est actus legitimus, qui ut alii non recipiunt conditionem, ut nec diem. *R.* 50. *In* 6. *Gonzal. in illam*: quod intelligendum de conditione ab homine adjectâ, non de illa quæ de Jure inest, quale onus annexum.

SECTIO II.

Motâ Quæstione super Titulo, seu possessione Beneficii Ecclesiastici, cùm lis ambigua est & difficilis, posse Arbitros uni Titulum, alteri pensionem aut Beneficia adjudicare; dummodo non fiat Collusio inter litigantes.

I. Super Ecclesiastico Beneficio in litigium deducto, si gratis & amicabiliter inter se litigantes componant, Sacris Canonibus nequaquam dicimus obviare. *De Transactionib.* Cap. *Super eo. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 36. Cap. 7. Alexander III. *anno* 1180.

II. Cùm aliquis ad Judicem litteris impetratis cum Adversario suo componit, postmodùm in Ecclesia, de qua agitur, jus aliquod habiturus: Si compositio non est Juri contraria, non est à loci Episcopo reprobanda. *De Transact.* Cap. *De cætero. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 36. Cap. 5. *anno* 1180.

III Potest intelligi quod dicitur hic, quando de provisione ipsius Judicis, ex Officio suo, sine aliquâ pactione Partium, statutum fuit factum, & justâ causâ interveniente; aliàs simoniaca esset. *Gl.* verbo, *Contraria.*

IV. Quod post concertationem diutinam ordinatum est circà unum de duobus electis, ut ipse habeat Prioratum, hoc ex Jurisdictione Delegata, secundùm justitiam videtur esse statutum. Quod autem ordinatum est circà reliquum, ut ipse viginti libras de reditu Capituli, & quadraginta de proventibus Prioratûs percipiat annuatim, hoc secundùm providentiam intelligitur esse præceptum ex arbitraria potestate, eùm in Delegatos fuerit compromissum, qui autoritatem sibi retinendo commissam, se pro bono pacis & utilitatis hoc ordinasse fatentur. *De Præb.* Cap. *Nisi.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 21. Innocentius III. *anno* 1210.

V. Si duo electi ad aliquam Dignitatem compromittant in Judices, poterit Judex alterum confirmare, & alteri, pro bono pacis, de proventibus provisionem facere. *Summa.*

VI. Nisi essent viri providi & honesti, tàm qui Ordinationem fecerunt, quàm illi circà quos est facta Ordinatio in Ecclesia illa super negotio Prioratûs, Ordinatio illa valdè suspecta propter exempli perniciem esset habenda *De Præb.* Cap. *Nisi.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 21. *init.*

VII. Nonnisi cum magna cautione facienda est amicabilis compositio in Beneficiis.

VIII. Hæc ordinatio ab omnibus est recepta. *De Præb.* Cap. *Nisi.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 21. *post med.*

Possunt licitè Prior, & Capitulum, de proventibus suis, propter causas prædictas (pro bono pacis & utilitatis) non quidem ex pactione Partium, sed ex jussione, Judicum provisionem hujusmodi exhibere. *Ibid.*

IX. Si usque adeò Clericorum malitia excreverit ut ex collusione factâ super Beneficiis, quæ possident, se sustineant ab aliis molestari; & posteà, ut quastioni cedatur, & iidem Clerici Beneficia quiete possideant, quasi nomine transactionis solvunt aliis de Beneficiis annuam pensionem; ut post mortem eorum in Beneficiis illis, super quibus est collusio facta, jus sibi valeant vendicare. Cùm eos per collusionem hujusmodi fraudem legitimè constiterit commisisse, Beneficiis, super quibus collusum fuerit, statim debent perpetuò spoliari. *De Collusione.* Cap. *Audivimus.* Lib. V. Decr. *Tit.* 22. Cap. 3.

X. Sedes Apostolica eam compositionem tolerat. *Ib.*

XI. Si Papa compositionem non toleraret, autoritas Judicis non sufficiebat, quia de Jure hoc facere non poterat. *Gl.* verbo, *Ex jussione.* Quæ fiunt ex pactione Partium circà Spiritualia illicita præsumuntur. *Gl.*

XII. Inter Clericos super Ecclesiâ de quâ quæstio vertitur, coram Episcopo fit transactio. *De Transactionib.* Cap. *Ex litteris.* Lib. I. Decr. *Tit.* 36. Cap. 6. *init.*

XIII. Episcopus debet acceptare compositionem à Partibus initam; & ei autoritatem dare.

XIV. Compositio facienda pro bono pacis & utilitatis.

XV. Ex pactione solâ Partium non liceret hæc compositio. *Gl.* verbo, *Ex jussione.*

XVI. Satis esset indignum, si fraus & dolus, quæ in præjudicium Episcopi Collatoris, & aliorum, nituntur

tuntur committere, in eorum non redundarent incommodum & jacturam. *De Collusione*. Cap. *Audivimus. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 22. Cap. 3.

XVII. Per talem collusionem prajudicium fit Episcopo, quia sic præcluditur via super Ordinatione Ecclesiæ suæ. *Glossa*, verbo, *Spoliare*.

XVIII. Cùm inter Clericos super Beneficia Quæstio vertitur, Judex potest unum ex illis ad componendum etiam cogere invitum, ut Beneficio ipsi renuncians, de manu alterius custodiam & Prioratum recipiat ab eo, dùm vixerit possidendos. *De Elect.* Cap. *Cùm inter R.* §. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 6. *Cap.* 16. Vide GONZAL. *n.* 6.

XIX. Si Arbitri uni faventes, alteri præcipiant, ut quinque marchas ab alio suscipiat, & toti cederet Quæstioni; quod perperam arbitrati sunt, incorrectum relinqui non debet. *De Arbitris*. Cap. *Non sine*. LIB. I. DECR. *Tit.* 43. Cap. 2.

XX. Ex consensu compositionis receptæ, quam Superior etiam confirmavit, jus quod sibi competierat amittit. *De Elect.* Cap. *Cùm inter R* §. 2. *init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 16. *in int.*

XXI. Census absque Episcopali autoritate qui præest Ecclesiæ, super hoc, sub hoc prætextu solutus, vitam ejus qui solverit non excedat. *De Transact.* Cap. *De cætero. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 36. Cap. 5.

XXII. Cùm inter aliquos super Abbatiâ Quæstio vertitur, illi sic componere possunt, ut unus Abbatiæ renuncians, alia Beneficia recipiat ab eo, dum vixerit possidenda. *De Elect.* Cap. *Cùm inter.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 16.

XXIII. Si in causa, quæ inter aliquos versatur, super Ecclesia, quâ unus illorum fuit spoliatus, ii inter se convenerint, quod spoliato pro expensis, quas fecit, tres marchæ argenti solvantur, & idem liti cedat, etiamsi compositionem istam autoritate Apostolicâ petierint confirmandam; ea tamen non est pro eo quod videtur pravam illicitæ pactionis speciem continere. *De Pactis*. Cap. *Cùm pridem*. LIB. I. DECR. *Tit.* 35. Cap. 4.

XXIV. In his, quæ in sui naturâ Simoniaca sunt in Veteri Testamento, ut vendere Sacramenta, & hujusmodi spiritualia, ibi non excusat autoritas Papæ. In his verò quæ per Constitutionem Ecclesiæ Simoniam inducunt, excusaret autoritas Papæ, quia potest dispensare in talibus, *Gloss. ad hoc* Cap. 4. verbo *Illicitè. fin.*

XXV. Si cùm inter aliquos super Capella controversia emersisset, tandem per transactionem sopita fuit; licet hinc indè fide præstitâ firmata fuerit, altero eam servare recusante; quia hujusmodi transactiones speciem continent simoniæ, revocari transactio in irritum debet. *De Transaction.* Cap. *Constitutus*. LIB. I. DECR. *Tit.* 36. Cap. 4.

SECTIO III.

Quibus modis vacent Beneficia Ecclesiastica?

I. De Jure vacare Beneficium noscitur. *De Concess. Præb.* Cap. *Literas*. LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 9.

II. De facto vacat Beneficium. *Ibid.*

III. Etsi Beneficium non de facto, aliquando de jure vacare noscitur. *De Concess. Præb.* Cap. *Literas*. §. ult. LIB. III. DECR. *Tit.* 8 Cap 9.

IV. Cùm Præbenda de facto vacaverit, conferri potest. *De Concess. Præb.* Cap. *Literas*. § ult. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 9.

V. Cùm Præbenda, etsi non de facto, de jure tamen vacare noscitur, per Sententiam debet abjudicari. *Ibid.* §. *penult. & ult.* LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 9.

VI. Si quis amissum de jure Beneficium sicur anteà possidet, nec possidere desiit, Beneficium non vacat de facto. *De Concess. Præb.* Cap *Cùm nostris*. §. 1. & x. LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 6.

VII. Vacat Beneficium per Professionem Religiosam. Beneficium illius, qui Religionem ingreditur, non est alicui conferendum, nisi constet quod Professionem expressam fecerit. *In* 6. *De Regul.* Cap. *Beneficium*. LIB. III. *Tit.* 14. Cap 4.

Cùm contrarium est Juri, ut quis Beneficium sicut anteà possideat, Beneficium de jure vacat. *De Concess. Præb.* Cap. *Cùm nostris*. LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 6.

VIII. Beneficium vacat per mortem, seu per illius obitum qui tenebat. *In* 6. *De Rescriptis*. Cap. *Susceptum* §. 1. & x. LIB. I. *Tit.* 3. Cap. 6.

IX. Beneficium vacat per resignationem, seu cessionem ejus qui tenebat. *Ibid.*

X. Beneficia simpliciter, vel ex causa permutationis vacant. *Concord. Tit.* 5. *De Collationib.* § 9. *fin.*

XI. Resignatur Beneficium, sive simpliciter, sive ex causa permutationis. *Regula Cancellariæ* 19.

Qui verum vacationis modum exprimit, præferendus est ei qui falsum exprimit.

XII. Post cassationem concessionis à Collatore factæ, Beneficium intelligitur vacare. *De Concess. Præb.* Cap. *Proposuit*. §. ult *fin.* LIB III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 4.

XIII. Quilibet ad renunciandum juri suo liberam habet facultatem. *De Crimine Falsi*. Cap. *Ex conscientiâ*. §. 1. *fin.* LIB V. DECR. *Tit* 20. Cap. 9.

Collectæ Decisiones docent Beneficia multis modis vacare, quæ ad duos reducuntur, nempè juris, & facti. Jure vacant quoties contrà jus irritans possidentur, sive absque legitimo titulo. Facto vacant, quoties à nullo possidentur, vel Possessor illegitimè spoliatur. Jus irritans, vel capit in personam quam inhabilem facit, vel ad acquirendum, vel ad retinendum, vel in formam provisionis.

SECTIO IV.

Pensiones super Beneficiis constitutas non censeri Beneficia.; Eas imponi non posse Ecclesiis, nisi divites sint. Quæ spirituales sunt & Ecclesiasticæ, habere onus annexum recitandi Officium Beatissimæ Virginis.

I. Sunt quidam Clerici, qui obtentis à Sede Apostolicâ Literis super provisione sua in aliquibus Ecclesiis, recipiunt ab eis annuas pensiones (*a*), seu alia Beneficia. *De Rescr.* Cap. *Ad audientiam. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 3. Cap. 41.

Ergo (*a*) pensio super Beneficio non videtur posse dici Beneficium, cùm sicut diversa hic ponantur. *Glossa margin.*

II. Si alicui usque ad certam summam provideri Papa mandat, ei non in pensione, sed in Beneficiis Ecclesiasticis tantùm, vult provideri, nisi de pensione in Literis mentio habeatur expressa. *In* 6. *De Præb.* Cap. *Quamvis. init.* LIB. III. *Tit.* 4. *Cap.* 4. Hinc patet Mandata, ut res odiosæ strictè, interpretanda.

III Clericus à Presbytero pro Ecclesia sua, de qua vitæ necessaria vix potest percipere, annuatim pensionem viginti solidorum extorquere non debet. *De Cler. non Resid.* Cap. *Conquerente. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 4. Cap. 6.

IV. Cathedrales Ecclesiæ, quarum reditus summam ducatorum centum non excedunt, nullis pensionibus aut reservationibus graventur. *Concil.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Refor.* Cap. 13. *med.*

V. Quicumque pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas, ut Clericus percipit, eum ad dicendum Officium parvum Beatissimæ Mariæ Virginis decrevit PIUS V. obligatum; & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium. PIUS V. *in Bullâ seu Extravagant. Ex primo. fin. apud* NAVARRUM *in Manuali*. Cap. 25. §. 12. *n.* 122. Non viget in Gallia.

SEC-

SECTIO V.

Filios etiam legitimos Sacerdotum non posse immeatatè succedere in paternis Beneficiis sine Dispensatione, posse tamen mediatè.

I. In Ecclesiâ successiones in Prælaturis & Dignitatibus Ecclesiasticis, Canonicis Statutis damnantur. *De Filiis Presbyter.* Cap. Michael. *in integrâ. med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 17. Cap. 13.

II. Indignum est & Canonicæ obviat Sanctioni, ut filii debeant patribus succedere in Ecclesiis. *De Filiis Presbyt.* Cap. *Conquerente. in integrâ. med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 17. Cap. 4. *Appendice Concilii* Later. *Parte* 19. Cap. 1.

III. Cùm Presbyter Ecclesiam, curam animarum habentem, quam nullo medio habuit pater ejus, obtinet, moneri debet ut resignet eamdem. *De Filiis Presbyt* Cap. *Dilect. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 17. Cap. 16.

IV. Episcopi filios Sacerdotum in Ecclesiis paternis ministrare, vel eas qualibet occasione obtinere, nullatenùs permittant; sed ipsos ab Ecclesiis, in quibus patres eorum ministrare noscuntur, studeant penitùs amovere. *De Filiis Presbyt.* Cap. *Præsentium.* Lib. I. Decr. *Tit.* 17. Cap. 3. *Append. Parte* 19. Cap. 4.

V. Si qui filii (*a*) Presbyterorum teneant Ecclesias in quibus patres eorum tamquam personæ vel Vicarii (*b*) nulla persona mediâ ministrarunt: eos (sive geniti sint in Sacerdotio, sive non) ab eisdem Ecclesiis Episcopus non differat amovere. *De Filiis Presbyt.* Cap. *Ad extirpandas.* Lib. I. Decr. *Tit.* 17. Cap. 11.

(*a*) Etiamsi sint de legitimo Matrimonio nati, ne videatur locum habere successio. *Glossa*, verbo, *Amovere.*

(*a*) Vel etiam nepotes, hoc est, filii filiorum, vel inferiorum, cuilibet quorum est jus succedendi. *Gloss. Hoc verbo.*

(*b*) Intellige cum *Gloss.* Vicarios perpetuos.

VI. Si constiterit aliquos esse filios Sacerdotum, vel Clericorum, qui in proximo antè eos Ecclesias tenuerunt; Ecclesiæ istæ aliis assignentur. *De Filiis Presbyt.* Cap. *Ex tuâ. med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 17. Cap. 9.

VII. Si pater Clerici in quodam Beneficio Ecclesiæ ministravit, quo defuncto media intercessit persona, cui prædictum Beneficium est collatum; prænominatus Clericus ad præfatum Beneficium ad Abbatis præsentationem admitti debet; non ideò minùs observato Apostolici Rescripti Decreto, quod successionem in Ecclesia Dei hæreditariam detestatur. *De Filiis Presbyt.* Cap. *Ex transmissa.* Lib. I. Decr. *Tit.* 17. Cap. 7. *Bullâ* 30. Clementis VII *Ad Canonum.* §. 1. *med. an.* 1539. *Bullarii* Tom. I. *p.* 601.

VIII. Statutum est & ordinatum, quod filii Presbyterorum ex fornicatione nati, Ecclesias Cathedrales, etiam Metropolitanas, ac Monasteria, quibus eorum patres præfuerunt, seu illa & illas Dignitates etiam minores, Episcopatus, Personatus, Administrationes, & Officia etiam Curata & electiva, & alia quæcumque Beneficia Ecclesiastica, cum Curâ & sine Curâ, Sæcularia, & quorumvis Ordinum Regularia, quæ Presbyteri, & Clerici, ac Religiosi eorum patres, in Titulum, vel Commendam, aut Administrationem, ad tempus seu in perpetuum, aliquando obtinuerunt, obtinere possint à nullo unquam tempore.

Si media persona intercessit, de Jure communi filii legitimè nati possunt ibi & alibi præfici. *Gloss. ad* Cap. *Præsentium.* verbo, *Amovere.*

Si fuit legitimus, nulla Dispensatio necessaria, ex quo media intercessit persona.

IX. Si avunculus suus Archidiaconatum, quem habet in Ecclesia, velit omninò dimittere, ipsum nepoti posse assignari. *De Officio & potest. Jud. Deleg.* Cap. *Ex parte.* §. 1. *med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 29. Cap. 12.

Ut filii Presbyterorum non sint hæredes Ecclesiarum Patrum suorum. *Conc.* London. *ann.* 1102. *Can.* 7. Tom. X. Conc. *p.* 629.

X. Filii Presbyterorum non possunt succedere patribus, in Ecclesiis in quibus patres eorum personæ vel Vicarii fuerunt perpetui. *Glossa.*

XI. Si te ignorante quod pater ejus in eadem Ecclesia ministraverat, ipsam ei assignasse, ea quo ad Ecclesiam ipsam eum in Presbyterum ordinasti, sibi restituas, donec in aliâ Ecclesiâ ei provideas, undè honestum valeat sustentari, & sibi nullam super præscripta Ecclesia molestiam vel gravamen inferas. *Append. Conc* Latar. *Parte* 19. Cap. 5. *Vide* Cap. 6. & 7.

XII. Si Clericus Capellâ fuerit spoliatus, quod pater suus in Capella ministravit eadem; si constiterit quod pater ejus præfatæ Capellæ persona seu perpetuus (*a*) Vicarius non fuerit (licèt in eadem nomine filii quandoque ministraverit) ipsa cum reditibus perceptis restitui debet. *De Filiis Presbyt.* Cap. *Constitutus.* Lib. I. Decr. *Tit* 17. Cap. 8.

(*a*) Licèt pater temporalis Vicarius fuit ibi, non videtur impedimentum præstare filio; quia cùm pater nullum habuit titulum vel jus in re, cessat jus successionis. *Glossa.*

XIII. A Pontificibus generati, si ex legitimo sint Matrimonio procreati, nec aliud Canonicum obviet, licitè possunt in eisdem Ecclesiis, (*b*) in quibus præsunt vel præfuerunt genitores eorum, Beneficium obtinere. *De Filiis Presbyt.* Cap. *Ad hæc.* Lib. I. Decr. *Tit.* 17. Cap. 12.

(*b*) Sed non in eisdem Dignitatibus aut Beneficiis.

Potest filius legitimus in paternâ Ecclesiâ simul cum patre Beneficium obtinere. *Glossa*, verbo, *Obtinere.*

Omnes filii Clericorum, de legitimo Matrimonio geniti, possunt Ecclesiastica Beneficia habere, non solùm in Ecclesiis aliis, sed etiam in paternis, patribus eorum vivis vel mortuis.

SECTIO VI.

Solum Summum Pontificem certis de causis dispensare posse, ut filii immediatè succedant in Beneficiis paternis.

I. Si Presbyter Ecclesiam, quam nullo medio habuit pater ejus, resignare contradicit; non obstante Dispensatione aliquâ quæ à Sede Apostolicâ non manaverit, ab eâ expelli debet. *De Filiis Presbyt.* Cap. *Dilectus. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 17. Cap. 17. *Junctâ Glossa*, verbo, *Canonicum.*

II. Etiamsi Archiepiscopus Apostolicæ Sedis Legatus dispensaverit cum eo; quod Canonicum fuerit, appellatione postpositâ, statui debet; *id est*, meritò expelli debet. *Ibid.*

III. Per Apostolicas Literas cum aliquibus Clericis dispensare potest Episcopus, ut possint in Ecclesiis, quas patres eorum nullo mediante possederant, sustinere. *De Filiis Presbyt.* Cap. *Ex tuâ.* Lib. I. Decr. *Tit.* 17. Cap. 9.

IV. Dispensatur cum filiis Sacerdotum, vi Rescripti Apostolici, ut eos Episcopus possit in Ecclesiis, quas patres eorum nullo mediante possederunt, sustinere, quos probatæ vitæ, & sanæ conversationis cognoverit, vel quod longo tempore illas tenuisse constiterit. *Ibid.*

V. Si per priores Apostolicas Literas Episcopus cum aliquibus filiis Sacerdotum dispensavit, Dispensatio illius posteriorum Apostolicarum Literarum intuitu non irritatur. *Ibid. De Filiis Presbyt.* Cap. *Ex tuâ fin.* Lib. I. Decr. 17. *Cap.* 9. Cujus ratio est *Regula* 73. *in* 6. Legitimè factum retractari non debet, licet eveniat casus à quo non potuit inchoari: hinc enim speciale Rescriptum non valet quoad rem non factam vi Rescripti Generalis, etsi ista fieri non potuisset si speciale illum præcessisset.

Solus Papa cum filiis Sacerdotum potest dispensare, ut præsint in Ecclesiis in quibus patres eorum habuerunt personatum, sive curam animarum, nullo medio. *Glossa.*

Legatus D. Papæ non potest cum talibus dispensare, nisi forsan Legatus Cardinalis. *Glossa.*

Nepos habere potest Beneficium Avunculi. *De Arbitris.* Cap. *Non sine.* Lib. I. Decr. *Tit.* 43. Cap. 2.

TITULUS VIII.

Observationes in Romanæ Cancellariæ Regulas, ad pacta licita vel illicita circà Beneficia pertinentes.

UT Commune Jus Canonicum suas habet Regulas, ita Cancellaria Romana suas etiam haber, quæ tamen sicut cæteræ Juris Canonici Partes, ad illas, tanquàm rivuli ad fontes, reducuntur. *Cap.* 1. *De Treuga & Pace.* EXTRAVAG. COMMUN. de Regulis Cancellariæ expressè meminit, & speciatim de Regula alternativæ, sive de mensibus.

Cancellaria autem Collegium est ad Litteras Sedis Apostolicæ recipiendas deputatum.

Ex hujus Cancellariæ Regulis nulla est, quæ in Juris Canonici Corpore expressè legatur; complures sunt quæ proximè, nedum remotè, ex illo desumuntur: Sunt etiam non paucæ quæ ex Principiis Juris tàm Naturalis quàm Divini deduci possunt.

Spectato qui ex illis percipi potest fructu, eodem planè modo eas dividere liceret ac Generales Juris Regulæ divisæ sunt, nempè in Communes, Judiciales, Beneficiales, Morales; sed consideraro illarum argumento, congruentiùs dividuntur in Beneficiales, Judiciales, & Mixtas.

Beneficiales, Beneficiorum acquisitionem, vel conservationem, vel amissionem, respiciunt. De nonnullis primi & postremi generis jam actum est, dum *de Resignatione;* de cæteris ut aliquid dicatur superest, quibus subjungetur brevissima Mixtorum ab istia non aberrantium tractatio; de Judicialibus agetur dum *de Judiciis.*

In tractandis autem quæ explicandæ supersunt Beneficialibus Regulis, ordo hic servabitur; cujusque verba referentur, Divisio, Historia, Finis, Sensus exponentur, maximè verò si quid sit in Corpore Juris ad illam pertinens accuratissimè colligetur.

SECTIO I.

De non impetrando Beneficium viventis.

Inter exponendas hic Regulas prima occurrit, quæ loquitur de Beneficium viventis per obitum impetrante: Hujus autem hæc sunt verba, prout apud GOMESIUM refertur; *Si quis supplicaverit sibi de Beneficio quocumque, tamquam per obitum alicujus, licèt tunc viventis, vacante, provideri, & posteà per obitum ejus vatet, provisio dicto supplicanti per obitum de novo facienda nullius sit roboris vel momenti.*

Hac in Regula quatuor continentur.

I. Illicitum esse viventis Beneficium, eo non consentiente, impetrare.

II. Impetrationem hujusmodi nullam esse.

III. Idem esse si impetretur ut vacans per obitum, quod eo modo non vacat.

IV. Impetrantem hujusmodi ad idem habendum Beneficium, cùm vacaverit, inhabilem fieri.

Ex his quatuor primum & secundum implicitè tantùm in illâ continentur; sunt enim tertii & quarti fundamentum, ideòque ad ista constituenda ut præsupponantur oportet; tertium verò & quartum explicitè in eadem Regula includuntur.

Quæ præsupponit vetera sunt, & jamdiù constituta, variisque in locis Juris Canonici leguntur: Quæ exprimit recèns constituta sunt; PAULUS enim III. à quo condita est, ad Pontificatum evectus est *ann.* 1534. Verum quidem est BENEDICT. XIII. Pontificem factum *ann.* 1394. simile quid constituisse, ut testatur GOMEZ. *in relatam Regulam;* sed præterquàm quod BENEDICTI Regula in multis differt à relata, comparata cum Canonibus, in quibus Prima & Secunda istius Regulæ Pars habentur, recentissima dici posset. Quæ in Corpore Juris leguntur circà duas illas partes colligentes, alteram ab alterâ non sejungemus, quia in colligendis locis non separantur.

Omnium autem Canonum antiquissimus est in *Cap.* 5. *& Cap.* 6. CAUS. VII. QUÆST. I. Desumitur ex CYPR. Epistolâ ad ANTONIANUM *scriptâ circà an.* 255. CYPR. in illo NOVATIANUM damnans ex eo quod, vivente CORNELIO, ad Romanum Episcopatum evehi se curaverat, ait: NOVATIANUM *profanum, alienum, & foris esse, Episcopum non esse, sed adulterum, & extraneum, idque quia Episcopatus unus est, ideòque uno eodemque tempore à duobus simul possideri non debet.*

Non diffitendum citatum locum de Episcopis adversæ doctrinæ loqui; illorum autem alterum esse doctrinæ perversæ necesse esse, ac ratione illius foris & adulterum esse: sed id non impedit quin de Episcopo Orthodoxo, alterius non consentientis locum occupante, dici possit, quod de NOVATIANO dicit S. CYPRIANUS; Hæreticus enim vel Schismaticus, qui Episcopi Catholici sedem invadit, adulter non est tantùm propter Hæresim & Schisma, sed etiam propter Ecclesiæ, quæ alterius sponsa legitima est, usurpationem.

Non diffitendum quoque, antiquiora circà eamdem rem in Corpore Juris Canonici loca referri, iis considerati quibus tribuuntur, nimirùm *Can.*4. CAUS. II. QUÆST. II. qui est anni 108. in quo dicitur adulter, qui in viventis locum, eo non consentiente, eligitur: sed hic Canon supposititius est; desumitur siquidem ex *Epistola* 2. EVARISTO *supposita.*

Nec etiam negandum, alium esse æquè antiquum ac qui citatus est CYPR. locus, illo spectato cui adscribitur, in quo inter infames collocantur, qui indigna seu indebita sibi loca tenere petunt, nempè *Can.* 17. CAUS. VI. QUÆST. I. Sed hic quoque spurius est, cùm desumatur ex Epistolis STEPH. I. suppositis.

Quod si quis ex allata illius, qui viventis Beneficium impetrat, cum adultero comparatione, non satis perspicuè colligeret impetrationem hujusmodi irritam & illicitam esse, legat finem *Can.* 5. CAUS. VII. QUÆST. I. jam citati, in quo de tali impetrante hæc habet CYPRIANUS: *Et tùm post primum secundus esse non possit, quisquis post unum, qui solus esse debeat, factus est, jam non secundus ille est, sed nullus est.*

Post citatum CYPRIANI locum, antiquitate & dignitate cæteros superat qui legitur in *Cap.* 2. *De Concess. Preb.* & in *Cap.* 2. *De Ætat. & Qualit.* in 1. *Compil.* Loci hujus Autor est GELASIUS, juxtà Epigraphen *Cap.* 1. *De Concess.* sed in Epigraphe *Cap.* 2. *De Ætat. & Qualit.* tribuitur PELAGIO; in utroque unus idemque locus, cùm nedum sensus idem, sed etiam verba sint eadem; in utroque enim hæc leguntur: *Qui in vivorum locum Sacerdotum ponuntur, hoc ipso secundùm Canones ab Ecclesiasticâ Communione repellendi sunt, quo se passi sunt Successores vivis Sacerdotibus adhiberi.*

His in verbis multa sunt notatu digna: nam I. Qui in viventis locum Episcopum se conservari patitur, Excommunicatione Majori plectendus dicitur; cùm Sæculo V. quo vixit GELASIUS, locutio hæc, *ab Ecclesiasticâ Communione repelli,* non aliud significaverit quàm extra Ecclesiam poni, atque per Ecclesiam non Clerus tunc intelligebatur, sed Fidelium Concio.

II. Tunc temporis qui excommunicabatur Clericus, etiam deponebatur; nam Excommunicatio Major depositionem in Clerico supponebat, quia gravior habeatur pœna quàm depositio, licèt illa sit ex natura sua temporanea, ista verò perpetua.

Hujus Ratio: Majori tùm damno tùm dedecore extrà Ecclesiam quis ejicitur, quàm extra Clerum.

III. Qui deponebatur tanquàm Laicus habebatur, ideòque ad Ordines Beneficiaque inhabilis censebatur.

IV. Expulsio ergo ab Ecclesiasticâ Communione triplicem hic secum pœnam involvit, nempè Excom-

communicationem Majorem, depositionem tàm ab Ordine quàm à Beneficio, ad utrumque inhabilitatem.

V. Ad incurrendas has necesse non erat, uc qui se consecrari passus esset, altero vivente & non consentiente, cum contomaciâ indebitam sibi Sedem retineret; sed sat erat ut in hac Sede se intromicti scivisset: pœnæque illæ non erant latæ Sententiæ, sed ferendæ, ut patet voce *Repellendi*, quæ actionem à Judice faciendam denotat.

VI. Hinc colligere licet, quàm gravis censenda sit alienæ Sedis usurpatio, per ambitionem facta, pertinaxque illius retentio, cùm toc tantisque pœnis puniatur, qui in alterius non consentientis locum suffici se patitur, etsi in illo retinendo non perfistat.

VII. Hinc etiam colligere licet, quid dicendum de eo, qui viventis Beneficium impetrat, tamquam per obitum vacans, cum ex simili ambitione procedat hujusmodi impetratio, eamdemque comuem habeat injustitiam, si vivum sciat vel credat cujus locum petit.

VIII. Hinc demùm colligere licet, non audiendos, qui citatum GALASII Canonem, ad illos qui fine sua culpa ad alienam Sedem vocati sunt, extendunc, si aliud indè istos incurrere velint, quàm inhabilitatem; cùm Excommunicatio Major, & depositio, pœnarum gravissimæ sint; pœnæ autem, sed præsertim hujusmodi, innoxios non constringant; inhabilitas, utpotè defectus ex Ecclesiæ voluntace, ab innoxiis contrahi possit.

Si octo vel novem Sæculorum error, quo suppositæ Pontificibus Roman. à CLEMENTE ad SIRICIUM usque Epistolæ pro legitimis haberentur, illis potuisset acquirere parem autoritatem; collocandi hic essent Canones, quos EVARISTO & STEPHANO I. tribui suprà dictum est; legebantur enim ante LEONEM IV. ad Pontificatum electum *ann.* 847. è quo desumendus est qui sese offert referendus locus; cùm ante RICULFI MOGUNTINI Archiepiscopi mortem fuerint divulgati; iste autem obiit *an.* 814. Sed cùm suppositione detectâ, Epistolarum dictarum autoritas evanuerit, eodem planè modo quo supposita Potentissimo Regi moneta, quantocumque tempore pro vera habita fuerit, eo ipso quo falsa agnita est, rejicienda est, ac si nunquam recepta fuisset: præfati Canones prætermittentur, atque citaco GELASII loco promissus LEONIS IV. Textus subjungetur. Is autem in *Cap.* 10. CAUS. VII. QUÆST. I. legitur: Illius Summa est, *Furem latronemque esse qui viventis locum usurpat.* Epistola LEONIS IV. Duci *Britanniæ* VERNONI vel potiùs NOMENSIO scripta *an.* 849. illum subministrat; rogat in ea LEO NOMENSIUM, ne pro cujuscunque muneris donis ultrà defenset GILLANDUM Nanneticæ Sedis invasorem. Eo nomine donat GILLANDUM, non solùm quia per fenestram; & non per ostium intraverat, seu non legitimè vocatus gregis Nannetici curam susceperat, sed præcipuè quia viventis locum usurparat. Quod autem facto fuit GILLANDUS, hoc mente est, qui viventis Beneficium, ut per obitum vacans, impetrat.

Adducendus mox Textus potioris est quàm hucusque adducti autoritatis; ex *Conc.* LATER. sub ALEX. III. *an.* 1179. celebrato desumitur, & in *Cap.* 2. *De Conceff. Preb.* refertur. In eo Textu vetat Concilium, ne ullum concedatur Beneficium antequàm vacet, neve promittatur: Suæ prohibitionis has affert causas; I. Ne detur non solùm non procurandæ, sed ne desiderandæ quidem mortis alienæ occasio. II. Ne in vigilantia circà bonos mores Gentilitati cedat Ecclesia, si circà Beneficia promittat ista quæ illa circà hæreditates prohibuit. Textûs hujus verba, quæ legantur digna sunt, ideòque illa hic transcribere non pigebit: *Nulla Ecclesiastica Ministeria, seu etiam Beneficia, vel Ecclesiæ tribuantur alicui, seu promittantur, antequàm vacent, ne desiderare quis mortem proximi videatur; in cujus locum & Beneficium se crediderit successurum; cùm enim in ipsis etiam Gentilium Legibus inveniatur inhibitum, turpe est, & Divini plenum animadversione judicii, si locum in Ecclesia Dei futuri Successoris expectatio habeat, quam ipsi etiam Gentiles condemnare curarunt.* Hucusquo Concilium, cujus relata verba ad Officia, sicut ad Beneficia, extenduntur, cùm ad illa quoque rationes Concilii extendantur. Lex 61. *De Verb. Oblig.* probat quod de Gentilium Legibus dicit *Conc.* In illa enim dicitur quod stipulatio hoc modo concepta; *Si haeredem me non fecerit, tantùm dare spondes*, inutilis sit, quia contra bonus mores est. Cæteri Juris Canonici Textus circà illicitam alieni Beneficii petitionem, ad aliud non videntur facti; quàm ad explicandum, exequendum, confirmandumve allatum modò prædicti *Conc.* LATER. locum. Patebit id cuique hos Textus legenti. *Capita* in quibus continentur, sunt *Cap.* 11. *Cap.* 13. *De Conceff. Preb.* Cap. 2. 3. *Ejusd. Tit. In 6.* Cap. 19. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. In Primo INN. III. scribens Episcopo & Capitulo LONDUN. circa an 1210. damnat Mandatum, quo alicui facultas datur conferendi Beneficium, ad mandantis Collationem pertinens primò vacaturum, idque quia, inquir, in fraudem *Concilii* LATER. fieri possunt hujusmodi Mandata.

In Secundo idem INN. circa eumdem annum scribens Priori, hoc est, Superiori S. Fridi declarat promissionem primi Beneficii vacaturi non tenere, quia *Conc.* LATER. contraria est; undè insinuat Concilium has promissiones prohibendo irritasse.

In Tertio BONIFACIUS VIII. circà an. 1298. vetat ne alicui, etiam in genere, Beneficia promittantur, ut fit quando conferri promittitur, sese offerente occasione. Prohibitionis suæ tres affert causas: 1ª. Per improbatam ambitionem, per importunitatem nimiam, hujusmodi promissiones extorquentur: 2ª. Ad promittenda, damnabiliter contra *Concilium* LATARANENSE, vacatura Beneficia aperitur via, si promissiones hujusmodi tolerentur: 3ª. Mortis alienæ votum ingeritur, & Prælatis personisque Ecclesiasticis plurima alia gravamina inferuntur. Quam vituperat hîc BONIF. incautè nimis probaverat INN. III. Abbati & Conventui Monast. *S. Michaël* de TARUSCA Ordin. Benedict. LAUDUN. Diœcesis. (*S. Michael en* TIRACHE) scribens; cùm promissio hujusmodi eadem (ut optimè observat BONIF.) secum incommoda invehat ac promissio primò vacaturi.

In Quarto idem BONIF. circà eumdem annum, declarat vi Mandati, quo de Beneficio, quod duxerit acceptandum, PETRO providetur, hoc vel illud, antequàm vacet, acceptate non posse; idque ne captandæ alienæ mortis occasio ex benignitate Mandantis tribuatur.

In Quinto *Conc.* TRID. prohibet, ne ullæ ad Beneficia vacatura gratiæ concedantur, abrogatis quæ priùs concessæ fuerant: cujus prohibitionis eadem est haud dubiè causa, ac illius quæ à *Conc.* LATER. facta & suprà relata est. Etsi enim ad id moveri potuit, ut Ordinariis conferendi libertas restitueretur; attamen ad illam restitutionem faciendam, potentiorem hîc rationem habuit nullam, quàm ut, quæ ex periculosâ Beneficiorum expectatione sequuntur, incommoda vitarentur.

Hactenùs satis exposita sunt Prima & Secunda Regulæ Pars, ac superabundè ostensum est variis Juris Canonici locis, damnari viventis & non consentientis Beneficii impetrationem, eamque irritari.

Jam ad Tertiam devenendum, circà quam id unum dicendum occurrit, impetrationem per obitum Beneficii eo modo non vacantis, peculiari ratione irritam esse; tùm quia ex Regula, qui vi talis supplicationis Beneficium obtinet inhabilis fit ad idem, vi aliùs post mortem Possessoris petitionis oblatæ, consequendum; tùm quia quodvis Rescriptum subreptitium, sive in quo falsum suggeritur, irritum est. *Cap.* 20. 42. *De Rescript.*

De Quarta Regulæ Parte loquendum supereſt; ſed de illa nihil novi habemus quod dicamus, niſi ex dictis ſequi, juſtum eſſe, ut qui viventis Beneficium imperravit, hinc ad illud obtinendum, dùm vacabit, incapax fiat; nam ſi depoſitione dignus eſt, ideòque quolibet Beneficio indignus, qui in aliùs locum promnveri ſe patitur, quantò magis incapax fieri debet quis Beneficii, quod injuſtè impetravit.

Hac de Regula loqui exordientes polliciti eramus exponere diviſionem, ſenſum, finem, Hiſtoriam, ac quidquid de illâ habet Jus Canonicum: Diviſione autem ſolâ accuratiùs quàm putuimus explicatâ, promiſſis integrè ſatisfecimus; hac enim ratione quidquid Regula continet declaratum eſt; undè ſenſus illius manifeſtus factus eſt.

Hac etiam diviſione Regulæ Hiſtoriam texuimus; factâ ſiquidem ad illam exponendam Textuum Juris Canonici collectione ſecundùm temporum ſeriem, pateſecimus quibus gradibus ad conſtitutionem in illa contentam perventum eſt: nempè, 1°. Prohibitum eſt, ne aliena Sedes invaderetur. 2°. Vetitum ne viventis locus concederetur antequam vacaret, poſt vacatinnem occupandus. 3°. Prohibitum, ne Sedes hujuſmodi etiam eo caſu promitteretur. 4°. Vetitum, ne quiſquam alteri Beneficium polliceretur, cùm conſerre poſſet. Eadem viâ pateſecimus quid poſt Regulam conſtitutum; nempè prohibitum, ne ulla ad vacatura Beneficia gratia concederetur. Oſtendimus quoque tàm Jure Novo quàm Veteri, Beneficii non vacantis invaſionem irritam eſſe Jure DECRETALIUM; nec ſolùm invaſionem, ſed etiam collationem, certamque alicujus Beneficii non vacantis promiſſionem irritari, idemque fieri de generica promiſſione Jure SEXTI DECRETALIUM.

Eadem diviſionis Regulæ expoſitione deteximus, quis ſit illius finis, nempe ne proximi mortem deſiderare quis videatur, atque ut ambitio reprimatur.

Quæſtiones circà Regulam.

Circà Regulam ſic explanatam varia quæri poſſunt. Primum: *Eſt ne latè an ſtrictè interpretanda?* Ad quod reſpondendum latè interpretandam, quia bonos mores lædit quod prohibet.

Secundum: *Extenditurne Regulæ doctrina ad Coadjutores cum futura ſucceſſione, ad reſervatos cauſâ mortis regreſſus, ad Indulta privilegiaque quæcumque quibus ad Beneficia vacatura jus datur?*

Ad quod uno verbo Reſpondendum, extendendam Regulæ doctrinam, ad quæcumque extenditur Ratio Regulæ, ideòque haud dubiè ad memorata.

Tertium; *An in gratia proprio motu, ac ſine ulla obtinentis petitione conceſſâ, Regula locum habeat?*

Ad quod Reſpondendum, hoc in caſu locum non habere, quia de ſupplicante ſemel & iterùm loquitur, & de alio ſilet: Regulæ quoque Ratio ſoli ſupplicanti convenit. Excipiendus videtur acceptans talem gratiam, quia contrà eum militare poteſt Regulæ Ratio, quæ ceſſat in illo, qui nec ſupplicat, nec acceptat.

Quartum: *Qui falſo mortis rumore, ſed communi, prudentum judicio pro verò habito, Beneficium per obitum impetrat, ſubeſtne Regulæ prædictæ?*

Ad quod Reſpondendum, Regulam non diſtinguere inter ſcientem & neſcientem; favorabilem quoque eſſe illius materiam; contingere poſſe, ut non obſtante dicto rumore, qui Beneficium petit, ſciat vel credat non mortuum Poſſeſſorem; ſicut accidere poteſt, ut dùm fama eſt aliquem adhuc vivere, qui illius Beneficium petit, juſtâ de cauſâ illum credat mortuum: Regulæ conditorem potuiſſe impetrantem innoxium ſicut & reum in illa comprehendere, idque ut major hinc de re quam prohibet conciperetur horror, ac conſequenter veroſimillimum videri illum, de quo quæſitum eſt, Regulæ ſubeſſe.

Ad cujus rei confirmatinnem adde quod ſi prædictus rumor excuſaret, cùm facillimum ſit talem rumorem ſuſcitare, facillimè quoque ambitioſus quiſque à tali Regula ſe eximeret.

Quintum: *An Collator peccet in Regulam, ſicut & impetrans?*

Ad quod dicendum, Regulam, ut viſum eſt, non ſolùm impetrationem Beneficii non vacantis, ſed & conceſſionem prohibere; præterea dare non licere quod petere non licet; qui rogatus dat, alienæ ambitioni ſatisfacere; qui non rogatus, in alio ambitionem excitare videtur. Quod de Collatore dictum eſt, ad Patronum & Inſtitutorem extendendum, cùm utrobique ſit par ratio; ſed hæc extenſio ad culpam limitanda; nam pœnæ, utpotè odioſæ, locum non habent, niſi in caſibus expreſſis.

Sextum: *An ratione Dignitatis à Regula quis eximatur?*

Hujus Quæſtionis ſolutio patet cuique attendenti. Illa quæ bonos mores reſpiciunt, omnes tangunt, iique in dignitate conſtituti, quàm alii magis ſubſunt; cùm in illis aliorum exemplum eſſe debeant.

Septimum: *An impingat in Regulam qui vacaturum per Sententiam, per non promotionem, per non dimiſſionem, ratione incompatibilitatis, aut per alium ſimilem modum, Beneficium impetrat?*

Ad hanc Quæſtionem patet quoque Reſponſio, cùm evidens ſit ambitioſas eſſe impetrationes hujuſmodi; ſed pœnæ ad caſus; illos non extenduntur, cùm extra Caſus expreſſos pœna locum non habeat

SECTIO II.

Regula De veriſimili notitiâ.

Ea eſt Regulæ de non impetrando viventis Beneficium, cùm Regulâ de veriſimili notitia connexio, ut illa iſtius fundamentum ſit, & ratio; undè illius expoſitioni iſtius explicatio rectiſſimè ſubjungitur: quapropter qui adjiciendas circà præſentem Regulam Obſervationes intelligere volet, factas circà præcedentem conſulat neceſſe eſt. Quod actum eſt denuò ageretur, ſi quæ in Veteri Jure Regulam de veriſimili confirmant, hic referrentur; nam quæcumque prohibent impetrationem, promiſſionem, conceſſionem Beneficii non vacantis, eadem quoque vetant, ne petatur, vel concedatur Beneficium, antequam ſciri poſſit illud vacare; cùm eo caſu impetrans & Collator impetrandi & conferendi non vacans periculo ſeſe exponat.

Sed ut hæc clariùs pateant, faciliùſque intelligantur quæ inſuper circà eamdem ſcienda ſunt, referenda ſunt illius verba, & ſigillatim interpretanda, tùm demùm nonnulla circà illam, dubia reſolvenda.

Item voluit & ordinavit (nempè PAULUS III.) *quod omnes gratiæ, quas de quibusvis Beneficiis Eccleſiaſticis cum cura, vel ſine cura, Sæcularibus & Regularibus, per obitum quarumcumque perſonarum vacantibus, in antea fecerit, nullius roboris vel momenti, niſi poſt obitum & antè datam gratiarum hujuſmodi tantum tempus effluxerit, quod interim vacationes ipſæ de locis, in quibus prædictæ perſonæ deceſſerint, ad notitiam Domini noſtri veriſimiliter potuerint perveniſſe.*

Primus hujus Regulæ Autor eſt JOAN. XXIII. ad Pontificatum electus an. 1410. Illam ediderat cum Prœmio Regulæ finem continente, hiſque conceptis terminis: *Ut in habendis Beneficiis fraudes evitentur, ſervetur puritas conſcientiæ, & ambitionis vitio præcludatur ambitioſis.*

Eodem quo hic Pontifex ediderat modo, conſervata eſt uſque ad NICOLAUM V. ad Papatum promotum an. 1447. Ab iſto reſectum eſt Prœmium brevitatis cauſâ, atque ſic capite detruncata, ſine ulla ſui mutatione per manus ſucceſſorum, quorum quilibet initio

illam

etiam Pontificatûs sui, ut moris est, innovavit, ad nos pervenit.

Ex relato Regulæ Proœmio, patet illam favorabilem esse; cùm fraudum vitatio, puritatis conscientiæ conservatio, ambitionis viæ præclusio, bonos mores maximè respiciant: unde cùm favores ampliandi sint, evidens est illam latè interpretandam, atque ad similia extendendam. Hinc, etsi de gratiis à Papa concessis dumtaxat loquatur, ut demonstrat vox *Fecerit*, ad eas, quæ à locorum Ordinariis fiunt, extendenda est.

Hinc etiam, quamvis de Beneficiis tantùm mentionem faciat, ut ostendit *Beneficii* vocabulum, propter rationis paritatem, ad Officia Ecclesiastica videtur extendenda.

Hinc quoque, licet solam vacationem per obitum exprimat, cùm sit eadem ratio in similibus vacationibus, qualis mors Civilis proveniens ex crimine inducente vacationem ipso facto, vel ex Professione solemni Religionis, vel ex Matrimonio contracto, sive in quibus Beneficium liberè confertur, locum habere rectè concluditur: Libera autem est collatio, quando fit ex pura Possessoris dimissione.

Hinc nequaquam dubitandum, quin tàm de gratiis motu proprio concessis, quam de aliis intelligenda sit; quod necessarium, ut præveniatur fraus, quâ clausula, *motu proprio*, inseritur Rescriptis vi supplicationis obtentis ad eludendam Regulam istam.

Hinc demùm extenditur ad Beneficia Papæ reservata, sive quia vacant in Curia, sive vacant in mensibus Apostolicis, etsi illa conferat cui vult, absque supplicatione, ac nulli supplicanti illi debeat.

Verùm non solùm ex eo quod habetur in isto Proœmio patet Regulam *de verisimili* esse favorabilem; sed etiam ex eo quod odiosas restringat præventiones; cùm per tempus necessarium ut ad Papæ notitiam perveniat vacatio, Ordinarius conferre possit, proindeque jure suo gaudere.

Ex eodem Proœmio colligitur, Regulæ non esse derogandum, cùm derogatio incommodis objiciat, quæ illius observatione vitantur.

Hinc factum ut, teste GOMESIO in hanc Regulam, extra Franciam non toleretur derogatio hujusmodi; multòque minùs in Gallia quàm alibi, juxtà REBUFFUM, MOLINÆUM, PASTOREM, aliosque Galliæ Autores non permittatur in hoc Regno. Hæc [e]adem derogatio cùm sit ex illis, quæ in Commentariis Curiæ PARISIENSIS insertæ sunt, ac in Articulis *Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ* inter receptas collocetur, quibus Papa etiam derogare non potest: Hinc factum, ut (juxtà eumdem GOMESIUM) ALEXAND. III. Regulam condiderit, quam appellari voluit *infallibilem*, in qua prohibebat inter alia, ne unquam Regulæ *de verisimili notitia* derogaretur.

Quantùm ad id quod GOMESIUS de Franciæ usu dixit circà Regulæ istius derogationem, credere fas est, vel aliàs Galliam illam tolerasse vel Gallicani usûs eum, gnarum fuisse: Sed priùs verosimilius, cùm utriusque signaturæ Refferendarius esset, quando scribebat, ac quod refert se legisse dicat in Libro in quo factæ Regulis derogationes de industria collectæ erant.

Vitandæ fraudes per hanc Regulam, hujusmodi esse possunt. I. Ambitiosus à Medicis audiens ægrotum die tertiâ vel quartâ obiturum, eo ipso Romam mittere potest, qui à die missionis septima impetret, si à loco ex quo mittir ad hanc Urbem, septem dierum iter sit.

II. Conscius conspirationis in alicujus vitam factæ, pridiè occisionis Romam currere potest, & impetrare postridiè mortis, si id temporis ad hoc iter faciendum sufficiat.

III. Qui alicui Beneficiato venenum propinare vellet, & quo die moriturus esset, illius Beneficium impetraret, mittere posset, qui antequàm mors Romæ nota fieri posset, illud peteret, necessario ad id tempore computato.

IV. Quando Regionis patitur situs, corrupto ægroti custode, potest quis in loco excelso constitutus, & ab ægroti domo distanti, de obitûs hora moneri, determinato signo telescopii ope certè perspiciendo; ab isto verò accenso igne, alius in simili loco positus, eodemque modo a secundo tertius, à tertio quartus, in similibus locis constituti, & sic de cæteris; undè qui 20. vel 30. leucis à domo ægroti expectar mortis nuncium, ad cursum paratum habens equum, hinc proficiscens, pridiè quam sine fraude mors sciri queat, Beneficium impetrabit.

Quanti ergo sit momenti Regula *de notitia verisimili*, ex fraudum quæ per illam vitantur qualitate, si aliundè non pateret, sufficienter colligeretur.

Cùm erga Ordinarios habeant locum hæ fraudes, hinc iterùm rectè infertur tàm illorum quàm Papæ Collationes respicere.

Quod de connexione hujus Regulæ cum præcedenti dictum est, ex postrema Proœmii Parte confirmatur, sicut etiam ex fraudum exemplis mox allatis, quæ occurrere possunt in Beneficium viventis impetrante; contingere siquidem posset, ut cujus Beneficium, ut vacans, per obitum impetratur propter aliquam ex memoratis causis, vel seriùs mortuus sit quàm credebatur moriturus, vel non mortuus sit. Ideòque ambitiosus impetrans Beneficium viventis, ad illud inhabilis fieret, ne ex fraudibus suis commodum reportaret.

Consideratâ Proœmii brevitate simul & illius utilitate hactenùs sat manifestatâ, justus est mirandi locus à NICOLAO V. resectum fuisse, ac à Successoribus non restitutum; nec alia patet excusandi via quàm quod ea quæ in Proœmio leguntur, ex ipsa Regulâ suppleri posse videantur; cùm evidens sit, ingentem latissimamque fraudibus ambitionique januam aperiri, si factæ per obitum Beneficiorum, quæ vacare nondum sciri potest, Collationes probentur. Jam tempus adest, ut ponderatis præcipuis Regulæ verbis, quod constituit explicetur.

Per illa verba, *Omnes gratias*, datur intelligi nullam excipi, ideòque gratias *motu proprio* concessas, æquè ac alias in Regula comprehendi. Verùm hic non omittendum, quod si hinc istud colligeretur, nec etiam ex eo quod Regula, ut favorabilis, extendenda sit, rectè quoque concluderetur, tàm ex eo quod fraudes committi possent ab iis, qui ex motu proprio Papæ Beneficia sperarent, quàm ex eo quod ut Regula eluderetur, clausula *Motu proprio* gratiæ *ex supplicatione* obtentæ inseri posset.

Ex vocibus, *De quibus Beneficiis Ecclesiasticis*, cùm generales sint, colligitur omne Beneficiorum genus huic Regulæ subesse; ideòque Beneficia manualia, hospitalia in titulum data, Regularia & Sæcularia in perpetuum commendata, cæteraque omnia, qualiacumque sint, inter Regulæ obnoxia numeranda esse.

Hæ voces, *Cum cura*, includere videntur Episcopatus & Abbatias, cùm præcipua sint inter Beneficia cum curâ. *Per obitum*, hæc verba restringere videntur Regulam ad unum vacationis genus; sed verosimillimum est hoc vacationis genus hic commemorari, quia fraudes, quæ circa illud frequentiùs fiebant, ad condendam Regulam potissimùm moverunt.

Quarumque personarum; hæc verba ostendunt Beneficia familiarium Papæ, omniumque similium Exemptorum, præsenti Regulæ obnoxia esse.

Vacantibus; Hæc vox Beneficia Regularia in perpetuam Commendam data in Regulâ comprehendi demonstrat, cùm illa vacent iisdem modis, quibus vacant Beneficia in titulum data. *In antea fecerit*, his verbis docemur Regulam ad præcedentes illius Constitutionem gratias non extendi.

Nullius roboris sint vel momenti; Regulæ effectum exprimunt hæc verba, in hoc positum, ut irritentur quæ sibi adversantur gratiæ: circà quod notandum

dum, præsentem Regulam de inhabilitate ad eadem Beneficia antè tempus debitum impetrata, nihil dicere, sed cùm vivens præsumatur; qui non probatur mortuus, atque ideò Beneficia illius, cujus obitus nondum sciri potest, habenda sint Beneficia viventis, videri impetrantem vel acceptantem Beneficium, antequàm Possessoris ultimi obitus sciri possit, prædictam inhabilitatem contrahere, nisi constet post mortem fuisse impetrata vel acceptata.

Nisi post obitum & antè datam gratiarum: Hæc verba docent computandum tempus ab obitu ad literarum datam, non ab obitu ad consessum literarum expeditioni præstandum.

Tantum tempus effluxerit: De temporis sufficientia prudentes judicare debent, pensatis locorum, personarum, & temporis circumstantiis.

De locis in quibus persona decesserint. Hinc patet non considerandum hic Residentiæ vel Beneficii locum, sed decessus. *Verisimiliter*: Non consideratur hic verum, sed verisimile; quia contingere posset, ut quis insolito modo, veluti Dæmonum ope triduo peragat iter, ad quod sextiduum ex communi prudentum æstimatione requiritur. Verisimile probatione non eget, nec probari permittitur quod non est verisimile, nisi peculiaris ratio ad id moveat, & magni ponderis probatio offeratur. *Cap. 10. De Præsumpt.* Nonnulla occurrunt solvenda Dubia.

DUBIUM I.

Regula de verisimili notitia habetne peculiare in Corpore Juris fundamentum?

De generali non est dubitandi locus, cùm Textus omnes qui ambitionem in re Beneficiaria vetant, impetrationem concessionemque circà Beneficia, antequàm sciri queat an vacet, prohibeant; cùmque etiam confirmetur hæc Regula per quoscumque Textus, qui suprà adducti sunt ad Regulæ, *De non impetrando viventis Beneficium*, confirmationem.

De peculiari ergo fundamento duntaxat dubitari potest: Circà quod Dubium nihil dicendum venit, nisi in *Cap. 3. De Preb. In 6.* quoddam extare hujus Regulæ fundamentum; nam GREG. X. *in Conc.* LUGDUN. *ann.* 1273. permittens Ordinariis, ut Beneficia vacantia in Curia, post mensem à die vacationis computandum, conferant, ad illos restringit, qui in Diœcesibus existunt: quod facit non solùm in Residentiæ præmium; sed multò magis, quia Beneficia, antequàm sciri queat an vacent, conferendi periculo minùs exponuntur, qui in Diœcesibus, in quibus vacant, commorantur, cùm illorum Possessores soleant in illis decedere.

DUBIUM II.

Prædicta Regula locumne habet in impetrante Beneficium vi resignationis, cui clausula aut quovis modo vacet inserta est, si contingat tempore data resignantem obiisse, & à die mortis non sat temporis effluxisse, ut ad notitiam Papa pervenisse potuerit?

Dubitandi Ratio: Hoc in casu Beneficium impetratur, confertur, acceptatur per obitum vacans antè verisimilem Collatoris notitiam hujusce vacationis.

Nihilominùs DD. communiter sentiunt Regulæ *de verisimili* casum hunc non subesse; idque quia ambitio fraus que absunt, sed justa petendi causa, nempè resignatio, quæ ad petendum & conferendum movet; quod si etiam per obitum detur, posito quod eo modo vacet, id gratiæ accidit, ejusque substantiam non tangit, cùm Collatio per resignationem esse non desinat.

Excipiendus est casus in quo Resignatarios defuncti cadaver occultasset, vel ut alios per obitum impetrantes præveniret, vel ut vivo resignante admissa resignatio crederetur, vel ut Regulæ *De viginti* fraus fieret; eo enim casu bona fides abest, quæ sola Resignatarium excusare potest, fraus que intervenit quæ nemini patrocinari debet.

Sunt qui existiment quod quando, mortuo resignante, admittitur resignatio cum clausula *Quovis modo*, antequàm sciri queat illius mors, hac admissione Regulæ *de verisimili* derogetur: sed falli videntur; nam si hoc casu vigeret Regula, expressâ derogatione opus esset; tùm quia in Regulis Cancellariæ hujusmodi derogatio necessaria est; tùm quia agitur de derogatione odiosâ, eòque magis, quò Regula *de verisimili* magis est favorabilis: Derogatio autem odiosa nulla est, nisi expressa fuerit.

Quantùm ad Beneficia sita in locis in quibus viget alternativa; resignationes cum clausula *Quovis modo* etiam per obitum non admittuntur; idque quia, vel mensis est Apostolicus, quo casu Papa liberâ Collatione privare se non vult; vel Episcopalis est, quo casu libera Collatio ad Episcopum pertinet, eâque, sine culpâ, privandus non est.

DUBIUM III.

An quando mors defuncti occultatur, necessarium ad verisimilem notitiam tempus computandum sit à die obitûs? an à die quo publica facta est mors?

Dubitandi Ratio petitur ex eo quod Regula indistinctè præcipiat id tempus computari à die obitus. Attamen certum videtur computandum id tempus à quo die publicata est mors.

Hujus rei causa: Quandiù mors occultatur, ad notitiam pervenire non potest, ac consequenter tempus occultationis, utpotè ad verisimilem notitiam obtinendam, inutile resecandum est, alioqui Regula ad fraudes computandas condita fraudibus viam aperiret.

DUBIUM IV.

An Collatio Beneficii sub clausula, Si vacet per obitum, *antè verisimilem notitiam, vi Regula de verisimili nulla sit?*

Dubitandi Ratio: Eo casu Collator conferre non intendit, nisi vacet; ideòque in Regulam non peccat, cùm ista tantùm prohibeat, ne, antequàm Beneficii vacatio sciri possit, conferatur. Hac non obstante ratione, pro certo habendum talem Collationem vi Regulæ *De verisimili* irritam esse, cùm Regula quasvis Collationes antè verisimilem notitiam factas indistinctè irritet; ideòque tàm conditionatam quàm absolutam. Prætereà clausula, *Si vacet per obitum*, tacitè inest cuilibet per obitum Collationi, cum Beneficium non vacans nullus conferre intendat.

SECTIO III.

Regula de Triennali Possessore, & Decretum de Pacificis Possessoribus simul explicantur.

Regulæ *De Triennali Possessore* Decretum *De Pacificis Possessoribus* hìc conjungitur; tùm quia illa ex isto sumpta est; tùm quia eo condita est fine ut istius vices suppleret; Summi nàmque Pontifices cùm Decretum *De Pacificis* utilissimum esse sentirent, in odium tamen *Conc.* BASILIENSIS, à quo factum est, illud recipere nollent, Regulam huic Decreto similem constituerunt.

Primus Autor fuit CALLIXTUS III. ad Papatum electus *ann.* 1455. Successores illam, paucis mutatis, transcripserunt, eòque res processit, ut post probatum à LEONE X. in *Conc.* LATER. saltem pro Gallis *De Pacificis* Decretum, qui regnarunt Pontifices, eo omisso, Regulam *De Triennali* innovare pertexerint, etsi illud nonnulla habeat, vel necessaria, vel saltem valdè utilia, quæ in ista desiderantur, ut ex subjicienda utriusque Collatione videre licebit: Hæc autem ideò suscipitur, quod Decretum Regulæ, Regula Decreto lumen præferat, ac aliàs, quæ communia, quæ peculiaria habeant notare multùm referat.

REGU-

REGULA

De Triennali Possessorio.

ITem statuit & ordinavit Dominus noster (PAULUS III.) quod si quis quæcumque Beneficia, qualiacumque sint, absque Simoniaco ingressu, ex Apostolica, & ordinaria Collatione, aut Electione, & Electionis Confirmatione, seu Præsentatione, & Institutione illorum, ad quos Beneficiorum hujusmodi Collatio, Provisio, Electio, Præsentatio, seu quævis alia dispositio pertinet, per triennium pacificè possederint; dummodò in Beneficiis, si Dispositioni Apostolicæ, ex aliqua reservatione in Corpore Juris clausâ, reservata fuerint, non se intruserint; super eisdem Beneficiis taliter possessis molestari nequeant; nec non impetrationes de Beneficiis ipsis sic possessis factas, irritas & inanes censeri debere decrevit, antiquas lites super illis motas penitùs extinguens.

DECRETUM

De Pacificis Possessoribus.

QUicumque non violentus, sed habens coloratum titulum, pacificè & sine lite, Prælaturam, Dignitatem, Officium, vel Beneficium, triennio proximo hactenus possedit, vel in futurum possidebit, non possit posteà in petitorio, vel possessorio, à quoquam, etiam ratione Juris noviter impetrati, molestari; excepto hostilitatis casu, vel alterius legitimi impedimenti, de quo protestari, & illud juxtà *Conc.* VIENNENSE intimare teneatur. Lis autem hoc casu quoad futuras controversias intelligatur, si ad executionem citationis, Jurisque sui in Judicio exhibitionem, ac terminorum omnium observationem processum fuerit. Ordinarii autem inquirant diligenter, ne quis sine justo titulo Beneficium possideat: quod si talem quandocumque repererint, declarent jus illi non competere; & huic, si sibi videatur, nisi sit intrusus, vel violentus, aut aliàs indignus, vel alteri idoneo provideant.

Relatum *De Pacificis* Decretum ex PRAGMATICA transcriptum est, in quo jacet, ut à *Conc.* BASILEENSI conditum est, paulò diversum ab eodem, prout in *Concordatis* refertur, & à *Conc.* LATER. V. jam memorato approbatum est. Diversitas in tribus sita duntaxat; nam. in utroque loco in 4. §§. dividitur, eademque constitutæ rei substantia; sed in *Concordatis* duæ sunt vocum mutationes, quæ favorabiliores videntur; quarum prima in §. 1. legitur, hæc nempè, vox sufficitur *Reperti*, loco vocis *Impetrati*, quæ in PRAGMATICA legitur; qua voce *Concordata* excludunt jus antè & per triennalem possessionem existens, quod PRAGMATICA non excludit.

In eodem §. 1. præterea adduntur verba duo *Personatum*, *Administrationem*, quæ additio ad majorem tantùm fit explicationem.

Altera mutatio est in §. 2. vox *Aut*, loco vocis *Ac*; ponitur disjunctiva pro conjunctiva; undè fit ut in *Concordatis* ex requisitis ad litem unum seorsim sufficiat, in PRAGMATICA utrumque simul sit necessarium.

II. In *Concordatis* §. 3. vox una omittitur, quæ in PRAGMATICA adest, nempè *justo*. Non legitur *justo* in *Conc.* BASIL. quod factum fortè, ne Decreti auxilio excluderentur, qui injustâ viâ Beneficium acquisiissent, modò nec intrusi, nec violenti, nec aliàs indigni essent.

III. In §. 4. *Concordat.* addita est clausula, *Cujusvis temporis detentione non obstante*; quæ clausula possessione quantumvis longâ titulum Beneficii non acquiri clarè demonstrat. Referendum duximus Decretum ex PRAGMAT. potiùs quàm ex *Concordatis*, quia in PRAGMAT. juxtà primævam formam legitur; quæ verò in *Concordatis* diversa sunt, notare placuit; prout est in *Concordatis* apud Gallos servatur.

Ex Collatione Decreti hujus cum Regula *De Triennali*, resultat illa in istis convenire.

I. Utrumque eumdem habet finem, scilicet ut litium Beneficialium; quæ Pastoribus, ovibusque, necnon Templis, ac cuivis Ecclesiasticorum bonorum generi, adeò exitiosæ sunt, materia amputetur, atque etiam ne diutiùs incertum remaneret quis legitimus Ecclesiarum Rector, eamque ob incertitudinem, illarum cura, necnon rerum ad illas pertinentium, negligeretur.

II. In utroque quodvis Beneficiorum genus comprehenditur; nempè Prælaturæ, quibus inter alia Episcopatus intelliguntur, qui *Dignitatum culmen* jure vocantur: Dignitates, quibus præeminentiæ cum Jurisdictione, vel sine Jurisdictione, intelligi possunt; nam Personatus sub Dignitatum nomine hìc includuntur: Officia, per quæ Beneficia, quibus administratio vel animarum cura annexa est intelligenda veniunt: Beneficia, qua voce Canonicatus, Capellaniæ, Prioratus, & si quod aliud sit Beneficiorum simplicium genus, intelligere fas est.

III. Utrumque præscriptionem introduxit in favorem Beneficia possidentium.

IV. Ad illam præscriptionem eadem requirit, nempè titulum, triennii spatium, pacificam & sine lite per id tempus possessionem.

V. Utrumque tàm petitorium quàm possessorium respicit.

VI. Utrumque quosdam excipit casus.

Ex eadem Collectione resultat Decretum *De Pacificis* cum Regula *De Triennali* in istis differre.

I. Regula de Beneficiis generatim loquitur, nullumque genus sigillatim exprimit. Decretum *De Pacificis* plura exprimit, eaque ad quæ cætera reducuntur.

II. Decretum *De Pacificis* Titulum coloratum requirit, sed quis sit non exprimit.

Regula *De Triennali* id exprimere videtur, docens illum triennalis possessionis privilegio gaudere, qui ordinariâ vel Apostolicâ autoritate provisus est, modò provisio ab eo emanarit ad quem pertinebat.

III. In Decreto *De Pacificis* unus tantùm casus excipitur, nempè is, in quo quis in Beneficio intrusus est, seu Beneficii Usurpator, qui per *violentum* haud dubiè intelligitur. Regula *De Triennali* præter hunc casum alios duos excipit, nempè casum Simoniaci ingressûs, & casum non receptæ provisionis à Papa, quando Beneficium adeò Papæ reservatur, ut reservatio in Corpore Juris inclusa sit.

IV. Decretum *De Pacificis* clarè & distinctè loquitur, tàm de eo qui jam triennio possederat, quàm de eo qui per id tempus possessurus erat.

Regula verò distinctè non loquitur de præterito; attamen præteritum spectare infertur, ex eo quod de impetrationibus Constitutioni suæ contrariis loquens, factarum meminit, aitque de illis *inanes censendas esse*.

V. Decretum *De Pacificis* expressè extenditur tàm ad petitorium quàm ad possessorium.

In Regula *De Triennali* id non exprimitur; sed infertur ex eo quod triennales & pacificos Possessores super Beneficiis sic possessis molestari vetet; cùm hæc prohibitio tàm super Beneficio quàm super possessione cadat.

VI. Decretum *De Pacificis* declarat triennium non currere legitimè impedito, præcipitque, ut

qui talis est, de impedimento protestetur, & juxtà *Conc.* VIENNENSI illud intimet.

Regula *De Triennali* utrumque supponit tamquam rem Jure Communi statutam.

VII. Ut circà Beneficium lis mota censeatur juxtà Decretum *De Pacificis*, oportet ut ad executionem citationis, suique juris in judicio exhibitionem, vel ad terminorum omnium observationem perventum sit.

Regula *De Triennali* circà hunc articulum silens Jure Communi judicandum, regendumve dimittit.

VIII. Decretum *De Pacif* in PRAGMATICA præcipit Episcopis, in *Concordatis* illos monet, ut diligenter inquirant, ne quis sine titulo possideat; ac si quem taliter possidentem repererint, destituant, & destituto de eodem Beneficio provideant, nisi intrusus, vel violentus, vel aliàs indignus fuerit.

Ex facta hactenus Regulæ *De Triennali* cum Decreto *De Pacificis* collatione, satis patet utrumque sese invicem explicare; satis etiam ostensum in quibus conveniant, in quibus differant: Nunc de utroque seorsim agendum, solvendaque dubia, quæ circa illorum quodlibet proponi possunt.

A Regula incipitur, cùm ubique, præterquàm in Gallia, recipiatur, Decretum verò in sola Gallia.

DUBIUM I.

Num sibi ipsi contraria sit Regula?

Dubitandi Ratio: In 10. §. ad fruendum beneficio triennalis possessionis, requiritur, ut quis provisus sit ab eo, ad quem spectabat ipsius provisio; in 2°. autem §. à tali præsidio excluditur tantùm, qui Beneficiis, Papæ reservatis reservatione in Corpore Juris clausâ, sese intruserit, seu qui ab habente potestatem de hujusmodi Beneficio provisus non fuerit.

Verùm facilis videtur dubii hujus solutio. Nam §. 1. non requirit provisionem factam ab eo, ad quem speciali jure pertinet, sed provisionem tantùm Ordinarii, sive ad quem Jure Communi spectat provisio: §. verò 2. excipit casum, in quo provisio hujusmodi non sufficit, nempe quando de Beneficio reservato, reservatione in Corpore Juris clausâ, volens ut eo casu ab Ordinario provisus triennali non juvetur possessione.

DUBIUM II.

An Hæreticus hac Regulâ se tueri possit?

Dubitandi Ratio: Illum Regula non excludit. Sed hæc Ratio non impedit, quin tali præsidio privetur Hæreticus, si manifestus sit; qualis, qui per Sententiam Hæreseos convictus & damnatus illam non abjuraverit; qualis etiam, qui palam & publicè Hæresim profitetur. Ad manifestum restringitur Dubii solutio, quia si de Hæretico occulto, vel ab Ecclesia in gremio suo tolerato agatur, aliud omninò dicendum est.

Quod si manifestus Hæreticus à Regula expressè non est exclusus, id profectò omissum est propter ipsius rei evidentiam, propter quam Laicus etiam non est ab eadem Regula expressè exclusus.

Circa quod notandum, in præscribente requiri capacitatem rei possidendæ quam præscribit; undè cùm Regula *De Triennali* quamdam circa Beneficia præscriptionem introducat, quicumque Beneficia possidendi capax non est, Regulæ præsidio juvari non potest. Hinc nec ab Ecclesia per Hæresim separatus, nec Laïcus, nec fœmina, aliique similes, qui possidendi Beneficia incapaces sunt, Regulæ privilegio fruuntur. Quod de fœmina dictum est, ad Beneficia Clericalia, quæ sola sunt vera Beneficia, restringendum est.

DUBIUM III.

An certum sit solum ingressum simoniacum, solamque in prædicto reservatorum Beneficiorum genere intrusionem, à præsidio Regulæ excludere?

Dubitandi Ratio: Impedimenta Canonica plurima sunt; qualia Irregularitates, & Censuræ, quibus innodatis Beneficia invalidè donantur; quæ autem ab initio non valent tractu temporis convalescere nequeunt.

Extant crimina simoniâ aut multò graviora, aut certè æqualia; qualia Sodomia, Bestialitas, Incestus, Perjurium, Sacrilegium; si ergo Simonia à Regulæ præsidio excludit, excludant itidem ab eodem memorata crimina similiaque oportet.

Majus profectò malum est, ut quis plura simul, quæ personalem exigunt Residentiam, sine Dispensatione habeat, quàm si ab Ordinario obtineat vacans in Curia Beneficium: quare ergo isto à Regula exclusò, alius includetur?

His non obstantibus, certum est per Regulam *De Triennali* non alios excludi à sui præsidio, quàm quos nominatim excepit casus.

Cujus rei causæ afferri possunt multæ.

I. Quoties Lex à constituto suo quædam excipit, quæ inclusa censeri potuissent, insinuat se cætera comprehensa velle.

II. Legis consilium fuit, ut circa Beneficia lites amputarentur: Prædicta autem impedimenta communis litium istarum erant materia.

III. Non solùm gravitas criminis Simoniæ movit, ut Simoniacus ingressus à Regula prædicta exciperetur, sed etiam plura alia, quæ in allegatis criminibus non occurrunt; qualia quod Beneficia peculiariter spectaret, quod frequentissimum esset, quod singulari semper odio illud prosecuta sit Ecclesia, quod potiori ratione provisionem vitiet.

IV. Sæpiùs violabatur reservatio prædicta quàm sine Dispensatione incompatibilia possidebantur; idque quia timebatur singulorum Beneficiorum istorum jactura, & facillimè obtinebatur Dispensatio, violatæ reservationis nulla erat pœna, nisi amissio Beneficii, quod aliter habere non licebat.

Non obstat Regula SEXTI opposita: quia vel Regula *De Triennali* tribuit tantùm defensionem contrà impetrantes, qualem Jure Civili tribuit 30. annorum possessio malæ fidei Possessori; vel si provisio vitia corrigit, non temporis tractu id fit, sed constituentis voluntate; qua possessio triennalis gratiæ perindè valere vim & effectum habet. Verùm prior solutio Textui conformior, cùm in favorem Possessoris triennalis id unum flatuat Regula, ne molestetur; undè sequitur à molestia liberare velle, non à petendâ cujus eget Dispensatione.

DUBIUM IV.

An Regula intelligatur tantùm de Simonia reali?

Dubitandi Ratio: Agitur de pœnâ, pœna autem res est odiosa, & odia restringenda. Præterea verba cum effectu sunt interpretanda.

Nihilominùs verosimillimum est eam extendi ad Simoniam conventionalem ex parte altera completam; qualis alia esse nequit in casu nostro. Exclusio à præsidio hujus Regulæ non est pœna, sed indebitæ non concessio gratiæ. Prædicta simonia conventionalis reali longè frequentior; idcòque Regulæ mens est illam à Bene-

ficio excludere; si hujus simoniæ reus exceptione Regulæ uti posset, ex malitiâ sua commodum reportaret, nempè ex infidelitate sua.

Non obstat quòd Leges contra homicidium, de consummato intelligantur: id enim provenit quòd homicidium non consummatum homicidium non fit; Simonia verò non omninò consummata, vel ex altera tantùm parte completa, verè Simonia fit, provisionem Jure Communi irritans. *Cap.* 27. *De Simonia.*

DUBIUM V.

An quoad Regulam De Triennali *Simonia, cujus Possessor Beneficii conscius non fuit, sibi noceat?*

Dubitandi Ratio: Possessor iste omnia ad præscribendum requisita habet; nempè titulum, eùm ab habente potestatem legitimam provisionem obtinuisse supponatur; bonam fidem, cùm quod titulum vitiat ignorare dicatur; triennium pacificum, cùm de triennali & pacifico Possessore agatur.

Nihilominùs dicendum videtur, Simoniam nocere Possessori illius non conscio, illumque possessionis triennalis privilegio privare.

Hic sententiæ favet *Cap.* 26. *De Simonia*, quo docemur filium, cui nescienti per pecuniam Beneficium Patentes compararunt, nullum hinc jus acquisisse. Novæ, quoad fieri potest, ad Jus Commune reducendæ sunt Regulæ; ideòque, sicut Jure Communi quoad Beneficii amissionem simoniæ inscius ejusdem conditionis est ac qui illius conscius est, ita & Jure à Regula *De Triennali* introducto.

Utriusque Juris rigoris causa est: Quando Simonia vitiatur provisio, ista non irritatur tantùm propter provisi culpam, sed præcipuè ob detestandam Simoniæ pravitatem.

DUBIUM VI.

An ratione violatæ reservationis, præsidio Regulæ privetur alius, quàm cui Beneficium vacans in Curia ab Ordinario collatam est?

Ratio dubitandi: DD. communiter existimantes nullam aliam in Corpore Juris haberi reservationem, quàm vacantium in Curia, negativam secuti sunt.

Cùm ergo falsum sit illorum fundamentum, ut patet ex *Cap.* 18. *De Elect. In* 6. duas alias reservationes continente, dicendum est Regulam alios Beneficio suo privare ratione violatæ reservationis.

DUBIUM VII.

An qui cum impedimento Canonico sibi noto acceptat, vel impetrat Beneficium, & cum eodem per triennium possidet, præsidio Regulæ De Triennali *uti possit?*

Dubitandi Ratio: Jure Canonico nulla, sine bonâ fide, & ad finem temporis requisiti continuata, Præscriptio. Regulæ autem hujus præsidium Præscriptionis præsidium est, Possessorque, de quo quæstio, cum malâ fide incipit & complet possessionem suam.

Nihilominus ex Regula contrarium colligitur, cùm opem suam impertiatur cuicumque proviso à legitimo Provisore.

Nec obstat Regulâ nostrâ Præscriptionis quoddam genus introduci, & bonam fidem ad quamlibet Præscriptionem requiri: necessaria siquidem in nostro casu bona fides in hoc sita videtur, quòd provisionem à legitimo Provisore quis habeat.

Nec dici potest contrà hanc solutionem, quod hine sequatur absurdum, nempè Simoniacum Simoniæ conscium bonâ fide possidere: nam quoad Regulam consequens illud absurdum non est, cùm in illâ agatur tantùm de actione tollendâ contra triennalem Possessorem ex ipsius incapacitate petitâ, postque à Regulæ Conditore non solùm tolli illa actio, sed & ipsa incapacitas: Undè si Simoniaco denegatum est Regulæ præsidium, id non provenit ex eo quod malâ fide possideat, sed ex eo quod hujusmodi gratia utilitati publicæ adversari visa sit.

Nec dici etiam potest, res Sacras potioris conditionis esse quàm res profanas, ideòque, cùm ad istas præscribendas requiratur bona fides cum titulo, ad illarum Præscriptionem à fortiori eadem requiri debere: nam in nostro casu non præscribitur, nisi usufructus ad vitam; Præscriptione verò circà res profanas perpetuum illarum dominium acquiritur. Prætereà in posteriore Præscriptione si quod sit in titulo vitium, diuturnitate possessionis purgatur; non idem in priore, cùm Dispensatio semper sit necessaria ad corrigendos tituli defectus, vel alio modo tollendi sint.

Nota obiter *Cap.* 1. *De Præscript.* non docere res Ecclesiæ cum mala fide præscribi posse; cùm concessum ab Ecclesia populum convertens, & triennio possidens non usurpet, dùm utrumque præstat.

DUBIUM VIII.

An ei prosit Regula De Triennali, *qui à Vicario Generali, quem scit conferendi facultatem in Mandatis non habere, Beneficium recipit, & triennio possidet?*

Dubitandi Ratio: A legitimo Provisore non est provisus is de quo Dubium propositum est.

Hoc non obstante dicendum videtur, huic proviso Regulam prodesse, cùm tacente per tantum tempus Episcopo, Collatio ab illo probata justè præsumatur, & ratihabitio rei factæ nomine alterius Mandato æquipararetur.

DUBIUM IX.

An Regula De Triennali *à lite triennium præcedente liberet, sicut & à lite ipsum subsequente?*

Dubitandi Ratio: Quamdiù durat instantia, Possessor pacificus dici non potest: Beneficialis autem instantia, vel finitur intra triennium, vel triennio, vel post: Si primum, deducendum est tempus, quo intra triennium duravit: Si secundum, nihil restat pacificæ possessionis: Si tertium, Regula ab illâ lite non eximit.

Nihilominus Regula contrarium expressè docet per ista verba, *Antiquas lites extinguens*, quibus lites triennium præcedentes intelligit.

Nec obstat quod quandiù durat instantia, pacificus non esse quis videatur: nam verum quidem est pacem, quâ hoc casu quis potitur, treugam potiùs esse quàm pacem ante triennii finem; sed quod Regulam vera est pax, quia tantùm requirit, ut fine lite triennium transfigatur; Hoc autem evenit quando anteà inchoata lis per triennium suspenditur.

DUBIUM X.

An Regula relata Jure novo derogatum sit?

Dubitandi Ratio: Inter Regulas INN. X. habetur eodem planè modo quo relata est.

Nihilominus constat, tùm ex *Concil.* TRID. tùm ex Curiæ Romanæ praxi, Regulæ *De Triennali* derogatum: nam *Concil.* TRID. *Cap.* 21. *Sess.* XXV. *De Regul.* novum adjicit casum, in quo quis Regulâ illâ non juvatur, nempè illum, in quo impetrans Beneficium non exprimit Abbatiam, vel Prioratum Conventualem esse, vel Caput Ordinis, si quæ sibi qualitas hujusmodi inhæreat.

FLAMI-

FLAMINIUS Romanæ praxis peritissimos LIB. X. QUÆST. II. *De Resignat.* discutiens quæ in impetratione exprimenda sunt, inter illa enumerat *n.* 31. quod Beneficium sit Regulare, atque ad id probandum citatum mox *Conc.* TRID. locum allegat. De hoc iterùm in ultima Quæstione circà Decretum *De Pacificis,* ubi usus Galliæ, circà hanc adjectionem notatur.
Hactenus de Dubiis circa Regulam *De Triennali* resolvendis; nunc de Quæstionibus circà Decretum *De Pacificis* decidendis.

QUÆSTIO I.

An per violentum intelligatur tantùm qui per vim Beneficium usurpat?

Respondetur, certum esse Jure Communi eo sensu sumi *Cap.* 18. *De Præb. In* 6. in quo adeò abhorretur violentus, ut quæ jam obtinuerat Beneficia, saltem Curata, eo ipso amittat, & si quod jus in Beneficio vi occupato, vel ad illud, habebat, eo etiam privetur ipsâ sola violentiâ: In *Concordatis* autem duplici sensu sumitur, nempè pro non habente Titulum coloratum; isti enim opponitur §. 1. Eo autem sensu sumpta vox *Violentus* comprehendit intrusum; qualis qui propriâ autoritate Beneficium sibi vindicat, *Cap.* 18. *suprà cit.* Qualis etiam qui à Laïco conferendi potestatem non habente Beneficium obtinet, *Cap.* 21. *De Jure Patron.* Comprehendit etiam Simoniacum, aliumve similem titulo manifestè injusto Beneficium possidentem.

Sumitur quoque vox *Violentus* pro non intruso, cùm §. 4. ab intruso violentus expressè distinguatur, quo sensu sumi videtur §. *Insuper.* Cap. 18. *De Præb. In* 6. in quo violentus dicitur, qui Beneficium in quo vel ad quod jus habet, vi occupat: In Beneficio jus habere dicitur, cui ritè collatum est, & acceptatum: Ad illud habere censetur, si præsentatione admissâ nondum concessa est institutio.

Intrusum latiùs patere quàm violentum, evidenter colligitur, ex eo quod ille isti præponitur §. 4. quasi genus suæ speciei; atque reverà non omnis intrusus est violentus, licèt omnis violentus sit quodam sensu intrusus; quemadmodum non omne animal est homo, etsi omnis homo sit animal.

QUÆSTIO II.

An in Decreto De Pacificis *Officium aliud significet quàm Beneficii genus, cui quoddam Officium annexum est, quodque ideò Officii nomine donatur?*

Respondetur id ita esse, tùm quia Sanctio PRAGMATICA his verbis, *Vel Beneficium palam facit,* Officium se sumere pro Beneficii genere denotet, cùm uno verbo exprimere volens quæ sub Decreto *De Pacif.* comprehensa volebat, Officium ut & Dignitatem & Prælaturam relatis verbis significat; tùm etiam quia *Concordata* his verbis, *Seu quodcumque Beneficium,* idem clariùs demonstrant.

QUÆSTIO III.

An Decretum De Pacificis *justum fuerit in eo quod de præteritis caverit, sicut de futuris?*

Respondetur, quod injustum fuisse videatur erga illos, qui bonâ fide Beneficia jam per triennium pacificè possessa impetraverant, cùm illos sine ipsorum culpâ laboris & pecuniæ fructu frustratum fuerit. Sed præterquàm quod si nonnullis nocuit, multò pluribus profuit, bonumque publicum ex litium plurimarum extinctione proveniens quædam privata nocumenta satis superque compensarit; imò ipsimet quibus noxium fuit, ex sperato sibi simili bono quale aliis istorum damno procreabat, congruam satisfactionem receperunt.

QUÆSTIO IV.

In quo differant jus noviter impetratum, & jus noviter repertum?

Respondetur, differre tùm in eo quod prius sit Novum, posterius verò jus Vetus, sed recèns agnitum: tùm in eo quod Jus noviter impetratum tale esse potest, ut nulla illius habenda ratio, quale foret si derogaret juri alteri legitimè quæsito; Jus verò recèns repertum pari de causâ tale esse nequit, cùm supponatur antetius: tùm in eo quod ad illud tuendum allegare non licet incapacitatem suam Possessorem accuratè celasse, ideòque anteà detegi non potuisse, aliamve non promptioris impetrationis excusationem; ad conservationem verò juris noviter reperti dici potest Partis fraude impeditum fuisse, ne jus istud priùs detegeretur. Sed ut postetiùs discrimen eluciùs elucescat, supponendum Beneficium collatum fuisse PETRO vel vi resignationis, sibi inscio factæ, vel ex impetratione in sui etiam inscii favorem factâ; PAULUM verò cui cura demandata est, ut ejusmodi provisio PATRO vel mittatur, vel significetur, nec misisse nec significasse, sed Beneficium istud sibi impetrasse, ut vacans morte resignantis, aliove modo; deindè triennio elapso PETRUM audivisse expeditam sibi jam à tribus annis Beneficii provisionem, illiusque sumptum obtinuisse. Hoc supposito casu, PATRUS haud dubiè admitteretur ad fraudem PAULI probandam; eâque probatâ, non obstante pacifico triennio; usurpatum jus sibi restitueretur; idque propter Regulas, *Fraus & dolus nemini patrocinari debet; Nemo de malitia sua commodum reportare debet.*

QUÆSTIO V.

An Jure Communi necessaria sit præcepta à Decreto De Pacificis *impedimenti protestatio?*

Respondetur, prædictam protestationem præcipi, vel ùt hinc significetur impedimentum, vel ut significetur voluntatis prosequendi juris perseverantia: Si prius, impedimentum est publicum, quales hostilitas, pestis, captivitas, vel incarceratio notoria; & tunc protestatio necessaria non est, non solùm Jure Communi, sed nec etiam Jure Decreti *De Pacif.* Si verò impedimentum occultum est, qualis est incarceratio accuratè celata, aliaque similia; tunc vel agitur de protestatione extra judicium facienda, eoque casu communis sententia est Communi Jure non esse necessariam, GOMES. QUÆST. XXXVII. *in Regula De Triennali.* Vel agitur de protestatione in judicio faciendâ, eoque casu si impedimentum ex Judice proveniat, protestatio necessaria est. GOMEZ. QUÆST. LXXV. *in Regula De Annali.* Sin autem, necessaria non est. *Ibid.*

Si verò posteriori fine præcipiatur, protestatio necessaria videtur, sive sit publicum, sive sit occultum impedimentum, sive agatur de protestatione extrajudiciali, sive de judiciali; idque, quia ex protestationis omissione inferre licet voluntatis mutationem.

Ex dictis circà Quæstionem hanc, excipiendi qui protestari non possunt, qualis captivus, incarceratus cui fas non est cuiquam loqui.

Verùm ut Quæstio proposita saniùs decidatur, notandum quatuor tantùm circà protestationem impedimenti addoci Juris Textus ad rem facientes.

Primus est *Cap.* 8. *De Appellat.* in quo ALEX. III. Parti, quæ propter impotentiam, appellationem intrà biennium lege præstitutum prosequi nequit, or post illud tempus illam prosequatur, permittit, nullâ factâ mentione de impedimenti protestatione: Undè conjicere licet, ALEXANDRUM protestationem istam necessariam non judicasse, ideòque tunc temporis judicialem protestationem (nam Judici facienda erat) non-

nondum requisitam fuisse, nec adhuc ortam distinctionem inter impedimentum ex Judice proveniens, & impedimentum aliundè nascens.

Secundus est *Cap. 25. De Rescript.* in Illo INNOC. III. tempus impedimenti, circà Rescripti executionem, detrahendum docet, nec protestationis meminit, atque ibi agitur de impedimento Judices concernente. Undè inferre fas est, nec etiam tunc protestationem judicialem fuisse necessariam.

Tertius est *Cap. 73. De Appell.* in quo GREG. IX. dicit impeditum quominùs appellet, appellasse reputari, si intrà tempus Jure definitum, coram Judice si illius copia haberi possit, vel coram viris probis, de impedimento protestatus fuerit, causasque appellationis expresserit.

Hinc patet tempore GREG. IX. ad conservandum appellationis jus necessariam fuisse impedito protestationem, eamque quam facere poterat, vel saltem GREG. ita sensisse: sed inferre non est, qui non fuerit protestatus à restitutione petendâ excludi.

Quartus est CLEMENTINA III. *De Elect.* ubi CLEM. V. præcipit, ut qui propter metum Partis vel potentiam, appellationem suam intimare non potest, in publico loco, è quo ad illius notitiam pervenire possit, intimationem faciat.

Hinc à simili conclusum est, protestatione interrumpendam esse possessionem, quæ lite interrumpi nequit, eoque in loco faciendam protestationis intimationem, ut ad Possessoris notitiam pervenire valeat.

Ea relatis Textibus infertur, per illos probari non posse juxta Jus Commune de impedimento protestandum esse, præterquàm ad conservandum appellationis jus, neque etiam hoc casu restitutioni non esse locum.

QUÆSTIO VI.

Quibus in casibus occurrat protestationis prædicta necessitas?

Respondetur uno alterove casu id contingere, nempè tùm quando lis inchoari non valet, tùm quando illam prosequi non licet. *v. g.* MATTHÆUS JACOBI Beneficium, propter istius incapacitatem, impetravit, illoque impetrato in carcerem missus litem inchoare nequit, vel lite motâ captivus factus prosequi non valet.

QUÆSTIO VII.

Quis illorum verborum sensus juxta Concilium VIENNENSE? *an præcipiant tantùm ut protestatio fiat, sicut in* Clement. citata *præcipitur ut fiat intimatio; vel an præcipiant eamdem in protestatione servari formam, quæ in intimatione servanda est?*

Respondetur *Cap. 25. De Verb. Signif.* docere vocem *juxtà* causativè sumi; *id est*, pro *quia* poni; hocque sensu sumpta (*juxtà*) voce, loci citati sensus erit, præcipi intimationem, quia *Conc.* VIENNENSE pari casu illam præcipit. Sed verosimilius, hoc in loco præcipi, ut juxtà formam à *Concilio* VIENNENSI præscriptam intimatio protestationis fiat, nempè Parti ejusve Procuratori, si præsentes sint, vel in Partis domo, nisi valdè remota sit; quo casu in Ecclesia Cathedrali Diœcesis, in quâ situm est Beneficium; & nihilominus eo casu & præcedenti in Ecclesia Beneficii, de quo agitur, fiat.

QUÆSTIO VIII.

An certum sit CLEMENTINAM. III. De Elect. *factam esse in Conc.* VIENNENSI?

Respondetur, hanc CLEMENTINAM ex illis videri, quæ antè vel post *Conc.* VIENNENSE editæ sunt à CLEM. V. Constitutiones; ex quibus, sicut ex factis in Concilio, compositus est CLEMENTINARUM Liber, ut JOAN. XXII. qui illum promulgavit in Præfatione observavit.

Hujus Sententiæ Ratio: Quælibet Constitutio in Concilio facta sic inscribi solet. CLEM. V. in *Concilio* VIENNENSI, vel *Idem in eodem*; in aliis verò hæc inscriptio non habetur. CLEMENTINA autem, de quæ agitur, tali inscriptione caret. Hinc conjicere est ineunte Sæculo XVI. quo *Concordata* inita sunt, CLEMENTINAS omnes laudatas fuisse, ut factas in *Concilio* VIENNENSI.

QUÆSTIO IX.

Quid Jus Commune requirat, ut lis mota dicatur?

Respondetur, Jure Communi nihil aliud requiri, ut lis mota dicatur, quàm ut Pars citata fuerit, citatio ad illius notitiam pervenerit, vel pervenisset, si voluisset illa. Infertur hæc Responsio ex CLEMENTINA II. *Ne lite pendente quid innovetur*, quæ CLEMENTINA declarat tria hæc sufficere ut lis pendere dicatur; lis autem pendere nequeat, nisi mota fuerit.

Hinc ad id quod lis mota dicatur Jure Decreti *De Pacif.* aliquid requiritur, quod Jure Communi non requiritur, nempè sui Juris in Judicio exhibitio, vel terminorum omnium observatio; idque, quia agitur de quadam Præscriptione; Præscriptio autem lite non interrumpatur, nisi factâ contestatione, quæ fit hujusmodi exhibitione, & censetur facta elapso termino præfixo.

QUÆSTIO X.

Quinam Jure Communi intrusi expressè dicantur?

Respondetur de aliis non dici, quàm de istis.

I. Qui plura habens Beneficia non compatibilia, aliud hujus generis ambit, atque ad illud ambitiosâ arte eligitur. *Cap. 18. De Præb.* in quo INNOC. III. versùs annum 1210. scribens Episcopo & Cantori TORNACENSI, hujusmodi electionem intrusionem vocat.

II. Qui præter ejus autoritatem, cujus est donare, Beneficium obtinet, *Cap. 5. De Concess. Præb.* In illo INNOC. III. circa annum 1210. CARDIN. Sanctæ Mariæ Legato in Anglia suo scribens, dicit de illis, qui dùm Archiepiscopus EBORACENSIS suspensus erat facto, non jure, vel postmodùm, Beneficia, quorum Collator erat, ab aliis, præter ejus autoritatem acceperant, sese in illa intrusisse.

III. Qui Beneficia non vacantia, etiamsi ab illorum Collatore, obtinent *Cap. 18. De Excess. Prælat.* in quo GREGOR. IX. Archiepiscopo BRACHAR. circà annum 1236. scribens, relatoque Episcopum COLUMBIENSEM, *Conimbre*, Clericos non paucos injustè spoliasse, illorumque Beneficia aliis contulisse, ait: *Episcopum istum in spoliatorum Beneficia qui acceptaverant intrudisse.*

IV. Qui Beneficium, in quo, vel ad quod nullum se jus habere scit, sibi vindicat, *Cap. 18. De Præb. In 6.* Illic enim BONIF. VIII. circà annum 1292. dicit: *scienter in Beneficium injustè sese intrudere.*

QUÆSTIO XI.

An qui Jure Communi intrusi dicuntur, iidem Jure Decreti De Pacificis *intrusi quoque sint?*

Respondetur id verum de Secundo, Tertio & Quarto.

De Primo verò falsum; idque, quia nullum omninò titulum habent illi; iste verò titulum habet & coloratum.

QUÆS-

QUÆSTIO XII.

An Decretum De Pacificis, *Episcopis præcipiens ut, si quem repererint sine justo titulo, destituant. ipsis tribuat facultatem, triennalem Possessorem, qui, cum titulo injusto sed colorato, per triennium possedit, destituendi?*

Respondetur, quod si hoc ita esset, Decretum sibi ipsi non constaret; Decreti siquidem consilium est, ut litium materia amputetur; ideòque præcipit, ut qui coloratum habens titulum triennio sine lite possedit, molestari nequeat: At si prædictam facultatem Episcopis tribueret, & illo colorato gaudentem titulo, & pacificum per tres annos Possessorem molestare vellent, novarum litium ansam præberet *Decretum de Pacif.* qui enim hanc ob causam ab Episcopo destituerentur, ad Superiorem appellare non omitterent.

QUÆSTIO XIII.

An circà Decretum De Pacif. *aliquid innovarit Conc.* TRIDENTINUM?

Respondetur., Concilium adjecisse genus aliquod personarum, quæ hujus Decreti beneficio privantur; nempe illas quæ in Abbatiarum, Prioratuum, Præpositurarum Regularium Abbatiarum quæ proprios habent Conventus, Abbatiarum quæ sunt Capita Ordinum, Sedem succedere volentes, qualitatem singularum exprimere prætermittunt. *Cap.* 21. SESS. XXV. *De Regul.* Illarum siquidem provisiones aliter obtentas irritas decernit, prohibetque ne ulla subsequenti possessione, etiam triennali, juventur.

Verùm justus est præsumendi locus, hanc adjectionem TRIDENTINAM in Gallia non recipi, quia pro Regula dari solet à Gallicis Jurisconsultis, Decreta hujus Concilii rejici in iis, quæ Gallicanis Legibus vel usibus adversantur; hæc autem adjectio repugnat Decreto *De Pacificis* quod est Lex Regni.

TITULUS IX.

De Resignatione Beneficiorum.

SECTIO I.

Generales circà Beneficiorum resignationem Regulæ; quibus nomina, causa, effectus, ut & natura Resignationis, explicantur; eo ordine digestæ, ut quæ aliarum sunt velut principia, præmittantur; quæ verò sunt velut consequentia, subjiciuntur; atque ex CORPORE JURIS CANONICI CONCILIOQUE TRIDENTINO *depromptæ.*

DE Beneficiorum Resignatione locuturi, illam statim in se ipsa considerabimus, ac quidquid eo modo consideratam respicit, simul colligemus.

REGULA I.

Nonnulla sunt in Jure loca, in quibus restituere & resignare sinonima sunt. *Cap.* 3. *De Renunc.* ubi quæ in 1°. *§.* restitui dicuntur, illa resignari in 2°. asseritur; desumptum est *Caput istud* ex ALEX. III.

REGULA II.

Beneficium resignare, ac Beneficio se abdicare, idem in eodem Jure communiter significant. Exempla habes in *Cap.* 8. 12. 14. *De Renunc.* Cap. 4. *De his quæ vi metusve &c.*

Hinc verba ista eamdem quam nunc in Jure habent significationem.

REGULA III.

Antè Alex. III. vox *Resignatio* in Jure non usurpatur eo sensu quo nunc sumitur.

Antiquior Juris locus in quo hodierno sensu vox *Resignatio* sumitur, est Titulus 13. LIB. I. DECRETAL. prout est in 1ª. *Collect.* in qua sic inscribitur *De Ordinatis ab eo qui Episcopatum resignaverat.*

REGULA IV.

Non alia habet in Corpore Juris Canonici nomina Beneficiorum Resignatio, quàm ista.

1°. Refutatio. *Cap.* 1. QUÆST. II. CAUS. XVII.

2°. Cessio. *Cap.* 2. *De Translat. §. Sicut ergo.* Cap. 10. *De Renunc.* Cap. 15. *Ibid.*

3°. Abjuratio. *Cap.* 2. *De iis quæ vi &c.*

4°. Dimissio. *Cap.* 4. 11. *De Renunc.*

5°. Renunciatio. *Inscriptio Tit.* 9. LIB. I. *apud* GREG. IX. *& Tit.* 7. LIB. I. *apud* BONIF. VIII. *Cap.* 1. 2. *De Renunc. In* 6. *Inscriptio Tit.* 13. LIB. I. *apud* GREG. IX.

REGULA V.

Resignationis Admissio, Receptio, Approbatio, in Jure vocatur

1°. Relaxatio. *Cap.* 1. *De Renunc.*

2°. Absolutio; communiter *Ibid.*

3°. Exoneratio. *Ibid.*

REGULA VI.

Sine Superioris, qui Resignationem admittere possit, licentia, Resignatio facta non valet. *Cap.* 4. *De Renunciat.* Opponi posset *Cap.* 1. *De Renunc. In* 6. in quo dicitur Papam, qui nullum in terris Superiorem habet, Papatui renunciare posse: Sed Respondere licet, hoc in casu Superioris vices gerere Collegium Cardinalium, cujus est Papam eligere.

REGULA VII.

Quisquis potest aliquod Beneficium conferre, vel ad illud instituere, illius quoque Resignationem admittere potest.

Eod. Cap. 4. in quo de Episcopo dicitur, quod illo inconsulto dimitti non possunt Beneficia, quæ ad illius Ordinationem pertinent.

Hinc ratione Juris conferendi, Resignationes recipere possunt.

1°. Papa. *Toto Tit. De Translat.* Cap. 1. 8. 10. 15. *De Renunc.*

2°. Legatus à Latere, sive Cardinalis à Papâ missus in aliquam Regionem cum debita Legationis commissione. *Cap.* 6. *De Off. Leg.* Cap. 1. *Ejusd. Tit. In* 6.

3°. Legati ratione Dignitatum suarum, quales creduntur fuisse Archiepiscopus CANTUAR. Archiepiscopus EBORACENSIS, Archiepiscopus RHEMENSIS, quia Sedis Apostolicæ Legati vocantur. *Cap.* 1. *De Off. Leg.* Cap. 11. *De Appellat.* Cap. 18. *De Sent. & Re Jud.* Sed de postremo dubium, quia idem INNOC. III. qui *cit.* Cap 18. *De Sent. & Re Jud.* vocat eum simpliciter Apostolicæ Sedis Legatum, *eodem Titulo* illum decorans *Cap.* 11. *De Concess. Præb* vocem tunc addit, qua ostenditur Archiepiscopum RHEMENSEM, eo tempore quo Epistolam, è quâ *cit. Cap.* 11. desumptum est, INN. III. scribebat, Legatum non fuisse, ideòque anteà ratione Dignitatis Legatum non fuisse illum de quo loquitur *Cap.* 18. cùm Legatio ista sit perpetua, *Eod. Cap.* 1.

4°. Alii Legati. *Ibid.*

5°. Episcopus. *Cap.* 4. *De Renunc.*

6°. Episcopi Vicarius Generalis. *Cap.* 3. *De Off. Leg. In* 6.

7°. Qui Sede Vacante Beneficia ad Episcopi Collationem pertinentia conferre consueverunt. *Cap.* 6. *De Jure Patr. in* 1ª. *Collect.* Cap. 13. *De Elect. In* 6.

VIII. Collatores quicumque Episcopo inferiores. *Cap.* 4. *De Renunc.*

REGU-

REGULA VIII.

Quibus ratione juris conferendi Resignationes recipere fas est, illorum tantùm Beneficiorum Resignationes admittere possunt, quæ conferre sibi licet; eodemque potestatis genere id possunt quo conferre.

REGULA IX.

Hinc ubicumque recipitur quod in *Cap.* 2. *De Præb. In* 6o. legitur, plenariam scilicet omnium Beneficiorum dispositionem ad Romanum Pontificem pertinere, ibi etiam quocumque tempore singulorum Beneficiorum Resignationes recipere potest.

REGULA X.

Beneficia circà quæ præventionis jus habet in illius manibus resignari possunt.

REGULA XI.

Beneficiorum suæ Provinciæ Resignationes recipere possunt Legati vi Commissionis; vel generalis, si sint à latere; vel specialis, si non sint à latere.

REGULA XII.

Resignationes Beneficiorum Diœceseos suæ potestate ordinariâ recipit Episcopus: idem de illo qui Sede vacante Episcopi nomine confert.

REGULA XIII.

Vicarius Episcopi eorumdem Beneficiorum Resignationes admittere potest, sed vi commissionis specialis, vi cujus solius conferendi potestate gaudet, nisi de permutatione agatur, quam sine commissione speciali recipere potest.

Nota circà Legatos à Latere, duplicem in illis distinguendam esse conferendi potestatem, alteram; omnibus istis Legatis communem; alteram, quibusdam peculiarem, quâ conferebant non propria Sedis Apostolicæ autoritate; undè ii, quibus eâ potestate v. g. Canonicatum conferebant, quoad Præbendam recipiendam omnibus Canonicis anteà receptis simplici Legatorum autoritate præferebantur. De hac duplici Legatorum potestate mentio fit *Cap.* 9. 11. *De Præb. In* 6. in quibus legitur etiam illorum quibus posteriori potestate cooferebatur prærogativa.

Infertur quoque hæc distinctio ex *Cap.* 1. *De Off. Deleg. In* 6. & Cap. 14. *De Præb. In eod.* 6. invicem collatis; nam in priori Legatus à Latere vi Legationis confert; in posteriori eget commissione speciali, ut conferat autoritate Apostolicâ: undè clarè sequitur, aliud esse conferre autoritate Legati, aliud conferre autoritate Papæ: ad prius potestatem cuivis Legato à Latere communem sufficere; ad posterius peculiarem requiri; quod confirmatur ex eo quod *Cap.* 14. *De Præb.* posterius sit *Cap.* 1. *De Off. Legati.* ideòque dici nequeat tempore quo *cit. Cap.* 14. scriptum est, requisitam fuisse specialem Legato commissionem, ut Beneficia conferret; tempore verò quo aliud scriptum est hanc necessariam non fuisse.

REGULA XIV.

Inferiores Episcopo Collatores Ordinarii, ut ex Privilegio vel ex Consuetudine, vel ex Præscriptione conferunt, ita vel ex Privilegio Resignationes recipiunt, vel ex Consuetudine, vel ex Præscriptione.

Hinc cùm Laïci conferre nequeant, nisi ex Privilegio extante vel præsumpto, nec etiam possunt Resignationes admittere, nisi ex hujusmodi privilegio, quo quia carebant Laïci, de quibus Innoc. III. *Cap.* 8. *De Renunc.* factas coram ipsis Resignationes irritas declarat.

REGULA XV.

Inter illos, quibus Beneficiorum Resignationes admittere licet, sunt qui id possunt non solùm quia Collatores sunt, sed etiam quia plenam in Resignantes habent Jurisdictionem, vel ratione tam Ecclesiam potestatis plenitudinem.

Hinc Papa ob prædictam potestatis plenitudinem omnium Beneficiorum, etiam illorum quorum Collatio Laïcis pertinet, Resignationes recipere validè potest, extra tamen tempus quo Regalia aperta est. Hinc singula totius Diœceseos Beneficia, etiam illa quæ non confert, in manibus Episcopi resignari queunt, nisi Papæ immediatè subjiciantur. *Cap.* 1. *De Præb. In* 6. vel nisi aperta Regalia sit.

REGULA XVI.

Cedendi licentia sine justa causa nec petenda, nec concedenda est. *Cap.* 10. *De Renunciat.*

REGULA XVII.

An justa sit causa ex qualitate personæ cedentis, Ecclesiæ dimissæ, temporis quo dimissio fit, judicandum est. *Ibid.*

REGULA XVIII.

Ex quo à Superiore liberè admissa est Resignatio liberè facta, nisi sub conditione antè admissionem non impletâ facta fuerit, revocari nequit.

Hinc qui nullâ adhibitâ conditione petitam cedendi licentiam obtinuit, cedere constringitur. *Cap.* 12. *De Renunc.* in quo qui petitam cedendi Ecclesiam obtinuit, cedere compellitur; cedendi autem licentia idem est ac Resignationis admissio.

REGULA XIX.

Quoties Resignatio omninò involuntaria est, vel magis involuntaria quàm voluntaria, libera non est.

Patet ex sequentibus.

REGULA XX.

Involuntaria est omninò Resignatio, si fiat ab eo qui, dum fit, non est sanæ mentis; qualis amens, furiosus, ebrius. *Cap.* 15. *De Regular.*

REGULA XXI.

Involuntaria magis quàm voluntaria, si vi, si metu fiat, quibus similes actus irriti forent, vel irritandi; sed si juramento libero firmata sit, ligat, nisi in salutis detrimentum vergat. *Cap.* 3. 4. *De iis quæ vi &c.*

Quod de vi & de metu dictum est, ad seductionem videtur extendendum.

REGULA XXII.

Quæ non liberam faciunt Resignationem; eadem non liberam efficiunt Resignationis admissionem.

REGULA XXIII.

Quæ de libertate ad resignandum necessariâ dicta sunt, ad Mandatum de resignando, & ad illius executionem extendenda sunt.

REGULA XXIV.

Inter Resignationes non liberas collocantur quæ ab impubere vel à minori seducto fiunt.

REGULA XXV.

In dubio an liberè facta fit Resignatio, non libera præsumitur. *Cap. 5. De Renunciat.*

REGULA XXVI.

Nullum est Beneficium in se consideratum, quod resignari non valeat. Sunt quæ ob extraneas Beneficio circumstantias, vel nequaquam resignare licet, vel nisi Resignatarium admissuro notæ fiant vel fint hujusmodi circumstantiæ.

Prioris generis funt Beneficia recens unita, non reservatâ Possessori resignandi facultate; Beneficia quoque quæ aliis accessoriè sunt unita; item Beneficia quæ Collegio in perpetuum unita sunt.

Posterioris generis sunt Beneficia, sub quibus Ordines Sacri suscepti sunt, vel quæ illorum locum tenent; in Resignatione enim istorum prædictæ circumstantiæ Resignationem admissuro notæ faciendæ sunt, vel aliàs notæ esse debent.

REGULA XXVII.

Ut Beneficium resignari possit, non requiritur ut illud Resignans possideat, sed sufficit ut in illo habeat jus illud, quod vocatur *jus in re*, quale habetur electione ab electo acceptatâ, Collatione item acceptatâ, nominatione vel præsentatione à Superiore admissis, & à nominato vel præsentato acceptatis.

REGULA XXVIII.

Cujusvis Beneficii Resignatio fieri potest per Procuratorem. CLEM. *unica De Renunc.* loquitur indistinctè de quovis Beneficio.

REGULA XXIX.

Ut autem facta per Procuratorem Resignatio valeat, oportet

I. Ut Procurator fit sponte & liberè constitutus.

II. Ut non fit revocatus; vel si revocatus fuerit, ut saltem revocatio antè Resignationem ad Procuratoris, vel illius qui istam admissurus est, notitiam non deducta fuerit.

III. Ut Mandati fines non excedat.

IV. Ut liberè resignet.

V. Ut intra annum factæ sibi Procurationis resignet. *Ibid.*

REGULA XXX.

Quantùm ad dimittentis Personam, justa est causa dimissionis

I. Si ipsius saluti necessaria fit. Hinc quotiescumque sine peccato mortali retineri Beneficium non potest, justa est dimissio; mortaliter autem peccat retinendo Beneficium, qui illicitè & invalidè acquisivit, scilicet viis prohibitis ac provisionem irritantibus; qualis simonia. Idem dicendum de illo, qui viâ quidem licitâ adeptus est, sed illius incapax est ratione delicti, sive ratione defectûs. Idem etiam sentiendum est de eo, cui Beneficium proxima est peccandi occasio, ob pericula quibus illum exponit; cùm ratione inveteratæ alicujus peccati Consuetudinis, vel aliundè natæ in illud peccatum proclivitatis; tùm ratione insidiarum, quæ hinc indè castitati ipsius tenduntur, occasione sumptâ ex annexis Beneficio muniis.

II. Si proprio dimittentis profectui utilius fit dimissio quàm Beneficii retentio, ac aliunde proximo non perniciosa; quod contingit, quoties quis cum hominibus conversando paulò perfectus minùs fit quàm si cum solo Deo conversaretur, ac etiam extent qui illius vices supplere possint.

III. Si Beneficium retinenti personale vitæ periculum immineat, vel ratione invaletudinis, ex prava Corporis complexione aut ex aëris inclementiâ proficiscentis, vel ratione persecutionis peculiatium inimicorum personam odio habentium.

IV. Ut sanum feratur de justitia dimissionis judicium, inspicienda Ecclesiæ dimissæ qualitas. Hæc autem duplex est. Alia nempè substantialis, quæ sibi ex natura sua convenit; qualis quod cum actuali animarum cura sit, vel sine illa cura: Alia accidentalis, quæ ex moribus populi Ecclesiæ subditi sibi accidit; qualis quod iste populus sit bonis vel pravis moribus præditus.

REGULA XXXI.

Pro accidentali Ecclesiæ Curatæ qualitate justa est dimissio, quoties Rector perniciosus fit vel inutilis.

Hinc justa est dimittendi causa,

I. Si tanta sit dimissæ Ecclesiæ Plebis duritia, ut dimittentis curâ pejor fiat; quod accidit quando ex odio, quo dimittentem prosequitur, Dei Verbum contemnit, ac Sacramenta prophanat.

II. Si oves in lupos convertantur, ac quem audire, sequi, tueri, deberent, persequantur.

III. Si infirmis fit scandalo; hoc autem contingit quando ab dimittentis adversariis seducti, vel ex ipsâ rerum specie, pravam de illo opinionem conceperunt, à quâ avocari non possunt, undè non audent seipsos illi credere.

Hæc omnia colliguntur ex *Cap. 10. De Renunc.*

Notandum obiter Regulas præcedentes, sicut & subsequentes circà eamdem materiam, ad Ecclesiam cum cura restringi; quia de causis propter quas dimittenda sit Ecclesia sine cura nulla fit in Jure, saltem expressa, mentio.

REGULA XXXII.

Pro temporis qualitate justa dimissio est, quoties talis est ut alium postulet Rectorem.

Hinc I. Si temporis mutatione fiat, ut qui regendæ Ecclesiæ aptus erat jam non sit; veluti quando nimiùm crescit regenda multitudo, vel multæ magnæque excitantur turbæ, quas diutiùs duraturas prævidere fas est, ac Ecclesiæ Rector imparem se sentit quæ accessit regendæ multitudini, vel durante turbarum procellâ commisso gregi, ut par est, conducendo.

II. Si temporum injuria, optimi Pastoris adeò grex decrescat ut jam suo non congruat Pastori.

REGULA XXXIII.

Absolutè injusta est dimissionis causa, si ex pravo fine fiat, quales sunt qui sequuntur.

I. Hypocrisis; ut fit, si quis dimittat ut sub Religionis prætextu suam contegat pravitatem; hujus rei exempla habentur cit. loco. *Cap. 10. De Renunc. in Part. decisa.*

II. Pusillanimitas; ut fit quando quis dimittit, ut laborem deponat, vel ut persecutionem effugiat, utrique ferendo nequaquam impar. *Ibid.*

III. Avaritia; ut si obtento pretio sive valore Beneficium dimittetur. *Ibid.*

IV. Carnalis affectus; ut fit, quando Beneficium dimittitur propinquo amicove benefaciendi gratiâ. *Ibid.*

V. Superbia; ut fit, quando quis Beneficium dimittit, ut succedente sibi pejore tanquam optimus ipse extollatur. *Ibid.*

VI. Inordinatus otii & voluptatum amor; ut fit, cùm quis dimittit, ut otiis pleniùs vacet vel liberiùs voluptatibus indulgeat, qui finis vanitas appellatur, quia vanius nihil est. *Ibid.*

Nota quæ *n.* 1. 3. 4. dicuntur, convenire posse dimissioni cujusvis Beneficii: quæ verò aliis *num.* leguntur, aptè dici de solis Beneficiis, quæ ad aliquid laboriosum obligant, qualia imprimis Beneficia cum cura.

REGU-

REGULA XXXIV.

Pro personæ qualitate injusta est dimissionis causa, quæ in se considerata justa videtur, quoties dimittentis defectus præstantibus animi dotibus supplentur, ac quodammodo delentur. *Cap. 10. De Renunc.*

Hinc si corpore infirmus, aut ratione ætatis, aut ratione pravæ corporis dispositionis, tantæ sit morum maturitatis, tantoque fidei devotionisque fervore ardeat, ut illis animi dotibus utilior futurus sit quàm corporeo robore sibi superior, sed alus dotibus longè inferior, injustè dimitteret.

Hinc quandò defectum scientiæ supplere potest perfectio charitatis, injustè dimittetur Beneficium propter scientiæ defectum. Circà quod notandum charitatem, quantacumque sit, supplere non posse scientiæ defectum, qui & patienti, & aliis perniciosus foret; qualis est in eo, qui dum imperitus est, se peritum putat, quique ideò verè Doctorum opem spernit; ac consequenter de tali defectu hic sermonem non fieri; sed de illo qui agnitus movet, ut peritorum auxilium quæratur.

Hinc qui naralium defectum patitur, eoque sibi cognito Beneficium sine dispensatione acceptat, si Officium laudabiliter impleat suum, culpaque necnon & causa illius lateant, non justè dimittit propter talem defectum, modò secum dispensare velit Superior, & personæ meriti & defectûs qualitatis plenè instructus.

Quod de Irregularitate ex natalium defectu dictum est, ad alias extendendum, quoties sufficiens ad Dispensationem suberit causa, quod ex qualitate Irregularitatis, & utilitatis ex Dispensatione nasciturae, æstimandum videtur.

REGULA XXXV.

Pro Ecclesiæ qualitate injusta est dimissionis causa, si culpa illius ea non est, ut propter illam à bono Rectore deseri debeat.

Hinc injustè dimittitur Ecclesia si superfit conversionis spes; si minor pars in culpa sit; si dimisso, rectorum remuneratio, & innocentium punitio futura sit; undè verissima Regula sequens: *Pro Ecclesiæ qualitate injusta est dimissionis causa, si Rector impiis santùm sit scandalo; si minori illum odiente parte, à majori diligatur; si qui illius subditi illum persequuntur, velint, fugato Pastore, gregi pro voluntate nocere.*

REGULA XXXVI.

Pro temporis qualitate injusta dimissionis causa, si communi Pastori & gregi imminente periculo, quale quod ex peste, vel ex persecutione pro Religione facta fuerit, nisi ut utilior subrogaretur, fieret. Hinc quoties pro temporis qualitate, infirmi sed admodùm venerandi Pastoris umbra, quàm novæ incognitæque personæ vigor plus profutura sit, injustè resignat Pastor hujusmodi.

Ex collectis huc usque circà Resignationes Generalibus Regulis, sequitur Resignationem rectè definiri posse, liberam Beneficii non usurpati, ac, ut ita dicam, verè dimissibilis dimissionem, cum debitâ Superioris licentiâ, alisque, quæ servanda sunt, servatis, factam.

REGULA XXXVII.

Quæcumque contra Resignatarium in Resignantis favorem constituta sunt, ad Resignatarii Resignatarium extenduntur.

Pertinet ad Resignationes in favorem.

Hinc quoties Resignans regressûs jus habet contrà Resignatarium, eodem gaudet contrà istius Resignatarium.

Pensionem quam à Resignatario exigere potest; eamdem ab istius Resignatario petere potest.

Notandum inter Regulas Cancellariæ Romanæ tres esse quæ quasvis Resignationes proximè respiciunt; quæque ideò inter Generales de Resignatione Regulas collocandæ videntur. Prima est Regula, *De publicandis Resignationibus.* Secunda, *De Viginti* vel *De Infirmis Resignantibus.* Tertia, *De consensu in Resignationibus vel pensionibus.*

Notandum iterùm prædictas Regulas, propter æquitatem suam, vel ubique recipi, vel ubique recipiendas; atque ut benè intelligantur, varia in illis distinguenda. Propterea operæ pretium visum est ut hic explicarentur, quamvis extent extra Corpus Juris Canonici *Conciliumque* Trid. quæ per Regulas exponenda suscepta sunt; atque ut circà quamlibet illarum consideretur 1°. Propter quas causas facta fit. 2°. Quid præcipiat, quid vetet. 3°. Quibus casibus locum habeat, quibus non. 4°. Quis illius effectus. 5°. Quoad quamvis partem suam an in Galliâ servetur: iisque consideratis, colligetur in quibus inter se vel conveniant, vel differant.

Notandum denique, propter easdem similesve rationes, in Digressione ista propositas Quæstiones circà quamlibet Regulam sine ulla Titulorum distinctione tractatas iri, servato tamen in tractando eodem, quo in proponendo, ordine.

Cæterùm qui prædictas Regulas, prout impressæ jacent, legere volet, inveniet illas cum aliis ejusdem generis ad calcem Corporis Juris Canon. *ann. 1661. Lugduni*, typis mandari à Guill. Barbier, & Joan. Girin. præter Regulam *De Publicandis*, quæ inter cæteras nescimus quo fato collocata; non item in Parte 2a. Institutionum Ecclesiasticarum & Beneficialium &c. item in Institutione ad Praxim Beneficialem, ubi quoque deest Regula *De Publicandis.*

SECTIO II.

Circà Cancellariæ Romanæ Regulas in Resignationibus adhiberi solitas Digressio expositoria.

PARS I.

In quâ exponitur Regula de publicandis *Resignationibus.*

Apud Rebuffum dicitur esse 34. Regularum Cancellariæ Romanæ. Apud Flaminium Parisium Lib XI. *De Resign.* refertur Bulla Pii V. ex qua omnia ferè, quæ circà publicandas Resignationes consideranda sunt, facile colliguntur.

Eas tamen Resignationes publicari alii Pontifices anteà jusserant, ut inferre licet ex Pastore Lib. III. *Tit. 8. n. 1.* ubi ait Regulam *De Publicandis Resig.* conditam a Bonif. (qui alius esse nequit quàm IX. cùm sub Bonif. VIII. nondum oborta esset hujus Regulæ causa) firmatam verò ab Inn. VIII. Idem deduci potest ex Rebuffo in illam Regulam, cùm illam dicat in Parlamenti Parisiensis Curia 7. *Augusti ann.* 1493. registratam. Qui successit Pio V. Greg. XIII. aliquid addidit.

His circà hujus Regulæ originem ac progressum prælibatis, quæ illam spectant colligenda sunt, sed priùs ea est referenda.

„ Idem Dominus noster statuit & ordinavit, quod „ quæcumque Beneficia Ecclesiastica, sive in Romana „ Curia, sive extra eam resignata, nisi de illis factæ „ Resignationes, si in Romana Curiâ intra sex menses „ à die datæ præstiti consensûs computandos; si verò „ extra dictam Curiam intra mensem, ubi Beneficia „ consistunt publicata, & possessio illorum ab his, quos „ id continget petita fuerit, si Resignantes ista postmo- „ dùm in eorumdem possessione decesserint, non per „ Resignationem, sed per obitum, hujusmodi vacare „ censeantur. Collationes quoque de illis tamquam „ per Resignationem vacantibus facta, & indè secuta, „ nullius sint roboris vel momenti.

Causa

Cansa propter quam condita est *de publicandis Resignationibus Regula* non alia est, quàm ut gravia, quæ ex occultis Resignationibus nascebantur incommoda, evitentur. BULL. *cit.*

Hæc autem non alia erant quàm ista.

I. Post Resignationem occultè factam, debitèque admissam, Resignans resignati Beneficii fructus percipiebat, Beneficii temporalia administrans varios contractus inibat; defectâ verò Resignatione, Resignatarius quæ soluta fuerant ut indebitè soluta repetebat, ac si lubebat, initi contractus irriti declarabantur, eoque modo justitia fidesque publica impunè violabantur.

II. Resignans post translatam in Resignatarium omnem Sacra munia obeundi potestatem, illa obire pergebat, ac si non invalidè, saltem sacrilegè Sacramenta administrabar.

III. Occultis Resignationibus Papa cum Ordinariis illudebatur; existimantes enim per obitum Beneficia vacare, illa conferebant, ac publicatâ Resignatione se in vanum contulisse agnoscentes illusos se pudebat, dolebantque inutiles ad vanas provisiones sumptus procreasse.

IV. Per occultas Resignationes porta latissima hæreditariæ in Beneficiis successioni aperiebatur; nam variis fraudibus locum dabant, quibus Beneficia Hæreditario Jure occuparentur.

Quæ circà publicandas Resignationes præcipiuntur vel prohibentur, hæc sunt.

I. Intra sex menses Resignatio publicanda est, si in manibus Papæ facta sit; intra unum, si coram Ordinario. *Bull. cit. & Reg. rel.*

II. In duobus locis publicanda, si extra Cathedralem vel Metropolitanam Ecclesiam Beneficium Resignatum extiterit; nempè, in Ecclesia in qua situm est, ac in Cathedrali vel Metropolitanâ è qua illa dependet; in uno tantùm, si in alterutra fuerit, nimirùm in illa, in qua extat. *Bull. cit.*

III. Publicanda est quando magna est populi multitudo ad audienda Divina, idque adeò altâ distinctâque voce, ut ad omnium adstantium notitiam pervenire valeat. *Bull. cit.*

IV. Publicatio facienda est per Resignantes, vel Resignatarios, vel per alios, illorum nomine. *Bull. cit.*

V. Tempus ad publicationem datum à die datæ supplicationis, vel concessionis, non à die præstiti consensûs, computandum. *Reg. rel. & Bull. cit.*

VI. Intra idem tempus actualis ac realis apprehendenda est Beneficii possessio, vel ab iis per quos tradi debet petenda. *Reg. rel. & Bull. cit.*

Constitutio circa publicandas Resignationes locum habet in quavis cujuscumque Beneficii Resignatione, quoquo modo fiat, coram quocumque, & quacumque de causa; *id est*, sive simplex sit, sive in favorem; sive coram Ordinario fiat, sive coram Papa, ejusve Legato; sive ex permutationis causa, sive ex alia; sive publicè, nimirùm coram Notario publico & testibus, sive clam, nec Notario nec testibus adhibitis. *Reg. rel. Bull. cit.* indistinctè loquuntur. GREG. XIII. *Bull.* 85. *Humano. an.* 1584. expressè meminit Resignationis factæ, permutationis causâ ac Commendarum; meminit quoque Resignationis publicè factæ.

Effectus istius Constitutionis sunt.

I. Si quæ in illa præcipiuntur omissa fuerint, nullius momenti fit Resignatio. *Reg. rel. Bull. citatis.*

II. Per obitum vacare Beneficium censetur, si in illius possessione Resignans decesserit. *Reg rel.*

Quæ publicationis modum respiciunt, in Gallia saltem, non servantur; hìc enim publicatio fit exhibitis litteris & insinuatis Ordinario. PAST. LIB. III. *Tit.* 8. *n.* 2.

Sunt alia in *cit.* GREG. XIII. *Bull.* quæ usu recepta non sunt; tale est quod cuivis Collatori Ordinario præcipit, ut universum admissionis vel rejectionis Resignationis negotium intrà mensem omninò absolvat; talis est etiam gratia proviso concessa, ut trimestre habeat ad Resignationis coram Ordinario factæ publicationem, resignatique Beneficii possessionis apprehensionem.

Quod de Beneficiorum Resignationibus dictum est, ad jurium in Beneficiis vel ad illa cessiones, prout illorum natura patitur, extendendum est. *Bull.* PII, V.

PARS II.

In qua Regula de infirmis Resignantibus, sive de viginti explicatur

Antè omnia Nota duplici modo inscribi prædictam Regulam: dici Regulam *De Infirmis*, quia infirmorum Resignationes, nunc habitâ ratione ad alios quàm Cardinales, tantùm respicere solet: dici *De Viginti*, à dierum numero, quos vivere debet Resignans post præstitum Resignationi consensum; postremo sub Titulo haberi in loco, è quo hic transcribitur: prædictam exceptionem non haberi in Regula, sed in Indultis Cardinalium.

Etsi Regula explicanda loco suprà indicato habeatur, ad Lectoris tamen commoditatem, qui dictam Editionem non habet, illam hìc exscribere non pigebit.

REGULA DE VIGINTI.

Hæc est transcribendæ Regulæ Inscriptio: decimum-nonum locum quia occupat inter Cancellariæ Romanæ Regulas, ideò numerus XIX. Regulæ isti præmittitur.

„Item voluit, (nempè INN. X. cujus jussu factæ, „editæ, vel publicatæ sunt Romanæ Cancellariæ Regu-„læ, inter quas exscribenda recensetur,) quod si quis „in infirmitate constitutus resignaverit aliquod Bene-„ficium, sive simpliciter, sive ex causa permutationis, „vel aliàs dimiserit, aut illius Commendæ cesserit, „seu ipsius Beneficii unionis dissolutioni consenserit, „etiam vigore supplicationis dum esset sanus signatæ, „& posteà intra 20. dies, à die per Resignantem præs-„tandi consensûs computandos, de ipsa infirmitate „decesserit, & ipsum Beneficium quavis autoritate „conferatur per Resignationem sic factam, Collatio „hujusmodi sit nulla, ipsumque Beneficium nihilomi-„nus per obitum vacare censeatur „.

Ad restringendam Resignantium libertatem factam esse putat PASTOR: sed ne in hoc eidem consentiamus, movet ipsa Regulæ ad infirmorum Resignationes restrictio. Cùm enim inter Resignantes plurimi sint qui sani resignant, si Regulæ scopus esset Resignantium libertatem coarctare, quæ præscribit ad infirmos Resignantes non limitarentur: undè quærendæ sunt aliæ hujus Regulæ causæ. Nullæ autem occurrunt quàm duæ; altera, ut tollatur occasio fraudum, quæ Resignationes in extremis factas plerumque comitantur; quarum præcipuæ sunt, quod vel resignandi prorsus incapax, qualis mortuus aut semimortuus, resignat, vel ad id minùs quàm per est idoneus, qualis in quo debilior facta ratio; altera, ut qui dum sani sunt justas habent resignandi causas, ægritudinis tempus non expectent, de Beneficio ac de hæreditate dispposituri.

Hac in Regulâ præcipitur, ut si quis in infirmitate resignat, inter præstitum à se Resignationi consensum & ipsius obitum intersint 20. dies, ad hoc ut per Resignationem Beneficium vacet. Quid per præstitum Resignationi consensum intelligatur explicabitur in tertiâ Parte Digressionis: interim notandum, hodiè quoad Gallos inutiliter quæri, an prædicti 20. dies numerandi sint à die præstiti consensûs, an à die datæ seu admissionis Resignationis, cùm eodem die hæc omnia fiant. LOÜET *in Reg. De Infir. n.* 16. ac provisiones Gallorum datam suam habeant à die adventûs Cursoris.

Quod

Quod de infirmitate dictum est, de lethali intelligendum, ac consequenter vox *infirmitas* hoc loco interpretanda eodem planè modo, quo vox *infirmatur* apud JACOBUM.

Cùm Regula loquatur de illa, quæ ad resignandum movet, qualis nulla alia quàm lethalis, locum habet non solùm in Beneficiorum Resignationibus, sed etiam in eujusvis, in illis, vel ad illa, juris cessione, ut patet per hæc verba, *Unionis Beneficiorum dissolutioni consenserit.* Locum habet in Resignatione tàm simplici quàm non simplici, ut ostendunt hæc verba, *Sive simpliciter, sive ex causâ permutationis, vel aliàs dimiserit.*

Dummodò tamen coram Ordinario non fiat; quod inferre est ex consensu de novo præstando, vel per Partem vel per Procuratorem, antè literarum expeditionem; quod in Resignationis coram Ordinario factæ provisionibus necessarium non est, apud quem expressus in dimissione consensus sufficit. Prætereà in favorem Ordinarii videtur facta Regula *De Infirmis*; illâ etenim servatâ ab infirmis, resignata coram Papa Beneficia per Resignationem rarò vacarent, sed ferè semper per obitum, ideòque possent ab Ordinario conferri.

Ad hæc, vitanda per Regulam istam incommoda solas respiciunt Resignationes in favorem, quæ à solo Papa admittuntur; Adde quod si voluisset Regulæ Conditor, ut in Ordinario locum haberet, de eo mentionem fecisset; sicut Regulæ *De Publicandis* Conditor, Ordinarium conditæ à se Regulæ subjicere volens, illius expressè meminit.

Nec obstant ista Regulæ verba, *Quavis autoritate conferatur Beneficium &c.* Quibus ostendi videtur resignata contra Regulæ *De Infirmis* præscriptum, ab aliis conferri posse quàm à Papâ, ideòque alios, quàm Papam illam ligare: Nam verba illa intelligi possunt de Legato, ut de Summo Pontifice; istumque sensum habere, Collationem Resignatorum contra Regulæ formam Beneficiorum non valere, etiamsi ab ipso Papa fiat: Prætereà sunt Beneficia, quæ ab alio quàm à Papa conferenda sunt, etsi illorum Resignatio à Papa admissa fuerit: Denique Consuetudo, quæ Legis Interpres optima est, huic Sententiæ favet; jamdiù ex usu universaliter recepto Regula *De Infirmis* in Resignationibus ab Ordinario admissis locum non habet.

Duplex est effectus Regulæ *De Infirmis*: Prior; Resignata contrà illius formam Beneficia per Resignationem non vacant, sed per obitum: Posterior; Si Beneficia ista tamquam per Resignationem vacantia conferantur, Collatio nulla est.

Regulæ *De Infirmis* derogari potest, non solùm à Papa, sed à Legato, eique reverà derogatur quoties derogatio petitur; undè fit, ut quæ in se utilissima est, frequentissimâ derogatione inutilis fiat, atque res eò devenerunt ut subsistere non videatur nisi ad trapefitarum, aliorumve similium, emolumentum.

In Gallia & Regula & derogatio admittitur; istaque adeò ut à Papa Legatove denegari non valeat, si à Gallis petatur. Hujus rei causa est: Privatorum commodum Ecclesiæ utilitati, perverso ordine, prævaluit.

Quod in Regula *De Infirmis* circà infirmorum Resignationes præcipitur, ad favorem Resignationes extenderat CLEM. VII. ad Pontificatum provectus *ann.* 1523. ondè quilibet resignans post Resignationem suam 20. dies vivere debebat; sed ista extensio usu recepta non fuit, nisi quoad Beneficia, quæ ad Cardinalium dispositionem quoquomodo pertinent. Hanc prærogativam Cardinales habent ex Indulto quod PAULUS IV. ad Pontificatum promotus *ann.* 1555. Cardinalium Collegio concessit, quodque in eo situm est, quod in præjudicium Cardinalium Regulæ *De Viginti* non derogetur.

PARS III.

In quâ Regula de consensu in Resignationibus exponitur.

Exponendæ Regulæ triplex est Pars. Prima respicit Resignationes quascumque in Curia Romana factas. Secunda ad Resignationes in favorem pertinet. Tertia pensiones contingit. Ex iis sola Pars Prima huic loco convenit: ondè illam tantùm hic exscribemus; quas subministrabit ipsius argumentum quæstiones, paucis soluturi.

Regula de consensu in Resignationibus &c. quæ inter Regulas Cancellariæ Romanæ INNOCENT. X. *est XLV. Pars Prima.*

„Idem voluit & ordinavit, quod super Resignatio-„ne cujuscumque Beneficii Ecclesiastici, seu cessione „juris in eo, quam in manibus suis, vel in Cancella-„ria Apostolica fieri contigerit, Apostolicæ literæ nul-„latenus expediantur, nisi resignans vel cedens, si „præsens in Romana Curia fuerit personaliter, alio-„quin per Procuratorem suum ad hoc ab eo spe-„cialiter constitutum, expeditioni hujusmodi in „eadem Curia expressè consenserit & juraverit, ut „moris est„.

Transcripta Regula condita videtur, ut antè literarum expeditionem circà Resignationes &c. Pontifex, vel Ministri, ejus certi sint, quoad fieri potest, Resignantem in resignandi voluntate perseverare, atque etiam liberè resignare.

Nihil aliud præcipit, nisi ut resignans, si in Curia Romana fuerit personaliter, si verò absens per Procuratorem ad hoc specialem, literarum expeditioni expressè consentiat, & juret juxtà consuetam jurandi formam.

Hinc fit ut, cùm consensus iste princeps Resignationis causa sit, cùmque hunc usque ad consensum resignans variare possit, posteà non valeat: Non immeritò ab isto numerandum videtur tempus, quod intercesse debet inter consensum ab infirmo Resignante resignationi præstitum, ipsiusque obitum; hoc autem locum habet in Resignationibus Beneficiorum, & in cessionibus jurium in ipsis, sed in illis tantùm quæ coram Papâ, vel in Romana Cancellaria fiunt, quarumque admissio signaturâ oon perficitur, sed literarum expeditione.

Consequentia ex Regularum de publicandis, de infirmis, & de consensu in Resignationibus, expositione colligenda.

Ex dictis sequitur prædictas Regulas convenire in eo, quod 1°. Resignationes tàm imperfectas quàm perfectas quælibet respiciat. Imperfectâ Resignatione hic intelligitur jurium in Beneficiis, vel ad ipsa, cessio. Perfectâ verò, Beneficii ipsius dimissio. 2°. Quæ fiunt contrà Regulas *De Publ.* & *De Infirmis* nulla sunt, & non obstante resignatione, si Resignans obierit, vacat per obitum Beneficium.

Sequitur etiam quod prædictæ differant, in eo quod I. Regula *De Publicandis* respicit Resignationes factas coram Ordinario, æquè ac alias; cæteræ verò illas non respiciant.

II. Tempus, quod interesse debet inter Resignationem ab infirmo factam & ipsius obitum, computandum est à die præstiti Resignationi consensûs; tempus verò datum ad Resignationis publicationem numerandum est à die datæ provisionis.

III. Derogare licet Regulæ *De Infirmis*; non autem Regulæ *De Publicandis*.

IV. Regulæ *de consensu* non inest nullitatis pœna, si quod præcipit non servetur.

V. Hæc postrema non recipitur in Gallia, duplici ratione, 1. Quod in plerisque Beneficiis sola signatura sufficit. 2. Quod omnes provisiones à die adventûs Cursoris vim suam habent.

SECTIO III.

Particulares circà Beneficiorum Resignationes Regulæ, quibus diversæ Resignationum species seorsim explicantur; quæque è Corpore Juris Canonici, Conciliique TRID. *depromuntur.*

§. UNICUS.

De variis Resignationum divisionibus.

REGULA I.

Etsi plurimæ sint Resignationum species, omnes tamen ad duas reducuntur, nempè ad simplicem, & non simplicem.

Regulæ Fundamentum: Resignatio, vel est absoluta, pura, sine ullâ conditione, & hæc simplex dicitur; vel est sub conditione, & ista non simplex dicendâ est.

REGULA II.

Resignationis simplicis duplex duntaxat est species.

Regulæ Fundamentum: Resignatio simplex nequit esse nisi vel tacita, vel expressa.

Tacita est Resignatio, quando quis statum amplectitur, vel crimen committit, quibus eo ipso Beneficium vacat; hic enim Beneficii amissioni consentit, volens causam ex quâ nascitur, ideòque Beneficio suo tacitè renunciat.

Expressa est Resignatio, quando expressis verbis, vel scriptis, Beneficio quis se abdicat.

REGULA III.

Quot sunt conditiones, quæ inferi possunt, vel insertæ censentur, tot distingui possunt Resignationis non simplicis species.

Hinc, cùm Resignationi inferi possint conditiones sequentes,

1°. Quod resignanti reserventur fructus.

2°. Quod eidem pensio assignetur.

3°. Quod Beneficium ad eumdem revertatur certis casibus.

4°. Quod Beneficium conferatur aliud sibi resignanti.

V. Quod non alii conferatur, nisi illi qui in Resignatione exprimitur.

Aliæque similes de quibus in Jure sermo fit, tot Resignationum non simplicium species constituemus, quot hujusmodi conditiones in Jure reperiemus.

Conditiones quæ inferuntur, ab iis quæ insertæ censentur, distinximus; non quod diversæ sint, sed quod utroque modo considerandæ sint; nam consideratæ ut insertæ censentur, efficiunt ut Resignatio simplex ex eo, quod nulla in illa exprimatur conditio, simplex non sit, sed conditionata ex conditionibus quæ in illa inferi censentur.

SECTIO IV.

De Resignatione simplici.

Factam suprà Resignationis simplicis divisionem explicaturi, sequentes in Paragraphos duos Sectionem hanc dividemus, quodlibet divisionis membrum sub distincto Paragrapho tractaturi.

§. I.

De Resignatione expressè factâ.

REGULA I.

Nullus Juris Canonici Textus præcipit ut Resignatio scribatur, ad hoc ut valeat; imò sunt quibus ostenditur sine scripto factam valere. *Cap.* 3. *De Renunc.*

REGULA II.

Ex nullo clarè colligitur scripto, factam fuisse iis sæculis quibus Canones, qui in Corpore Juris continentur, conditi sunt. Inter benè multos Canones, qui de Resignatione loquuntur, nullus est in quo legatur scripto factam fuisse.

REGULA III.

Ex plurimis infertur sine scripto factam fuisse.

Tales sunt *Cap.* 5. 6. 7. 13. 14. *De Renunc.* Tales videntur *Cap.* 1. CAUS. XVII. QUÆST. II. Cap. 8. *De Renunc.* Cap. 4. *De iis quæ vi metusve*; aliique similes, in quibus Resignatio dicitur facta in manus alterius; nam locutio ista denotare videtur, Beneficia resignata fuisse remissione chartarum quibus concessa fuerant.

REGULA IV.

In Gallia facienda est scripto Resignatio ut valeat.

Variis id Ordinationibus Regiis præcipitur, inter quas præcipuæ sunt Ordinatio *anno* 1550. facta, *Art.* 3. Edictum *ann.* 1637. *De Insinuatione*, *Art.* 23. Declaratio hujus Edicti *anno* 1646. Edictum *De Insinuat. ann.* 1691. *Art.* 10.

REGULA V.

In scribenda autem Resignatione hæc servanda sunt.

1°. Ut à Notario Regio, vel Apostolico recipiatur.

2°. Ut duo adsint testes, in hoc domicilium habentes, nec Resignantis nec Resignatarii in secundo gradu propinqui.

3°. Ut testes subscribant, vel declarent se nescire subscribere. Hæc patent ex citatis Ordinationibus.

§. II.

De simplici Resignatione tacitè factâ.

REGULA I.

Tacitè resignatur Beneficium, quâlibet actione cui à Jure annexa est ipso facto Beneficii vacatio.

REGULA II.

Actiones hujusmodi sunt vel licitæ vel illicitæ.

REGULA III.

Licitæ non sunt aliæ quàm istæ.

1°. Si Clericus in minoribus constitutus, Matrimonium contrahat, Beneficia sua ipso facto vacant. *Cap.* 1. 3. *De Cler. Conjug.*

Nec obstat quod in iis dicatur privandus vel spoliandus; hoc enim intelligendum de possessione, non de titulo. Similia habes exempla in *Cap.* 6. 9. *De Concess. Preb.* cùm in illis Beneficiorum, quæ ibidem vacare ipso jure dicuntur, Possessores privari præcipiatur.

2°. Si expressam vel tacitam vitæ Religiosæ Professionem faciat, Beneficia, quæ possidet, ipso quoque facto vacant. *Cap.* 4. *De Regular. In* 6.

Quod de tacita Professione dictum est, in Gallia locum non habet; hoc enim in Regno professio expressa tantùm admittitur; quod *Concilio* TRID. conforme videtur, quantùm ad eam tacitam professionem, quæ intra probationis annum fiebat, sumen-

mendo scilicet Professorum habitum, tribusque diebus illum ferendo. *Cap. 8. De Regular.*

3°. Quando Canonicus, Monachus factus, quæ Ecclesiæ suæ Sæculari dederat, etiam antè Professionem repetebat, eo ipso Beneficium ipsius vacabat. *Cap. 3. De Renunc.*

Casus hic ut præteritus exprimitur, quia post *Conc.* Trid. *Cit. Caput*, in quo continetur, vim nullam habere videtur; nam *Conc.* illud *Cap. 16.* irritat omnem Renunciationem quæ antè duos menses proximos professioni facta est, vel quæ facta quidem est intra illud bimestre sed illam nulla secuta est professio, vel illam secuta invalida fuit.

4°. Qui ad Episcopatum electus electioni consentit, ac impetratâ confirmatione, apprehensâque temporalium administratione, Episcopalem consecrationem suscipit; vacant enim eo ipso singula quæ habet Beneficia, tàm simplicia quàm alia. *Cap. 7. De Elect. §. 2.*

5°. Qui Beneficium cui annexa est animarum cura possidens, simile adipiscitur, vacat siquidem primum ex sola secundi acceptatione. In Gallia non servatur: hoc in Regno Beneficium incompatibile acquirens ad prioris dimissionem annum habet, cùm ad illam non cogatur, nisi post annum pacificæ possessionis. *Cap. 28. De Preb.* Cap. 4. Sess. VII. *De Ref.*

Hinc actionibus, quibus Beneficia ipso facto vacant, non propter eamdem rationem annexa est hæc vacatio: Sunt quædam quibus annexa est, quia cum quovis Beneficio incompatibiles judicatæ sunt; talis est ex recensitis Prima: Sunt aliæ quibus annexâ est, quia subsistere non possunt cum Beneficio Sæculari, vel sæculariter possesso; talis est Secunda: Sunt nonnullæ quibus annexa est, quia, quam summoperè detestantur Canones Beneficiorum pluralitatem inducunt; tales sunt quarta & quinta: Sunt denique quibus annexa est eadem vacatio, quia claram deferendi Beneficia voluntatem denotant.

Hinc ex actionibus prædictis, quibus ipso facto Beneficia vacant, tres tantùm suum in Gallia habent effectum, nempè prima, secunda, & quarta; eum hoc tamen discrimine, ut prima & quarta illum absolutè habeant; secunda verò cum quadam restrictione.

Hinc etiàm cùm rationes, propter quas Beneficii vacationem inducunt prædictæ actiones, aliis actionibus non conveniant, non mirùm si aliæ non sint quibus eadem vacatio inducatur.

Hinc consequenter actiones, de quibus in *Cap. 7; 13. 14. De Renunc.* justissimè declarantur tacitam Beneficii resignationem secum non inferre, cùm nec manifestam resignandis voluntatem significent, nec incompatibiles sint cum Beneficiorum possessione.

REGULA IV.

Actiones illicitæ, quibus annexa est Beneficii vacatio, sunt crimina quæ Beneficii privationem ipso facto inducunt.

REGULA V.

Crimina nulla sunt, quæ effectum hunc producant, quàm quæ in Jure expressè dicuntur illum producere.

Fundamentum hujus Regulæ sunt variæ Juris Regulæ nempè *Odia sunt restringenda: In pœnis benignior interpretatio est facienda: Pœnæ molliendæ sunt potiùs quàm exasperandæ: In obscuris minimum est sequendum.* Fundari etiam potest super *Cap. 18. De Sent. Excom. In 6.* in quo dicitur nullum alium esse Irregularitatis cujusvis effectum, qui in Jure non exprimatur; inducere autem Beneficii privationem ipso facto, effectus est quarumdam Irregularitatum ex delicto.

REGULA VI.

Crimina quæ in Jure expressè dicuntur Beneficii privationem inducere, sunt

I. Hæresis. *Cap. 9. De Hæret.*

Nec obstat quod in hoc *Cap.* præcipiatur, ut qui in Hæresi deprehensus fuerit, Beneficio nudetur: non enim ideò pœna ista est Sententiæ ferendæ quoad Beneficii titulum, sed tantùm quoad possessionem est, quia per Judicis Sententiam expellendus est Hæreticus.

II. Crimen omne, quo infamia incurritur ipso facto; quale crimen Læsæ Majestatis; Sacrilegium in Cardinalis personam commissum actione, consilio, mandato, favore, ratihabitione. *Cap. 5. De Pœnis In 6.* quod comparans Sacrilegium commissum in personam Cardinalis, cum crimine Læsæ Majestatis, eadem illud plectit infamiâ, qua Læsæ Majestatis crimen punitur; posteà recensens hujus infamiæ effectus, inter illos connumerat Beneficij privationem; undè inferre licet crimen quodvis, quo infamia incurritur, Beneficii privationem secum importare.

III. Sacrilegium in Episcopi personam commissum; illum injuriosè vel temere percutiendo, capiendo, banniendo, sive actione, sive mandato, sive consilio, sive auxilio, sive favore, sive ratihabitione. Clem. 1. *De Pœnis.*

IV. Voluntaria Beneficiorum acquisitio ad Hæreticorum preces. *Cap. 2. De Hæret. In 6. §. Ad hæc.* in quo hujus peccati Rei triplici pœnâ puniuntur. 1°. Privantur ipso facto Beneficiis hac viâ acquisitis. 2°. Privantur etiam in perpetuum Beneficiis aliter habitis: 3°. Efficiuntur inhabiles ad quævis alia obtinenda.

V. Injusta plurium Parochialium Ecclesiarum retentio post elapsum semestre datum ad unam ex his eligendam; vacant enim eo ipso omnes Parochiales Ecclesiæ, aliaque Beneficia, quæ cum his Parochialibus Ecclesiis possidentur. Hic casus actionum illicitarum, quibus vacant Beneficia ipso facto, differt à casu 5°. actionum licitarum, quibus inducitur eadem vacatio, cum quo idem esse videtur; nam in isto oritur vacatio ex acceptatione secundi Beneficii incompatibilis cum primo, quæ certò permissa est; nulla verò vacatio fit ipsâ retentione, nisi post præfixum tempus ad dimissionem, quæ haud dubiè illicita est propter prohibitionem neglectam vel spretam.

VI. Falsi crimen à Beneficiato commissum circà literas Apostolicas manu Papæ signatas, etiam per alium, etiam unico actu. *Cap. 7. De Crimine Falsi.* Quod patet his verbis, *Beneficiis sint privati*, quibus distinguit Autores criminis ab illis qui his literis scientes utuntur: Istos enim tantùm Beneficiis spoliari præcipit, quod monstrant hæc verba: *Qui sub nomine nostro falsis literis utuntur, si sint Clerici, Beneficiis suis spolientur.* Vide Fagnan. *in illud* Cap. In Gallia hanc pœnam incurrit, qui falsum committit ab obtinendum Beneficium, *Edicto* Henric. II. *ann.* 1551.

VII. Assassinium etiam non consummatum, si suscipiatur per assassinos, ad id operas suas locare solitos, *Cap. 1. De Homic. In 6.* ubi hæc habentur de Autore criminis, illiusque sociis: *De Beneficiis incurrat Sententias ipso facto.*

VIII. Homicidium Rectoris, vel Clerici illius Ecclesiæ, commissum à Beneficiato ejusdem Ecclesiæ. *Cap. In quibusdam 12. De Pœnis*, in quo *Conc. IV.* Lateran. *an.* 1215. privat etiam ipso facto aliis bonis, quæ ab illa tenentur, Possessores, qui criminis hujus rei fiunt, nempè Patronum jure Patronatûs, Advocatum Advocatiâ, Feudatarium Feudo, Vicedominum Vicedominatu. Quod dictum de homicidio, ad mutilationem extenditur.

IX. Cuivis homicidio qualificato eumdem effectum tribuere solent Canonistæ; eoque sub nomine comprehendunt inter alia 1°. Parricidium, in se includens occisionem propinquiorum, quales Pater, Mater, Avus, Avia, Fratres, Sorores. 2°. Episcopi vel Cardinalis interfectionem, quod postremum probant *Cap. 5. De Pœnis In 6°.*

& CLEMENTINA I. *De Pœnit.* Ad probandum primum citant *Cap.* 21. *De Accus.* ubi INNOC. III. allegans exempla criminum, quæ pœnitentia non ita abolet, ut posteà retineri possint Beneficia antè acquisita, inter ea homicidium recenset; quod de simplici intelligi non potest, cùm nullus sit Juris Textus, qui Beneficiis privet propter hoc crimen; ideòque interpretandum videtur de qualificato, quod privat Beneficiis jam obtentis, pluribus in Textibus suprà citatis.

Sed cùm Textus isti sint posteriores *Cap.* 21. *De Accusat.* non rectè citantur ad illius explicationem, præsertim in materia pœnali, qualis hæc in qua versamur, ubi pœnæ locum non habeat, nisi in casibus clarè in Jure expressis, tàm quoad modum quo incurruntur, quàm quoad circumstantias in quibus latæ sunt

X. Crimen Læsæ Majestatis ipso facto privat Beneficiis quibuscumque, ac cujuscumque dignitatis sint. Infertur ex *Cap.* 5. *De Pœnit. In* 6. ubi BONIF. VIII. sequens vestigia HONOR. III. inter pœnas varias, quas fert contrà insectatores Cardinalium, quos haberi vult ut reos Læsæ Majestatis, collocat privationem ipso facto omnium Beneficiorum. LOTERIUS *De Re Beneficiar.* LIB. III. QUÆST. XXX. Ubi fusè de hoc crimine agens, prout inducit vacationem Beneficiorum, citat Bullam LEONIS X. quâ rei Læsæ Majestatis Beneficia sua ipso facto amittunt.

XI. Sodomia, quam apostasiam à naturâ appellant non pauci Canonistæ, dejicit à Beneficio ipso facto, juxtà *Cap.* 4. *De Excess. Prælat.* explicatum à PIO V. *in Bulla ann.* 1568. 3. *Kal. Sept.* Hæc explicatio necessaria fuit ex eo maximè quod *Concil.* LATERANENSE *in citato Capite* ferre videatur depositionem ferendæ Sententiæ his verbis, *Si Clerici dejiciantur à Clero*, eoque magis quod similem Excommunicationem insimul ferat in Clericos ejusdem criminis reos. Vide LOTAR. LIB. III. QUÆST. XXXI. *n.* 60.

Ad rem non facit *Cap. Mulier.* CAUS. XV. QUÆST. I. cùm id unum probet, sodomiticum crimen esse capitale. Plura sunt capitalia crimina quæ Beneficio non privant ipso facto, ut simplex homicidium, furtum per vias publicas, furtum à domesticis commissum, furtum sacrilegum vasorum sacrorum, & similia; sicut è contrà nonnulla sunt non capitalia quæ privant ipso facto, ut simonia, & confidentia in citandis mox circumstantiis. FAGNAN. in Cap. 7. *De Crim. Falsi*, putat cum aliis, unico actu privationem incurri; quod justissimum, cùm in aliis criminibus, quæ privant ipso facto, unicus actus sufficiat, & sodomia sit unum ex his, quæ pro gravioribus habentur. LOTER. cum aliis existimat, ad id necessarium ut pluries exerceatur, habitusque sive consuetudo, easque ob conditiones fieri ut impetrari non soleant Beneficia ut vacantia ex Sodomia. *loc. cit.*

XII. Simonia juncta cum confidentia ex Bullis PII V. & SIXTI V. privat Beneficiis antè hanc Simoniam legitimè possessis. Nullo in Textu Juris, nec in *Conc.* TRIDENT. mentio fit de hujusmodi privatione, quæ multùm differt à privatione latâ in Corpore Juris; hæc enim ad alia Beneficia sese non extendit, quàm quæ viâ simoniacâ acquisita sunt: De eo plures Textus citantur in Regulis *De Simoniâ* ad Quartam Partem pertinentibus. Intereà, vide CABASSUTII Theoriam & Praxim, supplentem quæ desunt RABUFFO, PASTORI, & LOTARIO, circà prædictam vacationem ipso jure.

SECTIO V.

De Resignatione conditionatâ.

In duo Capita Sectionem istam dividemus; in Priori acturi de Resignatione tacitè conditionatâ: in Posteriori verò de Resignatione expressè conditionata. Ab illa incipimus, tùm quia simplici, de quâ mox dicebamus, conformior; tùm quia de illâ paucissima habemus dicenda.

CAPUT I.

De Resignatione tacitè conditionata.

REGULA I.

Resignationi simplici nulla inesse potest tacita conditio quàm regressûs conditio.

REGULA II.

Resignationis eo modo conditionatæ non alii in Jure leguntur casus, quàm isti.

I. Si quis Beneficium acquirens, quæ habet simpliciter dimittat; Resignationi isti tacita inest regressûs conditio, posito quod posterius evincatur. *Cap.* 20. *De Præb. In* 6.

II. Si Novitius, intra bimestre Professioni proximum, Beneficia sua simpliciter dimittat, huic dimissioni inest tacita regressûs conditio, posito quod Professio non sequatur, vel quæ fiet nulla futura sit. *Cap.* 16. SESS. XXV. *De Regular.*

III. Si quis in infirmitate constitutus vitam Monasticam amplexurum se vovens, Beneficium suum eo fine simpliciter dimittat; posteà verò convalescens, votum implere vel nequeat vel nolit; Resignatio ista tacitam regressûs conditionem includit, supposito quod votum non impleatur. *Cap.* 1. CAUS. XVII. QUÆST. II.

IV. Quando per vim metumve cadentem in virum fortem Beneficium simpliciter resignatur, Resignationi inest tacita regressûs conditio, pro tempore quo resignatum Beneficium repetere licebit, nempè intra tempus restitutioni in integrum petendæ à Jure præfixum, quod est quatuor annorum. *Cap.* 1. 2. *De Restitut. In* 6.

V. Quod de Resignatione ob metum non liberâ, dictum est, extendendum ad illam, quæ ætatis vel rationis defectu sufficienter vel absolutè libera non est. *Cap.* 18. *De in Integrum Restit.* Cap. 15. *De Regul.*

Ex Primo Casu infertur, regressum habere locum in omni evictione, etsi Resignans illum sibi non reservaverit, modò sine culpa Resignantis evictio facta fuerit: Undè si quod priùs possidebam Beneficium, in favorem resignem occasione alterius recèns acquisiti, & posteà istud sine culpa mea mihi auferatur, regredior ad resignatum Beneficium, etsi regressum mihi non reservaverim. Idem dicendum, si Beneficium meum cum alio permutem, postea verò permutatione acquisitum contra me evincatur; ad primum redeo, etsi nulla de regressu in permutatione mentio fiat.

Quæ eò loci extensio fit, rationis paritati innititur Beneficium quod vi alicui aufertur, vel quod supprimitur, evinci non dicitur; ac ideò quæ de regressu propter evictionem dicta sunt, iis in casibus locum non habent.

Ex Tertio Casu sunt qui colligant, Quoties quis metu mortis resignat, sive simpliciter, sive in favorem regressûs conditionem subintelligi. Consequentiam suam fundant hi Autores, in eo quod in casu memorato Resignans restitutus videtur propter circumstantiam metûs mortis, cùm in infirmitate constitutus resignasse dicatur. Verùm justa non videtur illorum consequentia; Nam 1o. in prædicto casu de mortis periculo nulla mentio fit, nec inferre licet in illo constitutum fuisse Resignantem, ex eo quod infirmus, & fervore passionis pressus erat; cùm nec omnis infirmitas mortalis sit, nec vivi nec acuti dolores omnes ad mortis discrimen adducunt. 2o. Ratione voti proximè resignat, remotè verò ratione morbi; nec ideò restituitur quod infirmus resignaverit, sed ex eo quod votum leviter emissum adimplere noluerit: Conjicitur autem votum istud leviter emissum fuisse, ex eo quod ALEXAND. II. su-

per

per casum istum consultus, Resignantem non obligat ad votum, quantùm in se erat, adimplendum, nempè Monasterium ingrediendo, ut se probaret an professioni Monasticæ aptus esset.

REGULA III.

Præter expressos in Jure casus, qui tacitam regressûs conditionem continent non sunt alii quàm qui sequuntur.

Omnes casus in quibus, sine Resignantis culpa quæ illum Beneficio privet, Resignatarius Beneficii resignati possessionem assequi non potest.

Hinc si post admissam Resignationem *in favorem*, & à Resignatario acceptam, sed antequàm in possessione missus sit, Regalia apud Gallos aperiatur, jus in Beneficio quod ad Resignatarium transierat ad Resignantem redire videtur; idque propter clausulam, *nec alia, nec alio modo*, quæ suspendit effectum Resignationis usqueduò Resignatarius possessionem adeptus fuerit: sed propter prærogativam Regaliæ, hic regressûs casus non admittitur.

Hinc etiam si Resignatarii provisio cassetur ex eo quod spreto Patrono Laico facta est, ad Resignantem Beneficium revertitur; idque propter eamdem clausulam, quæ tacitam regressûs conditionem continet, si acquisito sibi jure Resignatarius frui non possit. Ex prædictis similibusve causis Beneficium redire deberet ad Resignantem.

Caput II.

De Resignatione expressè conditionatâ.

Cùm plurimæ sint conditiones, quæ Resignationi inseri possunt, ac expressa regressûs conditio connexionem habeat non minimam cum *Cap.* præcedentis argumento, ubi de tacitâ actum est; Caput præsens in plures paragraphos dividere cogimur; materiæque affinitas exigit ut primus circà dictam conditionem versetur.

§. I.

De Resignatione cum expressa regressûs conditione.

REGULA I.

Quotquot sunt Juris Canonici loca, quæ hæreditariam in Beneficiis successionem condemnant, tot Resignationem cum expressâ regressûs conditione tacitè reprobant.

Ratio Regulæ: Conditio ista inseri non solet, nisi in Resignationibus *in favorem*, quibus hæreditaria in Beneficiis successio introducta est ac perseverat.

REGULA II.

In toto Juris Canonici Corpore, prout *Conc.* Trid. includit, unicus est qui de hac Resignatione loquatur locus; isteque illam, tanquàm rem hæreditariæ in Beneficiis successionis imaginem præ se ferentem, prohibet.

Locus iste habetur in *Cap.* 7. Sess. XXV. *De Ref.* in quo dum vetatur concedi regressus, Resignatio, de qua Regula, haud dubiè prohibetur. *Hujus silentii Ratio*: Nulla fit in Jure Resignationis *in favorem*, prout jam non à multis sæculis in usu est, expressâ mentio. Sed de hoc fusiùs & clariùs suo loco.

REGULA III.

Successionem hæreditariam redolet regressus, non solùm quando in Resignatione in propinqui favorem facta reservatur, sed etiam quando in Resignatione extraneo facta retinetur.

Regulæ Ratio. Tàm in posteriori quàm in priori de Beneficio disponitur, eodem planè modo quo de hæreditate disponi solet.

REGULA IV.

Quoad regressum ex cessatione periculi mortis quod ad Resignationem movit, qui non reservatur successionem in Beneficiis hæreditariam æquè sapit ac qui reservatur. Extenditur ad istam præcedentis Regulæ Ratio.

REGULA V.

Expressa regressûs conditio inseri potest Resignationi *in favorem*, quacumque de causa fiat: & ubi cessat Resignationis causa, regressus locum habet.

Hinc si metûs mortis causâ Resignatio fiat, cessante mortis periculo ad Beneficium redeundi jus habet Resignans: Si verò propter solùm Resignatarii commodum resignetur, atque ideò reservetur regressus, si Resignatarius Resignanti, isto moriente, prædecedat, ad Resignantem eo ipso revertitur Beneficium.

Si autem quis resignet *in favorem*, partim ut ex Beneficio, cujus obligationibus satisfacere ampliùs non valet, undè vivat percipiat, atque idcircò regressûs conditionem inserat, posito casu quo pensio non solvatur, illo contingente ad ipsum redit Beneficium.

REGULA VI.

Quibus casibus in Jure permittitur regressus, iisdem successionis in Beneficiis hæreditariæ imaginem non referat oportet.

Infertur ex Secunda, in qua ostensum est propter sæpè dictam mali speciem regressum improbari.

Casus, de quibus Regula, habeotur suprà *Tit. E. Cap.* 1. Regula II.

Ex iis, quæ hucusque circà regressum dicta sunt, patet quare quibusdam in casibus prohibeatur, in aliis verò permittatur, nempè ex eo quod in illis locum habeat prohibitionis Ratio, in istis verò non. Patet etiam Canones, qui regressum expressè permittunt, malè adduci ad probandum illum non prohiberi in casu Resignationis mortis metûs causâ factæ, si, ut dictum est, hæreditariæ in Beneficiis successionis imago in eo sit.

REGULA VII.

Ut quis ad Beneficium propter aliud dimissum revertatur, oportet non solùm Beneficium posterius sine suâ culpâ amittat; sed si sibi controversia moveatur circà istud Beneficium, necesse est ut qui anteà possiderat in jus vocetur.

Idem dicendum de Possessore Beneficii ad quod redire intendit, si alius sit; ut in casu, quo posterius obtentum sit; ex Resignatione *in favorem* extrà casum permutationis.

Regulæ Ratio: Utriusque interest ut audiantur; præsertim prioris, si titulo oneroso acquisivit Beneficium, ad quod alius regredi vult: inaudicus nemo jure suo justè privari potest.

REGULA VIII.

Ad Beneficium suum, vi regressûs tacitè vel expressè reservati, revertens provisione novâ nunc non indiget.

Insinuatur aliàs novâ provisione opus fuisse, & colligitur ex Molinæo *in Regulas Cancellariæ*, & ex Louet *in Notis circa hunc Commentarium*, in quibus Jurisprudentiam, quâ quis ad Beneficium suum regreditur sine nova provisione, novam vocat. Vide *illum in Regul. De Public. Resignat. num.* 140. 187. Hanc autem Jurisprudentiam solido niti fundamento infer-

insertur ex eo quod in casibus regressûs à jure permissis, suprà enumeratis, nulla fit mentio provisionis novæ; Juris fictione Beneficii titulus ipsius ergò non vacasse censetur, sed tantùm pro tempore ipsum possessione caruisse.

REGULA IX.

In Galliâ regressûs casus à Jure expresè permissi recipiuntur. Quantùm ad alios, non recipiuntur præter Resignationis metu mortis factæ casum, qui in omni Tribunali Laïco admittitur, illo excepto quod *Consilium Magnum* nuncupatur.

Nota 1°. regressum expressè reservari posse, quotiescumque à Jure permittitur; sed cùm inutilis sit hujusmodi reservatio, idcircò insolitam esse.

2°. Regressum qui extra casus à Jure expressè permissos reservatur, vocari conventionalem, ex eo quod ex conventione solâ proveniat: Hinc absolutè dici posse, regressum expresè reservatum esse conventionalem, ac consequenter omnem regressum conventionalem rejici.

§. II.

De Resignatione eâ conditione factâ, ut in Resignationis supplicatione nominato Beneficium conferatur.

Resignatio prædicta conditione facta vulgò vocatur *Resignatio in favorem*. Inter Resignationes conditionatas potissima est, & communissima. Varias in species dividi potest pro modorum, quibus fieri potest, diversitate. Cùm autem diversitas in hoc uno posita sit, quod aliis plures, aliis pauciores conditiones inserantur, aliis verò illa sola quæ in titulo §. memoratur, frustranea foret Resignationis hujusmodi in alias species divisio, cùm quæ fieret in ea, quæ suprà facta est, includatur. Omissâ ergo hac vanâ divisione, ad disquirendum operam dabimus, an de hodierna Resignatione in favorem expressa in Jure fiat mentio? An sint illius vestigia apud GRATIANUM? An apud GREG. IX. aliosque libros, quibus Juris Corpus componitur? An Juris principiis sit conformis? Ad quid teneatur Resignans in favorem? An à solo Papâ admitti possit, & quæ Jure requirantur, ut valeat Resignationis in favorem admissio, & quo jure? Quæ Jure Communi scripto? Quid in Regulis Cancellariæ Romanæ circà illam præscribatur? Quæ apud Gallos circà eamdem servanda? A quo tempore suum effectum habere incipiat?

REGULA I.

Nullus Juris Canonici textus de hodiernâ Resignatione *in favorem* expresè meminit.

Ex dicendis patebit Regula, quibus palam fiet Textus qui expressi videntur tales non esse.

REGULA II.

Apud GRATIANUM non alia, illius tamquam approbatæ, Resignationis habemus vestigia, quàm quæ habentur in *Cap.* 12. *Cap.* 17. CAUS. VII. QUÆST. I. Sed priùs confusum, posterius expressum.

Quod negat Regula probari nequit nisi ex solutione illorum quæ objici possunt, qualia nulla occurrunt. Quod autem affirmat sic ostenditur.

In *Cap.* 12. fit sermo de electione AUGUSTINI ad Episcopatum HIPPONENSEM factâ à VALERIO HIPPONENSI Episcopo, quæ cum hodiernâ Resignatione *in favorem* convenit in eo quod ut illâ, sic istâ, Successoris fit electio: differt verò in eo quod Resignans Beneficio se ipsum spoliet; VALERIUS autem HIPPONENSI Episcopatu se non spoliavit, sed, ut ita dicam, illo coinduit AUGUSTINUM; nam quamdiù VALERIUS vixit, Adjutor fuit AUGUSTINUS, non Successor; quod apertiùs cit. Canone exprimitur his verbis: *Accessit, non successit*: Undè prædicta AUGUSTINI electio propiùs accedit ad Coadjutoris electionem cum successione futurâ, quàm cum hodiernâ *in favorem* Resignatione.

In *Cap.* 17. ZACHARIAS electus Pontifex *an.* 741. permisit BONIFACIO MOGUNTINO Archiepiscopo ut Coadjutorem sibi eligeret, qui quandiù BONIFACIUS viveret, secum Archiepiscopatûs onera portaret, utque in extremis positus, si prædictum Coadjutorem ad eam Dignitatem aptum cognoverit, Successorem sibi designet, ordinandumque mittat ad Papam. Hoc in facto duplex est electio: Prior ad propositum non pertinet, sed sola posterior: Ista autem à nostra Resignatione *in favorem* in eo differt, quòd BONIFACIUS eligendo sibi Successorem, ipsâ electione illum sibi substituit; nostra verò *in favorem* Resignatio tantùm sit Successoris petitio, eâ lege facta, ut qui petit Beneficium sibi retineat, nisi petitus Successor sibi concedatur, iisdem quibus petit conditionibus; undè in casu BONIF. eligens Successorem seipsum absolutè ipso facto spoliat; in casu autem nostræ *in favorem* Resignationis, Resignans seipsum spoliaturus est, si sibi annuatur quod petit. His tamen non obstantibus differentiis, memorata electio proximè accedit ad nostram Resignationem *in favorem*; cùm utraque Successor eligatur ab ipso Beneficiato, quòd substantiale est; discrimina verò notata accidentalia sint.

REGULA III.

In aliis Juris Libris non alia extant Resignationis in favorem vestigia, quàm quæ in citatis circà permutationes locis videntur.

Distinguimus permutationem à Resignatione *in favorem*, etsi in illâ duplex sit hujusmodi Resignatio.

Ratio distinctionis: In permutatione, unus quidem in alium resignat, sed titulo oneroso, cùm iste in illum resignare quoque teneatur: In Resignatione *in favorem*, ab uno in alium resignatur, titulo merè gratuito, etiam quando ad pensionem Resignatarium obligat, cùm pensionem de suo soluturus non sit, sed de Beneficio quod ab ipso Resignante accepit: Præterea in permutatione non est imago hæreditariæ Successionis, sicuti est in Resignatione *in favorem*.

REGULA IV.

Resignatio *in favorem* variis Juris principiis adversatur,

REGULA V.

Hæc autem principia alia non sunt quàm ista.

1°. Pluribus Juris Textibus prohibetur, ne quis suum obliget Successorem: Hoc autem, ut dictum, prædictâ fit Resignatione. *Cap.* 3. 5. 4. CAUS. VIII. QUÆST. I. *Cap.* 17. CAUS. VII. QUÆST. I.

2°. Sunt etiam non pauca Juris loca, quæ vetant ne Beneficia quasi hæreditario Jure obtineantur possideanturve: Atqui *in favorem* Resignatione hæreditaria in Beneficiis Successio fovetur. *Cap.* 6. 7. CAUS. VIII. QUÆST. I. *Cap.* 7. 11. *De Filiis Presb.* Cap. 15. *De Decim.* Cap. 15. *De Jure Patron.* *Cap.* 7. SESS. XXV. *De Refor.*

3°. Omnis pactio in rebus spiritualibus, aut iisdem annexis illicita est; in quavis autem Resignatione *in favorem* quædam est pactio, quandoque etiam plures. *Cap.* 8. *De Pactis.* Cap. 7. *De Transact.*

REGU-

REGULA VI.

Quantumcumque prædictis Juris principiis adversetur *in favorem* Resignatio; attamen si justa subsit causa, licita est, eodem ferè modo quo permutatio, primo & tertio contraria principio.

Regulæ Fundamentum: Sunt alia Juris principia prædictis superiora, quibus justa qualisque necessaria utilisve Ecclesiæ Resignatio in favorem conformis est: Talia autem inter cætera sunt ista:

I. Beneficia dignioribus quoad fieri potest conferenda sunt. *Cap. 6.* Caus. VIII. Quæst. I.

II. Communicare videtur alienis peccatis, qui cùm illa impedire possit non impedit. *Cap. 47. De Sent. Excomm.* Cap. *6. De Sent. Excomm. In 6.*

Hinc, si in locis in quibus Beneficiatus residet Beneficia minùs idoneis conferri soleant, optimè facere videtur, si ideo in *favorem* resignet, ut Beneficium suum dignior habeat. Hinc quoties justus est timendi locus, ne Beneficium quod quis possidet ab indigno obtineatur, atque nascitura inde mala ab Ecclesia avertere potest Resignatione *in favorem*, nisi eo modo resignet peccare videtur ex defectu charitatis ergà Deum, ipsiusque Ecclesiam.

REGULA VII.

In eligendo Successore eadem est Resignantis *in favorem* conditio sive obligatio, ac Patroni in præsentando, Collatorisque in conferendo, si, quem vulgò habet *in favorem* Resignatio, effectus consideretur.

Regulæ Fundamentum: Prædicta Resignatio ab eo ad quem pertinet, admitti solet sub conditione, si Resignatarius idoneus judicetur: Is quem non idoneum judicat Ordinarius, istiusque in Gallia Superior, appellat, petitque à Papa Judices; quos vult obtinet; ac consequenter vel amicos, vel aliàs nemini molestos, sive, ut dicitur, commodos; undè suum semper habet effectum hujusmodi Resignatio, quemadmodum & Præsentatio & Collatio, nisi manifestè indigno resignetur.

Hinc Beneficium, præsertim si animarum curam habeat, resignaturus, meminisse debet quæ docet *Tit. De Ætat. & Qual.* & inter innumera alia Capita *Cap.* 14. Caus. VII. Quæst. I. Cap. 7. *De Elect.* Cæterùm juxta doctrinam Pastoris Lib. III. *n.* 5. adeò verum est, eodem modo de Resignante *in favorem* ac de Patrono Collatoreve discurrendum, ut doceat, Resignantem in illum, quem scit indignum, resignandi jure, eo facto privari, eumque coram quo Resignatio fit, cui vult conferre posse.

Quod insinuat hæc Regula, Jure scripto permitti quodammodo Episcopis, ut admittant Resignationes *in favorem*, patet ex locis, quæ docent illos posse permutationes admittere. Quod negat de Prælatis Episcopo inferioribus, colligitur ex eo quod nullus est Textus, qui illis permittat ut permutationes recipiant.

REGULA VIII.

Certum est Jus scriptum inferioribus nullo modo permittere, ut Resignationes *in favorem* recipiant: hujusmodi permissio nullo in Textu reperitur.

REGULA IX.

Certum est, à Jure scripto nec expressè nec confusè determinari, Papæ solius esse, Resignationes *in favorem* recipere.

Quod in Regulâ dicitur de determinatione expressa, sequitur ex eo quod suprà dictum est, nullam in Jure fieri expressam mentionem de Resignatione *in favorem*, prout nunc est in usu: Quod de confusa additur, patet ex eo quod nullum sit in Jure principium, ex quo inferre liceat hujus Resignationis admissionem Papæ reservari. Triplex enim tantùm adducitur: Primum, quod Resignatio *in favorem* pactionem Jure Ecclesiastico Simoniacam contineat: Secundum, quod hujus Resignationis receptio Episcopis expressè non permittatur: Tertium, quod ad Causas Majores pertineat. Ex nullo autem illorum colligere fas est, solius Papæ esse *in favorem* Resignationes recipere: Non ex primo, cùm permutatio Beneficiorum similem contineat pactionem, & ab Episcopo Jure Communi etiam scripto admitti valeat: Non ex secundo, cùm in Tractatu *De Vicario Generali* evidentissimè ostensum sit, Episcopos dispensare posse extrà casus sibi à Jure expressè permissos: Non ex tertio, cùm absurdum omninò esset, ut admissio alicujus ad Capellaniam decem nummorum ex Resignatione in ipsius favorem facta Causa Major haberetur. Id communiter docent qui de re Beneficiaria tractarunt.

REGULA X.

Certum est, Jure non scripto sive Consuetudine Generali, à solo Papâ admitti posse *in favorem* Resignationes, quoad Beneficia quæ sic resignari possunt.

Id communiter docent, qui de re beneficiaria tractarunt: Insinuatur quædam esse Resignationi in *favorem* non obnoxia, talia sunt autem quæ a Laicis conferuntur.

Exceptionis Ratio: Juri præsentandi Laïcorum Papa derogare non potest, ideoque multò minùs Juri conferendi eorumdem derogare poterit; si autem illorum Beneficiorum Resignationes reciperet, huic conferendi Juri derogaret. Sed de hoc fusiùs infra.

REGULA XI.

Admissio Resignationis in favorem non valet, quoties Resignatio ipsa non valet, si, ut facta est, admittatur.

REGULA XII.

Resignatio autem *in favorem*, considerata secundùm id quod sibi peculiare est, valere debet, quoties nullam continet conditionem suæ substantiæ contrariam.

Infertur ex *Cap. 7. De Conditionib. appositis, &c.* in quo legitur, Matrimonii contractum, quantumcumque favorabilem, suo carere effectu, si ipsi conditiones contra substantiam Conjugii inserantur.

Regulæ Fundamentum: Actioni conditionatæ, prout conditionatæ, nihil obest præter conditionem suæ substantiæ oppositam.

REGULA XIII.

Etsi Resignatio *in favorem* valeat, illius admissio non valet, nisi cum iisdem, cum quibus facta est, conditionibus admissa fuerit. Excipiendæ videntur conditiones quæ pro non adjectis haberi debent; quales sunt turpes vel impossibiles. *Cap. 7. Eod. Tit. §. Licet.* Cap. 2. 3. 4. *De Conditionibus appositis.*

Opponi potest contrà exceptionem *cit. Cap.* 7. insinuare ad alios casus extendendum non esse, quod dicit de conditionibus turpibus & impossibilibus, nempè pro non adjectis habendas esse; nam adjicit propter Matrimonii favorem id faciendum. Verùm Respondere licet: 1°. Donationes, inter quas Resignatio in *favorem* collocanda videtur, rem esse favorabilem, sicut Matrimonium, cùm paris conditionis videatur ac Testamenta, quæ rebus favorabilibus annumerantur. *Cap.* 16. *De Sent. & De Jud.* 2°. Aliundè certum in conditionibus conditiones turpes pro non adjectis censeri; undè si cui mortis causâ *v. gr.* millia aureorum decem donentur eâ conditione, ut Clericus non fiat, vel Catholicus, aliave simili, rejectâ conditione valebit donatio.

Circà præcedentes Regulas, quæ requisita, ut Resignatio validè admittatur, respiciunt, Nota I. Resignationis substantiæ repugnare, ut fiat ad determi-

natum

natum tempus; undè si quis resignaret eâ lege, ut post sex annos resignatum Beneficium ad se rediret, conditionem Resignationis substantiæ oppositam Resignationi insereret; est enim ex actibus legitimis, qui non recipiunt diem.

II. In Resignatione conditionem turpem continerì, si quis eâ lege resignet, si sibi inhonesta obsequia exhibere velit, vel quæ Clericum dedecent, vel abusum foveut.

III. Resignationi conditionem impossibilem inseri, si quis PETRO resignat, si iutra sex menses Linguas Orientales didicerit.

IV. In Regula postrema expressum non esse quomodò non valeat resignationis admissio, rejectis conditionibus Resignationi insertis; an scilicet sit irrita ipso facto? an verò irritanda tantùm sit? idque factum, quia apud omnes certum est admissionem istam non valere, sed de modo non consentire omnes; sunt enim qui dicant illam irritam esse; alii verò qui sentiant irritandam tantùm, si Resignans cooqueratur.

REGULA XIV.

Præter jam notata in Digressione de Cancellariæ Romanæ Regulis Resignationem in se spectantibus, atque Resignationi *in favorem* ut & aliis convenientia, nil in iisdem legitur circà eandem Resignationem quàm quod sequitur.

1°. Si post Resignationem Resignans in præstando expeditioni Litterarum consensu per se vel per Procuratorem variet, præfertur aliis ille in cujus favorem priùs consensit, quamvis aliorum Litteræ antè expeditæ fuerint quàm Litteræ istius. *Regula* XLV. *ex his quæ ab* INNOC. X. *condita sunt vel innovata.*

2°. Litteræ illis concessæ in quorum favorem posteriùs consensit sunt nullius roboris. *Ibid.*

SECTIO VI.

Regula circà Beneficiorum permutationes è Corpore Juris Canonici deprompta.

In Beneficiis tria sunt consideranda, habitâ ad permutationes ratione. 1°. Rectores illorum. 2°. Ecclesiæ in quibus Divina, ad quæ Rectores tenentur, Officia celebrantur. 3°. Possessiones ad easdem Ecclesias pertinentes. Ecclesiæ autem spectari possunt, vel juxtà id quod temporale habent, vel secundùm id quod in illis spirituale; quale jus sepulturæ tradendæ, oblationes percipiendi, aliudve simile.

Hinc si Beneficiorum permutatio circà solos Rectores versetur, personalis est permutatio; realis & spiritualis simul, si Ecclesias, tantùm respiciat, & secundùm quod spirituale habent; realis & temporalis conjunctim, si possessiones dumtaxat contingat, vel Ecclesias juxtà quod temporale habent. Distingui ergo potest Beneficiorum permutatio in personalem & realem, & realis subdividi in realem spiritualem, & realem; temporalem. De reali temporali dictum est dum *de Contractibus in specie*, nec quidquam circa illam hic dicendum superest, nisi quod prima pensio in Beneficiorum permutationibus constituta, de quâ in Jure mentio fiat, solam permutationem realem & temporalem spectavit, ut inferre est ex *Cap.6. De Rerum Permut.* Capite enim isto antiquior in Jure Canonico nullus habetur, qui pensionis in permutationibus impositæ meminerit, ac de pensione ob solam inæqualitatem, possessionum constituta in ipsa Beneficiorum permutatione mentionem fecerit. Permutatio realis & spiritualis, ad Tractatum *De Simoniâ* pertinet, in quo docetur pactiones non gratuitas, qualis permutatio, circà res spirituales prohiberi; quibusdam tamen casibus fieri posse, iisque circà spirituale, nonnisi accessoriè, cadere conventionem: Quæ doctrina colligitur ex *Cap.6. De Pactis*, in quo omnis circà spiritualia conventio illicita dicitur; & ex *Cap. 6. De Rerum Permutatione*, in quo Ecclesiarum permutationes fieri posse habetur indistinctè; *id est*, non secretis temporalibus ab iis spiritualibus Juribus quæ ipsis annectuntur. In eodem *De Simonia* Tractatu docetur etiam, in permutatione qua temporalis res pro spirituali datur Simoniam inesse; undè sequitur permutationes, quibus possessiones cùm Ecclesiis permutarentur, illicitas esse, si quàm Ecclesiæ va'erent, secundùm quod temporale habent possessiones, pluris æstimarentur.

Sola ergo personalis Beneficiorum permutatio remanet explicanda, circà quam inter cætera videbimus, 1°. Quid sit? 2°. Quotuplex, quæ necessaria ut Canonica sit permutatio? 3°. Quâ autoritate facienda, & quibus modis fiat? 4°. Quibus de causis? 5°. Quandonam effectum suum habeat? 6°. Quæ in Jure habeantur sibi adversantia, quæque in eodem legantur sibi faventia, 7°. An? & in quibus Jus Vetus & Jus Novum differant circà istam permutationem? Has autem Quæstiones distinctis Titulis non tractabimus, sed illarum solutionem solâ Regularum distinctione distinguemus.

REGULA I.

Personalis Beneficiorum, de quâ hîc, permutatio, non est aliud quàm Beneficiatorum reciproca translatio.

REGULÆ RATIO. In personali permutatione immutatæ in se manent Ecclesiæ illarumque possessiones, solaque fit in illis Rectorum Administratorumque mutatio; in eo posita quod *v.g.* Ecclesiæ Sancti TIMARCI Rector Ecclesiæ Sancti DIONYSII Rector efficiatur, eodem tempore, eademque actione, quibus istius Rector Ecclesiæ illius vicissim Rector & è converso evadit; quod ullo quàm reciprocâ translatione aptiori modo explicari nequit. Circà quod notandum, imperfectam personarum in Beneficiis mutationem, qua unius Ecclesiæ Rector ad aliam transit tàm à Novo quàm à Veteri Jure translationem vocitari. De Veteri patet ex *Cap.* 37. CAUS. VII. QUÆST. I. De Novo constat ex VII. LIB. I DECRETAL. *Tit. De Translatione Episcopi inscripto*; & ex *Cap.* 5. *De Rerum Permut.* §. 2. Hac ex Regula sic explicata, sic confirmata, sequitur quod, ut fieri possit permutatio personalis, requiratur, ut utraque persona possideat, vel Jure vel facto; ac consequenter permutari non possit jus in Beneficium, quale habetur per Indultum aut nominationem vel præsentationem cum Beneficio possesso, vel Beneficium fundatum cum Beneficio fundando.

Notandum, Regulam mentionem non facere, nec de modis quibus fit vel fieri potest permutatio, quia sunt mera illius accidentia; nec de autoritate qua facienda sit, quia alioquin non conveniunt omni permutationi, sed soli quæ legitimâ fit authoritate.

REGULA II.

Personalis permutationis divisio non alia ex Jure desumi potest quàm ista.

Permutatio, vel est Recta, vel est Triangularis; vel est duorum inter se mutatio, vel duorum in favorem tertii: Prior Recta dicitur: Posterior Triangularis vocatur. De Rectâ mentionem facit *Cap.* 7. *De Rerum Permut.* Cap. 35. *De Off. Jud. Deleg.* De Triangulari loquitur *Cap.* 8. *De Rerum Permut.* Nam permutatio in eo memorata, in favorem consanguinei unius ex compermutantibus facta fuerat. Inter utramque autem permutationem discrimen est notatu dignum, in eo situm quod Recta probetur, *Cap. Unico. De Rerum Permut. In* 6. CLEMENT. *unic. Eod. Tit.* aliisque locis: Triangulari verò nullus Textus faveat; idque non immeritò, cùm si quando fiat ex carnali affectu fit, nempè ut consanguineo, cujus capax est, Beneficium procuretur illius loco ad quod

quod inidoneus est; justaque, de qua posteà, causa deest, qua Canonica fit permutatio; idcirco triangularis ista permutatio in Galliâ non recipitur.

Opponi posset contra Regulam, ex Jure peti posse alias divisiones, eùm ex illo infestre fas fit. 1o. Permutationes alias esse Canonicas, & alias non. 2o. Alias fieri cum pensione, alias sine pensione. Verùm Respondere licet, priorem ex bis divisionibus pendere ex dicendis circà permutationis causas, & potestatem-auctorandi permutationem; cùm permutatio Canonica sit, quando legitimâ autoritate justàque de causâ fit; aliter vero facta, fit non Canonica. Posteriorem autem in Jure non fundari ex dictis patete, cùm locum, qui de permutarione cum pensione meminit, solam possessionum permutationem respicere diximus.

REGULA III.

Personalis permutatio propriâ permutantium autoritate fieri non valet; ac si fiat, tàm suâ quàm concupitâ carere debent Ecclesiâ.

Cap. 7. 8. *De Rerum Permut.*

In priore privantur Beneficiis suis Archidiaconus & Præpositus, qui suâ autoritate Archidiaconatum cum Præpositura permutaverant.

In posteriore similis culpæ conscii venia conceditur ob illorum simplicitatem.

Confirmatur Regula pluribus Canonibus quæ habentur Caus. VII. Quæst. I. quibus Beneficiaris prohibetur, ne ad alia è suis Beneficiis sese transferant; eaque sub pœna, ut si id fecerint, suo & alieno careant. Præcipui sunt *Cap.* 31. 32. 35. 37.

REGULA IV.

Personalis permutatio illâ tantùm autoritate fieri potest, quâ à Jure Communi dispensari potest.

Infertur ex eo quod 1o. *Conc.* Turon. sub Alex. III. celebratum, & ab Urb. III. quoad rem præsentem approbatum, prohibet Præbendarum commutationes, quo nomine omnia Beneficia hic intelliguntur. *Cap.* 5. *De Rerum Permut.*

2o. Permutationi personali, propter intervenientem circà spiritualia pactionem, Simoniæ Ecclesiasticæ labes inest. *Ibid.*

3o. Permutatio duplicem secum importat resignationem *in favorem*; cùm ex parte compermutantium non sit aliud quàm mutua *in favorem* Resignatio. Hinc cùm ordinaria dispensandi facultas solis Episcopis illorumque Superioribus competat, aliis verò non conveniat, uisi ratione commissionis; oportet ut ad Episcopos tantùm pertineat ordinaria permutationes admittendi facultas; Delegata vero ad illos solùm qui ab illis ad hoc committuntur.

REGULA V.

De Papâ, de Conciliis, & de Episcopo, in Jure dicitur quod à Beneficio ad Beneficium transferre possint: de aliis non dicitur.

De Papâ *Toto Tit. De Translat.* De Conciliis *Can.* 13. *Apost.* De Episcopo *Cap* 37. Caus. VII. Quæst. I. Cap. 5. *De Rerum Permut.* Cap. unic. *De Rerum Permut. In* 6. Nullum est aliud in quo clarè legatur Episcopum posse has permutationes admittere; sed quod de Episcopis dicitur, ad Superiores à majori extenditur.

Notandum, illum verè permutationem recipere, qui mutuam, quam permutantes pacti sunt in invicem, resignationem admittit.

Notandum quoque, Canones antiquos qui dicunt Episcopo licere inferioris gradus Clericos ab uno loco ad alium transferre, de perfectâ permutatione, de qua hic, quæque est reciproca translatio, non loqui; sed de imperfectâ, quæ simplex est ad aliam Ecclesiam Rectoris unius translatio.

REGULA VI.

Jamdiù usu receptum est inferiores Episcopo Collatores permutationes recipere; sed aliàs id nòn competebat Prælatis, qui quasi Episcopalem haberent autoritatem.

Pastor, Lib. III. *Tit.* 11. *n.* 1. Rebuff. Nunc ad omnes Collatores inferiores Ecclesiasticos id pertinet. *Nov. Commentar. Cleri Gallicani* Tom. I. *pag.* 1744.

REGULA VII.

Quoad modos quibus personalis fit permutatio, duplex tantùm in Jure legitur; nempe 1o. Propria permutantium conventio, sub Superioris beneplacito facta, & ab eodem admissa. 2o. Merus Superioris motus.

De priori mentio fit *Cap. unico. De Rerum Permut. In* 6. & Clem. *unica. Eod. Tit.* Posterioris meminit *Cap.* 5. *De Rerum Permut.* & Cap. 37. Caus. VII. Quæst. I.

Notandum, factam à permutantibus vel ab aliis de permutatione propositionem non impedire quominùs mero Superioris motu fiat.

Notandum etiam, mutuam in manibus Superioris dimissionem hodiè requiri, sive priori modo permutatio fiat, sive posteriori; dicitur *hodiè*, quia verosimillimum est antiquitùs dimissionem istam non fuisse requisitam, sed mutuum translatorum consensum dimissionis locum tenuisse.

Notandùm denuò, Regulam XL. Cancellariæ Romanæ requirere, ut si permutationis causâ Resignationes fiant, ponatur clausula, *Ut neuter permutantium jus acquirat, nisi quilibet illorum habeat jus in Beneficio resignato.*

Hujus rei Ratio: Beneficia non possessa, ut suprà dictum est, permutari non valent.

REGULA VIII.

Probatæ à Jure permutationis personalis causæ non aliæ sunt quàm Ecclesiæ necessitas vel utilitas.

Utriusque meminerunt *Cap.* 34. 35. 36. Caus. VII. Quæst. I. *Cap.* 5. *De Rerum Permut.* §. 2. De utilitate mentio fit *Can.* 13. *Apost.* Cap. 4. *De Translat.* Fit propter necessitatem, cùm propter causas quæ personæ adhærent, Rector aliàs idoneus plebi suæ perniciosus est: Fit propter utilitatem, quando Ecclesiis, ad quas transferuntur compermutantes, utiliores fore speratur quam suis fint. Nec obstat *Cap.* 8. *De Rerum Permut.* in quo sermo fit de permutatione propter privatam utilitatem factâ; nam quod refert factum non probat.

REGULA IX.

Permutationis causæ, quæ à Jure expresse damnantur, hæ sunt: Præsumptio, Ambitio, Avaritia, propria Voluntas.

Cap. 31. 32. 34. 35. Caus. VII. Quæst. I. *Cap.* 3 *De Translat. in fine.*

Præter causas expressè damnatas, de quibus loquitur Regula, aliæ sunt causæ confusè damnatæ, quæ ad memoratas reducuntur, utpotè in illis inclusæ; causæque memoratæ tacitè damnantur in superiori Regula, cùm ex quo permutatio propter Ecclesiæ necessitatem vel utilitatem facienda est, ex avaritia, ex ambitione, quæ utrique opponuntur, fieri non posse, necesse fit.

Notandum, Canones qui de translationibus loquuntur, permutationes quodammodo respicere; nonnullos autem ex iis esse, qui translationes absolutè prohibere videntur; tales autem esse *Cap.* 25. & 41. Caus. VII. Quæst. I. ideòque permutationes etiam absolutè prohibere. Verùm hujusmodi Canones interpretandos de Translationibus vel permutationibus non justa de causa factis, vel dicendum eo conditos esse tempore quo ambitiosæ translationes frequentes erant, atque ut istæ omninò impedirentur, omnes vetitas esse.

Notandum etiam, in permutationibus, ut in translationibus, si debitam ob causam fiant, permutantes non mutare sedem, sed mutari; in aliis verò mutare, non mutari. *Cap.* 35. CAUS. VII. QUÆST. I.

Notandum denuò, permutationes sine justa causa factas, similes omninò videri concessis sine justa causa Dispensationibus, cùm permutationum sicut & translationum admissio ad Dispensationem proximè accedat.

Sunt qui, ex dictis circà permutationum causas à Jure vel probatas vel damnatas, inferant ad permutationes admittendas quandoque cogi non posse Ordinarios, nempè cùm propter causas à Jure reprobatas manifestè fiunt; interdum verò compelli posse, nimirùm quoties evidenter necessariæ vel utiles sunt. Sed satiùs tenendum est nunquam posse, multòque minùs debere, cùm de Dispensatione agatur, & si Ordinarii recusatio injusta videatur, recurri possit ad Papam qui illius vices supplebit. Nec timendum quod Ordinarius provisiones Apostolicas inutiles reddat rejiciendo ipsos provisos, cùm ab aliis obtineri facilè possent, sive simplici ad illos recursu, sive appellatione tamquam ab abusu.

REGULA X.

Permutationi personali apta sunt Beneficia.

I. Erecta, non erigenda; non enim erigenda Beneficia permutari possunt inter se, nec cum aliis erectis; cùm erigenda Beneficia non sint Beneficia, sed merè quid temporale in Beneficium convertendum, ideòque sine Simonia hujusmodi permutatio admitti non posset.

II. Suppressa, qualia quæ cum extinctione Tituli unita sunt, cùm esse jam desierint.

III. Seorsim non possessa, qualia quæ sine Tituli extinctione unita sunt aliisque subjecta; cùm propter hujusmodi subjectionem, resignari ampliùs non valent; nisi cum aliis, quibus annectuntur, resignentur ac permutentur.

IV. Quoquomodo unita, vivente etiam Possessore, eidem non relictâ resignandi facultate, quâ sublatâ, nullum remanet resignandi jus, ideòque nec permutandi.

V. Acquisita, non acquirenda; ista enim nec inter se, nec cum acquisitis permutari valent, cùm nullus in alium plus juris transferre queat quàm ipse habere dignoscitur.

VI. Nondum possessa permutari possunt, modò sint acquisita; qualia quæ per Electionem confirmatam & acceptatam, per Collationem etiam acceptatam, per Resignationem *in favorem* admissam & acceptatam, per admissam Præsentationem secutamque institutionem, habentur.

VII. Habita in Commendam perpetuam, quæ Titulo æquiparatur.

REGULA XI.

Quorum consensus ad Canonicam permutationem ideò requiritur, quia illis non consentientibus permutanda Beneficia resignari nequeunt, sunt

I. Pater, vel Tutor, si impubes permutare velit.

II. Patronus Laicus. LOUET *In Reg. De Infirm. n.* 41.

III. Collator, etiam Laïcus.

Meminisse hîc oportet Regulæ circà consensum requisitum ut Beneficialis provisio valeat, quæ docet à Jure non exigi consensum qui præcedat, nec etiam qui sit expressus, sed subsequentem & tacitum sufficere. Confirmatur ex REGULA X. *De Reg. Jur. In 6.* Vide CANISIUM *in hanc Regulam*, ubi citat Textus præcipuos ex quibus sumpta est, qui omnes probant consensum subsequentem idem operari quod præcedens, nisi Lex expresè requirat quòd præcedat.

REGULA XII.

Ex iis quæ permutationi personali adversari videntur, non alia in Jure leguntur, quàm ista.

I. Ecclesiarum Rectoribus prohibetur ne Successores eligant. Suos autem Successores eligunt compermutantes. *Cap* 3. 4. 5. CAUS. VIII. QUÆST. I.

II. Nemini licet, cui in ordinatione alligatus est, Ecclesiam deserere; si quis deseruerit, ad desertam redire cogendus. Permutantes autem Ecclesias suas deserunt. *Cap.* 19. 23. 24. 25. 26 CAUS. VII. QUÆST. I.

III. Episcopi est liberè providere omnibus Diœcesis suæ Beneficiis. Permutatione factâ coram Pontifice facultati isti derogatur. *Cap* 10. CAUS. XVI. QUÆST. VII. Cap. 40. *Apost.*

IV. Circà spiritualia ac spiritualibus annexa pactio omnis prohibetur. In permutatione pactio hujusmodi intervenit. *Cap.* 8. *De Pactis.* Cap. 5. *De Rerum Permut.*

V. Quæ Resignationes *in favorem* prohibent, eadem permutationes vetant, cùm in permutatione duplex sit hujusmodi Resignatio. Hæc autem collecta sunt dum de istis Resignationibus, & ibi notatum, Textus permutationi contrarios hujusmodi Resignationi etiam adversari.

VI. Quibus Beneficii alienatio prohibetur, iisdem & permutatio vetatur. *Cap.* 37. CAUS. XII. QUÆST. II.

LOUET *In Reg. De infirm. n.* 31. citat *Can. istum* ad ostendendum Jure DECRETORUM Permutationes Beneficiorum prohiberi; sed fortè, non de Jure percipiendi reditus propter Officium Divinum, sed de fundo ex quo reditus iste colligetur, eò loci agetur.

REGULA XIII.

Quæ permutationi personali faventia in Jure leguntur, hæc sunt.

I. Resignata ratione permutationis Beneficia aliis dare non licet quàm permutare volentibus; si aliis dentur, Collatio nullius est momenti. CLEM. UNIC. *De Rerum Permut.*

II. Etsi Beneficium proximè vacaturum alicui debeatur ratione Gratiæ Expectativæ, & resignatum permutationis causâ sit, primò vacans Beneficium compermutanti non expectanti conferendum est. CLEM. UNIC. *De Rerum Permut. In 6.*

Hinc fortè factum ut Beneficia permutationis causâ vacantia, Indultis, nec Curiæ, nec Regiis subjiciantur; cùm Indulta ista nil aliud sint quàm Gratiæ Expectativæ. Circà quod notandum, BONIF. VIII. *Cit. num* 2. *Capitis* Autorem insinuare, juxtà Juris rigorem resignatum permutationis causâ Beneficium expectanti deberi; ex æquitate verò compermutanti; dicendo, se æquitatem rigori præferre, dum definit, casu prædicto, permutanti Beneficium vacans conferendum esse.

Notandum etiam ad Graduatos extendendum quod de Expectantibus & Indultariis dictum est, cùm utrisque similes sint.

Notandum prætereà, ab hoc casu excipienda esse Beneficia quæ in fraudem Graduatorum Indultariorumve permutarentur; quæ fraus his indiciis detegetur. 1. Si pingue Beneficium cum modico permutetur. 2. Si pingue permutans sit in periculo mortis. 3. Si appropinquante Graduatorum mense permutatio fiat.

III. Quandoque Ecclesiæ necessariam esse, quandoque saltem utilem docent Canones. *Cap.* 34. 35. CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 5. *De Rerum Permutat.*

REGULA XIV.

Beneficiorum permutatio pleno ex utraque parte gaudet effectu, quando compermutata Beneficia pro voluntate compermutantium collata acceptantur; ex altera verò, quando compermutationis Beneficium compermutanti, qui suum jam dimisit, collatum est.

Infertur ex *Cap.* 8. *De Rerum Permut.*

REGULÆ RATIO: Quoad primam partem permutatio re perficitur, ideòque totum suum habet effectum, quando permutandæ res compermutantibus traditæ & acceptæ sunt.

Quoad

Quoad secundam partem, Compermutantis illius tespectu nil ampliùs faciendum superest. Hine fit quod ad dimissum à se Beneficium non potest teverti, si morte præveniente, aliove simul casu, compermutanti non confetatur, vel ab isto collario noo acceptetur.

REGULA XV.

Indubitatum est Vetùs Jus, quod apud Gratianum continetut, & Jus Novum quod in aliis Canonici Juris Libris habetur, circà personalem permutationem differre. In aliis autem differre non videntur. nisi in istis.

1o. Nullum est apud Gratianum persectæ permutationis exemplum; Sunt plura in aliis Juris Libris. Prima hujusmodi permurationis mentin habetur in *Cap 5. De rerum Permut.* desumpto ex *Conc.* Tuaon. quod sub Alex. III. *an.* 1163. celebratum est.

2o. In permutatione, de quá apud Gratianum, nulla interveniebat pactio.

Ex præcedenti sequitur, pactio siquidem procedit ex eo qnod inter se duo permutent.

Canones circà permutationes citati ex Gratiano, præcipuè desumpti sunt e Caus. VII. Quæst. I. Atqui ex his Canonibus nullus præter 37um. clarè loquitur de translatione Inferiorum Clericorum: Cæteri loqui videntur de Clericis, qui Ecclesiam Ordinationis suæ deserebant ut alibi manerenr.

Intet citatos verò Canones ex aliis Juris Libris, præter illos qui ex *Tit. De Translat.* desumpti sunt, omnes de permutatione circà inferiora Episcopatui Beneficia loquuntur.

3o. Pauci sunt apud Gratianum Canones qui de permutatione circà inferiora Episcopatui Beneficia loquantur; plurimi vetò in aliis Juris Libris.

REGULA XVI.

Indubitatum est, Jus Decretalium Greg. IX. à Jure Sexti & Clementinarum differre citcà personalem permutationem, partim verè, partim apparentet.

REGULA XVII.

Differentiæ hujusmodi non sunt aliæ quàm istæ.

1o. In Decretalia. permutatio ista dicitur prohibita. *In 6.* & in Clenentinis nibil hujusmodi legitur: imò in istis contrarium babetur; nam Clemantina unica *De Rerum Permut.* expressè dicitur illam à Jure permitti, ut ostendunt hæc verba: *Ne concessione Juris utentibns &c.*

2o. Jnre Decretalium permutario personalis ab Episcopo admitti non posse videtur, sed à solo Papá; Jure verò Sexti & Clementin. ab Episeopo licet illam recipere. Vide *subjiciendam infrà notam.*

Prima Pars patet ex *Cap. 7. De Rerum Permut.* prnut est in 3. *Collect.* nam permutatio Præpositura cum Archidiaconatu ab Episcopo Heduensi recepta judicatur invalida, & compermutantes privantur Beneficiis suis ac si propriâ autoritate illa invicem permutassent. Patet etiam ex *Cap. 17. De Præb.* prout est in 2. *Collect. Tit. De Præb.* hic enim legitur Decannm Rhemensem à Papa commissum, nt *Præb.* Laununensen permutatione vacantem conferret.

Secunda colligitur ex *Cap. unic. De Rerum Perm.* & ex Clem. Unic. *Ejusd. Tit.* in quorum priori expressè legitur, quod Episcopus permutationem personalem recipere possir: in posteriori idem insinuatur; nam 1o. desumitur à Clem. V. in *Conc.* Viennenst. 2o Generaliter decernit. ut si Beneficia, permutatinnis causâ resignata, aliis quàm permutare volentibus conferantur, nulla fit Cnllatio. 3o. Non derogat servato Juri quod *In 6.* continebatur, nec ullo in loco Clementinarum derogatio ista fit.

4o. Verosimile est Clementinam istam factam esse ut mederetur abusui, quo concessione Juris utentibus, non ab uno, sed à pluribus illudebatut.

Notandum circà secundam differentiam, Jus Decretal. cum antiquissima & universali Consueindine, qua solus Papa *In favorem* Resignationes admittit, magis conveuire quàm Jus Sexti & Clement. cùm, ut pluries dictum est, duplex sit in permutatione personali *in favorem* Resignario.

At non dissimulandum quod, re propiùs perspecta, secundum illud discrimen falsum esse videatur, tùm quia in priore Textu citato de duplici permutatione à prædictis facta sermo fit; quarum altera facta fuerat propriâ permutantium autoritate; altera ab Episcopo Heduensi tecepta. De prima intelligendum quod insinuat Papa eam esse invalidam, & propter illam permutantes plectit: Posterinr Textus sermonem facit de permutatione admissa ab Episcopo Launun. quâ non obstante Præbendam ea mente resignatam alteri quàm compermutanti cuntulerat; ut ergo Episcopus injuriam illatam resarciret, præcepit ei Papa ut injuriam passo Præbendam primam vacaturam assignet.

REGULA XVIII.

In genere necessaria sunt ad Canonicam permutationem, quæcumque ad Canonicam Resignationem requiruntur.

Regulæ Ratio: Hujns rationem nemo non videt, cùm permutationem Resignationis speciem esse nemo ignoret.

REGULA XIX.

In specie ad Canonicam permutationem non alia requiruntur quàm ista.

1o. Legitima autoritas.

2o. Justa causa.

3o. Ut Beneficia ntrimqne permutata permutari valeant.

4o. Ut accedat consensus illorum quibus dissentientibus Beneficia resignari non valent.

5o. Ne quibus debetur Beneficio frustrandi causa fiat.

SECTIO VII.

De Resignatione cum conditione Pensionis.

Cùm, pancis exceptis, quæcumqne in Jure Canonico de Pensionibus leguntur, ad Resignationis materiam quodammodo reduci possint, nec aptior sit de illis juxtà toram latitudinem suam consideratis tractandi locus; eapropter de pensionibus eo modo spectatis hìc agemus, ad Regulas pro more nostro redacturi quidquid circà illas docet Jus Canonicum tàm Gallicum quàm Romanum. Quæ autem circà pensiones quærentur, hæc sunt. 1o. Quo sensu in Canone sumatur vox *Pensio*? 2o. Quibus aliis in eodem Canone donetur nominibus? An & quibus in locis Beneficiariæ pensiones in se sumptæ prohibeantur? 3o. Quotuplex in eodem Jure legatur pensionum genus? 4o. Quæ pensionum causæ expressè à Jure probatæ, quæve eodem modo reprobatæ? 5o. Cujus autoritate impooi valeat pensio? 6o. Quomodo & quanta imponi possit? 7o. Quando pensionem extinguere vel minuere liceat vel non? 8o. Quibus Beneficiis imponi non possit? 9o. Quomodo solvenda? 10o. Quibus viis amittatur? Sed ante omnia notandum quod ex dicendis patebit, 1o. Longissimè à veto aberrasse Canonistas, qui dixerunt pensiones Beneficiarias à Jure absolutè reprobari, Textusque ab illis allegatos id certè non evincere quod prætendunt, led contrarium, nt cæteri qui à nobis citabuntut. 2o. Multa Jure Novissimo introducta quæ maximè aliena videntur à mente, non solùm Conciliorum, Pontificumqne, quorum Decteta Cor-

pori Juris inserta sunt, sed etiam à Decretis *Concilii* TRIOSNTINI Generalium omnium postremi, quæ, veluti partem Juris Cummunis valdè spectabilem, prædictis annectemus.

REGULA I.

Pensionis nomen juxtà communem significationem in Canone sumitur, nimirùm pro summa annuatim solvenda. *Cap.* 8. 21. *De Censibus*. Cap. 11. *De Jurejur*. Cap. 3. *De collusi.*

REGULA II.

Antiquius Juris Caput, in quo, *Pensio*, vox in rebus Ecclesiasticis usurpata legitur, est *Cap.* 30. CAUS. XVIII. QUÆST. II. PELAGIO I. anno 555. ad Pontificatum evecto adscriptum.

REGULA III.

Non alia sunt in Canone pensionis nomina quàm ista.

1°. Census. *Passim in Tit. De Censibus.*

2°. Exactio. *Cap. 9. in fine. De Censibus.*

3°. Beneficium. *Cap. 17. De Simon.* in quo Beneficium annuum exhibere, idem significat ac pensionem solvere.

REGULA IV.

Non uno in loco Juris Canonici pensio à Beneficio clarè, non verbo solùm, sed etiam re, distinguitur.

Patet Regula ex *Cap. 31. De Rescript.* Cap. 4. *De Præb. In 6.*

Notandum, hanc distinctionem justissimam esse, cùm Beneficium sit quid spirituale & temporale; prius habens pro anima, alterum pro corpore ad perpetuum, constitutum ad servitium Divinum vel Ecclesiasticum, ratione cujus annui reditus sacri percipiuntur; hæc autem omnia, nec simul, nec seorsim, pensioni conveniunt: prout ex suprà dictis, dum *De Beneficiis*, patet.

REGULA V.

In se consideratas extra dubium est pensiones Beneficiatias Canonico Jure prohiberi.

REGULA VI.

Non sunt alia in Canone loca, quibus hujusmodi prohibitio contineatur, præter illa quæ sine diminutione Beneficia conferri præcipiunt: Qualia sunt, *Cap.* 15. CAUS. I. QUÆST. III. Cap. unic. *Ut Beneficia sine dim.* Cap 8. *De Simon. §. Nec Prioratus.*

REGULA VII.

Non aliæ sunt in Canone pensionis divisiones vel subdivisiones, quàm istæ.

1°. Pensio, vel est realis, qualis quæ Beneficio imponitur; vel personalis, qualis quâ Beneficii Rector oneratur. Quot pensionis perpetuæ casus infra recensentur, tot pensionis realis exempla habebis.

2°. Pensio realis, vel est perpetua, qualis quæ ex causa perpetua, vel temporanea; Personalis autem est semper temporanea, cùm moriente *Rectore* pereat.

Inter Casus pensionis temporaneæ infrà collectos exempla plura habes personalis pensionis.

3°. Vel est Canonica, qualis quæ autoritate legitimâ, justâque de causâ constituitur.

Pensionis Canonicæ exempla leges *Regula VIII.*

Vel non Canonica, qualis quæ altetutro deficiente imponitur. Non Canonicæ exempla *Regula IX.* subministrat.

4°. Vel est merè temporalis, sive Laïcalis, qualis quæ Patrono in fundatione reservatur; vel quodammodo spiritualis, sive Ecclesiastica, qoalis quæ Vicario ad sustentationem assignatur, quævè Clerico ut Clerico datur. Ex hac divisione alia nascitur, nempè in pensionem latè sumptam, qualis quæ datur Laïco de Ecclesiâ benemerito, vel merituro; ac pensionem strictè acceptam, qualis quæ Clerico ob servitium spirituale jam exhibitum, vel deinceps exhibendum.

REGULA VIII.

Pensionum causæ quæ in Canone expresse probantur, sunt

1°. Si in signum fundationis Beneficii fundatori in ipsa fundatione pensio reservetur. *Cap. 23. De Jure Patr.*

2°. Si in argumentum perceptæ libertatis Episcopo vel Papæ pensio persolvenda Ecclesiæ exemptæ imponatur. *Cap. 10. De Privil. In 6.* Quod restringendum ad casum, quo modica est; aliàs saperet simoniam.

3°. Si ad permutationis realis inæqualitatem compensandam, Ecclesiæ, cujus possessiones minoris sunt pretii, pensio imponatur, alteri compermutatæ, cujus possessiones multò pluris valent, persolvenda. *Cap. 6. De Rerum Perm.*

4°. Si propter cessionem juris temporalis in aliqua Ecclesia vel Monasterio, cedenti suisque Successoribus solvenda pensio constituatur. *Cap. 21. De Censib.*

5°. Si in sustentationem Vicarii perpetui, Beneficio Curato in simplex converso, vel Dignitati similive Beneficio accessoriè unito, pensio constituatur. *Cap. 30. De Præbend.*

His omnibus casibus, pensio est ex causâ perpetuâ, atque ideò ipsa quoque perpetua.

6°. Si pacis causa inter duos circà idem Beneficium collitigantes statuatur. *Cap. 21. De Præb.*

7°. Si Resignanti Beneficium, cujus curam propter infirmitatem incurabilem exercere non valet, ac aliàs undè vivat non habenti, pensio sustentationi congrua reservetur. *Cap.* 14. CAUS. VII. QUÆST. I.

8°. Si Rectore Beneficium suum uniri patiente, ac illius fructus detinente, pensio reservetur Capitulo cui fit unio, in signum factæ unionis. *Cap. 9. De Restit. Spol.* GUNZALEZ *in illud.*

9°. Si Coadjutori, qui Rectori datur, pensio moderata assignetur. *Cap. unic. De Cler. Ægr. In 6.*

10°. Si propter Constituentis necessitatem constituatur; ut fit quando ad solvenda debita certa pars Beneficii vacantis proventuum ad aliquot annos retinetur, ex concesso Beneficiorum vacantium fructus retinendi beneficio. *Cap. un.* quod præcipit ut Beneficia sine diminutione hujus privilegii conferantur.

A sexto num. ad ultimum habentur exempla pensionis temporaneæ.

REGULA IX.

Pensionum causæ quæ à Jure expressè reprobantur, sunt

1°. Si ad habendum Beneficium conferenti vel præsentanti pensio creetur vel augeatur. *Cap. 6. De Pactis.* Cap. 11. *De Jurejur.*

2°. Si propter solam Beneficii dimissionem pensio reservetur. Talis est autem pensio, quoties qui Beneficium sustentationi sufficiens possidens, aliud sibi ad hoc proindè non necessarium dimittit, retentâ sibi pensione. *Cap. 6. De Cler. non Resid.*

3°. Si per collusionem pensio constituatur, ut fit quando in alterius favorem pensioni constituendæ consentit, ad finiendam litem sibi super Beneficio suo fictè motam. *Cap. 3. De Collusi.* Citatum Cap. videtur insinuare, ex ipsa pensionis constitutione, post mortem Possessoris Beneficii, pensionem percipienti, ad ipsum Beneficium possidendum, jus remanere, dum dicit; *Collusionem hujusmodi in præjudicium Episcopi & aliorum fieri*; nam aliter Episcopo præjudicare non potest, quàm Beneficium conferendi facultate ipsum privando. Dictum est, *Videtur*; tùm quia pensione minus fit Beneficium, atque ideò Collatoris jus quodammodo minuit, & Successori revera præjudicat; tùm quia fortè controversia ficta ea lege finita erat, ut Possessor, dum viveret, Beneficium retineret, pensionemque annuam collitiganti solveret, Beneficium post illius

illius mortem habituro, vel ſaltem ſi per vitam penſionem non ſolveret, illam illi ſuperviđuro certam faceret. *Cap. 3. De Colluſione.*

IV. Si in fraudem proprii Sacerdoris, ea penſio alii pro Beneficio detur, ut illi conveniens portio non remaneat *Cap 30. De Præb. in fine.*

V. Si ad explendam cupiditatem percepturi penſio conſtituatur, quod fit quoties ſine juſta cauſa conſtituitur. *Cap. 13. De Cenſib.*

VI. Si in proprium conſtituentis commodum conſtituatur. *Cap. unico. Ut Benef. ſine dim.* Caſus iſte ad præcedentem reducitur.

REGULA X.

Circà conſtituendæ penſionis autoritatem, Jure Communi ſcripto hæc certa ſunt.

I. Penſinnes reales conſtitui non poſſe ab iis, quibus penſiones perſonales ereare nnn licet. *Cap. 35. De Reg. Jur. In 6. Plus continet quod eſt minus*; qui ergo illud, illud non poſſe neceſſe eſt.

II. Simplices Sacerdotes penſiones etiam perſonales conſticuere non poſſe. *Cap. 8. De Cenſib.* Cap. 11. *De Jurejur.*

III. Prælatos Regulares penſiones nullas Beneficiia quæ conferunt, quibuſve alio modo provident, imponere non poſſe. Clem. un. *De Suppl. Negl.* Tambur. *De Jure Abbat.* Tom. III. Cap 9. Quæst. XXV. *n. 6.*

IV. Judices conſtituere poſſe, pacis causâ, penſiones perſonales; ſed reales non poſſe, niſi circà Concilia Generalia Beneficiorum ſectionem vetantia diſpenſare valeant. *Cap. 21. De Præb.*

V. Epiſcopos in Beneficii erectione tàm reales quàm perſonales penſiones conſtituere poſſe. *Cap. 30.* Caus. XVIII. Quæst. II.

VI. Idem quoqueposſe, tùm litis finiendæ causâ, tùm ad ſubminiſtrandam Vicario perpetuo ſuſtentationem. Idem aliis in caſibus, in quibus à Jure non damnantur penſiones. *Cap. 5. De Tranſact.* Cap. 12. *De Præb.* Cap 8. *De Cenſibus*: indiſtinctè enim loquitur.

VII. Epiſcoporum Vicarios Generales, eadem qua Epiſcopi poteſtate gaudere, dummodò in Mandato perſonas inſtituendi autoritatem habeant. *Cap. 8. cit. prout eſt in Collect.* 1. De Vicariis iſtis verbum *Miniſteriales* interpretamur, exiſtimantes illos ſaltem hoc verbo comprehendi.

VIII. Papam in universâ Eccleſiâ omne penſionis genus, creare poſſe, Divino Juri non adverſum. *Cap. 4. De Conceſſ. Præb.* quo docemur potiri Papam plenitudine poteſtatis ſuprà Jus poſitivum.

IX. Epiſcopos potuiſſe antè Sæculum XIII. creare & autorare penſiones reales. *Cap. 5. De Tranſact* ubi Alex. III. id ſupponit tamquam certum, docens cenſum impoſitum Prioratui non tranſire ad Succeſſorem, niſi Epiſcopi autoritate fuerit confirmatus.

X. Nullum extare Juris Textum qui penſionis realis creationem Papæ reſervet, vel reſervatam eſſe clarè doceat.

REGULA XI.

Circà conſtituendæ penſionis autoritatem, uſu generaliter recepto introductum eſt Papæ reſervari.

Rebuffus *In Praxi. Tit. De Reſervat. n 12. 14. 15. 16. 17.* Hunc uſum teſtatur Corasius. *De Sacerdot.* Lib. I. Cap. 4. *n. 9.* docens in Gallia alias non recipi penſiones quàm à Papâ conſtitutas. Idem teſtatur Pastor, Lib. III. *Tit. 12. n. 13.* cum pluribus aliis quos citat: Hæc autem reſervatio in duobus conſiſtit.

I. Solum Papam in erectis Beneficiis penſiones reales, ſive quæ ad Succeſſores tranſmittuntur, creare poſſe. Pastor, Lib. III. *Tit. 12. n. 12. 13.* aliique plures quos *ibid.* citat. Fagnan. *in* Can. 21. *De Præb.* hanc Reſervationem juſtam eſſe fuſiſſimè probat, ac momenta contraria ſolvit; an benè, an malè, diſcuſſio non eſt hujus loci; patebit tamen quid ſentiendum, explicatione Textuum qui allegantur nulli faventes reſervationi.

II. Penſiones etiam perſonales, litis circà Beneficia finiendæ cauſâ, à Papa, ipſiuſve Legato id in Mandatis habente, conſtitui dumtaxat poſſe. *Ibid. n. 14.*

Hunc uſum ortum putat Rebuff. ex ignorantia Epiſcoporum. *Praxis Benef. De Reſervat. n. 19.*

Dicimus autem Reſervationes iſtas uſu introductas; tùm quia *Cap. 5. De Tranſact.* quod etiam refertur in *Collect. 1. Tit. de Cenſib. Cap. 9.* clarè docet, Epiſcopum realem penſionem, etiam litis circà Beneficia finiendæ gratiâ, conſtituere poſſe; tùm quia nullus afferri queat Juris locus, quo penſionis realis, etiam ad finiendam litem, creatio Papæ expreſsè reſervetur.

Nec obſtat *Cap. 4. De Pactis,* in quo motæ circà Beneficium litis compoſitio, quâ alii Beneficium, alii verò temporale aliquid datur, ideò reprobatur quia Papæ autoritas non intervenerat. Nam 1o. Agitur de conventione Romæ factâ, de lite coram Papa intentatâ. 2o. Quæſtio non eſt de penſione, ſed de pecunia pro expenſis ſolvenda Beneficium cedenti, proindèque de re, quæ temporalis magis videtur, quàm penſio quæ Beneficii portio quodammodo habenda eſt. 3o. Ob id ſolùm prædicta compoſitio damnatur, quia propriâ Partium autoritate facta erat, nec ſub Superioris beneplacito.

Nec obſtat etiam *Cap. 21. De Præb.* in quo Innoc. III. docet, non licere penſionem realem erectis Beneficiis imponere; quia hujuſmodi penſio ſectio ſit Beneficiorum à *Concilio Generali* ſub Alex. III. Turonis celebrato vetita: nam hinc non ſequitur id genus penſionis a Papâ ſolo creari poſſe, cùm circà Generalia Concilia ab Epiſcopis diſpenſari non valeat, niſi Superiori diſpenſatio reſervetur, ut oſtenſum dum *De Diſpenſatione* in Tractatu *De Juriſdict.*

REGULA XII.

Quacumque autoritate conſtituatur penſio, Patroni conſenſus requiritur, ſi ſit Laicus, & penſio realis.

Infertur ex *Cap. 1. De Cenſib.* Cap. 3. *De Ædif. Eccleſ.*

Reſtringitur Regula ad Patronum Laïcum, quia titulo oneroſo Patronatum acquirit, ideòque dignus eſt quòd nullum ſibi non conſentienti damnum inferatur.

Reſtringitur Regula etiam ad penſionem realem, quia eſt onus Beneficii, ac conſequenter Patrono illius quodammodo præjudicat.

REGULA XIII.

Penſiones imponendi modus nullus eſt qui à Canonibus prohibeatur.

Probari nequit Regula, niſi eorom ſolutione quæ objici poſſunt; qualia nulla occurrunt, præter *Cap. 21. De Præb.* quo penſiones, quibus fit Beneficiorum ſectio, prohiberi videntur, quales ſunt quibus certa proventuum Beneficii pars aſſignatur, *nempè* tertia vel quarta. Ad id reſpondere fas eſt, *Cap.* oppoſitum de penſione reali quovis modo impoſita dumtaxat loqui, illamque abſolutè non damnare, ſed tantùm ſi defuerit juſta cauſa & legitima autoritas; undè ad propoſitum non facit; & ſi faceret, nimis probaret; nam penſionem omnem realem eſſe illicitam oſtenderet.

REGULA XIV.

Penſionis capax eſt omnis indigens, ſi ut eleemoſyna conſideretur; ſed ſi ſpectetur ut merces data pro ſervitio præſtito vel præſtando Eccleſiæ. Quicumque illud præſtitit vel præſtare poteſt, capax quoque eſt penſionis eo modo ſpectatæ.

Hinc Laïco sicut & Clerico assignari potest: Latè sumpta Laïco, Clerico tantùm strictè sompta; cùm illius capax sit Laicus ut Clericus, istius verò solus Clericus.

REGULA XV.

Pensio ad alicujus sustentationem constitura extingui non potest, nisi aliàs habeat unde vivat. S ss. XXI. *Cap.* 2. *De Reform.*

Hinc quotiescumque pensio tituli Clericalis vices gerit, extinguere nefas est: hujusmodi autem est 1°. Quando Beneficii vel Patrimonii loco. Ordinando constituta est. 2°. Quando ex resignato Beneficio sub quo quis ordinatus est, vel ex quo solo sustentationem suam habebat, retenta est.

REGULA XVI.

Pensio Beneficio imposita minuenda est, si Beneficii facultates illam non ferant, sive in se spectentur, sive alia Beneficii onera inspiciantur. *Cap.* 16. *De Censib.* in quo Procuratio Monasterio annuatim solvenda, ad primam, quæ minor erat, mensuram reducitur, quando majori ferendæ Beneficium impar est. Inferri potest consequentia ista ex *Cap.* 30. *De Præb.* quo pensio, quam Beneficium ferre non valet simul cum præcipuo è suis oneribus, imponi prohibetur, ac si quæ imposita non solvenda.

Hinc sequitur extinguendam esse pensionem, si ad alia Beneficii onera pensione ipsa potiora illius facultates vix sufficiant.

REGULA XVII.

Minuenda quoque est pensio, si Beneficium, cui imposita est, insolitis posteà oneretur subsidiis; vel saltem, quod eodem recidit, subsidiis istis subjicienda est. *Cap.* 18. SESS. XXIII. §. *Ad hanc.*

Ex præcedenti sequitur.

REGULA XVIII.

Pensionis reductioni locus non est, si debitor ad illam sciens & volens consenserit, permittente lege; secùs, si vetante. *Cap.*27. *De Reg. Jur. In* 6.

Exceptio petitur ex *Edicto ann.* 1671. quod certam summam ab omni onere immunem reservat.

REGULA XIX.

E modis, quibus pensio imponi potest, in Canone exprimuntur isti.

1°. Si in determinata pecuniæ summa. *Cap.* 21. *De Præb. & alibi passim.*

2°. Si in certa grani similisve rei mensura. *Cap.*18. *De Censibus.*

3°. Si in victualibus semel vel bis in anno Præbendis cuidam personarum generi. *Cap.*16. *De Censib.*

4°. Si in certa decimarum parte. *Cap.*30. *De Præb.*

5°. Si in quadam determinata totius Beneficii proventûs parte. *Cap.* 7. SESS. VII. *De Ref.*

6°. Si determinata Beneficii fructuum pars super certâ re assignetur. *Ibid.*

Notandum citata circà quartum & quintum modum loca ostendere, falsum esse in quotâ Beneficii parte pensionem constitui non posse, cùm hunc imponendi modum expressè probent.

Nec obstat his in locis agi de congrua Vicarii portione, quæ est vera Beneficii sectio à Jure probata; nam portio ista est vera pensio. Quod si à Jure probetur, quamvis per eam Beneficii sectio fiat, non aliundè provenit, nisi quod justa ex causa pensio ista imponatur; Unde sequitur pensiones alias in quota Beneficii assignari posse, modò justâ de causâ constituantur.

Notandum quoque, collectas pensiones constituendi modos longè abesse à modo excogitato in favorem Cardinalium, ut nimirùm percipiant omnes fructus loco pensionis; supponunt siquidem omnes partem tantùm fructuum assignari.

REGULA XX.

Pensiones quæ Beneficii Possessori non relinquunt undè vivat, aliaque illius onera portet, à Jure expressè damnantur, si agatur de Beneficio quod ad utrumque sufficere debeat. *Cap.* 2. *De Suppl. Negl.* Cap. 1. *De Præb. In* 6. CLEM. I. *De Jure Patr.* Loquuntur quidem dumtaxat de Ecclesiis Parochialibus; sed ob rationis paritatem, ad similia Beneficia, qualia Episcopatus, Dignitates inferiores, Canonicatus, etiam extenduntur. Insinuata exceptio Beneficia spectat adeò modica, ut contra mentem Ecclesiæ nec Ministro nec servitio sufficiant.

REGULA XXI.

In Beneficii parte Possessori relinquenda, obventiones fortuitæ comprehendendæ non sunt, nec etiam distributiones quotidianæ.

Infertur Regula ex locis mox citatis; volunt etenim relictam Beneficiario partem determinatum certumque quid esse; quale esse nequit, si in ea obventiones & distributiones hujusmodi comprehendantur; cùm obventiones istæ sint omninò, quid incertum; distributiones verò, etsi in se certæ, impedimentis, quibus perdi possunt, incertæ fiant.

REGULA XXII.

Non alius circà pensiones excessus, quàm mox dictus, à Jure prohibetur.

Hinc Jure Communi excessiva non est pensio, ex eo quod tertiam Beneficii partem, vel etiam medietatem excedat, si reliquum ad Ministri sustentationem, aliaque onera ferenda, sufficiat.

REGULA XXIII.

Nullum est Beneficii genus, cui pensio imponi non valeat.

Infertur ex *Cap.* 13. SESS. XXIV. *De Ref.* quo permittitur pensiones imponi Ecclesiis Cathedralibus & Parochialibus, modò illarum facultates id patiantur; id autem pati censentur Cathedrales, si annuum valorem mille ducatorum excedant; Parochiales verò si centum: si quod enim Beneficii genus pensionibus subjici non debuit, præ aliis memorata non debuere.

Hinc sequitur, solâ proventuum tenuitate à pensionis onere Beneficia eximi: Tenues autem Beneficii proventus esse videntur, si ad Ministri sustentationem, aliaque Beneficii onera, non sufficiant; modò ejus sint generis quod cum aliis possideri non debeant; æquum enim est, ut ab omni alio onere eximantur.

REGULA XXIV.

Quando pensio in pecunia constituta est, in eadem monetæ specie solvenda, in qua constituta est, aliave ejusdem valoris. *Cap.* 20. 26. *De Censib.*

REGULA XXV.

Si in quadam granorum similiumve rerum mensura pensio constituta sit, in eadem solvenda est mensura, in qua constituta est, aliave eamdem quantitatem continente. *Cap.* 18. *De Censibus.*

REGULA XXVI.

Quando accidit ut modò unâ, modò aliâ mensurâ pensio soluta est, minorem tantùm mensuram exigere licet.

Quod

Quod de mensura mox dictum est ad monetam extendendum videtur. *Cap.* 18. *De Censib.* Cap. 30. *De Regul. Jur. In* 6. *In obscuris minimum est sequendum.*

REGULA XXVII.

Pensio Clericalis iisdem amittitur viis, quibus Beneficium; nempè voluntariâ ipsius vel status Clericalis abdicatione, vel crimine pensionis privationem ipso facto vel per sententiam inducente.

REGULA XXVIII.

De primo vel secundo pensiones amittendi modo nulla fit expressa in Jure mentio; tacita verò fit locis in omnibus, quæ de Beneficii Resignatione loquuntur.

REGULA XXIX.

De tertio pensiones amittendi modo solùm expressè meminit *Concil.* Tridentin. Sess. XXV. *Cap.* 14. tacitè verò *Cap.* 5. *De Hæret.* Cap. 5. *De Pœnit. In* 6. Clem. I. *De Pœnis.*

REGULA XXX.

Pensio Laïcalis amittitur, vel cessione, vel crimine.

REGULA XXXI.

Quolibet crimine amittitur Laïcalis pensio, eodem perditur quoque Clericalis; sed non è converso.

Patet ex sequenti.

REGULA XXXXII.

Non alia in Jure leguntur crimina, quibus perdatur pensio Beneficiaria, quàm ista:

1°. Hæresis. *Cap.* 9. *De Hæret.* in quo Clericus in hæresi deprehensus totius Ordinis Ecclesiastici prærogativâ nudatur, ac consequenter pensione Clericali, cùm pensionis istiusmodi possessio ad Ordinis Ecclesiastici prærogativam pertineat.

2°. Sacrilegium in Cardinalia personam quoquo modo commissum. *Cap.* 5. *De Pœnis. In* 6. Quo hujus criminis reus privatur omni Beneficio ab Ecclesia accepto, tàm temporali, quàm spirituali, proindèque pensione, quæ saltem Beneficium temporale est ab Ecclesia acceptum.

3°. Sacrilegium in personam Episcopi quoquo modo commissum. Clem. I. *De Pœnis.* quâ Episcopum injuriosè persequens facto, mandato, auxilio, favore &c. privatur omni Beneficio temporali ab Ecclesia accepto, sive in Cathedrali istius Episcopi, sive in alia illius Diœcesis.

4°. Obstinata in Concubinatu perseverantia. *Cap.* 14. Sess. XXV. *De Ref.* quo Clericus post alteram monitionem in Concubinatu persistens, eo ipso amittit pensiones, idque ad tempus tantùm; quod infertur ex eo quod si ab administratione Beneficiorum suspensus in crimine eodem perseverat, in perpetuum pensionibus Ecclesiasticis privandus est.

Ex relatis sub hac Regula casibus, primus & quartus solos respiciunt Clericos, cæteri tàm Laïcos quàm Clericos.

REGULA XXXIII.

Nulla mentio in Jure de translatione pensionum, nec personalium, nec realium, in terris obedientiæ passim usu accepta.

Silentii hujus Ratio est, quod quando conditi sunt Canones quibus constat Jus Canonicum, pensiones erant alimentariæ, quarum natura & conditio est, ut cum pensionario expirent; deindè factæ sunt remuneratoriæ, & velut Beneficia in Commendam data, quorum Resignatio permissa est initio in favorem familiarum, posteà quorumlibet.

REGULA XXXIV.

De extinctione pensionum, anticipatis annuis solutionibus nonnullis, ne unum quidem verbum in Jure habetur.

Hujus Regulæ eadem Ratio quæ præcedentis; nempè pensiones fuisse tunc consideratas ut alimentarias, ideòque prædicto modo redimi non debere: Periculosa est pensionis alimentariæ redemptio, solutionibus anticipatis, si multò paucioribus fiat quàm vivere possit annuis pensionibus, vel verosimile sit illum victurum.

SECTIO VIII.

De Novissimo Jure Communi circà pensiones.

Exposito Veteri Jure Communi circà pensiones, de Novissimo aliquid dicendum est, ut comparatione utriusque pateat in quo differant. Sed ut utilinri elariotique, quo fieri potest, modo fiat, conferemus usum hodiernum circà pensiones eum usu quotidiano circà Beneficia, saltem in terris obedientiæ. Sed priùs notandum, in his Regionibus pensiones Beneficiales rarò concedi Laïcis, eâque semper ferè lege, ut antè pensionis fruitionem Tonsuram Clericalem accipiant. *Conc.* Latea. *De Re Benefic.* Lib. I. Quæst. XXXVI. Pyrrhus Corrao. *Prax. Benefic.* Lib. I. *Cap.* 5. Clericis verò, inter quos Regulares collocantur, frequentissimè dari, iisdemque quoad præcipuas conditionibus, quibus Beneficia; ideòque illarum eum istis Collationem necessariam videri. Huc spectant sequentes Regulæ.

REGULA I.

Pensiones Clericales, de quibus tantùm sermo fit, in præcipuis ad illa possidenda necessariis cum Beneficiis conveniunt.

Patet enumeratione desumpta ex citatis Autoribus, necnon ex Rebuffo & Fagnano.

1°. Concessio pensionis facta non Tonsurato nulla est, sicut Collatio Beneficii in favorem ejusdem facta.

2°. Irregularis ad Beneficia, ut plurimùm Irregularis quoque est ad pensiones.

3°. Ut Irregularitas ex defectu superveniens non inducit vacationem Beneficii, ita nec vacationem pensionis; secùs de Irregularitate ex delicto superveniente, idque quia criminis gravitas, quæ meretur Beneficii privationem ipso facto, eodem planè modo promeretur amissionem pensionis.

4°. Matrimonium præcedens inhabilem reddit ad pensionem sicut ad Beneficium, & subsequens inducit illius ut istius vacationem. Idem dicendum de solemni Professione Religionis erga pensionem Beneficio Sæculari impositam: concessio facta homini verè Religioso nulla est, & professio subsequens anteà concessam vacare facit.

5°. Quando pensio data est loco Beneficii, qualis de qua in *Cap.* 27. *De Rescript.* de illa facienda mentio, sicut de Beneficio in supplicatione pro Beneficio impetrando.

6°. Pensio cùm nunc obliget ad recitandum officium B. Mariæ ex Bulla Pii V. est quid spirituale, annexum habens temporale, propter officium datum; sicut & Beneficium. Hæc similitudo in Regionibus ubi illa Bulla recepta non est, locum non habet; Talis est autem Gallia.

7°. Antè septennium obtenta nulla est; eodem planè modo quo Beneficii impetratio antè eamdem ætatem.

8°. Vendere emereve illam non licet, sicutè nec Beneficium, absque simonia.

9°. Transferri potest in alium, seu resignati, sicut Beneficium.

10°. Pensio obnoxia est subsidio caritativo, aliisque Collectis ex rebus Ecclesiasticis exactis, sicuti Beneficia. Has inter Collectas Annata nominatim enumeratur, quæ de pensione solvetur, ut & de Beneficio.

11°. Duæ pensiones sub eodem tecto, sicut nec duo Beneficia, obtineri non possunt: undè in clausula quâ obstantia tolluntur, expressa mentio fit de hac circumstantia. FAGNANUS *in Cap. Ad audientiam* 31. *De Rescript. n.* 98. ubi post alios Canonistas ex professo examinat, an Beneficii appellatione pensio comprehendatur; sicut occasione data in *Cap. Cùm in cunctis* 7. *De Elect. à n.* 90. *ad* 106. de eadem Quæstione agit.

12°. Clericus Pensionarius tonsuram & habitum Clericalem gestans, etsi in Sacris non sit constitutus, nec ulli Ecclesiæ alligatus sit, nec ulli jussu Episcopi sui deserviat, gaudet Privilegio fori extensâ ad illum dispositione *Conc.* TRID. Cap. 18. SESS. XXIII. *De Ref.* quia in materia favorabili pensio sub Beneficio comprenditur.

13°. Translatio pensionis præ se fert imaginem successionis Beneficiariæ, ut Resignatio Beneficii in *favorem.*

14°. Sicut Beneficii Resignatio *in favorem* sine autoritate Papæ fieri non potest, ita nec pensionis translatio in utilitatem alterius.

Vide circà ea quæ notata sunt communia esse inter pensionem & Beneficium, PIRRUM CORRAD. *Praxis Benefic. L.* I. *C.* 5.

Ex collectis similitudinibus nulla est vel reliqua quæ vigeat in Gallia, si soli Juri Novissimo innitaris.

REGULA II.

Differentiæ maximæ sunt inter pensiones Clericales creari consuetas, & Beneficia; inter quas notabiliores videntur quæ sequuntur.

1°. Omnis pensio creatur tantùm ad tempus; scilicet vel ad solam ipsius Pensionarii vitam, si sine facultate transferendi creetur; vel ad vitam quoque Translatarii, si cùm facultate creetur. FAGNANUS *in Cap. Ad audientiam. De Rescript.* PIRRUS CORRAD. *Prax. Benefic.* L. II. *Cap.* 5. LOTERIUS *De Re Benef.* L. I. QUÆST. XXXVI. XXXVII. XXXVIII.

2°. Nulla pensio obligat ad Residentiam; plurima sunt Beneficia id onus imponentia.

3°. Etsi pensio sæpissimè detur loco Beneficii, tàm in favorem illius qui omni Beneficio caret, quàm in commodum illius, qui justâ de causâ renunciat Beneficio possesso vel acquisito, nunquam tamen erigitur in Titulum. Beneficium è contra nullum est sine erectione Tituli.

4°. Confidentia circà Beneficia gravibus pœnis plectitur, à PIO V. & SIXTO V. editis ad hoc Constitutionibus. E contra permitti solet in quibusdam Regionibus, quales Hispania & Italia, in quibus dantur Hispanis pensiones in commodum Italorum, quos ut exteros Leges Hispaniæ excludunt à Jure impetrandi pensiones Beneficiis Hispanis impositas; sed consentiunt ut Hispani pensiones recipiant, eâ Lege, ut Italis quibusdam illorum commodum cedant; undè fit ut Hispani solam proprietatem pensionis habeant, Itali verò gaudeant illius usufructu. Vide PIRRUM *loco citato*, & LOTER. L. I. QUÆST. XXXVI. ubi fusè de eâ re; & Nota quod hujusmodi confidentiæ introductione servatur quidem littera Legum, quæ excludunt exteros à pensionibus; sed mens illarum eluditur, quæ alia non est quàm Nationis commodum, proveniens, non ex proprietate Juris sibè reservati, habendi pensiones super Beneficiis Regionis, sed ex usufructu sive perceptione fructuum pensionis.

5°. Pensio dimitti potest sine Superioris autoritate, quia in commodum Pensionarii datur, posito quod aliundè habeat undè vivat; secùs si non habeat, etiam permittente Superiore.

Beneficium nunquam dimitti potest sine autoritate Superioris, quia alligat alicui Ecclesiæ, atque vinculum à solo Superiore solvi potest.

6°. Beneficiato pensione onerato licet se illa liberare anticipatis aliquot solutionibus, si accesserit licentia Papæ. Beneficium in gravamen alterius redimere non licet me lia pecunia, etiam interveniente consensu Papæ. *V. gr.* Si Curatus Primitivus, cujus vices Vicario perpetuo concessæ sunt, Vicariam istam redimere vellet, sibi non permitteretur; vel si licentiam obtineret, licentia scandalum generaret.

7°. In odiosis pensio non comprehenditur sub nomine Beneficii; undè Leges, quæ Beneficia vel Beneficiatos gravant, ad pensiones vel Pensionarios sese non extendunt, nisi de illis expressa mentio facta fuerit. PIRR. CORRAD. FAGNAN. LOTER. *citatis locis.*

8°. Beneficium resignari non potest in favorem alicujus non habentis qualitates necessarias, eo fine ut illo gaudere incipiat, ex quo illas adeptus fuerit. Pensio verò sic transferri potest, nempe *v. gr.* in Laicum eâ fruiturum, quando Clericatum acceperit, eaque conditione à Pontifice admitti; undè hic ne transferens pensionem percipiat donec Translatarius sit Clericus; & si antea decesserit, expirat cum eo pensio, ita ut sine nova reservatione illâ potiri non valeat. PIRRUS *loco citato. n.* 195. 196. 197.

9°. Transferenti pensionem in alium in casu mortis, non licet sibi reservare regressum, posito quod convalescat, nec etiam Jure nec usu sibi reservatur, quia ipsa translatione acceptatâ, à Superiore extinguitur pensio antiqua, atque transferentis precibus, & attentâ ipsius Translatarii supplicatione nova creatur. LOTER. L. I. QUÆST. XL. *n.* 18. & 19. E contrà regressus tacitus & expressus locum habet in favorem Resignantis metu mortis & convalescentis.

10°. Episcopi aliique Prælati, qui per promotionem suam ad Prælaturam, amittunt ubique Beneficia, antè possessa perdunt; non itidem pensiones anteà habitas.

Hujus ratio est, quod omne Beneficium cum Episcopatu incompatibile Jure Communi sit; pensiones non perdunt, saltem in aliquibus Regionibus, ut in Gallia.

11°. Promoti ad Episcopatum, etsi possint Beneficia anteà obtenta resignare, non possunt tamen pensiones transferre, etiam concessas cum facultate transferendi, non excepto casu quo pensiones retinent. LOTER. L. I. QUÆST. XL. *n.* 93.

SECTIO IX.

Jus Gallicum circà pensiones.

1°. Non recipit Gallia alias pensiones quàm à Papâ constitutas. COBAS. L. I. *C.* 4.

Contrarium sentiunt nonnulli alii Autores Galli: Conciliari possunt cum CORASIO, dicendo istum loqui de pensionibus realibus; istos verò de pensione personali. PASTOR. L. III. *Tit.* 12. *n.* 12.

2°. Tertiam partem excedens non admittitur; quod restringendum ad Beneficia, quibus animarum cura, vel saltem Residentiæ onus incumbit, & ad casum quo supersit Titulario undè honestè vivat. *Edictum Regium.* 1671. & *Declaratio* 1673. CORAS. L. 1. *Cap.* 4.

3°. Pensionem habenti non permittitur ut in alium transmittat. *Ibid.* Idem docet LOUET *in Reg. De Publ. n.* 177.

Excipitur obedientia patriæ; verùm Exceptio ista extra usum nunc esse videtur, etsi *Edicto* HENR. II. circà Pontificiam in Britannia & Provincia Collationem *Art.* 4. innitatur. Refertur in *Specimine Juris Ecclesiastici Part.* II. *p.* 61. & in *Pragmatica à* PINSSONIO *edita*

edita p. 1060. Hîc Larinè, iſtic Gallicè; Hîc factum legitur in favorem PAULI III. Iſtic in favorem JULII III. *Ibid.* Eadem exceptio legitur apud LOUET *cit. loco.*

Excipiendæ ſunt etiam penſiones Conſiſtoriales, quæ, ſi Regi placet, transferuntur. *Idem* Louet *Eod. loca.* Sed hujuſmodi exempla non extant.

IV. In tribus tantùm caſibus probatur penſio.

Primus eſt permutationis Beneficiorum quoad reditum inæqualium caſus, quo conſtituitur penſio ad complendum fructuum valorem. PASTOR. LIB. III. *Tit.* 10. *n.* 12.

Secundus eſt Reſignationis Caſus, quo penſio imponitur, ne nimiùm patiatur Reſignans diſpendium. Ita communiter loquuntur Doctores; ſed minùs purè, ſi in antiquorum Canonum trutina ponderentur locutiones; nam veteres Canones non aliam norunt retinendæ penſionis, ratione Reſignationis, cauſam, quàm ipſius Reſignantis indigentiam. Quod hîc dicit PAST. ad Beneficia Collativa eſt reſtringendum; nam circa Conſiſtorialia, pro voluntate Regis & Papæ penſiones imponuntur jam à 60. annis. LOUET *In Reg. De Public. n.* 277. Tempore quo Opus ſuum PASTOR edidit, (nempè an. 1637.) penſiones iſtæ nondum introductæ erant, vel hæc introductio illum latebat.

Circà Secundum penſionis à Gallis probatæ Caſum, notandum, Edicto LUDOVICI XIV. *anno* 1671. condito, tria requiri ut hoc caſu Parochiæ, Canonicatus, aliaque ſimilia Beneficia, penſione legitimè onerentur.

1º. Ut Reſignans per quindecim annos Beneficium poſſederit, ipſiuſque munia obierit.

2º. Ut penſio tertiam fructuum partem non excedat.

3º. Deductâ penſione Poſſeſſori remaneant trecentæ libræ, omni onere immunes, præter obventiones *caſuale* vulgò nuncupatas.

Notandum etiam, eodem Edicto circà primam conditionem, exceptionem admitti in favorem illius, qui ægritudine pertinaci Beneficii ſui munerum incapax efficitur.

Notandum, Declaratione ſeu interpretatione Edicti laudati *anno* 1673. factâ, ad ſingula Eccleſiarum Collegialium, quæ perſonalem exigunt Reſidentiam, Beneficia, Edictum *iſtud* extendi.

Tertius tranſactionis litis finiendæ cauſâ factæ Caſus, quo pro bono pacis penſio conſtituitur.

Ex his tribus Caſibus ſolus Tertius expreſsè probatur à Jure. De Primo unicus eſt locus; ſed in eo de permutatione reali ſit ſermo, non de perſonali, de quâ ein. Autor: Hic locus eſt *Cap. 6. De Rerum Permut.*

Hoc autem inter utramque eſt diſcrimen, quod realis eſt merè temporalis, ideòque ſine ullâ Simoniæ umbrâ penſionis capax; perſonalis verò ſpiritualis eſt, ac conſequenter talis, ut penſionis tenendo illius ratione facta Simoniam redolere videatur.

De Secundo etiam unicus eſt locus, ſolamque probat penſionem, quæ Reſignanti indigo & ſervire impotenti reſervatur. *Cap.* 14. CAUS. VII. QUÆST. I.

V. Super Beneficiis animarum curam habentibus penſio non probatur; quam promiſit tamen Reſignatarius ſolvere cogitur, aut Beneficio cedere; niſi immodica ſit, quo caſu reductionem petere poteſt. LOUET *In Reg. De Infirm. n.* 13.

VI. Penſionis circà Beneficia ſimplicia reductionem Reſignatario petere non licet, ſed aut ſolvere, aut cedere tenetur. *Ibid.*

VII. Penſionis reductio fit per Poteſtatem Sæcularem, idque quia penſio merè quid temporale habetur à Magiſtratu. LOUET *In Regul. De Publ. num.* 274.

VIII. In Beneficiis ad Regiam nominationem vel Collationem pertinentibus, ſine Regis conſenſu penſio conſtitui non valet. Hujuſmodi penſiones cum conſenſu Regis obtentæ, quantumvis exceſſivæ, juxtà Atteſta Magni-Conſilii, reductionem non patiuntur. LOUET *In Reg. De Publ. n.* 280. *Definitiones Juris Canon.* verbo, *Penſia. n.* 19.

IX. In pecunia penſio communiter conſtituitur, idque utiliùs penſionem debenri, cùm pecuniæ certum ſit pretium, ſpecierum frumenti vel vini incertum, necnon & penſionario, qui minùs fraudi objicitur. *Dictionar. Arreſtar.* verbo, *Penſia. n.* 160. *Leges Eccleſiaſt. Franciæ Part. II.* Cap. 16. *nn.* 12. *Idem ibid. num.* 278.

Edictum citatum, nec ulla alia Regia Ordinatio, præſcribit ſervanda circà penſiones Beneficiis Conſiſtorialibus impoſitas vel imponendas.

TITULUS X.

Quibus modis amittantur Beneficia Eccleſiaſtica?

SECTIO I.

Quamvis poſſit aliquis renunciare Electioni per ſe ſolum, ſive juri ad rem; non tamen poteſt reſignare Beneficia quæ poſſidet, ſine conſenſu Epiſcopi ſeu Collatoris.

I. ELectio ex eo non ſortitur effectum, quo electus poſt conſenſum renunciat juri ſuo. *In 6. De Elect.* Cap. *Si Electio. init.* LIB. I. *Tit.* 6. Cap. 26.

II. Cùm Electio de aliquo facta eſt, ſi is renunciavit hujuſmodi Electioni, poſſunt Electores alium eligere. *De In integrum Reſtitutione.* Cap. *Cùm venisſent. §.* 1. Colligitur. LIB. I. DECR. *Tit.* 41. Cap. 2.

III. Epiſcopus, poſt Reſignationem & abjurationem Beneficii à ſe factam, & receptam ab illo ad quem pertinet, Beneficium confert. *De Conceſſ. Præb.* Cap. *Poſt Electionem.* §. 3. *med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 7.

IV. Univerſis perſonis ſui Epiſcopatûs ſub diſtrictione prohibet Epiſcopus, ne Eccleſias ſuæ Diœceſis ad Ordinationem ſuam pertinentes, audeant illo dimittere inconſulto. *De Renunciat.* Cap. *Admonet. §.* 1. LIB I. DECR. *Tit.* 9. Cap. 4.

V. Abbas Monaſterii immediatè ad Romanam pertinentis Eccleſiam, cedere ſine licentiâ Romani Pontificis nequit. *De Renunciatione.* Cap. *Dilecti.* finali. LIB. I. DECR. *Tit.* 9. Cap. 15.

VI. Sicut Abbas ſubjectus Epiſcopo non debet ſine licentia Epiſcopi renunciare, ſic Abbas ſubjectus tantùm Papæ renunciare non poteſt ſine ipſius licentia. *Gloſſa in* Cap. *Cùm venerabilis. De Conſuet.* verbo, *Migraſſe.* LIB I. DECR. *Tit.* 4. Cap. 7.

VII. Hæc non tàm conſuetudo, quàm corruptela meritò eſt cenſenda, ut Abbas deſerat Monaſterium, quod ad Romanam Eccleſiam noſcitur pertinere, nullo mediante, licentiâ illud deſerendi nec habitâ, nec petitâ. *De Conſuetudine.* Cap. *Cùm venerabilis.* LIB. I. DECR. *Tit* 4. Cap. 7.

Nullus ſine licentia ſui Prælati debet Eccleſiam ſuam dimittere. *Gloſſa.*

Non valet Conſuetudo, per quam Prælatus ſine Superioris licentia poteſt dimittere Prælaturam. *Gloſſa* 1.

VIII. Hi, qui Beneficium Eccleſiaſticum ſibi collatum ſponte in manum Laïcam reſignant; reſignatio talium facta Laïco nullam obtineat firmitatem. *De Renunciatione.* Cap. *Quod in dubiis.* LIB I. DECR. *Tit.* 9. Cap. 8. Vide *Gloſſam*, verbo, *Manibus.* CLEMENTINA UNICA *De Renunciatione.*

In dubiis non improbabiliter dicitur, in illius manibus quem renunciare debere, qui poſſit illum invitum deſtituere.

IX. Si

IX. Si quis sentiens se insufficientem oneri Regiminis, cedat Beneficium in manibus ejus, qui non est Superior, & posteà fiat Electio, tàm Electio quàm Cessio prædictæ decerni debent irritæ & inanes. *De Renunciat.* Cap. *Dilecti.* LIB. I. DECR. *Tit* 9. Cap. 15.

Si non tenuit Renunciatio, non tenuit Electio. *Gl.* verbo, *Electionem*

X. Debet ipse locn suo restitui, donec eo integrè restituto, mandetur alicui, ut vice suâ recipiat Cessionem ipsius antè confirmationem; sufficit Renunciatio facta eis qui elegerunt. *Gl.* verbo, *Renunciavit.*

XI. Clerici obtentis Litteris super provisione suâ in aliquibus Ecclesiis, renunciare possunt Beneficio Litterarum. *De Rescriptis.* Cap. *Ad Audientiam. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* III. Cap. 31.

XII. Gratiæ, ut de Dignitate, vel Beneficio Curato tibi provideatur, renunciare videris, si antè adeptionem ejusdem, aliud Beneficium pacificè assequaris, quod simul de jure cum Dignitate, vel Beneficio virtute dictæ gratiæ tibi debito, retinere non posses, licet istud resignaveris, aut sis resignare paratus. CLEMENTINA IV. *De Rescr.* LIB. I. CLEMENT. *Tit.* 2. Cap. 4.

SECTIO II.

Renunciationem, sivè Resignationem Beneficii non probari, nisi per legitima documenta. Falsam renunciandi voluntatem non sufficere. Per Procuratorem fieri posse, ac semel factam nocere Beneficiario.

I. Licèt in Apostolicis, vel aliis Litteris quibuscumque, aliquem Dignitati, Beneficio, aut Juri cuicumque renunciasse, aut privatum esse, seu aliquid aliud egisse, per quod jus proprium auferatur, narratum sit; hujusmodi Litteræ in his non præjudicent, etiamsi super ipsis gratia vel intentio narrantis fundetur, nisi per testes, aut alia legitima constiterit documenta. PRAGMATICA SANCTIO. *Tit. De Sublatione* CLEMENTINÆ Litteris, *in Titulo De Probationibus,* seu LIB. II. CLEMENT. *Tit.* 7. Cap. unico.

II. Si quis, vocato Diœcesano Episcopo, ut Beneficium in ejus manibus resignet, tamen usus consilio saniori non faciat, ex tali facto eundem Clericum suo renunciare Beneficio non videmus. *De Renunciat.* Cap. *Lecta.* LIB. I. DECR. *Tit.* 9. *Cap.* 14. & ideò voluntas talis non obfuit, quia non processit ad factum. *Gl.* verbo, *Non fecit.*

III. De cessione Regiminis & Administrationis Ecclesiarum & Monasteriorum, factâ per eos qui Ecclesiis & Monasteriis ipsis præerant, seu illam Administrationem, seu Commendam, aut ut aliis unita, aut aliàs obtinebant, seu Resignatione aliorum quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, seu cessione juris in eis, vel ad ea quomodolibet competentis, aut privationis vel depositionis, aut Censurarum fulminatione, etiam in Litteris Apostolicis à Sede Apostolicâ, etiam motu proprio, pro tempore emanatis, quæ in manibus Romani Pontificis factæ dicuntur, contentis, etiamsi super illis narrantis fundaretur intentio, constare & apparere debet per publica instrumenta vel documenta authentica. *Concordatorum Tit.* 16.

IV. Alioquin, tàm in judicio quàm extra illud narrativis & assertionibus hujusmodi in præjudicium tertii minimè stari, nec ex illis alicui præjudicia afferri debeat; nisi de hujusmodi narrativâ & assertione, etiam in Litteris Apostolicis factâ, altero ex præmissis modis doceatur. *Ibid.*

V. Si constiterit Clericum obligasse se ad aliquid probandum sub periculo Renunciationis Ecclesiæ, cùm quilibet ad renunciandum juri suo liberam habeat facultatem, eo non probato, ipsi super dicta Ecclesia silentium imponi debet. *De Crimine Falsi.* Cap. *Ex conscientiâ. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 20. Cap. 9. *fin.*

VI. Si constet Clericum perpetuò renunciasse Præbendæ, amoveatur ab ea, & eo cognito & probato, adjudicetur alii. *De Rescriptis.* Cap. *Ex parte. post init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 3. Cap. 2.

SECTIO III.

Resignationem puram & simplicem fieri posse in manibus Episcopi; non conditionalem, seu in favorem certæ personæ, aut cum reservatione certæ pensionis.

I. Abbas cum permissione Episcopi locum suum potest relinquere. CAUS XVIII. QUÆST. II. Cap. 8. *Abbas.*

II. Canonicus in manibus Archiepiscopi sui, Præbendam, quam in Ecclesiâ obtinet liberaliter (*id est* purè sine aliqua conditione & modo, aliàs Simoniacus fuisset. *Glossa*, verbo, *Resignavit*) resignat. *De Præb.* Cap. *Dilecto. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 25.

III. Si Avunculus Archidiaconatum, quem habet in Ecclesia, velit omninò (*id est sine aliqua conditione. Glossa hoc verbo.*) dimittere, ipsum Nepoti faciat Episcopus assignari. *De Officio Deleg.* Cap. *Ex parte. med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 29. Cap. 12.

IV. Episcopo non licet ex pactione vel conventione quacumque, sub modo vel tenore præscripto, concedere nudum Officium, & sibi retinere proventus. *Ut Ecclesiastica Beneficia &c.* Cap. un. §. 4. LIB. III. DECR. *Tit.* 12. Cap. unico.

V. Caveant Episcopi & alii facultatem habentes, itemque Electores, Præsentatores, & Patroni tàm Ecclesiastici quam Laici, quicumque sint, ne verbo quidem, aut nutu vel signo, futuri in Beneficiis & Officiis Successores, ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum significatione vel hortatu, designentur, aut de his assumendis promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscumque intercedat. *Bulla* PII V. 58. *Quanta Ecclesia.* §. 4. *anni* 1568. TOM. II. *Bullarii.* p. 252.

VI. Si secùs, ac contrà formam prædictorum, fuerit à quocumque temerè attentatum, id totum vires & effectum decretum est non habere. *Ibid.* §. 5. *fin.*

SECTIO IV.

Resignationem spontè fieri debere, eâque spontè factâ non esse audiendum qui renunciavit; coactam verò renunciationem nullius esse momenti.

I. Non est verisimile, quod spontè juri suo renunciaverit, qui renunciat spoliatus. *De Restit. spol.* Cap. *Sollicitè.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 2.

II. Si constiterit quod Clericus nullo metu vel vi coactus, sed spontaneè Ecclesiam abjuraverit; ei super hoc perpetuum silentium imponi debet. *De Restit. Spoliat.* Cap. *Acceptâ. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 3.

III. Cùm constiterit Clericum spontaneâ voluntate Ecclesiam abjurasse, prohiberi debet eidem ne alium super hoc de cætero molestet. *De Restit. Spoliat.* Cap. *Audita.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 4.

IV. Quia constitit de Clerici renunciatione spontaneâ per quasdam Episcoporum litteras & confessionem ipsius, ei super Abbatiâ silentium est imponendum. *De Renunciatione.* Cap. *In præsentiâ.* §. 2. *fin.* LIB. III. DECR. 9. Cap. 6.

V. Cùm Clericus coactus Ecclesiam suam penitùs abjuravit, licèt Collator alii concesserit dictam Ecclesiam, ipsi cum integritate restitui debent universa. *De iis quæ vi.* Cap. *Abbat.* LIB. I. DECR. *Tit.* 40. Cap. 2.

VI. Si Episcopus alicui contulit Decanatum, & constiterit eum facto Episcopi, ex quo nititur, spontè renunciasse, ei super Decanatu silentium imponi debet. *De Appellat.* Cap. *Constitutus.* §. *Intellecto.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 45.

VII. Renun-

VII. Renunciatio facta ad terrorem Laïcorum, non impedit, quominùs is qui renunciavit Ecclesiæ, ad cujus Regimen priùs erat electus, præficiatur eidem. *De iis qua vi.* Cap. *Ad aures*, §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 40. Cap. 3.

VIII. Si Clericum ad Resignationem Ecclesiæ constiterit per talem metum fuisse coactum, qui potuerit & debuerit cadere in virum constantem, præfata Ecclesia ei restitui debet. *De iis qua vi.* Cap. *Ad audientiam. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 40. Cap. 4.

IX. Si obtinentes temporale dominium viros Ecclesiasticos capere, captosque, donec sua resignent Beneficia, ausu detinere sacrilego non verentur; Resignationes Beneficiorum modo suprà dicto extortas (licet à Resignantium ipsorum Prælatis receptæ, aut ratæ habitæ fuerint) nullius omninò decretum est esse firmitatis. *Clementinâ. Multorum. De Pœnis.* Lib. V. Clem. *Tit.* 8. Cap. 2. *med.*

SECTIO V.

Coactam Resignationem juramento firmatam in irritum revocandam, ac omnia indè percepta restituenda post relaxationem juramenti, prout opus est.

I. Si Renunciatio facta ad terrorem Laïcorum, fortè juramento vel fide interpositâ sit confirmata, impedit quominùs is, qui renunciavit Ecclesiæ, ad cujus Regimen priùs erat electus, præficiatur eidem. *De iis quæ vi.* Cap. *Ad aures.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 40. Cap. 3.

II. Si aliquis quemquam gravissimo metu, sub Religione juramenti suum jus refutare coëgerit, ipsumque sibi retinuerit, non est tutum quemlibet contrà juramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis æternæ. *De Jurejur.* Cap. *Si verò. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 8.

III. Si Clericus gravissimo metu quod Ecclesiam resignaret jurare coactus, eam in eorum, ad quos pertinebat, manibus resignet, non obstante juramento, quo non ad repetendum, sed ad resignandum solummodò tenetur, præfata Ecclesia ei restitui debet. *De iis quæ vi.* Cap. *Ad audientiam. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 40. Cap. 4.

IV. Aliquando in Romanâ Ecclesiâ à pluribus Summis Pontificibus factum esse recolitur, quod Clerici, qui coacti Ministerium Ecclesiæ abjurarunt, de juramento absolutionis beneficium meruerunt, & ad coërcendam iniquitatem eorum, qui Ecclesiasticos viros ad præstandum illud compulerant, permissi sunt in eadem Ecclesiâ ministrare. *De Jurejur.* Cap. *Si verò. §. Verùm.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24 Cap. 8.

V. Etsi Clericus renunciaverit Beneficio, non videtur impedimentum afferre juramentum, quod de Beneficio non petendo ulteriùs proponitur præstitisse, si consensus majoris & sanioris partis Canonicorum Ecclesiæ intercessit. *De Renunciatione.* Cap. *Cùm inter.* §. 1. *fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 9. Cap. 2.

VI. Qui coactam Renunciationem juramento confirmavit, tenetur renunciare, & post Renunciationem ex primâ institutione, non potest eidem Beneficio deservire. Hoc juramentum non vergit in dispendium salutis æternæ, ideòque servari debet.

Etsi emiserit juramentum de non repetendo, potest tamen petere relaxationem juramenti, & Beneficii restitutionem à Summo Pontifice. Potest tamen repetere Ecclesiam, nisi juramentum emiserit de non repetendo Beneficio, quo casu ei restitui non debet.

Si sit solummodò juramentum de resignando Beneficio, illud restitui debet.

Juravit quod Beneficium non repeteret, si iterùm eligeretur; undè non obstat juramentum, cùm non agat ex primâ suâ receptione, sed ex novo jure post juramentum præstitum acquisito de consensu majoris & sanioris partis Capituli. *Glossa*, verbo, *Juramentum.*

Etsi juramentum emiserit de non petendo Beneficio, potest nihilominùs de novo eligi, & tunc potest Beneficium recipere.

Notandum circà collectos Textus, variis in locis hujusce Operis propugnatum esse, juramentum non valere quoties fit ad confirmandum contractum nullum ex metu cadente in virum constantem, & ex eodem metu fit; atque inter alia in probationem adductum esse *Cap.* 2. *De Pactis*, *In* 6. ubi Bonif. VIII. agnoscit juramentum metu vel dolo præstitum non valere, ideòque non obligare magis quàm pactum, ad cujus confirmationem adjectum est: hoc autem roborari posse argumento desumpto ex voto solemni Religionis, quod pejoris conditionis non est quàm juramentum, cùm in honorem Dei, ut istud, proximè vergat; Porrò certum esse votum hujusmodi, si metu vel dolo fiat, irritum esse, ideòque non obligare. Huic subjungi posset aliud petitum ex Regula LVIII. *De Reg. Juris In 6. Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*: Quæ cùm indistinctè & generaliter loquatur, æquè intelligenda venit de bonis moribus Civilibus, ac de bonis moribus naturalibus, præsertim dum agitur de violatione Legum utilitatem publicam proximè spectantium. *Vide* quæ dicta sunt hac de re, dum *De Contractibus*, ac dum *De Jurejurando.*

SECTIO VI.

Ecclesiastica Beneficia reposcentibus, objecta spontanea abjurationis, seu Renunciationis exceptio, sine causæ cognitione non est admittenda; & Actoris, quod spontè non renunciavit, non verò Rei, de spontaneâ Renunciatione probationes admitti debent.

I. Nulla ratio hoc verisimile reddit, ut quisquam Beneficium, multis fortè expensis & laboribus acquisitum, quo sustentari debet, facilè sine magnâ causâ suâ sponte resignet. *De Renunciat.* Cap. *Super hoc.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 9. Cap. 5.

II. Ideòque supervacuum non est, causam Resignationis diligenter inquiri, quam si fortè probabilem, *id est*, non vi, nec metu, nec oppressione, nec interventu pecuniæ, nec promissione extortam Judex invenerit; maximè si non intervenerit juramentum, quod vix fieri de voluntate propriâ creditur, nisi replicatio Canonica fuerit opposita, (quod spontè non renunciavit. *Glossa Magna*) admittere non postponat. *Ibid. De Renunciatione.* Cap. *Super hoc.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 9. Cap. 5.

III. Sollicitè perquirendum est, quo tempore quis renunciavit Ecclesiæ; & si constiterit eum spoliatum, cùm eidem Ecclesiæ renunciavit, contrà eum testes alterius Partis, de Juramento & Renunciatione spontè factâ (antequàm restitutus fuerit) non sunt admittendi. *De Restit. Spoliat.* Cap. *Sollicitè. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 13. Cap. 2.

Non est verisimile quod spontè juri suo renunciaverit, qui renunciat spoliatus. *Ibid.*

IV. Institutus in Canonicum, sed refragantibus Canonicis non admissus, si quorumdam illorum ductus (*a*) consilio, literas (*b*) suas eis reddens, eorum misericordiæ se subjiciat; undè misericordiam debuit impetrare, indè non cogendus est dispendium sustinere; adeòque, hoc non (*c*) obstante, in Canonicum admitti debet. *De Renunciat.* Cap. *Sanè.* Lib. I. Decr. *Tit.* 9. Cap. 7.

(*a*) Hic præsumitur dolus, scilicet consilium datum in fraudem, & sui lucri causâ. *Gloss. hoc verbo.*

(*b*) Sic tradendo Literas renunciavit juri suo. *Gloss.*

(*c*) Quia fuit deceptus promissionibus, ei subvenitur. *Glossa*, verbo, *Sustinere.*

Propter dolum Adversarii quis restituitur. *Gloss. in* Cap.

Cap. *Super hoc*, verbo, *Promissione*. LIB. I. DECR. *Tit.* 9. Cap. 5.

V. Licèt negantis factum per rerum naturam nulla sit probatio; ejus tamen qui spontaneam Renunciationem negat, habito ad Dignitatem & opinionem testium respectu, probationes sunt admittendæ. *De Renunc.* Cap. *Super hoc. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 9. Cap. 5.

VI. Qui spontaneam Renunciationem negat, implicitè & quodammodò replicando affirmat, se coactum renunciasse; ideòque super assertione suâ probationes sunt admittendæ. *Ib. fin junctâ Glossâ Magnâ.* LIB. I. DECR. *Tit.* 9. Cap. 5.

VII. Quia verisimile non est quod Presbyter Personatum Ecclesiæ Capellano alicui concesserit, & ab eo ejusdem Ecclesiæ acceperit Vicariam; super hoc probationes recipi provideas, & super hoc probationem accipias. Vide GONZALEM. Non debent, nisi communis loci fama id habeat, vel tales personæ appareant, de quibus verisimile non sit, quòd debeant dejerare. *De Præsumptionibus.* Cap. *Quia verisimile.* LIB. II. DECR. *Tit.* 23. Cap. 10.

Non est verisimile quod Presbyter spontè Personatum renunciet Capellano, & ab eo Vicariam recipiat; quare in contrarium probationes de levi admitti non debent.

SECTIO VII.

Qui resignare possint Beneficia Ecclesiastica? ac potissimùm de minoribus Novitiis, ac infirmis.

I. Episcopi & alii facultatem habentes, eorum duntaxat Resignationes recipere & admittere possint, qui aut senio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti, vel vitiati aut criminii obnoxii, aut Censuris Ecclesiasticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent Ecclesiæ vel Beneficio deservire, seu qui unum aliud vel plura Beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoveri, Religionem quoque ingressuri, vel Matrimonium contracturi, si statim posteà id reipsa exequantur. *Bullâ* PII V. 58. *Quanta Ecclesiæ.* §. 3. *init. ann.* 1568. BULLARII TOMO II. *p.* 252.

II. Nec horum ullus Sacro Ordini mancipatus, nisi Religionem ingressurus, valeat ullo modo Beneficium vel Officium Ecclesiasticum resignare, nisi aliundè ei sit, quo in vitâ possit commodè sustentari. *Ibid.*

III. Si annum quartum decimum peregisti ætatis, in Beneficialibus causis, ac si major viginti quinque annis existeres, ad agendum per te, vel per Procuratorem, quem ad hoc constituendum decreveris, admitti debebis. *In 6. De Judiciis.* Cap. *Si annum.* LIB. II. *Tit.* 1. Cap. 3.

IV. Hnc *Cap.* 3. pertinet directè ad Quæstionem, an pueri possint stare in judicio, & quomodo? Sed indè colligunt Juris Interpretes, pueros infrà decimum quartum annum constitutos non posse sine autoritate Curatoris renunciare Beneficio; posse tamen si decimum quartum annum peregerint. Vide REBUFF. *De Resignationib. p.* 246.

Si infrà quartum decimum annum existas, per te agere non poteris super ipsis. *Ibid.* §. 1.

V. In hujusmodi causis Beneficialibus, quanquam in potestate Patris existas, cùm de his se intromittere non habeat, nequaquam requiri debebit assensus. *Ibid.* §. 3.

VI. Clericis idoneis administratio & custodia Ecclesiarum, donec pueri ad congruam veniant ætatem, committitur. *De Ætate & Qual.* Cap. *Ex ratione.* §. 2. LIB. I. DECR. *Tit.* 14. Cap. 2.

VII. Pueris non competit plena administratio Beneficiorum. REBUFFUS. *Ibid.*

VIII. Beneficium illius, qui Religionem ingreditur, non est intra Probationis annum alicui conferendum, nisi ad id ipsius accedat consensus; sed interim eidem Beneficio per alium deserviri debebit, assignatâ sibi congruâ de ipsius proventibus portione. *In 6. De Regularibus.* Cap. *Beneficium.* LIB. III. *Tit.* 14. Cap. 4.

Novitii resignare possunt Beneficia; sed non potest conferri alteri sine illorum assensu.

IX. Canonicus, qui ad Monasterium gratiâ complendi votum accessit, & ibidem moram aliquantulam faciens Beneficio renunciavit; quoniam Ecclesia ab eo soluta dignoscitur, socios ejus ad receptionem suam in dictâ Ecclesiâ nullâ ratione compellere potest invitos. *De Renunciatione.* Cap *Ex transmissâ.* LIB. I. DECR. *Tit.* 9. Cap. 4.

Postquàm Novitius renunciavit Beneficio suo, illud repetere non potest.

X. Si sine causæ cognitione resignaverit, restitui poterit tanquam læsus vel dolo captus. REBUFF. *De Resignat. p.* 246. Vide *Glossam ad* Cap. 14. *Ex parte. De Restit. Spoliat.* verbo, *Quamvis minor.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 14. *Glossa* hic supponit hunc Canonicum renunciasse Beneficio, & aliis in locis, præcipuè, *In 6. ad* Cap. *Superius.*

XI. Presbyter, qui in infirmitate fervore passionis pressus, Monachum se fieri promisit, non tamen Monasterio, aut Abbati se tradidit, nec promissionem scripsit; sed Beneficium Ecclesiæ in manu Advocati refutavit; postquàm convaluit, mox se Monachum negavit fieri, Beneficia & Altaria recipiat, habeat, & quietè provideat. CAUS. XVII. QUÆST. II. *Cap.* 1. *Gonzaldus.* ALEXANDER *Papa* II. *ann.* 1070.

SECTIO VIII.

Resignationes in favorem fieri debere in manibus Summi Pontificis; nec Beneficia vi talium Resignationum aliis concedi posse, quàm iis in quorum gratiam sunt concessa: & quomodo Resignationes illa publicari debeant aut valeant?

I. Factâ Resignatione à Canonico de Præbendâ Ecclesiæ per commutationem Præbendarum cum alio Canonico, autoritate Apostolicâ illi assignari debet. *De Preb.* Cap. *Inter. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. *Cap.* 17. Idem fieri potest ab Episcopo.

II. Ex quo aliquis resignavit tali modo, ut daretur PETRO, & non fuit ei data, sed PAULO, non videtur ei renunciasse, nec videtur eam perdidisse. *Glossa.*

III. Si alius per Episcopum de Præbenda fuit investitus eadem, & tàm in Choro, quàm in Capitulo, adhibitis solemnitatibus debitis, juxtà Ecclesiæ consuetudinem, institutus; sitâ spe frustratur omninò, & post destitutionem suam nullum illi remedium superest. *Ibid. in int.*

IV Episcopus qui Præbendam ei quam de jure non potuit, assignavit, eidem, quam de jure potest, assignare debet. *Ibid.* §. 2. Quod restringendum ad casum, io quo ex obligatione priorem contulit.

V. Item voluit, quod si quis in infirmitate constitutus resignaverit aliquod Beneficium, sive simpliciter, sive ex causa permutationis, vel aliàs dimiserit, aut illius Commendæ cesserit; seu ipsius Beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis dum esset sanus signatæ, & posteà infrà viginti dies, à die per ipsum Resignantem præstandi consensus computandos, de ipsâ infirmitate decesserit, & ipsum Beneficium quavis autoritate conferatur per Resignationem sic factam, Collatio hujusmodi sit nulla, ipsumque Beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare. REGULA XIX. *Cancellaria Romana. Recepta in Regno Francia.* ex REBUFFO & MOLINAEO.

Regula

Regula De Viginti, seu De Infirmis Resignantibus. Ut hæc Regula locum habeat, tria requiruntur: Primum, quod Resignans sit infirmus: Secundum, quod de eadem infirmitate decesserit: Tertium, quod infrà 20. dies obierit. MOLINÆUS *ad hanc Regulam. init.*

VI. Item idem Dominus noster statuit & ordinavit, quod quæcumque Beneficia Ecclesiastica, sive in Romanâ Curiâ, sive extra eam resignata, nisi de illis factæ Resignationes, si in Romanâ Curiâ infrà sex menses à datâ supplicationis & non à die præstiti consensûs computandos, si verò extra dictam Curiam infrà mensem, Ordinarii alteriusve potestate, juxtà *Cap. ult. De Verb. Signif. In 6.* ex tunc ubi dicta Beneficia consistunt publicata, & possessio illorum ab eis quos id contingit petita fuerit, Resignantes ista postmodum in eorumdem Resignatorum possessione decesserint, non per Resignationem, sed per obitum hujusmodi vacare censeantur: Collationes quoque de illis tanquàm per Resignationem vacantibus factæ, & indè secuta, nullius sint roboris vel momenti. *Regula XXXIV. Cancellariæ Romanæ, registrata in Curiâ Parlamenti 27. Augusti anni* 1493. *Ex* REBUFFO.

VII. Si extrà Curiam, putà in manibus Legati vel Ordinarii, vel alterius habentis potestatem à Papâ, Resignario infrà mensem publicari debet. Terminus sex mensium à datâ Bullarum sumi debet, non à die consensûs præstandi. Si non publicata fuerit Resignario, nec apprehensa possessio, Beneficium vacabit per obitum, non per Resignationem. *Vide* GREGORII XIII. *Bullam* 85. *Humano vix Judicio. ann.* 1584. TOM. II. BULLARII *pag.* 468.

SECTIO IX.

Romanum Pontificem posse dare facultatem alii conferendi Beneficia vacantia; & quid observari tùm debeat?

I. Papa Legato suo recipiendi autoritate suâ Resignationes ab obtinentibus Beneficia Ecclesiastica, qui ea voluerint liberè in ejus manibus resignare, ac Beneficia ipsa personis idoneis conferendi per suas Literas potestatem concedit. *In 6. De Præb.* Cap. *Dudum. init.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 14.

II. Papa aliud gratiosè concedit, ut Beneficia Clericorum suorum, cedentium, aut decedentium, possit conferre. *In 6. De Verb. Signific.* Cap. ult. LIB. V. *Tit.* 12. Cap. 5. *Sicut nobis. init.*

III. Ab Apostolicâ Sede Mandatum dari potest alicui, ut ab aliquo Beneficii (quod obtinet) Resignatione receptâ, ipsum alteri conferat & assignet. *In 6. De Rescriptis.* Cap. *Susceptum. init.* LIB. I. *Tit.* 3. Cap. 6.

IV. Susceptum hujusmodi Mandatum adimplere non potes, si ille, antequàm resignet, rebus eximatur humanis; cùm non per Resignationem vacaverit, sed per mortem; nisi de intentione Mandantis aliud appareat expressè. *Ibid. In 6. De Rescript.* Cap. *Susceptum.* LIB. I. *Tit.* 3. Cap. 6.

V. Papa aliquando in genere potestatem dat Episcopo Beneficia sex Clericorum suorum, cedentium aut decedentium, autoritate suâ personis idoneis conferendi. *In 6. De Præb.* Cap. *Quamvis. init.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 38.

VI. Post prædictam gratiam Episcopo factam, si Canonicatum & Præbendam, quos in suâ Ecclesiâ vacare contigerit, Papa mandet cuidam specialiter provideri; Episcopus conferre non potest, cùm illi, pro quo Papa scripsit, debeantur. *Ibid. In 6. De Præb.* Cap. *Quamvis.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 38.

Concessa potestas conferendi Beneficia vacantia per Resignationem, non extenditur ad conferenda Beneficia, quæ vacant per mortem, nisi exprimatur.

Si primo loco Papa dat licentiam conferendi Beneficia certo modo vacantia, secundo mandet, ut aliquod de his conferat specialiter; cuidam generi derogat, ita quod secundo Beneficium debetur. *Glossa. Tom. III. Tract. de Beneficiis Ecclesiasticis.*

Facultas, de qua loquuntur collecti Textus, recipiendi Resignationes, & conferendi Beneficia resignata, locum habere non poterat in Beneficiis Collationis Episcopalis; cùm Episcopus jure suo posset admittere Resignationem hujusmodi, ac conferre Beneficia resignata; sed tantùm in Beneficiis Collationis Pontificis, qualia ipsi reservata, vel affecta; vel in Beneficiis possessis ab Exemptis quavis Episcopi autoritate, Papæque tantùm subditis; vel in illis quæ conferebantur à Collatoribus inferioribus, quibus deerat potestas Resignationes recipiendi. Mandata hujus generis extra usum esse videntur.

Ex CLEMENT. I. *De Suppl. Neglig* Episcopus potest admittere Resignationes Beneficiorum exemptorum quibusdam casibus, explicatis dum *De Jure Devoluto* actum est.

SECTIO X.

Publicari debere Resignationes, & quomodò?

I. Gravia inconvenientia & absurda ex occultis Beneficiorum Ecclesiasticorum Resignationibus & cessionibus oriuntur. *Bulla* PII V. *Sanctissimus. init. apud* PARISIUM LIB. XI. *in Præfatione.*

II. Contingit quod occultè resignantes, vel cedentes hujusmodi, etiam post Resignationem, vel cessionem per eos factas, non solùm fructus, ex Beneficiis sic cessis vel resignatis provenientes, indebitè percipiunt; sed etiam, quod graviùs est dolendum, tanquam veri Prælati vel Beneficiati Sacramenta ministrant, Ordines conferunt, & Indulgentias CHRISTI fidelibus concedunt, in maximum animarum periculum, & scandalum plurimorum. *Ibid.*

III. Nonnunquam etiam cum eisdem Resignantibus, vel cedentibus, tanquam cum veris Prælatis, aut Beneficiatis contrahentes, illisque Decimas, Census, Oblationes, & alia Jura Ecclesiastica persolventes, illa postmodùm veris Prælatis, seu Beneficiatis, iterùm solvere, & ab illis intrusis, non sine maximo ipsorum solventium damno & incommodo, repetere coguntur. *Ibid.*

IV. Plerumque etiam Ordinarii Collatores, ac etiam Romani Pontifices, pro tempore existentes, Beneficia hujusmodi occultè resignata vel cessa, per obitum ipsorum Resignantium vel cedentium vacare existimantes, illaque tanquam per obitum vacantia conferentes, detectâ posteà Resignatione vel cessione prædictâ, simul cum personis provisis graviter deluduntur & fraudantur. *Ibid.*

V. Etiam licèt in Beneficiis Ecclesiasticis ea, quæ hæreditariæ successionis imaginem referunt, Canonicis Sanctionibus sint odiosa, ac Sanctorum Patrum Decretis contraria; propter varias & diversas fraudes & malitias, quæ in dictorum Beneficiorum Resignationibus, seu jurium in illis vel ad illa competentium cessionibus, quas maximè puritas simplicitasque decet, quotidiè excogitantur & adhibentur; plerùmque Beneficia hujusmodi, quasi jure hæreditario occupata, detinentur. *Ibid.*

VI. Quæcumque dictorum Beneficiorum Resignationes, aut jurium cessiones, quas in manibus suæ Sanctitatis, aut cujusvis alterius, etiam loci Ordinarii, in posterum fieri contigerit; siquidem extra Romanam Curiam, infrà unum; si verò in ipsâ Curiâ fiant, infrà sex menses à die datæ supplicationis Resignationum, seu cessionum earumdem, non autem à die præstiti, seu præstandi consensûs computandos, in Ecclesiâ ipsius Beneficii, ac etiam in Cathedrali, vel Metropolitanâ, vel aliâ Superiori Ecclesiâ, cui Beneficium ipsum resignatum vel cessum immediatè subest, siquidem Beneficium extrà Cathedralem Ecclesiam situm est, vel fuerit; si verò Beneficium hujusmodi in Cathedrali, vel aliâ superiori Ecclesiâ extiterit, in ipsâ solâ, dum inibi populi multitudo ad Divina audienda convenerit, publicè ac altâ & intelligibili voce, ita quoad omnium in eadem

Ecclesiâ præsentium notitiam verisimiliter pervenire possit, per ipsos Resignantes vel cedentes, aut Resignatarios vel Cessionarios, vel alium, seu alios eorum nomine, publicentur. *Ibid.*

VII. Ipsique Resignatarii vel Cessionarii realem & actualem possessionem Beneficiorum hujusmodi realiter & cum effectu apprehendere, vel saltem illam infrà prædictum illius, vel sex mensium terminum, ab his, ad quos illius traditio de Jure vel de Consuetudine spectant, verè & non fictè seu perfunctoriè, congruo loco & tempore, petere debeant. *Ibid.*

VIII. Alioquin Resignationes & cessiones aliter, quàm ut præfertur, publicatæ, seu factæ, cum omnibus indè secutis & sequendis, etiam novis provisionibus, ac aliis cessionibus, & retrocessionibus, cæterisque quibusvis gratiis, nullas & invalidas, nulliusque roboris vel momenti fore ac fuisse & esse statutum est, & ordinatum. *Ibid.*

IX. GREG. XIII. statuit, ut posthac omnes & quæcumque Resignationes, etiam causâ permutationis ac Commendarum, quæ deinceps de quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis in Romani Pontificis pro tempore existentis manibus, ac etiam coram Protonotario publico & testibus fient, & ab illo seu illius mandato admittentur, aut ad hoc Mandata Apostolica, sub quacumque formâ facta, publicari debeant cum Litteris Apostolicis desuper confectis intra sex menses à datâ concessionis gratiæ, non autem à die præstiti super eâ consensûs, numerandos. *Bullâ* LXXXV. GREG. XIII. *Humano. anni* 1584. *§.* 1. *in* BULLARIO. TOM. II. *p.* 468. Hæc Bulla aliaque relata non vigent in Gallia, nisi prout confirmant Regulam *De Publicandis* ibi receptam, ipsique conformes sunt,

SECTIO XI.

Beneficiorum Ecclesiasticarum permutationes propriâ Beneficiariorum autoritate fieri non posse, sed solummodo autoritate Episcopi.

I. Dignitatum permutationes fieri prohibitum est. *De Præb.* Cap. *Majoribus.* fin. LIB. III. DECR. *Tit* 5. Cap. 8.

II. Commutatio Dignitatum in TURONENSI *Concilio* fuit interdicta. *De Rerum Permut.* Cap. *Quæsitum est. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 19. Cap. 5.

III. Generaliter tenendum est, quod commutationes Præbendarum de Jure fieri non possunt, præsertim pactione præmissâ, quæ ut plurimùm intervenit. *Ibid. De Rerum Permut.* Cap. *Quæsitum. §.* 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 19. Cap. 5.

IV. Cùm Clerici de permutatione Præbendarum suarum inter se tractare cæperint, quam utilitati utriusque convenire credunt, ipsi per se de Jure non possunt Ecclesiastica Beneficia permutare. *De Rerum Permut.* Cap. *Cùm universorum. §.* 1. *&* 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 19. Cap. 8.

V. Si qui Archidiaconatum & Præposituram ad invicem commutaverint propriâ auctoritate; cùm id constiterit, & hic Præpositurâ & ille Archidiaconatu debet spoliari. *De Rerum Permut.* Cap. *Cùm olim.* LIB. III. DECR. *Tit.* 19. Cap. 7.

VI. Qui, secundùm formam Juris, sua Beneficia in eadem Diœcesi ad Episcopi Collationem spectantia permutare volentes, liberè in manibus Episcopi ipsa resignent. *In 6. De Rerum Permut.* Cap. Unico. *Licet.* LIB. III. *Tit.* 10. Cap. unico.

VII. Si Episcopus causam inspexerit necessariam, licitè poterit de uno loco ad alium transferre personas; ut quæ uni loco minùs sunt utiles, alibi se valeant utiliùs exercere. *De Rerum Permut.* Cap. *Quæsitum. §. alt.* LIB. III. DECR. *Tit.* 19. Cap. 5. Quod fieri potest sine Partium conventione, sed solo Episcopi judicio.

VIII. Episcopi & alii facultatem habentes, Beneficiorum & Officiorum permutationes admittere possint, quæ Canonicis Sanctionibus, & Apostolicis Constitutionibus permittuntur. *Bullâ* PII V. LVIII. *Quanta Ecclesiæ. ann.* 1568. *§.* 3. *fin. in* BULLARIO, TOMO II. *pag.* 252.

IX. Caveant Episcopi, itemque omnes Electores, Præsentatores, & Patroni, tàm Ecclesiastici quàm Laici, quicumque sint, ne verbo quidem aut nutu vel signo, futuri in hujusmodi Beneficiis vel Officiis Successores ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum significatione vel hortatu, designentur, aut de his assumendis promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscumque intercedat *Ead. Bullâ* PII V. *§.* 4.

X. Inferioris gradûs Sacerdotes, vel alii Clerici, concessione suorum Episcoporum, possunt ad alias Ecclesias transmigrare. CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 37. *ex Concil.* CARTHAG. IV. Cap. 27. *an.* 498.

XI. Permutatio Dignitatum, aut etiam Præbendarum, sine autoritate Superioris fieri non potest. *Glossa*, verbo, *Dignitatum permutationes.*

XII. De titulo minori ad majorem migrare nulli Presbytero licitum sit; sed in eo permaneat, ad quem ordinatus est, &c. *Concil.* TURON. III. *ann.* 813. *Can.* 14. TOM. VII. CONC. *p.* 1263.

XIII. Possunt quidem Beneficiati inter se tractare de permutatione suorum Beneficiorum; sed consummare non possunt sine autoritate Superioris. *Vide Glossam in Clement. unicam. De Rerum Permut.* verbo, *Volentibus.*

XIV. Episcopus propter causam necessariam potest facere commutationes Præbendatum, & translationes personarum; quod *Glossa* intelligit, non præmissa aliquâ pactione. *Glossa.*

XV. Liberè in manibus Episcopi facienda est Resignatio, ut Simonia vitetur. *Glossa.*

XVI. Si Beneficia sint in diversis Diœcesibus, fier in manibus utriusque Episcopi libera Resignatio, vel quælibet in manibus Episcopi sui, vel alter alteri committet, quod meliùs videtur. *Gl.* verbo, *Collationem.*

XVII. Volentibus permutare sua Beneficia licitum est exprimere quod resignant causâ permutationis faciendæ, & non aliàs. *Gloss. ad Clementinam unicam, De Rerum Permut.* LIB. III. CLEM. *Tit.* 5. Cap. unico.

XVIII. Ut Presbyteris de minore titulo ad majorem non liceat transmigrare. *Conc.* RHEM. II. *an.* 813. *Can.* 2. TOM. VII. CONC. *p.* 1257. ALEX. III. *in* TURONENSI *Concilio ann.* 1180. *Ex* URBANO III. *ann.* 1186.

XIX. Tractatus permutationis inter Partes procedere potest; tamen ipsa permutatio expeditur Superioris Officio. *Glossa*, verbo, *Volentibus. ad Clementinam unicam, De Rerum Permutatione.* LIB. III. CLEM. *Tit.* 5. Cap unico.

Antè permutationem potest præcedere tractatus. *Glossa, Ibid.*

XX. Qui Dignitates vel Beneficia autoritate propriâ commutant, illis Dignitatibus & Præbendis sunt privandi. *Glossa.*

Archidiaconatus & Præpositura ad invicem commutari possunt. *De Off. Deleg.* Cap. *Cùm olim. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 29. Cap. 33.

SECTIO XII.

Resignatione factâ Beneficii, causâ permutationis, non posse Beneficium alteri ab Episcopo concedi, quàm compermutanti; alioqui restituendum.

I. Ne concessione juris utentibus, præsertim circà spiritualia, illudatur; si quà Beneficia ex causa permutationis ab aliquibus resignata, aliis quàm ipsis permutare volentibus conferantur, nullius hoc est firmitatis. CLEM. UNICA. *De Rerum. Permutatione.* LIB. III. CLEM. *Tit.* 5. Cap. unico.

II. Beneficia vacantia causa permutationis faciendæ non posse conferri, nisi compermutantibus. *Glossa.*

III. Beneficia ex causa permutationis vacantia, compermutantibus dumtaxat per ipsos Ordinarios liberè conferri possint. *Concordata. Tit.* 5. *De Collationibus.* §. 9. *fin.*

IV. Si

IV. Si duo Clerici de permutatione Præbendarum suarum inter se tractare cœperint, & alter, Præbendâ alterius cuidam consanguineo suo assignatâ, Præbendam suam ei, sicut promiserat, nolit resignare: Cùm deceptis & non decipientibus jura subveniant, si constiterit prædictum Clericum taliter fuisse deceptum, amoto à Præbendâ suâ quolibet illicito detentore, ea restitui debet eidem. *De Rerum Permut.* Cap. *Cùm Universorum.* LIB. III. DECR. *Tit.* 19. Cap. 8.

V. Si permutatio Beneficiorum completa est ex unâ Parte, & per alteram stat quominùs impleatur, restituitur Para ad suum Beneficium. *Summa.*

VI. Videtur quod iste Clericus de jure possit repetere suam Præbendam, tùm quia contractus talis reprobatus est, tùm quia non fuit res secuta propter quam data est. *Gl.* verbo, *Simplicitati. fin.*

SECTIO XIII.

Non posse Beneficiarios, sine gravi causâ Ordine Judiciario probatâ, suis Beneficiis spoliari.

I. Non decet Episcopum Clericos suæ Jurisdictionis, sine manifestâ causâ & rationabili, suis Beneficiis spoliare, quibus tenetur paternâ provisione consulere. *De Restit. Spoliat.* Cap. *Conquerente.* §. 1. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 7.

II. Satis perversum & contrà Ecclesiasticam probatur esse Censuram, ut frustrà pro quorumdam voluptatibus quis privetur, quem sua culpa vel facinus ab Officii, quo fungitur, gradu non dejicit. DIST. LVI. Cap. 7. *Satis perversum.* S. GREGOR. I. LIB. X. *Epist.* 8. *anno* 601.

III. Si Presbyter Ecclesiam justè adeptus fuerit, hanc, non nisi gravi culpâ suâ, & coram Episcopo Canonicâ severitate amittat. CAUS. XVI. QUÆST. VII. Cap. 38. *Inventum est. Ex Concilio* CABILLONENSI II. Cap. 42. *anno* 813.

IV. Nullus debet privari suo Beneficio sine culpâ sua. *Gl.* verbo, *Nisi gravi.*

V. Adimi sibi Beneficium (*a*) antè causæ ejus exitum nulli potest de jure videri. *De Judiciis.* Cap. 2. §. *ult.* LIB. II. DECR. *Tit.* 1. Cap. 1. (*a*) Habetur *Episcopatum*; sed eadem est ratio pro quocumque Beneficio. *Ex Conc.* AFRICANO *seu* MILEVITANO I. *anno* 401.

VI. Si Presbytero fuit Ecclesia Canonicè concessa & tradita, & posteà de crimine aliquo non fuit convictus, de jure non debet Ecclesiâ illâ spoliari. *De Accusationibus.* Cap. *Si constiterit.* §. 2. LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap. 12.

VII. Personæ quæ Ecclesias provident, sine ipsorum assensu, eis in vitâ suâ non debent spoliari. *De Donationibus.* Cap. *Consultationib.* §. 2. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 4.

VIII. Cùm constat evidenter, Judices, prætermisso Juris ordine, Presbyterum suis Ecclesiis per Sententiam privasse, & ei, ad quem illarum Ecclesiarum donatio pertinet, potestatem liberam concessisse Ecclesias illas personis aliis conferendi, quam posteà cuidam Clerico assignarunt; tàm processus eorum, quàm concessio Ecclesiarum de mandato ipsorum facta, retractari debet. *De Purgatione Canonicâ.* Cap. *Cùm Dilectus.* §. 2. *His igitur.* LIB. V. DECR. *Tit.* 34. Cap. 15.

IX. Si non valet destitutio, nec institutio facta in locum destitutorum. *Gl.*

X. Si constiterit Presbyterum falsis criminibus impetitum, & ab Ecclesiâ suâ non convictum, neque confessum, irrationabiliter fuisse ejectum; Quæ cupiditate peracta esse videntur, emendatione corrigantur; *scil.* restituendo Ecclesiæ propriæ jam dictum Sacerdotem. CAUS. II. QUÆST. I. Cap. 10. *Notum sit.* NICOLAUS I. GIRARDO TURONENSI *Archiepiscopo, cir. ann.* 867.

XI. Si VINCENTIUS, qui violenter dicebatur Ecclesiam PETRI occupasse, defunctus est, & ROBERTUS eam postmodùm est ingressus, inter ipsos ROBERTUM & PETRUM, sicut inter eumdem PETRUM & VINCENTIUM, si viveret, negotium terminetur. *De Judiciis.* Cap. *Quia.* LIB. II. DECR. *Tit.* 1. Cap. 11.

XII. Si aliquis Ecclesiâ se asseverans absque judicio & causâ rationabili spoliatum, postulet, ut possessio debeat ei restitui; cùm is qui tenet Ecclesiam quam ipse requirit, antequàm fieret petitio, studiorum, vel peregrinationis, vel aliâ hujusmodi causâ se absentaverit, non potest, nec debet restitutionem habere. *De Offi. Jud. Deleg.* Cap. *Consultationib.* LIB. I. DECR. *Tit.* 29. Cap. 10. *Concil.* ARELAT. VI. *ann.* 813. *Can.* 4. TOM. VII. CONC. *p.* 1225. *Conc.* LONDIN. *ann.* 1126. *Can.* 9. TOM. X. CONC. *p.* 916.

XIII. Si fortè necessitas postulet, ut Sacerdos tanquam inutilis & indignus à curâ gregis debeat removeri, agendum est ordinatè apud Episcopum. *De Haret.* Cap. *Cùm ex injuncto.* §. *ult.* LIB. III. DECR. *Tit.* 7. Cap. 12.

XIV. Postquàm Presbyter Ecclesiam justè fuerit adeptus, non, nisi gravi culpâ interveniente, coram Episcopo Ordine Judiciario probatâ, eam perdat. *Glossa.* ALEXANDER III. *circiter ann.* 1185. *alii* CLEMENS III. *alii* CÆLESTINUS III.

XV. Ecclesiæ regulariter Præpositi perpetuo consistant, nec eis sine Canonicæ autoritatis publicâ Censurâ ejectis, alii ordinentur, & Ecclesia divisionem sustineat. *Conc.* ROM. *sub* JOAN. IX. *anni* 904. Cap. 5. TOM. IX. CONC. 504.

XVI. Hic absens tunc est Possessor, quousque evincatur proprietas, & habet commodum possessionis. *Gl.* verbo, *Restitutionem. med.*

XVII. Contrà absentem causâ peregrinationis, vel studii, vel aliâ consimili, non est procedendum definitivè, nec contumax reputatur. *Glossa.*

Collectorum Textuum ratio est, quod Beneficia ex natura sua perpetua sint; in quo differunt ab Officiis in Titulum non erectis, quæ sunt tantùm Commissiones revocabiles ad nutum committentis, quæque ideò deficiente culpâ & neglecto Ordine Judiciario auferuntur, cum Precario possideantur; Beneficiarii è contra, cùm nomine suo possideant Beneficia, atque ut rem propriam, iis privari non possunt, nisi culpâ sua debitè probatâ hanc privationem meruerint.

SECTIO XIV.

Beneficia quibusque Clericis injustè spoliatis, eorumque reditus, antè omnia restitui debere; modò Titulum saltem coloratum habeant; nisi sit absens, qui possidet; ac post agi posse in judicio.

I. Si Episcopus Clericum Ecclesiâ suâ sine judicio spoliaverit, eidem Clerico præfata Ecclesia cum reditibus indè perceptis restituatur, & in pace eam possidere permittatur. *De Restitutione Spoliat.* Cap. *Conquerente. med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 7.

II. Restitutione autem factâ, si quid adversùs eum Clericum super præscriptâ Ecclesiâ quis proponere voluerit, cum eodem Clerico Ordine Judiciario poterit experiri. *Ibid. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 7.

III. Cùm quis dicit se de possessione Beneficii violenter ejectum, & Adversarius dicit eum non fuisse Canonicè institutum; priùs de violentâ ejectione, quàm de Canonicâ (*a*) institutione, agi debet. *De Restit. Spoliat.* Cap. *In Litteris.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 5.

(*a*) Spoliato non potest referri quæstio dominii, nisi primò fuerit restiturus. *Gl.* verbo, *Canonicâ institut.*

IV. Acceptâ conquestione Clerici, quod violenter fuerit Ecclesiâ spoliatus, si hoc constiterit, eam sibi restitui faciat Judex. *Ibid. De Restitut. Spoliat.* Cap. *Accepta. init* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 3.

V. Si constiterit aliquem spoliatum cùm Ecclesiæ renunciavit; contrà eum Testes alterius Partis, de juramento, & renunciatione spontè factâ, antequàm

restitutus fuerit, non debent admitti. *Ibid. De Restit. Spoliat.* Cap. *Sollicitè. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 2.

VI. Si alicui fuit Ecclesia Canonicè concessa & tradita, & posteà de crimine aliquo non fuit convictus, propter quod de Jure debeat spoliari, vel post appellationem Ecclesiâ illâ fuerit spoliatus, ipsa ei restitui debet. *De Accusationib.* Cap. *Si constiterit.* §. 2. LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap. 12.

VII. Si constiterit quod Clericus à Capellâ, quam Canonicè fuit adeptus, & pluribus annis pacificè possedit, fuerit per potentiam Laïcalem ejectus, ipsa sibi cum reditibus perceptis restitui debet. *De Filiis Presbyt.* Cap. *Constitutus.* §. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 17. Cap. 8.

VIII. Archidiacono Præbendæ possessio cum fructibus indè perceptis, si ejus restitutioni aliud Canonicum non obsistat, restitui debet; restitutione verò factâ, si Archidiaconus ipse suam Canonicam (*b*) institutionem probare potuerit, ipsa rata permanebit. *De Procurator.* Cap. *Ex insinuatione.* §. 2. *fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 38. Cap. 3.

IX. (*b*) Ideò tenetur probare Canonicam institutionem, quia cùm esset Archidiaconus in Ecclesiâ, de Jure Communi illam Præbendam cum Archidiaconatu habere non poterat, nisi probaret secum dispensatum fuisse; undè propter hujusmodi præsumptionem, debet ostendere suam Canonicam institutionem. *Glos.* Verbo, *Probare potuerit.* Usus contrarius prævaluit.

X. Antiquitùs decretum est ut omnes possessiones & omnia sibi sublata, atque fructus cuncti antè litem contestatam percepti, possessori restituantur. CAUS. II. QUÆST. II. Cap. 1. *Antiquitùs.* JOANNES I. *ad* ZACHARIAN *Archiep. ann.* 523.

XI. Nullus Episcoporum &c. *Ibid.* Cap. 3. Idem dicit quod *Cap.* 2. ex quo desumptum videtur, & ampliatum à Pseudo-ISIDORO.

XII. Is, qui se probavit per Sæcularem Potentiam Ecclesiâ spoliatum, restituendus decernitur, justitiâ mediante. *De Causâ Possess.* Cap. *Cùm super.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 12. Cap. 4.

XIII. Redintegranda sunt omnia exspoliatis vel ejectis Episcopis, & in eo loco, undè abscesserant, funditùs revocanda, quacumque conditione temporis, aut captivitate, aut dolo, aut violentia majorum, aut per quascumque causas, res Ecclesiæ vel proprias, aut substantias suas perdidisse noscuntur antè accusationem. CAUS. III. QUÆST. I. Cap. 45. *Redintegranda.* JOANNES I. ZACHARIÆ *Archiepiscopo. Epist.* 1. *ann.* 523.

Spoliatus restitui debet cum fructibus perceptis à tempore spoliationis. *Glossa.*

XIV. Nisi fuerit Ecclesia ad tempus duntaxat concessa, si constiterit, &c. *De Accusat.* Cap. 12. LIB. V. DECR. *Tit.* 10.

XV. Institutio facta per Episcopum de Clerico sortiatur effectum. Exindè, si super Renunciatione, vel abjuratione, vel aliquo alio, aliquis, qui velit & valeat, adversùs eum, quicquam duxerit proponendum, Ordine poterit Judiciario experiri. *De Concess. Preb.* Cap. *Post Electionem.* §. *ult. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 7.

XVI. Si Judici constiterit, Clericos ab Ecclesia & Capellâ absque Ordine Judiciario violenter ejectos, ipsas eisdem restitui faciat; non obstantibus Literis confirmationis, quas alii à Sede Apostolica impetrasse noscuntur. *De Pactis.* Cap. *Cùm pridem. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 35. Cap. 4.

XVII. Si constiterit, quòd Presbyter non fuerit legitimè per testes idoneos Ecclesiâ spoliatus; Judicum cassatâ Sententiâ, Literis etiam confirmationis (si quæ sunt super eadem Ecclesiâ impetratæ) non obstantibus, Ecclesia illa Presbytero restituatur eidem. *De Testib.* Cap. *Ex parte.* §. 2. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 7.

SECTIO XV.

Propter quæ crimina Clerici suis Beneficiis per Sententiam debeant spoliari?

I. Vitium falsitatis in Literis Judicis, ad imponendum ei perpetuum silentium super Ecclesiâ sufficit, qui falsitatem hujusmodi perpetravit. *De Rescriptis.* Cap. *Olim. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 3. Cap. 25. *Conc.* RHEMENSE. *ann.* 1131. *Can.* 4. TOM. X. CONC. *p.* 983. *Conc.* LONDON. *ann.* 1138. *Can.* 8. 9. TOM. X. CONC. *pag.* 996.

II. Si Presbyter filius sit illius, qui proximò in Ecclesiâ ministravit, vel publicè fornicariam habeat, Judices ipsum ab Ecclesiâ amovere possunt. *De Testib.* Cap. *Ex parte. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 7.

III. Qui non sunt veriti recipere Dignitates, Præbendas, ac Beneficia aliorum, qui absque culpâ, & sine causa rationabili, eis fuerunt spoliati, non solùm à Beneficiis ipsis, Præbendis & Dignitatibus, verùm etiam ab aliis Beneficiis, si qua obtinent, & Ecclesiis prorsùs amoveri debent. *De Excessib. Prælat.* Cap. *Tanta est.* §. 3. & 4. LIB. V. DECR. *Tit.* 31 Cap. 18.

IV. Si attestationibus utriusque Partis inspectis, invenitur esse probatum, quempiam Clericum publicum aleatorem esse, ac Usurarium manifestum; quod circà eumdem de donatione Beneficii factum esse dignoscitur, propter indignitatem & vilitatem ipsius, est irritandum. *De Excessib. Prælat.* Cap. *Inter.* §. 1. LIB. V. DECR. *Tit.* 31. Cap 11.

V. Si constiterit Archidiaconum semel & secundò, contra fidem homagii præstiti, ac debitam reverentiam, Episcopum suum esse Dominum negasse, vel in foro Sæculari deposuisse contra eum super rebus Spiritualibus Quæstionem, aut tàm invasori Episcopi & sociorum ejus, quàm fratri ejus, vel complicibus suis causam vel consilium præbuisse: Ipse tanquàm membrum putridum ab Ecclesiâ perpetuò abscindi debet, & Beneficia sua personis idoneis, per illos, ad quos donatio pertinet, assignari debent. *De Excessib. Prælat.* Cap. *Gravem.* LIB. V. DECR. *Tit.* 31. Cap. 15.

VI. Qui Dignitates Ecclesiasticas, seu Beneficia per Schismaticos acceperunt, careant impetratis. *De Schismaticis.* Cap. 1. §. 1. LIB. V. DECR. *Tit.* 8. Cap. 1.

VII. Clerico, qui contrà justitiæ Regulam in Archidiaconatum alterius provehi se consensit, super eo silentium illi est imponendum. *De Concess. Preb.* Cap. *Post Elect.* §. *ult. med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 7.

VIII. Justum est ut Clerici, pro perjurio quod vitare non possunt, ab Ecclesiis perpetuò excludantur. *De Jurejurando.* Cap. *Tua nos. In 6. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 11.

IX. Si constiterit Clericum de perjurio esse convictum, amoveatur à Beneficio. *De Rescr.* Cap. *Ex Parte.* LIB. I. DECR. *Tit.* 3. Cap. 2.

X. Eos qui, ut fornicari eis liceat, Divinum Officium derelinquunt, & à Deo recedentes, Diabolo & operibus ejus serviunt; sicut se justissimè ab Officio alienos faciunt, ita Beneficio Ecclesiarum privatos esse adjudicamus. DIST. LXXXI. Cap. 18. *Eos etiam qui.* ALEXAND. II. *circ. ann.* 1065.

XI. Quoniam non merentur Ecclesias regere, qui sunt crimine perjurii irretiti; si constiterit aliquem Clericum contrà juramentum suum non necessitate, sed voluntate, à pensionis solutione cessasse, ab Ecclesiâ removeri debet. *De Jurejurando.* Cap. *Querelam.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 10.

XII. Si perjurium & homicidium vel eorum criminum aliquod legitimè probatum fuerit contrà Clericum, cui Beneficium est collatum, ipsi super eodem Beneficio silentium imponi debet. *De Accus.* Cap. *Accedens.* §. 2. LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap. 23.

SECTIO

SECTIO XVI.

Clericos Inferiores Benefitio donatos, eo ipsa Beneficia amittere, quo uxores ducunt.

I. Si Clerici, qui Matrimoniom contraxerunt, Ecclesiastica Beneficia detinere contendant, iis privandi sunt; præsertim cùm rerum Ecclesiasticarum substantia per tales soleat deperire. *De Clericis Conjugatis.* Cap. *Diversis.* Lia. III. Decr. *Tit.* 3. *Cap.* 5.

II. *Concil.* Turon. *ana.* 1060. *Cap.* 6. Tom. IX. Conc. *pag.* 1110. loquitur de Clericis in Sacris constitutia, ac obligat cos, ut vel carnale commercium, vel Ministerium Sacrum dimittant. Canonem hunc aliosque similes habes in Traditione Ecclesiæ *De Sacramenta Matrimon.* ubi *De Impedimento Ordinis.*

III. Clerici infrà Subdiaconatùs Ordinem constituti, qui carnia devicti vitio, continere non valentes, uxores accipiunt; eùm simul voluptatibus & carnalibus desideriis, ac Divinis & Ecclesiasticis obsequiis vacare non valeant, ob immunditiam suam Ecclesiasticis Sacramentis indigni tractandis, Ecclesiasticis proculdubio Beneficiis sunt privandi. *De Cler. Conjug.* Cap. *Quod à te.* §. 1. Lia. III. Decr. *Tit.* 3. Cap. 3.

IV. Si qui Clericorum infrà Subdiaconatum acceperint uxores, ipsi ad relinquenda Beneficia Ecclesiastica, & retinendas oaores, districtionc Ecclesiasticâ compelli debent. *De Cler. Conjug.* Cap *Si qui* Lia. III. Decr. *Tit.* 3. Cap. 1. *Appendice Concil.* Latea. *Parte* 18. *Cap.* 2. Vide *Cap.* 3.

V. Ne Clericus conjugatus ad Ecclesiastica Beneficia, aut administrationes Ecclesiasticas admittatur. *Ibid.* Cap. *Sanè. init.* Lib. III. Dacr. *Tit.* 3. Cap. 2.

VI. Qui sunt publicè uxorati, non admittantur ad Ecclesiasticas Dignitates; dimissis ab eis, quas non possunt sine pravo exemplo, & gtavi scandalo retinere. *Ibid.* Cap. *Cùm decorem.* Lia. III. Dacr. *Tit.* 3. Cap. 8. *Vide in int.*

VII. Si quis amodò Episcopus, Presbyter, aut Diaconus fœminam acceperit, vel acceptam retinuerit, proprio gradu decidat, usquedum ad satisfactionem veniat; nec in Choro psallentium maneat, nec aliquam porrionem de rebus Ecclesiasticis habeat. Dist. LXXXI. *Cap.* 16. *Si qnis.* Alexano. II. *circ. ean.* 1065.

Si qnis Sacerdotum, vel Diaconorum, vel Subdiaconorum Officium contumaciter deserens, fœminam sibi potiùs eligit, sicut spontè ob fornicationem dimittit Officium, ita ob prævaricationem dimittere cogatur, etiam invitus, Beneficium. Dist. LXXXI. *Cap.* 17. *Si qnis.* *Idem* Alexano. II.

Collecti Textus, qui præcipiunt, ut Clerici inferiores conjugati priventur Beneficiis suis, loquuntur de privatione facti; eorumque sensus est, in illos exequendos esse Canones ferentes privationem Juris; facti enim sunt contrà illos qui, non obstante Matrimonio contracto, Beneficia retinebant.

SECTIO XVII.

Quid statutum sit, si litigantium aliquis cedat Beneficium, vel ipse decedat?

I. Si ii, contra quos super Dignitatibus, Personatibus, vel aliis Ecclesiasticis Beneficiis, quæ possident, litigatur, lite pendente cedant, vel fortè decedant; ne propter novos adversarios (qui malitiosè interdum petitoribus subrogantur) litigia in Ecclesiarum dispendium prorogari contingat: Statutum est, ut Dignitates, Personatus, vel Beneficia hujusmodi (donec contra superstites lis finita fuerit) aliis nullatenus conferantur, nec ad ea eligatur quispiam, vel etiam præsentetur. Quod si secùs actum fuerit, eo ipso irritum habeatur. *In* 6. *Ut Lite pendeate.* Cap. *Si ii.* Lib. II. *Tit.* 8. Cap. 2. *init.*

II. Si Beneficiatus, contra quem super Beneficio litigatur, cedit vel decedir, alius, lite pendente, eligi non potest; si fuerit electus cum superstite, non valet electio. *Gloss.*

Huc facit *Regula Cancellaria XXIX.* Innoc. X. Sed hæc Regula, necnon Textus collecti, non servantur in Gallia, etsi in odium prolongationis litium super Beneficiis facti sint, eaque ratione justi & favorabiles. Hic usus expositus est in *Institutionibus Ecclesiasticis & Benefitialibus, Part.* 2. *T.* 131.

SECTIO XVIII.

Propter qua crimina Benefitia Ecclesiastica ipso facto vacent?

I. Quicumque manifestè fuerint in hæresi deprehensi, si Clericus est, vel cujustibet Religionis obumbratione suscatus, totius Ecelesiastici Ordinis prærogativâ nudetur, & sit omni Officio & Beneficio spoliatus Ecclesiastico; nisi continuò post deprehensionem erroris, ad fidei Catholicæ unitatem spontè recurrerit, & errorem suum ad arbitrium Episcopi Reginnis publicè consenserit abjurare, & satisfactionem congruam eahibere. *De Hareticis.* Cap. *Ad abolendam.* §. 2. *init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 7. Cap. 9. Lucius III. *anno* 1181. Vide *Conc.* Beluac. *ann.* 1114. Tom. X. Conc. *p.* 80.

II. Quicumque viri Ecclesiastici, qui ad preces Hæreticorum, credentium, receptatorum, defensorum, & fautorum eorum, Dignitates, Personatus, & quæcumque alia Ecclesiastica Beneficia sunt adepti, ex tunc privantur taliter acquisitis. *In* 6. *De Hareticis.* Cap. *Quicumque.* §. 3. *Ad hac.* Lia. V. *Tit.* 2. Cap. 2.

III. Tales & habitis careant perpetuò, & si receperunt illa scienter, ad alia vel similia nequaquam in posterum admittantur. *Ibid. fin.*

IV. Clerici, qui falsarii Literarum Apostolicarum fuerint deprehensi, omnibus Officiis & Beneficiis Ecclesiasticis perpetuò sint privati. *De Crimine Falsi.* Cap. *Ad falsariorum.* §. 1. *med.* Lia. V. Decr. *Tit.* 20. Cap. 7.

V. Clerici, qui sub nomine Sedis Apostolicæ Literis falsis utuntur, Officiis & Beneficiis Ecclesiasticis spolientur. *Ibid. De Crimine Falsi.* Cap. *Ad falsariorum.* §. 2. *init.* Lia. V. Dacr. *Tit.* 20. *Cap.* 7. Per Sententiam privantur.

VI. Presbyteros & alios Clericos, qui pro suis excessibus, ab Episcopo nexibus anathematis Canonicè innodati, præsumpseruot, vel præsumunt Officia celebrare Divina, rationabiliter potest Episcopus omnibus Beneficiis Ecclesiasticis spoliare. *De Clerica Excomm. Ministr.* Cap. *Fraterait.* Lia. V. Decr. *Tit.* 27. Cap. 6.

VII. Nno est iste casus in quo privetur qnis potestate eligendi; quia cùm sit illud pœna, non debet imponi, nisi exprimatur qnod sit imponenda. *Glass.* ia Cap. ult. *De Jure Patron.* Lia. III. Decr. *Tit.* 38. *Cap.* 31. verbo, *Ex vi Juris Patronatûs. fin.*

VIII. Vide *Cap. Si compromissarius. De Elect. In* 6. Noo privat ipso facto Beneficiis eos qui eligunt indignum, sed suspendit tantùm per triennium ab illis, quæ habent in Ecclesia, quam offendunt hujusmodi electione.

IX. Si quis per se truncationes membrorum fecerit, aut judicaverit inserendas, honore privetur & loco. *Ne Clerici vel Manachi.* Cap. *Cleritis.* Lia. III. Dacr. *Tit.* 50. Cap. 5.

X. Qui indignua Altaris Ministerio reputatur, Officio, quod sine Altaris Ministerio non valet adimpleri, cedat; alioquin ab Ecclesiâ amoveatur. *De Excessib. Pralat.* Cap. *Ex Literis.* §. *ult. fin.* Lia. V. Dacr. *Tit.* 31. Cap. 10.

XI. Qui autoritate Judicis Beneficio privandus est, potest illud resignare, quamdiù non est eo privatus.

Cætera crimina, quæ ipso facto privant Beneficiis illa committentes, saltem in Gallia, *Vide in Tractatu De Irregularitate, Part.* 1. *Tit.* 7. *R.* 7. *p.* 604. *Usuum Gallicanorum circà Censuras.*

TITULUS XI.

De unione ac divisione Beneficiorum Ecclesiasticorum.

SECTIO I.

Quid sit unio Beneficiarum? Quot modis fieri possit? Et qui sint effectus illarum unionum?

I. ECclesiam Ecclesiæ aggregari, uniri est. CAUS. XVI. QUÆST. I. *Cap.* 49. *Postquam. med.*

II. Unio est aggregatio seu annexio unius vel plurium Ecclesiarum alteri. GREGORIUS I. LIB. II. *Ep.* 35. *ann.* 592.

III. Præbendæ Ecclesiæ de Capellis in perpetuum annectendis eisdem augmentantur. *De Præb.* Cap. *Exposuisti.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 33.

IV. Ecclesia alteri Ecclesiæ ita aggregatur, uniturque, quatenùs utrarumque Ecclesiarum Sacerdos rectè, CHRISTO Adjutore, possit existere. CAUS. XVI. QUÆST. I. *Cap.* 49. *Postquàm. med.*

V. *Primus unionis modus.* Cùm duæ Ecclesiæ Cathedrales vel Parochiales sic uniuntur, ut utraque remaneat Principalis, *hoc est*, Episcopalis, vel Parochialis; quales nostro tempore fuerunt aliquandiù DIENSIS & VALENTINENSIS Ecclesiæ. Vide *Glossam hic ad* Cap. 48. *& Glossam ad* Cap. 1. *Ne Sede vacante.* LIB. III. DECR. *Tit.* 9.

VI. Romanus Pontifex utrasque Ecclesias (quia agitur de Cathedralibus Ecclesiis) ita unit, & alicui committit, ut proprium utrarumque Ecclesiarum is sciat se esse Pontificem. CAUS. XVI. QUÆST. I. *Cap.* 48. *Et temporis. med.* GREG. I. LIB. II. *Ep.* 31. *ann.* 592.

VII. Romanus Pontifex Abbatialem Ecclesiam erigit in Cathedralem, ipsam Cathedrali Ecclesiæ uniendo, ut idem sit Episcopus utriusque. *Ne Sede vacante.* Cap. *Novit. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 9. Cap. 1.

VIII. Et ideò quæcumque tibi de earum Patrimonio, vel Cleri ordinatione, sive promotione, juxtà Canonum Statuta visa fuerint ordinare atque disponere, habeat ut proprius reverà Sacerdos liberam ex Apostolicæ Sedis consensu atque permissione licentiam. CAUS. XVI. QUÆST. I. *Cap.* 48. *Et temporis. med.*

Potestas Episcopi in utramque Ecclesiam unitam.

IX. Ubi verò commodius atque utilius esse perspexerit, ibi habitet; ita sanè ut alteram Ecclesiam, cui corporaliter præsens non est, sollicitâ providentique curâ disponat, quatenùs Divina illic Mysteria solemniter, auxiliante Domino peragantur. *Ibid.* CAUS. XVI QUÆST. I. *Cap.* 48. *Et temporis. fin.*

X. Vicinus Pontifex, cui cura gubernatioque unitæ Ecclesiæ commissa est, quæcunque sibi de ejus Patrimonio, vel Cleri ordinatione, seu promotione, vigilanti ac Canonicâ visa fuerint curâ disponere, quippe ut Pontifex proprius, liberam habeat ex Apostolicâ permissione licentiam. CAUS. XVI. QUÆST. I. *Cap.* 49. *Postquàm. fin.*

XI. Religiosi habent aliquando Ecclesias, de quibus certas pensiones consueverunt percipere. *De Præb.* Cap. *Avaritiæ.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. *Cap.* 10. Vide GONZALAM *De Unione illarum Ecclesiarum.*

XII. Si fortè Dignitati vel Præbendæ Parochialis Ecclesia sit annexa, qui talem habet Præbendam vel Dignitatem, cùm oporteat eum in majori Ecclesia deservire, in ipsa Parochiali Ecclesiâ idoneum & perpetuum habeat Vicarium Canonicè institutum, qui congruentem habeat de ipsius Ecclesiæ proventibus portionem. *De Præb.* Cap. *Extirpandæ.* §. *Qui verò.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 30.

XIII. *Secundus modus unionis.* Cùm una Ecclesia alteri tamquam Superiori subjicitur, &, velut accessorium principali, perpetuò unitur; undè fit ut titulus ipse unitæ Ecclesiæ quasi extinguatur & confundatur cum principali titulo cui unitur.

Hinc desinit per se Beneficium censeri, per se non vacat, nec resignari, aut permutari potest. Vide *Glossam locis citatis.*

XIV. Iidem Præbendas, quibus Parochiales Ecclesiæ sunt annexæ, simul cum Personatibus obtinere possunt. *In 6. De Præb.* Cap. *Super eo.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 6.

Censentur habere Beneficium non habens curam animarum; quare in iis non requiritur ætas 25. annorum.

XV. Prioratus seu Administrationes locis aliis vicinioribus, ad Monasteria pertinentibus, vel ipsorum Monasteriorum Officiis, aut inter se invicem, ita uniuntur, ut Monachi illorum locorum, quæ aliis unientur Prioratibus, ad Claustrum revocentur, & fit ipsis de locorum ipsorum proventibus provisio debita facienda. CLEMENTINA I. *Ne in agro.* §. *Ad hæc. De Statu Monach.* LIB. III. *Clement. Tit.* 10. Cap. 1.

Tertius modus unionis. Cùm titulus ipse extinguitur, & proventus illius alteri Beneficio applicantur.

Quartum modum ponit *Glossa* locis suprà citatis; cùm ex duabus, *v. g.* Dignitatibus, fit una Dignitas. Sed rectè observat PYRRHING. *De Præb.* SECT. VI. §. 1. *n.* 201. hunc modum non esse in frequenti usu: præterea reducitur ad alios; nam si sint ejusdem speciei, una supprimitur, ac illius reditus alteri applicatur; si sint diversæ speciei, & conservantur utriusque jura & munia, fit unio similis unioni Abbatiæ cum Episcopatu.

SECTIO II.

Propter quas causas de Jure Communi fieri possit Beneficiorum unio?

I. Et temporis qualitas, & vicinitas locorum, Sedem Apostolicam invitat, ut Cathedrales unire debeat Ecclesias, quoniam nec longo itineris spatio à se sejunctæ sunt, nec tanta populi multitudo est, ut singulos, sicut olim fuit, habere debeat Sacerdotes. CAUS. XVI. QUÆST. I. *Cap.* 48. *Et temporis. init*

II. *Prima Causa.* Ecclesia propter paucitatem hominum viciniori unitur Ecclesiæ. Ecclesia, quæ minùs decem mancipia habuerit, aliis conjungatur Ecclesiis. CAUS. X. CAUS. III. *Cap.* 3. *Unio.* §. 1. *fin.*

III. Postquàm hostilis impietas diversarum Civitatum ita desolavit Ecclesias, ut reparandi eas spes nulla, populo deficiente, remanserit; ne defunctis earum Sacerdotibus, reliquiæ plebis, nullo Pastoris moderamine gubernatæ, per invia fidei hostis callidi rapiantur insidiis; hoc Romani Pontificis sedet cordi consilium, ut vicinis eas mandet Pontificibus gubernandas. CAUS. XVI. QUÆST. I. *Cap.* 49. *Postquàm. init.*

IV. *Secunda Causa.* Propter ruinam Ecclesiarum fit unio.

Quia Monasterium aliquod, hostilitate faciente, dicitur desolatum, illud alteri Monasterio cum omnibus rebus suis, vel quæ ei competunt actionibus, judicatur uniendum. *De Religiosis Domib.* Cap. *Quia Monasterium. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 36. Cap. 2.

V. Cùm Ecclesiæ Canonici, diminutâ ipsorum provisione, de reditibus Præbendarum suarum nequeunt sustentari: si evidens necessitas vel utilitas exigat, Præbendæ possunt de Capellis in perpetuum annectendis eisdem augmentari. *De Præb.* Cap. *Exposuisti.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 33.

VI. *Tertia Causa.* Paupertas, cùm Beneficium non potest ampliùs sustentare Clericum.

Quarta Causa. Necessitas, vel utilitas.

VII. Ecclesias, propter angustias tenuitatemque, invicem unire aliquando expedit. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Ref.* Cap. 13. *init.*

VIII. Si

VIII. Si proventus Prioratuum, seu Administrationum, fortè non suppetant, iidem Prioratus, seu Administrationes, locis aliis uniantur. Clem. I. *Ne in agro. §. Ad hæc. De Statu Monach.* Lib. III. Clem. *Tit.* 10. Cap. 1.

IX. Attendant Prælati, ne Ecclesiam alteri Ecclesiæ uniendo, plus favisse personæ quàm Ecclesiæ videantur. *Ne Sede vacante.* Cap. *Novit. §.* 2. Lib. III. Decr. *Tit.* 9. Cap. 1.

In unionibus plus utilitas Ecclesiæ quàm personæ est attendenda. *Glossa*, verbo, *Quam Ecclesia.*

SECTIO III.

Solum Summum Pontificem unire posse Ecclesias Episcopales; & quomodo possit illis subvenire, si tenuis sint reditûs?

I. Unire Episcopatus, atque potestati subjicere alienæ, ad Summum Pontificem pertinere dignoscitur. *De Excessib. Prælat.* Cap. *Sicut unire. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 31. Cap. 8. Urbanus II. *in Epist.* 4. *App.* Tom. X. Conc. *p.* 448. Solius Apostolici est Episcopatus conjungere.

II. Legato non licet duos Episcopatus unire, vel unum dividere sine licentiâ speciali. *De Officio Legati.* Cap. *Quod translationem.* Lib. I. Decr. *Tit.* 30, Cap. 4.

III. Si Episcopus, sui etiam Capituli accedente consensu, Mensæ suæ, vel ipsi Capitulo, aliquam duxerit Ecclesiam uniendam, hoc irritum esse decernitur & inane (quia Episcopus non potest autorisare in facto proprio. *Gl.* verbo, *Quod si Episcopus*, seu esse Judex in propriâ causâ) contrariâ quavis Consuetudine non obstante. Clem. II. *De Reb. Ecclesiæ non alienandis. §.* 1. *fin.* Clem. *Tit.* 4. Cap. 2.

IV. Si Cathedrales Ecclesiæ tàm tenuis reditus sunt & angustæ, ut Episcopali Dignitati nullo modo respondeant, neque Ecclesiarum necessitati sufficiant, Summus Pontifex ex prudentia suâ, prout expedire judicaverit, aut tenues invicem uniat, aut aliquâ accessione fructibus augeat. *Conc.* Trid. Sess. XXIV. Decr. II. *De Reform.* Cap. 13. *init.*

V. Episcopis, qui fructuum subventione, pro Diocæsis suæ tenuitate, indigent, poterit de Beneficiis aliquibus, dum tamen curata non sint, nec Dignitates, seu Canonicatus, & Præbendæ, nec Monasteria in quibus viget Regularis Observantia, vel quæ Capitulis Generalibus & certis Visitatoribus subduntur, à Summo Romano Pontifice provideri. *Conc.* Trid. Sess. XXIV. Decr. II. *De Refor.* Cap. 13.

SECTIO IV.

Episcopos posse unire Beneficia sua Diœcesis, sive Sæcularia, sive Regularia; non verò quemlibet alium Romano Pontifici inferiorem, modò non sint exempta.

I. Episcopi est Ecclesiarum suæ Diœcesis unio & subjectio earumdem. *De Excessib. Prælat.* Cap. *Sicut unire.* Lib. III. Decr. *Tit.* 31. Cap. 8. Unio & subjectio Ecclesiarum pertinent ad Episcopum in suâ Diœcesi. *Glossa.*

II. Si Prior aliquis, Monasterium suum, quod est in aliquâ Diœcesi, & de Episcopi debet ordinari assensu, alteri Monasterio, Episcopi assensu minimè requisito, subjecerit sive unierit: quod fecit inconsulto Episcopo, non obstante assensu vel confirmatione quam Metropolitanus interposuisse proponitur, est irritandum. *Ibid. De Excessib. Prælat.* Cap. *Sicut.* Lib. V. Decr. *Tit.* 31. Cap. 8.

III. Archiepiscopus non potest unire Ecclesias suorum Suffraganeorum sine assensu Episcopi.

IV. Prioratus, seu Administrationes, locis aliis vicinioribus ad Monasteria pertinentibus, cum consilio & assensu Abbatum, per locorum ipsorum Ordinarios uniantur. Clem. I. *Ne in agro. §. Ad hæc. fin. De Statu Monach.* Lib. III. Clem. *Tit.* 10. Cap. 1.

V. Episcopi unire possunt Beneficia Regularia de consensu Abbatum; non possunt Abbates ipsi, quamvis habeant Jurisdictionem quasi Episcopalem. *Vide Decisiones Congregationis* Cardin. *in Conc.* Trid. *ad* Cap. 15. Decr. II. *De Reform.* Sess. XXIV.

VI. Si aliqui per expressum exceptionis privilegium ostenderint se munitos, non teneantur Diœcesano de Spiritualibus respondere. *De Confirmatione utili.* Cap. finali. *in integra.* Lib. II. Decr. *Tit.* 30. Cap. 9.

VII. Cùm Episcopus Ecclesiam aliquam Canonicis concessit, & per scriptum proprium confirmavit, ita quod post decessum Clerici, qui præfatam Ecclesiam tunc tenet, usibus eorum omnibus modis proficiat, & interim autoritate ipsius Episcopi idem Clericus ipsis Canonicis annuam solvat pensionem: Si præfati Canonici auctoritate ejusdem Episcopi, vivente Clerico, perceperunt annuam pensionem, eo mortuo, quamvis autoritatem ejusdem Episcopi non quærant, vitiosè tamen Ecclesiæ possessionem non ingrediuntur; cùm (sicut cautum est) is possideat, cujus nomine possidetur. *De Restit. spoliat.* Cap. *Cùm venisset.* Lib. II. Decr. *Tit.* 13. Cap. 9.

SECTIO V.

Debere potissimùm Episcopos unire Beneficia Præbendis, atque Ecclesiis Parochialibus, cùm tenuis sunt reditûs, ac suis Seminariis ad illorum Fabricam ac sustentationem; & qualia Beneficia unire possint?

I. In Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis insignibus, ubi frequentes adeòque tenues sunt Præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui, pro loci & personarum qualitate, non sufficiant, liceat Episcopis cum consensu Capituli aliquot simplicia Beneficia, non tamen Regularia, iis unire. *Conc.* Trid. Sess. XXIV. Decr. II. *De Reform.* Cap. 15. *init.*

II. Episcopi Præbendis, quarum tenuis est reditus, uniant simplicia Beneficia: non possunt unire Beneficia Regularia.

III. In Parochialibus etiam Ecclesiis, quarum fructus æque adeò exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere, curabit Episcopus ut per Beneficiorum unionem, non tamen Regularium, si fieri possit, tantùm redigatur, quod pro Rectoris ac Parochiæ necessitate decenter sufficiat. *Conc.* Trid. Sess. XXIV. Decr. II. *De Reform.* Cap. 13.

Episcopi pauperibus Ecclesiis Parochialibus uniant, si fieri potest, Beneficia Simplicia. Iis unire non possunt Beneficia Regularia.

IV. Quia ad Collegii adolescentium ab Episcopo instituendi, seu Seminarii Fabricam instituendam, & ad mercedem Præceptoribus & Ministris solvendam, & ad alendam juventutem, & ad alios sumptus, certi reditus erunt necessarii; Episcopi, cum consilio duorum de Capitulo, etiam Beneficia aliquot simplicia, cujuscumque qualitatis & Dignitatis fuerint, vel etiam præstimonia, vel præstimoniales portiones, etiam ante vacationem nuncupatas, sine Cultûs Divini & illa obtinentium præjudicio, huic Collegio applicabunt, & incorporabunt. *Conc.* Trid. Sess. XXIII. *De Reform.* Cap. 18.

V. Prædictæ uniones tolli, seu impediri non possint ex quibuscumque provisionibus, etiam vigore Resignationis, aut quibusvis aliis derogationibus vel suspensionibus. *Conc.* Trid. Sess. XXIV. Decr. II. *De Reform.* Cap. 15. *fin.*

Seminariis unire possunt Beneficia Simplicia.

VI. Quod locum habeat, etiamsi Beneficia sint reservata, vel affecta, nec per Resignationem ipsorum Beneficiorum, uniones & applicationes suspendi, vel ullo modo expediri possint; sed omninò

quacumque vacatione, etiam si in Curiâ effectum suum sortiantur, quacumque Constitutione non obstante. *Conc.* TRID. SESS. XXIII. *De Refor.* Cap. 18. *post med.*

VII. Ut Ordo Ecclesiasticus non confundatur, aut una & eadem Ecclesia duarum quodammodo Dioecesium fiat, non sine gravi eorum incommodo qui illi subditi fuerint; Beneficia unius Dioecesis, etiamsi Parochiales Ecclesiæ, Vicariæ perpetuæ, aut simplicia Beneficia, seu præstimonia, aut præstimoniales portiones fuerint, etiam ratione augendi Cultum Divinum aut numerum Beneficiatorum, aut aliâ quacunque de causâ, alterius Dioecesis Beneficio, aut Monasterio, seu Collegio, vel loco etiam pio, perpetuò non uniantur. *Conc.* TRID. SESS. XIV. *De Refor.* Cap. 9. *post init.*

Episcopi non possunt unire Beneficia alterius Dioecesis.

VIII. Si Ecclesiæ Canonici de reditibus Præbendarum suarum nequeunt sustentari, Præbendas Ecclesiæ poterit Episcopus de Capellis in perpetuum annectendis eisdem, sicut in discretione prævià expedire judicaverit, augmentare, reservatâ congruâ singularum Capellarum Presbyteris portione. *De Præb.* Cap. *Exposuisti.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 33. HONOR. III. hoc modo providere his Canonicis, quàm pluralitate Beneficiorum, utiliùs duxit.

IX. In unionibus quibuslibet, seu ex suprà dictis, seu aliis causis, faciendis, Ecclesiæ Parochiales Monasteriis quibuscumque, aut Abbatiis, seu Dignitatibus, sive Præbendis Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, sive aliis Beneficiis simplicibus, aut Hospitalibus, Militiisve non uniantur. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Refor. Cap.* 13. Excepta sunt Seminaria ipso silentio.

Non possunt unire Ecclesias Parochiales aliis Beneficiis.

SECTIO VI.

Quid observari debeat, ut legitimè fiat unio Beneficiorum, tùm à Romano Pontifice, tùm ab Episcopo? Et quandonam revocari debeat, aut irrita sit?

I. Item voluit Dominus noster Papa, quod petentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri, teneantur exprimere verum annuum valorem, secundùm communem æstimationem Beneficii, tàm uniendi, quàm illius cui uniri petitur; alioquin unio non valeat. *Regula* XXII. URBANI VIII. BULLARII TOM. IV. *p.* 19. INNOCENTII X. *Ad calcem* EXTRAVAG. COMMUNIUM.

II. Unio facta à Romano Pontifice non valet, nisi expressus sit verus valor annuus Beneficiorum, quæ uniri postulantur. Semper in unionibus commissio fiat ad Partes, vocatis quorum interest. *Ibid.*

III. Commissio fieri debet ad Partes, vocatis vocandis.

IV. Idem voluit observari in confirmationibus unionum. *Ibid. fin.* Idem observari debet in confirmatione unionum.

V. In donationibus Ecclesiarum requirendus est & expectandus Patronorum consensus. *De Jure Patronatûs.* Cap. *Suggestum.* §. 1. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 20.

Expectandus Patronorum consensus.

VI Prioratus, seu Administrationes locis aliis ad Monasteria pertinentibus, cum consilio & assensu Abbatum, per locorum ipsorum Ordinarios uniantur. CLEM. I. *Ne in agro.* §. *Ad hæc. De Statu Monach.* LIB. III. CLEM. *Tit.* 10. Cap. 1.

Habendus Superiorum assensus, ut Episcopi uniant illorum Beneficia Regularia.

VII. Ut Episcopi donatio sit legitima, consensus est sui Capituli requirendus. *De Donationib.* Cap. *Pastoralis. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 24. Cap. 7. Consensus Capituli habendus, ut Episcopi uniant Ecclesias Sæculares.

VIII. Si una Ecclesia alteri Ecclesiæ, seu Dignitati alicui, vel Præbendæ, per Episcopum, suo consentiente Capitulo, uniatur, aut Religioso loco donetur; ex eo quòd Rector ipsius ad hoc vocatus, vel si vacabat, defensor ei super hoc datus, non extitit; nequaquam id poterit impugnari. CLEMENTINA II. *De Reb. Ecclesiæ non alienandis. init.* LIB. III. CLEMENT. *Tit.* 4. Cap. 2.

IX. Idem Rectoris consensus non est necessarius; & si Rector Ecclesiæ uniendæ non vocetur, unio non potest impugnari.

X. Uniones & incorporationes à tempore obitûs GREGORII XI. factæ, seu concessæ ad querelas eorum quorum interest, nisi fuerint impetrantes Beneficia sic unita; si non ex rationabilibus causis & veris factæ fuerint, licèt Apostolicæ Sedis autoritas intervenerit, revocabuntur justitiâ mediante. *Bullâ* MARTINI V. *in* SESS. XLIII. *Concilii* CONSTANTIENSIS. *Articulo* 2. CONC. GENER. LABBE, TOM. XII. *p.* 254.

XI. Uniones perpetuæ, quæ deinceps ad cujusvis instantiam fient, nisi eas ex legitimis, aut aliàs rationabilibus causis, coram loci Ordinario, vocatis quorum interest, verificandis, factas fuisse constiterit, per surreptionem obtentæ præsumantur; ac propterea, nisi aliter à Sede Apostolica declaratum fuerit, viribus omninò careant. *Conc.* TRID. SESS. VII. *De Refor.* Cap. 6. *med.*

XII. Uniones perpetuæ, quæ per surreptionem vel obreptionem obtentæ fuerint, irritæ declarentur. *Conc.* TRID. SESS. VII. *De Refor.* Cap. 6. *init.*

SECTIO VII.

Per quamcumque unionem nullum cuiquam afferri debere aut posse detrimentum.

I. Quia Ecclesiæ alicujus Sacerdos cursum vitæ hujus explevit, utraque Ecclesia unitur. CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 48. *Et temporis. med.*

II. Si donationes, vel concessiones Ecclesiarum Religiosis fiant locis ab Episcopo, vel ejus autoritate, ratæ debent haberi; ita quod personæ, quæ jam dictas Ecclesias possident, sine ipsarum assensu, eis in vitâ suâ non debeant spoliari. *De Donat.* Cap. *Consultationib.* §. 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 24. Cap. 4.

III. Vel post mortem Rectorum uniuntur Ecclesiæ, vel quandiù qui possident Ecclesias, quæ uniuntur, iis non possunt inviti spoliari. Præbendas Ecclesiæ potest Episcopus de Capellis in perpetuum annectendis eisdem, (sicut discretione prævià expedire viderit) augmentare, reservatâ tamen congruâ Capellarum Presbyteris portione. *De Præb.* Cap. *Exposuisti. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 33.

Reservatur congrua portio ad sustentationem ejus qui possidet.

IV. Si Prioratus, seu Administrationes locis aliis vicinioribus, ad Monasteria pertinentibus, per locorum Ordinarios uniantur; Monachis locorum, quæ aliis Prioratibus uniuntur, de locorum ipsorum proventibus erit provisio debita facienda. CLEMENTINA I. *Ne in agro.* §. *Ad hæc. fin. De Statu Monachorum.* LIB. III. CLEMENT. *Tit.* 10. Cap. 1.

V. Si Monasterium aliquod alteri Monasterio cum omnibus rebus suis, vel quæ ei competunt actionibus, ducatur uniendum; ipsum Monasterium sic alterius Ordinationi committitur, ut tamen Jurisdictionem illic non Episcopus, in cujus Civitate secundum Monasterium est situm, sed ille cujus est Dioecesis, habeat. *De Religiosis Domib.* Cap. *Quia Monasterium.* LIB. III. DECR. *Tit.* 36. Cap. 2.

VI. Per

VI. Per unionem non fit præjudicium Episcopo, in cujus territorio est. *Glossa*, verbo, *Cujus est Diœcesis*. Nihil Juris deperit Episcopo in cujus Diœcesi sita est Ecclesia, quam Papa unit Ecclesiæ alterius Diœcesis. *Summa*.

VII. Per Sententiam, quâ adjudicatur Ecclesia cum pertinentibus suis alteri Ecclesiæ, Diœcesano Episcopo & Plebano nullum præjudicium generetur. *De Donat.* Cap. *Inter dilectos. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 14. Cap. 8.

SECTIO VIII.

Cùm unita fuerunt Beneficia, quæ Romano Pontifici annatam solvebant, tenentur post unionem singulis quindecim annis Jura solvere.

I. Monasteria, Prioratus, Præpositurræ, Præpositatus, Dignitates, Personatus, Administrationes, Officia, & Beneficia unita, pro quibus Cameræ Apostolicæ annata seu alia Jura solvi consueverant, vel debebant temporibus retroactis; annatam, sive medios fructus unius anni in posterum singulis quindecim annis perpetuò secuturis, eidem Camerario solvere teneantur, & debeant. *Bullâ 6.* Pauli II. *Decet Romanum.* §. 4. *ann. 1469.* Bullarii Tom. I. *pag.* 401. Vide *Bullam* 50. Clement. X. *ann.* 1671. Bullarii Tom. V. *p.* 556.

II. Quindenniorum usus & solutio ideò adinventi sunt, ne Camera Apostolica ex Monasteriorum, Prioratuum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum unionibus, quæ ampliùs vacare non sperabatur, detrimentum aliquod pateretur. *Bullâ* 38. Pii V. *Apostolica.* §. 3. Bullarii Tomo II. *p.* 224. Vide *Bullam* Urbani VIII. *ann.* 1624. Bullarii Tomo V. *p.* 4. Vide *Ibid.* §. 3. & 4. Vide *Bullam* 33. Sixti V. *ann.* 1586. Bullarii Tomo II. *p.* 537.

SECTIO IX.

De dissolutione unionis Beneficiorum, eorumque divisione, ac suppressione.

I. Cùm unio Abbatialis Ecclesiæ cum Cathedrali videtur in grave præjudicium Ecclesiæ redundare, cùm per ipsam dissolvitur Religio, & fraudatur eleemosyna, & hospitalitas tollitur; postulari potest à Sede Apostolicâ, ut, unione penitùs dissolutâ, Monasterium reducatur in statum antiquum, sub Abbatis Regimine gubernandum. *Ne Sede vacante.* Cap. *Novit.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 9. Cap. 1. *init.*

II. *Epistola* 103. *scilicet* Paschalis II. Tom. X. Conc. *p.* 708. permittit ut Episcopatus Lincolniensis dividatur in duos, constituto alio in Parochia illius vocata, consentiente Rege, Lincolniansi Episcopo, & Anselmo Cantuariensi id postulantibus.

III. Plus savisse personæ, quàm Ecclesiæ videretur in facienda unione, si quod Rectore vivente concessum est, post obitum ejus subitò mutaretur. *Ne Sede vacante.* Cap. *Novit.* §. 2. Lib. III. Decr. *Tit.* 9. Cap. 1.

IV. Episcopali Sede vacante, non debet aliquid innovari; sed cùm Ecclesia de Præsule fuerit ordinata, jus suum apud Sedem Apostolicam prosequendi facultatem liberam habebit. *Ibid. fin.*

Vacante Ecclesiâ, etsi Clerici, & alii quorum interesse potest, postulent unionis dissolutionem, petitio non debet exaudiri.

V. Abbas & Monachi humiliter postulare possunt, ut quia tempus advenit, quo sine scandalo Ecclesiæ suæ ruina possit relevari, & Ecclesia id ipsum pariter postulare, Rex quoque cum Regni Magnatibus, & Episcopi cum multis Abbatibus deposcere illud idem possunt. *Ibid. Ne Sede vacante.* Cap. *Novit.* Lib. III Decr. *Tit.* 9. Cap. 1.

VI. Episcopus rationabili causâ de vacante Præbendâ duas potest constituere, ad illas de consensu Capituli duos Canonicos assumendo; dummodò tot sint utriusque proventus quot per utramque utrique provideatur in Beneficio competenti. *De Præb.* Cap. *Vacante.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 26.

VII. De unâ Præbendâ possunt fieri duæ; & secundùm hoc erunt duo nova jura, sicut una Parochia potest dividi in duas. *Glossa*, verbo, *Constituta*.

VIII. Quatuor requiruntur conditiones ad illam divisionem. 1°. Ut ab Episcopo fiat. 2°. Ut rationabili de causâ. 3°. Ut de consensu Capituli. 4°. Ut proventus utrique honestè sufficiant.

Ubi frequentes adeòque tenues sunt Præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui, pro loci & personarum qualitate, non sufficiant; liceat Episcopis cum consensu Capituli, si per Beneficiorum unionem provideri non possit, aliquibus ex iis suppressis, cùm Patronorum consensu, si de Jure Patronatûs Laicorum sint, quarum fructus & proventus reliquarum Præbendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere; ita tamen, ut tot supersint, quæ Divino Cultui celebrando, ac Dignitati Ecclesiæ valeant respondere. *Conc.* Trid. Sess. XXIV. Decr. II. *De Refor.* Cap. 15.

De unione & divisione Beneficiorum dictum est in Tractatu *De Causis Majoribus*, inter quas unio & divisio Episcopatuum recensentur. Reliqua spectantia ad eamdem rem habes quoad Gallos in *Art.* 4. *Libert. Eccles. Gallic.* qui docet illam adoptasse Decretum Constantiense circà uniones; in *Commentario illius*; in *Probationibus Libertatum*; in *Art.* 22. 23. & 24. *Ordinat.* Blesensis; in *Actis Cleri Gallic. Novissimæ Edit.* Tom. X. *versùs finem*, omniumque illorum Epitomem in *Institutionibus Ecclesiast. & Beneficialibus. Part. II. T.* 141. in quibus præcipuè notanda veniunt. 1°. Regem unire propriâ autoritate Beneficia fundationis suæ. 2°. Illius nunc consensum requiri ad singulas uniones. 3°. Patronatui Laico nunquam derogari, invito Patrono. 4°. Quæ necessaria ad unionem, eadem quoque requiri ad divisionem, juxtà Regulam; *Per quascumque causas res nascitur, per easdem dissolvitur.*

TITULUS XII.

De bonis Ecclesiæ, seu de reditibus annexis Beneficiis Ecclesiasticis.

SECTIO I.

Ecclesiam habere posse bona, quæ Clerici quicumque, sive divites seu pauperes, possint percipere.

I. Exemplum Domini accipe conversantis in terrâ. Quare habuit loculos cui Angeli ministraverunt, nisi quia Ecclesia ipsius loculos suos habitura erat? Caus. XII. Quæst. I. *Cap.* 12. *Exemplum.*

II. Habebat Dominus loculos, & à fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat: Tunc primùm Ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta, ut intelligeremus, quod præcepit, non cogitandum esse de crastino, non ad hoc fuisse præceptum, ut nihil pecuniæ servetur

servetur à Sanctis; sed ne Deo pro ista serviatur, & propter inopiæ timorem justitia deseratur. CAUS. XII. QUÆST. I. *Cap.* 17. *Habebat.*

III. Clerici omnes, qui Ecclesiæ fideliter vigilanterque deserviunt, stipendia Sanctis laboribus debita, secundùm servitii sui meritum, per ordinationem Canonum à Sacerdotibus consequantur. CAUS. I. QUÆST. II. *Cap.* 10. *Clerici.*

IV. Episcopi de rebus propriis, vel acquisitis, vel quicquid de proprio habent, hæredibus suis, si voluerint, relinquant. Quicquid verò de provisione suæ Ecclesiæ fuerit, sive de agris, sive de fructibus, sive de oblationibus, omnia in jure Ecclesiæ reservare censuimus. CAUS. XII. QUÆST. I. *Cap.* 19. *Episcopi.*

V. Manifesta debent esse, quæ ad Ecclesiam pertinent, his qui circà Episcopos (*vide* lectionem PITH.) sunt, Presbyteris, & Diaconis; ut, si Episcopo contigerit inopinatus transitus, res Ecclesiæ nullo modo possint minui & perire, neque res propriæ Episcopi importunitatem patiantur pro rebus Ecclesiæ; ut nec Ecclesia incurrat damnum, nec Episcopus in suis rebus pro rebus Ecclesiæ proscribatur. CAUS. XII. QUÆST. I. *Cap.* 20. *Manifesta.*

VI. Cùm, secundùm Apostolum, *Qui Altario servit, vivere debeat de Altari; & qui ad onus eligitur, repelli non debeat à mercede*: Patet à simili, ut Clerici vivere debeant de Patrimonio JESU CHRISTI, cujus obsequio deputantur, ut ipsa nominis ratio persuadet. *De Præb.* Cap. *Cùm secundùm. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 16.

VII. Dignum est, ut Ecclesiæ stipendiis sustententur, in quâ & per quam Divinis obsequiis adscribuntur. *Ibid.*

VIII. Cùm ergò in *Conc.* AGATHENSI, & MARTINI, & *Canonibus Apostolorum* dicatur, (Sint manifestæ res propriæ Episcopi) cùm in eisdem Canonibus, & in *Concil.* ANTIOCHENO præcipiatur, ut Episcopus participet res Ecclesiæ, si tamen indiget; nonne patenter ostenditur quod Episcopus habeat liberè propria, quæ fortassè suis necessitatibus non sufficiunt? Quomodo ergo Clericus, si proprium habere voluerit, Clericus non erit? Et Episcopus habens propria non solùm non desinit esse Episcopus, verùm etiam cunctas Ecclesiasticas facultates in suâ jubetur habere potestate? GRATIANUS. CAUS. XII. QUÆST. I. *ad* Cap. 24. *Præcipimus.*

IX. Ad cognoscendum initium bonorum Ecclesiæ Gallicanæ, Vide *Constitutionem* CLOTHARII *Regis.* TOM. V. CONC. *p.* 827. *circ. ann.* 560. *n.* 10. 11. 12. & 13. *apud* BALUSIUM. *Capitul.* TOM. I. *p.* 7. 8. Confirmat quæ ab Avo, Patre, & Fratribus donata sunt, Ecclesiæ immunitates ab iisdem concessas, fidelium oblationes, & quidquid possederat à 30. annis. Avo. dicit expressè quod *pecuniam non portare* non fuit præceptum; sed potestas recipiendi necessaria ab aliis, quibus prædicabant Evangelium, quam servare Apostolis licuit, vel etiam non servare. *Extravag.* JOAN. XXII. *Quia quorumdam. De Verb. Signif. p.* 163. *Tit.* 14. *Cap.* 5. Vide GERSONIUM *in Sermone an.* 1409. *ex Conc.* AGATHENSI. Cap. 36. *ann.* 506. Hic Canon relatus est suprà *n.* 3. Lex Dei præcipit, ut qui Altario deserviunt, pascantur de ipso. CAUS. XII. QUÆST. I. *Cap.* 22. *fin. ann.* 412. *fin.* Ex S. AUG. *Tract.* 62. *in* JOAN. *ann.* 412.

X. Stipendium ab Ecclesiâ, cui deserviunt, percipere possint Clerici. CAUS. XII. QUÆST. II. *Cap.* 72. *fin.* Ex S. AUG. *Tract.* 50. *in* Cap. 12. JOANN. *ann.* 412. Ex *Conc.* AGATH. Cap. 48. *ann.* 506. relato suprà *n.* 4. Ex *Concil.* MARTINI *Papæ.* Cap. 15. *ann.* 572.

XI. Sine impedimento perfectionis possunt Ecclesiæ facultates possideri. CAUS. XII. QUÆST. I. *Cap.* 13. *Expedit. med.*

XII. S. PAULINUS ingentia prædia, quæ fuerunt sua, vendita pauperibus erogavit; sed cùm factus esset Episcopus, non contempsit Ecclesiæ facultates; sed fideliter dispensavit. *Ibid. &c.*

XIII. Cesset ambitio, quæ dicere solet: Nimis rerum habere Ecclesias CHRISTI. &c. *Conc.* PARIS. VI. *Cap.* 18. TOM. VII. CONC. *p.* 1613.

XIV. Nomine Ecclesiæ, non Episcopus vel Successor Clerici morientis, ubi est Collegium Clericorum, sed Communis Congregatio intelligitur; quæ rerum per Ecclesiam acquisitarum debet Canonicam distributionem & curam habere. *De Testament.* Cap. *Relatum est.* §. 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 26. Cap. 12.

XV. Ubi autem in loco defuncti tantùm unus est ordinandus, is ea bona (sicut & alia ipsius Ecclesiæ) dispenset. *Ibid.*

XVI. Clerici quædam habent, quæ paternæ Successionis vel cognationis intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum, aut amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, pervenerunt ad ipsos; & alia sunt quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt. *De Testam.* Cap. *Quia nos.* LIB. III. DECR. *Tit.* 26. Cap 9.

XVII. Ex privilegiis Imperatorum, & Romanorum Pontificum Ecclesiæ concessis, evidentissimè colligitur, pensionem Ecclesiæ in aliquibus locis justam esse. *De Probationib.* Cap. *Licèt causam.* §. 4. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 9.

SECTIO II.

Qualia sint bona Ecclesiæ, & ad quid sint destinata?

I. Donum Dei est res ipsi Ecclesiæ oblata. CAUS. I. QUÆST. III. *Cap.* 8. *Salvator.* §. 1. *med.*

II. Res Ecclesiasticæ dona Dei sunt, quoniam à Deo fidelibus, & à fidelibus Deo donantur. *Ibid.* CAUS. I. QUÆST. III. *Cap.* 8. *Salvator.* §. 2. *init.* Vide *Synodum* CARISIACAN. *ann.* 858. *Cap.* 7. TOM. VIII. CONC. *p.* 659. Cap. 15. *p.* 666. Ecclesiæ nobis à Deo commissæ sunt: Non talia sunt Beneficia, & hujusmodi Regis proprietas, ut pro lubitu suo inconsultè illas possit dare vel tollere. *Epistola Synodi* TULLENSIS II. *ann.* 860. TOM. VIII. CONC. *p.* 711. ubi ait, Ecclesiæ res, sicut & fideles, appellari hæreditatem Domini, quia Divino Cultui consecratæ sunt. URBANUS II. LUCIO *circiter an.* 1089. *Ep.* 17. CONC. TOM. X. *p.* 439. eodem loco ponit res temporales Ecclesiæ, quo spirituales, quibus annexæ sunt, dicens: A Deo gratis datas, ut suis gratis dentur. *Capitulare* CAROLI MAGNI *an.* 801. *Cap* 1. TOM. VII. CONC. *p.* 1163. ubi formam habes, qua res Ecclesiæ donabantur, usus pios quibus destinabantur, & fructum indè speratum pro salute Donatoris & propinquorum ipsius.

III. Juxtà Sanctorum Patrum Traditionem, novimus res Ecclesiæ, vota esse fidelium, pretia peccatorum, & Patrimonia pauperum. CAUS. XVI. QUÆST. I. *Cap.* 59. *Quia juxta. init.* Ex LIBRO I. *Capitulorum* CAROLI & LUDOVICI *Imperat.* Cap. 85. *ann.* 803. ubi præfigitur, quæ & qualis esse debeat cujusque Ecclesiæ dos & immunitas.

IV. Ad hoc Clericis sunt Ecclesiastici reditus deputati, ut ex ipsis honestè vivere debeant. *De Vitâ & Honest. Cler.* Cap. *Cùm ab omni.* §. 2. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 1. Cap 10.

V. Bona Ecclesiarum, & Clericorum, & pauperum, CHRISTI usibus deputata sunt. *De Immunit. Eccles.* Cap. *Non minùs.* §. 1. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 49. Cap. 4.

VI. Ecclesiasticos reditus, ad propriam utilitatem & ob escam pauperum, & peregrinorum sustentationem esse decernimus. CAUS. XII. QUÆST. II. *Cap.* 13. *Apostolus. post init.*

VII. Beneficium non potest possideri tanquam proprietas, quia nullus dominium dicitur habere sui Beneficii; cùm quasi Usurario Clerici comparentur.

Glossa

Glossa ad Cap. *Cùm olim. De Rerum Permut.* verbo, *Definitivam. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 19. Cap. 7.

VIII. Beneficiati ab Ecclesiâ Usufructuariis comparantur; nam & morte finitur usufructus: imò potiùs Clerici possunt comparari Usuariis, quibus tantùm ad usum quotidianum uti licet. *Glossa ad* Cap. finale. *De Peculio Clericorum.* verbo, *Obitus.* Lib. III. Decr. *Tit.* 25. Cap. 5. Vide *Glossam ad* Cap. 9. *De Officia Ordinarii. In 6.* Lib. I, *Tit.* 16. Cap. 9. verbo, *Reservari.*

IX. Ecclesiæ Christi patrimonium. *In 6. De Elect.* Cap. *Cùm ex eo. antè §.* 1. Lib. I. *Tit.* 6. Cap. 34.

X. Non propriæ sunt, sed communes Ecclesiæ facultates. Caus. XII. Quæst. I. Cap. 13. *Expeditiit.*

Ecclesiæ facultates sunt profectò communes. *Ibid. med.*

XI. Possessiones Ecclesiarum fuerunt vota fidelium, redemptio animarum, patrimonia pauperum. *Conc.* Paris. *ann.* 849. *dictum anteà* Turon. IV. *in Epistolâ ad* Nomenium Tom. VIII. Conc. *p.* 59. Iste, inter alia nefanda quæ fecerat, Ecclesiæ bona abstulerat: istorum malorum ampla ibi descriptio. Urbanus I. *anno* 222 Quæ ex illo referuntur, supposititia sunt.

XII. Res Ecclesiæ pretia sunt peccatorum, patrimonia pauperum, stipendia fratrum in communi viventium. *Conc.* Cabill. II. *ann.* 813. *Can.* 6. Tom. VII. Conc. *p.* 127. *Conc.* Aquisgran. *ann.* 813. Cap. 116. Tom. VII. Conc. *pag.* 1389. Fideles fidei & Christi amore succensi, ob animarum suarum remedium, & Cœlestis Patriæ desiderium, locupletem fecerunt Ecclesiam. *Ex VIII. Synodo Generali* Constantinopolitana *ann.* 869. *&* 870. Tom. VIII. Conc. *p.* 1135. Præter locum relatum *n.* 6. alia notanda habentur, nempè rerum Ecclesiasticarum Administratores illas meliorare & dilatare teneri. *Conc.* Paris VI. *ann.* 829. Cap. 18. Tom. VII. Conc. *p.* 1613. Convenit Pastoribus Ecclesiarum, res Ecclesiæ possidere, non ab his possideri.

XIII. Possessiones Ecclesiæ, *id est*, Villæ datæ sunt Deo ab his, qui antè nos Christiani fuerunt, propter redemptionem animarum, & propter Templorum Dei instaurationem, & eorum victum & vestimentum qui sine cessatione laudes Deo persolvunt, & propter stipendium pauperum, & si opus esset, redemptionem captivorum: Vos Deo aufertis, & quia non statim vindicat, cum securitate possidetis. *Epist. Synodi* Tullensis I. *apud* Lapomarias, *ann.* 859. Tom. VIII. Conc. *p.* 688. *Conc.* Nannetense *anni* 890. *Can.* 10. Tom. IX. Conc. *p.* 470. loquitur de redituum quadripartita divisione, ut de re præcepta, atque Clericos illis uti debere, non quasi suis, sed tanquam commendatis.

XIV. Omnia quæ sunt Ecclesiis oblata vel delegata, in pauperum, pupillorum, viduarum, certum est necessitates destinata; quare quisquis ex his aliquod in suas utilitates exigit, rapinam pauperis in domum suam congestam detinet, & Apostolus ait, *Quia rapaces Regnum Dei non possidebunt.* Benedictus III. *in Privilegio Exemptionis Monasterii* Corbetæ *anno* 855. Tom. VIII. Conc. *p.* 237.

XV. Quis ignorat, illa, quæ collata sunt Deo, per fidelium manus Divinitati possidenda consignari, & ab Humano Jure in Jus Divinum concedi, nec etiam hominum dominationi posse transcribi, quòd constat Divinitatis possessione semel fore contradictum? Undè quisquis ea sui Juris dominationi conatur adjungi, alterius, *id est*, Dei Juris pervasorem certum est fore eum. *Ibid. p.* 239. Vide *Ibid. sequentia.*

SECTIO III.

Ad Ecclesiam pertinet proprietas bonorum, & redituum Beneficiis concessorum.

I. Casellas, vel manciipiola Ecclesiæ, Episcopi (sicut prisca Canorum præcepit autoritas) vel vasa Ministerii, quasi commendata fideli Præposito, integro Ecclesiæ jure possideant. Caus. X. Quæst. II. Cap. I. *Ex* Agathensi *Conc.* Cap. 7. *ann.* 506.

II. Si hi, qui res pro animarum suarum remedio Ecclesiis contulerunt, prœmium merentur; sine dubio damnatione digni sunt, qui eas subtrahere moliuntur. *Concil.* Sicinense *anni* 855. Tom. VIII. Conc. *p.* 148. *fin.*

III. *Epistola Concil.* Duziacensis II. *ann.* 874. Tom. IX. Conc. *p.* 263. ubi inter alia hæc habes: *Qui abstulerit aliquid Patri, vel Matri, homicidæ particeps est. Pater Noster sine dubio Deus est, qui nos creavit; Mater verò nostra Ecclesia, quæ nos in Baptismo spiritualiter regeneravit. Ergo qui* Christi *pecunias & Ecclesiæ rapit, aufert, aut fraudatur, homicida est; atque homicida antè conspectum Justi Judicis deputabitur: Qui rapit pecuniam, & res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit, & ut Sacrilegus puniendus.* Quod deinde pluribus ostendit, undè inferre licet illarum rerum proprietatem ad Ecclesiam pertinere.

SECTIO IV.

Bona Ecclesiæ non posse ad alias usus converti; aut transferri, aut invadi à quoquam, sub pœnâ Excommunicationis.

I. Ea, quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debent, non ad alium, salvâ quidem Sedis Apostolicæ autoritate, converti. Clement. II. *Quia contingit. post init. De Relig. Domib.* Lib. III. Clem. *Tit* 11. Cap. 2. *Concil.* Rhemense *anni* 1119. *Can.* 3. Tom. X. Conc. *p* 863.

II. Ea, quæ Divina sunt, Imperatoriæ Potestati non sunt subjecta. Caus. XXIII. Quæst. VIII. Cap. 21. *Convenior. post init. Concil. ad* Theodonis Villam. *an.* 844. Cap. 4. Tom. VII. Conc. *p.* 1803. insinuat se omni ope spirituali privare, qui res Ecclesiæ usurpant, quia auferunt Ministris Sactis facultatem illam conferendi.

III. Templo Dei nihil potest quisquam decerpere, nec tradere illud quod custodiendum, non tradendum, acceperit. *Ibid.* Caus. XXIII. Quæst. VIII. Cap. 21. *Convenior. §. ult. Concilium* London. *anni* 1138. *Can.* 1. Tom. X. Conc. *p.* 996.

IV. Valdè iniquum & ingens sacrilegium est, ut quæcumque vel pro remedio peccatorum, vel salute, vel requie animarum suarum, unusquisque venerabili Ecclesiæ contulerit, aut certè reliquerit, ab iis, quibus hæc maximè servari convenit, *id est*, Christianis & Deum timentibus hominibus, & super omnia à Principibus & primis Regionum, in aliud transferri, vel converti, permittatur. Caus. XII. Quæst. II. *Cap.* 11. *Indignè. §.* 2. *init.*

V. Indignè ad Altare Dei properare permittitur, qui res Ecclesiasticas audet invadere, aut injustè possidere, aut iniquâ vel injustâ defensione in eis perdurat. Caus. XII. Quæst. II. Cap. 21. *Indignè. init. In 6. Syn.* Rom.

VI. Qui prædia Ecclesiis tradita petierit, vel acceperit, aut possederit, vel injustè defenderit, aut retinuerit: nisi citò se correxerit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate ferietur. Nec aliquo antè Tribunal Christi obstaculo muniat, qui à Religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta, contra fas, sine aliquâ pietatis consideratione, dispergit. Caus. XII. Quæst. II. *Cap.* 21. *Indignè. §.* 2. *med. In Synodo VI.* Romana *anno* 504. *Concil.* Aurelian. III. *ann.* 538. *Can.* 22. Tom. V. Conc. *pag.* 301. *Conc.* Aurelian. V. *ann.* 549. *Can.* 13. 14. Tom. V. Conc. *p.* 394. *Conc.* Paris III. *ann.* 557. *Can.* 1. 2. Tom. V. Conc. *p.* 814.

VII. Qui res Ecclesiæ, jussu vel largitione Principum, vel quorumdam Potentum, aut quâdam invasione, aut Tyrannicâ potestate, retinuerint, & filiis

vel

vel hæredibus fuis, quafi hæreditarias reliquerint, nifi citò res Dei, admoniti à Pontifice, agnitâ veritate, reddiderint, perpetuo anathemate feriantur. CAUS. XVI. QUÆST. I. *Cap.* 57. *In Canonib.* §. 3. *Conc.* RHEM. II. *ann.* 813. *Can.* 36. 37. TOM. VII. CONC. *pag.* 1258.

VIII. Qui res Ecclefiæ petunt à Regibus, & horrendæ cupiditatis impulfu egentium fubftantiam rapiunt, irrita habeantur quæ obtinent, & à Communione Ecclefiæ (cujus facultatem auferre cupiunt) excludantur. *De Rebus Ecclef. non alien.* Cap. *Qui res.* LIB. III. DECR. *Tit.* 13. Cap. 2. *Conc.* TOLET. IX. *ann.* 655. *Can.* 1. TOM. VI. CONC. *p.* 452. *Concil.* VALENTINUM III. *ann.* 855. *Can.* 20. 21. TOM. VIII. CONC. *p.* 142, *Conc.* NICÆN. II. *Can.* 12. TOM. VII. CONC. *p.* 606. *Conc.* AREL. VI. *ann.* 813. *Can.* 21. TOM. VII. CONC. *p.* 1238.

IX. Injuftum videtur & impium, ut mancipia, quæ fideles Deo & Sanctis ejus pro animæ fuæ remedio confecraverint, cujufcumque muneris pretio vel commutationis commercio iterùm in Sæcularem fervitutem redigantur; & ideò omnes Rectores Ecclefiarum fummoperè caveant, ne unius eleemofyna alterius peccatum fiat. CAUS. XII. QUÆST II. *Cap.* 55. *Inftitutum* *Ex* S. AMBROSIO. *Epift.* 33. *ad* MARCELLINAM *Sororem*, *ann.* 387. Cap. 55. *Injuftum.* & *De Rerum Permut.* Cap. *Injuftum.* LIB. III. DECR. *Tit.* 19. Cap. 4. *Ex Conc. apud* CARISIACUM GREGOR. VII. LIB. VI. *Regefti. in Concil.* Cap. 1. *anno* 1078. *ann.* 858.

Prædia Divinis ufibus tradita &c. CAUS. XII. QUÆST. II. *Cap.* 5. *ex* LIB. V. *Capitul.* Cap. 187. & LIB. XI. *Eodem.* THEODOS. *de Epifcopis.* *In Synodo* VI. ROMANA *ann.* 504. *ex* SYMMACHO *Papa.* Vide DIST. XCVI. Cap. 1. §. 5. *p.* 463. *fin.* Vide *Concil.* ARVERN. *ann* 535. *Can.* 5. TOM. IV. CONCIL. *pag.* 1804. *In Synodo* VI. ROMANA *fub* SYMMACHO, *anno* 504. Generaliter quicumque res Ecclefiæ. *Ibid.* CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 57. §. 2. *Ex Concil.* LUGDUN. IV, *ann.* 1055. *aliàs* LUGDUN. *Concil.* BITURIC. *ann.* 1031. *Can.* 22. TOM. IX. CONC. *p.* 867.

X. Ut nullus de Clero, five de populo, Ecclefiaftica bona jure confanguinitatis fibi requirat habenda. *De Preb.* Cap. *Ut nullus.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 1. *Concil.* LUGDUN. II. *ann.* 567. *Can.* 2. TOM. V. CONC. *pag.* 848.

XI. Nullus Laïcorum Ecclefias, vel Ecclefiarum bona occupet, vel difponat: Qui verò fecùs egerit, juxtà Beati ALEXAND. Capitulum, ab Ecclefiæ liminibus arceatur. CAUS. XVI. QUÆST. VII. Cap. 18. *Nullus.* *Ex* PASCHALI II. *fortè ann.* 1107. *Concil.* TURON. II. *ann.* 567. *Can.* 24. 25. TOM. V. CONC. *pag.* 864. &c. *Concil.* NARBON. *ann.* 589. *Can.* 8. TOM. V. CONC. *p.* 1019. *Conc.* RHEM. *ann.* 625. *Can.* 21. TOM. V. CONC. *p.* 1695.

XII. Nulli liceat ignorare, omne quod Domino confecratur, vel quidquid femel fuerit Domino confecratum, &c. CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 3. *Nulli.* *Ex Capitularib.* LIB. VI. Cap. 303. *ann.* 810. *Concil.* TOLET. VI. *ann.* 638. Cap. 15. TOM. V. CONC. *p.* 1747. *Conc.* CABILLON. *ann.* 650. *Can.* 6. 7. TOM. VI. CONC. *p.* 589. *Conc.* MELD. *ann.* 845. Cap. 61. TOM. VII. CONC. *p.* 1837. *Conc.* MELFITANUM. *ann.* 870. *Can.* 18. TOM. VIII. CONC. *pag.* 1138.

XIII Quia Epifcoporum res Ecclefiæ non dubitantur effe, fi in eorum facultatibus fimili fuerit credulitate graffatum, pervafores rerum memoratarum prædictæ Canonum diftrictionis feriantur vindictâ; ut qui moribus propriis, ac nullâ confcientiæ caftigatione corriguntur, faltem Ecclefiafticæ & Canonicæ vindictæ perfodiantur aculeis. CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 58. *Similiter.* *In* 6. *Synodo* ROMANA *fub* SYMMACHO *ann.* 504. Vide *Concil.* BRACHAR. IV. *ann.* 675. Cap. 9. TOM. VI. CONC. *p.* 566. Vide NICOL. I. *Epiftolâ* 15. *Append.* TOM. VIII. CONC. *p.* 504. *Conc. apud* S. MACRAM *in Diœcef.* RHEM. *ann.* 881, Cap. 5. TOM. IX. CONC. *p.* 344.

XIV. De rebus quæ femel Deo contributæ atque dicatæ funt, & poftea fub occafione conceffionis Principum à quibufdam invaduntur atque diripiuntur, fancitum eft, ut priùs confulatur Princeps ad refecandam tàm præfumptivam factionem, & cognofcendum, utrum illius fit conceffio, an Invaforis præfumptio. Quòd fi Principis inordinata fuerit largitio, ipfe fic Princeps pro emendatione redarguendus: Si autem Invaforis declaratur præfumptio, ufque ad emendationem, Excommunicationis fit vindictâ coërcendus. CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 22. *De Rebus.* NICOL. I. *Epift.* 59. TOM. VIII. CONC. *p.* 457. NICOL. I. *Papa in Epift. ad* ADONEM VIENNENSEM *Epifcopum ann.* 862.

XV. Omnibus modis providendum, ut ea quæ à Domino Imperatore, confenfu Epifcoporum, ob honorem & amorem Dei, Ecclefiis conceffa funt, non in avaritiam Presbyterorum, aut in rapacitatem Epifcopalium Miniftrorum, fed in utilitatem Ecclefiæ, & in ufus Clericorum & pauperum deveniant. *Ex* GREGOR. I. LIB. II. *Epift.* 43. *ann.* 593. *Ex Concilio* AGATHENSI. Cap. 49. *anno* 506. *Ex eodem Concilio* AGATH. Cap. 53. *ann.* 506. *Ex eod.* Cap. 22. *Ex eod.* Cap. 33. *Ex* CALLIXTO II. *ann* 1123. *Conc.* VALENTINUM III. *ann.* 855. *Can.* 8. TOM. VIII. CONC. *pag.* 139. *Can.* 9. *Ex eodem.* *Conc.* MOGUNT. *ann.* 888. Cap. 11. TOM. IX. CONC. *p.* 407.

XVI. Si qui Laici temporalem Jurifdictionem, quæ in quibufdam Caftris & Villis Ecclefiæ competit pleno jure, & in cujus quafi poffeffione fuiffe ac effe dignofcitur, per violentiam ufurpare præfumant; monitione præmiffâ, per Cenfuram Ecclefiafticam ceffare ab hujufmodi, & fatisfacere de præteritis damnis & injuriis, compellendi funt. *De Foro Compet.* Cap. *Conqueftus.* LIB. II. DECR. *Tit.* 2. Cap. 16.

Valde eft iniquum, &c. *Ibid.*

Propter quod, &c. *Ibid.* *Conc.* MELDENS. *ann.* 845. Cap. 17. TOM. VII. CONC. *p.* 1826. *Conc* COLON. *ann.* 887. Cap. 4. TOM IX. CONC. *p.* 597. *Conc* MOGUNT. *ann.* 888. Cap. 6. TOM IX. CONC. *p.* 406 *Ex Concil.* AURELIAN. III. Cap. 23. *anno* 538. Vide *Epiftolam* 42. JOANN. VIII. *ad* CAROLUM *Regem dictum* CRASSUM. TOM. IX. CONC. *p.* 37. *Ex Concil.* AGATH. Cap. 7. *an.* 506. *Ex Conc.* MARTINI *Papæ.* Cap. 14. *an. circ.* 572.

Reftitui debere quæ fuerint Ecclefiæ ablata. *Conc.* PONTIGON. *anni* 876. Cap. 10. TOM. IX. CONC. *pag.* 287. *Ex Conc. apud* SYLVANECTUM *in Gallia* GREG I. LIB. VII. *Indicti.* 1. *Epiftolâ* 33. *anno* 598. *In Epift.* S. LEONIS *Papæ I. univerfis per Siciliam conftitutis.* *ann.* 447. *Prima Conditio*, Utilitas Ecclefiæ. *Secunda*, Cleri tractatus.

SECTIO V.

Non licere Prælatis alienare res & bona Ecclefiæ; & credi teftimonio Clericorum, qui afferunt fe alienationi propofitæ femper contradixiffe.

I. Quilibet Prælatus Ecclefiafticarum rerum eft Procurator, non Dominus. *De Donationib.* Cap. *Fraternitatem. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 24. Cap. 2. Vide *Epiftolam* 6. AGAPETI *ann.* 535. TOM. IV. CONC. *p.* 1798. *Concil.* AURELIAN. III. *ann.* 538. *Can.* 12. TOM. V. CONC. *p.* 299. *Conc.* TOLET. III. *ann.* 589. Cap. 3. TOM. V. CONC. *p.* 1010. ALEXAND. III. *ann.* 1170. *Concil.* AUREL, IV. *ann.* 541. *Can.* 9. TOM. V. CONC. *p.* 383. *Ibid.* *Can.* 11.

II. Quilibet Prælatus conditionem Ecclefiæ meliorare poteft; facere verò deteriorem non debet. *Ibid.* *De Donationib.* Cap. *Fraternitatem* LIB. III. DECR. *Tit.* 24 Cap. 2, *Concil.* PARIS. VI. *ann.* 829. Cap. 17. TOM. VII. CONC. *p.* 1612.

III. Epifcopo Ecclefiæ conditionem facere deteriorem non licet. *De in Integrum Reftitutione.* Cap. *Epifcopus.* LIB. I. DECR. *Tit.* 41. *Cap.* 1. ALEXAND. III. *ann.* 1180.

IV. Ea, quæ ad Beatissimæ Ecclesiæ jura pertinent, vel post hæc fortè pervenerint, tanquam ipsam Sacrosanctam & Religiosam Ecclesiam, intacta convenit venerabiliter custodiri. CAUS. X. QUÆST. II. *Cap.* 2. *Ea quæ. init. Constitutio Imperatorum* LEONIS & ANTHEMII. *an.* 470.

V. Ecclesia proprias res amittere non debet. CAUS. XII. QUÆST. II. *Cap.* 45. *Sicut. init.* GREGOR. I. LIB. II. *Epist.* 43. *ann.* 593. *Conc.* TICINENSE. *ann.* 1012. *præfati* BENEDICTI VIII. TOM. IX. CONC. *p.* 822.

VI. Sacerdotes nihil de rebus Ecclesiæ sibi commissæ alienare præsumant. CAUS. XII. QUÆST. II. *Cap.* 35. *Diaconi.* Ex *Conc.* AGATHENSI. *Cap.* 49. *ann.* 506.

VII. Impium est, ut qui res suas Ecclesiæ CHRISTI non contulerit, damnum inferat, & jus Ecclesiæ alienare contendat. CAUS. XII. QUÆST. II. *Cap.* 39. *Etsi illi. med.* Ex *Conc.* TOLETANO IV. *Cap.* 66. *an.* 633.

VIII. Nullus Clericus Præbendam suam, seu Beneficium aliquod Ecclesiarum aliquo modo alienare præsumat: Quod si præsumptum aliquando fuerit, irritum erit, & ultioni Canonicæ subjacebit. CAUS. XII. QUÆST. II. *Cap.* 37. *Alienationes.* §. 1. CALLIXTUS II. *ann.* 1123. *in Concil.* LATERAN. *Can.* 12. *fin.* TOM. II. CONC. *p.* 900. *Conc.* RHEM. *ann.* 625. *Can.* 13. TOM. V. CONC. *p.* 1691.

Si producat quoddam instrumentum &c. *Infrà.*

IX. Si de meis aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei juris esset, respondi me libenter offerre; Templo Dei nihil posse decerpere, nec tradere illud, quod custodiendum, non tradendum acceperim. CAUS. XXIII. QUÆST. VIII. *Cap.* 21. §. ult. S. AMBR. *in Sermone habito contra* AUXENTIUM, *De Basilicis tradendis. n.* 5. *ann.* 386. *post Epist.* 21. TOM. II.

SECTIO VI.

Quid nomine alienationis, quæ Clericis prohibita est, intelligatur?

I. Alienationis verbum continet conditionem, *id est* pactionem, quæ præjudicium afferat, donationem, venditionem, permutationem, & emphyteusis perpetuæ contractum; Undè omnes Sacerdotes ab hujusmodi alienatione abstineant. *De Reb. Ecclesiæ non alienandis.* Cap. *Nulli.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 13. *Cap.* 5. Ex *Conc.* AGATHENSI. *apud* SYLVANECTUM.

II. Diaconi vel Presbyteri in Parochiis constituti, de rebus Ecclesiæ sibi creditis nihil audeant commutare, vendere, vel donare. CAUS. XII. QUÆST. II. *Cap.* 35. *Diaconi. init.* Ex *Conc.* AGATHENSI. *Cap.* 53. *ann.* 506. *Conc. apud* CELYCHYTH. *ann.* 816. *Can.* 7. TOM. VII. CONC. *p.* 1487.

III. Presbyteri vel Clerici, salvo jure Ecclesiæ, rem Ecclesiæ, sicut permiserunt Episcopi, teneant; vendere autem aut donare penitus non præsumant. CAUS. XII. QUÆST. II. *Cap.* 32. *Statuimus.*

IV. Nec mundanarum Legum, nec Sacrorum Canonum Statuta permittunt, res Monasterii de jure ejus quolibet titulo segregari. CAUS. XVII. QUÆST. IV. *Cap.* 41. *Questi nobis. med.* GREG. I. LIB. VII. *Indict.* 1. *Epist.* 33. *ann.* 598.

V. Concessiones Ecclesiarum perpetuas ad alienationes non est dubium pertinere. *De his quæ fiunt à Prælatis.* Cap. *Tua.* §. 1. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 10. Cap. 8. Ex *Conc.* AGATHENSI. *Cap.* 22. *ann.* 506. *Concil.* GUASTALL. *ann.* 1106. *Cap.* 3. TOM. X. CONC. *p.* 749.

VI. Omnium rerum & bonorum Ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, necnon infeudationem, vel contractum emphyteuticum, præterquàm in casibus à Jure permissis, ac de rebus & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, & cum Ecclesiarum evidenti utilitate, ac de fructibus & bonis, quæ servando servari non possunt, fieri prohibitum est. EXTRAVAG. COMM. *Ambitiosæ. init. De Reb. Eccl. non alien.* LIB. III. EXTRAV. COMM. *Tit.* 4. Cap. unico. PAULUS II. *Bullâ seu Constitutione* 5. *ann.* 1467. §. 1. BULLARII TOM. I. *p.* 400.

VII. Non licet Episcopo vel Abbati terram unius Ecclesiæ vertere ad aliam (*id est* rem unius Ecclesiæ applicare alii seu unire) quamvis ambæ sint in ejus potestate. *De Reb. Eccl. non alienandis.* Cap. *Non licet.* LIB. III. DECR. *Tit.* 13. Cap. 1. Ex *Conc.* LUGDUNENSI IV. *ann.* 1055. *aliàs* LUNDONENSI.

VIII. Prohibitum est, universos & singulos Prælatos Ecclesias sibi commissas, bona immobilia, seu jura ipsarum, Laïcis submittere, subjicere, seu supponere, constituendo, vel recognoscendo, seu profitendo ab illis ea tanquam à Superioribus se tenere. *Ia* 6. *De Rebus Eccles. non alien.* Cap. *Hoc consultissimo. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 9. Cap. 2.

SECTIO VII.

Quascumque res immobiles, sive magnas, sive parvas, & quæcumque Ecclesiæ jura, prohibitum est Beneficiariis alienare, sub pœnâ Excommunicationis & restitutionis.

I. Casellas vel mancipiola Ecclesiæ, Episcopi (sicut prisca Canonum præcepit autoritas) vel Vasa Ministerii, quasi commendata fideli Præposito, integro Ecclesiæ jure possideant; *id est*, ut neque vendere, neque per quoscumque contractus res, undè pauperes vivunt, alienare præsumant. CAUS. X. QUÆST. II. *Cap.* 1. *Casellas. init.* Ex *Conc.* AGATHENSI. *Cap.* 7. *ann.* 506.

II. Nulli liceat alienare rem immobilem Ecclesiæ, sive agrum, sive domum, sive hortum, neque specialis hypothecæ titulo obligare. *De Reb. Eccles. non alien.* Cap. *Nulli. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 13. *Cap.* 5. *in integr.* Ex *Conc.* LUGDUN. IV. *ann.* 1055. *vel* LUNDONENSI.

III. Quicumque Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, oblitus Dei, prædium Ecclesiæ magnum, vel exiguum, vel quidquam de jure Ecclesiæ aliènare tentaverit; & Donator, & Alienator, & Venditor, honoris sui amissione mulctetur. CAUS. XVII. QUÆST. IV. *Cap.* 1. *Quicumque.*

IV. Possessiones ad Mensam suam vel Capituli pertinentes Episcopus alienare non debet. *De Reb. Eccl. non alien.* Cap. *Possessiones. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 13. *Cap.* 10. Ex *Synodo* ROM. III. *Cap.* 6. *ann.* 502.

V. Quicumque Presbyter de Jure tituli sui, quolibet modo aurum, argentum, vel gemmas, vestes quoque si sint, vel si accesserint aliqua mobilia ad ornamenta Divina, aliquod in perpetuum alienare tentaverit; Donator, Alienator, ac Venditor honoris sui amissione mulctetur. BURCHARDUS. LIB. III. *Cap.* 180. *citat.* Ex *Conc.* BRACAR. *Cap.* 31. TOM. V. CONC. *p.* 901.

VI. Possessiones, sive reditus, quos Prædecessor, quousque diem clausit extremum, ad manus suas tenuit, & in proprium usum recepit, nec aliis infeudavit, sive intelligantur de Mensâ sive non, ut non alienentur consultius est. *De Reb. Eccl. non alien.* Cap. *Ut super.* LIB. III. DECR. *Tit.* 13. Cap. 8.

VII. Quicquid Parochiarum Presbyter de Ecclesiastici juris possessione distraxerit, inane habeatur, & vacuum vendicatione comparantis, & actione vendentis. CAUS. XII. QUÆST. II. *Cap.* 36. *Quidquid.* Ex *Concil.* AGATHENSI. *Cap.* 53. *ann.* 506. *seu potiùs* EPAONENSI. *ann.* 517. *Can.* 7. TOM. IV. CONC. *p.* 1577. & *Cau.* 8. Cap. 12.

VIII. Si Clerici rem Ecclesiæ vendiderint; & facta venditio non valebit, & de facultatibus, si quas habent proprias, indemnem Ecclesiam reddant, & Communione priventur. CAUS. XII. QUÆST. II. *Cap.* 32. *Statuimus.* Ex *Conc.* AGATHENSI. *Cap.* 12.

IX. Si quid de Ecclesiâ, non in Ecclesiæ causâ, aut necessitate præsumserit, quod distraxit, aut donavit, irritum habeatur. CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 34. *Episcopus.* Vide *Cap. 35. &c.*

X. Si quis de bonis & rebus Ecclesiasticis quicquam alienare præsumserit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, & infeudatio hujusmodi, nullius omninò sit roboris vel momenti; & tàm qui alienat, quàm qui alienatas res & bona prædicta receperit, Sententiam Excommunicationis incurrat. EXTRAVAG. COM. *Ambitiosæ.* §. 3. *init. De Reb. Eccl. non alien.* LIB. III. EXTRAVAG. COM. *Tit.* 4. Cap. un. *Bullâ* 5. PAULI II. *ann.* 1467. BULLARII *pag.* 400. *Conc.* TURON. *ann.* 1060. *Can.* 3. *fin.* TOM. IX. CONC. *p.* 1109.

XI. Jus advocationis Ecclesiarum, donationis, vel emptionis Titulo, aliisque contractibus, in alios transferri prohibitum est; & contractus hujusmodi vim aliquam decretum est non habere. *De Jure Patron.* Cap. *Prætereà.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 23.

XII. Definitum est, neminem protsùs Episcopum tradere salaria Ecclesiarum in emphyteutica pacta; nec alias rusticas possessiones venundare, ac per hoc Ecclesiasticus reditus lædere. CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 13. *Apostolicos. post init. Ex* VIII. *Synodo Generali.* Cap. 15. *ann.* 869. *&* 870.

SECTIO VIII.

Interdictum de non alienandis Ecclesiæ bonis, esse intelligendum, nisi necessarium fuerit vel utilius illa alienare, ita ut fiat cum causæ cognitione, & ex consensu eorum omnium ad quos bona ipsa pertinent; aliter factas alienationes esse irritas.

I. Nisi adsit necessitas, neque Episcopo liceat abuti re aliquâ ex Titulo Ecclesiasticæ Matricis. CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 50. *Ex versione novâ. post* Cap. 51. *Ex Conc.* CARTHAGIN. *anno* 419. Vide GONZALEM *ad* Cap. 2. *De Pactis.* LIB. I. DECR. *Tit.* 35.

II. Placuit ut Presbyteri non vendant rem Ecclesiæ, ubi sunt constituti, nescientibus Episcopis suis; quomodò nec Episcopis liceat vendere prædia Ecclesiæ, inconsulto Concilio vel Presbyterio sine ullâ necessitate. *Ibid.* CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 51. *Placuit. Ex eodem.*

III. Sine exceptione decretum est, ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ suæ quidquam donare vel vendere audeat, nisi fortè aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat; & cum totius Cleri tractatu atque consensu id eligat, quod non sit dubium profuturum Ecclesiæ. CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 52. *Sine exceptione.* Et *De his quæ fiunt à Prælatis.* Cap. *Cùm Apostolica, &* Cap. *Tua nuper.* LIB. III DECR. *Tit.* 10. *Capitib.* 7. *&* 8. LEO PAPA I. *in Epist. Universis per Siciliam constitutis. ann.* 447.

IV. In alienatione juxta LEONIS Papæ Decretum, consensus Episcopi sine Clericorum consensu non sufficit. *De his quæ fiunt à Prælatis.* Cap. *Cùm Apostolicâ.* §. 4. LIB. III. DECR. *Tit.* 10. Cap. 7.

V. Abbatibus, Presbyteris, cæterisque Ministris de rebus Ecclesiasticis, vel Sacro Ministerio deditis, alienare vel obligare absque permissu & subscriptione Episcopi sui nihil liceat. CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 41. *Abbatibus. Ex Concilio* AURELIANENSI III. Cap. 23. *ann.* 538.

VI. Cùm Monasterium depressum est onere maximo debitorum, Abbas & Conventus Villam aliquam, necessitate coacti, possunt concedere in feudum. *De Reb. Eccl. alien.* Cap. *Ad nostram. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 13. Cap. 11.

VII. Possessiones, quæ Ecclesiæ minùs sunt utiles, pro aliis utilioribus de fratrum suorum & sanioris partis consilio & assensu, alienandi seu commutandi Episcopo libera est concessa facultas. *De Reb. Ecclesiæ alien.* Cap. *Ut super.* §. 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 13. Cap. 8.

VIII. Cùm in omnibus judiciis sit rectitudo justitiæ, & Conscientiæ puritas observanda, id multò magis in concessionibus alienationum rerum Ecclesiasticarum convenit observari, in quibus de CHRISTI Matrimonio, & dispensatione pauperum, non de proprio cujusque peculio, agitur vel tractatur. *Bullâ* 2. PAULI II. *Cùm in omnibus. init. ann.* 1465 BULLARII TOM. I. *p.* 397.

IX. Precariæ & commutationes &c. CAUS. XII. QUÆST. II. *Cap.* 44.

Tractatus solemnis & diligens in concessionibus perpetuis, & alienationibus rerum Ecclesiasticarum exigitur. *In 6. De Reb. Eccl. alien.* Cap. *Dudum.* §. 2. LIB. III. *Tit.* 9. Cap. 1.

X. Cùm talis tractatus non fuit habitus in alienatione, ordinatio & concessio ipsa (præsertim cùm evidens necessitas quare fieri deberet, vel utilitas non subest) non valet. *Ibid. in 6. De Reb. Eccl. alien.* Cap. *Dudum. fin.* LIB. III. *Tit.* 9. Cap. 1.

XI. In alienatione rei Ecclesiasticæ, causæ cognitio, autoritas Episcopalis, & consensus Cleri requiritur. *Gl.* verbo, *Tractatus.*

XII. Irrita Episcoporum venditio, commutatio rei Ecclesiasticæ erit, absque conniventiâ & subscriptione Clericorum. CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 52. *Sine exceptione.* §. 1. *fin.* & refertur *De his quæ à Prælat.* Cap. *Tua nuper.* §. 1. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 10. Cap. 8. LEO I. *ann.* 447.

XIII. Irrita erit Episcoporum donatio, & venditio, vel commutatio rei Ecclesiasticæ, absque collaudatione, *hoc est*, confirmatione, seu approbatione & subscriptione Clericorum. *De his quæ fiunt à Præl.* Cap. *Irrita.* LIB. III. DECR. *Tit.* 10. Cap. 1. *Ex Conc.* CARTH. IV. *Cap.* 32. Vide TOM. II. CONC. *p.* 907.

XIV. Si quid Episcopus de Ecclesia, non in Ecclesiæ causâ, aut necessitate præsumserit; quod distraxit, aut donavit, irritum habeatur. CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 34 *med. Episcopus. Ex Conc.* AGATHENSI. *Cap.* 33. *ann.* 506.

XV. Venditiones feudorum Ecclesiasticorum factas sine legitimo Ecclesiasticarum personarum assensu vires decretum est non habere. *De Constitutionib.* Cap. *Quæ in Ecclesiarum.* §. 1. *fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 2. Cap. 7.

XVI. Alienationes quocumque modo factæ sine communi consensu Clericorum Ecclesiæ, irritæ judicantur. CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 37. *Alienationes. init.* CALLIXTUS II. *ann.* 1123.

XVII. Non potest consuetudo introduci, ut domus Laïcis vendita, spretâ formâ Canonum, iis adjudicetur. *De Sent.* Cap. *Cùm causâ.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 8.

XVIII. Sententia, quæ prætaxatam domum secundùm talem Consuetudinem Laïcis adjudicaret, revocari deberet. *Ibid.*

SECTIO IX.

Malè alienata Ecclesiæ bona revocari debere, vel ab ipsis Prælatis, vel ab eorum Successoribus, ac sine difficultate restituenda.

I. Si quis qualibet conditione de rebus Ecclesiæ aliquid alienare præsumpserit, si de suo proprio tantùm Ecclesiæ contulerit, quantùm visus est abstulisse; tùm demùm illud stare licebit. CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 56. *Si quis qualibet. Ex Conc.* MARTINI *Papæ*, Cap. 14. *ann. circ.* 572. *Ex Conc.* AGATHENSI. Cap. 49. *anno* 506.

II. Quod temerè alienatum est, revocetur. CAUS. XII. QUÆST. II. Cap 41. *Abbatibus. Ex Conc.* AURELIANENSI III. Cap. 23. *anno* 538.

III Pen-

III. Pensiones Ecclesiæ, quæ ab aliis, quovis jure tenentur (quia, contrà Constituta Synodi, ab Episcopis prædia alienari nullo potuerunt commento) revocentur. Caus. XII. Quæst. II. *Cap.* 25. Volterranæ. *med.* Gelasius I. Justino *&c. circ. an.* 494.

IV. Sit emptoribus ad sum reversua, qui præsumpsit aliquid de Ecclesiæ rebus illicitâ venditione distrahere. *Ibid.* Ecclesia restituitur in integrum.

V. Quod quis commisit illicitè, aut à Prædecessoribus suis invenit admissum, si proprium periculum vult vitare, damnabit. Caus. XXXV. Quæst. IX. Cap. 3. *Quod quis, init.* Hilarius *Papa anno* 465.

VI. Quod si pronunciatum fuerit venditionem non tenere, quia in arbitrio emptoris est, si velit, supplere justum pretium, aut venditionem rescindere, cùm res minùs dimidiâ justi pretii comparatur: Sententia ipsa, tanquàm Juri contraria, irritanda est, salva Quæstione Ecclesiæ læsæ super deceptione pretii, vel consensu Capituli non habito, & aliâ causâ rationabili, quam Ecclesia læsa duxerit proponendam. *De Emptione.* Cap. *Cùm Dilecti.* §. 1. *&* 2. Lib. III. Decr. *Tit.* 17. Cap 3.

VII. Si producatur quoddam instrumentum, in quo facta alicui alienatio à Capitulo quarumdam rerum Ecclesiæ immobilium continetur; Fratres ad perhibendum testimonium produci possunt. *De Probationibus.* Cap. *Tertio loco.* Lib. II. Decr. *Tit.* 19. Cap. 5.

VIII. Si illi jurati dicant, quod quotiès de hoc inter Fratres aliqua fuerat mentio, consilium totius Capituli & vox fuit unanimis, quòd nolebant alienationem rerum illarum; sed tes domûs integras conservari volebant; cùm contrà hoc nihil Pars Adversa probavit, secundùm assertionem testium est tantummodò judicandum. *Ibid. De Probat.* Cap. *Tertia loco. med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 19. Cap. 5.

IX. Confectum alienationis documentum viribus (quamvis ab initio nullas habuerit) vacuetur. *De Reb. Eccl. alien.* Cap. *Si quis.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 13. Cap. 6.

X. Donatio terræ, quæ contrà rationem facta est, sine aliquâ dilatione restitui debet. Caus. XVII. Quæst. IV. Cap. 41. *Questi. fin.* Greg. I. Lib. VII. *Indict.* 1. *Epist.* 33. *anno* 598.

XI. Cùm Episcopus damnum Ecclesiæ intulit, Successor illius absque aliquâ oppositione ad jus Ecclesiæ revocabit. *De Reb. Eccl. alien.* Cap. *Episcopi. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 13. Cap. 4.

XII. Si Antecessor res Ecclesiæ irrationabiliter distribuit, à Successore ad jus ejusdem Ecclesiæ revocentur. *De Precariis.* Cap. *De Precariis. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 14. Cap. 2.

XIII. Cum fructibus possunt alienata reposci. *De Reb. Eccl. alien.* Cap. *Si quis Presbyterorum.* §. 2. Lib. III. Decr. *Tit.* 13. Cap. 6.

XIV. Etiam licet quibuscumque Ecclesiasticis personis vocem contradictionis offerre, cùm res Ecclesiæ fuit alienata. *Ibid.*

XV. Cùm Prædecessor graves donationes in rebus Episcopatûs fecit in detrimentum Ecclesiæ, suis Canonicis inconsultis, Quoniam donationes hujusmodi de Jure non tenent, licet Successori donationes hujusmodi, tàm à Clericis quàm à Laicis, legitimè revocare. *De Donationibus.* Cap. *Fraternitatem.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 24. Cap. 2. *Conc.* Meldana. *ann.* 845. Cap. 21. 22, Tom. VII. Conc. *p.* 1827.

XVI. In causâ, quæ vertitur inter Ecclesiam & Laïcos super domo eis malè venditâ, Ecclesiæ domus adjudicari debet. *De Sent.* Cap. *Cùm causa.* Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 8.

SECTIO X.

Cùm Ecclesia læsa est in alienatione, etiam debito Juris ordine factâ, nihilominùs aut restitui debere in integrum, aut damnum ejus resarciri.

I. Ecclesiarum indemnitati consulendum est. *De Constitutionibus.* Cap. *Quia in Ecclesiarum.* §. 2. *fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 2. Cap. 7. *De Reb. Eccl. alien.* Cap. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 13. Cap. 12.

II. Ecclesia jure Minoris debet semper illæsa servari. *De in Integram Restit.* Cap. *Requisivit.* Lib. I. Decr. *Tit.* 41. Cap. 1.

III. Si Ecclesia læsa est, & manifestè apparet detrimentum ipsius; quæ in damnum ejus data constiterit, ad ipsius convenit jus proprietatemque redire. *Ibid. De in Integrum Restit.* Cap. *Requisivit.* Lib. I. Decr. *Tit.* 41. Cap. 1.

IV. Cùm grave detrimentum, sive de possessionibus, sive de proventibus ad Episcopalem Mensam vel Cathedralem Ecclesiam pertinentibus, in quantalibet portione constiterit esse collatum, poterit legitimè revocari, nisi præscriptione vel aliâ exceptione legitimâ actio hujusmodi excludatur. *De Donationibus.* Cap. *Apostolicæ. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 24. Cap. 9. finali.

V. Si Monasterium propter alienationem feudi, etiam ex necessitate Laico concessi, inveniatur enorme dispendium incurrisse; Laïcus ut (pecunia, quam pro exoneratione feudi, seu etiam pro utilitate ipsius Monasterii expendisse noscitur, ab Abbate & Conventu receptâ, cùm sibi fructus percepti sufficere debeant pro labore) feudum eidem Monasterio dimittat liberum & quietum, compelli debet. *De Reb. Eccl. alien.* Cap. *Ad nostram.* §. 2. Lib. III, Decr. *Tit.* 13. Cap. 11.

VI. Questi sunt nobis Monachi, Abbatem suum terram, sub prætextu fabricandæ Ecclesiæ, Fraternitati tuæ donationis titulo concessisse: donationem ejusdem terræ, quæ contra rationem facta est, sine aliqua dilatione restitue. Caus. XVII. Quæst. IV. Cap. 41. Greg. I. Lib. VII. *Indict.* 1. *Epist.* 33. *ann.* 598. *Concil.* Moguntr. *anni* 888. Cap. 20. Tom. IX, Conc. *p.* 409.

VII. Cùm constiterit Monasterium in venditione ultra dimidam justi pretii fuisse deceptum; decernatur ut emptores, aut recepto pretio possessiones restituant, aut suppleant quantùm constat, legitimæ venditionis tempore, justo pretio defuisse. *De Emptione* Cap. *Cùm causa. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 17. Cap. 6.

Observatio circà Sectionem X.

Ecclesia aliquando justis de causis toleravit dispensativè nonnullas alienationes bonorum suorum factas à Clericis Sæcularibus, vel Monachis, etiam inconsultis Episcopis. Caus. XVI. Quæst. VII. Cap. 2. *Congregato.* Quod est etiam in *Prima Collectione de Capellis Monach.* Cap. 1. & sic se habet: *Convocato apud* Claromontanam *Urbem multorum Episcoporum Synodali Conventu, proposita est nobis à quibusdam eorum Quæstio de Ecclesiis, vel Ecclesiasticis possessionibus, à Clericis, vel Monachis, usque impræsentiarum, inconsultis Episcopis, acquisitis. Nos autem usi saniori consilio eorumdem Episcoporum, condescendentes pro tempore, providentesque Ecclesiasticæ paci, vel quia aliter absque inevitabilis scandali periculo hujusmodi Quæstio non poterat procedere, autoritate Apostolicâ decernimus, ut ea, quæ à Clericis vel Monachis, vel à quibuscumque personis, prout potuerunt, usque hodiè fuerant acquisita, rata perenniter & inconcussa permaneant; Hoc tamen tenore, ne in posterum tales inconsultis Episcopis talia præsumant.* Quod sequitur spectat ad Capellas Monach.

GONZALEZ *in* Cap. 1. *De Capell. Monach.* notat cum *Correct. Rom.* hunc Canonem non haberi in *Conc.* CLAROMONT. sed extare in nonnullis Veteribus Codicibus. Ex illo Textu infertur, quod pro bono pacis, & vitando scandalo, alienationes nullæ ratæ haberi possunt, etsi factæ sint in favorem Laicorum. RAIMUNDUS resecuit hanc primam Canonis Partem, utpotè Titulo non convenientem.

SECTIO XI.

Solam Laïcorum autoritatem, licet aliàs necessariam, non sufficere ad alienationem legitimam bonorum Ecclesiæ.

I. Laïcis, quamvis Religiosis, disponendi de Rebus Ecclesiæ nulla est attributa potestas. *De Reb. Eccl. non alien.* Cap. finali. *Cùm Laicis.* LIB. III. DECR. *Tit.* 53. Cap. 12. *init.* & CAUS. XVI. QUÆST. VII. Cap. 24. *Ex Synodo* ROMANA *ann.* 502.

II. Si quis Principum vel aliorum Laicorum, dispositionem seu dominationem rerum sive possessionum Ecclesiasticarum sibi vendicaverit, ut Sacrilegus judicetur. CAUS. XVI. QUÆST. VII. Cap. 25. *Si quis.*

III. Constitutio de alienatione feudorum, seu aliorum bonorum Ecclesiasticorum sine legitimo Personarum Ecclesiasticarum assensu præsumpta, non constitutio, sed destitutio, seu potiùs destructio dici potest. *De Reb. Eccl. non alien.* Cap. finali. *Cùm Laicis.* §. 1. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 13. Cap. 12.

IV. Constitutionem à Laicis factam, ut si quis se ad inopiam vergere probabiliter allegaverit, alienandi feudum, quod ab Ecclesiâ tenet, liberam habeat facultatem, sine legitimo Ecclesiasticarum personarum assensu, vires decretum est non habere. *De Constitutionib.* Cap. *Quæ in Ecclesiarum.* §. 1. & 2. LIB. I. DECR. *Tit.* 2. Cap. 7.

V. Alienationes, quæ per Laïcos factæ sunt de rebus Ecclesiasticis, omni careant firmitate, & ad Ecclesias sine omni onere revertantur: Si quis contra præsumpserit, Excommunicationi se noverit subjacere. *De Schismaticis.* Cap. *Quòd.* §. 1. *med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 8. Cap. 1.

VI. Venditiones feudorum, seu aliorum bonorum Ecclesiasticorum, sine legitimo personarum Ecclesiasticarum asseosu præsumptas, occasione Constitutionis Laicæ Potestatis, decretum est non tenere, Præsumptoribus per Censuram Ecclesiasticam compellendis. *Ibid. De Reb. Eccl. non alien.* Cap. finali. *Cùm Laicis.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 13. Cap. 12.

VII. Principes Sæculares res Ecclesiæ donare non possunt. *De Reb. Eccl. non alien.* Cap. *Qui res. junctâ Rubr.* LIB. III. DECR. *Tit.* 13. Cap. 2.

VIII. Cùm in tantum quorumdam Laïcorum procedit audacia, ut, Episcoporum autoritate neglectâ, possessiones atque alia Ecclesiastica bona pro suâ voluntate distribuant, ipsos anathemate decretum est esse feriendos. *De Jure Patronatûs.* Cap. *Præterea. post init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 4.

IX. De Ecclesiasticis facultatibus solis Sacerdotibus disponendi indiscussè à Deo cura commissa docetur. DIST. XCVI. Cap. 1. *Benè.* §. *ult. fin.*

X. Quibuslibet Laïcis, quamvis Religiosis, vel Potentibus, quolibet modo aliquid decernere de Ecclesiasticis facultatibus non licet. *Ibid.*

XI. Ut nunquam temerario ausu super hæreditatem Domini, *id est*, Ecclesias, Laïci præsumant Sæculares dominium suscipere. &c. *Concil. apud* BACANCELO *in Anglia, ann.* 798. TOM. VII. CONC. *p.* 1149.

XII. In *Concilio* CLOVESHOVIÆ *ann.* 803. habetur; *Laicos & Seculares Dominos sibi non præsumant eligere.* TOM. VII. CONC. *p.* 1189.

XIII. Valdè justum constat atque Religiosum, ut qui à Domino meruerunt percipere Regni honorem, ipsi Deo conservent quod ei collatum est piâ credentium devotione. BENEDICTUS III. *in Privilegio Exemptionis Monasterii* CORBEIÆ. *ann.* 855. TOM. VIII. CONC. *p.* 239. *Concil.* TURON. *ann.* 1060. Cap. 8. TOM. IX. CONC. *p.* 1110. jubet excommunicari Laïcos, qui de re Ecclesiastica disponere præsumunt. *Conc.* LATERAN. I. *ann.* 1123. *Can.* 4. TOM. X. CONC. *p.* 898. vult, ut quicumque Laicus, qui de bonis Ecclesiasticis disponere ausus fuerit, ut Sacrilegus judicetur. PASCHALIS II. *ann.* 1110. colligit multos Canones prohibentes, ne Laïci bonorum Ecclesiasticorum administrationem usurpent. *Conc.* LATERAN. *ann.* 1110. TOM. X. CONC. *p.* 764.

Collectorum Textuum Ratio: Quòd Ecclesiastici non debeant esse pejoris conditionis quàm Sæculares, quorum bona alienari nequeunt absque legitimo illorum consensu; excepto casu urgentissimæ necessitatis publicæ, qui exceptus censetur etiam erga Ecclesiasticos, qui publico bono non minùs concurrere debent; qualis, quo licet vendere Vasa Sacra.

SECTIO XII.

Non licere Prælatis donare Ecclesias vel earum jura locis Religiosis, nisi de consensu sui Capituli.

I. Episcopo non licet, sine Capituli sui voluntate, viris Religiosis conferre obventiones alicujus Parochialis Ecclesiæ, sustentatione Vicarii reservatâ. *De his quæ fiunt à Prælatis &c.* Cap. *Pastoralis.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 10. Cap. 9.

II. Episcopus non valet Religiosis, consentiente Patrono, totam Ecclesiam, vel de novo conferre aliquam portionem, præter Capituli sui voluntatem. *Ib.*

III. Certum est de rigore Juris concessionem illam non tenere, quam reclamante Capitulo per Prædecessorem constat factam fuisse; nisi idem Capitulum eam ratam postmodùm habuerit. *De his quæ fiunt à Prælatis &c.* Cap. *Cùm nos.* LIB. III. DECR. *Tit.* 10. Cap. 3.

IV. Episcopo, præter assensum majoris Ecclesiæ, Cœnobiis vel Ecclesiis Conventualibus, ad quas jus pertinet Patronatûs, non licet conferre perpetuò vacantes Ecclesias Baptismales. *Ibid. De his quæ fiunt à Prælatis &c.* Cap. *Tua nuper. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 10. Cap. 8.

V. Si Episcopus Ecclesiam viris Religiosis conferat de consensu Patroni, profectò Patronus quod suum est conferre videtur, jus videlicet Patronatûs; & Episcopus confert illud quod temporaliter obtinet in eadem; ut si fructuum ejusdem Ecclesiæ aliquam recipiat portionem, in eorum usus illa convertatur. Sed ot Episcopi donatio sit legitima, consensus est sui Capituli requirendus. *De Donationib.* Cap. *Pastoralis.* LIB. III. DECR. *Tit.* 24. Cap. 7.

VI. Si Abbatem donationem cum Priore & quibusdam de Conventu, vel solum Abbatem facere contigerit, & posteà Conventûs pars reclamaverit: datæ rei quantitas, & illius terræ Consuetudo (quæ tamen Sacris Canonibus non obviet) est diligentiùs attendenda; & secundùm hoc est donum ratum vel irritum judicandum. *De Donat.* Cap. *Cæterùm.* LIB. III. DECR. *Tit.* 24. Cap. 3.

VII. Si quis Episcoporum in Parochiâ suâ Monasterium construere voluerit, & de rebus Ecclesiæ, cui præsidet, ipsum dotare; hoc semper est observandum, quòd non debet quidquam cum gravi Ecclesiæ suæ detrimento conferre, sive simul & semel id facere velit, sive pluries successivè, eisdem vel diversis Ecclesiis conferendo. *De Donationibus.* Cap. *Apostolicæ.* LIB. III. DECR. *Tit.* 24. Cap. 9.

VIII. Si in tantum abundet Episcopus, ut sine damno Ecclesiæ suæ possit necessitati alteriùs Ecclesiæ subvenire, potest in qualibet rationabili summâ inopiæ ejus providere, adhibitâ Superioris autoritate. *Ibid. fin.* Vide *Conc.* TOLET. III. *ann.* 589. Cap. 4. TOM. V. CONC. *p.* 1010. Refertur CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 73. *Si Episcopus.*

Conc.

Conc. Tolet. IX. *ann.* 655. *Can.* 5. Tom. VI. Conc. *p.* 454. *Conc.* Malfitanum *in Apuliâ, ann.* 1089. *Cap.* 6. Tom. X. Conc. *p.* 476.

SECTIO XIII.

Licere Ecclesiis vel inter se permutare Ecclesias suas, aut earum bona, etiam refusâ pecuniâ si possessiones sunt inæquales, vel cum Laïcis certis conditionibus.

I. De Parochialibus Ecclesiis per se potest commutatio celebrari inter duas Ecclesias. *De Rerum Permut.* Cap. *Ad Quæst.* §. 2. Lib. III. Decr. *Tit.* 19. Cap. 6.

II. Si Episcopus cum suorum Sacerdotum assensu, Ecclesiam pro quibusdam Ecclesiis, vel rebus aliis, in cambium Monasterio concedere potest. *De Exceptionibus.* Cap. *Cùm Venerabilis. post init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 25. Cap. 6.

III. Ecclesiam ex permutationis causâ potest Monasterium obtinere. *De Exceptionib.* Cap. *Cùm Venerabilis. post init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 25. Cap. 6.

IV. Permutationes possessionum inter duas Ecclesias facere, per se non est inhibitum. *Ibid. init.*

V. Si Episcopus vel Abbas commutare voluerit terras Ecclesiarum, cum consensu ambarum Partium faciat. *De Reb. Eccl. non alien.* Cap. *Non licet. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 13. *Cap.* 2. Ex *Conc.* Lugdun. *Cap.* 5. Vid. *Conc.* Beluacense *ann.* 1114. Tom. X. Conc. *p.* 799.

VI. Si duarum Ecclesiarum altera ratione possessionum alteri præponderet, pecunia potest refundi de ipsarum possessionibus ad invicem, prout visum fuerit expedire; & refusâ certâ pecuniæ quantitate, poterit Contractus permutationis iniri. *De Rerum Permut.* Cap. *Ad Quæstiones.* §. 2. Lib. III. Decr. *Tit.* 19. Cap. 6.

VII. Illi tamen Contractus permutationis Ecclesiarum, & permutationis possessionum, cum refusâ certâ pecuniæ quantitate, ne scilicet intelligatur esse pretium permutationis Ecclesiarum, nequaquam sibi invicem misceantur. *Ibid. fin.*

VIII. Ut commutationes rerum Ecclesiasticarum, quæ ab Antecessore inconsultè factæ sunt, ab eo, qui Successor est, emendentur. *Ibid. De Rerum Permut.* Cap. 2.

IX. Si Princeps voluerit rem immobilem Sanctis locis præstare, & accipere ab eis rem immobilem, eoque modo de communi voluntate permutationem contrahere; liceat ei hoc facere, si causa rationabilis id exposcat, & res quam præstiterit major fuerit vel æqualis, Pragmaticâ Sanctione super hoc promulgatâ. *De Rerum Permut.* Cap. *Si Princeps.* Lib. III. Decr. *Tit.* 19. Cap. 1.

X. Ne permutationes rerum Ecclesiasticarum quælibet persona sine licentia & consensu Regio facere præsumat. Caus. X. Quæst. II. Cap. 4. *Precaria.* §. 4. *fortè ex Conc.* Meldensi *anno* 845.

XI. Ut commutationes rerum Ecclesiasticarum valdè caveantur, & subtilissimè, si aliquo modo fieri debent, inspiciantur quæ ante inconsultè factæ sunt, juxtà Decretum Canonicum Papæ Hilarii, quæ illicitè Episcopus admiserit, vel ab aliis illicitè commissa sunt, ab eo qui Successor est, emendentur. *Conc.* Mald. *ann.* 845. *Cap.* 25. Tom. VII. Conc. *p.* 1828.

SECTIO XIV.

Non licere vendere aut pignori dare Vasa Sacra, aliamque Ecclesiæ Supellectilem, nisi ex justâ & urgenti causâ.

I. Sacrata Vasa vel Ministeria distrahi, à Religioso alienum est proposito. Caus. XII. Quæst. II. *Cap.* 2. Augustino. *init. Ex* Pelagio *Papa,* Hostilio *Episcopo circ. ann.* 557.

II. Quicquid de Sacratis Vasis, vel Ministeriis à quolibet Clericorum usurpatum, vel distractum fuisse Episcopus comperierit, sine cujusquam moræ interventu exigere non dimittat, & Ecclesiasticis usibus reformare. *Ibid.* Caus. XII. Quæst. II. *Cap. Augustino. fin.*

III. Si quis Presbyter aut Diaconus inventus fuerit aliquid de Ministeriis Ecclesiæ venundasse, quia Sacrilegium commisit, placuit eum in ordinatione Ecclesiæ non haberi. Dist. L. *Cap.* 22. *Si quis.* Ex *Conc.* Martini *Papæ.* Cap. 17. *circ. ann.* 572.

IV. Definitum est neminem prorsùs Episcopum vendere, vel utcumque alienare Cimelia & Vasa Sacrata, exceptâ causâ olim ab antiquis Canonibus ordinatâ, videlicet pro redemptione captivorum. Caus. XII. Quæst. II. *Cap.* 13. *Apostolicos. init.* Ex VIII. *Synodo Universali* Constantinopolitana. *Cap.* 15. *an.* 869. & 870. Tom. VIII. Conc. *p.* 1134.

V. Cassari debet omninò quæ fit in scriptis vel sine scriptis ab Episcopo venditio, vel alia quælibet alienatio Cimeliorum. *Ibid.* Caus. XII. Quæst. II. *Cap.* 13. *Apostolicos.* §. 1.

VI. Et Sacrorum Canonum, & Legalia Statuta permittunt, Ministeria Ecclesiæ pro captivorum esse redemptione vendenda. Caus. XII. Quæst. II. *Cap.* 14. *Et Sacrorum.* Ex Gregor. I. Lib. VI. *Epist.* 35. *an.* 597.

VII. Sacrorum Canonum Statuta, & Legalis permittit autoritas, licitè res Ecclesiasticas in redemptionem captivorum impendi. Caus. XII. Quæst. II. *Cap.* 15. *Sacrorum.* Ex *Cod.* Greg. I. Lib. VII. *Indict.* 2. *Epist.* 14. *ann.* 598.

VIII. Sicut omninò grave est, frustrà Ecclesiastica Ministeria venundare; sic iterùm culpa est, imminente hujusmodi necessitate, res maximè desolatæ Ecclesiæ captivis suis præponere, & in eorum redemptione cessare. Caus. XII. Quæst. II. *Cap.* 16. *Sicut.* Ex *Cod.* Greg. I. Lib. VI. *Epist.* 35. *ann.* 597.

IX. Quòd tabulam argenteam dicitur Episcopus vendidisse; dummodò Ecclesiam reddat indemnem, æquanimiter potest præterire, cùm id de Cleri & populi processit voluntate. *De Elect.* Cap. *Quòd sicut.* §. *ult.* Lib. I Decr. *Tit.* 6. *Cap.* 28. Innoc. III. *circ. an.* 1201.

X. Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus. Aurum Sacramenta non quærunt; neque auro placent, quæ auro non emuntur; ornatus Sacramentorum, redemptio captivorum est; & verè illa sunt Vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte. Ille verus thesaurus est Domini, qui operatur; quod sanguis ejus operatus est. Caus. XII. Quæst. II. *Cap.* 70. *Aurum.* Ex S. Ambrosio. Lib. II. *De Officiis.* Cap. 28. *ann.* 377.

XI. Nullus Presbyter præsumat Calicem, vel Patenam, vel Vestimentum Sacerdotale, aut Librum Ecclesiasticum, Tabernario, vel Negotiatori, aut cuilibet Laïco, vel fœminæ in vadium dare, nisi justissimâ urgente necessitate. *De Pignorib.* Cap. *Nullus.* Lib. III. Decr. *Tit.* 21. *Cap.* 2. Hincmarus *in Capitulis.* Cap. 21. *ann.* 852. Tom. VIII. *p.* 570.

XII. Ornamenta Ecclesiæ oppignorari Laïcis non possunt, nisi justissimâ necessitate urgente. *Gloss.*

XIII. Cùm datur facultas vendendi res maximas Ecclesiæ, per eas immobilia, & Ornamenta, & Vasa Sacra intelliguntur. *De Sent.* Cap. *Cùm inter. fin. in int.* Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 13.

XIV. Si Episcopum, qui testamentum condidit, de rebus Ecclesiæ suæ aliquid incongruè minuisse dignoscatur, ita agendum, ut res ipsæ ab eo, cujus interest, modis omnibus reparentur. Caus. XII. Quæst. V. *Cap.* 2. *Obitum.* Greg. I. Lib. IV. *Epist.* 22. *ann.* 594. *Conc* Rhem. *ann.* 625. *Can.* 22. Tom. V. Conc. *p.* 1692. *Conc.* Valentinum III. *an.* 855. *Can.* 20. Tom. VIII. Conc. *p.* 142. Plerique ex collectis Textibus insinuant alienationem Sacrorum mobilium autorandam esse à Principe, ut ab Ecclesia; ac quod de illis dicunt, producere fas est ad immobilia.

SECTIO XV.

Teneri Beneficiarios rectè administrare bona Ecclesiæ.

I. Nullus Episcoporum vel Sacerdotum rem Tituli sui usurpare præsumat. CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 18. *Monemus. init.*

II. Non liceat Episcopò fraudare quidquam ex rebus Ecclesiæ, vel cognatis propriis donare, quæ Dei sunt. Quòd si pauperes fuerint, ut pauperibus largiatur; sed non sub horum occasione, quæ sunt Ecclesiæ, defraudentur. CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 19. *Quisquis. med.*

III. Si quis de Clericis documenta, quibus Ecclesiæ possessio firmatur, aut supprimere, aut negare, aut adversariis fortasse tradere, damnabili & puniendâ obstinatione præsumpserit; quidquid per absentiam documentorum damni Ecclesiæ illatum est, de propriis facultatibus reddat, & Communione privetur. CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 33. *Si quis de Clericis, & Cap.* 40. *Hi etiam qui, &c. Ibid.* Cap. 33.

IV. Ubi Ecclesiæ patrimonium comperitur destitutum, prædia culturæ restituantur antiquæ, & revocentur, si qua sunt vendita, aut donata. CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 25. *Vulteranæ. init.*

V. Posteaquam Ecclesiæ jura, documentorum quoque intercedentium fuerint autoritate firmata, nullatenus ab his discedendi liberam Pontifex, vel si vult, permittatur habere licentiam. CAUS. XXV. QÆST II. Cap. 51. *Posteàquam.*

VI. Si inter aliquos, qui confines habent Præbendas in Villis, quas singuli singulas possident, & prætextu terminorum inter illos controversia agitetur, eò quòd alter dicat alium antiquos fines egressum, partemque sui fundi occupasse; illo in contrarium asserente, se partem fundi possedisse 40. annorum spatio inconcussè, utrique incumbit probario, & defensio. *De Probationibus.* Cap. *Ex Litteris.* LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 3.

VII. Omninò Episcopis interdicitur, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant; cùm & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed, si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant; eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causâ. *Conc.* TRID. SESS. XXV. DECR. II. *De Refor* Cap. 1. *med.*

VIII. Idem in quibuscunque Beneficia Ecclesiastica, tàm Sæcularia quàm Regularia, obtinentibus, observari decretum est. *Ibid.*

IX. Fraternitas vestra nihil de his, quæ Prædecessor tuus Monasterio contulit, aliquo modo patiatur imminui, sed omnia firmâ studeat stabilitate servari. CAUS. XII. QUÆST. V. Cap. 3. *Quia* JOANNES. *med.* GREG. I LIB. V. *Epist.* 2. *ann.* 595.

X. Si quis de rebus, vel augmentis Ecclesiæ quæsitum laboribus suis propriè auxit, & ex hoc Ecclesiasticis rebus aut neglectum laboris exhibuit, aut minorationem, aut perditionem induxit; quicquid in rebus Ecclesiæ minuit, illi restituat, ex cujus rebus atque suffragiis suos convictus fuerit ampliasse labores. CAUS. XII. QUÆST. IV. Cap. 2. *Quicunque. Citat ex* BRACAR. III. *malè ex Concilio* LEONIS IV. *anno* 853. *Ex* VII. *Synodo*, Cap. 12. *anno* 787.

XI. Omnium rerum Ecclesiasticarum Episcopus curam gerat, & eas administret, tanquàm Deo intuente; ne liceat ex eis aliquod sibi vendicare, vel propriis cognatis, quæ Dei sunt; si autem sunt pauperes, ut pauperibus suppeditet. *Ex Conc.* AGATHENSI. *Cap.* 26. *anno* 506. Sed GELASIUS I. *circ. ann.* 494. Non eorum quidquam vendat quæ sunt Ecclesiæ. *Can.* 23. CAUS. XII. QUÆST. II.

XII. PELAGIUS fortè *circ. ann.* 537. Quæ sunt Ecclesiæ conservari cum omni diligentia, & bonâ conscientia, & fide Dei, qui omnia videt & judicat; gubernari ergo oportet cum judicio & potestate Episcopi, cui etiam omnis populus & Congregatio commissa est animarum. *Collatio* MARTINI BRACAR. Cap. 15. TOM. V. CONC. *p.* 907.

XIII. Licèt prædia Ecclesiæ propria non sint Clericorum, agere tamen possunt super fundo, tegundorum, cùm habent jus in illis, scilicèt usumfructum. *Gl.* verbo, *Finium. Conc.* TURON. *ann.* 1163. *Can. ult.* 10. *fin.* TOM. X. CONC. *p.* 1423.

XIV. Nihil debent usurpare.

Nihil fraudare, etiam prætextu eleemosynæ.

Non documenta pensionum Ecclesiæ supprimere.

Restituere culturæ prædia, & revocare malè alienata.

Jura Ecclesiæ conservare juxtà Titulos.

Si de spariis prædiorum, de quibus memoratur orta contentio, definitio dudum certa processerit, intemerata servetur. CAUS. XVI. QUÆST. III. Cap. 7. *Dilectio.*

Si nihil unquam constiterit terminatum, tunc de præscriptione temporum, si qua pars confidit, præbeat Sacramentum; ut tamen de iis, quæ hactenus possedisse probatur, jusjurandum finatur offerre. *Ibid.* Vide *Cap.* 7. *in fine*, & *Cap.* 5. *Ibid.*

SECTIO XVI.

Beneficiarios teneri benè dispensare reditus Ecclesiasticos.

I. Episcopus rebus Ecclesiæ, tanquam commendatis, non tanquam propriis, utatur. CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 32. *Sine exceptione. §.* 1. *Conc.* MOGUNTINUM *ann.* 813. *Can.* 8. TOM. VII. CONC. *pag.* 1243. *Conc.* TURON. III. *ann.* 813. *Can.* 10. 11. TOM. VII. CONC. *p.* 1262. *Conc.* VI. PARIS. *ann.* 829. Cap. 15. TOM. VII. CONC. *p.* 1610. LEO I. *ann.* 447. *Conc.* AQUISGRAN. II. *ann.* 836. Cap. 2. *Can.* 7. TOM. VII. CONC. *p.* 1708.

II. Ecclesiasticarum rerum Episcopus habeat sollicitudinem, & dispenset eas, tanquam Deo contemplante. CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 19. *Quisquis. med.* *Ex* VII. *Synodo.* Cap. 12. *ann.* 787. *Conc.* MOGUNT. I *ann.* 837. Cap. 7. 8. TOM. VIII. CONC. *p.* 42.

III. Episcopus habeat potestatem in rebus Ecclesiæ, ut dispenset necessitatem habentibus cum omni reverentiâ & timore Dei. CAUS. X. QUÆST. II. Cap. 7. *Episcopus. init.* *Ex Concilio* MARTINI *Papa* Cap. 16. *ann. cir.* 572.

IV. Qui Beneficium possidet, bona ipsius Ecclesiæ in Dei timore dispenset. *De Testamentis.* Cap. *Relatum. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 26. Cap. 12.

Rebus Ecclesiæ Episcopi, non ut propriis, sed ut commendatitiis, uti debent. *Conc.* CABILLON. II. *ann.* 813. *Can.* 6. TOM. VII. CONC. *p.* 1273.

V. Presbyteri de rebus Ecclesiæ, Matri, Amitæ, & Sorori, quæ sunt necessaria subministrent. *De Cohabit.* Cap. I. *§.* 1. *fin. junctâ Glossâ.* LIB. III. DECR. *Tit.* 2. Cap. 1. & *De Præb.* Cap. *Pervenit*, *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 3. GREGOR. I. LIB. XI. *Epist.* 31. *ann.* 603.

VI. Si privatim, quæ nobis sufficiant, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum; quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus. CAUS. XXIII. QUÆST. VII. Cap. 3. *Quod autem. med.* & CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. ultimo. *Si privatim.* Vide *Suarez.* TOM. I. *De Relig.* Cap. 38. *De Decimis. n.* 5. ubi ex CAJET. ponit differentiam inter obligationem benè dispensandi, & ab aliis occupata recuperandi.

VII. Cùm aliquis Præpositus fuerit factus Ecclesiæ, omnium, quæ habet Ecclesia, efficitur Dispensator. CAUS. XII. QUÆST I. Cap. 13. *Expedit. post init.*

VIII. Sic res Ecclesiasticas quemque tractare oportet, ut alienarum Dispensatorem, non propriarum Largitorem. CAUS. X. QUÆST. II. Cap. 4. *Precaria, ut habetur in Conc.* MELDENSI. *ann.* 845 Cap. 22.

IX Epis-

IX. Episcopus Ecclesiasticarum rerum habeat potestatem, ad dispensandum erga omnes qui indigent, cum summâ reverentiâ & timore Dei. Participet autem & ipse, quibus indiget. Quòd si convertat res Ecclesiæ in suos usus domesticos; & ejus commoda, vel agrorum fructus, domesticis suis, aut propinquis, aut fratribus, filiisque committat, ut per hujusmodi personas occultè res lædantur Ecclesiæ; pœnas iste persolvat. Caus. XII. Quæst. I. Cap. 23. *Episcopus. Ex Conc.* Antiocheno. Cap. 25. *ann.* 341.

X. Quicumque Episcopi suffragio &c. Caus. XV. Quæst. II. *Cap.* 66. Ecclesiasticis utilitatibus desudantes. *Ibid.* Cap. 67.

Allegatæ nnscuntur. *Conc.* Vormat. *ann.* 833. *aut* 834. *in Epistola* Alnrici Ssnon. *Episcopi. post init.* Tom. VII. Conc. *p.* 1678. *fin.*

XI. Oportet ut si quando Sacerdotes fruges vel quosdam reditus terræ congregant, non ideò hoc faciant, ut cariùs vendant; sed ut pauperibus, tempore necessitatis, subveniant. *Concil.* Cabillon. II. *ann.* 813. *Can.* 8. Tom. VII. Conc. *p.* 1274. S. Aug. *Epistolâ* 50. *ad* Bonifacium. *circ. an.* 417.

XII. Prælati sunt Procuratores, non Domini, rerum Ecclesiasticarum: tamen licèt Prælatus dicatur Procurator, magia habet liberam administrationem quàm sumplex Procurator. *Glossa*, verbo, *Procuratorem.* Prælati dicuntur Procuratores rerum Ecclesiasticarum; tamen loco Domini habentur, cùm benè administrant; loco prædonis, cùm malè. *Glossa ad* Cap. ult. Quæst. I. Caua. XII. verbo, *Procuratorem.*

XIII. Præsulum nostrorum autotitas emanavit, ut facultates Ecclesiæ Episcopi ad regendum habeant potestatem; ita tamen, ut viduarum, pupillorum, atque pauperum, necnon & Clericorum stipendia distribuere debeant. Caus. XVI. Quæst. III. Cap. 2. *Præsulum.* Gelasius I. *Epist.* 2. *ad Siculos.* Cap. 1. *ann.* 494.

XIV. Ne res Divini Juris videantur aliquâ occasione negligi. Caus. XII. Quæst. II. Cap. 72. *fin.*

Cùm sciamus Ecclesiæ esse oblationes fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, easque nobis administrandas, procurandas, atque ordinandas suscepisse; harum rerum Administratores nos esse meminisse debemus, & reditus eapensasque earum eis usibus applicare, quorum gratiâ Divinis Altaribus dedicatæ sunt.

SECTIO XVII.

An, & quomodo Beneficiarii possint locare bona Ecclesiæ, aut in emphyteusim dare?

I. Suarum Decimarum (Gonzales hîc per Decimas intelligit Ecclesias) seu Ecclesiarum proventus Clericis illis liberè locare possunt, cum quibus Ecclesiæ suæ conditionem possunt facere meliorem; ita tamen, quod hujusmodi locatio ad feudum vel alienationem non videatur eatendi. *De Locato.* Cap. *Vestra.* Lib. III. Decr. *Tit.* 18. Cap. 2.

II. Ecclesia, seu fructus, & obventiones illius à persona, seu Rectore ejusdem ad annuum censum tenenda, per septennium suscipi potest. *Ne Prælati vices suas.* Cap. *Querelam. init. junctâ Rubr. & Glossa.* Lib. V. Decr. *Tit.* 4. Cap. 4.

III. Persona compelli debet, ut Conductorem Ecclesiæ, usque ad terminum constitutum, (secundùm quod inter se convenerint) Ecclesiam permittat pacificè possidere. *Ibid. Ne Prælat.* Cap. 4. *fin.*

IV. Si quidam ex Canonicis Ecclesiæ, quædam prædia ejusdem (inconsultis aliis fratribus) in damnum ejus in perpetuum locaverint, locationes illæ legitimè revocari debent; ita quòd si eadem prædia non aliter revocari potuerint, harum locationum Autores, ad susceptam indè pecuniam Conductoribus refundendam compellantur. *De Reb. Eccles. non alien.* Cap. *Ad Audientiam.* Lib. III. Decr. *Tit.* 13. Cap. 9.

V. Magnam Ecclesiis perniciem afferre solet, cùm earum bona, repræsentatâ pecuniâ, in Successorum præjudicium aliis locantur. Omnes igitur hæ locationes, si anticipatis solutionibus fiant, nullatenus in præjudicium Successorum validæ intelligantur; quocumque Indulto aut Privilegio non obstante; nec hujusmodi locationes in Romana Curia, vel extrà eam, confirmentur. *Conc.* Trid. Sess. XXV. Decr. II. *De Refor.* Cap. 11. *init.*

VI. Illas terras, quæ de sylvis extirpatæ sunt arabiles factæ, eis hæreditario jure potest Beneficiarius sub annuo censu tenendas concedere, à quibus suo vel parentum suorum labore constiterit extirpatas; nisi fortè tunc aliis possint ad majorem Ecclesiæ utilitatem cum eodem labore & onere conferri *De Rebus Ecclesiæ non alien.* Cap. *Ad aures.* Lib. III. Decr. *Tit.* 13. Cap. 7. Alexander III. *anno* 1180.

VII. Cùm contingit Vasallum Prælati decedere, & ad eum feudum ipsius redire, feudum decedentis alii liberè, si viderit expedire, concedat, quamvis Juramento teneatur adstrictus non infeudare de novo. *De Feudis.* Cap. *Ex parte.* Lib. III. Decr. *Tit.* 20. Cap. 2.

VIII. Si Vasallum Prælati feudum alienare contingat, Prælatus filium vel consanguineum alienantis ejusdem feudi consortem de ipso valet investire. *Ibid.*

IX. Juramentum de non infeudando de novo, non extenditur ad feuda antiqua; sed ad illa tantùm quæ nunquam fuerunt infeudata, & ab Ecclesiâ possessa. *Glossa.*

X. Decrevit Sancta Synodus, & Imperialis autoritas denuntiavit, ut à nullâ potestate quis cogatur facere precariam, de rebus propriè Deo & Sanctis ejus dicatis. Caus. X. Quæst. II. Cap. 4. *Precaria.* §. 1. *Decrevit. Ex Conc.* Meldensi *ann.* 845. Cap. 22. Innoc. III. *ann.* 1212.

XI. Fructus rerum spiritualium possunt locati, & vendi, & alienari, licet res, ex quibus proventus tales percipiuntur, alienari non possint; item isti proventus non possunt dari in feudum, vel alienari perpetuò. *Glossa.* Alexander III. *ann.* 1196. *Conc.* Constantinopolitanum IV. *ann.* 870. *Can.* 20. Tom. VIII. Conc. *p.* 1139. Alex. III. *ann.* 1180.

Ecclesia, *id est*, obventiones Ecclesiæ possunt ad tempus locari, sive concedi pro certo censu annuatim solvendo *Glossa.*

XII. Cùm Prælatus feudum alienatum repererit, quod per se facilè recuperare non potest, feudum alienatum poterit ei licenter concedere, per quem ipsa Ecclesia valeat rehabere; seu, potest alicui Laico in feudum illud concedere, qui & illud recuperet, & in feudum per Ecclesiam recognoscat. *Ibid. De Feudis.* Cap. 2. Lib. III. Decr. *Tit.* 20. Cap. 2. *fin.*

XIII. Si Prælatus legitimè quatuor jugera terræ in feudum concessit aliquibus, & cùm ipsi assignatam terram mensurari fecerint, nonnisi duo jugera invenerint; cùm Ecclesia in actibus suis fraudem non debeat aliquam adhibere, Successor feudum ipsum poterit integrare, cùm terra illa quatuor jugerum ipsis fuerit assignata, nec timendum est ne de novo videatur feudum conferre. *De Donationib.* Cap. *Per tuas.* Lib. III. Decr. *Tit.* 24. Cap. 5.

Prælatus integrare potest feudum, si appareat Vasallum in mensurâ fuisse deceptum. *Summa.*

XIV. De possessionibus Laicis sub modico censu concessis, si Ecclesia læsa est, & manifestè apparet detrimentum ipsius; quæ in damnum ejus data constiterit, ad ipsius convenit jus proprietatemque redire. *De Restit. in Integrum.* Cap. *Requisivit. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 41. Cap. 1.

XV. Providendum tamen est, ne si fortè Coloni possessiones illas expensis ac labore suo reddiderint meliores, sumptibus, quos bonâ fide fecerint, debeant defraudari. *Ibid.*

SECTIO XVIII.

Teneri Ecclesiam, seu Successorem in Beneficio, solvere id quod à Decessore factum est in utilitatem Ecclesiæ; secùs, non teneri.

I. Sicut filius debita Patris solvere tenetur; ita Prælatus sui Prædecessoris, pro Ecclesiæ necessitate contracta tenetur persolvere. *De Solutionib.* Cap. *Ad hoc.* LIB. III. DECR. *Tit.* 23. Cap. 1.

II. Inhibitum est, ne quis præsumat Ecclesiam sibi commissam pro alienis gravare debitis, aut Literas alicui seu sigilla concedere, quibus possent Ecclesiæ obligari. *De Solutionib.* Cap. *Si quorumdam.* §. 1. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 23. Cap. 2.

III. Decretum est, si secùs fuerit attentatum, ad solutionem talium debitorum Ecclesias non teneri. *Ibid. De Solutionib.* Cap. *Si quorumdam.* §. 1. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 23. Cap. 2.

Delictum personæ in damnum Ecclesiæ redundare non debet. *De Exceptionib.* Cap. *Cùm Venerabilis.* §. 2. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 25. Cap. 6.

IV. Illa quæ quis in damnum dari, vel fieri, per testamentum suæ decrevit Ecclesiæ, nullam, prohibente nempè Lege, obtineant firmitatem. CAUS. XII. QUÆST. V. *Cap.* 3. *Quia* JOANNES. *fin.* GREGOR. I. LIB. V. *Epist.* 1. *ann.* 595.

V. Si quis Sacerdos Vasa Ecclesiæ pro suâ necessitate pignori obligavit, & ea, morte præventus, minimè recollegit; quoniam indignum est, ut Ecclesiæ res suæ (præsertim quæ Sacris Ministeriis deputatæ sunt) taliter debeant deperire; filius ejus, qui ex successione ipsius patrimonii jus dicitur obtinere, monendus est & compellendus, ut ea recolligat, & restituat Ecclesiæ memoratæ. *De Pignorib.* Cap. *Ex præsentium.* LIB. III. DECR. *Tit.* 21. *Cap.* 3. ALEX. III. *ann.* 1180.

VI. Cùm non constat pecuniam apud Canonicum Ecclesiæ depositam; quam ille furatus est, in Ecclesiæ utilitatem conversam; non debet de Jure contrà Canonicos ejusdem Ecclesiæ præcisè intentare jussionis instantiam, ut eamdem reddant pecuniam, personæ, non Ecclesiæ, commendaram. *De Deposito.* Cap. *Grevit.* LIB. III. DECR. *Tit.* 16. *Cap.* 1. §. 1. ALEXAND. III. *ann.* 1180.

VII. De precariis irrationabiliter factis à Rectoribus Ecclesiarum, se suosque Successores pœnâ gravi obligantibus, ut facta ipsorum dissolvere nequeant; præceptum est, ut nemo Successor Antecessoris sui pœnâ sit obligatus. *De Precariis.* Cap. *De Precariis. init.* LIB. III. DECR. *Tit* 14. Cap. 2.

Successor non obligatur ex contractu habito in damnum Ecclesiæ, facto ab Antecessore. *Glossa.*

VIII. Ne quis Religiosus, absque majoris partis Capituli & Abbatis sui licentiâ, ab aliquo pecuniam mutuam accipiat, ultrà summam communi providentiâ constitutam; alioquin non teneatur Conventus pro his aliquatenus respondere; nisi fortè in utilitatem Domus ipsius manifestè constiterit redundasse. *De Fidejussorib.* Cap. *Quod quibusdam.* LIB. III. DECR. *Tit.* 22 Cap. 4.

Delictum personæ in damnum Ecclesiæ non est convertendum. CAUS. XVI. QUÆST. VI. *Cap.* 3. *Si Episcopum. fin.* GREG. I. LIB. XI. *Epist.* 50. *ann.* 603.

IX. Is Creditor hic intelligatur, qui, quod credidit, probat in utilitatem Divinæ Domûs processisse. CAUS. X. QUÆST. II. *Cap.* 2. §. 1. *fin.*

Collecti Textus juvant ad discernenda Ecclesiæ debita à debitis Beneficiatorum; quemadmodum colligendi in SECT. XIX. ad dignoscendum ea, quibus Ecclesia succedit Beneficiatis, ad his in quibus istis succeditur ab illorum hæredibus.

SECTIO XIX.

Ecclesiasticos disponere non posse de acquisitis nomine Ecclesiæ; secùs, de aliis: & quomodo hæc ab illis discernantur?

I. Episcopi de rebus propriis, vel acquisitis, vel quidquid de proprio habent, hæredibus suis, si voluerint, derelinquant: Quicquid verò de provisione suæ Ecclesiæ fuerit, sive de agris, sive de fructibus, sive de oblationibus, omnia in Jure Ecclesiæ reservari debent. CAUS. XII. QUÆST. I. *Cap.* 19. *Episcopi.* Ex *Conc.* AGATH. *Cap.* 48. *ann.* 506.

II. Placuit ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicumque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Episcopatûs, vel Clericatûs sui, agros, vel quæcumque prædia nomine suo comparant, tanquam rerum Dominicarum invasionis crimine teneantur, nisi admoniti Ecclesiæ eadem ipsa contulerint. Si autem ipsis propriè aliquid liberalitate alicujus, vel successione cognationis obvenerit, faciant indè, quod eorum proposito congruit. CAUS. XII. QUÆST. III. *Cap.* 1. *Placuit.* Ex *Conc.* CARTHAG. III. *Cap.* 49. *ann.* 797.

III. Quicumque de Sacerdotibus vel Ministris, pro sui utilitate, atque amicitiâ, vel præstatione, aut quocumque modo, aut per scripturæ seriem aliquid meruerint à quolibet percipere, in rebus Ecclesiæ non poterit numerari; sed quod exindè voluerint facere, ipsorum voluntatis arbitrio subjacebit. CAUS. XII. QUÆST. III. *Cap.* 2. *Quicumque.* Ex *Conc.* TOLETANO IX. *Cap.* 4. *ann.* 655.

IV. Fixum & perpetuò mansurum esse decretum est, ut Episcopus de rebus sui juris, quas aut antè Episcopatum, aut certè in Episcopatu hæreditariâ successione acquisivit, secundùm autoritatem Canonicam, quicquid vult faciat, & cui vult eas conferat: Postquàm autem Episcopus factus est, quascumque res de facultatibus Ecclesiæ, aut suo, aut alterius nomine, qualibet conditione, comparaverit, decretum est, ut non in propinquorum suorum, sed in Ecclesiæ, cui præest, jura deveniant. CAUS. XII. QUÆST. V. *Cap.* 4. *Fixum.* Ex *Concil.* HISPAL. *ann.* 590.

V. Si Episcopus, condito Testamento, aliquid de Ecclesiastici juris proprietate legaverit, aliter non valebit, nisi tantumdem de juris proprii facultate suppleverit. CAUS. XII. QUÆST. V. *Cap.* 5. *Si Episcopus.* Ex *Conc.* AGATHENSI. Cap. 51. *ann.* 506.

VI. Qui Testamentum dicitur condidisse, siquidem eum de rebus Ecclesiæ aliquod minuisse dignoscatur, ita agendum est, ut res ipsæ ab eo, cuius interest, modis omnibus reparentur. CAUS. XII. QUÆST. V. *Cap.* 2. *Obitum.* GREGORIUS I. LIB. V. *Epist.* 1. *ann.* 595.

VII. De divisione bonorum Ecclesiæ in quatuor partes, Vide CAUS. XII. QUÆST. II. *Cap.* 23. *Vobis.* 25. *Vulterana. fin.* 26. *Concesso.* §. 5. 27. *Quatuor.* &c.

SECTIO XX.

Decedentis Beneficiarii bona non esse diripienda; sed cautè servanda.

I. Defuncto Antistite, nullus Clericorum, cujuslibet Ordinis, Officii, graduśve sit, quidquam de domo præsumat, vel quod de utilitate instrumenti domûs esse cognoscitur, *id est*, mobilis & immobilis rei Ecclesiasticæ, conetur invadere; nihil furto, nihil dolo supprimens, auferens, atque abscondens. CAUS. XII. QUÆST. II. *Cap.* 38. *Hæc hujus. init.*

II. Cle-

II. Clerici intestati decedentis bona ad illius hæredes pertinent *Decretum* Clotarii II. *ann.* 615. Tom. V. Conc. *p.* 1654. *Conc.* Rhem. *ann.* 625. *Can.* 16. Tom. V. Conc. *p.* 1691. *Ex Conc.* Ilarosnst Cap. 16. *ann.* 524. Tom. IV. Conc. *pag.* 1613. *Concil.* Valentinum *ann.* 524. Cap. 2. Tom. IV. Conc. *p.* 1618. *Conc.* Paris. V. *ann.* 615. *Can.* 7. 8. 9. Tom. V. Conc. *p.* 1651. *Ex Concil.* Calcedon. Cap. 22. *ann.* 451. *Conc.* Tolos. *anni* 1119. *Can.* 4. Tom. X. Conc. *pag.* 857. Innoc. III. *in Concilio* Latar. *ann.* 1139.

III. Non liceat Clericis post mortem Episcopi sui capere res pertinentes ad eum, sicut jam præcedentibus Regulis constitutum habetur; si verò hoc fecerint, periclitari se noverint in proprio gradu. Caus. XII. Quæst. II. *Cap.* 43. *Non liceat. Ex Conc.* Calcedo. Cap 22 *ann.* 451. *Concil.* Tolos. *ann.* 1119. *Can.* 4. Tom. X. Conc. *p.* 857.

IV. Illud quod in Sacro Calcedon. *Concilio* constitutum est, irrefragabiliter observari præcipitur; ut videlicet decedentium bona Episcoporum à nullo hominum diripiantur; sed ad opus Ecclesiæ & Successoris sui in liberâ Oeconomi & Clericorum permaneant potestate. Caus. XII. Quæst. II. *Cap.* 47. *Illud. init.* Innoc. II. *in Concilio* Lateran. *anno* 1139. *& Concilium* Rhem. *anni* 1131. *Can.* 3. Tom. X. Conc. *pag.* 983.

V. Episcoporum deficientium res, aut secundùm mortuorum judicium pro ipsorum salute in Eleemosynas dispensentur, aut Successori, qui futurus est, reserventur. Id ipsum de Presbyterorum seu Clericorum aliorum rebus, per personam, cui deficientes commiserint, fiat. Caus. XII. Quæst. II. *Cap.* 46. *De Laïcis.* §. 1. *Ex Concil.* Urbani *Papæ* Arverniæ *celebrato anno* 1095.

VI. Non liceat alicui Metropolitano, mortuo Episcopo, qui sub eo est, aut res ejus, aut Ecclesiæ suæ auferre; sed sint sub custodiâ Cleri Ecclesiæ defuncti Episcopi, usque-dum alius ordinetur Episcopus. Caus. XII. Quæst. II. *Cap.* 48. *Non liceat. Ex VI. Synodo.* Cap. 35. *ann.* 692.

VII. Reditus viduatæ Ecclesiæ integros reservari apud Oeconomum ejusdem Ecclesiæ placuit. Dist. LXXV. *Cap.* 2. *Quoniam quidem. fin. Ex Concil.* Calcedon. Cap. 25. *anno* 451.

VIII. Cathedralibus, & Regularibus, ac Collegiatis Ecclesiis vacantibus, bona à Prælatis ipsarum dimissa, vel vacationis tempore obvenientia, in utilitatem dictarum Ecclesiarum expendi, vel futuris debent Successoribus fideliter reservari. *In 6. De Elect.* Cap. *Quia sæpè.* Lib. I. *Tit.* 6. Cap. 40.

IX. Decretum est ut hi, qui præmissa bona occupare, dilapidare, dissipare & consumere præsumpserint, eo ipso sint & tamdiù maneant ab Officiis & Beneficiis quibuscumque suspensi, donec plenè restituerint quicquid de bonis perceperint suprà dictis. *Ibid.* §. 1. *Conc.* Quinisextum *ann.* 692. *Can.* 35. Tom. VI. Conc. *p.* 1160. De Laïcis, &c. Caus. XII. Quæst. II. *Cap.* 46. ubi Urban. II. *in Conc.* Arvernensi præcipit excommunicari, qui Clericorum decedentium res, Ecclesiæ & pauperibus subripiunt. *Conc.* Pontigon. *ann.* 876. *Cap.* 14. Tom. IX. Conc. *p.* 288. *Conc.* Claromont. *anni* 1095. *Cap.* 31. Tom. X. Conc. *p.* 509. *Concil.* Pictav. *anni* 1100. *Can.* 15. Tom. X. Conc. *p.* 726.

X. Bona decedentis Patriarchæ non occupent, vel usurpent. *De Elect.* Cap. *Ut præterita.* §. 2. Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 45.

XI. In vacantibus Ecclesiis ponantur Oeconomi, qui debeant fructus percipere, & eos, aut in Ecclesiarum utilitatem expendere, aut futuris personis fideliter reservare. *De Officio Jud. Ordinarii.* Cap. *Cùm vos.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 31. Cap. 4.

XII. Sicubi defunctus fuerit Episcopus intestatus, post defunctionem ejus de rebus ipsius Inventarium fideliter conscribatur, à minimo usque ad maximum, *id est*, utensilibus, vel de omni supellectile; ita tamen ut si quis exindè vel præsumpsisse aliquid, vel occultè fuerit tulisse convictus, secundùm furti tenorem restituat universa. Caus. XII. Quæst. V. *Cap.* 6. *Sicubi. Ex Conc.* Tarraconensi. *Cap.* 12. *ann.* 516. Tom. IV. Conc. *p.* 1565.

XIII. Prohibitum est, ne Episcopi, vel eorum Superiores aut Abbates, seu quivis alii Regulares vel Sæculares Prælati, aut Ecclesiasticæ quæcunque personæ, vacantibus Dignitatibus, Personatibus, Prioratibus, vel Ecclesiis quibuscunque sibi subjectis, seu ad collationem, ordinationem, præsentationem, vel custodiam pertinentibus, eorumdem bona (morientibus eorum Rectoribus, vel Ministris) in ipsis inventa, sive vacationis ipsorum tempore obvenientia, quæ in utilitatem earumdem expendi, vel futuris debent Successoribus fideliter reservari, occupare, aut in usus suos convertere quoquomodo præsumant; nisi de speciali Privilegio, vel Consuetudine jam præscriptâ legitimè, seu aliâ causâ rationabili, hoc eisdem competere dignoscatur. *In 6. De Officio Ordinarii.* Cap. *Præsenti* Lib. I. *Tit.* 16. Cap. 9.

XIV. Alioquin Episcopi & eorum Superiores ab ingressu Ecclesiæ, cæteri verò ab Officio & Beneficio, tamdiù eo ipso noverint se suspensos, quousque restitutionem fecerint de prædictis. *Ibid.*

XV. Constitutio superiùs edita contrà Capitula, Collegia, Conventus, seu singulares personas, bona Cathedralium, vel Regularium, aut Collegiatarum Ecclesiarum vacantium occupantes, per Constitutionem præsentem (quæ in Dignitatibus, Personatibus, Prioratibus, & Ecclesiis aliis locum habet) in aliquo non derogatur. *Ibid. In 6. De Officio Ordin.* Cap. *Præsenti.* §. 2. Lib. I. *Tit.* 16. Cap. 9. finali.

XVI. Statutum super bonis à Prælatis Cathedralium, Regularium & Collegiatarum Ecclesiarum dimissis, aut obvenientibus tempore vacationis earum, futuris Successoribus fideliter reservandis editum, locum habet in omni emolumento, quod provenit ex Jurisdictione, & Sigillo Curiæ Ecclesiasticæ vel Sæcularis, aut aliàs undecunque, quod ad Prælatos (Ecclesiis non vacantibus) pertineret, Consuetudine qualibet contrariâ non obstante; ita tamen quòd in istis & similibus rationabiles deducantur expensæ. *Clementinâ VII. De Elect.* Lib. I. Clem. *Tit.* 3. Cap. 7.

XVII. Cæterùm ad singulares personas, ad quas ratione Dignitatum, quas obtinent, Jurisdictio cum ejus emolumento devolvitur, Sede vacante, de Consuetudine, Privilegio, vel jure alio specialiter, præsens Constitutio non extenditur. *Ibid.* Clem. VII. *De Elect. Ex Synodo* Ancyrana. Cap. 15. *ann.* 314.

XVIII. In Prioratibus, Ecclesiis, Administrationibus, & Beneficiis, quæ speciales Priores, Administratores seu Rectores consueverunt habere, Constitutio Bonifacii Papæ VIII. bona Beneficiorum vacantium occupari à Prælatis vel aliis prohibens, locum sibi vendicat. *Clementinâ unicâ. De Suppl. Negl. Prælat. fin.* Lib. I. Clem. *Tit.* 5. Cap. unic.

Ubi ex privilegio asserit bona competere &c. *Vide In 6. De Off. Ordin.* Cap. fin. *Præsenti.* Lib. I. *Tit.* 16. Cap. 9.

In Galliâ bona vacantium Ecclesiarum Cathedralium ad Christianissimum Regem pertinent jure Regaliæ, & ea ipse solet Successoribus, quoad maximam partem, in Episcopatu reservare. Circà quod plures *Ordinationes Regiæ*, ac inter alias, *Edictum* 2. *Januar.* 1692. *De Creatione ad hoc Oeconomi.*

SECTIO XXI.

Vacante Sede seu Ecclesiâ, vendi non posse illius bona, nec quidpiam in ea innovari.

I. Si quæ de rebus Ecclesiæ, cùm Episcopus non est, Presbyteri vendiderint; placuit rescisso contractu ad jus Ecclesiasticum revocari. In judicio non erit Epis-

Episcopi constitutum, si pretium debeat recipi, necne, proprerea quod sæpè contingit distractarum rerum reditus ampliorem summam pro accepto pretio reddi. CAUS. XII. QUÆST. II. *Cap.* 42. *Si qua de rebus.*

II. Precariæ & commurationes tempore viduatarum Ecclesiarum factæ ab his, qui loca Episcoporum occupaverant, rescindantur; & cum auroritate Ecclesiasticâ, vel Civili (si faciendæ sunt) fiant. CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 44. *Precaria. Ex Conc.* BELUACENSI. *ann.* 845.

III. Episcopali Sede vacanta non debet aliquid innovari, cùm non sit qui Episcopale jus tueatur. *Ne Sede vacante.* Cap. *Novit.* §. 2. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 9. Cap. 1.

IV. Quod factum est vacante Ecclesia, & carente legitimo Defensore, reprobandum est. *Ne Sede vacante.* Cap. *Constitutis.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 9. Cap. 1.

V. Ne Sede vacante aliquid innovetur. *Rubricâ Tituli* IX. LIB. III. DECR.

Rubrica quæ Sententiam perfectam continet, pro Lege habetur. GONZAL. *hic.*

VI. Quia in concessione Decimarum, Ecclesia cùm vacat legitimo caret Defensore, qui sibi priùs ab Episcopo debuerat deputari, concessio ipsa non valet. *In 6. De Reb. Eccles.* Cap. *Dudum.* §. 2. LIB. III. *Tit.* 9. Cap. 1

VII. Cùm de feudis, vacante Ecclesia, Quæstio movetur, statuendum ut ex quo Episcopus fuerit consecratus, de feudis ipsis cognoscatur. *De Foro Compet.* Cap. *Verum.* LIB II. DECR. *Tit.* 2. Cap. 7. *Junctâ Gl.*

Vacante Ecclesiâ non est qui de illâ Quæstione possit cognoscere, nec tunc aliquid fieri potest in præjudicium Ecclesiæ vacantis. *Glossa*, verbo, *Quæstio.*

SECTIO XXII.

Quomodo judicari possit ea, quæ donata sunt Prælatis, fuisse ipsi Ecclesiæ concessa, vel non?

I. Quicumque de Sacerdotibus vel Ministris, pro sui utilitate, atque amicitiâ, vel præstatione, aut quocumque modo, aut per scripturæ seriem aliquid meruerint à quolibet percipere, in rebus Ecclesiæ non poterit numerari. CAUS. XII. QUÆST. III. Cap. 2. *Quicumque init Conc.* RHEM. *ann.* 625. *Can.* 20. TOM. I. CONC. *p.* 1692. GREGOR. I. LIB. V. *Epist.* 1. *ann.* 595. *Ex Conc.* TOLET. IX. Cap. 49. *ann.* 655.

II. Quicquid per fideicommissum, aut Sacerdoti, aut Ecclesiæ fortassè dimittitur, cuicumque alii postmodùm profuturum, id inter facultates suas Ecclesia computare aut retinera non poterit. *Ibid.* Cap. 3. *Pontifices.* §. 1.

III. Si quibuscunque Clericis propriè aliquid liberalitate alicujus, vel successione cognationis obvenerit, faciant indè quod eorum proposito congruit. CAUS. XII. QUÆST. III. Cap. 1. *Placuit. med. Ex Conc.* CARTHAG. III. Cap. 49. *ann.* 397.

IV. Pontifices, quibus in Summo Sacerdotio constitutis ab extraneis aliquid, aut cum Ecclesia, aut sequestratim, aut dimittitur, aut donatur (quia hoc ille, qui donat, pro redemptione animæ suæ, non pro commodo Sacerdotis offerre probatur) non quasi proprium suum, sed quasi dimissum Ecclesiæ, inter facultates Ecclesiæ computabunt; quia justum est, ut sicut Sacerdos habet, quod Ecclesiæ dimissum est; ita & Ecclesia habeat, quod relinquitur Sacerdoti. CAUS. XII. QUÆST. III. Cap. 3. *Pontifices. Ex Conc.* AGATHENSI. Cap. 6. *ann.* 506.

V. Quod in Canone legitur, videlicet quòd Pontifices, quibus ab extraneis aliquid, aur cum Ecclesia, aut sequestratim dimittitur aut donatur (quia hoc illa, qui donat, pro redemptione animæ suæ, & non pro commodo Sacerdotis, probatur offerre) non quasi suum proprium, sed quasi dimissum Ecclesiæ, inter facultates Ecclesiæ computabunt; hoc est verum, cùm Testator ita sequestratim legat illud Episcopo, quòd non exprimit, utrum velit ad Episcopum tantùm, non ad Ecclesiam pertinere. *De Testamentis.* Cap. *Requisisti.* §. 1. *med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 26. Cap. 15.

VI. Cùm Testator pro anima suâ legat in ultimâ voluntate, considerandum est diligenter utrùm leget hoc modo: *Relinquo istud Episcopo*, an *Relinquo istud Ecclesiæ*; vel *Relinquo istud Episcopo & illud Ecclesiæ. De Testamentis.* Cap. *Requisisti.* LIB. III. DECR. *Tit.* 26. Cap. 15.

VII. Si Testator leget hoc modo: *Relinquo istud Episcopo*, in primo casu distinguendum est, utrum relinquatur Episcopo ab extraneo, an à propinquo. Si ab extraneo, generaliter verum est, quòd præsumitur esse relictum intuitu Ecclesiæ, non personæ; nisi Testator exprimat, quod velit illud tantùm esse Episcopi, non Ecclesiæ. *Ibid.* §. 1.

VIII. Si relinquatur illud Episcopo à propinquo, præsumitur esse relictum non intuitu Ecclesiæ, sed personæ; nisi fortè contrarium probaretur. *Ibid. De Testam.* Cap. *Requisisti.* §. 1. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 26. Cap 15.

IX. Quod si relinquatur Episcopo & Ecclesiæ, de illo Canonica inter ipsos est divisio facienda. *Ib.* §. 2.

X. Si verò istud Episcopo, & illud Ecclesiæ relinquatur, sive æqualia sive inæqoalia sint relicta, Testatoris dispositionem propter ultimæ voluntatis favorem satis decens est observare. *Ibid.* §. 3.

XI. Illud est generaliter observandum circà eum, qui proprium potest possidere, (*id est* Clericum Sæcularem, qui Beneficium non habet) Prælationem vel Administrationem Ecclesiæ non habentem, quod si ei aliquid specialiter relinquatur, non solùm à propinquo, verùm etiam ab extraneo, intelligitur esse relictum, non intuitu Ecclesiæ, sed personæ, nisi probatio in contrarium appareret; & idcircò de illo nec Episcopus, nec Ecclesia possit in vitâ ejus sibi aliquid vindicare. *Ibid.* §. *ult.*

XII. Hoc intelligitur esse verum, cùm fraus minimè procuratur; quæ si detecta fuerit, patrocinari non debet. *Ibid. fin.*

Circà collectos Textus notandum, aliquos præcessisse erectionem Beneficiorum, alios illam subsequutos, cùm plures sint XIII. vel XIV. Sæculi, plures autem anteriores sunt XI. vel XII. Sæculo, quibus ista facta est. Undè patet hanc erectionem illos Textus inutiles non fecisse; sed totam mutationem in eo sitam esse, quod nunc de Beneficiato dicendum sit, quod olim de Ecclesia dicebatur; nempe relictum Beneficiato non nomine proprio personæ, sed nomine Beneficii, ad Beneficium pertinere, atque ad Successores in Beneficio transire; è contra, non transire ad illos, sed ad hæredes transmitti. Similis autem distinctionis exemplum haberi in delegatione, quæ si fiat Beneficiato nomine personæ designato, non transit ad Successorem in Beneficio; sin autem, ad illum transit.

SECTIO XXIII.

Obligatio hæredum Beneficiariorum. Quid agendum sit de parcimoniis, quæ procedunt certè ex reditu Parochiæ, aliùsve Beneficii?

Si CORNELIUS careret Patrimonio, aut industriâ undè lucraretur pecuniam, ita ut sit credendi locus, omnia ab ipso relicta provenire ex ipsius Parochia; rectissimè fecisti, Domine, cùm hæredem coegeris, ut impenderet operibus piis hæreditatem sibi ab eodem relictam. Favet tibi Regula, *Res transit cum onere suo*: Hæres obligationibus illius oneratur cui succedit; si quibus gravetur hæreditas debitis, hæc ipsi sunt solvenda; si bona sint malè parta, ut Usurarii profectus, restituere tenetur.

Adhuc fulciris Regulâ: *Nemo plus juris in alium transfert quàm habet, aut habere dignoscitur.* Fundamen-

damentum illa est præcedentis ; nam si hæres cogatur solvere onera hæreditatis, ideò est, quia non plus habet juris in bona defuncti, quàm ipse habebat. Denique fundaris adhuc omnibus Canonibus, qui significant quis faciendus sit usus redituum Ecclesiasticorum; demonstrant enim, quod, postquàm Beneficiarius ceperit quod est necessarium pro suo honesto victu & vestitu, debeat reliquum impendere ad reparationes, & alias ejusdem Beneficii necessitates, & ad sublevandos pauperes : Fundamentum illorum est, quòd qui bona Ecclesiæ suppeditaverunt, illa propter Ecclesiarum necessitates & indigentium dederint : Canones facti post partitionem fundorum, aut redituum Ecclesiæ, aut assignationem portionis Beneficiario cuique determinatæ, locuti sunt de usu qui fieri de bonis Ecclesiæ debeat, eodem modo quo, qui antè facti sunt; quo intelligitur distributionem nihil hac in re mutasse : atque ita, quemadmodùm antè partitionem, Beneficiarii non erant suarum Ecclesiarum redituum Domini, nec ita facti sunt propter partitionem. A me fit hæc Observatio, ut cognoscas eosdem Canones responsionem tibi tradere Objectionibus hæredis; nam quod allegat fortiùs colligitur ex eò, quod contendat reditum, quem possidebat Cemelius, solum esse portionem necessariam victui & vestitui honesto, & posse hanc ob rationem de eâ ad lubitum disponere; & Canones citati dicunt indistinctè omnes Beneficiariorum reditus debere applicari ad tres usus, quos annotavi. Quapropter operæ pretium esset, ut ille hos evolveret Canones, ipse de suo convinceretur Officio. Hac etiam ratione jungo huic Epistolæ collectionem illorum Canonum juxtà ordinem temporum, à primis Ecclesiæ sæculis usque ad novissima, cum reflectionibus, ut hujus Collectionis Canonum intelligentia facilis fiat, aut ut faciliùs intelligatur quod est in illis maximè notandum.

Hæc facta est simili in occursu : quem tunc habuit exitum, eundem spero habituram illam. Non facilè ceditur Legibus XVI. Sæculorum, quæ dicunt omnes singulæque unanimiter, ea, quæ non sunt necessaria Ministrorum Sacrorum victui & cultui, debere impendi ad Ecclesiæ & pauperum necessitates; ex quo sequitur evidenter & necessariò Parentes Beneficiarii mortui, sine aliis quàm Ecclesiæ bonis, non posse suas facere parcimonias illius, nisi sint ex his pauperibus, quibus opem ferre debebat. Cemelius ex eadem Collectione intelliget, neminem posse absque errore asserere, Canones, quibus obligantur Beneficiarii, ut ad opera pia superfluum redituum suorum applicent, in Gallia abrogatos esse; atque hanc ob causam Parentes Beneficiariorum ibidem succedere iisdem Beneficiariis, tùm quoad parcimonias ex ipsorum Beneficiis provenientes, tùm quoad alia bona quæ relinquunt; cùm ad mores pertineant contrà quos nulla abrogatio, perindè ac nulla præscriptio. *Cap. 11. De Consuetud.*

Reverà, cognoscet ex 1º. *Concilio* Mediolan. illos Canones non posse abrogari, quia natura & conditio bonorum Ecclesiæ ea est, ut non possint impendi nisi ad usus Sacros. *Siquidem ubi primùm Ecclesiæ bona esse cœperunt, eam naturam & conditionem consecuta sunt, ut in alium quàm in Sacrum & pium usum eorum fructus converti nefas esset.* Idem inferet ex eo, quod Canones omnium Sæculorum conveniant, nempè statuere ut non convertantur bona Ecclesiastica in alios usus, quàm in Ministrorum Sacrorum victum & cultum, in pauperes sublevandos, in ornamenta & Ecclesiarum reparationes; aut declarent, non licere illa bona ad res alias convertere; quod colligitur ex eo, quòd qui bona Ecclesiæ largiti sunt, eâ lege illa tantùm suppeditaverint, quod tres ad hos usus impendentur, & Ecclesia conditionem accepit assumendo bona : innumeras esse Leges tùm Civiles, tùm Ecclesiasticas, quibus prohibetur strictè, ne justa Fundatorum intentio frustretur. Quòd si quis voluisset relinquere Beneficiario liberam dispositionem reditûs, quem ipsi dabat, Ecclesia intentionem hujus Fundatoris mutasset, direxisset, & Beneficiarium Legibus Generalibus subjecisset, quæ pertinent ad usum fructuum Ecclesiasticorum : Unde locus est credendi, quod si usus Regni Galliæ det Parentibus successionem Beneficiariorum, etiam eorum qui certè nullum habuerunt nec habere potuerunt Patrimonium, ut Religiosi creati Episcopi, eâ tantùm lege det, ut bonis relictis potiantur, sicut defunctus debuisset iis potiri; quod inferri potest ex eo quòd Ordinationes Regiæ obligent Monasterium, quod succedit Parocho Religioso, ut in tres Partes successionem dividat, aliam det pauperibus, aliam Fabricæ, & tertiam Monasterio. Imò extant nonnulla Senatus-Consulta, quæ Monasterio nihil adjudicant.

Hanc Epistolam finienti mihi occurrit cogitatio, quam exequi debeo : Referam nempè locum Ordinationum DD. Cardinalis La Camus *De Faciendo Usu Redituum Ecclesiasticorum. Tit. 4. Art. 7.* Præparabit Cemelium ad lectionem Canonum; ideò eum ad te mitto, quia aliud non est quàm Epitome eorumdem Canonum; & ex illo intelliget, unum inter Clarissimos & perspicacissimos Ecclesiæ Gallicanæ Prælatos nullò prorsùs modo credidisse illos Canones abrogatos esse. Locus autem de quo agitur, his verbis concipitur : *Sanctus* Hyeronimus *cùm respexisset horrendo modo Sacerdotes, qui in Sæculo nati pauperes, divites in Ecclesiâ evaserunt Crucifixi sumptibus; & cùm docuisset Ecclesiasticos bona terræ possidere debere, magis propter proximum, quàm propter se ipsos; ultrà vigesimam quartam partem Decimarum Beneficiorum suorum, abundè Eleemosynam,* inquit, *largientur, præsertim pauperibus locorum, ex quibus reditus percipiunt, præcipuè ex bonis Ecclesiæ quorum sunt tantùm Oeconomi & Dispensatores, & non Domini, & Proprietarii: Ita nedum bona Ecclesiæ convertunt in splendida convivia, in lautas dapes, in suppellectilia sumptuosa, in equos, in numerum infinitum domesticorum; nedum ea colligunt & thesaurisent, aut nedum utuntur iis bonis ut Parentes suos alant, qui minimè opus illis habent, ut illos connubio jungant, & ut Divites efficiant, ut illis ad aliquod munus evehantur suprà ipsorum conditionem, quod non potest fieri absque peccato : Impendent potiùs, secundùm Ecclesiæ Statuta, ad sustentationem & alimoniam pauperum, & ægrorum, ad procurandas missiones, fundandas Scholas, ut contribuant pauperum Clericorum sustentationi, Ecclesiarum ipsorum decorationibus, reparationibus ædificiorum Beneficiorum eorumdem Clericorum, & aliis bonis operibus, reputantes quasi furtum & rapinam sacrilegam omnia quæ ex Altari percipient ultrà quod est necessarium pro sustentatione & suo victu frugali & modesto, non secundùm Regulas sæculi, & Constitutiones mundanas, sed secundùm Evangelii Leges, & Constitutiones Canonicas.*

Continuatio

Continuatio TITULI XII.

De bonis Ecclesiæ, in qua seorsim agitur & fusissimè disceptatur, de Decimis, Primitiis, & Oblationibus; tùm methodicâ Textuum & Juris Decisionum circà illas Collectione, tùm eorumdem expositione per Quæstiones & Regulas.

PARTIS PRIORIS
SECTIO I.

Decimarum solutionem esse quodammodò Juris Divini; sive obligationem solvendi Decimas fundatam esse in Lege Divinâ.

I. IN signum universalis dominii, quasi quodam titulo speciali, sibi Dominus Decimas reservavit. *De Decimis.* Cap. *Cùm non sit.* §. 1. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 33.

II. Decimæ non ab homine, sed ab ipso Domino, sunt institutæ. *De Decimis.* Cap. *Parochianos.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 14.

III. Decimas Deus in signum universalis dominii sibi reddi præcepit, suas esse Decimas & Primitias asseverans. *Ibid.*

IV. Decimæ Divinâ Constitutione debentur. *De Decimis.* Cap. *Tua.* §. 1. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 3. Cap. 25.

V. Deus, cujus est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi qui habitant in eo, deterioris conditionis esse non debet, quàm Dominus temporalis, cujus statutum de terris, quas exhibet aliis excolendas, necessariò persolvitur. *De Decimis.* Cap. *Tua nobis.* §. 1. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 26.

VI. Decimæ & Oblationes Divini Juris esse noscuntur. CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 68. *Quoniam quicquid.* §. 1.

VII. Decimarum solutio debita est Deo. *Conc.* TRID. SESS. XXV. DECR. II. *De Reform.* Cap. 12. *init.*

VIII. Decimas à populo Sacerdotibus ac Levitis esse reddendas, Divinæ Legis sanxit autoritas. CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 47. *Decimas. init.* Deo debita est solutio Decimarum. *Ibid.*

IX. Clericis Decimas Deus ipse pro suo Cultu concessit. *Ibid.*

X. Institutioni Divinæ manifestiùs obviant, qui Decimas ipsis Ecclesiis non persolvunt. *De Decimis.* Cap. *Pervenit. in int. med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 5. *Appendice Concilii* LATER. III. *De Decimis.* Cap. 2.

XI. Decimas Deo & Sacerdotibus Dei dandas, ABRAHAM factis, & JACOB promissis insinuat: Deindè lex statuit, & omnes Sancti Doctores commemorant. CAUS. XVI. QUÆST. VII. Cap. 6. *Decimas.*

XII. Decimas omninò dari Deo non negligatur, quas ipse Deus dari constituit; quia timendum est, ut quisquis Deo debitum suum subtrahit, ne fortè Deus per peccatum suum auferat ei necessaria sua. CAUS. XVI. QUÆST. II. Cap. 2. *Admonemus.*

XIII. Jubemur ab Omnipotenti Deo omnium bonorum nostrorum Decimas dare. *De Consecr.* DIST. V. Cap. 16. *Quadragesima. fin.*

XIV. Illud instantissimè commonemus, ut ABRAHÆ documenta sequentes, Decimas ex omni facultate non pigeat Deo pro reliquis quæ possidetis conservandis offerre &c. *Epistolâ Episcoporum Provinciæ Turonicæ ad Plebem. an* 567. TOM. V. CONC. p. 868. *S. Hieron.* DAMASO *Papæ circiter ann.* 382. *Conc.* MOGUNT I. *ann.* 857. Cap. 10. TOM. VIII. CONC. *p.* 45. PASCHALIS II. *circiter anno* 1110. Vide *Conc.* MATISCON. II. *ann.* 585. *Can.* 5. TOM. V. CONC. *p.* 981. Ubi inter alia, dicit: *Quas Leges* (*Divinas circà Decimas*) *Christianorum congeries longis temporibus custodivit intemeratas.*

Cum obtestatione præcipimus, ut omnes studeant de omnibus, quæ possident, Decimas dare, quia speciale Domini Dei est. *Concil.* CALCHUTENS. *ann.* 787. *Cap.* 17. TOM. VI. CONC. *p.* 1870. *Concil.* FOROJUL. *ann.* 791. Cap. 14. TOM. VII. CONC. *p.* 1009. *Conc.* RHEM. II. *ann.* 813. *Can.* 38. TOM. VII. CONC. *p.* 1258. *Concil.* VALENTIN. III. *ann* 855. *Can.* 10. TOM. VIII. CONC. *p.* 140. *Conc.* MOGUNT. *anni* 888. Cap. 17. TOM. IX. CONC. *p.* 408. *Conc.* TRIBUR. *ann.* 895. *Can.* 13. TOM. IX. CONC. *p.* 448. *Can.* 14. *Ex Concilio* MOGUNTIACO *ann.* 852. *Ex Conc.* MOGUNTIACO. Cap. 38. *ann.* 813. TOM. VII. CONC. *p.* 1250. *Ex Homiliâ* 16. GREGORII *Papæ circ. ann.* 593. ALEXAND. III. *Epistola* 19. *Appendicis primæ*, TOM. X. CONC. *p.* 1261.

Hujusmodi testimonia explicantur de obligatione alendi Sacros Ministros, ac subministrandi quæ requiruntur ad Cultum Divinum, in subjungendis Regulis circà Decimas, ubi ostenditur ex ipso jure Canonico illas non esse Juris Divini.

SECTIO II.

Quibus de rebus debeantur Decimæ?

I. Parochiani de proventibus molendinorum, piscariarum, fœno, & lanâ, Decimas Ecclesiis, quibus debentur, cum integritate persolvant. *De Decimis.* Cap. *Pervenit.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 5.

II. Parochiani de pomis, pyris, & apibus, & de omni fructu Decimas persolvere Ecclesiasticâ districtione compellantur. *Ibid.* Cap. *Nuncios, seu* Cap. 6. *Append. Conc.* LATER. III. *De Decimis.* Cap. 3.

III. Agricultores de omnibus prædiorum fructibus Decimas absque diminutione persolvant, cùm simul vel diversis temporibus anni, in eodem horto vel agro diversa semina sparserint. *De Decimis.* Cap. *Ex Parte.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 21.

IV. Revera, sicut Sancti Patres in suis tradiderunt Scripturis, de vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, negotiatione, de ipsâ etiam militiâ, de venatione, & de omnibus bonis, Decimæ sunt tribuendæ. *Ibid.* Cap. *Non est in potestate.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 22.

V. Fidelis homo de omnibus, quæ licitè potest acquirere, Decimas erogare tenetur. *Ibid.* Cap. *Ex transmissâ.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 23.

VI. Ad solutionem Decimarum de his, quæ de molendino ad ventum proveniunt, sine diminutione aliqua compellatur. *Ibid.* Cap. 23.

VII. De cunctis omnino proventibus Decimæ sunt reddendæ. *De Decimis.* Cap. *Tua nobis.* §. 1. *med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 26.

VIII. Quilibet Decimas solvere tenetur, nisi à præstatione ipsarum specialiter sit exemptus. *De Cohabit.* Cap. *A nobis. in integrâ. med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 2. Cap. 9.

IX. A dantibus possessiones & accipientibus ad affictum, de fructibus quos percipiunt Decimæ sunt solvendæ; nisi ab eis aliquid ostendatur, quare ab hujusmodi sunt immunes. *Ibid.*

X. Omnes primitias & Decimas, tàm de possessionibus, quàm de frugibus, dives sicut & pauper Ecclesiis suis rectè offerant; dicit enim Dominus per Prophetam: *Apportate omnem Decimam in horreo meo, cùm cibus sit servientibus in domo meâ.* Sicut enim Dominus omnia dedit, ita de omnibus Decimam exigit, ut de fructibus agri, ut de agnis, de velleribus, de porcellis. Si quis autem hæc omnia non decimaverit, prædo Dei est, & fur, & latro, & maledicta quæ intulit Caïn, non rectè dividenti congeruntur. IVO, *Parte II.* Cap. 174. *Ex Conc. Hispal.* TOM. V. CONC. *p.* 1591.

XI. Cùm Dominus aliquotam partem percipit, tunc uterque & Colonus & Dominus tenetur solvere Decimam de parte suâ. *Glossa*, verbo, *Sic & Dominus.*

XII. Ut

XII. Ut Decimæ Collaborationum & animalium, secundùm Sacra Præcepta, Domino absque fraude & aliquâ detractione offerantur. *Concil.* Pontigon. *ann.* 876. Cap. 11. Tom. IX. Conc. *p.* 288.

Contrarius usus plurimorum Sæculorum cogit hos Canones intelligere de honestatis debito, non de stricta obligatione; cùm ex illorum documentis constet de qualibet re de qua loquuntur, solutam Decimam non fuisse: Hinc viget adhuc usus ille.

SECTIO III.

Decimas esse onera realia, quæ de fructibus ipsis terræ debentur.

I. Fructus ipsi alienari non possunt, nisi cum onere Decimarum. *De Decimis.* Cap. *Pastoralis.* §. 1. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 28.

II. Hi, ad quos census, vel tributa indecimata pervenerint (quoniam res cum onere suo transit) ea decimare cogantur Ecclesiis, quibus de jure debentur. *De Decimis.* Cap. *Cùm non sit.* §. 1. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 33.

III. Sicut Colonus de parte fructuum, quæ sibi remanet ratione culturæ; sic & Dominus de portione, quam percepit ratione terræ, Decimam reddere sine diminutione tenetur. *De Decimis.* Cap. 26. *Tua nobis.* §. 1. *fin.*

SECTIO IV.

Decimas omnium fructuum solvendas esse, nullis deductis expensis, damnis, aut censibus.

I. Districtè præceptum est, quatenus antequàm ullæ deducantur de bonis expensæ, Decimæ Ecclesiis, ad quas pertinent, cum integritate debitâ persolvantur. *De Decimis.* Cap. *Non est in potestate.* §. 2. Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 22. *Conc.* Moguntiac. *ann.* 888. Cap. 22. Tom. IX. Conc. *p.* 410. *Conc.* Trosleianum *ann.* 909. Cap. 6. Tom. IX. Conc. *p.* 538.

II. Cùm Domini temporalis statutum de terris, quas exhibet aliis excolendas, non quidem deductis sumptibus, aut semine separato, necessariò cum integritate persolvitur; nimis profectò videtur iniquum, si Decimæ, occasione seminis, & sumptuum qui fiunt in agriculturâ, vel excogitatâ magis fraude, diminui valeant. *De Decimis.* Cap. *Tua nobis.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 26. §. 1.

III. Sicut Colonus de parte fructuum, quæ sibi remanet ratione culturæ; sic & Dominus de portione, quam percepit ratione terræ, Decimam reddere sine diminutione tenetur. *Ibid.*

IV. Expensæ, quæ fiunt pro fructibus percipiendis, ex illis, de quibus fructus proveniunt, non sunt deducendæ; quoniam fructus efficiuntur eorum, qui faciunt ipsas expensas. *De Decimis.* Cap. *Pastoralis. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 28.

V. Nec pro restaurando detrimento quarumlibet rerum, ex quibus Decimæ persolvuntur, deducendæ sunt expensæ de proventibus decimandis; quia penès Dominum res permanent restauratæ: ut si pars aliqua moriatur armenti, deterioretur vinea, portio mercis depereat, vel totus clibanus destruatur. *Ibid. De Decimis.* Cap. *Pastoralis.* §. 2. Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 28.

VI. Statutum est, ut ipsi Domini talibus personis & taliter sua prædia excolenda committant, quod absque contradictione Ecclesiis Decimas cum integritate persolvant. *De Decimis.* Cap. *In aliquibus.* fin. Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 32.

VII. Cùm non sit in homine, quid semen ferenti respondeat, quoniam juxtà verbum Apostoli: *Neque qui plantat, est aliquid; neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus*; ne ipsum, qui de mortificato semine plurimum fructum affert, nimis avarè quidam in Decimis defraudare nitantur, census & tributa de frugibus penitùs deducentes. *De Decimis.* Cap. *Cùm non sit. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 33.

VIII. In prærogativam dominii generalis Dei, exactionem tributorum & censuum præcedat solutio Decimarum. *Ibid.* §. 1. *med.*

IX. Quicumque recognoverit in se, quod fideliter non dederit Decimas suas, modò emendet, quod minus fecit. Quid est fideliter Decimas dare, nisi ut nec pejus, nec minus aliquando Deo offerat, aut de grano suo, aut de vino suo, aut de fructibus arborum, aut de pecoribus, aut de horto, aut de negotio, aut de ipsâ venatione suâ? Caus. XVI. Quæst. VII. Cap. 4. *Quicumque. Ex Sermone* S. Ambr. I. *in Quadragesima, forte anno* 380. Non est Ambrosii.

Decimas, sicut Dei Summi Dominicas, ex integro reddi præcipimus. *Concil.* London. II. *ann.* 1127. *Can.* 10. Tom. X. Conc. *pag.* 922.

SECTIO V.

Pro locorum tantùm consuetudine solvendas esse Decimas, easque stricto jure deberi Clericis, seu Ministris Ecclesiæ.

I. Illæ Decimæ necessariò solvendæ sunt, quæ debentur ex Lege Divinâ, vel loci Consuetudine approbatâ. *De Decimis.* Cap. *In aliquibus.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 32.

Loci Consuetudo attendenda est in solutione Decimarum. *Glossa.* Non solùm quoad quotitatem, sed etiam quoad genus fructuum, & solvendi modum.

II. In solvendis Decimis ad Consuetudinem recurrendum est. *De Decimis.* Cap. *Cùm sint homines.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 3. Cap. 18.

In Decimis persolvendis Consuetudo attenditur. *Gl.* verbo, *Ad Consuetudinem.*

III. Decimæ sunt Ecclesiarum & Clericorum jura. *De Decimis.* Cap. *Tua nobis.* §. 2. *init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 26.

IV. Primitiæ, Decimæ, & Oblationes, in solis Ecclesiarum bonis præcipuè numerantur. *De Verb. Signif.* Cap. *Causa. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 40. Cap. 13.

V. Decimæ sunt Ministris Ecclesiæ tribuendæ. *De Decimis.* Cap. *Non est in potestate.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 22.

VI. Decimæ Ecclesiis, ad quas pertinent, persolvantur. *Ibid.* §. 2.

VII. Ratione personarum, aut etiam prædiorum, Decimas Ecclesiis & Clericis exhibere tenentur. *De Decimis.* Cap. *Tua nobis.* §. 2. Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 26.

VIII Laici, prætextu nequitiæ Clericorum, nequeunt eas pro suo arbitrio erogare, cùm nulli sit licitum aliena cuiquam concedere præter Domini voluntatem. *Ibid. De Decimis.* Cap. *Tua nobis.* §. 1. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 26.

Decimæ Clericis ex mandato Divino debentur. *Ibidem.*

IX. Non sunt ferendi, qui, variis artibus, Decimas Ecclesiis obvenientes subtrahere moliuntur, aut qui ab aliis solvendas temerè occupant, & in rem suam vertunt. *Conc.* Trid. Sess. XXV. Decr. II. *De Refor.* Cap. 12. *init.*

X. Qui Decimas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt. *Conc.* Trid. Sess. XXV. Decr. II. *De Refor.* Cap. 2. *init.*

XI. Parochiani de subtractis & retentis Decimis dignam satisfactionem exhibere procurent. *De Decimis.* Cap. *Cùm homines. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 7.

XII. Domini Possessionum, & Agricolæ illarum Decimationum, quas illicitè detinuerunt, justam æstimationem restituere Ecclesiæ compellantur. *De Transactionib.* Cap. *Veniens. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 36. Cap. 8.

XIII. Qui Deo non vult reddere Decimas, qoas retinuir, non timet adhuc Deum. CAUS. XVI. QUÆST. II. Cap. 5. *Nam qui. Ex* S. AMBR. *Serm.* 9. *De Quadrages. circ. an.* 180. Non est AMBROSII.

XIV. Si ad Deum, à quo cuncta bona procedunt, debitum respectum haberent, Decimas, quæ tribura sunt egentium animarum, non præsumerent derinere. *De Decimis.* Cap. *Tua nobis.* §. 1. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 26.

Ex hâc Sectione juncta, Primæ patet Decimas deberi Jure Humano, ut & Divino; hoc aurem non obviat Regulæ, *Una eademque res non debet diverso Jure censeri*; cùm ista intelligenda sit de eadem re, eodem modo considerata; porrò Decimæ aliter considerantur, dum dicitur *Eas deberi Jure Divino*; nempe in se vel jure æquivalenti; & aliter, dum dicitur, *Illas deberi consuetudine*, nempè quoad circumstantias.

SECTIO VI.

Parochialibus Ecclesiis, sive earum Rectoribus, de Jure Communi solvendas esse Decimas personales, & prædiales iis Ecclesiis in quibus sita sunt prædia.

I. Prælati ab eis temporalia non exigant, quibus spiritualia non ministrant. *De Parochiis.* Cap. *Significavit.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 29. Cap. 5. & fin.

II. Decimæ Parochialibus Ecclesiis exsolvantur, ad quas de Jure Communi spectat perceptio Decimarum. *De Decimis.* Cap. *Cùm in tuâ. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30 Cap. 30. *Conc.* MELFITANUM *ann.* 1089. Cap. 5. TOM. X. CONC. *p.* 476. *Conc.* CABILLON. II. *ann.* 813. *Can.* 19. TOM. VII. CONC. *p.* 1276.

III. Perceptio Decimarum ad Parochiales Ecclesias de Jure Communi pertinet. *De Decimis.* Cap. *Cùm contingat. post med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 29.

IV. Æquum est, ut illi Ecclesiæ Decimæ personales reddantur, in quâ Ecclesiastica percipiuur Sacramenta. *De Decimis.* Cap. *Ad Apostolicæ.* §. 2. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 20. *Conc.* RAVENNENSE *ann.* 878. *Statuto* 18 TOM. IX. CONC. *p.* 303. *Conc.* METENSE *ann.* 888. Cap. 2. TOM. IX. CONC. *p.* 413.

V. Qui à Clericis spiritualium Ministeriorum labores accipiunt, Decimas eis debent. *De Decimis.* Cap. *Novum genus. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 2. PASCHALIS II. *circiter ann.* 1110.

VI. De Decimis justo ordine non tantùm nobis, sed etiam Majoribus Nostris visum est tantùm Plebibus, ubi Sacrosancta Baptismata danrur, debere dari. CAUS. XVI. QUÆST. I. *Cap.* 45. *De Decimis.* & CAUS. XIII. QUÆST. I. *Cap.* 1. §. 7. LEO. IV. *fortè circiter anno* 850.

VII. Homines de frugibus Decimam Ecclesiæ, cujus Parochiani sunt, sine diminutione solvere tenentur. *De Decimis.* Cap. *Cùm homines. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 7.

VIII. Locorum Prælatis de agris in eorum Parochiâ constitutis, seu ratione prædiorum, Decimæ cùm integrirate persolvantur. *Ibid. De Parochiis.* Cap. *Significavit.* §. 1. *med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 29. Cap. 5.

Decimæ prædiales illi Ecclesiæ sunt dandæ, in cujus territorio prædia sunt constitura. *Glossa.*

IX. Omnimodis Divinæ Legi & Sacris Canonibus constat esse contrarium, ut Laici non ad Ecclesias, ubi Baptismum, & Prædicationem, & alia CHRISTI Sacramenta percipiunt, Decimas suas dent; sed vel propriis Basilicis, vel aliis Ecclesiis, pro suo lubitu, tribuant. CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 56. *In Sacris Canonibus. Ex Concilio* TICINENSI, Cap. 11. *ann.* 855. Vide SECT. IX.

X. Est manifestum (nisi aliud ostendatur) Decimas, ex prædiis intra alienam Parochiam constitutis, de Jure Communi ad eamdem Ecclesiam pertinere. *In 6. De Restit. Spoliat.* Cap. *Ad Decimas. fin.* LIB. II. *Tit.* 5. Cap. 2.

XI. Coloni terrarum, ei Ecclesiæ, à quâ omnia Ecclesiastica percipiunr Sacramenta, Decimas solvere tenenrur. *De Transactionib.* Cap. *Veniens.* LIB. I. DECR. *Tit.* 36. Cap. 8.

XII. Presbyteri Parochianas Decimas accipiant, & populi necessitatibus debitè invigilent. *Conc.* MELD. *ann.* 845. Cap. 75. TOM. VII. CONC. *p.* 1845. *Conc.* CONFLUENTINUM *ann.* 922. Cap. 8. TOM. IX. CONC. *pag.* 586.

XIII. Parocho, si petat Decimas terrarum, quæ in suâ Parochia excolunrur, persolvantur, cùm in iis de Jure Communi fundetur. *De Decimis.* Cap. *Dudum.* §. 1. *post init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 31.

Sequens SECTIO primâ fronte superflua videtur, cùm ex ista & ex Prima & ex Quinta, pateat Decimas deberi Ministris; Hinc enim sequitur istos illas posse exigere: sed immeritò, cùm subministret novas autoritates, quibus eadem res confirmator.

SECTIO VII.

Ministros Ecclesiæ summo Jure posse exigere Decimas.

I. Decimæ quasi debitum exigi possunr. *De Decimis.* Cap. *Parochianos.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 14.

II. Decimæ ex debiro requiruntur, & qui eas dare noluerir, res alienas invasir. CAUS. XVI. QUÆST. I. *Cap.* 66. *Decimæ.* §. 4. *med.* CÆSARII *fortè in Appendice Sermonum* S. AUGUST. *Sermon.* 277.

III. Prælati Parochianos suos monere curent, & si opus fuerit, sub Excommunicationis districtione compellant, ut de proventibus Decimas Ecclesiis, quibus debeatur, cum integritate persolvant. *De Decimis.* Cap. *Pervenit.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 5.

IV. Parochiani Decimas persolvere Ecclesiasticâ districtione compelluntur. *De Decimis.* Cap. *Nuncios.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 6.

V. Parochiani cogantur, ut Decimas statim fructibus collectis persolvant. *De Decimis.* Cap. *Cùm homines. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 7.

VI. Agricultores, ut de omnibus prædiorum fructibus Decimas absque diminutione persolvant, Ecclesiasticâ Censurâ compelli possunt *De Decimis.* Cap. *Ex Parte.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 21. Reverà Decimæ sunt Ministris Ecclesiæ tribuendæ, ita ut qui eas solvere neglexerint, Ecclesiasticâ districtione debeant percelli. *De Decimis.* Cap. *Non est.* §. 1. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 22.

VII. Deo debita est solutio Decimarum, in tantùm, ut ad eas Clericis exhibendas, Laici, si moniti reddere noluerint, Ecclesiasticâ sint districtione cogendi. *De Decimis.* Cap. *Tua nobis.* §. 1. *med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 26.

VIII. Omnes qui Decimas exhibere tenentur, ad eas cum integrirate reddendas compelli possunt. *Ibid. De Decimis.* Cap. *Tua. Nobis.* §. 2. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 26.

IX. Personæ absque contradictione Ecclesiis Decimas cum integrirate persolvant, & ad id, si necessè fuerit, per Censuram Ecclesiasticam compellantur. *De Decimis.* Cap. *In aliquibus. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 32.

X. Ea per Censuram Ecclesiasticam decimare cogantur Ecclesiis, quibus de Jure debentur. *Ibid.* Cap. *Cùm non sit.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 33.

XI. Ad Decimarum præstationem possunt, qui tenentur ad eas, præmoniti, Censurâ Ecclesiasticâ coërceri. CLEMENTINA II. *De Judiciis.* LIB. II. CLEMENTINARUM *Tit.* 1. Cap. 2. *Dispendiosam. med.*

XII. Contrà quosdam, contemptâ Excommunicationis Senrentia, debitas Ecclesiis Decimas subtrahentes, Regiam implorare licet Potestatem. *De Homicidio.* Cap. *Postulasti.* LIB. V. DECR. *Tit.* 12. Cap. 21.

XIII. Qui

XIII. Qui Decimas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur; nec ab hoc crimine, nisi plenâ restitutione secutâ, absolvantur. *Conc.* Trid. Sess. XXV. Decr. II. *De Refor.* Cap. 12. *med.*

XIV. Statutum est, ut qui Decimas dare noluerint, secundùm Domini Nostri præceptum admoneantur semel, & secundò, & tertiò; qui si non emendaverint, anathematis vinculo feriantur usque ad satisfactionem & emendationem congruam. Caus. XVI. Quæst. VII. Cap. 5. fin. *Omnes Decimæ. Ex Conc.* Rothomagensi *fortè anno* 1118.

SECTIO VIII.

Omnes, seu Laïcos seu Clericos, cujuscumque gradûs, ac Regulares teneri solvere Decimas de prædiis suis, non de hortis.

I. Præcipitur omnibus, cujuscumque gradûs & conditionis sint, ad quos Decimarum solutio spectat, ut eas, ad quas jure tenentur, quibuscumque Ecclesiis, vel personis, quibus legitimè debentur, integrè persolvant. *Conc.* Trid. Sess. XXV. Decr. II. *De Refor.* Cap. 12.

II. Etiam Judæi compellendi sunt ad satisfaciendum Ecclesiis pro Decimis & Oblationibus debitis, quas à Christianis de domibus & possessionibus percipere consueverunt, antequàm ad Judæos quocumque titulo devenirent; ut sic Ecclesiæ conserventur indemnes. *De Usuris.* Cap. *Quantò.* §. 2. Lib. V. Decr. *Tit.* 19. Cap. 18.

III. De terris, quas Judæi colunt, ut ad Decimas persolvendas vel possessiones penitùs renunciandas cum omni districtione compellantur; ne fortè occasione illâ Ecclesiæ valeant suo jure fraudari. *De Decimis.* Cap. *De Terris.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 16.

IV. Religiosi, tàm Exempti quàm non Exempti, de terris & possessionibus acquisitis & acquirendis, Decimas integrè solvant illis Ecclesiis, quibus eædem possessiones & terræ priùs fuerunt decimales: nisi super hoc speciali jure vel Privilegio sint muniti. *In 6. De Decimis.* Cap. *Statuto.* §. *penult.* Lib. III. *Tit.* 13. Cap. 2.

V. Monachi, nisi transactionem, autoritate Apostolicâ confirmatam esse docuerint, Decimationes ex quibuslibet rebus provenientes, ex integro Ecclesiæ solvere compellantur. *De Transactionibus.* Cap. *Veniens.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 36. Cap. 8.

VI. Coloni eorum, ei Ecclesiæ, à quâ omnia Ecclesiastica suscipiunt Sacramenta, Decimas solvere compellantur. *Ibid.*

VII. Quilibet Decimas solvere tenentur, nisi à præstatione ipsarum specialiter sit exemptus. *De Decimis.* Cap. *A nobis. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 14.

VIII. Monachos cogas, ut ipsas Decimas, & de ipsis cultis, in quibus domus olim constructæ fuerant, Ecclesiæ cum integritate persolvant; quoniam, priusquàm in eadem Ecclesiâ morarentur, solebant persolvi. *Appendice Conc.* Later. *Parte* 13. Cap. 12.

IX. A dantibus & recipientibus possessionem ad firmam, de fructibus quos percipiunt Decimæ sunt solvendæ, nisi ab eis ostendatur quare ab hujusmodi sint immunes. *Ibid.* Cap. *A nobis. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 3. Cap. 14.

X. Imperialis concessio, quantumcumque generaliter fiat, neminem potest à solutione Decimarum eximere. *De Decimis.* Cap. *Tua.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 15.

XI. Religiosi Decimas Ecclesiæ sine diminutione aliqua, & cum eâ integritate in quâ antiquitùs solvi solebant, solvere debent. *Append. Conc.* Later. *Parte* 13. Cap. 13.

XII. Sicut olim de pascuis solvebantur Decimæ, ita nunc de eisdem ad frugum fertilitatem translatis

Decimas volumus absque diminutione persolvi. *Ibid.*

XIII. A Monachis, sive Clericis communiter viventibus, nulla ratio sinit, ut Episcopi aut personæ quælibet Decimas de laboribus seu nutrimentis suis propriis extorquere debeant. Caus. XVI. Quæst. I. Cap. 47. *Decimas. post init.* Paschalis II. *ann. circ.* 1110.

XIV. Episcopi & Abbates, de agris & vineis quæ ad suum vel Fratrum stipendium habent, Decimas ad Ecclesias deferri faciant; familiæ verò eorum ibi dent Decimas suas, ubi infantes eorum baptisantur, & ubi per totum anni circulum Missas audiunt. Caus. XVI. Quæst. I. Cap. 46. *Quæsti sunt. Ex Concilio* Cabillonense *ann.* 813.

XV. Licèt sit Monachis indultum, ut de laboribus, quos propriis manibus vel sumptibus colunt, nemini Decimas solvere teneantur; propter hoc tamen non est licitum illis Decimas de terris suis subtrahere, quas aliis tradunt excolendas. *De Decimis.* Cap. *Licet.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 11.

XVI. Indultum est Monachis, ut Decimas laborum suorum, quos propriis manibus vel sumptibus colunt, & de nutrimentis animalium suorum, & de hortis suis Decimas non persolvant. *De Decimis.* Cap. *Ex parte. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 10.

XVII. Laborum suorum, quos propriis manibus vel sumptibus excolunt, sive de nutrimentis animalium suorum, nullus omninò Clericus vel Laïcus à Religiosis Decimas exigere præsumat. *Append. Concil.* Lateran. *Parte* 13. Cap. 7.

XVIII. Hi, quibus hoc indultum est, hac occasione Decimas de aliis rebus Ecclesiæ suæ non possunt subtrahere aliquid, vel sibi aliquid ulteriùs vendicare. *Ibid. fin.*

XIX. Monachi de prædiis, quæ conducunt & recipiunt ad firmam, Decimas plenariè persolvant. *De Decimis.* Cap. *Dilecti.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 8.

XX. Illi Clerici, qui à Clericis spiritualium Ministeriorum labores accipiunt, Decimas eis debent. *De Decimis.* Cap. *Novum. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 2.

Decimæ & Primitiæ, seu Oblationes vivorum & mortuorum, Ecclesiis Dei fideliter reddantur à Laïcis; quas qui retinuerint, à Sanctæ Ecclesiæ Communione separentur. Caus. XVI. Quæst. II. Cap. 3. & Dist. XXXII. Cap. 6. *fin.* Nicolaus II. *ann.* 1059. *in Conc.* Rom. Alexander II. *ann.* 1063.

XXI. Monachi Ecclesiæ, in cujus Parochiâ commorantur, Decimas de terris cultis, in quibus olim domus constructæ fuerant, cum eâ integritate persolvant, quâ, priusquàm in eadem Ecclesiâ commorarentur, solebant persolvi. *De Decimis.* Cap. *Commissum.* §. 1. *init* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 4.

XXII. Et sicut, si etiam de pascuis olim Decimæ persolvebantur, ita nunc de eisdem ad frugum fertilitatem translatis, Decimas debent absque diminutione persolvere. *Ibid. fin.*

XXIII. Licèt indultum fuisset aliquibus Monachis quod de laboribus suis nullas Decimas persolvere deberent, si de una, quam habent in aliquâ Parochiâ, per 30. annos ei Decimas persolverunt, eas sibi de cætero integrè persolvere debent. *De Privilegiis.* Cap. *Si de terrâ. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 33. Cap. 6.

XXIV Religiosi de terris, quas tradunt aliis excolendas, Decimam solvi Ecclesiis permittant, aut non prohibeant. Clementina I. *De Decimis. med.* Lib. III. Clementin. *Tit.* 8. Cap. 1.

SECTIO IX.

Posse Decimas Jure speciali, vel ex Consuetudine, deberi alii Ecclesiæ quàm Parochiali, aut etiam Præscriptione, modò sit quadraginta annorum.

I. In dubitatione cui Ecclesiæ Decimas solvere de-

beant, ad Consuetudinem recurrendum est. *De Decimis.* Cap. *Cùm sint.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 30. *Cap.* 18. Agebatur de dubio orto ex diversitate Decisionum Patrum, & de casu particulari.

II. Cùm circà Decimas, à diversis diversa Consuetudo tenetur, eligendum in hoc casu quòd per Consuetudinem diù obtentam ibi noscitur observatum. *De Decimis.* Cap. *Ad Apostolica.* §. 2. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 20.

III. In quibusdam Parochiis ad quasdam Ecclesias vel personas Ecclesiasticas ab antiquo pertinet perceptio Decimarum. *De Decimis.* Cap. *Cùm contingat.* §. 1. *init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 29.

Quædam Monasteria & Conventuales Ecclesiæ, in multis Parochiis majores Decimas percipiunt & minutas. Majores Decimæ de laboribus terræ, seu de blado, & universis leguminibus. *Cap.* 3. *Ex multiplici. Ibid.* Cap. 30. *Cùm in tuâ. init.*

IV. Minutæ Decimæ partus animalium. *Glossa.*

V. Decimæ, quas Canonici se asserunt intra Parochiam alterius Ecclesiæ possedisse aliquandiù, & eis per illius Clericum spoliatos fuisse; nequaquam restitui debent, nisi evidenter ostendatur, quod earum possessionem legitimè assecuti fuissent; quia eas occupasse injustè verisimiliter præsumuntur, cùm proveniant ex prædiis intra alienam Parochiam constitutis. *In* 6. *De Restitut. Spoliat.* Cap. *Ad Decimas.* Lib. II. *Tit.* 5. Cap. 2.

VI. Episcopum, qui Decimas proponit (licèt in tuâ sint constitutæ Diœcesi) se legitimè præscripsisse, allegare oportet (cùm Jus Commune contrà ipsum faciat) hujusmodi præscriptionis titulum, & probare; nisi tanti temporis allegetur Præscriptio, cujus contrarii memoria non existat. *In* 6. *De Præscriptionib.* Cap. *Episcopum.* Lib. II. *Tit.* 13. Cap. 1.

VII. De quarta Decimæ Clericus ab impetitione Episcopi, quadragenariâ præscriptione temporis se posse tueri videtur. *De Præscriptionib.* Cap. *De quartâ.* Lib. II. Decr. *Tit.* 26. Cap. 4.

VIII. Cùm duæ Ecclesiæ litigant super Decimis, quas una earum in alterius Parochiâ annis quadraginta possedit; de jure melior est conditio possidentis; quia quadragenalis Præscriptio omnem prorsùs actionem excludit. *Ibid. De Præscript.* Cap. *Ad aures.* Lib. II. Decr. *Tit.* 26. Cap. 6.

IX. Si Prior Hospitalis in Decimis de laboribus Rusticorum suorum Ecclesiæ debitis Præscriptionem allegat, idem Prior Præscriptionis titulum, quem allegavit, probare debet. *De Decimis.* Cap. *Dudum.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 13.

X. Jure Communi quod habet Prælatus in Decimis, nonnisi quadraginta annorum taciturnitate privatur. *De Decimis.* Cap. *Dudum. in integrâ. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 31.

XI. Si Abbas & Monachi sufficienter ostenderint, quòd Decimas de aliquibus terris per quadraginta annos perceperint sine lite, ad præstationem ipsarum Domino terrarum compelli debent. *De Privilegiis.* Cap. *Accedentibus.* §. 1. Lib. V. Decr. *Tit.* 33. Cap. 15.

XII. Si ab Abbate probatum fuerit per quadraginta annos tertiam partem oblationum alicujus Ecclesiæ suam Ecclesiam recepisse; de omnibus oblationibus, quocumque titulo ad Ecclesiam pervenerint, sine diminutione aliquâ integrè tertia illi Abbati portio persolvatur. *De Verborum Signif.* Cap. *Cùm inter.* Lib. V. Decr. *Tit.* 40. Cap. 29. *Concil.* Regiaticinum, *ann.* 850. Cap. 17. Tom. VIII. Conc. *pag.* 68.

XIII. Episcopus postulare potest, ut Decimas intra suæ Diœcesis terminos constitutas, quas detinet aliquis Abbas, sibi restituantur, nisi aliquo Jure speciali susceptas possidere monstraverit. *De Præscript.* Cap. *Veniens.* §. 1. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 26. Cap. 19.

Una Ecclesia potest præscribere Decimas in Parochiâ alterius. *Glossa.*

XIV. Monachi suarum Decimarum proventus illis liberè locare possunt, cum quibus Ecclesiæ suæ conditionem possunt facere meliorem. *De Locato & Conducto.* Cap. *Vestra.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 18. Cap. 2.

Monasterium admittitur ad probandum Præscriptionem factam super quibusdam Decimis. *De in Integrum Restit.* Cap. *Suscitatâ.* §. 2. Lib. I. Decr. *Tit.* 41. Cap. 6.

XV. Canonicis Ecclesiæ quidam Agricultores de fructibus suis Decimas persolvunt. *De Decimis.* Cap. *Ex parte. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 21.

XVI. Ubi minutæ de quibusdam fructibus annatim perceptis Decimæ non fuerunt persolutæ; si fructus prædicti de illa terra proveniunt, de qua Monasteria vel Conventuales Ecclesiæ aliquos percipiebant ratione Decimarum proventus; eis proculdubio Decimæ fructuum debentur eorum, cùm ipsis terra illa ab antiquo fuerit decimalis, & non debeat una eademque Ecclesia diverso Jure censeri. *De Decimis.* Cap. *Cùm in tuâ.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 30.

SECTIO X.

Neminem posse Decimas uni Ecclesiæ debitas ad aliam transferre.

I. Si quis Laïcus, vel Clericus, proprietatis suæ loca, vel res alicui dare delegaverit; Decimationum proventum priori Ecclesiæ legitimè assignatum indè abstrahere nullam habeat potestatem. Quod si facere tentaverit, talis traditio irrita prorsùs ducatur, & ipse ad emendationem Ecclesiasticâ coërceatur Censurâ. Caus. XVI. Quæst. I. Cap. 42. *Si quis Laïcus. Ex Conc. apud* Confluentiam *anno* 922. *Conc.* Rom. *ann.* 1099. *Can.* 15. Tom. X. Conc. *p.* 607.

II. Nullus Decimas ad alium pertinentes accipiat. Caus. XVI. Quæst. II. Cap. 4. *Nullus.* Leo *Papa fortè circiter ann.* 855.

III. Religiosi novalium, aut alias Decimas Ecclesiis debitas, ad alios ex aliquâ causâ legitimâ non spectantes, appropriare sibi non præsumant, aut exquisitis fraudibus seu coloribus usurpare. Clem. I. *De Decimis. init.* Lib. III. Clem. *Tit.* 8. Cap. 1.

IV. Si Regulares & Sæculares Clerici, cùm vel domos locant, vel feuda concedunt, in præjudicium Parochialium Ecclesiarum pactum adjiciunt, ut Conductores & Feudatarii Decimas eis solvant: Cùm id de avaritiæ radice procedat, pactum hujusmodi penitùs reprobandum est, ut quicquid fuerit occasione hujusmodi pacti perceptum, Ecclesiæ Parochiali reddatur. *De Pactis.* Cap. *Plerique.* Lib. I. Decr. *Tit.* 35. Cap. 7.

V. Si quis oblationes Ecclesiæ, vel Decimas, quas populus dare debet, tenere contenderit, vel extra Baptismalem Ecclesiam dare voluerit, præter conscientiam Episcopi, Communione privetur. Caus. XVI. Quæst. I. *Cap.* 55. *Statuimus. Ex Capitularib. fortè anno* 803.

VI. Si qui Laïci, qui vel in propriis, vel in Beneficiis suas habent Basilicas, contemptâ Episcopi dispositione, non ad Ecclesias, ubi Baptismum, & Prædicationem, & manûs impositionem, & alia Christi Sacramenta percipiunt, Decimas suas dant; sed vel propriis Basilicis, vel aliis Ecclesiis, pro suo lubitu, tribuunt: hoc omnimodis Divinæ Legi & Sacris Canonibus est contrarium. Caus. XVI. Quæst. I. Cap. 56. *In Sacris. post init. Ex Concilio* Ticinensi. Cap. 11. *ann.* 853.

VII. Ecclesiæ antiquitùs constitutæ, nec Decimis, nec ullâ possessione priventur, ita ut novis Oratoriis tribuantur. Caus. XVI. Quæst. I. Cap. 45. *Ecclesia. Ex Concilio* Cabillonensi, *ann.* 813.

omninò

VIII. Omninò providendum est Episcopo, ut Ecclesiæ antiquiores propter novas suam justitiam aut Decimam non perdant; sed semper ad antiquiores Ecclesias persolvatur. Caus. XVI. Quæst. I. Cap. 44. *Quicumque. fin. Ex Capitulari* 3. Caroli Magni *ad Salz. ann.* 804. *Quarto imperii sui anno.* Tom. VII. Conc. *p.* 1181.

SECTIO XI.

Quid sint novalia? Et quibus eorum Decimæ debeantur?

I. Novale est ager nunc primùm præcisus. *De Verb. signif.* Cap. *Innovate.* Lib. V. Decr. *Tit.* 40. Cap. 1.

II. Novale intellexerunt agrum de novo ad cultum redactum, de quo non extat memoria quòd aliquandò cultus fuisset. *Ibid. De Verb. signif.* Cap. *Quid per Novale.* §. 1. Lib. V. Decr. *Tit.* 40. Cap. 21.

III. Novale terra, de quâ non extat memoria quòd aliquando culta fuerit, redacta noviter ad culturam. *De Privil.* Cap. fin. *Consultationi. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 33. Cap. 31.

IV. De Decimis Novalium sic statutum est, ut si terræ, quæ arabiles sunt, intrà certam alicujus Ecclesiæ Parochiam fuerint, Decimæ earum eidem Ecclesiæ debeant assignari. *De Decimis.* Cap. *Quoniam.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 13.

V. Cùm in quibusdam Parochiis ad quasdam Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas, ab antiquo pertinet perceptio Decimarum, & de novo fiunt Novalia in eisdem; cùm perceptio Decimarum ad Parochiales Ecclesias de jure omni pertineat, Decimæ Novalium, quæ fiunt in Parochiis earumdem, ad ipsas proculdubio pertinere noscuntur; nisi ab his, qui alias percipiunt Decimas, rationabilis causa ostendatur; per quam appareat, Novalium ad eos Decimas pertinere. *De Decimis.* Cap. *Cùm contingat.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 29.

VI. Religiosi pro eo quod fortè in aliquibus Parochiis omnes majores Decimas, seu partem illarum acquirunt de manibus Laïcorum, possunt pro eadem vel simili portione (si de novo postmodùm fiant Novalia) in eisdem petere, vel percipere Novalium Decimas eorumdem; nisi rationabilis, per quam hoc facere valeant, causa subsit. *In 6. De Decimis.* Cap. *Statuta.* §. *ult.* Lib. III. *Tit.* 13. Cap. 2.

VII. De Indulgentiâ olim Religiosis concessâ, de non solvendis Novalium Decimis agitur. *De Privil.* Cap. ult. Lib. V. Decr. *Tit.* 33. Cap. 33. *Et De Verbor. Signif.* Cap. *Quid per Novale.* Lib. V. Decr. *Tit.* 40. Cap. 21. *Et In 6. De Decimis.* Cap. 2. Lib. III. *Tit.* 13.

Sed hæc non sunt in usu. *Vide etiam De Decimis.* Cap. *Ex parte.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 27. & *De Privilegiis.* Cap. *Quia circa.* Lib. V. Decr. *Tit.* 33. Cap. 22.

Episcoporum esse, cùm novas Ecclesias erigunt, Decimas eis assignare. *Vide* Caus. XVI. Quæst. I. Cap. 56. 57.

SECTIO XII.

Circà Decimarum solutionem fieri posse compositionem inter personas Ecclesiasticas, modò pecunia non interveniat.

I. Regulares de terris acquirendis, etiamsi eas propriis manibus aut sumptibus excolant, Decimas persolvant Ecclesiis, quibus ratione prædiorum anteà solvebantur; nisi cum ipsis Ecclesiis aliter duxerint componendum. *De Decimis.* Cap. *Nuper. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 34.

II. Cùm super Decimis, inter Abbatem de consensu totius Conventûs, & Parochum intercessit conventio, scriptô Monachorum authentico roborata, inviolabiliter teneri & observari debet. *De Decimis.* Cap. *Ex multiplici.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 3.

III. Abbas & Monachi super Decimis cum Parocho possunt pacificè convenire. *Ibid. fin.*

IV. Religiosi de prædiis, quæ conduxerunt in Parochiis, de quibus alii Religiosi consueverunt Decimas percipere, plenariè solvant eisdem, vel cum ipsis amicabiliter componant. *De Decimis.* Cap. *Dilecti. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 8.

V. Quia non decet Religionem Monasticam litibus & contentionibus intendere, consuli iis debet ut cum aliis Religiosis super ipsis Decimis componant. *De Decimis.* Cap. *Suggestum. in integrâ.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 9.

VI. Conventio quod Monachi Parocho & Ecclesiæ suæ, quandiù vixerit, certas Decimas persolvant, est personalis. *De Decimis.* Cap. *Ex multiplici. junctâ Gl.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 3.

VII. Si super Decimas inter personas Ecclesiasticas, de assensu Episcopi, vel Archiepiscopi sui, compositio facta fuerit, rata & inconcussa persistat. *De Transactionib.* Cap. *Statuimus.* Lib. I. Decr. *Tit.* 36. Cap. 2.

VIII. Potest Monasterium Decimas per transactionem (*id est* amicabilem compositionem. *Gl.* hoc verbo) acquirere. *De in Integrum Restit.* Cap. *Suscitata.* §. 1. *fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 41. Cap. 6.

IX. Super causâ, quæ inter Monasterium ex unâ parte, & Præpositum ex alterâ, super quibusdam Decimationibus vertitur, in aliquos utrinque, tanquam in Arbitros, compromitti potest. *De Rerum Permut.* Cap. fin. *Exhibita.* Lib. III. Decr. *Tit.* 19. Cap. 9.

Arbitrium eo modo factum, ut si obtineatur certa pecuniæ summa, à Decimationum petitione cessetur; & quicquid secutum est ex eo, irritum decerni debet. *De Rerum Permut.* Cap. fin. *Exhibita.* Lib. III. Decr. *Tit.* 19. Cap. 9.

Monasterium cum Monasterio potest amicabiliter componere.

X. Ne occasione privilegiorum, Ecclesiæ prægraventur; decretum est, ut quicumque Regulares de alienis terris & acquirendis Decimas persolvant Ecclesiis, quibus ratione prædiorum anteà solvebantur, nisi cum ipsis Ecclesiis aliter duxerint componendum. Cap. *Nuper.*

XI. Quia Decimæ cum temporalibus non sunt commutandæ; inhibitum est, ne præscriptos reditus in ipsius Decimæ commutatione præsumas recipere, sed Parochianus ad restituendas Decimas subtractas, Ecclesiasticâ districtione, compellatur. *Append. Conc.* Lateran. III. *Tit.* 4. Cap. 1. Tom. X. Conc. *p.* 1568. Non servatur ubicumque viget Decimarum redemptio, ut in multis Provinciis Galliæ.

XII. Monasterium cum Monasterio super ipsis Decimis componat. *Cap. Suggestum.*

Cum Laïcis non potest fieri compositio. *Gl.* Verbo, *Proponam.* Quod intelligendum de compositione, qua Laïci percipiant Decimas, non autem de illâ, qua non solvant medio censu annuo.

XIII. Ex una parte Capitulum, ex alterâ Monachi super Decimâ quadam, in alicujus possunt compromittere arbitrium. *De his quæ fiunt à Præl.* Cap. *Cùm Apostolica.* §. 1. *init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 11. Cap. 7.

Inter Clericos & Laïcos super Decimis amicabilis compositio intervenire potest, modò eam autoritate Apostolicâ confirmari contingat. *De Confirm. Utili.* Cap. *Venerabilis. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 30. Cap. 8.

Plurimis in locis fit hujusmodi compositio sine autoritate Apostolicâ.

SECTIO XIII.

Ad solum Summum Pontificem pertinere dare privilegia, seu exemptionem de non solvendis Decimis.

I. Monachi & eorum Coloni non possunt se tueri cujusdam Transactionis prætextu inter præfatos Monachos & Parochum Prædecessorem factæ, ut tertiam tantùm Decimarum partem exsolvant; nisi præfati Monachi transactionem præscriptam autoritate Apostolicâ confirmatam esse docuerint. *De Transact.* Cap. *Veniens.* LIB. I. DECR. *Tit.* 36. *Cap.* 8. Vide *De Bigamis non ordin.* Cap. *Quia circà. in int.* LIB. I. DECR. *Tit.* 21. Cap. 6.

II. Hæc transactio non potest intelligi locum habere, nisi per modum privilegii & exemptionis à solutione Decimarum. *Vide* GONZAL. *in Commentar. n.* 9. *fin.*

III. Nolumus te latere quod Prædecessores nostri ferè omnibus Religiosis Decimas laborum suorum concesserant. *De Decimis.* Cap. *Ex parte.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 10. ALEX. III. *anno circ.* 1170.

IV. Prædecessor noster HADRIANUS solis Fratribus CISTERCIENSIS Ordinis, & Templariis, & Hospitalariis Decimas laborum suorum, quos propriis manibus, vel sumptibus colunt, indulsit. *Ibid.*

V. Cæteris verò, ut de Novalibus suis, quæ propriis manibus, vel sumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium suorum, & de hortis suis Decimas non persolvant; quem sumus super his imitati. *Ibidem.*

VI. De benignitate Sedis Apostolicæ est Cisterciensibus indultum, ut de laboribus, quos propriis manibus, vel sumptibus colunt, nemini Decimas solvere teneantur. *De Decimis.* Cap. *Licèt. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 11. ALEX. III. *ann. circ.* 1170.

VII. Propter hoc tamen non est licitum iis Decimas de terris suis subtrahere, quas aliis tradunt excolendas. *Ibid. fin.*

VIII. Illud privilegii Capitulum pravâ interpretatione pervertunt, quo Cisterciensibus indulgetur, ne de laboribus, quos propriis manibus aut sumptibus excolunt, aliquis Decimas ab eis exigat, qui asserunt quod pro laboribus Novalia intelligi debent; nam si intelligeretur tantummodo de Novalibus, ubi ponitur de laboribus, de Novalibus poneretur. *Ibid.* Cap. 12. *Ad audientiam.*

IX. Quando Romana Ecclesia Ordini Cisterciensium privilegia de Decimis dedit; ita erant raræ Abbatiæ illius Ordinis, quòd exindè nulli poterat de jure scandalum suboriri; sed nunc in tantùm augmentatæ sunt, ac possessionibus ditatæ, quod multi viri Ecclesiastici de illis querelam sæpè proponant. *Ibid.* Cap. 9. *Suggestum.* ALEX. III. *circ. ann.* 1180.

X. Non fuit intentio Apostolicæ Sedis, ut de possessionibus, quas Religiosi conducerent, Decimas non solvant. *Ibid.* Cap. 8. *Dilecti.* ALEXAND. III. *ann. circ.* 1180.

XI. Non est intentionis Romani Pontificis per privilegium suum conventioni derogare, nisi de ipsâ contineatur in eo. *Ibid.* Cap. *Ex multiplici.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 3.

XII. Cùm Monasterio quod majus est concessum est, ut videlicet Decimas de laboribus terræ Parochiarum suarum cum integritate percipiat, de Novalibus eas exigere satis potest; quia ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur. *Ibid.* Cap. 27. *Ex parte tuâ.* INNOC. III. *ann. circ.* 1210. Agitur de Parochiis possessis pleno jure quoad temporalia; ideòque justum erat, ut qui Decimâ majori gaudebant, minori potirentur. Si de alienis Parochiis actum fuisset, plus non continuisset minus ob præjudicium tertii.

XIII. Ne occasione privilegiorum Cisterciensium Ecclesiæ ulteriùs prægraventur; decretum est, ut de alienis terris, & à modò acquirendis etiamsi eas propriis manibus aut sumptibus excolant, Decimas persolvant Ecclesiis, quibus ratione prædiorum anteà solvebantur, nisi cum ipsis Ecclesiis aliter duxerint componendum. *Ibid.* Cap. 34. *Nuper.* INNOC. III. *ann.* 1216.

Et hoc ipsum ad alios Regulares, qui gaudent similibus privilegiis, extendi mandatum est. *Ibid.*

XIV. Licet privilegiorum Romanæ Ecclesiæ Beneficio Fratribus CISTERCIENSIS Ordinis indultum fuerit, quod de laboribus suis nullas Decimas persolvere debeant; de privilegio tamen indulto sibi detrahere voluerunt, si de terra, quam habent in Parochiâ Canonicorum, per 30. annos eis Decimas persolverunt. *De Privil.* Cap. *Si de terrâ.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 6.

XV. Juri Ecclesiæ, super Decimis Novalium in quarum erat possessione, tempore illo, quo Indulgentiæ Apostolicæ impetratæ fuerunt de Decimis Novalium non solvendis, non debet per eas, non facientes de de hoc aliquam mentionem, præjudicium generari. *De Privil.* Cap. *Dudum.* §. 1. LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 31. GREGOR. IX. *ann. circ.* 1230. Subintelligenda Clausula: *Salvo Jure alterius*, ob Regulam, *De non tollendo Jure alteri quæsito.*

XVI. Cùm inter personam Ecclesiæ ex parte una, & Priorem ac Monachos ex altera, super Decimis Novalium intra fines Parœciæ suæ consistentium Quæstio emerserit; eâ pendente coram Judicibus, non obstante Indulgentia, quam Prior & Monachi obtinuerint à Sede Apostolicâ, super perceptione hujusmodi Decimarum; hujus prætextu Prior & Monachi suprà dictas Decimas sibi vendicare non possint, si in Indulgentiâ de dictâ Quæstione mentio facta non fuerit. *Ut Lite pendente.* Cap. fin. *Dilectus.* LIB. II. DECR. *Tit.* 16. Cap. 5. HONORIUS III. *ann.* 1222. Nota præcedens recurrit.

XVII. Terra, de quâ non extat memoria, quod aliquandò culta fuerit, redacta per Religiosos viros noviter ad culturam, perpetuò debet quoad immunitatem de non solvendis Decimis Novalium Jure censeri; cùm aliàs nonnunquam contingeret, indulgentiam de Novalibus plùs ei dispendii quàm utilitatis afferre. *De Privileg.* Cap. fin. *Consultationi.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 33. GREGOR. IX. *ann. circ.* 1231.

Non debet quis Beneficio decipi, sed juvari; decipitur autem cùm impensæ excedunt commodum, vel istud priùs perdit quàm illas compensarit.

XVIII. Cùm Romani Pontifices piis locis Indulgentiam de Novalibus concesserunt, non de quolibet Novali creditur eis Indulgentia fore concessa, nisi de illo duntaxat, cujus Decimam Religiosus potest Conventus absque gravi detrimento Parœcialis Ecclesiæ detinere, cùm talis sit sæpè locus incultus, de quo Parœcialis Ecclesia magnos percipit Decimarum ratione proventus. *De Verb. signif.* Cap. *Quid per Novale.* §. 2. LIB. V. DECR. *Tit.* 40. *Cap.* 21. Supponit Parochiarum bonum præferendum Monasteriorum bono, utpotè majus. *Vide In 6. De Decimis.* Cap. 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 13. Cap. 2. §. 1. & 2. INNOC. III. *anno circ.* 1215.

Si Decimarum Episcopalium remissio facta extitit ab Episcopo secundùm Canonicas Sanctiones, indefinitè Decimas Episcopales Monasterio remittendo (cùm nihil exceperit & potuerit excepisse, ac in Beneficiis plenissima sit interpretatio adhibenda, nec debeat una eademque substantia diverso Jure censeri) intellexisse videtur, non solùm de Decimis possessionum illius temporis, sed futuri. *De Privileg.* Cap. *Quia circà.* §. 2. LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 22.

Collectæ Decisiones id unum probant, multos Pontifices Indulta à solvendis dedisse; sed hoc non probat

probat hanc poteſtatem Papæ reſervatam eſſe; imò ultima ſupponit Epiſcopos ſimile quid facere poſſe, cùm Innoc. III. ibi agnoſcat Archiepiſcopum Londonensem potuiſſe Monaſterio Decimas Sedi ſuæ debitas remittere.

SECTIO XIV.

Laïcis dari non poſſe jus percipiendi Decimas; neque eos poſſe illud detinere, aut præſcribere.

I. Decimas, quas in uſum pietatis conceſſas eſſe Canonica autoritas demonſtrat, à Laïcis poſſideri prohibitum eſt; ſive enim ab Epiſcopis, vel à Regibus, vel quibuſcumque perſonis eas acceperint, niſi Eccleſiæ reddiderint, ſciant ſe Sacrilegii crimen committere, & æternæ damnationis periculum incurrere. Caus. XVI. Quæst. VII. Cap. 1. *Decimas. init. Ex Conc.* Later. *Gener. II. ann.* 1139. *Can.* 10. Tom. X. Conc. *pag.* 1004.

II. A ratione & autoritate alienum habetur, ut Laïci Decimas accipiant, & indè canes aut geniciarias ſuas paſcant. *Concil.* Melo. *ann.* 845. Cap. 75. Tom. VII. Conc. *p.* 1845. Greg. VII. *in Conc.* Lateran. Cap. 7. *ann.* 1078. *Ex Conc.* Rom. V. *ann.* 1078. Cap. 6. Tom. X. Conc. *p.* 373.

III. Si quis Epiſcopus Decimas, atque Chriſtianorum oblationes Laïcalibus perſonis contulerit, inter maximos Hæreticos & Antichriſtos non minimus habeatur; & qui dat Epiſcopus, & qui recipiunt ab eo Laïci, æterni incendii ignibus deputentur. Caus. I. Quæst. III. *Cap.* 13. *Pervenit.* & Caus. XVI. Quæst. VII. *Cap.* 3. Gregor. VII. *fortè ann.* 1078.

IV. Donatio Decimæ, quam Abbas Laïco conceſſit per ſucceſſionem tenendam, viribus carere debet; & Laïcus (niſi Decimam ipſam ipſi Eccleſiæ liberè reſignaverit) vinculo Excommunicationis adſtringi debet. *De Decimis.* Cap. *Ad hac.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 15. Alex. III. *ann. circ.* 1170.

V. Si quis Prælatorum alicui Laïco in ſæculo remanenti Decimam oblationemque conceſſerit; à ſtatu ſuo, ſicut arbor quæ inutiliter terram occupat, ſuccidatur, (*id eſt,* ſuſpendatur. *Gloſſa, hoc verbo,*) & donec emendet, dolore ſuæ jaceat ruinæ proſtratus. *De Decimis.* Cap. *Quamvis.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 17. Alex. III. *ann. circ.* 1170.

VI. Prohibitum eſt, ne Laïci Decimas, cum animarum ſuarum periculo detinentes, in alios Laïcos poſſint aliquo modo transferre. *De Decimis.* Cap. 19. *Prohibemus. init. Ex Conc.* Later. *ann.* 1179.

VII. Si quis Laïcus Decimas receperit, & Eccleſiæ non reddiderit, Chriſtianâ ſepulturâ privetur. *Ibid. fin.*

VIII. Monendus eſt Laïcus, qui Decimam detinet, ut eam reſtituat Eccleſiæ, ad quam ſpectat. *De his quæ fiunt à Præl.* Cap. *Cùm Apoſtolica.* §. 3. Lib. III. Decr. *Tit.* 13. Cap. 7. Innocentius III. *circ. ann.* 1210.

IX. Cùm Laïci Decimas detinere non poſſint, eas nullâ valent ratione præſcribere. *De Præſcript.* Cap. *Cauſam.* §. 1. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 26. Cap. 7. Alexand. III. *circ. an.* 1172. *error apud Pithœum.* 1112.

X. In cauſâ quæ inter Clericum & Nobilem Laïcum ſuper Decimis vertitur, non obſtat præſcriptio temporis, vel conceſſio (ſcilicet facta poſt *Conc.* Lateran. *Gloſſa ut infrà.*) Eccleſiaſticæ Sæculariſve perſonæ, ſi Laïcus ille eam opponere voluerit. *Ibid. init.*

XI. Rex & Regina Decimas de Jure non poſſunt poſſidere. *De Decimis.* Cap. *Dudum.* §. 3. Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 31. Innocent. III. *circ. anno* 1211.

XII. Pro certâ pecuniæ ſummâ, Laïco à Rectore promiſſâ, non poſſunt Arbitri taliter arbitrari, quod idem Laïcus Decimas, quas in Parochiâ habere dignoſcitur, pro pecuniæ ſumma percipiat annuatim; quoniam hujuſmodi arbitrium Eccleſiæ poſſet in poſterum pernicioſum exiſtere. *De Arbitris.* Cap. *Pervenit. med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 43. Cap. 3. Decimarum donatio nulla erat ex incapacitate, tàm dantis, qui non poterat alienare bona Beneficii, quàm accipientis, qui ut Laïcus inhabilis erat ad illarum acquiſitionem.

Non auditur appellans Laïcus detinens Decimas. *Append. Conc.* Later. III. *Parte* 10. Cap. ult.

Laïcus non poteſt ſibi occaſione arbitrii aliquod de Decimis vindicare. *Ibid.*

Quod beatitudo tua &c. Caus. XVI. Quæst. I. Cap. 68. §. 1. *Concilium* Claromontanum *ann.* 1095. *Cap.* 19. 20. Tom. X. Conc. *p.* 508. *Conc.* Nemausense *ann.* 1096. Cap. 6. Tom. X. Conc. *p.* 607. *Conc.* Pictav. *ann.* 1100. *Can.* 14. Tom. X. Conc. *p.* 726.

Ut Decimæ non niſi Eccleſiis dentur. *Concil.* London. *ann.* 1102. *Can.* 13. Tom. X. Conc. *p.* 629. *Conc.* Londin. II. *ann.* 1127. *Can.* 11. Tom. X. Conc. *p.* 922. *Concil.* Rhemense, *ann.* 1148. *Can.* 8. Tom. X. Conc. *p.* 1111. *Conc.* Turon. *ann.* 1163. *Can.* 3. Tom. X. Conc. *p.* 1419.

In collectis Deciſionibus, prohibentibus ne Laïci Decimas poſſideant, ſubintelligenda exceptio Diſpenſationis Eccleſiæ, quæ adeò juſtior quod pateat Decimas eſſe Juris Eccleſiaſtici. Gonzal. *in* Cap. 19. *De Decim.* n. 4. de illa Diſpenſatione agit, illiuſque exempla plura affert.

SECTIO XV.

Eccleſiam tolerare ut Laïci Decimas retineant; quas conſtiterit eos habuiſſe in feudum antè prohibitionem Concilii Lateran. *ſub* Alexandro III. *anni* 1179.

I. Tolerat Eccleſia quod Laïci Decimas, quas antiquitùs habuerint in feudum, detineant, de quibus loquitur hæc Decr. *Gloſſa,* verbo, *Tenetur.*

II. Decima tenetur à Laïco; hoc autem de illis Decimis intelligimus, quæ Laïcis in feudum perpetuò ſunt conceſſæ. *De his quæ fiunt à Præl.* Cap. *Cùm Apoſtolica. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 10. Cap. 7.

III. Decimæ tenentur à Laïcis; illas autem Decimas intelligimus, quæ antè Lateranense *Concilium* ipſis Laïcis in feudum perpetuò fuere conceſſæ. *In 6. De Decimis.* Cap. *Statuto.* §. 3. *fin.* Lib. III. *Tit.* 13. Cap. 2.

IV. Laïcis eſt prohibitum recipere Decimas in feudum perpetuum, poſt Lateranense *Concilium.*

V. Laïcus quantocumque tempore perceperit Decimas in aliquâ Eccleſiâ Parochiali; ſi Rector illius Eccleſiæ ſpoliaverit Laïcum, Laïcus contrà Rectorem non poteſt intentare Interdictum *Undè vi,* niſi alleget titulum, *id eſt,* infeudationem antè *Concil.* Lateranense; non autem auditur, ſi alleget præſcriptionem, quia non poteſt præſcribere, cùm non poſſit poſſidere. *Gloſſa ad* Cap. 2. *De Reſtit. Spoliat. In 6.* Lib. II. *Tit.* 5. Cap. 2.

Occaſione Decimationis antiquæ, licèt in feudum Decimæ ſint Laïcis conceſſæ, non ſunt Decimæ Novalium uſurpandæ, cùm in talibus non ſit extendenda licentia, ſed potiùs reſtringenda. *De Decimis.* Cap. *Tua.* §. 2. Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 25.

Decimæ Novalium non pertinent ad Laïcum, qui Decimas habet in feudum. *Summa.*

SECTIO XVI.

Non posse Ecclesias à Laicis Decimas recipere, nisi eas quas Laici infeudatas habuerint, modò eas concedant Parochialibus Ecclesiis.

I. Quicumque Primitias, Decimas, & Oblationes per Potestatem Sæcularem obtinet, procul dubio contrà Deum & Sanctorum Patrum nititur Sanctiones; quinimò & qui accipit, & qui tradit, Raptor & Sacrilegus judicatur. *De Verb. Signif.* Cap. *Causa. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 40. Cap. 13. Vide *Conc.* BELUAC. *ann.* 1114. TOM. X. CONC. *pag.* 800.

II. Decimas & Ecclesias à Laïcis Monachi non suscipiant, absque consensu & voluntate Episcoporum; quòd si aliter præsumptum fuerit, Canonicæ ultioni subjaceant CAUS. XVI. QUÆST. VII. Cap. 39. *Decimas.* CALLIXTUS II. *ann.* 1123. *In Conc.* LATERAN. I. TOM. X. CONC. *pag.* 899. *Can.* 18. *fin.*

III. Usum Decimarum & Oblationum Sæcularibus provenire omninò non licet, protestantibus hoc Divinis autoritatibus Paternorum Canonum: Quamobrem si aliquandò fuerint ab his malè detenta quæ Divini Juris esse noscuntur, & in usum transierint Monachorum & Servorum Dei, Episcopo tamen loci illius præbente consensum, constabunt eis omnia perpetua firmitate & stabilitate subnixa. CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 68. *Quoniam.* §. 1. & *De his quæ fiunt à Præl.* Cap. *Cùm Apostolica.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 10. Cap. 7. Malè S. HYERON.

IV. Ecclesias & Decimas de manu Laïcorum sine consensu Episcoporum quoscumque Religiosos recipere prohibet *Conc.* LATERAN. dimissis quascumque contrà tenorem istum aliquo tempore receperunt. *De Privil.* Cap. *Cùm & plantare.* §. 1. LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 3.

V. Decimas, quas habent Laïci in feudum, & non aliàs, possunt recipere de consensu Episcoporum. *Glos.* verbo, *Ecclesias.* ALEXANDER. III. *in Conc.* LATER. *ann.* 1179.

VI. In LATERAN. *Concil.* est inhibitum, ne qualibet Religiosa persona Ecclesias & Decimas de manibus Laïcorum, sine consensu Episcoporum, recipiat; per quod indirectè datur intelligi, quòd sufficit consensus Episcopi, ut licitum Ecclesiæ sit Decimas de manibus recipere Laïcorum. *De his quæ fiunt à Præl.* Cap. *Cùm Apostol.* § *ult.* LIB. III. DECR. *Tit.* 10. Cap. 7.

VII. Si forte Laïcus induci nequiverit ad restituendam Decimam Ecclesiæ, ad quam spectat, & eam cum Diœcesani Episcopi consensu alteri Ecclesiæ assignaverit, præsertim Religioso Conventui; constabit ipsa donatio perpetuâ firmitate subnixa. *Ibid. De his quæ fiunt à Præl.* Cap. *Cùm Apostolica.* §. 3. LIB. III. DECR. *Tit.* 10. Cap. 7.

VIII. In Decimis à Rege & Regina donatis Præscriptio non potest opponi, quæ nec à donatione ipsorum initium habere potest, cùm Donatores prædicti conferre non potuerint aliis, quæ ipsi de Jure non poterant possidere. *De Decimis.* Cap. *Dudum.* §. 2. & 3. LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 12.

IX. Donationis Decimarum Regis ac Reginæ allegatus titulus nullus est, cùm Sacrilegii crimen incurrat, qui Ecclesias vel Ecclesiasticum aliquid de manu receperit Laïcali. *Ibid. De Decimis.* Cap. *Dudum.* §. 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 10. Cap. 31.

X. Interdictum est universis personis Ecclesiasticis, ut Decimas detentas à Laïcis ad alienas Ecclesias pertinentes, in pignus recipere ab eisdem Laïcis non præsumant. *De Decimis.* Cap. fin. *Interdicimus.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 35.

XI. In LATERAN. *Conc.* noscitur fuisse prohibitum, ne quilibet Regulares Ecclesias seu Decimas sine Episcoporum consensu de manu Laïci præsumant accipere. *De Præb.* Cap. *In* LATERAN. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 31.

XII. Quamvis forte à Religiosis Exemptis & aliis fiant infeudationes de Decimis detentis à Laïcis; & idem Laïci, quòd illas ab ipsis Religiosis in feudum teneant, recognoscant; non tamen licet Religiosis eisdem, post talem infeudationem, vel recognitionem de facto sic præsumptam, hujusmodi Decimas de manibus Laïcorum ipsorum acquirere, vel recipere, absque Diœcesanorum Episcoporum assensu. *In 6. De Decimis.* Cap. *Statuto.* §. 3. LIB. III. *Tit.* 13. Cap. 2.

XIII. Illas Decimas intelligimus posse taliter à Religiosis de manibus Laïcorum recipi vel acquiri, quæ antè LATERAN. *Conc.* ipsis Laïcis in feudum perpetuò fuère concessæ. *Ibid. fin.*

SECTIO XVII.

Quid nomine Oblationum intelligatur? Eas solis Ecclesiæ Ministris competere.

I. Oblationes dicimus quæcumque de propriis & licitis rebus Ecclesiæ à fidelibus offeruntur. *De Verb. Signif.* Cap. *Causa. med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 40. Cap. 13.

II. Ea quæ offeruntur, pro Missis mortuorum, Sacerdotibus, & quæ pro Septimis, & Tricesimis, Anniversariis, panes, & alia, quæ infrà hebdomadam offeruntur, & mortuorum judicia, Oblationum nomine continentur. *De Verb. Signif.* Cap. *Cùm inter vos. post med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 40. Cap. 29.

III. Quia Sacerdotes pro omnibus orare debent, quorum eleemosynas & Oblationes accipiunt, quâ fronte præsumunt Laïci Oblationes, quas Christiani pro peccatis suis offerunt, vel comedere, vel aliis concedere, cùm ipsi non debeant pro populo orare? CAUS. X. QUÆST. I. Cap. 13. *Quia.* S. HIERONYM. *in Epistolâ ad* DAMASUM. *ann. circ.* 378.

IV. Oblationes à Laïcis auferri penitùs interdictum est. CAUS. X. QUÆST. I. Cap. 14. *Sanctorum.* CALLIXTUS II. *in Concil.* LATER. *Gen. I.* Cap. 14. *ann* 1123.

V. Omninò interdictum est, ut nullo modo unquam Oblationes, quæ intra Sanctam Ecclesiam offeruntur, sub dominio Laïcorum detineantur; sed tantummodò Sacerdotibus, qui quotidiè Domino servire videntur, liceat comedere & bibere. CAUS. X. QUÆST. I. Cap. 15. *Hanc Consuetudinem. init.* DAMASO *tribuitur. circ. ann.* 375.

VI. In collectis Sanctorum Patrum liquidò apparet, quòd omnes Christiani offerre aliquid Deo ex usu Sanctorum Patrum debent: Ad ipsum tamen priùs est confugiendum, qui nostræ curare possit animæ passiones. Verùm homines præpostero ordine antè sibi opem ab hominibus accersunt: Ubi autem humana subsidia defecerint, tunc opinantur Divini postulandam favoris gratiam. *De Consecrat.* DIST. I. Cap. 69. *Omnis Christianus. med.* GREGOR. VII. *in Synodo* ROMÆ *habita. ann.* 1078. Vide *Conc.* MATISCONENSE II. *ann.* 585. *Can.* 4. TOM. V. CONC. *pag.* 981.

VII. Ut Oblationes fidelium, quatenus Altari deferantur, nihil omninò ad Laïcalem pertineant potestatem, dicente Scripturâ; *Qui Altario deserviunt, de Altario participentur. Concil.* ENGILENHEIM. *anno* 948. Cap. 8. TOM. IX. CONCIL. *pag.* 625.

VIII. Ut Presbyteri Oblationes, vel luminaria, quæ eis ad manus offerentur, tanquam propria sua habeant. *Concil.* BITURIC. *ann.* 1031. *Can.* 13. TOM. IX. CONC. *pag.* 867.

Illationes ex Decisionibus in hoc Titulo collectæ.

Quamvis in Inscriptione Tituli mentio fiat de Primitiis & Oblationibus, paucissimæ tamen in illo sunt de utrisque Decisiones; plurimæ autem circà Decimas; docentes I. Decimas esse quodammodo Juris Divini. II. Consuetudine regi quoad qualitatem, genus fructuum, solvendi modum, tempus, locum. III. Legi Civili ac Ecclesiasticæ subesse.

IV. Hinc

IV. Hinc exigi posse à Ministris Sacris. V. Jure Communi deberi Parocho; aliis Jure Particulari, nempè Privilegio, Præscriptione, Consuetudine, Compositione, Donatione, Infeudatione. VI. Extingui posse annuâ pensione, aliove modo æquivalente. VII. Triplex Indultorum genus circà illas: Nempè 1°. Non solvendi. 2°. Percipiendi aliis debitas. 3°. Possidendi illas etsi spirituales, non obstante statu Laicali; isto verò frui Laïcos, quibus infeudatæ sunt. VIII. Decimationes unius loci, sive jus decimandi in illo, permutari posse cum Decimatione alterius, interpositâ Superioris autoritate.

DISPUTATIONIS DE DECIMIS,

Pars Posterior,

Seu de Decimis Ecclesiasticis Regulæ ex Corpore Juris Canonici Concilioque Tridentino *depromptæ, necnon Quæstiones ex iisdem fontibus solutæ.*

PROOEMIUM.

Tractatum *De Decimis Ecclesiasticis* inscribimus, non quòd ab illo concessas Laicis in feudum Decimas exclusas velimus; nam etiamsi Decimæ istæ quodammodo Sæculares sint, ex eo quòd à Sæcularibus possideantur, Ecclesiasticæ nobis sunt, tùm propter originem, tùm propter alias suo loco deducendas causas. Verùm prædicti Tituli præcipua Ratio est, ne quæ verè Sæculares sunt, in Tractatu nostro comprehendere videamur: De Sæcularibus autem Decimis agere ideò nolumus, quod Juri intra quod Tractatum nostrum continemus, penitùs ignotæ sint.

Quæ circà Decimas Ecclesiasticas quærimus, hæc sunt: I. Quid Decimarum nomine intelligat Jus Canonicum? II. Qui circà illas antiquiores Juris Textus? III. Quot Decimarum genera distinguat, & quas res cuique generi subjici exprimat? IV. Quo Jure deberi doceat? V. Quas ob causas? VI. A quibus? VII. Quibus? VIII. Quomodo? IX. Quos illarum capaces tradat? X. An ex Jure Canonico colligi queat, Ecclesiasticas Decimas aliàs Sæculares fuisse? XI. An idem Jus tradat circà Decimas Simoniam cadere posse? XII. Quid de Decimis in feudum datis doceat?

Sed Particularibus circà enumeratas Quæstiones Regulis Generales nonnullæ præmittendæ sunt, utpotè cæterarum quodammodo fundamenta.

Generalium circà Decimas Ecclesiasticas Regularum præcipuæ hæ sunt.

REGULA I.

Dignus est Operarius mercede suâ. Nemo militat stipendiis suis. Carnalia metere potest qui seminat Spiritualia.

Varii Juris Textus alibi collecti his Scripturæ locis utuntur ad Jura Ecclesiastica Decimis similia stabilienda, justaque esse demonstrandum.

REGULA II.

Multùm abest quin Ecclesiasticæ Decimæ idem sint ac Decimæ Judaïcæ.

REGULA III.

Istæ illarum figura propriè dici nequeunt, sed exemplar aptè vocantur.

Ad primum oporteret, ut dum Judaïcas Deus instituit, Ecclesiasticarum institutionem extendisset, vel intentam habuisset.

Ad secundum sufficit, quod Ecclesiasticæ Decimæ Judaïcarum ad instar introductæ sint.

REGULA IV.

Ex eo quòd Decimæ Judaïcæ Ecclesiasticarum exempla sint, quidquid inter utrasque commune est, proficiscitur.

REGULA V.

Circà Decimas Ecclesiasticas Mosaïca Lex non citatur tamquam Lex, sed tamquam Ratio; eodem planè modo, quo Leges extraneæ in locis extraneis citantur.

REGULA VI.

Pleræque circà easdem Decimas Quæstiones consuetudine deciduntur. *Cap.* 8. 18. 20. *De Decim.* Cap. 14. *De Censib.*

REGULA VII.

Ut terra Decimalis sit, sufficit ut Decimales fructus ferat, quicumque fuerit anteà illius status: sed, etsi fructus hujusmodi nunc non ferat, adhuc Decimalis est, modò fructifera sit, & antè immediatam sui mutationem Decimales fructus tulerit.

Patet Prima Pars ex *Capite* 4. *De Decimis.*

Ad secundam citatur *Caput* 23. *Eod. Titul.* sed id non probat: narratur quidem ibi terram, in quâ constructum erat Molendinum ad ventum, anteà fuisse Decimalem; sed Papa decidens ex illo Decimas deberi, in hoc non fundat Decisionem suam.

Convenit magis *Caput* 6. *De Decimis, in Secundâ Collectione*, ubi Cælestinus III. videtur obligare ad Decimas de pratis, ex eò quòd terra, priusquàm in prata converteretur, fructus ferebat, ex quibus Decimæ solvi solebant.

REGULA VIII.

Decimarum materia, censuum, procurationumve materiæ admodùm conformis est.

Hinc *Titulus De Decimis* Titulo *De Censibus* optimè explicatur; & quæ in Censibus valent axiomata, eadem vigent in Decimis.

Particularium circà Decimas Ecclesiasticas Regularum nimius erit numerus, quàm, ut sub unâ eâdemque serie convenienter colligi queant; idcircò cujusque Quæstionis Regulæ unâ serie continebuntur, proindèque proprio distinguentur numero ab aliarum Regulis.

Quæstio I.

Decimarum nomine quid intelligat Jus Canonicum?

REGULA I.

Decimas à Decimâ distinguit Jus Canonicum, etsi sub eodem Titulo comprehendat.

Infertur è *Titulo De Decimis*, & ex *Capitibus* sub illo contentis, præsertim *Cap.* 1. Extravag. Comm. *Tit. De Decimis.*

Nec obstat *Caput* 15. aliaque nonnulla, quæ Decimam vocant rem aliis Decimas nuncupatam; nam res nomine Decimæ significata, Decimarum nomine insignitur; hoc enim nomen sumi solet in numero plurali, Decimæ, non Decima: Ostendetur dum de Decima seorsim agetur.

REGULA II.

Decimarum nomine aliud nihil intelligit, quàm Jus ex prophanis rebus Sacris Ministris debitum.

Opponi potest contrà istam Regulam *Caput* 3. Caus. I. Quæst. I. & *Caput* 14. *Eadem* Caus. Quæst. III. quæ Decimas pro Beneficiis sumere videntur: sed non obstant hæc Capitula, cùm Decimæ significare hic possint decimandi Jus, ut alibi explicuimus.

REGULA

REGULA III.

Decima significat Jus Beneficiis impositum à Ministrorum Sacrorum Supremo, sibi vel aliis solvendum.

Non una causa movet nos, ut quæ circà Decimam docet Jus Canonicum, breviùs, quàm fieri queat, hìc observemus; pauca sunt & penè exoleta: locus tamen non occurret congruentior.

Nota ergo 1°. In toto Juris Canonici Gorpore duos tantùm esse Textus, qui de Decimâ sermonem faciant; antiquiorem ex his esse EXTRAVAGANTEM UNICAM. *De Decimis, Inter* COMMUNES; desumi ex BONIFACIO VIII. *circà annum* 1300. scriptam, Decimæque Collectori missam: Decimam hâc Constitutione non imponi; sed nuper impositam pro Regni Siciliæ tuitione, quomodo & ex quibus solvenda sit declarari: Alium verò Juris Canonici Textum esse Constitutionem CLEMENTIS V. in *Conc* VIENNENSI *ann.* 1312. quâ nonnulla circà præcedentem Textum dubia solvit.

Nota 2°. A Decimis Decimam differre in singulis ferè punctis, quæ circà Decimam Jus tradit Canonicum. Nam Leprosariæ, Domus Dei, Hospitalia à Decimâ eximuntur, non autem à Decimis, cùm nullo in Juris loco legatur exemptio hujusmodi. Sola Beneficia Decimæ subsunt, & cætera, quæ oneri isti subjiciuntur, propter connexionem cum Beneficiis huic subduntur: Beneficia autem Decimas non debent, nisi agros hujus oneris non immunes habeant. Ex Beneficiis septem florenos auri non excedentibus Decima solvenda non est; ex agris, rebusve similibus, etiam permodici pretii, Decimæ debentur.

Decima in pecuniâ solvenda est; Decimæ in fructibus, perceptis. Decima temporalis est; sive ad tempus determinatum, nempè tres annos; sive ad tempus indeterminatum, nimirùm quandiù durabit impositionis causa: Decimæ perpetuæ sunt.

Decima duobus modis solvi potest; vel secundùm æstimationem fructuum, toto tempore, quo duratura est, perceptorum; vel secundùm collectorum quotannis fructuum valorem, quorum altero electo variandi locus non datur: Decimæ solvuntur ex fructibus quotannis perceptis. Quodvis fructuum genus Decimæ subest jamdiu; non idem de Decimis. In plerisque locis, in Decimâ sólvendâ deducuntur expensæ, sine quibus fructus ex agro percipi non possunt; quales quæ fiunt arando, colendo, colligendo; in Decimarum solutione tales expensæ non detrahuntur.

Nota 3°. Decimam alicui concessam in quibusdam locis, solvendam esse juxtà taxationem his in locis consuetam, & ad monetam currentem; nec per Collectores, Calices, Libras, aliaque Divinis Officiis deputata, ex pignoris vel distractionis causâ capi vel recipi posse.

Nota 4°. Pensionem Vicarii Principis, ad nutum tamen revocandi, à Decimâ solvendâ deduci; idem de salario Vicariis Coadjutoribus præter victum constituto.

Nota 5°. Decimæ non subjici, quæ in Clericorum utilitatem proximè non cadunt; qualia, quæ in opus Fabricæ, vel cujusvis Consortii, sive Confratriæ, donantur.

Nota 6°. Quando Beneficiorum fructus ab aliis quàm à percipientibus consumuntur, vel à consumentibus vel à percipientibus Decimam persolvendam.

Nota 7°. Ex omnibus Ecclesiasticis bonis, quæ in Beneficii Possessoris utilitatem expenduntur, Decimam deberi. Hinc sequi, cùm victualia Visitatori, vel Vicario Coadjutori data, in dantis utilitatem quodammodo consumantur, ex illis Decimam solvendam.

Nota 8°. Decimæ solutioni subesse distributiones quotìdianas, obventiones pro sepulturis, pro Benedictione nubentium, procurationes ratione Visitationis, emolumenta ex Jurisdictionis Ecclesiasticæ exercitio.

Nota 9°. Decimam non solventes, vel circà illam fraudem committentes, vel impedientes ne solvatur, excommunicatos denunciandos, pulsatis campanis & candelis accensis, usque ad condignam satisfactionem, singulis diebus Dominicis vel Festivis, illorumque exigente contumaciâ super illos manus aggravandas: Hæc de manifestis circà prædicta reis. Circà suspectos verò de non integrâ solutione, inquirendum; si rei deprehendantur & contumaces fuerint, nominatim excommunicandos; nisi Episcopi, Abbates, similesve honorabiles personæ; quo casu generalem tantùm Excommunicationem proferendam.

His addi plura possent, quæ ex damnis, vexationibus, molestiis, quæ à Collectoribus & Sub-Collectoribus Decimæ inferebantur, quæque in Collectione Decimarum locum non habent; ex quibus, ut ex aliis notatis differentiis, patet justissimè hanc abrogatam fuisse. De hac abrogatione, ejusque caussis, fusè agitur in *Commentar. Libert. Ecclesiæ Gallic. circà Art.* 24.

QUÆSTIO II.

Qui Juri Canonici circà Decimas Textus antiquiores?

REGULA I.

In Corpore Juris Canonici de Decimis Ecclesiasticis Textus nullus est IV. Sæculo antiquior.

Antiquissimus Textuum circà Decimas Ecclesiasticas est *Can.* 4. CAUS. XVI. QUÆST. VII. Desumptus autem est hic *Canon* ex Sermone Divi AMBROSII, cujus initium, *Ecce tempus*, habito circà annum 380.

Opponi potest *Canon* 16. CAUS. XXI. QUÆST. III. desumptus ex *Epistolâ Cypriani ad Presbyteros, Diaconos, & Plebem* FURNITANAM *scriptâ circà ann.* 256. Sed hic *Canon* de Decimis Judaïcis loquitur: Comparat enim ibi CYPRIANUS Ministros Novi Testamenti cum Veteris Testamenti Ministris; præcipitque, ut sicut Legis Mosaicæ Ministri à Sæcularibus negotiis removebantur Decimarum perceptione, sic & Novæ Legis Ministri à similibus negotiis avocentur sportularum Ecclesiasticarum distributione: sensum istum rejiciet nemo, qui Textum legerit.

REGULA II.

Ex omnibus circà Decimas Ecclesiasticas Juris Canonici Textibus, quos suppositi tios non esse constat, nullus vetustior VI. Sæculo exeunte.

Textuum hujusmodi antiquissimus videtur *Can.* 16. *De Consecr.* DIST. V. desumptus ex S. GREGORIO *Homil.* 16. LIB. II. *Homil. in Evangelia scripta circà annum* 593.

Non obstat 1°. *Canon* citatus in primâ Regulâ; nam Sermones *De Quadragesima* falsò tribui Divo AMBROSIO communiter docent Critici: Prætereà Sermo, è quo desumitur oppositus *Canon*, loquitur de Decimis personalibus; quales, quæ ex negotio, vel ex venatione solvuntur; Decimæ autem istæ longè posteriùs institutæ sunt: Adde quod vox, *Negotium*, pro lucro ex venditione & emptione percepto IV. Sæculo nondum usurpabatur.

Non obstat 2°. *Can.* 68. CAUS. XVI. QUÆST. I. in quo HIERONYMUS DAMASO scribens de Decimis Ecclesiasticis loquitur tamquam de re jam usitatâ: Nam præterquàm quod Correctores Romani hunc locum apud HIERONYMUM non reperiri observant, sunt plura in *Canone* isto, tempori HIERONYMI non congruentia, cùm Decimarum usurpatio à Laïcis, earum-

earumdem concessio Monachis, Episcopo consentiente, facti, HIERONYMO longè posteriora sunt. Ad hæc, hujus Doctoris Sæculo, pauperibus & peregrinis Ecclesiasticorum redituum pars reservabatur, unde Clerici exhortandi non erant, ut pauperibus & peregrinis è suâ portione subvenirent. Postremò S. HIERONYMUS in *Capite* 3. MALACHIO scribens *anno* 408. post recensitas & explicatas pœnas, quibus Judæos Decimas non solventes Deus affixerat, expositum à se locum ad Christianos extendit; sed juxtà sensum moralem iisdem dumtaxat accommodat, dicens, *Christianorum ergo non dare Eleemozinam, idem esse ac Decimas non solvere, ideòque Eleemozinam pauperibus debitam retinentes justum habere timendi locum incursas à Judæis pœnas ob Decimas non solutas.* Clarior *Canonis* istius sensus in Commentario quàm apud GRATIANUM; illum igitur ibidem lege, si de germano ipsius sensu sanè judicare velis.

Nec obstant 3°. *Canones* 16. 27. 28. CAUS. XII. QUÆST. II. quorum primus desumptus à SIMPLICIO scribente FLORENTIO, EQUITIO, SEVERO, Episcopis anno 475. Posteriores verò è GELASIO in Epistolis scriptis Clero, Ordini, Plebi BRUNDUSII, vel Episcopis per LUCANIAM & BRUTIOS constitutis; nam Oblationum nomine Decimæ in his non comprehenduntur, cùm nihil offerri posset quod ad Altare admoveri non poterat. *Cap.* 3. *Apostolorum.*

Non obstat 4°. *Can.* 66. CAUS. XVI. QUÆST. I. desumptus è *Sermone* 119. *De Tempore*, in quo AUGUSTINUS inter alia de Decimis dicit; *Dabis militi impio quod non vis dare Sacerdoti:* Quibus verbis manifestè significat se loqui de Decimis Ecclesiasticis.

Non obstat, *inquam*, Canon iste; idque propter duas rationes: *Prima*, Sermo è quo desumitur, falsitatis suspectus est, cùm à Criticis omnes Sermones *De Tempore* supposititii habeantur; cum etiam de Decimis personalibus longè posteriùs institutis loquatur; cùm demùm per Clausulam finiatur AUGUSTINO insuetam.

Secunda: Totum Sermonem de Eleemozina interpretari licet; totus enim in eo est, ut mercedis spe, metuve pœnæ, inopes sublevare suadeat; Quod si de Sacerdote sigillatim loquatur, id facere videtur, quia tunc temporis Sacri Ministri cùm proprio carere deberent, inter præcipuos pauperes habebantur.

REGULA III.

Ex germanis circà Decimas personales Textibus, nullus *Cap.* 50. *De Decimis* antiquior.

Textus autem iste desumitur ex *Epistolâ* ALEXANDRI III. *circa annum* 1170. *scriptâ.*

Harum meminere *Can.* 66. CAUS. XVI. QUÆST. I. *Can.* 4. CAUS. XVI. QUÆST. VII. quorum quilibet V. Sæculo antiquior; sed supposititii sunt, ut suprà ostensum est; jam enim laudati sunt; Prior ex S. AUG. Posterior ex S. AMBROS.

QUÆSTIO III.

Quot Decimarum genera distinguat Jus Canonicum? Quas res cuique generi subjici exprimat?

REGULA I.

Distincta à Jure Canonico Decimarum genera hæc sunt.

Primum genus est *Prædialium*, quæ ratione prædiorum debentur.

Secundum *Personalium*, quæ ratione personarum solvuntur.

Tertium *Mixtarum*, quæ prædiorum & personarum ratione dantur.

Quartum *Minutarum*, quæ ex minimis hortorum fructibus, quales menta, cuminum, similiave, persolvuntur.

Quintum *Novalium*, quæ ex agro noviter culto debentur.

Sextum *Antiquarum*, quæ ex terris jamdiù cultis & decimatis percipiuntur.

Septimum *Solitarum*, quæ à quadraginta annis solvi consueverunt à toto oppido, Superiore, cujus est Consuetudines approbare, non reclamante; & *Insolitarum*, quibus ex mox dictis alterum deficit.

REGULA II.

Decimis prædialibus à Jure generatim subjicitur quodvis prædiorum fructuum genus, etsi ex eodem agro, eodem & anno pluries, eodem diverso semine sato, proveniat. *Cap.* 6. 21. *De Decimis.*

REGULA III.

Eisdem Decimis nominatim subjiciuntur.

1°. Blada & universa legumina. *Cap.* 3. *De Decimis.*

2°. Vinum. *Cap.* 12. *De Decimis.*

3°. Granum. *Ibidem.*

4°. Fructus arborum, & inter alia poma & pira. *Ibid.*

5°. Pecora. *Ibid.*

6°. Hortorum fructus. *Ibid.*

7°. Fœnum. *Cap.* 5. *De Decimis.*

8°. Lana. *Ibid.*

9°. Apes. *Cap.* 6.

10°. Domi. *Cap.* 18. *De Usuris.*

11°. Equitium, quo equorum armentum intelligitur. *Cap.* 6. *De Decimis. in integrâ.*

12°. Oliveta. *Cap.* 22. *De Decimis.*

13°. Carmeli, quâ voce intelligi possunt loci pomiferis consiti. Apud ANTONIUM AUGUSTINUM legitur Cannamellæ; quæ vox apud Dominum DU CANGE significat cannas, è quibus saccharum educitur. *Ibid.*

14°. Fructus qui ex locis incultis colligi possunt. *Cap.* 21. *De Verbor. Signif.*

REGULA IV.

Decimis personalibus generatim subjicit Jus Canonicum omnem licitam acquisitionem, *id est*, omne licitum lucrum.

Hinc colligunt Canonistæ, ex donationibus, ex Legatis deberi Decimas; atque contingere posse, ut eadem res bis decimetur, nempè semel in Donatore, iterùm verò in Donatario. TANCREDUS *in* Cap. 6. *Collect.* 4.

REGULA V.

Quæ personali Decimæ subjecta dicit Jus Canonicum, hæc sunt.

1°. Negociatio. *Cap.* 66. CAUS. XVI. QUÆST. I. *Cap.* 4. *Ead.* CAUS. QUÆST. VII.

2°. Militia. *Cap.* 12. *De Decimis.*

3°. Venatio. *Cap.* 4. *cit.* & Cap. 22. *etiam. cit.*

4°. Molendinum ad ventum. *Cap.* 23. *Ibid.*

5°. Piscariæ. *Cap.* 5. *Ibidem.*

6°. Furnum. *Cap.* 23. *Ibid.* Infertur ex eo quòd dicat solvendas Decimas de obventionibus cujusque licitæ acquisitionis.

7°. Venditio rerum etiam immobilium. *Cap.* 28. *De Decimis.*

Notandum obiter ex citatis locis junctis cum *Capit.* 20. 26. inferri, Decimas personales viguisse in Angliâ, in Hungariâ, in Italiâ; nam *Cap.* 5. & *Cap.* 28. inscripta sunt Episcopis ANGLIS: Prius Archiepiscopo CANTUARIENSI: Posterius Episcopo HELIENSI; *Cap.* 20. inscriptum Archiepiscopo STRIGONIENSI; *Cap.* 26. inscriptum Episcopo VERCELLENSI.

REGU-

REGULA VI.

Mixtæ Decimæ subjicere videtur Jus Canonicum fructus agri à Parochiano alieno culti; Decima enim ista ex fructibus prædiorum colligitur, & ratione personæ colentis solvitur.

Cap. 18. 20. *De Decimis*, in quibus Consuetudine Decimæ istæ, ut prædiales, dantur Ecclesiæ, in quâ sita sunt prædia; &, ut personales, dantur Ecclesiæ, in quâ colentes Divina audiunt & percipiunt.

REGULA VII.

Ex his quæ minutis Decimis subjiciuntur, non alia exprimit Jus Canonicum, quàm ista.

I. Animalium nutrimenta; qua voce intelliguntur vel pascua, vel animalium partus ab ipsis nutriti. *Cap.*8. *De Transact. in Parte relictâ.* GONZALEZ *in illud n.* 4. fructus hortorum inter minutas Decimas recenset.

II. Singulæ fructuum hortorum species. GONZALEZ *mox citatus, qui citat etiam* BARBOSAM.

Circà cæteros fructus, qui pertinent ad Decimas minutas, notandum, id pendere à Consuetudine, qua fieri potest, ut fructus nonnulli quibusdam locis pertineant ad minutas Decimas, qui alibi ad grossas spectant.

REGULA VIII.

Novali Decimæ non subest omnis terra de novo præcisa, nec omnis silva, quæ, extirpatis arboribus, in terram arabilem versa est; sed omnis ager de novo ad cultum redactus, de quo non extat memoria, quòd cultus fuerit, dummodò tamen ex illo inculto fructus Decimales percepti non fuerint. *Cap.* 21. *De Verb. Signif.*

REGULA IX.

Decimæ antiquæ subjicitur quæcumque terra Decimalis Novali non subjecta.

REGULA X.

Consuetudine introduci potest, ut cuique Decimarum generi subjiciantur res, quæ aliàs non suberant. *Cap.* 32. *De Decim.* §. *ult.*

Hinc pro locorum & temporum diversitate, Decimis solitis & insolitis varia subjiciuntur.

QUÆSTIO IV.

Quo Jure deberi Decimas Ecclesiasticas doceat Jus Canonicum?

REGULA.

Decimas Jure tantùm Humano deberi docet Jus Canonicum, omnibus quæ sequuntur locis.

I. Quæ circà personas, quibus Decimarum solutio facienda est, Consuetudini standum dicunt. *Cap.* 18. 20. 31. *De Decimis.*

II. Quæ solvendas Decimas probatâ locorum Consuetudine debitas declarant. *Cap.* 32. *De Decimis.*

III. Quæ nonnullos à solvendis Decimis eximunt. *Cap.* 3. 9. 10. 11. 12. *Ibid.*

IV. Quæ aliis quàm Sacris Dei Ministris possidendas permittunt, sed præsertim Laïcis; quæve ex Sacris Ministris, Parochis solis Jure Communi deberi docent. *Cap.* 30. *De Decim. Cap.* 2. §. 3. *De Decim. In* SEXTO. *Cap.*29. 30. *De Decim.*

V. Quæ circà Decimas præscriptionem probant. *Cap.* 29. 31. *Eod. Tit.*

VI. Quæ Regiones esse supponunt, in quibus Decimæ licitè non solvuntur. *Cap.* 5. *De Parochiis* &c.

VII. Qui ritus à solutione Decimarum eximentes servari patiuntur. *Cap.* 32. *Ibid.*

Consequentia patet ex eo quòd citata loca non conveniant rei Divini Juris, sed solùm ei quæ est Juris Humani.

OBJECTIO. Si collecta Juris Canonici loca Decimas Humano tantùm Jure deberi doceant, Canonicum Jus sibi ipsi non constabit, cùm plurimi ejusdem Juris Textus tradant Divino Jure deberi; nam *Cap.* 25. *De Decimis* dicit: *Decimas Divinâ deberi Constitutione.* Cap. 26. *Eod. Tit.* supponens Decimas esse tributum Deo debitum, illud eum tributo terræ Domino solvendo comparat. *Cap.* 32. *Eod. Tit.* distinguens duo Decimarum genera, quorum alterum Lege Divinâ debetur, alterum Consuetudine, utrumque solvendum dicit. *Cap.* 33. *Ibid.* præcipit, ut nullis deductis expensis, Decimæ solvantur; idque propterea tantùm, quia in signum universalis sui dominii, quasi titulo speciali, Decimas Dominus sibi reservavit. *Cap.* 14. *Eod. Tit. De Decimis* dicitur, quod non ab hominibus, sed à Domino institutæ sint.

OBJECTIONIS SOLUTIO. Quantumcumque objecti Textus aliis contrarii videantur, contrarii tamen non sunt, cùm illorum sensus alius non sit, quàm id propter quod Decimæ solvuntur, Jure Divino deberi, illasque locum tenere Decimarum, quæ in signum dominii universalis à Deo sibi reservatæ fuerant.

Objectis Textibus adjici possunt *Can.* 68. CAUS. XVI. QUÆST. I. in quo dicitur, quod Decimæ Divini Juris esse noscantur; *Canon* 2. *Ead.* CAUS. QUÆST. II. qui præcipit, ne Deo dari Decimas negligatur; *Cap.* 12. *De Reform.* SESS. XXV. ubi Decimarum solutio Deo debita asseritur: His & similibus similis convenit Responsio.

Allatæ solutiones confirmari possunt ex eo quod *Cap.* 14. 22. 26. *De Decimis*, dicant de Decimis in genere Jure Divino deberi; & *Cap.* 22. 26. inter debitas Deo Decimas, purè personales recenseant; istæ autem Decimæ Jure Divino deberi nequeant, quàm modo exposito, cùm jam penè exoleverint, & de iis haud dubiè loquatur *Concil.* LATERAN. Cap. 32. *De Decimis.* §. *ult.* quando dicit: *Decimas esse quæ sola locorum Consuetudine debeantur, nec illas solvi jubeat Lex Mosaïca.*

QUÆSTIO V.

De expressis in Jure Decimas solvendi causis.

Decimas solvendi causæ in Jure exprimuntur clarè vel confusè: Clarè, quando nominatim de Decimis dicitur ob talem finem solvendas, ad talem usum impendendas: Confusè, quando usus, ad quos destinantur Ecclesiæ bona, notantur. De causis clarè expressis hic Sermo: De aliis, dum *De Beneficiis.*

REGULA I.

Ex causis propter quas Decimæ solvendæ, hæ tantùm in Jure clarè exprimuntur.

I. Dum Decimæ egentium animarum tributa dicuntur, insinuatur illas solvendas partim ad pauperes sublevandos. *Cap.* 66. CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 25. *De Decimis*; è quorum numero frequenter sunt ipsi Ministri Sacri.

II. Si Decimæ solvendæ sint iis, qui Sacramenta administrant, oportet ut pro honore seu retributione Sacris Ministris debito solvantur. *Cap.* 45. 46. CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 2. *De Decim.* Cap. 5. *De Parochiis.*

III. Cùm, in signum universalis dominii, Decimas sibi Deus reservaverit, consequens est ad illud agnoscendum dominium Decimas solvendas esse. *Cap.* 33. *De Decimis.*

Nota obiter ex usibus, in quos impendenda sunt Ecclesiæ bona, hic deesse tantùm Ecclesiarum restaurationem, vel constructionem. Hoc autem supplent *Cap.* 1. & 4. *De Ecclesiis Ædif.* quæ docent illos qui Decimas infeudatas habent ad reparationes teneri.

REGULA II.

Ex his causis Secunda à Jure præcipuè consideratur.

Patet

Pater ex eo quod propter hanc causam Jus Canonicum præcipiat, ut Ecclesiis Parochialibus Decimæ solvantur.

Ex eâdem causâ ortum est privilegium Monachorum, atque Clericorum communiter viventium, de non solvendis Decimis: sed cùm causa hæc non sit unica Decimarum prædialium, privilegium quoad illos versatum est circà has Decimas. Cùm unicè verò videatur Decimarum purè personalium, justus præsumendi locus est, Decimas purè personales, Monachos, Clericosve communiter viventes, nunquam solvisse, utpotè exemptos à recipiendo Divina à Parochis. De his autem clariùs in Quæstione sequenti.

Quæstio VI.

A quibus Decimas deberi deceat Jus Canonicum?

Adverte Decimas purè personales exolevisse, ideòque ad illas sequentes Regulas parùm pertinere.

Regula I.

Nedum fideles, sed etiam infideles inter Christianos terras possidentes Decimis subjici docet Jus Canonicum. *Cap.* 16. *De Decimis.* Cap. 18. *De Usur.*

Utrumque de Judæis loquitur: Prius de Massiliensibus: Posterius de Judæis ubicumque constitutis. Utrumque probat Judæos tunc temporis bona immobilia possedisse; probat etiam Hæreticos inter Catholicos commorantes, Decimis subdi. Ad hoc facit etiam *Cap.* 8. *De Decimis, in Collectione Secundâ*, in quo Judæi majorem alicujus Parochiæ Diœcesis Rothomagensis partem possidentes, ad Decimas, quas fideles solverent, obligantur à Clem. III.

Regula II.

Duos tantùm casus commemorat Jus Canonicum, quibus fideles à Decimis solvendis eximantur.

Primus, quo quis ex Gentibus est, quæ, secundùm ritus suos, de more decimas non solvunt. *Cap.* 32. *De Decim.* Gonzalez *in illud* de illis Gentibus fusè agit, & inter illas recenset Holsatos, Sclavos, Suevos, Græcos.

Secundus, quo quis à præstatione Decimarum specialiter exemptus est; talis autem est qui vel privilegio, vel transactione, vel redemptione exemptus est. *Cap.* 24. *Ibid.*

Notandum obiter, exemptum ex Ecclesiæ suæ ritibus, & exemptum ex privilegio, in eo differre, quod prior ex conductis prædiis Decimas non debeat; posterior verò debeat. *Cap.* 32. *De Decimis.*

Regula III.

Laïcorum nullus, etsi Imperator, nullum à Decimis solvendis eximere valet. *Ibid.* Cap. 8. Cap. 25. *De Decim.* De hoc dubitari posset, si Decimæ Ecclesiæ alias Sæculares fuerint, de quo in Quæst. XI.

Regula IV.

A Decimarum solutione non alii Ecclesiastico privilegio exempti in Jure leguntur, quàm isti.

1°. Episcopi, Abbates, de prædiis, quæ ad suum vel fratrum usum laborant, Decimas non solvunt. *Cap.* 46. Caus. XVI. Quæst. I. *junctâ Correctorum Romanorum notâ.*

In Corpore Juris nullum extat circà immunitatem à Decimis antiquius privilegium, quàm quod à *Conc.* Cabillonensi *ann.* 813. *sub* Carolo Magno *celebrato* concessum fuit. Soli Lugdunensis Provinciæ Episcopi huic Concilio interfuêre.

2°. Leprosi, qui simul congregati propriam obtinent Ecclesiam, propriumque Presbyterum, de hortis, suorumque animalium nutrimentis, Decimas non debent. *Cap.* 2. *De Ecclesf. Ædif. desumpto ex Conc.* Lateran. *cujus annus à* Pithæo *non notatur.* Exemptio à personalibus Decimis, ipsis debita erat Jure Communi, cùm Divina à Parocho non reciperent.

3°. Monachi & Clerici communiter viventes de laboribus, seu nutrimentis suis propriis, Decimas solvere non tenentur. *Cap.* 47. Caus. XVIII. Quæst. I. à Pascal. II. *circà annum* 1110. emanavit Privilegium istud. Privilegii ratio in ipso inserta, desumitur ex eo quod quæcumque Monachis & Clericis hujusmodi supersunt, pauperum sint. De iisdem Clericis communiter viventibus loqui videtur idem Paschalis *Cap.* 2. *De Decimis*, dum ait: *Novum exactionis genus esse, ut Clerici à Clericis Decimas exigant*; insinuat enim per hæc quæ subjungit, se loqui de iis, qui ab aliis Spiritualia non accipiunt. De privilegio isto loqui videtur Alexander, dùm ait: *Prædecessores suos omnibus Religiosis laborum suorum Decimas concessisse.* Cap. 10. *Ibid.*

Nec obstat quod Alexander plurali utatur numero, cùm hujusmodi privilegium ab aliis innovari potuerit.

Nec obstat etiam quod de Clericis expressam mentionem non faciat; cùm Clerici communiter viventes sub Religiosorum nomine, comprehendi potuerint; cùm etiam in casu Alexandro proposito, de Clericis non ageretur.

Notandum, quod Religiosi solvere tenentur Decimas agrorum quos colunt, si conducti sint. *Cap.* 8. *De Decim.*

Nec obstat *Cap.* 8. *Eod. Tit. Collect.* 1. in quo idem Alexan. III. qui Autor est citati Capitis, docet Religiosos eximi à Decimis agrorum conductorum: nam Gregor. IX. ideò illud omisit, quod Sententiæ, quæ sibi sequenda videbatur, foret contrarium.

4°. Cistercienfibus, Templariis, & Hospitalariis ab Hadriano IV. concedirur, ut de agris, quos propriis manibus vel sumptibus colunt, Decimas non solvant; cæteris verò Religiosis, ne de Novalibus, quæ eodem modo excolunt, vel de animalium suorum nutrimentis, vel de hortis Decimas persolvant, ab eodem indulgetur. Privilegium istud personale est; qui enim illorum agros conducunt, Decimas debent. *Cap.* 11. *De Decimis.* Cap. 10. *De Decimis.* Ex isto *Capite* infertur, terras, de quibus *Caput* 4 Decimas solvere; nam obligat Monachos de Bosæ Ordinis Cisterciensis, quod non fuerint cultæ propriis manibus, vel sumptibus ipsorum; cùm privilegium, de quo *Caput* 10. fit à Prædecessore Alexandri III. *Capitis* 4. Autoris.

Cistercienlium, consimiliumque privilegium à *Conc.* Lateranensi sub Innocentio III. *celebrato*, restringitur ad possessiones anteà acquisitas: præcipitur, ne de Fratribus Prædicatoribus, Minoribusque, nominatim ex illorum hortis, domibusve, Decimæ exigantur. *Cap.* 17. *De Excess. Prel.* Cap. 34. *Ibid.*

Ex citatis circà istam Regulam locis inferre licet, Decimas non solvendi privilegium ab Episcopis intra Jurisdictionem dari posse, sed per totam Ecclesiam à solo Summo Pontifice: Nunc usus hujusmodi potestatis non permitteretur, saltem in Gallia.

Primam consequentiæ partem primus probat locus. Secundam cæteri. Ex iisdem locis colligere etiam fas est, à solvendis Decimis immunitatem Religiosis non esse ideò concessam, quod Parochos juvarent, cùm Cistercienses, Hospitalarii, Templarii, Cartusiani, Sacramenta non ministrarent.

In Regionibus, in quibus solvuntur Decimæ, exemptionem illas non solvendi nullus Præscriptione acquirere potest. Infertur è *Capitibus* 11. 16. *De*

De Præscript. Cap. 17. *De Censibus*, quæ docent à procurando Visitatore neminem fieri posse immunem, quantùcumque Præscriptione.

Nec obstant *Cap.* 18. *De Præscript.* Cap. 29. *De Decimis*, quæ ostendunt unum adversùs alterum decimandi Jus præscribere posse. Nam licèt in meum subditum Jurisdictionem alius contrà me præscribere queat, subditus tamen meus obedientiam mihi debitam, quandiù illius Superior ero, præscribere non potest. *Cap.* 12. *De Prescript.*

Hujus rei Ratio: Contrà non solventem debita suo Superiori Jura subditi qualitas semper reclamat; quod locum non habet in Superiore contrà alium Jura isti debita recipientem. *Cap.* 4. *De Præscript.*

REGULA V.

Ecclesia sita in Diœcesi, in quâ Episcopo solvitur quarta Decimarum, à qualibet Ecclesiâ Decimas percipiente, quartam illam contrà Episcopum quadraginta annorum spatio præscribere potest. *Cap.* 4. *De Præscript.*

Idque, quia hoc jus non debetur ampliùs Episcopo Jure Communi divisionis redituum Ecclesiæ in quatuor partes, quarum una erat Episcopi, cùm hæc Divino abolita sit, sed Jure Particulari, quod Jure simili contrario amitti potest, etiam in favorem Ecclesiæ Episcopo subditæ; In his enim, quæ Jure Particulari alterutri pertinent, pari passu ambulant: ut Episcopus præscribere potest contrà illam, hæc potest quoque præscribere contrà illum.

REGULA VI.

Possessores agrorum noviter cultorum intra nullam Parochiam existentium, à solvendis ex illorum fructibus Decimis immunes non sunt; sed illas solvere tenentur cui assignat Episcopus, secundùm datam sibi à Deo discretionem. *Cap.* 13. *De Decimis.*

Hoc casu videretur Decimas assignandas Parochiæ viciniori, præsertim si in ea Possessores agrorum frequentiùs solerent Sacramenta accipere, & audire Divina.

REGULA VII.

Clerici, qui ab aliis Spiritualium Ministeriorum labores accipiunt, à Decimis non sunt immunes, sed il as debent iis à quibus istos accipiunt. *Cap.* 2. *De Decimis.*

REGULA VIII.

Decimarum debitores, ad illas solvendas à Ministris Verbi Dei exhortandi, non ab illarum solutione retrahendi sunt; Religiosi, qui retrahunt, eo ipso excommunicati sunt. *Cap.* 1. *De Decim. In.* 6. CLEM. III. *De Pœnis.* §. 1.

REGULA IX.

Si qui ex iis, qui Decimatum solutioni subsunt, solvere contemnant, ad illas solvendas Censuris compelli possunt. *Cap.*6.21.26. *De Decim.*

REGULA X.

Ad quemcumque transeat res indecimata, de illâ Decimas solvere tenetur. *Cap.* 33. *De Decim. propè finem.* Insertæ Rationi attendendum.

Hinc si Colonus de portione suâ tantùm solvat Decimas, de suâ Dominus solvere tenetur. *Cap.* 24. 26. *De Decimis.* Cap. 13. *Eod. Tit. in Parte decisâ.*

REGULA XI.

Hæres meus ratione Patrimonii, ut & Successor meus ratione Beneficii, Decimas, vel Procurationes, quas ab annis triginta non solvi, ut solvant cogi nequeunt.

Infertur ex *Cap.* 21. 26. 31. 32. *De Decimis*, Cap. 14. 15. 17. 19. *De Censibus.* In quibus Decimas non solventes, procurationesve, ad præteritas solvendas non obligantur, sed ad futuras tantùm; etsi illis Juribus anteà subjecti agnoscantur.

REGULA XII.

Religiosi qui vel Decimas fraudant aliena animalia suis immiscentes, vel Decimas solvi non permittunt ab his, quibus animalia nutrienda, vel terras excolendas tradunt; nisi, moniti, intrà mensem non destiterint, vel requisiti non intrà duos satisfecerint, tamdiù suspensi sunt à Beneficiis suis, quandiu destiterint, vel satisfecerint. Qui autem Beneficiis carent, sub iisdem conditionibus Excommunicationem incurrunt: Illorum verò animalia qui se suaque cum effectu Religiosis obtulerunt, inter aliena non sunt collocanda. CLEM. I. *De Decimis.*

REGULA XIII.

Circà Decimas non solvendas Privilegium eo est interpretandum modo, ut grave non afferat Ecclesiis Parochialibus detrimentum. *Cap.* 21. *De Verb. Signif.*

Hinc de terris noviter cultis Decimas non solvendi Privilegium, intelligendum non est de illis, de quibus magnos percipiebat proventus Ecclesia Parochialis, dum adhuc incultæ erant. Obtentum circà Decimas non solvendas Privilegium, non factâ mentione litis pendentis, vel initæ compositionis Privilegio contrariæ, non valet. *Cap.*3. *De Decimis.* Cap. 31. *De Privil.*

Circà easdem Decimas non solvendas Privilegium revocandum, si succedente tempore generet scandalum. *Cap.* 9. *De Decimis.*

REGULA XIV.

À solvendis Decimis immunitas amittitur quadragenariâ illarum solutione. *Cap.* 15. *De Privil.*

Notandum I. Quod juxtà *Cap.* 6. *De Privil.* triennalia Præscriptio sufficit. Quod discrimen provenire potest, vel ex eo quod *Cap.* 15. ut posterius, *Cap.* 6. correxerit; vel quod in *Cap.* 6. mendum irrepserit; istud autem confirmari possit ex illius *Capitis* datâ comparatâ cum datâ *Cap.* 8. *De Præscript.* in quo ALEXANDER III. qui Autor est *Cap.* 6. *De Privil.* ad Præscriptionem contrà Ecclesias quadraginta annorum spatium requirit; ac Ecclesiarum nomine, tàm Regulares quàm Sæculares intelliguntur. GONZALEZ *in* Cap. 6. *De Privil.* sentit Privilegium non solvendi Decimas amitti per non usum 30. annorum; & in *Cap.* 15. *Ejusdem Tituli* remittit ad dicta circà easdem, & insinuat Monachos, de quibus hîc Textus, non eguisse Præscriptione quadragenariâ, quam probare jussi sunt, sed illis sufficisse tricennalem; ideòque INNOCENTIUM III. illius Textûs Autorem, non præcepisse, ut quadragenariam probarent, nisi quia illam allegahant; Quod non est verisimile, cùm facilior fuisset probatio tricennalis Præscriptionis, & sine necessitate aggravaret onus probandi, posito quod Pontifex existimasset istam Præscriptionem sufficientem esse.

Notandum II. Quod Regula non adversetur *Cap.* 8. *De Constitut.* in quo si ii, in quorum gratiam Statutum factum est, illud transgrediantur, vim perdit suam; nam agitur de transgressoribus, qui Statutum condiderunt, quique ideò unico actu revocare possunt. *Cap.* 7. *De Decimis.*

REGU-

REGULA XV.

Terra Novalis, quoad immunitatem a Decimis, Novalis semper est. *Cap. ult. De Privileg.*

REGULA XVI.

Exempti à Decimis laborum suorum, nedum à Novalibus, sed etiam ab antiquis immunes sunt. *Cap.* 12. *De Decimis.*

QUÆSTIO VII.

Quibus Decimas deberi tradat Jus Canonicum?

REGULA I.

Ecclesiarum & Clericorum jura Decimas esse docet Jus Canonicum, seu, quod eodem recidit, Ecclesiæ Ministris solvendas esse. *Cap.* 26. *De Decimis.*

REGULA II.

Diversis Ecclesiis diverso Titulo deberi idem Jus tradit. *Cap.* 22. *Ibid.*

REGULA III.

De solis Parochialibus Ecclesiis dicit Decimas ipsis deberi Jure Communi. *Cap* 20. 30. *Ibid.*

Nec obstat *Caput* 31. *De Decimis, in Parte rescissâ*, quod dicere videtur, Jure Communi ad Episcopum Decimas pertinere: nam vel de casu loquitur, in quo Episcopus Primarius Parochiæ Rector est; vel melius, dicit tantùm Episcopum Jus Commune habere in Decimas Diœcesis suæ, nempè tertiam vel quartam illarum; quod restringendum ad tempus, quo viguit Divisio redituum Ecclesiæ in quatuor partes.

REGULA IV.

Parochialibus Ecclesiis debentur Decimæ prædiales, intra cujus fines sita sunt prædia; personales verò illi Parochiæ, in quâ per totum annum suscipiuntur Sacramenta. *Cap.* 8. 20. *De Decimis.* Cap. 24. *Collect. eod. Tit.* dicit indistinctè Decimas deberi Ecclesiæ in qua Sacramenta suscipiuntur. Infertur ex *Capite* 2. *De sepulturis.* §. 1. *In* 6.

Si autem dimidiam anni partem in unâ, alteram verò in aliâ Divina accipiantur, inter utramque dividentur.

Circà Priorem hujus Regulæ Partem excipitur casus, quo alia Parochia sibi solvi ex Consuetudine Canonica ostenderit. *Cap.* 18. 20. *Ibid.*

Hujusmodi autem Consuetudo jam à Sæculo IX. in Galliâ extitisse videtur; nam *Canon* 46. Caus. XVI. Quæst. I. desumptus è *Concilio* Cabillonensi *celebrato anno* 813. id insinuat, dum præcipit, Decimas etiam prædiales solvi Ecclesiæ in quâ Divina audiuntur & suscipiuntur.

E priori seqoitur I. Quod dum Ecclesia Parochialis cum aliâ de Decimarum perceptione contendit, probandi onus sibi non incumbat. *Cap.* 29. *Ibid.* Cap. 2. *De Restitut. spoliat. In* 6.

II. Quod cùm Episcopus, Abbas, Canonicus, Ecclesias Parochiales possidere possint tamquam Rectores Primarii, sive, ut vocant Galli, tamquam Curati Primitivi; de iis eo modo spectatis dici potest, ad ipsos Decimæ Jure Commoni pertinent. *Cap.* 31. *De Decimis.* Cap. 28. *De Præb.* Cap. 10. *De Præscript.* Cap. 55. *De Decimis, in integrâ*, io quo Thesaurarius Decimas percipit.

III. Quod Regula de Novalibus, sicut & de antiquis Decimis intelligenda sit, cùm extra casus odiosos, qualis habetur *Capite* 25. *De Decimis.* §. 2. Novales Decimæ Decimarum nomine comprehendantur. *Cap.* 29. *De Decimis.*

Tom. III. Tract. de Beneficiis Ecclesiasticis.

Notandum, ad Parochos pertinere Jure Commuoi non potuisse, quamdiù viguit Ecclesiæ redituum in quatuor partes divisio; tunc enim Jure Communi quoslibet Ecclesiæ Clericos Decimæ spectabant, cùm illorum redituum pars essent. De hac divisione fusè dictum, dum *De usibus, quibus insumendi sunt reditus Ecclesiastici.*

Non minus notandum quoque, ex hac divisione, ortum Episcoporum jus quartam Decimarum partem sibi retinendi, tàm ex Novalibus, quàm ex antiquis, de quo *Caput* 13. *De Decimis*; sed jus illud amisisse.

Notandum etiam, Caoones qui dicunt Decimas Ecclesiæ Matrici deberi, per Matricem Ecclesiam intelligere Ecclesiam Parochialem, Matricem nuncupatam ob regenerationis Sacramentum, quod in eâ ministratur. *Cap.* 6. *De Decimis, in integrâ.*

REGULA V.

Quoad cæteros, sive non Parochos, Jus Canonicum docet, illis deberi Decimarum perceptionem, vel Privilegio, vel Præscriptione, vel Consuetudine, vel Transactione.

REGULA VI.

Privilegio à Regibus vel Imperatore concesso nemini deberi possunt Decimæ Ecclesiasticæ. *Cap.* 31. *De Decimis.*

Hinc donatio hujusmodi non est sufficiens ad Præscriptionem Canonicam. *Ibid.* Cap. 27. *De Decimis.* Hoc pendet ex dicendis circà originem Decimarum Quæst. XI. necnon ex dictis Quæst. IV.

REGULA VII.

Quibus intra quasdam Parochias Decimas percipiendi Privilegium concessum est, tàm Novales, quàm antiquas percipere licet; dummodò congruæ ipsorum, per quos animarum curam regi procurant, Vicariorum sustentationi provideant. *Cap.* 2. *De Decimis.* §. 2.

Epigraphe Textui non congruit, qood patet ex Partis relectæ lectione.

REGULA VIII.

Si veteres Decimas percipientibus Novales conceduntur, id intelligendum de Novalibus locorum, in quibus veteres percipiunt, de Novalibus etiam concessionis tempore ab aliis non possessis. *Cap.* 2. *De Decimis. In* 6. §. 1. 2. Et pro illâ tantùm portione quâ veteres percipiunt: sed si istas integrè percipiant, Novalium medietatem duntaxat impetrant, nisi de Cistercientibus, vel de Cartulianis agatur. *Ibid.*

REGULA IX.

Ad legitimam decimandi Juris Præscriptionem eadem requiruntur, quæ ad reliquarum rerum Ecclesiasticarum Præscriptionem. Necessaria sunt scilicet Titulus coloratus, bona fides, pacifica quadraginta annorum possessio, atque possidendi capacitas.

REGULA X.

Si quis intra Parochiam aliquam unum Decimarum genus Præscriptione acquirat, Præscriptio ista ad alias Parochias, aliave decimarum genera extendenda non est; secùs de specie sub quolibet genere comprehensâ. *Cap.* 29. 30. *De Decimis.* Cap. 31. *Ibid.*

N 2 REGU-

REGULA XI.

Quando contra eum, ad quem Jure Communi Decimarum pereeptio pertinet, præscribitur, præter prædicta, verus Titulus requiritur, nisi possessio talis sit, cujus non extet memoria, atque etiam veri Tituli fama. *Cap.* 2. *De Restitut. Spoliat. In* 6. Cap. 1. *De Præscript. Ibid.*

Additæ Clausulæ Ratio: Verus Titulus amitti potest, vel bellorum clade, vel alio modo; ex illius famâ, junctâque longissimâ possessione, præsumitur Titulus verus.

REGULA XII.

Contrà quodcumque Decimas percipiendi privilegium, pacificâ quadtaginta annorum possessione præscribitur.

Cap. 15. *De Privil.* quod de Templariorum privilegio loquens definit, contrà ipsum possessioue hujusmodi præscriptum fuisse.

Nec obstat *Cap.* 6. *De Præscript.* in quo ALEX. III. decidit, Ecclesiam iutrà alius fines Decimas præscribere quadragiuta annorum possessione, nullâ factâ tituli mentione: nam citata loca isto sunt posteriora.

REGULA XIII.

Consuetudine acquiritur decimandi Jus, si sit rationabilis & legitimè præscripta.

Cap. 18. 28. *Ibid.* Infertur etiam ex *Capite* 14. *De Censibus, in parte decisâ.*

Rationabilis autem non esse videtur, quando talis est: 1°. Quæ Parochias vel Episeopatus confundat. 2°. Quâ Laïci Decimas percipiant, ipso solo usu completa. 30. Quâ Decimas tàm Novales quàm antiquas alii quàm Parochi percipiunt, non detractâ ex illis congruâ Parochorum portione. 4°. Quâ Decimas, quibus volunt Laici, solvunt.

Legitimè præscripta non est Consuetudo, quando deest quadraginta annorum possessio.

Hujus rei Ratio: Lex Ecclesiastica Decimarum solutionem præcipiens, est quid præstantius quàm quælibet temporalis Ecclesiæ res; hujusmodi autem res non præscribitur minori quàm quadraginta annorum possessione; nec distinguendus casus, in quo certum est cui Ecclesiæ Jure Communi Decimæ debeantur, à casu, in quo id certum non est, quia in utroque contrà Legem Ecclesiasticam præscribitur.

REGULA XIV.

Casus autem in Jure inclusi circà propositam Quæstionem, hi sunt,

10. Quando dicitur Ecelesiæ Parochiali Decimas Jure Communi deberi. *Cap.* 29. *De Decimis.*

20. Quando dicitur quarta Decimarum portio Episcopo deberi. *Cap.* 13. *Ibid.*

30. Qnando agitur de Decimarum remissione debitarum remittenti.

Notandum, tertium casum de remissione temporali, atque ad vitam remittentis limitatâ intelligendum; cùm remissio ista nemini noceat, ideòque favorabilis; perpetua verò Successoribus, ideoque odiosa. De hujusmodi remissione intelligi possent Canones loquentes de exemptione à solutione Decimarum concessâ ab Episcopis, si Temporanea esset, & de Decimis sibi debitis ageretur: Hujusmodi exemptio etiam nunc permittetur; secùs de quavis alia, nisi requisitæ ad alienationem solemnitates servarentur.

REGULA XV.

In dubio cui Parochiæ Decimæ prædiales debeantur, si Parochiæ litigantes diversæ sint Diæceseos; Parochiæ Diœceseos, in quâ prædia sita sunt, adjudicandæ sunt. Infertur ex *Capite* 18. *De Decim.*

REGULÆ RATIO: Jure Communi huic Parochiæ Decimæ pertinent.

REGULA XVI.

Conquerens se Decimis in alienâ Parochiâ possessis spoliatum, non auditur, nisi se Jure possedisse priùs ostenderit. *Cap. ult. De Restit. Spoliat. In* 6.

REGULA XVII.

Religiosi, qui à Parochis requisiti omittebant de Decimas solvendi obligatione audientes informare, Primâ, Quartâ, Ultimâ Quadragesimæ Dominicâ, & Festis Ascensionis, Pentecostes, JOANNIS BAPTISTÆ, Nativitatis Beatæ Virginis, à Superioribus graviter arguendi erant: Qui verò omittebant in confessionibus conscientiam facere de solvendis Decimis, tamdiù à Prædicatione suspensi erant. CLEMENT. III. *De Pœnis.*

REGULA XVIII.

Etsi justam Decimarum præteritarum injustè non solutarum æstimationem restituere quilque teneatur in foro interiori; illa nemo in foro exteriori petere potest, nisi præteritæ sint à die, quo propter Decimas in Jus quis vocatus est.

Infertur Prima Pars ex *Cap.* 8. *De Transact.* & Cap. 22. *De Decim. in* 1. *Collect.*

Infertur Secunda ex REGULA XI. QUÆST. VI.

QUÆSTIO VIII.

De Decimas solvendi modo quid doceat Jus Canonicum?

REGULA I.

Non alia expressè habentur in Corpore Juris Canonici circà Decimas solvendi modum, quàm ista.

1°. Decimas plenariè & cum integritate esse solvendas, vel absque diminutione. *Cap.* 4. 5. 7. 8. *De Decim.*

2°. Ex fructibus prædialibus non esse expensas deducendas, nec seminis, vel culturæ, nec messis nec cujusvis aliùs generis. *Cap.* 7. *Ibid.* Cap. 22. *Ibid. in Parte decisâ.*

3°. Decimas personales ex solo lucro solvendas esse; quia res, ex quâ lucrum percipitur, est velut ager, ex cujus fructibus tantùm Decimæ debentur. *Cap.* 28. *Ibid.*

4°. Expensas tamen factas in restauratione, vel conservatione rei, ex quâ lucrum colligitur, non esse deducendas; sicut nec deducuntur, quæ fiunt ad conservandum, vel restaurandum agrum. *Eod. Cap.*

5°. Incolas de Hortona in Diœcesi EXONIENSI, novem sibi retentis partibus, Decimam exolvisse sub ALEXANDRO III. idque referri tamquam fundamentum vinculi, quo Decimam fructuum partem solvere tenebantur Incolæ prædicti. *Cap.* 7. *Ibid.*

6°. Ex debito requiri ad Decimam partem. *Cap.* 22. *Ibid. in Parte decisâ.* Id infert CELESTINUS III. ex supposito AUGUSTINO testimonio.

REGU-

REGULA II.

Ex pluribus Juris Canonici Textibus collig potest, Decimarum quotitatem ex Consuetudine pendere.

Regulam probant Textus omnes, qui docent Consuetudine fieri, ut quæ alicui Jure Communi Decimæ debentur, alteri solvendæ sint; ut etiam ex rebus nonnullis debeantur, ex quibus non debebantur; nam par Ratio est de quotitate, ac de his quæ dicta sunt Consuetudini subesse.

REGULA III.

De subtractis, vel retentis in solutione Decimarum; dignam faciendam esse satisfactionem docet idem Jus. *Cap. 7. De Decim.*

REGULA IV.

Decimas prædiales solvendas esse in specie; personales pleraſque solvendas in pecuniâ; nonnullas, in specie, vel in pecuniâ solvi posse, ex eodem Jure colligitur.

Prima Pars infertur ex sequenti Regula.

Secunda colligitur ex eo quod Decimæ ex lucro solvuntur.

Tertia ex eo deducitur quod sunt lucra, quæ in re consistunt; qualia quæ ex Piscariis, ex Molendino, ex Furno.

REGULA V.

De modo decimandi agrorum, vinearumque fructus, an in spicis, granove; an in racemis vinove, nihil præcipit Jus Canonicum; sed insinuat posteriori modo id faciendum esse. *Cap. 22. De Decim.* in quo dicitur Sanctos Patres tradidisse Decimas solvendas esse de grano ac de vino. Idem colligitur omnibus ex locis, quæ Decimas Ecclesiasticas ad Judaicarum imitationem institutas esse docent. Idem infertur ex *Cap. 21. De Decimis*, prout est in *integrâ*; nam in illâ Decretali prohibetur, ne à Decimis deducantur expensæ, quæ fiunt ad fructus in horreum vel aream transferendos; ac hinc sequitur, solutas fuisse Decimas, vel in areâ, vel in horreo, atque in agro non fuisse relictas. Idem infertur ex *Can.* 4. Caus. XVI. Quæst. VII. in quo Pseudo-Ambrosius ait, *Fideliter dare Decimas, qui nec pejus, nec minus Deo offert de grano, vino, &c.*

REGULA VI.

De tempore quo prædiales Decimæ solvendæ sunt, docere videtur, statim ac collecti sunt fructus, solvendas esse. *Cap. 7. De Decimis.* In antiquâ dicitur solvendas esse Decimas in Autumno, ut moris est.

De tempore solvendi personales Decimas nihil dicit; ex illo tamen infertur Decimas personales, quæ in specie solvendæ erant, qualem docet esse illam quæ ex venatione, statim solvendam esse ac res acquisita est. *Cap.* 4. Caus. XVI. Quæst. VII.

REGULA VII.

Transactione acquiri decimandi jus ex variis Juris Canonici Textibus colligitur; transactionem autem istam, ut & alias circà spiritualia, compositionem vocari.

Id probant 1o. Omnes Canones, quia alia jura Ecclesiastica eo modo acquiri docent.

2o. Quibus Decimarum exemptionem eodem modo comparari dicunt.

REGULA VIII.

Transactio, quâ decimandi jus acquiritur; vel est personalis & temporanea, vel realis & perpetua.

REGULA IX.

Personalis, quæ suos non transit Autores; Realis, quæ cum Beneficio ad Successores transit.

REGULA X.

Ut realis & perpetua sit transactio, confirmari oportet Episcopi vel Summi Pontificis autoritate. *Cap. 2. De Transact.* Episcopi, si ab ipsius subditis fiat: Summi Pontificis, si ab Episcopo, vel ab habentibus Jurisdictionem quasi Episcopalem, vel ab Exemptis Sedi Apostolicæ immediatè subjectis. Idem si fiat inter Ecclesias & Laicos. *Cap. 8. De Transact.* Cap. 8. *De Confirm. Utili &c.*

REGULA XI.

Quibus ex agro antiquæ debentur Decimæ; ex omnibus illius fructibus debentur. Quod de antiquis dictum, ad Novales extendendum. *Cap. 30. De Decim.*

REGULA XII.

Prætextu nequitiæ illorum, quibus Decimæ debentur, aliis arrogare non licet. *Cap. 26. De Decimis.*

Continuatio Quæstionis VIII.

Notandum quod circà Decimarum possessionem duplex distinguere liceat privilegium: Alterum, quo Decimæ alicui debitæ alii illarum capaci tribuuntur; tale est autem illud, quo Monachi vel Clerici non Parochi debitas Parochis Decimas obtinent: Alterum, quo possidendi capacitas simul cum Jure conceditur; tale est, quo Decimarum possessio Laïcis permittitur; undè posterius à priori in hoc differt, quod duplicem gratiam conferat, prius verò unam dumtaxat.

Notandum iterùm, quod possidendarum Decimarum capacitas petatur ex causâ præcipuâ, propter quam solvuntur, quæ est, ut dictum est, Sacramentorum administratio; quodque cùm ista administratio solis Sacros Ordines habentibus competat, consequens est Laïcos decimandi Juris incapaces esse.

Notandum prætereà, quòd propter eamdem Laïcorum circà possidendas Decimas incapacitatem, constitutum sit: 1o. Ut si quis Prælatus Laïco Decimam concesserit, à suo statu, tamquam arbor quæ inutiliter terram occupat, succidatur, &, donec emendet, dolore suæ jaceat ruinæ prostratus. *Cap. 17. De Decimis.*

2o. Ut Decimarum donatio ab Abbate facta Laïco per Successionem tenenda, irrita declaretur, & Excommunicationis vinculo Laicus astringendus sit ad Decimas Ecclesiæ remittendas. *Cap. 15. Ibid.*

3o. Ut si Laicus receptas à Laïco Ecclesiæ injustè illas detinente non restituerit, Christianâ sepulturâ privetur. *Cap. 19. Ibid.*

Notandum denuò, quod ex eadem incapacitate partim nascatur, adjudicari non posse Laïco annuam ad tempus Decimarum alicujus loci perceptionem in pensionis annuæ solutionem, sive ab Arbitris, sive ab aliis Judicibus. *Cap. 3. De Arbitris*

N 3 Dic

Dictum *partim*, quia idem provenit etiam ex periculo, ne Laicus aliquid ulteriùs sibi vindicandi occasionem hinc sumat.

Notandum iterùm, quod ex *Capite* 8. *De Confirm. Utili*, certò concludi nequeat, circà Decimas cum Laïcis, propter ipsorum incapacitatem, sine Summi Pontificis autoritate, transigere non licere: Non enim ibi Quæstio erat de incapacitate Decimas possidendi; Præterea illa autoritas hoc in casu necessaria esse potuit, quia de perpetuâ ab Episcopo factâ alienatione agebatur.

QUÆSTIO IX.

Quos Decimas percipiendi capaces doceat Jus Canonicum?

REGULA I.

Decimandi Juris capaces, quicumque incapaces illius ex Jure non declarantur.

REGULA II.

De solis Laïcis in Jure expressè dicitur, quod decimandi Juris incapaces sint; tacitè verò, de iis omnibus quos Ecclesiasticorum Beneficiorum incapaces declarat.

Prima Pars deducitur ex *Capite* 7. *De Præscr.* Cap. 15. 17. *De Decimis.*

Secunda colligitur ex eo, quòd decimandi jus inter præcipua Beneficiorum jura recensetur.

Ad Jus decimandi Regulam restringimus; quia nomine Ecclesiæ Decimas possidere possunt Laici, vel ipsas in feudum recipiendo, vel ipsas conducendo.

Ex hâc incapacitate rectè concluditur. *Capite* 7. *citato*, Laicos Decimas præscribere non posse. Verùm cùm ista tolli possit, vel privilegio, vel Canonicâ infeudatione; instrumentum autem vel privilegii, vel infeudationis amitti possit; videtur quod si similis Tituli sit fama, ac possessio pacifica hominum memoriam excedens, in illâ Laicus turbandus non sit.

QUÆSTIO X.

An ex Jure Canonico colligi queat, Decimas Ecclesiasticas ab initio Sæculares fuisse?

Per Decimas Sæculares hîc intelliguntur Decimæ à Domino temporali in dominii sui temporalis signum impositæ: Quæritur ergo, *An ex Jure Canonico colligi possit hujusmodi Decimas, succedente tempore, Ecclesiasticas factas esse, ex illarum fruitione à Possessoribus Ecclesiæ concessâ?*

REGULA I.

De Sæcularibus Decimis expressam mentionem facit nullam Jus Canonicum.

REGULA II.

Ex variis ejusdem Juris locis inferre licet, Decimas Ecclesiasticas ex Decimis Sæcularibus nequaquam ortas.

1°. Decimæ Sæculares nihil aliud esse videntur, quàm Census vel tributa, Decimæ nuncupata ex suâ cum Decimis Ecclesiasticis similitudine: Jus autem Canonicum utrasque simul solvi supponit, dum ait: *Ecclesiasticas, non deductis expensis, solvendas esse, quia Sæculares eo modo solvuntur*: Cùm ergo utrasque simul extare doceat, Ecclesiasticas à Sæcularibus non ortas existimet, oportet. *Cap.* 33. *De Decim.*

2°. Decimas Ecclesiasticas Jure Divino quodammodo deberi docet; quomodo autem id docere posset, si ex Principum concessione ortum habere sentiret? *Loc. cit. q.* 4.

3°. Eandem tribuit originem Decimis prædialibus, ac Decimis personalibus, quæ etsi sint quasi quoddam per caput vectigal Ecclesiis Parochialibus debitum, dicere nemo ausus est, ex simili tributo Principibus aliàs vel etiam nunc soluto, ortas fuisse.

4°. Quomodo Laïcos percipiendi Decimas juris incapaces declararet Jus Canonicum, si à Laïcis jus illud accepisset. *Cap.* 15. 19. *De Decim.*

5°. Imperiali concessione à Decimis solvendis eximi nullus potest. *Cap.* 25. 31. *De Decimis.* Hunc autem honorem Principibus non denegaret Ecclesia, si Principum liberalitati Decimas se debere existimaret.

6°. Cur Decimas Laïcis in feudum datas, in alios Laïcos transferre vetasset, aliaque similia prohiberet, cùm in pristinum statum redissent. *Cap.* 7. *De iis quæ fiunt &c.* Cap. 2. *De Decim. In* 6.

Ad argumentorum istorum confirmationem notandum, citatos Canones conditos non fuisse ignorantiæ tempore; contrà illos, nec Reges, nec alios Laïcos conquestos esse; præcipuos desumptos esse ex *Concilio* LATERAN. sub ALEXANDRO III. celebrato, jamdiù ab Ecclesiâ recepto, quod erroris vel fraudis insimulare impium foret.

QUÆSTIO XI.

An juxtà Jus Canonicum circà Decimas Simonia cadere possit?

Decimæ, sive fructus Decimales, à Jure Decimas percipiendi distinguendæ sunt; Decimæ siquidem sunt quid temporale; jus verò decimandi aliquid spirituale.

REGULA.

Circà Decimas percipiendi Jus cadere posse Simoniam, ex variis Canonici Juris Textibus colligere licet.

1°. Id docent, quicumque dicunt Simoniam committi, si pro spirituali re temporalis detur.

2°. Idem probant, qui tradunt decimandi Jus permutari non posse cum pecuniæ summâ. *Cap. ult. De Rerum permut.* Cap. 5. *De Decim. in primâ Collect.*

3°. Idem quoque demonstrant, qui docent simoniacum esse emere, vendereve Decimas. *Cap.* 13. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 4. QUÆST. III. *ead.* CAUS.

4°. Idem evincunt, qui Episcopos, militibus vel consanguineis Decimas dantes, inter maximos Hæreticos & Antichristos collocant, ac inter illos non minimos haberi, Simoniacorumque pœnis plecti voluot. *Cap.* 13. CAUS. I. QUÆST. III. *Cap.* 3. CAUS. XVI. QUÆST. VII.

Nec obstat quod Decimæ locari possint; res autem circà quas cadit Simonia, locari non possint: Nam *Cap.* 2. *De Locato*, in quo solo legitur Decimas locari posse, non loquitur de decimandi Jure, ad quod Simonia circà Decimas restricta est; sed expressè de fructibus Decimalibus, ut his verbis patet: *Vestrarum Decimarum proventus illis locare potestis.*

QUÆSTIO XII.

Quid de Decimis in feudum datis doceat Jus Canonicum?

REGULA I.

Decimas Ecclesiasticas, aliter quàm in feudum possidentes, Laïci, cum animarum suarum periculo detinent. *Cap.* 9. *De Decim.*

Hinc cùm illas, quibus pertinent, restituere teneantur, in alios Laïcos transferre non possunt.

De Decimis non infeudatis locum citatum interpretamur, quia infeudatæ cum animarum periculo à Laïcis non detinentur, cùm infeudatione cesset injusta detentio, Ecclesiâ, cujus sunt Decimæ, huic consentiente.

Hinc

Hinc etiam hujusmodi detentor monendus est, ut Ecclesiæ, cui debentur, Decimas restituat; si ad id induci nequeat, sibi permittitur, ut alteri, præsertim Conventui Religioso, det. *Cap.* 7. *De his quæ fiunt.* Prælati, qui hanc licentiam dedere, præsumpserunt Ecclesiam Particularem, cujus Decimæ erant, consentire huic alienationi, cùm Ecclesia Generalis illam exposceret; sed æquum fuisset, ut Ecclesia læsa post mortem illius, qui eam sic læserat, suas Decimas recuperasset, vel saltem pensionem habuisset.

REGULA II.

In Decimarum Ecclesiasticarum infeudatione locum habent quæcumque docet Jus Canonicum circà aliorum Ecclesiæ bonorum infeudationem.

Nonnulla excipienda videntur; nam de Decimis Laïcis infeudatis dicitur, quod in alios Laïcos transferre nequeant; dicitur etiam de iisdem, quod sine Episcopi consensu, alii Ecclesiæ, quàm ex quâ tenentur, donari non possint: de aliis bonis Ecclesiæ Laïcis in feudum datis similia non dicuntur.

REGULA III.

Infeudatio est temporalis vel perpetua: in utraque requiruntur, quæ ad alienationem Ecclesiasticarum rerum necessaria sunt.

Infeudare ad tempus Abbati licet, consentiente Conventu; in perpetuum non licet, nec etiam Episcopo; Ad Abbatissam extendendum, quod de Abbate dictum.

Distinctione istâ optimè conciliatur *Caput* 15. *De Decimis*, in quo infeudatio ab Abbate facta reprobatur, cùm *Cap.* 2. *De his quæ fiunt* &c. in quo infeudatio facta ab Abbatissâ probatur. Id ita esse clarissimè patebit conferenti Textum cum Textu, & datam unius cum alterius datâ. Prior loquitur de infeudatione successoria: Posterior nihil habet quod denotet perpetuitatem.

REGULA IV.

Religiosi, etiam Exempti, sine Episcoporum consensu Decimas à Laïcis recipere non possunt; etsi Laïcis illas infeudaverint, Laïcique à Religiosis Decimas tenere agnoverint; sin aliter acceperint, dimittere debent.

Cap. 3. *De Privil.* Cap. 2. *De Decimis*, *In* 6. *§.* 3. Quod de Religiosis dictum est, ad Laicos extendendum videtur.

REGULA V.

Cum hujusmodi consensu possunt, modò antè *Concilium* Lateranense suprà memoratum, in perpetuum infeudatæ fuerint. *Ibid.*

REGULA VI.

Consuetudine introduci potest, ut sine Episcopi consensu facta concessio Monasterio valeat.

Magna hîc sese offert elucidanda difficultas. *Cap.* 2. *De Decimis In* 6. videtur contrarium *Cap.* 7. *De his quæ fiunt à Prælatis &c.* Prius docet Decimas, quas, Episcopo consentiente, Religiosi à Laïcis recipere possunt, debere esse infeudatas in perpetuum antè *Concilium* Lateranense. Posterius verò insinuat eum eodem consensu non infeudatas à Religiosis posse recipi; nam de detentore loquitur, qualis non est Vasallus, & requirit tantùm, ut detentor monitus, cui debentur, Decimas reddere nolit.

Ad hujus difficultatis elucidationem notandum 1o. Quæ in feudum dantur, in perpetuum à Vasallo liberè alienari posse, salvo Domini Jure, si quod sibi retinuerit, vel à Lege reservetur; quale nullum reservatum Ecclesiæ apparet in Canone erga habentem in feudum Decimas.

2o. Æquum esse, ut quæ rectâ viâ recuperare nequit Ecclesia, aliâ, quâ valet, modò licita sit, recuperet.

3o. Alexandrum IV. è quo citatum Sexti *Caput* desumptum, in Religiosis, de quibus loquitur, justam habuisse causam requirendi, ut ad Decimas infeudatas recipiendum Episcoporum consensum obtinerent; indebitâ siquidem viâ illas acquirere tentaverant.

His notatis, conciliari possunt memorata *Capita*, restringendo *Caput* Sexti ad casum de quo loquitur; *Caput* verò *De his quæ fiunt &c.* ad Decimas injustè detentas.

Verùm Conciliationem istam vanam esse ostendit §. *ultimus Capitis* 7. *De his quæ fiunt à Prælato &c.* ac opposita Capita non esse contraria. In illo enim Innocentius III. dicit, Responsionem suam de Decimis in feudum Laïcis concessis intelligendam; ideòque se non loqui de Decimis injustè detentis, cùm Titulus justus sit infeudatio.

Iste Paragraphus non legitur *in integrâ* Decretalium, prout illam refert Gonzales.

Nec obstat suppositam Hieronymo autoritatem, quam Innocentius conciliare vult cum Leonis autoritate, de Decimis malè detentis expressè loqui; cum circa justam, vel injustam detentionem non versetur illarum autoritatum contrarietas, sed in hoc consistat, quod juxtà Pseudo-Hieronymum Episcopi consensus sufficiat, ut Decimæ Ecclesiis Parochialibus à Laïcis sublatæ, Monachis donentur; juxtà verò Sanctum Leonem, ad rerum Ecclesiasticarum alienationem, præter Episcopi consensum, requiritur etiam ut totus Clerus consentiat.

Non omittendum contrà Innocentii conciliationem, quæ est, aliud esse recuperare, aliud verò alienare; ad recuperationem, de quâ Pseudo-Hieronymus, Episcopi consensum sufficere; ad alienationem, de quâ Sanctus Leo, requiri prætereà Cleri consensum: Opponi posse, recuperationi quâ Ecclesiæ Parochiali debitum à Laïcis Monasterio datur, alienationem inesse, cùm Ecclesiæ unius bonum Monasterio transferatur: Verùm responderi posse, Innocentium existimasse hoc in casu non considerandum, cujusque Ecclesiæ privatæ, sed Ecclesiæ universalis utilitatem, respectu cujus sit recuperatio.

REGULA VII.

Cùm alicui in feudum Decimæ dantur, infeudatio intelligitur de Decimis, quæ jam percipi cœperunt. *Cap.* 25. *De Decimis.* §. 2.

Hinc ad Novales futuras non extenditur infeudatio.

REGULA VIII.

Ex pacificâ Decimarum possessione hominum memoriam excedenti, infeudatio præsumitur, modò nulla sit contrarii fama.

Inferre licet ex *Cap.* 1. *De Præscript.* in Sexto.

REGULA IX.

De controversiis circà Decimas in feudum datas, cognoscere debet Judex Sæcularis, si Possessoris persona consideretur. *Cap.* 5. *De Foro Compet.* Si feudorum Leges spectentur, hujusmodi feudi Dominus cognoscet. *Cap.* 6. 7. *Ibid.* Si rei natura, prout Canones de eâ judicant, respiciatur, cognitio pertinet ad Judicem Ecclesiasticum, quoad illarum Decimarum proprietatem; ad Judicem verò Laïcum, quoad possessionem. *Cap.* 21. *De Judiciis.*

Gonzales *in Cap.* 13. *De Decim.* utitur similibus distinctionibus. In Gallia locum non habet; Judici Laïco reservatur omninò cognitio illarum

N 4 Deci-

Decimarum. Hunc usum probant plures Autores exteri, à GONZALE *laudati loco citato, num.* 4.

REGULA X.

Ad revocandum in usum Ecclesiasticum Decimas, Laicis infeudatas, sicut & feuda alia Ecclesiastica, solius Diœcesani consensus sufficit cum Possessoris consensu. *Cap.* 7. *De his quæ fiunt.* §. *Taliter.* Si revocatio ista fiat restitutione Decimarum factâ Ecclesiæ, ad quam spectant, sufficit sola Possessoris voluntas. *Ibid.*

REGULA XI.

Retentum Ecclesiæ servitium pro Decimarum feudo cessat, si eidem oppigneretur, ac ista fructus in sortem non computatos percipiat, idque quandiù durabit perceptio hujusmodi. *Cap.* 1. *De Feudis.*

De servitii retentione in Decimarum infeudatione, expessa in Jure nulla fit mentio; sed cùm in aliorum bonorum infeudatione (ut patet *citato Capite*) servitium retineri soleat, conjicere fas est in illa idem factum fuisse.

REGULA XII.

Omni personæ Ecclesiasticæ interdicitur, ne detentas à Laicis Decimas ad alias Ecclesias pertinentes in pignus accipere præsumant. *Cap. ult. De Decimis.*

REGULA XIII.

Decimæ infeudatæ perduntur iisdem criminibus, quibus amittuntur cætera feuda Ecclesiastica.

Infertur ex eo quod Decimæ sint præstantiora Ecclesiæ bona, proindèque amitti debent quando alia amittuntur.

REGULA XIV.

Quibus indultum est, ut pro portione, quâ veteres Decimas percipiunt, Novales etiam percipiant; si partem Decimæ infeudatæ à Laïcis accipiant, hujus Indulti vi, Novales pro acceptâ veteris parte exigere non possunt. *Cap.* 2. *De Decimis In* 6. §. *ult.*

REGULA XV.

Si Ecclesiasticæ defuerint Decimæ, ex Decimis infeudatis congrua Presbyterorum Parochialium sustentatio desumenda est, aliaque Parochiarum onera.

Infertur ex *Cap.* 1. *De Decimis. In* 6. §. 1. & ex *Capite* 11. *De Verborum signif.* quæ docent privilegia circà Decimas ita interpretanda, ut Ecclesiæ Parochiales nimiùm non graventur.

REGULA XVI.

Sunt in Jure Decimæ Laïcis in feudum datæ, quas in alios Laicos, saltem successione, transferre possunt.

Infertur ex *Capite* 2. *De Decimis. In* 6. in quo fit sermo de Decimis, quæ Laicis in feudum perpetuò sunt concessæ: Hinc enim sequitur extare in Jure Decimas Laïcis infeudatas, quæ saltem successione in alios Laïcos transmitti possunt, cùm feudum perpetuum saltem sit gentilitium.

Nota existimare nonnullos, Ecclesiam, Laicis Decimas in feudum dedisse, quia illas usurparant & illas reddere noluerant: sed id falsum esse ex dictis colligi; eo enim casu non infeudasset, sed tantùm tolerasset, ut quas nollent reddere Laici, possiderent; multò minùs in feudum perpetuum dedisset.

QUÆSTIO XIII.

Qui ex Jure colligantur casus, quibus nominè Decimarum Novales non comprehenduntur?

Antè omnia advertendum, quod quoties odiosa est exemptio, vel perceptio Decimarum, toties Decimarum nomine Novales non includuntur.

Hujus Ratio petitur ex Regulâ, *Odia restringi convenit*; odiosa autem est Decimarum immunitas, nisi titulo oneroso ac immunitati æquivalente acquisita sit, cùm Juri Communi contraria sit: Perceptio nem verò est odiosa si Jure speciali fiat, excepto præcedenti casu.

REGULA.

Casus de quibus Quæstio, hi sunt.

1º. Si Parochiæ alicujus Decimæ in feudum concedantur. *Cap* 25. *De Decim.*

2º. Si Religiosis, aliisque similibus, percipiendi Decimas privilegium detur.

Infertur ex *Capite* 2. *De Decimis In* 6. quod docet illos, qui ex privilegio, sicut & simili alio speciali Jure, Decimas percipiunt, Indulto egere ut Novales percipiant.

Non obstat *Caput* 27. *De Decimis*, in quo INNOCENT. III. dicit concedi Novales, quibus aliæ Decimæ conceduntur, quia ubi majus conceditur, ibi minus concessum esse videtur: Nam loquitur de Abbate, cui cum Parochùs concessæ erant illarum Decimæ; quo casu Decimarum concessio non erat odiosa, ideòque in illo locum habebat Regula citata ab INNOCENT. Nec loqui potest Pontifex, Juris peritissimus, de casu, in quo concessio alteri præjudicat, ac proindè odiosa, cùm tunc ipsius decisio citatæ Regulæ, *Odia restringi convenit*, manifestè adversaretur. Sunt qui hunc Textum explicant de perceptione Decimarum, quæ fit ab illo qui non solvit: sed violenta est hæc explicatio: Nam præterquam quod nemo à seipso, sed ab alio jus exterius percipit, tàm in dispositione, quàm in supplicatione; *exigere* vocabulum, ut adhibetur in propria significatione, qui adhuc ampliùs est, alium respectum secum importat. REBUFFUS *De Decimis.* QUÆST. XIV. *n.* 8. existimat in hoc *Capite* agi de Parocho, qui Novales ab Episcopo alteri concessas à Papâ obtinuerat; atque ut suam confirmet sententiam, refert integram DECRETALEM quam invenisse ait in antiquâ HONORII Compilatione: Verùm ex Collatione istius cùm illâ, è quâ desumitur citatum *Cap.* 27. *De Decimis*, quæque integra legitur in 3. *Collectione*, *Capite* 3. patet inter se multùm differre; cùm ista citati INNOCENTII III. Abbati Sanctæ COLUMBÆ scribatur, de Decimis aliarum Parochiarum loquatur; relata à REBUFFO tribuatur HONORIO III., Parocho scribatur, & de unius tantùm Parochia sermonem faciat.

QUÆSTIO XIV.

Quid doceat Jus Canonicum circà Judicem Causarum Decimalium?

De hac Quæstione actum est obiter dum *De Decimis Infeudatis*; sed quæ de illa dicta sunt, ad illas Decimas restringi possunt, cùm sit pro illis specialis ratio; sunt enim res profanæ, quoties concessæ sunt cum facultate eas ad alios conferendi, quales sunt ut plurimùm omnes: Undè hoc nixus fundamento, cum pluribus celebrioribus Autoribus, GONZALEZ docet indistinctè harum Decimarum cognitionem ad Judicem Sæcularem pertinere, ut cæterarum profanarum rerum Judicium, Ecclesiamque illas sic infeudando transtulisse ad Laicos suam Jurisdictionem in illas. *Vide* illum *in Cap.* 13. *De Decimis*

timis n. 4. qnapropter de aliis dicendum superest.

Verùm priusquàm ad decisionem Quæstionis veniamus, indicandi sunt Textus, ex quibus elici potest; & prænotanda I. quæ circà illos scienda sunt, ut Decisioni inservire possint; Omnium præcipuus est *Cap.* 13. *De Decimis*; sed quæ ad rem faciunt, sunt duntaxat in Parte resectâ, quæ refertur à GONZALE, in ea autem hæc verba leguntur; quoad quæstionem, nempè, *Sententias verò super Decimis à Consulibus latas, præsertim cùm Sanctorum Patrum Institutionibus obviant, irritas esse decernas, & eas omnes, contradictione & appellatione postpositâ, revoces:* Eadem habentur in 1. *Collectione De Decimis* Cap. 25. *& in Appendice post Concilium* LATERAN. *Part.* 50. Cap. 40. CONC. TOM. X. cum hoc solo discrimine quod legatur, *obvient*, non *obviant*, ut hîc; quæ diversitas notabilis est, cùm ostendat irritas has esse dictas Sententias à Consulibus datas ex defectu potestatis, proveniente ex eo quod Laïci essent; Aliâ verò lectione admissâ, Textus probaret tantùm Sententias Consulum irritandas fuisse, quando Sacris Institutis obviassent.

Retentâ tamen Lectione Judici Ecclesiastico favorabili, Objici potest, quod Partes recisæ non sunt propositæ pro norma judiciorum, sed tantùm Partes retentæ, ideòque hoc ex Textu invictè concludi non posse judicium Causarum Decimalium pertinere ad solum Judicem Ecclesiasticum.

Hujus Objectionis solutio facilis; nempè mendum esse in relato GONZALIS loco, legendumque esse, ut in aliis citatis locis, cùm ipse ex istis sumpsisse videatur; hæc enim laudat tanquam fontem Textus quem refert.

Cæteri Textus circà eamdem Quæstionem sunt *Cap.* 25. *aut* 26. *De Decimis.* Cap. ult. *De Rerum Permut.* Cap. 21. *De Homicid.* CLEM. II. *De Judiciis*: Hi autem Textus testantur tempore, quo conditi sunt, Judicem Ecclesiasticum cognovisse de Causis Decimalibus.

In primo enim INN. III. indulget Episcopo Vercellensi, ut, omni contradictione vel appellatione postpositâ, de his cognoscat.

Secundus loquitur de Delegatis obtentis à Papa circà lites Decimales, & de Sententiâ arbitrali latâ à Judicibus impetratis.

Tertius versatur circà implorationem Brachii Sæcularis contrà contemptores Sententiarum ab Ecclesia latarum in nolentes Decimas solvere.

Quartus recenset Causas Decimales inter illas Causas, quas Judex Ecclesiasticus judicare debet, de plano, simpliciter, & sine figurâ Judicii.

Horum Textuum nullus dicit expressè Decimarum cognitionem pertinere ad Judicem Ecclesiasticum, sed id vel supponunt, vel insinuant. Primus Indulgentiâ concessâ à Pontifice, quam concedere non potuisset circà Causas Sæculares. Secundus Delegatione, quam non concedebant in Causis Sæcularibus. Tertius imploratione Brachii Sæcularis, in executionem Sententiæ quam denegasset Judex Sæcularis, si existimasset ad suum forum pertinere. Quartus constitutione Concilii Generalis, quam circà Causas Sæculares condere non poterat.

Prænotandum II. Textus quoscumque, qui jus decimandi inter Jura Spiritualia recensent, quorum numerus non est minimus, insinuare, imò docere, Causas circà illud cadentes pertinere ad Judicem Ecclesiasticum, cùm passim in Corpore Juris legatur res Spirituales ipsius fori esse.

III. Præter *Cap.* 13. *De Decim.* suprà laudatum, nullum repertum esse in Jure, quod testetur Judices Sæculares sibi vindicasse cognitionem causarum Decimalium: sed hoc argumentum, cùm sit merè negativum, ut potè petitum à mero silentio, non multi ponderis esse, cùm silentium provenire possit ex pluribus causis ignotis, quarum aliæ faverent Judici Sæculari, aliæ Judici Ecclesiastico, si incognitæ non remansissent; undè hinc certi nihil concludi potest. Idem dicendum de eo quod Textuum loquentium de cognitione hujusmodi causarum, nullus distinxerit Quæstiones Juris, à Quæstionibus facti, cùm hujusmodi silentii eadem vel similis potuerit esse origo. Prætereà extant Textus de similibus rebus loquentes, qui probant hanc distinctionem, dum tribuunt cognitionem possessorii rerum Spiritualium Judici Sæculari, ut ostendetur dum *De Judiciis* hujus generis. Inter alia est *Cap.* 21. *De Judiciis.*

IV. Ubicumque Judices Sæculares cognoscunt de pleno Beneficiorum possessorio, vel plenâ manutentione in possessione, ideòque jungunt petitorium possessorio, ibidem cognoscere posse de petitorio Decimarum, æque ac de possessorio illarum; idque à fortiori, cùm Decimæ minùs Spirituales sint quàm Beneficia, & jus Decimarum Beneficiarium sit; proindèque inconsequenter discurrere Autores, qui prius his Judicibus vindicantes, posterius denegant.

V. Causas Decimales, quarum Decisio pendet ex Consuetudine, secum invehere solere plures Quæstiones facti, quæ sine inquisitione resolvi nequeunt. Hinc ortum est ut Judices Sæculares, quibus hæc convenit potiùs quàm Judici Ecclesiastico, in possessionem judicandi de causis Decimalibus hujus generis devenerint: Illarum exempla notiora sunt, quàm ut necessè sit huc adducere. Prætereà jam plura allata sunt, dum *De Decimis Solitis vel Insolitis, vel De Modo solvendi, vel De Personis, à quibus, vel quibus solvendæ Decimæ ipso usu.* Hinc enim plures Quæstiones facti, nempè an ex hoc, illove fructu solvi soleat, an non? An ab his illisve personis? An his illisve solvatur? An in spicis, an in grano, in quâ mensurâ? An in areâ, an in horreo, an in Uvis, an in Vino, in qua mensurâ, in quâ quotitate? An eadem sit quotitas erga nobiles, ac erga alios? quo tempore, quo loco?

Ex his prænotatis deduci possunt sequentes Regulæ.

REGULA I.

Si agatur de Jure decimandi, & inspiciatur jus scriptum; certum est causas Decimales esse Ecclesiasticas, cùm ex dictis pateat, quod Juris Textus Judici Ecclesiastico illas expressè, vel tacitè attribuant.

REGULA II.

Easdem causas posse Sæculares fieri, ipsâ Consuetudine legitimè præscriptâ *Cap.* 11. *De Consuetudine*, cùm jus reservans has causas Judici Ecclesiastico sit merè Ecclesiasticum; huic autem Juri Consuetudo Canonica, sive legitimè præscripta derogari possit; præsertim si attendatur Textibus docentibus, in re Decimali standum Consuetudini; hi enim ad cognitionem causarum Decimalium extendi possunt, cùm non minùs valeat circà illud Consuetudo, quàm circà alia ad Decimas pertinentia.

REGULA III.

Causas possessorias circà Decimas congruentiùs agitari in foro Sæculari, quàm in foro Ecclesiastico, cùm reducantur ad Quæstiones facti, sine inquisitione longa & diuturna, inter Laïcos potissimùm faciendâ, irresolubilis.

Hinc plerasque causas Decimales ad Judices Sæculares transisse verosimililimum est, cùm sint ut plurimùm possessoriæ, atque ad Quæstiones facti reduci soleant.

QUÆSTIO XV.

In qua explicatur per Observationes Gallicum Jus circà Decimas.

Gallicum Jus circà Decimas Generale est, vel Par-

Particulare : Generale, quod emanat à potestate, cui totum Regnum subest : Particulare, quod à Consuetudine locorum quorumdam, vel ab eorum Conciliis proficiscitur. De Particulari hîc sermo sigillatim non fit; tùm quia in eo innumeræ sunt varietates, cùm diversi cujusque loci diversa sit Consuetudo ; tùm quia hoc in Opere consideranda non est privata hujus vel istius loci utilitas, sed totius Ecclesiæ Gallicanæ commodum.

Contrarias ob causas Generalis Juris Gallici effata colligentur; è Regiis autem Ordinationibus desumentur, eò religiosiùs audiendis, quò pleræque supplicante Clero editæ fuerint, Cùm Collectionis hujus finis sit usus, de abrogatis Ordinationibus nihil colligetur; sed priùs advertendum, tàm istas quàm illas de solis prædialibus Decimis sermonem facere.

Hujus rei Ratio esse videtur, quòd personales saltem jam non vigebant in Galliâ, quando utræque conditæ sunt.

Advertendum etiam, in eisdem Ordinationibus Decimas haberi ut res merè temporales, ideòque non dici factas in executionem Canonum, ut Edicta circà res spirituales, vel partim spirituales & partim temporales, atque in bis multa præcipiuntur Constitutionibus Canonicis contraria; *Verbi gratiâ*, HENRICUS IV. *Articulo* 15. *Edicti mensis Januarii* 1607. eximit à solutione Decimarum per decem annos, qui paludes ad culturam redigunt: quod adversatur *Cap.* 25. *De Decimis*; & posteà non aliam illis Decimam imponit quàm quinquagesimæ partis fructuum collectorum solutionem : hoc quidem revocatum est, quia Principi placuit propter causas temporales ab eodem probatas, & non quia Juri Canonico repugnabat, factaque revocatio Edictis Regiis per Senatus-Consulta executioni mandari præcipitur.

I. Ad Sacrorum Ministrorum sustentationem, ad subministrationem eorum quæ ad Cultum Divinum sunt necessaria, ad sublevandos pauperes Decimæ prædiales institutæ sunt. *Præf. Ordinat.* 1657. Quod in eâdem dicitur Decimas institutas à Deo, & reservasse sibi hoc Jus in signum universalis Dominii, ac cessisse Ministris suis; ita interpretandum, ut sensus sit, Deum in concessione agrorum reservasse, quæ necessaria sunt ad Ministrorum suorum alimoniam; alioquin contrarium esset citatis suprà Textibus, qui Decimas Consuetudini & Præscriptioni subesse docent.

II. Quo Jure hæc omnia mox memorata debentur, eodem prædictæ Decimæ debentur; meritò ergo Ordinationes multæ vetant, ne quis dicat Decimas esse voluntarias, & ad libitum solvendas. *Ibid.* BOCHEL. LIB. VI. *Tit.* 8. Cap. 28. DECRET. *Eccles. Gallic.*

III. Cùm Decimarum institutionis finis omnes Christianos tangat, hinc agrorum Possessores, cujusque statùs & conditionis sint, ad Decimas teneri declarantur, & tenebuntur quandiù non placuerit aliis viis Ecclesiarum & Clericorum necessitatibus providere. *Art.* 1. *apud* PETRUM GUENOIS, LIB. I. *Tit.* 2. *Part.* 1. *Collationis Ordinat.*

IV. Idcircò ab hâc obligatione nullus Præscriptione eximitur. *Art.* 1. *in ead. Collect.*

V. Sed qui Decimas redemerunt, ab his solvendis justè immunes sunt, cùm à se data Decimarum vices gerant. *In eâd. Collat.* §. 3. Senatus-Consultum 10. *Novembris* 1684. præscribit quamdam Decimarum redemptionem.

VI. Circà genus fructuum, ex quibus solvendæ Decimæ, circà partem quæ solvenda, circà solvendi modum, aliaque hujusmodi, quæ Decimarum accidentia sunt, servanda est locorum Consuetudo. *In ead. Collat.* §. 3. *Art.* 3. *Ordin.* 1657.

Circà ista Consuetudinis vis petitur ex eo quod ad faciendum satis oneribus, propter quæ Decimæ institutæ sunt, quibusdam in locis Decimæ ex uno, aut ex duobus fructuum generibus sufficiant; in aliis verò non sufficiant; tùm quia hîc ad illa onera minùs requiritur, tùm quia ista ibidem maximè facilè & carè veneunt. Propter similes causas minor pars fructuum solvenda est in uno quàm in alio loco; modus quoque qui uni loco convenit, alibi non convenit.

Quod de vi Consuetudinis circà Decimas dictum est, evincit Decimas non solvi in Regno Galliæ vi Legis Divinæ à Moyse datæ, cùm Consuetudo ista Legi huic omninò adversetur, & certum evidensque sit Legi Divinæ Consuetudinem nullam derogare posse.

VII. Servandæ quoque transactiones, si quæ circà ista factæ sunt; servandæ etiam, quæ latæ sunt Sententiæ. *In eâd. Collat. eod.* §. *Art.* 2. *Ordinat.* 1657. BOCHEL. DECR. *Eccles. Gall.* LIB. VI. *Tit.* 8. Cap. 39.

VIII. Circà eadem locum habet Præscriptio. *Art.* 1. *ejud. Ordinat.* Hujus & præcedentis effati eadem sunt quæ Sexti momenta.

IX. Si Decimalis terræ status in Decimarum fraudem convertatur, eadem non Decimalium quos feret fructuum pars solvenda erit; quæ Decimalium anteà solvebatur. *Ibid. Art.* 4. Fraus & dolus nemini patrocinari debet. Nemo de malitia sua commodum reportare debet.

Extant Senatus-Consulta ROTOMAGENSIS Curiæ, necnon & PARISIENSIS, quæ excipiunt casum, in quo tertia pars agri fert fructus Decimales, illaque sufficit ad onera, quibus Decimæ subsunt. De his conqueritur Clerus Generalis; res adhuc indecisa manet, cùm facilè discerni nequeat an sine fraude fiat prædicta mutatio : Decimatores prætendunt hunc Articulum extendendum ad omnem mutationis casum : Hinc plurimi fructus non Decimales facti Decimales, & illorum Decimæ, quæ insolitæ erant, factæ sunt Decimæ consuetæ.

X. In Delphinatu ex acquisitis ab anno 1635. (epocha illa constituta est, quia eo anno ad supplicationem Cleri, Rex præcipere cœpit, ut Nobiles pari quantitate ac cæteri Decimas solverent) Vassallorum, aliorumve possessionibus, Nobiles easdem, quæ ab aliis debebantur, Decimas solvere tenentur, etiam in locis, in quibus de terris nobilibus minores Decimæ solvi consuevissent.

Hujus Provinciæ Nobiles, in nimium Decimatorum dispendium, plures, quàm par erat, possessiones acquirebant, vel acquirere simulabant.

XI. Agri muris cincti, si Decimales fructus ferant, sicut cæteri, Decimis obnoxii sunt. *Art.* 5.

Destinati ad fructus non Decimales agri consueverant muris cingi; undè qui mœnibus cingebantur agri, à Decimis immunes declarati fuerant; successu verò temporis, mutato istorum usu, in iis grana Decimalia seri cœperunt; vel qui Decimas fraudare volebant, muris vallabant agros suos, illosque granis non Decimalibus aliquot annis serebant, quibus elapsis alia semina illis credebant; abusus tales, aliique similes talem postulabant Legem.

XII. Novales debentur Parocho à die, quo ipse, vel Prædecessores sui congruam trecentarum librarum fundis, quos possidebant, prætulerunt. *Art.* 7. *junctâ Declar.* 1686. 29. *Januar.* Anteriores quoque sibi debentur, detractâ Episcopi parte (quæ partem, quam ex antiquis percipit, æquare debet) nisi antiquas Episcopus integrè percipiat; quo casu Novalium quarta dumtaxat debetur Parocho. Ista distinctio duplicis generis Novalium usu non recepta; ideòque dicendum Declarationem 1686. Novum Jus statuere, Parocho in eo favorabilius, quod integras Novales Parocho assignet; sed non quoad tempus, quo incipiunt Novales, quas petere potest, cùm petere nequeat, nisi eas, quæ incœperunt à die optionis; anteà verò petere posset eas, quæ longè antè optionem incœperant.

Si

Si qui veteres Decimas integrè percipiunt, Novales impetrant, medietas Parocho reservatur. *Cap.* 2. *§.* 1. *De Decimis. In* 6. Undè patet Jus Gallicum postremo Articuli præcedentis casu minùs favere Parocho quàm Jus Commune.

Declaratio prædicta anni 1657. definit Novales, eas esse, quæ percipiuntur ex agris coli cœptis à die memoriam hominum non exeedente, ut fructus ferant Decimales; quod *Capitulo* 21 *De Verb. Signif.* consonat. Ad hoc autem, ut aget eoli cœptus à tempore memoriam hominum non excedente esse dicatur, sufficit hâc in re, ut quadraginta annis antè Parochi optionem non coleretur. *Ead. Declar. ann.* 1686.

XIII. Ex Decimis etiam infeudatis, si aliæ non sufficiant, congrua Vicarii perpetui, ipsiusque Coadjutorum, portio desumitur. Cùm autem ista portio ab omni onere immunis esse debeat, ut eædem Decimæ cunctis aliis oneribus obnoxiæ remaneant, oportet.

Hine agnoscitur Decimas istas ab origine sua esse Ecclesiasticas, aut ita credi declaratur; aliàs indebito oneri subjicerentur.

XIV. Decimas, quæ in feudis, immediatè vel mediate à Rege moventibus, percipiuntur à Laïcis, quæque à Clericis aliàs perciperentur; irrequisito Regis assensu, in favorem Ecclesiæ alienare licet: quod concessum indubiè, quia Decimæ istæ reputabantur Ecclesiasticæ; ea de causa non cogebatur Ecclesia redimere jus illas retinendi possidendas. *Apud* Petrum Guenois. *§.* 2.

XV. A nobilitate cadunt Nobiles, qui per se, vel per alios Decimas Ecclesiasticas conducunt; idem si publicæ locationi per se, vel per Domesticos adsint; idem si, Decimatoribus non consentientibus, Decimas in domos suas transferri patiantur. *Ibid.* §. 4. Factæ Nobilibus locationes hujusmodi, irritæ sunt. Ad Regios Officiarios, aliosque Potentes, extenditur Prima Pars Articuli, aliis pœnis adjectis.

Decimas usurpandi periculo Nobiles non sunt objiciendi; neque permittendum, ut circà easdem, Ecclesiæ aliter nocendi occasionem habeant.

XVI. Parocho Parochiæ suæ Decimas conducere licet; in hac conductione aliàs præferendus erat, nunc non est. *Apud. Eumd. Eod. §. Ordin.* Henr. IV. *anni* 1606. *Art.* 24. *Ordin.* Henric. III. 2. *Junii ann.* 1577.

Decimæ sunt Ecclesiastica bona, quorum administratio Parochum non dedecet. Cùm Jure Communi ad ipsum pertineant, æquum erat, ut si in colligendis aliquid emolumenti perciperet, ab ipso perciperetur in solatium vel levamen damni quod patitur; verùm Jus istud per Parochi fraudem, in gravamen Decimatorum vergere poterat facillimè; quippè poterat Parochus impedire, ne in Decimarum conductione justus valor offerretur, hacque de causa ipsi ablatum est.

Decimæ infendatæ si vendantur, donentur, leguntur Ecclesiæ absque onere feudi, tunc Ecclesiasticæ omninò fiunt; æquum enim est ut revertæ ad primam originem suam, natutam pristinam reassumant. Tunc fit ut non subsint eo casu tetractui, nec gentilitio, nec feudali, seu dominico. Hine etiam istæ Decimæ sunt principaliter obnoxiæ singulis oneribus, quibus subjiciuntur aliæ merè Ecclesiasticæ, & non tantùm subsidiariè, ut anteà. Hinc alienari non possunt, nisi iis omnibus servatis; quæ in alienatione rerum Ecclesiasticarum servanda sunt. Hinc non cogitur Ecclesia à Principe redimere jus illas retinendi, quod vocant *Amortissement.* De illarum proprietate cognoscit Judex Ecclesiasticus, in locis, ubi jus cognoscendi de petitorio decimali adhuc possidet.

Si verò Ecclesia Decimas illas acquirat cum onere feudi, retinent conditionem suam Decimarum infeudatarum; absque onere feudi alienari non possunt, nisi consenserit is, à quo in feudum tenentur.

Hinc, si iste consensum non præbuerit, Ecclesia solvere debet jura feudalia, etiamsi à Principe redemerit jus illas Decimas retinendi possidendas, cùm fo-leat hujusmodi jus concedi sine præjudicio alieno. Exemplum habes Decimarum ab Ecclesia possessarum cum onere feudi in Senatus-Consulto Parisiensi 1654. 27. *Julii*, meminit fidei hominiique faciendi, hominis viventis & morientis dandi, declarationis faciendæ bonorum in feudum possessorum, & jurium feudalium juxtà Consuetudinem solvendorum. Qui Laïci possident Decimas infeudatas, à tempore memoriam hominum excedente, non tenentur probare se illas in feudum tenere: Ex possessione illâ nascitur præsumptio justi tituli, injuriâ temporum amissi. *Cap.* 1. *De Præscript. In* 6. favet huic usui, & simili nititur fundamento.

Decimæ infeudatæ, quamdiù remanent infendatæ, habentur in omnibus ut res profanæ, exceptâ solùm subsidiariâ subjectione oneribus Ecclesiasticis, ideòque à Laïcis alienari possunt, quibuscumque modis; quibus cæteræ res merè profanæ.

Novæ Decimatum infeudationes etiam in Galliâ prohibentur. In hoc servatur *Cap.* 15. *De Decim.* Cap. hoc 15. inscribitur Ambian. Episcopo.

Possessores Decimarum infeudatarum non possunt sibi vindicàre Decimas Novales, provenientes ex fructibus agrorum noviter cultorum intrà districtum decimationum suarum. Ea in re servatur *Cap* 25. *De Decim. §.* 1. Infertur ex *Declar.* 1686. 29. *Januarii*, quæ Novales Curato sine ulla exceptione adscribit, nec Decimas minutas & virides, nec lanarum, nec volatilium. *Senatus-Consult.* Paris. 1668. 15. *Maii.*

Agri, ex quibus percipiuntur Decimæ infendatæ, non debent Decimas Ecclesiasticas; indicium certum quod Decimæ infeudatæ reputantur Ecclesiasticæ.

Quandò exemptus à Decimis solvendis, alienat agrum situm in Regione, in qua Decimæ sunt infeudatæ; ager ille non debet Decimas Possessori Decimarum infeudatarum, sed Parocho: quia præsumendum, agrum eumdem factum fuisse immunem à Decimis, ex eo quod, consentiente Decimatore, acquisitus fuerit ab Exempto absque onere feudi. De Decimis infeudatis cognoscit Judex Laïcus tàm in petitorio, quàm in possessorio. *Ordinatio* Philippi IV. *ann.* 1303.

XVII. Antequàm ex agro transportentur fructus ab illius Possessore, monendus est Decimator, ideòque die Dominicâ aliâve Festivâ, illam transportationem proximè præcedenti, istius dies Parrochi organo publicandus. Qui non soluta Decimatoris portione, vel in agro non relictâ, fructus transfert, variis plectitur pœnis, & inter alias fructus sic translati in Decimatoris lucrum capiuntur; hoc autem innovatur *Art.* 3. *Ordin.* 1657. nullâ pœnarum factâ mentione: Non servatur, nisi Decimatoribus de injuriis sibi factis conquerentibus, Judex jubeat ut servetur. *In ead. Coll. §.* 3. *Ord.* 1657. *Art.* 3. Bochel. *Decret. Eccl. Gall.* Lib. VI. *Tit.* 8. *Cap.* 36. varias Ordinationes à Francisco I. ad Henric. III. simul jungit, ut idem præcipientes. Sunt inter illas, quæ permittunt transferri fructus, non vocato Decimatore, dummodò ipsius pars in agro relinquatur. Talis est usus multarum Provinciarum.

XVIII. Decimarum debitoribus à Decimatoribus convivia exigere non licet, nec istis dare. *In Ead. Collect. §.* 5.

XIX. Inutilia non sunt quæ Edictum seu Declaratio anni 1657. Mensis Februarii circà Decimas subministravit colligenda, etsi à Curiis Superioribus in Regesta relatum non sit, utpotè usu recepta & Senatus-Consultis confirmata.

XX. Prædiales Decimæ dividi solent in magnas seu grossas, & in parvas seu minutas, vel *virides* vocitatas. Magnæ sunt ferè ubique, quæ ex frumento, siligine, hordeo, avenâ, percipiuntur; idque quia sunt præcipui fructus, qui ex agris colligi consuevecunt. Alicubi verò magnæ Decimæ etiam habentur, quæ ex nonnullis aliis fructibus colliguntur, quia præcipui sunt illarum Regionum. Hinc Decimæ ex pomis in Normanniâ sunt Decimæ Magnæ seu

ſeu groſſæ, quia poma ſunt ex præcipuis fructibus in hâc Provinciâ collectis, atque in eâ vices teneut racemorum. Hinc parvæ Decimæ ſunt in aliquibus Regionibus Decimæ groſſæ, parvæ ratione fructuum in ſe ſpectatorum, magnæ ratione quantitatis eorumdem fructnum.

Parvæ Decimæ dicuntur, quæ ex leguminibus oleribuſque percipiuntur; quia fructus illi inter minimos collocantur, & ſunt, ut plurimùm, quantitate, ut & pretio; eædem Decimæ dicuntur etiam *Virides*, quia ex fructibus adhuc viridibus ſolvuntur.

Inter parvas Decimas collocantur etiam illæ, quæ percipiuntur ex fœtibus ovium, caprarum, & ſuum, ex pullis & columbis. Circa Decimas ex fœtibus animalium, uota Senatus-Conſult. PARIS 10. *Decemb.* 1683. præcipiens aguos Coloni babentis Firmas in duabus Parochiis, inter Curatos dividi, etſi in unâ tantùm reſederit, & greges ſuos aluerit.

XXI. Circà Præſcriptionem Decimarum Jus Commune ſervatur in Galliâ; in eo autem ſitum eſt, quod quæcumque in Decimis conſuetudine reguntur, Præſcriptioni obnoxia ſunt; non privatorum, ſed Communitatis, ſeu totius Pagi, Caſtri, Civitatis.

An Epiſcopus præſcribere poſſit contrà Parochum res eſt controverſa? Favet Epiſcopo *Cap.* 10. *De Præſcript.* quod inſinuat, Parochiam Decimas præſcribere poſſe contrà Abbatem pleno jure illam poſſidentem, ac conſequenter in eâ habentem Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem; & injuſtum videtur, Parochiam præſcribere poſſe contra Epiſcopum, Epiſcopum verò idem non poſſe contra Parochiam.

Adverſatur Epiſcopo præſumptio violentiæ, ideoque malæ fidei: Sed ſi hæc ratio admittatur, nulla erit Domini contrà Vaſallos Præſcriptio. Eapropter exiſtimarem non excludendum Epiſcopum à Præſcriptione Decimarum contrà Parocbiam ſibi ſubditam; ſed vellem id reſtrictum eſſe ad Præſcriptionem, quæ bominum memoriam exeedat, quæque cauſam præbeat præſumendi juſtum titulum, injuriâ temporom deperditum. *Cap.* 1. *De Præſcript. In* 6.

XXII. In Galliâ Decimæ ſunt onera fructuum, non agrorum; undè ſucceſſor in poſſeſſione agrorum non tenetur ſolvere Decimas præcedentium annorum, non ſolutas à Prædeceſſore, niſi iſtius hæres ſit, & tunc tantùm in foro conſcientiæ.

Hinc, quandiù manent fructus Decimales, videntur ſubeſſe oneri Decimarum; ac conſequenter ſi vendantur, emptor Decimas ſolvere tenetur, ſi certò ſciat à venditore non ſolutas, quia res tranſit cum onere ſuo, ut dictat ratio naturalis variis Juris Textibus explicata.

Hinc, ſi Domini agrorum illos colere negligant, nihil poteſt Eccleſia propter hanc negligentiam poſtulare, cùm ne quidquam debeant, niſi ex fructibus, quos colligunt.

Nou obſtant obſervationi *Senatus-Conſulta*, quæ petenti quoddam Decimarum genus, adjudicant non ſolùm Decimas anno, quo pronuntiata ſunt, ſed etiam Decimas plurium annorum præcedentium; quia illas adjudicant tantùm à die petitionis, ex quo debentur, & injuſtè ab aliis perceptæ: Hujus generis ſunt *Senatus-Conſ. Paris.* 7. *Mart.* 1619. 23. *Auguſt.* 1664. 12. *Auguſt.* 1673. 2. *Jun.* 1683.

XXIII. Nullus ager ferens fructus Decimales eximitur à Decimis, etiam localibus. *Arreſta Conſilii* 1641. 10. *Auguſti* 1646. 18. *Julii* 1650. 19. *Octob.*

Hinc horti, etſi cincti muris, vel ſepibus, debent Decimas, ſi mittantur in illis ſemina fructuum Decimalium, ſive ubique, ſive ſolùm in locis, in quibus ſiti ſunt; cum hoc diſcrimine, quod ſi de fructibus Decimalibus ratione locorum tantùm agatur, eacipiendus ſit caſus, quo Conſuetudo legitimè præſcripta exemerit prædictos hortos ab hujnſmodi Decimis; cùm enim fructus iſti non ſint Decimales, niſi vi Conſuetudinis, eadem Conſuetudo efficere potuit, ut iidem fructus creſcentes in hortis Decimales non ſint.

Hinc paludes ad culturam redactæ debent Decimas ea fructibus Decimalibus. *Edict.* HENRY IV. 1607. *Arreſta-Conſilii* 1646. 14. *Aprilis* 1651. 10. *Septemb.* quæ illas ad ſecundam moderantur. *Act. Cler. Gall. Tit.* 1. Cap. 2. *n.* 5. 6. TOM. III. *p.* 137.

XXIV. Si exempti à ſolvendis Decimis alienent agros ſuos, retento cenſu, emptor debet ex illis Decimas, utroque Jure tàm Gallico quàm Romano. *Cap.* 11. *De Decim.* Arreſtum-Conſilii 19. *Oct.* 1665. contrà Ordinem MELITENSEM, in favorem Abbatis S. LUCIANI BELLOVACENSIS, uon obſtante quod per 200. annos agri poſſeſſi fuiſſent immunes ab omnibus Decimis, eaque lege alienati fuiſſent.

Si verò hujuſmodi Alienatores ſint agrorum venditorum Decimatores, & alienarint non retentis expreſſè Decimis; examinandus eſt cenſus, & ſi talis reperiatur, ut vices Decimarum tenere videatur, agri illi immunes à Decimis habendi ſunt; ſi verò inſpectis valore agrorum, ac pretio ſoluto, cenſus videatur minor quàm ut vices Decimarum ſupplere valeat, obnoxii Decimis æſtimandi ſunt agri.

Quandò alienatus ager immunis à Decimis, ſitus eſt in loco, in quo Alienator non eſt Decimator, ſed ad alium Decimæ pertinent, qui Parochus loci non eſt, Decimæ debentur Parocho, niſi pateat agrum exemptum fuiſſe à Decimis, poſtquàm alius, quàm Parochus, Decimas poſſidebat.

RATIO. Parochus eſt Decimator naturalis ſuæ Parochiæ; undè niſi conſtet Decimas ad alium pertinere, Parocho adjudicandæ ſunt; ideòque Decimator alius, qui prætendit Decimas, probare tenetur exemptionem poſteriorem eſſe ſuo jure decimandi.

Si emptor agri venditi ut immunis à Decimis, vocatur ad Judicium, ad illas ſolvendas condemnatur; illum tenetur venditor indemnem facere, quantocumque tempore diſtet à venditione Judicium, quia obligatio indemnem faciendi impræſcriptibilis eſt, æquè ac obligatio ſolvendi Decimas.

XXV. Non ſolvuntur Decimæ ex fructibus civilibus, nimirùm qui proveniunt ex lege vel ex contractu, quales ſunt annui reditus ab aliquot annis non ſoluti, uſuræ à Judice adjudicatæ, emolumenta Officiorum, jura feudalia; hi fructus ſunt perſonales, ideòque ad Decimas perſonales pertinere videntur, quæ abrogatæ ſunt.

Ad fructus civiles pertinent annui reditus empti, numerata pecunia, quibus mediis, ipſaque mercatoriâ arte, plurimi ab onere ſuſtentandi Paſtorem liberantur, quod incommodum evitabatur ipſa ſolutione Decimarum perſonalium.

XXVI. A pluribus ſæculis prohibetur Eccleſiarum Prælatis, ne Decimas Novas exigant, idque *Conſtitutione* PHILIPPI IV. *dicti* PULCHRI *ann.* 1303. Decimæ autem novæ dici poſſunt; vel reſpectu totius Regni, ut ſi quæ in nulla ipſius Diœceſi uſitatæ, in aliquâ introducantur; vel reſpectu alicujus partis, ut ſi olivarum Decimæ in Occitaniâ uſitatæ in Provinciæ quæ illarum uſum non novit inſtituantur. Utramque novitatem prohibere videtur citata ſuprà Conſtitutio; quia illius mens eſt à novo onere populum eximere, circà eamdem rem. Alia eſt novitas, quam in prohibitione prædictâ incluſam non æſtimarem, hæc eſt nempè, ſi ager frumentarius vertatur in ſilvam cæduam, vel in prata; & Decimis, quæ ex frumento percipiebantur, aliæ ſubrogentur, æqualis pretii ea proventu ſilvæ & pratorum percipiendæ, quæ in Regione inuſitatæ ſint; iſtæ ſiquidem novæ Decimæ onus novum ſecum non invehunt, ſed iſtâ introductione ſit tantùm oneris mutatio, ſine ullâ adjectione. Hanc mutationem probarunt *Declaratio* 1657. ſuprà citata & *Senatus-Conſultum* PARISIENSE 10. *Novemb.* 1684. in favorem Abbatis Commendatarii de litteris optimè

timè meriti. Ex Decimis insolitis, quarum exactio prohibita est à Philippina Constitutione, sunt certè nonnullæ, quæ nunc in usu sunt; talis est quæ ex tabaco, sub Philippo IV. incognito, multis in locis percipitur; quod fortè accidit ex eo quòd tabacum satum est in terrâ Decimali, & factum hinc fructus Decimalis; undè ex illo Decimæ posteà perceptæ sunt, etiam si satum fuisset in terrâ anteà incultâ, ex qua tales Decimæ non debebantur juxtà eamdem Constitutionem.

XXVII. Sunt Regiones in quibus solvuntur Decimæ ex silvis cæduis, aliæ verò in quibus non solvuntur; ideò inter locales collocantur. Silvæ cæduæ dicuntur quæ infrà annos 40. cædi solent; silvæ non cæduæ quæ post 40. annos & ampliùs cæduntur. De istis non solvuntur, nisi in Normanniâ; Prælati hujus Provinciæ jus istud à liberalitate Regum Franciæ obtinuerunt; id cognoscunt in Actione supplicatoriâ *an.* 1605. *Art.* 74. qua à Rege postularunt illius conservationem: petitam gratiam Rex concedens Prædecessorum suorum donum justâ ex causa revocare posse declarat, quia amputatio nemorum partis non statuta erat, ut nunc est; sed ut illos favore prosequatur, velle in possessione manutenere, qui ostenderint se titulo legitimo possidere.

Decimæ silvarum cæduarum solvuntur ex solis lignis venditis; non item ex illis, quæ in usus proprios Domini convertuntur: quod peculiare est huic generi Decimarum, cùm Decimis aliorum fructuum, nulla pars ab hoc onere eximatur.

Etsi Jure Communi quando major pars unius loci solvit Decimas alicujus fructûs, cæteri illas solvere teneantur: attamen Curia Rothomagensis habens ut res odiosas, Decimas silvarum cæduarum, eximit ab onere illas solvendi, qui in possessione sunt illas non solvendi, etiam in locis ubi maxima pars illas solvere consuevit; idem facit de aliis Decimis Consuetudinariis & localibus: Multa exempla habes in Commentario Basnagii in Consuetudinem Normanniæ.

Silva cædua plantata in terrâ inculta, quæ nullos unquam tulit fructus Decimales, Decimas non debet, si in Regione, in qua sita est, Decimæ non solvuntur ex silvis cæduis; è contrà verò, si Consuetudo loci ferat, ut ex illis Silvis Decimæ solvantur.

Si terra, in quâ plantata est silva cædua, erat Decimalis, silva quoque ista Decimalis erit, etsi ex Consuetudine loci Decimæ non solvantur ex silvis cæduis: idque fortè propter Regulam, *Subrogatum sapit naturam subrogati*, quæ in re Decimaria non ubique recipitur.

XXVIII. Sunt non pauci fructus, qui, quamdiù rari, & culti in parvâ quantitate, ad solum cultoris usum Decimales non extiterunt, deinceps facti abundantiores ex eo quod coli cœperint ad quæstum, ideòque in magnâ quantitate, solvendis Decimis subjecti sunt. Hinc quæ quibusdam locis temporibusve aliàs insolitæ fuerunt Decimæ, usitatæ effectæ sunt; hujusmodi sunt pleraque leguminum genera.

XXIX. Ager Clericis datus in titulum Decimis obnoxius est; nulla enim extat Lex in Galliâ recepta, quæ illum ab hoc onere eximat; cujus causa est quod cùm infinitus propemodùm sit Clericorum Ordinatorum numerus ad titulum patrimonialem, grande præjudicium crearetur ipsis Parochis, aliisve Decimatoribus, si agri hujusmodi à solvendis Decimis immunes essent. Addidi hæc verba (*in Gallia recepta*) quia *Cap.* 2. *De Decimis* declarat Clericos de jure exemptos à solvendis frugum suarum Decimis, aliis Clericis, quia Levitæ non solvebant Levitis Decimas: Ea Ratio non omninò justa videtur, cùm Levitæ non haberent agros, nisi ad pastum gregum suorum, cùmque alii ab aliis spiritualia non acciperent.

Hæc autem Lex potuit etiam à Galliâ rejici; quia nedum titulum Clericalem respicit, sed & omnes alios agros à Clericis possessos.

Nota obiter in Secunda hujus Capitis parte, verbum, *Clerici*, abundare; sensumque esse, Laicos solos, qui spiritualium Ministeriorum labores à Clericis accipiunt, Clericis Decimas debere.

XXX. Quando ager pertinens ad Ecclesiam Parœcialem datus est ad servitium Parœciale, tanquam dos ipsius Ecclesiæ, immunis est à Decimis, idque antiquissimo Jure Gallicano. *Cap.* 1. *De Censibus* citatur sub nomine *Concilii* Guarmatiensis (legendum Vormatiensis) Habetur in *Capitulari* Aquisgran. 816. *nu.* 10. Hoc etiam nunc vigere demonstrant Senatus-Consulta Curiæ Parisiensis 7. *Septemb.* 1688. *Et* 3. *Mart.* 1648. 20. *Mart.* 1663. 22. *August.* 1699.

Si verò ager relictus sit Parochiæ ad servitia prostita facienda, Decimis obnoxius est; Curia Suprema Parisiensis ita judicavit 3. *Martii* 1648. & 21. *August.* 1699.

XXXI. Pauperes immunes non sunt à solvendis Decimis, etsi Decimatores ditissimi sint. Leges quæ Decimarum solutionem præcipiunt, Generales sunt, pauperes non excipiunt. In eo autem nulla iniquitas, cùm Decimatores teneantur pauperibus subvenire, ac consequenter quæ ab iis in Decimis accipiunt, per Eleemosynas illis restituere, & longè plura, si necessitas illorum id exposcat: Præterea hinc vitantur varia incommoda, quæ ex illâ exceptione nascerentur; Nam 1°. definiendum esset, quæ paupertas ad hanc exemptionem requireretur. 2°. Notandi qui in eâ constituti essent. 3°. Qui ex illa exiissent. 4°. Qui in illam recèns lapsi essent; vel usus hujusmodi Indulti conscientiæ cujusque dimittendus esset, eoque casu cresceret in infinitum pauperum numerus.

Non obstat quod Decimæ dicantur Eleemosynæ; ut cætera bona Ecclesiastica, & quod pauperes non teneantur eleemosynam erogare divitibus; Nam Eleemosyna sumitur pro quocumque pio opere, ipsa verò Sacrorum Ministrorum sustentatio est pium opus; undè cùm Decimæ dentur in illam sustentationem, eo sensu dici possunt eleemosynæ.

XXXII. Quamvis anno 1635. Rex responderit *Articul.* 43. Supplicationis sibi à Clero oblatæ, se velle, ut Nobiles pari quantitate, ac cæteri, Decimas solverent; extant adhuc loca in quibus Nobiles in minori quantitate Decimas solvunt, quàm cæteri quoad bona nobilia; imò *Declar.* 1657. ad Supplicationem Cleri edita *Art.* 6. hunc morem non damnat, cùm id unum prohibeat, ne id privilegii Nobiles extendant ad bona non nobilia ab anno 1635. acquisita; & in Comitiis 1665. Archiepiscopus Viennensis die *Veneris* 18. *Septemb.* eâ de re agens conqueritur tantùm quod Nobiles Provinciæ æquarent bona non nobilia bonis nobilibus quoad Decimarum solutionem. Prædictum Regis Responsum vim Legis non habet, quia à nullâ Supremâ Curiâ in Acta relatum est.

XXXIII. *Conc.* Later. 1216. volens impedire, ne Ecclesiæ Parœciales, aliæve, quibus Decimæ debentur, ulteriùs prægravarentur occasione exemptionis à solvendis Decimis Religiosis concessæ, præcipit, ut de alienis terris, & de acquirendis in posterum, etiamsi eas propriis manibus excolant, Decimas persolvant, vel redimant. *Cap.* 34. *De Decim.* Huic Canoni nihil adversum reperimus in Jure Gallicano, imò nonnulla valdè conformia, ideòque apud nos servari existimamus: Illorum autem, quæ consonant huic Canoni, alterum jam præmisimus; nempè acquisitorem agri venditi à Melitensibus, tanquam immunis à Decimis sub annuo censu post 200. annos condemnatum ad illas solvendas; hoc enim ex eo provenit, quod cessavit

illius agri immunitas, ex quo MELITENSES propriis sumptibus excolere desierunt. *v. n.* 24. Alterum petitur ex Responso Regis *Art.* 45. Supplicationi Cleri: *Exemptianes Decimarum data Religiosis* CISTERCIENSIBUS, PRÆMONSTRATENSIBUS, CARTHUSIANIS, *Fratribus* MINIMIS, *Equitibus* MELITENSIBUS, *& aliis; cùm non essent concessæ, nisi pro terris, quas propriis manibus excolebant, cùm primùm illæ concedebantur, & cùm non considerarentur tunc, nisi pro magnis acquisitionibus, quas fecerant, magnum Curatorum numerum redigunt, ut non habeant undè alantur; statuit eadem Regis Majestas, ut in iisdem immunitatibus conserventur, ratione terrarum, & bonorum, qua excolunt ex antiquo sua dominio, nan propter illas, quas conducunt; & pro ipsis terris recenter acquisitis Decimam solvant, quemadmodùm persolvebatur cùm easdem emerunt; & hæc omnia executiani mandentur, non obstantibus omnibus Arrestis in contrarium datis.*

Verum quidem est, Responsum hoc vim Legis non habere, nec spectari posse tanquàm Normam nostrorum usuum, cùm in nullius Supremæ Curiæ Actis relatum sit; sed non minùs verum est, demonstrare saltem judicatum à Rege, prædictum Canonem non adversari Disciplinæ, quam vellet servari in Regno.

XXXIV. Ex iis quæ dicta sunt *n.* 5 6. 7. de Redemptione Decimarum, de vi Consuetudinis circà modum solvendi, de servandis circà eamdem rem Transactionibus; sequitur, dubitari non posse, quin loca, quæ sunt in possessione solvendi Decimas in pecunia, in ea manuteneri debeant, dummodò de possessione constet: præsumendum enim est possessionem illam oriri, vel ex conventione Partium, scriptâ, vel non scriptâ: Si scripta, vel contractu inito antè omnem litem, vel compositione factâ post litem: Si non scripta, vel expressa tractatu priùs habito, vel tacita ex solis multoties iteratis actibus solutionis in pecuniâ, & illius acceptationis.

Præmissis *De Redemptione Decimarum. n.* 5. addendum, illam esse veram alienationem, ideòque in illa servanda omnia, quæ servanda sunt in alienationibus; nempè inquisitionem de commodo & incommodo, consensum illorum, quorum interest, Decimatorum & Loci incolarum, Promotoris interventionem, Officialis Decreta; in inquisitione testes non admittendos incolas, cùm ipsi sint Partes; sed vicinos: Inquirendum quoque de valore annuo Decimarum, junctis annis fœcundis cum infœcundis, ut justa sit compositio.

Hinc, si redemptio facta sit à quibusdam tantùm incolis, non ligabit Successorem illius, qui huic redemptioni consensit; & rescindetur sine dubio redemtio, quia Decimæ ad illas res pertinent, in quibus turpis est pars toti suo non conformis; sunt enim onera omnibus incolis æqualiter imposita, eodemque modo solvenda.

Si Redemptor Decimarum per annos plurimos præstationes annuas non solvat, Decimator singulas exigere non poterit, sed quinque tantùm. *Senatus-Consultum* TOLOS. 1642. 24. *Julii.*

XXXV. Decimatorum & Decimarum onera hæc sunt. *Declar.* 1686. 29. *Januarii.* 1°. Debent Parocho trecentas libras ab omni onere liberas; centum & quinquaginta Vicario, cuique Coadjutori; si tempore quo vacat Parochia, vel Parochus legitimè impeditur, vel ineptus est, Episcopus constituat Vicarium Primarium, debent illi portionem, quam assignandam Episcopus duxerit; hanc autem Episcopus potest majorem assignare quàm Parocho debeatur, si, spectatâ qualitate loci, id expediens judicarit. *Declarat.* 1711.

Excipitur casus, quo Ecclesia sufficienter dotata est, ut si habeat fundum 6000. librarum, referentem fructus valoris 300. librarum; idem quoque etsi minoris sit pretii: tunc enim, quod deest, supplendum à Decimatoribus. Quandò plures sunt Decimatores, pro rata Decimarum, quas possident, hæc onera solvere tenentur; & si inter se illa partiti non sint, in solidum unusquisque obligatur; utroque casu cogi potest Parochus fundum retinere. *Declar.* 5690.

Prædictis oneribus liberantur Decimatores, si Parocho Decimas omnes dimissas velint.

Portio congrua jam ab anno 1690. desiit esse immunis ab onere Decimæ, quæ Regi ipsi solvitur. *Edict.* 1695. *Art.* 24.

Loco hujus portionis potest Episcopus unire partem Decimarum Paræciali Beneficio, quæ, compensatis sterilibus annis cùm fertilibus, producat ad minùs summam 300. librarum.

2°. Si reditus Fabricæ non sufficiant ad sartum tectum tenendum Ecclesiarum Paræcialium Chorum, & ad subministrandum Calices, Ornamenta & Libros necessarios, ad utrumque hoc casu obligantur Decimatores: Hinc referret Decimatorum, ut adessent auditioni computorum de reditibus Fabricæ administratis. *Edictum* 1695. *Art.* 21.

Circà prædicta onera Decimæ Ecclesiasticæ ab infeudatis in eo differunt, quod illæ primò & principaliter ad illa onera teneantur; istæ verò tantùm subsidiariè.

Quod de obligatione Decimatorum, ad subministrandum Calices, Ornamenta, & Libros, dictum est, generat nonnunquam controversias inter illos & Incolas locorum; aliis prætendentibus necessaria, quæ alii existimant non necessaria; quæ controversiæ interdum diuturniores sunt, Episcopo, cujus est judicare, Ecclesias Paræciales non visitante; imò quandòque post Sententiam Visitationis, ipsiusque executionem, non cessant contentiones, Incolis conquerentibus, quæ subministrata sunt minoris esse pretii, quàm esse debeant; undè ad vitandas has lites in multis Paræciis Provinciæ conventum est inter Decimatores & Incolas locorum de summâ annuâ, quâ mediâ Decimatores à prædicto onere omninò liberantur.

Sub nomine Chori comprehenduntur Capellæ à latere Chori, cum ipso Choro ædificatæ, & sub eadem Camera; non item Capellæ ejusdem generis quæ post ædificatæ sunt, nec quæ cum ipso, sed seorsim, & sub aliâ Camera, ita ut partes Chori haberi nequeant. *Senatus-Consult.* PARIS. 8. *August.* 1690. 13. *Febr.* 1692. Idem dicendum de Campanili; si Choro superstructum sit, sub Choro comprehenditur. *Senatus-Cons.* PARIS. 8. *Jun.* 1703.

Ordinationes Regiæ, quæ ad reparationem Chori Decimatores obligant, ad totam illos obligant, non excepto casu, in quo tertia pars Decimarum ad illam non sufficit. Eapropter Senatus PARISIENSIS 1ª. *Aprilis* 1670 condemnavit Capitulum RHEMENSE Decimatorem Parochiæ, in qua Cancellus cum Campanili in ruinam lapsus erat, ad illius reædificationem integram, jussitque ad id insumi mediam partem Decimarum usque ad consummationem operis; ne qua verò fraus fieret, in locatione Decimarum, vetuit ne fieret non vocatis Matriculariis.

Post mortem Beneficiarii Decimatoris, vel non Decimatoris, tota successio illius, etsi constet ex bonis patrimonialibus, antè Beneficii adoptionem acquisitis, ut & aliis posteà comparatis, obligatur ad reparationes, quibus Beneficium tenetur; idque duplici ex Capite 1°. Accipiens Beneficium subjicit se illius oneribus, ac consequenter quæcumque possidet. 2°. Post adeptionem possessionis Beneficii, istius proventus confunduntur cum reditibus patrimonialibus; ideòque posteriores acquisitiones censentur partim factæ ex proventibus Beneficii; undè meritò subsunt ferendis oneribus Beneficii in reparatione consistentibus.

XXXVI. Tot habemus Sententias, vel Senatus-Consulta à Judice Laico pronunciata circà Decimas, ut dubitari nequeat, quin usus Gallicanus sit, ut de controversiis Decimalibus Magistratus Politicus judicet, præsertim cùm attenditur paucissimas esse Sententias eâ de re à Judice Ecclesiastico prolatas: nec mirùm; nam præterquàm quod pleræque Quæstiones

Deci-

Decimales possessoriæ sunt, & de possessorio Judex Sæcularis etiam in spiritualibus cognoscere soleat. Maxima Pars Decimarum in Galliâ ussitatarum pendet à consuetudine; ideòque dum de petitorio sive jure illas colligendi disputatur, inquirendum de Consuetudine, quod ad Magistratum pertinet: undè sufficiet notasse, apud Bochellum Lib. VI. *Tit.* 8. *Cap.* 37. referri Ordinationes Regias, quæ Decimarum cognitionem Judici Laico attribuunt; idem quoque insinuari in Ordinationibus relatis in *Cap.* 39. dum dicitur, Decimas percipiendas juxtà locorum Consuetudinem; & si obscura & incerta sit, sequendam Consuetudinem locorum circumvicinorum. Huic Observationi addam, in eodem Capite præcipi, ut Sententiæ latæ in favorem Ecclesiasticorum, executioni mandentur provisionaliter, non obstante appellatione, eâ tamen lege, ut ipsi dent Fidejussores. Non celandum *eod. Tit. Cap.* 55. referri Ordinationem Philippi IV. prohibentem Judici Regio, ne cognoscat de Decimis non feudalibus, neidum in petitorio, sed nec in possessorio, etiamsi lis fuerit inter Clericos & Laicos: Sed id fluxisse videtur ex opinione, quæ tenet, Decimas à Deo præcipi, pro expensis ad Divina faciendis, Sententialque circà illas ferendas uti interpretationes Legis Divinæ habendas esse; ideòque, cùm ad Ecclesiasticos Legis Divinæ interpretatio circa res Divinas pertineat, ad eosdem quoque spectare debere, ut de Decimis cognoscant; quâ opinione rejectâ, quia à vero multùm abesse visa est, conveniens fuit, ur Ordinatio prædicta abrogaretur. Quod suppono hic de falsitate præfatâ, ex pluribus Juris Textibus clarè demonstravi in Regulis *circà Decimas è Corpore Juris Canonici desumptis.* Præterea eadem Ordinatio insinuat, *Cap.* 34. *Ejusdem Tituli*, ad Judicem Laicum pertinere Judicium de Quæstionibus facti circà Decimas, præcipiens illi, ut Communitates defendat à novâ Decimarum exactione.

Si Gallicanus usus apologiâ egeret, allegarem *Can.* 1. Dist. VIII. in quo Sanctus Augustinus docet, res temporales, etiam Sacras, Jure à Principibus condito regi & possideri. Conquerebantur Donatistæ, quod ab Imperatore immeritò & sine legitimâ autoritate privarentur rebus, quas nomine Ecclesiæ possidebant, dicebantque, *Quid nobis & Imperatori?* His querelis respondet Augustinus: *Quidquid homines possident, id Legibus ab Imperatoribus sancitis debere, ideòque qui dicit: Quid mihi & Imperatori? dicat oportet, quid mihi & possessioni?* Hic enim Canon demonstrat Decimas Principum Legibus possideri, & consequenter de iis judicari illorum autoritate, quia illius est judicare juxtà Legem, seu illam interpretari per Judicium, cujus est illam condere.

Frustrà agitatur Quæstio, an, quando Parochus petit Novales contrà Clericum, vel Religiosum Decimatorem, illas postulare debeat coram Judice Laico; cùm Declar. *an.* 1686. 29. *Januarii* Novalibus concessis, Curato jubeat, ut lites intentatæ circà executionem Declarationis ferantur in prima instantiâ coram Senescallis; hoc autem eo fortius videtur, quod eadem Declaratio tribuit Judici Laico cognitionem de portione congruâ, quæ assignatur super Decimis, & consequenter de Quæstione spectante Decimas.

Dubia circà Decimas.

Dubium I.

An in Gallia omnis terra, quæ semel Decimalis fuit, semper sit Decimalis quamdiù est frugifera, etsi fructus quos fert non sint in se Decimales ex loci Consuetudine; v. gr. ager frumentarius versus est in pratum, ubi Consuetudo est ut ex fæno Decima non solvantur, quæritur an hujusmodi ager Decimis obnoxius semper futurus sit?

Dubium peritur ex eo, quod illinc extant plura Senatus-Consulta, quæ Decimis subjiciunt fructus non Decimales, quoties subrogantur fructibus Decimalibus, idque sine ulla exceptione, horum verò ratio, ne fraus fiat in grande præjudicium Decimatorum, juxtà mentem Ordinationis 1657.

Istinc è contra certum est hoc non servari per totam Galliam, cùm in Provinciâ mutentur impunè agri Decimales in agros non Decimales. Opposita Rationi responderi potest, damnum Decimatorum compensari posse per Decimas collectas ex agris noviter ad cultum redactis, & fructus Decimales ferentibus, & ex conversione terrarum ferentium fructus non Decimales in terras hujusmodi fructus producentes.

Ad resolutionem hujus Dubii dicendum, quod, si nulla sit fraudis species, ut in locis, ubi incolæ solent terrarum suarum fructus frequenter mutare, ac Decimæ consuetæ, non obstante prædictâ mutatione, ad omnia & singula Decimarum onera sufficiant, non habendam rationem hujusmodi mutationum; secùs si quæ fraus appareat, ut si fiat in odium Decimatorum, vel, si ex immunitate istorum agrorum sic muratorum Decimæ impares fiant ferendis oneribus. Proptereà si contingeret quod Parochiani litigantes contrà Parochum, & volentes illum molestare, converterent vineas in agros frumentarios, quia Decimas percipit ex vino, non ex frumento, ex quo alii Decimatores alias colligunt, oporteret eo casu, ut Parochus manuteneretur in perceptione Decimarum ex agris, ex quibus anteà percipere consueverat, ne adversarii sui fructum ex malitiâ sua reportarent.

Dubium II.

Suntne Decima, qua annuo censu redimi nequeant, ut, non obstante antiquissimâ redimendi possessione, exigi possint in specie?

Sunt Senatus-Consulta pro & contra. Quæ contrà redemptionem posteriora sunt, & Magni Consilii 31. *Decemb.* 31. *Mart.* 1664. Quod favet redemptioni à Parlamento Paris. pronunciatum, 10. Januar. 1645.

TITULUS XIII.

De mala rerum Sacrarum administratione, earumque acquisitione; in quibus præcipuum vitium est Simonia, seu Confidentia, quæ incurritur tàm in Beneficiorum quàm in aliarum Sacrarum Rerum Collatione, vel receptione.

PARS PRIMA.

Ubi colliguntur Juris Decisiones propriis ipsius verbis extractæ.

SECTIO I.

Simonia crimen in genere in eo positum esse, quòd emantur aut vendantur res Ecclesiastica spirituales, sive quòd pro iis recompensatio aliqua accipiatur.

Vendere Ecclesiasticam rem Simoniacum esse patenter colligitur ex hoc, quòd Beatus Apostolus Petrus ait Simoni: *Pecunia tua tecum sit in perditionem*

cionem, quia existimasti donum Dei pecuniâ possideri: Donum quippe Dei Spiritus Sanctus, & donum Dei est res ipsi Ecclesiæ oblata. CAUS. I. QUÆST. III. Cap. 8. *Salvator* §. 1. *init.* Vide *Epistolam* GENNADII *Patriarcha Constantinopolitani in Concil.* CONSTANTINOP. *ann.* 459. TOM. IV. CONC. *p.* 1025. *Concil.* LATERAN. I. *ann.* 1123. *Can.* 1. *&c.* TOM. X. CONC. *pag.* 898. URBANUS II. *ann. circ* 1089.

II. Simonia describitur esse studiosa cupiditas vendendi vel emendi spirituale, vel spirituali annexum. *De Offic. Archid.* Cap. *Significasti. med. in int.* LIB. I. DECR. *Tit.* 23. Cap. 9.

III. Quisquis res Ecclesiasticas (quæ dona Dei sunt, quoniam à Deo fidelibus, & à fidelibus Deo donantur, quæ ab eodem gratis accipiuntur, & ideò gratis dari debent) propter sua lucra vendit, vel emit, cum eodem SIMONE donum Dei possideri pecuniâ existimat. *Ibid.* CAUS. I. QUÆST. III. Cap. 8. *Salvator.* §. 2. *med.*

IV. Altare & Decimas per pecuniam dare, & Spiritum Sanctum vendere, Simoniacam Hæresim esse, nullus fidelium ignorat. CAUS. I. QUÆST. III. Cap. 14. *Altare.* PASCHALIS II. *ann. cir.* 1100.

V. Qui, pro aliquâ Ecclesiasticâ susceptione, munus accipit, donum Dei, quod à Patre luminum descendere debuit, vendit; munus autem largiens importunus emit: Quid autem de Divini doni venditoribus vel emptoribus consequatur, concludi necessè non est. CAUS. I. QUÆST. II. Cap. 2. *Quam pio. med.* BONIFACIUS, *fortè circ. anno* 419.

VI. Gratia, si non gratis datur vel accipitur, gratia non est. CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 1. *Gratia. init.* LEO I. *ann.* 444.

VII. Non est dubium, quin, eo ipso quòd super his, quæ spiritualia existunt, recompensationem certæ pensionis quis accepit, commiserit vitium Simoniæ. *De Relig. Domib.* Cap. *Constitutus.* §. 1. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 36. Cap. 6.

VIII. Gratis est gratia conferenda. *De Simoniâ.* Cap. *in tantum.* §. 2. LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 36.

IX. Spiritualia sunt temporalibus digniora. *De Majorit. & Obed.* Cap. *Illud.* §. 1. *init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 33. Cap. 5.

Spiritualia tantò sunt temporalibus digniora, quantò anima præfertur corpori. *Ibid. De Majorit. & Obedient.* Cap. *Solitæ.* §. 3. *post init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 33. Cap. 6.

X. Spiritus Sanctus nec venumdari, nec emi potest. CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 23. §. 1. S. HIER. *in* Cap. 3. MICHÆÆ. *ann. cir.* 408. *Epistolâ* 19. ALEXANO. III. *Append.* 1. TOM. X. CONC. *p.* 1259. *Conc.* PLACENTINUM. *ann.* 1095. TOM. X. CONC. *p.* 503. *Conc.* PICTAV. *ann.* 1100. *Can.* 7. 9. *&c.* TOM. X. CONC. *p.* 725. *Conc.* LONDIN. *ann.* 1125. *Can.* 1. 2. 3. *&c. Act.* 4. TOM. X. CONC. *p.* 915.

XI. Altare & Decimas, & Spiritum Sanctum emere, vel vendere, Simoniacam Hæresim esse nullus fidelium ignorat. CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 3. *Presbyter. fin.* GREGOR. VII. LIB. VI. *Regesti. ann.* 1078.

XII. Sententiæ ex Sanctis collectæ alienum omninò à Sacerdotio pronunciant eum, qui quocumque tempore dederit vel acceperit, sive antè Ordinationem, sive in Ordinatione, sive post Ordinationem; accipere enim est, quandocumque accipere. CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 21. *Eos qui. Ex novâ versione Epistolæ.* TARASII *Epis.* CONSTANT. ADRIANO *ann.* 787.

SECTIO II.

Simoniam esse crimen gravissimum, & quodammodò hæresim ac pestem.

I. Patet Simoniacos, veluti primos & præcipuos Hæreticos, ab omnibus fidelibus respuendos, & , si commoniti non resipuerint, ab exteris Potestatibus opprimendos: Omnia enim crimina, ad comparationem Simoniacæ Hæresis, quasi pro nihilo reputantur. CAUS. I. QUÆST. VII. *Cap.* 27. *Patet.* Vide *Epistolam* ATHALARICI *Regis Hispaniar. ad* JOANNEM PASIA. II. TOM. IV. CONC. *p.* 1748. *Conc. Forojuliense. ann.* 791. Cap. 1. TOM. VII. CONC. *p.* 1002. PASCHALIS II. *fortè circ. ann.* 1100.

II. Inter crimina graviora Simonia reputatur. *De Purgat. Canonici.* Cap. *Accepimus.* §. 2. *med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 34 Cap. 16.

III. Immanitas Hæresis Simoniacæ, ad cujus comparationem cætera crimina quasi pro nihilo reputantur. *De Simonia.* Cap. *Per Tuas.* §. 1. *fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 32.

IV. Simoniaca pestis sui magnitudine alios morbos vincit. *De Simonia.* Cap. *Sicut. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 6.

V. Detestabile scelus Simoniacæ pravitatis tàm Divinarum Legum quàm Sacrorum Canonum autoritas abhorret atque damnat. EXTRAVAG. II. *Cùm detestabile. De Simonia. init.* LIB. V. EXTRAVAG. COMMUN. *Tit.* 5. Cap. 2. *& Bullâ* EUGENII IV. *Cùm detestabile. ann.* 1434.

Cùm omnis avaritia &c. CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 20.

VI. Simoniacæ Hæresis semen detestata est Sancta Synodus, & anathematizavit. CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 105. *Dictum est. post init. Ex Concil.* TRIBURIENSI, *ann.* 895.

VII. Simoniaca Hæresis prima contrà Dei Ecclesiam Diabolicâ plantatione subrepsit, & in ipso ortu suo, zelo Apostolicæ ultionis percussa, atque damnata est. CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 28. *Fertur. init.* GREGOR. I. *Epist.* 114. LIB. VII. *ann.* 599.

VIII. In Sacerdotibus fides est eligenda cum vitâ; si enim vita deest, fides meritum non habet, Beato JACOBO attestante, qui ait: *Fides sine operibus mortua est.* Quæ enim opera esse valeant Sacerdotis, qui honorem tanti Sacramenti convincitur obtinere per præmium. *Ibid.*

IX. Sunt aliqua prohibita, quia Simoniaca; & alia Simoniaca, quia prohibita. *Vide Glossam ad* Cap. 12. *Ex Parte* 1. *De Off. Deleg.* LIB. I. DECR. *Tit.* 9. verbo, *dimittere.*

X. Si dignus is Sacerdotio creditur, cui non actionis merita, sed præmiorum copia suffragatur; restat, ut nihil sibi in Ecclesiasticis honoribus gravitas, nihil defendat industria, sed totum auri profanus amor obtineat. CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 28. *Fertur.* §. 1. *med.*

XI. Detestabile malum est, ut nulli Clerico, quamvis Religioso, quamvis scientiâ & moribus prædito, Ecclesiasticum Beneficium concedatur, nisi ei, qui profano pecuniæ munere illud emere studuerit, fiatque Ecclesia & res ejus ita venalis, veluti quædam terrena & vilis merx, à Negotiatoribus ad vendendum exposita: Quod malum, quàm detestabile, quantùm Deo Sanctisque sit contrarium, & Sacri Canones docent, & ferè omnibus manifestum existit. CAUS. I. QUÆST. III. Cap. 9. *Ex multis. init.* ALEX. II. *cir. an.* 1068.

XII. Qui hoc nefarium facinus admittant, Sanctum deprimunt Spiritum, æquè peccantes atque illi qui Christum in Beelzebud ejicere Dæmonia ore blasphemo. dicebant; vel, ut veriùs dicam, JUDÆ Proditori, Dei interfectoribus Judæis argenti pretio Dominum sunt similes, qui vendidit. CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 21. *Ex Epistola* THARASII CONSTANTINOPOLITANI *Episcopi* ADRIANO *circ. ann.* 787. *juxta versionem è Græco.* TOM. VII. CONC. *p.* 630. *fin. & p.* 642. *Conc.* VI. PARIS. *ann.* 829. Cap. 11. TOM. VII. CONC. *p.* 1605.

XIII. Liquet hanc Hæresim antè omnes radicâ pestiferâ subrepsisse, atque in ipsâ origine suâ Apostolicâ esse detestatione damnatam. CAUS. I. QUÆST. I. CONC.

Cap. 13. *Cùm liqueat.* Gregor. I. Lib. VII. *Epist.* 100. Syagrio *&c. ann.* 599.

XIV. Sinon Magus cùm Spiritûs Sancti gratiam emere vellet, damnationis Sententiam à Patro audivit, *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecuniâ possideri.* Dominus etiam, ut vendentes & ementes hujus gratiæ expertes ostenderet, cunctos peccatores per gratiam in Templo dimisit; singulariter vendentes & ementes increpans & flagellans de Templo ejecit; in quo venditores & emptores sui gratia Sancti Spiritus constat destitutos esse, & vacuos: Quos enim Christus ejecit de Templo, nunquid Spiritus Christi faciet sibi Templum. Caus. I. Quæst. I. Cap. 11. *Qui studet. Ex Epistolâ* Tharasii.

XV. Spiritûs Sancti donum pretio comparari, quid aliud est quàm capitale crimen, & Simoniaca Hæresis? Quod quàm detestabiliter in utroque Testamento vindicatum sit, multorum exemplis facilè apparet. Caus. I. Quæst. I. Cap. 11. *Qui studet. post init.* Tribuitur S. Gregorio Nazian. sed non habetur inter ejus Opera. *Ex Epistola* Tharasii *ad* Hadrianum. Vide *Cap.* 21.

SECTIO III.

Simonia crimen esse, pecuniam exigere pro Sacris quibuslibet, atque pro Ordinatione, & tàm dantem quàm recipientem esse Simoniacum.

I. Pro perceptione Chrismatis nummos dari, similiter pro Baptismo & Communione, hoc Simoniaræ Hæresis semen est; & ut de cætero, nec pro Ordinatione, nec pro Chrismate, vel pro balsamo, nec pro sepulturâ, vel Communione, quidquam exigatur, statutum est; sed gratis donata gratuitâ dispensatione donentur. Caus. I. Quæst. I. Cap. 105. *Dictum est.*

II. Statutum est, ut, sicut pro dedicandis Basilicis, & dandis Ordinibus, nihil accipiendum est; ita etiam pro balsamo, sive luminaribus emendis, nihil Presbyteri Chrisma accepturi dent. Caus. I. Quæst. I. Cap. 106. *Statuimus.*

III. Reperiuntur negotio muneris perituri, mercari velle gratiam Spiritûs Sancti; dum vile pretium donant, ut Pontificalis Ordinis sublime culmen accipiant, obliti verborum Petri, qui dixit ad Simonem; *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti per pecuniam possideri.* Caus. I. Quæst. I. Cap. 7. *Reperiuntur.*

IV. Nullus Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui Sacram dispensat Communionem, à percipiente gratiam Communionis aliquod pretium exigat: Neque enim venditur gratia, neque pro pretio gratiam Spiritûs Sancti damus, sed dignis munere sine defraudatione participare concedimus: Si quis aliquod pretium exegerit, imitator est Simoniacæ fraudis. Caus. I. Quæst. I. Cap. 100. *Nullus.*

V. Baptizandis consignandisque fidelibus Sacerdotes pretia nulla præfigant, nec illationibus quibuslibet impositis exagitare cupiant renascentes; quoniam quod gratis accepimus, gratis dare mandamur: Et ideò nihil à prædictis prorsûs exigere moliantur, quò vel paupertate cogente deterriti, vel indignatione revocati, redemptionis suæ causas adire despiciant. Caus. I. Quæst. I. Cap. 99. *Baptizandis.*

VI. Placuit, ut nullus Episcoporum, pro modico balsami, quod Benedictum pro Baptismi Sacramento per Ecclesias datur, nihil exigat; ne fortè quod pro salute animarum per invocationem Sancti Spiritûs consecratur, sicut Simon Magus donum Dei pecuniâ voluit emere, ita nos venumdantes damnabiliter venumdemur. Caus. I. Quæst. I. Cap. 102. *Placuit.*

VII. Placuit, ut quoties ab aliquo fidelium, ad consecrandas Ecclesias Episcopi invitantur, non quasi ex debito munus aliquod à Fundatore requirant. Caus. I. Quæst. II. Cap. 1. *Placuit. init.*

VIII. Criminibus pressus est quæ Sacro Ordini contradicunt, si per Simoniacam Hæresim, *id est*, præmia quibusdam, se eligentibus, præbendo, ad Sacerdotale pertingere Officium conatur. Caus I. Quæst. VI. Cap. 2. *Ego autem. post med.*

IX. Statutum est ut pro consecrationibus Episcoporum, Benedictionibus Abbatum, & Ordinibus Clericorum, sive conferendis, sive collatis, nemo aliquid quocumque prætextu exigere, aut extorquere præsumat; alioquin, & qui receperit, & qui dederit hujusmodi pretium, omninò damnatus cum Giezi & Simone condemnetur. *De Simoniâ.* Cap. *Sicut.* §. 1. Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 39.

X. Nummos pro Chrismate ab Ecclesiis extorquere Simoniacum esse cognoscitur; nec prætextu alicujus Consuetudinis, vel Prælationis, ullatenùs exigi possunt. *De Simoniâ.* Cap. *Ea quæ.* §. 1. Lib. V. Decr. *Tit.* 3. *Cap.* 16. Vide *Epistolam* 25. Hormisnæ, *ann.* 517. Tom. IV. Conc. *p.* 1467. Vide *Concilium* Aurelian. II. *ann.* 533. *Can.* 3. 4. Tom. IV. Conc. *p.* 1780. *Ex Concilio* Thiburiensi, *anno* 895. Vide *inter Decreta* Gregorii I. Cap. 5. Tom. V. Conc. *p.* 1587. *Concil.* Barcinon. *ann.* 599. *Can.* 1. 2. Tom. V. Conc. *p.* 1605. *Ex Conc.* Cabillonensi II. *Can.* 16. *ann.* 813. Tom. VII. Conc. *p.* 1275. *Conc.* Tolet. VI. *anno* 638. Cap. 4. Tom. V. Conc. *p.* 1783. *Ex Concilio* Toletano VIII. *anno* 652. *Concil.* Cabillon. *ann.* 650. *Can.* 16. Tom. VI. Conc. *p.* 390. *Conc.* Tolet. VIII. *ann.* 653. Tom. VI. Conc. *p.* 404. *Ex VI. Synodo.* Cap. 23. *ann.* 692. *Concil.* Emerit. *ann.* 666. Cap. 9. Tom. VI. Conc. *p.* 502. Vide *Can.* 22. 23. *Concilii* Quinisexti *in Trullo* Tom. VI. Conc. *p.* 1153. Gelasius I. *Epist.* 1. Cap. 7. *ann.* 494. *Excerptiones* Egberti Cap. 1. 2. Tom. VI. Conc. *p.* 1587.

XI. Ut nullus per pecunias ad honorem vel gradum Ecclesiasticum accedere debeat, quia Hæresis Simoniaca esse videtur. *Conc.* Vernanse *an* 755. *Can.* 24. Tom. VI. Conc. *p.* 1669. *Ex Concil.* Bracarensi II. Cap. 4. *anno* 572. *Conc.* Nic. II. *Can.* 4. 5. Tom. VII. Conc. *p.* 598. Vide *Capitulare* Aht-tonis *ann.* 822. Cap. 12. Tom. VII. Conc. *p.* 1524. *Ex Concil.* Bracar. II. Cap. 5. *anno.* 572. Eugenius II. *ann. circ.* 824 Decreto X. Tom. VII. Conc. *p.* 1542. Gregor. I. Lib. V. *Epist.* 26 *anno* 596. *Concil.* Rom. III. *ann.* 1099. Capitib. 1. 2. 3. &c. Tom. X. Conc. *p.* 615.

XII. Emendari placuit, ut qui baptisantur (ut fieri solebat) nummos in concham non mittant; ne Sacerdos, quod gratis accepit, pretio distrahere videatur. Caus. I. Quæst. I. Cap. 104. *Emendari. Ex Concilio* Eliberit. Cap. 48. *ann.* 305. *Conc.* Rom. *ann.* 1059. *Can.* 9. Tom. IX. Conc. *p.* 1010.

XIII. Sanctorum Patrum exempla sequentes, & Officii nostri debito innovantes, ordinari quemquam per pecuniam in Ecclesiâ Dei, vel promoveri, autoritate Sedis Apostolicæ modis omnibus prohibemus. Caus. I. Quæst. I. Cap. 10. *Sanctorum.* Calixtus II. *ann.* 1128.

XIV. Nummos pro Chrismate ab Ecclesiis censu temerario extorquere Simoniacum esse cognoscitur, & periculum generale animarum. *De Censib.* Cap. *Ea quæ. in integr. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 39. Cap. 12 *Conc.* Turon. II. *ann.* 567. *Can.* 27. Tom. V. Conc. *p.* 865. *Conc.* Bracar. III. *ann.* 567. *Can.* 3. 4. 6. 7. Tom. V. Conc. *p.* 897. *Concil.* Tolet. XI. *ann.* 675. Cap. 8. 9. Tom. VI. Conc. *p.* 550. *Concil.* Aquisgr. II. *ann.* 836. *Can.* 5. Tom. VII. Conc. *p.* 1705.

XV. Cupiditatem & pravitatem hujusmodi non possunt defendere per Consuetudinem longo tempore observatam, quæ magis dicenda est corruptela. *Ibid.* Cap. 39.

XVI. Pro Chrismatis & olei receptione nulla cujusquam pretii exactio attentetur, nec, sub obtentu cujusquam Consuetudinis, reatum suum quis tueatur. *De Simoniâ.* Cap. *Non satis.* §. 2. LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 8.

XVII. Indignum est, & Ecclesiasticæ rationi contrarium, ut absolutionis beneficium redimatur; sed gratis absolvi debet, qui fuit vinculo Excommunicationis adstrictus. *De Simoniâ.* Cap. *Ad Aures.* §. 1. LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 24.

XVIII. Simoniaca pravitas est, cùm pro Chrismate certa consuevit accipi pecuniæ quantitas, & tàm illicita exactio compesci debet. *De Simoniâ.* Cap. *In tantùm.* §. 1. & 2. LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 36. *Concil.* RHEMENSE *anni* 1049. *Can.* 2. TOM. IX. CONC. p. 1041. *Can.* 5. *Ibid. Concil.* ROTHOMAG. *ann.* 1050. *Can.* 14. 15. &c. TOM. IX. CONC. p. 1049. Vide *Conc.* ROMANUM *sub* BENEDICTO VI. TOM. IX. CONC. *Append.* p. 1243.

Quod collecti Canones dicunt, Simoniam nullâ Consuetudine excusari posse, de Simonia Lege Divinâ vetita, cui consuetudo derogare non potest; non de Simonia Juris Ecclesiastici, quod ipsâ Consuetudine potest aboleri, debet intelligi. *Vide Regulas circà Simoniam*, in quibus explicatur quidquid in Textibus Juris est quod expositione egeat.

SECTIO IV.

Simonia crimen non solùm committi, cùm pecunia exigitur pro quibuslibet Sacris rebus, sed etiam cùm aut favor, aut præmium, aut quodcumque pretii locum tenet.

I. Qui nummorum præmia ex Ordinatione non accipiunt, & tamen Sacros Ordines pro humana gratia largiuntur, atque de largitate eadem laudis solummodò retributionem quærunt; hi, quod gratis acceptum est, gratis non tribuunt, quia de impenso Officio Sanctitatis, nummum expetunt favoris. CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 114. *Sunt nonnulli. init.*

II. Benè, cùm justum virum describeret Propheta, ait: *Qui excutit manus suas ab omni munere*, ISAIÆ XXXIII. Neque enim dicit: Qui excutit manus suas à munere, sed adjunxit *ab omni*; quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus à manu, aliud munus à lingua: Munus quippè ab obsequio, est subjectio indebitè impensa: Munus à manu, pecunia est: Munus à lingua, favor. Qui ergo Sacros Ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in Divinis rebus non solùm nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit. *Ibid.* CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 114. *Sunt nonnulli.*

III. Ordinationes, quæ interveniente pretio, vel precibus, vel obsequio, alicui personæ eâ intentione impensæ fiunt, falsæ dijudicantur; quoniam qui taliter ordinantur, non per ostium, *id est*, per CHRISTUM, intrant; sed, ut ipsa Veritas testatur, fures sunt & latrones. CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 113. *Ordinationes.*

IV. Qui res Ecclesiasticas non ad hoc, ad quod institutæ sunt, sed ad propria lucra, munere linguæ, vel indebiti obsequii, vel pecuniæ, largitur, vel adipiscitur, Simoniacus est; cùm principalis intentio SIMONIS fuerit sola pecuniæ avaritia. CAUS. I. QUÆST. III. Cap. 8. *Salvator.* §. 2.

V. Venditores sunt columbarum, & domum Dei faciunt domum negotiationis, qui Sacros Ordines largiendo, pretium pecuniæ, vel laudis, vel etiam honoris, inquirunt. CAUS. I. QUÆST. III. Cap. 11. *Non solùm. init.*

VI. Nemo Presbyterorum quemquam pœnitentem, gratiâ vel favore ad reconciliationem adducat, & testimonium reconciliationis ferat eidem, vel quocumque livore dignè pœnitentem à reconciliatione removeat, quia Simoniacum est utrumque. *De Simoniâ.* Cap. *Nemo. med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 14. *Concil.* MALDENSE, *ann.* 845. Cap. 45. TOM. VII. CONC. p. 1834. GREG. I. *in Tractatu Evangeliorum. circ. ann.* 593. *Concil.* AQUISGRAN. *ann.* 816. Cap. 38. TOM. VII. CONC. p. 1355.

VII. Nihil pro Ecclesiarum Consecratione potest, vel debet, præter Procurationem, exigi. *De Simoniâ.* Cap. *Cùm sit.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 10. GREGOR. VII. *in Synodo habitâ Romæ anno* 1078. URBANUS II. *anno circ.* 1089. BEDA *circ. ann.* 720.

VIII. Favor vel gratia, sive odium, succedit loco pretii in spiritualibus ad Simoniam committendam. *Glossa. Concil.* TURONENSE *anni* 1163. *Can.* 6. TOM. X. CONC. p. 1420. *Conc.* PICTAV. *ann.* 1078. Cap. 4. TOM. X. CONC. p. 368. *Conc.* ROMANUM V. *ann.* 1078, Cap. 3. 4. TOM. X. CONC. p. 373.

IX. Pro Ordinatione, vel usu Pallii, eum, qui ordinatur, omninò aliquid dare prohibitum est. *De Simoniâ.* Cap. 1. *fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 1.

X. Chrisma, Oleum Sanctum, Consecrationes Altarium seu Basilicarum, Ordinationes Clericorum, qui ad Sacros Ordines promovendi fuerint, ab eo Episcopo postulentur, qui ea gratis sine pravitate aliquâ voluerit exhibere. *De Præscript.* Cap. *Veniens.* §. 2. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 26. Cap. 19.

SECTIO V.

Posse sine periculo Simoniæ recipi quæ gratis offeruntur à fidelibus, dùm Sacra ministrantur.

I. Unusquisque Episcopus per Ecclesias suas hoc præcipiat, ut hi, qui infantes suos ad Baptismum offerunt, si quid voluntariè pro suo offerunt voto, suscipiatur ab eis; si verò per necessitatem paupertatis aliquod non habeant quod offerant, nullum eis pignus violenter tollatur à Clericis. CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 103. *Placuit.*

II. Is, qui ordinatus fuerit, si non ex placito (aliàs *pacto*) neque exactus, neque petitus, post acceptas chartas, aliquid cuilibet ex Clero, gratiæ tantummodò causâ dare voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus; quia ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ, juxtà originale, ex accipientis ambitu non processit. CAUS. I. QUÆST. II. Cap. 4. *Sicut.* §. 1. & *De Simoniâ.* Cap. 1. *in int. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 1.

III. Dùm omnis absit pactio, omnis esset conventio, postmodùm, quasi subsidii gratia, aliqua suæ Ecclesiæ munera largiri Romana permittit Ecclesia. CAUS. I. QUÆST. II. Cap. 2. *Quam pio.* §. 1. *fin.*

IV. Quoties ab aliquo fidelium, ad consecrandas Ecclesias Episcopi invitantur, non quasi ex debito munus aliquod à Fundatore requirant; sed, si ipse quidem aliquid ex suo voto obtulerit, non respuatur: Si verò aut paupertas illum, aut necessitas retinet, nihil exigatur ab illo. CAUS. I. QUÆST. II. Cap. 1. *Placuit. init. Ex Conc.* BRACARENSI II. Cap. 7. *anno* 572. *Concil.* BRACAR. *vulgò II. ann.* 563. Cap. 21. TOM. V. CONC. p. 841. GREGORIUS I. LIB. IV. *Epist.* 44. *ann.* 595. Vulgò dicitur esse BONIFACII *fortè ann.* 419. sed non reperitur inter ejus Epistolas. Citatur à S. TH. 2. 2. *quæst.* 100. *Art.* 3. *ac.* 4. *Ex Concilio* BRACARENSI II. Cap. 5. *anno* 572. iisdem verbis ibi habetur. CONC. TOM. V. p. 897. Dicitur Tertium ibidem ratione habitâ ad Primum celebratum V. Sæculo, est verò Secundum habitâ ratione ad illud quod elebratum est Sæculo VI. *ann.* 563. cui successit, idque quia Secundum est ejusdem Sæculi.

SECTIO VI.

Qui habet jus perfectè acquisitum ad Beneficium, pecuniam dare potest ad redimendam vexationem.

I. Non condemnatur Præpositus quòd, cùm Archidiaconus eum multis gravaminibus afficere non cessaret, promisit ei certam quantitatem pecuniæ se daturum,

turum, ut ab ipsius desisteret læsione. *De Simoniâ.* Cap. *Dilectus.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 28.

II. Cùm sitisses ad Ecclesiæ tuæ Regimen, de voluntate majoris partis Fratrum, electus, paucis tibi contradicentibus; quidam amicus tuus de conscientia tuâ, ei, qui magister discordiæ videbatur, certæ quantitatis munus exsolvit, & sic contradictio conquievit; non es à labe Simoniæ prorsus immunis, donec in administratione volueris remanere. *De Simoniâ.* Cap. Matthæus. Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 23.

III. Si dictus Archidiaconus post receptionem pecuniæ super Dignitatibus & Beneficiis ejus, ab ejus molestiâ non quiescat, restituere quod acceperit (si eum contrà promissionem suam venisse constiterit) compellatur. *De Simoniâ.* Cap. *Dilectus. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 28.

Verius & æquius videtur quod, cùm injustè quis vexatur, possit redimere suam vexationem sine peccato, juxtà illud Apostoli: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Glossa*, verbo, *Restituere.*

Jus suum nulli redimere licet in re Spirituali, ubi ille, qui petit, jus habet in re illa, quia Simoniam committeret; sed cùm ille, qui vexat, nullum jus habet, nisi quia illum vexat de facto malitiosè & injustè. *Gl. Ibid.*, Cap. 28.

Nota ex eo quod præcipitur ei restituere quod accepit, ei, qui dedit, innuitur non posse sine Simoniâ dare aliquid ei, à quo jus illud consequi potest; qui verò jus habet perfectum potest redimere vexationem suam. *Gloss.*

Qui dat, nullum jus acquirit, sed dat, ut jus acquisitum retineat, vel redimat; quod licitum est. *Glossa*, verbo, *Restituere. fin.*

Restituere tenetur quod accepit, cùm indebitè & injustè receperit. *Glossa.*

SECTIO VII.

Nihil exigi debere pro Benedictione nubentium, exequiis ac sepulturâ mortuorum; pias tamen ac laudabiles Consuetudines debere observari.

I. Super exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, ac similibus, pravas exactiones fieri prohibitum est. *De Simoniâ.* Cap. *Ad Apostolicam.* §. 1. Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 42.

II. Horribile nimis est, quod pro sepulturis & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, seu aliis Sacramentis, aliquid requiratur. *De Simoniâ.* Cap. *Cùm in Ecclesia.* §. 1. *init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 9.

III. Pro sepeliendis mortuis, seu benedicendis nubentibus, seu aliis Sacramentis, aliquid exigere districtiùs prohibitum est; si quis contrà hoc venire præsumpserit, portionem cum Giezi se noverit habiturum. *Ibid. De Simoniâ.* Cap. *Cùm in Ecclesia.* §. 2. Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 9.

IV. Pro sepulturâ nulla cujusquam pretii exactio attentetur; nec, sub obtentu cujusquam Consuetudinis, reatum suum quis tueatur. *De Simoniâ.* Cap. *Non satis.* §. 2. Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 8.

V. Capellanus, pro exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, minùs licitè pecuniam à Parochianis exigit, & extorquet. *De Simoniâ.* Cap. *Suam. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 29.

VI. Quod Clerici pro exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, & similibus pecuniam exigunt; & si fortè eorum cupiditati non fuerit satisfactum, impedimenta fictitia fraudulenter exponunt, id omninò fieri prohibitum est. *De Simoniâ.* Cap. *Ad Apostolicam.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 42.

VII. Quod Laïci laudabilem Consuetudinem erga Sanctam Ecclesiam, piâ devotione fidelium introductam, nituntur infringere, sub prætextu Canonicæ pietatis; pias Consuetudines præceptum est observari. *Ibid. De Simoniâ.* Cap. *Ad Apostolicam.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 42.

VIII. Statutum est, ut liberè conferantur Ecclesiastica Sacramenta, sed per Episcopum loci, veritate cognita, compescantur, qui malitiosè nituntur laudabilem Consuetudinem immutare. *Ibid De Simoniâ.* Cap. *Ad Apostolicam. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 42.

IX. Loci Diœcesanus inhibeat Clericis, ne quicquam omninò præsumant exigere pro terrâ, in quâ decedentes sepeliendi sunt. *De Sepulturis.* Cap. *Abolenda. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 18 Cap. 13. Hincmarus *ann.* 852. Cap. 12.13. Tom. VIII. Conc. *p.* 571.

X. Nullus pretium pro Baptismo, neque pro Pœnitentia danda, neque pro sepulturâ accipiat; nisi quod fideles spontè dare vel offerre voluerint. *Conc.* Bituric. *ann.* 1031. *Can* 12. Tom. IX. Conc. *p.* 867. *Conc.* London. *ann.* 1138. *Can.* 1. *&c.* Tom. X. Conc. *p.* 994. *Conc.* Lateran. II. *Gen. ann* 1139. *Can.* 24. Tom. X. Conc. *p.* 1008. *Conc.* Rhemens. *ann.* 1148. *Can.* 16. Tom. X. Conc. *p.* 1113.

Videtur ex hac Literâ quod Clerici, licèt nihil petere possint pro talibus Sacramentis, si Consuetudo laudabilis super his servari consuevit, quod per Superiorem cogi possunt, officio Judicis implorato, ad illam servandam, quæ ex pietate introducta est. *Glossa*, verbo, *Nituntur laudabilem.*

XI. Si Consuetudo est, quod aliquid detur in exequiis mortuorum, & consimilibus, licèt Sacerdoti non detur actio ad hoc petendum; tamen potest cogi populus ad observandam honestam Consuetudinem. *Glossa ad* Cap. *De Simoniâ.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. *Cap.* 29. verbo, *Pro exequiis.*

Ubicumque prædictæ Consuetudines scriptæ sunt, & taxatæ ab Episcopo, atque taxa homologata est à Judice Sæculari, actio datur coram isto, ad illarum solutionem: idem à fortiori de Juribus similibus ab Ordinationibus Regiis, Curato, aliisve attributis.

SECTIO VIII.

Multa esse, quæ licèt propriè simoniaca non sint, Ministris Ecclesiæ vetita sunt, propter aliquam Simoniæ speciem.

I. Cùm non solùm à malo, sed ab omni specie mali sit, secundùm Apostolum, abstinendum; exactiones hujusmodi sunt penitùs inhibitæ, ut Episcopi, decedentibus Ecclesiarum Rectoribus, ipsas interdicto subjiciant, nec patiantur alios in eisdem institui, donec ipsis certa summa pecuniæ persolvatur, vel ut difficultates ingerant & malitias, cùm miles, aut Clericus domum Religionis ingreditur, vel apud Religiosos eligit sepulturam, donec aliquid muneris manus contingat eorum. *De Simoniâ.* Cap. *Audivimus.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 41.

II. Nemo Presbyterorum, xenium, vel emolumentum quodlibet temporale, imò spirituale detrimentum, à quocumque publicè peccante accipiat, ut Episcopo vel Ministris ejus peccatum illius celet; nec pro respectu cujusque personæ consanguinitatis, aut familiaritatis, alienis communicans peccatis, hoc Episcopo innotescere detrectet. *De Simoniâ.* Cap. *Nemo, init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 14.

III. Districtiùs interdictum est Archidiaconis, ne pro corrigendis excessibus, & criminibus puniendis, à Clericis & Laicis pœnam pecuniariam exigant, & pro annuâ exactione pecuniæ personas quandoque suspendant, Ecclesias interdicant, à Vicariis denarios, ut eos in Ecclesiis cantare permittant, exigere non formident, & alia agant, quæ Canonum obviant institutis, & de radice cupiditatis & avaritiæ prodire videntur. *De Pœnis.* Cap. *Licèt.* §. 1. & 2. Lib. V. Decr. *Tit.* 37. Cap. 3.

IV. Indignum est, & à Romanæ Ecclesiæ Consuetudine alienum, ut pro Spiritualibus facere quis homagium compellatur. *De Regulis Juris.* Cap. *Indignum.* Lib. V. Decr. *Tit.* 41. Cap. 11. & ult.

Sacramentum fidelitatis pro aliquo Spirituali facere quis non debet, cùm illud sit Simoniacum. *Gl.* verbo, *Homagium.*

V. Pro Ministerio Ecclesiastico exercendo, sive pro Vicariis assignandis, seu pro Chrismate nullatenùs pecuniam exigatis. *De Simonia.* Cap. *Ad nostram.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 21.

VI. Ne, contrà Sanctorum Patrum Institutiones, sub annuo pretio Sacerdotes ad Ecclesiarum Regimen statuantur, modis omnibus prohibitum est; quia dum Sacerdotium sub hujusmodi mercede venale disponitur, ad æternæ retributionis præmium consideratio non habetur. *Ne Prælati vices suas &c.* Cap. *Quoniam.* LIB. V. DECR. *Tit.* 4. Cap. 1.

VII. Ne sub pretio statuantur, qui Decani (Decani seu Archiepiscopi rurales) vocantur, & pro certâ pecuniæ quantitate Episcopalem Jurisdictionem exerceant, statutum est. *Ne Prælati.* Cap. *Præterea. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 4. Cap. 1.

VIII. Statutum est, ut qui hoc præsumpserit, Officio privetur, & Episcopus conferendi hoc Officium potestatem amittat. *Ibid. fin.*

IX. Nullus Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui Sacram dispensat Communionem, à percipiente gratiam Communionis aliquod pretium exigat; Neque enim venditur gratia, neque pro pretio gratiam Spiritûs Sancti damus; sed dignis munere sine defraudatione participare concedimus: Si quis verò eorum, qui connumerantur in Clero, ab eo, qui Sacram Communionem dispensat, aliquod pretium exegerit, deponatur sicut imitator Simoniacæ fraudis. CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 100. *Appendice Conc.* LATERAN. III. Cap. 3. & 11. TOM. X. CONC. *p.* 361.

X. Extirpari debent, quæ de avaritiæ radice procedunt; & Canonum contraria sunt rationi vel sanctioni. *De Officio Vicarii.* Cap. *Ad audientiam. fin. in int.* LIB. I. DECR. *Tit.* 28. Cap. 1.

XI. Ne Decani vel Archipresbyteri ad agendas vices Episcoporum, seu Archidiaconorum, & terminandas causas Ecclesiasticas, sub annuo pretio statuantur, quod ad Sacerdotum gravamen & subversionem judiciorum non est dubium redundare, prohibitum est. *Ne Prælati vices &c.* Cap. *Quoniam. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 4. Cap. 2.

XII. Pro licentiâ docendi nullus pretium exigat, vel sub obtentu alicujus Consuetudinis ab eis, qui docent, (aliàs legitur ab eis, quos docent, quod alium sensum efficit) aliquid quærat. *De Magistris.* Cap. 1. §. 1. LIB. V. DECR. *Tit.* 5. Cap. 1.

XIII. Prohibitum est, ne pro licentiâ docendi exigatur aliquid, aut etiam promittatur. Si quid solutum fuerit vel promissum, remitti promissum, & restitui solutum debet; Scriptum est, *Gratis accepistis, gratis date.* Ibid. *De Magistris.* Cap. *Prohibeas.* LIB. V. DECR. *Tit.* 5. Cap. 2. *init.*

XIV. Digni sunt animadversione, qui, sine certo pretio, Ecclesiasticis viris docendi alios licentiam non impendunt; idque à cupiditatis radice procedit, & decorem admodùm Ecclesiasticæ honestatis confundit. *De Magistris.* Cap. *Quanto. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 5. Cap. 3. Quod si quis fecerit, removeatur à Clero. *Ibid.*

Epicopus, qui hoc sustinuerit, districtione Canonicâ percellatur. *Ibid. fin.*

XV. Ne Clericos oporteat ad turpia lucra manus extendere, vel ad iniqua munera oculos inclinare. *De Vitâ & Honestate Cler.* Cap. *Cùm ab omni. in int. med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 1. Cap. 10.

XVI. Cùm opera Clericorum lucere debeant Laïcis in exemplum, nec eos deceat, ad instar Sæcularium, ad turpe compendium juris occasionem arripere; præceptum est, quatenus ab exactionibus abstinentes, vigorem judiciarium gratis studeant litiganribus impertiri. *Ibid. fin.*

XVII. Ea, quæ de avaritiæ & cupiditatis radice procedunt, & in speciem Simoniacæ pravitatis erumpunt, penitùs extirpanda sunt. *De Censib.* Cap. *Ea quæ. in fin. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 39. Cap. 11.

XVIII. Cùm donum Dei sit scientia Literarum, liberum debet talentum cuique gratis, cui voluerit, erogari; non enim debet venale exponi, quod munere gratiæ Cœlestis acquiritur, &c. ALEXANDER. III. *Epistolâ* 44. *Append.* I. TOM. X. CONCIL. *pag.* 1278.

GONZALEZ *in* Cap. 4. *De Magistr.* ostendit Canones vetantes, ne scientia vendatur, non prohibere ne Academiæ aliquod à graduandis, neve Magistri quid exigant à Discipulis; quia quod pro similibus rebus exigitur, vel laboris Magistrorum merces est, vel emolumentorum hinc percipiendorum à Magistris vel à Discipulis emptio. Ab hujusmodi exactionibus pauperes Discipuli excipiendi viderentur.

SECTIO IX.

Simoniam committi dando aliquid vel accipiendo pro Beneficiis Ecclesiasticis, vel pro investiturâ aut missione in possessionem.

I. Quicumque Ecclesiasticarum rerum administrationem per pecuniam obtinere voluerint, tàm ementes quàm vendentes, cum SIMONE percelluntur. *De Simoniâ.* Cap. *Consulere. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 38. *Conc.* NANNET. *Can.* 16. TOM. IX. CONC. *pag.* 472. *Conc.* TOLOS. *ann.* 1119. *Can.* 1. 9. TOM. X. CONC. *pag.* 857. ALEXAND. III. *Epist.* 20. *Append.* 2. TOM. X. CONC. *pag.* 1300.

II. Si qui Præbendæ suæ cedunt, & juri renunciant, ut ex hoc certam summam pecuniæ consequantur; hoc est honestati contrarium, & Simoniacam procul dubio continet pravitatem. *De Rerum Permut.* Cap. *Quæsitum. in integrò.* LIB. III. DECR. *Tit.* 19. Cap. 5.

III. Ne Prioratus vel Capellania qualibet Monachorum, vel Clericorum, annuâ distractione vendatur; neque ab eo, cui Regimen ipsarum committitur, ex earum commissione ullum pretium exigatur, hoc Simoniacum esse Sanctorum Patrum authoritas manifestè declarat: Undè quisquis contrà hoc decretum attentare præsumpserit, tàm ille qui dederit, quàm ille qui receperit vel consenserit, partem cum SIMONE non dubitet se habiturum. *De Simonia.* Cap. *Non satis. in integr.* §. 1. *med.* LIB. V DECR. *Tit.* 3. Cap. 8. *Ex Append. Conc.* LATERAN. III. *De Simon.* Cap. 10. TOM. X. CONC. *p.* 1561.

IV. Horribile nimis est, quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibetur habere, ita ut pro Episcopis, vel Abbatibus, seu quibuscumque personis Ecclesiasticis ponendis in Sedem, seu introducendis Presbyteris in Ecclesiam, aliquid requiratur. Ne igitur, vel pro personis Ecclesiasticis deducendis in Sedem, vel Sacerdotibus instituendis aliquid exigatur, districtiùs prohibitum est. Si quis contrà hoc venire præsumpserit, portionem cum GIEZI se noverit incursurum. *De Simoniâ* Cap. *Cùm in Ecclesia.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 9.

V. Qui dat Spirituale Beneficium, si proventus ante donationem non perceperit ipse, non alius, & ex donatione consequatur ut ipse proventus percipiat; non est dubium intercedere Simoniacam pravitatem. *Ut Eccles. Benef.* Cap. un. §. 5. *init.* LIB. III. *Tit.* 12. Cap. unico.

VI. Ad Simoniacam pravitatem pertinet prava illa Consuetudo, per quam pro Ecclesiarum investiturâ Archidiaconi marcham argenti, minores verò Decani vaccam albam sibi dari postulant, vel certam solvi pecuniæ quantitatem. *De Simonia.* Cap. *In tantum.* §. *ult.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 36. Hujusmodi Consuetudines adhuc tolerantur, ac pro laudabilibus habentur.

VII. Propter Præbendas, vel Prioratum, seu Decanatum, aut honorem, vel promotionem aliquam Ecclesiasticam, nec pro pastu, nec sub obtentu alicujus Consuetudinis, antè vel post, à quoquam aliquid

aliquid exigatur, vel ipse dare præsumat, quoniam Simoniacum est; sed liberè, & absque diminutione aliquâ, collatâ sibi Dignitate atque Beneficio perfruatur. Caus. I. Quæst. III. *Cap.* 55. *Si quis. post med.*

Si exacta res transeat in lucrum exigentis, vel suorum; collatio non est, ut esse debet, gratuita.

Innocentius II. *in Synodo* Rom. *Cap.* 2. *an.* 1139. Conc. Tom. X *p.* 1002. *Cap.* 5. eadem pœnâ plectit Simoniacè Ordinatos, ac Simoniacè provisos, prout res patitur.

VIII. Qui sub munerum datione, vel acceptione, Dei Ecclesias, vel earum sibi Beneficia usurpant, scelus committunt; iste quippè donum Dei emere, hic autem præsumit vendere. A Sacrilegio quoque facinus non dispar dixerim, cùm id quod sponte & Sacro deliberationis arbitrio gratis fieri debuit, sub pecuniæ pactione causatur. Caus. I. Quæst. III. *Cap.* 1. *Audivimus.* Gregor. I. *fortè circ. ann.* 595.

IX. Si quis dator vel acceptor Dei Ecclesias, vel Ecclesiastica Beneficia (quæ quidam Præbendas vocant) sub pecuniæ interventu susceperit, sive dando emerit, sive accipiendo vendiderit, à Simonis non excluditur perditione. Caus. I. Quæst. III. *Cap.* 2. *Si quis dator.* Greg. I. *fortè circ. ann.* 595.

X. Quod Spiritum Sanctum, quantùm in se est, vendat, vel emat, qui Præpositùram, vel aliquod ejusmodi vendit, vel emit; audi Augustinum super Joannem; *Circuit aliquis emere columbam.* Nomine Columbæ Sancti Spiritus venditionem vel emptionem accipit, sicut & omnes hujus Evangelii tractatores. Caus. I. Quæst. III. *Cap.* 8. *Salvator. §.* 3. Urban. II. *ann.* 1089. *Tract.* 10. *in* 2. *Cap.* Joannis. *n.* 6.

XI. Cùm quis ad Ecclesiæ Regimen, de voluntate majoris partis, electus est, paucis contradicentibus; si amicus ejus cum conscientiâ illius, ei, qui magister discordiæ videtur, certæ quantitatis munus exsolvit, non est à labe Simoniæ prorsùs immunis. *De Simoniâ.* Cap. Matthæus. Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 23.

XII. Simonia est, quod quis Ecclesiam dederit pro quatuor modiis frumenti. *De Purgat. Can.* Cap. *Quoties. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 34. Cap. 5.

Unusquisque ad propositum suum laudat quod vendit.

Simoniaca pravitas est, si Ecclesiæ, vel Decimæ Monasteriis daræ, sæpiùs ab Episcopis sub palliatâ avaritiâ vendantur; mortuis nimirùm, seu mutatis Clericis, quos personas vocant; hoc ulterius fieri prohibitum est: sicut etiam Præbendas omnes vennndandas interdictum est, ut venalitas omnis tàm ex rebus, quàm ex Ministeriis Ecclesiasticis propellatur. Caus. I. Quæst. III. *Cap.* 4. *Quæsitum est.* Ex *Concil.* Urbani *Papæ* II. *habito* Arverniæ. *ann.* 1095, Habetur *in Conc.* Claromont. II. *Append. Cap.* 3. Conc. Tom. X. *p.* 589.

SECTIO X.

Simonia crimen non committi solùm cùm pecunia exigitur, vel accipitur pro Beneficiis Ecclesiasticis; sed cùm quodcumque munus pretii locum tenet; & tamen exiguum munus concessum non inducere Simoniam si fiat sine pacto.

I. Non solùm venditores sunt columbarum, & Domum Dei faciunt domum negotiationis, qui Sacros Ordines largiendo pretium pecuniæ, vel laudis, vel etiam honoris, inquirunt; verùm ii quoque, qui gradum vel gratiam in Ecclesiâ spiritualem, quam Domino largiente perceperunt, non simplici intentione, sed cujuslibet humanæ causâ retributionis exercent. Quicumque tales sunt, auferant ista de actibus suis, ne faciant domum Dei domum negotiationis. Caus. I. Quæst. III. *Cap.* 11. *Non solùm.* Beda *ad Cap.* 2. Joannis *circ. ann.* 720.

II. In Sacerdotibus fides est eligenda cum vitâ; si enim vita deest, fides meritum non habet, B. Jacobo attestante, qui air: *Fides sine operibus mortua est.* Quæ enim opera valeant esse Sacerdotis, qui honorem tanti Sacramenti convincitur obtinere per præmium. Caus. I. Quæst. I. *Cap.* 28. *Fertur. init.* Gregor. I. Lib. VII. *Epist.* 114. *ann.* 599.

III. Si dignus is Sacerdotio creditur, cui non actionis merita, sed præmiorum copia suffragatur, restat, ut nihil sibi in Ecclesiasticis honoribus gravitas, nihil defendat industria, sed totum auri profanus amor obtineat. *Ibid.* §. 2.

IV. Columbas vendere est, de Sancto Spiritu (quem sibi consubstantialem Deus Omnipotens per impositionem manuum hominibus tribuit) commodum temporale percipere. Caus. I. Quæst. I. *Cap.* 117. *Quibusdam.* Gregor. I. Lib. IV. *Epist.* 56. *ann.* 595.

V. De Ordinatione Clericorum Episcopi munera nulla accipiant; sed, sicut scriptum est, quod gratis donante Deo acciplunt, gratis dent. Non aliquo pretio gratia Dei, & impositio manuum venundetur. Caus. I. Quæst. I. *Cap.* 12. *Placuit.* Ex *Concil.* Bracar. II. *Cap.* 3. *ann.* 572.

VI. In hoc, quod Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus, pro electione alicujus accedit, & frater electi ejus præsciens necessitatem, ei equum unum transmisit; timere non oportet, ne Simoniaca sit electio. *De Simoniâ.* Cap. *Etsi Quæstiones.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. *Cap.* 18. Alexander III. *circ. ann.* 1180.

VII. In accipiendis, vel dandis muneribus, tria sunt maximè attendenda, personæ scilicet dantis & accipientis qualitas, quantitas muneris, & donationis tempus. Qualitas personarum, ut à quo, & cui, videlicet an à paupere diviti, vel è converso, sive à divite locupleti datum fuerit. Æstimatio muneris, & donationis tempus; si magni vel minoris pretii res data exsitat, & an, instante necessitate, seu alio tempore, conferatur. *Ibid.*

VIII. Nullus emat Ecclesiam, vel Præbendam, vel aliquid Ecclesiasticum, nec pastellum, nec pastum antea, vel postea pro hujusmodi solvat. Caus. I. Quæst. III. *Cap.* 7. *Si quis. fin.* Paschalis. *circ. anno* 820.

IX. Si, personarum qualitate pensatâ, non sit magnum aliquid dari, & si temporis necessitate perpensâ, non aliâ intentione constar aliquid datum fuisse quàm ut subveniatur in articulo necessitatis; super hoc in Conscientia nullus unquàm debet scrupulus dubitationis emergere. *Ibid. in integr.*

X. Nusquam legimus Domini Discipulos, vel eorum ministerio conversos, quempiam ad Dei Cultum aliquo muneris interventu provocasse; nisi fortè de pauperum alimento quis inconcinnè propnnat, quorum nulli, cujuscumque professionis esset, victualia negabantur. Caus. I. Quæst. II. *Cap.* 2. *Quàm pio. post init.* Bonifacius, *fortè circ. ann.* 419.

XI. In conscientiâ nullus unqnam debet scrupulus dubitationis emergere, cùm res data modici pretii, quantùm ad personam dantis vel accipientis, extiterit, nec alteruter aliquid in mente habuerit, quod possit vel debeat quantamlibet vel etiam in modico læsionem afferre; etsi antè electionis examinationem, in necessitate aliquid collatum fuerit, nec etiam tes tanti pretii reputetur, quæ accipientis animum multùm movere debeat, aut ab honestatis proposito ad aliud declinare. *De Simoniâ.* Cap. *Etsi Quæstiones. in integrâ.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 18.

Quod autem scriptum est: *Beatus qui excutit manus suas ab omni munere*, de illis donis dictum est,

est, quæ accipientis animum allicere vel pervertere solent; quoniam si ipsa etiam persona electi offerat Ordinatori vel Consecratori suo electuarium, aut de vino, sive de aliis hujusmodi, quæ modici (a) pretii fuerint, & quæ voluntatem recipientis inclinare & movere non debeant; non tamen Ecclesia Romana interpretari consuevit, accipientem in his delinquere, vel donantem. *Ibid. De Simoniâ*. Cap. *Etsi Quæstiones*. §. *ult.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 18.

(a) In his interpretatur Ecclesia Simoniam non committi; quia non est verisimile, quod, propter hujusmodi modica, aliquis moveretur ad aliquod iniquum faciendum. *Glossa*, verbo, *Modici pretii*.

SECTIO XI.

Quamcumque pactionem, seu promissionem rei temporalis, vel spiritualis, etiam inducere Simoniam in Beneficiis Ecclesiasticis, ac esse planè irritas.

I. Cùm quis promisit alicui dare Ecclesiam, si quoddam negotium ejusdem possit promovere, intelligitur per hoc promissionem ipsam continere Simoniacam pravitatem. *De Simonia*. Cap. *Cùm essent*. §. 1. LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 12. ALEX. II. *Epist.* 35. TOM. IX. CONC. *p.* 1138.

II. Sola promissio super re Spirituali Simoniam inducit. *Glossa*. *Appendice Conc.* LATER. III. *De Simoniâ*. Cap. 14. TOM. X. CONC. *p.* 1564.

Si quis te induxit, ut ei homagium faceres, & fidelitatem præstares, ita quòd ipse tibi Beneficium Ecclesiasticum annis singulis exhiberet; hujusmodi obligatio illicita, & contrà tuæ salutis, necnon & suæ profectum existit, cùm hæc taliter præstita Divinis & Humanis Legibus contraria noscantur. *De Simoniâ*. Cap. *Ex diligenti*. LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 17.

III. In Beneficiis omnis pactio aut conventio cessare debet, juxtà Canonicas Sanctiones. *De Simoniâ*, Cap. *Tua nos*. §. 1. *fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 34.

IV. Ne ad Episcopatum promovendus cui se aliquid dare vel daturum esse promittat; neque de Ecclesiasticis præteritis causis aliquam securitatem cuiquam audeat facere, sive promittere, aut quasi factus Episcopus ea, quæ direpta sunt, non repetat, sed apud eos, à quibus direpta sunt, permanere liberè patiatur; sciens quod si tale aliquid fecit, vel fecerit, nec omninò permittitur valere ipsa promissio, & Pastoralis consecrationis ordinem promereri non poterit. CAUS. VIII. QUÆST. III. Cap. 1. *Talia*. §. 1. *med.* PELAGIUS *Papa ann.* 580.

V. Si verò purè ac sine pacto vel conditione quælibet offerat, rogans humiliter, ut in Canonicum admittatur, & bona sua retinere sibi liceat pro Præbendâ, & Clerici ejusdem Ecclesiæ purè consentiant; hujusmodi receptio fieri poterit absque scrupulo Simoniacæ pravitatis. *De Simonia*. Cap. *Tua nos*. §. 2. LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap 34.

VI. Licèt autem taliter videatur, quia datum est de manifestis tantummodò judicare; si tamen is, qui talem donationem facit, eâ intentione ducatur, ut per temporalia bona quæ offert, spiritualia valeat adipisci, & Clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri: sine dubio tàm ille, quàm isti apud districtum Judicem (qui Scrutator est cordium, & Cognitor secretorum) culpabiles judicantur. *Ibid. De Simoniâ*. Cap. *Tua nos*. §. *ult.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 34. *Conc.* MELD. *ann.* 845. Cap. 43 TOM. VII. CONC. *p.* 1813.

VII. Juramentum illis, qui adversati fuerant suæ electioni, præstitum ut eligeretur, ex pacto illicitum est & Simoniacum. *De Elect.* Cap *Per inquisitionem*. LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 26.

VIII. Dissimulari non debet id, ex quo, an verum sit, quod super institutione Beneficiorum Prælatus dicitur promisisse, conjici valet. *De Institut.* Cap. *Ad decorem*. §. 2. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 7. Cap. 5. Vide CAUS I. QUÆST. VI. Cap. 2. *& sequentib.*

IX. Si Clerici, decedentibus Ecclesiarum personis, paciscantur ex ipsis Ecclesiis majores solito solvere pensiones, ut faciliùs possint easdem Ecclesias adipisci; tàm detestabile vitium est extirpandum. *De Pactis*. Cap. *Cùm Clerici*. LIB. I. DECR. *Tit.* 35. Cap. 6.

X. Res Sacræ, ut possideantur aliquo dato, vel retento, sive promisso, speciem credimus habere Simoniæ. *De Transactionib.* Cap. *Super eo. med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 36. Cap. 7.

XI. Pactiones pro spiritualibus obtinendis, cùm in hujusmodi omnis pactio omnisque conventio debeat omninò cessare, nullius penitùs sunt momenti. *De Pactis*. Cap. *Pactiones*. *init.* LIB. I. DECR. *Tit* 35. Cap. 8.

XII. Qui, pro præstando alterius electioni consensu, pecuniæ obligationem recepit, mediator extitit Simoniacæ pravitatis. *De Confessis*. Cap. *Cùm super*. §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 18. Cap. 2.

XIII. Sic sola talis obligatio Simoniam inducit, licèt non receperit id, quod venit in obligatione, quia in talibus nulla pactio vel conventio debet intervenire. *Glossa*, *fin.*

XIV. In Ecclesia Canonicum non habuit ingressum qui promisit unicuique Parochianorum quædam jura remittere (idem est remittere & dare, quia utrumque Simoniam inducit. *Glossa*) quæ Sacerdoti ibi pro tempore servienti consueverant pro Beneficio dari. *De Testib.* Cap. *Veniens*. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 10.

Ne, sub annuo pretio, Sacerdotes ad Ecclesiarum Regimen statuantur, modis omnibus prohibitum est; quia dum Sacerdotium sub hujusmodi mercede venale disponitur, ad æternæ retributionis præmium consideratio non habetur. *Appendice Conc.* LATERAN. III. Cap. 2. *De Simoniâ*. TOM. X. CONC. *p.* 151.

SECTIO XII.

Non valere excusationem in Beneficiis, aut aliis rebus spiritualibus, quòd pactio non fiat pro re Spirituali, sed tantùm pro re temporali ei annexâ.

I. Pactio præmissa circà spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet Simoniæ. *De Rerum permut.* Cap. *Quæsitum*. §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 19. Cap. 5. URBANUS II. *Epistola* 17. TOM. X. CONC. *p.* 439.

II. Si quis objecerit, non Consecrationes emi, sed res ipsas, quæ ex Consecratione proveniunt, penitùs desipere probatur; nam cùm corporalis Ecclesia, aut Episcopus, aut Abbas, aut tale aliquid sine rebus corporalibus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore corporaliter vivit; quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit. CAUS. I QUÆST. III. Cap. 7. *Si quis*. PASCHALIS *anno circ.* 820.

III. Donum Dei est Spiritus Sanctus, & donum Dei est res ipsi Ecclesiæ oblata, &, si benè animadvertis, SIMON Magus, qui ad fidem fictè accessit, non Spiritum Sanctum, propter Spiritum Sanctum, quo ipse erat indignus, sed ideò, quantùm in ipso erat, emere voluit, ut ex venditione signorum, quæ per eumdem fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur. Nec Apostolus emptionem Spiritûs Sancti (quam benè fieri non posse noverat) sed ambitionem quæstûs talis, & avaritiam, quæ est idolorum servitus, in eodem SIMONE exhorruit, & maledictionis jaculo perfodit. CAUS. I. QUÆST. III. Cap. 8. *Salvator*. §. 1. *post init.* URBANUS II. *circ. anno* 1089.

IV. Beatus PASCHALIS de Consecratione affirmat, quod quisquis eorum alterum vendiderit,

sine

fine quo alterum non provenit, neutrum invenditum derelinquit; ac per hoc, eum, qui rem Ecclesiæ vendit vel emit, Simoniacum esse intelligitur. *Ibid.* Cap. 8. *Salvator.* §. 2. *med.*

V. Sicut per Columbarum venditores illi denotantur, qui Sacram manûs impositionem vendere conantur; sic per nummularios Ecclesiastici Beneficii venditores designantur, qui domum Dei, teste Evangelio, speluncam latronum efficiunt. Caus. I. Quæst. III. Cap. 9. *Ex multis.* §. 1. *med.* Alexand. II. *circà ann.* 1068.

VI. Non solùm, qui Spiritualia, sed etiam qui Temporalia eis annexa pretio accipiunt, vel tribuunt, Simoniaci judicantur; undè Malachias loquens ex personâ Domini: *Quis est*, inquit, *in vobis, qui claudat ostia. & incendat Altare meum gratuitò? Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestrâ.* Ostia claudere non est Sacri muneris officium, sed tantùm sibi adjunctum. Caus. I. Quæst. III. *init.* §. 1.

VII. Gratianus. Ut de Simoniâ debeat quis se purgare, jurare debet quòd, pro Ecclesiâ dandâ, nec ipse per se, nec per submissam personam, nec aliquis pro eo, se sciente, pretium recipit. *De Purgat. Canon.* Cap. *Quoties.* §. 2. Lib. V. Decr. *Tit.* 34. Cap. 5. *Conc.* Moguntiac. *ann.* 888. Cap. 5. Tom. IX. Conc. *pag.* 406. *Concil.* London. II. *anni* 1127. *Can.* 1. *&c.* Tom. X. Conc. *p.* 920.

SECTIO XIII.

Vetitam esse venalitatem omnem in Beneficiis Ecclesiasticis, ac quibuscumque rebus Spiritualibus, tàm directè per se, quàm indirectè per alios, aliis ignorantibus.

I. Constitutum est, ut nullus Episcoporum, Beneficium Ecclesiæ (quod quidam Canonicam, vel Præbendas, seu etiam, Ordines vocant) pro aliquo pretio, vel munere, Clericis audeat unquam conferre; sed omnes Ministros, & Servitores Ecclesiæ gratis, & absque ullâ venalitate, in Sanctâ Ecclesiâ studeant ordinare. Caus. I. Quæst. III. Cap. 9. *Ex multis.* §. 3. Alexand. II. *circ. ann.* 1068.

II. Cavendum est, & summoperè studendum, ac per virtutem sanguinis Christi &c. Nemo per Simoniacam hæresim, Regiminis locum obtineat, quacumque factione, calliditate, aut datione, per se, aut per submissam personam. Caus. I. Quæst. VII. Cap. 3. *Cavendum. fin. Ex Concilio* Matisconensi. Cap. 48. *anno* 845.

III. Non eligant in domo Domini, qui majores sacculos pecuniæ conferant; sed eos, qui moribus & disciplinâ, atque scientiâ divites, pro officio suo ipsam valeant sustentare Ecclesiam. Caus. I. Quæst. III. Cap. 9. *Ex multis.* §. 3. Alexand. II. *circà ann.* 1068.

IV. Constitutum est, ut nullus, cujuscumque gradûs, Clericus pro Ecclesiæ Beneficio aliquid audeat conferre, aut Fabricæ Ecclesiarum, vel Donatariis Ecclesiarum, seu etiam, quod pauperibus sit tribuendum; quia (teste Scripturâ) qui aliquid malè accipit, ut quasi benè dispenset, potiùs gravatur, quàm juvatur. *Ibid.*

V. Multipliciter multisque modis ex Evangelio & Apostolorum Patrumque Præceptis docemur, in sanctificatione Sacerdotii mores ab avaritiâ longè alienos præstare; neque in ullius Sacerdotalis viri ordinatione aurum, argentumve accipere, aut aliud quidquam nobis vendicare. Caus. I. Quæst. I. Cap. 21. *Multipliciter. Conc.* Turon. *anni* 1060. *Can.* 3. Tom. IX. Conc. *p.* 1109. *Can.* 4. *fin. Ex Epistolâ* Tharasii Constantinopol. *ad* Adrianum *circà ann.* 787.

VI. Cùm omnis avaritia idolorum sit servitus; quisquis hanc, & maximè in dandis Ecclesiasticis honoribus, vigilanter non præcavet, infidelitatis perditioni subjicitur, etiamsi tenere fidem, quam negligit, videatur. Caus. I. Quæst. I. Cap. 20. *Cùm omnis.* Greg. I. Lib. IX *Epist.* 53. *ann.* 601.

VII. In Sacerdotibus ordinandis sinceritas vigeat, sit simplex sine venalitate consensus; pura proferatur electio, ut ad summa Sacerdotii, non suffragio venditionum provectus, sed Dei credatur esse judicio. Caus. I. Quæst. VI. Cap. 3. *Sicut is. fin.* Greg. I. Lib. VII. *Epist.* 110. *ann.* 599.

VIII. Permutatio de Spiritualibus ad Temporalia improbatur. *De Rerum permut.* Cap. *Exhibita. fin.* §. *Quocircà.* Lib. III. Decr. *Tit.* 19. Cap. 9.

IX. Placuit, ut de ordinatione Clericorum Episcopi munera nulla accipiant, sed, sicut scriptum est, quod gratis donante Deo acceperunt, gratis dent: Non aliquo pretio gratia Dei, & impositio manuum venundetur. Caus. I. Quæst. I. Cap. 21. *Placuit. init. Ex Concilio* Bracarensi II. Cap. 3. *ann.* 572.

X. Quicquid invisibilis gratiæ consolatione tribuitur, numquam quæstibus, vel quibuslibet præmiis venumdari penitùs debet, dicente Domino: *Quod gratis accepistis gratis date.* Caus. I. Quæst. I. Cap. 101. *Quidquid. Ex Concilio* Tolet. XI. Cap. 8. *ann.* 675. Vide Caus. I. Quæst. III. Cap. 10. *Vendentes.*

XI. Ordinari quemquam per pecuniam in Ecclesiâ Dei, vel promoveri, modis omnibus prohibitum est. Caus. I. Quæst. I. Cap. 10. *Sanctorum. init.* Calixtus II. *ann.* 1123.

XII. De ordinationibus aliquid accipere sub districtâ interdictione vetitum est. Caus. I. Quæst. I. Cap. 116. *De Ordinationibus.* Greg. I. Lib. IV. *Epist.* 55. *anno* 595.

XIII. Antè omnia cautos vos esse oporter, ut nulla proveniat in Ordinatione venalitas. Caus. I. Quæst. I. Cap. 119. *Estote. med.* Greg. I. Lib. II. *Epist.* 48. *anno* 595.

XIV. Illos, qui dederunt pecuniam, vel etiam receperunt pro confirmandâ electione, eo inconsulto & ignorante qui eam requirit, in tantùm constat esse culpabiles; quòd si excessus eorum esset Ecclesiæ manifestus, pœnâ essent Canonicâ feriendi. *De Simon.* Cap. *Sicut tuis.* §. *ult.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 33.

SECTIO XIV.

Quæ pœna in Simoniacos sint decreta? Beneficia per Simoniam obtenta dimitti, ac omnia restitui debere, & Suspensionem ac Excommunicationem incurri.

I. A Sanctis Patribus de Simoniacis statutum est, & judicio Sancti Spiritûs firmatum, quicquid vel in Sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus, vel datâ, vel promissâ pecuniâ acquisitum est, irritum esse, & nullas unquam vires habere. Caus. I. Quæst. III. Cap. 5. *Ea quæ.*

II. Eos, qui commiserunt Simoniam, tàm realem, quàm conventionalem, spoliandos Beneficiis. *Vide* Gonzal. *De Simoniâ.* Cap. 12. *pag.* 82. *Ex Concilio* Placentino. Cap. 1. & 5. *anno* 1095. Vide *Conc.* Bracar. IV. *ann.* 675. Cap. 8. Tom. VI. Conc. *p.* 566.

III. Si quis Divinorum Præceptorum, & animarum salutis immemor, Beneficium Ecclesiæ, iniquâ cupiditate ductus, vendere, vel emere temerario ausu præsumpserit, sicut in Calcedon. *Concilio* definitum est, gradûs sui periculo eum subjacere decretum est; nec ministrare possit Ecclesiæ, quam pecuniâ venalem fieri concupivit; & insuper terribili anathematis mucrone perfossus (nisi resipuerit) ab Ecclesiâ Dei, quam læsit, modis omnibus abscindatur. Caus. I. Quæst. III. Cap. 9. *Ex multis. fin.* Alex. II. *circ. ann.* 1068.

IV. Vitium Simoniæ persequi vult Sedes Apostolica, ut debet. *De Confessis.* Cap. *Cùm super.* §. 2. Lib. II. Decr. *Tit.* 18. Cap. 2. *Conc.* Rhemens. I. *ann.* 813. *Can.* 21. Tom. VII. Conc. *p.* 1257.

V. Si quis Præbendas, vel Prioratum, seu Decanatum,

natum, aut Honorem, vel Promotionem aliquam Ecclesiasticam, seu quodlibet Sacramentum Ecclesiasticum, utpotè Chrisma, vel Oleum Sanctum, & Consecrationes Altarium, vel Ecclesiarum, interveniente execrabili ardore avaritiæ, per pecuniam comparaverit, honore malè acquisito careat, & emptor, atque venditor, & interventor notâ infamiæ percellantur. CAUS. I. QUÆST. III. *Cap.* 15. *Si quis. fin.* Ex *Conc.* LATERAN. II. *an.* 1139. *Can.* 2. TOM. X. CONC. *p.* 1002. INNOC. II. *in Synod.* ROM. *Cap.* 2. *an.* 1139. *Conc.* MOGUNT. I. *ann.* 857. *Cap.* 12. TOM. VIII. CONCIL. *pag.* 45.

VI. Pensandum est, quâ pœnâ mulctentur, qui jam Deo & Ecclesiæ suæ oblata vendunt vel emunt, si cùm flagellis à Dei Templo ejecti sunt, qui, quæ erant Deo offerenda, vendebant, vel emebant. Si de offerendorum venditoribus vel emptoribus dictum est: *Vos fecistis domum Patris mei, domum negotiationis, & speluncam latronum:* Quid dicetur de Ecclesiæ jam oblatorum venditoribus vel emptoribus? CAUS. I. QUÆST. III. *Cap.* 8. *Salvator.* §. 4. URBANUS II. *circ. ann.* 1089.

VII. Quicumque studet pretii datione Sacrum Ordinem mercari, dum non Officium, sed nomen attendit, Sacerdos non esse, sed dici tantummodò inaniter concupiscit. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 2. *Quicumque.* GREG. I. LIB. VII. *Epistol.* 110. *anno* 599.

VIII. Presbyter, si per pecuniam Ecclesiam obtinuerit, non solùm Ecclesiâ privetur, sed etiam Sacerdotii honore spolietur. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 3. *Presbyter. fortè* GREG. VII. *ann.* 1078.

IX. Decretum est omninò, ut, quicumque, propter accipiendam Sacerdotii Dignitatem, quodlibet præmium fuerit detectus obtulisse, ex eodem tempore se noverit anathematis opprobrio condemnatum, atque à participatione CHRISTI Corporis & sanguinis alienum, ex quo illum constat execrabile CHRISTO perpetrasse flagitium. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 7. *Reperiuntur. med.* Ex *Concil.* TOLET. VIII. *Cap.* 3. *ann.* 652. Vide DIST. L. *Cap.* 22.

X. Cùm fueris ad Ecclesiæ alicujus Regimen de voluntate majoris partis Fratrum electus, paucis tibi contradicentibus, si amicus tuus de conscientia tuâ & voluntate turbata, ei, qui magister discordiæ videtur, certæ quantitatis munus exsolvat, & sic contradictio conquiescat; multùm tibi consulis si administrationem celeriter ac spontè dimittas, illius Verbi Evangelici memor existens: *Nihil prodest homini, si Universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.* *De Simoniâ.* Cap. MATTHÆUS. LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 23.

XI. Si qui Episcopi præsumpserint, prætextu alicujus Consuetudinis vel Prælationis, nummos pro Chrismate ab Ecclesiis extorquere, periculum Ordinis & Dignitatis poterunt non immeritò formidare. *De Sim.* Cap. *Ea quæ. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 16.

XII. Si quis Episcopus per pecuniam Ordinationem fecerit, & sub pretio redegerit gratiam, quæ vendi non potest, ordinaveritque per pecuniam Episcopum, aut Diaconum, Presbyterum, vel quemlibet de his qui connumerantur in Clero, pro suo turpissimi lucri commodo, is, qui hoc attentasse probatus fuerit, proprii gradûs periculo subjacebit, & qui ordinatus est, nihil ex hac Ordinatione vel Promotione, quæ est per negotiationem facta, proficiat; sed sit alienus à Dignitate, quam pecuniis acquisivit. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 8. *Si quis Episcopus.* Ex *Conc.* CALCHEDONENSI, *Cap.* 2. *anno* 451.

XIII. Clerici, qui paciscuntur ex Ecclesiis majores solito solvere pensiones, taliter adeptis Ecclesiis spoliari debent. *De Pactis.* Cap. *Cùm Clerici.* LIB. I. DECR. *Tit.* 35. Cap. 6.

XIV. Si quis mediator tàm turpibus & nefandis datis, vel acceptis extiterit; & ipse, siquidem Clericus fuerit, proprio gradu decidat; si verò Laïcus, anathematizetur. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 8. *Si quis Episcopus. fin.*

XV. Si qui Clerici inventi fuerint Ecclesias constituere censuales, ut ad nepotes ipsorum possint transferri, à præscriptis Ecclesiis sine dilatione debent removeri. *De Censib.* Cap. *Cùm Clerici.* LIB. III. DECR. *Tit.* 39. Cap. 11. *De Pactis.* Cap. 6. Ex *Novellâ* 115. Cap. 4. *ann.* 546.

XVI. Qui per pecunias quemquam consecraverit, vel ab alio consecratus est, alienus à Sacerdotio fiat. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 9. *Qui per pecunias.*

XVII. Si quis in Ecclesia Ordinationem vel promotionem per pecuniam acquisierit, acquisitâ prorsùs careat Dignitate. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 10. *Sanctorum. fin.* CALIXTUS II. *ann.* 1123.

XVIII. Justè uterque corripiendus est, & à Sanctæ liminibus Ecclesiæ submovendus, & qui pro Ecclesiæ ambitu munera largitur, & qui, ut Ecclesiam adeat, quidquam præsumit accipere: Iste quippe donum Dei emere, hic autem præsumit vendere. CAUS. I. QUÆST. III. *Cap.* 1. *Audivimus. med.* GREG. I. *fortè circ. ann.* 595.

Omnis Episcopus, vel Presbyter &c. CAUS. I. QUÆST. VII. *Cap.* 2. §. 1.

XIX. Qui, sub Religionis obtentu, Deo famulari voluerit, si quid accipit, & meritum perdit, & Beneficio accepto frustratur; Rationis ergò vigore cogitur, quod injustè receperit, restituere, & quicquid turpis lucri gratiâ receperat, non tenere. CAUS. I. QUÆST. III. *Cap.* 2. *Si quis datur. fin.* GREG. I. *fortè circ. ann.* 595.

XX. Si quis Episcopus Præbendas, Archidiaconatus, Præposituras, vel aliqua Ecclesiastica Officia vendiderit, vel aliter, quàm Statuta Sanctorum Patrum præcipiunt, ordinaverit, ab Ecclesiæ Officio suspendatur; dignum est enim, ut sicut gratis Episcopatum acceperit, ita membra ejusdem Episcopatûs gratis distribuat. CAUS. I. QUÆST. III. *Cap.* 3. *Si quis Episcopus.* GREG. VII. *ann.* 1078.

XXI. Qui per Simoniam ordinatus est, sive Episcopus, sive Presbyter, sive Diaconus, alienus sit à Sacerdotio; neque enim venalis est grátia Spiritûs Sancti, & adinventio SIMONIS à Sancto Sacerdotio est aliena. CAUS. I. QUÆST. VII. *Cap. Si quis omnem.* §. 2. *fin.* Ex 7. *Synoda. ann.* 787.

XXII. Quicumque per pecuniam, Dispensationem vel Curam sortiti sunt Monasteriorum vel Ecclesiarum, vel Religiosarum Domorum, Xenodochiorum, cum depositione expellantur à Dispensatione illâ & Curâ. *Ibid.* §. 5. *fin.*

XXIII. Quicumque per pecuniam vel ordinaverit aliquem, vel ordinatus est, ab omni Sacerdotio alienus sit. *Ibid.* CAUS. I. QUÆST. VII. *Cap.* 2. *Si quis omnem.* §. 4. *fin.*

XXIV. Qui per seipsos, cùm jam majoris essent ætatis, nefandâ ducti cupiditate Ecclesias emerant; si in aliis Ecclesiis Canonicè vivere voluerint, servatis propriis Ordinibus, pro magnâ misericordiâ ibi eos ministrare permittitur. CAUS. I. QUÆST. V. *Cap.* 1. *Quicumque.* Ex *Conc.* PLACENTINO. *Cap.* 5. *an.* 1095. *vel Concil.* CLAROMONTANO, *ut apud* GONZALEM *ad* Cap. 25. *De Simoniâ.*

XXV. Quod si ad alias Ecclesias fortassis transferri non potuerint, & in eis Canonicè vivere promiserint, Minoribus Ordinibus contenti ad Sacros Ordines non accedant, salvâ tamen in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate. *Ibid.*

XXVI. Si qui antè emptionem Catholicè ordinati sunt, cùm ea, quæ emerunt, dimiserint, & vitam Canonicam egerint, in suis gradibus remanere permittantur; nisi fortè ejusmodi Ecclesia sit, ut ibi primum locum debeant obtinere: Primum enim, vel singularem Præpositurae locum in emptis Ecclesiis eos habere non patimur. *Ibid. fin.*

XXVII.

XXVII. Si qua quidam receperint à Clerico, ut ejus electioni præstarent assensum, Ecclesiæ sine diminutione restituant, cùm ipsa ea, sine gravi salutis suæ periculo, retinere non possint. *De Simania.* Cap. *De hoc.* §. 1. *fin.* Lia. V. Decret. *Tit.* 38. Cap. 11.

XXVIII. Est crimen quod Ordinia executionem suscepti, aut retentionem Beneficii, etiam post peractam pœnitentiam, impedit; cùm quis adeptua est Ordinem aut Beneficium vitio Simoniæ. *De Accusationibus.* Cap. *Inquisitionib.* §. 1. Lib. V. Decr. *Tit.* 1. Cap. 21.

XXIX. Nullus Episcopus interdictum Sacerdotale Officium, pretio interveniente, restituat; quod si fecerit, Officii sui periculum subeat. Caus. I. Quæst. I. Cap. 124. *Nullus Episcopus. fin.* Greg. VII. *in Concilio habita ann.* 1078. Cap. 10.

XXX Erga Simoniacos nullam misericordiam in Dignitate servanda habendam esse decernimus, sed, juxtà Canonum Sanctiones, & Decreta Sanctorum Patrum, eos omninò damnamus, ac deponendos esse Apostolicâ autoritate sancimus. Caus. I. Quæst. I. Cap. 110. *Erga.* Nicolaua II. *seu Junior, ann.* 1059. & Alex. II. *ann.* 1063.

XXXI. Contractus continens Simoniacam pravitatem nullam obtinet firmitatem. *De Relig. Domib.* Cap. *Constitutus.* §. 1. Lib. III. Decret. *Tit.* 36. Cap. 6.

XXXII. Per electiones, postulâtiones, confirmationes, provisionea, seu quasvis alias dispositiones, quas Simoniacas contigerit labefieri, & quæ viribus omninò careant, in Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Personatibus, Officiis Ecclesiasticis, & quibusvis Beneficiis, aut aliquo eorum cuiquam jus nullatenus acquiratur, nec indè faciat aliquis fructua suos; sed ad illorum omnium quæ percepit restitutionem sub animæ suæ periculo sit adstrictus. Extravaganti II. *Cùm detestabile. inter Communes.* §. 1. Lib. V. Extrav. Commun. *Tit* 1. Cap. 2. Paulus II. *ann.* 1464. Eugenius IV. planè idem habet *ann.* 1434. *in Bullaria* Tom. I. *Bullâ VII. p.* 343.

XXXIII. Statutum est, quòd universi & singuli, cujuscumque status, gradûs, ordinis, conditionis vel præeminentiæ fuerint, etiamsi Cardinalatûs, Patriarchali, Episcopali, Regali, Reginali, vel aliâ quavis Ecclesiasticâ, seu mundanâ Dignitatibus præfulgeant, qui quomodolibet dando, vel recipiendo, Simoniam commiserint, aut quòd illa fiat mediatores extiterint, seu procuraverint, Sententiam Excommunicationia incurrant; à quâ, nisi à Romano Pontifice pro tempore existente, non possint absolvi, præterquàm in mortis articulo constituti. *Ibid.* §. 2.

XXXIV. Prioratus seu Obedientiæ, pretii donatione nulli tradantur; alioquin dantes & accipientes à Ministerio fiant Ecclesiastico alieni. *De Statu Monachorum.* Cap. *Monachi, med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 35. Cap. 2.

XXXV. Cùm plures pœnarum gravitas quàm Dei timor arcere solent à voluntate peccandi; ut hoc pestiferum Simoniæ vitium, non ex usu solùm, sed etiam ex mentibus hominum, saltem propter pœnarum metum, penitùs evellatur, Paulus II. Prædecessorum suorum Romanorum Pontificum vestigiis inhærens, etiam omnes & singulas Excommunicationis, Suspensionis, privationis, & Interdicti Sententias, censuras, & pœnas dudum à Romanis Pontificibus prædictis, contra Simoniacos quomodolibet latas, & illos, qui cujuscumque statûs, gradûs, Ordinis, conditionis, vel præeminentiæ fuerint, etiamsi Cardinalatus, Patriarchali, Episcopali, Regali, Reginali, vel aliâ quavis Ecclesiasticâ seu mundanâ Dignitatibus præfulgeant, & eorum quemlibet, tàm manifestum quàm occultum, quas ipso facto eoa incurrere vult, confirmat, & innovat. Extravag. II. *Cùm detestabile. init.* Lib. V. Extravag. Commun. *Tit.* 1. Cap. 2.

XXXVI. Quicumque Presbyter per pretium Ecclesiam fuerit adeptus, omni modo deponatur; quòd contrà Ecclesiasticæ Regulæ disciplinam agere dignoscitur. *De Simon.* Cap. *Quicumque. in int.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 2.

XXXVII. Ut Simoniacæ pravitatis labes protaùs aboleatur, Pius V. Constitutiones Antecessorum suorum contrà Simoniacos editas, & præsertim Pauli II. inviolabiliter observari mandat. *Bullâ V.* Pii V. *Cùm primùm.* §. 8. *ann.* 1566.

Qui Dignitates Ecclesiasticas Simoniacè acquisiverit, illis sit ipso jure privatus, & in futurum inhabilis ad eas & quascumque alias obtinendas. *Ibid.*

XXXVIII. Qui alium in Ecclesiâ ordinarum per pecuniam expulerit, eamque sibi taliter vendicaverit, omnimodò deponatur. *De Simon.* Cap. *Qui alium.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 2.

XXXIX. Promotionem alicujus in eadem Ecclesiâ, si fortè Simoniacæ pravitatis aliquod intercessisse constiterit, debet impedire. *De Elect.* Cap. *Super eo. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 12.

XL. Pro Chrismate, sub prætextu alicujua Consuetudinis vel Prælationis, denarios nullatenùs exigatis, pro certo scituri, quod si hoc ausu temerario præsumpseritis, periculum Ordinis & Dignitatis vestræ poteritis non immeritò formidare. *De Censib.* Cap. *Ea quæ. in int. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 39. Cap. 12.

XLI. Qui Beneficium aut Officium Ecclesiasticum Simoniacè adeptus fuerit, illis sit ipso jure privatus, & ad fructuum omnium, quos perceperit, restitutionem teneatur, & perpetuò sit inhabilis ad ea, & quæcumque alia Beneficia Ecclesiastica, obtinenda. *Ibid.* Piua V. *Bullâ V. ann.* 1566. Quod de inhabilitate ad Beneficia omnia dicit non servatur saltem in Galliâ.

XLII. *Concilium* Tridentinum pœnas contra Simoniacos editas Sacris Canonibus & variis Summorum Pontificum Constitutionibus omnes innovat. Sess. XXIV. Decr. II. *De Reform.* Cap. 14. *fin.*

SECTIO XV.

Qua pœna decreta sint in eos qui Simoniacè sunt ordinati?

I. Decretum est de Simoniacis tripartitâ Hæresi, *id est*, Simoniacia Simoniacè Ordinatoribus vel ordinatis, & de Simoniacis Simoniacè à non Simoniacis, & de Simoniacis non Simoniacè à Simoniacis. Caus. I. Quæst. I Cap. 107. *Statuimus.* Hæc distinctio nunc ferè exolevit. *Concil.* Melfitanum *ann.* 1089. Cap. 1. *&c.* Tom. X. Conc. *p.* 476. *Concil.* Tolosanum *ann.* 1055. *Can.* 1 2. *&c.* Tom. IX. Conc. *p.* 1084. Vide *Concil* Rom. *ann.* 1059. *in Statuta.* Tom. IX. Conc. *p.* 1105. *Concil.* Rom. *ann.* 1063. *Can.* 1. 2. *&c.* Tom. IX. Conc. *p.* 1175. Nicol. II. *ann.* 1059.

II. Ordinationes personarum per Simoniam factas, irritas judicamus. Caus. XII. Quæst. II. Cap. 37. *Alienationes. init.* Callixtus II. *ann* 1123.

III. Simoniaci Simoniacè ordinati, vel Ordinatores, secundùm Ecclesiasticoa Canones à proprio gradu decidant. *Cap.* 107. *cit.* §. 1. *init.*

IV. Simoniaci quoque simoniacè à non Simoniacia ordinati, similiter ab Officio malè accepto removeantur. *Cap.* 107. *cit. fin. Conc.* Rom. *ann.* 826. Cap. 2. Tom. VIII. Conc. *p.* 106. *Conc.* Turon. *ann.* 1060. *Can.* 1. Tom. IX. Conc. *p.* 1109. *Conc.* Rhem. *ann.* 1119. *Can.* 1. 4. Tom. X. Conc. *pag.* 863.

V. Simoniacos non simoniacè à Simoniacis ordinatoa misericorditer, pro temporis necessitate, in Officio concessum est permanere. *Cap.* 107. *cit.* §. 2.

VI. Si qui à Simoniacis non simoniacè ordinati sunt, siquidem probare potuerint se, cùm ordinarentur, nescisse eos Simoniacos esse, & si tunc pro

Catholicis habebantur in Ecclesia; talium Ordinationes misericorditer sustinentur, si tamen laudabilis eos vita commendat. CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 108. *Si qui. init.* URBANUS II. *in Concilio* PLACENTINO. Cap. 3. & 4. *anno* 1095. *Conc.* LATERAN. II. *ann.* 1139. *Can.* 1. TOM. X. CONC. *p.* 1102.

VII. Qui verò scienter se à Simoniacis consecrari (imò execrari) permiserint, eorum Consecrationem omninò irritam esse decretum est. *Ibid. fin.*

VIII. Statutum est, ut si quis ab eo, quem Simoniacum esse non dubitat, se consecrari permiserit, & Consecrator, & Consecratus non disparem damnationis Sententiam subeant; sed uterque depositus pœnitentiam agat, & privatus propriâ Dignitate persistat. *Ibid.* CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 109. *De cætero.* NICOLAUS II. *ann.* 1059. Idem habet. ALEXANDER II. *ann.* 1063.

IX. Quidam, licèt secundùm quamdam speciem Simoniæ, utpotè ipsis ignorantibus, Simoniacè ordinentur, possunt, quia Simoniaci non sunt, in suis Ordinibus remanere. *De Simonia.* Cap. *De Simonia.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 22.

X. Qui Simoniacè ordinati sunt ipsis ignorantibus, non sunt Simoniaci, cum quibus possunt Episcopi dispensare. *Gloss.*

XI. Qui à Diœcesano Episcopo fuit in Subdiaconum ordinatus, sed postmodùm didicit ex relatione quorumdam, quòd Episcopus multoties commisit vitium Simoniæ; in Ordine sic suscepto securè ministret; sed contrà conscientiam ad Superiores Ordines non ascendat. *De Simonia.* Cap. *Per Tuas.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 35. Excipiendus à prohibitione ascendendi ad Superiores Ordines est casus, quo Orator deponat errorem.

XII. Cum illis, qui Simoniam commiserint, vel eis scientibus est commissa, Episcopi dispensare non possunt, sed solus Papa. *Gloss.* verbo, *Remanere. fin.*

XIII. Omnes illi, qui Simoniacè ordinati fuerint, à suorum sint Ordinum executione suspensi. EXTRAVAGANTI II. *inter Communes. De Simonia.* LIB. V. EXTRAVAG. COMM. *Tit.* 1. Cap. 2. URBANUS II. *Epistolâ* 17. Cap. 5. *Append.* TOM. X. CONC. *pag.* 454. *Concil.* RHEMENSE *ann.* 1131. *Can.* 1. TOM. X. CONC. *pag.* 983.

XIV. Si quis ordinaverit, seu ad Ordinem præsentaverit aliquem, promissionem vel juramentum ab illo recipiens, quòd super Provisione suâ non inquietet eumdem, Ordinatus ab Ordine sic suscepto, donec Dispensationem super hòc per Sedem Apostolicam obtinere meruerit, noverit se suspensum. *De Simon.* Cap. *Si quis.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 45.

Si quis Episcopus per pecunias hanc sit Dignitatem assecutus, vel Presbyter, vel Diaconus, deponatur; & ipse, & qui eum ordinavit, à Communione omninò excindatur, ut SIMON Magus.

SECTIO XVI.

Etiam eos, quibus ignorantibus, per Simoniam Beneficia Ecclesiastica acquisierunt, teneri ad illa dimittenda, nisi id per fraudem factum fuerit, & ipsis prohibentibus.

I. Quicumque cupiditate Parentum, cùm adhuc parvuli essent, Ecclesias, vel Ecclesiarum Beneficia, per pecunias adepti sunt, postquàm eas omninò dimiserint, si Canonicè in eis vivere voluerint, pro magnâ misericordiâ ibidem eos esse conceditur; neque pro hoc facto à Sacris Ordinibus removentur, si aliàs digni inveniantur. CAUS. I. QUÆST. V. Cap. 1. *Quicumque. init. Ex Concilio* PLACENTINO. Cap. 5. *ann.* 1095. GONZALEZ ad Cap. 26. *Ex insinuatione. De Simoniâ. Notâ* 3. ex BALUZIO refert ad *Concilium* CLAROMONTANUM *sub* URBANO II. *Concil.* BELVAC. *ann.* 1114. TOM. X. CONC. *pag.* 800.

II. Si Regulares Canonici, ignorantibus ipsis, per Simoniam ingressum habuerunt, cogi debent ad renunciandum loco eidem. *De Simoniâ.* Cap. *De Regularibus. med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 25.

III. Is cujus Pater, interveniente pecuniâ, olim sibi Præbendæ Beneficium acquisivit, si ad annos discretionis perveniens, dictam Præbendam liberè resignavit, ratione primæ hujus receptionis nihil potest in Ecclesiâ sibi vendicare. *Ibid. De Simonia.* Cap. *Ex insinuatione.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 26.

IV. Secundùm Sacrorum Canonum Instituta, etiam parvuli, qui, cupiditate Parentum, Ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere tenentur. *De Sim.* Cap. *Sicut.* §. 1. *init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 33.

V. Quia longè diversum est non præbere consensum, & expressè aliquid prohibere; ex eo quod contrà prohibitionem & voluntatem tuam, à quâ postmodùm minimè recessisti, aliquis, te penitùs ignorante, promisit pecuniam, & exsolvit, præsertim si is nullâ sit tibi consanguinitate conjunctus, nihil debet tibi ad pœnam vel culpam imputari, nisi posteà consenseris pecuniam solvendo promissam, aut reddendo solutam; alioquin contingeret, quòd alicujus factum insidias inimico parantis ei damnosum existeret, cui penitùs displiceret, & sic aliquis de fraude suâ commodum reportaret. *De Simonia.* Cap. *Sicut.* §. 1. *post init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 33.

VI. Qui Parentum in Curiâ per pecuniam, non Episcopo, sed cuidam Principum ejus datam, invitus Sacerdotii Dignitatem obtinuit, licèt Sancti Canones deponendum esse testentur; tamen, quia culpam istam nesciens & coactus commisit, ex consideratione discretionis magis, quàm ex vigore Canonum, misericordiæ viscera adhibendo, ipsum in eodem Ordine esse consuli potest; ita tamen, ut si Ecclesia illa, cui deservit, Sacerdotum penuriam non patitur, suspensus à Sacerdotali Officio permaneat: Quòd si fortassè Ecclesiæ utilitas exegerit, ut curam Regiminis assumat, liceat ei, ex concessione Episcopi Sacerdotali Officio fungi. CAUS. I. QUÆST. V. Cap. 3. *Præsentium*, finali. URBANUS II. *circ. ann.* 1090.

VII. Si amici illius, de cujus electione spes habebatur, uni eligentium vel omnibus promiserunt se pecuniam soluturos, eo tamen ignorante qui, hujusmodi promissione interveniente postmodùm est electus; nisi constet illos, qui promissum tale fecerunt, per fraudem in dispendium illius, qui eligendus erat, id malitiosè fecisse; quamvis ipse promissionis conscius non fuerit, ejus tamen electio tanquàm Simoniacâ pravitate præsumpta, est penitùs reprobanda. *De Simonia.* Cap. *Nobis.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 27.

SECTIO XVII.

Eos, qui per ignorantiam Beneficium Ecclesiasticum Simoniacè acquisierunt, à solo Romano Pontifice Dispensationem accipere posse illud retinendi, si Prælationem habeat; ab Episcopo verò, si simplex sit, postquàm illud liberè resignaverit.

I. Aliquis in Ecclesiæ cujuslibet Prælatum electus, & per pravitatem Simoniacam (*a*) eo ignorante commissam reprobatus, ab Episcopo suo Dispensationem aliquam obtinere de jure non potest. *De Simonia.* Cap. *Nobis.* §. *ult.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 27.

(*a*) Hoc videtur velle illa Litera (ut dictum est per pravitatem Simoniacam &c.) & sic refert se ad primum casum, scilicet quando eo ignorante Simonia commissa fuit. *Gl. fin.*

II. Si alicujus electionem propter Simoniam, eo ignorante ac ratum non habente (*c*) commissam, contige-

contigerit reprobari, cùm eo super Prælatione, ad quam taliter fuit electus, illâ vice non potest Episcopus dispensare. *De Elect.* Cap. *Si alicujus. init.* Lib. I. Decr. *Tit. 6.* Cap. 59.

III. (c) In Simoniâ ratihabitio retrotrahitur. *Gl.* Si posteà consentiret, idem esset, ac si ab initio procurasset. *Glossa*, verbo, *Ratum non habente.*

IV. Circa eum, qui ignoranter recipit simplex Beneficium per Simoniacam pravitatem, post liberam resignationem Episcopi dispensatio toleratur. *De Elect.* Cap. *Si alicujus. fin.* Lib. I. Decr. *Tit. 6.* Cap. 59.

V. Ignorantia excusat ipsum, ut possit cum eo posteà dispensari. *Glossa*, verbo, *Ratum non habente. fin.*

Is, cujus pater, interveniente pecuniâ, olim sibi Præbendæ Beneficium acquisivit, & ad annos discretionis perveniens, dictam Præbendam in manu Præpositi & Fratrum liberè resignavit, si iidem ei compatientes de novo eum in suum Canonicum (*n*) elegerunt; indulgentia, quàm Fratres sui misericorditer ei fecisse noscuntur, toleratur, ita ut illâ contentus existens, ratione primæ receptionis nihil audeat in ipsâ Ecclesiâ vendicare. *De Simoniâ.* Cap. *Ex insinuatione.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 26.

(*n*) Per Dispensationem Episcopi. *Glossa.* Hac Dispensatione opus non erat, cùm ad alium Canonicatum eligeretur, & prædicta Simonia inhabilem non efficiebat ad alia Beneficia etiam similia.

SECTIO XVIII.

Quibus modis agendum sit in foro externo Ecclesiæ, ubi Simonia crimen alicui objectum est?

I. Accusatum Simoniacum necessè est prohibere, ne Missarum Solemnia (*a*) celebret, donec quid sit veritas constiterit. *De Simoniâ.* Cap. *Accusatum.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 4. & Caus. II. Quæst. V. Cap. 14. *Accusatum.* & Cap. *Quoties. Eod. Tit. De Simoniâ.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 5.

(*a*) Capitulum hoc & sequens intellige de eo, qui est publicè infamatus, aliàs non deberet suspendi. *Glossa*, verbo, *Solemnia. fortè* Greg. I. Lib. V. *Epist. 3. ann.* 595.

II. Quilibet Catholicus, ut veritatem asserat ad propalandam Simoniacam rabiem, magnis est precibus exorandus. *De Simoniâ.* Cap. *Si Dominus. §.* 1. Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 3. Adeodatus *Papa circ. ann.* 616.

III. Simoniacum quilibet, ut ab Ordine malè accepto removeatur, accusare potest, etiam meretrix. *Ibid. De Simoniâ.* Cap. *Tanta. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 7. *Idem.*

IV. Tanta est labes hujus criminis, quòd etiam servi adversùs Dominos, & quilibet criminosi admittuntur ad accusationem. *Ibid. init.*

V. Tanta est labes Simoniacæ pravitatis, ut servi adversùs Dominos, & criminosi quilibet admittantur. *De Testib.* Cap. *Constitutis. in int. post init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 45.

VI. Mox, ut Simoniacæ pestis signa per aliquam personam claruerint, de Ecclesiâ Dei debet eliminari atque repelli. *De Simon.* Cap. *Sicut.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 6. Lucius *Papa, circ. ann.* 216.

VII. Quos constiterit indignos meritis, Sacram mercatos esse pretio Dignitatem, convictos oportet arceri: quia dantem pariter & accipientem damnatio Simonis, quam Sacra lectio testatur, involvit. Caus. I. Quæst. I. *Cap. 6 Quos constiterit.* Gelasius *Papa ann.* 494.

VIII. Si ex confessione Sacerdotis acceperis, quòd, cùm ad Sacerdotii Ordinem non aliter voluisset eum ejus Archidiaconus præsentare, sex solidos solvit eidem, & sic Ordinem ipsum per eum præsentatus accepit: Si hoc non est publicum, sed secretum, eumdem Sacerdotem secretò convenias, monens sine ullâ coactione propensiùs, & inducens, ut Ordinem alicujus Religionis assumat, & perpetuò ab Officio abstineat, quod illicitè acquisivit. *De Simoniâ.* Cap. *Ex tun. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 20.

IX. Non est tutum (cùm sit secretus ejus excessus) ipsum invitum ab eodem Officio coërcere. *Ibid.*

X. Ei tamen secreta pœnitentia, secundùm quòd visum fuerit, injungi debet. *Ibid. fin.*

Si qui fuerint Clerici, quos in Ecclesiis publicum & notorium est Simoniacè intrasse, amoveri debent ab Ecclesiis taliter requisitis. *De Simoniâ.* Cap. *Insinuatum est.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 13.

Qui Clerico antè electionem suam Prioratum dicitur promisisse, ut consentiret eidem; si manifestum est Clericum ob causam illam promissa recepisse, aut exindè confessus fuerit in Jure, vel legitimè convictus, ab Altaris Ministerio est perpetuò deponendus. *De Simon.* Cap. *De hoc.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 11. *Appendice Conc.* Later. III. *De Simoniâ.* Cap. 13. Tom. X. Conc. *p.* 1564.

XI. Canonicus, qui fuit in Jure confessus, quòd, pro præstando alterius electioni consensu, obligationem recepit, & mediator extitit Simoniacæ pravitatis, per definitivam Sententiam ab omni Beneficio & Officio Ecclesiastico est deponendus. *De Confessis.* Cap. *Cùm super.* Lib. II. Decr. *Tit.* 18. Cap. 2.

XII. Cùm clamor validus contra quempiam super Simonia ascendit, mandari debet, ut super hoc veritas diligenter inquiratur. *De Testib.* Cap. *Cùm clamor. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 53.

Si testes super Simoniâ ita deposuere confusè, quòd ex dictis eorum non potest veritas declarari, mandari debet quatenus examinentur ii iterùm diligenter, & tàm eorum quàm aliorum recipiantur testificata. *Ibid.*

XIII. Agitur criminaliter, cùm actor tendit ut Simoniacus deponatur ab Ordine. *De Simoniâ.* Cap. *Per tuas. §. ult.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 32.

XIV. Agitur civiliter de crimine Simoniæ, cùm tenditur ut ab administratione quis amoveatur tanquam immeritus & damnosus. *Ibid.* Vide *Glossam Ad* Cap. 1. *De Testib. In 6.* Lib. II. *Tit.* 10. Cap. 1. *Glossa. init.*

XV. Mediatores, per quos scelus Simoniæ plerumque committitur, ad testimonium contra sceleris ejusdem Autores, in detestationem criminis, admittuntur, si non agatur criminaliter, sed civiliter, & emolumentum exindè non fuerint assecuti. *In 6. De Testib.* Cap. *Mediatores.* Lib. II. *Tit.* 10. Cap. 10.

XVI. Socius in crimine Simoniæ admittitur in testem, si sit socius criminis tantùm, & agatur civiliter; aliàs non. *Summa.*

XVII. Ille, qui eodem est infectus Simoniæ crimine, indè contra socium testificari non potest. *De Testib.* Cap. *Veniens. §.* 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 10.

Socii criminis & muneris non admittuntur, si agatur criminaliter. *Glossa*, verbo, *Confesso.*

XVIII. Si adversùs eos, qui labe fuerint Simoniacæ pravitatis maculati, accusatio coram Episcopo fuerit Canonicè instituta, postquàm crimen ordine fuerit Judiciario comprobatum, tàm in dantes quàm in recipientes Canonicæ severitatis exercenda est ultio. *De Simoniâ.* Cap. *Dilectus. med.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 30.

SECTIO XIX.

Aliquos esse casus in quibus Simonia non committitur, licèt aliquid retineatur vel detur.

I. Qui dat Beneficium spirituale, si antè donationem perceperit ipse proventus, & antè dona-

tionem contistuat, ut ipsi proventus retineantur ad tempus pro causâ justa & necessariâ, est licitum. *Ut Eccles. Beneficia.* Cap. *Ut nostrum §. ult. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 12. Cap. unico. *fin Vide* Cap. *Significasti. De Off. Archid. in integrâ. med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 23. Cap. 9.

II. Sedes Apostolica aliquando Episcopo indulget, ut, pro relevatione oneris debitoris, fructus Beneficiorum, quæ interim in Diœcesi suâ vacare contigerit, ei liceat biennio retinere. *De Verb. Sign.* Cap. *Tua nobis. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 40. *Cap.* 31.

Hujusmodi gratia suo frustraretur effectu absque Literis Regiis.

III. Præpositus non commisit Simoniam, qui cùm Episcopus ejus eam multis gravaminibus afficere non cessaret, super Beneficiis & Dignitatibus ejus, promisit ei certam quantitatem pecuniæ se daturum, ut ab ipsius desisteret læsione. *De Simon.* Cap. *Dilectus. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 28.

Licitum est alicui redimere vexationem. *Gl.* Quod, ut suprà notatum est, locum non habet, nisi quando vexans nullum jus habet in Beneficiis; quod media pecunia cedat.

IV. Si dictus Episcopus, post receptionem pecuniæ, à Præpositi ejus molestiâ non quiescat, restituere quod accepit (si eum contrà promissionem suam venisse constiterit) compelli debet. *Ibid. De Simonia.* Cap. *Dilectus. §.* 1. LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 28.

V. Ex eo quod præcipitur ei, restituere quod accepit, ei qui dedit, innuitur non esse turpitudinem ex parte dantis, jus suum redimere volentis. *Glossa*, verbo, *Restituere.*

VI. In Jure Spirituali acquisito, verius & æquius videtur, quòd, cùm quis injustè vexatur, possit redimere suam vexationem sine peccato. *Gl. Ibid.*

VII. Res Spiritualis tali conditione offerri potest, si Sacramentum aliquod exhibeatur; cùm enim Dominus JESUS, ut Dominus, ovium suarum curam SIMONI PETRO committeret, conditionem posuit, dicens: *Si diligis me*, SIMON PETRE, *pasce oves meas. De Elect.* Cap. *Significasti. init. in ins.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 4.

VIII. Conditio ista non est reprobanda, nec Simoniam inducit: Conditiones, quæ ipso Jure insunt, benè apponuntur & exprimuntur sine aliquo vitio. *Gl.* verbo, *Conditione.*

IX. Si conscientiarum factor, & cognitor secretorum, conditione hac usus est, nec semel tantùm, sed & secundò, & usque ad contristationem; quâ sollicitudine, quâ provisione oportet Prælatos, tantam Ecclesiæ Prælationem, tantam CHRISTI ovium curam imponere Fratribus, quorum Conscientias non vident? *Ibid. De Elect.* Cap. *Significasti.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 4. *in integrâ.* PASCHALIS *fortè* II. *ann.* 1102. Vide GONZALEM qui putat esse PASCHALEM I. qui rexit Ecclesiam ab *anno* 817. *ad ann.* 823.

X. Ab Episcopo, priusquàm eum contingat ordinari, hujusmodi exigi potest cautio, per quam fateatur se nihil unquam per se, aut per filios, sive per quamlibet propinquam, aut domesticam, vel extraneam, fortè personam, de rebus usurpaturum Ecclesiæ. DIST. XXVIII. Cap. 13. *De Syracusana. fin.* PELAGIUS *circ. anno* 557.

XI. Quanquam omnes, qui Sacris mancipantur Ordinibus, Canonicis Regulis teneantur adstricti; expedibile tamen est, ut promissionis suæ vota sub cautione spondeant, quos ad promotionis gradus Ecclesiastica probat Disciplina; solet enim plus timeri, quod singulariter pollicetur, quàm quod generali sponsione concluditur; & ideò placuit, ut unusquisque, qui ad Ecclesiasticos gradus est ascensurus, non antè honoris consecrationem accipiat, quàm placiti sui adnotatione promittat, ut fidem Catholicam sincerâ cordis devotione custodiens, justè & piè vivere debeat, & in nullis operibus suis Canonicis Regulis contradicat, atque ut debitum per omnia honorem, atque obsequii reverentiam præeminenti sibi unusquisque dependat, juxtà illud B. LEONIS Papæ Edictum; *Qui se scit aliquibus esse præpositum, non molestè ferat aliquem sibi esse prælatum, sed obedientiam quam exigit, etiam ipse dependat.* DIST. XXIII. Cap. 6. *Quamquam. Ex Concilio* TOLETANO XI. Cap. 10. *ann.* 671.

XII. Ea, quæ præcipiuntur à Jure, licitè deducuntur in pactum, etiam in Spiritualibus. *Glossa ad* Caput *Ad audientiam. De Rescriptis.* LIB. I. DECR. *Tit.* 3. *Cap.* 31. verbo *Renunciantes.*

XIII. Qui, post electionem suam, propter bona Ecclesiæ conservanda juravit, consecrari potest, antè purgatus hujusmodi juramento, quod nullam conventionem antè, ut eligeretur, fecit. CAUS. VIII. QUÆST. III. Cap. 2. ARTALDUS *in gestis* URBANI II. *ann. circ.* 1089.

XIV. Quod Simoniacus habendus non sit, qui post electionem pro indemnitate Ecclesiæ juramentum præstitit, facilè probatur; aliud est enim antè electionem juramentum facere, vel se facturum pacisci, ad hoc ut eligatur; aliud est nullâ præcedente conventione post electionem hujusmodi juramentum offerre; illud ab officio tanquàm munus impensum dejicit; hoc autem consecrando nullum impedimentum generat. GRATIANUS. CAUS. VIII. QUÆST. III. RUBRICA.

SECTIO XX.

Nullam pœnam Canonicam incurri pro solâ mentali Simoniâ.

I. De Monachis, qui per Simoniam dato aliquo locum in Monasteriis sunt adepti, statutum est ad Resignationes spiritualium & temporalium, quæ nullo pacto, sed affectu animi præcedente, utrimque taliter acquiruntur, eos pro Simoniâ hujusmodi non teneri. *De Simon.* Cap. *Mandato.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 46. finali.

II. Simonia solo affectu animi non committitur, nec renunciare quis teneatur Spiritualia, vel temporalia, pro tali Simoniâ, licèt aliàs peccet. *Glossa.*

Non dicitur propriè Simonia talis affectus animi. *Gl.* verbo, *Affectu animi. fin.*

In hoc casu delinquentibus sufficit per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori. *De Simon.* Cap. *Mandato. §.* 1. *fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 46.

Quia Ecclesiæ datum est de manifestis tantummodò judicare, si tamen is, qui donationem facit, eâ intentione ducatur, ut per temporalia bona quæ offert, Spiritualia valeat adipisci, & Clerici, nisi commoda temporalia perciperent, non essent eum admissuri, apud districtum Judicem culpabiles judicantur. *De Sim.* Cap. *Tua nos. §.* 3. LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 34.

SECTIO XXI.

Quid sit Confidentia? quibus præcipuè modis committatur? quæ sint illius signa? quæ pœna?

I. Certa Simoniacæ pravitatis species, quam Beneficiorum Confidentiam vocant, aliena Beneficia custodiendi causâ acceptare, ut ipsa, tempore procedente, in aliquorum favorem cedantur. *Bullâ* 85. PII IV. *Romanum.* §. 1. *ann.* 1564. TOM. II. BULLARII. *p.* 119.

II. Si quis, quacumque autoritate, Ecclesiam vel Monasterium, aut aliud Beneficium Ecclesiasticum qualecumque, ex resignatione, vel cessatione cujuscumque personæ simpliciter, aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu vel accessu, etiam solâ dimittentis intentione receperit, ut illa vel illud etiam in eventum regressûs, vel accessûs, eidem dimittatur, vel alteri posteà conferatur, aut illius fructus vel

eorum

entum pars alii vel aliis concedantur, vel pensiones solvantur ex eisdem; hæc Confidentia censeatur. *Bullâ* 85. Pii V. *Intolerabilis.* §. 3. *ann.* 1569. Tom. II. Bullarii. *p.* 282.

III. Itidem, si Ordinarius, vel alius Collator conferat Beneficium Ecclesiasticum, quovis modo vacans, eâ conditione tacitâ vel expressâ, ut posteà in alterum, pro arbitrio Collatoris, seu alterius cujuscumque, contrà Juris Communis Ordinationem, disponatur, sive ut de eo provisus, fructus illius, vel partem ad utilitatem, vel lubitum conferentis, vel decedentis, aut alterius relinquat, & remittat; seu pensionem, illi vel illis, quem, vel quos idem Collator, aut cedens, vel alius per se, vel alium, scripto, aut verbo jusserit, seu significaverit, persolvat, & pariter si à Patrono etiam Laico, vel alteri Præsentatori, seu Electori contingat id fieri. *Ibid.*

IV. Ad probandum verò plenè Confidentiarum abusum, inter alias etiam hæ præsumptiones & conjecturæ habeantur legitimæ; videlicet, si quis post cessam ab se Ecclesiam, vel Monasterium, aut Beneficium, & publicatam Resignationem, seu cessionem, captamque à Successore possessionem, sese in illa, vel in illo, seu rebus illius per se vel alium seu alios, de facto ingesserit, aut fructus perceperit, aut quicumque Successor illi, vel ejus propinquis, ipso aut partem aliquam remiserit eorumdem. *Ibid.* §. 4.

V. Si recipiens Beneficium constituerit dimittentem, vel ejus patentes aut propinquos, Procuratores ad percipiendum vel locandum fructus Beneficii dimissi, & illi vel illis de fructibus perceptis, aut percipiendis, donationem fecerit. *Ibid.*

Si vel solâ Procuratoris depositione, vel Libris rationabilibus Mensariorum, ex parte dimittentis, expeditio quæ personam recipientis concernit, prosecuta sit, simulque expensæ pro eâ necessariæ ab illo factæ fuerint. *Ibid.* §. 4.

VI. Declaratum est, quascumque Collationes, Provisiones, Præfectiones, Commendas, ac alias dispositiones de Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, & aliis Beneficiis eorumque fructibus, & Beneficiorum Collationibus, per Romanos Pontifices, etiam motu proprio, seu Consistorialiter, aut etiam per Ordinarios, & alios inferiores Collatores, etiam ad Patronorum præsentationem, & quomodolibet eum interventu Confidentiæ hujusmodi, expressè sive occultè, ac de jure præsumpto, & aliàs contrà præmissa pro tempore facta, nullas & invalidas, nulliusque roboris vel momenti fore, neque unquam suffragari; sed Ecclesias, Monasteria, Dignitates, ac alia Beneficia hujusmodi, ipso jure vacare. *Bullâ* Pii IV. *Romanum. ann.* 564. §. 5. Bullarii Tom. II. *p.* 120.

VII. Si quis pro concessione alicui factâ, quacumque auctoritate, de Beneficio Ecclesiastico per se, vel alium seu alios intercesserit, vel aliàs in negotio concessionis sese immiscuerit quoquo modo: deindè aliquid de fructibus talis Beneficii de facto etiam per manus possessoris, vel etiam simplicis donationis titulo perceperit, seu de illo postmodùm ad voluntatem intercessoris fuerit dispositum quandocumque.

VIII. Ut hoc malum gravioris censuræ stimulo usquequaque prohibeatur, omnes & singulos, qui Ecclesias, Monasteria, Beneficia, fructus, pensiones, aliasve res, intercedente hoc Confidentiæ vitio, receperint; etiam omnibus & singulis aliis Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Administrationibus, Officiis, & Beneficiis obtentis, necnon fructibus, pensionibus, & aliis rebus Ecclesiasticis privatos, & ad futura inhabiles esse decretum est. *Ead. Bullâ* 85. Pii V. *Intolerabilis.* §. 8. *ann.* 1569.

IX. Prætereà in juris subsidium, Excommunicationis Sententiâ innodantur, à quâ nullus, nisi in mortis periculo aut articulo constitutus, ab alio quàm à Romano Pontifice, absolutionis Beneficium valeat obtinere. *Ibid.*

X. Declaravit Pius V. omnes Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in Constitutione, & Literis præfatis, etiam quoad privationes, omnesque & singulas alias Censuras, & pœnas in ipsis Literis contentas comprehendi, ac contrafacientes, privationes, censuras, & pœnas ipsas incurrere. *Breve extensionis ad Cardinales, ejusdem ann.* 1569. Tom. II. Bullarii. *p.* 284.

Beneficia verò occasione Confidentiæ hujusmodi vacantia, ab ipsorum Beneficiorum Ordinariis Collatoribus liberè conferri, & de illis provideri posse & debere decretum est, dum tamen talium criminum participes, aut consentientes non fuerint; quo casu, ac etiam, ubi iidem Ordinarii Collatores per sex menses à die detectæ & comprobatæ seu convictæ Confidentiæ, Beneficia ipsa, ut præfertur, vacantia, Canonicè conferre, & de illis providere neglexerint, Beneficiorum eorumdem Collatio & provisio ad proximos Superiores devolvatur; quæ verò Beneficia de jure Patronatûs Laicorum fuerint, ad eorumdem Patronorum præsentationem, dummodo in crimine hujusmodi non fuerint participes, conferri: De Ecclesiis verò ac Monasteriis; aliisque Beneficiis Ecclesiasticis, ad Charissimi in Christo filii Francorum Regis Christianissimi nominationem spectantibus, novam ipsius Regis nominationem, juxtà Concordata, seu Indulta à Sede Apostolicâ ei concessa, decretum est expectari. *Bullâ* Sixti V. 61. *Pastoralis.* §. 5. *ann.* 1587. Bullarii Tom. II. *p.* 595.

Fructus verò ex Ecclesiis, Monasteriis, & aliis Beneficiis prædictis malè & indebitè perceptos, in usum ac reparationem Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum prædictorum, super quibus Confidentia hujusmodi contracta & commissa fuerit, per Archiepiscopos, Episcopos, seu Officiales, aliosque, ad quos de jure pertinet, converti & applicari posse decretum est. *Ibid.* §. 6.

Omnibus & singulis Regni Galliæ Archiepiscopis & Episcopis, eorumque Officialibus, ad quos de Jure & Consuetudine pertinet, mandatum est, ac sub interminatione Divini Judicii districtiùs injunctum, ut in suis quisque Ecclesiis, Civitatibus, Diœcesibus, & locis etiam exemptis, in eos, quos in Confidentiæ crimine, etiam per præsumptiones & conjecturas deliquisse constiterit, severè animadvertant. *Bullâ* 61. *Pastoralis.* Sixti V. §. 3. *ann.* 1587.

Appellationes à Sententiis, quas contrà delinquentes hujusmodi fieri contigerit, ad proximos Superiores, juxtà Canonicas Sanctiones, devolvi mandatum est; executionem tamen Sententiarum prædictarum minimè impedire, aut retardare &c. §. 4.

Nullus hîc Juris Textus relatus est circà Confidentiam, quia nullus in illâ expressè meminit. Parem ob causam in præcedentibus Sectionibus non expressè actum de Quæstionibus de Simonia pura conventionali, nec de semireali, nec de exemptione à Simonia, illiusque pœnis, nec de pluribus aliis, quæ in Tractatu de Simoniâ discuti solent. Hæc autem omnia, cæteraque ad ordinem vel methodum spectantia, supplebuntur in Regulis circà eamdem Simoniam subjiciendis; supplebuntur autem ut nihil desit eorum quæ scienda sunt de re adeò frequenti ac diffusa, & praxeos ferè, proh dolor! quotidianæ.

TITULI XIII.

PARS SECUNDA,

Ubi per Regulas ex Corpore Juris, Conciliοque TRIDENTINO *desumptas*, *examinantur*, *necnon adduntur*, *quæ præmissis fontibus desunt.*

PROLOGUS.

Regularum, quas pollicemur, Collectioni præmittenda sunt duo. I. Indicandi sunt Canones, è quibus illas desumemus, monendusque Lector, omnes intra Corpus Juris Canonici, prout *Concil.* TRIDENT. comprehendit, contineri; utrumque autem faciendum, ut initio Tractatûs agnoscat Lector fontes, quos adire debet; eosque, cùm communes sint, facilè adire posse. II. Ob oculos ponendæ sunt etiam totius Tractatûs singulæ Partes, eodemque, quo tractabuntur, ordine; ut Lectori commendetur opus, nedùm ex eo quod sui cuique pateant fontes, sed etiam ex eo quod palam fiat hinc, tùm rei gravitas, tùm congrua Partium suarum dispositio.

Doctrina Canonum circà Simoniam ad Regulas redacta.

Canones ergo, è quibus Regulas circà Simoniam collecturi sumus, non sunt alii quàm qui habentur apud GRATIAN. DECRET. XXIII. *Cap.* 1. DIST. LXIII. *Cap.* 21. 24. 30. 34. CAUS. I. *totâ* CAUS. II. QUÆST. V. *Cap.* 14. 17. CAUS. VII. QUÆST. I. *Cap.* 3. 33. CAUS. VIII. QUÆST. III. *Cap.* 1. 2. CAUS. IX. QUÆST. I. *Cap.* 4. CAUS. X. QUÆST. III. *Cap.* 9. 10. CAUS. XII. QUÆST. II. *Cap.* 37. CAUS. XV. QUÆST. III. *Cap.* 4. Apud GREGOR. IX. *De Elect.* Cap. 12. 59. *De Pactis.* Cap. 4. 5. 6. *De Transact.* Cap. 9. 10. *De Confessis.* Cap. 2. *De Testib.* Cap. 10. *De Præb.* Cap. 11. 21. *De Permut.* Cap. 5. *De Statu Monach.* Cap. 2. *De Reliquiis.* Cap. 2. *De Accusat.* Cap. 21. *De Simonia. Toto Tit. Ne Prælati vices suas. Toto Tit.* Apud BONIFAC. VIII. *De Testibus.* Cap. 1. EXTRAVAG. COMM. Cap. 1 2.. *De Simonia. in Concil.* TRID. SESS. V. *Cap.* 2. SESS. XXI. *Cap.* 1. SESS. XXIII. *Cap.* 1. 15. SESS. XXIV. *Cap.* 5.

Tractatûs antem de Simoniâ Partes hæ sunt:

I. Undè dicta, & quare ab Anrore nomen habeat?

II. Quibus aliis insigniatur appellationibus?

III. Circà quas res versetur Simonia, quæque illarum in Jure exprimantur?

IV. Qui Contractus circà res istas expresse prohibeantur?

V. Cujus sit efficere, ut quæ non subjiciuntur Simoniæ, eidem subdantur? seu clariùs, ut, quæ Simoniæ mareria non sunt, ejusdem mareria fiant?

VI. Quibus modis committatur Simonia?

VII. Quo Jure, & quibus de causis prohibeatur?

VIII. An Conditor Juris Simoniam prohibentis huic Juri subditus sit, seu qui Simoniam committere possint?

IX. Quas Consuetudines circà Simoniæ materiam generatim vel nominatim reprobet Jus Canonicum?

X. Quas circà eamdem generatim vel nominatim approbet?

XI. Qui effectus?

XII. Quæ pœnæ?

XIII. Qui errores circà Simoniam?

XIV. Alia non pauca in §. sequentibus exprimenda.

XV. Quæ factæ fuerint in Disciplina Ecclesiastica circà Simoniam mutationes?

§. I.

Undè dicta, & quare ab Autore nomen habeat?

REGULA I.

Peccatum, de quo hìc agitur, à SIMONE Mago nomen suum accepisse docent Canones, qui hujus peccati reos cum SIMONE damnari, vel partem habere dicunt, vel qui peccatum hoc cum SIMONIS Magi peccato comparant.

REGULÆ RATIO: Hinc enim infertur, quod, ut SIMONIS peccatum Simonia dici potuit, quasi SIMONIS præcipua actio; ita & similis huic peccato culpa Simonia dici debeat, quasi SIMONIS perfecta imitatio.

REGULA II.

Quamvis simile cum SIMONIS culpâ peccatum patravit GIEZI, ac ideò comparent sæpiùs Canones peccati, de quo agitur, reos cum GIEZI, nomen à SIMONE, quàm à GIEZI convenientiùs accepit.

REGULÆ RATIO: Similius est peccatum istud SIMONIS peccato, quàm GIEZI culpæ; SIMON enim Spiritum Sanctum venundandi potestatem emere voluit, eoque fine, ut venderet, vel ex ea gloriam inanem compararet; fuit ergo in hoc peccato voluntas emendi & vendendi res Sacras, inter illas quæ spirituales sunt admodùm: GIEZI verò petiit tantùm pecuniam pro sanitate corporis à Magistro suo restitutâ, quæ nec est res Sacra nec spiritualis; atqui Simoniæ rei in eo præcipuè peccant, quòd res Sacras & Spirituales emere vel vendere volunt.

§. II.

Quæ sint in Canonico Jure locutiones, vel alia indicia, quibus habendus de Simonia horror significetur?

REGULA I.

Non aliæ in Canone habentur hujusmodi locutiones, quàm istæ.

I. Dicitur passim Hæresis, & qui illam committunt, Hæretici.

Hujus rei Ratio: 1°. Omne grave peccatum Hæresis vocabatur; undè promotio Neophitorum ad Dignitates, cùm enorme peccatum judicaretur, Hæresis Neophitorum dicebatur. CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 3. 4. 5. 11. 12. 13. *Cap.* 5. *De Simon.* 2°. Separabat à Clero, imò & ab Ecclesia Simonia, sicut & Hæresis, idque ob censuras, quibus plectebatur. 3°. Simoniæ inest error circà fidem, quo Spiritus Sanctus cum gratia sua, CHRISTI autem sanguis cum fructu suo, venales judicantur, etsi quodlibet pretium excedant. Inter loca in quibus Simonia Hæresis, dicitur unus est, in quo vocatur prima Hæresis, ex eo quòd SIMONIS peccatum, omnem Novi Testamenti Hæresim præcesserit; hic locus est *Cap.* 13. CAUS. I. QUÆST. I. Idem legitur *Cap.* 28. CAUS. I. QUÆST. I.

II. Dicitur flagitium piaculare, flagitium execrabile. *Cap.* 5. 7. CAUS. I. QUÆST. I.

III. Pestis sui magnitudine alios morbos excedens. *Cap.* 6. *De Simon.*

IV. Rabies. *Cap.* 3. *Ibid.*

V. Inexpiabilis culpa. *Cap.* 16. CAUS. I. QUÆST. I.

VI. Vulnus cancrosum. *Cap.* 7. *Ibid.*

Ad memoratarum à *n.* 2. *ad* 6. qualificationem similiumve intelligentiam, Notandum, Simoniam ideò morbis, qui vix curari possunt, comparari, quia distributorem omnium gratiarum Spiritum Sanctum specialiter offendit.

VII. Capitale crimen in utroque Testamento detestabilirer vindicatum. *Cap.* 11. *Ibid.*

VIII. Idololatriæ genus, propter avaritiam Simoniæ matrem in dante. *Cap.* 20. *Ibid.*

IX. Dicitur excedere peccatum Macedonianorum, ex eo quod illorum errore Spiritus Sanctus sit tantùm creatura; ex malitiâ verò Simoniacorum sit servus eo

modo,

modo, quo homo emptus ab alio, fit illius servus. *Cap.* 21. *Ibid.*

X. Comparatur peccato, quo Judas Christum vendidit; idque quia Simoniacus vendidit Spiritum Sanctum, qui substantialiter Deus est, sicut & Christus. *Ibid.*

XI. Vocatur Caïphæ traditio, quâ locutione comparari videtur cum Caiphæ peccato, quo Christum mortis reum à se judicatum militibus, aliisve similibus, dimisit, opprobriis contumeliisque afficiendum.

Hujus Comparationis Ratio petitur ex eo quod rei Sacræ venditor, emptorve, nascendis hinc variis in Christum per sacrilegia contumeliis eumdem Christum exponit. *Cap.* 2. Caus. I. Quæst. VII.

XII. Crimina omnia pro nihilo reputari dicuntur ad comparationem Simoniacæ Hæresis, idque propter immanitatem suam. *Cap.* 27. Caus. I. Quæst. VII.

XIII. Cum crimine læsæ Majestatis comparatur, diciturque pari non immeritò plecti pœnâ, quia non imparis est gravitatis. *Cap.* 32. *De Simon.* Cap. 4. Caus. XV. Quæst. III.

XIV. Simoniaci cum columbas in Templo vendentibus non semel comparantur. Undè sicut istorum peccatum à Christo judicatum est dignum, nedum irâ suâ, sed ut propriâ manu illud puniret; idem de illorum peccato sentiendum videtur. *Cap* 11. Quæst. III. Cap. 5. Quæst. VII. Caus. I. Cap. 39. *De Simon.*

XV. Simoniacus dicitur inter maximos Hæreticos, & Antichristos non minimus habendus. *Cap.* 13. Caus. I. Quæst. III. Cap. 5. Caus. XV. Quæst. VII.

REGULA II.

Quàm execranda judicetur Canonico Jure Simonia, his etiam manifestatur indiciis, ex eodem collectis.

I. Omnis peccator Missam cantare potest, præter Simoniacum (de peccatore Catholico & Presbytero fit sermo) & præ cæteris abhorrendus judicatur Simoniacus, vel quia peccato quovis à Catholico Presbytero committendo Simonia gravior creditur, vel quia putatur Simoniam impedire, ne Presbyteratus recipiatur, si illius Collationem præcedat, istoque privare, si subsequatur. *Cap.* 7. *De Simon.*

II. Quilibet criminosus accusare potest Simoniacum, etiam meretrix, modò sit Catholicus. *Cap.* 3. & 7. *Ibid.*

III. Servis quoque Dominos suos Simoniæ accusare licet. *Cap.* 7. *Ibid.*

IV. Mediator Simoniæ in ejusdem autorem testis admittitur, si civiliter agatur, & emolumentum exindè nullum fuerit assecutus; agitur autem civiliter, si actio ad solam Beneficii privationem tendat. *Gloss. Ib.*

V. Contra testes, qui in Simoniacos producuntur, opponi tantùm potest quod inimici & conspiratores. *Cap.* 31. *De Simon.*

§. III.

Quid sit Simonia?

Simoniam definiemus, postquàm notaverimus videri nobis non tutè definiri, studiosam voluntatem vendendi emendi res Spirituales, aut illis annexas: sunt etenim non pauca Simoniæ peccata, à quibus abest voluntas illa vendendi vel emendi; cùm 1. Vix credi possit illum, qui pro Sacramento modicum quid exigit, vendere illud velle; attamen Simonia committitur modicâ exactione, ut & magnâ. 2. Qui ardente statûs Regularis amore, exactam pro more pecuniam dat, fit reus Simoniæ; nemo tamen cogitabit velle, istum in Religionem ingressum emere. 3. In Simoniam labitur, qui electioni à majori eligentium parte factæ, contradicentibus Electoribus, pecuniam largitur, ne in contradictione persistant; nihilominùs longè abest, ut electionem, vel eligentium vota emere intendat; sed id solum in animo habet, ut obicem tollat, viamque patet promptiori confirmationi. 4. Ecclesia prohibere potest, ne pro re spirituali, temporale quidquam, etiam in eleemosynam, accipiatur; atqui talis prohibitionis violator Simoniacus foret, & de spirituali vendendo emendove ne quidem cogitaret. 5. Ut qui spirituale pro temporali dat, vel accipit, illud emere vel vendere intendat, necessè est, ut temporale spiritualis pretium judicet; at pauci sunt, qui de spirituali re adeò indignè judicent.

Hinc patet quantùm à vero aberrent, qui à Simonia excusant omnes, qui pecuniam pro re spirituali offerentes, illam ut motivum, non ut pretium, offerunt; cùm aliàs rarissimi, aut nulli essent Simoniæ casus, qui frequentissimi sunt.

Hinc etiam patet undè fluxit error adeò perniciosus, atque à sanâ ratione adeò alienus; nempè ex memorata Simoniæ definitione juxtà verborum vim explicatâ.

REGULA I.

Simoniam non aliter repræsentant Canones, quàm ut peccatum, quo, vetante Lege vel Naturali vel Divinâ vel Humana, temporalis res datur, vel accipitur pro spirituali, vel pro temporali quæ spirituali accessoriè annectitur, vel spiritualis pro spirituali cum pacto datur accipiturve.

Descriptio, quam continet Regula, patebit ex citandis hic illicque Canonibus per totum hunc Tractatum. *Cap.* 7. *De Transact.* Cap. 5. *De Rerum Permut.*

Descriptionis verò Ratio est: 1°. Simonia, quæ peccatum non esset, suo non responderet nomini.

2°. Quibus casibus Lex nulla prohibet, ne spirituale detur, vel accipiatur pro temporali; Simoniaca non est hujusmodi datio vel acceptio; quibus verò casibus Lex aliqua talem dationem vel acceptionem vetat, iisdem Simoniaca est.

3°. Temporale spirituali accessoriè conjunctum ejusdem conditionis est ac spirituale, cùm accessorio congruat sequi naturam principalis.

4°. Spiritualia sunt nonnulla, quæ ut temporalia habentur pravâ hominum æstimatione.

Hinc ad Simoniam non requiritur exactio, nisi cùm Lex solam exactionem prohibet; sed acceptata sufficit oblatio, quando à Lege oblatio talis vetatur, imo & simplex oblatio si prohibeatur.

Hinc, cùm Lex Humana mutationi sit obnoxia, quod simoniacum aliàs erat, nunc non est, & è contrà.

Hinc etiam, cùm in Beneficio temporale accedat spirituali, temporale Beneficii ejusdem est sortis ac illius spirituale; è contrario cùm in Patronatu Laico, in Vasis Sacris, in Ecclesiis Materialibus, spirituale accedat temporali; in his omnibus, similibusve, spirituale sequitur conditionem temporalis.

Hinc, cùm Beneficia, etsi res præcipuè spirituales, tamquam temporales haberi possint ob temporalia sibi annexa, Simoniacum est Electoribus Ecclesiasticis, *v. g.* Beneficia promittere, ut promittentem eligant. Cap. 11. *De Simon.*

§. IV.

Circà quas res versetur Simonia? quæ ex his in Canone exprimantur?

REGULA I.

Sola res Sacra, non omnis tamen, est materia Simoniæ, quatenùs in ea id consideretur, quod Sacrum est.

Rei Sacræ nomine intelligitur res Religioso Cultu digna; quales Reliquiæ, qualis Hostia consecrata; vel res Divino Cultui dicata; qualis Missa, aliave quævis Cæremonia ad colendum Deum instituta.

Rei verò Sacræ secundo sensu sumptæ duplex est genus: Aliæ enim non solùm Sacræ sunt, sed & alias Sacras efficiunt; talis est Sacer Ordo, qui nedum ad Divinum Cultum destinatus est; sed & cætera ad eumdem Cultum dicat, consecrat:

Aliæ autem sunt, quæ à rebus prioris genetis Sacræ factæ nullas alias Sactas efficiunt. Dum ergò dicimus, res Sacras materiam esse Simoniæ, loquimur de rebus ex se Religloso Cultu dignis, & de rebus Divino Cultui dicatis prioris generis: Dum verò addimus, non omnem rem Sacram materiam esse Simoniæ, id addimus propter res Divino Cultui dicatas, quæ sunt posterioris generis; quarum nonnullæ ratione tempotalis, quod in illis præcipuum est, quodammodo habentur ut merè temporales; undè venduntur, permutantur, locantur &c. Deniqne excipimus casum, quo consideratur in re Sacra quod Sacrum est, quia res quantumcumque temporalis habenda est tanquam spiritualis, si, prout Sacra est, consideretur.

Hinc Sacra Vasa sunt Simoniæ materia, & non sunt: Sunt, si in illis consideretur, Consecratio: Non sunt, si solum illorum spectetur metallum.

REGULA II.

Quoties rei alicujus traditio vel administratio est Simoniæ materia, licentia illam tradendi vel administrandi pertinet quoque ad Simoniæ materiam.

Hinc, cùm Collatio Ordinum, aliorumque Sacramentorum, Traditio sepulturæ, Receptio ad Religionem, ad Canonicatum, aliudve Beneficium, sint Simoniæ materia; licentia Ordines conferendi, vel exercendi, sepeliendi, Canonicos vel Religiosos recipiendi, est etiam Simoniæ materia.

Idem diceodum de licentiâ in Ecclesiâ cantandi, illnrum ergo quibus ex Ordine, vel ex Beneficio, vel ex Officio Ecclesiastico, in Ecclesia cantare competit. *Cap. 3. De Pœnis.*

REGULA III.

E rebus, quæ Simoniæ materia sunt, non aliæ cxprimuntur in Canone, quàm istæ.

1o. Sacramentorum, quæcumque sint, Collatio. *Cap. 9. De Simon.* Cap. 15. CAUS. I. QUÆST. III.

2o. Baptismus. *Cap.* 99. 101. 103. 104. CAUS. I. QUÆST. I.

3o. Confirmatio. *Cap.* 99. 101. *cit.*

4o. Sacra Communio. *Cap.* 100. 105. *Ibid.*

5o. Absolutio Sacramentalis. *Cap.* 14. *De Simon.*

6o. Sacra Ordinatio, circà quam oon solum facienti & ministranti, sed & Notario quicquam exigere vetatur; Oleum Sanctum, sive Extrema-Unctio. *Cap.* 106. 113. *usque ad* 121. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 1. SESS. XXI. *Cap.* 15. CAUS. I. QUÆST. III.

7o. Beoedictio nuptialis. *Cap. 9. De Simon.*

8o. Sacrum Chrisma. *Cap.* 101. 105. 106. *Ibid.*

9o. Omnis Sacra Benedictio, & inter alias Abbatum. *Cap. 43. De Simon.*

10o. Ecclesiarum Dedicatio. *Cap.* 15. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 106. QUÆST. II. *cit.* QUÆST. III. Cap. 29. *De Præscript.* Cap. 15. *cit.* Idem de Altarium Consecratione.

11o. Sacræ Reliquiæ. *Cap. 2. De Reliquiis.*

12o. Ad gradus Ecclesiasticos promotio, sive sint Beneficia, sive Officia. Quod de Officiis dicit Canon, ad illa, quæ in Ecclesia gradum dant, sive quæ ab aliis quàm à Clericis exerceri oequeunt, restringendum visum est. *Cap.* 8. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 3. 8. 11. 15. CAUS. I. QUÆST. III. Cap. 8. *De Simon.*

13o. Sacerdotum institutio, licentiaque illos instituendi. *Cap. 41. De Simon.*

14o. Personarum Ecclesiasticarum ad Sedem deductio. *Cap. 9. De Simon.*

15o. Vicariatus, sive alicujus Diœcesis, sive alicujus Parochiæ. Sub Vicariatu Generali, Officialis commissio intelligitur, cùm, qooad Jurisdictionem contentiosam, Episcopi vices gerat Officialis; sicut quoad Voluntariam ejusdem vices gerit Vicarius Generalis. *Toto Titulo* 4. LIB. V. DIER. *Cap. 21. De Simon.* loqui videtur de Vicariis Paroch. dnm vetat pro Vicariis assignandis aliquid exigi. Idem dicendum de facultate hujusmodi Vicarios nominandi. *Cap.* 11. SESS. XXV. *De Reform.*

16o. A Censuris absolutio. *Cap. 24. De Simon.*

17o. Dispensatio quæcumque circà Leges Divinas vel Ecclesiasticas. *Cap.* 5. SESS. XXIV. *De Ref. Matr.*

18o. Licentia circà res spirituales, quales Prædicatio, Sacramentorum Administratio, Confessionum auditio. *Cap.* 2. SESS. V.

19o. Literæ Dimissoriæ, Literæ quæque Testimoniales de vitâ & moribus, aliæve similes. Cap. 1. *De Ref.* SESS. XXI.

20o. Sepultura. *Cap. 41. De Simon.* licentia sepeliendi. *Cap.* 105. CAUS. I. QUÆST. I.

21o. In Religionem ingressus. *Cap.* 2. 3. CAUS. I. QUÆST. II. *Cap.* 19. 25. 30. 34. *De Simon.*

22o. Temporalia spiritualibus accessoriè annexa; qualia quæ Beoeficiis annectuntur. *Cap.* 7. 8. CAUS. I. QUÆST. III. *Cap.* 6. 16. *De Jure Patron.* Cap. 10. *Eod. Tit. in prima Collect.*

23o. Jus Decimas vel Oblationes percipiendi. *Cap.* 13. CAUS. I. QUÆST. III. Cap. 9. *De Rerum Permut.* Cap. 5. *De Decim. in prima Collect.*

24o. Cujusvis domus Religiosæ (quales inter alias Gerontocomia, Xenodochia, Orphanotrophia) Administratio. *Cap.* 2. CAUS. I. QUÆST. VII. Quod de spitituali vel seorsim sumptâ, vel temporali conjunctâ, intelligendum videtur.

25o. Usus Pallii, similiumve Ornamentorum Ecclesiasticorum. *Cap. 1. De Simon.* Cap. 3. CAUS. I. QUÆST. II.

26o. Capellaniarum, sive Prioratuum, tàm Monachorum quàm Clericorum, commissio. *Cap. 8. De Simon.*

27o. Pensio Ecclesiastica. Cap. 17. *De Simon.* In eo enim per Beneficinm Ecclesiasticum quotannis exhibendum, intelligitur pensio Ecclesiastica.

28o. Vicedominatus, similisve alia Ecclesiasticarum rerum Administratio. *Cap. 38. De Simon.*

29o. Exemptio à Jurisdictione spirituali. *Cap. 10. De Transact.*

30o. Spirituale jus io Monasterium. *Cap. 3. De Simon. in quinta Collect.*

§. V.

Quomodo fieri possit, ut res, circà quam Simonia non versatur, fiat Simoniæ materia?

REGULA I.

Nulla res Simoniæ subjici potest, nisi vel Lege, vel Benedictione: Lege, ab habente potestarem condendi Canones, quales soli Episcopi; Benedictione, ab habente potestatem benedicendi, qualis nunc solus Presbyter.

REGULÆ RATIO: Ut Simoniæ quid subjiciatur, oportet ut Sacrum fiat, quod fit Benedictinne; vel ut statuatur id tanquam Sacrum habendum esse.

Nota, quod dum res, quæ Simoniæ materia non erat, fit quod non erat, cootrarium quid evenit, quàm cùm persona Sacramento ex se Matrimonii apta, Lege Ecclesiasticâ vel Sæculari inbabilis fit; ut quando oovi gradus propinquitatis constituuntur, vel solemniter Religiosam vitam voventium Matrimonia declarantur irrita: Priori enim casu, res profana à profano commercio educitur: In posteriori, persona ex Baptismo Sacra à re Sacrâ, cujus capax erat, excluditur.

§. VI.

Qui contractus prohibeantur circà res Simoniæ obnoxias?

REGULA I.

Citcà Simoniæ materiam, quæ sunt res spirituales vel spiritualibus annexæ, contractus omnes non gratuiti prohibentur & non alii.

REGULÆ RATIO quoad primam partem: Ex contractu non gratuito percipitur commodum temporale, qund in Simoniæ materia omninò prohibetur.

REGU-

Regulæ Ratio quoad secundam Partem: Ut fit Simonia, intervenire debet aliquod commodum temporale, vel promissum, vel perceptum, vel speratum; undè contractus gratuiti circà illius materiam prohiberi nequeunt.

Hine dicitur quod omnis pactio prohibeatur in rebus Spiritualibus: Hoc enim de pactione gratuita intelligendum videtur, cùm *v. g.* commodari possint & deponi Sacræ Reliquiæ similesve aliæ res Sacræ, quæ usu non consumuntur. *Cap.* 8. *De Pactis.* Cap. 34. *De Simon.*

REGULA II.

A Regulâ præmissâ excipienda est obligatio, quæ contrahitur ex determinatione temporalium, spiritualiumve, vi Canonici Juris vel Divini debitorum.

Regulæ Ratio: Obligatio ista est necessaria illius, quæ à Jure imponitur, consequentia.

Hinc Prælati, qui à Canone ad Visitationem aliorum obligantur, pacisci possunt de summâ sibi solvendâ propter Visitationem. *Cap.* 9. Caus. X. Quæst. III.

Hinc, quicumque sint, quibus ratione Spiritualium temporalia quædam jura debentur, sub pœnâ se obligare possunt ad non exigendum ampliùs quàm par est. *Cap.* 10. *ibid.*

Hinc Pallium Archiepiscopale petentibus eâ conditione offerri potest, ut Sacramentum exhibeant à Romano Pontifice præscriptum, modò iniquum nihil contineat *Cap.* 4. *De Elect.*

Quod de conditione ista dictum mox est, ad similes extendendum est.

Hinc conventiones super Decimis fieri possunt inter personas, quarum aliæ aliis Decimas debent. *Cap.* 3. *De Decimis.*

REGULA III.

Transactio, quæ est contractus pro bono pacis initus, circà Sacras res adeò prohibetur, ut de jure non teneat. *Cap.* 8. *De Pactis.* Cap. 9. 10. *De Transact.*

Hinc quoties fiunt hujusmodi transactiones sub Superioris, qui à Canone dispensare potest, beneplacito, faciendæ sunt; dummodò tales sint, quæ solo Jure Ecclesiastico prohibeantur; aliàs nullatenùs faciendæ sunt.

§. VII.

Quibus modis committatur Simonia?

Simonia considerari potest, vel respectu dantis, vel respectu accipientis, vel ratione rei datæ & acceptæ.

REGULA I.

Ex parte dantis Simonia non fit, nisi duobus modis.

I. Si offerat rem temporalem ut spiritualem accipiat.

II. Si temporalem rem exigenti dare consentiat.

REGULA II.

Ex parte accipientis non fit Simonia, nisi duobus modis.

I. Consentiendo spiritualem rem dare pro oblata re temporali.

II. Exigendo rem temporalem pro re Spirituali.

REGULA III.

Ex parte rei datæ & acceptæ tribus modis fit Simonia, idque quia triplex res temporalis pro spirituali dari & accipi potest.

Nempè munus ab obsequio, quod est subjectio indebitè impensa; Munus à lingua, quod est favor promissus, sive preces pro indigno, quæ ob autoritatem precantis audiuntur. Munus à manu, quod est pecunia, aliave res similis; quidquid enim ab homine possidetur, sub pecuniæ nomine comprehenditur. *Cap.* 114. Caus. I. Quæst. I. Cap. 11. 24. *De Simon.* Cap. 115. *Ibid.* Cap. 6. Caus. I. Quæst. III.

Nota inter dantes à Jure Canonico recenseri.

1°. Qui sibi vel Ecclesiæ debita temporalia pro spirituali re acquirenda non repetere promittit. *Cap.* 1. Caus. VIII. Quæst. III.

2°. Qui jura sibi debita remittere pollicetur. *Cap.* 10. *De Testib.*

3°. Qui consentit, ut sibi debita retineantur. *Cap.* 7. *De Transact.* Cap. unico. *Ut Benef. sine diminutione &c.*

Hæc tria, etsi idem esse videantur, contrarium patet ex ipsâ Textuum citatorum lectione.

§. VIII.

Quo Jure prohibeatur Simonia?

An Canonico Jure vetetur Simonia non est dubium, cùm nullum sit peccatum quod Jure isto frequentiùs prohibeatur; sed dubitari potest de quibusdam rebus circà quas versatur Simonia, An circà illas solo Jure Canonico prohibeatur, num etiam Jure Divino & Jure Naturali? Sed priusquàm solvatur hoc dubium, statuendum est, Simoniam in se sumptam prohiberi Jure Divino & Jure Naturali, necnon & Jure Civili; quod facillimè statuitur autoritatibus deductis è Jure Canonico; nam 1°. Quicumque Canones prohibent Simoniam tamquam oppositam Christi Præcepto, *Gratis accepistis, gratis date*, & hi innumeri sunt, ostendunt, Simoniam Jure Divino prohiberi. 2°. Canones, qui prohibent Simoniam tamquam rem injustam, tamquam turpe lucrum, tamquam primogenitam avaritiæ vel ambitûs filiam, ostendunt illam Jure Naturali prohiberi. 3°. De prohibitione verò à Jure Civili facta patet ex *Cap.* 4. Caus. XV. Quæst. III. quod desumitur è *Cap.* 1. Cod. *Tit.* 3. Lib. XXI. & Cap. 17. *de Simon.* in quo per Humanas Leges, quibus contraria dicitur Simonia, tàm Civiles quàm Ecclesiasticæ intelligi possunt.

REGULA I.

Certum est quamplures in Corpore Juris Canonici haberi Casus Simoniacos solo Jure Canonico prohibitos.

REGULA II.

Casus hujusmodi non alii esse videntur, quàm isti.

1°. Hi omnes, qui prohibentur, non quia temporale aliquid datur pro Spirituali, sed quia aliis modis Sacræ res ut profanæ tractantur.

Hinc, ad Simoniam purè Canonicam pertinent casus, in quibus circà res, aut in toto, aut in præcipua illarum parte spirituales, transigitur, vel Beneficia permutantur, vel in favorem resignantur, vel cum pensione ad Resignantis sustentationem necessaria, vel cum clausula de regressu quem poscit Ecclesiæ utilitas. *Cap.* 7. Sess. XXV. Cap. 7. 10. *De Transact.* Cap. 5. *De Permut.*

2°. Hi omnes, in quibus prohibetur, ne voluntariè etiam oblata pro Sacramentis, aliisve similibus rebus accipiantur. Caus. I. Quæst. I. Cap. 101.

3°. Casus, in quo prohibetur, ne quid exigatur pro Balsamo, vel luminaribus, aliisve rebus similibus, id enim Divino Jure prohiberi non potest, cùm exactio non fiat tunc pro re Sacrâ, sed ad sumptus faciendos pro rebus Sacris præparandis. *Cap.* 102. 106. *Ibid.*

4°. Casus, in quo vetatur omnis exactio pro Monachorum receptione, si prohibitio extendatur ad Monasteria, quorum facultates ad recipiendorum sustentationem non sufficiunt, sicut in pluribus Canonibus ad illa extendi videtur, cùm indiscriminatim fiat. *Cap.* 3. Quæst. II. *Ibid.*

5°. Casus,

5°. Casus, in quo prohibetur, ne quid exigatur pro Canonicorum receptione, etiam in Ecclesiæ Fabricam aliosve pios usus consumendum, imò ne sine exactione aliquid recipiatur. *Cap.* 9. QUÆST. III. *Ibid.*

6°. Casus, in quo vetatur, ne pro sepulturâ, similive re, aliquid antè vel post exigatur; fieri enim potest, ut Jure Divino hujusmodi exactio licita sit, ut, *v. g.* si necessaria sit ad Ministrorum Sacrorum sustentationem, si quod exigitur Consuetudine legitimè præscriptâ jam sit acquisitum. *Cap.* 105. QUÆST. I. *Ibid.*

7°. Casus in quo prohibetur Notario Ordinationis, ne quid accipiat, vel saltem ne quid exigat; permittitur enim aliis in locis, ut accipiat, imò ut modicum quid exigat pro labore suo. Confer ad hoc *Cap.* 3. 4. CAUS. I. QUÆST. II. & *Cap.* 1. SESS. XXI. *De Reform.*

REGULA III.

Certum est Simoniam, qua quis Sacros Ordines, qui Sacramenta sunt, sibi procurat, Jure Divino prohiberi, sicut & Simoniam, quâ alia Sacramenta emuntur & venduntur. *Cap.* 101. QUÆST. I. CAUS. I. *& alibi passim*; Sed præcipuè ubicumque dicitur Spiritum Sanctum vendere, qui Ordines vel alia Sacramenta vendit.

REGULA IV.

Certum est Simoniam, quæ circà Beneficia, quibus Ordinis Sacramenta annexa sunt, Jure Divino prohiberi.

Infertur clarissimè ex præcedenti.

REGULA V.

Certum quoque videtur Simoniam, qua, intercedente pecuniâ, Ordines Minores, Tonsura, Beneficiaque simplicia, comparantur, Divino Jure prohiberi. *Cap.* 9. CAUS. I. QUÆST. III. *§. Quod si quis*; ubi qui Beneficium vendit, dicitur Divinorum Præceptorum immemor; undè idem concludi potest à minori ad majus de Censura, & quolibet Ordine Minori, cùm Beneficium non sit Spirituale, ideoque invendibile, nisi quia annexa habet munia Clericalia. Idem infertur ex *Cap. præcedenti*, in quo URBANUS II. docet, illum qui vendit rerum Ecclesiasticarum administrationem, Spiritum Sanctum quodammodo vendere. Idem quoque colligitur ex *Cap.* 17. *De Simon.* in quo ALEX. III. Simoniam esse declarat Divinis & Humanis Legibus contrariam, qua quis hominagium Prælato Ecclesiastico indebitum præstando sibi comparat Ecclesiasticam pensionem. Ex *Cap.* 5. DIST. XXIV. ubi de Simoniacis Ordinandorum examinatoribus indistinctè dicitur, se Spiritûs Sancti donum vendere conari; id autem ita dictum videtur, vel quia creditum est Ordines inferiores cum dispositione congrua susceptos gratiam allicere, vel quia considerati sunt tamquam Ordinum Superiorum participationes, qui Spiritûs Sancti dona sunt, non solùm ob annexam sibi gratiam sanctificantem, sed etiam ob conjunctas sibi potestates, quas inter dona gratis data annumerare fas est. *Ex Cap.* 8. CAUS. I. QUÆST. I. in quo *Conc.* CALCEDONENSE de qualibet Ordinatione loquens dicit: *Illum, qui per pecuniam Ordinationem facit, sub pretio redigere gratiam quæ vendi non potest.* Ex *Cap.* 1. CAUS. I. QUÆST. III.

§. IX.

An Juris conditor condito circà Simoniam Juri subdatur?

Duplex Juris genus circà Simoniam condi potest: Aliud, quo aliquid à Deo jam prohibitum, sub Ecclesiasticis pœnis prohibetur quoque, ideò Divinum circà Simoniam Jus declaratur, pœnæque adjectione ut servetur, curatur: Aliud, quo res à Deo non prohibita, prohibetur, idque propter apparentem in ea re Simoniæ similitudinem, quo ideò nova circà Simoniam obligatio imponitur.

De priori Juris genere non est Quæstio, nisi quantùm ad id quod Divino Juri adjicit.

Circà posterius vertitur dumtaxat difficultas: Hoc autem Juris genus condi potest, vel ab Episcopis seorsim sumptis, à singulis scilicet Episcopis, vel ab Episcopis congregatim consideratis, nempè à Concilio, vel Particulari, vel Generali.

Prætereà condendum vel conditum circà Simoniam Jus non est ex se tale, quod solos Inferiores respiciat; non enim Inferiorum erga Superiores Officia definit, præscribitve, cùm, quemadmodùm Inferioribus prohibet ne emant, ita Superioribus vetet ne vendant.

Ad hæc in condito circà Simoniam Jure duo sunt distinguenda; probibitio, & ratio prohibitionis; undè contingere potest, ut qui Juri huic non subjicitur ratione prohibitionis, propter prohibitionis causam ipsi subdatur. Distinguendum est quoque in eodem Jure pœna à prohibitione; multi enim prohibitioni subsunt, qui à pœnâ eximuntur.

REGULA I.

Ecclesiastico circà Simoniam Juri subest quisquis illius Autor est, donec immutetur.

Infertur ex *Cap.* 2. 3 DIST. IV. *Cap.* 2. DIST. IX. nam si justa esse debet Ecclesiastica Lex, sicut Lex Civilis; si judicandum sit juxtà Leges postquàm institutæ sunt & firmatæ; si Prælati juxtà suos Canones, sicut Principes juxtà Leges suas, vivere teneantur; sequitur Conditorem Juris circà Simoniam huic Juri subesse, aut propter prohibitionem, aut propter prohibitionis causam, atque, sicut in judiciis, ita & extra judicia Jus à se conditum sequi debere.

Nec obstat quod suprà jus esse dicatur Juris conditor *Cap.* 4. *De Conceff. Præb.* Id enim dicitur tantùm propter dispensandi potestatem, ut legenti patebit; & si ad illam potestatem non restringeretur hic locus, sanissimè explicari posset de liberâ Jus immutandi facultate, quando id poscit publica utilitas.

Nec obstat etiam quod habetur in fine *Conc.* TRIDENTINI, nempè quod in omnibus circà Disciplinam Decretis salva sit Sedis Apostolicæ autoritas: Non enim hinc inferri potest quod Decretis circà Simoniam Papa non subjiciatur, sed tantùm quòd posset de iis, sicut & de aliis, justam ob causam dispensare, illaque ob similem causam immutare.

Nec obstat iterùm quod legitur apud GRATIANUM CAUS. XXV. QUÆST. I. *in fin.* nimirùm in omnibus Canonibus exceptam intelligi autoritatem Papæ, idque inferri posse ex eo, quòd in quibusdam expresè excipiatur: Nam præterquàm quod non tantæ est GRATIANUS autoritatis, ut præmissæ Regulæ fundamento prævaleat, congruè explicari potest, ut præcedentia loca opposita exposita sunt.

Ad Regulæ confirmationem notandum est, indubium videri, factam à Concilio circà Simoniam prohibitionem suos ligare Autores, cùm quodlibet Concilii membrum seorsim sumptum ipsi sit Concilio inferius, istamque ob causam ad eosdem extendi pœnam prohibitioni annexam, nisi ejus sit generis, ut obnoxii illi non sint, nisi in prohibitione nominatim exprimantur.

Pari ratione Traditio Ecclesiæ Romanæ contrà Simoniam à LAUNOIO ex Actis contextam per testimonia ad id aptissima Summorum Pontificum à PETRO usque ad suam ætatem demonstrat, ipsos se agnovisse suis Legibus contrà Simoniam, quam tanto zelo damnarunt, obnoxios esse, cùm sint præcipua Ecclesiæ membra, in cujus utilitatem tot prohibitio-

biriones fecerunt. Hanc traditionem habes *Tom. II. Part. 2. p. 451.* Collecta est autem, ut Ecclesia illa, cui Simonia exprobrari solet, ab omni suspicione hujus vitii approbationis libera exhiberetur.

§. X.

Quæ circà Simoniam Consuetudines generatim vel nominatim à Jure Canonico reprobentur?

REGULA I.

Omnis Consuetudo, quâ pro re Sacrâ spirilituali temporale aliquid aliàs indebitum extorquetur, vel exigitur, à Jure Canonico generatim reprobatur. *Cap.* 9. 39. *De Simon.*

Regulæ Ratio: Omnis indebiti exactio injusta est, ac circà rem Sacram, etiam sacrilega; unde de hujusmodi exactionibus jamdiù fieri consuetis Canones dicunt tantò graviora esse crimina, quantò infelicem animam diutiùs tenuerunt alligatam.

Nota, ad rem Sacram spiritualem nos ideò Regulam restrinxisse, quòd scientia sit res spiritualis, pro qua tradenda temporale aliquid sine Simonia exigi potest, ac exigi consuevit; undè Consuetudines hujusmodi inter probibitas circà Simooiam ineptè collocarentur.

Nota iterùm, restrictam esse Regulam ad indebiti exactionem; quia, cùm à Canone vel à Superiore Ecclesiastico justa de causa spiritualium administrationi vel communioni jura temporalia annexa sunt, exigi possunt sine Simonia, utpotè tunc debita: Undè à Canonicis præfixæ pro Divini celebratione Officii distributiones, à Parochis verò præscriptæ pro sepulturis, pro anniversariis, aliisve, hujusmodi eleemosynæ peti solent quin Simoniæ insimuleotur.

Idem dicendum de Monasteriis, quibus ob paupertatem indultum est, ut necessariam congruæ recipiendorum recipiendarumve sustentationi pecuniam, eo tantùm fine, vel saltem alio simili. petere queant. Hinc etiam Procurationes pro Visitatione, vel Consecratione Ecclesiarum à Canone præceptæ, peti possunt. *Cap.* 10. *De Simon.*

Nota denuò, Sacras spirituales res, de qoibus Regula, illas esse quæ collectæ sunt *§. De iis circa quæ versatur Simonia.*

REGULA II.

Quæcumque Consuetudo Simoniæ Divinæ favens, à Jure Canonico generaliter reprobatur. *Cap.* 11. *De Consuet.* quo damnantur Consuetudines Juri Divino contrariæ; qualis de quâ Regula.

Nota circà hanc Regulam, quod Canones, qui docent Consuetudinem Simoniæ peccatum non minuere, sed augere, de Consuetudine Divino Juri contrariâ loquantur; tales sunt *Cap.* 8. 9. *De Simon.*

Nota denuò Consuetudinem, quæ ex solâ cupiditate oritur, Juri Divino esse contrariam, ideòque ad istam citatos Canones extendi.

REGULA III.

Quas circà Simoniam Canonicum Jus reprobat Consuetudines, hæ sunt.

I. Quâ à recipiendis Canonicis aliquid exigitur pro pastu. *Cap.* 15. Caus. I. Quæst, III. *Cap.* 19. *De Simon.*

Idem de Religiosis dicitur Extravag. I. *De Simon.*

II. Quâ pro Sepulturâ, Chrismate, Olei receptione, aliquid petitur. *Cap.* 8. 16. 36. *De Simon.*

III. Quâ tàm pro iisdem rebus, & similibus (qualis nubentium Benedictio, aliorum Sacramentorum Collatio) quam pro mittendis Episcopis, Abbatibus in Sedem, vel Presbyteris in Ecclesiam introducendis, aliquid requiritur. *Cap.* 9. *ibid.*

Nota quod, cùm propter tot factas ab Ecclesia, ne quid pro Chrismate exigeretur, prohibitiones, nomine Chrismatis aliquid exigere puderet Episcopos, pœnasque Canonicas effugere cuperent, juris, quod pro Chrismate exigebant, quodque ideò vocabatur *Nummi* vel *Denarii Chrismales*, nomen mutarunt, illudque appellarunt, nunc *Cathedraticum*, mox *Præstationem Paschalem*, vel *Denarios Paschales*, aliquando *Episcopalem Consuetudinem*, interdum *Consuetudinem mediæ Quadragesimæ:* Hujus postremi nominis causa fuit, quod hujus Juris solutionem anticipantes, quod tempore Paschali priùs exegerant, mediâ Quadragesimâ exegerunt. *Cap.* 16. 36. *De Simon.*

Hinc conjectari licet, qualis fuerit similium Jurium, quæ nunc ut legitima habentur, prima origo; nempè exigentium obstinatio, quam propter succedentem illorum indigentiam, impunitam dimisit Ecclesia, judicans propter necessitatem permittendum, quod ad reprimendam suorum Ministrorum avaritiam toties vetuerat.

IV. Quâ, pro Ecclesiarum investiturâ, Archidiaconi Provinciæ Cantuariensis Marcham Argenti, Decani verò vaccam albam, vel certam pecuniæ quantitatem postulabant. *Cap.* 36. *De Simon.*

V. Quâ, pro Episcoporum consecrationibus, Abbatum Benedictionibus, Clericorum Ordinationibus, taxatam pecuniæ quantitatem exigi consuevit. *Cap.* 39. *De Simon.* Cap. 2. *De Simon. in quintâ Collect.*

VI. Quâ Archiepiscopi, Episcopi, Archidiaconi, vel Officialis ipsorum pro benedictione, seu installatione Abbatum, vel pro recipiendâ ab eis professione, palefridum, vel quidvis aliud exigunt. *Cap.* 45. *De Simon. in parte decisâ.*

VII. Quâ, sub annuo pretio Sacerdotes ad animarum curam statuuntur: Consuetudo ista in eo sita erat, quod quibus animarum cura incumbebat, illam Sacerdotibus committebant eâ lege, ut censum annuum sibi solverent. Ex Inscriptione Tituli, sub quo *Cap.* de hac Consuetudine loquens collocatur, ipsius explicatio clarè & certè colligitur. *Cap.* 3. *Ne Prel. vices.*

VIII. Quâ scyphus argenteus exigebatur à Canonicis recipiendis. *Cap.* 2. *De Consuet. in Collect.* 5.

Nota, inter Consuetudines memoratas, nonnullas esse, quæ posteà ut laudabiles ab Ecclesia probatæ adeò sunt, ut illarum observationem nedùm præceperit, sed & Episcopis, ut ad illam cogerent Ecclesiasticis Censuris, injunxit; tales inter cæteras esse, quæ Chrisma, Sepulturam, institutionem Corporalem respiciunt: id autem factum, quia *cessante causâ cessat effectus*, ac quæ ideò mala sunt, quod ex mala causa nascantur, bona fiunt, si ex bona causa procedant: Prædictæ siquidem Consuetudines malæ fuerunt, quamdiù ex iniquâ ac execrandâ cupiditate natæ, ex eadem conservatæ sunt; at bonæ factæ sunt statim ac ex justa & laudandâ charitate profectæ, ex eadem fautæ ac manutentæ sunt: Iniquum ac execrandum videbatur & erat Sacras res profano lucro famulari: Justum ac laudandum fuit Sacrarum rerum Ministris necessaria subministrare; Jure ergo damnatæ sunt Consuetudines hujusmodi, quamdiù turpissimo lucro comparandæ inservierunt, ac meritò probatæ, ex quo in necessariam versæ sunt Ministrorum sustentationem.

§. XI.

De Consuetudinibus circà Simoniam generatim vel nominatim approbatis à Jure Canonico.

REGULA I.

Quævis circà Simoniam Consuetudines piâ fidelium devotione introductæ, à Jure Canonico generatim approbantur. *Cap.* 42. *De Simon.*

Regu-

Regulæ Ratio. Quæ piâ fidelium devotione fiunt, sunt Religionis vel misericordiæ actus; undè isto modo introductæ Consuetudines laudabiles sunt, ideòque approbandæ.

Nota hic sermonem non fieri de devotione cæcâ, ideòque falsò piâ, sed de illa, quæ fidei lumine dirigitur, quæ sola dici pia Jure potest, quæ à Divo Paulo rationabile obsequium vocatur. Undè non probantur hic Consuetudines quibus v.g. 1°. plùs pecuadaretur pro Missa Spiritûs Sancti, quàm pro aliâ; plùs Sacerdoti nobili, quàm ignobili; eâ opinione qood Missa Spiritûs Sancti, vel Sacerdotis nobilis majoris sit valoris, quàm alia. 2°. Qoibus pecunia daretur eo fine, ut res Sacræ compararentur. 3°. Majus quid offerretur pro Missa defunctorum cum vestibus nigris, certisque Orationibus dicendâ, quàm pro eadem alio modo dicendâ; quibus Oblationes imparis numeri trium scilicèt, vel quinque, vel septem solidorum fierent. Quod de solidis ad candelas aliasve res extendendum, cum spe majoris hinc percipiendi fructûs.

Probantur verò Consuetudioes, quibus res nonnullæ offeruntur, vel in solam Ministrorum sustentationem, vel in solum Dei honorem, vel in utrumque finem. Tales inter alias sunt Consuetudines, quibus plùs daretur Ministro pauperi, quàm diviti; major fieret Oblatio solemnioribus diebus, quàm aliis.

REGULA II.

Quæcumque Consuetudo circà Simoniam Ecclesiasticam legitimè præscripta, à Jure Canonico generaliter approbatur. *Cap.* 11. *De Consuet.*

In quo Consuetudines Divino & Naturali Juri non contrariæ, si legitimæ præscriptæ sint, approbantur. Consuetudo de quâ Regula, non est contraria Divino Juri, oec Naturali, cùm Simonia purè Ecclesiastica neutri adversetur.

REGULA III.

Non alias probat nominatim Consuetudines, quibus pro Sacris rebus aliquid datur, quàm istas,

1°. Quâ pro Sacramentis liberè, *id est*, sine pacto collatis, aliquid ultrò offertur. *Cap.* 42. *De Simon.*

2°. Quâ pro Litteris Dimissoriis Testimonialibus aliquid accipitur. *Cap.* 1. Sess. XXI.

REGULA IV.

Nulla est pro re Spirituali & Sacrâ aliquid exigendi Consuetudo, quæ ut laudabilis in Jure Canonico nominatim approbetur.

REGULA V.

Episcopi est judicare an Consuetudines circà Simoniæ materiam laudabiles sint, an vituperandæ; & laudandas probare, alias verò rejicere. *Cap.* 14. Sess. XXIV. *De Reform.*

REGULA VI.

Episcopis præceptum est ut qui laudabiles circà Simoniam Consuetudines infringere nituntur, per Censuras Ecclesiasticas compescant. *Cap.* 42. *De Simon.*

§. XII.

Casus qui Simoniaci videntur, & non sunt.

REGULA

Non alii in Corpore Juris Canonici reperiuntur casus qui Simoniaci videantur, & non sint, quàm isti.

1°. Si quæ Ecclesia ex alterius Jurisdictione eximatur ab Ecclesia Romana, sine Simonia eidem Romanæ Ecclesiæ annuum censum solvit in indicium perceptæ libertatis. *Cap.* 10. *De Privil. In* 6.

Casus iste ideò Simoniacus videtur, quia si quæ Ecclesia aliam à suâ Jurisdictione liberet, ea conditione quod Ecclesia liberata liberanti annuam pensionem solvat, Simonia committitur; idque, quia interveniente pacto temporale dator pro Spirituali: Simoniacus autem non est, quia census prædictus ad exemptionem impetraudam non promittitur, nec intuitu census illius exemptio conceditur, sed post impetratam exemptionem in indicium libertatis concessæ, ut exemptionis memoria conservetur. *Cap.* 10. *De Transact.*

2°. Si à Capitulo honestum aliquod onus vacanti Præbendæ justa de causâ imponatur, quale est de Beata Maria Missam quoadiè celebrandi onus, eoque imposito conferatur. Simoniæ speciem casus iste præ se fert, quia onus qood imponitur huicce Præbendæ in Collatorum utilitatem cedit, cùm anoiversariis ad quæ tenentur eo modo gratis satisfiat: Nihilominus Simoniæ veritatem in se non habet quia ut impositio justa sit, qualis esse debet ut sine Simonia fieri queat, oportet ut onera similia aliis Præbendis annexa sint, atque ut consequenter impositione hujusmodi Præbendarius oovus commonis laboris socius fiat, qui communis retributionis futurus est particeps. *Cap.* 11. *De Preb.*

3°. Si electi à litigantibus circà Beneficium Arbitri alteri Beneficium assignent, alteri peosionem annuam ex eodem Beneficio deducendam. Simonia in eo inesse videtur quòd pensio res merè temporalis detur pro jure habito super Beneficio, quod jus est Spirituale: Abest tamen, quia pensio hujusmodi est Ecclesiastica, ita ut à solo Clerico possideri possit; emi, vel vendi nequeat. *Cap.* 21. *De Preb.*

4°. Si Episcopus Monasterio concedens Ecclesias ad illud pertinentes, juraque in illas Episcopalia remittens, annuam pensionem sibi reservet. Simoniacus autem videtur casus iste, quia concessione, de quâ loquitur, à Jurisdictione Ecclesias prædictas eximit Episcopus, & pro hujusmodi exemptione, quæ Spiritualis res est, annuam pensionem, quæ temporale quid est, sibi reservat: Nihilominus non est Simoniacus, quia inter remissa jura quædam sunt temporalia, quale est tertia pars mortuariorum, qood in *Cap. cit.* exprimitur, similiaque, quorum locum tenet memorata pensio. *Cap.* 6. *De Religios. Domib.*

5°. Si duo super re Spirituali litigantes super eadem re compromittant, Simoniam committere videntur: compromissum enim est contractus, cùm nihil aliud sit, quàm mutua promissio de stando Judicio electorum mutuo consensu Arbitrorum; cootractus autem circà Spiritualia Simoniacæ pravitatis speciem vel veritatem in se babent, eamque ab causam prohibeotur. Simoniam tamen noo committunt hujusmodi compromittentes, cùm super re Spirituali oon immediatè cadat compromissum, sed super lite circà rem Spiritualem. *Cap.* 9. *De Rerum Permut.*

§. XIII.

Quotuplex sit Simonia?

REGULA I.

Septuplex esse Simoniæ genus ex dictis consequitur.

Hinc enim patet Simooiam dividi posse 1°. In Divinam, quæ Divino Jure prohibetur; & in Ecclesiasticam, qua intelligitur Simonia, quæ solo Jure Canonico vetatur.

2°. Io veram, quæ fit dum res Sacra intuitu pecuniæ, similisve rei traditur; & similitudinariam, quæ committitur dum Sacra res datur ob exhibitum obsequium, vel ob preces pro indigno factas, vel ad mundanam amicitiam, vel favorem captandum.

3°. In

30. In Simoniam Realem, quæ re fit, qualis qua datur & accipitur pecunia, pro re Sacra comparanda: Conventionalem, qua ea una parte pecunia propter rem Sacram, ea aliâ res Sacra propter pecuniam promittuntur; & Mentalem, qua commodum temporale ea re Sacrâ percipiendum præcipuè intenditur, ut fit dum res Sacra omitteretur, nisi tale commodum speraretur. *Cap.* 34. *De Simon.*

Non diffitendum alias fieri posse Simoniæ divisiones, circà Simoniam ex parte materiæ desumptas; nempè in Simoniam circà Sacramenta, circà Ordines, circà Beneficia, circà nonnulla Ecclesiastica Officia, circà Missas, circà Sepulturas, aliaque hujusmodi: Sed cùm divisiones istæ ad præmissas reducantur, tanquàm vanæ omittendæ sunt. Fatendum etiam Simoniam veram subdividi posse in illam, quæ verè fit, qualis de quâ suprà; & illam quæ videtur fieri, qualis qua aliquid pro Sacramentis ultrò antè vel post datur, vel post petitur: sed cùm de quolibet Simoniæ genere dici possit quod sit verum vel apparens, hinc non rectè desumerentur novæ Simoniæ species.

Non omittendum, Simoniam conventionalem subdividi posse in purè conventionalem, quâ intelligitur illa, quæ neutra ex parte completa est; & semirealem, quæ est illa, quæ una ex parte perfecta est. Hæc divisio eadem est ac illa, quæ fieret in Simoniam consummatam & non consummatam, quæque in tertia continetur.

§. XIV.

Quid cuique Simoniæ generi peculiare?

REGULA I.

Simoniæ Divinæ peculiare est, quod nec mutationi, nec Dispensationi obnoxia sit; Ecclesiasticæ verò, quod utrique.

Regulæ Ratio. Utraque causæ suæ conditionem sequitur; Jus enim Naturale Divinum, quale quod Simoniam vetat, immutabile est, ac indispensabile; Jus verò Ecclesiasticum, quale quo Simonia Ecclesiastica prohibetur, est mutabile & dispensabile.

Hinc factum, ut consuetudinum circà Simoniam quædam semper damnatæ sint, aliæ verò quandoque damnatæ, quandoque approbatæ.

REGULA II.

Simoniæ veræ peculiare est (si cùm similitudinaria comparetur) quod nedum gravior sit, sed & sola propriè sumpta Simonia: quodque ea, quæ docet Canon de pœnis ac de effectibus Simoniæ, si primum tamen excipias, ad veram restringenda sint.

REGULA III.

Singulare hoc habet similitudinaria, quod æquè communiter cognita ac commissa, omninò impunita sit.

REGULA IV.

Mentali proprium est, quod omnium communissima sit, quodque ut à solo Deo cognita, ita ab eo solo punienda sit. *Cap.* 34. 46. *De Simon.*

REGULA V.

Realis Simonia respectu Simoniæ purè conventionalis peculiare hoc habet, quod omnibus pœnis contra Simoniam latis subdatur, omnesque Simoniæ convenientes effectus operetur, idque ut certum ab omnibus habeatur; ista verò, nec pœnis omnibus subjiciatur, nec effectus omnes operetur, atque istud indubium omnes judicent. Si autem cum conventionali semireali comparetur, hoc unum sibi proprium est, quod inter omnes convenit Simoniæ pœnis subesse, & effectus producere. De ista verò à nonnullis dubitetur, an illis pœnis subjiciatur, an effectus istos producat, etsi à Jure utrumque ipsi tribui videatur.

Variis factis quæ continet Regula solum ultimum Jure Canonico probabimus; cætera enim non egent probatione, quia vel à nemine negantur, vel solâ ratione patent.

Factum ergo quod probandum incumbit, nempè, quod in Corpore Juris Canonici Simonia semirealis eosdem effectus habere, & iisdem plecti pœnis ac Simonia realis videatur, variis Juris Canonici Textibus probari potest.

Nam 1°. *Can.* 5. Quæst. III. Caus. I. *Conc.* Placent. *sub* Urbano II. declarat nullam omnem acquisitionem, datâ vel promissâ pecuniâ, super re Sacra factam. Quod de promissione consummatâ non est intelligendum: Hæc enim differt à datione, potiùs nomine quàm re.

Nam 2°. Calixt. III. *Cap.* 27. *De Simoniâ* reprobandam dicit electionem, promissione Simoniacâ interveniente factam.

Nec obstat quod illam electionem Calixt. non declaret irritam, sed dicat irritandam, prout interpretatur Epigraphes Autor: nam electio Simoniaca nondum erat irrita, ut patet *Cap.* 59. *De Elect.* in quo dicitur, quod si reprobetur Simoniaca electio, *id est*, si cassetur; & ex II. Extravag. Comm. *De Simon.* in quâ tanquam novum jus introducitur, quod Simoniaca Beneficii dispositio irrita sit, si Simoniacè fiat.

Louet *in Regul. de Publ. Resign. n.* 30. existimat provisionem, qua vi conventionis Simoniacæ Beneficium obtinetur, nullam esse.

Hujus Ratio esse potest, quod provisio vi temporalis promissionis facta, non est gratuita, cùm sit pretio æstimabilis, & pecuniæ æquipolleat hujusmodi promissio.

Nam 3°. Innoc. III. *Cap.* 37. *De Simon.* definit Simoniacâ promissione ad Ordines præsentatum inhabilem esse, tùm ad exercendos sic susceptos, tùm ad promotionem ad Superiores. Idem Innoc. *Cap.* 45. *De Simon.* Simoniæ pœnis subjicit Simoniacâ promissione ad Ordines præsentatum & ordinatum, Præsentatorem & Ordinatorem.

Nam 4°. Quando Paulus II. declarat suspensos ab Ordine suscepto, qui Simoniacè illum receperunt, generaliter loquitur, non distinguens inter Simoniam promissione commissam, & Simoniam datione patratam, sicut distinguit, quando excommunicat ipso facto Simoniæ Autores & Mediatores; hìc enim de Simonia dando & recipiendo commissâ expressè loquitur; undè inferre licet conventionalem Simoniam in Priori hujus Decreti Parte comprehendi, non verò in posteriore.

Nam 5°. *Conc.* Trid. *Cap.* 14. Sess. XXIV. *De Ref.* Simoniacos per promissiones iisdem pœnis subjicit, ac Simoniacos per dationem & receptionem.

Nam 6°. Greg. XI. & Pius V. in VII. Decretalium Lib. V. *Tit.* 11. *De Simon.* promittentes ac dantes pro re Spirituali eodem modo puniunt.

Opponi potest *Cap.* 11. *De Simon.* in quo Alex. III. videtur insinuare illum, qui alterius electioni consensit propter promissum sibi Beneficium, non esse ut Simoniacum puniendum, nisi convictus vel confessus fuerit in Jure se promissa recepisse: Sed Respondendum, hic agi de quibusdam Clericis, de quibus dicebatur accepisse Beneficia promissa, ut electioni, quæ illos partim spectabat, consentirent; atque circà istos docere Alex. III. quod si convicti fuerint criminis, cujus accusabantur, perpetuò deponendi sint; sin autem de illo infamati tantùm sint, Canonica purgatio ipsis indicenda sit: Imò Textus objectus favet Sententiæ hîc propugnatæ, cùm silentium imponat Parti ob solam promissionem sibi factam præsentari petenti. Gonzal. in *Caput hoc num.* 7.

REGULA VI.

Extra dubium habendum, Simoniam semirealem quoad pœnas & effectus cum reali convenire, saltem in casibus qui in Jure exprimuntur.

Patet Regula ex eo quod eirati Canones eodem loquuntur modo de Simoniâ semireali quoad pœnas & effectus, ac alii de Simoniâ reali.

Regula ad casus in Jure expressos restricta est, quia in rebus odiosis, quales sunt pœnæ, à casu ad casum extensio non est facienda.

Addita est hæc vox *saltem*; quia cùm quas habemus circa Simoniam Constitutiones, de industria conditæ non sint, ut quidquid illam spectaret debitæ Regulæ subjiceretur; sed potiùs datâ occasione, prout casus propositi, vel abusus præsentes, postularunt. Fieri potest, ut si qui casus in Jure non exprimantur, non procedat ex eo quod illos casus in sua Constitutione comprehendi noluit Legislator; sed ex eo potiùs quòd non occurreraot.

Non obstat quod pœnæ in crimina latæ locum non habent, nisi crimen consummatum sit; quia, cùm odiosæ sint, restringendæ, sunt ad actionem omninò consummatam. Excipitur enim semper casus, in quo Jus contrarium declarat; Textus autem suprà citati docent Simoniam semi realem consummatam pœnis in Simoniam statutis subjici.

§. XV.

Propter quas causas Simonia prohibeatur?

REGULA I.

Causarum hujusmodi duplex est genus; aliæ enim in Canone distiuctè exprimuntur, aliæ tantùm confusè.

Causæ prioris generis hæ sunt.

1°. *Gratis accepistis, gratis date*; res enim quæ sunt Simoniæ materia procedunt ex merâ Dei liberalitate erga homines; ideoque sicut ex solâ Dei liberalitate accipiunrur, ex simili liberalitate aliis communicandæ sunt. *Cap* 101. CAUS. I. QUÆST. I.

2°. Ne fiat Spiritui Sancto injuria; res siquidem Sacræ, quæ Simoniæ subjacent, Spiritus Sancti invocatione Sacræ fiunt, & inter illas sunt multæ, quæ Spiritus Sancti gratias conferunt; facta ergo per Simoniam rebus Sacris injuria, in Spiritum Sanctum redundat, illarum pretii ac valoris Autorem Principem. *Cap.* 19. 21.

3°. Ne pauperes, paupertate engente deterriti, à Sacramentis recipiendis abstineant, alii verò indignatione revocati idem faciant; ideòque redemptionis suæ causas complures adire vel non audeant, vel despiciant. *Cap.* 99. Cap. 103. *Ibid.*

4°. Quando Prælati Sacras res vendunt, error in subditis cum augmento propagatur; nam ipse quoque qui ad Sacrum Ordinem, vel Beneficium, pecuniæ ope perducitur, jam in ipsa provectus sui radice vitiatus, paratior est aliis vendere quod emit. *Cap.* 117. §. 1. *Ibid.*

5°. Avaritia est idolorum servitus; atqui in Sacras res vendente Simoniæ radix est avaritia.

Hinc, quisquis in dandis honoribus Ecclesiasticis avaritiam vigilanter non præcavet, infidelitatis perditioni subjicitur, etiamsi fidem tenere, quam negligit, videatur Quæ causa in emente res Sacras quandoque vera est, cùm ex avaritia quandoque emantur. *Cap.* 20. *Ibid.* Cap. 8. Cap. 15. CAUS. I. QUÆST. III. *Cap.* 8. Cap. 16. *De Simon.* docent Simoniam ex avaritia nasci ex parte ementis.

6°. Qui ad Dignitates Ecclesiasticas per Simoniam pervenit, illas per ambitum consequitur, qui excessus in Laica conversatione culpatur. Undè viris Religiosis, Deoque servientibus, opprobrium incutere debet. *Cap.* 118. *Ibid.*

7°. Sacramentorum gratia non est gratia, sed merces respectu illius, qui illa per pecuniam consequitur. *Cap.* 1. CAUS I. QUÆST. III. Can. 36. *De Simon.*

Nota obiter illum, qui Sacramenta quoquo modo emit, gratiam, quam conferunt Sacramenta, non recipere quidem, quandiù durat fictio, seu peccati mortalis amor; sed eâ cessante gratiam consequi; ideòque contingere posse, ut illius ergo gratia non sit gratia.

8°. Quæ Simoniæ conveniunt ratione effectûs, in causa sunt cur prohibeatur: Hæc autem colligentur dum de effectibus Simoniæ agetur.

9°. Qui res Sacras venumdant, damnabiliter venumdantur, Diabolo scilicet, & avaritiæ. *Cap* 102. *Ibid.*

10°. Si dignus Sacerdotio creditur, is cui non actionis merita, sed præmiorum copia suffragatur, restat ut nihil sibi in Ecclesiasticis honoribus gravitas, nihil defendat industria; sed totum auri profanus amor obtineat. *Cap.* 28. *Ibid.*

Hinc infinita mala. Soli impii Sacerdotes fiunt; pii enim, cùm Sacerdotium fugiant, longè absunt ut illud emant: Hinc ergo qui judicandi Judices sunt, qui curandi Medici, ducendi Duces, Intercessores apud Deum Deo infensissimi, quique ideò Intercessore apud illum maximè indigent. Hinc fides sine vitâ in Sacerdotibus, cùm in Simoniacis bona opera esse non valeant. *Ibid.*

11°. Qui Sacerdotium ultrò ambit, qualis qui pecuniâ illud sibi comparat, nihil agit, nisi ut crescendo decrescat, & ascendendo exteriùs ad profunda interiùs descendat. *Cap.* 3. CAUS. I. QUÆST. VI.

12°. Vocatio ad vitam Regularem, sive Canonicam, sive Monasticam, est donum descendens ex Patre luminum, ex quo omne datum optimum, omne donum perfectum, cùm sit ex datis optimis & ex donis perfectis, non minimum. Qui ergo, ut inter Regulares Canonicos, vel inter Monachos recipiatur, ex facta anteà cum recipientibus conventione, aliquid donat, dandam sibi à Deo vocationem ab istis æquè injustè emit, ac isti injustè vendunt, qui aliena bona vendunt. Quod de vocatione ad Religiosum statum dictum est, extendi debet ad Dignitates in eodem possidendas. *Cap.* 2. CAUS. I. QUÆST. II.

13°. Quod vergit ad Sacerdotum gravamen, Judiciorumque subversionem, vitandum est. Eam ob causam Episcopis vetatur, ne, pro certâ pecuniæ quantitate, Decanos constituant, quibus vices suas committant: idque sub Officii amittendi pœnâ erga Decanos, & potestatis officium hoc committendi amittendæ itidem pœna erga Episcopos. Idem quoque Archidiaconis prohibetur sub comminatione depositionis erga Archidiaconos, & pœnæ Canonicæ erga Episcopos, qui suâ patiuntur dissimulatione Ecclesiasticam sic perverti Jurisdictionem. *Cap.* 1. 2. *Ne Prælati vices suas.*

14°. Quoties sui in Simoniam odii causas exprimit Canon, toties rationes affert, propter quas Simoniam probibeat. Undè adduci huc possent omnes Canones in quibus Simonia comparatur cum Hæresi, cum peccato JUDÆ, cum peccato vendentium columbas in Templo, cum crimine Læsæ Majestatis, aliique similes, quibus habcodus de Simoniâ horror significatur.

15°. Qui pecuniâ Dignitatem Ecclesiasticam adipiscicirur, non intrat per ostium, *id est*, per CHRISTUM; sed, ut veritas ipsa testatur, fur est & latro. *Cap.* 113. CAUS. I. QUÆST. I.

16°. Rerum Ecclesiasticarum venditor, non ad hoc ad quod institutæ sunt, iis utitur; sed ad propria lucra convertit. *Cap.* 8. CAUS. I. QUÆST. III.

17°. Ne pro sepultura Sacra aliquid exigendo Simonia committatur, duas affert causas S. GREG. Altera, ne, quod irreligiosum est, Ecclesia venalis dicatur; Altera, ne Sacri Ministri de humanis videantur mortibus gratulari. *Cap.* 12. CAUS. XIII. QUÆST. II.

REGULA II.

Causæ posterioris generis, sive quæ confusè tantùm in Canone habentur, sunt istæ.

1°. Turpe lucrum variis in locis Clericis prohibetur, tamquam vitium commodorum temporalium abnegationi, quam Clerici præ cæteris profiteri tenentur, omninò oppositum: His autem in locis confusè

confusè prohibetur Simonia; turpissimum siquidem lucrum est Simonia, cùm per Simoniam Sacræ res profanis subdantur, quæ vilissimi sunt pretii rebus infiniti valoris præferantur, ideòque lucrum quod ex Simonia percipitur, ex contemptu & profanatione rei Sacræ provenìat; adeò ut lucrum hujusmodi non absimile videatur lucro quod ex prostitutione Corporis sui Virgo Sacra sibi compararet. Vocatur turpe lucrum *Cap.* 1. Quæst. III. Caus. I. imò turpissimum. *Cap.* 5. Quæst. VII. Caus. I. Cap. 6. *De Major. & Obed.* De Spiritualibus dicitur, quod temporalibus tantò digniora sint, quantò anima dignior est corpore. Huc etiam facit *Cap.* 5. *De Major. & Obed.*

2o. Simonia, quæ committitur dum pro Sacramentis ad salutem necessariis pecuniam quis exigit, nec, nisi solutâ pecuniâ, illa administrat, quodammodo rapina est; non absimilis illi, qua quis vitam temporalem pecuniâ redimere cogitur, cùm iste vitam Spiritualem per rei temporalis dispendium conservare compellatur. Simonia ergò prohibetur confusè iis in locis, in quibus probibetur rapina, & propter easdem causas.

3o. Simonia, quâ, *v. g.* Pastor ovibus suis vendit Sacramenta, quæ eisdem ovibus debet, multiplicem continet injustitiam; nam vendit rem alienam; Sacramenta siquidem sunt Dei Patris, Christi Filii, & Spiritûs Sancti: Deindè vendit illa contra Domini voluntatem expressè prohibentis, ne vendantur: denique quibus debetur ex Domini dono illam vendit. Ob quas ergo causas prohibetur à Canone injustitia, ob easdem ab eodem confusè prohibetur Simonia.

Nota obiter, Simoniam apparentem propter easdem causas, ob quas vera prohibetur, vetari; non enim prohibetur, nisi ad scandalum, quod ex vera cujus speciem præ se fert nasci solet, removendum.

§. XVI.

Quæ à Simonia excusent vel non?

REGULA I.

A committendâ Simoniâ Divinâ scientem & volentem nihil excusat.

Regulæ Ratio: A Lege Divinâ Simoniam vetante nulli hominum dispensare licet; nec Consuetudo, nec Præscriptio, nec Ignorantia vincibilis ab illa eximit.

REGULA II.

A committendâ Simoniâ Ecclesiasticâ excusat consentientem, Superioris, qui dispensare potest, autoritas justæ causæ conjuncta.

Regulæ Ratio: Quemadmodum Legislatoris aliquid jubentis, vel vetantis, autoritas facit illicitum quod licitum erat; ita eadem autoritas permittendo, licitum facit quod illicitum; effecit vetando. Verùm, sicut Legislatori non licet quidquam jubere vel vetare, nisi utilitate publicâ id postulante; ita nec licet eidem aliquid vetitum permittere, nisi permissionem hanc exposcat publica utilitas.

REGULA III.

A Simoniâ tàm Divinâ quàm Ecclesiasticâ excusatur, qui, datâ ab adversario pecuniâ, Ordines vel Beneficium recipit, ita ut & Ordines exercere, & Beneficio gaudere sibi liceat. *De Simon. Cap.* 27.

. De Beneficiis dumtaxat loquitur; sed ad Ordines extendi potest, ob rationis paritatem, quæ in casu non odioso, qualis de quo agitur, admittenda est.

Regulæ Ratio: De malitia sua commodum reportare nemo debet; at si hujusmodi Ordinatio vel provisio vitiaretur, memorato adversarii dono, commodum non minimum ex malitia sua iste reportaret, cùm pro voluntate sua Ordinatum vel Provisum ordinationis vel provisionis fructu privaret. *Cap.* 33. *De Simon.*

REGULA IV.

Excusatur quoque à Simonia utraque is quo contradicente ab aliis pecunia datur, ut ad Ordines vel ad Beneficium promoveatur.

REGULA V.

A Simoniæ culpâ & pœnâ excusat invincibilis circà Simoniam ignorantia, sed non liberat ab incapacitate retinendæ, vel exercendæ rei per Simoniam acquisitæ; Ignorantia verò vincibilis ab horum nullo eximit. *Cap.* 1. 3. Caus. I. Quæst. V. Cap. 9. *De Cler. Excomm. Ministr.*

Ad Regulæ intelligentiam nota 1o. Simonia vel est propria, vel aliena, vel partim propria partim aliena: Propria, quâ quis sciens & volens, quæ Simoniaca est, actionem facit: Aliena, quâ quis pro alio Simoniacum quid facit, isto nesciente: Partim propria, partim aliena, quam alius pro alio committit isto consentiente.

2o. Ignorantia vel Jus Simoniam vetans spectat, vel factum, quo alius pro alio Simoniam committit.

3o. Circà utramque, vel adhibitâ convenienti loco, tempori, personæ, rei, diligentiâ superari potest, vel non: Posterior involuntaria est; undè à culpâ & à pœnâ excusat: Prior voluntaria, idcircò à neutra eximit. Ignorantia Juris à facti ignorantia hìc quoad effectum non distinguitur, quia eadem utriusque quoad hoc conditio.

4o. Duo sunt quæ à Simonia separari nequeunt; nisi in odium alicujus committatur: Prius est incapacitas exercendi Ordines: Posterius incapacitas retinendi Beneficii, vel loci in Monasterio acquisiti.

5o. Non datur ignorantia invincibilis circà Simoniam Jure Naturali prohibitam, nisi in casibus, in quibus Jus Naturale eo modo ignorari potest; quales sunt difficillimi, à primis rationis naturalis Principiis remotissimi, commune rationis lumen superantes; undè ad casus istos restringenda est Regula respectu Simoniæ Jure Naturali vetitæ.

His notatis evidenter patet Regulæ veritas. Nemo enim non videt invincibilem circà Simoniam ignorantiam ideò à culpâ & pœnâ liberare, quia involuntaria est; ab incapacitate fruendæ rei per Simoniam comparatæ non eximere, quia hæc nascitur ex Simoniâ, quà Simonia, non quâ voluntaria: Vincibilem verò ignorantiam, nec à culpâ, nec à pœnâ, sicut nec à prædictâ incapacitate liberare, quia voluntaria.

Opponi potest in Secundam Regulæ Partem *Cap.* 31. *De Simonia*, in quo dicitur Ordinatos per Simoniam, cujus conscii non sunt, in Ordinibus suis remanere posse. Ad quod Respondetur, locutione oppositâ significari, cum hujusmodi Ordinatis dispensari posse ab Ordinum depositione, istamque Responsionem ipsa *Capitis* oppositi Epigraphe, seu Summa confirmat.

REGULA VI.

Excusatur à Simoniâ, qui, pro conservandâ Spirituali re legitimè ac plenè acquisitâ injusto perturbatori pecuniam dat. *Cap.* 28. *De Simon. Gl. in* verbo, *Restituere.*

Regulæ Ratio: Rerum Spiritualium acquisitionem respicit Simonia, non justam illatum conservationem.

Hinc, si quis turbatus in possessione Beneficii Canonicè acquisiti & possessi, datâ conturbatori pecuniâ conturbationem finit, Simoniacus non est, sed injustæ vexationis redemptor. Idem dicendum videtur de Canonico ordinato, injustè accusato de illegitima Ordinum susceptione, si, ut cesset talis accusatio, accusatori pecuniam dederit.

Hinc è contrà, non excusatur electus, qui contradictori injusto ipsius confirmationem injustè impedienti pecuniam dat, ut desistat. *Cap. 21. De Simon.*

Nota justam à Deo esse respectu dantis conventionem istam, ut si accipiens promissis non stet, quæ dedit repetere possit. *Cap. cit.*

Nota iterum injustè turbare judicandum, qui jus nullum habet in re, de quâ contrà alium legitimè possidentem litem movet.

REGULA VII.

Non excusatur à Simonia, qui, pro re Spirituali sibi debitâ & injustè denegatâ, pecuniam deneganti dederit, etsi rem istam aliter conferre noluerit. *Cap. 23. 24. De Simon.*

REGULÆ RATIO. De rerum Spiritualium acquisitione hoc in casu agitur: Hæc autem per pecuniam nullo in casu fieri potest. Præterea si pecunia pro spirituali re dari posset quoties injustè denegatur, Sacramenta datâ pecuniâ recipere fas esset, quoties pro Sacramentis à non indignis ipsa petentibus pecunia exigitur.

REGULA VIII.

A Simoniâ non excusatur Sacri Collegii Rector, qui Beneficium ad Collegium pertinens, & à Collegio malè venditum, data pecuniâ redimit. *Cap. 15. De Simon.*

REGULÆ RATIO. Spiritualis res sicut nec emi, ita nec redimi potest; cùm enim ab emptore redimitur, restituenda Ecclesiæ vel pauperibus pecunia, emptori restituitur.

REGULA IX.

Simoniæ non est accusandus, qui spiritualem rem sibi collaturo temporale quid dedit, quod istius animum ad conferendum pellicere non potuit. *Cap. 18. De Simon.*

Ad Regulæ intelligentiam notandum, quod in dono tria sint attendenda. 1°. Dantis & accipientis qualitas; an dives det diviti, vel pauper diviti, vel dives pauperi. 2°. Quantitas dati, an res data magni sit vel parvi pretii. 3°. Tempus quo datur, an temporè necessitatis, eoque quo simili personæ, similem patienti necessitatem, similis res daretur.

Notandùm iterùm, quod ex consideratione memoratarum circumstantiarum facilè judicari possit an donum quod spiritualis rei collationem præcessit, sit Simoniacum, istamque Simoniâ inficiat; nam si minimum sit, vel in se, vel respectu accipientis; vel si magnum, sed propter solam accipientis necessitatem videatur datum; evidens est donum hujusmodi simoniacum non esse; si verò donum maximum sit, ve, in se, vel respectu accipientis qui pauper est, ac ex temporis circumstantiâ datum videatur, non propter accipientis necessitatem, similemve causam, non injustè Simoniacum præsumitur.

§. XVII.

Qui Simoniæ effectus.

REGULA.

Ex Jure Canonico non alii colligi possunt Simoniæ effectus, quàm isti.

1°. Circà Sacramenta idem efficit Simonia quod alia peccata mortalia, nempè quod sint Sacrilega ex parte Simoniaci; hac tamen in re Simoniæ quid peculiare est, adversatur siquidem Sacramentis, nedum prout est mortale peccatum, sed etiam prout est Simonia.

2°. Quod circà Ordines susceptos efficit, in eo consistit quod privet illorum executione. Hoc autem intelligendum videtur, tàm de his qui Simoniæ conscii non sunt, quàm de aliis, dummodo commissa sit, ut Ordines susciperent. *Cap. 59. De Elect.* Cap. 27. *De Simon.* imò EXTRAVAG. EXTRAVAG. COMM. II. *De Simon.* Generaliter enim loquitur.

3°. Circà suscipiendos Ordines efficiebat olim inhabilem. *Cap. 37. De Simon.*

4°. Circà Beneficia per Simoniam acquisita efficit irritam quamvis dispositionem, *id est*, Electionem, Nominationem, Præsentationem, Confirmationem, Institutionem. EXTRAVAG. COMM. II. *De Simon.*

5°. Ad eadem Beneficia inhabilem reddit. *Cap. 59. De Elect.* Cap. 27. *De Simon.* in quibus dicitur de electo per Simoniam, cujus conscius non fuit, quod ab Episcopo de Jure non possit Dispensationem aliquam obtinere; hoc autem provenire nequit, nisi ex inhabilitate in illo per Simoniam procreata ad Beneficium, ad quod Simoniacè electus erat: Ad rem etiam facit *Cap. 11. De Elect.*

6°. Obligat ad restitutionem, quæ facienda est Ecclesiæ, quæ per Simoniam injuriam passa est. *Cap. 11. De Simon.* Cap. 41. *Ibid.*

7°. Irritat transactionem, quâ, pro re temporali, Spiritualis res ceditur. *Cap. 9. De Transact.*

8°. Idem dicendum de aliis contractibus non gratuitis. *Cap. 16. De Jure Patron.*

Nota nonnullas ex memoratis Simoniæ effectibus inter ejusdem Simoniæ pœnas collocari posse, non ideò tamen minùs ad illius effectus pertinere; obligatio enim ad simplicem restitutionem non est propriè pœna, sed effectus Simoniæ, qui & aliis injustitiæ peccatis communis est, quique oritur ex eo quòd retineri nequeant, quæ sine legitimo titulo acquisita sunt; qualia quæcumque ex injustitiæ peccato proveniunt; restitutio verò ad duplum est profectò pœna.

Suspensio ab Ordine erga criminis Reum est pœna, sed erga innocentem non est pœna: cùm ergo suspensus sit à suscepto Ordine, qui per Simoniam, cujus conscius non fuit, illum recepit, ac qui Simoniacæ receptioni sciens ac volens consensit, Suspensio illa judicari potest & pœna Simoniæ & effectus. Idem dicendum de inhabilitate vel ad Ordines vel ad Beneficia consequendum, & propter eamdem rationem; reputanda est enim ut pœna erga Reum, non erga innocentem.

Nota iterùm, effectus Simoniæ dividi posse in eriminosos, pœnales, & illos qui nec criminosi nec pœnales; Simoniam autem solos tertii generis effectus operari in eo, in cujus favorem, ipso inscio, facta est; & diverso modo, quàm in Reo; suspendit enim Reum, atque ad restitutionem obligat eorum omnium, quæ vi illius percepit, percipietque statim ac commissa est; innocentem verò suspendit, & ad restitutionem adstringit ex eo tantùm tempore, quo illius conscius factus est.

§. XVIII.

Quibus plectatur pœnis Simonia tàm Veteri quàm Novo Jure Canonico?

REGULA I.

Latæ à Canone contrà Simoniam pœnæ, hæ sunt,

1°. Depositio; quod de partiali, nempè de Ordine Officiove per Simoniam suscepto intelligendum est; Canones enim qui de hoc loquuntur ad id, quod per-

per Simoniam acquisitum est, illam restringunt. *Cap.* 2. 6. 8. 9. 10. &c. Caus. I. Quæst. I.

2°. Infamia non est in usu, saltem in Gallia. *Cap.* 15. Caus. I. Quæst. III. *Cap.* 4. Caus. XV. Quæst. III. *Cap.* 17. *De Simon.* Extravag. II. *De Simon.*

3°. In Monasterium detrusio ad agendam pœnitentiam. *Cap.* 2. *De Regularib. in Collect.* 2. in quo Collatione tunicæ ordinatus in Monasterium pœnitentiam acturus segregatur.

4°. Restitutio ad duplum eorum omnium, quorum receptione commissa est Simonia. *Cap.* 41. *De Simon.*

5°. Suspensio ab Ordine Simoniacè suscepto. Si ad Reum restringatur, incurritur ipso facto. Successu depositioni ab Ordine, quâ partim gravior est, partim mitior: Gravior, quoad modum quo infligitur; est enim latæ Sententiæ, depositio verò ferendæ tantùm: Mitior, quia debito ratione Ordinis non privat loco, quo depositio privabat.

6°. Incapacitas possidendi Beneficii per Simoniam acquisiti, si ad Reum etiam restringatur.

7°. Excommunicatio ipso facto Summo Pontifici reservata, Episcopos, Cardinales, Regesque nominatim comprehendens, Mediatores æquè ac Autores respiciens. Extravag. II. *De Simon.*

Nota obiter Excommunicationem exprimi *Cap.* 13. Caus. I. Quæst. III. *Cap.* 3. Caus. XVI. Quæst. VII. dùm dicitur de Simoniaco æterni incendii ignibus deputandum esse, idque quia anathema est æternæ mortis damnatio; ideòque Canonis hujus sensum esse, Simoniacum anathematisandum esse. Extravag. II. *De Simon.*

8°. Quadrupli pœna tàm in dantem quàm in accipientem. *Cap.* 26. Caus. I. Quæst. VII.

REGULA II.

Tàm Jure Veteri quàm Novo Mediator Simoniæ iisdem ac Autor pœnis subjicitur. *Cap.* 8. Caus. I. Quæst. I. *Cap.* 8. 15. Caus. I. Quæst. III. Extravag. II. *De Simon.*

REGULA III.

Severiùs puniuntur Simoniaci, si per accusationis viam Simoniæ, quàm si id fiat per denunciationis viam. *Cap.* 30. *De Simon.*

REGULA IV.

Accusatus de Simonia suspendendus est, donec cognoscatur utrùm reus an innocens sit. *Cap.* 14. Caus. II. Quæst. V. *Junctâ Notâ Correct. Rom.* Cap. 5. *De Simon.*

REGULA V.

Simonia non subjicitur pœnis, nisi versetur circà Ordines, vel Beneficia, vel ingressum Religionis. *Cap.* 1. 2. *De Simon.* Extravag. Comm.

Quod dictum est de Simonia circà Beneficia, restringendum est ad eam, quæ respicit Beneficiorum distributionem Electione, Collatione, Præsentatione, aliave dispositione. *Cap.* 2. *De Simon.* Extravag. Comm.

Si ergo Simonia spectet jus distribuendi Beneficia, pœnia non subest; undè si quis vendat Jus Patronatûs, sive præsentandi, sive conferendi, sive eligendi, pœnas non incurrit.

§. XIX.

De Dispensatione circà Simoniam.

REGULA I.

Jure Novo in occultis casibus dispensat Episcopus, in publicis solus Papa. *Cap.* 6. Sess. XXIV.

REGULA II.

Jure Veteri, circà Prælaturas Ordinesque majores dispensabat tantùm Papa; circà Beneficia simplicia Ordinesque minores dispensare poterat Episcopus. *Cap.* 27. *De Simon.* Cap. 45. *De Simon.* Cap. 59. *De Elect.*

REGULA III.

Expressæ in Jure circà Simoniam dispensandi causæ hæ sunt.

1°. Si in Canonicis vel Monasteriis Canonicè vivant Simoniæ Rei. *Cap.* 2. Caus. I. Quæst. V.

Hujus Ratio: Pœnitentia jam peracta, ac illius continuandæ spes certa usque ad mortem.

2°. Si Ecclesiæ utilitas postulet, ut secum dispensetur. *Cap.* 3. *Ibid.* Cùm necessitas in utilitatem Ecclesiæ vergat, illam in utilitate comprehendi consequens est.

§. XX.

Qui errores circà Simoniam?

REGULA.

Qui leguntur in Juris Canonici Corpore circà Simoniam errores, hi sunt.

Primus, quo credebatur, vendito temporali Beneficio, spirituale, cui innititur temporale, invenditum remanere: desipere dicitur, qui sic errat, similisque homini, qui corpus vivum animâ invenditâ vendere intenderet. Hinc clarè colligitur non novam esse opinionem, à peccatis falsò excusantium praxim. *Cap.* 7. 8 Caus. I. Quæst. III.

Secundus, quo Ordinationes à Simoniaco, vel Simoniacè factæ, judicabantur in se irritæ esse & iterandæ; idque quia qui Simoniacè Episcopatum accepit, nil accepit, nec honorem, nec gratiam: ideòque nil dare potest; qui verò per Simoniam non accepit, si Ordines Simoniacè dederit, amittit quod accepit; undè non rectè explicantur citati Canones, si dicatur illos loqui tantùm de Ordinationibus Simoniacis, tàm ex parte accipientis Ordines, quàm ex parte dantis, & de nullitate quoad effectum præcipuum Sacramenti Ordinis. *Cap.* 1. 12. 15. 17. 18. 29. 108. 113. Caus. I. Quæst. I. *Cap.* 24. 25. Caus. I. Quæst. VII. iterandas has Ordinationes docent. *Cap.* 37. Caus. XII. Quæst. II. Ordinationes per Simoniam factas eodem modo irritas dicit ac alienationes ab intrusis factas, quæ verè in se irritæ sunt.

Tertius, quo Sacramenta à Simoniaco collata, irrita quoque æstimabantur, cujusque idem erat fundamentum ac præcedentis, nempè S. Cypriani illiusque sequacium rationes contra Baptismum ab Hæreticis collatum: Uterque autem error ortus videtur ex eo quòd Hæresi Simoniam Veteres æquiparare solerent; undè cùm his sæculis collata ab Hæreticis Sacramenta (si Baptismum exceperis) irrita judicabantur, simile judicium latum est contrà Sacramenta à Simoniacis administrata. *Ibid.*

§. XXI.

Quæ mutationes circà Simoniam?

REGULA.

Omnes mutationes circà Simoniam factæ ad quinque genera reducuntur.

Primum respicit loquendi modos circà Simoniam; vocabatur enim passim *Hæresis*, *Hæretica pravitas*, *Hæretica labes*.

Hinc Simoniaci dicebantur quoque passim Hæretici. Hinc quæ Hæresi vel Hæreticis conveniebant, Simoniæ

ac Simoniacis accommodabantur. Hinc Ordinationes factæ à Simoniacis irritæ dicebantur eodem modo ac ab Hæreticis factæ. Hujusmodi locutiones ac accommodationes jamdiù abierunt in desuetudinem.

Secundum spectat Simoniæ materiam; multa siquidem ut Simoniaca habebantur quæ talia postea judicata non sunt; *Verbi gratia*, Oblationes voluntariæ antè vel post Sacramenta prohibebantur: Notario Ordinationis aliquid exigere etiam pro labore suo aliàs vetabatur; nunc non prohibetur. Non licebat à Canonico, aliove simili recipiendo quicquam exigere, etiam ad pios usus convertendum; id autem nunc licet. *Cap.* 101. 104. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 3. 4. CAUS. I. QUÆST. II. *Cap.* 9. CAUS. I. QUÆST. III. *Cap.* 14. SESS. XXIV. *De Reform.*

Si quis antè electionem de se faciendam jurabat se Ecclesiæ bona conservaturum, Simoniacus erat. *Cap.* 2. CAUS. VIII. QUÆST. III.

Tertium versatur circa effectus Simoniæ; nam *v. g* Electiones non irritabat aliàs Simonia, sed irritationi tantùm subjiciebat, nunc autem illas irritat. Efficiebat inhabilem ad Ordines Superiores, non autem nunc. Inficiebat actus, in quibus immediatè tamen non interveniebat, nempè Ordinationes, quæ sine Simonia fiebant à Simoniaco, qui vel Episcopatum emerat, vel Ordines vendiderat.

Quartum Pœnas concernit: Simoniacus etenim Clericus erat olim deponendus; nunc suspenditur tantùm ab Ordinibus Simoniacè susceptis. Infamis fiebat; nunc autem non fit. Tenebatur ad restitutionem in duplum; nunc verò ad simplicem tantùm. Pœnæ contrà Simoniacos, quæ ab homine tantùm erant, vel Sententiæ ferendæ, factæ sunt latæ Sententiæ. Antiquum Jus habetur *Cap.* 1. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 21. 22. 99. 100. 101. 105. 107. 109. 10. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 1. 2. 3. 8. 9. 15. CAUS. I. QUÆST. III. Jus novum legitur in EXTRAVAG. II. *De Simon. inter Comman.* Episcopi, Cardinales, Reges, in pœnis circà Simoniam nominatim non comprehendebantur; nunc in iisdem eo modo comprehenduntur Censuræ contra Simoniacos latæ Papæ non reservabantur; posteà reservatæ sunt.

Quintum respicit Dispensationes: rarissimæ siquidem olim erant; nunc frequentissimæ, cum passim admittantur permutationes; Resignationes *in favorem* cum pensione, cum regressu; Concordata circa Beneficia, aliaque hujusmodi, in quibus omnibus est Simonia, quia in spiritualibus omnis pactio ut Simoniaca reprobatur.

Dispensatio circà Ordines Sacros majoraque Beneficia Papæ reservabatur, etsi publica non esset: Circà inferiores Ordines, similiaque Beneficia, dispensare poterant Episcopi; nunc autem Papæ reservantur tantùm quæ publica sunt, occulta vero Episcopis permittuntur: Undè Episcopi dispensabant alias circà minima tantùm; nunc circa maxima, modò sint occulta, dispensant; circà minima verò non dispensant si sint publica: magis attenditur publicitas criminis, quàm atrocitas ipsiusque materiæ gravitas.

Simoniaci circà Beneficia Dispensatione egebant ad Ordines exercendos, cum hoc tamen discrimine, quod ordinatis antè Simoniam quàm ordinatis post Simoniam faciliùs concederetur: Prima autem Dispensationis conditio erat, ut empta Beneficia dimitterent. Nunc egent tantùm absolutione à censuris, quas incurrunt; ac secum passim dispensatur, ut Beneficia per Simoniam acquisita retineant. *Cap.* 1. CAUS. I. QUÆST. V.

Sine Dispensatione remanere non poterant in Ecclesiis, in quibus empta Beneficia existebant; nunc illâ non egent. *Ibid.* Cap. 9. CAUS. I. QUÆST. III.

Sextum versatur circà Judicialem contra Simoniacos procedendi modum. Socius Simoniæ ad deponendum circà eamdem Simoniam, etsi civiliter ageretur, ac nullum ex illa emolumentum percepisset, non admittebatur tempore ALEX. III. Posteà Mediator, qui illius criminis socius, admissus est sub GREG. X. in *Conc.* LUGDUN. quantùm ad casum, quo civiliter agitur, & ea Simonia lucrum non quæsivit. *Cap.* 10. *De Testib. & Attest.* Cap. 1. *De Testib. & Attest. In 6.*

Nonnullæ sunt circà pœnarum mutationes solvendæ difficultates.

Prima est. An depositio ab Ordine annumeranda sit inter pœnas, quas PAULUS ipso facto incurri vult à Simoniacis? Id ita esse videtur ex eo quod privationis meminerit PAULUS, eamque à suspensione expressè distinguat. Quid enim est privatio hæc quàm depositio? Præterea innovat PAULUS pœnas quascumque contra Simoniacos latas, inter quas est depositio, undè intelligenda videtur sub voce *Privationis.* Certa tamen non est Sententia hæc, cùm per privationem meliùs intelligatur depositio à Beneficio quàm depositio ab Ordine; proprié enim dicitur quis privari Beneficio, sed privari Ordine nonnisi impropriè.

Secunda. An inter Censuras contra Simoniacos, de quibus apud GRATIANUM, aliqua sit latæ Sententiæ? Difficultas nascitur ex *Cap.* 7. 12. 22. CAUS. I. QUÆST. I. nam cæteri Canones evidenter continent Censuras ferendæ Sententiæ. In *Cap.* 7. leguntur hæc verba: *Decernentes omninò, ut, quicumque deinceps, propter accipiendam Sacerdotii dignitatem, præmium quodlibet fuerit detectus obtulisse, ex eodem tempore se noverit anathematis opprobrio condemnatum, atque à participatione* CHRISTI *corporis & sanguinis alienum, ex quo illum constat execrabile* CHRISTO *perpetrasse flagitium.* In *Cap.* 12. & 22. ista habentur: *Anathema sit danti & accipienti:* Locutiones autem hujusmodi Excommunicationem Sententiæ latæ designare videntur, cùm proximè accedant ad istas, quæ Excommunicationem Sententiæ latæ haud dubiè continent: *Noverit se eo ipso excommunicatum; sit anathema.* Probabilius tamen est Excommunicationem ipso facto non fieri in 10. Canone, ita ut factâ actione prohibita incurratur; nam Canon hic non excommunicat Simoniacum, nisi postquàm detectus fuerit vel constiterit Simoniam commisisse; undè, ut quam fert incurratur Excommunicatio, necessaria est Sententia, quâ Simoniam commissam esse declaratur, vel saltem oportet, ut manifesta sit Simonia; ideòque Excommunicatio ista non est latæ Sententiæ contra qualemcumque Simoniam, sed tantùm contra Simoniam per Sententiam, vel aliàs manifestam; præterquam quòd in *cit. Cap.* agitur de sola Simonia, qua Episcopatus emitur, ut patet his verbis quæ Canonis causam exprimunt: *Reperiuntur quamplurimi negotio muneris perituri, mercari velle gratiam Spiritûs Sancti, dum vile pretium donant, ut Pontificalis sublime culmen accipiant:* His enim ostenditur nomine *Sacerdotii* in *cit.* loco usurpari Episcopatum intelligi. Quantùm ad posteriores duos Canones fatendum est, quod quamvis locutio hæc, *anathema danti*, differre videatur ab istâ, *dans sit anathema*, cùm posteriore præcipiatur, ut dans tamquam maledictus, vel tanquam maledictio habeatur; in priore verò sola in dantem imprecatio contineatur, cujus sensus sit, quo dignus est anathemate vel maledictione feriatur; in eodem tamen sensu sumatur prior ac posterior à *Cap.* 12. Autore GREG. VII. Concludit enim Simoniacum esse extra Ecclesiæ corpus, ex eo quod dictum sit Simoniaco anathema à Sacris Canonibus; undè cùm *Cap.* 27. *sumptum è Conc.* BRACAR. II. sit multò antiquius mox dicto *Can.* 12. interpretandum videtur juxtà factam à GREG. VII. dicti *Can.* 12. interpretationem.

Tertia.

Tertia: An Paulus innovet tantùm pœnas, quas nominatim statuit contrà Simoniacos; nempè suspensionem in recipientes Ordinem; privationem Beneficii in acquirentes Beneficium; & in quoscumque Simoniacos, necnon & Simoniæ Mediatores Excommunicationem?

Difficultatis Fundamentum est, quod Paulus declarat se innovare velle quascumque Censuras, & pœnas à Prædecessoribus suis latas contrà Simoniacos; atqui inter Censuras, quas nominatim statuit, nulla fit Interdicti mentio; quod tamen de numero est Censurarum, quas Paulus innovare vult; pœnarum verò à Censuris distinctarum non meminit. Prætereà si singulas, quæ à Prædecessoribus suis latæ, pœnas renovet, inutilis fit mentio suspensionis ab Ordine quam ipse fert; nam depositio à Prædecessoribus Pauli lata est, & pœna ista, si ipso facto à Simoniacis incurratur, ut Paulus statuit, suspensioni faciendum nihil relinquit, cùm illam includat, & aliquid ultra. Quod de depositione dictum est, ad Irregularitatem ex delicto, & ad infamiam, quæ est Irregularitas ex defectu, extendendum videtur: Sunt etenim inter pœnas Simoniæ, & suspensionem secum trahunt. Adde quod si Paulus cæteras pœnas innovatas voluisset, istarum meminisset nominatim, sicut de prædictis tribus nominatim mentionem fecit: Has ergo propter rationes, aliasque similes quæ ex eadem Dorratali Extrav. cum Veteri Jure comparatâ desumi possent, dicendum videtur pœnas, quas innovat Paulus, ab eo reduci ad Suspensionem ab Ordine, ad privationem Beneficii, ad Excommunicationem Majorem; oppositis namque contrà cæterarum innovationem rationibus convenienter responderi vix potest. Diceturne *v. g.* prædictas Simoniæ pœnas à Paulo tantùm recenseri, quia sunt præcipuæ? At Depositio gravior est ipsa Suspensione, ideòque potiùs recensenda. Quod si rationi, quæ præ cæteris minùs urget, congruè responderi nequit, quomodo cæteræ convenienter solventur?

Quarta difficultas: An qui per Simoniam Ordines suscipit, præter Suspensionem ab Ordinibus sic susceptis, incurrat Excommunicationem?

Difficultas ex eo petitur, quod cùm Excommunicatio, de quâ hic, suspensionem includat, inutilis videtur Suspensio si Excommunicatio hæc incurratur. Nihilominùs dicendum videtur, Excommunicationem cum suspensione hìc incurri à suscipiente per Simoniam Ordines; Excommunicatio etenim fertur in omnes, qui dando vel recipiendo Simoniam committunt, inter quos annumerandus profectò est, qui donis Ordines comparat. Ad rationem verò oppositam Respondendum, Suspensionem quam Simoniacè Ordinatus incurrit, posuam esse diuturnioris durationis quàm Excommunicationem Majorem, cùm istius absolutio petenti & satisfacienti Ecclesiæ, vel satisfacere parato, non denegetur; Suspensionis verò illius Dispensatio danda non sit, nisi Ecclesiæ utilitas dari suadeat; idcircò non inutilem fore si Excommunicationi jungatur, licèt ista communem ab Ordine Suspensionem in se contineat.

Elucidatur Dubium circà mutationes quæ Simoniæ effectus spectant.

Dubitatur an, juxtà Jus in Collectione Greg. IX. comprehensum, Beneficii dispositio per Simoniam facta fuerit irrita?

Dubitandi Ratio petitur ex eo quod *Cap.* 12. *&* 59. *De Elect.* *&* Cap. 27. *De Simonia*, loquentia de Electione ad Dignitatem Simoniacè factâ, declarant illum, qui eo modo electus est, ad illam possidendam inhabilem; quicumque autem ad Beneficium inhabilis est, illud invalidè possidet. Hac tamen non obstante ratione, in Sententiâ oppositâ persistendum videtur; tùm quia eadem *Capita* expressè docent, Electionem hujusmodi cassandam esse, quòd supponit illam irritam non esse; tùm quia de sola iterùm acquirendi Simoniacè semel acquisita Beneficia incapacitate loqui videntur, non autem de incapacitate validè retinendi.

Nec obstat, quod qui per Simoniam Beneficium acquisivit, dimittere teneatur: ad hoc enim sufficit quod illicitè acquisierit; nec mirum, cùm in Beneficiis acquisitio illicita ab invalida aliquando distinguatur; qui enim Beneficium, cui animarum cura annexa est, postulando obtinet, illicitè acquirit, sed non invalidè, cùm Canones Beneficia hujusmodi ambire vetantes, non decernant irritam illorum acquisitionem per ambitum factam.

Nec obstat *Cap.* 21. *De Accusat.* in quo dicitur Beneficium per Simoniam acquisitum retineri non posse, etiam post peractam Pœnitentiam, quâ quæcumque illicitè tantùm facta reparari posse videntur: nam *Cap.* istud de Simonia loquitur, quâ quis in judicio convictus deponendus erat, quæque ideò Beneficii retentionem, etiam post peractam pœnitentiam, impediebat propter criminis notorietatem, potiùs quàm ob illius gravitatem. *Cap.* 3. Caus. I. Quæst. VI. ambitum Ecclesiasticum vetat.

§. XXII.

De peccatis ad Simoniam quodammodo pertinentibus.

REGULA.

Peccata ad Simoniam quodammodo pertinentia, quæ in Canone exprimuntur, hæc sunt.

I. Si pecuniâ interveniente, vel simili re impediatur, ne detur, vel fiat spiritualis res, vel debita detur; qualis Ecclesiæ necessariæ & Canonicè constructæ consecratio vel benedictio: vel quæ non injustè daretur, vel fieret; qualis Ordinatio ad Ordines non insufficienter dispositi. *Cap.* 125. Caus. I. Quæst. I.

Peccatum hoc ad Simoniam eo modo pertinet, quo ad concussionem spectat iniquitas, quâ vi pecuniæ impeditur ne Judex judicet. *Cap.* 129. *Ibid.*

II. Si, propter affectum carnalem, Beneficia Officiave Ecclesiastica dentur, nempè ob amicitiam purè humanam, vel ob consanguinitatem, aliamve similem propinquitatem.

III. Si quid pro docendi licentia exigatur; quod, ut ad Simoniam pertineat, explicandum videtur de Prælatis Ecclesiasticis, quorum est Scholarum Magistros approbare, quibus ideò prohibetur, ne pro concedenda docendi licentia aliquid exigant, quòd illius concedendæ potestatem gratis acceperint cum Ecclesiastica Dignitate, ac idcircò illam gratis dare teneantur, juxtà illa Christi verba: *Gratis accepistis, gratis date*: Quæ hujus sunt prohibitionis fundamentum, sunt & conditorum contra Simoniam Canonum.

IV. Sicut qui pro docendi licentia aliquid exegit, quodammodo Simoniacus est, ita qui pro eadem licentia aliquid solvit, vel promittit, vel ut illam obtineat offert; nam si pœnas exceperis, quæ de Simonia dicta sunt, ad peccata, quæ ad illam pertinent, extendenda videntur: Prætereà solutio & promissio iisdem locis quibus exactio prohibetur; præcipitur etiam ibidem, ut quæ soluta pro tali licentia restituantur, & quæ præmissa remittantur.

V. Si Episcopus Laïcis Decimas vel Oblationes etiam sine pretio dederit, tamquam Simoniacus habendus & puniendus est. Citati Canones loqui videntur de jure Decimas vel Oblationes percipiendi, quod Laïcis, maximè domesticis vel consanguineis, quales de quibus loquuntur, concedi nequit, nec ex carnali affectu, ex quo Spiritualium concessio quodammodo Simoniaca efficitur. *Cap.* 13. Caus. I. Quæst. III. *Cap.* 3. Caus. XVI. Quæst. VII.

VI. Si à reconciliatione dignè pœnitentem ex livore Presbyter removeat. *Cap.* 14. *De Simon.*

VII. Si, accepto quovis emolumento temporali, vel potiùs detrimento spirituali, revelandum alicujus peccatum Episcopo vel illius Ministris esset. *Ibidem.*

Sexti & Septimi Casûs Ratio ea esse peti videtur, quòd Spiritualis res carnali affectu omittitur, vel impeditur, sicut in Simonia simili affectu res Spiritualis datur vel recipitur.

VIII. Si homagium faceres, & fidelitatem præstares Ecclesiastico Prælato, ut Beneficium Ecclesiasticum singulis annis tibi exhiberet, *id est*, pensionem Ecclesiasticam annuatim solveret.

Hujus rei Ratio esse videtur: Homagii & fidelitatis præstatio est temporalis honor, pensio verè Ecclesiastica consideratur tamquam res Spiritualis; undè si pro homagio promisso vel præstito pensio detur Ecclesiastica, Spirituale datur pro temporali. *Cap.* 17. *De Simon.*

IX. Si quis, prohibente Lege, ad Dignitates Sæculares, non probatæ vitæ testimonio, sed ambitione vel pretio, promoveatur. *Cap.* 16. CAUS. I. QUÆST. VII.

X. Si Judices Ecclesiastici pro salario aliquid exigant.

Hujus Casûs Ratio: Sicut Sacramenta ovibus suis Pastores debent, ita & Judices Ecclesiastici justitiam coram se litigantibus; undè, sicut illi ob prædictam rationem Sacramenta gratis conferre tenentur, ita & isti ob similem causam ad justitiam gratis administrandam obligantur. *Cap.* 10. *De Vit. & Honest.*

XI. Si volens Sacros Ordines suscipere promittat extraneo sibi Patrimonium constituenti, vel istud illi post Ordinationem restituturum, vel ab illo nihil periturum, Simoniæ simile committit peccatum; non autem Simoniam, juxtà GONZAL. in *Cap.* 16. *De Simon.* idque patet, quia illinc media illa promissione temporali Sacros Ordines suscipit; quod Simoniæ accedit, cùm remittere promittat constituenti Patrimonium, rem temporalem sibi debitam post constitutionem, ut rem Spiritualem, nimirùm Ordines Sacros, recipiat: istinc verò promissio prædicta Ordinationi nonnisi valdè remote influat, ideòque immunis est à propriè dictâ Simoniâ.

TITULI XIII.

PARS TERTIA,

Seu ad Tractatum de Simoniâ Appendix; sive Canonicæ Observationes circà præcipuam Simoniæ materiam ad Regulas vix redigenda.

DUM Generales circà Simoniam Canonum Regulas colligebamus, non pauca omittere coacti sumus, quæ per Observationes, quàm per Regulas aptiùs tractantur. Ne quis ergò sit in Tractatu nostro hiatus, neve quid circà Simoniam remaneat in Jure Canonico à nobis non collectum, suoque loco non collocatum, prætermissa hîc colligere congruoque in ordine disponere decrevimus.

Verùm, ne quod jam actum est, iterùm agere videamur, Lectorem monitum volumus, Appendicem hanc sive Supplementum ad tria tantùm rerum genera, circà quas versatur Simonia, totam restrictam iri, nempè Ordines, Beneficia, & in starum Regularem ingressum; ac circà ista ea solùm prætermissa, nos hîc tractaturos quæ peculiaria sunt, quæque ignorare non licet.

APPENDICIS SECTIO I.

De Simonia circà Ordines.

Inter Sacramenta Ordines eligimus, ut de iis seorsim hîc tractemus, quia cùm Simonia sæpiùs pluribusque modis circà Ordines committatur, quam circa Sacramenta alia, nonnulla tradit Jus Canonicum circà Simoniam Ordines spectantem seorsim colligenda, qualia non docet circà Sacramenta cætera.

OBSERVATIO I.

Prætermittimus id quod observare possemus, Simoniam circà Ordines omnium antiquissimam, cùm Spiritum Sanctum conferendi potestas, quam SIMON emere voluit, pars sit non minima Ordinis Episcopalis; necnon & gravissimam, cùm Ordinis potestas Sacramenta conferendi potestatem includat, & circà Sacramentorum Collationem præcipua versetur Simonia.

Observationes nostras circà Simoniam Ordines spectantem incipimus à divisione illorum omnium, circà quæ ista versari potest Simonia.

Observamus ergo circà istam Divisionem, triplici modo considerari posse Ordines, nempè 1o. Quoad illa, quæ illorum Collationem præcedere debent vel solent. 2o. Quoad ea, in quibus consistit ista Collatio. 3o. Quoad illa, quæ hanc Collationem subsequuntur.

Quæ Ordinationem præcedere debent, sont 1o. Clericalis titulus, sive dotis ad Ordinandi sustentationem necessariæ constitutio. 2o. Ordinandorum examinatio & approbatio. 3o. Illorum ad Ordines præsentatio ab Archidiacono facienda.

Clericalis Titulus, quo honestæ Ordinandi sustentationi providetur, ne Ordinatus mendicare cogatur, si undè vivat non habeat, duplex est, nempè Beneficium & Patrimonium; Utrumque valoris ab Episcopo Diœcesano requisiti. Patrimonium duplici modo constituitur, nempè vel fundi sufficientis reditûs concessione, vel pensionis annuæ itidem sufficientis assignatione. Circà utrumque titulum committi potest Simonia, si, interveniente pecuniâ, aliave simili, admittatur titulus insufficiens, vel ad Ordinandum non pertinens; ut si, v. g. Parochus pecuniâ corruptus eo modo promulget, ut cognitum ab Auditore vitium iste revelare nequeat, vel virium revelatum, aut aliundè sibi notum, Episcopum celet. Committitur etiam Simonia circà titulum in Beneficio situm, si Beneficium datâ vel promissâ re temporali comparetur, vel, si qui accipit, promittat se Resignanti vel Conferenti fructus dimissurum, in quo extat species quædam Confidentiæ, ut & Simoniæ, quod patebit ex dicendis circà Confidentiam.

Circà titulum in Patrimonio positum committitur Simonia, si illud constituenti Ordinandus promittat, se pensionem non periturum, vel ex fundo concesso fructus non percepturum, istaque promissione ad illud constituendum moveat determinetque.

Qui ad Ordines promoveri volunt, ad illos non sunt admittendi, nisi priùs examinati & probati, ne indigni vel aliàs inidonei ordinentur: Hanc autem circà approbationem committitur Simonia, si pecuniâ corrupti Examinatores, vel gratiâ, & favore, rejiciendos probent, vel idoneos nonnisi pecuniâ interveniente approbent. Ad Archidiaconos pertinet, ut Ordinandos ad Ordines præsentent, ita ut nemo ordinandus sit, nisi ab illis præsentatus; ubicumque ergò hæc servatur ceremonia, committi potest Simonia, si pecuniam exigant, ut præsentent etiam idoneos, vel oblatam accipiant, vel inidoneos ordinari postulent. DIST. XXIV. *tota.* Cap. unic. *De Scrutinio. apud* GREG. IX. *Cap.* 7. SESS. XXIII. *Concil.* TRIDENT. *Cap.* 5. DIST. XXIV. *Cap.* 10. *De Simon.*

Qui-

Quicumque sufficienti sibi & alia Beneficio potiebatur, ad titulum Beneficii sui præsentare nonulloa poterat; ac circà hujusmodi præsentationem committebatur Simonia, non solùm si pecuoiâ interveniente obtineretur, sed etiam si Ordinandus Præsentatori suo promitteret se ab eo ad suam sustentationem nihil petiturum. De hac præsentatione, tanquam de re abolitâ loquimur, quia jamdiù non licet cuiquam sub titulo Beneficii sui alium præsentare; idque non sine justâ causâ desiit, cùm hae præsentatione Beneficiorum sectio quodammodo fieret, quod *Conc.* Turonense sub Alax. III. vetat; aut Beneficio reale onus imponeretur privatâ autoritate, quod etiam ab eodem Alax. III. prohibetur; vel mortuo præsentante præsentatus sine titulo remanebat. Inutilis tamen non est Canon qui de tali ad Ordines præsentandi modo, ac de Simoniâ quæ circà illam versatur, loquitur, cùm ad Simoniam quæ circà titulum Clericalem committi potest, rectissimè applicetur. *Cap. unic. Ut Benef. sine Dim.* Cap. 8. *De Censibus.* Cap. 30. *De Jure Patron.* Cap. 37. 45. *De Simon.*

Antequàm ad Secundum Caput de Simonia circà Ordines transeamus, prætermittendum non est, in *Cit. Cap.* 5. Dist. XXIV. de examinatoribus Simoniacis dici, eos Spiritûs Sancti donum vendere conari; idque quia ordinationi, quâ Spiritus Sanctus confertur, quodammodo influunt; undè sequitur, propter eamdem rationem, idem dici posse de quibuslibet Simoniacis circà ea quæ Ordinationem præcedunt.

Jamjam loquendi tempus adest de Simoniâ circà ea, in quibua consistit Ordinum Collatio, sive circà ipsos Ordines in se consideratos; Verùm cùm de illa in Tractatu sæpiùs sermonem fecerimus, unum aut alterum de illa hìc dicendum duntaaat superest.

Primum est, Canones Apostolicos, de quorum venerandâ antiquitate nemo dubitat, tantæ enormitatis Simoniæ peccatum judicasse, ut dum, præter Hæresim, cætera ferè omnia peccata in Clericis duplici pœna, depositione scilicet & Excommunicatione non punienda censeant, ne contrà illa Spiritûs Sancti verba, *Non vindicabis bis in id ipsum*, egisse videantur, utrâque tamen Simoniam in iisdem simul plectant. *C.* 24. *C.* 28.

Secundum est, antiqniores Canones, qui de Simonia circà Ordines loquuti sunt, de eâ solâ mentionem fecisse, quæ Ordinationem in se consideratam respicit, illamque depositione puniendam, tàm in conferente Ordines, quàm in recipiente; Cujus rei eaempla habemus in *Can.* 28. *Apostolico, & in Can.* 8. Caus. I. Quæst. I. qui ex *Conc. Calced.* desumptus est. Posteriores verò Canones, quales *Cap.* 4. Caua. I. Quæst. II. *qui ex* Greg. I. Cap. 5. *qui ex Conc.* Nannet. Dist. XXIV. Cap. 20. *De Simon. quod ex* Alax. III. Cap. 37. *De Simon. quod ex* Innoc. III. Cap. 15. Sess. XXI. antiquiorum pœnam contrà Simoniam, quæ Ordinationem immediarè tangit, ad Simoniam, quæ vel illam præcedit, vel illam subsequitur, extendisse; eoque modo successu temporis Canonum severitatem contrà Simoniam circà Ordines crevisse, cùm pœna Simoniæ, quæ Ordines ipsos proximè respicit, ad Simoniam, quæ illos remotè tantùm spectat, extensa sit.

Undè videre licet, posteriora Ecclesiæ sæcula non minùs, imò quodammodo magia quàm priora, Simoniam abhorruisse. Dicimus *quodammodo*, quia quem habuerunt de Simonia horrorem distinctiùs explicarunt, vetando scilicet distinctè, quæ superiora sæcula confusè tantùm prohibuerant.

Inter ea, quæ Ordinationem subsequuntur, duo sunt circà quæ Simonia committi potest, nempè 1°. Litteræ, quibus Ordines tales susceptos esse constat. 2°. Licentia Ordines eaercendi: Utrumque enim gratis dandum est, & si quid pro alterutro exigitur, Simonia committitur. *Cap.* 2. Sess. V. Cap. 1. Sess. XXI. Cap. 21. *De Simon.* aliquid exigi vetat pro licentia Ministerii eaercendi.

Hinc, cùm licentia prædicandi, Missas celebrandi, Confessiones audiendi, aut quodvis aliud Sacramentum ministrandi, aliæve similes, Ordinum exercitium spectent, nisi gratis concedantur, Simoniacè conceduntur.

Observatio II.

In iis quæ suprà de Simonia circà Ordines diximus, Episcopatum inter Ordines comprehendimua; Canones enim citati vel illum eaprimunt, vel sub generali Ordinum nomine comprehensum volunt. Undè de Simoniâ circà Episcoporum consecrationem triplici prædicto modo consideratam seorsim non agemus. Unum tamen, quod Metropolitano Episcopo quoad Ordinum exercitium peculiare est, prætermittere non debemus, ideòque ad illud explicandum Observationem hanc destinavimus. *Cap.* 28. *Apost. Can.* 2. *Calced. suprà Cit.* Episcopatûs meminerunt. Idem de *Cap.* 39. *De Simon.*

Observandum ergo, quemlibet ex alio quàm ex Episcoporum Ordine ad Metropolitanam Ecclesiam evectum, infrà tres menses à die Consecrationis suæ, à Romano Pontifice Pallium petere debere; alios verò Metropolitanos intrà tres menses à die Confirmationis atque nullum Metropolitanum, non obtento Pallio, Diœcesim administrare, munia Archiepiscopalia exercere posse; eàque de causâ, *id est*, propter necessariam Pallii cum administratione spirituali connexionem, necnon propter Spiritualia privilegia Pallio annexa, gratis adeò concedendum esse, ut pro illius concessione quidquam dare vel accipere sub districtâ interdictione vetitum sit. *Cap.* 4. *De Elect. in Parte decisâ.* Cap. 3. Dist. C. sed hæc prohibitio jamdiù exolevit, sicut & cæteræ circà provisiones Dignitatum à Curia Romana emanantes.

Observatio III.

Vetus Jus, quo prohibebatur, ne quid pro Ordinationibus etiam voluntariè oblatum reciperetur, innovatur à *Conc.* Trid. Sess. XXI. *Cap.* 1. ac quidquid Juri huic contrarium introductum est, etiamsi jamdiù inoleverit, cassatur & interdicitur, decerniturque, ut tàm dantes quàm accipientes inflictas à Jure pœnas ipso facto incurrant. Pœnæ autem hujusmodi, juxtà locum suprà citatum, & ex *Cap.* 22. Caus. I. Quæst. I. desumptum, videntur esse anathema tàm pro Laïcis, quàm pro Clericis; & fortè pro istis, etiam ab Ordine suscepto Suspensio, ex parte illorum, qui Ordines Simoniacè quodammodo suscipiunt; nam Paulus II. suspendit ipso facto ab executione Ordinum, susceptionem illorum Simoniæ labe sic inficientes: Dicimus *fortè*, quia *Conc.* Trid. loqui videtur de pœnis accipienti & danti communibus, qualis non est ista Suspensio: Hanc etiam ob causam, quod de pœnis dicit Concilium, de Excommunicatione Majore interpretati sumus: Quòd si quem pluralis locutio moverit, ut credat Concilium aliam pœnam præter Excommunicationem istam innovare, suum à se poterit removere scrupulum, Excommunicationi infamiam adjungendo, quæ tamen in Ecclesiâ totâ non viget. *Cap.* 101. Caus. I. Quæst. I. *junctâ notâ Rom. Correct.*

A Lege sua eximit *Conc.* Trid. Notarium, cui permittit, ut pro singulis Litteris Dimissoriis, aut Testimonialibus, Decimam aurei partem accipiat; eâ tamen adhibitâ restrictione, ut sibi id non liceat, nisi in locis, in quibus non servatur laudabilis Consuetudo nihil accipiendi.

Observatio IV.

Dubitari potest, an, juxtà Vetus Jus in Dacrata-

LIBUS contentum, occulta circà Ordines Simonia ipso facto suspenderet.

Dubitandi Ratio petitur ex eo quod ALEXAND. III. *Cap.* 20. *De Simon.* interrogatus quid agendum esset de Sacerdote qui Archidiacono sex solidos solvisset, ut ipsum ad Ordinem Presbyteratûs præsentaret, id aliter facere detrectanti: Respondet, Simoniacum hunc ab exercitio Ordinis sic suscepti non privandum invitum, si excessus secretus sit, sed secretam tantùm imponendam pœnitentiam. INNOC. vero III. consultus quid faciendum de Subdiacono qui confessus secretò fuerat se Præsentatori suo firmiter promisisse se ab illo nihil petiturum, eaque factâ promissione præsentatum Subdiaconatum suscepisse; Respondet hujusmodi Subdiaconum, nec in suscepto Ordine ministrare, nec ad majores ascendere posse, nisi secum misericorditer dispensetur. *Cap.* 37. *De Simon.*

Verùm difficultas hæc facilè resolvi potest: Dici enim potest 1o. Quod posterior Simonia gravior sit priore, cùm in illa agatur de præsentatione titulari, seu quæ titulum Clericalem suppleat; in illâ verò de præsentatione approbationis, quá quis ad Ordines aptus judicatus, ad illos præsentatur, quæque de titulum non habente fieri nequit; atque ideò præsentationem titularem tamquam suum præcipuum fundamentum præsupponit. Unde quamvis Simonia, de qua INNOC. III. sit occulta, ut & illa de qua ALEXAND. III. graviùs tamen punienda est. 2o. ALEX. III. non dicit Simoniacum, de quo loquimur, à suscepto Ordine suspensum non esse, sed non cogendum, ut ab illo exercendo abstineat; idque, quia tali coactione occulta culpa manifestaretur, istaque manifestatio scandalum generaret; nec INNOC. III. docet Simoniacum, de quo sermonem facit, cogendum esse, ne in suscepto Ordine ministret, sed ut id facere sibi liceat, Dispensatione indigere.

Præterea INNOC. III. *Cap.* 45. *De Simon.* sine distinctione loquens de Simonia circà Ordines, ideòque tàm occultam quàm publicam in Decreto suo comprehendens, decernit, ut si quis ordinaverit vel præsentaverit ad Ordines aliquem, promissionem recipiens quod super provisione sua non inquietet eumdem, Ordinator ab Ordinum Collatione, Præsentator ab Ordinum executione per triennium, Ordinatus verò à suscepto Ordine, donec à Sede Apostolica dispensari secum meruerit, noverint se suspensos; qua locutione contra Simoniam etiam occultam Suspensio ipso facto clarissimè fertur, vel jam lata supponitur.

OBSERVATIO V.

Simonia Ordinationi infensa adeò visa est, ut creditum sit non inficere illam solam, in quam immediatè influit, sed & alias; ita ut Jure quod in DECRETO continetur, si quis à Simoniaco Ordines susceperit, etsi illum Simoniacum ignoret, sine Dispensatione susceptos Ordines exercere non possit; si verò sciens id fecerit, Ordinatus cum Ordinatore simul deponendus sit; imò etiamnunc Jure DECRETALIUM, ab eo, quem credit vel dubitat esse Simoniacum, Ordines suscipere nemini liceat non mutatâ opinione, vel dubio non deposito, etsi ministrare possit in Ordine suscepto ab eo, quem nunc credit Simoniacum, qualem non credebat quando suscepit. Quod de contagiosa Simoniæ erga Ordines, in quos immediatè non influit, malignitate dictum mox est, nec ad Beneficiorum dispositionem, nec ad Religiosorum receptionem extendendum; odiosum enim est, ideòque ad expressum casum restringendum. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 7. 8. 9. *Cap.* 9. *cit. Cap.* 35. *De Simon.*

OBSERVATIO VI.

Jure Veteri apud GREGOR. IX. contento, qui Simoniacè Ordines Sacros receperat, illos exercere non poterat, nisi à Sede Apostolica secum dispensaretur; dicitur enim de Ordinato hujusmodi in suscepto Ordine ministrare non posse, donec Dispensationem per Sedem Apostolicam obtinere meruerit. Restringitur Dispensationis hujus reservatæ casus ad Sacros Ordines, quia *citatum Cap.* de Simoniaca titulari ad Ordines præsentatione loquitur: Talis autem præsentatio Ordines Sacros dumtaxat respicit. *Cap.* 45. *De Simon.*

Quod de recipiente Simoniacè Sacros Ordines dictum est, à sola Sede Apostolicâ aliàs Dispensationem obtinere non potuisse; ad Conferentes Simoniacos, vel ad Præsentatores etiam Simoniacos extendendum non est; cùm *cit. Caput* illorum pœnam ad triennalem suspensionem reducat: Suspensio autem ad determinatum tempus lapsu temporis finire videtur.

Nec obstat pluralis locutio in verbo, *meruerint*; manifestum enim est legendum esse, *meruerit*; cùm pœna Ordinatoris & Præsentatoris Simoniaci ad triennium limitetur; at, si pluralis hæc locutio admittatur, limitabitur hæc pœna ad tempus, quo uterque absolutionem meruerit. *Cap.* 45. *De Simon.*

OBSERVATIO VII.

Relati apud GRATIANUM circà Ordinationes Simoniacè, vel à Simoniacis factas, Canones sibi invicem adversari videntur; sunt enim quibus ostendi potest Ordinationes istas non valuisse, omnique effectu vero caruisse; tales sunt:

I. Qui dicunt illas esse execrationes potiùs quàm Consecrationes; maledictiones, non benedictiones.

II. Qui asserunt illas esse falsas, ideòque non magis esse Ordinationes quàm aurum falsum sit aurum. *Cap.* 4. 13. 108. CAUS. I. QUÆST. II. *Cap.* 11. CAUS. I. QUÆST. IV. *Cap.* 113. CAUS. I. QUÆST. I.

III. Qui illas irritas vocant, eodem modo quo alienationes ab intrusis factas irritas appellant. *Cap.* 37. CAUS. XII. QUÆST. II.

IV. Qui nil dare dicunt. *Cap.* 17. 18. CAUS. I. QUÆST. III.

V. Qui illas iterandas docent. *Cap.* 24. 25. CAUS. I. QUÆST. III.

Sunt alii è contrà apud eumdem GRATIANUM Canones, quibus Ordinationes hujusmodi valuisse monstrare licet, tales sunt:

I. Qui permittunt, ut Ordinati à Simoniacis in susceptis Ordinibus permaneant, si Ordinatores suos Simoniacos ignorarent; qui enim Ordinem verè non accepit, in eo remanere nequit. *Cap.* 107. 108. CAUS. I. QUÆST. I.

II. Qui docent deponendos, qui scientes & volentes à Simoniacis Ordines susceperunt, vel qui per Simoniam ordinati sunt; quomodo enim deponi potest è loco qui in illo positus non est? *Cap.* 107. 109. *Ibid.*

III. Qui de depositione Ordines Simoniacè vel à Simoniacis scienter suscipientis eodem modo loquuntur, ac de depositione Ordines sic conferentis; undè, sicut ista vera est & non apparens, ita & illa vera esse debet & non apparens; ideòque, sicut Simoniacus Ordinator verè habet Ordines, à quibus deponitur, ita & Simoniacè ordinatus. *Cap.* 107. 109. *Ibidem.*

Quod de citatis Canonibus apud GRATIANUM relatis dictum est sibi adversari videri, restringendum ad illos, qui, cùm quodammodo conciliari possint, non sunt verè, sed apparenter tantùm contrarii: tales sunt autem omnes, qui de iteranda Ordinatione non loquuntur, de quibus dici potest effectus, non substantiam, Ordinationis contingere; nam qui dicunt illam iterandam esse non apparenter, sed verè, contrarii sunt illis, qui quibusdam in casibus susceptos Simoniacè, vel à Simoniacis, Ordines exercere permittunt.

OBSER-

Observatio VIII.

Ex Cap. 109. Caus. I. Quæst. I. inferre licet, sub Nicolao *Juniore* & Alexandro II. Ordinatos à Simoniacis in Ordinum non Simoniacè susceptorum exercitio toleratos fuisse, sive scivissent Ordinatores suos esse Simoniacos, sive ignorassent: nam uterque in *Cap. cit* ad utrumque pertinente, ut patet ex Noti *Capiti* subjunctâ, illos solos deponendos decernit, qui in posterum ordinandi erant à Simoniacis, quos non dubitaverint Simoniacos esse.

Ex *Can. autem* 108. *ead.* Caus. & Quæst. colligere licet, sub Urban. II. distinctum fuisse inter Ordinatos à Simoniacis quos Simoniacos esse nescierint, & ordinatos à Simoniacis quos Simoniacos cognoverint, judicatumque posteriorum Ordinationes non esse sustinendas; priorum verò misericorditer sustineri posse, modò laudabilis vita Ordinatos commendet.

Hujus Distinctionis Ratio fuit, quod à Simoniacis ignoranter Ordinati eadem digni veniâ remanserant, scienter verò ab iis Ordinati veniâ concessâ indigni facti erant ob contemptum à Nicol. II. & ab Alex. II. factam sub pœnâ depositionis prohibitionem. Porrò ignorantia præsumebatur, ubi scientia non probatur, *Reg.* 47. *In* 6. Hæc verò probari non poterat, nisi notorietate Juris vel facti, quâ præcedens Episcopi Simonia publica facta fuisset.

APPENDICIS SECTIO II.

De Simoniâ circa Beneficia.

Observatio I.

In Beneficio distinguenda duo sunt: Aliud enim est in illo spirituale; aliud temporale: Prius est illius præcipua Pars, & velut anima: Posterius est accessorium, & quasi Corpus. Beneficii spirituale, est Officium vel Munus Ecclesiasticum ex Ordinibus nascens, Ordinibusque proprium, si primæva institutio servetur vel spectetur. Beneficii temporale, sunt ipsi Ecclesiastici reditus percipiendi ex Officio, debiti quamdiù Beneficium possidetur. *Cap.* 7. Caus I. Quæst. III.

Simonia ergo, quæ circà Beneficia committitur, ex eo petitur, quòd spirituale habent; cùm Simonia in hoc positam diximus, quod pro spirituali temporale detur & accipiatur.

Hinc Simonia circà Ordines quodammodo includitur in Simonia circà Beneficia, istiusque gravitas ex illius gravitate dependet; quò enim major est Ordo Beneficiis annexus, eò gravior est quæ circà Beneficia committitur Simonia. Hanc fortè ob causam *Conc.* Calced. relatum *Cap.* 8. Caus. I. Quæst. I. pari pœnâ plectit, qui Beneficia emunt vel vendunt, ac Ordinum emptores venditoresve: Quod enim de Simonia circa Officia Ecclesiastica dicit Concilium hoc, de Simonia circà Beneficia interpretatur Urban. II, Cap. 8. Caus. I. Quæst. III. judicans nomine *Procuratoris* quemlibet rerum Ecclesiasticarum Administratorem intelligendum esse, veluti Præpositum, Oeconomum, &c. sicut nomine *Defensoris*, Advocatum vel Judicem; & nomine *Subjecti Regulæ*, Archipresbyterum, Archidiaconum, Canonicum, Monachum & quemlibet Ecclesiastico nuncupatum Officio. Propter eamdem causam idem Urban. II. eodem loco dicit: *Beneficiorum emptores venditoresve Spiritum Sanctum emere & vendere.* Paschalis II. Cap. 14. Caus. I. Quæst. III. venditores Altarium (quo vocabulo Beneficia Paschalis Sæculo vocabantur) cum Spiritus Sancti venditoribus conjungit.

Verùm Beneficiorum cum Ordinibus connexio non unica Ratio est propter quàm Beneficia vendi prohibentur; est alia quæ desumitur ex eo quod temporale habent, quod ideò gratis dandum est, quia gratuitum Dei donum est, utpotè à Deo fidelibus gratis datum, ut cætera hujus vitæ bona à fidelibus Deo gratis oblata. *Cap.* 8. Caus. I. Quæst. III. Adde & à Deo Ministris suis possidendum concessum. Rationis hujus vis in eo potissimùm sita videtur, quòd res Deo oblatæ ipsâ oblatione Sacræ efficiuntur, utpotè Divino Cultui dicatæ; undè cæteræ circumstantiæ considera idæ tantùm sunt, ut congruentiæ benigno modo accipiendæ.

Observatio II.

Beneficium per Simoniam se inscio commissam acquirens, etsi à se dimissum, ut debet, sibi iterùm conferatur, locum suum non recuperat cum Beneficio; idque quia prima provisio habetur pro non facta, solaque posterior vim habet; undè alium provisus locum habere nequit quàm posterioris provisionis vi debitum. Cùm autem Simonia Beneficium Simoniacè acquirentem inhabilem efficiat ad illud possidendum, Beneficium hujusmodi sine Dispensatione sibi conferri nequit.

Nec obstat *Cap.* 26. *De Simon.* in quo Capitulum dimissum in manibus suis Canonicatum Simoniacè acquisitum dimittenti aufert. Dici enim potest: 1º. hoc in casu ab Episcopo, quem hujus Capituli Caput fuisse vero non absimile est, dispensatum; agebatur ibi de Beneficio simplici circà quod Dispensatio Episcopo permittebatur.

2º. Tunc fortè quemlibet Collatorem circà Beneficia simplicia dispensare potuisse, ac idcircò conferendo Capitulum dispensasse.

3º. Canonicatum collatum à Capitulo dimisso diversum fuisse, cùm locus & fortasse reditus ratione posterioris Canonicatûs debiri diversi fuerint.

Observatio III.

Nulla est Simonia circà Beneficium justè & plenè acquisitum, quale quod ab habente legitimam conferendi potestatem datum est homini illius non incapaci, quique in illius possessionem Canonicè missus est: si quid enim Possessor dederit ad conservandum Beneficium, Simoniam non committit, sed redimit vexationem. Circà acquirendum verò Beneficium pluribus modis committitur Simonia, quia pluribus modis acquiritur Beneficium, ac in quolibet acquirendi modo varii sunt ad plenam acquisitionem gradus. Nam vel à Patrono dependet, & tunc præter missionem in possessionem, necessariæ sunt præsentatio & institutio: In institutione separari potest præsentati examinatio ab illius approbatione, cùm ab illo, cujus est præsentatum approbare & instituere, examinatio committi possit; vel per electionem perfectam datur, & tunc non solùm necessaria est electio, sed & confirmatio: In ista autem separari potest electi examinatio ab electionis examinatione, cùm committi seorsim possit Examinatio ista. Vel per Collationem acquiritur Beneficium, quo casu vel Collatio fit à Collegio, & tunc idem de Collatione quod de electione dicendum, si confirmationem excipias; vel ab alio quàm à Collegio, & tunc vel ab Ordinario, vel à Papâ; si ab isto, duplex esse potest acquirendi gradus, si Collationem vel illius executionem commiserit, nempè provisio à Papâ concessa, & Collatio vel illius executio à Delegato facienda; Si ab Ordinario, vel liberè confert, vel non liberè; & tunc si liberè, acquisitoris Beneficii unicus est gradus; si non liberè, ut quando Graduatis nominatis confert, quo casu plures sunt gradus, nempè Nominatio, & Collatio.

Circà quemlibet acquirendi gradum dupliciter committi potest Simonia, nimirùm datâ pecuniâ vel ei à quo in parte vel in toto datur, vel illius

illius amico, qui ad dandum illum moveat: Cæterùm quoties contra expressam acquirentis voluntatem committitur, sibi non obest quoad impetrationem, nisi posteà ratam habeat dationem. *Cap.* 3. 4. 5. CAUS. I. *Cap.* 33. *De Simon.*

OBSERVATIO IV.

Ex casibus, in quibus circà Beneficia committi potest Simonia, in Corpore Juris Canonici exprimuntur isti præter collectos sub Titulo de Consuetudinibus à Jure circà Simoniam nominatim reprobatis.

I. Si Electoribus pecunia detur. *Cap.* 59. *De Elect.* Cap. 27. *De Simon.* Cap. 5. *De Simon. in Collect.* 2.

II. Si contradicentibus Electioni, etiam à majori parte factæ, pecunia detur, ut cum aliis concordent; undè à fortiori, si consensus necessarius sit ut electio valeat. *Cap.* 23. *De Simon.* Cap. 2. *De Confessit.*

III. Si ad confirmationem electionis detur pecunia, quamvis ad removendum injustum obicem detur.

Hujus Casûs Ratio: Electio non dat plenum jus, ideòque hoc in casu sufficiens redimendæ vexationis causa non adest. *Cap.* 33. *De Simon.*

IV. Si quis Beneficium constituerit, sive clariùs (ut vulgò dicitur) fundaverit eo pacto, ut sibi conferatur, Simoniacus est cum fundationem acceptante; si verò à se fundatum ad Dei gloriam Ecclesiæque utilitatem, humiliter petens ab eis, qui fundationem probarunt, obtineat, non est Simoniacus, nec isti. *Cap.* 34. *De Simon.*

Quod de petitione Beneficii dictum est, puriori Disciplinæ adversari videtur, juxtà quam Beneficia petere non licet; undè credere fas est INN. III. *in cit. Cap.* Autorem, de qua loquitur petitionem non probasse, sed ipsam Simoniæ vitio non infici tantùm declarasse.

V. Si intuitu precum illicitarum, quales quæ fiunt pro indigno, vel à personis malæ famæ, vel promissionibus illicitis, similibusve motivis junguntur, ad Dignitatem quis eligatur. *Cap.* 10. *De Ætat. & Qual.*

VI. Si, ad componendam circà Jus Patronatûs litem, inter Laïcos & Religiosos transigatur eâ lege, ut Laici præsentationem obtineant, Religiosi verò novam vel majorem percipiant portionem in Ecclesia, in qua nullam vel minorem priùs percipiebant. *Cap.* 9. *De Transact.* Cap. 11. *De Censib. prout refertur in Coll.* 1. Cap. 17. *De Simon.*

VII. Si, pro præstando electioni consensu, obligatio sive scripta pecuniæ promissio recipiatur, etsi pecunia promissa soluta non sit; quod mirum esse non debet, cùm simplex verbalis promissio in pari casu ad Simoniam sufficeret. *Cap.* 2. *De Confess.*

VIII. Si eâ conventione Beneficium conferatur, ut ex illo emolumentum aliquod, anteà non perceptum, deinceps percipiat Collator. *Cap. unic. Ut Ecclesiastica Beneficia sine Diminutione confer.*

IX. Cùm propter annuam pensionem renunciatur Literis, quarum vi obtineri potest Beneficium; quales erant aliàs Gratiæ Expectativæ, & nunc in Gallia Indulta de fausto Regis ad Regnum adventu, vel de fidelitatis juramento ab Episcopis noviter præstito.

Hujus Casûs Ratio: Renunciatio hujusmodi, venditio est juris spiritualis, eoque nomine donatur. *Cap.* 35. *De Rescript.*

X. Quando ad Beneficium obtinendum promittit quis se Beneficii jura temporalia remissurum iis quorum ope eget ut illud obtineat. *Cap.* 50. *De Testib.*

XI. Si Beneficium cum alio permutetur; idque quia præterquàm quod permutationes ut plurimùm fiant, non in utilitatem Ecclesiæ, sed in permutantium commodum, ideòque Spirituale pro temporali commodo detur, non permutantur Beneficia sine pactione, quæ circà Spiritualia iisque annexa Simoniacam continet pravitatem. *Cap.* 5. *De Rerum Permut.*

XII. Si pretii donatione Prioratus, Obedientiæve Regulares tradantur. Prioratus istos inter Beneficia collocamus, quia licèt ab initio ad nutum Superioris Regularis, ad quem illorum concessio pertinebat, concederentur, ideòque Obedientiæ vocarentur, posteà cùm per electionem à Capitulo Regulari factam dati sint, perpetui facti sunt, vetitumque ne auferantur sine justâ depositionis causâ, modò Canonica fuisset electio. *Cap.* 2. *De Statut. Monach. §. Prioratus. Ibid.*

XIII. Si quis Clericus collusione factâ cum Patrono Beneficii sui, istud illi constituat censuale, ut post decessum suum Patronus ad illud præsentet Constituentis propinquum. *Cap.* 11. *De Censib.*

XIV. Quando Patroni, etiam Ecclesiastici, ad Beneficia eâ lege præsentant, ut novos vel majores census præsentati sibi solvant. Idem dicendum, si qui, ut faciliùs adipiscantur Beneficium, majorem solita offerant pensionem. *Cap.* 15. *De Censib.* Cap. 6. *De Pactis.*

XV. Quoties jus Patronatûs venditur vel emitur. Circà quod notandum, duplex distingui juris Patronatûs genus: Aliud scilicet Ecclesiasticum, ratione Ecclesiasticæ Dignitatis competens: Aliud Sæculare, quod ex possesso Patrimonio vel hæreditate provenit: Certum autem esse nullo casu jus Patronatûs Ecclesiasticum vendi posse, quia æquè Sacrum est ac Dignitas, cui annectitur: Laïcale verò seorsim sumptum ejusdem quoad hoc esse conditionis; sed si conjunctim consideretur, fundi, cui annectitur, conditionem sequi, iisdemque ac hic fundus contractibus subjici, ita tamen ut intuitu juris Patronatûs fundus non pluris vendatur quàm aliàs venderetur. *Cap.* 2. *De Jure Patr.*

XVI. Ad Dignitatem Simoniacè eligitur, qui, ut eligeretur, cum Electoribus collocutus, eosque deprecatus, cum illis jurans pactus est. *Cap.* 26. *De Elect.*

XVII. Simoniacè in Abbatem promotus præsumitur, qui vix Monachus factus in Abbatem electus est; undè cassatâ electione Monachus iste Abbas denuò eligi nequit.

Præsumptionis Ratio: Verosimile est prædicto viro fuisse promissam Abbatiam, eaque promissione inductum fuisse, ut Monachus fieret; promissionem autem istam gratuitam fuisse vix creditur. *Cap.* 37. *De Elect.* nisi circa Simoniam præmissam se purgarit. *Cap.* 38. *De Elect.*

Nota obiter, idem *Caput* docere illicitum omninò esse, ut quis Monachus eâ intentione fiat, ut Abbas eligatur.

XVIII. Quando duo circà idem Beneficium litigantes, privatâ autoritate inter se eâ lege transigunt, ut alter Beneficium alteri cedat, cedenti verò iste litis expensas solvat. *Cap.* 4. *De Pactis.*

XIX. Si plures ejusdem Beneficii Collatores circà illius Collationem dissentientes ita inter se consentiant, ut qui nominatur *v. gr.* à PETRO, Beneficium prior habeat; nominatus verò à PAULO, illi decedenti succedat. *Cap.* 5. *De Pactis.* Simonia in eo consistit, quod pactio fiat circà rem Spiritualem, cui inest aliud vitium, nempè successio in Beneficio inducens votum mortis alienæ.

XX. Si litigantes circà Beneficium paciscantur inter se, ut alter Beneficium habeat, alter verò pensionem. *Cap.* 21. *De Præb.*

XXI. Promissio, quâ alicui Beneficium promittitur, si quoddam promittentis negotium promoveat, simoniaca est. *Cap.* 12. *De Simon.*

OBSERVATIO V.

Peculiare est Simoniæ circà Beneficia, ut obliget ad duplex restitutionum genus; quorum primum respicit ea, quæ pro Spirituali re accipienda, data sunt; alterum spectat illa, quæ, vi Spiritualis rei acceptæ, nem-

nempè Beneficii, percepta sunt; quælibet enim alia Simonia ad prius tantùm obligat.

Hujus discriminis Ratio, quòd invalida sit facta per Simoniam Beneficii acquisitio, ideòque Acquisitor non faciat fructus suos; acquisitio autem Ordinum vel loci in Monasterio, licèt Simoniacè facta, valet, cùm ordinatio Clericorum & Monachorum receptio, etsi Simoniacæ, ejusdem sunt roboris quoad commoda temporalia hinc percepta, ac si Simonià non inficerentur.

Restitutionis prius genus à posteriore in eo differt, quod qui ad illud tenentur, excusari à restitutione nequeant, nisi propter restituendi impotentiam; atque quia nulla est ex parte recipientis temporale pro spirituali bona fides, quæ unica est post impotentiam ratio à restitutione excusans; respectu verò spirituale recipientis bona fides esse potest, cùm pecunia dari possit ipso nesciente; undè excusari potest à restitutione, tùm propter bonam fidem, tùm propter impotentiam; sed si absit bona fides æqua nunc est conditio tùm pecuniam accipientis pro Beneficio conferendo, tùm Beneficium suscipientis; dictum est *Nunc*, quia aliàs ad restituendum in duplum prior tenebatur; posterior nunquam adstrictus fuit, nisi ad simplum.

Observatio VI.

Ad probandum Jure Decretalium apud Gregor. IX. collectarum Simoniam Beneficiales provisiones non irritasse, malè adducuntur Capita, in quibus dicitur Beneficia Simoniacè acquisita à Simoniacis resignanda, vel iisdem spoliandos esse; qualia sunt *Cap. 59. De Elect.* Cap. *6. De Pactis.* Cap. *26. De Simon.* nam ex tali resignatione vel spoliatione facienda inferri nequit, Simoniacum jus aliquod in illis Beneficiis habuisse, quo privandus esset; sed tantùm possessioni habitæ renunciare debuisse, vel sibi auferendam fuisse, si libens non renunciasset. Hoc autem adeò verum, ut in casibus, in quibus certum est factas per Simoniam acquisitiones irritas esse, dicatur de acquisitiore quod resignare debeat, vel spoliandus sit. De Resignatione exemplum habes in *Cap. 21. De Jure Patron.* in quo datum à solo Patrono, etiam Laïco, Beneficium resignandum dicitur; & aliundè certum est, concessionem Beneficii eo modo factam irritam esse, cùm Beneficia Patronata sine Episcopali institutione validè haberi nequeant. De spoliatione exemplum legitur in *Cap. 6. De Jure Patron.* quod præcipit ut Juris Patronatus Acquisitor Simoniacus acquisito jure spolietur; & *Cap. 16. ejusd. Tit. & ex eodem Pontifice* Alex. III. *desumpto* acquisitio hujusmodi irrita declaratur.

Observatio VII.

Ad Simoniam circà Beneficia revocari potest, quod docet Jus Canonicum circà illam, quæ Vicedominatum, aliamque Ecclesiasticarum rerum Administrationem spectat; nempè, tùm quòd si qui per pecuniam illas obtinere voluerint, tàm ementes, quàm vendentes cum Simone percelluntur, & ab Ecclesia, in ejus contumeliam dare vel accipere pecuniam voluerunt, justè excluduntur; ex pœnæ siquidem severitate facilè judicatur, hic sermonem fieri de Administratione, quæ ab alio quàm à Clerico congruè fieri neqnit; qualis est quæ in Capitulis ab uno ex Canonicis exerceri solet, quàque qui oneratus est omnibus in negotiis extra Capitulum gerendis Capituli vices gerit.

Hinc colligere licet quantà culpà tenerentur, qui Administratoris Officium, datà vel promissà pecunià, Canonici obtinerent. *Cap. 38. De Simon.*

Observatio VIII.

Extendendum ad Simoniam ab obsequio, & ad Simoniam à linguâ procedentem, quod Alex. II. dicit de Simonia à manu circà Beneficia; nempè detestabile malum esse, ut nulli Clerico, quamvis Religioso, quamvis scientià & bonis moribus prædito, Ecclesiasticum Beneficium concedatur, nisi ei, qui profano pecuniæ munere illud emere studuerit, fiatque Ecclesia, & res ejus ita venalis, velnti quædam terrena & vilis merx à Negotiatoribus ad vendendum exposita: ad Beneficia non eligendos, qui majores pecuniæ sacculos conferant, sed illos, qui moribus disciplinà & scientià divites pro officio suo Ecclesiam valeant sustentare. Simonia siquidem, sive ab obsequio, sive à linguâ, publico Ecclesiæ bono non minùs officit, quàm Simonia à manu; cùm qui ad Dignitates per illam promoventur, æquè sint fures ac latrones, quàm qui per istam: rejiciendi ergo à Beneficiis, qui suis vel propinquorum precibus, vel profanis obsequiis illa ambiunt, quæruntque; eodem planè modo ac qui oblata pecunia obtinere conantur, iique soli eligendi, qui pro Beneficii qualitate probati illo dignos se non insufficienter ostenderunt.

Observatio IX.

Ex *Can.* 4. Caus. I. Quæst. III. inferre non licet Simoniam, quâ Beneficia simplicia, quibus nullum Ordinum majorum munus annectitur, emuntur, Ecclesiasticam esse tantùm, non Divinam. Non enim aliud in eo continetur, nisi Ecclesias vel Decimas, quæ vulgari vocabulo apud Gallos *Altaria* tunc vocabantur, Monasteriis datas, ac posteà mutatis vel mortuis illarum Rectoribus, qui Personæ dicebantur, ab Episcopis iisdem Monasteriis sæpiùs venditas à Greg. VII. adjudicatas, vel confirmatas Monasteriis, quia triginta annis & suprà possidebantur; atqui nulla est relati facti circumstantia, quæ probare possit Beneficiorum simplicium venditionem solo jure Ecclesiastico prohiberi. Quid enim ad hoc adducetur? Diceturne Ecclesias tunc ab Episcopis venditas emptoribus relictas propter tricennariam possessionem, quam mala fides semper comitata videtur? Diceturne illas Ecclesias Beneficia simplicia fuisse? Sed quomodo id ostendetur? Ecclesiæ nomine nonne quodvis Beneficium intelligi potest? Quæ Beneficia Decimæ congruentiùs vocantur quàm Curata? Altaris nomen convenitne Beneficio cui nullum Ordinum majorum munus annectitur? Aut saltem congruitne solùm Beneficio hujusmodi? Emunturne propriè prædictæ Ecclesiæ? Nonne potiùs redimitur vexatio cùm Monasteriis datæ jam essent? Diceturne Greg. VII. circà effectum Simoniæ in eo situm, ut Simoniacus Beneficii Acquisitor retinere nequeat dispensare; & circà Simoniam Divinam, Humanam non valere Dispensationem? Dum non tollitur Beneficium vexationis redemptori, dispensaturne cum illo? Incapacitas iterùm acquirendi Beneficii Simoniacè acquisiti quo jure introducta est, nonne Jure Humano? Atqui dum Greg. VII. memoratis Monasteriis redemptas à se Ecclesias adjudicat, vel confirmat, quid aliud facit quàm ut Ecclesias istas possidendi incapacitatem tollat.

Observatio X.

De Beneficii Collatione, aliave dispositione à Simoniaco non Simoniacè facta, expressam nullibi mentionem facit Jus Canonicum; Nonnulla tamen sunt in eo loca, ex quibus inferre licet quid de hujusmodi Collatione sit sentiendum, quove modo resolvenda sint, quæ circà istam nasci possunt dubia.

Nam 1o. quandiù ſine Beneficii titulo quemquam ordinare non licuit, tamdiù Beneficii Collatio ejuſdem penè conditionis fuit cum Ordinatione: Dicitur *penè*, quia Beneficii Collatio ſejungebatur interdum ab Ordinatione, nimirùm cùm cuidam Eccleſiæ per Ordinationem alligatus ad aliam transferebatur.

Hinc Canones, qui præcipiunt indiſtinctè, ut à Simoniacis ordinati, etſi non Simoniacè, deponantur, necnon & illi, qui poſteà diſtinxerunt inter ſcientem & ignorantem, ita ut depoſitio locum haberet erga ſcientem, non erga ignorantem, extendi poſſunt ad illos, quibus à Simoniaco non Simoniacè collatum eſt Beneficum; undè juxtà Vetus Jus à Beneficio ſine diſtinctione deponendi eſſent, qui à Simoniaco non Simoniacè acceperunt; ſecundùm verò Jus Medium tantùm deponendi eſſent, qui ſcientes à Simoniaco Beneficium habuerunt ſed cùm Canones circa ordinatos à Simoniacis non Simoniacè quoad pœnam in deſuetudinem abierint, reſtat, ut nulla ſit quoque pœna erga illos, qui à Simoniacis Beneficia ſine Simonia acceperunt. *Cap.* 107. 108. 109. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 22. *De Simon.*

Nam II. ubi Beneficii Collatio ab Ordinatione ſeparari cœpit, extunc Canones circa Ordinationes ad Beneficii Collationes nonniſi incongruè extendi potuerunt quantùm ad pœnas, cùm iſtæ reſtringendæ ſint, nec queant, niſi injuſtè, ad culpam leviorem à graviore extendi; levius autem ſit à Simoniaco Beneficium accipere, quàm ab eodem Ordines ſuſcipere: Quantùm verò ad peccatum, extenſio iſta vitari non videtur, modò diſcrimen à materia petitum oblivioni non detur.

Hinc, ſicut nemini licet Ordines petere, imò nec oblatos ſuſcipere, ab eo quem ſcit vel putat Simoniacum eſſe; ita nec ulli licet Beneficium poſtulare, nec oblatum acceptare ab illo, quem Simoniæ reum vel ſcit vel credit: atque quemadmodùm cuique fas eſt exercere ſuſceptos Ordines ab eo, quem Simoniacum neſciebat vel non putabat, etiamſi poſteà audiat illum eſſe Simoniacum ac credat, ſic cuiquam licitum eſt retinere collatum ſibi Beneficium ab illo, quem neſciebat nec credebat Simoniæ reum, quamvis deindè diſcat illum Simoniacum eſſe, ac id ita eſſe credat, quod deſiit à tempore Decreti *Concilii* CONSTANTIENSIS, quo fas eſt communicare cum excommunicato vel ſuſpenſo non denunciato. *Cap.* 35. *De Simon.*

OBSERVATIO XI.

Cap. 8. CAUS. I. QUÆST. II. *deſumptum è Conc.* CALCED. *celebrato ann.* 455. omnium, quæ in Corpore Juris Canonici habentur, antiquiſſimum eſt quod de Simonia circa Beneficia expreſſam mentionem faciat. Hoc autem Capite Simonia iſta depoſitione totali plectitur; præcipit enim, ut Clericus, qui illam commiſerit, gradu ſuo excidat. Eadem pœnâ utitur TARASIUS Patriarcha CONSTANTINOPOL. *ann.* 787. Factum hoc legitur *Cap.* 2. CAUS. I. QUÆST. VII. Eamdem adhibet *Concil.* ROTOMAG. ſub JOANN. VIII. *celebratum an.* 880. id refertur *Cap.* 33. CAUS. VII. QUÆST. I. Deindè mutat depoſitionem hanc in ſuſpenſionem ab Officio GREG. VII. *ann.* 1078. Id autem habetur *Cap.* 3. CAUS. I. QUÆST. III. Illam tamen paulò poſt innovat ALEX. II. *anno ſcilicet* 1069. idque *Cap.* 9. CAUS. I. QUÆST. III. *Conc.* LATER. *celebratum ann.* 1179. Cap. 2. *De Statu Monach.* contra vendentes & ementes Prioratus Regulares depoſitionem præſcribit; poſteà uſque ad PAULUM II. de pœna infligenda in prædicta Simonia laborantes ſermo non fit in Corpore Juris Canonici: Hîc autem excommunicantur ipſo facto, qui illam commiſerint, quam excommunicationem innovare videtur *Conc.* TRID. dum omnes contra Simoniacos pœnas à Jure inflictas innovat. *Cap.* 14. SESS. XXIV. *De Reform.*

OBSERVATIO XII.

Si in concurſu à *Conc.* TRID. circa Beneficia Curata ſtatuto concurrentium Examinatores aliquid accipiunt ratione iſtius examinis, vitium Simoniæ incurrunt, à quo abſolvi nequeunt, niſi dimiſſis omnibus Beneficiis, etiam antea obtentis; ac ad illa aliave poſſidenda inhabiles fiunt. Quod de accipientibus hîc dicitur, ad dantes extendendum eſt. *Cap.* 18. SESS. XXIV. *De Refor.* §. *Licet verò*, *Ibid.* Hic autem locus plura alia notanda docet.

I. Quanti momenti ſit, ut Beneficia Curata meritò conferantur, cùm tanta ibi exerceatur ſeveritas contra Simoniam, in eo ſita, quod illam committentes duplici gravi pœnâ plectantur, nempè privatione Beneficiorum anteà obtentorum, & inhabilitate ad quæcumque poſſidenda.

II. Quantæ ſit gravitatis crimen Simoniæ verſans circa Beneficia, quibus major cura animarum incumbit; qualia præcipuè Epiſcopatus.

III. Hanc gravitatem ineſſe, nedum in ipſa horum Beneficiorum collatione in ſe conſideratâ, ſed etiam in circumſtantiis quæ in illam praxim influunt, quale examen ad illa.

IV. Idem dicendum à fortiori de Collatione Sacrorum Ordinum quod de Collatione Beneficiorum, cùm major ſit illorum Dignitas.

OBSERVATIO XIII.

Per plura ſæcula inter ſpecies Simoniæ circa Beneficia poſita eſt Inveſtitura per annulum & baculum, quam Epiſcopi vel Abbates aliive Prælati, habentes feuda à poteſtate Sæculari, accipiebant ab illâ; atque cùm Simonia *Hæreſis* diceretur, eodem nomine donabatur inveſtitura. De hac Simonia meminit GRATIANUS pluribus in locis, ſed imprimis CAUS. XVI. QUÆST. VII.

An autem inveſtitura verè fuerit Simonia dubitari poteſt. Quod ut breviter explicetur, in memoriam revocandum, Simoniam veram non committi, niſi interveniat datio temporalis pro Spirituali, vel Spiritualis pro temporali; porrò nihil ſimile occurrit in prædicta inveſtitura, cùm inveſtiti à Poteſtate Sæculari nihil ſpirituale reciperent ab illâ, ſed mitterentur tantùm in poſſeſſionem feudorum Dignitati ſuæ annexorum, nec quidquam ſpiritualis aut temporalis darent illi Poteſtati; nulla ergo ineſſe poterat in prædicta inveſtitura vera & propria Simonia.

APPENDICIS SECTIO III.

Peculiares circa Confidentiam Obſervationes ad eamdem Simoniam Beneficiariam pertinentes.

Etſi in toto Juris Canonici Corpore de Confidentia ne unum quidem verbum legatur, nec inſtituti noſtri ſit extra Juris Corpus vagari; attamen de iſta ſermonem hîc non facere fas non eſt; Confidentia ſiquidem quoddam Simoniæ circa Beneficia genus eſt, nec minùs quàm quodvis aliud frequens; Undè imperfecta remaneret noſtra de Simonia Tractatio, cùm in eâ non contemnenda Pars deſideraretur, niſi iis, quæ de Simonia circa Beneficia mox dicta ſunt, quæ circa Confidentiam ſcienda ſunt adjiceremus. Verùm, ne limites noſtros prætergredientes, atque idcircò ſine noto fidoque Duce, Canone ſcilicet, iterùm atque iterùm lecto incedentes aberremus, quæ circa Confidentiam dicere convenit quàm poterimus breviùs expediemus; paucis ergo explicabimus quid ſit Confidentia? Quare prohibeatur? Quomodo ad Simoniam pertineat? Quotuplex ſit? Et quibus pœnis puniatur?

Observatio I.

Peccatum, de quo loquimur, ex eo dictum videtur Confidentia, quòd peccato isto aliquid alicui vetante Lege concredatur alteri remittendum; in eo autem potissimè situm est, quod Beneficium alicui conferatur vel resignetur, ut post elapsum quoddam tempus, alteri tunc ad illud inidoneo cedatur vel transferatur, aut quamdam fructuum illius partem illi aliive quotannis largiatur.

Observatio II.

Ante postrema sæcula incognitum fuisse videtur Confidentiæ peccatum, aut saltem rarum, cùm de illo in Jure Canonico nulla fiat mentio; & de his quæ frequenter accidunt Decisiones tradat non paucas. Peccati hujus potissima causa est carnalis Collatorum aut Resignantium erga propinquos Clericos affectus: Hinc enim factum est, ut dum Collatoris vel Resignantis propinquus, conferendi vel resignandi Beneficii nondum capax est, aut ætatis defectu, aut alio, amicum quærerent, cui ad tempus Beneficium istud crederent, posteà tempore congruo propinquo remittendum. Inter Confidentiæ causas secundo loco recensenda est Aulicorum avaritia, qui cùm Dignitates Ecclesiasticas, quas pro illa quâ apud Principem pollerent auctoritate obtinere poterant, possidere nollent vel nequirent, pro domesticis Clericis, similibusve, quibus fiderent, custodibus impetrabant, ut maximam fructuum portionem à nimiùm fidis erga homines, infidisque erga Deum custodibus reciperent.

Contra Primam hujus Observationis Partem Opponi potest *Cap. 5. De Pactis.* in quo sermo fit de Beneficio eâ Lege concesso, ut talis nominatim succedat; quod ad Confidentiæ conventionem proximè accedere videtur. Verùm Responderi potest nil certi ex hoc Capite concludi posse; intelligi enim potest variis modis, præsertim verò de Collatione pluribus simul factâ, non ut simul possideant, sed ut unus alii morienti succedat; quæ Collatio ideò vitiosa est, quia Beneficium confert antequàm vacet, occasionem optandæ & captandæ mortis præbet, in Beneficiis successionem introducit similem illi quæ fit in rebus profanis per substitutionem, quâ uni certo modo morienti alter succedit. Gonzal. illum Textum exponit de duobus Compatronis, qui dissentientes circà electionem Collatarii duos nominabant, hoc pacto ut præmortuo superstes succederet; quæ expositio sat verosimilis apparet.

Observatio III.

Variis modis committitur Confidentia; nempè vel solâ Beneficium donantis vel accipientis intentione, vel utriusque, quibus casibus est purè mentalis; vel intentioni additur conventio utrinque acceptata, quo casu conventionalis est; vel ab intentione & conventione ad executionem transitur, quo casu realis est. Hinc triplex est Confidentiæ genus, ad quorum quodlibet extendendæ sunt traditæ circà Simoniam Regulæ.

Observatio IV.

Non unam ob causam prohibetur Confidentia; Quæ sequuntur, præcipuas judicamus.

I. Omnis pactio in Spiritualibus, iisque annexis, illicita est; in Confidentia autem pactio intervenit circà Beneficia, quæ ratione Officii Spirituale quid sunt; ratione verò fructuum qui ex Officio proveniunt, temporale quid existunt Spirituali annexum.

II. Quando alicui Beneficium creditur, ut credenti fructuum partem impertiatur, Beneficii titulus sub annua pensione venditur, quòd verè Simoniacum est, continetque vetitam Beneficii sectionem.

III. Confidentia fovet hæreditariam in Beneficiis successionem, cùm, ut dictum est, Confidentia præcipuè oriatur ex eo quòd propinquus in propinquum amore sanguinis Beneficium suum transmittere velit; atqui illa, quæ in Beneficiis hæreditariæ successionis imaginem referunt, Sacris Constitutionibus odiosa sunt, & Patrum Decretis contraria: Quid ergo de Confidentia cogitandum, quæ vera est in Beneficiis hæreditaria successio?

IV. Quod in bonis profanis est fideicommissum, hoc in bonis Sacris est Confidentia: nam sicut fideicommisso alicujus fidei hæreditas committitur post tempus quoddam alii restituenda, ita per Confidentiam Beneficium alicui creditur, alteri, tempore statuto, resignandum. Præterea Confidentiarius alieni Beneficii custos est, sicut alienæ hæreditatis custos est fiduciarius. Denique, sicut iste ex fideicommisso commodum aliquod sentit in remunerationem suscepti oneris in custodienda administrandaque hæreditate fidei suæ commissâ; ita Confidentiarius, quandiù durat Confidentia, Beneficii fructibus potitur in custodiæ ac administrationis mercedem.

V. Per Confidentiam Ecclesiastica Beneficia acquirentes, fures sunt & latrones; non enim in ovile per ostium intrant, sed per fenestras.

VI. Confidentia, qua aliquis Dignitatem obtinet, alius verò istius fructum Dignitatum, januam claudit viris doctis, probis, nobilibus, uno verbo dignis; aperitque ignavis, impiis, & vilibus personis. Quis enim Beneficium hac via acceptare poterit, nisi illo prorsùs indignus, vel propter ignorantiam, vel propter pravos mores, vel propter conditionis vilitatem ignobilitatemque, egregiis animi dotibus, quæ illam deleant, destitutam.

Observatio V.

Ex dictis, sive circà Simoniam in genere, sive Simoniam Beneficia respicientem, sive in hâc Sectione circà Confidentiam, patet varias ob causas ad SimoniamConfidentiam pertinere.

Nam I. Si Confidentia consistat in eo quod Beneficium Petro conferatur, vel resignetur, ut illud Paulo resignet, evidens est Confidentiæ isti inesse Simoniam; cùm sperarum ex tali Collatione vel Resignatione commodum sit pretio æstimabile, ac proindè temporale pro Spirituali hoc in casu detur; cùmque de casu isto idem videatur ac de illo; in quo propter promissum ab eligendo Beneficium electioni istius quis consentit.

Nam II. Si Confidentia in eo sita sit, quod Collator vel Resignator fructuum Beneficii collati vel resignati portionem maximam habeat; evidens quoque est Confidentiam hujusmodi Simoniæ pravitatem in se continere; cùm Collator vel Resignator ex Collatione vel Resignatione suâ emolumentum temporale non modicum percipiat.

Nam III. Propter easdem causas prohibetur Confidentia, ob quas Simonia vetatur, ut patet ex Collatione utrarumque suis locis expositarum.

Nam IV. Ex iisdem fontibus fluit Confidentia ac Simonia, nempè ex ambitione & avaritia.

Observatio VI.

Iidem sunt Confidentiæ ac Simoniæ circà Beneficia effectus: Confidentia siquidem, cùm Simoniæ species sit, in Simonia comprehenditur. Undè, sicut Simonia effecit, ut acquisitio Beneficii per Simoniam ab acquirente etiam ignoratam facta, nullius sit roboris, acquirensque inhabilis evadat ad illud denuò acquirendum; ita & Confidentia etiam ignorata irritat Beneficii acquisitionem, ac acquirentem facit iterùm illud acquirendi incapacem.

Hinc Confidentia, ficut & Simonia, ignoranter acquirentem obligat ad Beneficii dimissionem, statim ac illius certior factus est; necnon ad restitutionem omnium fructuum, quos à die, quo illam cognovit, vel cognoscere potuit & debuit, ex credito sibi Beneficio percepit.

Ignorari potest Confidentia ab acquirente Beneficium, si à Parentibus filio minori, vel Beneficii Administrationi sese non immiscenti, eâ Lege acquisitum, ut illius proventûs pars maxima in Collatoris vel Resignatoris utilitatem cedat, vel eâ voluntate, ut alteri filio, quem ad statum Ecclesiasticum vocant, nondum illius capacem, dum talis factus fuerit, resignetur.

OBSERVATIO VII.

Quoad pœnas, quibus punitur Confidentia, præter Excommunicationem Majorem ipso facto incurrendam, Summoque Pontifici reservatam, duplex est alia sibi peculiaris.

Prima est privatio omnis Beneficii Officiique Ecclesiastici, pensionis, ac cujusvis fructus, etiam Ecclesiastici, antea possessi.

Secunda est incapacitas ad illa similiaque possidenda. Patet ex *Bulla* PII V. *inter Decisiones Juris circà Simoniam, integr. relata*. Huic Observationi non obstat Observatio XII. de Simonia circà Beneficia, ubi dictum est quod Simonia circà examen ad Concursum Parochialem similes effectus operetur; nam hic casus unicus est, continetque exceptionem, quæ Regulam firmat.

APPENDICIS SECTIO IV.

De Simonia circà ingressum in Religionem.

OBSERVATIO I.

In Religionem ingressu acquiritur jus ad duplex bonorum genus, nempè Spiritualium & temporalium: Quilibet enim Religiosus particeps fit omnium piarum exercitationum, quæ ab omnibus simul convocatis fiunt: quales Meditationes, aliæque Preces communes, Sacrificium, Lecturæ, Instructiones; Fit etiam particeps fructûs, indè apud Deum percipiendi, tàm ad impetrationem, quàm ad satisfactionem: Præterea efficitur capax cujusvis his piis exercitationibus Præfecturæ. Hæc autem bona omnia sunt Spiritualia. Habitatio, Victus, Vestitus, sunt bona temporalia, quæ cuique Religioso debentur.

Cùm quærenti Regnum Dei sive bona Spiritualia, cætera sive temporalia adjiciantur, jus ad bona spiritualia acquisitum Religioso per ingressum in Religionem fundamentum est juris quod habet ad bona temporalia.

Hinc facilè concipitur cur prohibeatur, ne pro Religiosi receptione aliquid exigatur; cùm evidens sit exactionem istam super Spirituale cadere, cùm, ut dictum, Spirituale sit in Religione velut principale, temporale verò velut accessorium, ideòque Simoniacam meritò judicari.

Non omittendum, inter Religiosos nonnullos esse, qui ex institutione suâ ad Ordines vocantur; quales Canonici Regulares, & pleique Mendicantium, idcircò Religiosos istos gratis recipiendos non solùm propter allatam causam, sed etiam ob annexum statui ipsorum Clericalium muniorum exercitium. Addendum prætereà similes ob causas, propter quas ab ingressuris Monasteria, pro ipso ingressu aliquid exigi vetatur, prohiberi quoque ne habitum circà Monasteria jus certâ pecuniæ summâ cedatur vendaturque, *Cap. 3. Collect. 5.*

OBSERVATIO II.

Antiquissimus omnium Canonum in Corpore Juris inclusorum, qui de Simonia circà ingressum in Religionem mentionem faciat, refertur *Cap. 2.* CAUS. I. QUÆST. II. *Desumitur è* BONIFACIO *scribente ad* CATARITANÆ *Ecclesiæ Cœnobitas versùs annum* 419. Variis rationibus ibi ostenditur pro Religiosi receptione nihil accipiendum. Quæ affertur prima petitur ex exemplo Apostolorum, istorumque Discipulorum, qui pro receptione ad fidem Christianam nihil unquam acceperunt ab iis, quos ad illam converterunt. Secunda desumitur ex eo quòd in Religionem ingressus sit Dei donum, cùm ad hunc nullus admittendus sit, nisi à Deo vocatus. Deindè objectâ sibi Monasterii paupertate, respondet justam causam non esse exigendi quidquam à recipiendo, cùm hac in re omnis debeat abesse pactio, sed post receptionem permitti recepto opem ferre Monasterio indigenti; sed ii sunt hominum mores, ut ab hujusmodi recepto ejusve Parentibus, quidquam subsidii vix sperari possit.

Nota I. Quod citata hic BONIFACII Epistola alium, quàm qui ipsi communiter tribuitur, sensum habeat; id tria illius loca insinuare videntur: Primus est; *Quam pro mentis affectu vestræ destitutioni compatiatur Romana Ecclesia.* Secundus est; *Si vestræ necessitati adeò opportunus est, quem reperisti.* Tertius est; *Sicque Regiminis devotè gesset obsequium*: Hæc enim de Ecclesia Abbatem non habente; Abbatemque quærente, sanè intelligi possunt.

Nota II. Quod si hæc DECRETALIS de Simoniâ circà ingressum in Religionem non loquatur, vetustissimus, qui de illâ Sermonem facit, Canon est *Cap. 3.* CAUS. I. QUÆST II. quod ex URBAN. II. desumitur, hæc habente in *Conc. Melfitano* ann. 1089. *Nullus Abbas pretium sumere, vel exigere ab his, qui ad Conversionem veniunt, aliqua pacti occasione præsumat*; Sed priùsquàm deseramus BONIFACIANUM Canonem, referenda est PITHÆI Nota circà illum, & examinanda subdendaque nonnulla alia de illius Canonis suppositione. PITHÆUS in hunc locum testatur, se DECRETALEM istam inter BONIFACIANAS non reperisse; indè tamen concludi nequit supposititiam esse, cùm fieri possit, ut vel Collectio quam vidit PITHÆUS imperfecta fuerit, vel quod ista BONIFACII DECRETALIA perierit. Verùm id aliundè inferri posset, nempè ex eo quòd incongruè dicta continere videatur; nam si, ut vulgò fit, de Religiosis per Simoniam receptis intelligatur, cur in ea dicitur CHRISTI Discipulos ad fidem invitasse nullius præmii interventu; si verò de promovendo aliquem ad Abbatiam pecuniâ interveniente explicetur, nonne quod mox notarum est parùm appositè quoque dictum videtur? De eodem Canone *Vide* VANESPEN *p. 79. Commentar. in* GRATIANUM ubi notat Epistolam è qua desumitur, nullibi reperiri, ac *Correct. Rom.* nihil in favorem illius laudare quàm autoritatem D. THOMÆ, quæ hac in re levis est, quamcumcumque gravis sit in aliis rebus. His adde quod LABBÆUS CONC. TOM. II. *p.* 158. referens Epistol. BONIF. ne verbum habet de ista.

OBSERVATIO III.

Simonia circà ingressum in Religionem convenit cum Simonia circà Beneficia, quantùm ad effectum quòd acquisitus per Simoniam Religiosus locus dimittendus sit, sive ignoraverit illam acquirens, sive sciverit, quemadmodùm Beneficium Simoniacè comparatum utroque casu dimittendum est; quodque nec eumdem locum habere possit, nisi dimissum ex Dispensatione denuò recipiat; sicut nec idem Beneficium possideri potest ab eo, qui Simoniacè acquisivit, nisi dimissum à Superiore, qui dispensare potest, iterum obtineat. Utraque Simonia convenit etiam in eo, quod in utraque multò minùs difficile dispensetur cum ignorante, quàm cum sciente.

Religiosi receptio convenit quoque cum Beneficiarii cujusvis receptione, in eo quod in neutra quidquam exigere liceat pro pastu, vel in privatum recipientium commodum.

Verùm

Verùm Simonia circà ingressum in Religionem à Simoniâ circà Beneficii acquisitionem in eo differre videtur, quod in priore, ab exigentibus recipientibusque pecuniam, restitutio Religioso, qui coactus dedit, facienda sit: in posteriore Ecclesiæ cui injuria illata est.

Hujus discriminis Ratio: Status Religiosus est status Conversionis, Pœnitentiæ, Humilitatis, Abnegationis &c. quem ideò ambire, petere licet, quique petenti aliàs idoneo sine injustitia denegari non potest: Beneficia verò, propter annexa Ordinum munia, nec ambire nec petere licet; ambientes & petentes, etsi ad illa apti, ab iis excludendi sunt.

OBSERVATIO IV.

Quamvis Religiosus per Simoniam receptus jus nullum habeat in locum quem acquirit, ideòque illum dimittere teneatur, Vota tamen quæ emittit irrita non sunt, atque ad illa servanda æquè obligatur ac si per Simoniam receptus non fuisset: undè cùm remanere nequeat in Monasterio in quod per Simoniam ingressus est, in alio Monasterio in habitu Monastico Domino deservire studeat sibi præcipitur, relictâ sibi libertate eligendi, vel mitioris, vel strictioris, vel æqualis Disciplinæ Monasterium: quod de Religioso, qui pecuniam coactè dedit ut reciperetur, intelligendum est; qui enim illum recipere nolentibus spontè obtulit ut reciperetur, solitudines vel in districtiora Monasteria adire debet, in quibus tàm execrabilem excessum sine intermissione deploret. Concilianda sic videntur *Cap.* 19. *&* Cap. 25. *De Simon.* è quibus collecta sunt, quæ in Observatione ista continentur; in quorum priore non determinatur qualitas Monasterii, in quod transire debet Religiosus cujus ingressus Simoniacus fuit: In posteriore verò prædicto modo determinatur. Quam conciliationem & conjecturam damus ultrò, fatentes sine suppositione ista apparentem inter citata Capita contrarietatem tolli posse, dicendo scilicet quod CLEMENS III. è quo posterius desumitur rigidior erat quàm ALEX. III. qui prioris Autor est; vel Simoniam, de quâ in *Cap.* 25. graviorem esse, cùm in eo agatur de Simoniaco apud Canonicos Regulares ingressu, in quibus status Clericalis statui Religioso conjunctus est. CLEMENTIS III. severitatem sequens *Conc.* LATER. sub INNOC. III. injungit, ut si Moniales, vel Monachi, aliive Regulares paupertatis prætextu à recipiendis aliquid exigant, tàm recepti quàm Prælati è Monasterio, cujus sunt membra, sine restitutionis spe ejecti in arctius detrudantur: Ad hanc rigiditatem movit Concilium frequentissima, quæ circa Religiosorum receptionem Simonia committebatur, in contemptum benè multarum illam prohibentium Canonicarum Constitutionum. *Cap.* 40. *De Simon.*

His verbis, *paupertatis prætextu*, Concilium insinuat, quod si vera esset paupertas, ipsaque sola ad exactionem moveret, vituperanda non esset exactio, ut peculiari Observatione inferiùs demonstrabitur.

OBSERVATIO V.

Quoad pœnas à Jure inflictas contrà dantes vel accipientes pecuniam pro Religiosi receptione, duo aut tria tantùm dicenda supersunt. Primum est, inter pœnas annumerari posse obligationem quam dantibus Jus imponit, ut in districtiora Monasteria, vel solitudines transeant. Secundum, Jus DECRETALIUM præcipere, ut Abbates & Majores Monasterii personæ ab executione Officii sui suspendantur, si quid à recipiendis Religiosis exegerit Monasterium: Officii autem nomine intelligi potest Monasterii gubernatio, si de proprio suspendendorum Officio ibi agatur; Munia verò Sacerdotalia, si de officio quod suspendendis cum aliis commune est. In antiqua DECRETALI nulla est ambiguitas; in eo enim leguntur hæc verba: *Ab Ordine Sacerdotali*: verùm difficultas est, An GREG. IX. hanc DECRETALIS pœnam immutare voluerit, eamque mitigare, contentus reos punire in eo in quo deliquerunt, ac proindè illos ab Monasterii administratione suspendi tantùm voluerit, quia bonæ administrationis Leges violarunt, vendendo scilicet quod gratis concedere debuissent: An verò nomine *Officii* quidquid hoc vocabulo in Jure significari solet, nempè quodlibet Ecclesiasticum munus, an tantùm quod inter Ecclesiastica munia nobilius est, nimirùm Sacerdotale. *Cap.* 3. *De Simon.* Suspensioni ab Ordinum executione favet; injungit siquidem, ut si Prælati Regulares pecuniam à recipiendis exegisse per inquisitionem convicti fuerint, ab Ordinum executione suspendantur, donec competentem eapropter sibi impositam pœnitentiam peregerint. Idem dicendum de *Cap.* 2. *De Statu Monach.*; cùm enim Simoniacè receptum Religiosum à suscipiendis Ordinibus arceat, judicare licet à Sacerdotio suspendere Prælatum Regularem Simoniacè recipientem Religiosos, dùm illum ab Officio suspendit.

Verùm, si his non obstantibus remanserit dubium, Nota quod agentes hic de pœnis Simoniæ in Religionem ingressum respicientes, Veteris Juris apud GRATIANUM contenti nullam fecimus mentionem, quia apud istum Autorem unus vel alter circà hanc Simoniam locus duntaxat reperitur, & in utroque de pœnis contra istam Simoniam præceptis ne unum quidem verbum legitur.

Hoc in dubio Judex Canonis executor sequi debet Regulas à Jure præscriptas circà Legum pœnalium interpretationem; quales sunt istæ, Pœnæ molliendæ sunt potiùs quàm exasperandæ; In pœnis benignior interpretatio est facienda; In obscuris minimum est sequendum; quæ ultima etsi debita solvendi modum respiciat, doceatque in dubio circà mensuras vel monetas, juxtà quas solvere teneatur debitor, minimam ut favorabiliorem debitori sequendam esse, ad pœnas propter rationis paritatem accommodari potest.

Non omittendum, per Majores Personas intelligendos illos, quibuscum Abbas Monasterium gubernat. Jus EXTRAVAG. COMMUNIUM excommunicat ipso facto singulares personas, quæ, ut Religiosus recipiatur, ex pacto dant vel accipiunt aliquid etiam pro pastu, imò etiam & in usum pium convertendum; suspendit verò ipso facto Collegia, Conventus, Monasteria, quæ in similem culpam labuntur; quod de Suspensione totali intelligendum videtur, nempè ab omni Officio Spirituali, quod omnibus membris simul congregatis exercetur: utraque Censura Summo Pontifici reservatur. *Concilium* TRID. applicans jus ab EXTRAVAGANTE citata statutum ad mittentes & missos in Beneficii possessionem, sive Regularis sive Sæcularis (nam sine ulla restrictione loquitur) excipit casum, in quo res exacta in pios usus convertitur.

Prælatus Regularis de Simonia accusatus & convictus deponendus est. *Cap.* 30. *De Simon.*

OBSERVATIO VI.

Certum ac manifestum est EXTRAVAG. II. *De Simon.* ad Religiosos extendi quoad Electiones, Postulationes, Confirmationes, Provisiones, & quasvis alias Dispositiones circà Dignitates, Beneficia, & Officia Regularia, cùm de Monasteriis expressam faciat mentionem. Sed non est certum ad illos extendi quoad Religiosorum receptionem: nam licèt in *§.* 1. *& in §. Statuentes* loqui videatur de quavis Simonia, cùm in illis nihil sit quod Simoniam, de quâ sermonem facit, ad aliquam specialem restringat materiam; attamen quæ in medio EXTRAVAGANTIS leguntur illam limitare videntur ad Simoniam circà Ordines, Beneficia, Officiaque Ecclesiastica, cùm de his solis expressè loquatur, & de odiosis (qualia sunt pœnæ,) quæ restrin-

restringenda non extendenda sunt, in ea agatur. Pœna, quam fert DECRETALIS ista, est Excommunicatio Summo Pontifici reservata.

OBSERVATIO VII.

In nullo Canone, qui in Corpore Juris Canonici legatur, prohibetur, saltem expressè, ne Oblationes, quæ ab ingredientibus in Religionem ultrò fiunt, accepientur, sive antè ingressum, sive post ingressum fiant; Oblationes verò ab ordinandis factæ, sive antè, sive post Ordinationem, ne recipiantur, tàm Novo quàm Veteri Jure prohibitum est.

Hujus Discriminis Ratio: Videtur Simonia circà ingressum in Religionem, levior esse quàm Simonia circà Ordines; cùm ista propriè sit Simonia, alia verò tantùm impropriè: undè nec illius speciem Ecclesia tolerari voluit; istius verò speciem non curavit. Præterea Religionem professuri Monasterio facta Oblatio voluntaria faciliùs creditur quàm ab ordinando facta; quia cùm Monasterii membrum futurum sit, offerens in Monasterii commodum in suam quoque utilitatem offert: Ordinandus autem dum aliquid offert, nisi id in bonum Ecclesiæ, cui per Ordinationem adscribendus est, vertatur, nullum ex Oblatione sua emolumentum sperare potest: Rarissimum autem est, ut Oblationes, quæ ab ordinandis fiunt in Ecclesiæ, cujus membra futuri sunt, utilitatem convertuntur. Hinc de Simonia suspectæ minùs videntur Religionem ingressuri, quàm ordinandi Oblationes.

OBSERVATIO VIII.

In concessâ alicui cum Monachis Simoniacis dispensandi facultate, Abbates inter Monachos comprehenduntur; sub nomine enim *Monachorum* in re favorabili, qualis dispensandi potestas, quæ est gratia, Abbates etiam intelliguntur.

Dubitandi Ratio petebatur ex eo quòd cùm Abbates & Monachi eamdem (circà recipiendos) Simoniam, similemve, committunt, Abbates longè graviùs delinquunt quàm Monachi, tùm quia Abbates receptioni huic magis influunt; tùm quia inferiorum culpa Superiori imputatur, quando ab isto impediri potest, & non impeditur, multòque magis (ut in casu) quando exemplo suo aut ad illam provocat, si præcedat exemplum, aut probat, si comitetur vel subsequatur.

OBSERVATIO IX.

Certum est nec Jure Naturali, nec Jure Divino positivo prohiberi, ut ab eo, qui Regularem vitam amplectitur, ad suam sustentationem aliquid exigatur, quando Monasterii paupertas ad id compellit; nam in exactione istâ non est turpe lucrum, cùm emolumentum temporale à Monasterio nullum hinc percipiatur; nec est Simonia, cùm rei spiritualis venditio vel emptio nulla sit, sed sola eorum quæ ad victum vestitumque necessaria sunt, quæque aliundè haberi non possunt, simplex petitio.

Certum quoque videtur ex omnibus Juris Canonici Textibus, quibus prohibetur, ne ab statum Regularem amplexuro aliquid exigatur, nullum reperiri, qui prædictum casum expressè comprehendat: imò contrarium in nonnullis insinuatur; nam *Cap.* 40. *De Simonia* dùm vetat, ne sub prætextu paupertatis à recipiendo Monacho aliquid petatur, cogitandi ansam præbet se prohibitionem suam ad casum, quo sub colore paupertatis ab ingrediente Monasterium aliquid petatur, ideò restringere, quòd si paupertas vera sit exactionis causa, exactionem illicitam non judicet.

Certum est etiam Canonici Juris loca, quæ Monasteriis prohibent, ne ultrà quàm Monasteriorum facultates ferant, Monachos recipiant, non evincere Jure Canonico vetari, ne ratione veræ paupertatis Monasteria à recipiendis aliquid exigant.

Nam I. Sicut prohibitio illa fieri potuit, ne paupertate Monasteria cogerentur ad exigendum aliquid ab iis, qui vitam Regularem amplecti vellent; ita & ob alias causas, nempè ne laxioris vitæ occasionem præberet paupertas, dum Monachos cum Sæcularibus, qui cùm de terrâ sint de terra loquuntur, sæpiùs conversari compelleret.

Nam II. Quod Monasteriis vetitum est, idem quoque Clericorum Congregationibus prohibitum: Atqui prohibitionis istis factæ causa non fuit, ne cogente paupertate à Clericis recipiendis aliquid peterent; sed potiùs ne Clerici ab eâ, quæ Clericos dedeceret, sustentandæ vitæ causâ impellerentur.

Nam III. Quidni prædictarum prohibitionum scopus fuerit, ut secutura haud dubiè ex indiscreta Monachorum receptione Monasteriorum ruina caveretur.

Certum est quoque ad Sacros Ordines promotionem Sacram ac Spiritualem rem minùs non esse quàm in Religionem ingressum; undè sequitur quod quemadmodum ordinandi ultrà numerum illorum, qui de Ecclesiæ bonis ali possunt, Ecclesiasticis Legibus coguntur, ut patrimonium habeant, undè sustentari valeant, illudque valoris à suis Episcopis determinati; ita in Monachos, Monialesve recipiendi recipiendæve, qui quæve de Monasterii facultatibus sustentari nequeant, iisdem legibus compelli possunt, ut secum in Monasteria ferant unde vivant, idque juxtà quantitatem pro loco, tempore, ac personis ab Episcopo præfixam: Quæ comparatio ita accipienda est, ut salvum maneat inter ordinandos & Religiosam vitam amplexuros discrimen ex statûs diversitate desumptum; nempè quod cum istis ob paupertatis votum temporalia administrare non liceat, illorum quæ secum ferunt administratio Regularibus Superioribusve dimittenda sit; ad illoa verò, cùm res temporales possidere & administrare valeant, patrimonii quod habere tenentur administratio pertineat.

Certum est denique fideles cogi posse ad illos alendos, à quibus spiritualia accipiunt; atque hanc ob causam compelli posse ad Oblationes vel eleemosynas pro Sacramentorum administratione, Missarum celebratione, sepulturæ traditione, ab Episcopo moderatè & prudenter præfixas Sacris Ministris largiendas: Quantò ergo magis compelli poterit in Monialem recipiendus, ut à quibus Spiritualia Religionis bona recipit, quod ad sui ipsius sustentationem necessarium ab Episcopo judicatur, iisdem impertiatur.

TITULUS XIV.

Quædam Singularia quoad Beneficia Regularia, è Corpore Juris deprompta. Accedunt alia quædam non minùs utilia, congruentiori loco vix collocanda.

Non facilè facta fuisset mentio de origine Beneficiorum Regularium, & inter se collata eadem fuissent: Non facilè observatæ fuissent mutationes quæ evenerunt, quoad modum illis providendi, nullâ factâ mentione aliquarum circumstantiarum, quæ ad ipsa pertinent: nam præterquàm quod de multis loquendi occasio non fuerit oblata, operæ pretium erit eas in ordinem colligere; certè commodiùs erit Lectori, si eas omnes reperiat simul junctas, quàm si eas investiget, & hinc & indè colligat, & partem illarum tantùm habeat, & hæ sunt.

SECTIO I.

Collectio illorum Singularium.

I. Pauca sunt Beneficia Regularia per fundationem: nam Beneficia Regularia adversantur institutioni Monasteriorum, cùm ista facta fuerit, ut Religiosi in Communi viverent, in obedientiâ, & in paupertate: Religiosi autem, qui vera possident Beneficia Regularia, non sunt subjecti vitæ Communi, quoad cænaculum & vestiarium; neque paupertati Religiosæ, cùm habeant administrationem redituum, nec teneantur rationem reddere; neque obedientiæ Regulari subditi sunt, pro libertate disponendi de reditibus ad libitum, & parcimonias faciendi, quas possunt usque ad mortem conservare; nec tamen à Superioribus possunt reprehendi, nisi illa possideantur à Regularibus reformatis, inter quos Beneficia non sunt vera Beneficia, defectu liberæ administrationis, & dispositionis fructuum à promoto; nam illa administrantur ab Oeconomo; & Regularis, qui ea administrat, rationem reddit Superiori, sine cujus licentia nihil potest de illis retinere.

II. Si dubium sit an Beneficium sit Regulare aut Sæculare, qui illud asserit esse Regulare, debet illud probatione evincere: & nisi sufficienter probet, aut per usum, aut per præscriptionem, aut per fundationem, declaratur Sæculare; nam omne Beneficium est à Jure Communi Sæculare; in omni autem contentione, in qua Jus Commune est pro una parte, & Jus Particulare pro alterâ, istius est probare suam prætentionem; si autem non probet, altera est in casu Regulæ: *Actore non probante Reus absolvitur.*

III. Omne Beneficium Regulare revocabile est ad lubitum Superioris, nisi sit electivum. *Cap.* 2. *&* 6. *De Statu Monach.* CLEMENTINA *De Supplex. Neglig.*

Ratio est, quod ejusmodi Beneficium propriè loquendo est Commissio, undè oritur terminus *Committi*, quo Textus citati utuntur, necnon & CLEM. I. *De Statu Monach.* §. 7.

Ratio Exceptionis est, quod Beneficia Regularia electiva sunt, ex illis, quorum promotione promotus fit sponsus Ecclesiæ Regularis, & ista sponsa illius, undè morte promoti Ecclesia fit vidua. *Cap.* 41. 42. *De Elect.* Matrimonium autem tùm spirituale, tùm carnale, ex natura sua est indissolubile, & producit obligationem irrevocabilem, si excipias certos casus raros. *Cap.* 2. *De Translation.*

Beneficium autem Sæculare est ex naturâ suâ irrevocabile. Si qui sint casus revocationis, hi sunt Exceptiones constitutæ, aut per fundationem, aut per usum: hæ verò Exceptiones sunt raræ. Hæc differentia eò justior est quòd Status Regularis sit status obedientiæ, omnes ad hunc voto obligantur; par est igitur ut bonum Beneficiarii Regularis, aut Monasterii, aut Ordinis, aut Ecclesiæ, postulet, ut Beneficium ejusdem revocetur, sit revocabile, & teneatur obedire Superiori, quia casus est gravis, & promisit obedientiam, præsertim in hoc casu: non idem est de statu Clerici Sæcularis; itaque non debet esse subjectus isti revocationi.

IV. Beneficium Regulare Promotum cogit, ut reddat rationem suo Superiori administrationis suæ, usûs quem facit redituum suorum, parcimoniarum, & ut eas eidem remittat, si Superior ipsi præcipiat. Hæc conditio subauditur in provisione, aut Commissione; non potest illam Superior dare aliter, quia Præpositus est, ut observentur Regulæ & vota, & his votis, quemadmodum præscribitur à Regulâ, omnis Religiosus renunciat proprietati; si autem Beneficiarius Regularis rationem non reddat, aut si saltem non se apparat aut disponit ut illam reddat, cùm Superior requiret, Dominus est fruens suis reditibus, quasi ad ipsum pertinerent, & utens illis ut libuerit, eos partim tribuens si velit, parcimonias faciens pro suis usibus. Itaque duas ob rationes tenetur Beneficiarius Regularis rationem reddere si Superior exigat, nempè pro obedientiâ, & paupertate: Obedientia, nam hæc redditio intelligitur in rebus, quas Superior potest præscribere, intrà Regulæ fines se continendo, cùm non sit neque suprà, neque infrà, neque extrà ejus intentionem, sed potiùs menti ejus conformis esse debeat, consequenter justa est causa obedientiæ: Paupertate quoqoe cogitur ad hanc rationem; nam prohibet illi quæcumque possidere, nisi sub beneplacito Superioris. *Cap.* 1. *&* 2. SESS. XXV. *De Regular.*

V. Beneficiarius Sæcularis Dominus est suarum parcimoniarum; potest ad libitum de istis disponere in gratiam proximorum, aut amicorum, aut domesticorum suorum, sive per Testamentum, sive per donationem causâ mortis, aut dono de manu ad manum; Si autem moriatur, & de illis non disposuerit, proximiores Parentes ipsi succedunt, eâ lege ut bona opera faciant, se ipsos, si pauperes sint, comprehendentes. Hæc est Consuetudo Generalis omnium Regionum Catholicarum, extrà terras Papæ, in quibus fruitur jure exuviarum.

Beneficiarius Regularis non habet licentiam disponendi in morte de suo peculio, quia non ad ipsum pertinet, sed ad Monasterium, aut ad Abbatem, aut ad pauperes, aut ad Fabricam, juxtà qualitatem usuum, aut Beneficiorum: Excipiendus est casus Religiosi Episcopi facti, cujus parcimoniæ pertinent ad ejusdem Parentes, nisi aliter de illis ante mortem disponat.

Ratio Exceptionis est, quod hic Religiosus Beneficiarius Sæcularis fiat per suam promotionem, & reputetur ex conditione Beneficiariorum Sæcularium, in quorum numerum adscribitur, cùm Beneficium habeat Sæculare.

VI. Beneficiarii Regulares reformati non possunt resignare, neque permutare Beneficium suum sine licentiâ Superioris sui, quemadmodùm nullum accipere possunt sine eadem facultate.

Ratio est, quod per votum obedientiæ, voluntati suæ nuntium remiserunt, & nullam debent voluntatem, nisi Superioris, habere. *Cap.* 6. *&* 27. *De Elect. In* 6.

VII. In genere pluralitatis Beneficiorum, Canones & usus sunt severiores erga Regulares, quàm erga Clericos Sæculares: nam hi non possunt habere sine Dispensatione duo Beneficia simplicia, neque Beneficium simplex cum Beneficio duplici, neque Beneficium simplex cum pensione in alio Beneficio, neque duplicem pensionem in duobus Beneficiis diversis.

VIII. Regularis graduatus repletur Beneficio, quantumvis modico vi gradûs acquisito; Sæcularis verò non repletur, nisi sit ad minus 400. *Librar. Art.* 30. HENRICI IV. *ann.* 1606.

SECTIO II.

Quid Jus Canonicum doceat de modo, quo Beneficia Regularia Electiva, facta sunt Collativa?

Beneficia Regularia à sua Constitutione subierunt sortem Beneficiorum Sæcularium, cùm fuerint iisdem oneribus subjecta, iisdemque mutationibus: Onera autem communiora sunt Expectativæ, Reservationes, Decimæ, Commendæ.

Mutationes graviores, quæ illis acciderunt, ceciderunt aut in statum, cùm facta fuerint à Regularibus Sæcularia; aut in Dignitatem, cùm Abbatiæ factæ fuerit Prioratus, & Prioratus Abbatiæ; aut in

in modum illis providendi, cùm Collatio successerit electioni.

Agitur hîc tantùm de conversione Beneficiorum Electivorum in Beneficia Collativa; præcipuè illa facta est per Commendas Beneficiorum Regularium, & per Reservationes; nam per utramque Papa providebat per se, Abbatiis, Prioratibus Conventualibus, & aliis ejusdem generis Beneficiis vocatis aut Præfectura aut Custodia, & derogabat & abolebat hoc modo electiones ad hæc Beneficia.

Probatio eorum, quæ dicuntur *de Commendis*, habetur in *Cap. 2. De Præb.* EXTRAV. COMM. Depromitur è CLEM. I. In eo dicitur quod, ineunte ejusdem Pontificatu, concesserat in Commendam, sive per vitam, sive per certum quoddam tempus, tâm Monasteria, sub quibus comprehendit Prioratus Conventuales, quàm Abbatias; sive ut imitaretur liberalitatem suorum Prædecessorum, manifestam imprimis per Collationem magni numeri; sive ut satisfaceret propensioni suæ in præstando Officium amicis suis antiquis; sive ut Principes non offenderet & Magnates, qui enixè illum de hoc rogaverant. Cùm ergò pro multitudine negotiorum suorum non attendisset ad mala, quæ creabantur à Commendis, nempè neglectam animarum curam, dissipationem bonorum Ecclesiasticorum, & diminutionem Cultûs Divini; tandem hâc Constitutione his incommodis motus, irritabat & revocabat Commendas. Comprehendit nominatim in revocatione Cardinales; & ex hoc intelligere est, hanc nominationem expressam esse necessariam ut revocatio locum haberet in Commendis iisdem factis. Dat nomen promissionum, (*omnes & singulas promissiones*) his ejusmodi gratiis, quia Commenda perpetua aut ad certum quoddam tempus includit promissionem non conferendi Beneficia in titulo, quandiù tempus Commendæ durabit.

Multùm verisimile est Papam revocantem Commendas, reliquisse libertatem Ordinariis, ut illis providerent juxtà Dignitatem Beneficiorum, sive per Electionem ad Beneficia Electiva, sive per Collationem ad Beneficia Collativa; aliter non cessassent omnia mala quæ creaverat; nam illud malum est, quod priventur multa Corpora suo eligendi jure, præsertim cùm numerus illorum multus est, ut erat in casu de quo agitur. Hæc EXTRAVAG. est ann. 1306. & 2. ann. Pontificatûs hujusce Papæ.

Posito quod revocatio, de qua mentio facta est, restituerit Ordinariis suum jus disponendi de Beneficiis, quorum provisio ad eos pertinebat, nondum introducta fuerat Sententia, ex qua patet Commendam affectare Papæ dispositionem Beneficii, *id est*, Reservationem, quæ fit per appositionem manûs, ubicumque hoc reservationis genus acceptum fuit, & perpetuum Beneficiom Electivum factum Collativum per Commendam, semper fuit Collativum; priusquàm autem hæc Sententia fuisset accepta, & in locis in quibus non accipitur, Beneficium Electivum factum Collativum per Commendam, in pristinum statum Beneficii Electivi revocatur, sublatâ Commendâ. Quod prolatum est in medium, nempè reservationem Beneficiorum Electivorum, Beneficia Collativa eadem fecisse, hoc factum certò constat, cujus *Cap. 3. & Cap. 13. De Præben.* EXTRAV. COMMUN. exempla suppeditant.

Primum depromitur è CLEM. V. In eo sibi reservat omnes Abbatias, Prioratus, quemadmodùm & Patriarchatus, Primatias, Metropolitanas Sedes, Episcopatus, quæ vacabunt in Curia Romanâ durante suo Pontificatu: Hæc Constitutio habita est 10. sui Pontificatûs anno 1305. Reservat particulatim Monasterium *De Sancta Cruce* BURDIGALENSI, cum omnibus aliis Beneficiis ejusdem Diœcesis, quia hujus loci fuerat Archiepiscopus ante suam ad Summum Pontificatum promotionem, quasi gratia favorque esset omnes illius Ordinarios Collationibus suis privare. Data est BURDEGALÆ in Palatio.

Alius Textus colligitur è BENEDICTO XII. ann. 1335. datus AVENIONE: Cùm Papa faciat reservationem generalem omnium Dignitatum, mentionem expressam facit de Abbatiis & Prioratibus, & eosdem sibi per vitam reservat, posito quod vacent *in Curiâ*, quam extendit ex casu mortis veræ ad casus omnis generis fictæ mortis, Depositionis, Translationis, Demissionis, Cassationis, Electionis, aut Postulationis, Recusationis, Approbationis, Postulationis.

Hi duo Textus similes sunt Regulis Cancellariæ à JOANNE XXII. introductis, in eo quòd 1o. Facti fuerint initio Pontificatus utriusque. 2o. Per tempus vitæ illorum. 3o. Per mortem eorum finierunt.

Regulæ Cancellariæ fiunt statim post promotionem Paparum, durant solùm quandiù vivunt, & cum illis extinguuntur; verùm longiùs patent istæ; nam comprehendunt omne genus vacationis, quoquomodo eveniat, & in quolibet loco id agatur.

Quemadmodùm intervallum inter mortem Papæ & sui Successoris electionem brevissimum est, raro Beneficia Regularia Electiva per id tempus vacant, multò minùs ut antè electionem conferantur; itaque non revocantur in suam qualitatem electivam à cessatione momentaneâ reservationis.

In Germaniâ Beneficia Regularia Electiva non possunt fieri Collativa; nam Concordatum in ea Regione conservat Electiones. Idem est de illis, quibus *Concordatum Gallicum, Ordinatio* BLÆSANSIS, conservaverunt statum Beneficii Regularis Electivi, quemadmodum Abbatiæ, Capita Ordinum & alia nonnulla Beneficia. Si quandò ejusmodi Beneficia dentur in Commendam, ex postulatione à Papa admissâ non amittunt suam qualitatem Electivam; admissio postulationis, & concessio in Commendam, hanc qualitatem confirmant.

Sequitur ex eo quod dictum est in hoc Titulo, de Beneficiis Regularibus Electivis, factis Collativis per Commendas, Curiam Romanam existimasse multos esse abusus in Electione ad ista Beneficia, aut malè à Regularibus administrari. cùm mutaverit formam illis providendi, & subrogarit Clericos Sæculares Sæcularibus; aut cùm malè fuerit informata, ipsam credidisse illas mutationes necessarias esse aut utiles, quamvis essent perniciosæ. CLEMENS V. hoc jam suprà dixit quoad Commendas: Idem potest inferri quoad Reservationes, ex eo quòd faciliùs Papa poterat aut Officiarii ejus decipi à Monasteriis distantes, quàm Electores poterant falli qui in locis manebant; atque ita, quamvis intentio bona esset ut conferrentur Beneficia dignioribus, per errorem tamen illa poterant concedi ambitioni vel cupiditati servientibus, & sæpè etiam Simoniæ, ad quam Ministri hujus Curiæ aditum præbebant.

Quod dictum est de Beneficiis Regularibus Electivis ratione Reservationis factis, Collativis, locum habet quoad Beneficia Electiva Sæcularia, quæ etiam in Collativa sunt conversa, ipsa reservatione; & illud annotatum non est quoad ista, nisi ut intelligeretur nullo hac in re commodo valere Beneficia Sæcularia.

Quod spectat ad Commendas, Beneficia Regularia minùs opportunè accepta sunt, quam Beneficia Sæcularia; Regularia frequenter concessa fuerunt Sæcularibus in Commendam, & conceduntur; Sæcularia autem nunquam fere collata sunt Regularibus, eo provisionis genere.

SEC-

SECTIO III.

De Beneficiorum Regularium antiquitate, Regula ex Corpore Juris Canonici deprompta.

REGULA I.

Ab institutione sua Abbatiæ Beneficia Regularia hodiernis similia fuisse videntur, donec triennales facti sunt Abbates.

Regula patet ex bodierni Beneficii Regularis definitione; nam ex bodierno usu Beneficium Regulare aliud nihil est, quàm perpetua Regularium bonorum administratio, ab omni reddendæ rationis onere libera; at Abbates Monasteriorum bona perpetuò administrabant, & à reddenda ratione immunes erant.

Nec Obstat, quod residuum proventuum non ad Abbates, sed ad Monasteria pertineret, cùm illius residui, ut & aliorum bonorum quorum pars fiebat, perpetuò Administrator & sine reddendæ rationis onere existeret.

Nec obstat, quod per multa sæcula Abbates inter & Monasteria bona omnia communia essent, nec sibi usque ad mortem acquireret Abbas, sed Monasterio; si enim veteres Abbatiæ cum hodiernis hac in re, ut in aliis, convenissent, non similes, sed eædem omninò fuissent.

REGULA II.

In Corpore Juris Cannnici nullum extat ante XII. Sæculum Abbatiarum, quales nunc sunt, vestigium. *Cap.* 21. *De Rescript.*

Est totius Juris Textus antiquior, in quo tale vestigium videatur; primus enim est qui divisionis bonorum Monasterii inter Abbatem & Conventum factæ meminerit, vel potiùs illam insinuarit, factâ mentione de discretis Abbatis negotiis ab illis quæ Conventum respiciunt. *Caput autem hoc desumptm est ex* INN. III. *Epistola Abbati & Conventui* PRÆMONSTRATENSI *scripta ann.* 1209.

Non obstant loca, ex quibus colligitur ante XIII. Sæculum, *Abbatibus peculium habere licuisse*, qualia quæcumque ad Monachos peculii habendi prohibitionem restringunt, de quibus dum de voto paupertatis.

Hinc enim non sequitur Abbatum portionem distinctam tunc fuisse à portione Conventûs, cùm quibuscumque administratio committebatur, illius ratione peculium habere possent, nec tamen ideò portiones bonorum Regularium à Conventuum partibus distinctas baberent. *Cap.* 2. *De Statut. Monach. è Conc.* LATER. *sub* ALEX. III. 1179. *celebr. desumptum.*

REGULA III.

Non desunt Juris Textus, qui Abbatias Regulares, hodiernis ejus generis Beneficiis omninò similes, circà finem XIII. & initium XIV. communes fuisse ostendant.

Patet Regula ex *Cap.* 1. *De Elect.* EXTRAVAG. COMM. in quo Dignitates hujusmodi à Papa impetrantur ut Dignitates Sæculares, & ad illas, sicut ad istas, Litteræ, quas vocant *Provisiones*, necessariæ sunt.

Patet etiam ex *Cap.* 2. *De Præb.* EXTRAVAG. COMM. in quo legitur petitas fuisse à multis, & obtentas in Commendam Abbatias, sicut & Episcopatus.

At prius est anni 1300. Posterius verò anni 1306. At si in impetrantium commodum Dignitatum illarum proventus non cessissent, nec in titulum, nec in Commendam impetratæ fuissent, quod enim in illis maximè alliciens videtur, est illarum opulentia.

REGULA IV.

Ex quo Prioratus Conventuales cœperunt, in omnibus prædictis similes Abbatiis eredere fas est.

Prioratus hujusmodi ab Abbatiis nomine tenus differre videntur: Perpetui siquidem erant, plenam administrationem habentes, nec alia ex causa quàm ex crimine deponi poterant, à Papâ impetrabantur, in Commendam dabantur. *Cap.* 2. *De Stat. Monach.* Cap. 1. *De Elect.* Cap. 2. *De Præbend.* EXTRVAG. COMMUN.

REGULA V.

Antè XII. Sæculum Prioratûs Conventualis nulla in Corpore Juris fit mentio.

Illius prima mentio in *Cap.* 2. *De Stata Monach.* quod ex *Conc.* LATER. *sub* ALEX. III. *celebr. an.* 1179. desumitur.

REGULA VI.

Ineunte Sæculo XIII. in usu nondum erant Simplices Prioratus Regulares.

Patet ex *Cap.* 5. & 6. *De Confirm. Utili* in quibus INN. III. *ann.* 1212. 1213. atq; *Litteras, quibus Religiosi Prioratus hujusmodi impetrasse dicuntur, quoad vixerint possidendos, subreptitias vel sappostititias esse, quia Sedes Apostolica similes gratias non concedit.*

REGULA VII.

Eodem exeunte Sæculo usitatos jamjam Prioratus hujusmodi ex Corpore Juris clarè & certè infertur.

Cap. 5. *De Præb. in* VI. *quod est ann.* 1298. docet tunc temporis extitisse Prioratus per Religiosos gubernari solitos, qui Mandatis Apostolicis obnoxii erant, etiam in favorem Clericorum Sæcularium, quando id se velle Pontifices Summi significabant.

SECTIO IV.

De Translatione Regularium cum facultate standi extra Monasteria, Regula è Corpore Juris, Concilioque Tridentino deprompta.

De Translatione cum facultate degendi extra Monasteria seorsim agimus; tùm quia usitatissima, tùm quia eo temporis devenimus, quo res probata existimatur si consueta sit.

REGULA.

Nullo Juris Textu Transactio hujusmodi excusari potest.

REGULÆ RATIO: Prima vitæ Regularis principia hæc Translatio offendit: Hujus enim vitæ substantia in Regulæ observantia est: Hæc autem extra Monasterium esse nequit, cùm nulla sit Regula Monachalis, quæ non præcipiat sub oculis Prælatorum Monachos vivere, sub eodem tecto, & in eadem mensa, in his quæ Regula præscribit Prælato obedire, piis exercitationibus interesse.

Non obstat *Cap.* 42. CAUS. XXVII. QUÆST. I. in quo videmus viduas post vitæ Religiosæ professionem in sæculo remanentes; viduæ enim, de quibus in objecto Textu, nec paupertatis, nec obedientiæ, nec vitæ communis vota emittebant, sed solùm castitatem vovebant.

Non obstat etiam *Cap:* 10. *Qui Cler. vel Vovent.* in quo INN. III. pro rato & solemni habet votum à muliere emissum in manibus cujusdam Fratris Sancti AUGUSTINI, eâ lege ut in domo propria cum omni substantia sua remaneret; quod colligitur ex eo quod contractum posteà Matrimonium irritum denunciet. Non obstat, *inquàm*; nam præterquàm

quod

quod non propter votum, ſed propter vim quâ contractum erat, Matrimonium irritum declaratur, certum non eſt votum, de quo Textus, ſolemne Religionis votum fuiſſe, cùm ab habente poteſtatem receptum non fuerit, aut receptum eſſe non pateat.

REGULA II.

E contrà plurimi extant Textus, qui id Translationis genus damnant vel expreſſè vel tacitè.

REGULA III.

Qui expreſſè illud damnat, unus eſt; iſque etiam ſolus qui de illo expreſſam faciat mentionem.

Utraque Regulæ Pars patet ex eo quod in Corpore Juris, nullus ſit Textus, qui illius expreſſe meminerit, & in *Conc.* TRID. ſolum Cap. 11. SESS. XIV. *De Reform.* de illo mentionem facit, ac inſimul illud damnat his verbis, *Nemo cujuscumque Ordinis Prælatus vel Superior, vigore cujuſvis facultatis, aliquem ad habitum & profeſſionem admittere poſſit, niſi ut in Ordine ipſo, ad quem transfertur, ſub ſui Superioris obedientia in Clauſtro perpetuo maneat.*

Dicet aliquis Concilium Translationem hujuſmodi in ſe conſideratam non damnare, ſed tantùm prout fit à Prælato Inferiori, vigore cujuſdam privilegii. Sed ſi vi Privilegii facienda non eſt, multò minùs ſine Privilegio facienda erit: Prætereà ut Concilium privilegii uſum hic damnat, ſic privilegii ejus generis conceſſionem improbat: Ad hæc, in his quæ mores bonos ſpectant, quæ inferioribus Prælatis prohibentur, multò magis Superioribus, qui illis exemplo eſſe debent, vetantur.

REGULA IV.

Translationem cum facultate degendi extra Monaſterium tacitè damnare, eſt illam in re alia, velut effectu fineve, damnare; eo autem modo damnant.

1o. Quicumque Textus docent Monachum extra Clauſtrum periculoſè verſari, idemque de illo eſſe ac de piſce extra aquam: Talis autem eſt *Cap.* 8 CAUS. XVI. QUÆST. I. EUGENIO adſcribitur, ſed quantus ſit non exprimitur in Editione PITHÆANA; ſupponitur ad EUGEN. II. pertinere, ideòque *ann.* 826. collocatur.

2o. Quicumque Textus præcipiunt, ut Monachis divagationis materia amputetur, atque ab omni divagatione compeſcantur. Tales autem ſunt *Cap.* 2 *Ne Cler. vel Mon. In* 6. In eo BONIF. VIII. *ann.* 1298. inhibet, ne Monachi ad quævis ſtudia eant ſine Prælati ſui licentia, Concilio totius Conventûs vel majoris illius partis conceſſâ. *Cap.* 32. *De Præb In* 6. in quo idem BONIF. *an. eod.* præcipit, ne Monachi plures Prioratus cum Cura ſimul habeant. *Cap.* 24. *De Regul.* in quo GREG. IX. jubet Prælatis Regularibus, ut fugitivos & ejectos ſollicitè annuatim inquirant. CLEM. I. *De Statu Monach.* §. 5. in quâ CLEM. V. Prælatis Regularibus præcipit, ut Monachos per Curias Principum diſcurrentes, aliterque divagantes, revocent.

3o. Idem damnant Textus quicumque privilegio exemptionis exuunt Monachum extra Clauſtrum degentem: Tales ſunt *Cap.* 3. SESS. VI. Cap. 14. SESS. VII. Cap. 4. SESS. XXV. *De Regular.*

4o. Idem dicendum de Textibus prohibentibus, ne cuiquam Regulari habitum ſui Ordinis occultè deferendi licentia detur. Talis eſt *Cap.* 10. SESS. XXV. *De Regular.*

5o. Idem de Textibus, qui Regulares ad Univerſitates ſtudiorum cauſâ miſſos obligant ad habitandum in Conventibus. Talis eſt *Cap.* 4. SESS. XXV. *De Regular.*

6o. Idem etiam de illis, qui non permittunt Monachos in Prioratibus Regularibus ſolitarios habitare: Tales ſunt *Cap.* 3. 4. *De Capell. Monach.* CLEM. I. §. 6. *De Statu Monach.*

7o. Idem de iis, qui Regularibus præcipiunt, ut juxtà Inſtituta ſua vivant: Tales ſunt *Cap.* 3. & 6. *De Statu Monach.* Cap. 1. SESS. XXV. *De Regular.*

Quæ hactenus dicta ſunt contra Tranſlationes Religioſorum cum facultate ſtandi extra Monaſterium, ex peculiari cauſâ in Monialibus locum habent.

Colligitur ex *Cap. un. De Statu Monach In* 6. & ex *Cap.* 5. SESS. XXV. *De Regular.* quibus ſingulæ Moniales, cujuſcumque Ordinis ſint, ſtrictæ Clauſuræ ſubjiciuntur.

SECTIO V.

De Monachorum, Monialiumve Translationibus ob alias cauſas, quàm quæ mox examinata eſt, Regulæ è Corpore Juris Canonici, Conciliòque TRIDENTINO *deprompta.*

Ex Tranſlationibus Monachorum Monialiumque, aliæ ad Prælaturas Regulares, aliæ non. Quæ ad Prælaturas, vel transferunt ſimplicem Monachum ad Prælaturam alterius Ordinis, vel ad Prælaturam alterius Monaſterii cujus filius non eſt; vel transferunt Prælatum perpetuum ad aliam Prælaturam perpetuam, quæ ſit vel ejuſdem, vel diverſi Ordinis.

Quæ ad Tranſlationem ab una Prælatura Regulari ad aliam Regularem pertinent, explicata videntur, dum de Epiſcoporum Tranſlatione; nam Prælaturæ hujuſmodi Epiſcopatibus æquiparari ſolent: Undè eædem cauſæ & eadem autoritas requiruntur ad Translationes ab una ex his Prælaturis ad alias, ac ad Translationem ab uno Epiſcopatu ad alium.

Si quæ tamen in Corpore Juris *Concilioque* TRIDENTINO circà illas Tranſlationes ad Prælaturas perpetuas reperientur, ſicut & ea, quæ ad Translationes à ſimplici Monachatu ad Prælaturas alterius Ordinis, ſive perpetuas, ſive non perpetuas, ad calcem Tractatûs hujus accuratè colligentur. Nunc de iis agendum, quæ alias Monachorum Monialiumque Translationes reſpiciunt; ſed priùs paucis obſervanda, quæ his & illis communia ſunt.

OBSERVATIO I.

In omni Monachorum Tranſlatione quædam votorum commutatio fiet, cùm Monaſterium quodlibet juxtà Statuta vivere debeat, & Monaſteria diverſi Ordinis diverſa habeant Inſtituta.

OBSERVATIO II.

Eâdem cauſâ, aliiſque non minimis ad omnem Tranſlationem requiritur juſta cauſa, ſive in transferendo, ſive in Monaſterio è quo transferendus eſt, ſive in illo ad quod transferendus eſt.

OBSERVATIO III.

Quælibet Tranſlatio Juri alieno derogat, cùm Translatus Monaſterii, quod deſerit, Juriſdictioni ſubtrahatur. Hinc inſcio Superiore Monaſterii deſerti Tranſlatio facienda non eſt.

His obſervatis, ad Regulas, ad quas præpararunt, deveniendum eſt.

REGULA I.

Qui Translationem Monachorum ab uno ad aliud Monaſterium abſolutè vetet, nullus extat Textus, nec in Corpore Juris, nec in *Concilio* TRIDENTINO, nec eo modo prohiberi poteſt quin injuſta ſit prohibitio.

Poſterior Pars, quæ ſola probari poteſt, ex Regulis ſequentibus patebit.

Nec huic obſtat quod quiſque in ſua vocatione permanere debeat; id enim ita intelligendum, niſi ad aliud à Deo manifeſtè vocetur.

REGU-

REGULA II.

Transferri quis poteſt vel in ſtrictius Monaſterium, vel in laxius, vel in æquale, ſive ratione rigiditatis, ſive ratione laxitatis.

REGULA III.

Ex his tribus Tranſlationum generibus, Primum & Secundum in Corpore Juris, vel in *Conc.* TRIDENTINO pluries memorantur; Tertium verò nuſquàm.

REGULA IV.

Tranſlatio in ſtrictius pro circumſtantiarum diverſitate prohibetur vel permittitur.

Prohibetur I. Si ex levitate, quæ timenda ſemper, niſi per longam accuratamque probationem contrarium pateat. *Cap.* 3. CAUS. XIX. QUÆST. III.

II. Si ſine petita à Superiore Regulari licentia. *Cap.* 18. *De Regular.*

III. Niſi in Monaſterio à quo Tranſlatio fit verè major Religio, diſtrictior meliorve vita; hæc enim in Jure Sinonima ſunt. *Cap.* 1. CAUS. XX. QUÆST. IV. Cap. 3. CAUS. XIX. QUÆST. III. Cap. 10. 18. *De Regularibus.*

IV. Si Tranſlatio fiat ex Ordinibus, quibus indultum eſt, ne membra ſua ad alios Ordines tranſire poſſint; quæ prohibitio ita interpretanda eſt, ut tranſlationes manifeſtè juſtas non impediat; id unum enim operatur ut Jus Commune confirmet, novumque vinculum illius vinculo intra eoſdem terminos adjiciat, clauſulæ appellationes prohibenti non abſimilis: Undè ſicut iſta attentiores tantùm facit Judices, ne frivolas admittant appellationes, ita & illa Superiores duntaxat excitat, ut majori zelo Tranſlationibus non Canonicis ſeſe opponant. *Cap.* 18. *De Regular.*

REGULA V.

Ordines qui hac de re Privilegium in Corpore Juris clauſum habent, hi ſunt.

Ordo Canonicorum Regularium. *Cap.* 1. 2. 3. CAUS. XIX. QUÆST. III. Cap. 12. *De Ætate & Qualit.*

Ordo Ciſtercienſium. Cap. 7. *De Regularibus.*

Ordo Templariorum. *Cap.* 18. *De Regularibus.*

Ordo Hoſpitalariorum. *Eod. Cap.* 18.

Ordines Mendicantium. EXTRAVAG. I. *De Regular.*

Prædictorum Privilegiorum etſi unus ſit finis, nempè ne Tranſlationes non Canonicæ fiant, non una tamen origo, prout ex citatis Textibus colligitur; nam *Cap.* 1. CAUS. XIX. QUÆST. III. *ann.* 1077. prohibet Monachis, ne à propoſito Canonicæ Profeſſionis Canonicos Regulares ad habitum Monaſticum alliciant fuiſſe; quo autem fine id fiat non exprimitur: ſed ex temporis circumſtantia conjicere licet, Monachorum zelum omni inanis gloriæ ſtudio immunem non fuiſſe; vix enim incipiens Regularium Canonicorum Ordo maximè fervebat, verèque ſinguli erant quod dicebantur: Iis ergo ad Monaſticum ſtatum tranſeuntibus perfectioris ſanctiorisque vitæ fama Monachis conciliabatur.

In *Cap.* 7. *De Regularib.* indulti CISTERCIENSIB. Privilegii cauſa indigitatur, nempè illorum in Religionis virtutiſque amore perſeverantia.

Ordinibus Mendicantium prædictum Privilegium conceſſum eſſe docet EXTRAVAG. *cit.* duas ob cauſas; nempè quòd illorum Ordinum membra in non Mendicantium Ordines tranſirent, ut liberiùs degerent, Beneficiaque & Dignitates Regulares obtinere poſſent ideòque vel prohibitæ ſibi libertatis ſtudio, vel avaritiâ, vel ambitione, uno verbo, ut votorum ſuorum obligatione ſine juſta cauſa, pravoque ex fine, ſeſe eximerent.

Omittenda non ſunt alia diſcrimina, quæ ſunt inter prædicta privilegia Canonicorum Regularium. Nullus, niſi publicè lapſus ſit, ſine Patris, totiuſque Congregationis permiſſione transferendus eſt. Si aliter transferatur, ad Canonicorum Ordinem, redire debet, memorialem deferre cucullam, & ultimus in Choro manere. CISTERCIENSI cuilibet ſimplici Monacho, ut transferri poſſit, ſufficit, quòd ab Abbate ſuo licentiam cum humilitate petierit.

Mendicanti in non Mendicantium Ordinem, ſi CARTHUSIANSEM excipias, transferendo Superioris ſui licentia non ſufficit; nec generale Indultum Ordini vel ſibi ad Tranſlationem conceſſum; ſed præterea requiritur ſpecialis Sedis Apoſtolicæ licentia: ac ſi quis aliter transferatur, tàm ipſe, quàm qui illum recipiunt, ipſo facto Excommunicationem incurrunt, Summo Pontifici reſervatam. EXTRAVAG. *Cit.*

REGULA VI.

In ſtrictius Tranſlatio permittitur, ſi ſequentes adfuerint circumſtantiæ:

I. Si ex vero devotionis zelo, ſeu ex charitate fiat. *Cap.* 18. *De Regular.*

II. Si cum humilitate à Superiore Monaſterii deſerendi licentia petita ſit. *Ibid.*

III. Si conſtitutus in Præſulatu Regulari à Summo Pontifice licentiam impetret, de Abbatia, aliiſque Dignitatibus Regularibus, quibus ſine tali licentia renunciare non licet. *Ibid.*

IV. Si Canonicus Regularis Patris totiuſque Congregationis permiſſionem habeat. Cap. 3. CAUS. XIX. QUÆST. III.

V. Si Mendican etiam ſimplex Monachus, in Ordinem non Mendicantium, exceptis CARTHUSIENSIBUS, tranſire velit, ſpeciali Sedis Apoſtolicæ muniendus eſt licentiâ. EXTRAVAG. I. *De Regular.*

VI. Si dubitetur an ſtrictior ſit Religio, in quàm quis transferri vult, vel an levitate tranſferri petat, Superioris judicium requirendum. *Cap.* 18. *De Regularibus.* Nomine *Superioris*, vel Prælatus Regularis, vel Epiſcopus intelligi poteſt. Iſte autem ſi Sæcularis aptior videtur, quia nulli Monaſterio alligatus, præoccupationi minùs obnoxius eſt.

REGULA VII.

Conceſſæ à Canone in ſtrictius tranſeundi licentiæ Divina præſupponitur vocatio, quæ ſi deſit, illicita Tranſlatio eſt.

Colligitur ex *Cap.* 18. *De Regular.* In eo enim INNOC. III. rationem afferens, cur Monachi, etiam Religionum quibus indultum eſt ne illorum membra ſine Abbatum ſuorum licentia in ſtrictius tranſeant, nihilominus transferri poſſint, licentia non obtenta, ait: *Humanam legem*, quam Publicam vocat, *Divinæ vocationis Legi*, quam Privatam Spiritûs Sancti Legem appellat, *cedere debere, proindèque conceſſæ à Canone licentiæ baſim conſtituere Divinam vocationem.*

Quod ut faciliùs intelligatur, præmiſſæ explicationi addendum, eò loci INNOC. ita diſcurrere: Quando duæ Leges non æqualis autoritatis concurrunt, inferiori prævalet ſuperior: In caſu autem propoſito Leges duæ ſimul concurrunt, nempè privilegii Lex, quæ cùm communis toti Ordini, imò & pluribus aliis Ordinibus, *Publica* vocatur; & vocationis Lex, quæ cùm ſeorſim unum aut alterum Monachum ſpectet, *Privata* Lex dicitur. Et illarum haud dubiè prior poſteriori tantùm ſubdita, quantùm Deo homo: Divinâ ergò Humanæ Legi prævalente, oportet, ut, Privilegii Lege non obſtante, Monachus à Deo inſpiratus, non obtentâ Superioris licentiâ, transferri poſſit.

REGU-

REGULA VIII.

Exeunte XIII. Sæculo Religionum, quæ vigebant, ſtrictior nulla ergà Mendicantes præter CARTHUSIANAM habebatur.

Deducitur ex EXTRAVAG. I. *De Regular.* In eâ enim MARTINUS *ab ann.* 1281. *ad* 1285. Pontifex, prohibens Mendicantium in non Mendicantium Tranſlationem, excipit CARTHUSIENSEM Ordinem; quâ exceptione ſignificat, illum ſolum Ordinem, Mendicantium ergo ſtrictiorem, cùm ex cauſis prohibitionis ſuæ in DECRETALI expreſſis pateat vetitas velle dumtaxat Translationes in laxiorem.

REGULA IX.

Sicut Translatio in ſtrictiorem in ſe conſiderata à Canone permittitur, ita Translatio in laxiorem in ſe ſumpta à Jure prohibetur.

Utraque Regulæ Pars colligitur ex *Cap.* 1. CAUS. XX. QUÆST. IV. In eo enim *Concil.* TRIBUR. *ann.* 895. æquè expreſsè damnat Tranſlationem ad laxiorem vitam, ac expreſsè probat Translationem in diſtrictiorem.

Ratio diſcriminis : In priori Translatione Translatio fit in melius, ac conſequenter in majorem Dei honorem cedit. In poſteriori commutatio fit in pejus, ideòque debito jam Deo honori aliquid detrahitur.

REGULA X.

Tranſlatio in ſtrictiorem, etſi in ſe bona, illicita ſit, ſi quædam ex prædictis defuerint circumſtantiæ, in caſibus qui eas requirunt.

Tranſlatio in laxiorem, etſi in ſe non bona, licita ſit, dùm quibuſdam veſtitur circumſtantiis, imò quandoque præcipitur.

Primum Regulæ membrum ex dictis patet.

Poſteriora membra deducuntur è *Cap.* 10. *De Regul.* atque ex EXTRAV. I. *De Regularibus.* In priori loco INNOC. III. ann. 1212. Abbati de AFFLIGEN. & duobus Canonicis TRAJECTENSIBUS ſcribens, docet, eum, qui vitam mutare vult ſub hábitu Regulari, Deo Omnipotenti famulaturus, ſi Monaſterium ingreſſus auſteriorem ſibi Regulam experiatur, ad aliud, in quo laxior ſit Regula, tranſire debere. Quod de propoſito abſoluto INNOC. III. dicit, hoc de voto interpretandum videri poteſt, cùm poſt tentatam vitam auſteram, illum, de quo loquitur, obliget.

SECTIO VI.

Communia ſeu miſcellanea nonnulla circà Beneficia, quoquomodo conſiderata.

§. I.

Eos qui habent Abbatias in Commendam, debere eſſe Sacerdotes intrà annum, niſi cum iis diſpenſet Romanus Pontifex.

I. Ut Abbates, Decani, & Prælati, qui Presbyteri non ſunt, Presbyteri fiant. Quod ſi aliquâ juſtâ cauſa prohibente Presbyteri eſſe non potuerint, Prælationes amittant. *De Ætate & Qual.* Cap. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 14. Cap. 1.

II. Inſtante neceſſitatis articulo poteſt in Abbatem aſſumi, etiam in minoribus Ordinibus conſtitutus. *De Ætate & Qual.* Cap. *Tuam.* §. 1. *fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 14. Cap. 10.

III. Hoc quod dicitur hîc diſpenſativè intelligitur, quia Abbas debet eſſe Sacerdos, aliàs removetur. *Gloſſa*, verbo, *Non aſcendat. fin.*

§. II.

Eos qui habent Beneficia Eccleſiaſtica teneri ad reparandas Eccleſias.

I. Quicumque Eccleſiaſtici Beneficium habent omninò adjuvent ad tecta Eccleſiæ reſtauranda, vel ipſas Eccleſias emendandas. *De Eccleſiis Ædificandis.* Cap. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 43. Cap. 1. & 4. *Conc. Arelat. VI. ann.* 813. *Can.* 25. TOM. VII. CONC. *p.* 1258. idem habet ac Capita citata. *Concil.* MOGUNTIA. *ann.* 813. *Can.* 42. TOM. VII. CONC. *p.* 1254. idem eſſe videtur quoad verba & rem, ac *Cap* 4. *citat. Conc.* MELD. *ann.* 845. Cap. 62. TOM. VII. CONC. *p.* 1838. hoc peculiare habet, quod in contemnentes vel negligentes reſtaurare Eccleſias, quarum fructus percipiunt, Excommunicationem decernat, donec ſatisfecerint; ſi poſt ſatisfactionem in parem culpam incidant, inſinuat privandos eſſe fundis, è quibus fructus percipiunt, juxtà legale & antiquum dictum: *Qui negligit cenſum perdit agrum.*

II. Qui Eccleſias habent ad reparationem Eccleſiarum cogi debent, cùm opus fuerit, de bonis quæ ſunt ipſius Eccleſiæ, ſi eis ſuperſint, conferre. *Ibid.* Cap. *De his.* LIB. III. DECR. *Tit.* 48. Cap. 4.

Ad reſtaurandam Fabricam Cathedralis Eccleſiæ quilibet Canonicorum cum Epiſcopo pariter aliquam ſuorum redituum portionem operi tàm pio & neceſſario deputare, ubi major & ſanior pars Capituli, tractatu communiter habito, Statutum ſuper hoc edidit. *De his qua fiunt à Majori &c.* LIB. III. DECR. *Tit.* 11. Cap. 4.

III. Ab Eccleſiarum cultoribus ſub curâ & ſollicitudine ſui Pontificis reparatio eſt adhibenda Baſilicis. CAUS. X. QUÆST. III. *Unio. Ex Conc.* TOLET. XVI. *ann.* 693. Cap. 5. TOM. VI. CONC. *p.* 1340.

IV. Ut domus Eccleſiarum & tegumenta ab eis ſiant emendata vel reſtaurata, qui Beneficia indè habent. *Concil.* FRANCOFORD. *ann.* 794. *Can.* 26. TOM. VII. CONC. *p.* 1061.

Hactenùs Prior Pars. Poſterior ſic ſe habet: *Ubi repertum fuerit, per veraces homines, quod lignamen, petras, ſive tegulas, qua in domibus Eccleſiarum fuerint, & modo in domo ſua habeat, omnia in Eccleſia ſiant reſtaurata, unde abſtracta fuerunt.* Hæc docent alium abuſum tunc viguiſſe, eò deteſtandum magis quo Eccleſiæ diruerentur vel ſpoliarentur in utilitatem domuum profanarum.

SECTIO VII.

Cognitionem poſſeſſionis in Beneficiis pertinere ad Judices Sæculares, & quomodo impediri poſſit apprehenſio poſſeſſionis?

I. Autoritate Apoſtolicâ declaratum eſt, Apoſtolicæ intentionis non fuiſſe neque eſſe, per quamcumque Conſtitutionem Apoſtolicam Regi Francorum Illuſtri & ejus Regiæ Juriſdictioni in caſu poſſeſſorii, retinendæ poſſeſſionis ſuper quibuſcumque Eccleſiis & Beneficiis Eccleſiaſticorum ſuorum Regni Franciæ & Delphinatus VIENNENSIS, per quam ſuper hujuſmodi poſſeſſorio conſuevit cognoſcere, in aliquo derogari voluiſſe, aut velle quoquo modo. *Bulla* MARTINI V. 12. *Kal. Sept. anni.* 1413. *Probationes Libertatum &c.* Cap. 26. *Art.* 2. *p.* 780.

II. Declaratum eſt Partes moleſtatas ſuper earum conſervatione ad ſuorum Beneficiorum poſſeſſionem, ipſius Regia auxilium implorantes, dummodò in contemptum Juriſdictionis & libertatis Eccleſiaſticæ, & ut Partes ſibi Adverſas in rebus Eccleſiaſticis diutiùs

tiùs perturbarent, hoc non fecerint, pœnas nullatenus debere incurrere quovis modo. *Ibid.*

III. Statutum & ordinatum contra Clericos, Ecclesiasticasque personas, qui suas causas & querelas, in his præcipuè quæ de Jure aut Consuetudine ad forum Ecclesiasticum pertinere tùm noscebantur, eo tamen derelicto Sæcularibus Judiciis se submittere, seu Partes sibi Adversas ad forum de Jure vetitum convenire vel trahere præsumebant, quoad Regnum & Delphinatum, locum sibi nullatenus vendicare, aut extendi debere, necnon Censuras, Irregularitates, & pœnas, nullius existere firmitatis, Apostolicâ autoritate decretum est. *Bullâ* EUGENII IV. *ann.* 1432. 2. *Kal. Apriles. Probationes Libertatum.* Cap. 26. *Art.* 4. *p.* 787.

IV. Dilectos filios Præsidentes & Consiliarios Parlamenti Curiæ *Tolosanæ*, in lite seu controversiâ super possessorio Monasterii Sancti PETRI *De Salino* coram illis Judicibus pendente, LEO Papa X. hortatur in Domino, ut pro Apostolicæ Sedis reverentiâ JOANNI alicui in præmissis Justitiâ mediante assistant. *Rescriptum* LEONIS X. *ann.* 1513. 27. *Nov.*

V. Eum, qui super Dignitate, Personatu, vel Beneficio Ecclesiastico obtinendis, cum aliquo litigat possessore; ob Partis Adversæ contumaciam, causâ rei servandæ, in ipsorum possessionem Statutum est non mittendum, ne per hoc ad ea ingressus patere valeat vitiosus. *In 6. De eo qui mittitur in poss.* Cap. unico. *init.* LIB. II. *Tit.* 7. Cap. unico.

VI. Si electionem alicujus in Præpositum, tanquam à majori & saniori parte Capituli factam, cùm de personæ honestate constet, Episcopus confirmavit, ne investitura porrigatur, appellatum est: Si constet evidenter appellationis causam, quæ fuit expressa, rationabilem non esse, confirmationis effectus non debet impediri. *De Appellat.* Cap. *Constitutis.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 46.

VII. Cùm Sæcularis potestas super possessione vel quasi Juris eligendi Rectorem definitivam Sententiam promulgavit, Ecclesiæ injungit ut cogatur Communitas electum in Rectorem admittere. *De Judiciis.* Cap. *Significaverunt.* LIB. II. DECR. *Tit.* 1. Cap. 21. *ult.* CUJACIUS & GONZALEZ hìc putant agi de Rectore Sæculari Castri cujusdam, de cujus eligendi jure contendebatur inter Monachos & Communitatem loci. Sed cùm insinuetur ibidem quod Judex Sæcularis læserit libertatem Ecclesiasticam cognoscendo de proprietate Juris disputati, & causa commissa fuerit ab HONORIO Judicibus Ecclesiasticis; videri potest quod lis erat de electione Rectoris Ecclesiastici, ut senserunt plerique Interpretes alii, ipso etiam id testante citato GONZALE *n.* 8. undè saltem colligitur quod communior Interpretum opinio fuerit, quod cognitio possessorii juris spiritualis pertineat ad Judicem Sæcularem.

VIII. Volumus, quod in Causis Beneficialibus in diversis Curiis super petitorio & possessorio, unico & eodem contextu pendentibus, suspenso petitorio & Censuris super hoc latis, in possessorio in Curiis eorum Judicum, coram quibus causæ possessorii pendeant de præsenti, procedant. EXTRAVAGANTI *De Treuga & Pace.* §. 3. EXTRAVAG. COMM. LIB. I. *Tit.* 9. Cap. 1. SIXTUS IV. *ann.* 1478.

IX. Quando agitur de Beneficio Ecclesiastico, ob contumaciam Rei non fit missio in possessionem, ne ad ea ingressus patere valeat vitiosus. *Glossa.*

X. Si quid tamen contra illum, non in modum exceptionis ad impediendum electionis & confirmationis effectum, sed in modum denunciationis vel accusationis, duxerit Actor proponendum; postquàm pacificam ipsius Præpositurae possessionem fuerit assecutus, proponendi licentia non negatur. *De Appellationib.* Cap. *Constitutis.* §. 1. & *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 46.

Per confirmationem & possessionem corporalem consequitur iste plenum jus, a quo repelli non potest, nisi per denunciationem, vel accusationem. *Glossa finalis.*

SECTIO VIII.

Ad quid teneantur qui habent Beneficium, præter cætera jam exposita onera.

I. Admonet Sancta Synodus TRIDENTINA quoscumque Ecclesiastica Beneficia, Sæcularia seu Regularia, obtinentes, ut Hospitalitatis officium à Sanctis Patribus frequenter commendatum, quantùm per eorum proventus licebit, promptè benignèque exercere assuescant; memores eos, qui Hospitalitatem amant, CHRISTUM in Hospitibus recipere. *Concilium* TRID. SESS. XXV. DECR. II. *De Refor.* Cap. 18. *init.*

II. Qui percipit Beneficium Ecclesiasticum, ejus ratione tenetur Clericalem deferre Tonsuram. *De Clericis Conjugatis.* Cap. JOANNES. §. 1. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 3. Cap. 7.

III. Qui Beneficiis Ecclesiasticis abundant, si suaserit utilitas Ecclesiæ aut necessitas (dummodò idonei sint) ad majores Ordines recipiendos, per amissionem locorum & Beneficiorum subtractionem, Episcopus compellere potest. *De Ætate & Qual.* Cap. *Quæris.* LIB. I. DECR. *Tit.* 14. Cap. 6.

SECTIO IX.

Teneri eos omnes, qui Beneficium quodcumque Ecclesiasticum habent, recitare Divinum Officium; aliàs fructus restituere debere pro ratâ omissionis: & quomodo illa rata sit intelligenda?

I. Propter Officium, Beneficium Ecclesiasticum datur. *In 6. De Rescriptis.* Cap. *Quia.* finali. LIB. I. *Tit.* 3. Cap. 15.

II. Districtè præceptum est Ecclesiarum Prælatis, ut Divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantùm eis Deus dederit, studiosè celebrent pariter & devotè. *De Celebr. Missarum.* Cap. *Dolentes.* fin. LIB. III. DECR. *Tit.* 41. Cap. 9.

III. Quicumque Beneficiati ad Horas Canonicas tenentur. PRAGMATICA SANCTIO. *Tit.* 12. Cap. unico.

IV. Admonentur, ut si Orationes suas Deo acceptas fore cupiunt, non in gutture vel inter dentes, seu degluciendo, aut syncopando dictiones, vel colloquia, vel risus intermiscendo; sed sive soli, sive associati, diurnum nocturnumque Officium reverenter verbisque distinctis peragant; ac tali in loco undè à devotione non retrahantur; ad quod se disponere & præparare debent, juxtà illud quod scriptum est, *Antè orationem præpara animam tuam, ne sis quasi qui tentat Deum* Ibid. Eccles. 1.

V. Statutum est & ordinatum, ut quilibet habens Beneficium cum curâ vel sine curâ, si post sex menses ab obtento Beneficio Divinum Officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, Beneficiorum suorum fructus suos non faciat, pro ratâ omissionis recitationis Officii & temporis; sed eos tanquam injustè perceptos in Fabricam hujusmodi Beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. *In Concilio* LATERAN. V. *Sub* LEONE X. SESS. IX. *Tit. Reformationes Curiæ & aliorum.* *p.* 227.

VI. Si ultra dictum tempus in simili negligentiâ contumaciter permanserit, legitimâ monitione præcedente, Beneficio ipso privetur, cùm propter Officium detur Beneficium. *Ibid. Concil.* LATERANENSE V.

Deo de præmissâ dictâ omissione redditurus rationem. *Ibid.*

Ex proximo LATERANENSI *Concilio* pia & salubris Sanctio emanavit, ut quicumque habens Beneficium Ecclesiasticum, cum curâ & sine curâ, si post sex menses quàm illud obtinuerit, Divinum Officium, legitimo cessante impedimento, non dixerit; Beneficiorum suorum fructus pro ratâ omissionis Officii & temporis suos non faciat; sed eos tamquam injustè perceptos in Fabricas ipsorum Beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. *Ex proximo. Bullâ* 135. PII V. *init. ann.* 1571. BULLARII TOM. II. *pag.* 544.

Ut tolleretur dubium cujusmodi ratæ prædictæ satio sit habenda, statuit PIUS V. *At qui horas omnes Canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes Beneficii, seu Beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidiè dividerentur; qui verò Matutinum tantùm, dimidiam; qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittat. Tametsi aliquis Choro addictus, non recitans omnibus horis Canonicis, cum aliis præsens adsit, fructusque & distributiones fortè aliter assignatas solâ præsentiâ, juxtà Statuta, Consuetudinem, fundationem, vel aliàs sibi lucrifecisse prætendat, etiam præter fructuum & distributionum amissionem.* PIUS V. Ibidem. *Ex Conc.* LATERANENSI. V, Sass. IX. *ann.* 1514.

Ille qui primia sex mensibus Officium non dixerir, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligat admisisse. *Ibid.*

Declaravit præstimonia, præstimoniales portiones, & qualiacumque alia Beneficia, etiam nullum omninò servitium habentia, obtinentes, cum prædictis pariter convenire. *Ibid.*

Prædicta obligatio, de qua citati Textus expressè meminerunt, infertur ex *Cap.* 1. *De Celebrat Missarum,* cujus incertus Aotor, sed antiquus habitus. GONZALEZ *n.* 1. permittit enim Parocho, ut expleto matutinali Officio publicè, cæteras persolvat privatim; ea lege, ut posteà juxta possibilitatem, aut à se, aut ab Scholaribus publicè compleantur tempore competenti: has horas vocat pensum servitutis. Permissionis autem causam insinuat esse, ut Parochus possit exire ad opus rurale, rediturus statuta hora ad celebrandam Missam. Hic Textus legitur etiam in 2. *Collect. Tit. De suffragiis*, & apud GRATIANUM *Can. Presbyter.* DIST. XCV. GONZALEZ *ibid.* colligit plures alios Canones de eadem obligatione loquentes, ac præmissis Observationibus ad illam perfectiùs cognoscendam necessariis, objectis sibi satisfaciens, Respondet inter alia harum horarum recitatione præceptum Domini, *sine intermissione Orate*, Ecclesiam adimplere. FAGNANUS *in idem Caput*, quæsito *n.* 12. qui teneantur ad horas Canonicas, *sequentib. n.* probat ad illas astringi Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, Clericosque Beneficiatos; alios verò ad illas olim fuisse obligatos, sed generali consuetudine id abrogatum esse, eamque consuetudinem justam esse ostendere nititur: Quibus addit similem usum derogasse obligationi recitandi parvum Officium Beatæ MARIÆ quoad Clericos Officium privatim recitantes, aliundè ab Officio publico immunes; quoad alios verò ac etiam quoad Regulares, obligationem manere in Ecclesiis, vel Monasteriis, quorum Statuta id ferunt. Deindè nonnihil dicit de excusationibus à recitatione Officii, de quibus nulla expressa mentio in Jure fit, notatque ex *Conc.* MEDIOL. levem ægritudinem etiam cum febri non excusare. De iisdem excusationibus loquens CABASSUTIUS *in Theoria & Praxi* LIB. I. *Cap.* 20. *n.* 18. scribit Clericos Sacris initiatos damnatos ad exilium, vel triremes, vel carcerem perpetuum, imò & degradatos, à recitando Officio non excusari, quia ad id adstringuntur vinculo caracteris indelebilis. Monachos verò in similibus casibus eximit ab hac obligatione, quia tunc extrahuntur ab illo statu & conditione, quæ hanc pariebant fovebantque; Idemque dicendum de Monialibus, quæ ex ruina Monasteriorum coguntur separatè vivere.

Quod in collectis Textibus dictum est, Monachos professos ad Officium teneri, restringendum est ad Monachos Clericos; & ab illis excipiendi Clerici Societatis JESU, qui nondum sunt in Sacris. FAGNANUS *loco citato n.* 29.

De eadem obligatione actum est in Prima Parte, dum *De Obligationibus Communibus Clericorum.*

SECTIO X.

Comparatio inter modum, quo tractantur Beneficia Ecclesiastica, & rationem qua res Profana aguntur; & undè sic illa habeantur, quæve illius utilitas, sive fructus?

Quamvis Secunda Quæstio supponat Primam, nihilominus Secundam resolvemus ante Primam, quia est & brevior, & facilior.

QUÆSTIO II.

Origo igitur, undè Beneficia tractentur ut res profanæ, non alia est quàm conjunctio, quam habent cum rebus profanis. Revera Beneficia componuntur ex temporali insimul ac Spirituali; temporale autem cùm magis alliciat, Spirituale oblivioni mandatur; quemadmodum eamdem ob rationem voluptates momentaneæ dant occasionem æternas contemnendi. Quod si temporale Ministeriis Sacris proprium, ea posuit in conditione rerum merè temporalium, Dignitas Officiorum Spiritualium, temporale, quod iis junctum est, evehit ad honorem rerum Spiritualium; & ideò debuisset eodemmodo tractari, quo res Spirituales.

QUÆSTIO I.

Non potest aptius demonstrari, Beneficia, sicut res profanæ, tractari, quàm cùm ostendetur eosdem contractus, qui fiunt in bonis profanis, fieri quoque in Beneficiis. Illud autem intellectu facillimum est; nam non solùm Pacta, Transactiones, sed Infeudatio, Donatio, Venditio, Permutatio, Mutuum aut Commodatum, locatio, Precarium, Successio ab intestato, locum habent quoad Beneficia.

Reverà nihil communius quàm Pacta in Resignationibus *in favorem*; quotidiè transigitur in Beneficiis cum iisdem Clausulis remissionis, aut restitutionis fructuum perceptorum, cessionis aut solutionis impensarum, retentionis pensionis, & aliorum jurium.

Tot sunt similitudines inter Feuda & Beneficia, ut diceretur Leges Ecclesiæ quoad Beneficia, factas esse ad instar Legum Civilium de feudis.

Præcipuæ ex his similitudinibus sunt. 1°. Quod, cùm omnia feuda, obligent ad aliquod Officium, nullum sit pariter Beneficium sine servitio.

Quemadmodum feuda sunt servientia, & feuda dominantia, sunt & Beneficia, quibus ferè independentes sumus. Tales sunt Episcopatus, Abbatiæ immunes; Sunt & alia, quæ subjiciunt aliis Beneficiis; Talia sunt Beneficia Curata, & alia omnia, Sæcularia & Regularia Beneficia inferiora Episcopatibus & Abbatiis. Subditi jurejurando tenentur Domino, Episcopi Papæ debent jusjurandum, nec non & Metropolitano.

Quando feudum divellitur à suo toto, pars divulsa debet aliqua jura utilia feudo; quando divellitur Beneficium ab altero, Beneficium divulsum debet aliquam refusionem annuam alteri. Multa sunt exempla hujusce rei in Curiis. PARISIINIS.

Annas

Annuus reditus quem solvebant omnia Beneficia Papæ, in unaquaque possessorum mutatione, & qui ab aliquibus solvitur adhuc, respondet juri restitutionis debito Domino in unaquaque mutatione possessoris feudi servientis.

Cùm feuda cadunt in manum mortuam, solvenda est damni præstario Domino; Beneficia unita solvebant olim jus Papæ de quindecimo in quindecimum annum, ideò vocatum quindennium, sive vis decimi quinti anni, & nonnulli illud adhuc solvunt. TOMASIN. *Discip. Part.* 4. *Lib.* 4. *Cap.* 36. *Num.* 13.

Quemadmodum subditus, qui occidit Rectorem Ecclesiæ, cui subjectus est, amittit feudum suum; Beneficiarius qui idem crimen patrat, perdit Beneficium quod habet in hac Ecclesia. *Cap.* 12. *De Pœnis.* Fortè per Beneficiarium intelligitur hìc, qui tenet ab Ecclesia aliquod terræ fundum. Feuda quædam dantur solùm viris nobilibus, aliqua etiam Beneficia non possunt possideri, nisi ab Insignibus genere. Ut sunt feuda affectata quibusdam familiis, sunt etiam Beneficia ejusdem generis. Si Dominus feudum suum obliget, seu impignoret is qui accipit, disponit de Beneficiis feudi, sicut & de Officiis. Cùm dispositio singulorum cum fructibus constituta sit, qui Dominorum minorum habent custodiam nobilem & possessionem fructuum feudorum eorumdem, pari jure potiuntur, scilicet Beneficiorum dispositione, necnon & Officiorum.

Donatio locum habet in omnibus Collationibus Beneficii; sed præter hanc donationem, cui immorari mens non est, duæ aliæ sunt ex parte Beneficiarii, de quibus loqui statutum est, nempè donatio inter vivos, & donatio per mortem; Prima occurrit in omni resignatione *in favorem* facta ab homine benevalente; altera videtur in Resignatione in *favorem* metu mortis. Resignationes cum retentione omnium fructuum aut unius partis, sunt donationes cum reservatione totius usufructûs rei datæ, aut partis hujusdem usufructûs. Donatio cùm facta sit homini incapaci accipiendi rem datam, ista redit ad Donatorem: si cui Beneficii titulus transcriptus est & is non sit capax Beneficii ipsi resignati, ex vitio occulto redit ad Resignantem.

In delectu Coadjutoris, *cùm futura successione*, est donatio, *retentis fructibus & honoribus*, vi clausulæ regressus in resignatione *in favorem* inseri solitæ. Si cui Beneficii possessio transcripta est, & is moriatur ante Resignantem, Resignatio *in favorem* non spoliat omninò Resignantem Juribus in suum Beneficium, nisi eo casu, quo Resignatarius superstes vivit; quemadmodum donatio inter vivus non spoliat omninò Donatorem, nisi quum Donatarius superstes vivit.

Resignatio Beneficii in favorem, facta in memoriam officiorum acceptorum, est donatio remuneratoria, tantùm vituperanda, quantùm digna laude est illa quæ fit ex bonis profanis. Quod dicitur de hoc Resignationis genere, debet extendi ad Collationem ejusdem generis.

Donatio debet insinuari intrà tempus præfixum: Resignatio *in favorem* debet promulgari præscripto tempore: Utraque autem formula non adhibetur, nisi ut præveniatur fraus omnis.

Eadem ratione, ut minor infrà 18. aut 20. annos non potest donare, nisi in casibus quibusdam & circumstantiis; non potest etiam resignare *in favorem*, nisi certis in casibus & circumstantiis.

Si fundum terræ assignaretur sustentationi cujusdam, non posset illud dare, nisi haberet aliundè undè viveret: Cùm Beneficium addicitur Clerici victui, non potest illud resignare, nisi aliundè habeat undè vivat.

Qui dant sua bona quibusdam hominibus, eadem aliquandò pensione onerant in favorem tertii; Cùm Princeps providet Beneficiis Consistorialibus, iis aliquando addicit pensiones in gratiam aliorum.

Sæpiùs evenit Beneficia vendi præsenti pecuniâ, sed præter hanc venditionem, à qua deberent abhorrere, ii etiam, qui nullam ferè umbram pietatis habent, altera est usitata inter homines aliundè non depravatos: Talis est venditio Beneficii pro Beneficio, contenta in pactione à duobus Collatoribus facta, ut sibi mutuò conferant Beneficia suæ subjectionis.

Permutationes Beneficiorum sunt tàm frequentes, ut nullum dubium esse possit, quin pactio permutationis locum habeat in Beneficiis. Ut in permutatione rerum profanarum imparis valoris accipitur quod plus valet, eodemmodo in permutatione Beneficiorum reditûs inæqualis pensio datur, ut reditus minoris Beneficii sic fiat æqualis reditui Beneficii majoris. Evictio locum habet in permutatione Beneficiorum, quemadmodum in permutatione bonorum profanorum.

Ille credit aut commodat homini Beneficium, qui dat eidem illud pro tempore quo opus habet, eâ lege ut reddat posteà; ut fit, cùm conceditur Beneficium Clerico, ut accipiat Ordines, factâ conventione quod illud restituet statim post suam Ordinationem; hæc pactio, si gratuita sit, proximè accedit ad Commodatum; & ad Locationem, si, qui accipit Beneficium, permittat alteri aliquam mercedem annuam.

Confidentiæ pactum, quo Clericus accipit Beneficium, ut servet alteri, qui nondùm ætatem aut alias requisitas dotes habet, multùm accedit ad pactionem precarii, qua homo possidebat funda terræ alterius, ad certum tempus, nomine hujus alterius, & fructibus potiebatur; nam hìc Confidentiarius possidet tantùm ad tempus alterius nomine, & fructibus fruitur. Cùm pactio Confidentiæ fit ratione resignationis *in favorem*, factæ ab homine jamjam morituro, tunc proximè accedit ad fideicommissum in favorem ejus cui restituere debet.

Dispositio Beneficiorum per Resignationem in favorem in mortis periculo, multùm similis est dispositioni bonorum profanorum per Testamentum; nam subjecta est conditioni mortis disponentis, eodem modo ac illa, ita ut suum non habeat effectum quàm cùm fato fungitur, nisi renuntiet juri repetendi suum Beneficium.

Successio ab intestato in usu est multis in locis: Talia sunt illa, in quibus Capitula solent conferre Agnato proximiori Beneficium Canonici mortui sine Resignatione, & hæc Capitula non sunt in parvo numero. Magistratus judicat de litibus quoad Beneficia, eodem modo, quo statuit de causis spectantibus ad bona profana; si ad Proximorum postulationem prodigis interdicat administratione bonorum suorum, ad eamdem petitionem interdicit etiam administratione Beneficiorum suorum Beneficiariis dissipatoribus.

Ponitur Collatio & omnis alia dispositio Beneficiorum in numero fructuum Beneficiorum, ita ut qui jus habent potiendi fructibus Beneficiorum vacantium, disponant etiam de Beneficiis, quæ pendent ex iisdem Beneficiis.

Ex dictis patet quod Contractuum nominatorum nulla species locum habeat in rebus profanis, quæ non cadat etiam in rem Beneficiariam. Similis Observatio producitur ad Contractus innominatos, his verbis comprehensos: *Do ut des, facio ut facias.* Priorum enim duorum exempla habes frequentiora in iis, qui munera dant ut obsequia temporalia gratis exhibeant, & sibi vel suis Beneficia procurent: Posterioris verò in iis qui resignant, vel conferunt propinquo, vel amico alterius, ut propinquis vel amicis suis similia commoda impetrent.

His omnibus adde quod in impetratione Beneficiorum, per crimina ipso facto vel Jure vacantium, imago haberur obtentionis bonorum Fisco addictorum per similia crimina.

Collectarum similitudinum inter res Ecclesiasticas, & res merè profanas, quædam culpâ carent, atque etiam specie mali; ejusmodi autem sunt, quæ proveniunt ex natura rerum temporalium annexarum spiritualibus, quia connexorum eadem Ratio, ideòque alterum alterius conditionem sequitur, & vicissim, prout cujusque natura patitur, sicuti expositum est dùm *De Simonia*.

Hinc contractus, quibus subsunt res merè profanæ, cadunt in res temporales annexas spirituales, & ratione connexionis res spirituales indirectè contingunt, in quo nulla difficultas.

Aliæ speciem habent mali; ejusmodi sunt, quæ spectant Annata, Departus, quindennium, aliæque similia; idque saltem ex origine & abusu & incommodis inde nascentibus. Cæteræ sunt malæ, utpotè provenientes ex contractibus prohibitis circà spiritualia; qualis venditio, aliusve similis, & contractus omnis innominatus, ex quibus Simonia, Confidentia, vel illarum species. His, quæ speciem mali habere dicta sunt, addenda quæcumque successionis hæreditariæ in spiritualibus imaginem præ se ferunt; quales Coadjutoriæ cum futura successione, Resignationes *in favorem* propinquiorum, collationes factæ iisdem conventione tacita, regressus conventus, aliave similia, quæ cùm maximè pendeant ex circumstantiis, non absolutè condemnanda sunt; sed pro istarum diversitate, vel rejicienda, vel excusanda, prout actum est dum de iis omnibus tractatum seorsim.

FINIS TRACTATUS DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

ERRATA.

Adde ad finem paginæ 8. hujus TRACTATUS *de Beneficiis Ecclesiasticis*.

IX. Is ad quem Præsentatio in aliquâ Ecclesiâ noscitur pertinere, quempiam præsentat ad eam. *In 6. De Institutionib.* Cap. *Si is*, LIB. III. *Tit. 6.* Cap. 2.

INDEX

INDEX
TITULORUM, SECTIONUM,
QUÆSTIONUM, PARAGRAPHORUM, ET CAPITUM,

Quæ in hoc TRACTATU DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS, continentur.

TITULUS I.

De Beneficiis Ecclesiasticis secundùm se, & de modis in genere illa acquirendi, 1

Sectio I. *Nomine Beneficii Ecclesiastici intelligi Titulum spiritualem, perpetuum, qui dat locum in Ecclesia, & jus percipiendi certos reditus. Colliguntur locutiones veteres quibus hæc exprimuntur, vel designantur; indicantur quoque loca ubi illas reperire est.* ibid.

Sectio II. *Propter quid instituta sint Beneficia Ecclesiastica? & quæ res nomine Beneficiorum contineantur, præcipuè cùm de Beneficiis aliquid statuitur?* 2

Sectio III. *Quot sint Beneficiorum Ecclesiasticorum genera, tàm ratione modi iis providendi, quàm ratione personarum quæ illa possunt obtinere, aut ratione functionum quæ sunt ipsis Beneficiis annexa?* ibid.

Sectio IV. *Quæ dici debeant Sæcularia vel Regularia Beneficia? Quæ curam animarum annexam habeantia?* 3

Sectio V. *Beneficia Ecclesiastica non posse hæreditario jure obtineri?* ibid.

Sectio VI. *Beneficia Ecclesiastica non posse legitimè acquiri sine institutione Canonicâ, seu legitimo Titulo,* 4

Sectio VII. *Jure Communi non posse Laicos quoscumque, etiam Principes, conferre Clericis aut Monasteriis Titulum Beneficiorum Ecclesiasticorum,* ibid.

Sectio VIII. *Quæ pœnæ decretæ sint, tùm in Clericos recipientes titulum Beneficiorum à Laicis, tùm in Laicos etiam Principes hujusmodi titulum conferre præsumentes?* 5

Sectio IX. *Neque per ambitum expostulanda esse Beneficia Ecclesiastica, neque in ea malè ac perversè ingrediendum.* ibid.

Sectio X. *In Regno Franciæ solum Romanum Pontificem ad nominationem Regis Christianissimi conferre posse Archiepiscopatus & Episcopatus. Et quomodo?* 6

Sectio XI. *Etiam Abbatias, & Prioratus verè electivos, ad nominationem duntaxat Christianissimi Regis à Romano Pontifice conferri in Regno Franciæ; & quæ Monasteria excipiantur?* 7

Sectio XII. *Episcopos, Abbates, & alios Præpositos à Rege Christianissimo nominatos, non posse ullatenus Ecclesiarum administrationi se ingerere, antè confirmationem seu Bullas provisionis à Romano Pontifice obtentas; & sub quibus pœnis id vetitum sit?* ibid.

Sectio XIII. *Intra tres menses Episcopos nominatos debere consecrari; & quibus pœnis obnoxii sint, si id facere neglexerint?* 8

Sectio XIV. *Quot, & quibus modis fieri possit Inferiorum Ecclesiæ Beneficiorum provisio? Et in quo differant illi modi providendi?* ibid.

Sectio XV. *Quamdam extare Beneficiorum custodiam: hanc esse vel temporalem, vel perpetuam; illam ab Episcopis, hanc à solo Summo Pontifice fieri posse,* 9

Sectio XVI. *Commendam perpetuam haberi pro vero Titulo, & Commendatarios teneri iisdem Legibus ac Titulares,* 10

TITULUS II.

Quomodò Patroni providere possint de suis Beneficiis & de Jure Patronatûs. *ibid.*

Sectio I. *Fundatores, seu Patronos Ecclesiarum jus habere duntaxat præsentandi Clericos ab Episcopis, seu Collatoribus in illis instituendos; nec valere Collationem Ecclesiarum sine Patronorum præsentatione,* ibid.

Sectio II. *Quantùm temporis habeant Patroni, tàm Laici quam Ecclesiastici, ad præsentandum ad Beneficia? & utri eorum variare possint antè vel post præsentatorum institutionem?* 11

Sectio III. *Quomodo, & quos Patroni præsentare possint ad Beneficia Ecclesiastica? & an præsentatione factâ Episcopi instituere, aut saltem examinare debeant præsentatos? & quos teneantur, aut repellere, aut admittere?* ibid.

Sectio IV. *Quid requiratur ut aliqui sint, vel fiant de novo Patroni Ecclesiarum, seu jure Patronatûs gaudeant? & quomodò id probare teneantur? & quæ sint Juris Patronatûs prærogativæ?* 12

Sectio V. *Quæ prohibita sint Patronis Ecclesiarum, & an aliquid ex Ecclesiis suis possint exigere?* ibid.

Sectio VI. *An, & quomodo jus Patronatûs transeat ad hæredes? & quomodo illi præsentare possint ad Beneficia?* 13

Sectio VII. *Quomodo jus Patronatûs spirituale sit? Et an donari, vendi, aut acquiri aliquo modo possit?* ibid.

Sectio VIII. *Quid agendum sit circà ordinationem Ecclesiarum, cùm orta est controversia super præsentatione? Et per quam, ut plurimùm, sit judicandum?* 14

Sectio IX. *Quomodò per institutionem sive Collationem concedantur Beneficia Ecclesiastica?* 15

§. I. *Beneficia Ecclesiastica haberi non posse sine Institutione, seu Collatione Canonicâ: & quibus pœnis afficiantur qui sese in ea temerè intrudunt?* ibid.

§. II. *Jure Ordinario non haberi Institutionem Canonicam tàm Beneficiorum curam animarum habentium, quàm Præbendarum & Dignitatum, sine autoritate Episcopi, aut saltem absque prævio illius examine,* ibid.

§. III. *Neminem sibi ipsi conferre posse Beneficium Ecclesiasticum; atque Sæcularia Beneficia Sæcularibus tantùm, & Regularia Regularibus, Jure ordinario conferri debere,* 16

§. IV. *Collationem Beneficiorum esse debere publicam, liberam, & gratuitam,* ibid.

§. V. *Teneri Collatores Ordinarios, seu Patronos Ecclesiasticos, conferre tertiam partem Beneficiorum suorum Graduatis Universitatum Regni Franciæ, seu ad illa præsentare; & quomodo?* ibid.

§. VI. *Quale debeat esse tempus studii ad habendas literas nominationis? Et quomodò illæ debeant exhiberi, ac quo tempore?* 17

§. VII. *Quibus dari debeant Literæ nominationis? Quid in illis exprimi? & quæ Beneficia in vim illarum peti possint & quando?* 18

§. VIII. *Sub quibus pœnis teneantur Collatores, seu Patroni Ecclesiastici, graduatis conferre Beneficia? & quos in concursu præferre?* ibid.

§. IX. *Collatores Ordinarios teneri ex Indultis Apostolicis ad conferenda Beneficia Cancellario Franciæ, Præsidibus & Consiliariis Parlamenti* PARISIENSIS, *& quomodo?* ibid.

§. X. *Collatores quoslibet teneri Beneficia Ecclesiastica conferre viris idoneis, Episcopos debere ad id invigilare, licèt probare non teneantur se ita contulisse.* 19

§. XI. *Qui reputandi sint idonei ad obtinenda Beneficia curam animarum habentia; præsertim Ecclesias Parochiales?* 20

§. XII. *Qui generatim reputandi sint idonei ad obtinenda Beneficia Ecclesiastica? & quid sit in specie Episcopis hac in re prohibitum, & sub quibus pœnis?* ibid.

§. XIII. *Qui sint reputandi speciatim idonei ad assequendas Præbendas & Officia Ecclesiarum, quæ obligant ad Residentiam?* 21

§. XIV. *Quinam de Jure indigni sint ad habenda Beneficia Ecclesiastica?* ibid.

§. XV. *Quæ scientia, & quæ ætas requiratur ad capessenda quæque Beneficia Ecclesiastica?* 22

§. XVI. *Quomodò judicandum in foro externo aliquem Clericum non esse idoneum?* 23

§. XVII. *Quibus in casibus Collatores mereantur suspendi à facultate conferendi Beneficia, vel illam amittere?* ibid.

§. XVIII. *Sex tantùm mensium spatium datum esse Collatoribus ad conferenda inferiora Beneficia Ecclesiastica: undè illud sumatur? quomodo & contra quos currat?* ibid.

§. XIX. *Collationem post sex menses factam à Collatoribus negligentibus esse ipso jure irritam; posse tamen de misericordiâ convalescere; & ad quos in casu negligentiæ tùm devolvatur hujusmodi Collatio?* 24

§. XX. *Illicitas esse quascumque promissiones à Collatoribus, seu Patronis, directè, vel indirectè factas, de Beneficiis non vacantibus; nec ullatenus obligare,* ibid.

§. XXI. *Unum Beneficium dividi, seu pluribus concedi, vel illius reditus reservari aut imminui, omninò non posse,* 25

TITULUS III.

De Collatoribus Ordinariis, 26

§. I. *Quot modis conferri possint Beneficia Ecclesiastica?* ibid.

§. II. *Qui sint Collatores Ordinarii, vel esse possint?* ibid.

§. III. *Ad quem pertineat Beneficiorum Collatio, cùm pendet à pluribus, si contingat aliquem ex illis deficere?* 27

§. IV. *Collationem Beneficiorum computari inter fructus, seu reditus cujusque Beneficii, & ad Jurisdictionem voluntariam, seu gratiosam pertinere; institutionem verò ad necessariam,* ibid.

§. V. *Reges Franciæ, vacantibus Regni sui Cathedralibus Ecclesiis, jus habere conferendi Beneficia, quæ in ipsis vacant; exceptis iis, quæ curam habent animarum,* ibid.

§. VI. *Beneficia quæ non vacant, etiam de facto, ritè conferri non posse,* 29

§. VII. *Collatione semel factâ Beneficii, nisi illa planè irritetur, novam ejusdem concessionem fieri non posse,* ibid.

§. VIII. *Quæ sint in usu de Gratiis Expectativis in gratiam tùm Graduatorum, tùm eorum qui habent Indulta?* ibid.

TITULUS IV.

Quomodo jus competat Romano Pontifici conferendi inferiora Beneficia Ecclesiastica in Regno Galliæ? 30

§. I. *Romanum Pontificem non posse ullas Gratias Expectativas, seu Indulta, aut Mandata Apostolica concedere, de conferendis Beneficiis quæ sunt vacatura,* ibid.

§. II. *Romanum Pontificem etiam Jure quasi ordinario, in nonnullis casibus conferre inferiora Beneficia Ecclesiastica in Galliâ, utpotè qui admittat Resignationes & Permutationes,* 31

§. III. *Romanum Pontificem prævenire posse Collatores Ordinarios in concedendis Beneficiis Ecclesiasticis, Dignitatibus verè electivis duntaxat exceptis,* ibid.

§. IV. *Quid requiratur, ut præventio Papæ valeat? seu de verisimili notitiâ obitus? Exprimendus valor Beneficii, & quodcumque Beneficium exprimendum ab impetrantibus Beneficia,* 32

§. V. *In concursu plurium Collationum ejusdem Beneficii factarum ab eodem diversis personis, vel datâ Collationis Beneficii factâ à Papâ pluribus, eum præferri debere, cujus litteræ priores sunt in data; ubi autem eodem die datæ sunt litteræ, neutrum obtinere. Idem locum habere in Mandatis.* 33

§. VI. *An & quomodò Papa possit conferre Beneficia quæ vacant in Curiâ?* 34

§. VII. *Extractum ex Tractatu* RUSÆI *De Mandatis Apostolicis, & de diversa illorum forma, sive mutationibus circa illa: Huic adjiciuntur Notæ necessariæ tam ad emendationem, quam ad explicationem.* ibid.

§. VIII. *De Pontificiâ in conferendis Beneficiis Præventione.* Regulæ è *Corpore Juris Canonici deprompta,* 35

§. IX. *Regulæ ex Corpore Juris desumptæ circa vacantium in Curia Beneficiorum reservationem,* 37

TITULUS V.

An & quomodo idem Clericus habere possit plura Beneficia? 41

Sectio I. *Legibus Ecclesiæ vetitum esse in genere habere plura Beneficia Ecclesiastica,* ibid.

Sectio II. *Quæ potissimùm Beneficia vetet Ecclesia simul ab eodem Clerico haberi?* 42

Sectio III. *Quibus maximè de causis Ecclesia vetet Beneficiorum pluralitatem?* 43

Sectio IV. *Quibus pœnis identidem Ecclesia animadverterit contra eos, qui plures haberent Ecclesias Parochiales, vel Personatus, aut Dignitates?* 44

Sectio V. *Quæ Beneficia de Jure Communi compatibilia sint, ut aiunt, sive talia, ut possit Clericus ea simul habere absque ullâ dispensatione?* ibid.

Sectio VI. *Post Consecrationem electi in Episcopum, vacant Beneficia quæ anteà habebat, & is ad quem illorum donatio spectat, illo ipso ea conferre potest,* 45

Sectio VII. *Quomodo vacent Beneficia inferiora, quæ quis possidet, cùm aliud obtinet incompatibile; ita tamen ut si Beneficium de novo acquisitum pacificè non possederit, ad primum dimissum redire possit?* 46

Sectio VIII. *Per solam Dispensationem Apostolicam obtineri posse simul ea Beneficia, quæ dicuntur incompatibilia, & tantùm cum hujusmodi Dispensatione non debere retineri,* ibid.

Sectio IX. *Quamcumque Dispensationem ab Apostolicâ Sede concessam, nullius planè esse momenti ad obtinenda plura Beneficia, etiam compatibilia, nisi expressum fuerit quodcumque Beneficium quantumvis modicum, quod habet Orator; nisi Papa conferat motu proprio, vel nisi ignoret se Beneficium habere,* 47

Sectio X. *Dispensationes ab Apostolica Sede concessas ad obtinenda plura Beneficia, quàm maximè restringendas esse, utpotè valdè odiosas,* 48

Sectio XI. *Non videri intentionis esse Ecclesiæ dispensare cum quoquam, ut obtineat plura Beneficia, quorum quodlibet sufficit ad honestam vitæ sustentationem,* ibid.

Sectio XII. *Quâ ratione Beneficium sufficiens censeri debeat?* 49

Sectio XIII. *Religiosis etiam vetitum esse habere plura Beneficia,* ibid.

Sectio XIV. *Collectio Canonum juxta temporis Ordinem digestorum, quibus condemnatur pluralitas Beneficiorum. Quæ sint reflexiones agendæ antequàm accipiatur secundum Beneficium, in casibus etiam in quibus videtur permitti pluralitas?* ibid.

Sectio XV. *Canones præcipui contrà Beneficiorum pluralitatem, cum præjudiciis ex Canonibus omissis, ac notis ad explicationem collectorum,* 51

Sectio XVI. *Quibus usibus insumendi Beneficiorum reditus sint, per Canones cujusque sæculi demonstratur,* 57

Sectio XVII. *Principia de Jure Devoluto latè sumpto, resolutionem dubiorum circa devolutum Beneficiarium comprehendens,* 65

Dubium I. *Cùm Procurator ad resignandum inter manus vices gerentis Legati, incapacem hominem promovere fecit, potestne Beneficium impetrari per Devolutum, antè mortem resignantis?* 67

Dubium II. *Potestne impetrari per Devolutum, Beneficium vacans propter incapacitatem promoti, provenientem ex defectu ætatis, cùm ille nondum possessionem hujus assumpserit?* ibid.

Dubium III. *An potestas quam resignans metu mortis habet suum Beneficium repetendi, si sanus redeat, impeditne Beneficium collatum homini incapaci impetretur ex Devoluto antè mortem resignantis?* 68

Sectio

Sectio XVIII. *Quandonam, & ad quos devolvatur potestas conferendi interiora Beneficia Ecclesiastica?* ibid.
Sectio XIX. *Quâ ratione conferre debeant Beneficia hi ad quos conferendi potestas devolvitur?* ibid.

TITULUS VI.

De iis quæ spectant ad receptionem Beneficiorum, Investituram, seu installationem, atque possessionem, 69

Sectio I. *Conferri posse Beneficium ignoranti & absenti & per alium. Quando per Collationem acquiratur? Et quomodo pendente consensu, possit iterum Beneficium conferri?* ibid.
Sectio II. *Factâ Collatione Beneficii alicui, possessionem illius debere adipisci; & quid sit illa possessio & qualis?* ibid.
Sectio III. *De possessione pacificâ, & quomodo habeatur? Et triennalem possessionem pacificam esse instar tituli?* 70
Sectio IV. *Eos qui violenter Beneficiorum possessionem acquirunt, iis debere spoliari,* ibid.

TITULUS VII.

De Conditionibus & Pactis quæ licitè fieri possunt in Beneficiorum acquisitione, 71

Sectio I. *Beneficio vacanti posse ex causa rationabili ab Episcopo imponi honestum quoddam onus, quod subire teneatur is cui confertur,* ibid.
Sectio II. *Motâ Quæstione super Titulo, seu possessione Beneficii Ecclesiastici, cùm lis ambigua est & difficilis, posse Arbitros uni Titulum, alteri pensionem aut Beneficia adjudicare; dummodò non fiat Collusio inter litigantes,* ibid.
Sectio III. *Quibus modis vacent Beneficia Eclesiastica?* 72
Sectio IV. *Pensiones super Beneficiis constitutas non censeri Beneficia. Eos imponi non posse Ecclesiis, nisi divites sint. Quæ spirituales sunt & Ecclesiasticæ, habere onus annexum recitandi Officium Beatissimæ Virginis,* ibid.
Sectio V. *Filios etiam legitimos Sacerdotum non posse immediatè succedere in paternis Beneficiis sine Dispensatione, posse tamen mediatè,* 73
Sectio VI. *Solum Summum Pontificem certis de causis dispensare posse, ut filii immediatè succedant in Beneficiis paternis;* ibid.

TITULUS VIII.

Observationes in Romanæ Cancellariæ Regulas, ad pacta licita vel illicita circà Beneficia pertinentes, 74

Sectio I. *De non impetrando Beneficium viventis,* ibid.
Sectio II. *Regula de verisimili noticiâ,* 76
Dubium I. *Regula de verisimili notitia, habetne peculiare in Corpore Juris fundamentum?* 78
Dubium II. *Prædicta Regula locumne habet in impetrante Beneficium vi resignationis, cui clausula aut* quovis modo vacet *inserta est, si contingat tempore data resignantem obiisse, & à die mortis non sat temporis effluxisse, ut ad notitiam Papæ pervenisse potuerit?* ibid.
Dubium III. *An quando mors defuncti occultatur, necessarium ad verisimilem notitiam tempus computandum sit à die obitûs? An à die quo publica facta est mors?* ibid.
Dubium IV. *An Collatio Beneficii sub clausula*, si vacet per obitum, *antè verisimilem notitiam, vi Regulæ de verisimili nulla sit?* ibid.
Sectio III. *Regula de Triennali Possessore, & Decretum de Pacificis Possessoribus simul explicantur,* ibid.
Dubium I. *Num sibi ipsi contraria sic Regula?* 80
Dubium II. *An Hæreticus hac Regulâ se tueri possit?* ib.
Dubium III. *An certum sit solum ingressum Simoniacum, solamque in prædicto reservatorum Beneficiorum genere intrusionem, à præsidio Regulæ excludere?* ib.
Dubium IV. *An Regula intelligatur tantùm de Simonia reali?* ibid.
Dubium V. *An quoad Regulam* De Triennali *Simonia, cujus Possessor Beneficii conscius non fuit, sibi noceat?* 81
Dubium VI. *An ratione violatæ reservationis, præsidio Regulæ privetur alius, quàm cui Beneficium vacans in Curia ab Ordinario collatum est?* ibid.
Dubium VII. *An qui cum impedimento Canonico sibi noto acceptat, vel impetrat Beneficium, & cum eodem per triennium possidet, præsidio Regulæ* De Triennali *uti possit?* 81
Dubium VIII. *An ei prosit Regula* De Triennali, *qui à Vicario Generali, quem scit conferendi facultatem in Mandatis non habere, Beneficium recipit, & triennio possidet?* ibid.
Dubium IX. *An Regula* De Triennali *à lite triennium præcedente liberet, sicut & à lite ipsum subsequente?* ib.
Dubium X. *An Regula relata Jure novo derogatum sit?* ibid.
Quæstio I. *An per violentum intelligatur tantùm qui per vim Beneficium usurpat?* 82
Quæstio II. *An in Decreto* De Pacificis *Officium aliud significet quàm Beneficii genus, cui quoddam Officium annexum est, quodque ideò Officii nomine donatur?* ib.
Quæstio III. *An Decretum* De Pacificis *justum fuerit in eo quod de præteritis caverit, sicut de futuris?* ib.
Quæstio IV. *In quo differant jus noviter impetratum, & jus noviter repertum?* ibid.
Quæstio V. *An Jure Communi necessaria sit præcepta à Decreto* De Pacificis *impedimenti protestatio?* ibid.
Quæstio VI. *Quibus in casibus occurrat protestationis prædicta necessitas?* 83
Quæstio VII. *Quis illorum verborum sensus* juxtà Conc. VIENNENSE? *An præcipiant tantùm ut protestatio fiat, sicut in* Clement. citata *præcipitur ut fiat intimatio; vel an præcipiant eamdem in protestatione servari formam, quæ in intimatione servanda est?* ib.
Quæstio VIII. *An certum sit* CLEMENTINAM III. De Elect. *factam esse in* Conc. VIENNENSI? ibid.
Quæstio IX. *Quid Jus Commune requirat, ut lis mota dicatur?* ibid.
Quæstio X. *Quinam Jure Communi intrusi expressè dicantur?* 83
Quæstio XI. *An qui Jure Communi intrusi dicuntur, iidem Jure Decreti* De Pacificis *intrusi quoque sint?* ib.
Quæstio XII. *An Decretum* De Pacificis, *Episcopis præcipiens ut, si quem repererint sine justo titulo, destituant, ipsis tribuat facultatem triennalem Possessorem, qui, cum titulo injusto, sed colorato, per triennium possidet, destituendi?* 84
Quæstio XIII. *An circà Decretum* De Pacificis, *aliquid innovarit* Conc. TRIDENTINUM? ibid.

TITULUS IX.

De Resignatione Beneficiorum, *Ibid.*

Sectio I. *Generales circà Beneficiorum resignationem Regulæ; quibus nomina, causæ, effectus, ut & natura Resignationis, explicantur; eo ordine digestæ, ut quæ aliarum sunt velut principia præmittantur; quæ verò sunt velut consequentiæ, subjiciantur; atque ex* CORPORE JURIS CANONICI CONCILIOQUE TRIDENTINO *depromptæ?* ibid.
Sectio II. *Circà Cancellariæ Romanæ Regulas in Resignationibus adhiberi solitas Digressio expositoria,* 87
Pars I. *In quâ exponitur Regula* De Publicandis *Resignationibus,* ibid.
Pars II. *In qua Regula de Infirmis Resignantibus, sive de viginti explicatur,* 88
Pars III. *In quâ Regula de consensu in Resignationibus exponitur,* 89
Sectio III *Particulares circà Beneficiorum Resignationes Regulæ, quibus diversæ Resignationum species seorsim explicantur; quæque è Corpore Juris Canonici,* Conc. TRIDENT. *depromuntur.* 90
§. Unicus *De variis Resignationum divisionibus,* ibid.
Sectio IV. *De Resignatione simplici,* 90

§. I. *De Resignatione expressè factâ,* ibid.
§. II. *De simplici Resignatione tacitè factâ,* ibid.
Sectio V. *De Resignatione conditionatâ,* 92
Caput I. *De Resignatione tacitè conditionatâ,* ibid.
Caput II. *De Resignatione expressè conditionatâ,* 93
§. I. *De Resignatione cum expressa regressûs conditione,* ibid.
§ II. *De Resignatione eâ conditione factâ, ut in Resignationis supplicatione nominato Beneficium conferatur,* 94
Sectio VI. *Regula circà Beneficiorum permutationes è Corpore Juris Canonici deprompta,* 96
Sectio VII. *De Resignatione cum conditione pensionis,* 99
Sectio VIII. *De Novissimo Jure Communi circà pensiones,* 103
Sectio IX. *Jus Gallicum circà pensiones,* 104

TITULUS X.

Quibus modis amittantur Beneficia Ecclesiastica? 105

Sectio I. *Quamvis possit aliquis renunciare Electioni per se solum, sive juri ad rem; non tamen potest resignare Beneficia quæ possidet, sine consensu Episcopi seu Collatoris,* ibid.
Sectio II. *Renunciationem, sivè Resignationem Beneficii non probari, nisi per legitima documenta. Falsam renunciandi voluntatem non sufficere. Per Procuratorem fieri posse, ac semel factam nocere Beneficiario,* 106
Sectio III. *Resignationem puram & simplicem fieri posse in manibus Episcopi, non conditionalem, seu in favorem certæ personæ, aut cum reservatione certæ pensionis,* ibid.
Sectio IV. *Resignationem spontè fieri debere, eâque spontè factâ non esse audiendum qui renunciavit; coactam verò renunciationem nullius esse momenti,* 106
Sectio V. *Coactam Resignationem juramento firmatam in irritum revocandam, ac omnia indè percepta restituenda post relaxationem juramenti, prout opus est,* 107
Sectio VI. *Ecclesiastica Beneficia reposcentibus, objecta spontanea abjurationis, seu Renunciationis exceptio, sine causæ cognitione non est admittenda; & Actoris, quod spontè non renunciavit, non verò Rei, de spontaneâ Renunciatione probationes admitti debent,* ibid.
Sectio VII. *Qui resignare possint Beneficia Ecclesiastica; ac potissimùm de minoribus, Novitiis, ac infirmis,* 108
Sectio VIII. *Resignationes in favorem fieri debere in manibus Summi Pontificis; nec Beneficia vi talium Resignationum aliis concedi posse, quam iis in quorum gratiam sunt concessa: & quomodo Resignationes illæ publicari debeant aut valeant?* ibid.
Sectio IX. *Romanum Pontificem posse dare facultatem alii conferendi Beneficia vacantia; & quid observari tùm debeat?* 109
Sectio X. *Publicari debere Resignationes, & quomodo?* ib.
Sectio XI. *Beneficiorum Ecclesiasticorum permutationes propriâ Beneficiorum autoritate fieri non posse, sed solummodò autoritate Episcopi,* 110
Sectio XII. *Resignatione factâ Beneficii, causâ permutationis, non posse Beneficium alteri ab Episcopo concedi, quàm permutanti; alioqui restituendum,* ibid.
Sectio XIII *Non posse Beneficiarios, sine gravi causâ Ordine Judiciario probatâ, suis Beneficiis spoliari,* 111
Sectio XIV. *Beneficia quibusque Clericis injustè spoliatis, eorumque reditus, antè omnia restitui debere; modò Titulum saltem coloratum habeant, nisi sit absens, qui possidet, ac post agi posse in judicio,* ibid.
Sectio XV. *Propter quæ crimina Clerici suis Beneficiis per Sententiam debeant spoliari?* 112
Sectio XVI. *Clericos Inferiores Beneficio donatos, eo ipso Beneficia amittere, quo uxores ducunt,* 113
Sectio XVII. *Quid statutum sit, si litigantium aliquis cedat Beneficium, vel ipse decedat?* ibid.
Sectio XVIII. *Propter quæ crimina Beneficia Ecclesiastica ipso facto vacent?* ibid.

TITULUS XI.

De unione ac divisione Beneficiorum Ecclesiasticorum, 314

Sectio I. *Quid sit unio Beneficiorum? Quot modis fieri possit? Et qui sint effectus illarum unionum?* ibid.
Sectio II. *Propter quas causas de Jure Communi fieri possit Beneficiorum unio?* ibid.
Sectio III. *Solum Summum Pontificem unire posse Ecclesias Episcopales; & quomodo possit illis subvenire, si tenuis sint reditus?* 115
Sectio IV. *Episcopos posse unire Beneficia suæ Diœcesis, sive Secularia, sive Regularia; non verò quemlibet alium Romano Pontifici inferiorem, modò non sint exempta,* ibid.
Sectio V. *Debere potissimùm Episcopos unire Beneficia Præbendis, atque Ecclesiis Parochialibus, cùm tenuis sunt reditus, ac suis Seminariis ad illorum Fabricam ac sustentationem; & qualia Beneficia unire possint?* ibid.
Sectio VI. *Quid observari debeat, ut legitimè fiat unio Beneficiorum, tùm à Romano Pontifice, tùm ab Episcopo? Et quandonam revocari debeat, aut irrita sit?* 116
Sectio VII. *Per quamcumque unionem nullum cuiquam afferri debere aut posse detrimentum,* 116
Sectio VIII. *Cùm unita fuerunt Beneficia, quæ Romano Pontifici annatam solvebant, tenentur post unionem singulis quindecim annis Jura solvere,* 117
Sectio IX. *De Dissolutione unionis Beneficiorum, eorumque divisione, ac suppressione,* ibid.

TITULUS XII.

De bonis Ecclesiæ, seu de reditibus annexis Beneficiis Ecclesiasticis, *ibid.*

Sectio I. *Ecclesiam habere posse bona, quæ Clerici quicumque, seu divites seu pauperes, possint percipere,* ib.
Sectio II. *Qualia sint bona Ecclesiæ, & ad quid sint destinata?* 118
Sectio III. *Ad Ecclesiam pertinet proprietas bonorum, & redituum Beneficiis concessorum,* 119
Sectio IV. *Bona Ecclesiæ non posse ad alios usus converti, aut transferri, aut invadi à quoquam, sub pœna Excommunicationis,* ibid.
Sectio V. *Non licere Prælatis alienare res & bona Ecclesiæ; & credi testimonio Clericorum, qui asserunt se alienationi propositæ semper contradixisse,* 120
Sectio VI. *Quid nomine alienationis, quæ Clericis prohibita est, intelligatur?* 121
Sectio VII. *Quascumque res immobiles, sive magnas, sive parvas, & quæcumque Ecclesiæ jura, prohibitum est Beneficiariis alienare, sub pœnâ Excommunicationis & restitutionis,* ibid.
Sectio VIII. *Interdictum de non alienandis Ecclesiæ bonis, esse intelligendum; nisi necessarium fuerit vel utilius illa alienare, ita ut fiat cum causæ cognitione, & ex consensu eorum omnium ad quos bona ipsa pertinent; aliter factas alienationes esse irritas,* 122
Sectio IX *Malè alienata Ecclesiæ bona revocari debere, vel ab ipsis Prælatis, vel ab eorum Successoribus, ac sine difficultate restituenda,* 122
Sectio X. *Cùm Ecclesia læsa est in alienatione, etiam debito Juris Ordine factâ, nihilominùs aut restitui debere in integrum, aut damnum ejus resarciri,* 123
Sectio XI. *Solam Laicorum autoritatem, licet aliàs necessariam, non sufficere ad alienationem legitimam bonorum Ecclesiæ,* 124
Sectio XII. *Non licere Prælatis donare Ecclesias vel earum jura locis Religiosis, nisi de consensu sui Capituli,* ibid.
Sectio XIII. *Licere Ecclesiis vel inter se permutare Ecclesias suas, aut earum bona, etiam refusâ pecuniâ si possessiones sunt inæquales, vel cum Laicis certis conditionibus,* 125
Sectio XIV. *Non licere vendere aut pignori dare vasa*

Sacra

Sacra, aliamque Ecclesiæ supellectilem, nisi ex justâ & urgenti causâ, ibid.
Sectio XV. *Teneri Beneficiarios rectè administrare bona Ecclesiæ.* 126
Sectio XVI. *Beneficiarios teneri benè dispensare reditus Ecclesiasticos,* ibid.
Sectio XVII. *An, & quomodo Beneficiarii possint locare bona Ecclesiæ, aut in emphyteusim dare?* 127
Sectio XVIII. *Teneri Ecclesiam, seu Successorem in Beneficio, solvere id quod à Decessore factum est in utilitatem Ecclesiæ; secùs non teneri,* 128
Sectio XIX. *Ecclesiasticos disponere non posse de acquisitis nomine Ecclesiæ; secùs, de aliis: & quomodo hæc ab illis discernantur?* ibid.
Sectio XX. *Decedentis Beneficiarii bona non esse diripienda; sed cautè servanda,* ibid.
Sectio XXI. *Vacante Sede seu Ecclesiâ, vendi non posse illius bona, nec quidpiam in ea innovari,* 129
Sectio XXII. *Quomodo judicari possit ea, quæ donata sunt Prælatis, fuisse ipsi Ecclesiæ concessa, vel non?* 130
Sectio XXIII. *Obligatio hæredum Beneficiariorum. Quid agendum sit de patrimoniis, quæ procedunt certè ex reditu Parochiæ, aliùsve Beneficii?* ibid.

CONTINUATIO TITULI XII.

De bonis Ecclesiæ, in qua seorsim agitur & fusissimè disceptatur, de Decimis, Primitiis, & Oblationibus; tùm methodicâ Textuum & Juris Decisionum circà illas Collectione, tùm eorumdem expositione per Quæstiones & Regulas, 132

PARTIS PRIORIS

Sectio I. *Decimarum solutionem esse quodammodò Juris Divini; sive obligationem solvendi Decimas fundatam esse in Lege Divinâ,* ibid.
Sectio II. *Quibus de rebus debeantur Decimæ?* ibid.
Sectio III. *Decimas esse onera realia, quæ de fructibus ipsis terræ debentur,* 133
Sectio IV. *Decimas omnium fructuum solvendas esse, nullis deductis expensis, damnis, aut censibus,* ibid.
Sectio V. *Pro locorum tantùm consuetudine solvendas esse Decimas, easque strictò jure deberi Clericis, seu Ministris Ecclesiæ,* ibid.
Sectio VI. *Parochialibus Ecclesiis, sive earum Rectoribus, de Jure Communi solvendas esse Decimas personales, & prædiales iis Ecclesiis in quibus sita sunt prædia,* 134
Sectio VII. *Ministros Ecclesiæ summo Jure posse exigere Decimas,* ibid.
Sectio VIII. *Omnes, seu Laïcos seu Clericos, cujuscumque gradûs, ac Regulares teneri solvere Decimas de prædiis suis, non de hortis,* 135
Sectio IX. *Posse Decimas Jure speciali, vel ex Consuetudine, deberi alii Ecclesiæ quàm Parochiali, aut etiam Præscriptione, modò sit quadraginta annorum,* ibid.
Sectio X. *Neminem posse Decimas uni Ecclesiæ debitas ad aliam transferre,* 136
Sectio XI. *Quid sint novalia? Ex quibus eorum Decimæ debeantur?* 137
Sectio XII. *Circà Decimarum solutionem fieri posse compositionem inter personas Ecclesiasticas, modò pecunia non interveniat,* ibid.
Sectio XIII. *Ad solum Summum Pontificem pertinere dare privilegia, seu exemptionem de non solvendis Decimis,* 138
Sectio XIV. *Laïcis dari non posse jus percipiendi Decimas; neque eos posse illud detinere, aut præscribere,* 139
Sectio XV. *Ecclesiam tolerare ut Laïci Decimas retineant, quas constiterit eos habuisse in feudum antè prohibitionem Concilii* Lateran. *sub* Alexandro III. *anni* 1179. ibid.
Sectio XVI. *Non posse Ecclesias à Laïcis Decimas recipere, nisi eas quas Laici infeudatas habuerint, modò eas concedant Parochialibus Ecclesiis,* 140
Sectio XVII. *Quid nomine Oblationum intelligatur? Eas solis Ecclesiæ Ministris competere,* ibid.

DISPUTATIONIS DE DECIMIS,

PARS POSTERIOR,

Seu de Decimis Ecclesiasticis Regulæ ex Corpore Juris Canonici Concilioque Tridentino depromptæ, necnon Quæstiones ex iisdem fontibus solutæ, 141
Quæstio I. *Decimarum nomine quid intelligat Jus Canonicum?* ibid.
Quæstio II. *Qui Juris Canonici circà Decimas Textus antiquiores?* 142
Quæstio III. *Quot Decimarum genera distinguat Jus Canonicum? Quas res cuique generi subjici exprimat?* 143
Quæstio IV. *Quo Jure deberi Decimas Ecclesiasticas doceat Jus Canonicum?* 144
Quæstio V. *De expressis in Jure Decimas solvendi causis.* ibid.
Quæstio VI. *A quibus Decimas deberi doceat Jus Canonicum?* 145
Quæstio VII. *Quibus Decimas deberi tradat Jus Canonicum?* 147
Quæstio VIII. *De Decimas solvendi modò quid doceat Jus Canonicum,* 148
Quæstio IX. *Quos Decimas percipiendi capaces doceat Jus Canonicum?* 150
Quæstio X. *An ex Jure Canonico colligi queat, Decimas Ecclesiasticas ab initio Sæculares fuisse?* ibid.
Quæstio XI. *An juxtà Jus Canonicum circà Decimas Simonia cadere possit?* ibid.
Quæstio XII. *Quid de Decimis in feudum datis doceat Jus Canonicum?* ibid.
Quæstio XIII. *Qui ex Jure colligantur casus, quibus nomine Decimarum Novales non comprehenduntur?* 152
Quæstio XIV. *Quid doceat Jus Canonicum circà Judicem Causarum Decimalium?* ibid.
Quæstio XV. *In qua explicatur per Observationes Gallicum Jus circà Decimas,* 156

Dubia circà Decimas, 159

Dubium I. *An in Gallia omnis terra, quæ semel Decimalis fuit, semper sit Decimalis quamdiù est frugifera, etsi fructus quos fert non sint in se Decimales ex loci consuetudine; v. gr. ager frumentarius versus est in pratum, ubi consuetudo est ut ex fœno Decimæ non solvantur, quæritur an hujusmodi ager Decimis obnoxius semper futurus sit?* ibid.
Dubium II. *Suntne Decimæ, quæ annuo censu redimi nequeant, ut, non obstante antiquissimâ redimendi possessione, exigi possint in specie?* ibid.

TITULUS XIII.

De mala rerum Sacrarum administratione, earumque acquisitione, in quibus præcipuum vitium est Simonia; seu Confidentia, quæ incurritur tàm io Beneficiorum, quàm in aliarum Sacrarum Rerum Collatione, vel receptione, 159

PARS PRIMA.

Ubi colliguntur Juris Decisiones propriis ipsius verbis extractæ? *ibid.*
Sectio I. *Simoniæ crimen in genere in eo positum esse, quòd emantur aut vendantur res Ecclesiasticæ spirituales, sive quòd pro iis recompensatio aliqua accipiatur,* ibid.
Sectio II. *Simoniam esse crimen gravissimum, & quodammodò hæresim ac pestem,* 160
Sectio III. *Simoniæ crimen esse, pecuniam exigere pro Sacris quibuslibet, atque pro Ordinatione, & tàm dantem quàm recipientem esse Simoniacum,* 161.
Sectio IV. *Simoniæ crimen non solùm committi, cùm pecunia exigitur pro quibuslibet Sacris rebus, sed etiam cùm aut favor, aut præmium, aut quodcumque pretii locum tenet,* 162.

Sectio

Sectio. V. *Posse sine periculo Simonia recipi qua gratis offeruntur à fidelibus, dùm Sacraministrantur,* Ibid.
Sectio VI. *Qui habet jus perfectè acquisitum ad Beneficium, pecuniam dare potest ad redimendam vexationem,* ibid.
Sectio VII. *Nihil exigi debere pro Benedictione nubentium, exequiis ac sepulturâ mortuorum; pias tamen ac laudabiles Consuetudines debere observari;* 163.
Sectio VIII. *Multa esse, qua licèt propriè Simoniaca non fiat, Ministris Ecclesia vetita suas, propter aliquam Simonia speciem,* ibid.
Sectio IX. *Simoniam committi dando aliquid vel accipiendo pro Beneficiis Ecclesiasticis, vel pro investiturâ aut missione in possessionem,* 164.
Sectio X. *Simonia crimen non committi solùm cùm pecunia exigitur, vel accpitur pro Beneficiis Ecclesiasticis; sed cum quodcumque munus pretii locum tenet; & tamen exiguam munus concessum non inducere Simoniam si fiat sine pacto,* 165.
Sectio XI. *Quamcumque pactionem, seu promissionem rei temporalis, vel Spiritualis, etiam inducere Simoniam in Beneficiis Ecclesiasticis, ac esse planè irritas,* 166
Sectio XII. *Non valere excusationem in Beneficiis, aut aliis rebus Spiritualibus, quod pactio non fiat pro re Spirituali, sed tantùm pro re temporali, ei annexâ,* ibid.
Sectio XIII. *Vetitam esse venalitatem omnem in Beneficiis Ecclesiasticis, ac quibuscumque rebus Spiritualibus, tàm directè per se, quàm indirectè per alios, aliis ignorantibus,* 167
Sectio XIV. *Quæ pœna in Simoniacos fiat decreta Beneficia per Simoniam obtenta dimitti, ac omnia restitui debere, & Suspensionem ac Excommunicationem incurri?* ibid.
Sectio XV. *Quæ pœna decreta sint in eos qui Simoniacè sunt ordinati?* 169
Sectio XVI. *Etiam eos, quibus ignorantibus, per Simoniam Beneficia Ecclesiastica acquisierunt, teneri ad illa dimittenda, nisi id per fraudem factum fuerit & ipsis prohibentibus,* 170.
Sectio XVII. *Eos, qui per ignorantiam Beneficium Ecclesiasticum Simoniacè acquisierunt, à solo Romano Pontifice Dipensationem accipere posse illud retinendi, si Prælationem habeat, ab Episcopo verò si simplex sit, postquàm illud liberè resignaverit,* ibid.
Sectio XVIII. *Quibus modis agendum sit in foro externo Ecclesia, ubi Simoniæ crimen alicui objectum est?* 171
Sectio XIX. *Aliquos esse casus in quibus Simonia non committitur, licèt aliquid retineatur vel detur,* ibid.
Sectio XX. *Nullam pœnam Canonicam incurri pro solà mentali Simoniâ,* 172
Sectio XXI *Quid sit Confidentia? Quibus præcipuè modis committatur? Quæ sint illius signa? quæ pœna?* ibid.

TITULUS XIII.

PARS SECUNDA,

Ubi per Regulas ex Corpore Juris *Concilioque* TRIDENTINO desumptas, examinantur, necnon adduntur, quæ præmissis fontibus desunt, 174.
§. I. *Undè dicta, & quare ab Autore nomen habeat?* ibid.
§. II. *Quæ sint in Canonico Jure locationes, vel alia indicia, quibus habendus de Simonia horror significetur?* ibid.
§. III. *Quid sit Simonia?* 175.
§. IV. *Circà quas res versetur Simonia? Quæ ex his in Canone exprimantur?* ibid.
§. V. *Quomodo fieri possit, ut res, circà quam Simonia non versatur, fiat Simonia materia?* 176
§. VI. *Qui contractus probibeantur circà res Simonia obnoxias?* ibid.
§. VII. *Quibus modis committatur Simonia?* 177
§. VIII. *Quo Jure prohibeatur Simonia?* ibid.
§. IX. *An Juris conditor condito circà Simoniam Juri subdatur?* 178
§. X. *Quæ circà Simoniam Consuetudines generatim vel nominatim à Jure Canonico reprobentur?* 179
§. XI. *De Consuetudinibus circà Simoniam generatim vel nominatim approbatis à Jure Canonico,* ibid.
§. XII. *Casus qui Simoniaci videntur, & non sunt,* 180
§. XIII. *Quotuplex sit Simonia?* ibid.
§. XIV. *Quid cuique Simoniæ generi peculiare?* 181
§. XV. *Propter quas causas Simonia prohibeatur?* 182
§. XVI. *Quæ à Simonia excusat vel non?* 183.
§. XVII. *Qui Simoniæ effectus?* 184.
§. XVIII. *Quibus plectatur pœnis Simonia tàm Veteri quàm Novo Jure Canonico?* ibid.
§. XIX. *De Dispensatione circà Simoniam,* 185.
§. XX. *Qui errores circà Simoniam?* ibid.
§. XXI. *Quæ mutationes circà Simoniam?* ibid.
Eluciatur Dubium circà mutationes quæ Simoniæ effectus spectant, 187.
§. XXII. *De peccatis ad Simoniam quodammodo pertinentibus,* ibid.

TITULUS XIII.

PARS TERTIA.

Seu ad Tractatum de Simoniâ Appendix; sive Canonicæ Observationes circà præcipuam Simoniæ materiam ad Regulas vix redigendæ, 188
Appendicis Sectio I. *De Simonia circà Ordines,* ibid.
Appendicis Sectio II. *De Simonia circà Beneficia,* 191
Appendicis Sectio III. *Peculiares circà Confidentiam Observationes ad eamdem Simoniam Beneficiariam pertinentes,* 194
Appendicis Sectio IV. *De Simonia circà ingressum in Religionem,* 196

TITULUS XIV.

Quædam Singularia, quoad Beneficia Regularia, è Corpore Juris deprompta, Accedunt alia quædam non minùs utilia, congruentiori loco vix collocanda, 198
Sectio I. *Collectio illorum Singularium,* ibid.
Sectio II. *Quid Jus Canonicum doceat de modo, quo Beneficia Regularia Electiva, facta sunt Collativa?* 199
Sectio. III. *De Beneficiorum Regularium Antiquitate, Regulæ ex Corpore Juris Canonici deprompta,* 201
Sectio IV. *De Translatione Regularium cum facultate standi extra Monasteria, Regulæ ex Corpore Juris Concilioque* TRIDENTINO *deprompta,* ibid.
Sectio V. *De Monachorum, Monialiumve Translationibus ob alias causas, quàm illa, quæ mox examinata est, Regulæ è Corpore Juris Canonici Concilioque* TRIDENTINO *deprompta,* 202
Sectio VI. *Communia seu Miscellanea nonnulla circà Beneficia, quæ quomodo considerata,* 204
§. I. *Eos qui habent Abbatias in Commendam debere esse Sacerdotes intrà annum, nisi eum iis dispenset Romanus Pontifex,* ibid.
§. II. *Eos qui habent Beneficia Ecclesiastica teneri ad reparandas Ecclesias,* ibid.
Sectio VII. *Cognitionem Possessoris in Beneficiis pertinere ad Judices Sæculares, & quomodo impediri possit apprehensio possessionis?* ibid.
Sectio VIII. *Ad quid teneantur qui habent Beneficium, præter cætera jam exposita onera,* 205
Sectio. IX. *Teneri eos omnes, qui Beneficium quodcumque Ecclesiasticum habeat, recitare Divinum Officium, aliàs fructus restituere debere pro ratâ omissionis; & quomodo illa rata sit intelligenda?* ibid.
Sectio X. *Comparatio inter modum, quo tractantur Beneficia Ecclesiastica, & rationem qua res profanæ aguntur, & undè sic illa habeantur? Quæ illius utilitas sive fructus?* 206

FINIS.



EXPOSITIO JURIS CANONICI, IN SPECIE CONSIDERATI, PER REGULAS NATURALI ORDINE DIGESTAS, EX ILLIUS CORPORE, AUT ALIUNDE DESUMPTAS.



PARS TERTIA.

TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.

PRÆFATIO.



DE CONTRACTIBUS dicere sub finem Tractatûs *De Beneficiis*, & immediatè postquàm *de Bonis Ecclesiæ* actum est, non licitum tantùm, sed & primâ fronte opportunum videbatur: sive quia *Bona Ecclesiastica* sunt materia quàmplurimorum Contractuum; sive quia ibidem diximus de alienatione Bonorum Ecclesiasticorum, quæ plerorumque Contractuum scopus est. Vicit tamen fortior ratio, peculiarem de Contractibus Tractatum jubens, indè desumpta quia innumera sunt ad hoc argumentum spectantia, quæ non-nisi remotè ad Beneficia pertinent; imò & non aliter Bona Ecclesiastica attingunt, quàm quatenùs hæc cum bonis profanis quid habent commune. Accessit quod separatim edentes Tractatum pleniùs de Contractibus differere poterimus; cùm è contrà si Rei Beneficiariæ juncta fuisset hæc Tractatio, Digressionis instar, & quidem prolixioris, fuisset habita.

Incipiet hic Tractatus à principiis vulgò datis in Tractatu *De Jure & de Justitiâ*, sine quibus impossibile est explicare quæ spectant ad Contractus; nam justitia est fons omnis juris, & nullus est Contractus qui non transferat aliquod jus alicui, & illud transmittat à possessore ad acquisitorem. Facilè illud probaretur per exempla deprompta ex unaquaque specie Contractûs, etiam ex Innominatis, *Do ut des, facio ut facias, facio ut des, do ut facias*: sed res nimis paret quàm ut opus habeat probatione aliundè educta: hoc autem clarius videbitur explicatione Contractuum in particulari spectatorum.

In colligendis Textibus complectentibus hæc principia, referentur primò illi qui docent bona in quibus jus nobis est, esse mobilia vel Immobilia; alia consumuntur usu, alia post usum subsistunt; hæc vocabula, rectum, justum, bonum, esse sinonima: Verbum *Jus* derivari à voce *Justum*; Quinque esse juris species, proprietatem scilicet, possessionem, usumfructum, jus utendi, & simplicem usum: Omnia quæ possidet homo his in terris, intelligi hoc nomine, pecunia. 2o Enumerabuntur illi qui explicant ea quæ conveniunt proprietati, usuifructui, & usui. 3o. Et illi qui probant neque usumfructum, neque usum aut jus utendi posse constitui in rebus consumptibilibus usu, sed solùm in aliis. 4o. Qui tradunt principia generalia quæ oriuntur ex naturâ proprietatis. 5o. Textus significantes ea quæ sunt requisita ut quis censeatur possessor alicujus rei. 6o. Illi qui demonstrant in quo possessor bonæ fidei differat à possessore malæ fidei. 7o. Textus dicentes de commodis possessionis.

Quinque his Juris speciebus quod transfertur per Contractus ita explicatis, immoramur nonnullis præcipuis possessionis, juris aut facti, commodis, aut utriusque simul. Hæc sunt 1o. Ut possessor spoliatus restituatur antè omnia. 2o. Ut in genere litium de quibusdam bonis incipiatur per possessorium, quia faciliùs probatur, & cùm possessio faciat præsumere pro possessore, necesse est statim expendatur illud quod contra ipsam objicitur. 3o. Quod certum sit longam possessionem junctam quibusdam conditionibus facere titulum acquisitionis. Consequenter examinatur fusiùs privilegium possessorum spoliatorum; deinde agitur de cognitione possessorii antè petitorii notitiam, & de prohibitione procedendi ad utramque conjunctim, exceptâ lite Beneficiariâ.

Tandem tractatur de Præscriptione, circâ quam ostenditur 1o. Esse utilem, & quare. 2o. Suum tantùm sortiri effectum, cùm habet qualitates requisitas; & illæ explicantur. 3o. Mentio multa fit de privilegio quo hac de re Ecclesia potitur suprà Laicos, & de prærogativa Ecclesiæ Romanæ hac de causâ. 4o. Observatur impræscriptibilitas nonnullarum rerum, ac ratio hujusce privilegii. Refeŕuntur verò super omnia hæc Capita quidquid Jus de illis expressè docet: Multis verbis enumerantur conditiones requisitæ, quia includunt majorem partem eorum quæ pertinent ad præscriptionem. Adduntur Observationes in modum Regulatum, in quibus tota materia accuratè examinatur, sine onere referendi verba Juris; quippè satis esse creditur remittere ad loca suprà descripta.

His Principiis *De Jure & Justitiâ*, quæ sunt præludia Contractuum, quia explicant jura quæ isti transmittunt, addenda sunt nonnulla desumpta è materiâ Feudorum, quia necessaria sunt ad explicationem Contractuum, sivè pignoris, sive mutui.

Hæc principia sunt, Feuda concedi eâ lege ut Vassallus juramentum præstet, se servaturum fidelitatem quam debet suo Domino; se redditurum ipsi quædam officia obsequiaque præscripta à consuetudine aut infeodatione; In casu litium feudalium, ab illo ferendas esse antè Dominum; & Vasallum, nisi satisfaciat his oneribus, amissurum feudum; & quandiù Dominus pignoratitiè possidebit feudum, Vassallum immunem fore ab his oneribus. Hæc desumuntur ex *Cap.* 1. *De Feudis. Cap.* 5. *De Judic. Cap.* 6. 7. *De For. Compet. Cap.* 8 *De Usuris*. quorum verba referentur ubi de feudis mentio fiet, necnon sententiæ Interpretum circâ illa atque Auctorum qui tractaverunt de feudis. Quod spectat ad eorum utilitatem in materiâ Contractuum, hæc videbitur ac percipietur, cùm agetur de utriusque modi Contractibus suprà memoratis.

Transeundo ex his Principiis ad Contractus ad quorum intelligentiam collecta fuerunt, referemus primò Axiomata generalia que ad eos spectant; deindè agendo seorsim de unoquoque illorum de quibus dictum est in LIBRO III. DECRETALIUM, colligitur quidquid Jus dicit de illis, juxtà methodum suprà sæpiùs explicatam: Idem fit de aliis de quibus agitur in aliis earumdem Collectionum locis, quorum præcipui sunt Mutuum, Societas. Includitur in Contractu venditionis id quod legitur in EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS de Constitutione redituum; quia ista est venditio; in Contractu verò Mutui Cambium, quia est occasio usuræ, sicuti & mutuum.

Adjungitur Contractuum materiæ, materia injuriarum, læsionis, & damnorum proximo creatorum, sivè per Contractus aut quasi Contractus, sivè per crimina, & præsertim, furtum calumniam, homicidium: Consequenter loquimur de restitutione & de solutionibus, quibus viis satisfit obligationibus Contractuum, & reparatur damnum proximo illatum, & redditur ipsi quod suum est.

Potuisset dari alius ordo Contractibus, qui videtur primâ fronte convenientior, nempè collocando seriatim. 1o. Omnes Contractus merè gratuitos, ut sunt Precarium, Commodatum, Mutuum, Depositum, Donatio, Testamentum. 2o. Omnes Contractus onerosos, quales qui expressi non sunt in enumeratione præcedenti: & subdividendo posthæc istos, 1o. In Contractus qui transferunt dominium, ut emptio & venditio, commutatio, mutuum; & in Contractus qui transferunt solum usumfructum aut usum, ut locatio conductio, in firmam traditio, emphiteusis. 2o. In Contractus qui sunt ad solam utilitatem unius è contrahentibus, ut Depositum quod vergit in solum commodum Deponentis; Precarium, Commodatum, Mutuum, Donatio, Testamentum, quæ sunt in solam utilitatem recipientium; & in Con-

tractus

tractus qui vergunt in amborum contrahentium utilitatem, ut emptio & venditio, permutatio, locatio, societas. Sed sua sunt huic ordini incommoda: Nam videtur ex citatis exemplis, dari Contractus gratuitos qui transferunt solùm usumfructum aut usum, quales plerique præfati; & alios qui transferunt dominium, quales donatio, testamentum, necnon & mutuum. Præterea omnes Contractus gratuiti sunt ad commodum unius è contrahentibus, nempè aut recipientis, aut dantis; & omnes prædicti Contractus onerosi proficiunt utrique contrahenti; imò interdùm Contractus ex naturâ suâ gratuitus fit ex pacto onerosus, quale depositum mercede promissâ Depositario. Itaque membra Primæ Divisionis, sunt membra Secundæ, & nonnulla Secundæ sunt membra Primæ. Susceptus tamen labor in observandis his variis Divisionibus Contractuum non est inutilis; nam ex hoc facilè intelligi potest, Contractus, cùm possint diversimodè inspici, posse etiam vario ordine disponi, quod confirmat similes Observationes factas in Præfatione Generali Tomi Secundi.

Omissa est Divisio communis Contractuum, in Contractus bonæ fidei, quos benignè interpretari par est; & Contractus juris stricti, quos strictè interpretari necessè est. Ea autem videtur adversari *Regula* 57. quæ dicit indistinctè, *Conventiones Contractuum interpretandas esse in incommodum illius qui obscurè locutus est*; Quæ apparens contradictio conciliatur in Tractatu: Hic notasse sat erit, aliud dubium nasci ex hac Regulâ ac ex subsequenti, *beneficium Principis esse largissimè interpretandum*: Hinc enim certum est, Promissa esse exemplum frequentiùs allegatum inter Juris stricti Contractûs, aut interpretationis rigorosæ; illinc verò, constat Promissa Principum in optimam partem esse seu latissimè accipienda: sed dicere fas est, quemadmodùm secernuntur promissiones Principum ab aliis, hæc sententia est exceptio Regulam confirmans: Distinguuntur autem promissa Principum, à promissis privatorum, ex eo quòd, sicut debent esse generosiores aliis, eorum Promissiones debeant favorabiliùs accipi quàm quæ sunt aliorum; quod intelligendum de promissis, quæ ipsis solùm præjudicant. Verùm hæc singula fusiori explicatione, quæ Præfationis limites egreditur, indigent.

Non agitur hic de quasi-Contractibus, quorum possunt inspici sex species in *Institutione ad Jus Gallicum* LIB. III. *Cap.* 36. Jus Canonicum nihil de illis hoc sub nomine exprimit: & quæ possunt ad eos applicari, ingrediuntur in Contractus Mandati, Societatis, aut in Testamenta, aut in Judicia; & hac de causa creditum est satis esse observare id omne quod producit obligationem, posse appellari quasi Contractum, cùm ex expressâ conventione non factum est.

Relatis juxtà methodum ordinariam iis omnibus quæ Jus expressè dicit de Contractibus, & quidquid ab illos pertinet, adduntur Observationes necessariæ, tùm ad supplenda quæ illis desunt, tùm ad elucidandum id quod est obscurum, aut videtur contrarium; tandem ad meliorem in ordinem redigenda ea quæ non erunt suo loco posita.

Cæterùm visum est inutile monere, non collocatum esse Matrimonium inter Contractus de quibus mox dictum est, quamvis sit præcipuus necnon & antiquior ex Contractibus; nemo enim Catholicus nescit quod ex Legis Novæ institutione, Sacramentum est; cùm verò Sacramentum sit nobilius Contractu, & debeat ad se attrahere Contractum, debuit matrimonium in Tractatu de Sacramentis explicari. Hæc ratio tàm evidens est ut nullus possit eam ignorare.

Non idem est de illâ quæ facit ut junganturi Contractibus Titulus de Restitutione in integrum, nec non & Titulus de Arbitris; ista siquidem minùs nota est, sed consistit in eo quod Restitutio in integrum sit remedium contrà violentiam, fraudem, & læsionem, quæ interveniunt sæpè in Contractibus; & per Arbitria finiantur frequenter Contestationes quæ ex Contractibus oriuntur.

Loquentes de Restitutione in integrum, referemus ea quæ Jus expressè dicit, 1o. De Personis quæ potiuntur hoc Juris beneficio: Hæ sunt, Minores, Ecclesiæ, Monasteria, & omne aliud Corpus; & de actibus contra quos peti potest, & ad pluralitatem vocum; hi sunt in quibus noranter læsæ fuerunt, sivè quia illos omiserunt, sivè quia illos non rectè fecerunt. 2o. De illis à quibus postulanda est; hi sunt Judices Ordinarii habentes administrationem. 3o. De discrimine quod datur petitionem principalem inter & incidentem, posito in eo quod contestatio in ista non sit necessaria, sit verò in alterâ. 4o. De tempore ad illam postulandam concesso, quod est quadriennium Jure Communi, & decennium Jure Gallicano. 5o. De casibus in quibus possumus contra lapsum hujus temporis restitui. 6o. De effectu, qui est suspendere executionem Contractûs aut Judicii, nisi in casu præsumptionis fraudis in quo actus suspensus executioni mandatur, datâ cautione restituendi quod perceptum erit, posito quod restitutio concedatur, utpotè justa existimata.

Idem fit circà Arbitros, & omnia reducuntur 1o. Ad eos qui possunt esse tales, ut Judices & omnes alii qui possunt esse Judices; aut non possunt, ut Laici in materia spirituali, Mulieres præter eas quæ in dignitate constitutæ sint. 2o. Ad potestates Arbitrorum, quæ non sunt aliæ quàm quæ illis per compromissum committuntur. 3o. Ad formam compromissi, quæ pendet à voluntate Partium. 4o. Ad numerum, qui debet esse impar. 5o. Ad eorum obligationes, quæ sunt ut se conforment compromisso, & judicent secundùm leges, & secundùm acta & probata, & sequantur majorem numerum suffragiorum. 6o. Ad materiam subjectam compromisso, vel non. 7o. Ad remedium contrà Arbitrorum Sententiam cùm est injusta; hoc est apellatio, in quâ debet infirmari, si Juri adversetur.

Hoc ergò in Tractatu non pauca habes diversi generis insimul coadunata, sibique cohærentia; quorum

quorum alia ad principia Juris ſpectant, exponuntque Titulum de Jure & Juſtitia, ex Jure Civili deſumptum, & à Jure Canonico ſuppoſitum; in hoc autem Titulo Jus ſumitur pro eo quod ad aliquem pertinet, & vocare licet Jus Partium, ſeu litigatoris, ut videbitur dum de Sententiis, maximè differens ab illo quod dicitur Jus Conſtitutionis, quod nihil aliud eſt quàm Lex: ſed in illo præſertim, quòd illud regatur, & iſtud regat. Jus autem Partium contingit quidquid dictum eſt de quinque Juris ſpeciebus in diviſione rerum fundatis: Alia ad Judicia pertinent, qualia quæ dicta ſunt de Reſtitutione ſpoliatorum, necnon quæ de petitorio & poſſeſſorio, de quibus Titulo *De cauſa proprietatis & poſſeſſionis.* Alia ad Regulas Generales & Particulares circà Contractus, quas ſequuntur ſingulæ iſtorum Diviſiones: Alia injurias & damna attingunt, illorumque ac cujuſvis læſionis reſtaurationem; Alia ad rerum malè acceptarum reſtitutionem, ubi de furtis ac quibuſcumque ad illa pertinentibus; Alia ad reſtitutionem in integrum, quæ locum habet tùm in Judiciis, tùm in Contractibus; Alia concernunt Arbitria, quorum ſcopus ac fructus, ut plurimùm, eſt Tranſactionis Contractus, quæque cum Judiciis multa communia habent.



TRACTATUS

TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.

PRÆLUDIUM
In quo agitur
DE JUSTITIA ET JURE,
SIVE
TITULUS I.

Quibus modis Jus habeatur in bonis temporalibus circa quæ Contractus versantur.

SECTIO I.

Bonorum alia sunt mobilia, ut pecunia; alia immobilia. Juris varia significatio, necnon & Justitia, quæ hîc idem ferè, quod Jus Contractus dirigens, vel per illos in alios translatum, vel possessori confirmatum.

1. BOna mobilia sunt quæ consumuntur usu. *De Pignorib.* Cap. *Cum constit.* §. 1. Lib. II Decr. *Tit.* 21. *Cap.* 8. *finali.*

II. Res immobiles, quæ usu non consumuntur. *Ibid. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 11. Cap. 8.

III. Pecunia habetur inter bona, quæ consumuntur usu. *Ibid.*

IV. Annui reditus inter immobilia censentur à Jure. *Clementinâ I. Exivi. §.9. post med. De Verb. sign.* Lib. V. Clement. *Tit.* 11. *Cap.* 1.

V. Jus dictum est a juste possidendo; hoc enim jure possidetur, quod justè: hoc justè, quod benè. *De Verb. signif.* Lib. V. Decr. *Tit.* 40. *Cap.* 13.

Definitur hic Jus, non prout est generale nomen; sed prout applicatur ad certam rem; juxta quod dicitur, habeo jus in tali re. *Glossa*, verbo, *Jus dictum.*

VI. Hoc certè alienum non est quod Jure possidetur; hoc autem Jure, quod justè: & hoc justè, quod benè. Caus. X.V. Quæst. IV. *Cap* 13. *Quid dicam. fin.* S. Aug. *Epist. ad* Macedonium, *aliàs* 54. *fortè an.* 414.

VII. Res quæque terrena rectè à quoquam possideri non potest, nisi vel Jure Divino, quo cuncta justorum sunt; vel Jure Humano quod in potestate est Regum terræ. Caus. XXXIII. Quæst. VII. *Cap* 1. *Quicumque post init.* S. August. *Epist. ad* Vincentium, *aliàs* 48. *sive ann.* 408.

VIII. Unde quisque possidet quod possidet? Nonne Jure Humano? Nam de Jure Divino *Domini est terra & plenitudo ejus.* Pauperes & divites Deus de uno limo fecit, & pauperes & divites una terra supportat; Jure tamen Humano dicitur, hæc villa mea est; hæc domus mea; hic servus meus est. Tolle jura Imperatorum, & quis audet dicere, meus est ille servus; aut domus hæc mea est: vel teneantur ista ab hominibus: Regum Jura fecerunt: per Jura Regum possidentur possessiones. Dist. VIII. *Cap.* 1. *Quo Jure.* S. August. *Tract.* 6. *ad* Cap. 6. Joan. *n.* 25. *circ. ann.* 412.

IX. Quod non est, nequaquàm haberi potest. Extravag. Joan. XXII. *Ad Conditorem.* §. 2. *med. De Verb. Signif. Tit* 14. Cap. 3.

X. In rebus temporalibus est considerare præcipuum, proprietatem, possessionem, usumfructum, jus utendi, & simplicem facti usum. *In* 6 *De Verb. Signif.* Cap. *Exiit.* §. 8. *Nec quicquam. post init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 12. Cap. 3.

XI. Totum quicquid homines possident in terrâ, omnia quorum Domini sunt, pecunia vocatur; servus sit, vas, ager, arbor, pecus; quicquam horum est, pecunia dicitur: ideò pecunia vocata est, quia Antiqui totum quod habebant, in pecoribus habebant. Caus. I. Quæst. III. *Cap.* 6. *Totum.* Tribuitur S. August. *De Disciplina Christiana*, seu *de dono Disciplinæ.*

Collectæ Decisiones Juris, ac quæ in sequentibus colligentur, applicabuntur Contractibus, *in fine hujus Tit.* 1. ubi etiam ostendetur, benè multas illarum non parùm conferre ad explicationem paupertatis Religiosæ sive Monasticæ.

SECTIO II.

De proprietate, usufructu, & usu bonorum, per Contractus transmissis, quid sint?

I Redemptor Noster, ejusque Apostoli aliqua habuerunt quoad proprietatem; cùm iis jus ipsis utendi competierit, & illa vendendi seu donandi jus habuerint, aut ex ipsis alia acquirendi: quæ ipsos de præmissis fecisse Scriptura Sacra testatur, seu ipsos potuisse

facere supponit expressè. *Extravag.* JOAN. XXII. *Cum iater* §. 1. *De Verb. Signif. Tit.* 14. Cap. 4.

Ita colligitur ex *Extravag.* sequenti. *Quia quorumd.* §. *Rursus. p.* 169. *De Verb. signif. Tit.* 14. *Cap.* 5.

II. Dominium simplex censeri debet, cùm ex illo nullum alicui temporale hactenùs obvenit commodum, nec speratur quod obvenire debeat in futurum. *Extravag.* JOAN. XXII. *Ad conditorem.* §. 1. *Quamquam. post init. De Verb. signif. Tit.* 14. *Cap.* 3.

Proprietas jus utendi, vendendi, donandi, mutandi.

III. Proprietas reputatur inutilis, à qua perpetuò abscedit usufructus, seu usus constitutus rebus, ex quibus usufructuario seu usuario nulla possit utilitas provenire *Ibid.*

IV. Usufructus nihil est aliud, quàm jus utendi rebus alienis, salvâ rei substantiâ; id est, jus percipiendi fructus, & utilitatem aliam, in totum, suo nomine, qui possunt ex re, in quâ ususfructus constituitur, provenire. *Ibid.*

V. Usus nihil est aliud, quàm jus tantùm utendi rebus alienis, salvâ rei substantiâ, id est, jus percipiendi fructus, & utilitatem aliam, pro parte, suo nomine, qui possunt ex re, io quâ usus constituitur, provenire. *Ibid.*

VI. Uti re aliquâ, nihil aliud est propriè, quàm fructus rei, sivè utilitatem aliam, in solidum vel pro parte, recipere, qui ex ea possunt, salvâ rei substantiâ, provenire. *Ibid.*

VII. Quia simplicem usuarium dicere poterit, cui rem usuariam licet permutare, vendere, ac donare? Procul dubio nec naturæ repugnare noscuntur, nec ad usuarium pertinere. *Extravag.* JOANN. XXII. *Ad Conditorem.* § 1. *Quamquam, post init. De Verb. signif. Tit.* 14. Cap. 3.

SECTIO III.

Usumfructum in re constitui posse; à proprietate separari: Usum autem esse multiplicem, eumque non posse in rebus, quæ usu consumuntur, sicut nec usumfructum, constitui.

I. Ususfructus, prout est in re constitutus, servitus dicitur personalis, & pro eo reales competunt actiones. *Extravag.* JOANN. XXII. *Ad Conditorem.* §. 1. *Quamquam. med.*

Ususfructus servitus personalis.

II. Aliquis quoad usumfructum succedit in bonis, quorum proprietas ad alium dignoscitur pertinere. *De Pignorib.* Cap. *Cùm constet. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 21. Cap. 8.

Ususfructus à proprietate separationem recipit.

III. Is ad cautionem idoneam exhibendam, quòd utatur & fruatur salvâ rerum substantiâ rebus immobilibus, ad arbitrium boni viri compelli potest. *Ibid.*

IV. Lex dicit, non posse usumfructum à dominio perpetuò separari; ne dominium Dominis, semper abscedente usu, inutile redderetur. *Ibid.*

V. Est usus, qui est servitus personalis; est jus utendi, quod non est servitus, sed merè jus personale; est actus ipse utendi sine jure aliquo. *Ibid.* §. 1. *fin.*

Usus tribus modis sumi potest.

VI. Usus, qui etiam personalis est servitus, est jus percipiendi fructus; & ad hoc quod in re aliquâ constitui valeat, requiritur, quod ex re illâ possit fructus vel utilitas, salvâ ipsius rei substantiâ, ad usuarium pervenire. *Ibid.*

VII. Jus utendi, quod nec est jus in re, nec servitus personalis, sed merè jus personale, pro quo reales actiones non competunt, exigit, quod ex re ipsâ, quæ ad utendum conceditur, tali modo ad usuarium pervenire potest utilitas aliqua, ac cum usu permanere usuarii, substantiâ salvâ rei. *Ibid.*

VIII. Simplex usus, qui nec est servitus, nec pro illo competit jus utendi, exigit quod ex re ipsa, salvâ rei substantiâ, possit utendi ex re ipsa utilitas aliqua provenire; etenim re illa uti quis nequit, ex quâ, ejus salvâ substantiâ, nulla sibi provenire potest utilitas. *Ibid.*

IX. Simplex usus non juris, sed facti tantummodo nomen habens, quod facti est tantùm in utendo, præbet utentibus nihil juris. *In* 6. *De Verb. signif.* Cap. *Exiit.* §. 7. *Nec quicquam. med.* LIB. V. *Tit.* 12. Cap. 3.

X. Ad hoc quod ususfructus vel usus in re aliqua constitui valeat, requiritur, quod ex re illa possint fructus vel utilitas, salvâ ipsius rei substantiâ, ad usufructuarium vel usuarium pervenire. *Extravag.* JOANN. XXII. *Ad Conditorem.* §. 1. *Quamquam. post med. De Verb. signif. Tit.* 14. Cap. 3.

XI. Quod si nulla ad ipsos posset ex re ipsâ utilitas, salvâ rei substantiâ, provenire, quales res constat esse usu consumptibiles; nequaquam posset in rebus ipsis cuiquam ususfructus vel usus constitui, vel à quoquam haberi. *Ibid.*

XII. Nec usus, qui est servitus personalis; nec jus utendi, quod non est servitus, sed merè jus personale; nec actus ipse utendi sine jure aliquo, possunt in rebus usu consumptibilibus constitui, vel haberi, cùm quodlibet præmissorum exigat, quod ex re ipsâ, salvâ rei substantiâ, possit habenti jus utendi seu utenti ex re ipsâ utilitas aliqua provenire; quod utique in rebus nequit usu consumptibilibus reperiri. *Ibid. Extravag.* JOANN. XXII. *Ad Conditorem.* §. 1. *Quamquam. fin. Tit.* 14. *De Verb. Signif.* Cap. 3.

XIII. Dicere, quod in rebus, quæ usu consumuntur, usus juris vel facti, separatus à proprietate rei seu dominio, possit constitui, repugnat juri, & obviat rationi.

SECTIO IV.

Principia quædam generalia, quæ consequuntur ex naturâ proprietatis.

I. Juxtà Legum Sanctiones, quod meum est, ex alia causa meum fieri non potest, nisi desierit esse meum. *De fide instrum.* Cap. *Inter dilectos.* §. 7. *Cæterum. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 6.

II. Proprietarius potest jure suo possessionem intrare, ac tenentes de facto ejicere. *De Appell.* Cap. *Bonæ memoriæ. med. in int.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. C. 51.

III. Per instrumenta locationis nec est utique probata proprietas, nec ad plenum possessio; cùm ad probationem rei propriæ, sive ad defensionem, non sufficiat facta locatio. *Ibid.* §. 8. LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 6.

IV. Fortius potest nullo inibi existente, nec ullatenùs resistente sibi jus proprium reservare. *Ibid. in int.*

V. Regulariter nullus plus juris in alium transferre potest, quàm eum constet habere. *De Donationibus inter virum & uxorem.* Cap. *Nuper.* §. 1. *med.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 20. Cap. 6.

VI. Divinæ Leges habent & Sæculares, ut cujus est possessio, (hoc est res possessa) ejus fiat institutio, (hoc est ordinatio. *Glossa.*) CAUS. XVI QUÆST. II. Cap. 1. *Visis. med. juncta Glossa.* Leges præcipiunt quemque de re sua disponere & ordinare ut voluerit.

VII. Quomodo possessoris jura cognoscentur, & suarum rerum sibi tributa reddentur, ubi quod suum est per alterum datur, & cùm voluerit, aufertur? *Ibid.*

VIII. Sicut etiam Sæculi Leges sanxerunt, non potest possessio alienari nisi à proprio Domino. DIST. LIV. *Cap.* 22. *Abbati. fin. In Synodo* VIII. *ann.* 869. & 870.

IX. Verus Dominus, ad quem ab alio res sua possessa revertitur, etiam post tempora longiora, retentionis debet commodum obtinere. *De Ordine Cognitionum.* Cap. *Cùm Dilectus.* §. 1. *med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 10. Cap. 2.

X. Quæ ab initio de jure sortiri effectum non possunt, tractu temporis non convalescunt. CAUS. XVI. QUÆST. III. *Cap.* 15. §. 6. *fin.* ex LIB. L. *Digest. De Regulis Juris.* Leg. *Quod ab initio.*

XI. Apud aliquem possessio animi dignoscitur remansisse, quæ non perditur, nisi se putet repelli; vel nisi veniens non fuerit admissus. *De Appellat.* Cap. *Bonæ memoriæ. med. in int.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. C. 51.

XI.

XII. Cuilibet licet renunciare juri, quod pro se noscitur introductum. *De Elect.* Cap. *Cùm nobis. med. in init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 19.

XIII. Quis utendo jure suo aliis injuriam facere non videtur. *Ibid. in integra.*

Juris executio nullam habere injuriam dignoscitur. *Ibid.*

XIV. Omnis Dominus, quod habet, si vult, vendit, sive servum, sive aliquod aliud eorum quæ possidet. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 21. *Eos qui. Ex Epist.* TARASII *Episcopi* CONSTANTINOPOL. HADRIANO *Papæ ann.* 797. TOM. VII. CONC. *p.* 630. *fin. Act.* 8. *Concil.* NICÆN. II.

XV. Ratio & usus obtinet, neminem, cui non vult, contrà utilitatem & rationem, cogi de proprio facere beneficium. CAUS. X. QUÆST. II. *Cap.* 4. *Precatiæ. §.* 1. *fin. Ex Conc.* MELDENS. *an.* 845. Cap. 22.

Juris executio nullam habere injuriam dignoscitur. *De Appell.* Cap. *Bonæ memoriæ. in int. med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 51.

SECTIO V.

Quis censeatur rei possessor?

I. Duo insimul eandem rem & eodem modo in solidum possidere non possunt. *De Probationib.* Cap. *Licet. §.* 2. *med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 9.

II. Cùm possessio domûs sub conditione tradita fuit alicui, non extante conditione, traditio non tenet. *De Restitut. Spoliat.* Cap. *Olim. med. in int.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 15.

III. Is possidere dicitur, cujus nomine possidetur. *De Præscript.* Cap. *Si diligenti.* §. 2. *med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 26. Cap. 17.

IV. Constat Ecclesiam semper in quasi (*a*) possessione fuisse juris exigendi juramentum; cùm pro eâ ministerio alicujus & Antecessorum ipsius exactum fuit & præstitum juramentum. *Ibid.*

Hoc (*a*) ideò dicit, quia incorporalia non possidentur, sed quasi possidentur.

V. Sicut cautum est, is possidet, cujus nomine possidetur. *De Restitut. spoliat.* Cap. *Cùm venisset fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 9.

Possessio non est nisi unius, si absoluta sit; secùs de conditionata, qualis quæ alieno nomine.

VI. Quod si donationibus modicum terræ consuevit quis in manu accipere, quod manu Prælati Ecclesiæ sustinetur; hujusmodi signum traditæ possessionis est evidens argumentum. *De Consuetudine.* Cap. *Ex Literis.* LIB. I. DECR. *Tit.* 4. Cap. 2. Vide GONZALEM. *Ibidem.*

VII. Missus in rei petitæ possessionem, Reo non veniente, & cautionem offerre negligente, post annum verus constituetur possessor, super proprietate duntaxat Adversæ Parti defensione legitimâ reservatâ. *Ut lite non contestatâ.* Cap. *Quoniam. §.* 8. *In aliis.* LIB. II. DECR. *Tit.* 6. Cap. 5. Hic Textus non servatur, saltem in Galliâ.

VIII. Cùm per testes fuisset sufficienter ostensum quod in trium Episcoporum electionibus Clerici Conventualium Ecclesiarum Civitatis præsentes adfuerint, & vocem habuerint eligendi; quasi possessionem ante controversiam motam habuerunt. *De causa possess.* Cap. *Cùm Ecclesia. §.* 2. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 12. Cap. 3.

Ex hoc videtur, quòd si aliquis ter utitur aliquo jure, per hoc est in quasi possessione illius. *Gloss.* verbo, *In trium.* Cui si accedat tempus ad præscriptionem requisitum, fit possessio, quæ acquirit proprietatem, cùm quasi possessio acquirat tantùm fructus.

IX. Duo in solidum quicquam possidere non possunt. *De Appell.* Cap. *Bonæ memoriæ. in int. post init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 51. GONZAL. *in* Cap. 9. *De Probat. n.* 17. hoc fusè tractat, rationes afferens pro & contrà; quæ discussio cùm ad praxim nihil conferat, non est hujus loci.

X. Si constiterit Canonicos indulgentiam quam habent de certo Canonicorum numero, non servasse, & aliquem ultrà constitutum numerum in Canonicum autoritate propriâ se recepisse; quasi possessio acquiritur Superiori, ut alium de Præbendâ & Canonicâ investiat. *De Præb.* Cap. *Pro illorum. §.* 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 5. *Cap.* 22. Hac renunciatione redit jus Superioris concesso Indulto suspensum.

XI. Pro possessore habetur, (*b*) qui dolo desiit possidere. *In* 6. *De Reg. Juris.* REG. XXXVI. LIB. V. *Tit. ult.*

(*b*) Quoad sui damnum. *Glossa*, verbo, *Habetur.* Jus fingit eum possidere qui non possidet in veritate. Qui dolo desiit possidere, potest conveniri ac si possideret. *Glossa.* Vero possessori cavetur, non ei qui dolo desiit. *Glossa*, verbo, *Habetur fictione juris.* Et ideò non possidet; nam tunc demùm dicitur quis possidere, cùm conditio extat. *Glossa*, verbo, *Traditam.* CANISIUS *in hanc* REG. XXXVI. *In* 6. Multos illius usus affert, quos fundat in eo, quòd fraus nemini patrocinari debeat.

XII. Quid si semel elegit in quatuor annis, quia Episcopus ille tanto tempore vixit? Dico quod per hoc est in quasi possessione illius juris. *Arg. De constit.* Cap. *Cùm accessissent. & de Præb.* Cap. *Pro illorum. Glossa ibid.* verbo, *In trium Episc.* Longa vita possessoris nil ad rem facit.

XIII. Si post Statutum, ne ulteriùs in Ecclesiâ Primiceriatus esset, Officio Canonici contravenerint, aliquem videlicet in Primicerium eligendo; quasi possessio acquiritur Superiori, ut ad ipsum Primiceriatûs donatio devolvi possit. *De Constitutionib.* Cap. *Cùm accessissent. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 2. Cap. 8.

Hæc locutio *Quasi possessio* significat nedum possessionem rei spiritualis, quæ cùm vera possessio dici nequeat, quasi possessio vocatur, sed etiam possessionem inchoatam; sic accipitur in Textibus explicatis à GONZALE. *Cap.* 24. *De Elect.*

XIV. In rebus incorporalibus possessio acquiritur per tres actus, imò per unum, si intra longum tempus fiat.

XV. Nullum juri vestro fuit præjudicium irrogatum, ex eo quòd aliquis justitiæ vestræ non inscius, vobis ignorantibus, possessionem domûs vestræ accepit. *De Restit. spoliat.* Cap. *Olim. §.* 2. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 12. Non possidet qui Domino ignorante, rei illius possessionem accipit.

SECTIO VI.

Quis sit bonæ vel malæ fidei possessor? Et quis malus possessor?

I. In jure prædiorum tamdiù quisque bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quamdiù possidere ignorat alienum. CAUS. XXXIV. QUÆST. I & II. *Cap.* 5. *Si virgo. med.* S. AUGUST. LIB. *De fide & operib. Cap.* 7. anno circ. 413.

II. Cùm verò sciierit, nec ab alienâ possessione recesserit, tunc malæ fidei possessor perhibebitur, tunc justè injustus vocabitur. *Ibid. fin.*

III. Nisi quis resipuerit, postquàm se noverit aliena possidere, bonæ fidei possessor dici non potest. *De Præscriptionib.* Cap. *Vigilanti. post init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 26. Cap. 5.

IV. Malè possidet, qui aliena præsumit, id est, invadit. *Gloss. De Verb. signif.* Cap. *Jas. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 40. Cap. 12.

V. Minùs justè possidet, qui sine titulo aliquâ temeritate propria occupat. *De Probat.* Cap. *Licet. §.* 5. *Cùm ergo. init.* LIB. II. DECRET. *Tit.* 19. Cap. 9.

VI. Qui sua temeritate possessionem, præter conscientiam eorum ad quos ipsam possessionem novit pertinere, ingreditur; illam non acquirit. *De Restit. spoliat.* Cap. *Olim. §.* 2. *med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 12.

VII. Possidens aliquid contra Juris dispositionem, præsumitur malæ fidei possessor. *Glossa ad* Cap. 2. *De Restitut. spoliat. In* 6. LIB. II. *Tit.* 5. *Cap.* 2. Hinc incumbit probare quòd justè possideat.

VIII. Qui contrà Jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere. *In 6. De Reg. Juris.* REG. LXXXII Si quis possideat contra Jus, præsumitur malæ fidei possessor. *Glossa.*

IX. Non habet qnid objiciat extraneo detentori qui suâ autoritate possessionem intraverit. *De Appellat.* Cap. *Bonæ mem. in iat. med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 52.

X. Si qui de possessione, de quâ controversia vertitur, commutationem fecerint, eos, qui in possessione se ingesserint, coget Judex sub suo examine juris æquitati parere. *De alienatione Judicii &c.* Cap. *Ex quorumdam.* §. 1. *fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 42. Cap. 1.

XI. Etiam in Jure Canonico, cavetur quòd res in litigio posita, non fit in personam aliam transferenda. *De Constit.* Cap. *Ecclesia. med. ia int.* LIB. I. DECR. *Tit.* 2. Cap. 10. Sed translatio valet, si fiat ab eo qui judicio verus Dominus declaratur.

XII. Possessio animi dignoscitur remansisse, quæ non perditur nisi quis se putet repelli, vel nisi veniens non fuerit admissus. *De Appell.* Cap. *Bonæ mem. in int. med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 51.

XIII. Detentio clandestina debet dici, cùm alius possessionem ipsam non perdidit. *Ibid.*

XIV. Injuriam alii faciens non potest jus aliquod acquirere. *Ibid.*

Cùm clandestina est alicujus possessio, non potest verè possessor haberi. *Ibid.* Super possessione nequit injuria fieri clandestino possessori. *Ibid.* Cujus ratio esse videtur, qnia nullum jus in re habet.

SECTIO VII.

Quæ sint commoda possessionis?

I. In pari causâ, potior est conditio possidentis. *In 6. De Reg. Juris.* REG. LXV. LIB. V. *Tit. ult.* REG. LXV.

II. Possessio causâ custodiæ, ratione absentiæ Partia Adversæ. LIB. V. DECR. *Tit.* 40. Cap. 28. Fit vera possessio post certum tempus elapsum. *Ibid.*

III. Divino & Humano Jure melior est conditio possidentis. *De Præscr.* Cap. *Ad aures.* §. 1. LIB II. DECR. *Tit.* 26. Cap. 6. *in int.*

IV. Cùm ambarum Partium testes sunt æquè idonei, possessoris testes præferuntur. *De Probat.* Cap. *Ex Litteris.* §. 2. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 3.

V. Ex solâ possessione cum bonâ fide acquiritur jus. *Glossa* ad Cap. *De Consultationib. De Jure Patron.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. Cap. 19.

VI. Licet quis possideat primâ facie contra jus veri Domini, tamen non potest ab ipso possessorio evelli, illo non vocatn. *Glossa ad* Cap. *Licet De Præbendis. In 6.* LIB. III. *Tit.* 4. Cap. 28.

VII. Cùm constat qund aliquis in quasi possessione existit, silentium alteri Parti imponitur, salvâ quæstione super jure. *De Elect.* Cap. *Querelam.* §. 2. *med.* LIB. I DECR. *Tit.* 6 Cap. 24.

VIII. Dominium rei apud possessorem, sicut hactenùs possessum est, permaneat, dùm quæstio discutitur. CAUS. XVI. QUÆST. IV. *Cap.* 2. *Volumus. init.*

IX. Judicandum est aliquem esse in plenâ possessione tuendum, donec probatum legitimè fuerit ex adverso, eum nihil juris habere. *De Institution.* Cap. *Cùm venissent.* §. 2. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 7. Cap. 6.

X. Juris probatione pendente, qui sunt in possessione, non violentâ, non clandestinâ, nec concessâ precariò, non turbentur. *In 6. De Privilegiis.* Cap. *Cùm persona.* §. 2. *fin.* LIB. V. *Tit.* 7. Cap. 7. GREG. I. LIB. I. *Epistola* 9. *ann.* 590.

XI. Ille qui est in possessione, usque ad finem causæ manebit in possessione. *Glossa*, verbo *Possessum.*

Hinc possessor juris præsentandi pendente lite præsentare potest.

XII. Est Archidiaconus in plenâ libertatum ejus Archidiaconatûs possessione tuendus, donec probatum legitimè fuerit ex adverso, libertates ipsas fuisse personaliter concessas. *De Institutionib.* Cap. *Cùm venient. fin in int.* LIB. III. DECR. *Tit.* 7. Cap. 6. Vide GONZALEM, *nota* 9.

XIII. Qui est in possessione debet defendi in eâ, donec constet de jure. *Glossa.*

SECTIO VIII.

Eum, qui à possessione rei ejectus est, seu re suâ spoliatus, ante omnia esse restituendum.

I. Omnes Leges tàm Ecclesiasticæ, quàm Vulgares & Publicæ præcipiunt, ut omnia sibi ablata restituantur ei, qui suis est rebus exspoliatus. CAUS. II. QUÆST. II. *Cap.* 2. *Omnes.* ISIDORUS *Mercator* circ. ann. 800. *Vide Ibid.* CAUS. II. QUÆST. II. *Cap.* 1. &c. *Conc.* CLAROM. *ann.* 1095. referente GOFFRIDO *Vindociaensi.* TOM. X. CONC. *p.* 572.

II. Prædo etiam est secundùm rigorem Juris restituendus. *De Restit. spoliat.* Cap. *In Litteris. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 5.

III. Si constiterit, quòd aliquia fuerit violenter re suâ spoliatus, ea sibi restitui debet. *De Restit. spoliat.* Cap. *Acceptâ. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 3.

Si constiterit Clericos ab Ecclesiâ & Capellâ, absque Ordine Judiciario violenter ejectos, ipsas eisdem restitui faciatis. *De pactis.* Cap. *Cùm pridem. in integ. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 35. *Cap.* 4.

IV. Nullus potest convocari aut judicari, antequàm omnia sibi ablata, & omnia jura ei in integrum restituantur; quia non habet privilegium, quo possit exui jam nudatus. CAUS. II. QUÆST. II. *Cap.* 5. *Nullus potest.* JULIUS *in Epist. ad Orientales. Cap.* 35. & 8. *ann* 337.

V. Possessio omnium quorum possessor quis extitit, antè specialis causæ ingressum debet restitui, si eadem possessione fuit per violentiam spoliatus. *Qui filii sint legitimi.* Cap. *Causam. il* 2. *post init.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 17. Cap. 7. Vide *De Officio Delegati.* Cap. 21. *Tit.* 29.

VI. Ante omnem contentionem possessio alicui debet violenter ablata restitui. *De Restit. spoliat.* Cap. *Licet.* §. 2. LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 1.

VII. Nec nudi contendere, nec inermes inimicis nos debemus impendere. CAUS. III. QUÆST. II. *Cap.* 3. *Oportet.* STEPHANUS V. GIRARDO LEODIENSI. *fortè* ann. circ. 889.

VIII. Etiam injusto possessori violenter ejecto restitutionis est beneficio succurrendum. *De Constit.* Cap. *Ecclesia. med. ia int.* LIB. I. DECR. *Tit.* 2. Cap. 10.

IX. Habet spoliatus privilegium ut non possit exui jam nudatus. *In 6. De Restit. spoliat.* Cap. *Frequens.* §. 1. *fin.* LIB. II. *Tit.* 5. Cap. 1.

Homines, quos Actores monstraverint suo juri debitos, ad Dominorum suorum possessiones justâ debent admonitione compelli, & ideò obnoxii approbati, custodito Legum tramite, sine intermissione restitui. DIST. LIV. *Cap.* 9. *Ex antiquis.* §. 1. GALASIUS MARTINO & JUSTO *Episcopis* an. circ. 494.

SECTIO IX.

In causâ spoliatæ possessionis probandum est spoliatum verè fuisse in possessione, & fuisse spoliatum.

I. Si aliquis possessione qualibet se asseveret absque judicio & causâ rationabili spoliatum, ut possessio debeat ei restitui, paratus sit coram Judice testibus idoneis possessionem & dejectionem suam probare. *De Officio Jud. Deleg.* Cap. *Consultationib.* LIB. I. DECR. *Tit.* 29. Cap. 10.

Hæc duo tenetur probare qui petit restitutionem, scilicet se possedisse, & spoliatum fuisse. *Glossa*, verbo, *Possessionem & dejectionem.*

II. Pars, quæ restitutionem sibi fieri rei priùs non possessæ postulat, restitui nequaquam debet, cùm

cùm nullo juris seu possessionis commodo est destituta. *De Restit. spoliat.* Cap. *Ex parte.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 13. Cap. 14.

Restitutio peti non potest, cùm nulla possessio juris fuerit. *Glossa*, verbo, *Commodo.*

III. Cùm non fuit aliquo modo probatum, quòd possessionem juris aliquis haberet, vel etiam priùs habuisset, restitutio ei adjudicari de jure nequit, cùm ipsum non constet spoliatum. *De Restit. Spoliat.* Cap. *Olim. il.* 3. §. 1. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 13. Cap. 17.

IV. Si Domino ignorante possessionem domûs illius quis acceperit, & statim ex quo id Domino innotuit, vim vi duxerit repellendam; ipse ab impetitione alterius, qnoad faciendam restirutionem quam petit, reddetur absolurus. *De Restit. spoliat.* Cap. *Olim.* §. 2. Lib. II. Decr. *Tit.* 13. Cap. 12.

V. Ingressus pnssessionem ignorante Domino ad quem pertinet, potest per ipsum Dominum, statim cùm sciverit, repelli, nec ex tali repulsione competir repulso contrà Dominum Interdictum possesorium. *Summa.* Hic enim non fuit possessor.

Non sufficit probare quod aliquis fuerir spoliatus, nisi probet se possedisse; duo enim probare debet qui petit restitui, se possedisse, & spoliarum fuisse. *Glossa*, verbo, *Restitutionem.*

VI. Pensionum possessio non potest ribi restitui, cùm eâ non fueris spoliatus. *De Restit. spoliat.* Cap. *Pisanis.* §. 3. *med.* Lib. II. Daer. *Tit.* 13. Cap. 19. *finali.*

VII. Qui jus aliquod possidet, profectò nec rei vindicationem intentare, nec ipsius restitutionem potest petere actione possessoriâ. *De Judiciis.* Cap. *Examinata.* §. 1. *med.* Lib. II Decr. *Tit.* 1. Cap. 15. Non rei vindicationem, cùm in proprietatem cadat; non restiturionem, cùm ipse possideat. Non potest intentare Interdictum possessorium, cùm ipse possider; possessori enim non datur rei vindicatio. *Glossa*, verbo, *Possidetis.*

Ei qui possidet non competit rei vindicatio, nec restitutio. *Glossa.*

SECTIO X.

Spoliatum non posse cogi super aliis articulis respondere spoliatoribus, antequàm restituatur; si Judices aliter judicent, processus eorum erit irritus, & à Superiore reformabitur.

I. Spoliarori spoliatus ante restitutionem nnn cogitur ullatenùs respondere. *De Ordine cognitionum.* Cap. *Cùm Dilectus.* §. 3. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 10. Cap. 2.

II. Restirutionis petitio in hoc privilégiata noscitur, ut ipsam intentans non cngatur ante restitutionem spoliatoribus respondere. *De Ord. cogn.* Cap. *Super spoliatione. med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 10. Cap. 4. *finali.*

III. Super spoliatione conventus, adversùs restitutionem perentem, non est, nisi super quæstione spoliationis, si eum reconveniat, audiendus. *Ibid. fin.*

IV. Qui petit restitui, ab adversario reconveniri non potest petitorio. *Glossa*, verbo, *Restitutionem petentem.*

V. Cùm quis dicit se de possessione violenter ejectum, vel adversarium clàm possessionem intrasse, & Adversarius ei crimen objicit, ut eum à suâ intentione repellat; illius objectio admitti, vel principalis causæ propter hoc executio retardari non debet; quoniam criminaliter adversùs eum ante restitutionem agere non potest, cùm præsumatur ejus inimicus existere. *De Restit. spoliat.* Cap. *Item.* Lib. II. Dacr. *Tit.* 13. Cap. 6.

VI. Si Judices, resignationis subtractorum capitulo prætermisso, de aliis articulis inordinatè cognoverint, propter hoc processus ipsorum contra Juris ordinem attentatus, irritus decernitur & inanis. *De Rescriptis.* Cap. *Cùm Dilecta.* §. 2. *med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 3. Cap. 22.

Juris ordo exigit, ut primò de spoliatione cognoscatur, quàm de proprietate. *Glossa*, verbo, *Juris ordinem.*

VII. Spoliatis, sicut jussum fuerit, restitutis, in negotio ipso ratione præviâ procedatur. *Ibid. fin.*

VIII. Si quis modò per se, modò per Procuratorem, ante ipsius causæ ingressum, & post, aliquid sibi restitui postulet, Judices verò restitutione negatâ, quòd fieri non debuir, in principali procedere voluerint, illud Superior restitui faciet. *De Restit. Spoliat.* Cap. *Ex conquestione.* Lib. II. Decr. *Tit.* 13. Cap. 10.

SECTIO XI.

Quid si spoliator aliam spoliationem opponat? Si per modum actionis, quis prior obtinebit? Si per modum exceptionis opponatur alia spoliatio, quid judicandum.? Sed non quamcumque spoliationem à quocumque proponi posse.

I. Distinguendum est utrùm spoliationis Quæstio, à spoliatoribus objiciatur in modum actionis ad restitutionem petendam; an in formâ exceptionis ad intentionem Adversarii repellendam. *De Ord. cognit.* Cap. *Cùm Dilectus.* §. 2. Lib. II. Decr. *Tit.* 10. Cap. 2.

II. Cùm spoliationis quæstio in modum actionis proponitur, intelliguntur mutuæ petitiones sese, tamquàm diversæ, minimè contingentes; ac per hoc juxtà Regulam Juris quâ dicitur, Qui prior appellat prior agat, quæ priùs fuerit proposita, priùs erit tractanda. *Ibid.* Vid. Cujacium *in hunc Textum.* Vide quoque *Summarium* illius continens districtè decisiones quæstionum in eo propositarum.

III. Si in idem judicium ambæ deductæ, vicissimque tractatæ fuerint, simul erunt eâdem Sententiâ terminandæ. *Ibid.*

IV. Si quæstio illa fuit à spoliatoribus tantùm in modum exceptionis objecta; Interloquendo pronunciandum est, ut probariones eorum super ipsâ exceptione primitùs audiantur, cùm super damnis datis justitia postulatur; si non agatur possessorio judicio, sed super damnis datis, de quibus justitia postularur. *Ibid.* §. 3. *init. junctâ Glossâ.*

Abbas non agebat hic possessorio judicio, imò hic petebat sibi justitiam fieri super damnis sibi datis. *Glossa*, verbo, *In modum exceptionis.*

V. Exceptione spoliationis probatâ, legitimè spoliatus non cogetur respondere super petitionibus memoratis, donec restituatur à petente. *Ibid.*

VI. Spoliatione in modum exceptionis tantùm probatâ, non est per hoc restitutio facienda. *Ibid.* §. 4. *init.*

VII. Restitutionis petitionem intentans ab agendo, spoliatione à spoliatoribus in modum exceptionis propositâ, repellitur. *De Ord. Cognit.* Cap. *Super spoliatione. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 10. Cap 4. *ultimo.*

VIII. Spoliator potest opponere de aliâ spoliatione, in modum exceptionis. *Glossa.* Agens possessorio recuperandæ, potest ab agendo repelli per exceptionem spoliationis. *Rubr.* Sancitum est, ut rerum privatarum spoliatio agenti super Ecclesiasticis, vel è contrario, nullatenùs opponatur. *In 6. De Restit. spoliat.* Cap. *Frequens.* §. ult. Lib. II. *Tit.* 5. Cap. 1.

Agenti super rebus Ecclesiasticis non obstat exceptio spoliationis privatarum rerum, vel è converso. *Summa.* Vide Gonzalem *ad* Cap. 2. *Tit.* 10. *De Ord. Cognit.* Lib. II. Decr. *n.* 25.

IX. In civilibus negotiis spoliationis objectu, quæ ab alio quàm ab Actore facta proponitur, Judex in principali procedere non postponat. *In 6. De Restit. Spoliat.* Cap. *Frequens. med.* Lib. II. *Tit.* 5. Cap. 1.

In civilibus non admittitur spoliationis exceptio factæ ab alio, quàm ab Actore. *Summa.*

Hoc erat iniquum, quod Reus exciperet contrà Actorem de spoliatione factâ à tertio, cùm in hoc non deliquerit Actor, & ideò factum alterius non debeat sibi obesse., *Glossa*, verbo, *Ab Actore.*

SECTIO XII.

Si spoliatus, neglecto possessorio Judicio, consentit petitorio, seu de proprietate experiri, valet processus; sed potest in quacumque litis parte ad possessorium redire, & illi soli insistere, nisi causa proprietatis sit propè terminanda.

I. Si campus alicujus fuit irrationabiliter occupatus, quanquàm antè omnem contentionem (a) possessio ei debuit violenter ablata restitui, tamen cùm invasor, consentiente illo, constituit sese legitimè probaturum dictum campum sui juris esse, veritatem debet Judex inquirere; & si hoc probatum fuerit, huic dicendum est ut à suâ intentione discedat, alioquin res ei ablata restituatur. *De Restit. spoliat.* Cap. *Licet nullum.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 1.

(a) Si hoc petivisset, & sibi imputet qui renunciavit Judicio possessorio. *Glossa*, verbo, *Consentiente.*

Si consentit is qui restitutionem petit, potest sibi quæstio proprietatis referri. *Glossa. init.*

II. Legali est provisione statutum, eum qui feudum vindicaverit ab eo, cum quo interdicto *Undè vi* potuit experiri, pendente Judicio Interdictum posse nihilominus intentare, aliis possessoriis Judiciis in suo robore duraturis. *De causâ possess.* Cap. *Pastoralis.* §. 2. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 12. Cap. 5.

Si aliquis cœperit agere rei vindicatione, potest redire ad Judicium possessorium quod proponitur pro recuperandâ possessione. *Glossa*, verbo, *Quod de recuperandâ.* COD. *De rei vindic.* Leg. *Ordinarii*, seu LIB. III. *Tit.* 22. Lege 13.

III. Super causâ proprietatis priùs litem ingressi, postmodùm suspenso petitorio, ad causam possessionis de Juris beneficio possunt habere recursum. *De Testib.* Cap. *Significaverunt.* §. 1. *& alt.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 36.

IV. Qui primò cœpit agere de proprietate, potest redire ad Judicium possessionis, suspenso petitorio. *Glossa.*

V. Si qui super causâ proprietatis priùs litem ingressi, Testes produxerint in illâ, & postmodùm possessionis Judicium, suspenso petitorio, intentent; nisi adeò sit in petitorio jam processum, ut plenè possit de proprietate liquere; Judex causam possessionis primitùs terminare debet, in causâ proprietatis postmodùm processurus. *De Testib.* Cap. *Significaverunt*, §. 1. *& ult.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 36.

VI. Non videtur quod plenè liqueat, nisi postquàm renunciatum fuerit & conclusum. *Glossa*, verbo, *Liquere.* A judicio proprietatis, antequàm sit in eo conclusum, potest quis redire ad Judicium possessorium. *Glossa.*

VII. Si contingat, ut cùm is qui se asserit spoliatum, & suum trahit spoliatorem in causam, inter ipsa Juris auspicia litem proprietatis ingrediatur, de illatâ sibi violentiâ nullam faciens mentionem; cùm autem fuerit in causâ processum, novum judicium super possessorio nitatur inchoare; possessorio quidem judicio, quod de recuperandâ possessione, seu adipiscendâ (a) proponitur, antequàm renunciatum (b) sit aut conclusum, (c) in proprietatis Judicio primitùs instituto, agi potest ab eo, qui rem cœperit vindicare. *De causa possess.* Cap. *Pastoralis.* §. 1. & 2. LIB. II. DECR. *Tit.* 12. Cap. 5.

(a) Additur, *seu adipiscenda*; sed in Gallia non habetur talis actio.

(b) Renunciatum censetur, quandò expresse protestatur, se super possessione nolle litigare.

(c) Paria sunt Sententiam esse latam, vel esse conclusum in causâ. Concludere in causâ, quando partes nihil ampliùs volunt allegare, nec producere. *Glossa* ad Cap. unicum. *De causâ possess.* CLEMENTINARUM. LIB. II. *Tit.* 3.

VIII. Si verò renunciatum fuerit vel conclusum, ut jam possit causa proprietatis definitivæ Sententiæ calculo terminari, ne lites litibus inculcentur, & via possit fraudibus aperiri, causa non decisâ, possessorio non erit utendum; nisi Judex, qui de causâ cognoscit, hoc ipsum ex justâ causâ viderit expedire. *Ibid.* §. 3.

Etiam postquàm conclusum fuerit ex justâ causâ, potest quis redire ad possessorium. *Glossa.*

Cùm ex perspicuis indiciis facilè arguitur iniquitas invasoris, & spoliato casus seu malitia probandi dominium subtraxerit facultatem; his & aliis causis inspectis, quæ continent æquitatem, aut justè moverint animum judicantis, postquàm etiam conclusum fuerit, potest agi possessorio Judicio. *Ibid.* §. *ult.*

SECTIO XIII.

In rebus temporalibus Judices non debere simul de possessione & proprietate judicare; sed in gratiam possessionis, salvo jure proprietatis; & illa præfertur possessio, quæ meliùs probatur.

I. Est in Jure Civili expressum, ut Judices priùs audiant attestationes de possessione, & pronuncient secundùm tenorem illarum. *De causâ poss.* Cap. *Ad ultimum.* LIB. II. DECR. *Tit.* 12. Cap. 2. COD. *De rei vindicatione.* Leg. *Ordinarii*, seu LIB. III. *Tit.* 32. *Lege* 13.

II. Possessoria judicia vindicationem dominii sui naturâ præcedunt. *De causâ possess.* Cap. *Pastoralis.* §. 2. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 12. Cap. 5.

III. Cùm agitur de possessione & violentiâ, priùs agi debet de possessione; quasi dicat, possessoria Interdicta volunt priùs tractari, quàm rei vindicatio. *Glossa*, verbo, *Quod de recuperanda. fin.* GONZAL. notat quòd Jure Civili non tenetur Judex priùs cognoscere de possessorio, quàm de petitorio. *Cap.* 2. *De causa possess. n.* 3.

IV. Cùm per Testes fuit sufficienter ostensum, quod aliquis esset in quasi possessione juris alicujus; est in eam quasi possessionem, quam antè controversiam motam habuerat, reducendus. *De causa possess.* Cap. *Cùm Ecclesia.* §. 2. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 12. Cap. 3. Qui probat spoliationem, restituitur. *Glossa.*

V. Parti Adversæ silentium imponendum est, cùm Judici constiterit, quòd alter in quasi possessione existebat; salvâ quæstione super jure. *De Elect.* Cap. *Querelam.* §. 2. *med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 24.

VI. Cùm fuit liquidò comprobatum, quòd pensio fuerit annuatim per multa tempora alicui persoluta, sed de novo subtracta; illum Judex in eumdem statum percipiendi hujusmodi decernat reducendum, & ad solutionem pensionis subtractæ condemnet Partem Adversam, salvâ quæstione proprietatis inter illos. *De Elect.* Cap. *Querelam.* §. 3. LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 24.

VII. Sententia lata super possessione, non præjudicat proprietati. *Glossa.*

VIII. Cùm aliquis per Testes numero plures, quibus potiùs lux veritatis assistit, qui etiam aptiora negotio & vero proximiora in suis testimoniis exprimunt, sufficienter ostendit, quòd à sexaginta annis & citrà, cum omni Jurisdictione, honore, atque districtu, loca quædam possedit; per hoc patet, quòd si alius à quinquaginta annis & citrà, sicut videntur ejus Testes deponere, aliqua servitia in locis percepit suprà dictis, illa procul dubio sine justo titulo percipere incepit, maximè cùm justum possessionis titulum non ostendit. *De probationibus.* Cap. *Licet causam.* §. 4. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 9.

IX. Ex iis, quæ sunt desumpta ex *Cap.* 9. *De probat.* videri posset, quod possessio confirmata ex Judicio possessorio, erat sufficiens ad præscriptionem, ideòque Sententia hìc lata præjudicaret proprietati, quæ præscriptione acquiritur; attamen cùm hæc possessio turbata fuisset contrariâ possessione, hinc impedita fuerat præscriptio.

X. Cùm

X. Cùm probationes possessionis alicujus sunt longè potiores, & ideò est in Interdicto superior; alius sibi condemnari debet super rebus generaliter pertinentibus; quoad possessorium judicium, perpetuum silentium imponendo, & prohibendo eidem ut neque per se, neque per alios, super his præsumat illum aliquatenùs molestare. *De probat.* Cap. *Licet causam.* §. *ult. fin.* LI. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 9.

XI. Cùm constat ab eo tempore quo se aliqui possedisse probare contendunt, minùs justè ac sine titulo aliqua propriâ temeritate occupasse; in hoc casu non locus est Interdicto *Uti possidetis*; ut dicere debeat Judex, Uti possidetis, ita possideatis. *De Probat.* Cap. *Licet causam.* §. *ult.* LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 9.

XII. Decimas ipsas, quibus se aliquis asserit spoliatum, Judex restitui faciat; auditurus postmodùm quantùm de jure poterit, quicquid fuerit quæstionis. *De Off. Deleg.* Cap. *Cum causa.* §. 2. LIB. I. DECR. *Tit.* 29. Cap. 21.

SECTIO XIV.

Cùm agitur de Beneficio Ecclesiastico, quo spoliatum se fuisse quis contendit, petitorium simul cum possessorio agitari debet, & illi possessio adjudicari, cui melior titulus favet.

I. Cùm super Electione Ecclesiæ inter aliquos quæstio vertitur, utroque se pro electo gerente, quoniam tàm possessorium, quàm petitorium deductum fuit in judicium, & tàm restitutionis quàm electionis quæstio pleniùs agitatur, cùm constat electionem utriusque minùs Canonicam extitisse, utraque est sententialiter irritanda. *De causa poss.* Cap. *Cùm super.* LIB. II. DECR. *Tit.* 12. Cap. 4.

II. Cùm super possessorio & petitorio simul est actum, utrumque unâ Sententiâ debet terminari. *De Causa possess.* Cap. *Cùm Dilectus. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 12. Cap. 6.

III. Sed licet in pronunciatione sit possessio præmittenda, in executione tamen debet proprietas prævalêre. *Ibid.* Cujus rei ratio est, quòd eo casu adjudicatâ alicui proprietate, frustrà possessio alteri restitueretur.

SECTIO XV.

Qui possint intentare possessorium, seu restitutorium judicium? Et contrà quos institui possit?

I. Cùm quis dicit se de possessione violenter ejectum. *De restitut. spoliat.* Cap. *In litteris. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 5.

Per modum redintegrandæ, seu de violentiâ.

II. Item cùm quis dicit se de possessione violenter ejectum, vel adversarium clàm possessionem intrasse. *Ibid.* Cap. *Item. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 6.

III. Cùm deponitur quæstio, quòd viri manu armatâ & cum exercitu ad castrum aliquod venientes, in prædis animalium & aliis damnificare possessorem præsumpserint. *De Ordine cognit.* Cap. *Cùm Dilectus. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 10. Cap. 2.

IV. Cùm per alicujus dolum & violentiam, Castrum amiserint, quod & progenitores eorum tenuerant, & illi possederant in quiete. *Ibid.*

V. Si conqueritur aliquis, campum suum irrationabiliter occupatum. *De restit. spoliat.* Cap. *Licet multum.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 1. Per modum querelæ, seu conquestionis de recuperandâ possessione:

VI. Ut aliquis condemnetur ad restitutionem, necessè est, ut possideat tempore litis contestatæ, & tempore quo Sententia fertur. *Glossa ad* Cap. 23. *De Exceptionib.* Vide alia *Ibidem.*

VII. Cùm quis petit à vi turbativâ seu inquietativâ super locis, quæ possidet, prohiberi. *De Probationibus.* Cap. *Licet causam.* §. 5. *post init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 19. Cap. 9.

VIII. Vis turbativa, quandò turbatur possessio, & in dubium revocatur. *Glossa*, verbo, *A vi turbativa.*

IX. Interdictum *Unde vi*, datur hæredi & bonorum possessori. *Glossa*, verbo, *Ea ratione.*

X. Possessionis judicium intentatur ea ratione quod illi, quibus ipsi successerunt, è loco fuerint violenter ejecti. *De Testib.* Cap. *Significaverunt.* §. 2. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 36.

XI. Ab eo restitutio peti non potest, qui non fuit spoliator. *De Ord. cognit.* Cap. *Cùm Dilectus.* §. 1. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 10. Cap. 2.

XII. Judicium restitutorium contrà spoliatorem tantùm competere dignoscitur. *Ibid.* §. 1. *fin.*

XIII. Vel contra eum qui mandavit, vel ratam habuit spoliationem. *Glossa*, verbo, *Spoliatorem.*

XIV. Adversarius per Judicem absolvitur, cùm tempore motæ litis, rem petitam ab ipso, sine dolo desiit possidere. *De except.* Cap. *Adversario.* LIB. II. DECR. *Tit.* 25. Cap. 13.

XV. Cùm nec per dicta Testium, vel confessiones Partium, vel etiam instrumenta, nec per evidentiam facti constare potest, quod aliquis spoliaverit, vel mandaverit spoliari, vel spoliationem factam saltem ratam habuerit, Interdictum *Undè vi* locum nullatenùs habet. *De Restit. spoliat.* Cap. *Cùm ad Sedem.* §. 3. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 15.

XVI. Interdictum *Undè vi* non datur, nisi contrà illum qui dejecit, vel mandavit, vel ratum habuit. *Glossa*, verbo, *Interdictum.*

XVII. Si rem petitam possideat, ubi petenti denuò rei judicatæ exceptio non obsistit. *Ibid. De Exception.* Cap. 13.

Non obstante Juris Civilis rigore, sancitum est, ut si quis scienter rem à spoliatore receperit, cùm spoliatori quasi succedat in vitium, contrà possessorem hujusmodi, spoliato per restitutionis beneficium succurratur. *De Restit. spoliat.* Cap. *Sæpè.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 18.

XVIII. Verum est, quod spoliato non subvenitur per Interdictum *Undè vi*, secundùm Canones, nisi contra illum qui dejecit, vel mandavit, vel ratum habuit. *Cap. Superiori. Cùm ad Sedem.* Sed subvenitur Judicis Officio contra quemlibet possessorem. *Glossa*, verbo, *Subvenitur.*

XIX. Sæpè contingeret, quod spoliatus, per spoliatorem in alium re translatâ, dùm adversùs possessorem non subveniretur per restitutionis beneficium commodo possessionis amisso propter difficultatem probationum, juris proprietatis amitteret effectum. *Ibid. init.*

Regula, *Deceptis jura subveniunt*, applicari potest spoliatis, sivè vim passis.

SECTIO XVI.

Judex, cùm ei constat de possessione, decernere debet integram rerum omnium ablatarum, cum fructibus indè perceptis, & qui percipi potuerunt, restitutionem, vel justam illarum æstimationem, si consumptæ, aut amissæ fuerint, juxtà spoliati jusjurandum, si spoliator sit contumaciter absens.

I. Judex non potest facere tibi restitui possessionem, de quâ non constat eidem. *De Restit. spoliat.* Cap. *Pisanis.* §. 3. *med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 29. *ult.*

Vide GONZALEM *ad* Cap. 9. *Tit.* 19. *De Probat. in Commentario.*

II. Debet facere, ut spoliatores possessionem, quam per eorum confessionem constat se habere, tibi dimittant plenè ac liberè, sicut illam habueras tempore motæ discordiæ. *Ibid.*

Qui restituitur plenam habet restitutionem in pristinam causam. *Glossa*, verbo, *Ea plenè ac liberè.*

III. Res illas, quibus aliquis se asserit spoliatum, cum fructibus indè perceptis, Judex restitui faciat. *De Off. Deleg.* Cap. *Cùm causa* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 29. Cap. 22.

IV. Invasorem illius partis restitutionem quam tenebat, cum perceptis fructibus, restituere cogat Judex. *De restit. spol.* Cap. *Olim. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 13. Cap. 16.

V. Si quem re suâ sine judicio spoliasti, illi eam cum reditibus inde perceptis restituas, & in pace eam possidere permittas. *De Restit. spoliat.* Cap. *Conquerente.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 7. Cap. 7.

VI. Restitui debet res cum fructibus perceptis. *Glossa.*

VII. Provideat Judex, ut non tantùm fructus à novo & violento possessore perceptos, sed quos, si eis possidere fuisset licitum, possessores veteres percepissent; reddi faciat eisdem. *De Restit. spoliat.* Cap. *Gravis. med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 13. Cap. 12.

VIII. Si fuerit violentus possessor, tunc tenetur restituere fructus perceptos, & eos qui percipi potuerunt per veteres possessores. *Glossa*, verbo, *Fructus. med.*

IX. Ablata cum integritate restituere, damna plenariè resarcire, & de illatis injuriis competenter satisfacere, compellat. *Ibid. De Restit. spoliat.* Cap. *Gravis. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 13. Cap. 11.

X. Spoliati plenariè sunt restituendi ad omnia quæ amiserunt, cum fructibus perceptis & qui percipi potuerunt. *Glossa.*

XI. Si quis in tantam furoris audaciam pervenerit, ut possessionem rerum apud fiscum, vel apud quoslibet homines constitutarum, antè eventum judicialis arbitrii violenter invaserit; Dominus quidem constitutus possessionem quam abstulit, restituat possessori, & dominium ejus rei amittat. Caus. I. Quæst. IV. Cap. 13. *fin. Si quis.*

XII. Sin verò alienarum rerum possessionem invasit, non solùm eam possidentibus reddat, verùm etiam æstimationem earumdem rerum restituere compellatur. *Ibid.*

XIII. Postquàm de violentiâ per Testes, & de amissis rebus per spoliati constitit Sacramentum, potest Judex, taxatione ab ipso factâ, pro personarum ac negotii qualitate, spoliatorem in æstimatione rerum amissarum, juramento spoliati declaratâ, rationabiliter condemnare. *De iis quæ vi.* Cap. *Super eo. med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 40. Cap. 7. *ult.*

XIV. Probatâ violentiâ per Testes, res amissæ probantur per Juramentum. *Summa.*

Super valore rerum amissarum, taxatione Judicis præmissâ, & secuto petentis juramento, fit condemnatio. *Summa.*

XV. Invasor non arbitretur contrà se fuisse injustè processum, cùm per violentiam spoliatus, nonnisi proprio juramento probaverit singula quæ amisit. *Ibid. init.*

XVI. Super rebus amissis stabitur Juramento spoliati. *Glossa*, verbo, *Per Testes. init. sub finem.* hujus rei duplicem reddit rationem.

XVII. Illarum rerum, quas illicitè detinuerunt, & quæ consumptæ sunt, justam æstimationem restituere Judex compellat. *De Transactionib.* Cap. *Veniens.* §. 2. *fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 36. Cap. 8.

XVIII. Si aliquis possessione qualibet se asseverans absque judicio & causâ rationabili spoliatum, postulet ut possessio debeat ei restitui, non potest nec debet restitutionem habere, nisi is qui possidet se per contumaciam absentaverit. *De Off. Deleg.* Cap. *Consultationib.* Lib. I. Decr. *Tit.* 29. Cap. 10.

XIX. Cùm lite contestatâ contumax invenitur, si liquet de causâ, restituitur possessio. *Glossa*, verbo, *Nisi is. med.*

XX. Si per Judices aliqui bonis fuerunt propriis spoliati, debet illis dari in mandatis, ut ablata spoliatis restituant universa. *De Purgat. vulgari.* Cap. *Significantib. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 35. Cap. 2.

SECTIO XVII.

Restitutione factâ posse Adversarium de proprietate experiri, ac debere possessionem ei Parti assignari, cui proprietas adjudicatur.

I. Cùm aliquem sine judicio spoliasti, restitutione factâ, si quid adversùs eum proponere volueris, cum eodem, ordine Judiciario, poteris experiri. *De Restit. spoliat.* Cap. *Conquerente. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 13. Cap. 7.

II. In casu appellationis debent possessionis fructus sequestrari. Caus. II. Quæst. VI. Cap. 26.

III. Licet aliquis abstinuerit in Judicio possessorio per Sententiam, cùm legitimè probatum non fuit quæ petuntur ad eum pertinere; ab impetitione ipsius Adversarius est absolvendus. *De fide instrum.* Cap. *Inter Dilectos.* §. 1. *& ult.* Lib. II. Decr. *Tit.* 22. Cap. 6.

IV. Sententia lata propter possessionem, non præjudicat proprietati. *Glossa.* Cap. *Cùm olim. De causâ poss.* Lib. II. Decr. *Tit.* 12. Cap. 7. *& De Elect.* Cap. *Querelam.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 24.

V. Cùm obscura sunt jura Partium, consuevit contrà eum, qui petitor est, judicari. *Ibid. fin.*

VI. Cùm Judex aliquis, super possessione vel quasi Juris alicujus, definitivam Sententiam promulgavit, injungi potest alteri Judici, ut audiat posteà, quæ Partes, super proprietate vel quasi dicti Juris, duxerint proponenda. *De Judiciis.* Cap. *Significaverunt.* Lib. II. Decr. *Tit.* 1. Cap. 21. *ult.*

VII. Cùm Judex super Judicio Possessorio Sententiam protulit, Adversario quæstionem de proprietate postmodùm intentare volente, de causâ proprietatis pleniùs cognoscatur. *De sequestratione possessionum.* Cap. 1. §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 17. Cap. 1.

VIII. Possessio ei Parti postmodùm resignetur, quæ obtinebit de proprietate triumphum. *De Sequestratione.* Cap. *Ad hæc.* §. 3. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 17. Cap. 1.

IX. Possessio posteà restituitur illi, qui obtinet in proprietate, quia proprietas ad se trahit possessionem. *Glossa*, verbo, *Sequestrari. med.*

X. Cùm aliquibus est adjudicata possessio, non sufficit eis dari pignora, nisi corporali possessione lætentur. *De Sent.* Cap. *Cùm aliquibus.* Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 6.

XI. Cùm aliqui super possessorio, quod semel & iterùm, ex causis tamen dissimilibus, intentarunt, contrariam Sententiam reportarunt; deindè ad petitorium recurrere possunt. *De donationib.* Cap. *Inter Dilectos. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 24. Cap. 8.

XII. Cùm proprietas alicujus rei, seu res aliqua adjudicatur Actori jure dominii, non sufficit quod Adversarius det pignus; sed mittendus est in possessionem, & gaudere debet plenâ & pacificâ possessione. *Glossa.* Licet quis succumbat in possessorio, nihilominùs potest intentare petitorium. *Glossa.*

SECTIO XVIII.

Quæ ex hoc prœludio, de Jure & Justitia, ad explicationem Contractuum utilitas percipi possit?

Præsupponendum est. 1°. Contractus præcipuè institutos ad transmissionem bonorum temporalium, eamque etiam fieri per illos, qui circa personas versantur, ut Matrimonium. 2°. In his bonis distingui dominium plenum seu perfectum, proprietatem, usumfructum, usum, possessionem. Dominium esse facultatem de re pro voluntate disponendi, illam transmittendo totam, & quidquid ad illam pertinet sine ullâ retentione,

tione, vel cum retentione hac vel illâ. Proprietatem, ut ab usufructu distinctam, esse facultatem illam vendendi, donandi, aliove modo alienandi; conjunctam verò cùm usufructu idem esse ac Dominium. Usumfructum facultatem esse disponendi de fructibus quibuslibet rei, salvâ ipsius substantia. Usum esse facultatem re utendi ad utilitatem suam, salvâ ipsius substantia. Possessionem esse facultatem rem contrectandi, si ista sit mobilis; vel ad illam intrandi, si res sit immobilis; eamdem possessionem esse juris & facti, animi vel corporis, quemadmodùm & usum; Quæ facti est tantùm, illam esse, quæ injusta est; sicut usus facti; qui etiam cum jure conjungitur, quotiescumque justus est, eumque habens jure suo actu utitur. Possessionem inchoatam dici quasi possessionem, ut & illam quæ est rei spiritualis, vel incorporalis. Possessionem esse vel bonæ vel malæ fidei; priorem acquirere rei fructus, quandiù durat bona fides; imò & proprietatem, si duret toto tempore requisito ad præscriptionem; posteriorem neutrum acquirere. Contractuum alios transmittere tantùm usum, vel fructus, vel utrumque; ut locatio, commodatum, precarium. Alios transmittere posse proprietatem, usumfructum, usum; ut venditio, donatio, permutatio, mutuum: Nonnullos dare tantùm rei custodiam, ut depositum; vel debiti securitatem, ut pignus; vel providere conservationi fructuum, ut sequestratio: Nullum esse qui det usum facti sine usu juris; ejus autem generis esse contractus, quibus alicui dantur alimenta vel vestimenta, vel habitatio, vel illa omnia simul; aliàs injustus foret, cùm nemini uti liceat re, sine jure illa utendi.

His præsuppositis, ex dicendis circà Contractus manifestum est, collectas de Jure & Justitia Decisiones Juris, nedùm utiles esse, sed & necessarias ad explicationem illorum, cùm exponant significationem vocum & locutionum, quarum frequens usus in illis; necnon & distinguant jura, quæ per illos transmittuntur pro singulorum qualitate.

Cùm autem Professio Religiosa sit quodammodò species contractûs, propter donationem quam profitens facit sui ipsius Religioni, & istius communicationem jurium ad bona temporalia, ut & ad spiritualia sibi pertinentium in commodum recepti; percipienda ex eisdem Decisionibus utilitas circà Contractus, ad hunc quoque producitur; faciliùs siquidem hinc intelliguntur obligationes hujus statûs circà paupertatem Religiosam, quæ non est aliud quàm abdicatio proprii, ut patet ex *Cap. 6. De Statu Monach.* & ex Libro ad id edito à P. Le Camus Episcopo Bellicensi, ubi rectè explicat præmissas distinctiones necessarias ad discernendum proprietarios ab aliis, proindèque peccantes in paupertatem illam, dignoscendos.

Præludio huic subjungitur Titulus de Præscriptione, quæ optimè demonstrat, quæ vis sit possessionis, ac quæ requirantur, ut ejus effectu quis potiatur.

TITULUS II.

De Præscriptione.

SECTIO I.

Præscriptionem esse longi temporis possessionem. Non præscribere, nisi qui possidet. Legitimum esse Titulum præscriptionis, etiam Juris spiritualis; rectè institutum ad vitandam bonorum confusionem.

I. Ex eo quod Clerici se inter eligentes probaverunt tertiò extitisse, jus propter brevitatem temporis, usque ad præscriptionem legitimam non producti, sibi acquirere non potuerunt. *De Caus. Possess.* Cap. *Cùm Ecclesia.* §. ult. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 12. Cap. 3.

Si brevitas temporis non obstaret, isti Clerici præscripsissent jus eligendi, etiamsi semel elegissent. *Glossa*, verbo, *Brevitatem temporis. init.* Quod dicit *Glossa* præscribi posse jus eligendi unicà electione, intra tempus ad præscriptionem sufficiens, falsum esse videtur colligi, ex eo quod in pari casu non præscribitur jus præsentandi unicà præsentatione. Id tamen aliàs verùm fuisse inferri potest ex *Cap. 5. De Præb. In 6.* quod ad mutationem statûs Beneficii Regularis in Sæculare nihil aliud exigit, quàm ut ab uno Clerico Sæculari tanto tempore pacificè possessum sit, quod ad legitimam præscriptionem sufficiat.

Ut currat præscriptio, debet quis possidere de facto & de Jure. *Glossa*, verbo, *Sine Possessione. med.*

II. Qui asserit, se partem fundi possedisse quadraginta annorum spatio inconcussè, objicit præscriptionem. *De Præb.* Cap. *Ex Literis.* Lib. II. Decr. *Tit.* 19. Cap. 3.

III. Sine possessione, præscriptio non procedit. *In 6. De Regul. Juris.* Regula III.

IV. Præscriptionem nemo rectè objicit, nisi qui possidet. *De Probat.* Cap. *Ex Literis.* §. 2. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 19. Cap. 3.

V. Præscriptione aliqua non munitur, qui secundùm Confessionem suam non fuit in quasi possessione juris exigendi fidelitatis juramentum. *De Præscript.* Cap. *Si diligenti.* §. 2. *post init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 26. Cap. 17.

Legislator solùm propter vitandam miserorum segnitiem, & longi temporis errorem, & confusionem, triennali vel quadragenali præscriptioni rigorem legis imposuit. *De Præscr.* Cap. *Vigilanti. med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 26. Cap. 5.

Conjiciunt vulgò hîc errorem irrepsisse, & reponendum esse, quod Eugenius Legislator, qui, cùm per tyrannidem Imperium occupasset, hanc Legem per Occidentem promulgavit, quamvis non fuerit omninò recepta, donec Theodosius Junior illam statuerit. *Vide* Gonzal. *eo loci.*

Scilicet ne rerum dominia essent incerta. *Glossa*, verbo, *Segnitiem.* Vide *Concil.* Hispal. II. *ann.* 619. Tom. V. Conc. *p.* 1664. *Concil.* Claron. *ann.* 1095. apud Gratian. Caus. XVI. Quæst. III. Tom. X. Conc. *p.* 509.

SECTIO II.

Ad legitimam præscriptionem requiri bonam fidem.

I. Definitum est, ut nulla valeat absque bonâ fide præscriptio, tàm Canonica, quàm Civilis. *De Præscript.* Cap. *Quoniam. post init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 26. Cap. 20.

II. In malæ fidei possessore præscriptionis Legem, tàm in rebus cognitis quàm latentibus, placuit non habere vigorem. *Ibid. fin.*

Malæ fidei possessor præscribere non potest, sive verus Dominus sciat rem illam ad se pertinere, sive ignoret. *Glossa*, verbo, *Placuit.*

III. Nulla antiqua dierum possessio juvat aliquem malæ fidei possessorem. *De Præscript.* Cap. *Vigilanti. post init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 26. Cap. 5.

Malæ fidei possessor non præscribit. *Glossa.*

IV. Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. *In 6. De Reg. Juris.* Reg. II.

In occupatis & invasis non currit præscriptio. *Glossa*, verbo, *Occupasse. De Probat.* Cap. *Licet.* Lib. II. Decr. *Tit.* 19. Cap. 9

V. Oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis (a) parte rei habeat conscientiam alienæ. *Ibid. fin.*

(a) Scilicet præscriptionis; si enim post completam præscriptionem sciat rem alienam, non dicitur

ideò

ideò malâ fide possidere. *Glossa*, verbo, *Nullá temporis*.

VI. Qui bonam fidem non habuit, secundùm Canones non præscripsit. *De Præscript.* Cap. *Veniens.* §. *ult. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 26. Cap. 19.

Ille qui præscribit, bonam fidem habere debet, sive res quam præscribit spiriritualis sit, vel Civilis. *Glossa*, verbo, *Quam Civilit. med.*

Nibil perire credimus Ecclesiasticis utilitatibus, si quæ sunt aliena, reddantur. Dist. LIV. *Cap.* 12. *Generalit. fin. Ex Epistolá* Gelasii I. Maximo & Clero *Episcopis.* ann. 494. Pith.

Nec in foro Canonico, nec in Civili, valet præscriptio cum malâ fide. *Summa.*

In præscriptione exigitur bona fides continua. *Glossa.* Aliàs faveret furto, illudque foveret.

SECTIO III.

In rebus Ecclesiasticis, quæ prævideri non possunt, vel quæ sunt contra Jus Commune, bona fides non sufficit ad præscriptionem; sed requiritur justus Titulus, nisi sit longissimi temporis præscriptio.

I. Cùm aliquid licitè retineri non potest, secundùm hoc locum præscriptin babere non potest; cùm in præscriptione rerum Ecclesiasticarum bona fides & justus Titulus exigantur. *De Præscript.* Cap. *Si diligenti.* §. 2. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 26. Cap. 17.

Ut scias quando sit necessarius justus Titulus, & quando sufficiat bona fides, inspiciendum est an jura illa, super quibus allegatur Præsctiptio, Jure Communi valeant ab ipso possideri, necne? Si enim Jure Communi possint possideri, sufficit bona fides ad præscribendum: Si verò Jure Communi possideri non possunt ab eo qui objicit præscriptionem, quantumcumque habear bonam fidem, non præscribit. *Glossa*, verbo, *Justus titulus. med.* Ratio est, quia Jus Commune Titulus est, qui non eget probatione.

II. Cùm Laïci decimas detinere non possint, eas nullâ valent præscribere ratione. *De Præscript.* Cap. *Causam.* §. 1. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 26. Cap. 7.

Titulus & justa causa possidendi, idem sunt. Quod possideri non potest, non potest præscribi. *Glossa.*

III. Licet ei, qui rem præscribit Ecclesiasticam, si sibi non est contrarium Jus Commune, vel contrà eum præsumptio non habeatur, sufficiat bona fides; ubi tamen est ei Jus Commune contrarium, vel habetur præsumptio contra ipsum, bona fides non sufficit, sed est necessarius Titulus, qui possessori causam tribuat præsctibendi; nisi tanti temporis allegetur præscriptio, cujus contrarii memoria non existat. *In 6. De Præscript.* Cap. *Episcoporum.* med. Lib. II. *Tit.* 13. Cap. 1.

IV. In decimis & Ecclesiis quas Episcopus petit, quia intentione suâ de Jure Communi fundatâ petit, præscriptionem allegans non debet præscriptionis Titulum, quem allegavit, probare. *De Decimis.* Cap. *Dudùm.* §. 1. *med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 31.

Ratio est, quia Jus Commune Titulus est, qui non eget probatione; adde quod qui possidet Jure Communi, opus non habet præscriptione.

In præscriptionibus sufficit bona fides, ubi Jus Commune vel præsumptio non est contrà præscribentem; aliàs debet allegari Titulus & probari, nisi sit præscriptio, cujus contrarii non esset memoria. *Summa.*

Possessio centum annorum habetur loco tituli. *Glossa.* Idque, quia facit præsumere Titulum extitisse, sed periisse.

Laici non possunt nobis objicere præscriptionem in hujusmodi spiritualibus, quia non possident civiliter decimas; subaudi, nisi allegent alium Titulum & concessionem factam. *Glossa*, verbo, *Detinere. fin.*

SECTIO IV.

Probationem incumbere ei qui præscriptione utitur, & eâ probatâ, debere causam obtinere.

I. Possessori probationem aliquando dari juris manifesti est. *De Probationib.* Cap. *Ex litteris.* §. 2. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 19. Cap. 3.

II. Recipi testes debent, quos ad præscriptionem probandam Pars duxerit producendos. *De confirmatione utili.* Cap. *Cùm Dilecta.* §. 3. *init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 30. Cap. 4.

Qui recipit de præscriptione, ipse probare debet. *Glossa*, verbo, *Nam possessori.*

III. Jure cautum est, quòd qui objecerit præscriptionem longissimi temporis & eam probaverit, in causâ debeat obtinere. *Ibid.*

IV. Qui objicit præscriptionem, eam probare debet. *Glossa.*

Cùm tanto tempore probantur per testes aliqua pleno jure possessa, videatur in eis jus legitimè præscripsisse. *De præscriptionib.* Cap. *Auditis.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 26. Cap. 15.

V. Si Pars legitimam præscriptionem probaverit ut intendit, Adversario super hoc perpetuum imponatur silentium. *Ibid.*

SECTIO V.

Ecclesiam præscribere bona privatorum intra spatium 30. annorum, sicut fit inter privatos.

I. Res & privilegia, quæ Dei Ecclesiis ex longâ consuetudine pertinent; & sive à Divæ recordationis Imperatoribus, sive ab aliis Dei cultoribus in scriptis donata, & ab eis per annos triginta possessa sunt; nequaquam à potestate Præsulum earum quæcumque persona Sæcularis per potestatem subtrahat, aut per argumenta quælibet auferat; sed sint omnia in potestate, ac jussu Præsulis Ecclesiæ, quæcumque intra triginta annorum spatium ab Ecclesiis possessa fuisse noscuntur. Quisquis Sæcularium contra præsentem definitionem egerit, tanquàm sacrilegus judicetur, & donec se correxerit, & Ecclesiæ propria privilegia seu res restituerit, anathema sit. Caus. XVI. Quæst. III. Cap. 8. *Placuit.*

Vide Concil. Delvacense. ann. 1114. Tom. X. Conc. *p.* 793. Ex VIII. *Synodo Constantinopolitanâ.* Cap. 18. ann. 869.

Ecclesia rem privati 30. annorum præscriptione potest retinere. *Glossa*, verbo, *Annos* 30.

Alioquin nullum foret Ecclesiæ privilegium, cùm Laïci contrà ipsam præsctibere possint spatio 40. annorum, sicut Ecclesia contra alias Ecclesias.

II. Sanctorum Patrum Sanctiones statuentes confirmamus, ut omnes possessiones ad singulas Provincias nostrorum Fratrum pertinentes, à quibus per triginta annos possessæ sunt, quietè & sincerè perpetuò teneantur. *De Præscript.* Cap. *Sanctorum.* Lib. II. Decr. *Tit.* 26. Cap. 3.

Per quietam & sinceram possessionem 30. annorum, præscribit Ecclesia rem privati. *Summa.*

III. Cùm emptor privatus triginta annis domum aliquam, à privato, bonâ fide, tituloque justo possedit, præscriptis occasionibus super istâ domo non debet ulteriùs fatigari. *De Emptione.* Cap. *Pervenit.* §. 1. & 2. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 17. Cap. 4.

Hoc autem locum habet, etiamsi domus ista donata esset mulieri propter nuptias, dummodò ipsa venditioni consenserit, & maritus habuerit tempore venditionis alia bona domui paris vel majoris pretii.

Collectis Textibus non obstat *Regula* 31. *In* 6. *Non licet Actori, quod Reo licitum non existit*; hæc enim restringenda ad Ordinem Judiciarium, in quo uterque

uterque æqualis esse debet; differentia de quâ agitur, spectat qualitatem personarum vel rerum.

SECTIO VI.

Ecclesiam contrà Ecclesiam præscribere posse, modò res ejus malè non fuerint alienatæ, ac possideri possint, neque precariò tantùm possideantur.

I. Aliquandò locus aliquis tanto tempore probatur per testes ab Abbatibus pleno jure possessus, ut videatur Monasterium in eo jus Episcopale legitimè præscripsisse. *De in integrum restit.* Cap. *Auditis.* med. LIB. I. DECR. *Tit.* 41. Cap. 5.

II. Clerici quilibet, quantâcumque diuturnitate temporis de Ecclesiæ remuneratione aliqua possederint, in jus proprium præscriptione temporis non revocentur, dummodò pateat Ecclesiæ rem fuisse; ne videantur eam Episcopi tempore administrationis prolixæ, aut precarias, cùm ordinati sint, facere non debuisse; aut diù retentas facultates in jus suæ proprietatis posse transcribere. CAUS. XVI. QUÆST. III. Cap. 11. *Clerici.* Adde quod illarum rerum usufructus tantùm dabatur ad vitam, ideòque præscriptioni non erat locus. *Ex* CONC. AGATH. *Cap.* 59. ann. 506.

Clerici ratione præscriptionis proprietatem Beneficiorum non possunt sibi vindicare, dummodò res constet fuisse Ecclesiæ; quia si præscribi possent, nec Episcopi, nec alii Prælati precarias facere deberent, & quia Prælati secundùm hoc in rebus Ecclesiæ diù retentis, proprietatem sibi possent vindicare. *Glossa.*

III. Si Episcopus humanitatis intuitu mancipiola, vineolas, vel terrulas Clericis, aut Monachis, vel quibuslibet præstiterit excolendas, vel pro tempore tenendas; etiamsi longa transiisse annorum spatia comprobentur, nullum Ecclesia præjudicium patiatur; nec Sæcularis Legis præscriptio, quæ Ecclesiæ aliquid impediat, opponatur. CAUS. XVI. QUÆST. III. *Cap.* 12. *Si Episcopus.* Is possidet nomine Ecclesiæ, ideòque contra illam præscribere non potest. *Ex* CONCIL. AURELIAN. I. *Cap.* 23. ann. 511. Ex *Concil.* TOLETANO IX. *Cap.* 8. ann. 655. Docet quod præscriptio contrà Ecclesiam, cujus res alienatæ irritè sunt à Ministro ipsius, non currit à tempore alienationis, sed à morte illius; sic enim se habet; „Nusquam poterit ad tricennium temporis pertinere vita irritè judicantis, quia status contractuum initia non assumpsit ab origine æquitatis „. CONC. TOM. VI. *p.* 455.

IV. Si Sacerdotes vel Ministri, dum gubernacula Ecclesiarum administrare videntur, contra Patrum Sanctissimas Sanctiones, de rebus Ecclesiæ definisse (*a*) aliqua dignoscuntur; non ea die, de quo talia scribendo decreverunt, sed ex die, quo talia moriendo definita reliquerunt, supputationis ordo subtrahit; (*b*) numquam enim poterit ad tricennium temporis pertinere vita irritè hoc judicantis; quia status contractuum initia non sumpsit ab origine æquitatis. CAUS. XVI. QUÆST. III. *Cap.* 10. *Si Sacerdotes.* Ex Can. mox citato pars ultima relata est; nunc integer descriptus. (*a*) Id est suâ definitione alienasse. *Glossa*, verbo, *Si Sacerdotes.* (*b*) Præscriptio non currit in vitâ Prælati malè alienantis, sed post mortem; quia contractus non sumpsit initium ab origine æquitatis. *Glossa.* Vide LOUETIUM TOM. II. *litt.* P.

Ecce, Episcopus alienavit res Ecclesiæ in casu illicito; dicitur hìc, quòd vivente Episcopo nulla præscriptio currit contrà Ecclesiam in rebus illis; sed eo mortuo incipit currere. *Glossa*, *Ibid.* Posito quod possessor ignoret vitium malæ alienationis, alioqui nec post mortem alienantis currit præscriptio, cùm sine bonâ fide nulla sit præscriptio.

SECTIO VII.

Præscribi non posse limites Diœceseon ac Parrochiarum, quando semel constituti ac fixi fuerint.

I. Nullâ præscriptione statum Parrochiarum qui perpetuæ (*b*) ætatis firmitate duravit, patimur immutari; quia nec negligentia Pontificis, nec temporalis objectio (quæ per incuriam fortè generatur) neque ignaviâ faciente consensus adhibitus, nec subrepente supplicatione præceptio divellere potest semel Diœcesim constitutam, ex quâ semper ad regenerationem atque consignationem plebs devota convenit. CAUS. XVI. QUÆST. III. Cap. 5. *Licet in regulis. med.* (*b*) id est, incipiet numerari. *Glossa*, *Hoc verbo.* GELASIUS MAXIMO & EUSEBIO *Episcopis.* fortè ann. 494.

II. Si de spatiis, de quibus memoratur orta contentio, definitio dudùm certa processerit, intemerata servetur. CAUS. XVI. QUÆST. III. Cap. 7. *Dilectio. init.*

III. In Regulis continetur antiquis, Parrochias unicuique Ecclesiæ pristinâ dispositione deputatas, nullâ posse ratione convelli, ne per consuetudinem pessimam exempli mali, temeritate crescente, universalis confusio nasceretur. *Ibid. init.* Cap. 5. GELASIUS.

IV. Si Basilicam veris signis limes præfixus monstraverit possidentis Ecclesiæ, cujus est jus retentionis, fit æternum dominium. CAUS. XVI. QUÆST. III. *Cap.* 6. *Inter. med.*

V. Si limes legitimus eandem Basilicam non concludit, & tàm longi temporis probetur objecta præscriptio, illi silentium imponit. *Ibid.* Sin verò intra metas illius temporis extra alienos terminos Basilicæ injusta retentio reperitur, repetentis Episcopi juri sine morâ restituetur. *Ibid. fin.*

VI. Si nihil unquàm constiterit terminatum, tunc de præscriptione temporum, si qua pars confidit, præbeat Sacramentum. *Ibidem.* Cap. 7.

De finibus, & his quæ finibus cohærent, non præscribendis, statutum per Canones esse dignoscitur, si fines legitimâ probatione, vel aliàs indubitatâ fide constiterit Ecclesiasticâ ordinatione statutos. *De Parrochis.* Cap. *Super eos.* LIB. III. DECR. *Tit.* 29. Cap. 4.

Idem est in Parrochiarum limitibus, sicut in Provincialibus servandum. *Ibid.*

Concil. EMERIT. ann. 666. *Cap.* 8. TOM. VI. CONC. *p.* 502. ad rem non facit; loquitur tantùm de præscriptione tricennali aliàs inter Ecclesias usitatâ; nihil habet de finibus non præscribendis.

Ratio impræscriptibilitatis finium est, quod nullius sunt, nec esse debent, cùm positi sint ad distinguendas vicinorum possessiones, ne quis alienum jus usurpet, indèque proveniant frequentia inter eos jurgia in litibus circa fines. Pars utraque est Actor & Reus, sicut in omni communi dividendo. GONZALES *Cap.* 3. *De Probat. n.* 16. & Cap. 9. *De Præscript. n.* 5.

Hìc erat dicendi locus de aliis rebus, quæ impræscriptibiles sunt, qualis visitatio, correctio, obedientia & reverentia Prælato debita, procurationes, bona publica, de quibus singulis nonnihil notabitur in Sectione XII. Ac inter alia mutationes, circà illa factæ, si quæ fuerint.

SECTIO VIII.

Non valere præscriptionem contra Ecclesiam Romanam, nisi sit centum annorum; & contrà quaslibet alias Ecclesias, nisi sit quadraginta annorum.

I. Venerandæ Romanæ Leges Divinitùs per ora piorum Principuum promulgatæ, rerum Romanæ Ecclesiæ præ-

præscriptionem non nisi per centum annos admittunt. CAUS. XVI. QUÆST. III. *Cap.* 17. *Nemo.* fin. Vide notam VAN-ESPEN *in Commentario ad* GRATIANUM, docentis, privilegium centenariæ præscriptionis datum fuisse omnibus Ecclesiis à JUSTINIANO, & revocatum ab eodem, nullâ factâ mentione Ecclesiæ Romanæ, nec posteà concessum eidem ab ullo Imperatore; ideòque errans in facto JOANNES VIII. LUDOVICO REGI fortè circa annum 878. scripsit, quod refert Canone relato; deinde ostendit idem Author, quomodò hic error irrepserit in Authenticis post hunc Pontificem, atque Successores ipsius, ac Juris Canonici Interpretes secuti fuerint. Hinc revocatum privilegium ob bonam fidem tot Pontificum & consensum Principum usu multorum sæculorum revixit: *Contra Romanam Ecclesiam, non nisi centenaria præscriptio currit. De Præscript.* Cap. *Ad Audientiam. §. 2. post med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 26. Cap. 13.

CUJACIUS *in hoc Cap.* quod jungit cum sequenti, idem docet quod VAN-ESPEN, addens, quod ea non obstante revocatione absolutâ, JOANNES VIII. INNOCENTIUS III. & BONIFACIUS VIII. Ecclesiæ Romanæ hanc præscriptionem tribuerunt, cujus probatio valde difficilis est.

In juribus ad Romanam Ecclesiam spectantibus currit sola centenaria præscriptio. Summa.

II. Tam Legali quam Canonica est definitione statutum, ut contra Romanam Ecclesiam, quæ gaudet privilegio speciali, nonnisi centum annorum præscriptio locum sibi valeat vindicare. *De Præscript.* Cap. *Cùm vobis. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 26. Cap. 14. *Vid.* GONSAL. *n.* 4. ubi prætendit JUSTINIANUM fecisse Novellam speciatim in favorem Ecclesiæ Romanæ, & nunquam revocasse, sed probationes id non invictè ostendunt.

III. Adversùs Romanæ Ecclesiæ possessiones & jura, nonnisi centenaria currit præscriptio. *De confirmatione utili.* Cap. *Cùm Dilecta. §. 2. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 30. Cap. 4.

IV. Centenaria præscriptio sola currit adversùs Romanam Ecclesiam. *De Præscript.* Cap. *Si diligenti. fin.* Cùm Papa sit Princeps Supremus in terris patrimonii Sancti Petri, statuere potuerat ergà subditos suos, ut Ecclesiæ suæ alia præscriptio objici non possit, quàm centenaria.

V. Volumus te, si Monasterium, fines, de quibus causatio mota est, inconcussos quadraginta annis possedisse repereris; nullam deinceps (etiamsi quid Sanctæ Romanæ Ecclesiæ competere potuit) patiaris sustinere calumniam; sed quietem eorum inconcussam omnibus modis procurare. CAUS. XVI. QUÆST. IV. *Cap.* 2. *Volumus. post init.*

GREG. I. PETRO *Subdiacono* LIB. I. *Epist.* 9. ann. 590.

VI. Neque decennii, neque vicennii, vel triginta annorum præscriptio; sed sola quadraginta curricula Religiosis domibus opponantur, non solùm in cæteris rebus, sed etiam in legatis & hæreditatibus. CAUS. XVI. QUÆST. IV. *Cap.* 3. *Neque.* LIB. V. *Capitularium. Cap.* 236.

VII. Romana Ecclesia tricennalem præscriptionem contra Ecclesiam non admittit. *De Præscrip.* Cap. *De quarta. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 26. Cap. 4.

VIII. Quadragenalis præscriptio omnem prorsùs actionem excludit. *De Præscript.* Cap. *Ad aures. §. 1. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 26. *Cap.* 6.

Adversùs Ecclesias minorem præscriptionem, quàm quadraginta annorum, Romana Ecclesia non admittit, licet quidam Canones comprobent tricennalem. *Ibid.* Cap. *Illud.* init. LIB. II. DECR. *Tit.* 26. Cap. 8.

IX. Ecclesia se potest adversùs Ecclesiam quadragenariâ temporis præscriptione tueri, de re illâ, quam inconcussè quadraginta annis noscitur possedisse. *Ibid.*

X. Nullus in apprehendendis vel occupandis quandocumque bonis, quæ a Romana, vel ab aliis aliqui tenent Ecclesiis, ipsis Ecclesiis temporis lapsus obsistat; nisi contrà ipsam Romanam Ecclesiam centenaria, vel contrà alias quadragenaria præscriptio, legitimè sit completa. *In 6. De Præscript.* Cap. *Si quis.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 2.

Cùm ex dictis testium, & confessione Advocati alterius Partis non revocatâ, postmodùm apparet evidenter, quòd nonnisi triginta sex annorum ad plus tempus effluxerit, Clerici ad solutionem denariorum Papiensium, vel æstimationem eorum condemnari debent. *De Censib.* Cap. *Olim.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 29. Cap. 20.

Si Lucenses recepti fuissent pro Papiensibus, quadraginta annis præscriptum esset in solutione Papiensium. *Glossa*, verbo, *Nonnisi triginta sex.*

SECTIO IX.

Præscriptionem non esse legitimam adversùs Ecclesiam, nisi sit continua, seu sine interruptione, & pacifica, seu sine lite.

I. Si Abbas & Monachi sufficienter ostenderint, quòd à Templariis decimas de terris aliquibus per quadraginta annos continuè perceperint sine lite, vos ad præstationem ipsarum Templarios compellatis. *De privilegiis.* Cap. *Accedentibus. §. 1.* init. LIB. V. DECR. *Tit* 33. *Cap.* 15.

II. Si tanto tempore Beneficium extitit ab uno vel pluribus continuè ac pacificè, tamquàm Sæculare vel tamquàm Regulare, gubernatum, ut præscriptio legitima sit completa. *In 6. De Prabendis.* Cap. *Cùm de Beneficio.* LIB. III. *Tit.* 4. *Cap.* 5. Sæculare est vel Regulare.

Ut possessio inducat præscriptionem, requiritur, quòd sit continua & pacifica. *Glossa.*

III Si Autores Ecclesiæ Monachos non possedisse quadraginta annis inconcusso jure monstraverint, sed aliquam intrà tempora hæc motam aliquando fuisse quæstionem; tranquillè & legaliter sopiatur. CAUS. XVI. QUÆST. IV. Cap. 2. *med.* GREG. I. PETRO *Subdiacono.* LIB. I. *Epist.* 9. ann. 590.

IV. Si de præscriptione & interruptione inter Partes fuerit mota quæstio, ab utraque Parte testes recipi debent; & si probata fuerit interruptio, præscriptio non tenebit. *De Præscript.* Cap. *Illud. §.* 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 26. *Cap.* 8.

Præscriptio debet esse continua & non interrupta. *Glossa.*

V. Cùm Ecclesia interruptionem probavit circà aliquos articulos, super his jus adjudicetur eidem; si tamen circa illos intra quadraginta annos interruptio facta fuit. *De præscrip.* Cap. *Auditis. §.* 2. LIB. II. DECR. *Tit.* 26. Cap. 15.

Hinc sequitur quod præscriptio non interrumpatur ipsa citatione, sed litis contestatione, vel factâ, vel habitâ pro factâ, ut in casu contumaciæ.

VI. Ex eo die, quo possessor ad judicium vocatus est, lis ad interrumpendam præscriptionem longi temporis censetur contestata. *Ut lite non contestatâ.* Cap. *Quoniam. §.* 8. *med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 6. *Cap.* 5. CUJACIUS in illud id docet his verbis; *Præscriptio sanè interrumpitur litis contestatione;* hoc est certissimum, sed & conventione, & vocatione in jus, probatque multis Legibus.

Præscriptio possessoris interrupta est per hanc denunciationem, & lis est quasi contestata quoad interrumpendam præscriptionem. *Glossa*, verbo, *Contestata.* Loquitur de denunciatione factâ jussu Judicis rei Domino, cujus nomine alius illam possidet.

VII. Contrà præscriptionem interruptio medii temporis, Civilis pariter & naturalis, objici potest. *De fide instr.* Cap. *Inter Dilectos. In int. post med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 6.

VIII. Cùm post citationes legitimas, Reo absente contumaciter, pro Actore fuit lata Sententia; & ipsius nomine corporalis possessio assignata, quam per

sex

sex annos & ampliùs habitam in bello amisit, per id præscriptio civiliter & naturaliter ioterrumpitur. *Ibid.*

Lougævitas temporis, seu præscriptio Ecclesiæ non potest nocere, cùm Pars Adversa nullâ rarione probat subjectionem continuam vel frequentem. *De Sent.* Cap. *Cùm inter. med. in lut.* Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 13. Dictum Partis in jure fundatum.

SECTIO X.

Præscriptio non currit contra Ecclesiam, eâ vacante, & Prælato absente, vel legitimè impedito, nec tempore hostilitatis.

I. Si fortè per tantum temporis spatium Ecclesia interim vacaverit, ut tempore vacationis subducto, præscriptio minimè sit completa; non videtur alia Ecclesia jus in eâ legitimè præscripsisse. *De in integrum restitut.* Cap. *Auditis.* Lib. I. Deca. *Tit.* 41. Cap. 3. *Concil.* Tolat IX. *anno* 655. *Can.* 8. Tom. VI. Conc. *p.* 453. Loquitur de tempore injustæ possessionis detrahendo.

Deducendum est tempus vacationis in præscriptione. *Glossa*, verbo, *Subducto.*

II. De quartâ Decimæ, Clericus ab impetitione Episcopi, quadragenariâ præscriptione temporis se posse tueri videtur, nisi fortè interim Pastoralis Sedes caruisset Pastore, qui jura Ecclesiæ suæ exigere debuisset. *De Præscript.* Cap. *De quartâ. init.* Lib. II. Deca. *Tit.* 26. Cap. 4.

Vacanre Ecclesiâ non currit præscriptio, *Glossa.* Sic istud tempus subducitur. *De Præscriptionib. Glossa*, verbo, *caruisset.*

III. Cootra Romanam Ecclesiam tempora intercedentium Schismatum, secundùm Juris ordinem, cursum præscriptionia impediunt; nec debent aliquatenùs computari; sed diligenti consideratione habitâ de ipsâ computatione deduci. *De Præscript.* Cap. *Cùm vobis. med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 26. Cap. 14.

Tempore Schismatis non currit præscriptio. *Glossa.* Tempus Schismatis deducitur de præscriptione. *Glossa*, verbo, *deduci.*

IV. Audiri debent probationes super tempore quò intrà quadraginta annos Sedes Episcopalis vacavit; & si per tantùm temporis vacasse constiterit, ut illo subducto non sit quadragenaria completa præscriptio, in illis Ecclesiis Jus Episcopale adjudicetur Episcopo. *De Præscript.* Cap. *Auditis.* §. 2. med. Lib. II. Decr. *Tit.* 26. Cap. 25.

Tempus vacantis Ecclesiæ debet deduci de præscriptione. *Glossa.*

V. Si non fuerit Episcopua qui posset locum repetere, non præjudicetur Matrici Ecclesiæ, sed liceat, cùm locus acceperit Episcopum, repetere. *De Præscript.* Cap. *Placuit.* med. Lib. II. Deca. *Tit.* 26. Cap. 1. Vacante Ecclesiâ, non currit præscriptio. *Glossa.*

VI. Si fuerit Episcopus ad Catholicam fidem conversus, non ei præjudicet præfinitum rempus; sed ex quo die conversus est, habeat potestatem repetendi locum, qui ad ipsam Cathedram pertinebat. *Ibid.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 26. Cap. 1.

Non currit præscriptio eo tempore, quò Episcopus Catholicus non est; tunc enim comparatur vacanti Ecclesiæ. *Glossa*, verbo, *Si non fuerit.*

Tempore hostilitatis non currit præscriptio. *Glossa.*

VII. Decimæ & Oblationes Matrici Ecclesiæ, præscriptione hostilitatia tempore non currente, restitui debent. *De Præscript.* Cap. *Ex transmissâ.* §. 1. *fin.* Lib. II. Deca. *Tit.* 26. Cap. 10.

Tempus hostilitatis non currit, imò illud subducitur de præscriptione. *Glossa*, verbo, *Non currente.*

VIII. Ultrà tres menses, justo impedimento cessante, eligendi potestate careant eâ vice. *De Elect.* Cap. *Pro defectu.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 41.

Vide *Conc.* Baluanense ann. 1114. Tom. X. *Tom. III. Tract. de Contractibus.* Conc. *p.* 799. Illi, qui oon potest agere, non currit præscriptio. *Glossa.*

IX. Placuit, ut omnis Parrochia, quam antiquâ ditione antè militarem hostilitatem terinuisse Ecclesiam suam quisque comprobaret, ejus privilegio restitueretur; sicut enim per Legem mundialem iis, quos barbatica feritas captivâ necessitate transvexit, postliminio revertentibus redditur antiqua possessio; non aliter & Ecclesia receptura est Parrochiam, quam antè tenuit cum rebua suis, sive ab aliis Ecclesiis possideatur, sive in cujuslibet possessionem transfusa sit. Caus. XVI. Quæst. III. *Cap.* 13.

Ex Concilio Hispalensi II. *Cap.* 1. anno 619. cui interfuit Isidorus hujus Civitatia Episcopus.

Jura hostiliratis tempore ablata, jure postliminii restituuntur. Hic est unus casus, scilicet hostilitas, in quo non currit præscriptio.

Non erit objicienda præscriptio temporis, ubi necessitas interest hostiliratis. *Ibid. fin.*

X. Si de annorum numero quis causatur, sciat, quia inter Christianos, & eos qui unius fidei sunt, numerua certus affixus est, ubi Paganorum & incredulorum furor in causâ est, quantalibet prætereant tempora, juri non præjudicant Ecclesiarum, quæ corporalia nescientes arma, solum Dominum & propugnatorem suum, quando ei placuerit misereri, patienter expectant. Caus. XVI. Quæst. III. *Cap.* 14. *Porrò.* Joannes VIII. Paulo *Episcopo fungenti legatione in Germaniâ & Pannoniâ.* fortè circ. ann. 876.

Temporia non currit præscriptio ubi furor hostilitatis incumbit. *Summa.*

Doctrina Textuum collectorum fundamentum habet in Regula: *Ad impossibile nemo tenetur*; impotentia autem nascitur ex vacatione Sedis, ex infidelitate Rectoris, ex schismate, ex hostilitate Adversarii, ex captivitate, aliisque similibus impedimentis.

SECTIO XI.

Præscribi contra arbitrium, & super donationibus: Privilegium donationis præscriptionem elidere.

I. Licet Episcopus arbitrium, super jure Episcopali promulgatum, alleget; si Abbas sufficienter ostendit, Monasterium suum super aliquibus articulis legitimâ præscriptione munitum, Abbas ipse ab impetitione Episcopi super jam dictis articulis est absolvendus. *De Præscription.* Cap. *Cùm olim.* §. 3. Lib. II. Deca. *Tit.* 26. Cap. 18.

Contra arbitrium præscribitur. *Glossa.* Idem dic de quavis alia sententia.

Sic Abbas, quæ amisit per arbitrium, recuperavit in præscriptione. *Glossa*, verbo, *Præscriptione munitum.*

II. Cùm grave detrimentum, sive de possessionibus, sive de proventibus ad Ecclesiam pertinentibua, in quantalibet portione constiterit esse collatum, poterit legitimè revocari, nisi præscriptione actio hujusmodi excludatur. *De donationibus.* Cap. *Apostolicæ. fin. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 24. Cap. 9.

In donationibus valet præscriptio. *Glossa.*

Facti quæstio est, utrum lædatur Ecclesia graviter; & ideò Ecclesia, quæ recipit, cùm habeat titulum & bonam fidem, præscribere potest. *Glossa*, verbo, *Præscriptione.*

Præscriptioni renunciat, qui privilegium donationis impetrat; quia dominium ex diversis causis habere non potest; sed si impetrat privilegium confirmationis, illud non obstat, quia firmat jus quo utebatur, scilicet præscriptionem. *Glossa*, verbo, *Intentioni.*

Qui privilegio est usus, non potest præscriptionem in suum subsidium opponere; quia si consummata erat, quando privilegium impetravit, juri præscriptionis renunciasse videtur; si verò nondùm consummata erat præscriptio, sed erat in præscri-

bendo, post impetratum hujusmodi privilegium, bonam fidem non habuit, & ideò secundùm Canones non præscripsit. *De Præscript.* Cap. *Veniens.* §. ult. LIB. II. DECR. *Tit.* 26. Cap. 19. Vide *Glossam ad* Cap. 15. *Auditis*, verbo, *Præscripsisse. init. De Præscript.*

Præscriptio & Privilegium sunt contraria. Ex diversis causis Titulus sive Dominium haberi non potest. Qui habet privilegium, præscriptio quoad hoc nihil addit. *Glossa.*

Quod dictum est rem eamdem haberi non posse ex diversis Titulis, adversari videtur Regulæ docenti *licitum esse uti pluribus defensionibus*; cùm defensiones diversæ censeantur esse diversi Tituli. CANISIUS *in hanc Regulam*, quæ est 22. SEXTI vidit contrarietatem apparentem illius cum citato *Cap.* 19. *De Præscrip.* ac illam cum hoc conciliare nisus est, ex eo quòd exceptiones diversæ, quibus Abbas utebatur in hoc Textu, erant contrariæ, ideòque non admissibiles, nempè privilegium & præscriptio, quæ simul stare non possent; cùm privilegium hic includeret renunciationem præsumptam præscriptioni, posito quod obtentum fuisset, postquàm jam consummata esset; vel malam fidem, si impetratio facta esset antè consummationem præscriptionis. Idem ibidem notat, hac in re Reum gaudere privilegio quo Actor caret, cùm unica actione uti debeat. *Videsis illum, necnon &* GONZALEM easdem difficultates enodantem *in idem Caput* 19.

SECTIO XII.

Observationes, quibus supplentur quæ desunt, & enucleantur quæ obscura sunt.

Mentio nulla facta est de præscriptione triennali inclusa in Decreto *De pacificis*, de quo Pragmatica Sanctio & Concordata; nec de præscriptione quinquennali contenta in Decreto *De reclamatione* contra invalidam professionem Religiosam, quod habetur *Cap.* 19. SESS. XXIV. *De Regular.* de quibus indicandi saltem erant loci, ubi de illis agebatur. Idem de præscriptione trimestri datâ ad eligendum; de semestri data ad conferendum, aliave simili circa Beneficia, dicendum est.

In genere dictum est, illos, qui possidere non possunt, præscribere non posse; necnon & illa, quæ possideri nequeunt, præscriptioni non esse obnoxia; idque certissimum, cùm possessione præscribatur, ideòque incapax esse præscriptionis debeat, qui incapax est possessionis, atque etiam impræscriptibilia esse oporteat, quæ possideri non possunt ab illis, qui illa detinent.

Ut autem præclarum hoc principium illustretur, addenda hic quæ ex illo sequantur.

Hinc 1°. Cùm servi, Monachi, aliive similes sibi possidere non valeant, sibi præscribere non possunt.

2°. Cùm Laici res spirituales, ipsisque annexas possidere nequeant, nec illas præscribere valent: Tales sunt Decimæ, oblationes, procurationes, aliaque cætera, quæ inter jura Episcopalia vel Parochialia recensentur, quæque Episcopis vel Parochis non debentur, nisi ob functiones spirituales his vel illis peculiares.

3°. Cùm qui potestate Ordinis carent, ea quæ sunt Ordinis possidere non possint, illa quoque præscribere non valent.

4°. Cùm nullus homo possit esse Dominus Juris Naturalis vel Divini, nec ullus subditus Juris Publici, necessè est illa impræscriptibilia esse quoad omnes homines erga duo priora, & quoad subditos erga postremum.

5°. Cùm limites agrorum, Diœceseon, Parochiarum, utpotè positi ad distinguendas possessiones, à nullo possideri queant, ne indè vitanda confusio nasceretur, ex eo necessè est ut impræscriptibiles sint.

6°. Cùm Jure Naturali & Divino ovis debeat Pastori suo reverentiam & obedientiam, cùmque eodem Jure visitanda & corrigenda ab eo sit, ut hæc singula impræscriptibilia sint, oportet; eòque magis, quòd nulla ovis possit esse Pastor suus; quemadmodum, nec ullus subditus, Prælatus suus, propter incompatibilitatem illarum qualitatum in eodem.

Procurationes inter res impræscriptibiles supra collocatæ sunt; attamen nunc juxtà *Conc.* TRID. *Cap.* 3. SESS. XXIV. præscriptibiles sunt, cùm obligatio illas solvendi à consuetudine pendeat, ut ibidem declarat. Sunt ergo quædam impræscriptibilia, quæ succedente tempore præscriptibilia fieri possunt; ejusmodi sunt illa omnia, quæ solo Humano Jure talia sunt; & ratio impræscriptibilitatis cessare potest, quâ cessante, Legislator vult, ut præscribi possint; Jus enim Humanum est in se præscriptibile, & consuetudine aboletur si consentiat Legislator; iste autem consentire potest, ut quod voluerat esse impræscriptibile, fiat præscriptibile, accedente causâ quæ postulat id ita fieri, ut contingit in procurationibus, quæ necessariæ sunt, cùm Visitatores suis sumptibus visitare non possunt, ob modicitatem proventuum suorum, & visitandi adeò divites, ut illos procurare possint sine suo notabili incommodo. E contrà necessariæ non sunt, cùm Visitator dives est ex proventibus Beneficii sui, & visitandi pauperes, ita ut illum non possent, sine magno incommodo, procurare.

Ob parem causam, Visitatio Legatorum, Nunciorum, Patriarcharum, Primatum, Metropolitanorum erga districtum suum integrum, quæ olim impræscriptibilis erat, cùm Canones qui dicunt, visitationem præscribi non posse, indistinctè loquantur; successu temporis præscriptibilis facta esse videtur; aliàs existimabatur necessaria, & erat; posteà aliter de illa judicatum est, habitaque ut dura idque non immeritò, ob varias causas; cùm 1°. esset onerosa subditis, qui tenebantur illis omnibus Visitatoribus procurationes præstare, pro illorum dignitate, & permissis ipsis excessivis erectionibus. *Cap.* 6. *De Censibus.* 2°. Hinc ut plurimùm oriebantur Constitutiones contrariæ Diœcesanis, quæ subditos molestare poterant.

Frustrà GONZALEZ in *Cap.* 12. *De Præscrip. n.* 4. contendit, procurationes etiam nunc esse impræscriptibiles, etiamsi agnoscat ex consuetudine introduci posse, ut illæ non debeantur, cùm consuetudo Canonica esse possit, nisi sit legitimè præscripta *Cap.* 11. *De Consuetudine.* Non obstant rationes quas adducit, nempè aliam esse consuetudinem, aliam præscriptionem, & Consuetudinem; debere esse rationabilem, & ex pluralitate actuum introductam; nam, ut dictum est, præscriptione opus est, ut valeat consuetudo, ac etiam rationabilis esse debet cum justo titulo egeat, & in eâ actuum pluralitas necessaria est, cùm agitur de præscriptione non solvendi certa jura solvenda quotannis, vel multoties intra 40. annos.

Inter alias res, quæ impræscriptibiles in jure dicuntur, nulla apparet, quæ præscriptibilis facta videatur; quia ratio impræscriptibilitatis illarum semper subsistit. v. gr. Visitatio Episcopi ergà Diœcesanos remanet impræscriptibilis, quia ad correctionem morum necessaria est, & ista est Juris Publici, contra quod nulla præscriptio. Idem dicendum de obedientia ac reverentia debita Episcopo à subditis suis; nam eâ sublatâ, recederent membra à capite; quod non licet, nisi caput recedat à ratione; disrumperetur quoque nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, quo malo nullum pejus. Impræscriptibilitas finium semper manere debet; alioqui frustrà ponerentur, cùm ponantur ad vitandam confusionem possessionum, & illorum præscriptione permissâ rediret confusionis periculum. Idem sentiendum de impræscriptibilitate Juris, sive Naturalis, sive Divini, sive Publici: Illius ratio semper viget; nam primum & secundum sunt immutabilia, cuique homini superiora, proindèque cuivis Juri Humano, quo præscriptio inducta est, ideòque semper illi prævalere debent. Tertium respicit proximè bonum publicum, cui quodvis bonum privatum, cui favet præscriptio, cedere debet; undè Regula immobilis, Privatorum pacto Juri Publico derogari non potest.

Hinc

Hinc cùm adimpletio votorum sit Juris Naturalis & Divini, nulla consuetudo vel præscriptio quidquam introducere potest, quod illi adversetur, quod reformari non debeat. Gonzalez in *Cap.* 17. *De Censibus. n.* 4. Hinc etiam cum solutio census vel tributi sit Juris Publici, contra illam nulla præscriptio. *Ibid.*

Non confundenda præscriptio centenaria cum præscriptione immemoriali; quia etsi illa semper sit immemorialis, ista non est semper centenaria, cùm multa excedant memoriam hominum, quæ non sunt centum annorum. Gonzalez in *Cap.*14. *De Præscr.n.*8.

Ad interrumpendam præscriptionem Jure Canonico sufficit omnis actus, quo præscribens in malam fidem incidere potest. *Idem Cap.*9. *De Præscrip. n* 81.

Omnis ferè præscriptio pœna est negligentiæ illius, contra quem fit. *Idem* in *Cap.*5. *De Concess. Præb n.*4.

Jure Canonico res discontinuæ & res continuæ non differunt quoad tempus ad illarum præscriptionem requisitum; ad utrasque sufficit tempus 40. annorum. Res discontinuæ illæ sunt, quarum jus quidem est perpetuum, sed fructus Juris non percipiuntur, nisi per certa intervalla. *Idem* in *Cap.* 29. *De Decim. n.* 2.

In rebus meræ facultatis præscriptio negativa locum non habet, sed requiritur præscriptio contraria. Fagnan. in *Cap.* 2. *De Adulter. n.* 42. Ratio prioris est, quia in his non usus provenit aliundè, quàm ex negligentiâ, aut ex voluntate renunciandi juri suo, sed ex eo quòd non libet illo uti: Posterioris verò ratio est, quia sinens fieri actus contrarios juri suo, & tacens, illi tacitè renunciat, juxta *Regul.* 43. *In* 6. *Qui tacet consentire videtur.*

TITULUS III.

De Contractibus; ubi paucis præmissis quæ illos generatim spectant, de nonnullis tantùm in specie agitur.

SECTIO I.

Contractus ex conventione legem accipit. De illo ex formâ contractûs judicandum. Non dissolvitur, nisi contrariâ voluntate. Plena in iis interpretatio adhibenda.

I. Contractus ex conventione Legem accipere dignoscuntur. *In* 6. *De Reg. Juris. Reg.* 85.

Pacta inter alios acta, aliis obesse non patimur. *De Transact.* Cap. *Veniens. in int. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 36. Cap. 8.

Quoties in conventionibus Superioris expectatur assensus, ne in dubium veniant quæ geruntur, ratihabitio eas debet pro securitate Partium solidare. *De Pactis.* Cap. *Quoties;* Lib.I. Decr. *Tit.* 35. Cap. 1.

II. Qualiscumque fuerit intentio contrahentium, ex forma contractûs de illa debet judicari. *De Pignorib.* Cap. *Illo. §.* 2. *init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 21. Cap. 4.

Cùm dubitatur de intentione contrahentium, formæ contractûs standum est. *Glossa.* Sic fraudi obviam itur.

III. Quod semel placuit, ampliùs displicere non potest. *In* 6. *De Reg. Juris. Reg.* 21.

IV. Omnis res (a) per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. *De Reg. Juris.* Cap. 1. Id (a) est, omnis obligatio sive contractus; quod enim consensu fit, contrariâ voluntate dissolvitur. *Glossa*, verbo, *Omnis res.*

In contractibus plena est interpretatio adhibenda. *De donationib.* Cap. *Cùm dilecti. §.* 1. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 24. Cap. 6.

Inter contrahentes potiùs consideratur, quod reverâ agitur, quàm quod dissimulatè concipitur. *Glossa ad* Cap. 5. *Ad nostram. Tit.* 17. *De emptione.* Lib. III. Decr. Idem habetur in *Cap.* 4. *De Pignoribus.* In utroque agitur de usura palliata sub titulo emptionis vel pignoris.

SECTIO II.

Contractus bonæ fidei non dissolvuntur: Nulla in eis perfidia debet esse: Cùm violenter aut illicitè contractum est, non debet stare.

I. Contractus, qui ex bonâ fide oritur, ad perfidiam minimè referatur. *De deposito* Cap. *Bona fides. §.* 1. *med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 16. Cap. 2.

II. Inter homines, solet bonæ fidei contractus nullâ ratione dissolvi. Caus. XXVII. Quæst. I. *Cap.* 9. *Hæ verò. med.* & Cap. 2. *Viduas. §.* 1. *fin.* Innocent. I. *Epist.* 2. *ad* Victricium. Cap. 13. *an.* 404.

III. Detestabiles versutiæ bonæ fidei contractibus sunt inimicæ, & non solùm in Clericis, sed etiam in quibuslibet Mercatoribus condemnantur. *De locato & conducto.* Cap. *Ex Rescripto. in int.* Lib. III. Decr. *Tit.* 18. Cap. 1.

IV. Non dicuntur tamen contractus bonæ fidei, quia in eis tantùm servari debeat bona fides; quia in contractibus stricti juris servari debet bona fides, & in quocumque contractu intervenire debet bona fidea: Dicuntur contractus stricti juris, quia non venit in iis nisi quod strictè patitur eorum natura, undè non veniunt usuræ in contractibus stricti juris, nisi specialiter sint promissæ. *Glossa*, verbo, *Bonæ fidei.* ad Cap. *Cùm venerabilis. De except.* Lib. II. Decr. *Tit.* 25. Cap. 6. Vide *ibid.* alias differentias.

In Galliâ omnes contractus censentur bonæ fidei. *Notæ Juris Gallici super Institut.* Justiniani. Lib. III. *Tit. De obligat. circa finem.*

In contractibus bonæ fidei veniunt usuræ ex tempore moræ. Cum utraque Pars venisse contra contractum ex confessione propria convincitur, utraque Pars à pœnâ reddi potest absoluta. *Ibid. fin.*

Pœna cum pœnâ compensatur. *Glossa.*

SECTIO III.

Quædam Regulæ Generales quæ ad contractus maximè pertinent.

I. Non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non subsistit. *In* 6. *De Reg. Juris. Reg.* 18.

II. Utile non debet per inutile vitiari. *Ibid. Reg.* 37.

III. Quando non stat per eum ad quem pertinet, quominùs conditio impleatur; haberi debet perindè ac si impleta fuisset. *Ibid. Reg.* 66.

IV. Factum legitimè retractari non debet, licet casus posteà eveniat, à quo non potuit inchoari. *Ibid. Reg.* 73.

V. In instrumento exprimi potest certa pœna; quam par est, ut contractum non servans solvat observanti. *De Pœnis.* Cap. *Constitutus. §.*1. *init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 37. Cap. 7.

VI. Quod latenter, aut per vim, vel aliàs illicitè introductum est, nullâ debet stabilitate subsistere. *De Reg. Juris.* Cap. *Cùm quod latenter.* Lib. V. Decr. *Tit.* 41. Cap. 5.

VII. Aliquibus in minori constitutis ætate venditio, quoad partem ipsos contingentem, nulla nunciari debet, si in eâ debita juris solemnitas est omissa. *De in int. restitut.* Cap. *Constitutus.* 8. Decr. Lib. I. *Tit.* 41.

Accessorium naturam sequi congruit principalis. *De Reg. Juris. Cap.* 42. Vide Canisium *in illam*, dubia circa illam resolventem; plura quoque adducit exempla ex Jure Civili desumpta, sicut & Regulam: *Propter par delictum, neuter incidit in pœnam. Glossa*, verbo, *Utramque. med.*

Alias infrà reperies Regulas Tit. VIII.

SECTIO IV.

Vendere est pretium pro re constituere. Venditio alia pura, alia non pura: Prior statim obligat; Posterior nonnisi post conditionis eventum. In dubio ex contractu judicandum.

I. Contractus venditionis super domo celebratus, pro quà centum octoginta librarum pretium tibi fuit constitutum. *De fide instrument.* Cap. *Cùm Joannes. §. 1. med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 10.

II. Idem in centum & octoginta libris tibi pro pretio domûs, quam eidem vendidisti, tenetur. *Ibid.* Cap. *Cùm Joannes. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 22, Cap. 10.

III. Expressiùs exprimit venditionis speciem, qui priùs recipit pretium, quàm rem conferat pretiosam. *De Simoniâ.* Cap. *Tantum. §. 2.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 36.

Celebrata intelligitur venditio, si pretium recipiatur, quamvis traditio rei differatur. *Glossa.*

IV. Domûs venditio non pura, sed conditionalis existit, tali videlicet adjectâ conditione, ut tu domum ipsam inhabites liberè in vitâ tuâ; & post obitum tuum natis emptoris remaneat. *De fide instrum.* Cap. *Cùm Joannes.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 10.

Hujus conditionis intuitu domus ipsa pro minori pretio venditur. *Ibid.*

V. Terras non esse purè venditas, sed pignori obligatas constat, cùm venditioni talis fuit adjecta conditio; ut si à tempore contractûs usque ad duos proximos annos tibi emptio displiceat, Pater tuus abindè usque ad annum viginti sex libras, perceptis fructibus computatis in ipsis, dare debeat. *De pignoribus.* Cap. *Illo vos.* §. 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 21. Cap. 4.

VI. Qui domum purè vendidit, condemnatur, ut emptori prædictæ domûs possessionem vacuam tradat. *De fide instrum.* Cap. *Cùm Joannes. post init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 10.

VII. Si constat venditionem domûs fuisse conditionaliter celebratam, tu ob hoc nullatenùs obligatus es ad traditionem ipsius, nisi impletâ conditione. *Ibid. §. ult.* LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 10.

VIII. Cùm ambigitur, utrùm pura sit & absoluta venditio, ex formâ contractûs judicandum. *De pignorib.* Cap. *Illo vos. §. 3. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 21. Cap. 4.

Aliquando ex formâ contractûs venditio non apparet conditionalis, sed pura; quamvis per conditionem possit resolvi. *Ibid.*

IX. Non est emptio conditionalis, sic facta ut si displicuisset, sit inempta; sed resolvitur sub conditione. *Glossa marg.*

Qui emit, Dominus ejus volens esse quod emerit, per pretium pecuniæ illud acquirit. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 21. *Eos qui. Ex Epist.* TARASII. *Epist. Constantinopolitani* HADRIANO. *an.* 787. *act.* 8. *Concilii* NIC. II. TOM. VII. CONC. *p.* 630.

SECTIO V.

Non plus justo pretio taxato esse vendendum: Non iniquis ponderibus utendum. Ubi deceptio est ultrà dimidiam justi pretii, aut rescindendum contractum, aut supplendum quod deest pro arbitrio decepti.

I. Presbyteri plebes admoneant, ut non cariùs vendant transeuntibus, quàm in mercato vendere possunt. *De Empt.* Cap. *Placuit.* LIB. III. DECR. *Tit.* 17. Cap. 1.

Agitur de justo pretio rerum in foro recepto, quod Lege aut populi consensu statutum est. GONZALEZ hic.

Ex *Conc.* ARVERNENSI celebrato sub VIGILIO Papâ. *ann.* 541. *Can.* 7. GONZALEZ.

II. Non afferamus stateras dolosas, ubi appendamus quod volumus, & quando volumus, pro arbitrio nostro, dicentes, hoc grave, hoc leve est. CAUS. XXIV. QUÆST. I. Cap. 21. *Non afferamus.* S. AUG. LIB. II. *De Baptismo. Cap.* 6. circ. ann. 412.

III. Et mensuræ & pondera justa fiant, sicut in Divinis Legibus sancitum est. *De Empt.* Cap. *Et mensuræ. In integrâ. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 17. Cap. 2.

Si quis justas mensuras, & justa pondera lucri causâ mutare præsumpserit, pœniteat. *Ibid.*

IV. Turpe lucrum est, pondera injusta vel mensuras habere. *Ne Clerici vel Monachi.* Cap. *Multa sunt. med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 50. Cap. 1.

V. Cùm constiterit aliquem in venditione ultrà dimidiam justi pretii fuisse deceptum; emptor aut recepto pretio possessiones restituat; aut suppleat, quantùm constabit, legitimæ venditionis tempore justo pretio defuisse. *De empt.* Cap. *Cum causa. med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 17. Cap. 6. Pars est *Capitis* 42. *De testib.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20.

Tempus venditionis spectandum est, ut restituatur justum pretium. *Glossa, De emtione.* Cap. *Dilecti,* verbo, *Tunc valentem.* Cap. 3.

VI. In arbitrio emptoris est, si velit supplere justum pretium, aut venditionem rescindere, cùm res minùs dimidiâ justi pretii comparatur. *De empt.* Cap. *Cùm Dilecti. §. 2. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 17. Cap. 3.

Cùm res minùs dimidiâ justi pretii comparatur, in optione emptoris est supplere justum pretium, vel recedere à contractu, & recipere pretium quod dedit. *Glossa.*

Ob parem causam optio videtur danda venditori qui deceptus est; nam restitutio conceditur in favorem decepti, juxta regulam: *Deceptis, non decipientibus jura subveniunt.* Ob parem causam idem dicendum de casu, quo emptor deceptus est ultrà dimidiam justi pretii; optio tunc ipsi danda quia deceptus; sed cùm contractus teneat, visum est æquius, ut ei qui læsit, facultas relinqueretur, vel resolvendi illum, vel supplendi quod deest, juxta Regulam; In alternativis debitoria est electio. *In 6.* Vid. CANISIUM *in illam.*

VII. Si Judex, cùm ei constiterit, quod emptores rem minùs dimidiâ justi pretii comparassent, pronunciaverit venditionem non tenere; Sententia ipsa tamquam Juri contraria irritari debet. *Ibid.* §. 1. *&* 2.

Tenet venditio, licet venditor sit deceptus ultrà dimidiam justi pretii. *Summa.*

Quæstio super deceptione pretii in venditione proponi potest. *De empt.* Cap. *Cùm Dilecti. §. 2. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 17. Cap. 3.

VIII. Ut suppleatur, quod deest de justo pretio, probari debet, quanti pretii venditionis tempore possessiones fuere. *De Testib.* Cap. *Cùm causa. §. 1.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 42. *juncta Glossa*, verbo, *Additio. fin.*

Tempus contractûs inspiciendum est, *Glossa,* verbo, *Tempore.*

IX. Aliud est probasse deceptionis excessum, & aliud probare quantitatem valoris. *De Testibus.* Cap. *Cùm causa. §. 2. fin.* LIB II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 42.

Valet probatio, quod ultrà medium fuerunt decepti, ad hoc ut rescindatur contractus. *Glossa*, verbo, *Additio,*

Vid. GONZAL circa *Can.* 3. *De Emptionib. num.* 7. Ubi propositâ quæstione, an emptor deceptus ultra dimidiam justi pretii, gaudeat beneficio venditoris eo modo decepti, duarumque circa illam Sententiarum fundamentis relatis; notat in fine, quod in praxi commune sit utrique beneficium; quod æquissimum est, cùm ratio dictet, damnum illatum sarciendum esse. *Vid. Notam subjectam. n. 6.*

SEC

SECTIO VI.

Bona cum suo onere transire.
Venditor non tenetur de evictione,
I. Si emptor non denuntiavit.
II. Si contumax fuit.
III. Si per injuriam Judicis condemnetur.

I. Bona cum suo onere transeunt ad quemlibet possidentem. *De pignorib.* Cap. *Ex litteris.* §. 2. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 21. Cap. 6.

Res cum onere suo transit. *De decimis.* Cap. *Cùm non sit.* §. 1. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 30. Cap. 33.

II. Si venditori post institutum contrà se judicium, quis omiserit, ut rem venditam sibi defenderet, nunciare; de evictione juxtà legitimas Sanctiones agere non valebit. *De empt. & vendit.* Cap. *Si venditori.* Lib. III. Decr. *Tit.* 17. Cap. 7. *ult.*

Venditor non tenetur de evictione, si non denunciaverit emptor venditori, ut rem sibi venditam defendat. *Glossa.*

III. Si emptor contumaciter abfuit tempore Sententiæ promulgatæ, de evictione juxtà legitimas Sanctiones agere non valebit. *Ibid.*

Si contumax fuerit emptor, quia citatus non venit ad Sententiam, sibi imputetur, si lata fuerit contrà ipsum, quia tunc venditor non tenetur ei de evictione; quia videtur potiùs condemnatus propter suam contumaciam, quàm propter aliam causam. *Glossa*, verbo, *Contumaciter.*

IV. Si per injuriam Judicis contra emptorem Sententia lata fuit, de evictione agere non valebit. *Ibid. fin.*

Non tenetur venditor emptori, si emptor per injuriam Judicis condemnatur; tunc enim Judex facit litem suam, & ipse tenetur. *Glossa*, verbo, *Legitimas Sanctiones.*

Et hoc ideò, quia injuria, quæ fit emptori, non contingit venditorem. *Glossa*, verbo, *Injuriam.*

SECTIO VII.

Licitam esse & Juri consonam emptionem & venditionem censuum annuorum super bonis cum facultate illos redimendi, licet ad id cogi non possint Venditores.

I. Contractum illum emptionis & venditionis, secundùm quem, cùm hoc expedire videtur, super bonis suis quis vendit annuos census unius vel plurium marcarum, ad rationem, & pro qualibet marca annui census 10. 11. 12. 13. 14. Marcis aut plus vel minùs, secundùm temporis qualitatem, prout ipsi contrahentes tunc inter se convenerint, ipsi venditori tunc integraliter in pecuniâ numeratâ solutis bonis in ipso contractu; tunc expressis pro ipsius census annui ex solutione in perpetuum obligatis, ita ut semper in ipsis contractibus expressè ipsis venditoribus detur facultas atque gratia, quod ipsum annuum censum, in toto vel in parte, pro eadem summâ denariorum, quam ab ipsis emptoribus receperunt, quandocumque voluerint, liberè absque alicujus requisitione, contradictione vel assensu, possint extinguere & redimere, ac se ab ipsius census solutione ex tunc penitùs liberare; sed ad hoc hujusmodi census venditores inviti nequaquam per emptores arctari vel adstringi valeant, etiam ipsis possessionibus & bonis obligatis penitùs interemptis seu destructis; contractum, inquam, illum licitum & juri conformem, ac ipsorum censuum venditores ad illorum solutiones obligari, autoritate Apostolicâ declaratum est. Extravag. I. Com. *Regimini.* §. 1. & 2. *De emptione &c.* Lib. III. Extravag. Com. *Tit.* 5. Cap. 1. Martinus V. *Venerabilibus Fratribus Treverensi & Lubicinensi ac Almicensi Episcopis.* circa ann. 1420.

II. Quod illi, quibus id pro suis statu & indemnitatibus expedire visum fuerit, super eorum bonis, domibus, agris, prædiis, possessionibus & hæreditatibus annuos marcarum florenorum, seu grossorum monetæ currentis, reditus seu census vendentes pro singulis ex marcis, florenis, sive grossis hujusmodi ab eis, qui illas vel illos sive reditus, sive census ipsos emerint, certum competens pretium in numeratâ pecuniâ secundùm temporis qualitatem, prout ipsi vendentes & ementes in contractibus super his inter se firmaverunt, & recipere soliti fuere illa ex domibus, terris, agris, prædiis, possessionibus & hæreditatibus prædictis, qui in hujusmodi contractibus expressi fuerunt, prædictorum solutione redituum & censuum efficaciter obligantes in illorum vendentium favorem; hoc adjecto, quod ipsi pro ratâ, quam hujusmodi per eos receptam dictis ementibus restituerent in toto vel in parte pecuniam, à solutione redituum seu censuum hujusmodi restitutam pecuniam contingentium, liberi forent penitùs & immunes, sed iidem ementes, etiamsi bona, domus, terræ, agri, possessiones, & hæreditates hujusmodi, processu temporis, ad omnimodæ destructionis sive desolationis reducerentur opprobrium, pecuniam ipsam, etiam agendo, repetere non valerent, præfatos contractus licitos jurique conformes, & vendentes ad ipsorum solutionem censuum & redituum, juxta dictorum contractuum tenores efficaciter teneri autoritate Apostolicâ declaratum est. Extravag. Communi. II. *Regimini. De Empt.* §. 1. & 3. Lib. III. Extravag. Communi. *Tit.* 5. Cap. 2. Callixtus III. *Episcopo Magdeburgensi, Nuremburgensis & Halbestadensis Ecclesiarum Decanis* circa an. 1455.

III. Callixtus III. Extravag. Com. *Regimini.* Ibid. *Cap.* 2. *an.* 1455. Idem docet, eisdem emptoribus vel ipsorum Procuratoribus, eorum nominibus per venditores seu debitores censuum hujusmodi de præfatis censibus, juxta contractuum & conventionum inter ipsos habitorum formam & tenorem, plena & debita satisfactio impendatur. *Ibid.* §. 3. *Volentes.*

IV. Statutum est, censum seu annuum reditum creari constituive nullo modo posse, nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de sui naturâ fructiferâ, & quæ nominatim certis finibus designata sit. *Bullâ* 79. Pii. V. *Cùm onus.* §. 1. an. 1569. *Bullarii* Tom. II. *p.* 275.

De hoc contractu actum est etiam, dùm de censibus, notatumque jam diu illum in usu fuisse ante has Constitutiones & ostensum.

SECTIO VIII.

Negotiatio, cùm viliùs emitur, ut cariùs vendatur, secundùm se licita est, sed valdè periculosa: Quid vitandum?

I. Negotiatio in commerciis dicitur, ubi aliquod datur, ut majora lucrentur. *De verb. Signif.* Cap. *Forus.* §. 2. *fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 40. Cap. 10.

II. Quid est aliud negotium, nisi quæ possint viliùs comparari, cariùs velle distrahere. Dist. LXXXVIII. Cap. 13. *Quid est.* Cassiodorus *in Psalm.* 70. circa ann. 550.

III. Ait negotiator; affero ex longinquo merces; mercedem laboris mei, undè vivam, peto; dignus est operarius mercede suâ: De mendacio, de perjurio agitur, non de negotio; ego enim mentior, non negotium; possem enim dicere, tantò emi, tantò vendam, si placet, eme; non illa faciunt negotiatores boni; omnia ista hominum, non rerum peccata sunt. Noli me prohibere à negociatione; negociatio enim non

me facit malum, ſed iniquitas mea & mendacium. DIST. LXXXVIII. *Cap.* 12. *Quoniam.*

S. AUG. *in Pſal.* 70. *Sermone* 1. *n.* 17. circ. ann. 415. alias refert excuſationes negociatorum, eaſque, ut illam, approbat.

IV. Difficile eſt inter ementis vendentiſque commercium non intervenire peccatum. CAUS. XXXIII. QUÆST. III. DIST. V. *De Pœnit. Cap.* 2. *fin.*

S. LEO *Epiſt.* 2. *al.* 92. *ad* RUSTICUM. circ. ann. 443. *Reſponſione ad inquiſitionem undecimam.*

Contrahentibus naturale eſt ſe invicem decipere. *Gloſſa*, verbo, *Intervenire.*

V. Homo mercator vix aut nunquam poteſt Deo placere; qui emit & vendit ſine mendacio & perjurio eſſe non poteſt. DIST. LXXXVIII. *Cap.* 11. *Ejiciens. init.* Autor Operis imperfecti *in* MATTH. *Hom.* 38. ann. circa 400.

VI. Negociatores illi abominabiles exiſtimantur, qui juſtitiam Dei minimè conſiderantes, per immoderatum pecuniæ ambitum polluuntur, merces ſuas plus perjuriis onerando, quàm pretiis; tales ejecit Dominus de templo, dicens: *Nolite facere domum Patris mei domum negociationis.* DIST. LXXXVIII. *Cap.* 13. *Quid eſt aliud.* §. 1. CASSIODORUS *in Pſal.* 70. circ. ann. 550.

VII. Qualitas lucri negociantem aut excuſat, aut arguit, quia eſt, vel honeſtus quæſtus, vel turpis. *Ibid. init.*

Negocium quod ante converſionem ſine peccato extitit, hoc etiam poſt converſionem repetere culpa non fuit. *De Pœnit.* DIST. V. *Cap.* 7.

VIII. Utilius eſt etiam diſpendia pati, quàm periculis negociationis obſtringi. *Ibid.*

Ex Collectis Textibus patet, negociationem periculoſam eſſe, non malam.

SECTIO IX.

Conductores agrorum non teneri de fortuitis caſibus domorum. Inquilinos expelli poſſe in quatuor caſibus; & Emphyteutas, ſi per biennium ſunt in morâ ſolvendæ penſionis.

I. Propter ſterilitatem afficientem magno incommodo conductores, vitio rei, ſine culpâ coloni, ſeu caſu fortuito contingentem; colonis pro ratâ eſt penſionis remiſſio facienda; niſi cum ubertate præcedentis vel ſubſequentis anni valeat ſterilitas compenſari. *De locato & conducto.* Cap. *Propter. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 18. Cap. 3.

Quando magno incommodo afficitur conductor, tunc fit remiſſio penſionis. *Gloſſa*, verbo, *Magno incommodo.*

Propter ſterilitatem gravem conductori ſine culpâ ſuâ contingentem, remittitur penſio pro ratâ, niſi poſſit cum ubertate præcedentis vel ſubſequentis temporis compenſari. *Summa.*

II. Invito Inquilino, domum inhabitare vel reficere poteris, ſi neceſſitas, quæ tamen non imminebat locationis tempore, id expoſcat; remiſſâ ſibi pro reſiduo temporis penſione. *Ibid. De locato & conducto.* Cap. *Propter.* §. 1. LIB. III. DECRET. *Tit.* 18. Cap. 3.

Si modò immineat neceſſitas, quæ non imminebat tempore locationis, locator invito inquilino poterit domum inhabitare, & Inquilinum expellere; vel ſi refectione indiget, quæ non imminebat tempore locationis, remiſſa penſione reſidui temporis. *Gloſſa.*

Inquilinus etiam domo rationabiliter amovetur, ſi perverſè ibi fuerit converſatus. *Ibid.*

Si Inquilinus perverſè moratur in domo, expelli poteſt. *Gloſſa.*

Rationabiliter etiam amovetur, ſi cùm canonem per biennium non ſoluiſſet, ſibi ſatisfactione celeri non providit. *Ibid. fin.*

Si non ſolvit penſionem per biennium. *Gloſſa, ibidem.*

Emphyteutâ ceſſante in ſolutione canonis per triennium, niſi celeri ſatisfactione poſtmodùm ſibi conſulere ſtuduiſſet, juſtè potuiſſet expelli; non obſtante quod ei, ut canonem ſolveret, non extitit nunciatum, cùm in hoc caſu dies ſtatuta pro Domino interpellet. *De locato & conducto.* Cap. *Potuit.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 18. Cap. 4.

Vide GONZALAM *Cap.* 3. *n.* 3. & *Cap.* 4. *n.* 3. *De locato*, ubi plura ſentit neceſſaria circà expulſionem Inquilini vel Emphyteutæ non ſolventium penſionem annuam ex moræ purgatione.

SECTIO X.

Eos qui ſuas operas locant, manere obligatos; & ſtricto jure mercedem iis ſolvi debere.

I. Cùm à vobis majorem nauli receperint quantitatem, ad hoc debitum exſolvendum, nempè ad tranſvehendum ad locum conventum, ipſi vobis manent obligati. *De Sent. Excomm.* Cap. *Si verè.* §. 1. *med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 34.

II. Servientibus & mercenariis ſuis debita pro ſervitio ſuo impendant. *De Decimis.* Cap. *Cùm hominis. poſt init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 7.

III. Medico honor ſuus, & operario merces per injuriam non darentur. CAUS. XIV. QUÆST. V. *Cap.* 15. *Non ſanè. poſt init.* S. AUGUST. *Epiſt.* al. 54. *ad* MACEDONIUM.

IV. Operariis mercedis exhibitio debetur. CLEMENTINA II. *Dudùm. De Sepulturis.* §. 9. *Verùm.* LIB. III. CLEM. *Tit.* 7. Cap. 2.

V. Qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres ſunt. CAUS. XIV. QUÆST. V. *Cap.* 2. *Immolans. fin.* ECCLESIAST. *Cap.* 34.

VI. Dignus eſt operarius mercede ſuâ. *De Sepult.* Cap. *Non inſtituta.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 28. Cap. 1.

In *Concilio* TOLETANO IV. *Cap.* 36. *ann.* 633.

VII. Quicumque aliquid utilitatis providerint, & pro eo quodcumque commodum in remunerationem promiſerint, promiſſi ſolutionem eos exſolvere oportebit; quia ſicut Paulus ait, *dignus eſt operarius mercede ſuâ.* CAUS. XII. QUÆST. II. *Cap.* 66. *Quicumque.*

SECTIO XI.

Quid ſit commodatum? Quid depoſitum? Quando utrumque reddendum?

I. Qui equum ſuum alicui commodat, non actum equitandi concedit commodatario; ſed quod actum illum in equo ſuo valeat exercere. EXTRAVAG. III. JOANN. XXII. *Ad Conditorem. De Verb. ſignif.* §. 2. *Nec obviat.* ante med. *Extravagantium* JOANN. XXII. *Tit.* 14. Cap. 3.

II. Commodare eſt concedere jus utendi re aliquâ. Commodatum quaſi utentis commodo datum. *Gloſſa*, verbo, *Commodatum.* ad Cap. un. *De Commodato.* LIB. III. DECR. *Tit.* 15. Cap. unic.

III. Hoc non eſt utique actum utendi ſimplicem concedere ſine jure; cùm hæc concedere nihil ſit aliud, quàm concedere jus utendi. *Ibid.*

IV. Depoſitum, ut pecunia perſonæ vel Eccleſiæ commendata. *De Depoſito.* Cap. *Gravis.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 16. Cap. 1.

V. Jus Naturale eſt depoſitæ rei vel pecuniæ commodatæ reſtitutio. DISTINCT. I. *Cap.* 7. *Jus naturale.*

ISIDORUS, *Lib.* V. *Etymolog.* Cap. 4. *circa ann.* 630.

VI. Si

VI. Si cui gladius commodetur, & promittat se redditurum, cùm ille, qui commodavit, poposcerit; si fortè gladium suum repetat furens, manifestum est tunc non esse reddendum, ne vel se occidat, vel alios, donec ei sanitas restituatur. Caus. XXII. Quæst. II. *Cap.* 14. *Ne quis.* §. 1. *med.* S. Aug. *in Psal.* 5. *n.* 7. ad versum *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*, fortè circ. ann. 410.

VII. In hoc contractu puro subaudienda conditio: *Si tempore congruo res deposita petatur.*

SECTIO XII.

Depositum est contractus bonæ fidei. Pro libito repetitur. Vi illius depositarius, aliquando de solo dolo, aliquando de culpâ tenetur.

I. Depositum est contractus, qui ex bonâ fide oritur. *De Deposito.* Cap. *Bona fides.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 16. Cap. 2.

II. Contra depositum compensationi, vel deductioni locus non est. *Ibid.*

III. Contra depositum non admittitur compensatio; nec etiam depositum, cum alio deposito, vel debito compensatur; nec in parte admittitur compensatio, hoc est, deductio, & in hoc privilegiata est animo depositi. *Glossa*, verbo, *Contra quod.*

IV. Depositori licet pro voluntate suâ depositum revocare. *Ibid.* Quandocumque potest revocare depositum. *Glossa*, verbo, *Revocare.* Excepto casu suprà notato.

V. Bona fides abesse præsumitur, si rebus tuis salvis existentibus depositas amisisti. *Ibid. init.*

VI. De culpâ quâque teneris, si te ipsum deposito obtulisti; vel si aliquid pro custodiâ recepisti. *Ibid.*

VII. Pacto verò, culpâ, vel morâ præcedentibus, casus etiam fortuitus imputatur. *Ibid.*

VIII. Si quid ex cimeliis Ecclesiæ vel negligentiâ vel cujusquam fraude deperiit; tu hoc reatu adstringeris, qui per officium custodiæ ejusdem Ecclesiæ arctiùs deputaris. *De Officio Archidia.* Cap. *Ea quæ.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 23. Cap. 3.

IX. De culpâ tenetur, si obtulit se deposito, vel aliquid recipit pro custodiâ. *Glossa.*

X. Depositarius de casu fortuito non tenetur, nisi pactum intervenerit, vel nisi culpa vel mora præcesserit casum. *Glossa.* Ratione officii non solùm tenetur de dolo, sed de culpâ latâ & levi, & etiam de negligentiâ. *Glossa*, verbo, *Negligentia.*

XI. Super deposito sibi hactenus denegato, in illum qui pecuniam furatus est, tuam dirigas actionem. *De Deposito.* Cap. *Gravis.* Lib. III. Decr. *Tit.* 16. Cap. 1.

XII. Exceptiones notatæ deposito accedunt, ac ex alio contractu nascuntur.

SECTIO XIII.

Post usum rei commodatæ, rectè actio intentatur. Quandonam de culpâ commodatarius teneatur?

I. Contra eum qui commodatum accepit, rectè commodati non agitur, nisi post usum expletum, cujus gratiâ res fuerat commodata; cùm non decipi nos beneficio oporteat, sed juvari. *De Commodato.* Cap. unico. Lib. III. Decr. *Tit.* 15. *Cap. unico. fin.*

Commodatum antè usum completum non revocatur. *Summa.* In morâ in restituendo commodatum. *Glossa.*

II. Cùm gratiâ sui tantùm quis commodatum accepit, de levissimâ etiam culpâ tenetur. *Ibid. init.*

III. Cùm enim gratiâ sui tantùm quis commodatum accepit, tenetur de dolo & latâ culpâ, & levi, & levissimâ; quia exactam diligentiam, qualem in rebus suis, adhibere debet. *Glossa*, verbo, *De levissimâ.*

IV. Ei casus fortuitus, nisi acciderit culpâ suâ, vel intervenerit pactum, seu in morâ fuerit, non debet imputari. *Ibid med.*

V. De casu fortuito non tenetur, nisi per culpam suam casus ille acciderit; vel pactum intervenerit de certo casu; vel fuerit hæc exceptio ex alio contractu orta.

SECTIO XIV.

Observationes in Titulum III.

In Titulo III. desideratur ordo; nam contractibus, qui transmittunt proprietatem seu dominium, intermiscentur contractus, qui usum tantùm transferunt, qualis locatio conductio, & commodatum; vel sola custodia, quale depositum; incipit enim quod de contractibus in genere dicit, ab emptione & venditione, quæ dominium transferunt; his autem subjungit tractationem de locato & conducto, de emphyteusi, de deposito, de comodato; qui omnes contractus sunt alterius generis: Posteà Tit. IV. iterùm agitur de Contractibus dominium transferentibus, nempè testamentis & donationibus.

In eodem Titulo sermo faciendus erat de permutatione, quæ maximam habet affinitatem cum emptione; cùm sit emptio, quâ res emitur tradita pro illâ aliâ re æquivalenti; emptio verò fit quædam permutatio, cùm pecunia, quæ in illâ datur pro mercibus, sit aliqua res, & mercis loco haberi possit.

Iis, quæ ibidem dicta sunt de locato, emphyteusi, commodato, subjungi debuissent nonnulla de precariis, quæ transmittunt tantùm usum rei ad tempus determinatum, vel indeterminatum, necnon aliqua de pignoribus, quæ transferunt quandoque usum rei pignoratæ.

Prædicti defectus supplebuntur per Regulas infrà Tit. VIII. subjungendas.

TITULUS IV.

De Testamentis & Donationibus.

SECTIO I.

De Etymologiâ, naturâ, & formâ Testamenti.

I. Libera est ultima voluntas cujusque in Testamento conficiendo. Caus. XIII. Quæst. II. *Cap. Placuit.* 9. §. 1. *Vel ut quidam. in integr.*

II. Testamentum indè appellatur, quia in eo liberè quisque testatur, quod post suum discessum de propriis rebus fieri velit. *Ibid.*

III. Non videtur libera Testatoris voluntas, cùm, secundùm Augustinum, pro numero filiorum debeat fieri Testamentaria distributio facultatum; veluti, si quis habet unum filium, Christum putet alterum: Si verò duos, Christum faciat tertium; & sic per ordinem. *Ibid.* §. 2. *init.*

IV. Secundùm Leonem, quisque medietatem eorum, quæ Christo testatur, Ecclesiæ jubetur relinquere, apud quam fidei Sacramenta suscepit. *Ibid.*

V. Sed illud Augustini non est jubentis, sed dehortantis, ne quis iratus filium suum exhæredaret, atque totum Christo relinqueret. *Ibid. in fine.*

VI. Testamentum pupillare paternum, vel paterni potiùs pars est censendum. *Cap.* 1. *In fin. De Testament. In* 6. Lib. III. *Tit.* 11. Cap. 1.

VII. Privata dispositio Testatoris non potest generalem Constitutionem Canonis immutare. *De Testament.* Cap. *Requisisti.* Lib. III. Decr. *Tit.* 26. Cap. 15.

VIII. Novissimum hominis Testamentum immobile perseverat, quia Testatoris obitu confirmatur: juxtà quod Apostolus Testamentum in morte asserit confirmatum; alioquin non valet, dùm vixerit qui testatur. *De Celebrat. Missar.* Cap. *Cùm Marthe*, LIB. III. DECR. *Tit.* 41. Cap. 6.

IX. Non solùm scriptura, sed etiam promissio dicitur Testâmentum. *Ibid.*

X. Testamenta quæ Parochiani coràm Presbytero suo, & tribus vel duabus aliis personis idoneis, in extremâ fecerint voluntate, firma decernimus permanere; sub interminatione anathematis prohibentis, ne quis hujusmodi audeat rescindere Testamenta. *De Testamen.* Cap. *Cùm esses.* LIB. III. DECR. *Tit.* 26. Cap. 10.

XI. Valet Testamentum quod Parochianus facit coràm Presbytero Parochiali & duobus Testibus, nec valet contraria consuetudo. *Summa* dicti. Cap. 10.

XII. Proposuisti talem in tuo Episcopatu consuetudinem obtinere, quod Testamenta, quæ fiunt in ultimâ voluntate, penitùs rescindantur, nisi cùm subscriptione septem vel quinque testium fiant, secundùm quod Leges Humanæ decernunt. Quia verò à Divina Lege, & Sanctorum Patrum institutis, & à generali Ecclesiæ consuetudine id noscitur esse alienum, cùm scriptum sit, *In ore duorum vel trium testium stet omne verbum*, præscriptam consuetudinem improbamus. *De Testament.* Cap. *Cùm esses.* LIB. III. DECR. *Tit.* 26. Cap. 10. ALBANO. III. *Hostiensi Episcopo*. ann. 1130. Adde *Cap.* 11. *eod.*

XIII. Qui extremam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur decedere intestatus. *De Testam.* Cap. *Cùm tibi.* LIB. III. DECR. *Tit.* 26. Cap. 13.

XIV. Tenet Testamentum. si quis extremam voluntatem suam alterius dispositioni committit. *Summa* dicti. Cap. 13.

SECTIO II.

Qui testari, & quomodo condere possint Testamentum?

I. Moriens uxor si scutellam argenteam cuidam Monasterio reliquerit, voluntas ejus debet adimpleri. *De Testam.* Cap. *Indicante. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 16. Cap. 4.

II. Juxta Legitimas Sanctiones, si quando alicui conceditur beneficium principale, putà libera factio testamenti, nihil videtur aliud indulgeri, quàm ut modo testetur legitimo & consueto. *De novi operis.* Cap. *Cùm de injuncto.* LIB. V. DECR. *Tit.* 32. Cap. 2. *in int.*

Sic uxor potest testari vivente marito. *Glossa.*

III. Filius-familias pro anima sua, præter patris assensum (nisi peculium castrense aut quasi castrense habeat) aliquid judicare (*a*) non potest. *In 6. De Sepulturis.* Cap. *Licet.* §. 1. *fin.* LIB. III. *Tit.* 12. Cap. 4.

(*a*) Id est in ultima voluntate relinquere; judicium enim hìc sumitur pro ultima voluntate. *Glossa*, verbo, *Judicare.*

IV. Filius Testamento suo matrem portione jure naturæ debita privare non potest. *In 6. De Testam.* Cap. *Si pater.* §. 1. *init.* LIB. III. *Tit.* 11. Cap. 5.

Quod dictum est, filium non posse privare matrem portione jure naturæ debitâ, verùm est, nisi ex causa. *Glossa*, verbo, *Additio. fin.*

V. Aliquis hæres à testatore instituitur hoc modo, ut patruis suis hæreditatem restituat, si absque filiis masculis moriatur. *De Testament.* Cap. *Raynaldus. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 26. Cap. 18.

Testator potest sub conditione testamentum condere.

VI. Cùm aliquis conderet testamentum, suum filium sibi hæredem instituit, & præcepit, ut si absque liberis decederet, ad Monachos bona devolverentur ipsius. *De Probationibus.* Cap. *In præsentia. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 8.

VII. Etiam quis condit Testamentum in quo medietatem bonorum suorum quibusdam Avunculis suis, aliam verò medietatem uni ex Patruis suis legat; adjiciens, ut bona, in quibus ex Testamento, vel ab intestato, dicti hæredes possent succedere, si veniant contra legatum dictis Avunculis suis debitum, ad ipsos, pro determinatis portionibus, deveniant. *Ibid. De Testam.* Cap. *Raynaldus. post init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 26. Cap. 18.

Testator potest proponens pœnam hæredi, si suæ non pareat voluntati. *Glossa*, verbo, *Adjiciens.*

VIII. Privata dispositio Testatoris non potest generalem Constitutionem Canonis immutare. *De Testam.* Cap. *Requisisti.* §. 1. *med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 26. Cap. 15.

Nemo facere potest, quod in Testamento suo Leges locum habere non possint. *Glossa*, verbo, *Constitutionem.*

Si aliquid alicui relinquatur socium habenti in acquirendo, quod velit illud tantùm esse unius, & non alterius, servanda est dispositio Testatoris. *Cap. Requisisti.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 26. Cap. 15. Si extremam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur decedere intestatus. *De Testam.* Cap. *Cùm tibi.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 16. Cap. 13.

Licitè potest quis voluntati alterius committere factionem Testamenti sui. *Glossa*, verbo, *Dispositionem. med.*

IX. Alienatus mente Testamentum condere non potest. *De Success. ab intest.* Cap. *Cùm Dilectus.* LIB. III. DECR. *Tit.* 27. Cap. 3. *med.*

X. Clericis Testamenta non licet conficere, nisi de rebus propriis. CAUS. XII. QUÆST. V. *Summa.*

XI. Nulli dubium est, quin sicut Sacerdotibus res in Episcopatu acquisitas nulla est alienandi licentia; ita de his, quas antè habuerint, quicquid judicare voluerint, non vetantur. CAUS. XII. QUÆST. V. *Cap.* 1. *Nulli. init. Ex* GREGOR. LIB. X. *Epist.* 42.

XII. Quandò Episcopus Testamentum dicitur condidisse, subtiliter oportet inquirere, ne quid de rebus Ecclesiæ suæ consumpserit; &, siquidem exindè aliquid incongruè minuit, ita agendum est, ut res ipsæ, ab eo cujus interest, modis omnibus reparentur. CAUS. XII. QUÆST. V. *Cap.* 2. *Obitum.*

XIII. Fixum hinc, & perpetuò mansurum esse decrevimus, ut Episcopus rebus sui juris, quas aut antè Episcopatum, aut certè in Episcopatu hæreditariâ successione acquisivit, secundum auctoritatem Canonicam, quicquid vult faciat, & cui vult eas conferat. CAUS. XII. QUÆST. V. *Cap.* 4. *Fixum. init. Ex Concil.* HISPAL.

XIV. Quæ antè suam ordinationem, vel post, hæreditariâ successione acquisivit Episcopus, cui vult derelinquat. *Summa dicti* Cap. 4.

XV. Postquàm Episcopus factus est, quascunque res de facultatibus Ecclesiæ, aut suo, aut alterius nomine, qualibet conditione comparavit, decrevimus, ut non in propinquorum suorum, sed in Ecclesiæ, cui præest, jura deveniant. CAUS. XII. QUÆST. V. *Cap.* 4. *Fixum. in fin.*

XVI. De rebus Ecclesiasticis testari licet Episcopo, si tantundem de propriis restituat. GRATIANUS. *Ibid.*

XVII. Si Episcopus condito Testamento aliquid de Ecclesiastici juris proprietate legaverit, aliter non valebit, nisi tantundem de juris proprii facultate suppleverit. CAUS. XII. QUÆST. V. *Cap.* 5. *Si Episcopus. Ex Concil.* AGATHENSI.

XVIII. Sicubi defunctus fuerit Episcopus, post defunctionem ejus, à Presbyteris & Diaconis de rebus ipsius inventarium fideliter conscribatur, à minimo usque ad maximum, id est, de utensilibus, vel de omni suppellectile. CAUS. XII. QUÆST. V. *Cap.* 6. *Sicubi. Ex Concil.* TARRACON.

XIX.

XIX. Si quis ex rebus defuncti Episcopi, vel præsumpsisse aliquid, vel occultè fuerit tulisse convictus, secundùm furti tenorem restituat universa. *Ibid. in fin.*

XX. Episcopus de rebus patrimonialibus testari potest; de rebus verò Ecclesiæ, seu intuitu Ecclesiæ quæsitis, testari non valet. *De Testam.* Cap. *Quorundam.* Lib. III. Decr. *Tit.* 26. Cap. 5. *Summa.*

XXI. Episcopus condito Testamento aurum in octo unciis, Ecclesiam in quatuor hæredem instituit. Hortamur igitur, ut sollicitè hoc discutias, & quicquid ipsum habuisse patuerit, à qualibet persona detineri nullatenùs patiaris, nisi hoc solùm, quod antè Episcopatùs Ordinem, proprium habuisse constiterit. *De Testam.* Cap. *Quorundam.* Lib. III. Decr. *Tit.* 26. Cap. 5. *Ex* Gregor. IX.

XXII. Quicquid Ecclesiæ fuit antè consecrationem Episcopi, vel quicquid in Episcopatùs Ordine Episcopus acquisivit, in ejusdem Ecclesiæ dominio conservetur. *Ibid. in fin.*

XXIII. Abbatissa testari non potest, etiamsi nunquàm induisset habitum Monachalem. *De Testam.* Cap. *Quia.* Lib. III. Decr. *Tit.* 26. Cap. 2. *Summa.*

XXIV. Postquàm Abbatissa ordinata est, & in Monasterio per annos plurimos, usque ad obitum præfuit, etsi vestem Monachalem nunquàm induerit, quod ad culpam fortè Episcopi pertinet, non potuit indè præjudicium Monasterio irrogari; sed res ipsius eidem loco, ex quo illic ingressa, & Abbatissa constituta est, de jure competunt. *De Testam.* Cap. *Quia.* Lib. III. Decr. *Tit.* 26. Cap. 2. Colligitur.

XXV. De bonis per Ecclesiam acquisitis Clerici testari non possunt. *De Testam.* Cap. *Cùm in Officiis.* Lib. III. Decr. *Tit.* 26. Cap. 7. *Summa.*

XXVI. Quia antiquis Canonibus constat inhibitum, nos indemnitati Ecclesiarum providere volentes, sive Episcopi intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint, penès Ecclesiam remanere præcipimus bona per Ecclesiam acquisita. *De Testam.* Cap. *Cùm in Officiis.* Lib. III. Decr. *Tit.* 26. Cap. 7. *in fin. Ex Concil.* Later. ann. 1179.

XXVII. Clerici viventes, & sui compotes, moderatè valent aliqua de bonis quæ per Ecclesiam sunt adepti, non ratione Testamenti, sed eleemosynæ intuitu erogare, in ægritudine constituti. *De Testam.* Cap. *Ad hæc.* Lib. III. Decr. *Tit.* 26. Cap. 8.

XXVIII. Clerici de his, quæ paternæ successionis vel cognationis intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum, aut amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, pervenerunt ad eos, liberè disponere valeant. *De Testam.* Cap. *Quia nos.* Lib. III. Decr. *Tit.* 26. Cap. 9. Alexand. III. Viotlenss *Episcopo*, ann. 1180.

XXIX. De his quæ Clerici consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de jure facere possunt Testamentum. *Ibid.*

XXX. Statuimus in Lateranensi Concilio, ut bona per Ecclesiam acquisita, ad eam in Clericorum obitu devolvantur. *De Testam.* Cap. *Relatum est.* Lib. III. Decr. *Tit.* 26. Cap. 12. *init.* Alexand. III. *Electo & Capitulo Cassanen.*

XXXI. Nomine autem Ecclesiæ, non Episcopus vel Successor Clerici morientis, ubi est Collegium Clericorum, sed communis Congregatio intelligitur, quæ rerum illarum debet Canonicam distributionem & curam habere. *Ibid.*

XXXII. Licet mobilia per Ecclesiam acquisita, de jure in alios, pro morientis arbitrio, transferri non possint; consuetudinis tamen est non improbandæ, ut de his pauperibus, & religiosis locis, & illis qui viventi servierant, sive sint consanguinei, sive alii, aliqua, juxtà servitii meritum, conferantur. *Ibid.*

XXXIII. Quæ ex hæreditate, vel artificio, aut doctrinâ proveniunt, distribuentur pro arbitrio Clerici decedentis. *Ibid.*

XXXIV. Sint manifestæ res propriæ Episcopi, (si tamen habet proprias) & manifestæ Dominicæ; ut potestatem habeat de propriis moriens Episcopus, sicut voluerit, & quibus voluerit, derelinquere; nec sub occasione Ecclesiasticarum rerum, ea quæ Episcopi esse probantur, intercidant. *Can.* 40. *Apostol.* Idem statuitur *Can.* 24. *Concil.* Antiochnen.

XXXV. Si Clericis aut Episcopis propriè aliquid liberalitate alicujus, vel successione cognationis obvenerit, faciant indè quod eorum proposito congruit. Caus. XII. Quæst. III. *Can.* 5. Ex Canone 49. *Conc.* Carthag. III. ann. 397.

XXXVI. Bona Ecclesiarum, per Prælatos, post eorum obitum dimissa, futuris debent Successoribus reservari, in Ecclesiæ utilitatem convertenda; nisi fortè in illis locis Regni, ubi de usu & consuetudine notoriè observatis, licitum sit Prælatis ipsis & aliis viris Ecclesiasticis Sæcularibus, de iisdem bonis facere Testamentum. *Ordinatio* Carols VI. *Probat. Libert. Eccles. Gallic.* Cap. 22. *num.* 9.

XXXVII. In Regno Galliæ consuetum est, & publicè ac notoriè observatum, & per Ecclesiam toleratum, Episcopos, ac cæteros Beneficiatos, posse de fructibus suarum Dignitatum & Beneficiorum, ac de bonis per eos nomine proprio acquisitis, testari, & aliàs inter vivos, vel causa mortis, sicut Laici, de suis bonis liberè disponere, prout dietim faciunt. Guillelmus Benedicti *ad Cap.* Raynutius. *De Testament.* verbo, *Et uxorem. num.* 164.

SECTIO III.

Quomodò hæredes Testamenti commodo uti debeant?

I. Si quis in Testamento portionem aliquam cum conditione legavit alicui, ut esset eâ solâ contentus, & ipse acceptavit; quia per hoc aliis renunciasse videtur, de cæteris non poterit exigere portionem. *De Testamentis.* Cap. *Officii.* §. 2. *init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 26. Cap. 24.

Si Testator portionem legavit sub conditione, ut eâ esset contentus, & conditionem acceptavit, de aliis nihil poterit petere, quia per hoc aliis renunciare videtur. *Glossa.*

Electione unius quis renunciat alteri. *Glossa.*

II. Quòd si Testator eam portionem ipsi absolutè reliquit; portionem sibi debitam poterit nihilominùs de cæteris vindicare. *Ibid.*

III. Hæreditas rerum per Legales instrumentorum definitiones sancita, usque ad septimum gradum protendit hæredum successionem. Caus. XXXV. Quæst. II. & III. *Cap.* 5.

IV. Si verò constiterit, quòd in fraudem Testator modicum constituit, ut in cæteris hæres portione debitâ fraudaretur, portionem ex illis poterit exigere à Lege constitutam. *Ibid.*

V. Si quis tibi aliqua juris alieni reliquit, valdè videtur injustum, ut res tibi legatæ à te teneantur. *De Testam.* Cap. *Filius.* Lib. III. Decr. *Tit.* 26. Cap. 5.

Hæredes non succederent, nisi eis de propagine cognationis deberetur. *Ibid. fin.*

VI. Testatore naturæ debitum persolvente, ac hærede hæreditatem adeunte, cum eo coram Judice movenda quæstio, petendo legatum. *De Testam.* Cap. *Raynaldus. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 26. *Cap.* 18.

Legatum petendum est ab hærede, non autoritate propriâ occupandum. *Glossa.*

VII. In successionibus transit non solùm usus rei; sed & dominium suo tempore in hæredes. Clementina I. *Exivi. De Verb. signif.* §. 9. *Proindè. med.* Lib. III. Clement. *Tit.* 11. Cap. 1.

VIII. Non sibi succederent, nisi inter se parentelæ vinculo tenerentur. Caus. XXXV. Quæst. V. *Cap.* 2. §. 5.

IX. Successiones ex sui naturâ indifferenter ad pecuniam, & etiam ad alia mobilia & immobilia, se extendunt. *Ibid.*

Hæredi.

Hæreditates nequeunt deferri, nisi de unâ ad alteram.

SECTIO IV.

Religiosos posse ex mandato Superioris esse testamentorum executores, exceptis Mendicantibus, qui circa id possunt tamen dare consilium.

I. Religiosus executor ab aliquo in suâ voluntate ultimâ deputatus, non potest hujusmodi officium suscipere, vel exequi; nisi à Superiore suo petitâ super hoc licentiâ & obtentâ. *In 6. De Testam.* Cap. *Religiosus.* LIB. III. DECR. *Tit.* 11. Cap. 2. *init.*

II. Religiosi, etiam exempti, deputati ad executionem cujuslibet ultimæ voluntatis, ipsius executionis officium non possunt, nisi à Superiori suo petitâ super hoc licentiâ & obtentâ, suscipere. CLEM. *unicâ. De Testam.* LIB. I. CLEMENT. *Tit.* 6. Cap. unico, *med.*

Religiosus datus executor ab aliquo Testatore, non potest hujusmodi officium acceptare, nisi petitâ & obtentâ licentiâ à suo Abbate. *Glossa.*

III. Cùm Ordinis Fratrum Minorum professores pro nullâ re temporali possint in judicio experiri, prædictis fratribus non licet, nec competit; quin potiùs, consideratâ sui puritate statûs, debent sibi habere interdictum, quod executionibus & dispositionibus ultimarum voluntatum se exponant; cùm hæc sæpiùs sine litigio & contrectatione vel administratione pecuniæ nequeant expediri. CLEM. *Exivi. De Verb. signif.* §. 9. *Proindè. fin.* LIB V. *Tit.* 11. Cap. 1.

IV. Verumtamen in his exequendis dare consilium ipsorum statui non obsistit; cùm ex hoc ipsis circa bona temporalia nulla Jurisdictio, sive actio in judicio, sive dispensatio tribuatur. *Ibid.* CLEM. *Exivi. De Verbor. signif.* §. 9. *Proindè. fin.* LIB. III. CLEM. *Tit.* 11. Cap. 1.

Fratres Minores non possunt esse executores ultimarum voluntatum, sed possunt super eis exequendis dare consilium. *Glossa*, verbo, *Dixit.*

SECTIO V.

Executores testamentorum intrà annum tenentur defunctorum vota adimplere eo meliori modo quo possunt.

I. Si quis supremæ voluntatis elogio Monasterium præceperit fundari, cujus desiderium ab ejus herede protrahatur; commoneri debet, quatenùs intra annum Monasterium, quod jussum, debeat ordinare, & cuncta secundùm voluntatem defuncti, sine altercatione construere. *De Testam.* Cap. *Nos quidem.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 26. Cap. 3.

II. Quod si intra prædictum tempus, sive in loco quo constitutum fuerat, seu, si ibi non potest, & alibi placet ordinari, implere neglexerit, tunc per Superiorem ædificetur; & omnia per ipsum loco ipsi sine diminutione qualibet assignentur. *Ibid.* §. 2.

III. Executores ultimæ voluntatis post mandatum susceptum cogi debent Testatoris explere ultimam voluntatem. *De Testam.* Cap. *Joannes.* LIB. III. DECR. *Tit.* 26. Cap. 19.

IV. Mandatum suscipere nemo cogitur; susceptum verò necessè est adimplere. *Glossa*, verbo, *Mandatum.*

V. Ne voluntatem Testatoris impediri, vel nimium differri contingat. *In 6. De Testam.* Cap. *Religiosus.* §. 1. LIB. III. *Tit.* 11. Cap. 2.

VI. Pluribus à Testatore simpliciter Executoribus deputatis, uno eorum mortuo, vel in remotis agente, aut id exequi fortè nolente, poterit alius (nisi Testator aliud expresserit) officium executionis injunctæ liberè adimplere. *In 6. De Testam.* Cap. *Religiosus.* §. 2. LIB. III. *Tit.* 11. Cap. 2.

Subaudienda est clausula, *Si non omnes*, quæ inseritur in similibus delegationibus Apostolicis.

SECTIO VI.

Quomodo judicandum, ubi occasione testamentorum lites occurrunt?

I. In Testamentis plenior est interpretatio adhibenda. *De Donationib.* Cap. *Cùm dilecti. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 24. Cap. 6.

II. Illa, quæ quis in damnum dari vel fieri per testamentum suæ decrevit Ecclesiæ, nullam, prohibente Lege, obtineant firmitatem. CAUS. XII. QUÆST. II. *Cap.* 4. *fin.* GREGOR. I. LIB. III. *Epist.* 1. ann. 595. *Concilium* LEGIONENSE ann. 1012. *Cap.* 2. TOM. IX. CONC. *p.* 818.

III. Donationes, quæ sub obtentu consuetudinis, Claustris, Ecclesiis, vel quibuslibet locis Religiosis piè conferuntur, vel etiam sunt collatæ, debent irrevocabiliter observari. *De Consuetudine.* Cap. *Ex literis.* §. 2. LIB. I. DECR. *Tit.* 4. Cap. 2.

Consuetudo servanda est in donationibus in ultimâ voluntate factis locis Religiosis. *Glossa.*

IV. Deductio fiat tantummodò de his rebus, de quibus, secundùm consuetudinem Civitatis, fieri consuevit. *De Testam.* Cap. *Raynutius.* §. 2. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 26. Cap. 16.

V. Cùm aliqua causa super relictis Ecclesiæ ad vestrum fuerit examen deducta, eam non secundùm Leges, sed secundùm Decretorum Statuta tractetis, tribus aut duobus legitimis testibus requisitis; quoniam scriptum est: *In ore duorum vel trium testium stet omne verbum. De Testam.* Cap. *Relatum.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 26. Cap. 11.

Cùm de Testamentis agitur, in relictis Ecclesiæ & ad pias causas, non secundùm Leges, sed secundùm Canones judicandum est. *Glossa.*

Unus testis cum aliis adminiculis vehementibus, favore Religionis, sufficit ad fidem faciendam.

VI. Si quis agens in extremis, velut ultimam exprimens voluntatem, asseruit se & sua Monasterio contulisse: Undè cum requisitus esset, ut conderet testamentum, respondit se non posse testari, quia se & sua Monasterio contulerat supradicto; licet unus Testis solus dixerit se vidisse, quando se & sua obtulit Monasterio; quia tamen alii Testes dixerunt se audivisse ipsum in Abbatis præsentiâ, quod prædictum est, confitentem, non sufficienter probantes, sed tanquam vehementer adminiculantes, assertionem Abbatis plurimùm adjuvant; super impetitione Monasterii perpetuum silentium imponatur Parti Adversæ. *De Successionib. ab intestato.* Cap. *Cùm Dilectus.* §. 1. & 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 27. Cap. 3.

Hæc decisio non valeret apud Gallos Testamenta sine scripto non admittentes.

VII. In Testamenti dispositione & executione, consuetudo terrarum est observanda. *De Testament.* Cap. *Raynutius.* LIB. III. DECR. *Tit.* 26. Cap. 16. *in fin.* Colligitur.

VIII. Hæredi non adimplenti jussa Testatoris, ab Episcopo interdicitur res a Testatore relicta. *De Testament.* Cap. *Si heredes.* LIB. III. DECR. *Tit.* 26. Cap. 6. *Summa.*

IX. Si hæredes jussa Testatoris non adimpleverint; ab Episcopo loci illius, omnis res, quæ eis relicta est, Canonicè interdicatur, cum fructibus & cæteris emolumentis, ut vota defuncti adimpleantur. *De Testam.* Cap. *Si heredes.* LIB. III. DECR. *Tit.* 26. Cap. 6. *Ex Concilio* MOGUNTINO.

X. Cùm quis in testamento relinquit Episcopo propriam portionem, & alia multa Monasteriis vel Ecclesiis, utrùm Episcopus ex illis legitimam petere potest portionem? Respondemus, quod si portionem illam cum conditione legavit Episcopo, ut esset illâ solâ contentus, & Episcopus acceptavit; quia per hoc aliis renuntiasse videtur, de cæteris non poterit exigere portionem. Quod si eam ipsi absolutè reliquit; portionem sibi debitam poterit nihilominus

de

de cæteris vindicare. *De Testam.* Cap. *Officii.* Lib. III. Decr. *Tit.* 26. Cap. 14.

XI. De relictis Ecclesiæ petit Episcopus partem suam, licet aliquid fuerit sibi à Testatore relictum; nisi eo modo, & non in fraudem fuerit relictum à Testatore, quod maneret eâ parte contentus, & legatum agnoverit. *Summâ dicti* Cap 14.

XII. Relictum Episcopo contemplatione personæ, non dividitur cùm Ecclesiâ Cathedrali; secùs si contemplatione Ecclesiæ, sive nihil relinquatur Ecclesiæ, sive aliquid, sive conjunctim, sive separatim. Si autem soli Ecclesiæ est factum relictum, Episcopus habet portionem Canonicam. Præsumitur autem relictum contemplatione Ecclesiæ factum, quandò fit ab extraneo habente administrationem; secùs si fiat ab administrationem non habente. Cum Ecclesiis verò inferioribus Episcopus non dividit sibi relictum, quia non est sibi tanta communio cum Ecclesiis inferioribus, sicut cum Cathedrali. *De Testam.* Cap. *Requisisti.* Lib. III. Decr. *Tit.* 26. Cap. 15. *Summa.*

XIII. Regulariter verum est, quod Episcopus debet, de rebus quas Testator pro animâ suâ legat, secundùm diversas consuetudines, tertiam vel quartam portionem habere. *De Testament.* Cap. *Requisisti.* Lib. III. Decr. *Tit.* 26. Cap. 15.

XIV. Si Testator legaverit hoc modo: Relinquo istud Episcopo; tunc distinguendum est, utrùm relinquatur Episcopo ab extraneo, an à propinquo. *Ibid.*

XV. Si ab extraneo, generaliter verum est quod præsumitur esse relictum intuitu Ecclesiæ, non personæ; nisi tamen Testator exprimat, quod velit illud tantùm esse Episcopi, non Ecclesiæ. *Ibid.*

XVI. Si verò relinquatur illud Episcopo à propinquo, præsumitur esse relictum, non intuitu Ecclesiæ, sed personæ; nisi fortè contrarium probaretur. *Ibid.*

XVII. Quod si Episcopo relinquatur & Ecclesiæ, de illo inter ipsos Canonica est divisio facienda. *Ibid.*

XVIII. In omnibus piis voluntatibus per locorum Episcopos est providendum, ut secundùm defuncti voluntatem, universa procedant, licet etiam à Testatoribus id contingeret interdici. *De Testam.* Cap. *Tua nobis.* Lib. III. Decr. *Tit.* 26. Cap. 17.

XIX. Episcopus compellit executores Testamenti ad exequendas pias voluntates defunctorum, etiamsi Testator hoc interdixisset. *Summa. d.* Cap. 17.

XX. In substitutionibus semper est interpretatio facienda, ut substitutio directa potiùs intelligatur quàm obliqua; quanquàm directa interdùm ad fideicommissariam ex causâ trahatur. *In 6. De Testam.* Cap. *Si pater.* Lib. III. *Tit.* 11. Cap. 1.

Collecti Textus, qui subtrahunt Legibus Civilibus causas pias, easque privativè subjiciunt Canonibus, restringendi sunt ad terras ditionis Pontificiæ, ubi Canones pro Legibus haberi possunt, Papâ id ita præcipiente, cùm Supremam in temporalibus ibi habeat potestatem; ad alia loca extendi non valent, invitis aliis Principibus Supremis, cùm isti ipsi in temporalibus non subjiciantur, ideòque illorum Legibus circa temporalia autoritatem, quam habeant à suis Autoribus, auferre sine injustitia non potest.

SECTIO VII.

Donationes Ecclesiis, seu ad pias causas, tàm in bona valetudine, quàm in ultimâ voluntate minùs solemniter facta valent, si ita ferat consuetudo.

I. Si quis possessiones aliquas Claustris, vel aliis Religiosis locis in bona valetudine, vel ultimâ voluntate pro suorum vult remedio peccatorum conferre; & hæc conferendi forma est, quòd in hujusmodi donationibus modicum terræ in manu accipitur, vel in extremitate pallii quod manu Prælati Ecclesiæ sustinetur, aut super Altare ponitur sub testimonio videntium & audientium; donationes eorum, quæ, sub obtentu hujus consuetudinis, Claustris, Ecclesiis, vel quibuslibet locis Religiosis piè conferuntur, debent irrevocabiliter servari. *De Consuetudine.* Cap. *Ex Literis.* Lib. I. Decr. *Tit.* 4. Cap. 2.

Valet consuetudo, per quam Ecclesia acquirit dominium & possessionem rei sine solemnitate legali. *Glossa.*

Consuetudo servanda est in donationibus in ultimâ voluntate factis locis Religiosis. *Glossa.* Quod dictum est de vi consuetudinis circà translationem dominii, intelligendum de ea quæ expressè tacitève à Principe probata est.

In iis quæ Religiosis locis relinquuntur non requiritur solemnitas testamentorum, secundùm Canonicam æquitatem & favorem Religionis. *Glossa*, verbo, *Religiosis.* Id Principe probante.

II. Si quis moriens nudis verbis scutellam argenteam cuidam Monasterio reliquerit, voluntatem ejus per omnia volumus adimpleri. *De Testam.* Cap. *Indicante.* Lib. III. Decr. *Tit.* 26. Cap. 4. Gonzal. *in illud.* supponit Jus Canonicum à Jure Civili differre circà modum disponendi de bonis temporalibus, ac illud isti præferendum; quod adversatur. *Cap.* 1. Dist. VIII. docenti hæc bona possideri Jure Civili, eodemque Jure ab uno in alium transmitti; hæc autem contrarietas tollitur distinguendo in isto Jure rigorem ab æquitate, quam illi præferri permittit in nonnullis casibus favorabilibus, (quales sunt illi circà quos præfata discrimina cadunt; undè factum est, quod à Principibus probata sunt; aliàs non valerent.

III. Cùm super relictis Ecclesiæ aliqua causa ad vestrum fuerit examen deducta, etiam non secundùm Leges, sed secundùm Decretorum Statuta tractetis, tribus aut duobus legitimis testibus requisitis, quoniam scriptum est: *In ore duorum vel trium testium stat omne verbum.* Ibid. *De Testamentis.* Cap. *Relatum est.* Lib. III. Decr. *Tit.* 26. Cap. 11.

Etiamsi plures Testes requirerentur in Testamentis ordinariis, in relictis Ecclesiæ, favore Religionis, duorum testimonium valeret.

IV. Super relictis Ecclesiæ, sive ad causas pias favore Religionis, Testamenta quæ fiunt in ultimâ voluntate rescindi, nisi cum subscriptione septem vel quinque testium fiant, secundum quod Leges Humanæ decernunt, à Divina Lege & Sanctorum Patrum institutis, & à generali Ecclesiæ consuetudine esse noscitur alienum; cùm scriptum sit: *In ore duorum vel trium testium stet omne verbum. De Testam.* Cap. *Cùm esses.* Lib. III. Decr. *Tit.* 26. Cap. 10. *junctâ Glossâ.*

In his quæ pietatis causâ relinquuntur, minùs solemnis voluntas sufficit. *Glossa*, verbo, *Improbamus.* Huc recurrit nota *n.* 20. subjuncta.

V. Quæcumque Ecclesiis aut Pontificibus sub competenti ac justo documento fuerint derelicta, ab hæredibus legitimis dignum est ut Dei contemplatione serventur. *Concilium* Aurel. *Can.* 14. *ann.* 541. sub Vigilio *Papa &* Childeb. *Rege Franciæ.* Vid. Gonzal. *ad Cap.* 4. *De Testam. n.* 13, docet, quod ut justum sit documentum, sufficiat illo constare posse de voluntate defuncti; tale autem esse insinuat testimonium duorum testium; quod tamen pendet à voluntate Principis, qui plura requirere potest, & præscribere circumstantias quibus vestiri debeant.

Si quorumcumque Religiosorum voluntas, aut necessitate, aut simplicitate, aliquid à Legum Sæcularium ordine visa fuerit discrepare; voluntas tamen defunctorum debeat inconcussa manere. Gonzal. *Ibid. n.* 8. refert *ex Concil.* Lugdun. I. *Can.* 2. Sed ibi non reperitur. Illum referunt August. *Epist.* Lib. XV. *Tit.* 48. *Cap.* 8. multò ampliorem, eidem Concilio *Can.* 2. tribuens, nullo indicato Collectore undè sumpserit.

Hoc

Hoc quod quisque Deo justè & rationabiliter de rebus suis offert, firmiter Ecclesia tenere debet. *Concil.* CABILLON. II. ann. 813. *Can.* 7. *fin.* TOM. VII. *Conc. p.* 1274. His verbis justè & rationabiliter comprehendi possunt solemnitates legum, ut et libertas plenè offerentium.

SECTIO VIII.

Ecclesiam non approbare quod circumveniantur fideles ad res suas Ecclesiæ donandas.

I. Imputatur quibusdam Fratribus, eò quòd, avaritiæ causâ, hominibus persuadeant, ut abrenunciantes sæculo, res suas Ecclesiæ conferant, quod penitùs ab omnibus mentibus eradicandum est; animarum quippe salutem inquirere Sacerdos, non lucra terrena debet, quoniam fideles ad res suas dandas non sunt cogendi, neque circumveniendi; oblatio namque spontanea esse debet, juxtà illud quod ait Scriptura: *Voluntariè sacrificabo tibi*; & illud; *Omnis populus mente devotâ obtulerat donaria Domino.* Ecclesia verò Sancta non solùm fideles spoliare non debet, quin potiùs inopibus opem ferre, ut debiles, pauperes, viduæ, orphani & cæteri necessitatem patientes, à Sanctâ Ecclesiâ, utpotè à pia Matre & omnium Gubernatrice, subsidium accipiant: quia res Ecclesiæ, quibus Episcopi, non ut proprius, sed ut commendatis uti debent. Sunt pretia peccatorum, patrimonia pauperum, stipendia fratrum in communi viventium. Ita loquitur *Can.* 6. *Conc.* CABILLON. II. ann. 813. TOM. VII. CONC. *p.* 1273.

II. Constituit Sacer iste Conventus, ut Episcopi sive Abbates, qui non in fructum animarum, sed in avaritiam & turpe lucrum inhiantes, quoslibet homines illectos circumveniendo totonderunt, & res eorum tali persuasione non solùm acceperunt, sed potiùs subripuerunt; pœnitentiæ Canonicæ, sive regulari, utpotè turpis lucri sectatores, subjaceant. ... res namque quæ ab illectis & negligentibus datæ sunt vel raptæ noscuntur, hæredibus reddantur, qui dementiâ Parentum, & avaritiâ Clericorum exhæredati noscuntur. *Can.* 7.

III. Si verò nescientibus Episcopis aut Abbatibus, Ministri eorum quilibet; videlicet in Clero, hoc fecisse convincuntur; Episcopi & Abbates desidiâ, illi verò rapacitate & avaritia judicentur. *Ibid.*

Hujus Canonis 7. primam partem GRATIANUS refert *Cap.* 42. CAUS. XVII. QUÆST. VII. & *Cap.* 5. CAUS. XX. QUÆST. III. Constituit sanè Sacer iste Conventus, ut Episcopi sive Abbates, qui non in fructum animarum, sed in avaritiam & turpe lucrum inhiantes, quoslibet homines illectos circumveniendo totonderunt, & eorum res tali persuasione surripuerunt, pœnitentiæ Canonicæ, utpotè turpis lucri sectatores, subjaceant. Secundum verò hæc tantùm habet; Res verò eorum hæredibus reddantur. Hunc tribuit *Conc.* MOGUNTINO. Correctores Roman. restituunt *Concilio* CABILON. II. Post hos idem faciunt *Autores Editionis Pithæanæ*: utroque loco iisdem verbis transcribitur.

Omisimus quod spectat circumventos, utpotè à proposito alienum; observare sat erit, quòd deceptio cadebat tantùm in donationem rerum Ecclesiæ vel Monasterio, non in consecrationem personæ Domini, quæ plena libertate facta erat, ideòque à Concilio approbata, ut præsumere est ex discreto zelo hujusce *Concilii* CABILONENSIS. VAN-ESPEN. *Commentar. in hunc Canonem.* CAUS. XX. QUÆST. III. postquàm notavit, Authores hujusmodi circumventionis circa temporalia, pœnitentiæ Canonicæ subjacuisse, subdit: „Similes his sunt quidam hodierni Superiores Monasteriorum, qui in assumptione ad Religionem, plus ad dotes inferendas, quàm ad signa vera vocationis attendunt.

Non occurrunt alii Textus, qui itidem expressè vetent, ne Prælati Ecclesiarum hæreditates, legata, donationes captent, blandiriis, promissionibus, aliisve circumventionibus, quique illos id facientes puniant, sed plurimi id damnandum insinuant. Hujusmodi sunt, 1º. Qui prohibent exhæredare Parentes propter Ecclesiam. 2º. Qui Clericis patrimonialia bona habentibus antè Clericatum, vel acquirentibus post illum, plenam libertatem relinquunt, ut illa ad Parentes transmittant, vel donatione, vel Testamento, aliisve dispositionibus legitimis. 3º. Qui præcipiunt, ut si Clerici habentes bona Sæcularia & bona Ecclesiastica insimul, emerint agros vel domos aliasve res immobiles vel mobiles, empta dividantur inter hæredes & Ecclesiam æqualiter, si bona Sæcularia æquabant bona Ecclesiastica, aut inæqualiter proportione servatâ. Primi generis est *Cap.* 3. *Tit.* 46. LIB. *Epitomes Veter. Juris Canonic.* Cap. 43. CAUS. XVII. QUÆST. IV. Secundi generis sunt plerique Canones relati. *Ibid. Tit.* 45. Postremi generis unum habes in *Cap.* 25. *Ejusd. Tit.* 45.

Eandem Ecclesiæ voluntatem abhorrentem acquisitiones fraudulentas in præjudicium propinquorum donatoris vel testatoris, demonstrant Canones omnes, qui jusserunt, ut Episcopi, Presbiteri, Diaconi aliive Clerici, possidentes bona paterna, vel materna, aliave Sæcularia, antè ordinationem, faciant inventarium illorum bonorum; ne illis propinqui fraudentur post illorum Ordinatorum decessum; talea sunt *Cap.* 14. *Tit.* 45. & *Cap.* 31. *Ibid. Eod. Tit.* Cap. 20. 21. CAUS. XII. QUÆST. I.

SECTIO IX.

Decisiones collectas Sectione VII. produci posse ad contractus in pari causa vel casu.

Ad examinandum, judicandumque, an contractus irriti ex defectu solemnitatum substantialium, quales sunt, quibus adjicitur Clausula nullitatis, vel expressis verbis, vel æquivalentibus; valeant quoad pias causas, ut donationes ultimæ voluntatis in hoc casu valent; recurrere necesse est ad prædictas decisiones, quia non extant in Corpore Juris Canonici consimiles circa contractus. Videndum ergo, an extendi possint ad illos in pari casu. Dubitandi ratio petitur, ex eo quòd donationes ultimæ voluntatis favorabiliores sunt, quàm contractus; undè Regulæ, Plena interpretatio in contractibus, plenior in Testamentis, plenissima in donationibus est facienda; extensio verò locum non habeat, nisi ad res ejusdem generis & favoris, ut patet in Privilegiis, quæ licet sint omnia sub genere gratiæ, eoque respectu favorabilia; quæ conveniunt quibusdam Privilegiis, aliis non conveniunt: undè specialiter dicitur de Beneficiis Principum, quòd sint largissimè interpretanda, idque restringitur ad illa, quæ faciunt de rebus suis, quemadmodum ostensum est, dum de Privilegiis.

Verùm, hac non obstante ratione, tenendum videtur, prædictas decisiones vim suam habere in contractibus irritis ob non servatas solemnitates substantiales, quotiescumque agitur de piis causis, posito quòd expressè vel tacitè à Principe, cujus est bona temporalia regere, eorumque dispositiones præscribere, probatæ sint quoad illas causas; secùs autem, si has exceptiones in favorem piarum causarum, Princeps prædictis modis non probaverit. Prior pars hujus Sententiæ colligitur ex eo, quòd Principis est à Legum suarum dispositione dispensare, tùm quoad solemnitates quas præscribunt, quàm quoad capacitatem quam requirunt; tùm in dante, tùm in recipiente; ejus enim est solvere, cujus est legare: Hujus Dispensationis causa alia non est, quam favor Religionis, cujus est Protector, Defensor & Promotor; hæc autem causa non minor in contractibus, quàm in donationibus & in Testamentis, cùm per illas Ecclesia acquirat bona temporalia perindè ac

per

per illa, eademque conservet, ideòque par favendi ratio; præterea Donationes & Testamenta sunt quodammodo Contractus, cùm pariant reciprocam obligationem, post acceptationem illorum à donatario vel ab hærede, qui eo ipso se adstringunt ad subeunda onera imposita à Jure, vel à benefactore sibi imposita. Ad hæc animarum salus proveniens ex adimpletione piatum dispositionum per Contractus irritos ob omissas solemnitates substantiales factarum, non minori favore digna, quàm Ecclesiæ utilitas ex similibus dispositionibus accipientis undè Ministros Sacros sustentet, ac Divina Officia celebret.

His igitur de causis præsumendi locus est, velle Principem, ut quæ definita sunt in favorem piarum dispositionum per donationes vel testamenta factarum, in casibus in quibus irritæ sunt ob omissas solemnitates substantiales, extendantur ad illas quæ fiunt per Contractus pariter vitiosos, quales esse possunt emptiones, permutationes, in favorem Ecclesiæ vel animarum factæ.

Posteriori equidem sententiæ Parti suffragantur sequentia rationum momenta: Certissimum est Ecclesiam non posse ferre Leges circa res temporales, quæ derogent Legibus Civilibus circa eas, nisi Supremam Potestatem habeat in loca ubi sitæ sunt, cùm istæ subsint Supremo Principi, præsertim quando adhuc profanæ sunt, quales sunt profectò antequàm juxtà Leges Civiles in illius dominium validè translatæ sunt; hac enim translatione Sacræ fieri incipiunt; hæc autem translatio fit per Contractus, ut per donationes & ultimas voluntates. Collectæ ergo Decisiones, cùm ex Canonibus sive Legibus Ecclesiasticis desumptæ, efficere non potuerunt, nolente Principe, ut dispositiones irritæ quoquo modo juxtà Leges Civiles convalescant, quantumcumque piæ sint; itaque cùm manente illarum nullitate, nullam possint parere obligationem, consequens est, ut nisi probentur à Principe, inutiles habendæ sint, etiam quoad Donationes & Testamenta, de quibus loquuntur, proindèque ad Contractus inutiliter extenderentur: Frustrà diceretur, hujusmodi dispositiones favore Religionis valere Jure Naturali, vel Jure Gentium, cùm bona non possideantur Jure Naturali, quo omnia communia sunt. *Cap.* 1. Dist. VIII. & Nationes consenserint, ut illa à Principe regerentur per Leges, quas utilitati publicæ congruas judicaret: Solemnitates autem Contractuum, ut & Donationum & Testamentorum, præscriptæ sunt ut necessariæ, vel saltem utiles bono publico; si ergo omittuntur & substantiales sunt, Contractus nullum effectum habent, ideòque nullo modo obligant; prædicta ergò distinctio, utpotè justo fundamento carens, rejicienda est, imò non toleranda, quia contemptum vel saltem neglectum Legum inducere posset.

Non minùs certum est, per consecrationem res temporales, sicut & personas, à potestate Principis non eximi, cùm consentiendo, ut earum dominium transferatur Ecclesiæ, in illam non transferat supremum circa illas dominium; ideòque Legibus res Sacras, ut & personas, manere subjectas. Hinc innumeræ Leges circa utrasque; hinc inter alias, Leges præscribentes quæ servanda sunt in alienatione rerum Ecclesiasticarum, non solùm quando ista fit ab una Ecclesia in favorem privatorum, sed etiam quando fit in gratiam alterius Ecclesiæ: undè si omittantur solemnitates his Legibus præscriptæ, alienatio irrita est, quantocumque favore digna sit, nec valet quoad pias causas, nisi istæ à Legibus expressè vel tacitè exceptæ sint.

Cæterùm, quæ desunt huic Titulo, reperies in Tit. VIII. *Sect. V. & VI.*

TITULUS V.

De Feudis.

SECTIO I.

Pro feudo Vassallus Domino in servitio tenetur. Non semper hæredes tenentur præstare juramentum, licet fidelitatem semper debeant.

I. Vassallus in servitio Domini pro fendo ipso tenetur. *De Feudis.* Cap. *Insinuatione. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 20. Cap. 1.

Appellantur hominia fidelitates. *De Statu Monachorum.* Cap. *Recolentes.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 35. Cap. 3.

II. Vassallus Domino fidelitatem facere tenetur. *De Jurejur.* Cap. *Eâ te.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 22.

III. Census Vassallo, non tanquàm sibi, sed tanquam Domino, cujus autoritate debet percipere, persolvitur. *De Præscription.* Cap. *Ad audientiam.* §. 2. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 26. Cap. 13.

IV. Qui alii fidelitatis præstitit juramentum, illud quod Domino, tamquàm debitum est, præstandum, & quod licitè, imò ex debito petitur, sine difficultate præstabit. *Ibid.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 22.

Qui juravit ei, cui non debuit, cui debet jurare compellitur. *Glossa* 1.

V. Hæredes tui, qui Domino, vel alicui Successorum suorum juraverunt, aliis jurare minimè compellantur. *De Jurejur.* Cap. *Veritatis.* §. 1. *init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 14.

Si juravit sub hac formâ: Ego juro tibi fidelitatem & Successoribus tuis; non debet ampliùs jurare; quia istud juramentum perpetuum est quoad illum qui juravit. *Glossa*, verbo, *Compellantur. fin.*

VI. Attamen Successoribus, qui pro tempore fuerint, & homagii & fidelitatis puritatem nihilominùs, ac si jurassent, omni tempore teneantur, absque tergiversatione aliquâ fideliter observare. *De Jurejur.* Cap *Veritatis.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 14.

Licet Vassallus non juret fidelitatem Successoribus Domini, tenetur tamen eis esse fidelis, ac si jurasset. *Glossa.*

VII. Vassallo non licet pro se à Judice fidelitatis exigere juramentum. *De Præscript.* Cap. *Si diligenti.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 26. Cap. 17.

VIII. Constat Dominum semper in quasi possessione fuisse juris exigendi fidelitatis juramentum, cùm pro eo ministerio, Vassalli & Antecessorum suorum exactum fuit & præstitum juramentum. *Ibid.* §. 2. Lib. II. Decr. *Tit.* 26. Cap. 17.

Aliquis à Vassallo nomine Domini juramentum fidelitatis, sicut ab eo mandatum accepit, exigere potest. *De Jurejur.* Cap. *Eâ te. post init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 22.

Juxta antiquum & legale dictum, qui negligit censum, perdit agrum. *Concil.* Meld. anu. 845. *Cap.* 62. Tom. VII. Conc. *p.* 1838.

SECTIO II.

Vassallus non tenetur de feudo coràm alio quàm coram Domino respondere.

I. Vassallus jus suum coram Domino prosequi debet. *De foro compet.* Cap. *Ex parte. med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 2. Cap. 15.

Causa feudi, quoad petitorium judicium, coràm Domino feudi tractari debet. *Glossa.*

II. Vassallus, nisi Dominus feudi fuerit requisitus, & ipse in exhibendâ justitiâ extiterit negligens aut remissus, coràm alio Judice non potest conveniri, *Ibid.*

III. Per Dominum feudi, causa de sæculari feudo debet terminari. *Ibid.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 2. Cap. 6.

Quæstio feudi debet terminari per Dominum feudi immediatum. *Glossa Prima.*

IV. Ex quo Episcopus fuerit in Ecclesiâ consecratus, quæstio de feudis Ecclesiæ sub suo Judicio cognoscatur, si ad Ecclesiasticam quæstionem pertineant; alioquin Imperiali benè placito, sicut justum fuerit, relinquatur. *De foro compet.* Cap. *Verùm.* Lib. II. Decr. *Tit.* 2. Cap. 7.

Si feudum sit Ecclesiæ, quæstio de illo ad Episcopum pertinet; si feudum sit Imperatoris, ad illius Judicium pertinet.

V. Dominus sub debito fidelitatis, Vasallis etiam Clericis inhibere potest, ne de Sæculari feudo in Judicio Ecclesiastico respondeant. *De foro compet.* Cap. *Ex transmissâ.* Lib. II. Decr. *Tit.* 2. Cap. 6.

VI. In eos, quos ab Ecclesiâ tuâ constat possessiones tenere in feudum, occasione ipsarum, Excommunicationis seu Interdicti Sententiam ab aliis promulgari, districtiùs inhibitum est; quamdiù parati fuerint super his in Domini sui præsentiâ justitiam exhibere. *De Judiciis.* Cap. *Cæterum.* Lib. II. Decr. *Tit.* 1. Cap. 5. Vide Gonzalem *Ad hoc Caput* 5.

Vasallus paratus coràm Domino respondere, coram alio super feudo conveniri non debet: seu cognitio feudi inter Vasallos spectat ad Dominum feudi. *Glossa* 1.

Quamdiu Dominus feudi est paratus facere justitiam inter Vasallos, & ipsi etiam parati sunt reddere sub eo, nullus alius debet se intromittere de illâ Jurisdictione. *Glossa*, verbo, *Quamdiù parati.*

Causa feudi per Dominum ipsius feudi debet terminari. *Glossa.*

Cùm vertitur quæstio feudi inter Vasallos, coram Domino feudi causa illa tractari debet. *Glossa.*

SECTIO III.

Clericos ratione feudorum posse Laïcis fidelitatem promittere, aliàs non debere, cùm nihil temporale obtinent ab eis.

I. Non negamus quin præcellat Imperator in temporalibus illos Sacerdotes duntaxat, qui ab eo suscipiunt temporalia. *De Majorit. & obedientiâ.* Cap. *Solitæ.* §. 3. Lib. I. Decr. *Tit.* 33. Cap. 6.

II. Ut omnis Ecclesia Jura sua & feudos possit redimere auro & argento Ecclesiæ. *Conc.* Pictav. ann. 1100. *Can.* 17. Tom. X. Concil. *p.* 716. *Vide Epistolam* 42. Paschalis II. Tom. X. Conc. *p.* 665. respondet Anselmo plura ab ipso quærenti, quod Clericus non debeat fieri homo Laïci, quia sic fit servus illius, cujus est Dominus ratione dignitatis spiritualis: & *Conc.* Claromontanum, Placantinum, Rom. III. *Eodem Tomo.*

III. Nimis de Jure Divino Laïci usurpare nituntur, cùm viros Ecclesiasticos nihil temporale obtinentes ab eis, ad præstandum sibi fidelitatis Juramenta compellunt. *De Jurejur.* Cap. *Nimis. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 30.

Clerici non habentes temporalia à Laïcis, non tenentur eis præstare Juramenta fidelitatis. *Summa.*

IV. Quia secundùm Apostolum, *Servus suo Domino stat aut cadit*, prohibitum est, ne tales Clerici personis Sæcularibus præstare cogantur hujusmodi Juramenta. *Ibid.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 30. *Conc.* Pictav. ann. 1100. *Can.* 3. Tom. X. Conc. *p.* 715.

V. Indignum est, & à Romanæ Ecclesiæ consuetudine alienum, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur. *De Regul. Juris.* Cap. *Indignum.* Lib. V. Decr. *Tit.* 41. Cap. 11. *ult.*

VI. Rursùm, nisi verè in pecuniâ numerata, præsentibus testibus & Notario, & in actu celebrationis instrumenti, non autem priùs, recepto integro justoque pretio. *Ibid. Bullâ* 79. Pii V. §. 2.

In dotium assignandarum casu, censuum creationem & constitutionem, respectu actualis numerationis coràm Notario & testibus faciendæ, locum non habere; sed in hoc casu censum ipsos etiam pecuniâ ad manum non habitâ creari posse, declaratum est. *Bullâ* Pii V. *Etsi Apostolica.* §. 9. anni 1570. *Bullarii p.* 276.

SECTIO IV.

Dominus tenens Vasalli sui feudum, fructus suos facit, & Vasallus à servitio eximitur.

I. Gageria seu feudum à Domino liberè potest retineri, non computatis fructibus in sortem, eoque tempore Vasallus à servitio, in quo Prælato & Ecclesiæ pro feudo tenetur, fit immunis. *Cap.* 1. *De feudis.*

Textus hic respicit casus, in quibus feudum gratis concessum à Domino solo, sibi retento servitio pro illo; iisque casibus, justus profectò est, cùm cessante causâ, cessare debeat effectus; proindèque Domino fructus percipiente, servitium Vasalli cessare debet. E contra Vasallo serviente, fructus Domino pertinere non debent; immò iisdem casibus, si feudatarius meliorasset rem feudalem, fructus ex melioramentis ab isto, non à Domino, percipiendi essent: In aliis verò casibus, ubi scilicet feudum emptum esset, retento vendenti modico servitio vel pensione, si Vasallus in pignus traderet Domino pro mutuata ab illo pecunia, fructus computandi essent in sortem, cùm tunc cessaret ratio Textûs; ac res feudalis ejusdem conditionis foret, ac res non feudalis, de qua *Cap.* 6. *De pignoribus*, fructus in sortem computandos, quando oppigneratur ob mutuum receptum; & in *Cap.* 7. *De Jurejur.* ubi similis decisio habetur, necnon in *Cap.* 1, 28. *De usuris.*

II. Nisi fortè terra ipsa de feudo sit Monasterii vestri. *Cap.* 8. *De usuris*, ubi postquàm præcepta est restitutio cujusdam terræ in pignus datæ pro securitate mutuatæ pecuniæ, eam ob causam quod percepti fructus jam æquassent sortem, excipitur casus terræ feudalis Domino pignoratæ; quæ exceptio explicanda est eodem planè modo quo prima decisio exposita est.

III. Nisi fortè Beneficium Ecclesiasticum, quod redimendum ei hoc modo de manu Laïci videatur. *Cap.* 1. *De usur.* Exceptio similis præcedenti, sed non ita certa; quia quod dicitur de Beneficio Ecclesiastico, de Beneficio propriè dicto intelligi potest, quod à Laïco injustè usurpatum, ab eo revocari non valeat, nisi mutuatâ pecuniâ, & illo in pignus accepto. Alii de feudo interpretantur itidem à Laïco usurpato et detento, quod alio quàm prædicto modo recuperari nequit; quo casu, cùm Ecclesia vera sit illius Domina, fructus justè percipit ut proprios, non ut alienos; ideòque in sortem non computandos. *Vid.* Gonzal. *In Cap. illud. n.* 2. & *in Cap.* 1. *De Feud. n. ult.*

Plura non contemnenda objici possent, quibus obviam itum est per explicationes subjunctas Textibus relatis, quasque confirmare licet hac consideratione, quòd Dominus infeudans retinet sibi dominium directum rei feudalis, & Vasallo non transfert aliud, quàm dominium utile, quod per pignus rediens ad Dominum, consolidatur cum dominio directo; utroque autem residente in Domino, iste fructus transmissos alii recuperat, suique fiunt.

SECTIO

SECTIO V.

Casus notandi, in quibus Prælatus infeudare potest, salvo juramento non alienandi.

I. Prælatus feudum decedentis Vassalli liberè potest alteri concedere, si viderit expedire; non obstante juramento, de non infeudando inconsulto Pontifice; filium vel consanguineum alienantis investire: feudum alienatum ei concedere, per quem Ecclesia valeat rehabere. *Cap. 2. De feudis.*

II. Feudum ad Ecclesiam revertitur per obitum Vassalli. 1o. Quoties personale, quia hujusmodi beneficium perit cum persona. 2o. Quoties Vassallus decedens est ultimus eorum, quorum familiæ feudum concessum erat, ut fit quando nullus restat hæres ex familiâ, vel hæres non est masculus, & feudum ad masculos restrictum est; quod præsumitur, si ad successionem fœminæ expressè vocatæ non fuerint.

III. Item feudum revertitur ad Ecclesiam, quoties à Vassallo malè alienatur, *v.gr.* cùm transmittitur extraneo, etsi familiare sit, quo casu filio vel consanguineo Prælatus concedere potest. Quod de consanguineo dictum est, restringendum ad illum qui ejusdem feudi consors, quia de isto textus loquitur.

IV. Hæc reversio locum habet, quotiescumque Vassallus committit aliquod crimen, ipsius vacationem ipso facto inducens.

V. Si feudum amissum malâ alienatione, aliove modo, ad Ecclesiam reversum, usurpetur ab aliquo, & recuperationis spes non sit, justum est ut Prælatus concedere illud possit ei, per quem rehabere valeat.

VI. Juramentum non infeudandi restringendum ad novam infeudationem, quæ fit, quando res non feudalis constituitur feudalis; quod non evenit, quando feudum jam constitutum alteri traditur, cùm eo casu fiat tantùm continuatio ejusdem feudi.

VII. Idem dicendum de juramento non alienandi res Ecclesiæ, etsi infeudatio sit alienatio; nam res factæ feudales non sunt Ecclesiæ, nisi quoad proprietatem & dominium directum; non autem quoad usumfructum & dominium utile; juramentum autem prædictum intelligendum venit de rebus ab Ecclesia plenè possessis, quarum utrumque dominium habet; idque propter Excommunicationem alienationi prohibitæ annexam. Porrò ut res Ecclesiæ censeatur feudalis facta, consentiunt omnes, quod sufficit, ut per 40. annos in feudum possessa sit, unâ saltem investiturâ solemni; quoad alteram investituram, quam multi requirunt, opinio tutior est illam esse necessariam. *Vid.* Faonanum *in* Cap. *citatum* & Gonzalem *in idem*, illud fusè interpretantes. Vid. quoque *Summam* Cantsii. *Tit. De feud.* paucis complectentem quidquid sciendum est circa collectos casus, aliaque feudalem rem spectantia.

TITULUS VI.

De Solutionibus.

SECTIO I.

Filii Patris heredes debita defuncti, & quique debitores tenentur sua debita solvere, cum moderatis expensis atque damnis.

I. Filius debita Patris solvere tenetur. *De solutionibus.* Cap. *Ad hoc.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 23. Cap. 1.

II. Hoc intellige de filio qui est hæres; si enim hæreditatem non haberet, in nullo teneretur. *Glossa.*

III. Ejus, qui excommunicatus fuerat pro incendio, & fuit, dum ageret in extremis, juxtà formam Ecclesiæ absolutus, hæredes & propinqui, ad quos bona pervenerunt ipsius, ut pro eodem satisfaciant, Censura sunt Ecclesiasticâ compellendi. *De sepulturis.* Cap. ult. *Parochiano.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 14.

In hujusmodi casu recurreretur ad Judicem Sæcularem, cui temporalium rerum cura commissa est.

IV. Hæredes tenentur ex maleficio defuncti, licet ad eos nihil ex illo maleficio pervenerit; cùm ad eos bona defuncti pervenerint. *Glossa.*

V. Si quis defunctus est, ad hærede ejus, quæ injustè ab illo ablata sunt, sine excusatione reddantur. Caus. XVI. Quæst. VI. *Cap.* 3. *Si Episcoporum. fin.* Gregor. I. Lib. II. *Epistolâ* 5. Joanni *Defensori.* ann. 603.

VI. De bonis, quæ quis reliquit, ab hæredibus ejus indemnitatibus Ecclesiæ consulatur. Caus. XII. Quæst. II. *Cap.* 34. *Episcopus qui filios. fin. Ex Conc.* Agathensi. *Cap.* 33. ann. 506.

VII. Si Sacerdos res Ecclesiæ pignori obligavit, filius ejus, qui ex successione ipsius patrimonii jus dicitur obtinere, ea recolligat & restituat Ecclesiæ. *De pignorib.* Cap. *Ex præsentium.* Lib. III. Decr. *Tit.* 21. Cap. 5.

VIII. Filius hæres convenitur ex contractu defuncti. *Glossa.*

Hæredes defuncti his, quibus ille per incendium, vel alio modo damna contra justitiam irrogaverat, juxtà facultates suas (*a*) condignè satisfaciant. *De Raptorib.* Cap. *In litteris.* §. 1. *fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 17. Cap. 5. (*a*) Defuncti scilicet. *Glossa.*

Ex delicto defuncti hæredes non tenentur ultra facultates, vel vires hæreditatis defuncti. *Glossa.*

IX. Qui se certo loco pecuniæ summam solvere adversariis promiserunt, eisdem de pecuniâ ipsâ cum justis & moderatis expensis, & congrua satisfactione damnorum, usuris omninò cessantibus, satisfaciant ut tenentur. *De foro compet.* Cap. *Dilecti.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 2. Cap. 17.

X. Qui certo loco solvere promittit, & non solvit, tenetur adversario ad interesse pro eo quod non solvit loco promisso, si sua interest quod ibi non fuit satisfactum. *Glossa*, verbo, *Qui se certo loco.*

Si ex confessione debitorum, vel aliàs legitimè rem deberi constiterit, de reditibus eorum præscripta debita Judex faciat exsolvi, & damna etiam, quæ propter hoc creditor pertulit, resarciri. *De fidejuss.* Cap. *Pervenit.* §. 1. *med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 22. Cap. 2.

XI. Aut reditus sibi assignentur tandiù sine molestiâ detinendi, donec ipsa damna resarcita fuerint, & debita sine diminutione soluta. *Ibid. fin.*

XII. Vendentes in Templo sunt, qui hoc quod quibusdam jure competit, ad præmium largiuntur. Caus. I. Quæst. III. Cap. 10. *Vendentes.* §. 1.

XIII. Ementes in Templo sunt, qui dùm hoc persolvere proximo, quod justum est, nolunt, dumque rem jure debitam facere contemnunt, dato patronis pretio, emunt peccatum. *Ibid. fin.*

SECTIO II.

Cùm dies statuta est ad solvendum, intra illam solvi debet; eâ tamen elapsâ, non cessat solvendi obligatio. A Judice quadrimestre tempus ut plurimùm conceditur ad solvendum; potest tamen prorogari, aut breviari; & qui breviorem terminum recipit, non potest posteà executionem Sententiæ retardare.

I. Dies statuta pro Domino interpellat. *De locato & conducto.* Cap. *Potuit.* §. 1. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 18. *Cap.* 4.

Concessum mutuum promisso loco & termino persolvi debet. *De Off. Deleg.* Cap. 9. *init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 29. Cap. 40.

II. Ideò tempus est constitutum, non ut terminus ipse præveniri non possit, sed ne valeat proro-

 gari.

gari. *De Appellat.* Cap. *Oblatæ.* §. 1. *med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 57. Ibi agitur de tempore constituto ad appellandum, sed valet respectu omnium obligationum.

III. Si mandatur alicui, ut alii ad certum diem rem certam exsolvat; non ideò erit à mandato solutus, si solvere nequiverit die datâ: imò ad solutionem elapso etiam die solutioni præfixo tenetur. *De Dolo & contum.* Cap. *Cùm Dilecti.* §. 3. *med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 14. Cap. 6.

IV. Usque ad quadrimestre tempus ad solvendum debitum à lege Reo conceditur. *De Off. Deleg.* Cap. *Quærenti.* §. 2. *med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 29. Cap. 26.

V. Condemnatis in causâ pecuniariâ ad solvendum quadrimestre tempus regulariter est statutum. *De sent.* Cap. *Quod ad consultationem.* §. 2. *init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 15. *Junctâ Glossâ.*

Quadrimestre tempus quod datur condemnatis à Jure in causâ pecuniariâ, potest abbreviari & elongari à Judice ex causâ. *Glossa.*

Quadrimestre tempus datur condemnaris in personali actione ad solvendum. *Glossa prima.*

Id arctari potest nonnumquàm à sedente in medio, & etiam prorogari. *Ibid.*

Qui ab initio sponte recepit terminum breviorem, imputare sibi potest & debet; cùm ex hoc videatur amplius beneficium contempsisse; unde talis non auditur appellans, nec executionem Sententiæ ideò convenit retardari. *Ibid.*

Si quis terminum breviorem recipiat; sponte, etiam sine causâ, ampliori tempori renuntiare videtur; undè posteà non potest appellare propter hoc. *Gloss.*

SECTIO III.

Instrumenta inspici debent, ut de debitis judicetur, nisi causam exprimant; Tenetur Actor debitum probare si denegetur, aliàs tenebitur Reus probare se indebitè promisisse.

I. Judex super debitis, instrumenta quæ sunt apud creditores, inspiciat. *De fidejussorib.* Cap. *Pervenit.* §. 1. *init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 22. Cap. 2.

II. Si cautio, (*a*) quam à te indebitè (*b*) proponis expositam, indeterminatè (*c*) loquatur; Adversarius tuus tenetur ostendere debitum quod continetur in eâ. *De fide instrum.* Cap. *Si cautio.* *init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 22. Cap. 14.

(*a*) Id est, scriptura publica, vel privata, seu instrumentum quo confiteris te aliquid recepisse.

(*b*) Quia dicis, quod non teneris ad id, super quo cautio exposita fuit. *Glossa*, hoc verbo.

(*c*) Id est, non exprimens ex quâ causâ debeatur. *Glossa*, hoc verbo.

III. Petens ab aliquo certam summam pecuniæ, ad hoc probandum inducit instrumentum, seu scripturam publicam, aut privatam; si instrumentum nullam causam exprimat, ex quâ petita pecunia debeatur, Actoris est ostendere debitum quod in cautione illa continetur. *Glossa.*

Si causam propter quam hujusmodi scriptura processerit, expresseris in eadem, confessioni tuæ statur; nisi probaveris te id indebitè promisisse. *Ibid. fin.*

IV. Si causam scriptura expresserit, propter quam pecunia debeatur, putà quia confessus fuisti mutuò recepisse pecuniam promissam; tunc statur tuæ confessioni, quæ continetur in illâ cautione; alioquin si causa non sit inserta, non poteris conveniri ex illâ cautione. *Glossa*, verbo, *Si causam.*

V. Nimis indignum est juxta Legitimas Sanctiones, ut quod suâ quisque voce dilucidè protestatus est, in eumdem casum proprio valeat testimonio infirmare. *De Probat.* Cap. *Per suave.* §. 1. *med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 19. Cap. 10.

Vid. *Tit. De Censib.* Sect. VII. Ubi similis quæstio resolvitur per similia momenta.

SECTIO IV.

Debitor, qui jam liberatus est, non tenetur solvere; potest cum re sibi debitâ compensationem petere, si causa liquida sit. Non liberatur, qui alii solvit; qui verò per nuncium, quem fidelem putat, mittit summam debitam, qui illam retinet, liberatur quoad pœnam incurrendam ob solutionem non factam intra tempus conventum.

I. Cùm quis aliâ vice super aliquo debito conventus fuit, & sententialiter absolutus; ad hoc non tenetur, & ab impetitione adversarii absolvi debet. *De Sententiâ.* Cap. *Sicut. post init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 16.

II. Absurdum est, quod liberatus debitor adhuc ad solvendum remaneat obligatus. Extravag. Com. *Inter cunctas.* §. 3. *fin.* *De privilegiis.* Lib. V. Decr. *Tit.* 7. Cap. 1.

III. Cùm quis à se centum triginta libras ex causâ mutui perit; tu ex adverso proponere potes, quòd cùm idem in centum & octoginta libris pro pretio domûs quàm eidem vendidisti teneatur, centum triginta libras ex illis non immeritò debeas compensare. *De fide instrumentorum.* Cap. *Cùm Joannes.* *init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 22. Cap. 10. Compensatio admittitur in Jure. *Glossa.*

Quæ compensatio admittenda fuit, si causa ex quâ postulabatur, liquida erat; aliàs non admittitur compensatio. *Glossa*, verbo, *Compensare.*

IV. Compensatio admittitur in aliis Contractibus à deposito, si causa, ex quâ postulatur, sit liquida, ita ut facilem exitum credatur habere. *De Deposito.* Cap. *Bona fides.* §. 1 *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 16 Cap. 2.

Sive in realibus, sive in personalibus actionibus compensatio admittitur, si causa sit liquida. *Glossa*, verbo, *In aliis.*

V. Onus non remittitur, sed augetur, (*a*) cum cuiquam improvide solvitur, quod alii ex debito est præstandum. *De Jurejur.* Cap. *Ex te.* *init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 22.

(*a*) Quoniam gravius solvi debet vero creditori, quod alteri est solutum à debitore. *Glossa*, verbo, *Augetur.*

Non relevatur à debito, qui alii solvit quod debet. *Glossa.*

VI. Qui intra statutum tempus, per certum & fidelem nuncium, prout ei videtur, creditori pecuniam numeratam remittit, quam idem nuncius infideliter agens, sicut ei injunctum fuerat, non persolvit; postmodùm dicto creditori satisfacere debet. *De Pignorib.* Cap. *Significante.* Lib. III. Decr. *Tit.* 21. Cap. 7.

Si alii solveris quod alii debes, non liberaberis; & ille furtum committit. *Glossa*, verbo, *Quod alii.*

VII. Debitor, quantùm in eo fuit, juramenti debitum adimplevit, cùm per eum, quem certum nuncium esse sperabat, pecuniam remisit termino statuto; ideòque si in caprione detentus satisfacere non possit creditori, mora ei non nocet. *Ibid.* §. 1.

Malitia nuncii non obest Domino, dummodò ab initio credatur fidelis nuncius. *Glossa.*

Non imputatur Domino malitia Nuncii vel Procuratoris, si modò credebatur idoneus. *Glossa*, verbo, *Certum.*

Prædictæ Glossæ restringendæ ad pœnam non factæ solutionis tempore convento, cùm Textus declaret debitorem à nuntio deceptum, teneri ad solutionem.

VIII. In alternativis debitoris est electio; & sufficit alterum adimpleri. *In 6. De Reg. Juris. Reg.* 70.

Titius mihi stipulanti promisit dare equum vel decem scuta; debeo esse contentus altero ipsorum, & electio ejus est solvere, vel equum, vel decem scuta. *Glossa.* Vid. Canisium *in hanc Reg.* qui solidis distinctionibus illam explicat.

SEC-

SECTIO V.

Qui non est solvendo, excusatur à solutione, & propterea excommunicari non potest, aut absolvitur datâ cautione quod ditior factus solvet.

I. Cùm aliquis super debitis convenitur, in eum recognoscentem hujusmodi debita, sed propter rerum inopiam solvere non valentem, malè Excommunicationis Sententia promulgaretur. *De solutionibus.* Cap. *Odoardus. junctâ Glossa.* LIB. III. DECR. *Tit.* 23. Cap. 3.

Qui solvere vel satisfacere non potest, non est excommunicandus. *Glosso.*

II. Si constiterit quòd prædictus debitor in totum, vel pro parte, non possit solvere debita sup radicta, Sententia ipsa sine difficultate qualibet relaxetur. *Ibid.* §. 1.

Obligatio remanet inefficax propter inopiam. *Glossa,* verbo, *Ad pinguiorem.*

III Recipiatur priùs ab eo idonea cautio, ut si ad pinguiorem fortunam devenerit, debita prædicta persolvat. *Ibid. fin.*

Si Pars] pervenerit] ad pinguiorem fortunam, solvere debet. *Ibid.* Nunc nullus excommunicandus pro re temporali, saltem in Gallia.

SECTIO VI.

Peti potest quod debetur, non suprà debitum: non quod solutum, nisi sit indebitè, vel iniquè alii solutum; quo casu Actoris est id probare, nisi Adversarius solutum negans recepisse convincatur.

I. Quod debetur, etsi benignè dimittitur, non tamen iniquè repetitur. CAUS. XIV. QUÆST. I. Cap. 2. *Quod debetur. init.*

Quod debetur ex quolibet debito. *Glossa,* verbo, *Quod debetur.* S. AUG. LIB. XIX. *contra* FAUSTUM. *Cap.* 25. circ. an. 402.

II. Peccat qui exigit ultra debitum. *Ibid.* CAUS. XIV. QUÆST. I. *Cap.* 2. *Quod debetur.*

III. Bona fides non patitur, ut semel exactum iterùm exigatur. *In* SEXTO. *De Reg. Juris. Reg.* 83. Vid. CANISIUM illam, ut par est, enucleantem.

Pecunia per me vel per alium soluta peti non potest. *Glossa.* I.

IV. Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eumdem. *In* 6. *De Reg Juris Reg.* 59.

V. Is qui conqueritur indebitam pecuniam se solvisse, probare tenetur qood indebitè sit soluta. *De solution.* Cap. *Is qui.* init. LIB. III. DECR. *Tit.* 23. Cap. 4. ult.

Qui repetit indebitum solutum, illud debet probare. *Glossa.*

VI. Si ejus Adversarius solutionem inficians, eaindè convincatur, tunc diffitenti onus incumbit probandi, quod debitum receperit. *Ibid. De solut.* Cap. *Is qui. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 23. Cap. 4

Qui negat solutionem sibi factam, si de hoc convincatur, in eum traosfertur onus probandi, quod debitam pecuniam recepit.

SECTIO VII.

Prælatos Ecclesias suas inutiliter obligare pro alienis debitis; & contrà facientes suspendi ab administratione spirituali & temporali.

I. Inhibetur, ne quis præsumat Ecclesiam sibi commissam pro alienis gravare debitis, aut litteras alicui seu sigilla concedere, quibus possent Ecclesiæ obligari; decernentes, si secùs fuerit attentatum, ad solutionem talium debitorum Ecclesias non teneri; secùs agens ab administratione spiritualium & temporalium noverit se suspensum. *Cap.* 5. *De solution.*

II. Indignum est, ut Ecclesiæ res, præsertim quæ Sacris Mysteriis deputatæ sunt, depereant, vel percundi periculo exponantur; ideòque eo defuncto, qui illas oppigneravit, vel aliter obligavit, monendus & compellendus hæres, ut illas recolligat, vel liberet, easque liberas Ecclesiæ restituat; anatematisandus nisi paruerit.

III. Nullus Religiosus nomine Conventus fidejubeat, vel mutuam pecuniam accipiat absque majoris partis & Abbatis licentiâ, & ultrà summam communi providentiâ constitutam; alioquin non teneatur Conventus pro his aliqnatenùs respondere, nisi fortè in utilitatem illius manifestè constiterit redundasse: & qui contrà illud Statutum veoire præsumpserit, graviori disciplinæ subdatur.

IV. Inquirendum contra Prælatum de gravandâ Ecclesiâ accusatum vel suspectum, potestate vendendi, dandi, infeudandi, seu quomodolibet alienandi bona Ecclesiæ, interim illi penitùs interdicta. *Cap.* 17. *De Accusat.*

Circa collectos Teatus notandum 1o. Prohibitionem factam Prælatis, ne res Ecclesiæ, neve Ecclesias obligent pro alienis debitis, iisdem inniti principiis, ac prohibitionem, ne bona Ecclesiastica alienent: nempè illos illorum Dominos non esse, sed tantùm Oeconomos, Procuratores & Dispensatores; quorum est bona commissa conservare, eisque uti tamquam boni Patres-familias, committentium utilitati providere, quibus fideles esse debent. 2o. Res Ecclesiæ obligari posse, vel in vadimonium dando in securitatem debiti contracti, vel hypotecando illas; Ecclesias verò obligari per fidejussionem alieni debiti. 3o. Utramque obligationem irritam esse ipso jure, idque justissimè decretum, cùm nemo plus juris transferre possit, quàm ipse habere dignoscitur, & Prælatus res Ecclesiæ Ecclesiasve in commendationem habeac pro utilitate illarum, non pro suo commodo; aliàs abotatur suâ potestate, in eujus abusûs pœnam, potestatem hanc amittere debeat; hine condignè suspenditur ab administratione tam Spirituali, quàm Temporali, qui similibus obligationibus res Ecclesiæ, vel Ecclesias subjicit; hine Ecclesias suas indemnes præstare debet, idque oneris cum rebus suis transfert ad hæredes suos. 4o. Cùm res Ecclesiasticæ sint Sacræ, usibusque Sacris deputatæ, Sacrilegium committitur, si aliis usibus impendantur, pœnaque sacrilegorum incurritur. 5o. Ecclesias, ut Monasteria obligari non posse, non servatis ad id præscriptis solemnitatibus, quarum præcipua est consensus illorum quorum interest. 6o. Obligantes Ecclesias suas illarumque res pro propriis debitis, aliisve pro illarum utilitate non contractis, ut suspecti dilapidationis futuræ, ne dilapidatores fiant, ab administratione suspenduntur; convicti verò de dissipatione deponuntur, & dum ad eorum coovictionem proceditur, omnis alienatio illis interdicitur; quæ cautela à PELAGIO jam anno 557. adhibita, *Cop.* ult. CAUS. III. QUÆST. II.

SECTIO VIII.

CLERICOS *plura habere privilegia quoad solutiones debitorum suorum; quæ sint? qui illis gaudeant? an sint ipsis peculiaria? qui Canones de illis mentionem faciant?*

Jam actum est *Sectione* V. de uno illorum privilegiorum, nempè quod non possint excommunicari ob impotentiam solvendi; notatumque illud ipsis peculiare non esse, quia impotentia solvendi, si vera sit, excusat à solutione, ideòque esse nequit justa causa Excommunicationis; quapropter mens non est de illo hic loqui, sed tantùm de aliis, quæ fusè exponuntur à GONZAL. & à FAGNANO in *Cap.* 3. *De solutionib.* nec non de his quæ Ordinationibus Regiis conceduntur.

Primum omnium est, qood non teneantur bonis cedere; quod infertur ex *Cap. citato.* Cùm, ut notant Authores laudati, de cessione illa non

meminerit, etsi debuisset loqui, si facta fuisset antè Excommunicationem, quia istius injustitiam auxisset, & judicii Papæ æquitatem magis demonstrasset; atque etiam, si facienda fuisset, quia tunc saltem præmittenda fuisset antè Absolutionem Excommunicationis, & cautioni exactæ de solvendo, si debitoris fortuna melior futura esset, conjungenda; supponere ergò videtur hic Textus ab illa cessione Clericos immunes esse.

Secundum est, quod Clerici non teneantur ad ultrà quàm facere possint, retentis sibi alimentis necessariis. Hoc autem privilegium, ut & præcedens, aliis quàm Clericis concessum esse constat, quorum GONZALEZ sex Classes facit: Nempe 1º. Propinquorum, ascendentium, & descendentium. 2º. Sociorum. 3º. Maritorum, quoad restitutionem dotis. 4º. Patronorum & Patronarum ergà Libertos & Libertas. 5º. Miserabilium personarum. 6º. Illorum, qui de Republica benè meriti fuerunt. Iis omnibus FAGNANUS addit milites, ex quorum similitudine cùm Clericis, infert istos a fortiori hoc privilegio gaudere debere, utpotè nobiliori militiæ adscriptos.

Ad hoc autem, ut Clerici gaudeant hoc privilegio; juxtà eumdem FAGNANUM, decem conditiones requiruntur, quas enumerat, explicat, & probat; has qui scire volet, in illo leget.

Tertium est immunitas ab incarceratione propter debita civilia; hanc uterque vel supponit, vel probat; eodem fruuntur privilegio in Gallia quicumque debitores etiam post quadrimestre datum ad solvendum, enumerandum à significatione Sententiæ, *Ordin. Civil.* ann. 1667. *Tit.* 34. iis solum exceptis, quos expressè illa excipit. Hoc peculiare habent Clerici, quod ab illa incarceratione eximantur in duobus casibus, in quibus alii huic subjiciuntur, nempè condemnationis ad expensas litis, etsi ducentas libras excesserint, & condemnationis ad restitutionem fructuum pro damnis & interesse.

Quartum est exemptio ab executione circà mobilia, vel ad servitium destinata, vel ad Clericorum usum necessaria, cujuscumque valoris sint, & circa libros non excedentes pretium centum quinquaginta Librarum. *Ibid. Tit.* 33. *Art.* 15. Istud autem restringitur ad Clericos in Sacris Ordinibus constitutos Presbyteratus, Diaconatus, aut Subdiaconatûs.

SECTIO IX.

Censum constitutum in certa quantitate pecunia moneta determinata, solvendum non esse secundùm valorem intrinsecum illius, tempore constitutionis, nisi aliud in illa sit expressum.

I. Cùm Canonicis . . . quamdam summam pecuniæ pro pensione Ecclesiæ tuæ debitam, aliquot annis persolveris, & iidem summam illam ex integro de meliori moneta exigant solvi sibi; tibi damus nostris Literis in mandatis, ut Canonicos solutione prioris pecuniæ, vel si non sit in usu, æstimatione pecuniæ antiquæ facias esse contentos. *Cap.* 26. *De Censib.* &c.

Textus hic est GREG. IX. qui decisionem suam desumpsisse videtur ex *Cap.* 5. *ejusd. Tit. De Censibus* mox subjungendo in illius confirmationem ac illustrationem. GONZALEZ utrumque interpretatur juxtà propositionem jacentem in inscriptione Sectionis, his innixus potissimùm fundamentis, quod constitutio census explicanda sit ex usu illam immediatè subsequenti: Si ergò census solutus est in monetá currenti, præsumendum est, illum constitutum esse solvendum in eâ monetâ, proindèque continuandum in eadem monetâ, nec rationem ullam habendam mutationis posteà contingentis quoad valorem intrinsecum, cum sit merum accidens, pendens ex voluntate Principis, de cujus facto nemo tenetur. Prætereà si constituentis mens fuisset, ut moneta solutionis esset ejusdem valoris intrinseci, ac erat tempore constitutionis, hoc expressisset, ne contra mentem non declaratam objiceretur Regula; Contrà eum interpretatio facienda est, qui Legem apertiùs dicere potuit *Reg.* 57. *In* 6.

II. Cùm Presbyter Canonicis certam summam pecuniæ, pro pensione Ecclesiæ suæ, aliquot persolverit annis, iidem Canonici ab eo summam illam ex integro exigunt de monetâ PARISIEN. sibi solvi, licet ea melior sit illâ, quam pro pensione prædicta solvere consuevit: Quia igitur in hoc idem Presbyter contrà justitiam gravatur, Canonici cogendi sunt, ut antiquâ pensione contenti maneant. *Cap.* 5. *De Censib. in* 2. *Compil.* URBANUS Autor hujus Capitis sat probatum habuit, priores solutiones factas fuisse in præstituta moneta: Undè concludit continuandas sequentes in eadem monetâ, quæ haud dubiè alia non erat, quàm moneta currens, etiam intùs pejor quàm tempore constitutionis; modò extùs ejusdem valoris: Quod justum est, cùm in usu quotidiano commercioque ordinario solus valor exterior sufficiat.

TITULUS VII.

De accessoriis contractuum, sive de censibus seu pensionibus, quæ Beneficiis Ecclesiasticis imponi possunt, aliisve similibus.

SECTIO I.

Census seu pensiones Beneficiis in fundatione seu à longa tempore impositas accuratè solvi debere; at nec augeri, neque novas imponi posse.

I. QUasi pensionis nomine aliquid statui non debet, nisi evidenti ratione constiterit, quia tempore, quo dedicata est Ecclesia, conditiones convenerint, & servari eas præceptum est, nec aliquid ampliùs exindè ab aliquo exigatur. CAUS. XVIII. QUÆST. II *Cap.* 30. ELEUTHER. *med.* PELAGIUS *Papa* ann. circ. 557.

II. Cùm fuit liquidò comprobatum, quod pensio sexdecim denariorum fuerit Clericis alicujus Ecclesiæ pro alia Ecclesia annuatim per multa tempora persoluta, sed de novo subtracta; in eumdem statum percipiendi hujusmodi de eadem Ecclesia reducenda est. *De Elect.* Cap. *Querelam.* §. *ult.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 24.

III. Non intelligitur quasi novum imponi, quod ab ipsa fundatione de communi fuit Jure impositum. *De Censib.* Cap. *Cùm Venerabilis.* §. 2. *med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 39. Cap. 21.

IV. Si censum autoritate Præsulis, & non de novo impositum fuisse constiterit; Episcopus prohibere non debet ne solvatur. *De Censib.* Cap. *Significavit.* §. 1. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 39. Cap. 13.

V. Clericus à pensionis solutione cessare non debet, quam annis plurimis persolvit, & se annuatim soluturum interposito Sacramento firmavit. *De Jurejuranda.* Cap. *Querelam.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. C. 10.

VI. Prohibitum est, ne ab Abbatibus, Episcopis, vel aliis Prælatis, novi census imponantur Ecclesiis, nec veteres augeantur: Si quis aliter fecerit, irritum quod egerit habeatur. *De Censib.* Cap. *Prohibemus.* LIB. III. DECR. *Tit.* 39. Cap. 7. Ex *Concil.* LATER. *Cap.* 7. sub ALEXAND. III. *ann.* 1179.

VII. LATERAN. Concilii Statuta prohibent Ecclesiis novam imponi, vel augeri veterem pensionem. *De his quæ fiunt à Prælat.* Cap. *Pastoralis.* §. 1. *med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 10. Cap. 9.

Constitu

Constitutiones Concilii pati nolumus, neque debemus aliquorum injuriâ violari. *De Censib.* Cap. *Gravis. in init. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 39. Cap. 15.

VIII. Si Ecclesiasticæ personæ, cùm Ecclesias vacare contingit, non aliter quemquam ad ipsarum regimen velint vocare, nisi aut novum censum Ecclesiis illis imponant, aut veterem contra constitutionem *Concil.* Lateranensis augmentent; quæcumque constiterit contra Constitutionem prædictam super Ecclesiis, vel earum censu, attentata, in irritum revocari debent. *De Censib.* Cap. *Gravis.* Lib. III. Decr. *Tit* 39. Cap. 15.

IX. Cùm Canonicis aliquibus certam summam pecuniæ pro pensione Ecclesiæ suæ debitam quotannis persolveris, si iidem summam illam ex integro de meliori monetâ exigant sibi solvi; constitutum est Canonicos solutione prioris pecuniæ, vel si non sit in usu, æstimatione pensionis antiquæ manere debere contentos. *De Censib.* Cap. *Cùm Canonicis.* Lib. III. Decr. *Tit.* 39. Cap. 16.

Pensio solvenda est secundùm quod ab initio fuit constituta, sive moneta diminuta fuerit, sive augmentata. *Glossa.*

X. Si ab ipso domus vestræ primordio de Fundatoris voluntate processit, ut Fratribus S. Irenæi procurationem unam annis singulis liberaliter exhiberet, cùm nihil teneatis ab eis, propter quod hujusmodi procuratio ipsis debeat exhiberi; estis obligati ad solvendum debitum procurationis. *De Censib.* Cap. *Quanto.* Lib. III. Decr. *Tit.* 39. Cap. 16.

De omnibus decimis nullus sit, qui de Sacerdotibus requirat censum vel aliquod servitium, præter Ecclesiasticum. Ivo. *P.* 2. Cap. 174. *Ex Conc.* Hisp. Tom. V. Conc. *p.* 1591.

XI. Diœcesani nullomodo permittant, quod Regulares Prælati pensiones novas Ecclesiis, administrationibus, aut Beneficiis imponant, aut veteres augeant. *Clementinâ unicâ. De Supl neglig. Prælat.* §. 1. *init.* Lib. I. Clem. *Tit.* 5. Cap. unic.

Si Religiosi Clericos jurisjurandi Religione constringant ad majorem solito pensionem solvendam, vel præstandum aliquid Beneficii præter solitam pensionem; & eidem Clerici, cùm instituuntur ab Episcopis, jurant, quod antiquam pensionem & solitam non augebunt; cùm posterius juramentum ratione & *Conc.* Lateranensis autoritate juvetur, primo præjudicat, quod de cupiditate processit. *De Jurejur.* Cap. *Tua nos.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap 11.

SECTIO II.

Autoritate vel collusione eorum qui Beneficia possident, imponi non posse pensiones super Beneficiis, quantumvis accedat Episcoporum consensus.

I. Illud penitùs interdictum est, ne quis in fraudem de proventibus Ecclesiæ, quæ coram habere debet proprii Sacerdotis, pensionem alii, quasi pro beneficio, conferre præsumat. *De Prob.* Cap. *Extirpanda.* §. 2. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 30.

II. Simplices Sacerdotes vel Clerici non possunt Ecclesias, quibus præsunt, autoritate suâ, præsertim post decessum suum, efficere censuales. *De Censib.* Cap. *Præterea. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 39. Cap. 8. Alexander III. circ. ann. 1186.

III. Illi qui, Episcopo ignorante, autoritate suâ pensionem annuam de Ecclesiis quadam collusione solverint sive receperint; eis defunctis in receptione pensionis non sunt aliquatenùs audiendi, si Pontificis, aut alterius, qui de jure id facere potuerit, autoritatem & assensum super hoc non intervenisse constiterit. *Ibid.* Cap. *Præterea. init.*

IV. Quia pensio illa non ligabat Successorem ejus, qui Ecclesiam non potuit constituere censualem. *Glossa*, verbo, *Eis defunctis.*

V. Si census sit de novo Ecclesiæ impositus, sive autoritate Episcopi hoc factum fuerit, sive non, solvi non debet. *De Censib.* Cap. *Significavit.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 39. Cap. 13.

Ex usu nunc solus Summus Pontifex autoritatem habet constituendi pensiones. *Cap.* 5. *De Translat.* supponit, illâ fruitum fuisse Episcopum. Idem *Cap.* 9. *De Restitut. Spoliat.* Idem *Cap.* 11. *De Censib.*

Episcopi vel alii Prælati libertatem, quam sibi Majores conservare desiderant, minoribus suis bonâ voluntate conservent. *De Censib.* Cap. *Prohibemus.* Lib. III. Decr. *Tit.* 39. Cap. 7.

Quisquis liberè, & absque diminutione aliquâ, collatâ sibi dignitate atque Beneficio perfruatur. Caus. I. Quæst. III. *Cap.* 15. *Si quis. fin.* Innocentius II. *in Synodo* Rom. *Cap.* 2. *ann.* 1139.

VI. Prohibitum est, ne Prioratus vel Capellaniæ quælibet Monachorum aut Clericorum, annuâ distractione vendantur. *De Simoniâ.* Cap. *Non satis. post init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 8.

SECTIO III.

Parochis, seu Vicariis perpetuis certam pensionem, seu congruam, ut vocant, portionem assignari debere, ad honestam eorum sustentationem, à quibuslibet Patronis, etiam Religiosis exemptis.

I. Si Parochialium Ecclesiarum Patroni, seu aliæ quædam personæ proventus ipsarum sibi penitùs vendicantes, Presbyteris earumdem servitiis deputatis relinquant adeò exiguam portionem, quod ex ea nequeant congruè sustentari; indè fit, ut pene nullus inveniatur Sacerdos Parochialis, qui ullam vel modicam habeat peritiam Literarum. *De Præb.* Cap. *Extirpandæ. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 30. Innoc. III. *ann.* 1216.

II. Si Religiosi de proventibus Parochialium Ecclesiarum, in quibus jus obtinent Patronatus, seu Rectorum præsentatio pertinet ad eosdem, tantùm percipiunt annuatim, quòd Rectores Ecclesiarum ipsarum non possunt de residuo commode sustentari, & Episcopalia jura persolvere, ac alia incumbentia eis onera supportare; propter hoc sæpè contingit, quod non inveniantur personæ idoneæ, quæ hujusmodi Ecclesias velint recipere, sicque frequenter minùs idoneis conferantur, ex quo pericula imminent animarum. *In* 6. *De Præb.* Cap. *Suscepti.* §. 2. Lib. III. *Tit.* 4. Cap. 1.

III. Cùm os bovis ligari non debeat triturantis, sed qui Altari servit, de Altari vivere debeat; statutum est, ut consuetudine quâlibet Episcopi, vel Patroni, seu cujuslibet alterius non obstante, portio Presbyteris ipsis sufficiens assignetur. *De Præb.* Cap. *Extirpandæ.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 30.

IV. Si dignitati vel Præbendæ Parochialis Ecclesia sit annexa, qui talem habet Præbendam vel Dignitatem, cùm oporteat eum in Majori Ecclesia deservire, in ipsâ Parochiali Ecclesia idoneum & perpetuum habeat Vicarium, Canonicè institutum, qui congruentem habeat de ipsius Ecclesiæ proventibus portionem. *Ibid.* § 2. *med.*

V. Si persona alicujus Ecclesiæ, Vicario, quem in eadem Ecclesiâ instituit de assensu & autoritate Diœcesani Episcopi, certam assignaverit portionem; is qui personâ illâ defunctâ in personatum illius substituitur, non potest assignatam sibi minuere portionem. *De Officio Vicarii.* Cap. *Ad hæc.* Lib. I. Decr. *Tit.* 28. Cap. 3.

VI. Eam providentiam habeat Episcopus, quod ad præsentationem Monachorum, nullum recipiat Vicarium in Parochialibus Ecclesiis, nisi tantùm ei de proventibus Ecclesiæ coràm ipso fuerit assignatum, undè jura Episcopalia possint persolvere, & congruam sustentationem habere. *De Præb.* Cap. *De Monachis.* Lib. III. Decr. *Tit* 5. *Cap.* 12. Alex. III. circ. an. 1170.

VII. Fuit olim per Sedem Apostolicam providè constitutum, ut Diœcesani locorum ad præsentationem Religiosorum, nullum ad aliquam Ecclesiam recipiant,

cipiant, nisi tantùm ei de proventibus ipsius Ecclesiæ coram eis fuerit assignatum, undè jura Episcopalia possit solvere, & congruam sustentationem habere. *In 6. De Præb.* Cap. *Suscepti*. §. 1. Lia. III. *Tit.* 4. Cap. 1. CLEMENS vulgò III. sed potiùs IV. circ. ann. 1190.

VIII. Statutum est Constitutionem hujusmodi quoad omnes Patronos Ecclesiarum, Religiosos tàm exemptos quàm non exemptos, & alios, inviolabiliter observari, consuetudine contrariâ oon obstante. *Ibid. In 6.* Lia. III. *Tit.* 4. Cap. 1.

IX. Ut Constitutio, quæ ad Ecclesiam aliquam, quemvis etiam ad exemptorum præsentationem admitti, consuetudine contrariâ non obstante, prohibet, nisi præsentato de proventibus ejusdem Ecclesiæ, talis coram Diœcesano portio fuerit assignata, undè jura possit Episcopalia solvere, & sustentationem habere congruam, sicut expedit, observetur; Diœcesanis sub obtestatione Divini Judicii districtiùs inhibitum est, ne præsentatum aliquem, per quamcumque personam Ecclesiasticam jus præsentandi ad Ecclesiam aliquam habentem, admittant, nisi intra certum terminum competentem, per Diœcesanos ipsos præsentantibus præfigendum, ipsi præsentato fuerit coram eis, ut præscribitur, congrua de proventibus Ecclesiæ portio assignata. CLEMENTINA *Prima. De Jure Patronatûs. init.* Lia. III. CLEMANT. *Tit.* 12. Cap. 1. CLEMENS V. *In Concilio* VIENNENSI anno 1312.

X. Si Religiosi in Ecclesiis suis portiones, vel antiquos reditus minorare velint, quos Clerici Ecclesiarum ipsarum olim habuisse noscuntur; quoniam hoc ex radice avaritiæ & cupiditatis procedit, quam debent modis omnibus evitare; si quas portiones vel antiquos reditus Clericorum, sine consensu Episcopi minuere præsumpserint, ad integritatem pristinam revocare cogendi sunt. *De Præb.* Cap. *Avaritiæ*, §. 1. & 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 10. ALEXANDER III. circ. an. 1180.

Ex collectis decisionibus inferre licet, quòd si congruæ portionis quotitas determinata non est à Jure, Prælati tenentur eam assignare, pensatis oneribus, quibus subest tempore quo assignatur, ut iisdem accommodetur, quia proportio servanda postulat ut major sit, quo majora sunt onera; ideòque augeatur, quando ista augentur; undè cùm jura solvenda augmentari possint, ac expensæ, quæ certis locis & temporibus, ad honestam Rectoris sustentationem sufficiunt, aliis non sufficiant, oportet ut pro locorum vel temporum diversitate, major vel minor assignetur. Quod si à Jure determinata sit, necesse est Lex ut illam præfigens mutetur pro circumstantiarum mutatione, quoties mutatio diutiùs duratura prævidetur, ut omni tempore ac loco justa proportio servetur; alioquin mens Canonum non adimpletur.

SECTIO IV.

Pensionem solvendam in certa moneta vel mensura, juxta illam quæ tempore Constitutionis, in usu erat, solvendam esse, si subsistat; vel illius æstimationem, si desierit.

I. Cùm non constat, ad quam mensuram pensio soluta sit antèactis temporibus, distinguendum est, utrùm prædecessores ad unam & eandem mensuram persolverunt; eoque casu ab omnibus ad eandem mensuram persolvenda est. Quòd si solutio per mensuras distinguitur varias et diversas, debitor compellendus non est ad majorem, sed sufficit, ut solvat ad minorem. *Cap.* 17. *De Censibus.*

Hujus decisionis ratio est in *Regula tertia* SEXTI: *In obscuris minimum est sequendum.* Obscura hîc censentur, quorum Sententia, nec ex verbis, nec ex alia conjectura, colligi potest.

II. Intelligentes ex hoc, quod per monetæ declinationem acciderit, ut usque ad tempus ad præscriptionem insufficiens Lucenses dati fuerint pro Synodatico, sicut erant in usu de Fratrum nostrorum Consilio, Procuratorem Adversæ Partis tibi ad solutionem denariorum Papiensium, vel æstimationis eorumdem, pro Synodatico, per definitivam Seotentiam condemnamus. *Cap.* 20. *De Censibus.*

Debita pensio bis in anno solvenda erat in certo numero denariorum Papiensium, & per plures annos ad 40. non attingentes soluta fuerat in denariis Lucensibus minoris quàm essent Papienses, valoris. INNOCENTIUS III. non habitâ ratione solutionis factæ in moneta Lucensi, quia hic solvendi modus legitimè præscriptus non erat, condemnat ad solvendum in moneta Papiensi, vel ejus æstimatione.

III. Mandatur, ut creditor solutione prioris pecuniæ, vel si non sit in usu, æstimatione pensionis antiquæ maneat contentus. *Cap.* 26. *De Censib. &c.*

SECTIO V.

Census nomine, alia in Jure etiam significari, quàm pensionem Beneficiariam; quæ nosse, nedum utile, sed & necessarium.

I. Ne Prælati vices suas vel Ecclesias sub annuo censu concedant. *Inscriptio* TITULI IV. LIB. V. DECRETAL. GONZALES legit, *Pretio*, sed *Cap.* 4. *Ejusd. Tit.* apud eumdem utitur his verbis, *annuo censu*, ut in vulgatis saltem communior usûs lectio. GONZALES conformis est aliis tribus Capitibus, *ejusd. Tit.* quæ ponunt *Sub pretio* loco *Sub censu*. Idem habetur in Inscriptione primæ Partis Collectionis, quæ Appendix dicitur post *Conc.* LATERAN III. Citata Rubrica in nulla ex antiquis Collectionibus datis ab ANT. AUGUST. reperitur in citatis locis: Pretium & census sunt sinonima verba, quia census datur pro pretio.

Non referentur tria Capita citata in propriis terminis, quia relata sunt dum de Simonia; non immeritò, cùm agant de locatione Simoniaca, nempè Jurisdictionis contentiosæ, aliûsque itidem spiritualis, & exercitii curæ animarum comprehensi in forma Ecclesiarum Curatarum ad tempus, quâ dabatur administratio spiritualis & temporalis illarum ad certum tempus, medio censu annuo. Ob parem causam prætermittitur descriptio *Quarti Capitis ejusdem Tituli.*

Omnibus notum est pensionem impositam Emphiteutæ, vocari solitam censum emphiteuticum, ut & Canonem. *Cap.* 3. 4. 5. *De locato.*

Nec minùs notum est, censum sumi pro reditu in contractu emptionis, vel Constitutionis redituum annuorum, qui ideò dici solet Contractus censualis: de hoc Contractu sermo fit in *Cap.* 1. 2. *De Emptione.* EXTRAVAG. COMMUN. Ubi illius origo, causæ, quæ justum illum demonstrant, varius modus illum ineundi, decisiones MARTINI V. & CALLIXTI III. illum approbantium & confirmantium, necnon nomine censuum reditus annuos, pluries donantium: Illos Textus hîc non describimus, quia nedum fusiores sunt, sed multò magis, quia ad hunc locum nonnisi remotè pertinent; cùm naturalis eorum sedes sit in contractu de emptione, vel de mutuo, vel de usuris: Undè FAGNANUS de illo agit in *Cap.* 6. *De Usuris*, ubi inter alia probat, quòd si fiat ad tempus determinatum, speciem mali habeat, ideòque ab eo abstinendum; pretium censûs posse & debere majus vel minus esse, pro qualitate locorum & temporum, ideòque præfigi generaliter non posse, factasque à diversis Pontificibus Constitutiones locales fuisse; Contractum censualem à Contractu emphyteutico multùm differre, notatis singulis differentiis insignioribus. Econtrà NAVARRUS *In Consiliis*, de Contractu Censuali agit potissimùm, dùm de emptione, *Consil.* 1. 9. & 10. ubi illum fusè explicat sub nomine Census. *Cap.* 8. *De Privilegiis* subministrat duplicem aliam census acceptionem, nempè. 1o. Pro indicio acceptæ libertatis à Jurisdictione Ordinarii: talis est, qui-

quicumque solvitur ab Exemptis Ecelesiæ Romanæ cui immediatè subjiciuntur. 2°. Pro signo protectionis specialis concessæ: Talis solvitur à non Exemptis, qui hujusmodi literas à Sede Apostolica obtinueruut. De utraque actum in Tractaru de Privilegiis, quo claudunrur Prolegomena.

Census significat etiam servitium impositum tebus temporalibus, quo eximebatur olim Mansus Ecclesiæ Parochiali euique assignatus, quasi dos illius. Eo sensu sumitur *Cap. 1. De Censibus*; ubi declaratut hujusmodi exemptio statuta, vel constituitur.

Nomini Census alia adhue darur significatio, *Cap. 2. De Censibus*, ubi sumitur pro triburo, cùm tributa collocentur sub Titulo de Censibus.

SECTIO VI.

Per solam solutionem Census alicui factam longo tempore illum non acquiri, sed oportere ut eonstet de causa salvendi, eamque legitimam esse.

I. Census ignorantiæ, id est, cujus causa ignoratur, nec Divinis, nec Humanis Legibus invenirur; oportet quippe, ut Census omnes ad quid & quomodo persolvi debeant, præsciaiur. *Cap. 5. De Censibus.* Deducirut ex Epistola PASCHALIS II. ad Comitissam MATILDAM.

II. Si cautio, quam à te ei indebitè proponis expositam, indeterminatè loquatur, Adversarius tuus tenetur ostendere quod continetur in ea; sed si caussam, propter quam hujusmodi scriptura processerit, expresseris in eadem, Confessioni tuæ statur, nisi probaveris te id indebitè promisisse. *Cap. 14. De Fide instrum.*

Textus hic eò magis convenire ptoposito videtur, quò utroque casu apparet obligatio, exurgens in eo de quo agitur, ex solutione quæ supponit debitum; in eo verò de quo textus, ex promissione, quæ pariter supponit debitum, cùm communiter nemo promittat aliquid alii solvere, nisi illi debeat; & nihilominùs, si promissio sit nuda seu nulla, causa expressa irrita est, & nullam inducit obligationem; ideòque hinc consequitur, quòd si solutio eensûs fiat non expressâ causâ solvendi, solutio irrita esse debet, atque vim obligandi non habere. Quod autem promissio nuda omni effectu careat, pro certo datur à GONZAL. quia ex Textu relaro hanc propositionem tamquàm principium constans deducit: *Scriptura debiti nuda, sine causâ, non habet vim contra confitentem, nisi Actor causam ostendat, ob quam debitum sit; secùs, si causa exprimatur*; ejusque eertitudinem prolixè probar, & potissimùm ex Jute Civili, ex quo GREGOR. IX. Autor hujus Textûs hausit suam decisionem, sicut & suam PASCHALIS ptæcitatus, *Cap. 5. De Censib.*

Utrique deeisioni advetsari videtut *Cap. 24. De Elect.* quod eonfirmat electionem factam à populo, qui probabat tantùm se pluries elegisse Rectorem, hacque in possessione fuisse, quando Rectorem, de quo agebatur, elegerat; quodque adjudicat cuidam Ecelesiæ pensionem ab ipsa possessam per multos annos, ac posteà substractam, etiamsi causa juris eligendi vel percipiendi pensionem allegata non fuisset. Sed hic Textus non obstat præfaris decisionibus, quia quæstio versabatur eirca possessionem seu fruitionem prædictorum jurium; ideòque de fructibus agebatur, qui sola possessione bonæ fidei acquiruntut, vel acquiri possunt; hìc autem agitur de proprietate, quæ possessione non acquiritut, nisi legitimè præscriptâ, proindèque cum tirulo sive causâ solvendi vel reeipiendi; imò Textus objectus confirmat utramque decisionem, ostendens solam solutionem non acquirere jus percipiendi quoad ptoprietatem, nisi adsit titulus sive eausa solvendi, nisi sit præsumptio titulum amissum fuisse, sicut præsumitur in præscriptione immemotabili: hocque modo GONZAL. raciocinatur in *Cap. 5. De Censibus*, ubi adductis quæ pro & contra dicuntur circà decisionem PASCHALINAM, agnoscit ex una parte, quòd sola solutio censûs illum acquirere non valear; ex altera verò, quod si jungatur titulo & possessioni bonæ fidei per tempus ad præscriptionem requisitum, vel sine titulo probato, si possessio pacifica excedat memoriam hominum, illud jus comparari possit.

Vide TITULUM *De Solutionib. Sect. 3.* ubi *Cap. 14. De Fide instrum.* exposirum est per *Glossam.*

SECTIO VII.

Censum ita in Jure distingui à procuratione, ut in illius remissione, ista remissa non censeatur.

I. Intellecto, quod Episcopus censum consistentem in spallis, quas ab Ecclesia N. tàm ipse quam prædecessores sui recipere consueverant, illi remisit, & statuit, quod aliud servitium ei non imponeret, sibi & Ecclesiæ suæ annuatim trium libratum cereo pensionis nomine reservato; quia verò visitationi annexa est procuratio.... eùm ad ipsam Ecclesiam causa correctionis accesserit, moderatam ab ea procurationem accipiat, sed nihil aliud præter pensionem & procurationem ab eadem exigat. *Cap. 21. De Censibus.* Desumitur ex INNOC. III. qui clariùs distinguere non valuit Censum à procurasione, quàm (ut fecit) declarando, istam in illo non eomprehendi, ersi ab Episcopo promissum esset se aliud servitium illi Ecclesiæ non imposirurum præter reservatam pensionem. Hujus aurem distinctionis ratio evidens, nempè quod alia sit causa censûs, eùm solvatur ratione fundationis; alia causa procurationis, cùm solvatur ratione visitationis, atque compensandarum expensarum quas ipsa creat. Hinc utrumque Jus tamquam diversum distincto nomine exprimitur, in inscriptione Tituli hujus *De Censibus, exactionibus, & procurationibus*, quemadmodùm & jus exactiones faciendi, qualis impositio novorum pædagiorum, *Cap. 10. De Censibus*, Petitio subsidii caritativi.

Decisio eadem confirmatur per *Cap. 22. De Censibus*, ubi idem Pontifex docet, quòd si Sedes Metropolitana transferatur in aliam Civitatem cum accessione novarum Diœcesum, novus Metropolitanus sequi debeat usum vicinioris Ecclesiæ Metropolitanæ, quoad visitationem Diœcesum sibi subjectarum, & proeurationum ad id solvendarum taxationem, etsi census sibi debitus ab inferioribus Ecclesiis, ut juxtà taxationem factam tempore fundationis.

Præterea Procuratio diei nequit servitium, sive Census, cùm solvatur tàm ab Ecclesiis censualibus, quàm ab aliis; atque iniquum esset, ut Ecclesiæ censui cuidam subjectæ temporis fundationis alii subessent, quoties visitarentur, cùm vetitum sit à *Concil.* LATERAN. aliisque pluribus Canonibus, ne novi Census imponantur.

TITULUS VIII.

Circa Contractus ac quasi Contractus.

REGULÆ

Ex Jure Canonico deprompta.

PRÆFATIO.

DE Contractibus Tractatum iis, quæ circa furtum & restitutionem docet Jus Canonicum, annectimus; tùm quia contractus circa res versantur, sicut furtum & restitutio; tùm quia ex Contractibus plurimæ nascuntur injustitiæ, quæ ad furtum teducuntur, quæque ad restitutionem obligant; quot enim fiunt per fraudem, vim, metum, erroremque ab alio cujus interest, de industriâ

dustriâ in contractibus læsiones, quotque ineuntur contractus ab his, quibus contrahere non licet, tot fiunt ex contractibus injustitiæ ad restitutionem obligantes. Propter easdem similesve causas, quasi-contractus contractibus subjungimus.

Tractantes autem de Contractibus illos considerabimus 1°. In genere. 2°. In specie; circa utrumque, solito more, collecturi quicquid de illis docet Jus Canonicum. Sed priùs moneamus oportet circa res temporales, Lege non Canone regendas, contractus versari; undè si quæ inter colligenda Legibus non injustis adversentur, non obligant, quamdiù Legum conditor Legibus suis Canones præferri non consentit. Præmonere etiam debemus, inter Communes Juris Regulas, multas esse quæ contractus propiùs respiciunt, quàm quasvis alias res, quæque ideò præmittendæ videntur.

PARS I.

Generales Juris Regulæ materiam contractuum propiùs respicientes.

REGULA I.

In Contractibus plena, in Testamentis plenior, in Beneficiis plenissima est interpretatio adhibenda. *Cap. 6. De Donat.*

Distinguit hic Textus Testamenta & Donationes à Contractibus, quia sunt qnandoque pura pacta, illos tantùm obligantia qui illa faciunt, non item illos in quorum favorem fiunt, & contractus strictè sumpti, de quibus Regula intelligenda est, mutuam pariunt obligationem, cuique Parti propriam. Sensus autem Regulæ hic est; Contractus minùs favorabiliter interpretandi sunt, quàm Testamenta; & ipsa Testamenta quàm Donationes, utpotè in se minùs favorabiles, quàm Testamenta & Donationes; Testamenta minùs favorabilia quàm Donationes. Cujus Ratio est, quia Contractus strictè sumpti, de quibus agitur, non minùs sunt onerosi quàm favorabiles, eùm utramque Partem ligent; Testamenta verò & Donationes non ligent, nisi Testatorem & Donatorem.

REGULA II.

Contractus ex conventione Legem accipere dignoscuntur.

Regulæ Ratio: Conventiones sunt Leges privatæ, qnas contrahentes sibi invicem sanciunt. *Cap. 85. De Reg. Jur. In 6.*

REGULA III.

Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, interpretatio est facienda. *Cap. 57. Ibid.*

Ragulæ Ratio: Qui eùm posset, clariùs non est locutus, sibi imputare debet: Præterea hac viâ prævenitur fraus, quæ committi posset, si in favorem obscurè loquentis interpretatio fieret: Pars astutior ambiguè loqueretur, ut aliam deciperet.

REGULA IV.

Pro non dato habetur, quod ab eo datur qui date non potest. *Cap. 5. De Jure Patr.*

REGULA V.

Nemo potest plus juris in aiium transferre, quàm sibi eompetere dignoscatur. *Cap. 79. Ibid.*

Regula hæc, ut & præcedens, fundamentum sunt evictionis, locum habentis in omni contractu dominium transferente, ac quoties res alienatur ab eo qui illius Dominus non est, & à Domino vendicatur; isti autem denegari non potest, quia rem alienam possidere non licet invito Domino, *Cap. 3. De precariis.*

REGULA VI.

Cùm quis succedit in jus alterius, justam ignorantiæ causam habere censetur. *Cap. 5. Ibid.*

Hic qui acquirit donatione, Testamento, emptione, permutatione, mutuo, emphiteusi, aliove contractu dominium transferente rem occultè subreptam, præsumitur bonâ fide possidere.

REGULA VII.

Is qui in alterius jus succedit, eo jure, quo ille, uti debebit. *Cap. 46. Ibid.*

Regulæ Ratio: Successor non aliud jus babet, quàm quod ab eo accipit cui succedit.

REGULA VIII.

Mutare quis consilium non potest in alterius detrimentum. *Cap. 33. Ibid.*

Hæc Regula maximè babet vim in contractibus, quia in his alter contrahentium sine alterius damno voluntatem mutare nequit, cùm in favorem illius sese obligaverit.

REGULA IX.

Quod semel placuit, ampliùs displicete non potest. *Cap. 21. Ibid.*

Sequitur ex præcedenti; quia mntatio quæ fieret, vergeret in damnum alterius, eùm in rebus temporalibus, circa quas versantur contractus, nemo mutet voluntatem in sui detrimentum.

REGULA X.

Utile per inutile non debet vitiati. *Cap. 37. Ibid.*

In contractibus inseruntur quandoque clausulæ inutiles, permixtim eum aliis quæ sunt utiles; ideòque hæc Regula convenit coutractibus. Clausulæ inutiles habendæ sunt, quæ impossibiles, & quæ in usu esse desierunt: Utiles verò quæ possibiles & in viridi observantiâ: Inutiles juxtà Regulam pro non positis habentur.

REGULA XI.

Sine culpâ, nisi subsit causa, nullus est puniendus. *Cap. 23. Ibid.*

Hujus Regulæ plura exempla habes in contractibus; nam v. g. nemo tenetur de casu fortuito in eontractibus, qui dominium non transferunt, ut conductio, commodatum, depositum, pignus, precaria & precarium; in his quippe si perit res casu fortuito, perit Domino, ne quis puniatur sine suâ culpâ. Iidem contractus exempla subministrant ipsius exceptionis, quæ Regulæ inseritur; nam in eorum quolibet, si quis rem accipit, sese obligat ad casus fortuitos; hinc subest justa causa, ut puniatur sine culpâ, cùm damnum ferre voluerit rei alienæ, nullâ commissa culpâ.

REGULA XII.

Sua mora cuilibet est nociva.

Regulæ hujus frequens usus in contractibus, sive dominium transferant, sive non; nam. v. g. si quis vendit rem mobilem, acceptis arrbis, præfixo die tradendam, & illo die non tradit, etsi per ipsum staret ut traderet, posteà verò ante traditionem pereat, ipsi venditori perit, quia in mora est. Idem dicendum de permutante, rem retinente ultra præfinitum tempus, si deindè perietit. Hi autem duo contractus, ex illis sunt qui dominium transferunt. De contractibus, qui dominium non transferunt, si exempla velis, accipe ex commodato, locato, & deposito; in quibus quicumque rem sibi creditam intra tempus debitum non reddet, rei jacturam fert, si perit.

REGU-

REGULA XIII.

Imputandum non est ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum. *Cap.* 41. *Ibid.*

REGULA XIV.

Tempus non currit legitimè impedito. *Cap.* 6. *Ibid.*

REGULA XV.

Ex postfacto convalescere non potest, quod ab initio non valebat. *Cap.* 19. *De Elect.*

Non firmatur tractu temporis quod ab initio non valuit. *Cap.* 18. *De Reg. Jur. In* 6.

Loquuntur Regulæ istæ de contractibus irritis defectu solemnitatum requisitarum, quas tempus non supplet; non autem de contractibus nullis defectu consensûs, qui tractu temporis accedere potest. Undè duæ Regulæ sequentes.

REGULA XVI.

Cessante causâ, cessat effectus. *Cap.* 26. *De Jurejur.*

REGULA XVII.

Quod defectu consensus ab initio non valet, ratihabitione validum fit. *Cap.* 1. *De his quæ vi metusve causa.*

REGULA XVIII.

Invalidæ rei invalida confirmatio. *Cap.* 8. *Coll.* 3. *De Conc. Præb.*

Excipe casum, quo Superior rem confirmando illius defectus supplere declarat. *Cap.* 1. *De Transact.*

REGULA XIX.

Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet.

REGULA XX.

In re communi potior est conditio prohibentis.

Prior Regula fundamentum est posterioris; cùm enim res approbari debeat ab omnibus quos tangit, hinc fit, ut, si quis eorum quorum interest, alienationem hujusmodi rei prohibuerit, alienari non poterit; quod de alienatione etiam imperfecta intelligendum est: Undè Regulæ illæ locum habent in omni contractu, quo res alienantur, sive perfectè, ut donatio, permutatio, venditio; sive imperfectè, ut emphiteusis, conductio ad longum tempus.

REGULA XXI.

Non facit injuriam qui utitur jure suo. *Cap.* 31. *De Elect.*

Hinc qui scit merces paulò post multò minoris valituras, vendere eas vel permutare potest juxtà æstimationem præsentem.

Hinc si quis scit monetam vulgarem intrà paucos dies diminutam iri, ea uti potest ad emendas merces, ad solvenda debita, prout in usu est quandò emit aut solvit. Hæc Regula non adversatur *Regulæ* 48. *In* 6. quæ sic habet: *Locupletari non debet quis cum alterius injuria vel jactura*; ista enim Regula loquitur de jactura injusta, ut infertur ex voce præcedenti, *injuria*; illa verò probat tantùm injuriam alteri jure illatam, ut propria vitetur, imò declarat quod hoc casu nulla fit injuria, quia injuria est damnum injustè illatum, alioqui pœna justa esset injuria, cùm damnum inferat.

REGULA XXII.

Potest quilibet renunciare ei quod pro se noscitur introductum. *Cap.* 16. *De Regular.*

Hinc cùm regressus ad Beneficium resignatum metu mortis sit introductum in favorem resignantium; isti possunt huic juri renunciare. Idem dicendum de regressu in casu quo Beneficium permutatione acquisitum evincitur; hic enim in favorem permutantium introductus; idèoque huic juri renunciare possunt: Hæc autem renunciatio fieri potest per contractum cum solemnitatibus debitis initum.

Excipiendus à Regula casus, quo res introducta in favorem privatorum, necessaria est ad bonum publicum, vel ad bonos mores; qualis pensio, quæ retinetur super Beneficio resignato à Clerico paupere; interest enim Reipublicæ Christianæ, ut Clerici non egeant, nec mendicent, vel ad turpia illos paupertas cogat: cùm ergo nequeat Clericus pauper hujusmodi pensioni renunciare, quin exponat se rei bono publico, vel bonis moribus, contrariæ, oportet ut renunciationem hanc facere non possit. Idem dic de portione congruâ, quæ assignatur Parocho in sui sustentationem; huic Parochus egens renunciare non potest ob prædictas causas.

REGULA XXIII.

Non præstat impedimentum, quod de jure non valet. *Cap.* 58. *De Reg. Jur. In* 6.

Hinc Matrimonium secundum post aliud invalidè contractum, valere potest, si requisita serventur; sed ut vitetur scandalum, curandum ut prius nullum anteà declaretur. Idem dicendum de posteriore venditione, si prior nulla sit: Similis cautio adhibenda, si scandalum metuatur.

REGULA XXIV.

Factum legitimè retractari non debet, licet casus eveniat, à quo inchoari non potuit. *Cap.* 73. *Ibid.*

Hinc licet Matrimonium contrahi non valeat à demente, ab affine, ab impotente; non dirimitur tamen, si conjux fiat demens, vel affinis viâ illicitâ, vel impotens. Idem dicendum de quovis contractu inito à viris sanæ mentis, qui posteà in amentiam incidunt. Hujus rei exempla habes notanda in resignante ac in permutante, qui factâ resignatione vel permutatione amentes fiunt; hoc enim casu non rescinduntur resignatio vel permutatio; etsi non potuissent ab iis fieri, si dementes fuissent.

REGULA XXV.

Nemini imputandum quod fit contra ipsius prohibitionem. *Cap.* 17. *De Homic.*

Hinc si contractus usurarius aut simoniacus fiat nomine Petri, qui antea vetuit, Petro imputandus non est.

REGULA XXVI.

Qui sentit onus, sentire debet & commodum, ac è contra. *Cap.* 55. *De Regul. Jur. In* 6.

REGULA XXVII.

Res transit cum onere suo. *Cap.* 5. *De Pignori Cap.* 33. *De Decim.*

Hinc hæres solvere debet defuncti debita.

Hinc emptor solvere debet censum annexum domui vel agro emptis: Idem dicendum de acquirente per permutationem.

REGULA XXVIII.

Fraus & dolus nemini patrocinari debent. *Cap.* 15. 16. *De Rescript.*

Pauci sunt contractus frandi & dolo non obnoxii; qui enim liberiores esse deberent, ut donatio, testamentum, fraude quandoque obtinentur; & quidam sunt in quibus frequenter committuntur; tales venditio, permutatio, locatio.

REGU-

REGULA XXIX.

Quæ vi metusve causâ fiunt, carere debent robore firmitatis.

Matrimonium, venditio, permutatio, locatio, non infrequenter vi minisve extorquentur; in aliis contractibus intervenire etiam potest ipsa eadem coactio. *Toto Tit. De his quæ vi metusve &c.*

REGULA XXX.

Actus legitimi infamibus sunt interdicti. *Cap. 47. De Testib. & Attest.*

Actus qui dicuntur legitimi, sunt ii qui Civibus per Leges permittuntur; inter eos autem præcipuum locum contractus tenent; unde cùm infames vitâ civili careant, à contractibus excludantur necesse est.

REGULA XXXI.

Actus legitimi non recipiunt conditionem neque diem. *Cap. 50. In 6.*

Videtur restringenda esse hæc Regula ad quosdam ex actibus legitimis, qui peculiariùs dicuntur legitimi, quales manumissio, emancipatio, adoptio, matrimonium: illiusque sensus est, actus illos fieri non posse sub conditione quæ illos suspendat, neque ad tempus; quia utrumque illorum naturæ adversatur. v. g. Adoptio est quædam civilis generatio, quæ naturalem imitatur; unde cùm generatione naturali nemo fit filius sub conditione, neque ad tempus, nullus etiam fieri debet filius adoptionis sub conditione, aut ad tempus. Matrimonium est actualis & perpetua traditio corporum, ideòque suspendi non debet ullâ conditione, neque restringi ad aliquod tempus. Non obstat quod Matrimonium contractum antè consummationem videatur initum sub conditione quoad Religiosam Professionem; nam hæc conditio non apponitur à contrahentibus, sed à Jure Divino, quod ab indissolubilitate illius dispensat in favorem vitæ Religiosæ.

REGULA XXXII.

Qui contra Jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere. *Cap. 82. De Reg. Jur. In 6.*

Quod de emptione dicit Regula, extenditur ad permutationem, ac ad alium quemvis contractum quo bona temporalia acquiruntur. Emitur autem contrà Jus, quando emitur ab eo qui vendere non potest; vel emitur res quæ vendi non potest.

Quod de emptione exempli causâ dictum est, ad permutationem, ad acceptationem donationis contra jus factæ, & ad alios acquirendi modos extenditur; ideò autem qui acquirit contrà Jus, præsumitur bonam fidem non habere, quia contrà conscientiam acquirit, & quod fit contrà conscientiam, malâ fide fit. Non excipitur à Regulâ illâ, qui nescit Jus acquisitionem vetare, quia nemo præsumitur Jus ignorare; secùs de illo, qui nescit factum ex quo Jus pendet, ut quod qui vendit, vel qui permutat, suum; vel qui sibi donat aliquid, interdictum esse ab administratione bonorum Sententiâ Judicis propter prodigalitatem, vel Sententiâ Juris quia infamis, vel demens, vel minor: undè Regula; Ignorantia facti, non juris excusat. *Cap. 13. De Reg. Jur. In 6.*

REGULA XXXIII.

In alternativis Electoris est electio, & sufficit alterum adimpleri. *Cap. 70. Ibid.*

CANISIUS legit, *Debitoris*, pro *Electoris*, & diversitatis causam insinuat suo Commentario quæ infrà notabitur.

Locum habet in donatione, in testamento, in venditione, in permutatione; donari enim potest v. g. feudum Petro eâ lege, ut filiam donatoris uxorem ducat, vel filium illi matrimonio copulet: Legari potest summa 5000. aureorum Paulo, si Parisios vel Romam adeat: Vendi aliquid potest, relictâ libertate emptori, ut illud solvat certâ numeratâ pecuniâ, vel certis determinatis tabellis. Si Mœvius habeat plures agros ejusdem pretii; Titius plures domos ejusdem valoris; nedum inter se, sed etiam cum quovis dictorum agrotum poterunt inter se convenire de permutando agro cum domibus, factâ sibi invicem copiâ eligendi inter agros & domos: In his omnibus casibus optione factâ alterutrius rei, contractus suum effectum habet. Cùm ergo in alternativis electio pertineat mox ad creditorem, mox ad debitorem, BONIFACIUS VIII. ponere potuit *Electoris*, & CANISIUS *Debitoris*, cùm sæpiùs illa spectet ad debitorem; sed in contractibus *Causiana* lectio magis congruit.

REGULA XXXIV.

Omnis res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur. *Cap. 1. De Reg. Jur.*

Locum habet in quovis contractu; etenim nullus est, qui mutuo consensu non ineatur; nullus quoque est, qui mutuo consensu dissolvi non queat. Excipe Matrimonium, cujus dissolutionem Jus Naturale, vel potius Divinum, vetat.

REGULA XXXV.

Non est obligatorium juramentum præstitum contra bonos mores. *Cap. 58. De Reg. Jur. In 6.*

Extant plures casus circà contractus, in quibus juramento firmantur; nam contingere potest, ut quis mutuum accipiens promittat usuras solvere cum juramento illas non repetendi. Si quis abutens necessitate venditoris, emat infrà dimidium justi pretii, venditorem potest juramento obstringere, ne petat suppleri justum valorem. Propinquus contrahens sponsalia cum propinquâ, potest ab illâ exigere, ut juramento confirmentur. His autem casibus, aliisve similibus, non obligaret juramentum, utpotè contrarium bonis moribus.

REGULA XXXVI.

In malis promissis fidem non expedit observari.

Fundamentum est Regulæ præcedentis; ideò enim non obligat præstitum contrà bonus mores juramentum, quia in malis promissis fides non est servanda.

REGULA XXXVII.

Bona fides non patitur, ut semel exactum iterùm exigatur. *Reg. 83.*

Cùm solutio pertineat ad omnes contractus, extra dubium est, hanc Regulam, quæ illam proximè spectat, in illis locum habere. Vid. apud CANISIUM exceptiones quas patitur.

PARS II.

DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

REGULA PRIMA,

Eaque Generalis, totam Secundæ hujus Partis comprehendens materiam.

Quæcumque circa Contractus in genere consideratos in Jure Canonico habentur, ad ista puncta reducuntur,

1°. Quæ illorum natura. 2°. Quæ illos inutiles faciant. 3°. Quæ rescissioni obnoxios efficiant. 4°. Quæ contractus irritandos confirment. 5°. Quâ viâ isti contractus rescindantur. 6°. Quot sint contractuum genera, & cujusque generis species. 7°. Qui exprimantur in Jure. 8°. Qui possint contrahere vel non. 9°. Circa quæ contrahere fas est. 10°. Qui contractuum effectus. 11°. In quibus inter se conveniant, vel differant. 12°. Quæ ex Jure Canonico colligantur circa quasi contractus.

REGU-

REGULA II.

Contractus vel latè vel strictè sumitur; latè pro omni pacto; strictè pro mutuo duorum vel plurium consensu mutuam pariente obligationem.

Prima pars habetur in *Cap. 5. De Reb. Eccles. alien.* in quo donatio inter contractus recensetur; donatio autem est pactum, ut patet *Cap. 5. De Pactis* nisi sit onerosa; tunc enim parit mutuam obligationem.

Secunda infertur ex Titulo *De Sponsalib. & matrim.* in quo passim ex consensu mutuo judicatur, an inter aliquos sit sponsalium vel matrimonii contractus; agnitoque inter eos legitimo consensu, alter alteri, prout contractui convenit, obligatus declaratur; id est, vinculo solubili, si de sponsalibus agatur; indissolubili, si de matrimonio consummato.

Verùm, ad Regulæ illiusque fundamenti intelligentiam, notandum est.

1°. Quod pactum quandoque accipiatur pro conditione contractui appositâ, *Cap. 7. De Pactis*, eoque casu à contractu clarè distinguatur. Eodem sensu accipitur *Cap. 5. De Reb. Eccles. alien. §. Alienationes.* Posito quod conditio, ut apud GREG. IX. legitur, non conductio, ut apud alios, legendum sit.

2°. Interdum sumatur pro conventione, *Cap. 2. De Pactis*; eoque casu idem sit cum contractu late sumpto, qui est etiam conventio: sed à contractu strictè sumpto differat in eo, quod possit esse pactum sine mutuâ obligatione, *Cap. 3. 5. 6. 7. De Pactis*; nam promissiones & donationes, de quibus *Cit. Cap.* obligant solùm promittentem & donantem; contractus autem strictè sumptus sine obligatione mutuâ esse nequeat; nam *v. g.* emptione & venditione, qui sunt contractus strictè sumpti, venditor & emptor sibi invicem obligantur.

3°. Notandum quod pacta, quæ sunt contractus latè sumpti, fieri possint contractus strictè sumpti; quodque id contingat: 1°. Quoties pacta sunt mutua seu reciproca, ut mutua donatio, mutua promissio. 2°. Quando pactis inseruntur conditiones onerosæ; ut si promiserit Paulo 100. nummos aureos ea lege, ut Petrum adversarium meum mihi offensum placet, illumque efficiat mihi propitium: His autem casibus, ideò pacta sunt verè contractus strictè sumpti, quia pariunt mutuam obligationem ut isti contractus.

REGULA III.

Contractus generatim spectatus non irritatur, nisi errore substantiali, vel quasi substantiali circa illius materiam; vel conditione substantiæ contractûs contrariâ; vel omissione solemnitatis essentialis; vel sui ipsius cum bonis moribus oppositione. Excipiendi nonnulli contractus, qui vi metuve irritantur.

Explicatur Regula.

Contractus considerari potest vel in se, vel ut talis est, ut à talibus initur. Hìc primo modo consideratur.

Materia contractûs est res circà quam versatur. Error circa materiam est substantialis, quando respicit rei speciem; qualis quo asinus pro equo, aurichalcum pro auro sumitur, Petrus pro Paulo. Nomine rei persona comprehenditur; persona enim est aliqua res. Est autem quasi substantialis, quando respicit rei qualitatem, quæ in eâ ut specie consideratur; qualis quo equus vel pannus Anglicus pro equo vel panno Hispano, vel servus pro libero accipitur. Quod de errore dictum est, ad dolum qui est erroris causa, extendendum. *Cap. 16. De convers. conjug.*

Proximus contractûs finis est de substantiâ illius; est enim contractus, actus humanus; actus autem hujusmodi à fine proximo substantiam vel naturam accipit. Conditio ergo contractûs substantiæ adversatur, quando proximo illius fini opponitur: *v. g.* proximus matrimonii finis est honesta prolis generatio; conditio igitur huic fini contraria, quâ scilicet honesta prolis generatio impeditur, matrimonii substantiæ opponitur. Solemnitas dicitur essentialis, quando Lex declarat irritos contractus, quibus deest illa solemnitas. Opponitur contractus bonis moribus, quando quis ad rem vetitam se obligat, ut qui locat operas suas ad occidendum, vel ad furandum.

Regulæ sic explicitæ duplex est Pars; alia negativa, quæ probari nequit Canone; altera affirmativa, quæ probari potest. *Cap. 4. 5. 6.* QUÆST. II. CAUS. XXIX. *& Cap. 2. 3. 4. De Conjug. servor.* Cap. 7. *De conditionib. &* Cap. 8. *De Restitutione in integrum.* Cap. 8. *De Pactis.* Nam si in matrimonio error circa conditionem personæ, qui est tantùm quasi substantialis, irritat contractum; à fortiori error circa personam ipsam, qui est substantialis, illum irritum efficit. Si conditione appositâ matrimonio contra illius substantiam, inutilis est matrimonii contractus; idem erit de aliis contractibus; valet enim in isto casu, ut & in priore, desumptum è matrimonio ad alios contractus argumentum, cùm matrimonii contractus sit favorabilis, *Cap. 7. De Conditionib. &* Cap. 4. *De Restit. in integrum*, ac ideò quæ illum contractum irritant, à fortiori alios irritare debeant.

Denique si venditio, cui defuit debita solemnitas, est irrita; idem dicendum de aliis contractibus; hinc quando in mutui contractu hæc conditio inseritur, ut aliquid ultra sortem ratione mutui quotannis detur, irritus est contractus, quia conditio illa est contra mutui naturam; est enim ex natura suâ contractus gratuitus.

Exceptio probatur per Regulas collectas circa ea; quæ vi metûsve causâ fiunt.

REGULA IV.

Omnis contractus circa res spirituales est nullus, si in eo interveniat Simonia. *Cap. 6. De Religios. domib.* PANORM. *in illud.*

REGULA V.

Contractus in se sumptus, non est rescissioni obnoxius, nisi quando metus gravis, vel dolus non absimilis, ad illum præcipuè determinant.

Colligitur ex dictis circa ea, quæ metu vel dolo fiunt: Prætereà metus & dolus æquiparantur, *Cap. 8. De Jurejur.* Cap. 2. *De pactis. In 6.* Atqui citato loco vidimus, contractus per metum gravem initos irritos esse, vel rescissioni obnoxios.

Dicitur *præcipuè*; quia, cùm consensus in re aliquâ non ex dolo, sed aliundè præcipuè ortus noscitur, tunc dolus consensum non adeò vitiat, ut res illa involuntaria magis dici queat quàm voluntaria, ac idcircò restitutioni locum præbeat. Hinc *Cap. 5.* CAUS. XX. QUÆST. V. factam ab aliquo per dolum Religiosæ vitæ Professionem declarat nedum validam, sed & servandam, quia ad illam dolus non præcipuè moverat, sed Religiosæ vitæ amor. Hinc idem definit in simili casu ob similem rationem. *Cap. 14. De Convers. Conjugat.* extraneus vitæ Religiosæ error profitendæ Religionis occasionem præbuerat, nempè error circa vitium personæ matrimonium non dirimens.

Hinc *Cap. 16. Eod. Tit.* insinuat, uxorem posse restitui contra licentiam per dolum datam marito, ut Regularis vitæ votum solemne emittat, idque quia dolus illam præcipuè moverat ad licentiam tali viro concedendam.

Notandum 1°. Quòd, quamvis in quolibet dolo justa sit rescissionis causa, cùm fraus & dolus nemini patrocinari debeant; attamen, ne nimiùm multiplicentur lites, rescissio non datur, nisi quando gravis est dolus.

2°. Quod quilibet dolus proximo damnosus ad restitutionem obligat, etsi in foro exteriori non sufficiat ad impetrandam rescissionem.

REGULA VI.

Contractus irritus & irritandus in hoc conveniunt, quòd in utroque contrahentes in statum pristinum non restituuntur, nisi mutuo consensu, vel Judicis authoritate: in hoc verò differunt, quòd in irrito Judex declarat ab initio non valuisse; in irritando verò decernit ut non valeat.

REGULA VII.

Quilibet contractus, ex defectu consensûs irritus vel irritandus, subsequenti ratificatione libera validus fit & firmus. Cap. 1. *De his quæ vi &c.* Cap. 6 21. 28. *De Sponsal.* Cap. 9. *De Despons. Impub.* Cap. 4. *Qui Matrim. accus.* Cap. 12. *De Regular.*

Regulæ Ratio: Ratificatio supplet quod deest, scilicet consensum.

REGULA VIII.

Liberum juramentum, quale quod sine vi vel dolo præstitum, quosvis contractus Jure Positivo irritos vel irritandos confirmat, nisi contra bonos mores sit.

Regula patet ex *Cap.* 28. *De Jurejur.* Cap. 2. *De Pact. In 6.* Exceptio habetur *Cap.* 58. *De Reg. Jur. In 6.*

Nota, quòd in casu Regulæ, contractus cui adjicitur juramentum, juramenti adjuncti conditionem sequatur, ideòque firmus fiat contractus, quando firmum est juramentum; infirmus remaneat, quando infirmum est juramentum. Undè cùm irritum sit juramentum contrà bonos mores præstitum, hinc irritus, vel irritandus contractus ratus fieri nequit; cùm verò contrà juramentum non liberum possit peti restitutio, hinc etiam contractus irritus vel irritandus firmari non potest; uno verbo, juramentum, quam non habet firmitatem, contractui, cui adjungitur dare non potest; quam habet dare potest. Addere est, prædictos contractus duplici modo confirmari per juramentum liberum; hoc enim juramento renovatur consensus, atque etiam renunciatur juri petendi restitutionem in integrum, ac consequenter rescissionem actuum, aut illorum nullitatis declarationem.

Quæri obiter posset, nùm hujus juramenti ratio haberetur in foro sæculari, si præstaretur a filiis-familias renunciantibus Senatus-Consulto Macedoniano; vel à muliere renunciante Senâtus-Consulto Velleiano; vel à minore 25. annis renunciante beneficio ætatis; vel à filio-familias renunciante futuræ successioni in favorem patris? Et videtur quod non, ne hac via eluderentur Leges Civiles, quæ prædictas renunciationes prohibent.

Nota iterùm, quod juramentum bonis moribus contrarium sit illud, quo res à Deo vetita, qualis est injustitia aliudve peccatum, juramento promittitur; quodque implendum sit quodvis juramentum bonis moribus non adversum, idque propter debitam Divino Nomini, quod in juramento invocatur, reverentiam; nulli enim rei postponendus est honor Divinus; postponeretur autem rei propter quam juramentum non impleretur, si propter aliud à servando juramento abstineretur, quàm propter vitandum peccatum.

Quod mox dictum est, non pugnat cum solutione præcedentis Quæstionis, cùm juramentum præstitum contrà Leges Civiles Legi Divinæ non adversantes, videatur contrà bonos mores, cùm parendum sit Legibus justis Principum.

REGULA IX.

Non aliâ viâ irritandi contractus rescinduntur, quàm restitutione in integrum, à Judice Ordinario aliove simili intrà quadriennium petitâ, ac intrà idem tempus vel post impetratâ. Cap. 1. 8. 9. *De Restitut. in integrum.* Cap. 1. *eod. Tit. In 6.*

Nota, Contractus non solùm rescissione, sed etiam dissolutione vim suam amittere; hæc autem duo in eo differre, quòd ad rescissionem necessaria sit Judicis authoritas, *Cap.* 9. *cit.* Ad dissolutionem verò sufficit mutua contrahentium voluntas, *Cap.* 1. *De Reg. Jur.* Cap. 1. *De Sponsalib.*

Nota iterùm gratiam, quâ obtinetur rescissio, vocari restitutionem in integrum; quia hac gratia, in eum qui læsionem præcessit statum, læsus restituitur.

Nota insuper, gratiam hanc obtineri non posse, nisi intra quadriennium à die læsionis, nec ab alio quàm à minore, vel simili minori, qualis Ecclesia, *Cap.* 1. *cit.* omneque Corpus, tàm Sæculare quàm Ecclesiasticum & Regulare, ut *ex Cap.* 1. *cit.* infertur, ac ex *Cap.* 11. *De reb Eccles. alien* Ecclesiam tamen, si subsit rationabilis causa, post quadriennium audiri, & beneficium restitutionis impetrare. *Cap.* 1. *De rest. in integrum. In 6.* Quadriennium erga minorem non computari, nisi à die, quo major fit; erga alios verò à die læsionis.

Nota denuò, in contractibus non solùm minorem lædi posse, verùm etiam & majorem, idque duobus modis. 1°. Per metum gravem. 2°. Per dolum etiam gravem. Undè quandò dictum est, restitutionem in integrum non posse obtineri ab alio, quàm à minori, sermo factus est de læsione aliundè provenientе, quàm metu vel dolo gravi; non enim latet, majores posse restitui in integrum contrà contractus per metum vel dolum gravem initos; etenim de metu clarè habetur in *Cap.* 6. *De his quæ vi metuve;* De dolo verò infertur *ex mox citato* 6. & ex *Cap.* 18. *De Jurejur.* ubi dolus æquiparatur metui.

Nota postremò, restitui quem posse contra omissam probationem, vel appellationem, vel elapsum peremptorium terminum, vel Sententiam, *Cap.* 3. 4. *Cap.* 7. 10. Sed quia hæ restitutiones non sunt hujus loci, idcircò abs re futurum esset de his sermonem instituere.

REGULA X.

Ex omnibus contractuum divisionibus nulla in Jure Canonico exprimitur, sed ex illo clarè deducuntur istæ.

1°. Dividuntur in contractus *bonæ fidei*, in quibus judicatur ex æquitate; & Contractus *stricti juris*, in quibus ex Juris & pactionis rigore judicatur. *Cap.* 6. *De Except.* Cap. 1. *De Locato, in Collect.* 2. docent, quosdam contractus, contractus bonæ fidei vocitari; ex isto divisionis membro aliud colligitur.

2°. Dividuntur Contractus in *Absolutos*, & *non Absolutos*: Absoluti sunt, in quibus nulla apponitur conditio: Non Absoluti, in quibus conditio apponitur.

Elicitur hæc divisio ex Lib. IV. *Tit.* 5. qui ita inscribitur, *De conditionibus appositis in desponsatione & aliis contractib.* Cap. 3. *De pignorib.* Cap. 10. *De fide Instrum.* & alia multa insinuant hanc divisionem.

REGULA XI.

Quæ ad contractus conditionatos referri possunt, hæc sunt.

1°. Conditiones vocantur pacta, *Cap.* 7. *De pactis.* vocantur etiam Clausulæ, *Cap.* 6. *De Donationibus.*

2°. Conditiones sunt multiplicis generis, Aliæ enim sunt, quæ substantiam seu naturam contractuum destruunt; & hæ irritant quoscumque contractus: Hinc conditiones, quæ adversantur uni ex tribus bonis matrimonii, proli, fidei, Sacramento, irritum efficiunt matrimonium. *Cap. ult. De Conditionib. apposit.* Hinc cùm natura sit mutui, ut sit gratuitum, stipulatio usurarum vi mutui, irritum facit mutuum. Idem dicendum de commodato, ex quo aliquid emolumenti exigitur; destrueretur ex hac conditione, cùm sit contractus purè gratuitus.

Aliæ sunt quæ accidentia contractus spectant; & istæ, vel sunt turpes & inhonestæ, & in contractu matrimo-

matrimonii, pro non adjectis habentur in favorem matrimonii; alios verò contractus vitiant. *Cap. ult. De Condition. appos.*

Aliæ sunt impossibiles; istæ quoque in matrimonio pro non adjectis tenentur; alios verò contractus irritos efficiunt. *Cap. ult. De conditionib. apposit.*

Aliæ sunt inutiles; & istæ vitiantur, & non vitiant. *Cap. 37. De Regul. Jur. In 6.*

Aliæ sunt quæ suspendunt contractum, quousque impletæ sint; vel illum interrumpunt. Utrarumque exempla habet in Contractu venditionis: Priorum, in contractu, quo venditur domus eâ lege, ut venditor eam incolat usque ad mortem, & nati ejus post eum, quandiù vixerint, *Cap. 10. De Fide Instrum.* Posteriorum verò, in contractu conditionali, quo vænit ager, eâ lege, ut, si emptio displicet emptori, intrâ duos annos aliudve tempus præfinitum rescindatur venditio. *Cap. 4. De Pignorib.* Utræque conditiones desinunt suspendere vel effectum, vel continuationem effectûs, si illis renuncietur, quod fieri potest, vel expressè, vel tacitè: Expressè, cedendo nominatim huic juri, sive scripto, sive verbo coram Testibus prolato; tacitè, actione contrariâ conditionibus appositis, ut traditione domûs antè eventum conditionis, vel retentione agri ultra tempus præscriptum ad rescindendam venditionem. Matrimonii ergò debitè initi nulla est conditio, quæ possit vinculum illius suspendere: Undè si apponatur quædam conditio, tunc non contrahetur matrimonium, sed sponsalia. *Cap. 1. 3. 5. De Conditionib. apposit.*

Dum servitus humana in usu erat apud Europæos, manumissio fiebat interdum sub conditione suspensivâ & resolutoriâ, ut patet exemplo relato in *Cap. 2. De Condit. apposit.* Manumissus fuerat servus, eâ lege, ut fieret Monachus, & remaneret in quodam præscripto Monasterio; relapsurus in servitutem, si alterutrum deficeret: Sub simili nunc conditione posset Pater filium emancipare, nempè ut fieret Clericus, & perseveraret in statu Clericali, alioquin rediturus sub patriâ potestate.

Adimpletio conditionis suspensivæ habet vim retroactivam, ita ut contractus valeat à die quo initus est, non ab eo quo adimpleta est conditio. Infertur ex *Cap. 10. De Reg. Jur. In 6.* in quo dicitur, quod ratihabitio retrotrahatur; nam idem videtur dicendum de hac conditione ac de ratihabitione, cùm effectus contractûs conditionalis æquè pendeat ab adimpletione conditionis suspensivæ, ac pendet à ratihabitione contractûs initi nomine alieno ab non habente mandatum.

REGULA XII.

Non alii in Jure Canonico exprimuntur contractus quàm isti.

Passim in Jure, sed præcipuè LIB. IV. DECRETAL. SEXTI & CLEMENT. & CAUS. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV. XXXVI.

1°. Sponsalia & Matrimonium, quibus primus locus debetur, quia personas proximè respiciunt; cæteri verò res tantùm; & personæ longè nobiliores sint rebus, cùm res sint propter personas.

2°. Manumissio, quæ propter eamdem rationem adjungenda est sponsalibus &c. cùm personas immediatè spectet. *Cap. 1. 3. 4. 6. De Servit.* Cap. 2. *De Condition.*

3°. Emptio, Venditio. LIB. III. DECR. *Tit. 17. De Empt. & vendit.*

4°. Mutuum. LIB. V. DECR. *Tit. 19. De Usuris.*

5°. Permutatio. LIB. III. DECR. *Tit. 19. De Rerum permut.*

6°. Donatio. *Ibid. Tit. 24. De Donat.*

7°. Testamentum. *Ibid. Tit. 26. De Testam.*

Hi quinque junguntur, quia transferunt dominium.

8°. Infeudatio, quâ dominium utile eâ lege transfertur, ut quibusdam casibus ad infeudantem revertatur. *Tit. 10. Ibid.* Cap. 5. *De Donat.*

9°. Emphiteusis, quâ dominium utile sub pensione annuâ datur simili lege, quâ in infeudatione. *Tit. 14. Ibid. De Precariis.*

10°. Precariæ, quibus usufructus rei immobilis ad Ecclesiam pertinentis, ad certum tempus conceditur. *Ibid.*

11°. Precarium, quo similis rei usufructus ad concedentis arbitrium datur. *Cap. 3. Ibid.*

12°. Commodatum, quo rei mobilis vel immobilis usus alicui gratis permittitur. *Tit. 15. Ibid.*

13°. Locatio, quâ rei mobilis vel immobilis usus vel fructus conceditur, constituto pretio vel pensione. *Tit. 16. Ibid.*

14°. Depositum, quo res mobilis custodienda datur. *Tit. 21. Ibid.*

15°. Pignus, quo res mobilis vel immobilis datur pro alicujus rei ex mutuo vel aliundè debitæ securitate. *Tit. 22. Ibid.*

16°. Fidejussio, quâ quis promittit, se pro alio non solvente soluturum, ac se suaque obligat ad aliena debita Creditori asseveranda. *Ibid. Tit. 22. De Fidejussor.*

Nota cæteros contractus, qui proprio gaudent nomine, quique sub præcedenti Regulâ non recensentur, velut stipulatio, mandatum, aliique hujusmodi, comprehendi sub pactis, de quibus LIB. I. *Tit. 35.* DECR. LIB. I. *Tit. 18. In 6.* vel sub rerum permutatione, de quâ LIB. III. *Tit. 19.* LIB. III. *tit. Titulo In 6.*

Nota iterùm contractus, qui proprio carent nomine, quique ideò innominati dicuntur, comprehendi sub illo qui permutatio vocatur; quia in his contractibus fit permutatio rei cum re, quando do ut des; operæ cum operâ, quando facio ut facias; rei cum opera, quando do ut facias; operæ cum re, quando facio ut des. Ad hæc autem quatuor genera omnes innominati contractus reducuntur.

Nota iterùm, Contractus Innominatos quandoque ad nominatos reduci: *v. gr.* Do tibi centum nummos mutuo, ut in molendino meo grana tua molenda feras; vel varia tibi obsequia exhibeo, ut mihi conferas beneficium. Primus casus ad mutuum; secundus ad venditionem reducuntur.

Nota præterea, Societatem de quâ *Cap. 7. De Donat.* reduci ad locationem; quia in ea vel locantur operæ, vel pecunia, aliæve res similes, constituto societatis lucro, pro pretio: Ad eamdem locationem reduci quoque Mandatum, quo aliena negotia alicui agenda committuntur, constitutâ mercede. DECR. LIB. I. *Tit. 38.* SEXTI LIB. I. *Tit. 19.* CLEM. LIB. V. *Tit. 10.* CAUS. V. QUÆST. III. CAUS. XXI. QUÆST. III.

REGULA XIII.

Incapacitas contrahendi.

Jure Canonico contrahere nullus in genere prohibetur, nisi amens, ac quivis alius ratione carens.

Quoad id quod affirmat, nempè usu rationis carentem prohiberi contrahere, Regula infertur è *Cap. unico. De Cler. ægrot. In 6.* Hinc sequitur cuique alii licere contrahere, *Cap. 22. De Sponsalib.* Quod enim ait de matrimonio, illud permitti cuicumque non prohibetur, ad omnem alium contractum extendere fas est.

REGULA XIV.

Præter sponsalia & matrimonium, non sunt in Jure Canonico alii contractus, quos aliis, quàm usu carentibus, prohibeat.

Quod affirmat Regula habetur *Tit. 1. & 2.* LIB. IV. DECR.

Opponi possunt *Cap. 1. 8. De Restit. in integrum*, quæ docent, Minores restituendos contra contractus quos ineunt: Sed Responderi potest, Capita opposita loqui de Minoribus, qui in Contractibus initis læsi sunt; undè hinc inferre non licet, Minores non posse contrahere; quin etiam inferretur Majores contrahere non

posse, cùm isti, sicut Minores, contrà enormem læsionem restituantur. *Cap.* 3. *Tit. De Emptione.*

REGULA XV.

In Corpore Juris Canonici mentio non fit de aliis rebus, circa quas contrahere omninò vetet, quàm de istis; quæ sunt,

1°. Res spirituales; quales justitia, Sacramenta, in Religionem ingressus, benedictio, consecratio, aliæve similes. *Cap.* 5. *De rerum permut.*

2°. Spiritualibus annexæ; quales sunt Beneficia, Jus Patronatus, aut quodvis aliud quo Beneficia dantur. *Ibid. Cap.* 16. *De Jur. Patr.*

Pars negativa probari nequit, nisi solutione eorum quæ opponi possunt, qualia nun occurrunt.

Affirmativa probatur citatis locis.

REGULA XVI.

Sunt in eodem Jure aliæ res, circa quas nonnulli contractus privato cuique prohibentur. *Cap.* 5. *De Reb. Eccles. alien.* Quod docet cuique prohiberi res Ecclesiæ immobiles alienare, atque nomine alienationis comprehendit contractus omnes, quibus fit dominii translatio; vel ususfructus in perpetuum, vel in longum tempus conceditur.

Contractus primi generis sunt donatio, venditio, permutatio; secundi generis perpetua emphiteusis; tertii generis conductio, vel locatio in 16. vel 20. annos.

Nota obiter circa *cit. Cap.* 5. quod in *Editione Parisiensi an.* 1541. & apud ANT AUG. *Collect.* 1. *Cap.*4. legatur *conditio,* non *conductio*; sed apud PANORMITANUM legatur *conductio:* Quam lectionem alii prætulimus, utpotè verisimiliorem; conditio enim nil ibi significat Textui laudato congruum: quodque interpretati simus hunc locum de conductione ad longum tempus, quia alii conductioni minùs propriè convenit alienationis nomen. GONZALEZ *in hoc Cap.* in quo legit *conditionem*, hanc vocem fusè explicat, aliasque lectiones, sed nihil adducit quod invictè probet nostram rejiciendam esse.

REGULA XVII.

Non alii in Jure Canonico habentur contractuum effectus, quàm isti.

1°. Obligatio, quæ est mutua in contractibus strictè sumptis, qualis venditio, locatio; & ex unâ tantùm parte in contractibus latè sumptis, quales sunt pacta nuda. *Cap.* 1. 3. *De Pactis.*

2°. Actio congrua inito contractui. *Cap. unic. De Commodato.* Cap. 10. *De Fide Instrument.* Cap. 36. CAUS. XII. QUÆST. II.

3°. Compensatio. *Cap* 10. *cit. & Cap.* 2. *De deposito.*

4°. Exceptio, quâ Actoris intentio eliditur. *Cap.* 10. *citato.*

REGULA XVIII.

Ex prædictis Contractuum effectibus, unus alterve est tantùm omnibus communis; scilicet obligatio, actioque ex illâ nascens.

REGULA XIX.

Effectus omni Contractui communis tollitur vel solvitur, autoritate quâ contractus rescinditur; vel mutuo contrahentium consenso, quo contractus dissolvitur; vel obligationis ademptione; vel illius implendæ impotentiâ perpetuâ.

REGULA XX.

Ex his, in quibus Contractus conveniunt, ista exprimuntur in Jure Canonico.

1°. Contractus ex conventione legem accipiunt. *Cap.* 85. *De Reg. Jur.*

2°. Quando de contractûs specie dubitatur, spectanda est forma, eique standum. *Cap.* 3. *De Pignorib.*

3°. Contractus ad certum tempus initus, ante tempus illud elapsum solvi non debet. *Cap.* 4. *Ne Prælat. vices.*

4°. Qui contraxerunt, à contractu, mutuo consensu, resilire possunt, nisi sit indissolubilis. *Cap.* 2. *De Sponsalib.*

5°. Cùm duo contraxerunt stipulatâ pœnâ in infractorem, uterque ab stipulatâ pœnâ absolvendus est, si uterque infregerit. *Cap.* 7. *De Pœnis.*

6°. In Contractibus plena; in Testamentis plenior; in Beneficiis plenissima fit interpretatio. *Cap.* 6. *De donationib.*

7°. Ubi contractus non tenet, nec pœna contractui apposita. *Cap.* 2. *De precariis.*

8°. Quando ex contractu statuto die solvere aliquid debes, dies statuta pro solutione interpellat. *Cap.*4. *De locato &c.*

9°. Casus fortuitus non imputatur rem alienam ex contractu habenti, nisi habeat ex mutuo, aut sit in morâ. Infertur à majori ad minus, *ex* Cap. unic. *De Commodato.*

10°. A Contractu, qui videtur non legitimus, abstinendum. *Cap.* 6. *De Usuris.*

11°. Privatorum pacto Juri Publico derogari non potest. *Cap.* 12. *De foro compet.*

12°. Privatorum pacto derogatur privilegio ob privatam illorum utilitatem concesso. *Cap.* 1. *De pactis. In* 6.

13°. Contra eum qui legem dicere potuit apertiùs, est facienda interpretatio. *Cap.* 57. *De Reg. Jur. In* 6.

REGULA XXI.

Ex his in quibus Contractus differunt, hæc in Jure Canonico exprimuntur.

1°. Compensatio non habet locum in deposito; secùs in aliis contractibus, modò causa, ex qua postulatur, sit liquida, ita quod facilem exitum credatur habere.

2°. In Contractibus gratuitis, ex levissimâ culpâ sive negligentiâ tenetur is, cujus solius gratiâ fiunt.

3°. Ex Contractibus, qui ex se dominium non transferunt, soli contractus depositi ac precarii tribuunt jus repetendi res, quovis tempore. *Cap.* 2. *De deposito.* Cap. 3. *De precariis.*

4°. Ex Contractibus gratuitis solum mutuum transfert dominium.

5°. Ex Contractibus in quibus res accepta est, solum mutuum ad casus fortuitos obligat. Sequitur ex eo, quòd solum mutuum dominium transferat; res enim casu fortuito perit tantùm Domino suo.

REGULA XXII.

Dum dubitatur, qualis sit contractus, non ex nomine, sed ex natura, de qualitate judicandum.

Infertur ex *Cap.* 4. *De pignorib.* Cap. 6. *De Religios. Domib.* & PANORMIT. *in istud.*

Hinc licet contractus, quo jura spiritualia Monasterio vel Ecclesiæ remittuntur sub annuo censu, vocetur emphiteusis, non est tamen contractus emphiteuticus, sed censualis; quia de natura illius est, quod non transferatur proprietas rei, & in memorato contractu hæc proprietas transfertur.

Hinc, etsi contractus, quo ager emitur eâ lege, ut post aliquot annos iterùm vendatur majori pretio quàm emptus sit, computatis fructibus ex illo perceptis in numerando pretio, contractus emptionis vocari possit; est tamen contractus mutui usurarii, quia est de natura mutui, ut ex pecuniâ lucrum percipiatur, nullâ adhibitâ industria vel periculo.

REGU-

REGULA XXIII.

Quasi contractus est actio sine prævia conventione facta, vim contractûs habens.

RATIO REGULÆ: Actioni hujusmodi inest tacita conventio, eandemjpariens obligationem, quam conventio expressa peperisset.

REGULA XXIV.

Non alia ex Jure Canonico colliguntur quasi contractûs exempla, quàm ista.

1°. Acceptatio hæreditatis.

Hinc fit ut filius successor Patris quoad bona paterna, tenetur illius debita solvere; undè si pater usuras exegerit, filius illas restituere tenetur. *Cap. 9. De usuris.* Si Pater res aliquas voverit, filius hæres eas solvere tenetur. *Cap. 6. De Voto & voti redempt.*

2°. Successio ad Beneficium. *Cap. 1. De Solut.*

Hinc succedens ad Beneficium cujus ergò debita contracta fuerunt, illa solvere tenetur. *Ibid.*

3°. Acceptio solutionis indebitæ. *Cap. 4. De Solut.*

Undè si quis solverit alteri pecuniam quam non debebat, repetere potest, eamque in Judicio obtinet, modò probet illam fuisse accipienti indebitam; imò si acceptor illius negaverit solutionem factam, eamque factam ab alio probatum fuerit, tunc ei qui acceperit, quique negavit, onus incumbit probandi, sibi debitam fuisse.

4°. Alienorum negotiorum gestio. *Cap. 6. De Procur.*

Hinc qui negotia sua alteri gerenda commisit, tenetur ad solvendas expensas pro eisdem negotiis factas.

5°. Conversio rei Petri in commodum Pauli, ipso Paulo sciente & consentiente. *Cap. 1. De Deposito.*

Undè si res commendata Canonico, vel Monacho, vel Parocho, vertatur in utilitatem Capituli, vel Monasterii, vel Parochialis Ecclesiæ, eo ipso Capitulum, Monasterium, Ecclesia Parochialis tenentur de illâ re.

PARS III.

Regulæ è Jure Canonico deprompta circa Contractus in specie consideratos.

Tractatus de Contractibus in particulari, de iis tantùm agere debet, de quibus sermo fit in Jure Canonico, quique habentur sub Regula, sub qua collegimus expressos in isto Jure contractus; idque quia instituti nostri est Juris Canonici axiomata circa Contractus hoc modo spectatos, debito ordine referre. Non loquemur tamen de his omnibus; tùm quia de mutuo agemus, dùm de usuris; tùm quia inter cæteros contractus sunt quidam, qui respiciunt immediatè personas; & hi vel sunt alterius loci, ut sponsalia & matrimonium, quæ ad Tractatum de Sacramentis pertinent; vel non sunt in usu, illorumque cognitio ad mores non confert, ut manumissio, quæ jamdiù exolevit; undè quæcumque circà illam docet Jus Canonicum, si curiositati satisfaciunt, praxi nil proficiunt, aut certissimè parùm.

SECTIO I.

Regulæ Canonicæ circa Emptionem & Venditionem è Jure Canonico desumptæ.

Antequàm deducatur ad Regulas, quod docet Jus Canonicum circà Emptionem & Venditionem,

Notandum 1°. Unum eundemque contractum emptionem & venditionem vocari; duplici autem vocabulo significari, quia contrahitur inter duas personas, quarum una dato pretio merces accipit, & dicitur emptor; altera merces tradit accepto pretio, & dicitur venditor; nec potuerunt aut noluerunt Patres nostri uno verbo utramque actionem, accipientes scilicet & dantes (ut in mutuo, commodato, emphiteusi &c. fecerunt) unico vocabulo comprehendere; in quo emptio & venditio conveniunt cum locatione & conductione, quæ sunt unus contractus duplici nomine donatus.

2°. Nec emptionem sine venditione, nec venditionem sine emptione esse posse; nec ratione pretii unam justam, quin altera etiam justa sit; sub quâ ratione altera nequit esse injusta, quin altera justa sit: injustitia enim emptionis provenit ex eo, quòd res ematur minori pretio; injustitia verò venditionis procedit ex eo, quòd res majori pretio vendatur. Quoties ergo res injustè venditur, non injustè emitur; ac cum injustè emitur, non injustè venditur. Verùm hoc discrimen, quod unum inter eas est, non impedir, quominùs emptio per venditionem rectè explicari possit; cùm ea quæ de injustâ venditione dicuntur, emptioni injustæ facilè applicari valeant; atque ideò, brevitatis causâ, referemus ad solam venditionem, quæ in Jure Canonico habentur circa emptionem & venditionem.

3°. Venditionem esse injustam, vel ratione pretii mercium valorem excedentis; vel ratione ponderis mensuræque quàm debeat minoris; vel ratione rei, quæ vel nullo modo vendi potest; vel ratione personæ, cui vendere non licet rem quam vendit; vel ratione modi, quo venditur, qui alius est quàm à Canone præscribatur; vel ratione finis, ut quando simulatur venditio ad usuram palliandam: Sex ergo modis venditionem esse injustam, & de quolibet expressè loqui Jus Canonicum.

4°. Subveniri Emptori contra injustam venditionem per restitutionem, vel totius pretii, quando res vendita evincitur sine emptoris culpâ; vel partis, quæ rei venditæ valorem excedit. Simili modo subveniri etiam Venditori læso contra injustam emptionem; atque de utroque venditori vel emptori læso subveniendi modo expressam facere mentionem Jus Canonicum.

5°. Nil haberi in Jure Canonico circa emptionem & venditionem, quod ex notatis in III. & IV. Observatione articulis aliquem non respiciat, ideòque quicquid docet circa hunc contractum, ad duo reduci, nempè: 1°. Ad casus injustæ emptionis vel venditionis; qui casus justæ emptionis includunt, eo planè modo quo contrarium unum aliud includit. 2°. Ad remedium contra injustam vel emptionem vel venditionem.

6°. Canonès vetantes, ne res cariùs væneant, fraudes quasvis prohibere, quibus res minoris pretii subrogantur rei majoris pretii, ut cùm viliores merces cum pretiosioribus miscentur; vel merces nonnullarum Regionum, quæ minoris æstimantur, pro mercibus aliarum, quæ pluris fiunt, venduntur; ut equus vel pannus communis pro equo vel panno Hispano Anglove; vel nova pro veteribus, vel vetera pro novis væneunt, in iis circumstantiis in quibus alia aliis prævalent.

REGULA I.

Non alii exprimuntur in Jure Canonico injustæ venditionis casus, quàm isti.

1°. Si res cariùs vendantur transeuntibus, quàm in mercato vendi soleant; non enim emptoris qualitas rei vendendæ auger pretium; hinc reus emptor, qui rem vilius emit, ob rationem quæ illius pretium non minuit, qualis quòd ex necessitate vendatur. *Cap. 1. De Emptione.*

2°. Si pondera vel mensuræ justa non sint, id est minora quàm par est, in emptoris detrimentum. Idem dicendum, si majora sint in venditoris damnum. Quod de fraude circa pondera & mensuras dicitur,

citur extendendum ad fraudem circa merces. *Cap.* 2. *Ibid.* Infertur ex en quod puniantur hi, qui pondera mensurasve fraudant.

3°. Si vendatur res spirituali annexa, qualis est vel Sacramentum, vel Beneficium, vel justiria. *Tota* CAUS. I. *Totásque* TIT. *De Simoniâ.*

4°. Si vendatur res spirituali annexa, quale jus Patronatûs, quod, propter connexionem quam habet cum Beneficiis quæ respicit, rei spirituali annexum dicitur. *Cap.* 16. 23. *De Jur. Patron.*

5°. Si vendatur res adeò aliena, ut emptori justè evinci possit sine suâ culpâ. Hinc possessor rei, quam scit alteri subreptam, vendere non potest, sicut nec ipse latro. Hinc possessor agri ex usuris empri, illum vendere nequit in sui ipsius commodum. *Cap.* 7. *De Emptione.* Cap. 15. CAUS. XIV. QUÆST. V. *Cap.* 5. *De Usuris.* Cap. 4. *Ibid.* Cap. 28. *De Jurejurando.*

6°. Si vendatur res, cujus proprietas ad alium pertinet, ut cùm maritus rem dotalem vel donatam à se uxori propter nuptias vendit. Cap. 4. *De Empt.* Cap. 28. *De Jurejur.*

Nota obiter quod in donationibus propter nuptias inter virum & uxorem, non solùm determinabatur, ut nunc fit, rei donatæ quantitas, sed assignabatur fundus, cujus proprietas ita pertinebat ad uxorem, constante matrimonio, ut à viro alienari non posset, sicut nec dos; id enim clarè infertur ex *Citatis Capitibus n.* 6.

7°. Si venditur res Ecclesiastica, non servatis servandis, de quibus alibi egimus, & in locis mox citandis mentio fit. CAUS. X. QUÆST. II. *Cap.* 2. 3.

8°. Si in venditione mutuum subsequenti, & à mutuum accipiente factâ, apponatur pactum de recuperandâ re post aliquos annos modico constituto pretio, quod vix contingit dimidium justi pretii, quodque simulato emptori solvendum est. *Cap.* 5. *De emptione.*

9°. Si res pluris vendatur ob dilatam solutionem. Cap. 6. *De Usuris.*

Nota circa Primum Casum, valere venditionis agri, domûs, similisve rei, contractum, etsi venditor deceptus sit ultra dimidium justi pretii, idque quia venditor in venditionem consensit, etsi noo consenserit in venditionis injustitiam; sufficit autem ad actûs validitatem prior consensus; quia actûs substantiam respicit, nec necessarius est posterior, quia actûs quantitatem tantùm spectat. Cap. 3. 6. *De Emptione.*

Nora iterùm, valere etiam contractum, si emptor deceptus rem ultra duplum justi pretii emerit; sed istum casum in Canone non exprimi, qnia rarus est; alium verò exprimi, quia frequens est. Cujus discriminis ratio est, quia venditor plerumque ex necessirate vendit, emptor verò sine necessitate emit; undè iste pro voluntate prerium constituit, non ille.

Nota circa Quintum Casum, venditorem de evictione non teneri, si emptor, post institutum contra se Judicium, vendirori, ut rem venditam defendat, nunciare omisit; vel si contumaciter abfuit tempore Sententiæ prolatæ; vel si per iojuriam Sententia lata fuerit. *Cap.* 7. *De Emptione.*

Harum exceprionum ratio est, quia in qualibet res vendita evincitur sine venditoris culpâ. In prima enim venditor inauditus damnatur, idqne ex solâ emptoris culpa: In secunda ex emptoris contumacia res amittitur; ideòque ex propriâ emptoris culpâ: In tertia rei evictio fit Judicis prævaricatione. Prima Exceprio admittenda nnn videtur, si emptor ostendat, rem sibi justâ de causâ evictam. IMBERT. *in Enchiridio*, verbo, *Evictio.*

Nota circa Sextum Casum, duplicem habere exceptionem, *Cap* 4. *De emptione.* Prima est, quando uxor consentit venditioni, & pretium in communes viri & uxoris usus fuit conversum, emptor per 30. annos bonâ fide possedit, & rempore venditionis in viri facultaribus fuit, undè uxor sibi consuleret. Secunda Exceptio est, cùm uxor consentiens venditioni, consensum suum firmavit libero jurameoto. *Cap.* 28. *De jurejurando.*

Nota circa Octavum Casum, dnplicem in eo exigi usuram, cùm res simnlatè vendita est ex re fructifera; emptor enim illius rei fructus percipit simul & constitutum pretium sibi solvendum.

Nota denique emptionem esse injustam, quoties injusta est venditio, si istius injustiria aliundè petatur, quàm ex factâ emptori injuriâ, ac emptot mala fide emat; in his enim casibus, quod non licet venditori, emptori non licet.

REGULA II.

Circa remedia contra injustam, vel emptionem, vel venditionem, non alia in Canonico Jure sequuntur quàm ista.

1°. Imponitur pœnitentia 30. dierum in pane & aquâ facienda iis, qui ponderibus vel mensnris non justis utuntur. *Cap.* 2. *De emptione.*

2°. Qui emit rem infra dimidium ptetii justi, obligatur, vel rem emptam teddere, vel pretium supplere, sibique datur optio alterutrius venditorem indemnem faciendi viæ; ad alterutrum venditor illum cogere potest, etiam in foro exteriori; si verò minorem pretii partem emptor retinuit, renetur quidem illam restituere, sed ad id eogi nequit in foro exteriori.

3°. Si vendita rès emptori evincatur ex causâ desumptâ ex parte venditoris, pretium receptum restituere tenetur. *Cap.* 7. *Ibid.*

Nota circa Primum Casum, *cit. Cap.* loqui tantùm de iis, qui lucri causa, pondera mensurasve permutant, sed extendi posse ad alios, qui iis fraudatis scienter utuntur. Non obstar extensioni, quòd non admittarur in re pœnali, cùm agatur de pœnitentia huic Regulæ non subjectâ. GONZAL. *In hunc locum* plura habet scitu digua.

Nota circa Secundum Casum, optionem dari, quia res vendita est emproris, cùm contractus hoc casu non sit irritus, sed irritandus; ideòque ad emptorem pertinet, vel illam reddere, vel pretium supplendo retinere. Ut autem justum sit supplementum, requiritur tantùm dari, quantùm tempore venditionis justo pretio defuisse constiterit: Ratio est quia restitutio est, ista verò non sit justa, si iotegra non sit. *Cap.* 6. *De emptione.*

Nota *circà citata Capita in Casu Secundo*; illa docere pretium venalium rerum, quæcumque sint, non esse arbitrarium; id est, non licere nec emprori, nec venditori, quod velit rebus pretium constituere, sed ipsis rebus inesse valorem pro locorum temporumve circumstantiis, à prudentibus determinatum, pretiumque quod istum valorem æquat, justum dici; supponunt enim, ut Axioma Juris, res justo pretio emendas vendendasve; undè concludunt reddendum ab emptore, quod de pretio isto retinet; à venditore verò, quod ultrà exigit.

Nec obstat, quod *citata Capita* loquántur tantùm de rebus ad hominis sustentationem necessariis, quales sunt agri, domns; nam id accidit ex eo, quòd in casibus propositis de his tantùm rebus agebatur, nec consideranda est hic decisionis materia, sed ratio; materia siquidem est particularis, sed ratio est generalis; decidunt enim in hoc & illo casu injustam esse, vel emptionem, vel venditionem, damnumque quod proximo inferunt, esse resarciendum, id, inquam, decidunt ex hac Juris Regula; *Res suo pretio est vendenda, emendave.* Prætereà *si citata Capita* applicari non possent, nisi rebus quibus loquuntur, aliisque similibus; ac consequenter res ad hominis sustentationem non necessariæ, sed ad solam delectationem factæ, quales picturæ, gemmæ, numismata &c. vendi emique possent, prout emptori vel venditori placeret, sequeretur maximum absurdum; horti enim domûs, etiam ad delectationem destinati, licet sint è genere rerum ad hominis sustentationem non necessariarum, non comprehenderentur in his Capitibus, nec etiam pretiosiora mulierum virorumque

rumque ornamenta; sequeretur etiam quod res ad hominis sustentationem destinatas pro libito vendere liceret, extra casus in quibus his proximus indigeret; nam si delectatio, quam capio ex rebus ad voluptatem factis; est pretio æstimabilis, erit etiam pretio æstimabilis illa, quam mihi procreant res primi generis, saltem extrà prædictos necessitatis casus.

Adde quòd rebus ad voluptatem factis, sicut inest valor à viris circa res istas versatis determinatus, pro arte, vel raritate, similibusve ab his consideratis circumstantiis; quis enim adeò peregrinus, qui non audierit, ac etiam nunc sæpiùs audiat, de quibusdam picturis vel gemmis, illas suo pretio non venditas, vel non vendi; demùm non est circa pretium vulgò aliud discrimen inter res voluptarias, & res ad victum necessarias; quàm quòd istarum pretium præfigi soleat autoritate publica, sive Lege, sive usu, sive Magistratûs curâ; illarum verò pretii constitutio ad prudentes remittitur, quâ Lege censendi in hoc sunt peritiores cujusque artis.

Nota circà Tertium Casum, venditorem in illo casu ad pretii restitutionem teneri, nec sibi licere evictæ rei aliam ejusdem valoris subrogare, nisi emptor subrogationi huic consentiat; idque, quia accidere posset, ut res, quæ subrogaretur, emptori esset incommoda, vel injucunda; potuisset etiam fieri, ut evictæ rei qualitas, quæ in alia non occurrit, ad illius emptionem emptorem determinasset.

Nota iterùm circa eundem Casum, venditorem teneri etiam ad resarciendum damnum emptori illatum, vel ipsa venditione, vel ipsa evictione, si malâ fide vendidit, sciens scilicet quam vendebat rem esse alienam, idque emptori celans.

Non omittendum à Casuistis tres gradus in justo pretio distingui; infimum, medium, supremum; hujus autem distinctionis in Jure Canonico mentionem nullam fieri, nec in eo quidquam haberi, ex quo colligi possit ab ipso approbari; imò quid in illo reperiri, quod hanc damnare videatur: nam *Cap.* 1. *De emptione* prohibetur, ne transeuntibus cariùs vendatur, quàm Incolis; & hæc prohibitio de venditione cariure intrà limites justi pretii, hanc videtur non admittere distinctionem, cùm venditio ultra justum pretium erga omnes æqualiter vetita sit.

Non audemus, uti non debemus, certò affirmare hunc Textum prædictæ distinctioni adversari, quia Canonis sensus esse potest, ut nemo Advenis cariùs vendat, ex eo solùm quod Advenæ sunt, ne in quamdam inhumanitatis speciem incidat, agendo cum hominibus Advenis, quasi homines non essent.

Dico etiam; potest prædicto Canone specialiter prohiberi, ne vendatur Advenis ultra justum pretium, quia in locis ubi condita est, injuria hæc Advenis irrogabatur; eumdem verò idem non vetare erga Incolas, quia justo pretio incolis vendebatur.

Ex dictis collige, Venditorem & Emptorem inter se convenire præcipuè in istis.

1°. Sicut venditori non licet vendere ultra justum pretium, nisi Emptor sciens & libens consenserit, ita nec Emptori infrà justum pretium emere, nisi volente & liberè consentiente Venditore; neutri enim licitum est à justitia deviare, æqualitatem servari in hoc contractu præcipienti; hæc autem servari nequit, si de re vendenda plus exigatur, aut minùs detur, quàm valeat. Excipitur casus, quo uterque Venditor & Emptor consentiunt scientes & libentes suo præjudicio, quia Venditor est suæ rei, & Emptor suæ pecuniæ Dominus.

2°. Sicut Emptor tenetur supplere justum pretium, quando viliùs emit, ita Venditor reddere, quod excedit justum pretium, quando cariùs vendit; Ratio: Iste injustè accepit ultrà justum pretium; ille verò injustè retinuit partem aliquam justi pretii; ideòque uterque restitutioni obnoxius.

3°. Sicut extant casus in quibus Emptor potest Venditorem compellere, ut restituat pretium, quales casus evictionis sine culpâ emptoris factæ; ita extant casus, in quibus Venditor repetere potest rem venditam; & tales sunt hi, in quibus Emptor non solvit pretium, eo modo quo promisit, aliasve Leges venditionis Principes non servat; non enim minùs iniquum est, ut Emptor rem & pretium retineat, quàm & Venditor pretium retineat, post quàm Emptor rem amisit solâ venditoris culpâ.

4°. Neutri licet in alterius damnum uti mensuris, ponderibusve falsis: id enim vetat præceptum Dei; *Non furtum facies.*

5°. Sicut non licet Venditori merces fraudatas vendere; ita nec Emptori monetam falsam dare, eodem præcepto id prohibente.

6°. Uterque reus est, si abutatur alterius necessitate, vel ut cariùs vendat, vel ut viliùs emat.

Quoad alia Capita, in quibus Emptor & Venditor conveniunt, à collectis facilè deducuntur; Quantum ad discrimina, nullum occurrit quod hic notatu dignum videatur.

Hactenùs dictis de contractu venditionis, unum alterumve addere juvat scitu maximè necessarium; nempè ex citatis Textibus colligi posse, 1°. Quòd ad hunc contractum pertineat ille, quo constituuntur annui census super domo vel agro, à conditione redimibiles, quoties placuerit, acceptâ ab eo cui solvendi sunt pecuniæ summâ, illorum numero proportionatâ, & numquam exigibili; eâ etenim positâ conventione, prædicti census justè emuntur & venduntur, cùm pretium justum detur, pro re eodem digna, in quo uno consistit contractus venditionis. 2°. Quod prædicta constitutio non sit contractus usurarius, cùm usura sit lucrum ex mutuo aperto, vel palliato; & in prædicto nullum sit hujusmodi mutuum. Quod probari sic potest. Pecunia mutuo data est semper exigibilis quoad æquivalens ab ipso dante, & in prædicto contractu juri exigendi in perpetuum renunciat. Si in mutuo detur fundus pro securitate mutuantis, ipse illius administrationem habet & fructus illius loco usurarum, & in præfato contractu fundus remanet in possessione accipientis pecuniam. Undè objicere non licet *Cap.* 5. *De emptione*; nam domus simulatè vendita traditâ erat mutuanti: nec *Capitulum* 1. *De usuris*, cùm fundus ibi datus appareat eidem mutuanti. Eapropter MARTINUS V. ann. 1425. consultus à Polonis circa prædictum contractum, consultis Doctoribus respondet; illum nedum esse contractum emptionis & venditionis licitum, & non usurarium, sed etiam esse Juri Communi conformem, *Cap.* 1. EXTRAVAG. COMM. *De emptione*, quod docet etiam jam tunc temporis ab annis centum citrà & suprà apud Polonos in usu fuisse, & frequentissimum, ita ut pleraque Beneficia ab eo tempore hac ratione dotata fuerint. Idem habet CALLIXTUS III. circa similem quæstionem ab Alemannis consultus, iisdem ferè ac MARTINI verbis, ejusque Constitutione expressè citatâ *Cap.* 2. EXTRAVAG. COMM. *De empt.* Quod lege propter circumstantias novas personarum, locorum, & temporum; hæc enim quæstio orta est in Alemannia circiter 40. annos post præcedentem, nimirùm anno 1455.

SECTIO II.

REGULÆ

Circa Permutationum Contractum è Jure Canonico deprompta.

Supponitur plures esse species permutationum, circa quas quæri potest.

1°. De quibus loquatur Jus Canonicum? 2°. Quot sint istarum genera? 3° Quæ circa quodlibet permutationom genus sint à Jure prohibitæ? 4°. Quæ non prohibitæ? Sed harum Quæs-

tionum' folutioni præmittendum eſt, nihili referre, an permutatio ſit contractus nominatus, an innominatus; an nomen permutationis ſit commune omni contractui, quo unum pro altero datur, an peculiare illi, quo res pro re datur; an idem ſit contractus, ac contractus do ut des, an alius; ſed ſcitu neceſſarium eſſe quod ſit contractus bonæ fidei. *Cap. 6. De exceptionib.* ideòque non ex rigore, ſed æquitate interpretandus.

REGULA I.

De ſolis permutationibus Eccleſiaſticis, tùm ratione perſonarum à quibus fiunt, vel vim accipiunt, tùm ratione rerum, de quibus fiunt, mentionem facit Jus Canonicum.

REGULA II.

Tot ſunt genera permutationum quot ſunt genera rerum, quæ inter ſe permutati poſſunt; necnon & modi quibus illarum permutatio fieri poteſt.

REGULA III.

Non alia ſunt rerum genera, quæ inter ſe commutari queant, quàm iſta.

1°. Res ſpiritualis. 2°. Res temporalis Eccleſiaſtica. 3°. Res temporalis profana. 4°. Res autem temporalis, ſive ſacra, ſive profana, vel eſt mobilis, vel immobilis.

REGULA IV.

Duo ſunt tantùm modi, quibus illa rerum genera inter ſe commutari queant.

Vel enim res unius generis commutatur cum re ejuſdem generis, vel cum re alterius generis: De permutatione rei profanæ cum re ſacra, rei mobilis cum immobili, fit meotio in *Cap.1. De rerum permut.*

REGULA V.

Permutatio legitima celebrari nequit, niſi cum Domino; vel cum eo qui habetur loco Domini. *Cap. 6. De Except.*

REGULA VI.

Non licet permutare ſpiritualem rem, cum re ſpirituali; nec ſpirituali principaliter connexam cum ſimili. *Cap. 5. De rerum permut.*

Nec obſtat, quod Beneficiorum permutationes ſint licitæ, & Beneficia ſint ſpiritualis res, vel ſpirituali annexa; dum enim fiunt hujuſmodi permutationes, non permutantur res, ſed perſonæ transferuntur ab unâ Eccleſiâ ad aliam, propter Eccleſiæ utilitatem; undè æquiſſima eſſe poteſt Beneficii majoris cum minori permutatio, non compenſatâ redituum inæqualitate, ſi ſpes ſit, fore ut Rector, qui dimiſſo minori, majus accepturus ſit, illud utiliùs digniùſque regat.

Nec obſtat, quod poſſit una Eccleſia cum aliâ commutari, *Cap. 6. De rerum permutatione*; Eccleſia verò ſit res ſpirituali connexa: Non enim quod principale eſt in Eccleſia, ſpirituale eſt, ſed temporale; undè Eccleſia vendi locarive poteſt; undè in illâ permutatione æqualitas rei ad rem ſervanda eſt; ideòque ſi alterutra minoris valuerit, penſione ſupplendum quod deeſt, vel quovis alio modo ad id idoneo.

REGULA VII.

Amittunt Beneficia, qui illa propriâ autoritate permutant; ſed ſi permutatio ſit tantùm completa ex parte unius, idque fraude alterius, ex miſericordiâ ſubvenitur decepto. *Cap.7.8. De rerum permutat.*

REGULA VIII.

Nunquam licet permutare rem ſpiritualem cum temporali.

REGULA IX.

Si quæ compermutantur Beneficia, aliis conferuntur, quàm compermutantibus, collatio nulla eſt. CLEMENT. *De rerum permut.* Cap. 9. *Ibid.* Cap. 10. *De Tranſact.*

REGULA X.

Res Eccleſiæ temporales, ut poſſeſſiones, cum ſimilibus commutari poſſunt, ſervatâ utrinque valoris æqualitate. *Cap. 6. De rerum permut.*

REGULA XI.

Quandò res Eccleſiæ temporales cum rebus prophanis commutantur, oportet ut quod Eccleſia accepit, plus valeat, quàm quod dat. Si tamen commutatio fiat cum Principe, vel cum Eccleſiæ Rectore, ſufficit ut Eccleſia tantùm accipiat, quantùm dat. *Cap. 52.* CAUS. XII. QUÆST. II. *Cap. 1. De rerum permut. Cap. 2.* CAUS.X.QUÆST.II.*Cap.56.*CAUS.XII.QUÆST.II.

Nota circa exceptiones Regulæ inſertas, primam loqui de Principe Supremo, cui ob beneficia, quibus Eccleſiam afficit, hoc debetur privilegium, ut quando aliquâ Eccleſiæ poſſeſſione indiget, ſibi detur pro æquali ab ipſo acceptâ: Secundam reſpicere caſum in quo Rector dat pro cauſâ favorabili, Eccleſiæque non inutili; illamque videri abolitam.

Nota iterùm circa Primam exceptionem, promulgandam à Principe Pragmaticam Sanctionem ſuper commutatione quam facit cum Eccleſiâ; id eſt, edendum eſſe inſtrumentum, quo conſtet alienationem factam requirente Principe, ac in illius favorem, ſervatis Juris ſolemnitatibus; idque, ut firma ſit alienatio, ac qui illi conſenſit Rector Eccleſiæ apud poſteros culpâ vacet.

REGULA XII.

Quæ in aliis rerum Eccleſiæ alienationibus ſervanda ſunt, tùm ut liceant, tùm ut valeant, in permutationibus earumdem ad utrumque requiruntur. Infertur ex Textibus, qui permutationem ponunt inter alienandi modos.

REGULA XIII.

Si quæ Eccleſiæ rerum commutatio ab Anteceſſore inconſultè fiat, à Succeſſore emendanda eſt. *Cap. 2. De rerum permut.*

REGULA XIV.

Quandiù perſonarum ſervitus in uſu fuit, tamdiù non licuit Eccleſiæ ſervos cum aliis permutare, niſi eâ lege, ut liberi perpetuò eſſent. *Cap. 3. 4. De rerum permut. Cap. 55.* CAUS. XII. QUÆST. II.

REGULÆ RATIO: Quod ſemel Deo conſecratum eſt, ad humanos uſus transferre non licet; & ſi transferatur, unius eleemoſinâ ſit alterius peccatum. Hinc diſcant qui oblatis Deo rebus ſuſtentantur, quâ culpâ teneantur, ſi ad alios, quàm à Canone præſcriptos, uſus transferant. Hinc etiam diſcant Canonum ſtudio vacantes, Canones etiam abrogatos ad praxim nonnihil conferre poſſe.

REGULA XV.

Dùm vigebant Gratiæ Expectativæ circà Beneficia, non impediebant, quominùs permutari poſſent Beneficia illis Gratiis ſubjecta; modò liberè & ſine fraude fieret permutatio. *Cap. unic. De rerum permut. In 6.*

Serva-

Servatur hæc Regula in privilegio Graduatorum, ac in Indultis, quibus Jus datur ad quædam vacatura Beneficia, ficut dabatur Gratiis Expectativis jus ad eadem; Undè non eft inutilis, licet id, propter quod facta eft, fit abolitum.

SECTIO III.

Regulæ circa donationes, è Jure Canonico desumpta.

Dùm de Episcopi Jurisdictione circa res Ecclesiæ, *in Tractatu de Vicario Generali*, agebamus, nonnulla diximus circa donationes rerum Ecclesiasticarum; nonnihil etiam de iisdem tetigimus, loquentes de permutatione. Neutra repetere hic convenit. His ergo omissis suis locis legendis, quæ supersunt colligenda circà donationes Juris Canonici axiomata colligemus. Nec aliundè desumemus quàm ex *Tit.* 14. LIB. III. *& ex Tit.* 20. LIB. IV. GREG. IX. *Decretalium*, qui sunt sola totius Juris Canonici loca, in quibus de industriâ sermo fiat de Donationibus. Quæ jam collecta non sunt, contineri videntur in a lecto *Cap.* 4. *De Condit. apposit.*

Verùm præmonendum, 1o. Colligenda axiomata respicere donationes tàm rerum profanarum, quàm Ecclesiasticarum.

2o. Eadem axiomata inter alia docere, qui donare, quæ donari possint, quæ non; quando donatio ex causâ suâ nulla; quando est confirmanda, etsi vitiosa; quomodo interpretanda; quando revocari possit, & quomodo.

3o. Docere etiam posse, qui donare, & quæ donari non prohibentur.

REGULA I.

Qui non est rei donandæ Dominus, donare non potest, nisi proprius consentiat Dominus. *Cap.* 2. *De donat.* Cap. 6. *De donat. inter virum &c.*

Ex Regulâ sequitur Episcopum, Abbatem, aliumve Sæcularem, vel Regularem Prælatum, res Ecclesiatum suarum donare non posse, cùm illarum fint tantùm Procuratores, non Domini. *Cap.* 2. 3. *De donationib.*

Sequitur etiam, neminem posse portionem rei, cujus usumfructum ad vitam tantùm habet, donare alteri post mortem suam possidendam. *Cap.* 6. *De donat. inter virum &c.*

Ex exceptione verò sequitur, Episcopum, vel Abbatem, in casibus à Jure permissis, aliquid donare; tales autem sunt qui in Jure Communi continentur, vel qui consuetudine approbatâ introducuntur. Casus donationis Episcopo permissi Communi Jure, collecti sunt in *Tract. De Vicario Generali*; ibidemque notatum, quòd, ut Episcopi donatio fit legitima, requirendus est Capituli consensus. *Cap.* 7. *De donation.* Cap. 3. 5. 9. *De donat.*

REGULA II.

Non omnis donandæ rei Dominus illam donare potest. *Cap.* 8. *De donation. inter virum*, in quo improbatur donatio, quam, constante matrimonio, sibi invicem faciunt conjuges de rebus ad se pertinentibus, si ea fit, quæ alterum locupletiorem, pauperiorem alterum efficiat; idque rectissimè cautum, ne alter ergà alterum amore nimio spolietur.

REGULA III.

Vivente legitimo alicujus Ecclesiæ possessore, alteri privato illa donari nequit; donari tamen potest loco pio; modo possessori, quoad vixerit, fructus relinquantur. *Cap.* 4. *De donat.*

REGULA IV.

Quoties donationis causa est nulla, donatio quoque nulla est.

Hinc donatio, quæ fit matrimonii causâ, nulla est, quando nullum est matrimonium. *Cap.* 5. *De donat. inter virum. Ibid.*

REGULA V.

Ex causâ suâ non valet donatio inter Conjuges, quando ex purâ liberalitate fit, qualis habenda quæ mutua non est. *Cap.* 8. *De donat. inter virum &c.* PANORMIT. *in illud.*

REGULA VI.

Quando donatio fit in fraudem & detrimentum tertii, isto indemni facto, confirmanda est, etsi aliundè fit quoad accidentia vitiosa, idque in pœnam donatoris. *Cap.* 8. *De donat.*

Hospitalarii quidam domum suam aliis Hospitalariis subjecerant; posteà dolentes de hac donatione, illam irritam declarari volebant, atque ad id allegabant illam factam in præjudicium Plebani cujusdam, & nonnullos qui huic consenserant, excommunicatos & perjuros extitisse: Nihilominùs INNOC. III. confirmat donationem, salvo jure Plebani & Diœcesani.

REGULA VII.

In beneficiis, ideòque in donationibus, quæ sunt procul dubio beneficia, plenissima interpretatio est facienda. *Cap.* 7. *De donat.*

Hinc si in eodem instrumento plures donationes contineantur, inferatnrque clausula odiosa post inferiorem, ad istam restringitur.

Hinc etiam, si Episcopus viris Religiosis Ecclesiam concedit bis verbis: *Concedimus vobis Ecclesiam*; censetur donare quidquid ex eâ fructus percipit, præter Cathedraticum, posito quòd aliquos fructus indè percipiat; si verò nil indè percipit, censetur donare omnes illius proventus, & si Patronus consentiat donationi, jus Patronatûs conferre videtur. *Cap.* 7. *De donat.* quod expresse requirit consensum Capituli, ut donatio Episcopi valeat; idque fit, quia de alienatione agitur, atque ad illam sconsensu Capituli indiget.

Excipitur ab utraque hac Episcopi donatione Cathedraticum, quia jus est in honorem Cathedræ Episcopalis introductum, ideòque maximè favorabile, undè non censetur remissum, nisi expresse remittatur.

REGULA VIII.

Ob gravem illius, cui fit donatio, ingratitudinem, revocari potest donatio à donatore, non ab ejus successore; gravis autem ingratitudo judicanda, si impias manus in donatorem injecerit; si atroces injurias, sive grave rerum damnum, sive vitæ periculum intulerit. *Cap.* 10. *De donat.*

REGULA IX.

Donationes donatoris potestatem excedentes revocandæ sunt. *Cap.* 2. *De donat.*

REGULA X.

In Jure Canonico exprimuntur tantùm quatuor modi, quibus donatio revocatur, vel à donatore, vel à jure. *Cap.* 8. *De donat inter &c.*

Primus est, quando expresse declarat verbis, vel scripturâ, se infectam velle donationem à se factam, atque hoc modo exprese revocatur donatio, & ab ipso donatore.

Secundus, quando res donata venditur, vel alio modo alienatur in alterius favorem, quàm illius cui donata erat; hocque modo tacitè revocatur donatio, & ab ipso donatore. *Ibid.*

Tertius, quando donatarius donatori prædecedit; quo casu à Jure fit revocatio. *Ibid.*

Quartus, si donetur sub conditione, eo expresse addito, quòd eâ cessante, ipsa revocatur donatio: Et hæc revocatio fit in ipso donationis instrumento. *Cap.* 4. *De condit. appos.* Sed tres priores modi pertinent tantùm ad donationes causâ mortis.

REGU-

REGULA XI.

Donare posse quicumque non prohibentur, plures Textus probant.

SECTIO IV.

Regula circa Testamenta, è Jure Canonico deprompta.

Quæ Jus Canonicum docet circa Testamenta ad ista puncta teducuntur.

10. Qui testari possint, vel non.

20. Quæ vitanda circà Testamenta, quæque in iisdem servanda.]

3°. Quæ scienda circa Testamenta Clericorum.

40. Quæ ootanda circa legata.

5°. Quæ notanda circa fideicommissa.

6°. Quæ circa Testamentorum executionem servanda.

7°. Qui intestati decedere dicantur, vel non.

8°. Quæ hæredum obligationes.

Verùm priusquàm Canonum doctrinam circà mox enumerata puncta colligamus, mnneamus oportet TIT. *De pecul. Clericorum.* & TIT. *De successionib. ab intestato* pertinere ad Testamentariam materiam; qoia in Primo videtur, quæ bona Clericorum sint sibi propria, quæ non; ideoque de quibus possint disponere, de quibus non: In Secundo sermo de iis qui ab intestato decedunt, etsi testati fuerint.

REGULA I.

Testari potest, quicumque non prohibetur.

Infertur è *Cap.* 1. *De Procurator. In* 6. *&* *ex* Cap. 23. *De sponsalib.* quia non est potior ratio, quod committi possit, aut matrimonio copulari, qui non prohibetur, quàm quòd testari possit, cui non vetatur; uno verbo quod cùm Edicta de Mandato & de Matrimonio sint prohibitoria, Edictum de Testamentis non sit prohibitorium.

REGULA II.

Non alii in Canonico Jure testari prohibentur, quàm isti.

1°. Phrenetici. 2°. Servi. 30. Filii-familias sine assensu Patris, circa alia quàm circa castrensia, vel quasi castrensia, etiam pro anima sua. 3°. Mnnachi. 4°. Clerici circa bona non patrimonialia, vel quasi patrimonialia. *Cap.* 3. *De Success. ab intest. Cap.* 5. CAUS. XIII. QUÆST. II. *Cap.* 4. *De sepult. In* 6. Cap. 2. *De Testam.* Cap. 3. *De success. ab intest.* Cap. 1. 7. 8. 9. & 12. *De Testam.* CAUS. XII. QUÆST. II.

REGULA III.

Quæ circa Testamenta vitare docet Jus Canonicum, hæc sunt.

1°. Ne fiat dispositio contraria Generali Canonum Constiturioni. *Cap.* 15. *De Testam.*

2°. Ne in Testamentis ad pias causas Testator cogatur adhibere plures, quàm duos testes. *Cap.* 10. 11. *De Testam.* Restringimus *Cap.* 10. ad causas pias, quia extra illas nullibi recipitur. CARASSUT. LIB. VI. *Cap.* 19. *n.* 5.

3°. Ne hujusmodi Testamenta rescindantur ex eo, quod à Parrocho suscepta sunt. In Galliâ validè suscipiuntur Testamenta à Parrocho, non solùm ad causas pias, sed ad alias. *Cap.* 10. *cit. Introductio ad Jus. Eccles.* I. *Parte.* Cap. 4. *in fine.*

40. Ne Judices de iis Testamentis judicent secundùm Leges, sed secundùm Canones. Restringendum id videtur ad loca, iu quibus Princeps hoc in casu Canones Legibus non injustis præferri consentit. *Cap.* 11. *cit.*

9°. Ne acceptentur à fortiori, ne captentur à Clericis vel Monachis, Testamenta, quibus filii sine suâ culpâ exhæredantur. *Cap.* 8. CAUS. XIII. QUÆST. II.

REGULA IV.

Quæ scitu necessaria circa Clericorum Testamenta docet Jus Canonicum, hæc sunt.

10. Quicquid acquirit Clericus in Ecclesiæ administratione, quam pauper assumpsit, non sibi, sed Ecclesiæ acquirit; ac idcircò de his testari non potest. Si plures Ecclesias administrávit, ipsius peculium inter illas est dividendum pro Ecclesiarum qualitate, & administrationis tempore. *Cap.* 12. *De Testam.*

Docent prætereà hæc Capita Monachum Episcopum factum, de acquisitis disponere oon posse, nisi in Ecclesiæ suæ favorem. Id in Galliâ locum non habet, nisi in foro interiori. *Cap.* 1. 2. 3. 4. *De pecul. Cleric.*

2°. Quæ ex bonis patrimonialibus, vel ex iodustriâ, labore, artificio acquirit, sibi acquirit; atque de his testari potest: & si intestatus decedat, vel quia testatus non est, vel quia Testamentum quod condidit nullum est, careatque legitimis successoribus, ipsius successione gaudet Ecclesia, vel pauperes, vel successor. *Cap.* 1. *De Success. ab intest.* Cap. 3. *Eod. Tit.* Cap. 5. 6. 7. CAUS. XII. QUÆST. V. *Cap.* 46. 47. CAUS. XII. QUÆST. IV.

3°. Quando Clericus habuit simul & bona patrimonialia, & bona Ecclesiastica, acquisita ab eo dividenda sunt inter Ecclesiam quam administravit & propinquns; æqualiter si bona patrimonialia Ecclesiastica æquaverint; ioæqualiter, si superaverint, vel ista illa. *Cap.* 1. 2. CAUS. XII. QUÆST. IV.

4°. Si Clericus, rerum suarum dispendio, Ecclesiæ res auxit, vel è contrà, compensandum est illatum damnum, vel sibi, vel Ecclesiæ. *Ibid.*

5°. Quoties in Ecclesiæ terrâ Clericus vineas plantavit sustentandæ vitæ causâ, ad obitum usque illarum fructus sibi relinquendi sunt, sed illas ad hæredes transmittere non potest. *Cap.* 5. *De pecul. Cler.*

6°. In acquisitionibus, quas facit Clericus ex reditibus Ecclesiæ, non suo, sed Ecclesiæ nomine instrumenta conficere tenetur. *Cap.* 2. 3. 4. *De pecul.* Cap. 13. CAUS. XII. QUÆST. IV.

7°. De rebus Ecclesiæ Testamento relinquere quicquam non potest, nisi de rebus suis tantumdem det, modicum quid relinquat, vel in Eleemosinam, vel in remunerationem servitii in Ecclesiæ commodum exbibiti. *Cap.* 8. 12. *De Testam.*

8°. Inter Ecclesiæ res numerantur quæcumque Ecclesiarum administratoribus relinquuntur illarum intuitu; vel expressè, ut quando Testator id exprimit; vel tacitè, ut quandò Testator non est propinquus administratorum, nec aliundè ullo singularis beneficii vel amicitiæ vinculo colligatus. *Cap.* 15. *De Testam.*

9°. Episcopus, qui nec filios, nec nepotes habet, Ecclesiam hæredem instituere tenetur. *Cap.* 34. CAUS. XII. QUÆST. II.

10°. Nullus Clericus in non Catholicos, etiam consanguineos, bona sua transferre debet. *Cap.* 6. *De Hæret.*

11°. Episcopus, si consanguineum noo Catholicum hæredem instituat, excommunicandus est, etiam, post mortem. *Cap.* 5. *Ibid.*

12°. In Angliâ poterant Beneficiati de fructibus proximo anno post mortem percipiendis disponere; alibi id poterant per multos menses. *Cap.* 1. *De Testam. Collect.* 2. Cap. 10. EXTRAVAG. COMM. *De Præbend.* Cap. 1. CAUS. XVIII. QUÆST. I.

13°. Abbas Episcopus factus, quæ post promotionem acquirit, Ecclesiæ suæ relinquere debet. *Cap.* 1. CAUS. XVIII. QUÆST. I.

In Galliâ, quæ acquirit Clericus ex munerum Sacrorum exercitio, sive Beneficiis sint annexa, sive non, ejusdem conditionis sunt ac bona patrimonialia quoad forum externum, sive Sæculare, sive Ecclesiasticum; secùs in foro interiori, in quo bonorum istorum non est Dominus, sed dispensator; sunt enim Ecclesiastica, ut bona & munera ex quibus acquiruntur, solamque sibi necessariam sustentationem ex illis sumere potest; ideòque residuum ad Ecclesiam, vel ad pauperes pertinet.

Hujus distinctionis ratio est, quia Canones, quibus prohibetur Clericus de prædictis bonis disponere, non vigent in foro exteriori; idque, quia in acquisitis à Clerico, quæ ex bonis patrimonialibus,

aut

aot ex labore noo Ecclesiastico proveniunt, pletumque permixta sunt cum iis, quæ ex Beneficiis vel ex labore Ecclesiastico procedunt; undè charitati prævalente cupiditate, ista illa sequuntur, licet illa trahere secum deberent, cùm sint nobiliota. In foro autem interiori, Canones isti servandi sunt, quia bonos mores tanguut; ideòque Consuetudine contrariâ, utporè bonis moribus inimicâ, atque non rationabili, abrogari oon potuerunt; hac enim oon obstante consuetudine, semper vetum est, bona Ecclesiastica Ministris Sacris non dari in remunerationem, sed in sustentationem; peccatorum pretia esse pauperum patrimonia, eleemosinas in aoimæ salutem datas, factasque in glotiam Dei oblationes; quæ autem hujusmodi sunt, ad alios, quàm ad pios usus, impendi non posse.

Opponi potest, bona temporalia, tàm Ecclesiastica quàm Sæcularia, ex Lege Principis possideri; istâ autem Lege Clericos bonorum Ecclesiasticotum Dominos constirui, cùm ex istâ possint de bonis illis, sicut de Sæcularibus, disponere.

Respondere licet, 1°. Bona Ecclesiastica a Clericis comparata plerumque cum bonis Sæcularibus permisceri, ideòque vel ex præsumptione, quòd à Clericis acquisita sint Sæculatia; vel ex difficultate discernendi quæ Ecclesiastica sint ab iis quæ Sæculatia, Clericis à Lege Sæculari permitti, ut de acquisitis disponant.

2°. Improbabile omninò esse, Principes Catholicos, qui se Canonum Sacrotum custodes profitentur, velle Clericis dominium transferre, quod Canones negant, hacque viâ Canones destruere, & non custodire.

3°. Qui Ecclesiæ bona sua transmittunt, non esse apud Principes pejoris conditionis, ac qui in alios transferunt; atqui si isti solum usumfructum, etiam non omnino liberum, transferunt, Principes Donatariis dominium non transmittere; ideòque cùm qui ad Ecclesiæ Ministros sustentandos aliquid largiuntur, usumfructum taotùm concedere intendant, cùmque duntaxat ad nonnullos præfinitos usus destinantur, Principes ultra quid dare, non esse verisimile.

REGULA V.

Circa legata, non alia notanda docet Jus Canonicum, quàm ista.

1°. *Legare* verbum quandoque impropriè sumitur, pro partiali hæredis institutione. *Cap.* 18. *De Testam.*

2°. Nudis verbis legata fieri possunt. *Cap.* 4. *De Testam.*

3°. Legari nequeunt, quæ alterius quàm legantis esse perhibentur; nec solvenda ista legata: cujus ratio quia res Petri ad alium, Petro non consentiente, transferri non potest. *Cap.* 5. *De Testam.* Hoc in puncto Jus Canonicum à Civili non discrepat. *Ibid.* Utrumque convenit, quod si quis sciens leget rem alienam, illius æstimationem legare censeatur. GONZALAZ *in hoc Cap.*

4°. Clausula legato adjecta non valet, quando contraria est universali Canoourn Constitutioni. *Cap* 15. *Ibid.* quia Testator se illi conformare teoetur. GONZALEZ. *n.* 2.

5°. Ex illis quæ legantur Ecclesiæ, vel piis locis, tertia vel quarta portio Episcopo debetur pro locorum consuetudine; ex iis verò, quæ Episcopo legantur, similis debetur portio Ecclesiæ Cathedrali, nisi intuitu personæ illa legata esse præsumantor: id autem præsumitur, cùm legatum fit à propinquo non significante se intuitu Ecclesiæ legare. *Cap.* 14. 15. *De Testam.*

6°. Cùm legatur aliquid Episcopo & Ecclesiæ Cathedrali, tonc facienda est Canonica divisio. Item si legatur istud Episcopo, & illud Ecclesiæ, nisi velint Testatoris dispositioni stare. Si verò aliquid legetur Episcopo, & aliquid pio loco; legatum Episcopo ad solum Episcopum Ecclesiamque Cathedralem pettinet; ex legato verò pio loco Canonica portio debetur Episcopo, excepto casu *Cap.* 14. *De Testam. Ibid.*

Quæ de hujusmodi portione dicuut Caoones, exolevisse videntur.

7°. Ex legatis ad ornamenta, cereos, fabricam, luminaria ad anniversarium, septimum, vigesimum & trigesimum diem, Ecclesiæ priore loco relictis, non est deducenda Canonica portio. *Cap.* 20. *De Testam.* Cap. 31. *De verb. signif.*

8°. Quod legatur alicui Prælationem vel Administrationem non habenti, præsumitur legatum intuitu personæ, etsi ab extraneo legatum fiat. *Cap.* 15. *De Testam.* §. *Aliud.*

9°. Quando legata exhauriunt hæreditatem, hæres, si inventarium fecerit, quartam habet, quæ vocatur falcidia, à Lege Falcidiâ introductam, cui suum dedit nomen FALCINIUS Tribunus à quo facta est, quâque statutum, ne quis extraneis plus leget, quàm ut quarta pars supersit hæredi. *Cap.* 18. *De Testam.*

10°. Legatum petendum est ab hætede, non autoritate propriâ occupandum. *Ibid.*

11°. Pii legati detentor sacrilegus est. *Cap.* 4. CAUS. XVII. QUÆST. IV.

12°. Excommunicandus, donec reddat. *Cap.* 9. 10. 11. CAUS. XIII. QUÆST. II.

13°. Currit præscriptio 40. annorum circà legata contra pia loca. *Cap.* 3. CAUS XVI. QUÆST. IV.

14°. Filiusfamilias non alia potest, etiam pro anima sua, quàm bona castrensia, sine patris assensu legare. *Cap.* 6. *De Sepult. In* 6.

15°. Judex Ecclesiasticus de legatis piis cognoscit. Non servatur in Gallia. *Cap.* 11. *De Testam*

16°. Legatarii sunt testes legitimi in testamento. *Cap.* 6. *De Testib. & affirmat.* GONZALEZ. *n.* 9.

REGULA VI.

Quæ circà substitutiones ac fideicommissa docet Jus Canonicum, hæc sunt.

1°. Substitutio, alia est directa, alia obliqoa, quæ fideicommissum vocatur. Prior sic concipitur; si TITIUS hæres meus non est, CAÏUS hæres meus esto. Posterior verò his vetbis; Rogo TITIUM, ut hæreditatem meam post mortem suam CAÏO restituat. *Cap.* 1. *De Testam. In* 6.

2°. Substitutio directa ad fideicommissum ex causâ interdum trahitur. *Ibid.*

3°. Si Pater substitutis invicem filiis pauperes substituat, filiis defunctis ante pubertatis tempora, matre adhuc superstite, absque detractione Trebellianicæ, sive partis Jure Naturæ debitæ, faciendâ, bona omnia ad paupetes deferuntur. *Ibid.* idque, quia substitutio directa, in qua nulla qoatta deducitur. *Ibid.*

4°. Quando filio alius substituitur, ex hæreditate restituenda deducitur tertia pars Jure Natutæ debita, sive legitima; quarta quoque Trebellianica, quæ benè administratæ hæreditatis est merces: Cujus ratio est, quia legitima filio sine justâ causâ auferri non potest, nec etiam illum gravari illam restituendi onere; nec filius curans hæreditatem paternam pejoris est conditionis quàm extraneus. *Cap.* 16. 18. *De Testam.*

REGULA VII.

Non alia docet Jus Canonicum circà Testamentorum executionem, quàm ista.

I. Plures institui possunt Testamentorum executores. *Cap.* 2. *De Testament. In* 6.

II. Si unus ex Testamentariis Executoribus Testamentum exequi nolit, aut non possit, sive quia mortuus, sive quia remotus; alii poterunt, nisi aliud in Testamento exprimatur. *Ibid.*

III. Religiosus sine Superioris licentiâ esse ooo potest Testamentarius Executor; idque, quia nec velle nec nolle habeat: undè patet de Prælato Religioso id non intelligendum. *Ibid.* Nisi sit in Congregatione; ubi Prælatus, cùm alios Prælatos habeat, recenseri potest intet illos, qui nec velle, nec oolle habent.

IV. Si

IV. Si Religiosus, etiam Exemptus, imò etiam Prælatus, Testamentum executus fuerit, de hujusmodi executione Ordinario rationem reddere debet, atque ad id ab isto cogi potest, & si circa illam deliquisse reperiatur, condignè puniri potest & debet, non obstante quocumque privilegio. CLEMENT. *De Testam.*

V. Testamenti executor, qui illud officium suscipit, Testatoris voluntatem adimplere debet, ac circa legata pia ab Episcopo ad id compelli potest, tàm Laïcus, quàm Clericus. *Cap.* 17. 19. *De Testam.*

VI. Hæredes Testatoris jussa non exequentes, Episcopus compellere potest ad illa exequenda, idque interdicendo illis, ne rebus relictis fruantur. Non servatur in Galliâ *Cap.* 6. *Ibid.* Nec alia quæ spectant potestatem Episcopi, circa executionem Testamentorum.

REGULA VIII.

Intestatus decedit quoad effectum, non solùm qui antè obitum non testatur, sed etiam qui invalidè testatur. *Cap.* 1. 2. 3. *De successſ. ab intestat.*

Hinc Clericus qui bona per Ecclesiam, quam possedit, acquisita, alius confert, quàm isti Ecclesiæ, intestatus reputatur; ideòque penes Ecclesiam hujusmodi bona remanere debent. *Cap.* 7. *De Testam.* Hinc qui alienatâ mente testatur, intestatus decedit. *Cap.* 3. *De successſ. ab intestat.*

REGULA IX.

Non decedit intestatus, qui extremam voluntatem alterius dispositioni committit. *Cap.* 13. *De Testam.*

Vid. GONZALEM, ubi similes quæstiones circa legata & fideicommissa resolvit.

REGULA X.

Circa hæredum obligationes, non alia colliguntur ex Jure Canonico, quàm ista.

1°. Hæres omnia hæreditatis onera solvere tenetur. *Cap.* 1. *De Solut.* Cap. 6. *De voto &c.* Cap. 16. 18. *De Testam.*

2°. Portiones legitimas Jure Naturæ debitas, filiis defuncti, vel illius matri, aut Patri, solvere debet.

3°. Quæcumque legata solvere etiam debet. *Cap.* 3. 6. 17. *De Testam.*

4°. Vota realia adimplere. *Cap.* 6. *De voto.*

5°. Fundationibus satisfacere. *Cap.* 4. 17. *De Testament.*

6°. Usuras à defuncto injustè exactas restituere, aliaque singula malè acquisita. *Cap.* 9. *De Usuris.*

SECTIO V.

Regulæ circa Contractum Infeudationis è Jure Canonico desumptæ.

Infeudationis contractus feudum dicitur, sicut & res quæ in feudum datur, & jus quod ex infeudatione oritur. Contractum autem hunc ab emphiteutico contractu distinguimus, ob nonnulla discrimina quæ ex dicendis inter eos esse patebit.

REGULA I.

Quæcumque docet Jus Canonicum circà infeudationem, ad ista reducuntur.

1°. Quid sit infeudatio. 2°. Quis possit infeudare. 3°. Quæ infeudationis causæ, quæ forma. 4°. Qui effectus. 5°. Quo casu suspendantur hi effectus. 6°. Quibus viis feudum amittatur. 7°. Quæstionis feudalis quis Judex.

REGULA II.

Infeudatio propriè sumpta, est contractus, quo Dominus rei immobilis, fructus illius in alium in perpetuum transfert, retento sibi servitio in Dominicam recognitionem.

Infertur ex Cap. 1. *De feudis.*

Dicitur *propriè*, quia Ecclesiasticarum Decimarum in perpetuum Laïco facta concessio vocatur infeudatio, etsi nullum retineatur servitium, & Decimæ sint res mobiles. De hac infeudatione mentio fit *Cap.* 25. *De Decimis.*

REGULA III.

De Episcopis & similibus constat quod infeudare possint; de aliis non constat.

Prima Pars patet ex *Cap.* 5. *De Donationibus.* Cap. 2. *De feudis.* Circa Secundam nullus est Textus quo id permittatur: imò inferri potest *ex* Cap. 2. *De locato*, quod nec Abbati, nec Monasterio liceat infeudare.

REGULA IV.

Non infeudat, qui feudo ad Ecclesiam reverso investit. *Cap.* 2. *De feudis.*

REGULÆ RATIO: Infeudat qui rem in feudum non traditam in feudum dat; hoc autem non facit, qui investit aliquo feudo; hinc qui juravit non infeudare, non prohibetur feudum vacans conferre. *Ibid.*

REGULA V.

Non sunt aliæ infeudationis causæ, quàm istæ.

1. Remuneratio servitii Episcopo, ut Episcopo, vel Ecclesiæ suæ, exhibiti, vel in mercedem servitii exhibendi. *Cap.* 1. *De usuris* loquitur de hocce servitio exhibendo, quod cessat, quandiù Dominus percepit fructus ex feudo sibi in pignus dato pro mutuo. 2. Recuperatio rei amissæ, & non recuperandæ nisi in feudum detur. *Cap.* 2. *De feud.* Cap. 1. *De usur.*

REGULA VI.

Quæ in alienatione rei Ecclesiasticæ, eadem in illius infeudatione, servanda est forma.

Præcipuam alienationis solemnitatem, quæ est alienantis Pontificis, proximi Superioris assensus, ad infeudationem requiri docent *Cap.* 5. *De donationibus.* Cap. 2. *De feud.* Hinc alias itidem requiri inferre licet. Hi Textus loquuntur de alienante, qui immediatè subetat Summo Pontifici.

REGULÆ RATIO: Infeudatio est vera alienatio, nec ullo in loco eximitur à præscriptâ circa alienationem formâ.

REGULA VII.

Infeudatione obligatur Ecclesia, aliusve Dominus, ad fructus rei infeudatæ feudatario in perpetuum dimittendos; feudatarius verò ad aliquod servitium exhibendum, & ad fidelitatem servandam, ad non alienandum feudum sine Domini consensu.

Infertur è Cap. 1. *De feudis*, *&* Cap. 18. CAUS. XXII. QUÆST. V. *Cap.* 7. *De Constit.* Cap. 2. *De feudis.*

REGULA VIII.

Fidelitas in omnibus, sed præcipuè in istis servanda est. *Cap.* 18. *cit.* CAUS. XXII. QUÆST. V.

1. Ne noceat Domino quoad corpus, quoad munitiones, quoad Jurisdictionem, quoad possessiones.

2. Ne difficile vel impossibile reddat Domino, quod facile vel possibile est.

3. Ut in istis consilium & auxilium Domino fidele præstet.

REGULA IX.

Invalida est alienatio feudi absque consensu Domini vel quasi Domini, & vacat feudum. *Cap.* 7. *De Constit. Cap.* 2. *De feudis.*

REGULA X.

Infeudationis effectus qui suspendi possunt, suspenduntur, quandiù Dominus feudum pro mutua data pecunia in pignus habet. *Cap.* 1. *De feudis.*

REGU-

REGULÆ RATIO est, Quia cessat tunc feudum; hoc enim casu dominium utile cum dominio directo iterùm ut priùs junguntur: atque sicut, dum facta est infeudatio, fructus rei infeudatæ pro servitio concessi sunt; ita dum durat mutuum servitium, pro fructibus remittitur, idcòque infeudatio ad tempus cessat quoad effectum.

REGULA XI.

Non aliis viis amittitur feudum, quàm istis. *Cap.* 10. 11. *De Pœnis.*

1°. Si Feudatarius alicujus Ecclesiæ occidat Prælatum vel Clericum illius Ecclesiæ, feudum amittit.

2°. Si Feudatarius feudum alienat sine consensu Domini. *Cap.* 2. *De Feudis.*

REGULA XII.

Quæstiones feudales inter alios motas, quàm inter Feudatarium & feudi Dominum, judicat Dominus feudi, nisi iste de iis cognoscere malitiosè differat.

Hinc si feudum sit Ecclesiasticum, judicat Episcopus: si verò Sæculare, judicat Imperator, Princeps, vel alius Sæcularis, à quo habetur feudum. *Cap.* 6. 7. *De Foro compet.*

Exceptio, prout in citatis Capitibus habetur, in Galliâ non recipitur: Ibi enim Judex Ecclesiasticus numquam supplet defectum Judicis Sæcularis.

SECTIO VI.

Regula circà Emphyteusim, è Jure Canonico deprompta.

De solâ rei Ecclesiasticæ Emphyteusi agit Jus Canonicum; docetque circa illam, quid sit? Quis Emphyteusis finis? Quis possit in Emphyteusim dare? Quæ in Emphyteusim dari possint? Quæ Emphyteusis forma? Quis Emphyteusis effectus? Quibus casibus ab Emphyteusi cadat Emphyteuta? In quibus conveniat vel differat Emphyteusis ab infeudatione? An Jus Canonicum à Civili discrepet circa Emphyteusim.

REGULA I.

Emphyteusis est Contractus quo Res Ecclesiastica utenda datur, ad tempus vel in perpetuum, sub annuâ pensione, quæ Canon vocatur.

Infertur ex *Cap.* 4. *De Locato*, & ex *Cap.* 3. CAUS. X. QUÆST. II. *§. Perpetua.*

REGULA II.

Unus est Emphyteusis finis, nempè ut res in Emphyteusim data melior fiat.

Infertur ex *Cap.* 2. *Collect. V. Cap.* 3. *cit.* variis locis, sed præcipuè *§. Ea tamen. §. Si quas.*

Nota obiter ex fine Contractuum hunc nomen accepisse: Emphyteusis Græcè significat quod insitio Latinè: insitione autem arbores meliores fiunt, & insitione arborum agri fructuosiores.

REGULA III.

Prælatus, tùm Regularis, tùm Sæcularis, quilibet quoque Ecclesiæ Administrator, possunt in Emphyteusim dare. *Cap.* 3. *cit. § Perpetua. §. Ea tamen.*

REGULA IV.

In Emphyteusim dari possunt illæ solæ res immobiles, quas Ecclesiæ utilitas aliis colendas vel reparandas tradere cogit. *Cap.* 3. *cit. §. Ea tamen.* & §. *Si quas.*

Non obstat Regulæ *Cap.* 6. *De Religiof. Domib.* ubi Jura Episcopalia, quæ non sunt res immobiles, nec res colendæ vel reparandæ, in Emphyteusim dari posse docetur: Emphyteusis enim ibi pro censu ponitur. PANORM. *in illud.*

REGULA V.

Emphyteusis forma hæc est, seu in illâ facienda hæc servanda sunt. *Ibid.* §. *Perpetua.*

1°. Quod res getatur in præsentiâ eorum, quibus huc assignatur Lege, quales sunt locorum Ordinarii.

2°. Quod ii quorum interest, jurent ex eo Contractu nihil ad læsionem Ecclesiæ effici.

REGULA VI.

Non alii sunt Emphyteusis effectus, quàm ut obliget dantem, ne rem datam repetat Emphyteusi durante; exceptis casibus, quibus Jure ad se revertitur: obliget verò accipientem, ut pensionem annuam solvat, neve priùs meliorationes vendat, quàm ei nunciatit, à quo rem illam tenet, sibi tale pretium offerri; idque duobus mensibus ante venditionem.

Infertur ex *cit.* §. *Perpetua.* & ex *Cap.* 4. *De Locato.*

REGULA VII.

Casus, quibus Emphyteuta ab Emphyteusi cadit, hi sunt.

1°. Quando fit contra præscriptam formam. *Cap.* 3. *cit. §. Emphyteusis.*

2°. Si rem deteriorem faciat. *Cap.* 3. *cit.* §. *Qui rem.*

3°. Si per biennium Canonem non solvat. *Ibid. §. Qui rem.*

4°. Si vendat jus suum, eo inscio, à quo tenet. *Cap.* 4. *De Locato. Ibid.*

REGULA VIII.

Emphyteusis non in aliis differt ab infeudatione, nisi in istis.

1°. In fine; non enim fit in remuneratione, sicut infeudatio.

2°. In materiâ; non enim qualibet res, quæ infeudari potest, in Emphyteusim dari potest, sed solæ res minùs fructuosæ.

3°. In finiendi modo; Res Emphyteutica aliis viis amittitur, quàm res infeudata.

4°. In effectu; obligat enim Emphyteusis ad pensionem; infeudatio ad servitium.

REGULA IX.

Emphyteusis non in aliis convenit cum infeudatione, quàm in istis.

1°. Utraque Contractus respicit res immobiles.

2°. Utroque fit alienatio, quandò fit in perpetuum; ideoque similis in illo servanda forma, quæ in alienatione.

3°. Quæstiones feudales judicat Dominus feudi: Emphyteuticas Quæstiones judicat Dominus Rei Emphyteuticæ, quandò Jurisdictionem habet ut Dominus feudi.

REGULA X.

Quod Jus Canonicum circa Emphyteusim constituit, à Jure Civili desumpsit.

Infertur ex eo, quod quidquid docet Jus Canonicum circa Emphyteusim, habetur in *Cap.* 4. *De Locato.* & *Cap.* 2. CAUS. X. QUÆST. II. atque nihil legitur in *Cap.* 4. quod non sit, vel in *Leg.* 2. & 3. COD. *De Jure Emphyt.* vel *in dicto Cap.* 2. quod est Civilis Constitutio, in Corpore Juris Canonici de verbo ad verbum inserta.

Antequàm Emphyteuticæ materiæ finem imponamus.

Nota Contractum Emphyteuticum distinguendum à Contractu Censuali, quia iste transfert rei proprietatem; ille verò non transfert.

Nota in Galliâ Emphyteutam Rem Emphyteuticam non amittere ex eo, quòd per biennium vel triennium Canonem non solvat; nec ex eo, quòd vendat sine consensu Domini illius rei. *Institutiones Juris Gallici*, LIB. III. *Cap.* 28.

Nota, Emphyteusim non videri differre à locatione, nisi in eo quod locatio sit Emphyteusis ad breve tempus; Emphyteusis verò sit locatio perpetua, vel in longum tempus.

SECTIO VII.

Regulæ circa Precarias è Jure Canonico deprompta.

Quidquid docet Jus Canonicum circa Precarias, continetur *in Cap.* 5. 6. 7. CAUS. X. QUÆST. II. *Cap.* 44. CAUS. XII. QUÆST. II. *& toto Titulo De Precariis.* DECR. LIB. III. *Tit.* 14. Quæ autem habentur in *Cap.* 6. 7. *cit*, leguntur etiam iisdem verbis in *Cap.* 1. 2. *De Precariis.* Est ergò unum tantùm Capitulum in *cit. Tit.* quod novum sit, nempè tertium; omnesque circa Precarias Canones ad quinque reducuntur, quorum quatuor sunt apud GRATIANUM, alius apud GREG. IX. *cit. Tit.* Horum Canonum doctrina in his sita est Regulis.

REGULA I.

Precariæ & Precaria unum & idem sunt. *Cap.* 5. CAUS. X. QUÆST. II.

REGULA II.

Precariæ sunt Contractus quo res Ecclesiæ immobiles ad alicujus preces sibi utendæ dantur, conventione utrinque onerosâ. *Ibid.*

REGULA III.

Concedentis onus duplex est.

Primum, ne pro libito res concessas revocare possit, sed illas accipienti dimittere cogatur, donec præfixum tempus elapsum fuerit; Quod de concedente habet, ad successores extendendum est. Secundum, ut proportionem servet inter res Ecclesiæ, quarum usum concedit, & res quas accipiens tradit Ecclesiæ. Undè si iste suæ modium terræ pro tempore præsenti det Ecclesiæ, triplicem ille modium terræ Ecclesiasticæ utendum dare debet; si verò proprietatem tantùm det illius modii, usumque sibi retineat, duplicis usumfructum accipiat.

REGULA IV.

Precarias accipientis onera hæc sunt. *Cap.* 1. *De Precariis.*

1°. Renovare illas debet de quinquennio in quinquennium; illumque recognoscere, à quo concessas res utendas tenet. *Cap.* 6. CAUS. X. QUÆST. II. 2°. Ne cogat aut cogendum curet illum, à quo vult illas accipere. *Cap.* 5. CAUS. X. QUÆST. II.

REGULA V.

Ut validè fiant Precariæ, requiritur legitima facientis authoritas, præter prædicta pacta. *Cap.* 44. CAUS. XII. QUÆST. II.

REGULA VI.

Precariæ irrationabiliter factæ, quales quæ sub prædictis pactis non fiunt, vel sine legitimâ autoritate fiunt, successorem non obligant, easque revocare tenetur. *Cap.* 2. *De Precariis.*

Ne quid circa Precarias scitu necessarium prætereamus, sciendum ex PACIO *Isagogicarum in* DECR. *Tit. De Precariis.*, Contractum hunc esse speciem Contractûs Emphyteutici, ac nomine Precariæ tenentem, aliàs solvisse quotannis aliquem Canonem, sicut Emphyteutam, & de quinquennio in quinquennium duplum hujus Canonis, illumque ad hoc citare *Novell.* 13. Undè patet, quòd Tractatum de Precariis Tractatui de Emphyteusi non incongruè subjunxerimus: quòdque antiquæ Precariæ, vel si quæ eo modo nunc fiant, locationi absimiles non sint, cùm per eas fructus transferantur ad tempus constituto pretio.

SECTIO VIII.

Regulæ circa Precarium è Jure Canonico deprompta.

Circa Precarium, unicum est Juris Capitulum, nempè *tertium Tit.* de Precariis, propter quod Precarium à Precariis distinximus. Quidquid autem circa illud docet, his in Regulis continetur.

REGULA I.

Precarium cum Precariis non convenit, nisi in istis.

1°. In utroque contractu Ecclesiæ aliusve res utenda datur; in eoque cum Emphyteusi & similibus Contractibus conveniunt. *Cap.* 3. *De Precariis.*

2°. Ad preces accipientis datur. *Ibid.* Colligitur, ex verbo *Concedere*, ut ex nomine contractus.

3°. Concedens non est ad concedendum cogendus; nemo enim sine injustitiâ cogitur de suo facere beneficium. *Cap.* 5. CAUS. X. QUÆST. II.

REGULA II.

Precarium à Precariis non differt, nisi in istis.

1°. Revocatur ad nutum concedentis, ejusque successoris: in quo differt etiam à Commodato, in quo res gratis utenda data repeti non potest ante expletum usum, propter quem commodata est. *Cap.* 3. *De Precariis.*

2°. Solvitur morte accipientis; Precariæ verò ad illius successores transeunt. *Ibid.*

3°. Solvitur etiam, cùm res Precario data alienatur, & acquirens Precarium revocat: cujus ratio est, quia non licet rem alienam invito Domino possidere. *Ibid.*

4°. Precario dantur res tàm mobiles, quàm immobiles; Precariis verò res tantùm immobiles.

Infertur ex eo, quod *Cap.* 5. CAUS. X. QUÆST. II. & *Cap.* 3. *De Precar. §. Porrò*, doceant Precarias fieri solere de Possessionibus Ecclesiæ; nihil autem simile doceatur de Precario.

Nota Precarium cum deposito convenire in eo, quòd ad nutum dantis revocetur; differre verò ab eo, quia in deposito usus non conceditur: Cum commodato convenire in eo, quod usus gratis conceditur; differre verò ab illo in eo quod res commodata revocari nequeat, nisi post expletum usum, ususque determinetur; res verò Precario data ad nutum dantis revocatur, ususque illius non determinatur. Nota iterùm ex *Cap.* 11. 12. CAUS. XVI. QUÆST. III. inferri posse illa, quæ vi Precarii vel Precariarum possidentur, præscribi non posse quantocumque tempore possideantur, quia nomine alieno possidentur.

SECTIO IX.

Regula circa Commodatum è Jure Canonico deprompta.

In toto Juris Canonici Corpore, unicum est Caput circa Commodatum; estque illud quod habetur sub *Titulo De Commodato*; doctrina autem, quam continet, ad has Regulas reducitur.

REGULA I.

Commodatum fit accipientis tantùm gratiâ, vel dantis tantùm, vel dantis & accipientis simul. Cap. unic. *De Commodato.*

Ex Primâ Parte quæ ibi exprimitur, secunda & tertia infertur.

Commodatum fit solius accipientis gratiâ, cùm sibi tantùm proficit, ut si quis libros sibi necessarios alteri commodet iis indigenti: Dantis, si soli danti prosit, ut fit quando commodat quis equum suum alteri alium habenti, eâ tantùm mente, ne equus commodatus nimiâ quiete æger fiat: Utriusque, si utrique prosit; ut si equus commodetur motu cursuque egens ut benè valeat, homini iter necessarium meditanti.

REGU-

REGULA II.

Si primo modo fiat, Commodatarius tenetur de levissimâ culpâ. Si secundo, tenetur de quâ Depositarius. Si tertio, de omni aliâ.

Quadruplex est culpa: Nempe 1°. *Lata*, sita in eo, quod non adhibetur, quam homines prudentes communiter solent, diligentia; *Latior*, sita in dolo præsumpto; *Latissima*, sita in dolo vero. *Levis*, sita in non adhibita diligentia, quam diligentissimi homines adhibent. PANORM. *in Cap. illud.* Aliter alii explicant: GONZAL. *in Cap. unic. De Commodato*, vocat culpam levissimam, illam quæ opponitur exactissimæ diligentiæ, quam diligentissimi adhibent.

REGULA III.

Quoquo modo fiat, non tenetur Commodatarius de casu fortuito; nisi culpa, pactum, mora intervenerit. *Ibid. §. Licet.*

Casus fortuitus vocatur, qui prævideri non potest, ideòque nec præcaveri. Culpa Commodatarii intervenit, cùm ad alium usum, quàm ad quem datum est, commodato utitur. Pactum, cùm se obligat ad casus fortuitos. Mora, si post expletum usum, rem commodatam non reddit; quod de morâ voluntariâ intelligendum, quæ cuique est nociva. *Cap.* 25. *De Regul. Jur. In* 6. Non de mora involuntaria, quæ nemini vitio vertitur. *Cap.* 41. *De Regulis Jur. In* 6. Etsi autem mora culpæ sit obnoxia, rectè tamen culpæ jungitur, quia parem effectum parit.

A culpâ etiam hic meritò distinguitur, quia mora nascitur ex non reddendo rem commodatam tempore suo; culpa verò oritur ex abusu rei commodatæ.

REGULA IV.

Rem commodatam repetere non licet antè expletum usum, propter quem commodata est. *Ibid. §. Contra.*

REGULÆ RATIO: Decipi quem beneficio non oportet; sed juvari. *Ibid. §. Cùm.*

SECTIO X.

Regula circa Locationem & Conductionem, è Jure Canonico deprompta.

De hoc contractu sermo non fit, nisi in *Cap.* 2. CAUS. X. QUÆST. II. *in Capit.* 1. 2. 3. *De locato & conducto, & toto Tit. Ne Prælati vices suas &c*, Ex his Canonibus elici possunt sequentes Regulæ:

REGULA I.

Contractus, de quo hic agitur, est contractus, quo res utenda datur & accipitur constitutâ mercede

Infertur ex locis infrà citandis. Prima Pars Regulæ patet ex *Cap.* 2. *De locato.* Secunda patet ex *Cap.* 1. 2. 3. *eod. Tit.*

Contractus hic duplex habet nomen, sicut Contractus Emptionis; aliud, quo exprimitur actio voluntatis, quâ res traditur; aliud, quo exprimitur actio voluntatis, qua res accipitur. Undè sicut Canones loquentes de venditione, ad emptionem extenduntur, & è converso; nisi peculiaris ratio extensionem vetet: ita Canones de locatione sermonem facientes, ad conductionem spectant, & è converso; nisi de te propriâ locationi vel conductioni agatur.

REGULA II.

Res Spirituales, quales Jurisdictio Episcopalis, similisve, vel animarum cura, locari non possunt. *Cap.* 1. 2. 3. *Ne Prælat. vices.*

REGULA III.

Res temporales, licet spiritualibus annexæ, locari possunt tàm Laïcis, quàm Clericis. *Cap.* 2. *De Locato.*

REGULA IV.

Locationes rerum Ecclesiasticarum faciendæ sunt iis, qui Ecclesiæ conditionem faciunt meliorem; nec valent Statuta contraria, si ab Episcopo fiant. *Ibid.*

REGULA V.

Res ad annum *v. g.* locatæ, antè anni finem aliis locari possunt, post annum tradendæ; modò id non prohibeatur Jure speciali; quo casu fieri etiam potest locatio, consentiente conductore. *Cap.* 1. *De Locato.*

Meminit tantùm conductionis, sed ob allatam suprà rationem in Expositione Primæ Regulæ, ad locationem Jure extenditur.

REGULA VI.

Locatio vel conductio facta ad tempus determinatum, solvi non potest antè tempus hoc elapsum, utrâque Parte non consentiente. *Cap.* 4. *Ne Prælat. vices.*

Hinc si locator rem locatam antè tempus præfinitum aufert Conductori, illam eidem restituere compellitur usque ad terminum utendam. *Ibid.*

REGULA VII.

A præcedenti Regulâ excipiuntur quidam Casus, quorum alii sunt in favorem locantis, & de his expressa mentio in Jure; alii sunt in favorem conductoris, & Canones de istis non meminere expressè.

Casus prioris generis isti sunt, 1°. Si rem conductam deteriorem conductor faciat; quo casu damnum resarcire tenetur. *Cap.* 2. CAUS. X. QUÆST. II. *§. Qui rem.*

2°. Si per biennium non soluto Canone, celeri satisfactione sibi non providet conductor; quo casu à solutione pensionis elapsæ non eximitur, nec repetit quod nomine meliorationis impendit. *Ibid.* Cap. 3. *De Locato. §. Verùm.*

3°. Si perversè domo conductâ utatur, ibi prostibulum vel ludum tenendo, vel usuras exercendo; quo casu nulla fit pensionis remissio. §. *Qui rem. cit.* §. *Verùm, cit.* PANORM. *in illud.* Cap. 11. 16.

4°. Si necessitas, quæ tempore locationis non imminebat, exposcat, ut locans domum inhabitet, vel reficiat; quo casu remittendum est conductori residuum pensionis. §. *Verùm.*

Ex his casibus tres priores docent, ad quid teneatur Conductor; in quolibet enim illorum re conductâ antè terminum ex culpâ suâ privatur.

Dictum est in Regula: *Non meminerunt expressè*: Quia duo postremi casus ad Conductorem etiam pertinent; jus enim, quod necessitas accedens locatori domûs tribuit, hoc Conductori etiam dat; undè si in illâ necessitate licet Locatori expellere Conductorem, in eadem licet Conductori rem conductam dimittere. Præterea si Locator eamdem cum Conductore domum incolens, illâ perversè utatur, efficiendo scilicet, ut quotidianâ fœminarum prostitutione, vel insatiabili alearum ludo, aliisve similibus, viris frugi fiat detestabilis habitatio; videtur tunc Conductor uti posse jure, quo in simili casu fruitur Locator: Canones enim circà hos casus non siluerunt, nisi quia de his expressè loquendi occasio sese non obtulit.

REGULA VIII.

Sunt Casus, in quibus pensionis remissionem petere possunt Conductores; & hi casus non sunt alii, quàm isti.

1°. Si vitio rei fat fructuum nequeat percipere conductor, quibus potest possessionem solvere. *Cap. 3. De locato. §. 1.*

2°. Si casu fortuito talis sterilitas accidat, quæ cum ubertate præcedentis vel subsequentis anni compensari non possit. *Ibid.*

REGULA IX.

Ut locantur res, sic etiam locantur operæ; nedum temporales, quales operæ Magistrorum litteras scientiasque docentium, necnon operæ Amanuensium Ecclesiasticorum; sed & spirituales, quales pleroruumque muniorum Sacrorum administratio.

Hinc istæ Sententiæ Juris Canonici; Dignus est operarius mercede suá. *Cap. 66.* CAUS. XII. QUÆST. II. Cap. 1. *De sepult.*

Denario fraudari non debent in vineâ Domini laborantes. *Cap. 5. De Magistris.*

Qui fuerunt socii passionum, debent esse socii consolationum. *Cap. 1. De sepult.*

Justum est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum reperiuntur commodare obsequium. *Cap. 45.* CAUS. XII. QUÆST. II.

Hinc etiam vocati sunt Presbyteri conductitii, illi qui more mercenariorum, constitutâ annuâ mercede, ad tempus regebant Parrochias. *Cap. 5.* CAUS. XXI. QUÆST. II. Et quia hujusmodi Presbyteri gregem sibi commissum (ut par erat) non diligebant, vetitum est ab INNOCENTIO II. *in Syn.* ROMANA ne illis Parrochiæ administrationes traderentur.

Si operas spirituales, de quibus in citatis Textibus, inter conductitias & locatitias collocemus, id non facimus, quòd illas ita habendas existimemus, sed potiùs quòd Sacri Ministri eo modo illas præstare videantur, ac si conductitiæ locatitiæve essent.

De locatione operarum Famulorum, Agricolarum, Artificum, nulla mentio in Jure Canonico; secùs de locatione operarum cujuscumque ad custodiam rei depositæ: hujus enim locationis meminit *Cap. 2. De depositis.*

Dùm de contractibus in genere, notatum est ad locationem reduci societatem, in quâ alius confert operas suas seu industriam, alius verò pecuniam; hic enim locat operas illius, ideòque illum participem facit lucri ex pecuniâ suâ provenientis. *Cap. 7. De donat. inter virum &c.*

Observatum quoque, ad eamdem locationem reduci Mandatum, quo alicui committuntur aliena negotia administranda, constitutâ sibi pro operis suis mercede.

Nota obiter, in hoc contractu Partem, quæ accipit rem constitutâ pensione utendam, triplici in Jure Canonico donari nomine. Dicitur enim 1°. Conductor *Cap. 3. Hoc Tit.* Hoc autem nomen est generale, convenitque omni, qui accipit alienam constituto pretio rem utendam, quæcumque sit res quam accipit. Dicitur 2°. Colonus *Cap. 3. De locato.* Hoc autem nomen est particulare, convenitque tantùm accipienti agrum constitutâ pensione utendum. Dicitur 3. Inquilinus *Cap. 3. De locato. §. 2.* Hoc autem nomen est particulare, convenitque tantùm ei, qui domum utendam suscipit pretio constituto.

Nota iterùm conductorem à re conductâ expelli posse ante terminum, vel culpâ suâ; & tunc teneri indemnem servare Locatorem, ideòque totam pensionem solvere; vel sine suâ culpâ, nec Locatoris; & tunc pensionem pro ratâ remittendam; vel culpa locatoris, & tunc præter pensionis pro rata remissione resarciendum esse conductoris damnum, si quod hinc patitur.

Ex dictis collige 1o. Locatorem & Conductorem inter se differre in eo, quòd locator rem tradit utendam, & pensionem accipit quam quibusdam casibus remittere tenetur: Conductor rem utendam accipit & pensionem solvit, eâque interdùm liberatur, vel partim vel omninò: Hinc si res fortuito casu perit, Locatori perit; si eodem modo deterior, à locatore resarcienda; si turbetur conductor in possessione rei locatæ, ab illâ perturbatione illum liberare tenetur locator. Hinc Canones de pensionis remissione loquentes, Locatorem proximè spectant. Hinc si conductor abutatur re locatâ, expelli potest, quia tradita est utenda, non abutenda. Ad conductorem proximè pertinent, quæ Canones habent de solutione pensionis, & de culpis, quæ circa illam committi possunt. Idem dicendum de illis, qui de damno illato circa rem locatam conductoris culpâ resarciendo.

Collige 2o. In cæteris Locatorem & Conductorem inter se convenire.

SECTIO XI.

Regulæ Circa Depositum, è Jure Canonico deprompta.

In toto Juris Canonici Corpore non sunt nisi tria Capitula circa Depositum; quorum duo habentur sub. TIT. *De Deposito.* Tertium est *Cap. 7.* DIST. I. Sunt equidem alia tria, quæ de Deposito loquuntur in Primâ Antiquarum Collectionum, quorum duo sunt sub. TIT. *De Commodato.* Tertium verò sub TIT. *De Deposito.* Sed ista, licet suam habeant autoritatem, non pertinent ad vulgatum Juris Canonici Corpus: istorum tamen doctrinam, sicut & illorum, colligemus, ut antiquis Collectoribus suus conservetur honos. Ex his ergò Canonibus Regulæ hæ depromuntur.

REGULA I.

Depositum est Contractus, quo res mobilis gratis custodienda datur.

Infertur ex Cap. 2. *De Deposito.* & Cap. 1. 2. *De Commodato. in 1. Collect.* ubi res, quæ deponitur, dicitur dari ad custodiam: ex *eod.* Cap. 2. *De Deposito.* ubi notatur tamquam prædictæ Regulæ exceptio, quòd aliquid detur pro custodia rei depositæ; postremò ex his quinque Capitibus, in quorum quolibet habetur, quòd res deposita amitti possit; quod non convenit, nisi rei mobili; Infertur etiam ex vocabulo *Deponere*, quod de re quæ portari potest, intelligendum videtur.

REGULA II.

Depositoris gratiâ fit Depositum.

Infertur ex *Cap. 2. De Deposito & ex* Cap. 1. 2. *De Commodato* suprà citatis, in quibus habetur, quòd Depositum fiat ad custodiam & conservationem rei depositoris; ideòque hæc Regula sequitur ex Primâ.

REGULA III.

Depositæ rei restitutio est de Jure Naturali. *Cap. 7.* DIST. I. Cap. 2. *De Deposito.*

REGULA IV.

Depositori licet Depositum revocare, quando vult; & Depositarius sine cunctatione illud restituere tenetur. *Cap. 1. Eod.* TIT. *in Collect.* 1.

Regula IV. Sequitur ex II. Si enim Depositoris gratiâ fit depositum, cùm vult illud repetere potest, & Depositarius sine morâ restituere debet, cùm solius Depositoris intersit.

REGULA V.

Res deposita perit Depositori, qui illius est Dominus, etsi Depositarii negligentiâ pereat, exceptis mox referendis casibus.

Infertur ex *Cap. 2. De Deposito*, ubi insinuatur, quod Depositarius semper non tenetur de culpa, dum notatur illum teneri de culpâ in quibusdam casibus: culpâ autem negligentia culpabilis intelligitur. Exceptiones, de quibus mentio facta est in Regula, hæ sunt.

1°. Si

1°. Si depositarius deposito se se obtulit. *Cap.* 2. *De deposito.*

2°. Si aliquid pro custodiâ recipit. *Ibid.*

3°. Si ad fortuitum casum se obligat. *Ibid.*

4°. Si negligentia fuerit affectata, quæ pro dolo præsumpto habetur, vel si adfuerit verus dolus. *Ibid.*

5°. Si in morâ reddendi fuerit, cùm res periit. *Ibid.*

In materia depositi triplex est depositarii culpa.

Prima est negligentia communis, de quâ non tenetur, nisi in primo & secundo casu.

Secunda est negligentia affectata vel voluntaria, quâ depositum perdendi periculo exponit, quæque dolus præsumptus dicitur.

Tertia est dolus verus, situs in eo, quòd rem surripit, vel surripiendam curat, divulgatque rem surreptam se inscio & sine suâ culpâ.

REGULA VI.

In dubio, an fraude depositarii perierit res deposita, jurare cogitur depositarius quod fraude suâ non perierit. *Cap.* 1.2. *De commodato. In* 1. *Collect.*

REGULA VII.

Depositarii fraude depositum periisse jure præsumitur, si suæ res, inter quas erat depositum, non perierint. *Cap.* 2. *De deposito.*

REGULA VIII.

Si depositum credatur membro alicujus Corporis, atque fraude istius membri pereat depositum; in neutro foro tenetur Corpus de fraude membri sui, nisi constet depositum versum fuisse in utilitatem Corporis. *Cap.* 1. *De deposito.*

Regulæ Ratio. Non tenetur Corpus de culpis membrorum, quibus non est cooperatum.

REGULA IX.

Contra depositum non est compensationi vel deductioni locus. *Cap.* 2. *De deposito.*

Regulæ Ratio. Compensatio ista contraria foret bonæ fidei, quæ obligat ad depositum sine diminutione reddendum; foret etiam æquitati contraria; contractus enim solius depositoris gratiâ initus, in utilitatem depositarii,contra depositoris voluntatem, converteretur. Non eluitur hæc postrema ratio ex eo; quòd depositarius interdùm percipit aliquid lucri pro custodiâ depositi; cùm id non proveniat, nisi ex consensu deponentis, quo interveniente, compensationi foret locus.

Notandum Triplex distingui depositi genus, voluntarium, necessarium, Judiciarium: Voluntarium est illud quod sponte fit; Necessarium est illud ad quod cogit necessitas, vel incendii, vel ruinæ domûs, aut navis: Judiciarium est illud, quod jubente Judice fit. Collectæ autem Regulæ de solo voluntario loquuntur: De aliis nulla mentio in Jure Canonico Romano; secùs de Jure Canonico Gallico, Sed quæ de illis habet, non sunt hujus loci, sed ad Tractatum de Judiciis pertinent.

SECTIO XII.

Regulæ circa Pignoratitium Contractum, è Jure Canonico deprompta.

De Contractu Pignoratitio non in aliis Juris Canonici locis mentio fit, quàm in *Tit.* 21. Lib. III. Decr. *De pignorib.* Cap. 1. *Eod. Tit. in Collect. V. in* Cap. 1. 2. *De usuris.* Cap. 2. Caus. X. Quæst. II. Ex his locis colliguntur sequentes Regulæ.

REGULA I.

Pignus est Contractus, quo res obligatur pro alterius rei debitæ securitate.

Tom. III. Tract. de Contractibus.

Finis hujus Contractûs ex significatione nominis colligitur.

REGULA II.

Omnis res, tàm mobilis, quàm immobilis, in pignus dari potest.

Cap. 1. 3. *De pignorib.* loquuntur de re mobili pignori datâ; alia verò citata loca loquuntur de re immobili in pignus datâ.

REGULA III.

Excipiuntur ab hac Regulâ Secundâ,

1°. Homo liber, si de debito agatur. *Cap.* 2. *De pignoribus.*

2°. Res Sacræ, quarum quædam nunquam pignorari possunt; tales sunt immobiles, quæ ab Imperiali domo locis piis applicantur. *Cap.* 1. 3. *De Pignorib.* Cap. 2. Caus. X. Quæst. II. *§.* 1. Aliæ verò possunt in justissimâ necessitate, & cùm debitum urget; aliàs non. *Cap.* 3. *De Pignorib.* Cap. 2. Caus. X. Quæst. II. *§.* 2.

3°. Advocatiæ seu Beneficia pignorari non possunt, nisi Ecclesiis, à quibus habentur. *Cap.* 1. *De Pignorib. In Collect. V.*

REGULA IV.

Contractus pignoratitius solvitur, vel pereunte pignore, vel solutione debiti, pro cujus securitate datum est pignus.

Materiâ Contractûs pereunte, cessat contractus; pereunte enim uno ex conjugibus, cessat conjugium. Hæc pro primâ parte. Pro secundâ facit *Cap.* 6. 7. *De Pignorib.* Hinc soluto debito, statim restituendum est pignus.

REGULA V.

De amissione rei pignoratitiæ discutrendum eodem modo, quo de amissione rei locatæ.

Regulæ Ratio. Quia pignus & locatio fiunt utriusque contrahentis gratiâ.

REGULA VI.

Non amittitur pignus ex eo, quòd intra statutum tempus, debitum non solvatur, etsi ita conventum sit inter Partes. *Cap.* 7. *De pignorib.*

Regulæ Ratio. Quia conventio hujusmodi, quæ vocatur pactum Legis Commissoriæ, in pignoribus improbatur. *Ibid.*

REGULA VII.

Solvitur debitum, pro cujus securitate datum est pignus, non solùm numeratâ pecuniâ, similive modo, sed etiam fructibus pignoris in sortem computatis. *Cap.* 6. 7. *De Pignoribus.* Cap. 12. *De usuris.*

Posterioris debiti solvendi modi Ratio est, quià pignus non transfert dominium, sed securitatem tantùm dat: Undè cùm qui pignus dedit remaneat illius Dominus, pignus sibi fructificat; ideòque qui pignus accepit, illius fructus computare debet in sortem.

REGULA VIII.

Accepti pignoris fructus non sunt in sortem computandi.

1°. Cùm Dominus feudi in pignus feudum accipit, ac feudatarium à servitio liberat. *Cap.* 1. *De feudis.*

2°. Cùm Advocatus, seu Ecclesiæ stipendiarius, vel Beneficiatus, Advocatiam suam seu Beneficium Ecclesiæ, à quâ habet, in pignus dat; istaque illum à servitio eximit. Idem dicendum de alio Beneficio, quod in pignus accipitur mutuo datæ pecuniæ ad illud redimendum de manu injusti detentoris. *Cap.* 1. *De Pignoribus. In Collect. V. Cap.* 1. *De usur.* Gonzalez *in illud.*

E 3 3°. Si

3°. Si necessarii sint ad resarciendum damnum, dilatâ debiti solutione Creditori procreatum. *Cap.* 1. *De usuris.* §. *Nisi.*

Infertur ex *Cap.* 2. CAUS. X. QUÆST. II. in quo habetur, quod ex fructibus pignoris sors sit cum usuris solvenda: undè sequitur, quòd si sufficiant tantùm ad usuras, non computabuntur in sortem.

Nota obiter circa hunc locum, quòd usuræ Creditori hîc dentur in compensationem damni sibi illati ex dilatâ debiti solutione; agitur enim ibi de debito urgente. Hinc Titulus sumendi usuras vocatus damnum emergens.

REGULA IX.

Qui res alienas, præsertim Sacras, pignoravit pro necessitate suâ, eâ cessante, redimere tenetur & restituere, eoque deficiente, hæreditarius Successor suus ad id tenetur, ut ad alia hæreditatis onera. *Cap.* 3. *De Pignoribus.*

REGULA X.

Sicut pignus obligatur Creditori, donec debitum solutum sit; ita mariti bona uxori obligantur, donec dos soluta sit. *Cap.* 5. *De Pignoribus.*

Hinc illa bona dici possunt uxoris pignora, ideòque Regula hæc non malè subjungitur Regulis circa pignora; cùm de pignore tacito loquatur, ut aliæ de pignore expresso sermonem faciunt.

Hinc si mariti bona ad alium transeant, tenetur iste ad dotis solutionem, quoquo ad illum modo transierint; res enim cum suo onere transit. *Ibid.*

REGULA XI.

Si debitum, quo Ecclesia tenetur, solvi non potest ex mobilibus, res immobiles pignori dandæ sunt, ut fructibus in sortem computatis, Ecclesia liberetur. Quòd si Creditor id acceptare nolit, & debitum urgeat, Oeconomus juret consentiente majore parte servientium, debitum urgere, & ex mobilibus illud solvi non posse, Quo subsecuto per 20. dies rem Ecclesiæ vænalem esse publicè notum fit, ut plus offerenti detur, pretio modis omnibus pro debito dando. *Cap.* 2. CAUS. X. QUÆST. II.

Desumitur ex Constitut. LEONIS & ANTHEM. *ann.* 470. aut ex Constitut. nova *ann.* 535.

HUJUS REGULÆ RATIO petitur ex eo, quod res Ecclesiæ tacitè oppignerentur pro debitis, quæ ab ipsa contrahuntur.

Cætera quæ pignus spectare possunt, expostta reperies in iis quæ dicta sunt dùm de feudis, & ex dicendis dùm de usuris.

SECTIO XIII.

Regulæ circa fidejussorium Contractum, è Jure Canonico deprompta.

Præter Canones, qui sub TIT. *De Fidejussoribus* habentur, tàm in Veteribus Collectionibus, quàm in Collectione GREGOR. IX. non alii sunt qui de contractu fidejussorio loquantur, quàm *Cap.* 19. ex iis qui APOSTOLORUM dicuntur, quique leguntur in calce DECRETI. *Cap.* 17. CAUS. XXXIII. QUÆST. V. *Cap.* 15. *De Censib. &c.* Ex his autem Canonibus sequentes Regulæ desumuntur.

REGULA I.

Fidejussio, quæ etiam intercessio dicitur, est Contractus, quo alius pro alio obligatur, ut stipulanti magis cautum sit.

Quæ docet Regula, continentur in *Cap.* 1. 3. *De Fidejussoribus.*

REGULA II.

Cavenda est fidejussio ut laqueus, atque ut frequens vix ferendi incommodi periculum. *Cap.* 1. 2. *De Fidejussoribus*, *In* 1. *Collect.*

REGULA III.

Omnibus fidejubere licet, exceptis his, qui sequuntur. *Cap.* 19. *Canonum Apostol. Cap.* 1. *De Fidejussoribus.*

1°. Clericus.

Verùm Nota circa hos Canones, quòd prior sic concipiatur; *Clericus qui fidejussiones dat, deponendus est*; alius verò Canon sic loquatur; *Clericus fidejussionibus inserviens abjiciendus est*: Quòdque secundus explicet primum, doceatque intelligendum de Clerico qui frequenter fidejubet.

Nota iterùm, quòd sic conciliandi videantur hi Canones cum *Secundo & Tertio, De Fidejussoribus*, in quibus videre est Clericos ex fidejussione obligatos, quique idcircò docent Clerico fidejussionem licitam esse, modò rara sit, & pro necessariâ causâ.

Cujus conciliationis Ratio est, quia frequens fidejussio implicat frequentibus litibus à Clericali statu absonis, idque non timendum de rarâ fidejussione, factaque pro solâ necessitatis causâ.

2°. Mulier, de quâ absolutè dicitur quod fidem dare non potest. *Cap.* 17. CAUS. XXXIII. QUÆST. V.

3°. Religiosus, cui prohibetur, ne sine majoris partis Capituli, ac Abbatis sui licentia, fidejubeat. *Cap.* 4. *De Fidejussorib.* Quibus positis conditionibus obligatur.

Nota obiter circa hunc Canonem, quòd, quoad id quod permittit Religiosis, certis casibus fidejubere, non videtur intelligendus de aliis Religiosis, quam de Religiosis Oeconomus, vel aliundè peculium habentibus.

REGULA IV.

Fidejussoris bona, qualiacumque sint, obligantur stipulanti, quantùm obligari possunt.

Infertur ex *Cap.* 2. *De Fidejussorib.* Idem enim dicendum videtur de fidejussore, ac de eo pro quo ille solvit, cujusque bona, etiam Sacra, Fidejussori obligantur, quantùm ad reditus, quia ipsius sunt.

REGULA V.

Quoties fidejussor à Creditoribus molestatur, absolvendus est à fidejussione, per principalem reum, si ille solvere possit. *Cap.* 3. *De Pignoribus.*

REGULA VI.

Indemnis servandus est fidejussor ab eo, pro quo solvit, expensas facit, damnaque patitur.

Hinc debitor tenetur ad usuras solvendas pecuniæ pro se impensæ, quia fidejussor hinc lucrum percepisset, eoque privatus est. *Cap.* 2. *Ibid.*

REGULA VII.

Fidejussori licet Debitorem jure convenire, ut se à fidejussione liberet, tribus his casibus, *Cap.* 5. *ibid.*

1°. Si debitor solutionem nimiùm distulerit.

2°. Si bona sua dissipare incipiat.

3°. Si fidejussor condemnatus fuerit ad solvendum.

GONZALEZ *in illud* his explicatis alios adjicit.

SECTIO XIV.

Regulæ circa Contractum Mandati è Jure Canonico deprompta.

Contractus, de quo acturi sumus, varia habet in Jure Canonico nomina. Vocatur 1°. Instrumentum de rato, *Cap.* 6. *De Juram. Calum.* seu quod eodem recidit, Literæ de ratihabitione, *Cap.* 34. *De Offi. & potest Deleg.* 2°. Procuratio. *Cap.* 9. *De Procuratorib.* Cap. 1. CAUS. XXI. QUÆST. III. 3°. *Actio. Ibid.* Cap. 2.

4°. Man-

4°. Mandatum. *Cap.* 2. *De Offi. Leg.* Cap. 10. *De Reg. Jur. In 6.* ac alibi passim. Idcircò cùm nomen istud sit communius, de contractu isto sub nomine Mandati tractabimus, sed priùs sciendum de illo agi de industriâ apud GRAT. CAUS. V. QUÆST. III. CAUS. XXI. QUÆST. III. apud GREGOR. IX. BONIF. VIII. CLEMENT. V. LIB. I. *Tit. De Procurator.* Obiter verò plurimis aliis in locis.

Sciendum prætereà, totam Juris Canonici, circà hunc Contractum, Doctrinam, ad unum ex his punctis reduci. 1°. Quid sit. 2°. Quotuplex sit Mandati genus; & in quibus quodlibet ab opposito differat. 3°. Qui mandare possint. 4°. Qui teneantur. 5°. Quæ mandari possint. 6°. Qui mandari possint. 7°. Qui non possint. 8°. An circà eamdem rem plures ab eodem mandari possint; quæque specialia hoc casu à Jure statuantur. 9°. Ad quid teneantur Mandatarii, & Mandantes. 10°. Quæ sit eorum potestas. 11°. Quibus viis verè solvatur Mandatum, & quibus apparenter tantùm. 12°. Quid Mandatum suppleat.

REGULA FUNDAMENTALIS.

Qui per alium facit, per se ipsum facit. *Cap.* 30. *De Elect.*

REGULA I.

Mandatum nil aliud est, quàm Contractus, quo aliis potestatem agendi pro nobis, vel in judicio, vel extrà judicium, transferimus; alii quoque illam acceptando, ad id se gratis adstringunt.

Tria ergo sunt necessaria ad contractum, de quo loquimur: Primum, quod agendi pro aliis potestas transferatur; Secundum, quod hæc transmissio acceptetur: Tertium, quod nil à transferente promittatur, nil ab acceptante exigatur. Quod postremum necessarium adeò est, ut eo deficiente, Mandatum non sit specialis contractus, sed unus idemque ac locatio.

REGULA II.

Non sunt aliæ in Jure Canonico Mandati divisiones, quàm istæ.

1°. Mandatum vel est ad judicia, vel ad negotia. *Cap.* 5. *De Procuratorib. In 6.* §. 2. 3.

Licet judicia sint negotia, Mandatum ad judicia distinguitur à Mandato ad negotia; idque, quia multa conveniunt Mandato ad judicia, quæ Mandato ad negotia non conveniunt; sunt enim judicia, negotii genus singulare, quod multa specialia requirit. Vide utriusque definitiones apud GONZAL. *in Cap.* 1. *De Procur. n.* 8. hanc differentiam latè explicantem, aliaque noranda docentem.

2°. Utrumque Mandati genus est, vel generale, vel speciale. Generale, si omnia negotia vel omnes lites alicui committuntur; Speciale, quo aliquod negotium, vel aliqua lis tantùm committitur. *Cap.* 2. *De Offic. Legati.*

3°. Mandatum, vel est præsumptum, quale est in conjunctis personis; vel expressum, quale est communiter scripto datum.

4°. Omne Mandatum, vel est absolutum, vel conditionatum cui quædam apponitur conditio. *Cap.* 13. *De Rescript. In 6.* Sunt quædam subdivisiones Mandati ad judicia, quaa ut parvi momenti omittimus; tales sunt *v. g.* istæ, quæ fiunt in Mandatum ad agendum, vel ad defendendum, ad partem causæ, vel ad totam causam. *Cap.* 12. *De Procurat.* GONZAL. *in illud* docet nonnulla noranda circà utrumque hujus divisionis membrum.

REGULA III.

Mandatum ad judicia non differt à Mandato ad negotia, nisi in istis:

1°. Mandatarius ad judicia substituere non potest antè litis contestationem, nisi datus fuerit in rem suam, vel à constituente potestatem substituendi acceperit. *Cap.* 1. *De Procurat.* §. 2. *In 6.*

Mandatarius verò ad negotia liberè potest quandocumque alium deputare; nisi commissus sit ad matrimonium pro alio contrahendum. *Ibid.* §. 3. Cap. 9. *Ibid.* Idque, quia hoc in casu & similibus, eligitur industria personæ.

2°. Ut revocatione expiret Mandatum ad judicia, nota esse debet vel Adversario vel Judici; ut verò revocatione expiret Mandatum ad negotia, sufficit quandoque quòd facta sit. *Cap.* 13. *De Procurat.* Cap. 9. *De Procurat. In 6.* Agitur de procuratione ad matrimonium contrahendum.

REGULA IV.

Mandatum Generale & Speciale non differunt, nisi in his quæ sequuntur.

1°. Speciale Mandatum derogat Generali.

2°. Mandatum Speciale nunquam includit Generale; Generale verò quandoque Speciale comprehendit; ut fit, quandò in Generali expressè datur potestas ad ea, quæ Speciale Mandatum requirunt, non solùm additâ clausulâ (etiam ad ea, quæ specialem exigunt mandatum,) quæ non sufficeret, sed etiam exprimendo quosdam hujusmodi Casus. *Cap.* 4. *De Procur. In 6.*

REGULA V.

Quæ dicuntur in Jure Speciale Mandatum requirere, hæc sunt.

1°. Procurator ad appellandum contrà alicujus electionem, aliudve simile, Speciale habere debet Mandatum, in quo exprimatur, quod Constituens vult objicere, & quo detur potestas jurandi in Constituentis animam, quod credat expressa esse vera, & se posse probare. *Cap.* 38. *De Elect. In 6.* CLEMENT. II. *De Procur.*

Nota obiter hunc Articulum non opponi Articulo I. Regulæ XIV. quia in illo agitur de accusatione criminali, cujus finis est Rei punitio; in isto verò accusatio est civilis; ejus enim finis est non accusati punitio, sed exclusio à dignitate ad quam electus est.

2°. Ad eligendum pro alio determinatam personam, ab ipso Speciale requiritur Mandatum. *Cap.* 6. *De Elect. In 6.* §. *Porrò.* Idque ut constet de voluntate Constituentis ergà istam personam, ac etiam ut Constitutus aliam possit suo nomine eligere.

3°. Potestas judicandi de causis criminalibus, potestas quoque Beneficia conferendi, sunt specialiter Vicario vel Officiali committendæ: Prior Officiali, Posterior Vicario. *Cap.* 2. 3. *De Offic. Vicar. In 6.*

4°. Mandatarios substituere alium sibi non potest sine Speciali Mandato in quibusdam casibus. *Cap.* 12. *De Offic. & pot. Deleg. In 6.* Cap. 5. *De Procur. In 6.*

5°. Ad contrahendum pro alio matrimonium, requiritur Mandatum Speciale: Idem ad committendam alii hanc potestatem. *Cap.* 9. *De Procur. In 6.* §. 1. & 3.

6°. Juramentum deferre, transigere, vel pacisci non licet Mandatario, sine Speciali Mandato, nisi liberam habeat bonorum vel causæ administrationem. *Cap.* 4. *Ibid.*

7°. Judex Delegatus sine speciali Mandato cogere non potest Partes coràm se personaliter comparere, nisi causa sit criminalis, vel pro veritate dicenda, vel pro juramento calumniæ faciendo. *Cap.* 1. *De Judiciis. In 6.*

8°. Literæ ad judicia, quas alius pro alio impetrat à Sede Apostolicâ, qui ab illo Speciale non habet Mandatum, non valent. *Cap.* 28. 33. *De Rescript.* Non recipitur in Gallia hic Articulus.

9°. Quæ sunt alieni in signum privilegii specialiter reservata, ab alio fieri nequeunt sine Speciali Mandato; nisi jamdiù ex Mandato Generali fieri soleant. *Cap.* 4. *De Offi. Deleg. Glossa in idem* Cap. *& in* 1. 3. *ej. Tit.*

10°. Mandatarius compromittere non potest sine Speciali Mandato. *Cap.* 9. *De Arbitris.*

REGULA VI.

Cùm in mandato, in quo expressis quibusdam, quæ speciale requirunt mandatum, additur clausula generalis, his vel similibus verbis concepta; *& alia quæ speciale mandatum exigunt*; restringenda est clausula ad similia expressis, non ad majora extendenda. CLEMENT. II. *De Procur.*

REGULA VII.

Inter Mandatum absolutum, & Mandatum conditionatum, non aliæ sunt differentiæ, quàm istæ.

1°. Mandatum conditionatum ita pendet ab adimpletione conditionis, ut istâ non positâ, execusioni mandari nequeat; conditione verò impletâ, executioni mandari debeat. *v.gr.* Si mandetur Petro, ut Paulo Beneficium Ecclesiæ Parisiensis conferatur, modò accedat assensus Capituli; isto dissentiente, vel consensum differente, sine executione manet mandatum; isto verò assentiente, collatio sine injustitiâ Paulo denegari non potest.

At Mandatum absolutum nullum habet in se obstaculum suspensivum, illiusque executio posita est in voluntate Procuratoris.

2°. Si concurrat Mandatum conditionatum cum Mandato absoluto, licet illud prius sit quàm istud, præfertur posterius priori, quotiescumque conditio inserta priori, adimpleri non potuit antè executionem posterioris; adeò ut si posteà adimpleatur, firmum maneat, quod vi posterioris actum est antè adimpletionem. Utrumque discrimen cum explicatione ipsius deductum est ex *Cap.* 13. *De Rescript. In 6o.*

REGULA VIII.

Mandare possunt, qui non prohibentur.

Infertur è *Cap.* 1. *De Procurator.* in quo quid similis Regulæ legitur circa Mandatarium, à quo Mandans hac in re non videtur distinguendus.

Hinc Universitas Scholarium mandare potest ad agendum & ad defendendum. Idem dic de quovis alio Corpore. *Cap.* 7. *De Procurator.* loquitur de Academia Parisiensi, quæ petierat ab INNOCENT III. ut sibi liceret instituere Procuratorem, cuique respondet Papa ipsam hoc posse Jure Communi; & nihilominùs concedit facultatem petitam. GONZALEZ quærens causam hujus miræ petitionis, ait illam processisse ex eo, quòd Franci egerent Rescripto Principis, ut sibi liceret in Judicio per Procuratorem experiri, ad quod probandum allegat MARCULFUM et SIGONIUM; sed non ostendit hunc morem viguisse sub INNOCENT III. ineunte sæculo XIII. Cæterâ videsis apud illum; & nota, quòd Academiæ nunc censentur corpora mixta, Principi, saltem in Judicialibus, subjecta; non Papæ obnoxia.

REGULA IX.

Non alii dicuntur in Jure Canonico mandare non posse, quàm isti.

1°. Minor 14. annis non potest causam suam, etiam spiritualem, alii committere sine Judicis autoritate. *Cap.* 3. *De Judiciis. In 6.*

2°. Excommunicatus, qui non potest agere in Judicio, alium, ut pro se agat, committere non potest. Undè inferre licet, quod quicumque non potest agere per se in judicio, Procuratorem ad lites constituere non possit. *Cap.* 15. *De Procurat.* Hinc quicumque interdictus est ab administratione bonorum suorum, vel suspensus ab administratione Beneficii sui, inhabilis est ad constituendum Procuratorem.

REGULA X.

Nullus in gravibus causis Procuratorem constituere cogitur, si legitimè impeditus sit. *Cap.* 2. *De Procurat.*

GONZALEZ *in illud* explicat, quæ sint illæ causæ. Restringenda Regula quoad Gallos ad Procuratores, qui privatâ autoritate constituuntur; nam quoad alios, usus necessarius est in Judiciis.

REGULA XI.

Quam negotium requirit libertatem, eamdem exigit Procuratio ad illud tractandum. *Cap,* 10. *De Procurat.*

Hinc ad matrimonium tractandum committens, plenâ ad hoc gaudere debet libertate, sicut ad matrimonium contrahendum.

REGULA XII.

Qui tenentur mandare, hi sunt.

1°. Episcopi & Sacerdotes causas Sæculares mandare tenentur. *Cap.* 3. CAUS. V. QUÆST. III.

2°. Monachi, quoad easdem causas. *Cap. unic. De Syndico.* Cujus ratio est: Expedit pro parvo incommodo, strepitu causarum servos Dei esse quietos.

3°. Reus, qui illicentiatus à Judicio recedit, Procuratorem ad defendendum dimittere debet. Idem de quovis non legitimè impedito, qui obligatus Judicio se præsentare non vult. *Cap.* 12. *De Procurat.* Cap. 3. 6. *De dolo & contum.*

4°. Quos non decet præstare per se ipsos Juramentum calumniæ, simileve, ad id Procuratorem constituere debent. *Cap.* 4. *De Jurament. cal.*

REGULA XIII.

Ex his, quæ fieri possunt sine mandato, non alia exprimuntur in Jure Canonico, quàm ista.

1°. Litteras propinquus pro propinquo potest impetrare sine mandato. *Cap.* 28. 33. *De Rescript.*

2°. Mater provocare potest pro filio. *Cap.* 30. CAUS. II. QUÆST. VI.

3°. Clericus alicujus Ecclesiæ pro illâ agere potest sine mandato, modò de rato caveat sub fidejussoriâ cautione. *Cap.* 34. *De off. & pot. Deleg.*

Alios casus recenset GONZALEZ *in Cap.* 1. *De Procurat n.* 11. Firmatque recensitos *num. sequentibus usque ad finem.*

REGULA XIV.

In Jure Canonico mandari prohibentur, quæ sequuntur:

1°. Accusatio; absens enim nec accusare, nec accusari potest per Procuratorem. *Cap.* 8. 9. 21. CAUS. III. QUÆST. IX. De utraque fit mentio *Cap.* 5. *De Procurat.* Cap. 15. *De Accusat.* GONZAL *in* Cap. 5. *De Procurat.* hac de re fusè agit.

Id intelligendum est de accusatione, quæ fit ut Reus puniatur; non autem de eâ, quæ fit ut accusatus à dignitate, ad quam eligitur, excludatur, aliove simili fine.

Prior vocatur Criminalis, posterior Civilis. De Civili fit sermo *Cap.* 6. *De dol. & contum.* Cap. 16. *De Accusat.*

2°. Accusati defensio; quod intelligendum de acculato criminaliter. *Cap.* 2. CAUS. V. QUÆST. III.

3°. Causa Capitalis & causa statùs. *Cap.* 40. CAUS. II. QUÆST. VI.

REGULA XV.

Mandari permittuntur, quæ non prohibentur. Infertur è *Cap.* 1. *De Procur. In 6.*

REGULA XVI.

Ex his, quæ mandari permittuntur, hæc exprimuntur in Canone.

1°. Potest quis per alium optare Præbendam. *Cap.* 4. *De Consuet. In 6.*

2°. Per Procuratorem appellationis causa defendi potest. *Cap.* 1. *De Elect. In 6.*

3°. Electio fieri potest per Procuratorem, modò fit de Capitulo. *Cap.* 46. *Ibid. §. Porrò.* §. *Absent.*

4°. Absens

4°. Absens per alium Beneficio investiri potest. *Cap.* 14. *De Præbend.*

REGULA XVII.

Mandari seu committi potest qui expresse non prohibetur. *Cap.* 1. *De Procurat. In* 6.

REGULA XVIII.

Qui committi expresse prohibentur, hi sunt:

1°. Clerici, quoad negotia sæcularia, nisi Ecclesiam respiciant, vel Orphanos, Viduas, similesve personas. *Cap.* 1. CAUS. XXI. QUÆST. III.

2°. Minor 12. annis Procurator esse non potest quoad negotia: Minor 25. committi nequit quoad Judicia. *Cap.* 5. *De Procurat. In* 6.

3°. Excommunicatus committi non potest. *Cap.* 7. *De Probat.*

4°. Clericus pro externis Procurator esse non potest, contra Ecclesiam à qua obtinet Beneficium, maximè si sit ejusdem Ecclesiæ Clericus. *Cap.* 3. *De postulando.*

REGULA XIX.

Ex his quos licet committere, hi in Canone exprimuntur.

Filius familias, etiam sine assensu Patris, Abbatissa, Monachus, Monasterii sui, imo & aliorum Monasteriorum in causa illorum cum suo communi. *Cap.* 14. *De Procurator.* Cap. 4. *Eod. Tit. In* 6. Cap. 4. *De Confirm. utili.* Cap. 64. *De Appell.* Cap. 14. *De Censib.*

Nota quod major ætas requiratur, ut quis possit committi ad judicia, quam ut possit ad illa committere; ad primum enim requiritur 25. annorum ætas; ad secundum verò sufficit 14. annorum ætas, si de causis spiritualibus agatur.

Nota etiam, quod idem extendi possit ad commissiones ad negotia; potest enim quis committere Matrimonium contrahendum, statim ac potest illud contrahere, ideòque fœmina completo anno 12. mas verò completo anno 14. at committi nemo potest ad negotia antè annum 18.

REGULA XX.

Non aliæ in Canone exprimuntur Mandatarii obligationes, quàm istæ.

1°. Ut Mandati formam diligenter servet; seu, quod eodem recidit, contrà formam Mandati nihil agat, vel Mandati fines non excedat. Hæc autem obligatio tanta est, ut nullius sit momenti, quod illâ non servatâ fit à Mandatario. *Cap.* 6. *De Rescript. In* 6. Cap. 52. *De Elect.* Cap. 21. *De Off. Deleg.* Cap. 15. *De Restit. spoliat.* Cap. 9. *De Arbitris.* Hinc quod uno modo fieri mandatur, alio adimpleri non licet.

2°. Si sibi denegentur necessariæ induciæ ad consulendum Dominum justâ de causâ absentem, appellare debet. *Cap.* 11. *De Procurat.*

3°. Mandatarius rem etiam injustam exequi debet, quando illius executio non est injusta. Hinc cùm executio Sententiæ injustæ, à quâ non est appellatum, non sit injusta, si cui mandetur, facienda est. *Cap.* 28. *De Off. & pot. Deleg.* §. *Avia.* Hic non agitur de Sententia manifestè injusta, cùm executio illius esset injusta, cùm in pari casu non liceat inferiori parere Superiori. GONZALEZ *in* §. *Prætereà. n.* 4.

4°. Adimplere debet quantociùs potest, quod intrà terminum sibi præscriptum adimplere non potuit. *Cap.* 6. *De dolo & contum.*

5°. Mandantis intentio attendenda est & servanda. *Cap.* 38. *De Præbend.*

6°. Si à Sententiâ contrà se ipsum latâ appellare possit, debet appellare; sin autem, id significare debet Domino. *Cap.* 14. *De Procurat.* GONZALEZ obligationes Mandatarii explicat in *Cap.* 6. *De Procurat. n.* 4. 5.

REGULA XXI.

Sunt in Canone quædam, in quibus dicitur Mandatarius obesse Mandanti; sunt & alia, in quibus dicitur non obesse.

REGULA XXII.

Quæ sunt prioris generis, non alia sunt, quàm ista.

1°. Facta in jure à Mandatario confessio Domino nocet. *Cap.* 2. *De Capell. Monach.* Cap. 21. *De Sentent. & re jud.* Cap. 11. *De Privileg.*

2°. Idem de illius contumaciâ, nisi à Domino purgetur. *Cap.* 1. *Ut lite non cont.*

3°. Idem de illius negligentiâ. *Cap.* 28. *De verb. signif.*

4°. Idem de illius dolo. *Cap.* 44. *De appel.*

REGULA XXIII.

Quæ posterioris generis, seu illa in quibus Mandatarius non obesse Mandanti dicitur, ista sunt.

1°. Factum falsi, vel revocati, vel non idonei Procuratoris, Mandanti non nocet. *Cap.* 1. 3. 4. *De Procur.*

2°. Quoties Mandati fines excedit, non nocet. *Cap.* 9. *De Arbitris.*

REGULA XXIV.

Circa obligationes Mandantium erga Mandatarios, non alia leguntur in Jure Canonico, quàm ista.

1°. Mandantes tenentur solvere expensas à Mandatariis factas; modò constet de Mandato. *Cap.* 6. *De Proc.* GONZALEZ *in illud* hanc nedùm sed & alias mandantis obligationes explicat.

2°. Capitulum mandans aliquid Canonico, quo impeditur adesse Divinis Officiis, tenetur dare illi distributiones quotidianas. *Cap.* 1. *De Cler. non resident. In* 6.

REGULA XXV.

Non aliis viis solvitur Mandatum, quàm istis.

1°. Si è pluribus in solidum commissis unus alios præoccupat, istorum potestas quodammodo expirat; fit enim inutilis quasi expirasset, quibusdam tantùm casibus exceptis. *Cap.* 8. *De Off. Deleg. In* 6.

2°. Cùm post commissum unum, alius committitur. *Cap.* 14. *De Procurat.*

3°. Revocatione expressâ. *Cap.* 13. *De Procur.* Cap. 23. *Eod. Tit. In* 6.

4°. Excommunicatione Majori, si Mandatum sit ad agendum, & illa illud subsequatur. *Cap.* 15. *De Procur.* Quod de excommunicatione denunciatâ intelligendum.

5°. Si Dominus causam tractet, quam alii tractandam simpliciter commisit. *Cap.* 8. *De Procur. In* 6.

6°. Cùm Mandatarius alium sibi substituit, tunc sibi expirat Mandatum. *Cap.* 3. *De Procur. In* 6.

7°. Si moriatur Mandator, re adhuc integrâ, Mandatum verò non respiciat tempus mortem subsequens. *Cap.* 19. *De Off. & pot. Deleg* Cap. 10. 30. *Ibid.*

8°. Idem si moriatur Mandatarius, re non finitâ, modò non sit factum Mandatum dignitati; quo casu transit ad successorem. *Cap.* 14. *Ibid.*

REGULA XXVI.

Ut valeat revocatio, requirit Jus Canonicum, quæ sequuntur.

1°. Ut si de Mandatis ad judicia agatur, antè litis contestationem fiat revocatio; exceptis quibusdam casibus, qui *Cap.* 2. *De Procurator. In* 6. habentur, quique à Jure Civili desumuntur. GONZALEZ. *Cap.* 14. *De Procurat. n.* 4. Si verò agatur de Mandato ad eligendum, revocetur re adhuc integrâ. *Cap.* 2. *De Procurat. In* 6. Cap. 8. 13. *De Procur.* Cap. 30. *De Elect.* Quod ibi de compromisso dicitur, ad Mandatum extenditur.

2°. Ut

2°. Ut revocatio mandati, quodcumque sit, ad Mandatarii notitiam perveniat, excepto matrimonii casu. *Cap. 9. Eod. Tit. In 6.* CLEMENTINA *De renunt.* declarat valere renunciationem Beneficii factam à Procuratore revocato, modò ad illius notitiam, aut Prælati qui eam admisit, non pervenerit.

3°. Ut revocans revocandi potestatem habeat; qualem non habet Mandatarius, qui alium substituit, nisi substitutum à se revocare sibi permissum sit à Mandante. *Cap. 3. Ibid.*

4°. Ut non fiat in Judicis contemptum, & in Partis gravamen. *Cap. 8. De Procurat.*

REGULA XXVII.

Ex casibus, in quibus videtur expirare Mandatum, & non expirat, non alii exprimuntur in Jure Canonico, quàm isti.

1°. Si Mandatarius præsentatum sibi Mandatum statim rejiciat, non expirat, modò antè illius revocationem acceptet. *Cap. 7. De Procurat. In 6.*

2°. Cùm pro casu absentiæ quis committitur, non finitur Mandatum, etsi Mandans tractet causam, dùm præsens est. *Cap. 8. Ibid.*

3°. Si quo simpliciter commisso ad tractandam causam, Mandans illam tractet expressè, testans se Mandatum revocare nolle, Mandatum non expirat. Idem, si ex conjecturis appareat non animo Mandatum revocandi se causæ immiscere. *Cap. 8. Cit.*

4°. Cùm Mandans tantùm assistit Mandatario causam tractanti. *Cap. 8. Cit.* Cap. 2. *Ibid. §. ult.*

REGULA XXVIII.

Nil aliud supplet Mandatum, quàm ratihabitio, quæ sic sumitur pro approbatione rei à nobis injussæ, nostro tamen nomine factæ, ac si à nobis jussa esset.

Regula patet ex eo, quòd nil sit in Jure, quod Mandato æquivalere dicatur præter ratihabitionem, de quâ hoc dicitur. *Cap. 15. De Restit. spol.* Cap. 24. DIST. LXIII.

Hinc

REGULA XXIX.

Nemo ratum habere potest, quod suo nomine non est gestum. *Cap. 9. De Reg. Jur. In 6.*

Hinc etiam

REGULA XXX.

Ratihabitionis duplex tantùm est effectus.

Prior est, ut retrotrahatur; consensus enim rem gestam subsequens, pro præcedenti habetur. *Cap. 10. Ibid.*

Posterior, ut quod ratum habitum est, revocari nequeat, sicut quod ex mandato nostro factum est. *Cap. 3. De Transact.*

REGULA XXXI.

Circa eamdem rem plures ab eodem committi possunt.

REGULA XXXII.

Non aliis id fieri potest modis, quàm istis.

1°. Successivè, uno post alium commisso; quo casu prior posterioris constitutione revocatur. *Cap. 14. De Procur. §. Quod fieri.*

2°. Simul in eodem Mandato, & non in solidum committuntur: quo casu, si de electione agatur, nullus admittendus est. Si mandatum judicia respiciat, & de causis spiritualibus agatur, quæ celerem expeditionem exposcunt, Judex eligit quem magis idoneum judicat. Si alias res spectet, admittendi omnes, sequendæque omnium voluntates si concordent; vel majoris partis, si discordent. *Cap. 46. De Elect. In 6.*

3°. Simul in eodem mandato & in solidum committuntur: quo casu, si de negotiis agatur, in quibus plures Mandatarii non sunt admittendi, quale est electio; qui priùs occupat, aliis præfertur; modò in mandato non prohibeatur, ne melior sit conditio priùs occupantis: omnibus verò præfertur qui primus scriptus est, cùm omnes simul se præsentant: Quoad alia negotia, omnibus simul concurrentibus, omnes simul recipiuntur. *Ibid.*

Hinc Mandatarii in solidum commissi differunt à Mandatariis in solidum non commissis, in eo quod ex commissis non in solidum, unus sine alio admitti non potest, præter casum de quo *in Art. 2. hujus Regulæ*: Ex commissis in solidum unus sine aliis admitti potest. *Cap. 6. De Procur. In 6.*

REGULA XXXIII.

Quoties ex Mandatariis in solidum commissis, unus alios præoccupat, istis non licet negotio sese immiscere, nisi ille legitimè impediatur, vel nolit, vel malitiosè recuset inchoatum negotium perficere. *Cap. 8. De Off. Deleg. In 6.* Cap. 6. *De Procur. In 6.*

REGULA XXXIV.

Mandatarius substituere potest; idque tamen nonnisi duobus modis. *Cap. 3. De Procur. In 6.*

1°. Jure Communi, eoque modo Mandatarius ad negotia communiter substituere potest. *Cap. 1. §. ult.*

2. Jure speciali, eoque modo Mandatarius cui Mandans substituere expressè permittit, substituere potest. *Cap. Cit. §. 2.*

REGULA XXXV.

Mandatarius ad negotium substituere potest quocumque tempore; non item Mandatarius ad Judicia. *Ibid. §. 2. 3.*

REGULA XXXVI.

Mandatario nunquam licet revocare quem constituit, nisi potestatem hanc à Mandante expressè acceperit. *Cap. 3. Ibid.*

REGULA XXXVII.

Substitutus à Mandatario, qui factus est Dominus litis, aliis Commendatariis præfertur. *Cap. 6. Ibid.*

REGULA XXXVIII.

Quoties quis committitur ad plures causas; licet sibi alium in unâ causâ substituere, alias verò per se tractare. *Cap. 3. Ibid. §. Verum.*

Antequàm absolvamus Tractatum de Mandato Procuratorio; advertendum, tantam esse hujus Mandati cum Mandato Delegatorio affinitatem, ut licuerit nobis nonnulla, quæ ad istud pertinent, ad illud accommodare. Verùm ne videremur alterum cum altero confundere, licentia istâ cum sobrietate usi fumus esse; undè immeritò eapropter accusaremur argumenti nostri limites transgressos fuisse.

SECTIO XV.

Regulæ circa Societatem, è Jure Canonico desumpta.

Antequàm colligantur Canonicæ Regulæ circa Societatem; adverte singulos ferè contractus, de quibus seorsim egimus, in Corpore Juris explicari sub peculiari Titulo, & sub eodem nomine, sub quo de illo tractavimus; vel saltem sub æquivalente. Dicimus, *ferè*, quia de Emphiteusi egimus; & nullus est specialis Titulus, illam sub eo nomine, vel sub alio æquivalente comprehendens. Addimus hæc verba, *vel saltem sub æquivalente*, quia de Mandato & de Mutuo tractavimus; & nullus est expressus Titulus de Mandato, nec de Mutuo: sed quod ad Mandatum pertinet, sub Titulo de Procuratoribus exponitur, & quod

& quod mutuum ſpectat, ſub Titulo de Uſuris explicatur.

Adverte etiam in eodem Corpore Juris, nullum extare Titulum de Societate, nec ſub eo nomine, nec ſub oomine æquivalente; ſed de illâ mentionem fieri duntaxat ex datâ oecaſione in quibuſdam Textibus, nempè *Cap.* 1. *De Sponſalib.* Cap. 7. *De Donationib. inter virum &c.* Cap. 7. *De Homicid.* Cap. 47. *De Sent. Excom. Cap.* 32. CAUS. VI. QUÆST. I.

Adverte, Societatem iniri poſſe ad malum, ut ad bonum opus: quæ ad malum, vocari conjurationem, conſpirationem, factionem; quæ ad bonum, ſocietatis nomen retinere: & de iſtâ hic præcipuè agi: hanc autem multiplicem eſſe; tot enim ſunt ſocietatis genera, quot bona ad quæ referri poteſt, atque ex omnibus his generibus nullum uſitatum magis, quàm quod ad lucrum refertur, quale quod initur ad mercaturam.

Adverte denuò, ſocietatem generaliter ſumptam definiri poſſe; Contractum quo plures conveniunt ad opus ſuſcipiendum, ex quo commodum & incommodum provenire poteſt, eâ lege, ut quilibet in illud aliquid de ſuo conferat, & commodi incommodive particeps fiat. Duo enim ſunt ad ſocietatem maximè requiſita: Primum, ut operi ſuſcepto quiſque influat, vel pecuniâ, vel induſtriâ, vel utrâque: Secundum, ut ſicut cuique opus commune eſt, ita & commune cuique ſit commodum & incommodum; hinc proveniens poſterius ex priori ſequitur; cùm iniquum eſſet, ut qui operis cooperator eſt, commodi vel incommodi ex illo provenientis particeps non eſſet. Propoſita ſocietatis definitio generalis eſt, cuilibet ſocietatis ſpeciei congruens; nulla enim eſt ſocietas, quæ ad opus aliquod bonum vel malum faciendum non referatur; nullumque hujuſmodi opus à pluribus conventione prævià ſuſcipitur, quod non poſſit commodum & incommodum procreare, ac cui etiam quilibet illorum influere non teneatur.

Denique adverte, quòd ſi de ſolâ ſocietate ageretur, quæ mercaturam, aliudve ſimile ad lucrum relatum reſpicit, definienda foret, Contractus, quo plures coëunt ad opus, ex quo lucrum & damnum naſci poſſit, eâ lege, ut ſimul cooperantes, utriuſque participes ſint.

His obſervatis, ſequuntur Regulæ, quæ in Jure Canonico habentur circa Societatem, vel ſuis verbis conceptæ, vel ad ſenſum reductæ.

REGULA I.

Per quaſcumque cauſas res naſcitur, per eaſdem diſſolvitur. *Cap.* 1. *De Regul. Juris.*

Hinc ut mutuo conſenſu formatur vinculum ſocietatis; ita & eodem conſenſu deſtruetur.

Undè ALEXAND. III. id tanquam certum ſupponens, hæc habet quæ ſequenti enarrabuntur Regulâ.

REGULA II.

Qui ſocietatem conjugalem contrahere promiſerunt, & poſteà ſeſe ad invicem admittere noluerint, ne fortè deterius contingat, ut ſcilicet ducat quam odio habet; videtur, quod ad inſtar eorum, qui ſocietatem interpoſitione fidei contrahunt, & poſteà eamdem ſibi remittunt, poſſit in patientiâ tolerari, ut ſponſalia mutuo conſenſu diſſolvant. *Cap.* 2. *De Sponſal.*

REGULA III.

Ad licitam ſocietatem pertinet, ſi Mercatori pecunia committatur cum periculo illam perdendi, poſito quod occurrat eâ mente, ut ex percipiendo indè honeſto lucro pars aliqua habeatur. *Cap.* 7. *De Donat. inter virum.*

Hunc Textum de ſocietate interpretamur, quia deſumitur ex INNOCENT. III. qui TITULO *De Uſuris,* Cap. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. multus eſt contrà uſuras, & in parte reſectâ *Cap.* 11. citat Scripturæ loca, quæ docent uſuram eſſe lucrum perceptum ex mutuo, ſeu ſuperabundantiam ex re mutuatâ provenientem; excluſâ verò ſocietate, lucrum percipiendum ex pecuniâ commiſſâ Mercatori, merum foret emolumentum ex mutuo proveniens. Hæc explicatio confirmari poteſt ex eo, quòd Summus Pontifex non dicit, *mutuò detur*, ſed *committatur;* utrumque autem in hoc differat, quòd mutuum transferat dominium, ideòque res mutuo data fructiferare debet ei, cui data eſt, commiſſio verò non transfert dominium, undè fructum ferre debet committenti, ut & illi ex cujus induſtriâ fructum fert.

Quæ hactenùs collectæ ſunt circa ſocietatem Regulæ, ſocietatem illam reſpiciunt, quæ ad opus bonum contrahitur; quæ autem ſubjiciuntur, ad illam ſpectant, quæ ad opus malum initur.

REGULA IV.

Socius criminis commiſſi iiſdem pœnis plectendus, ac ipſe criminis auctor, ſi illum fortiorem audacioremve ſuâ præſentiâ effecerit; alioquin pro modo, quo crimini participavit. *Cap.* 6. *De Homicid.* §. 1. 2. 3. 4.

REGULA V.

Contra ſocios criminis læſæ Majeſtatis, hæc habentur in Corpore Juris.

1°. Inter ſocios hos collocantur, nedum qui ſceleſtam factionem ineunt, ſed etiam qui factionis Sacramentum ſuſcipiunt, & qui illud dant. *Cap.* 22. CAUS. VI. QUÆST. I.

2°. Crimen Majeſtatis committitur, quando tractatur de nece eorum, qui interſunt Conſiliis Principis eorum, vel qui Principi cuſtodiendo militant. *Ibidem.*

3°. In his omnibus voluntas manifeſtata & probata pro ſcelere reputatur, & eâdem ſeveritate punitur. *Ibid.*

4°. Filii eorum infames fiunt, ideòque excluduntur ab omni ſucceſſione, tàm propinquorum quàm extraneorum, & à poſſeſſione quorumvis honorum ac officiorum. *Ibid.*

5°. Socius, qui initio factionis initæ, illam detexerit, præmio donatur; qui verò poſtquàm jam executioni demandari cœpit, incognita adhuc illius arcana pateſecerit, abſolvitur. *Ibid.*

REGULA VI.

De quocumque crimine agatur, non caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare. *Cap.* 6. *De Homic.* §. 2.

Hoc Caput ab INNOC. III. ita explicatur: Eos delinquentibus favere interpretamur, qui, cùm poſſint, manifeſto facinori deſinunt obviare. *Cap.* 47. *De Sent. Excomm.* Hujus rei exemplum affertur, petitum ab eo, qui cùm potuit (abſque mortis periculo) hominem à morte liberare, non liberavit, eaque propter occidiſſe eum dicitur. INNOC. III. *in Cap.* 47. *De Excom.* Cap. 6. *De Homic.* §. 2.

Aliud ſimile adducitur deſumptum ex eo qui, cùm poteſt, proximo, pro repellendâ injuriâ, ſuum impartiri auxilium, & id negligit, videtur injuriantem fovere, & eſſe particeps ejus culpæ. *Cap.* 6. *De Sentent. Excom. In* 6. Deſumitur ex *Concil.* I. LUGDUN.

In Priori Parte præmiſſarum Regularum de Societate, quæri potuiſſet, an Jure Canonico liceat Chriſtianis cum Judæis, aliiſque infidelibus, ſocietatem mercatoriam inire? Sunt enim Textus, qui inſinuant id licere: Hujus generis ſunt omnes, qui in punitionem Judæorum ob nonnulla crimina, prohibent Chriſtianis cum illis commercia exercere, indèque patet, extra caſus illos hoc licere. Prædicti Textus habentur *Cap.* 13. *Etſi Judæi.* Cap. 14. *Poſtulaſti. De Judæis, & in Commentario* GONZAL. *in* Cap. 16. *De Feriis, De Decimis.* Sunt è contra Autores qui ſentiunt, indignum

dignum esse Christianis cum Judæis societatem lucri causâ exercere. Isti laudantur à GONZAL. in Cap. 14. *De Judæis. n.* 4. sed cùm hi Autores, ut & alii, consentiant hanc societatem non esse à Jure Canonico prohibitam; sufficit monuisse de hac quæstione, & de illius resolutione, ad supplendum hic quod in eâ Parte omissum est; nempè nulla stricta obligatione constringi Christianos à tali societate abstinere, sed ex sola honestate illam vitare debere. Hac siquidem viâ Lector discit, quid Jus Canonicum doceat circa prætermissam quæstionem, & quomodo conciliari possint quæ contraria videntur.

PARS IV

Regularum circa Contractus, in quâ colliguntur illa, quæ Contractus mixtos respiciunt.

Nomine Contractuum mixtorum intelligimus, tùm eos, qui quandoque sunt contractus latè sumpti, quales sunt puta pacta, simplices donationes, meræ promissiones; quandoque verò contractus strictè sumptos, quales pacta reciproca, donationes, ac promissiones onerosæ, utpotè aliquod onus imponentes iis, quibus fiunt; tùm contractus strictè acceptos, quibus pacta aliena, seu ad hujusmodi contractus non pertinentia, inseruntur, quales sunt contractus locationis vel infeudationis, quibus pacta ista inseruntur, ut conductor, ut feudatarius grana sua molenda ferat ad molendina locatoris vel infeudatoris. Ut autem hæc omnia debito ordine explicentur, agemus primò de iis, quæ cuique pacto communia sunt; posteà de iis, quæ pactis puris reciprocis vel alienis peculiaria sunt.

SECTIO I.

De pactis in genere consideratis.

REGULA.

Quæcumque pertinent ad pacta in genere considerata, ad hæc reducuntur.

1°. Servanda sunt pacta, nisi impossibilia sint de jure vel de facto; cujus ratio est, quia ex pactis nascitur obligatio; omnis autem obligatio implenda est, si possit impleri de jure vel de facto: De jure, qualis quæcumque licita est; in moralibus enim quidquid licet, fieri potest; & quod non licet, fieri non potest, quia hæc duo idem planè significant.

2°. Dicuntur pacta impossibilia de jure, quæcumque versantur circa res prohibitas faciendas.

Hinc eo modo impossibilia sunt, tùm quæ sunt turpia, vel de re turpi, tùm quæ simoniaca. *Cap.* 6. *De Pactis.* Talis habetur omnis pactio circa spiritualia *Cap.* 8. *Ibid.* De his fusè egimus, dùm de Simonia; tùm quæ occasionem præbent desiderandæ mortis alienæ. *Cap.* 5. *De Pactis* improbatur pactum, quo Paulo Ecclesia conceditur, eâ lege, ut illo defuncto, Petrus succedat.

3°. Habentur pro impossibilibus de facto, quæ excedunt paciscentis facultates, vires, autoritatem; sive tempore quo fit pactum; sive tempore quo adimplendum est: Hæc autem non obligare certum est ex Regulâ; *Nemo potest ad impossibile obligari.* Cap. 6. *De Reg. Jur. In* 6°.

4°. Ex dictis excipiendum est matrimonium, in quo conditiones turpes aut impossibiles habentur pro non adjectis; nisi illius substantiam spectent, quales de vitanda generatione; de contrahendo secundo matrimonio, constante primo, si utilius sese offerat, de adulterando. *Cap.* 7. *De conditionib. apposit.*

5°. Pacta quæcumque confirmari possunt, vel juramento Partium, vel autoritate Judicis, vel aliûs Superioris. TIT. *De confirmat. utili vel inutili.*

6°. Pacta inseri possunt contractibus strictè sumptis, & frequenter inseruntur; sunt enim conditiones sub quibus contrahi solet. TIT. *De conditionib. apposit.*

7°. Quod de actis dicitur, nempè inter alios acta aliis præjudicare non debere, de pactis etiam dicendum. *Cap.* 8. *De Transact.*

8°. Quandò alicujus consensus requiritur, ut valeat pactum ab aliis initum, si eo inscio, vel nolente fiat, irritùm est; sed accedente posteà illius consensu, validum efficitur. *Cap.* 2. *De pactis.*

SECTIO II.

De iis quæ peculiaria sunt pactis puris vel simplicibus.

REGULA.

Circa pacta pura, non alia colliguntur ex Jure Canonico, quàm ista.

1°. Non sunt veri contractus, quia contractus ex conventione legem habent; conventio autem nulla fit in pactis simplicibus, cùm conventio sit plurium in idem consensus, & in his pactis unus tantùm se obliget, ut videre est in donationibus & in promissionibus gratuitis. *Cap.* 5. *De donation. Cap.* 3. *De pactis.*

2°. Inter pacta pura collocari possunt conditiones quæ contractibus inseruntur, si alterum contrahentium duntaxat obligent, atque ipsis contractibus sint extraneæ; ut, si locetur domus hac vel illâ conditione, ut conductor coquat panem suum in furno Locatoris, lavet vestimenta vel linteamenta sua in fonte ejusdem, vel molenda ferat grana sua in molendino ipsius, non detractâ propter hoc ullâ parte pretii locationis domûs: prædictæ enim conditiones videntur esse pura pacta solum conductorem obligantia erga locatorem, atque etiam gratuitò, eaque sunt, vel esse videntur, cùm onera contineant pretio æstimanda, quorum nulla ratio habetur in pretio rei locatæ.

3°. Etsi antiquorum Juris Canonici Interpretum communior Sententia fuerit, quod juxta jus illud ex nudis pactis actio non oriatur; verisimilius tamen sentiunt contrarium Recentiores. Id testatur GONZALEZ, postquàm retulit utriusque partis momenta, & satisfecit objectis primæ Sententiæ in *Cap.* 1. *De pactis.* Præcipuum posterioris Sententiæ fundamentum, vel ex præcipuis unum est, quod certum sit quod ex illis pactis Jure Civili nulla nascatur actio, quòdque Jus Canonicum nullibi hac in re Jus Civile correxerit: Hujus autem juris potior ratio est, quòd Legislatores noluerunt, ut tot essent causæ obligandi, ne aliàs nimiâ facilitate homines temerè obligarentur. *n.* 11. *circà finem.*

SECTIO III.

Quæ peculiaria pactis reciprocis?

REGULA.

Quæ peculiaria colliguntur ex Jure Canonico circa pacta reciproca, hæc sunt.

1°. Ex pactis reciprocis oriuntur contractus strictè sumpti; hinc enim nascitur mutua contrahentium obligatio, quâ isti contractus ab aliis distinguuntur.

2°. Si pacta reciproca fiant ad præveniendam vel finiendam litem, vocantur transactiones. *Toto* TIT. *De Transact. Cap.* 2. *Ibid.* vel compositiones, *Cap.* 2. *Ibid.* vel ordinationes, *Cap.* 21. *De Præben.* Ut autem valeant transactiones, approbari debent ab omnibus, quorum interest, juxta Regulam: *Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet.* Hinc si fiat à Prælato sine consensu Capituli, etsi fiat nomine Ecclesiæ, cujus caput est Prælatus, & Corpus Capitulum. *Cap.* 3. *De Transact.* Si verò semel ab iis omnibus probatæ fuerint, servari debent. *Ibid.* Circa Beneficium transigi non potest solâ Partium voluntate *Cap.* 4. *De Transact.* Sed intervenire debet autoritas Judicis, qui factas transactiones approbet. *Cap.* 21. *De Præb.* vel Arbitri qui judicet illas illo modo faciendas. *Cap.* 5. *De Transact.* Quod enim habet de Judice Extraordinario, intelligi potest de Arbitro. *Cap.* 21. *De Præb.* mentionem facit de compromisso,

vi cujus transactio facta fuerat, & propter authoritatem hinc provenientem, expressè docet, probata fuisse ab Innoc. III. Si defuerit autoritas Judicis, illam supplet authoritas Episcopi, vel Papæ, si adfuerit: Quod factum est ab Episcopo vel Papâ, confirmari potest, quibus casibus si pensio alteri litigantium assignata fuerit, eâ gaudet, etsi alter obierit; alioquin isto obeunte extinguitur pensio. Transactio sine legitimâ authoritate facta, nullum robur acquirit ex interpositione juramenti. *Cap. 4. De Transact.* quia invalidæ rei invalida confirmatio. *Cap. 8. De Concess. Preb.* Collect. III. Mediator transactionis circa Beneficium, illud impetrare non potest eo prætextu, quòd vacet; quia hæc impetratio bonæ fidei adversatur, *Cap. 6. De Transact.* Si quod vitium in transactione irreperit, quod à Superiore emendari possit, ipsam confirmando illud emendat, modò testetur se id facere velle; vitia autem hujusmodi sunt ea, quæ oriuntur ex omissis solemnitatibus, vel ex violatis Canonibus illam transactionem prohibentibus. *Cap. 1. De Transact.*

Sunt nonnullæ res, circa quas non licet transfigere data pecuniâ, aliove æquivalente; tales sunt res spirituales, quales Beneficia, jus præsentandi ad illa, Jurisdictio Episcopi in Ecclesias, vel Monasterii in aliud Monasterium. *Cap 6. De Pactis.* Cap. 9 10. *De Transact.* Hinc si quis cedit liti circa Jus Patronatûs, medio aliquo censu vel pensione, Transactio nulla est. Idem dicendum *Cap. 9. De Transact.* si medio censu annuo cedatur liti circa Jurisdictionem in Monasterium aliquod, *Cap. 10. De Transact.* Idem sentiendum de casu, in quo lis finitur circà Beneficium, eâ lege, ut alter habeat Beneficium, alter accipiat expensas à se factas ratione hujus Beneficii. *Cap. 4. De Pactis.* In his tamen omnibus adductis casibus, si lis injusta sit, licet injustè vexato pecuniam dare aliudve simile ad liberandum se à vexatione; eodem plane modo, quo licet usuras solvere injuste eas exigenti; Sacratissimas Hostias consecratas, Sacrosanctas Reliquias, datâ pecuniâ, redimere ab injustè detinente; præsertim si timendum sit, ne ab eo profanentur.

Sunt aliæ res, circa quas non licet transfigere, non solùm mediante pecuniâ, sed nec etiam ullo alio modo, & tale est matrimonium, *Cap. 11. De Transact.* Quod restringendum ad fœdus matrimonii; cùm cæteræ causæ matrimoniales & temporales transactionem admittant; ideò autem transigi nequit circà fœdus matrimonii, quia nemini fas est renunciare juri justo circa illud fœdus, multòque minùs alteri transmittere, vetante Christo, ne quos Deus conjunxit, homo separet. Circa Decimas transfigere licet inter personas Ecclesiasticas, accedente assensu Episcopi, *Cap. 2. De Transact.* sine quo Transactio ad Successores non transiret. Dùm de Decimis actum est, de redemptione Decimarum, quæ est quædam transactio inter Decimatores & Laïcos circa illas, cujus exempla plurima extant in Gallia, approbanturque.

SECTIO IV.

De his, quæ Jus Canonicum seorsim docet de promissionibus.

Sub Titulo promissionum comprehendi possent:

1°. Quidquid docet Jus Canonicum circà Contractus & Pacta, quibus paciscentes se obligant ad aliquid faciendum; iis enim inest promissio dandi cuique quod convenit.

2°. Quidquid tradit circa sponsalia; sunt enim futurarum nuptiarum mutua promissio.

3°. Cùm ludus, quo pecunia aliæve res jacturæ vel lucro exponitur, includat in se mutuam promissionem, nempè solvendi quod expositum fuerit, sub hoc eodem Titulo sermo fieri posset de ludo.

4°. Tanta est sponsionum cum ludo connexio, in quo plerumque interveniunt, ut de illis hic quoque foret loquendi locus; idem etiam postularet sponsionum natura, cùm nihil aliud sint, quàm promissiones solvendi aliquid præfinitum, si res, quæ asseritur ita se habere, aliter se habeat.

Verùm non intendimus hic loqui, nisi de his, quæ speciatim habet Jus Canonicum circà promissiones in se sumptas; quia de primo articulo egimus, dum de Contractibus in genere, & de quolibet in specie tractabamus: De secundo, dùm de matrimonio: De aliis verò duobus satiùs est ut inferiùs seorsim agamus, quemlibet sub peculiari Titulo explicaturi.

REGULA.

In Jure Canonico non alia expressa habemus circa promissiones in se sumptas, quàm quæ sequuntur.

1°. In malis promissis fidem non expedit observari. *Cap. 69. De Reg. Jur. In 6.*

2°. Studiosè agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur. Desumitur *ex* Lib. VIII. *Epist. 38. Sancti* Greg. Loquitur de oppressoribus pauperum & minorum ad Ecclesiam confugientibus; atque, quod ipsis impunitas promittenda sit, modò ipsi quoque polliceantur reddere rationem; quodque utraque promissio servanda sit. *Cap. 3. De Pactis.*

3°. Stipulatio, quâ alter contrahentium ergà alterum se obligat ad pœnam determinatam, nisi compleat sponsalia, inutilis est; quia libera esse debent matrimonia, ac timor pœnæ incurrendæ officeret libertati. *Cap.* Gemmæ. *De Sponsalib.*

SECTIO V.

Decisiones Canonicæ circa Ludos.

Etsi de Ludis hic locuturi non simus, nisi ratione promissionis, quæ iis inest; nihilominùs visum nobis est non abs re futurum, si quæcumque habet Jus Canonicum circa illos colligeremus; cùm in omni Ludo, de quo sermonem facit, vel de industriâ, vel ex occasione casuum propositorum, promissio intervenire possit, atque aliundè pauca in illo hac de re habeantur.

REGULA I.

Quotiescumque ludus prohibitus est, toties prohibita quoque est omnis promissio, facta in favorem hujus ludi, illorumque qui illum exercent; ideòque non servanda, sicut nec cæteræ promissiones illicitæ. *Cap. 8. De pactis.* Cap. 1. *De condit. apposit.*

Regulæ Ratio: Favet hæc promissio rei illicitæ, quæ aliàs frustrà vetaretur, si fas esset aliquid illam facienti promittere.

REGULA II.

Non aliorum ludorum prohibitorum mentio fit in Jure Canonico, quàm istorum.

1°. Prohibetur, ne Ludi Theatrales fiant in Ecclesia; ne in ea introducantur monstra larvarum ad ludibriorum spectacula; neve Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri in quibusdam solemnitatibus insaniæ suæ ludibria exerceant: Consuetudo, quâ illa omnia fiebant, vocatur corruptela ac turpitudo; diciturque, quòd per illam inquinetur Ecclesiæ honestas.

Quæ hic prohibetur, in aliis Canonibus etiam vetantur sub nomine festi fatuorum. Verosimillimum quòd Actores illorum Ludorum movebat quædam promissa merces, cujus intuitu partim saltem agebant. *Cap. 12. De Honest. Cleric.*

2°. Vetatur Clericis, ne ad aleas, taxillosve ludant, neve hujusmodi ludis intersint. Desumitur è *Concil.* Lateran. sub Innoc. III. *anno* 1216. Hæc prohibitio innovata fuit à *Concil.* Trid. Sess. XIV. *Cap. 1.* cùm citatus Canon Clericis expressè vetet, ne adsint Ludis alearum & taxillorum; consequens est, ut *Conc.* Later. existimaverit, Ludos illos maximè dedecere Clericos. *Cap. 15. De Vita & honest. Cler.*

F 30. In-

3°. Insinuant quidam Textus, non licere Clericis ad Sacros Ordines peomotis ludos pueriles in via publica exercere; dum decidunt Diaconum, qui eum in casum lapsus fuerat, ad Presbyteratus Ordinem promoveri non posse, nec Diaconatum exercere sine licentia Papæ. Agebatur de Diacono, qui rediens ex opere agresti, per viam cum sociis Clericis secum redeuntibus, ludo viatorum luserat cum iisdem sociis; in eo sito, quod in directum jaciantur baculi, & si quis suste suo aliorum fustem ferierit, pro equo victor victo nitur, illoque lusu occasio fuerat alicui Laico seipsum lethaliter vulnerandi; cùm enim iste Diaconi fustem fuste suo per ussisset, volens illo pro equo uti, juxtà ludi Legem, in illum insilierat, & falce, quâ accinctus erat Diaconus, vulneratus occubuerat.

Non omittendum in hoc Textu expressè notari; quòd prædicti Clerici renunciaverant legi præfati ludi; unde colligere est, memoratum Diaconum adeò in culpâ fuisse, quòd vacando rei illicitæ, occasionem dederat homicidio casuali; sed propterea non distemur, quod potuerit idem ludus esse illicitus ex aliâ parte, nempè ex eo, quòd qui illum exercebant, accincti erant falce, eoque modo qui nesciebant illos renunciasse conditioni ludi, exponebantur periculo sese vulnerandi, insiliendo in victos lusores, ut pro equis, illis uterentur.

4°. De aliis ludis fit mentio in *Cap.* 9 & 12. *De Homicid.* sed nihil in his notatu dignum invenitur.

SECTIO VI.

De Sponsionibus.

Quæ dicenda habemus circa Sponsiones, paucis his Observationibus absolvemus.

1°. Nullus est Juris Titulus nec Textus, qui expressè meminerit de Sponsionibus, quod profectò ortum est ex eo, quod non occurrerunt circa illas dubia, quæ digna habita sint, ut Lege Ecclesiasticâ solverentur.

2°. Quæcumque docet Jus Canonicum circà promissiones, locum habent in Sponsionibus: Sunt enim quædam promissiones mutuæ rem aliquam solvendi, sive dandi, si quod asseritur verum vel falsum esse, non recte assertum esse constiterit.

3°. Sponsiones, quæ fiunt pro ludentibus, ludorum, quibus isti ludunt, sortem sequuntur; sunt enim velut illorum accessoriorum, & solet accessorium sequi naturam vel conditionem principalis; undè si prohibiti fuerint ludi, consequens est, ut Sponsiones circa illos factæ sint quoque illicitæ.

4°. Quemadmodùm qui ludit cum alio certus de victoriâ, quia longè majoris sit in ludendo industriæ, videtur furari ludo expositam pecuniam, cum nullum fit ex parte suâ periculum; ita eum qui Sponsionem facit cum alio, de re quam certò scit ita se habere, ob eamdem rationem, furti culpâ vacare non apparet.

TITULUS IX.

De præcipuis causis nullitatis Contractuum, quæ memorantur in Titulo De iis quæ vi metuve fiunt.

Regulæ è Jure Canonico desumptæ.

Vi metuve fieri possunt non solùm vota, juramenta, Matrimonia, cæterique Contractus, Electiones, præsentationes ad Beneficia, illorumque ejurationes extrà judicium, criminis punitio; plerique actus judiciales, quales accusatio, testium depositio, condemnatio, vel absolutio; sed etiam plurimæ aliæ actiones ad mores propiùs attinentes.

Multùm ergo refert explicare, quæ Jus Canonicum docet circà ea, quæ vi metuve fiunt; eapropter speciatim tractanda illa suscipimus.

Ut autem congrue fiat, videbimus statim, ad quæ puncta reducantur, quæcumque docet Jus Canonicum circa vi metuve facta; discussuri posteà quid circa quodlibet punctum itidem doceat.

Sed priùs adverte, agi hic de vi illatâ corpori; animæ enim inferri nequit; & de metu incusso à causâ extrinsecâ & liberâ.

REGULA I.

Non alia docet Jus Canonicum circà vim & metum, quàm ista.

1°. In quo vis & metus conveniant. 2°. In quo differant. 3°. Quotuplex sit metus. 4°. Quæ requirantur, & quæ sufficiant ad metum cadentem super constantem virum. 5°. Quis sit illius effectus. 6°. Quomodo probetur. 7°. Quis sit effectus minoris metus.

REGULA II.

Circa ea, in quibus vis & metus conveniunt, hæc docet Jus Canonicum.

1°. Quæ vi metuve fiunt, carent robore firmitatis. *Cap.* 2. 4. *De his quæ vi metusve &c.* Cap. 5. *De Reg. Jur.* Cap. 2. *De novi oper. nunciat.* Cap. 6. 21. 28. *De Sponsalib.* CLEM. II. *De Sent. & re.*

2°. Sicut non omnis vis irritat quæ vi fiunt; ita nec omnis metus irritum facit, quod metu fit. *Cap.* 6. *De Sponsalibus.* Cap. 5. 6. *De his quæ vi &c.*

3°. Coactiones, sive per vim, sive per metum fiant, difficiles solent habere exitus. Loquimur hic de vi, quæ determinat ut aliquid velimus, non de illâ quam applicat ad actionem merè externam. *Cap.* 17. *De Sponsalibus.*

4°. Quæ fiunt per vim, quæ ad agendum determinat, sunt partim voluntaria, partim involuntaria, sicut quæ fiunt per metum. *Cap.* 6. *De Sponsalibus.* Cap. 5. *De his qui vi &c.*

5°. Metus potest esse sine vi præsenti, & vis præsens sine metu. Colligitur ex inscriptione *Tit. mox cit.* quæ sic concipitur *Quæ vi metusve causâ fiunt*; nam particula (*ve*) denotat unum existere sine alio.

REGULA III.

Circa ea in quibus differunt vis & metus, non alia docet Jus Canonicum, quàm ista.

1°. Quæ fiunt per solam vim, quæ ad actionem externam applicat, sunt omninò involuntaria, ideòque nullo modo sunt peccata vera, tàm in foro externo, quam in interno. *Cap.* 3. CAUS. XXXII. QUÆST. V. *Cap.* 5. *De his quæ vi &c.* CAUS. XI. QUÆST. III *Cap.* 80. *Cap* 24. CAUS. XXXI. QUÆST. IV.

Quæ verò fiunt per metum, peccata sunt, si Legi Divinæ adversantur, quia sunt voluntaria; sed metus minuit illa peccata, quia efficit ut sint tantùm in parte voluntaria. *Cap.* 7. CAUS. XXXII. *Ibidem* QUÆST. VII.

Hinc qui mox dictâ vi Idolis thurificat, non peccat. Idem dic de eo, qui eâdem vi cum excommunicatis communicat; secùs, si metu thurificet. *Cap.* 3. *De Baptism.* §. 5. *Item.* Cap. 5. *De his quæ vi &c.*

2°. Metus, de quo hic, supponit vim, sive præsentem, sive futuram; agitur enim, ut dictum est, de metu, quo timentur ea, quæ per vim inferri possint. *Toto Tit. mox cit.* At vis non supponit metum; est enim metûs causa.

REGULA IV.

Quoad rem præsentem, metum non distinguit Jus Canonicum, nisi in gravem, & levem.

Infertur ex Cap. 4. & 6. *De his quæ vi &c.* in quibus metus ab externâ liberâ causâ creatus, distinguitur in eum, qui in constantes cadit, quique hic vocatur gravis; & in illum, qui in constantes non cadit, quique hic dicitur levis.

REGU-

REGULA V.

Ut metus cadat in constantem virum, requiritur & sufficit, quod versetur circà aliquod ex malis, quæ sequuntur. *Cap.* 1 6. *De his quæ vi &c.*

1o. Mors. 2o. Corporis cruciatus: Idem de injectione in vincula ferrea. *Cap. 6. cit.* Cap. 2. *De eo qui ducit quam &c.* atque in illis detentione; utràque enim corpus non modicùm cruciatur. 3o. A domo, universâque possessione expulsio. *Cap. 2. Tit. cit.*

Nota circà *Cap. 6. cit.* quod docere videatur, solum mortis vel corporis cruciatus metum cadere in constantem virum; nam concludit metum incussum Canonicis, de quibus agit, non debuisse cadere in constantes, quia nec de morte, nec de corporis cruciatu agebatur: hoc autem contrarium sit Doctrinæ *Cap.* 2. *etiam cit.* cùm ibi restituatur, qui Beneficio renunciavit ex alio metu, quàm mortis vel corporis cruciatûs, nempè ea metu expulsionis à domo, possessioneque universâ. Sed conciliari possunt hæc Capita, dicendo *Cap. 6.* loqui de viris, qui bonis temporalibus carebant, quique alia mala gravia timere non poterant, quàm mortem vel corporis cruciatum; vel sub nomine mortis bonorum temporalium privationem comprehendere, quia ad vitæ conservationem sunt necessaria; vel hæc duo mala exprimens, similia nòn excludisse; patrimonii verò jacturam esse malum morti non absimile, cùm gravi mortis periculo exponat.

REGULA VI.

Circa effectum metùs gravis, hoc unum docet Jus Canonicum; nempè, Quæcumque ex tali metu fiunt, vel rescissioni obnoxia, vel irrita esse; sed prius longè communius posteriori, ita ut istud illius exceptio videatur.

Cap. 2. 4. *De his quæ vi &c.* Primam hujus Doctrinæ Partem expressè continent: Exempla verò passim habentur. *Cap. unic. De his quæ vi. In 6.* Clem. II. *De pœnis.* Secundam Partem etiam expressè continent: Frustrà enim illa, de quibus loquuntur, novâ Constitutione irrita declararent, si talia Jure Communi fuissent: exempla verò pauca.

Hinc sequitur, Casus circà Primam Partem non esse colligendos; tùm quia nimius est illorum numerus; tùm quia quæ metu fiunt, sunt tantùm cassationi obnoxia, nisi sint de genere illorum, quæ Jus Canonicum expressè declarat irrita; Casus verò secundam Partem contingentes esse colligendos; quia & pauci, & scitu necessarii; cùm qui in illâ Collectione non reperiuntur, ad Primam Partem pertinere justè judicari debeant.

REGULA VII.

Non alii sunt in Jure Canonico Casus, in quibus irrita sint ipso facto, quæ ex metu gravi fiunt, quàm isti.

1o. Si per talem metum matrimonium contrahatur. *Cap.* 2. *De eo qui duxit.* in quo secundum matrimonium, non cassato primo per gravem metum contracto, declaratur ratum. *Cap.* 15. *De Sponsal.* ubi matrimonium valere dicitur, nisi per metum gravem contractum fuerit.

2o. Absolutio à Censuris, si per metum gravem extorqueatur, viribus vacua est. *Cap. unic. De bis quæ vi. In 6.*

3o. Resignatio Beneficii facta à Clerico injustè capto, ut renunciet, captoque detento donec renunciet, nullius est firmitatis. Clem. II. *De Pœnis.*

4o. Solemne Religionis votum per gravem metum emissum nullum est. *Cap.* 4. Caus. XX. Quæst. III. *Cap.* 1. *De bis quæ vi &c. Cap.* 19. Sess. XXV. *De Reg.*

Opponi potest *Cap. 6. De bis quæ vi*, in quo petitur restitutio contrà votum per metum emissum. At respondere potest. 1o. Multa peti incongrua ab his de quibus agitur in isto *Cap.* Undè nil concludi potest ea eo, quod restitutionem petierint contrà votum. 2o. *Cap.* 1. *Ejusd. Tit.* declarare ratum matrimonium, quod non petitâ restitutione contractum est, post votum solemne, per metum gravem emissum.

Opponi iterùm potest, mulierem de qua mox dictum *Cap.* 1. votum non emisisse, sed velum sibi simulatè impositum fuisse. At respondere potest 1o. Voti emissionem ergà mulieres, positam tunc fuisse in veli impositione. 2o. Papam hoc in casu unum considerare, an per metum gravem Religionem intraverit; undè supponit votum emissum fuisse.

Opponi etiam potest contrà *Cap.* 4. *cit. num.* 4. cucullam impositam absque Regulari institutione, ipsumque indutum habitu Monachali, absque Abbatis benedictione, & promissione servandæ Regulæ. At respondere potest, 1o. Quòd cucullæ habitusque Monachalis impositione facti tunc fuerunt Monachi, atque in illa servandæ Regulæ promissio inclusa fuit. 2o. Quòd prædictus Monachus indutus fuerit habitu Monachali ab Episcopo, cujus autoritas & benedictio potiores sunt autoritate & benedictione Abbatis.

5o. Confessio per gravem metum extorta, nullius est roboris. *Cap.* 4. Caus. XXXI. Quæst. II.

6o. Licentia vitam Regularem amplectendi, quam maritus ab uxore extorquer minis & terroribus, est nulla. *Cap.* 2. Caus. XXV. Quæst. V.

His casibus alii adjiciuntur similes; sed cùm de illis nullus sit expressus Textus in Jure Canonico, atque ex illo Juris silentio circà illorum nullitatem, illos validos inferre fas sit, illos omittimus, uno aut altero, exempli causâ, allato.

E juramento petitur Primum Exemplum; judicari siquidem posset irritum juramentum, quod per metum gravem extorquetur, quia *Cap. 6. De his quæ vi metuve &c.* eodem modo loquitur de Juramento per metum præstito, ac de voto per metum etiam emisso. Sed hoc juramentum non esse irritum patet ex *Cap.* 3. *Ejusd. Tit.* cùm doceat servandum juramentum, etiam per metum gravem factum: *Caput* verò 1. *Ejusd. Tit.* judicet non servandum votum timore mortis emissum: Cujus discriminis ratio est, quia votum solemne æquiparatur matrimonio, ideòque irritari debet per metum, sicut & matrimonium. Præterea votum solemne alligat in perpetuum Regulari statui, cujus vitam non amat, qui non elegit; quamque non diligit, facilè contemnit; undè peccandi periculo exponitur, qui invitus vitam Regularem pr[illegible] fiteri cogitur; at horum nullum convenit juramento.

E Judicio sive Sententiâ Secundum Exemplum desumitur: Judicium enim per metum gravem factum videtur nullum: sed non est revera irritum, sed irritandum, quia de Sententiâ Excommunicationis, quæ est Sententiarum præcipua, constat per *Cap. unic. De his quæ vi In 6.* non esse irritam ipso facto, si per metum gravem proferatur; si enim hæc Sententia per metum prolata, nulla esset, expressisset *Cap. cit.* cùm de Absolutione ab Excommunicatione per metum extortâ agat, atque ad illam decernendam irritam conditum sit.

Tertium Exemplum respicit rerum Ecclesiæ alienationem; considerari etenim scopum *Cap.* 2. *De Alienatione In 6.* videtur, consensum ad hujusmodi alienationem requisitum inanem esse, si per metum extorqueatur; eum hujus Capitis constitutio sit facta ad impediendum, ne per metum Prælati, Capitulaque, impellantur ad subjicienda Laïcis Ecclesiæ bona, ut patet per pœnas statutas in illos, qui ad id impellunt. Verùm licet talis sit hujus Capitis scopus, non decernit tamen alienationem irritam, nisi cùm sit sine consensu eorum quorum interest; non autem cùm sit cum consensu per metum extorto; quod confirmatur Clem. I. *De Electione*, in quâ alienatio inanis declaratur, si sine assensu prædicto fiat; non autem si consensus iste per metum habeatur.

Duplex ergo est metùs gravis effectus; efficit enim, sicut dictum est, ut actus sint aut cassationi obnoxii, aut nulli: Hoc autem discrimen est inter casus, in quibus primum effectum operatur, &

casus, in quibus secundum producit; quod in illis jus acquiratur iis, in quorum favorem fiunt, acquisitumque jus non perdant, nisi cùm, obtentâ restitutione in integrum contra eos à quibus metus gravis incussus est, actus à Judice rescinduntur; in aliis verò nullum jus acquiratur his, quibus hi actus fierent, nec ullâ opus sit restitutione, ne noceant metum passo.

Nota circa *numerum* 4 Regulæ, spectantem casus in quibus quæ vi metusve causâ fiunt irrita sunt, peculiare esse voto vi metuve emisso, quòd à jure præscribatur tempus, intra quod contrà tale votum reclamandum est, quo elapso votum habeatur ratum; tempusque istud esse quinquennium; hoc autem quinquennium non currere durante metu, si de casu isto ex Jure Communi judicare licet; est enim Juris istius Regula generalis, quod tempus non currat legitimè impedito. *Cap.* 35. *De Elect.* In 6. *Cap.* 3. *De Off. Ordin. In* 6. *§. Quòd si prætereà.* Si cessante causâ, cessat effectus, *Cap.* 26. *De Appell.* consequens est, quod, durante causâ, duret effectus.

REGULA VIII.

Circa modum quo probetur metus gravis, nihil peculiare docet Jus Canonicum, nisi quod per protestationes rei per metum faciendæ præmissas, vel factam subsequentes, probari possit; cætera sunt sibi communia cum rebus aliis, in judicio probandis. *Cap* 4. CAUS. XXXI. QUÆST. II. loquitur de hac protestatione.

Nota protestationes fieri, ne actus, circa quos fiunt, noceant protestantibus; fieri autem posse vel ante, vel post, vel dum fiunt actus: Protestationem, quæ actum comitatur, actui inseri; hanc autem fieri sciente illo, contra quem fit: quæ autem præcedit, vel sequitur, actibus non inseri; nec fieri sciente illo contrà quem fit, cùm sit occulta cautio contra apertam vim, cui apertè resisti nequit. Infertur è *Cap.* 1. *De his quæ vi metusve &c.*

REGULA IX.

Unum docet Jus Canonicum circa modum, quo effectus metûs gravis tollitur; nempè quòd tollatur, si cessante metu, ratum habeatur id, quod eo movente factum est.

Cap. 6. 21. 28. *De Sponsal.* Cap. 9. *De Despons. Impub.* Cap. 4. *Qui matr. accusar.* Cap. 12. *De Regular.*

REGULA X.

Circa metûs non gravis effectum, nil aliud docet Jus Canonicum, nisi quod impediat, ne actus, ad quos determinat, cum libertate congruâ fiant.

Cap. 29. *De Sponsalibus*, in quo improbatur pecuniariam pœnam apponi Sponsalibus, ab ea parte solvendam quæ contra illa veniet; eaque ratione quod libera debeant esse Matrimonia; undè sequitur metum non gravem impedire, ne actus, quantùm convenit, liberè fiant.

Hinc sequitur, quod si per metum non gravem ab aliquo damnosum sibi consensum eliciam, resarcire damnum tenebor, cùm illius consensus non sit plenè liber, proindeque involuntarium sit damnum, in quod consensit.

Nota obiter, metum & dolum æquiparari: undè fit, ut sicut damnum omne dolo illatum resarciendum est quoad conscientiæ forum; ita & quodcumque damnum metu illatum compensandum sit in eodem foro. *Cap.* 18. *De Jurejurand.*

De Jure Gallico circa Restitutionem contra ea, quæ fiunt vi vel metu, agitur in *Observationibus super Institutis* JUSTINIANI *ad usum Gallorum*, LIB. III. TIT. *De Obligationibus ex consensu*, ubi notat inter alia, hanc fieri solere per Litteras Regias, sicut fit Restitutio in Integrum ratione minoris ætatis, & læsionis: Nos de utraque loquemur *in fine* Tituli sequentis, *De Restitutione in Integrum*, ubi alium Autorem laudabimus, qui fusiùs & dilucidiùs eamdem rem Gallicè tractavit.

TITULUS X.

De remedio contra Contractus nullos vel rescindendos; nempè de Restitutione in Integrum.

SECTIO I.

Ecclesiarum ac Minorum Privilegium esse, ut restituantur in Integrum.

I. SI Monasterii Procurator Privilegia coram Judicibus exhibere omiserit negligenter; ne ipsius negligentia in damnum Monasterii redundet, ad audientiam restituuntur Monachi. *De Restit. in integ.* Cap. *Cùm venissent.* §. 3. *med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 41. *Cap.* 2.

Ecclesia propter negligentiam Procuratoris restituitur. *Glossa.*

Restituitur Ecclesia læsa propter negligentiam Procuratoris, qui jura Ecclesiæ non produxit. *Summa.*

II. Ecclesia fungitur jure Minoris. *De Restitut. in integ.* Cap. *Cùm auditis.* §. 1. *med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 41. *Cap.* 3.

III. In quæstione, quæ vertitur inter Ecclesias, licet utrimque sit in causa conclusum, si utraque Pars necessariam probationem omisit, Judex, æquitate pensatâ, utramque restituit contra reliquam ad probandam rationem omissam; ne alterutra Pars, propter hujusmodi negligentiam, gravi jacturâ lædatur. *Ibid.*

Ecclesia læsa restitutionem petere potest, non solùm contra privatum, sed etiam contra Ecclesiam. *Summa.*

Ecclesia restituitur incidenter ad probandam allegationem omissam; item postquàm est in causâ conclusum, datur istud beneficium. *Glossa.*

Restituere in integrum est, reducere in eum statum, in quo erat antè læsionem; & generaliter restituitur Ecclesia non solùm cùm de bonis diminuitur, sed etiam cùm interest Ecclesiam litibus & sumptibus non vexari. *Glossa*, verbo, *Contra reliquam.*

IV. Si Monasterium fuit indefensum, nec exhibita fuerunt coràm Judicibus Privilegia libertatis; ne delictum personæ in damnum Ecclesiæ redundet, debet ad exhibitionem Privilegiorum suorum admitti, & id sibi concedi postulare potest. *De Privilegiis.* Cap. *Cùm olim. il* 2. *§.* 3. LIB. V. DECR. *Tit.* 33. *Cap.* 14.

Cùm Ecclesia læsa est in Judicio, restituitur in his, quæ omisit. *Glossa.*

V. Ad probandum præscriptionem super quibusdam articulis, Restitutionem in integrum nomine Monasterii postulare potest. *De in integ.* Cap. *Suscitatâ.* *§.* 2. *&* 3. LIB. II. DECR. *Tit.* 41. *Cap.* 6.

VI. In minori constituti ætate, cùm adhuc existant intra tempus ad obtinendum beneficium in integrum Restitutionis indultum, supplicare possunt, ut Judices dignentur sibi, cùm non modicùm læsi noscantur, per idem beneficium subvenire. *De in integr. Restit.* Cap. *Constitutus.* LIB. I. DECR. *Tit.* 41. *Cap.* 8.

Restituitur Minor in eo quod contraxit, vel omisit, si probat exindè se læsum, & sit infra tempora Restitutionis petendæ. *Summa.*

VII. Si Judices præmissa invenerint veritate subnixa, & juris solemnitas forsitan in Contractu intervenerit, & eos læsos esse constiterit, eos in integrum restituere studeant. *Ibid.*

Si juris solemnitas intervenit in Contractu, & læsus sit Minor vel Ecclesia, subvenitur ei per beneficium Restitutionis in integrum. *Glossa.*

Procurator exhibere debet super hoc ex parte Ecclesiæ Speciale Mandatum. *Ibid. Cap.* 7.

VIII. Elapso termino peremptorio, Procurator Ecclesiæ ad afferenda munimenta, indulgeri Ecclesiæ dilationem, propter instructionem causæ, per auxilium restitutionis in integrum, postulare potest. *De in integ.* Cap. *Coram.* §. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 41. *Cap.* 7.

SEC-

SECTIO II.

I. Ecclesia nonnisi per officium Judicis potest postulare beneficium restitutionis. II. Cùm principaliter proponitur restitutio, fieri debet litis contestatio. III. Cùm in uno judicio fuit restitutio denegata, in alio dari non potest, nisi nova causa emergant. IV. Negari non potest restitutio ad appellandum à Sententia denegationis.

I. Cùm Ecclesia, per Sententiam prolatam se læsam enormiter conqueritur, ejus Procurator postular per Officium Judiciarium, dictam Sententiam io melius reformari, & contra eam restitui Ecclesiam. *De in int. rest.* Cap. *Tùm ex litteris.* LIB. I. DECR. *Tit.* 41. Cap. 5.

Tantùm Judicis officio, & non jure actionis, petitur restitutio. *Glossa*, verbo, *Officium.*

II. An sit restiturio danda coutra Sententiam, Partibus præsentibus decernatur, quarum assertione merita causarum panduntur. *Ibid. §.* 1. *fin.*

Utraque Parte præsente, causa restitutionis in Integrum deber examinari. *Glossa.*

III. Cùm restitutio in Integrum principaliter postulatur, litis contestationem exposcit. *De officio Judicis.* Cap. *Judicis.* LIB. I. DECR. *Tit.* 32. Cap. 2.

Cùm restitutio principaliter postulatur, ordo Juris servari debet, sicut in quolibet alio Judicio Ordinario, nisi certa actio vel causa proponatur. *Glossa.*

IV. Judicis officium pro actione (*a*) proponitur, cùm restitutio in integrum principaliter postulatur. *Ibid. init.*

(*a*) Id est, Quod actioni deficit in restitutione in integrum, Judicis officium complet.

Officium Judicis loco actionis proponitur, cùm petitur restiturio in integrum. *Glossa.*

V. Cùm restiturio in iutegrum ptincipaliter postulatur, antè & post ingressum causæ, potest ad hoc, sine litis contestatione, haberi recursus. *Ibid. fin.*

Si petatur restitutio, non principaliter, sed incidenter, quandoque post litem contestatam super personali quæstione, putà apertis attestationibus, aut etiam postquàm est in causa conclusum, allegat Pars altera, Ecclesia vel Minor, quod omisit necessariam probationem, undè petit se admitti ad probationem omissam officio Judicis: & hoc fieri potest citrà litis contestationem, & antè ingressum litis. *Glossa*, verbo, *Aliàs antè.*

Expone pro actione, id est, loco Juris Communis, & quia ei, qui nullo Jure Communi juvatur, datur restitutio in integrum per Officium Judicis. *Glossa*, verbo, *Pro actione. fin.*

VI. Beneficio restitutionis in Inregrum Ecclesiæ in alio Judicio denegato, restitutio videtur eidem Ecclesiæ posse negari; nisi novis defensionibus ad hujusmodi sit beneficium admirtenda. *De in int. Restit.* Cap. *Beneficio.* LIB. I. DECR. *Tit.* 41. Cap. 10. *ult.*

Si aliquis petat restitutionem in integrum, & contra ipsum lata fuit Sententia, denegando restitutionem; si iterùm petat restitutionem, denegari debet. *Glossa*, verbo, *Denegato.*

VII. Restitutio ad appellationem omissam, non videtur posse negari. *Ibid.*

Potest restitui ad appellandum contra Sententiam, à quâ non appellavit, quia denegata fuit restitutio. *Ibid.*

SECTIO III.

Latâ Sententiâ, statim restitutio in integrum peti potest. Ultra quadriennium differri non debet petitio illius. Adversùs lapsum temporis restitutio quibusdam in casibus concedi potest & convenit.

I. Sententiâ latâ Procurator Monasterii ad probandum præscriptionem quibusdam articulis; restitutionem in integrum, nomine Monasterii, postulare potest. *De in int. restit.* Cap. *Suscitatâ.* §. 1. & 2. LIB. I. DECR. *Tit.* 41. Cap. 6.

Ecclesia restituitur ad probandam præscriptionem post Sententiam. *Glossa.*

II. Ecclesia quæ ad retractandam Sententiam vel contractum, per beneficium restitutionis in integrum postulat se admitti; si quadriennii spatium post lapsum & negligenter omiserit, non est ad beneficium hujusmodi admittenda; nisi prævaricationis, vel fraudis manifestæ probetur super hoc intervenisse commentum; aut alia rationabilis causa subsit, quæ Superiorem movere debeat ad idem beneficium concedendum. *In 6. De Restit. in int.* Cap. *Ecclesia.* LIB. I. *Tit.* 21. Cap. 1.

Ecclesia post quadriennium non admittitur ad petendam restitutionem contra Sententiam vel contractum, nisi rationabilis aliqua causa hoc suadeat. *Glossa.*

Restiturio potest peti usque ad quatuor annos, computandos à tempore læsionis in Majoribus & Ecclesiá. *Glossa.*

III. Si adversùs confessionem in Judicio à se factam, læsa Ecclesia beneficium restitutionis in integrum, intra quadriennium, ab ipsius confessionis tempore computandum, petere negligenter omittat: non est, nisi aliquod rationabile appareat, quod illud suaserit faciendum, ad hoc ulteriùs admittenda. *In 6. De Restit. in integrum.* Cap. *Si adversus.* LIB. I. *Tit.* 21. Cap. 2.

Ecclesia cootrà confessionem, quâ læsa fuit, admittitur intra quadriennium, per beneficium restitutionis io iotegrum; posteà non. *Glossa*, verbo, *Si adversùs.*

Quadriennium restitutionis petendæ incipit currere à tempore confessionis. *Glossa.*

Ecclesia probans se læsam per lapsum temporis, ad illud tempus tantùm restituitur. *Glossa*, verbo, *Ecclesia.*

IV. Ab Ecclesiâ, adversùs lapsum temporis, in quo se læsam affirmat, in integrum restitutio peti potest. CLEMENTINA *unicâ. De restit. in int.* LIB. I. CLEMENT. *Tit.* 11. Cap. un. *init.*

Ecclesia probans se læsam per lapsum temporis, ad illud tempus tamen restituitur. *Glossa*, verbo, *Ab Ecclesiâ.*

V. Causa restiturionis hujusmodi finiri debet intrà quadriennium contiouum à tempore læsionis, etiamsi minus quadriennio tempus læsionis existat. *Ibid.*

Causa restitutionis in integrum, debet inchoari & finiri intra quadriennium, à tempore læsionis. *Glossa.*

VI. Non fiet restiturio, nisi ad tantum tempus, qnantum se læsam fore probabit. *Ibid. fin.*

Non conceditur restitutio, nisi læsione probatâ. *Glossa*, verbo, *Probabit. fin.*

SECTIO IV.

Pendente petitione restitutionis in integrum, suspensa manet Sententia executio; nisi præsumptioni sit locus; restitutionem ex malitiâ petitam esse. De illa petitione cognoscunt Judices Ordinarii, habentes administrationem, necnon & istorum Delegati, si fiat de hoc mentio in Mandatis; aliàs ut & Arbitri, de illâ non judicant, nisi incidenter.

I. Si Judex restitutionem in Integrum Monasterio duxerir indulgendam; ne per excogitaram malitiam, cùm id ex præsumptionibus pluribus videtur, effectum Sententiæ in damnum Adversarii contingar impediri; æquitate pensatâ jure provideat, ut antè omnia, supradicta Sententia executiooi mandetur. *De in integrum restitut.* Cap. *Suscitatâ.* §. 2. LIB. I. DECR. *Tit.* 41. Cap. 6.

Si restituatur in integrum contrà Sententiam is contrà quem est præsumptio, mandatur Sententia executioni, præstita cautione de restituendâ re, si priùs condemnatus in hoc judicio prævaleat. *Glossa* 1.

II. Nihilominùs mandare debet, ut ab Adversario recipiatur idonea cautio, quòd, si Monasterium in causâ ipsâ prævaluerit, universa quæ medio tempore, Sententiæ ipsius occasione, percepetit, Monasterio restituat memorato. *Ibid. §. ult.*

Hoc generale est, ubicumque in dubio aliquis admittitur, quod semper ille qui admittitur, præstabit cautionem. *Glossa*, verbo, *Cautionem*.

III. Causa restitutionis in integrum, coràm Judicibus Ordinariis Administrationem habentibus, vel Delegatis ab eis, tractati poterit & finiri; sive hoc ipsis Delegatis specialiter demandatum fuerit, sive in commisso eis negotio contingat incidere hujusmodi quæstionem. *De in int. Rest.* Cap. *Causa. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 41. Cap. 9.

Judices Ordinarii habentes Administrationem, possunt causam restitutionis in integrum examinare ac finire. *Glossa*.

Delegati ab his hoc idem facere possunt, sive hoc ipsis Delegatis commissum fuit specialiter; sive in ipso negotio incidat quæstio restitutionis. *Glossa*.

IV. Delegati ab Ordinariis, qui Administrationem non habent, sed tantummodò facultatem judicandi, seu Arbitri, de hac causâ cognoscere nequeunt, nisi coràm eis mota fuerit incidenter. *Ibid. §.* 1.

Ordinarii non habentes Administrationem, & Arbitri de hac causâ cognoscere non possunt, nisi coram eis mota fuerit incidenter. *Ibid.*

Petitio restitutionis in integrum contrà Sententiam, suspendit regulariter executionem Sententiæ in eventum istius causæ restitutionis. Fallit, si contrà petentem restitutionem est præsumptio malitiæ, nempè quòd causâ differendi executionem hoc petat. *Summa*.

Hic præfertur æquitas juri; sed hoc contingit propter præsumptionem; cùm aliàs de Jure Communi postulatâ restitutione in integrum, omnia in statu suo esse debeant, donec restitutio finita sit; sicut appellatione interpositâ nihil est innovandum. *Glossa*, verbo, *Pensata*.

SECTIO V.

Restitutionem in integrum fieri apud Gallos per Litteras à Principe obtentas, tàm à Majoribus, quàm à Minoribus, alìisque Minorum beneficia fruentibus; exceptis nonnullis casibus, ubi his Literis opus non est.

Præter Autorem suprà citatum *in fine Tit.* 1. *De iis quæ vi metuve fiunt*, alii sunt, qui de rescissione loquuntur, eamque explicant sub nomine restitutionis in integrum. Illorum præcipuus est Autor *Institutionis ad Jus Gallicum*, qui LIB. IV. *Cap.* 14. sic inscribit: *De Restitutionibus in integrum*: Numero plurali utitur, quia agit insimul de duplici restitutione, Majorum, quæ sit ratione læsæ libertatis per vim, vel metum, vel dolum; & Minorum, quæ fit ratione minoris ætatis, & læsionis inde provenientis. Circà utramque docet 1°. Fieri à Principe per Literas rescissionis Judici directas, ut audiat Partes circà exposita in illis, & restituat læsum in pristinum statum, si probet vel vim, vel metum, vel dolum, vel minorem ætatem, & læsionem indè procedentem; in illo examine servandum Ordinem Judiciarium, & attendendum, an probata restitutionem mereantur. Docet 2°. Jus Gallicum concedere decennium ad petendam restitutionem, illudque incipere in Majoribus à die læsionis; in Minoribus à die majoritatis completæ: Idem habet prior Autor laudatus *citata loca*.

Docet 3°. Prædictas Literas necessarias esse, etiamsi contractus sint ipso jure irriti, idque, quia viæ nullitatis non admittuntur in Galliâ; de quo fusiùs IMBERTUS *in Enchiridio*, & Nos *in Consultatione max subjicienda*, cujus principii duæ afferuntur exceptiones: Prima, cùm nullitas fertur ab Ordinatione Regia; Altera, cùm inducitur à consuetudine: Circa posteriorem exceptionem extare Casus, in quibus tutius est illis Literis muniri: Ratio usus Gallicani, quo contractus non rescinduntur, nec declarantur nulli absque Literis Regiis, hinc peti videtur, quod conveniens judicatum sit, ut quâ authoritate rescissioni obnoxii sunt vel irriti, eâdem autoritate rescindantur vel declarentur irriti.

Quoad autem actus nullos, qui tales pronunciantur absque his Literis, præcipui sunt Matrimonia, Professio Religiosa, Resignationes in favorem, Permutationes, facti non servatâ formâ substantiali, ad quam præcipuè pertinet libertas plena, necnon & ætas: hos verò actus certum est irritos pronunciari solâ autoritate Judicis, idque patet experientiâ quotidianâ: Cujus causa fortè est, vel saltem esse apparet, quòd judicia de illis negotiis quoad petitorium dimitterentur Judici Ecclesiastico, qui autoritate Ecclesiæ ad illa procedebat.

TITULUS XI.

De Furto, & ejus restitutione.

SECTIO I.

Furtum est illicita usurpatio rei alienæ: Furtum est quicquid invito Domino aufertur; Furti species Rapina, Peculatus, Sacrilegium; omnes à Deo sunt prohibita.

I. FUrti nomine benè intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ. CAUS. XIV. QUÆST. V. *Cap.* 13. *Pænale. med.* & CAUS. XXXII. QUÆST. IV. *Cap.* 11. *Meretrices.* fin. S. AUGUST. *Quæstionum in Exodum Quæst.* 71. n. 4. *fin.* circ. ann. 419.

II. Qui rem contrectat alienam, Furtum committit vel rapinam. *De Elect.* Cap. *Dudum. med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 54.

Furtum committit, qui rem alienam invito Domino contrectat. *Glossa*, verbo, *Furtum*.

III. Non quicquid ab invito sumitur, injuriosè aufertur; nam plerique nec Medico volunt reddere honorem suum, nec operario mercedem; nec tamen hæc qui ab invito accipiunt, per injuriam accipiunt. CAUS. XIV. QUÆST. V. *Cap.* 15. *Non sanè. init.* S. AUGUST. *Epist. aliàs* 54. *ad* MACEDON. *nunc* 153. n. 23.

Hinc addunt in definitione furti, contrectatio rei alienæ Domino rationabiliter invito. *ann. circ.* 414.

IV. Amico quidpiam rapere furtum est. CAUS. XII. QUÆST. II. *Cap.* 71. *Gloria.* §. 2. Ex *Conc.* VASENSI ann 442. *Can.* 4. *fin.* TOM. II. CONC. *p.* 1457.

V. Ecclesiam fraudare sacrilegium est. *Ibid. Conc.* MELD. *ann.* 845. *Cap.* 60. TOM. VII. CONC. *p.* 1837.

VI. Peculatus furtum dicitur de re publicâ. CAUS. XXIII. QUÆST. IV. *Cap.* 3. *Quid ergò. med.* S. AUG. *Tract.* 50. *in* JOAN. *ad Cap.* 12. n. 10. circ. ann. 412.

VII. Deus usurpare vetat alienum. CAUS. XXXIII. QUÆST. V. *Cap.* 6. *Una sola. fin.* S. AUGUST. *Epist. al.* 54. *nunc* 153. 41 t.

VIII. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur. CAUS. XVII. QUÆST. IV. *Cap.* 18. *Qui rapit.* ANACLET.

IX. Non rapinam permisit, qui furtum prohibuit; sed utique furti nomine in Lege Veteris Testamenti, & rapinam intelligere voluit; à parte enim significavit quicquid

quicquid illicitè rerum proximo aufertur. CAUS.XIV. QUÆST. V. *Cap.* 13. *Pœnale. med.* & CAUS. XXXII. QUÆST. IV. *Cap.* 11. *Meretrices. fin.* S AUG. *Quæst. in Exodum Quæst.* 71. *n.* 4. *fin* circ. ann. 419.

X. Per conventionem non licet rem alienam invito Domino possideri. *De precariis.* Cap. *Precarium.* LIB. III. DECR. *Tit.* 14. *Cap.* 3. GREGOR. IX. ann. circ. 1235.

XI. Si caballos alienos tulerit, indè est culpabilis. DIST. L. *Cap.* 48 *Quantum.* §. 1. GELASIUS circ. ann. 495. sive potius PELAGIUS SINOULÆ *Magistro militum.* PITH. S. HIERON. *Epist. ad* NEPOTIANUM. ann. circ. 392.

Hoc universitas præcavere debet, tàm Sacerdotes quam Principes, omnisque populus, ut nullus res alienas competere à Regis audeat potestate. *Conc.* PARIS. III. *ann.* 557. *Can.* 6. TOM. V. CONC. *p* 816.

Si quis alicujus hominis possessionem per violentiam sibi conatus fuerit usurpare, reus publici juris efficitur, & tanquam raptor & invasor hæreditatis alienæ, legali judicio puniendus subjicitur. BENEDICTUS III. *in Privil. exempt. Monasterii* CORBEIÆ. *an.* 855. TOM. VIII. CONC. *p* 239. *Conc.* TRIBUR. *an.* 895. *Can.* 31. TOM. IX. CONC. *p.* 456.

SECTIO II.

Furtum quodcumque, & quacumque intentione factum, peccatum est: Tempus & locus varias ejus species efficiunt; & pro specierum diversitate magis vel minùs puniendum est.

I. Fur non solùm in majoribus, sed etiam in minoribus judicatur; non enim id quod furto ablatum est, sed mens furantis attenditur. CAUS. XIV. QUÆST. VI. *Cap.* 4. *Fur autem. init.*

Statera dolosa, pondera inæqualia. *Conc.* PARIS. VI. *ann.* 829. Cap. 51. TOM. VII. CONC. *p.* 1630. S. HIERON. *in Epistolam ad* TITUM *ad* Cap. 2. *ann.* 386.

II. In furto quantumcumque quis abstulerit, furti crimen incurrit. *Ibid. fin.*

III. Prodesse possumus & furando, si pauper, cui palàm datur, sentit commodum; & dives, cui clàm eripitur, non sentit incommodum; nec ideò tale furtum quisquam dixerit non esse peccatum. CAUS. XXII. QUÆST. II. *Cap.* 4. *Is autem.* §. 2. S. AUG. *Enchir.* Cap. 22. *med.* circ. ann. 421.

IV. Tempus discernit effractorem vel furem diurnum à nocturno. CAUS. XXXIII. QUÆST. III. *De Pænitent.* DIST. I. *Cap.* 19. *Aut facta.* §. 5. DIGESTORUM. *Tit. De Pœnis.* Leg. Aut facta, *seu* LIB. XLVIII. *Tit.* 19. *Lege* 16. §. 5.

V. Locus facit, ut idem, vel furtum, vel Sacrilegium sit, & capite luendum, vel minore supplicio. *Ibid.* §. 4.

VI. Pœnale est occultè auferre, multò majoris pœnæ est visibiliter eripere CAUS. XIV. QUÆST. V. *Cap.* 13. *Pœnale. init.* Tribuitur S. AUG. sed ejus non est illud initium.

VII. Crimina discernuntur in foro qualiscumque furti & peculatûs; & non sic judicatur furtum rei privatæ, quomodò publicæ. CAUS. XXIII. QUÆST. IV. *Cap.* 3. *Quid ergo med.* S. AUG. *Tract.* 50. *in* JOAN. *ad* Cap. 12. *n.* 10. circ. ann. 412.

VIII. Quantò vehementiùs judicandus est Sacrilegus fur, qui ausus fuerit, non undecumque tollere, sed de Ecclesiâ tollere? Qui aliquid de Ecclesiâ furatur, Judæ perdito comparatur. *Ibid. fin.*

IX. Fraternitas tua ex personâ furis pensare potest, qualiter valeat corrigi: sunt enim quidam, qui habentes subsidia furtum perpetrant; & sunt alii, qui ex inopiâ delinquunt. Undè necessè est, ut quidam damnis, quidam verò verberibus corrigantur. CAUS. XII. QUÆST. II. *Cap.* 11. *Fraternitas. init.* GREG I. *Cap.* 4. *Responsionum* AUGUSTINO *Anglorum Episcopo. an.* 604.

SECTIO III.

Sacrilegium facit, qui res Ecclesiæ, Ecclesias, loca Sacra, & res profanas in Sacro loco positas, diripit.

I. Qui pecuniam, vel res Ecclesiæ abstulerit, Sacrilegium facit. CAUS. XVII. QUÆST. IV. *Cap.* 18. *Qui rapit. fin.* ANACLETUS.

II. Nulli liceat ignorare quod omne quod Domino consecratur, sive fuerit homo, sive animal, sive ager, vel quicquam semel fuerit consecratum, Sanctum Sanctorum Domino erit, & ad jus pertinebit Sacerdotum; propter quod inexcusabilis erit omnis, qui à Domino & Ecclesiâ, cui competunt, aufert, vastat, invadit vel eripit; & usque ad emendationem, Ecclesiæque satisfactionem, ut Sacrilegus judicetur. CAUS. XII. QUÆST. II. *Cap.* 3. *Nulli. Ex* CAPITULARIB. LIB. VI. *Cap.* 303. ann. circ. 810.

III. Qui Ecclesiam vastat, & ejus prædia & donaria expoliat & invadit, fit Sacrilegus. CAUS. XVII. QUÆST. IV. *Cap.* 12. *Sicut. init* PIUS I. fortè ann. 157.

IV. Si quis Ecclesiasticas oblationes, & quod Deo consecratum est, rapuerit, vel consenserit facientibus, ut Sacrilegus dijudicetur. CAUS. XII. QUÆST. II. *Cap.* 10. *In legibus. fin.*

V. Sacrilegium committitur, si quis infregerit Ecclesiam, aliquid indè diripiendo vel auferendo. CAUS. XVII. QUÆST. IV. *Cap.* 21. *Quisquis.* §. 1. JOAN. VIII. *Omnibus Episcopis. ann.* 878.

VI. Similiter Sacrilegium committitur auferendo Sacrum de Sacro, vel non Sacrum de Sacro, sive Sacrum de non Sacro. *Ibid.* §. 2.

VII. Si quis Domum Dei violaverit, & aliqua, sine licentiâ illius cui commissa esse dignoscitur, inde abstulerit; Sacrilegii periculo ab omnibus obnoxius teneatur. *Ibid.* §. 3.

VIII. Si qui Monasteria, & loca Deo dicata, & Ecclesias infringunt, & deposita vel alia quælibet exindè abstrahunt, velut Sacrilegi Canonicæ Sententiæ subigantur. *Ibid.* §. ult. 4.

IX. Omnes Ecclesiæ raptores Sacrilegos esse judicamus; & non solùm eos, sed omnes consentientes eis. CAUS. XVII. QUÆST. IV. *Cap.* 5. *Omnes. in Epistolâ* LUCII I. *ann* 254.

X. Sacrilegium & contra Leges est, si quis quod Venerabilibus locis relinquitur, pravæ voluntatis studiis, suis tentaverit compendiis retinere. CAUS. XVII. QUÆST. IV. *Cap.* 4. *Sacrilegium.* GREG. I. LIB. VIII. *Epist.* 6. SABINO *Subdiacono. ann.* 599.

SECTIO IV.

Genus furti est cum fure partiri; non indicare, vel possidere aliena; non reddere quod inventum est.

I. Qui cum fure partitur, occidit animam suam. *De furtis.* Cap. *Qui cum fure. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 18. Cap. 4.

Per consensum etiam accipiendo vel occultando: Tales enim tenentur de furto. *Glossa,* verbo, *Partitur.*

II. Non fur solùm, sed ille reus tenetur, qui furti conscius quærente possessore non indicat. *Ibid. De furtis.* Cap. *Qui cum fure.* LIB. V. DECR. *Tit.* 18. Cap. 4.

Non solùm fur tenetur furti, sed ille etiam, qui conscius furti, non indicat Domino ipsum quærenti. *Glossa.*

III. Omne quod malè possidetur, alienum est. CAUS. XIV. QUÆST. IV. *Cap.* 11. *Quid dicam. fin.*

IV. Quod malè possidetur, alienum est. *De verb. signif.* Cap. *Jus.* LIB V. DECR. *Tit.* 40. Cap. 12.

V. Rapinam emere non licet, nisi eâ intentione, ut cui est ablata reddatur. CAUS. XIV. QUÆST. V. *Cap.* 5. *Rapinam.* S. AMBROS.

VI. Si quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti; quantùm potuisti, fecisti: Quia plus non invenisti, ideò non plus rapuisti. Qui alienum negat, si posset & tolleret. Deus cor interrogat, non manum. CAUS. XIV. QUÆST. V. *Cap. 6. Si quid.* S. AUG. *Serm. al.* 19. *De verbis Apostoli, nunc* 178. *n.* 9 *&* 10.

VII. Multi sine peccato putant esse, si alienum, quod invenerint, teneant; & dicunt, Deus mihi dedit, cui habeo reddere? Discant ergò peccatum hoc esse simile rapinæ, si quis inventa non reddat. CAUS. XIV. QUÆST. V. *Cap.* 8. *Multi.* ORIGENES *Homil.* 4. *ad Cap.* 6. LEVITICI. *circ. ann.* 217.

VIII. Verum est in tantùm aliquos furti actione teneri, quantùm abstulerunt. CAUS. XXXIII. QUÆST. III. *De Pœnitentiâ.* DIST. I. *Cap.* 16. *Vulgaris. med.*

SECTIO V.

Quatuor modis plus peti posse. Non licere plus petere. Creditorem plus petentem in expensis condemnandum.

I. Te dubitare non credimus, quod causâ plus petitur, cùm aliquid in genere, vel sub alternatione debetur, & rem in specie, vel unum, præcisè peti contingit. *De Plus petitionib.* Cap. unic. §. 4. LIB. II. DECR. *Tit.* 11. Cap. unic.

Plus petitur causâ, vel tempore, reque, locoque.

Promisi hominem in genere, non istum vel illum, si tu petis à me istum præcisè, causâ plus petis & injuriam mihi facis.

II. Re autem, si decem sint debita. & viginti petantur. *Ibid.* §. 5. Item promisi tibi decem, vel Stichum; in optione meâ est solvere quem volo; si tu petis à me precisè Stichum, auferre mihi vis electionem: quod esse non debet.

III. Loco verò, cùm quis non ubi convenit solvere, sed alibi convenitur. *Ibid.* §. 6.

IV. Tempore quoque, cùm ante diem vel conditionem petitur quod debetur. *Ibid.* §. *ult.*

V. Consilium providentiæ dici non potest, quod pecuniam tibi debitam ante terminum, ab Adversario postulasti. *Ibid. init.*

VI. Punitur importunitas plus petentium, si super petitione suâ duxerint in judicio persistendum. *Ibid.* §. 1.

VII. Qui repetunt ampliùs sine causâ, in expensis Adversario condemnantur. *Ibid.*

VIII. Qui plus loco, ad interesse tenentur; pro eo quod utilitas adimitur debitoribus, quam haberent, si statuto loco solvissent. *Ibid.* §. 2.

IX. Ei à quo ampliùs tempore petitur, induciæ duplicantur; nec litem excipiet, nisi ei solvantur expensæ. *Ibid.* §. 3.

SECTIO VI.

Restituendum esse quicquid alienum est, seu ablatum sit, seu aliter occupatum.

I. Omni studio procurandum est, ut recipiat unusquisque, quod proprium est. CAUS. XXXIV. QUÆST. I. & II. Cap. 1. *Cùm per belliciam.* LEO I. *Epist. al.* 79. *nunc* 129. Cap. 1. *fin.* circ. ann. 458.

II. Multa, quæ ad eos, qui in captivitatem ducti sunt, pertinebant, in jus alienum transire potuerunt; & tamen plenum justitiæ est, ut eisdem reversis propria reformentur; quod in mancipiis, vel in agris, aut etiam in domibus ac possessionibus ritè servatur. *Ibid.* §. 1. *Ibid. Cap.* 2.

III. Qui homini non studet reddere, quod injustè ab eo abstulit, non timet adhuc Deum, & ignorat quid sit vera pœnitentia, veraque confessio. CAUS. XVI. QUÆST. II. *Cap.* 5. *Non qui Deo.* S. AMBR. *Serm.* 1. *De Quadrag.*

IV. Qui contra jus Societatis Humanæ, furtis, rapinis, calumniis, oppressionibus, invasionibus abstulerit, reddenda potiùs, quàm donanda (*a*) censemus, ZACHÆI Publicani Evangelico exemplo. CAUS. XIV. QUÆST. V. *Cap* 15. *Non sanè.* §. *ult.* (*a*) Pauperibus *Glossa*, verbo, *Donanda.*

S. AUG. *Epist. al.* 54. *nunc.* 153. circ. ann. 414.

V. Qui rapinas & deprædationes peragunt, dignè quæ perpetrarunt emendent. *De Raptorib.* Cap. *De illis. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 17. Cap. 1.

VI. Illud fidentissimè dixerim, eum, qui pro homine ad hoc intervenit, ne malè ablata restituat, & qui ad se confugientem, quantùm honestè potest, ad restituendum non compellit, socium esse fraudis & criminis; nam misericordiùs opem nostram talibus subtrahimus, quàm impendimus. CAUS. XIV. QUÆST. VI. *Cap.* 1. *Si res aliena.* §. 3. S. AUG. *Epist. al.* 54. *nunc* 153. circ. ann. 414.

VII. Locupletari non debet aliquis cum alterius injuriâ, vel jacturâ. *In* 6. *De Reg. Juris. Reg.* 48.

VIII. Si quis de utensilibus, vel de omni supellectile alterius præsumpsisse aliquid, vel occultè fuerit tulisse convictus; secundùm furti tenorem restituat universa. CAUS. XIII. QUÆST. V. *Cap.* 6. *Sicubi. fin. Ex* TARRACONENSI *Concilio.* Cap. 12. *ann.* 516. Vide TOM. IV. CONC. *p.* 705. jubentur omnia restitui *Bassiano*, si probatum fuerit, ablata fuisse.

Non raptor, non prædo pauperum, Regnum Dei possidebit, nisi perfectam egerit Pœnitentiam, & injustè sublata reddiderit. *Concilium* TROSLEIAN. *ann.* 909. Cap. 7. TOM. IX. CONC. *p.* 541.

SECTIO VII.

Restituendum esse iis ipsis, à quibus aliquid ablatum est, vel eorum hæredibus; ac tandem in utrorumque defectum pauperibus erogandum, si sit facultas ad restituendum.

I. Quæ occuparunt, eis, quorum fuerunt, tenentur in integrum restituere, si habent in facultatibus, undè possint ea reddere. *De Homicidio.* Cap. *Sicut dignum.* §. 5. *Eos insuper. post init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 12. Cap. 6.

Si fieri potest restitutio, sine illâ nec peccatum dimitti, nec salus obtineri potest. Non sufficit pauperibus erogare; Restitutio fieri debet iis, quibus ablatum est, vel eorum hæredibus, vel tandem pauperibus, si hæres non extat, pretium cui detur. *Ibid.*

II. Licet quædam ex his, quæ occupaverunt, fateantur se pauperibus erogasse; non tamen aliena, cùm ipsa potuissent eis, quorum fuerint restituere, debuerunt pauperibus erogare. *Ibid.*

Non sufficit occupanti bona alterius, quod eroget illa pauperibus, cùm potuerit restituere eis, quorum constat fuisse. *Rubr.*

III. Si res aliena, propter quam peccatum est, cùm reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur; Si non veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; sed cùm restitui potest: Plerumque enim qui aufert, amittit; sive alios patiendo malos, sive ipse malè vivendo; nec aliud habet, undè restituat. CAUS. XIV. QUÆST. VI. *Cap.* 1. *Si res. init.* S. AUG. *Epist. al.* 54. *nunc* 153. *ad* MACEDONIUM, circa ann. 414. Refertur in *Concilio* TROSLEIANO. *Cap.* 7. ann. 909. TOM. IX. CONC. *pag.* 541. Quicquid in eis fuerit fraudis inventum, cum pœnâ Legibus statutâ reddere compellantur. DIST. LXXXIX. *Cap.* 5.

IV. Huic non possumus dicere: Redde quod abstulisti, nisi cùm habere credimus, & negare. *Ibid.* §. 1. *init.*

V. Juxta verbum S. AUG. Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. *De usuris.* Cap. *Cùm tu.* §. 1. *fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 19. Cap. 5.

VI. Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum. *In* 6. *De Reg. Juris. Reg.* 4.

VII. Etiamsi totum tribuat pauperibus quod abstulerit, addit potiùs peccata, quàm minuat. CAUS. XIV. QUÆST. V. Cap. 3. *Fortè. fin. In Appendice.* S. AUG. *Serm.* 287. *n.* 2.

VIII. Nemo qui rapit, moriens si habet undè reddat, salvatur: Si eos, quorum fuit, invenire non poterit, Ecclesiæ vel pauperibus tribuat. CAUS. XIV. QUÆST. V. Cap. 4. *Nemo.* S. HIERON.

IX. Cogendi sunt eas res, his à quibus extorserunt, vel eorum hæredibus restituere; vel his non superstitibus, pauperibus erogare; dummodò in facultatibus habeant unde ipsis possint eas restituere *De usuris.* Cap. *Cùm in.* §. 1. *fin.* LIB. V DECR. *Tit.* 19. Cap. 5. Quamdiù invenitur cujus est res restituenda, vel ejus hæredes, non debet pauperibus erogari. *Glossa.*

X. Inanis est actio, quam inopia debitoris excludit. *De restit. Spoliat.* Cap. *Olim. il* 2. §. 1. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 16.

SECTIO VIII.

Differri posse restitutionem, vel illam nan posse imperari, cùm Debitor facultatem non habet restituendi.

I. Etiam in multis casibus restitutio differtur secundùm Canonicas Sanctiones. *De Restit. Spoliat.* Cap. *Litteras.* §. 4. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 13.

II. Quia res non valet ultra restitui, studii sui sit, ut debeat pretium dare. CAUS. XIV. QUÆST. VI. *Cap.* 2. *Camperimus. fin.*

Cùm res aliena non potest restitui, non ipsa, sed ejus æstimatio est restituenda. *Glossa.*

III. Quoniam possessionem restituere non poteratis, loco ipsius tantùmdem possessionum æquivalentium, ad arbitrium bonorum virorum, fecimus assignari. *Ut lite pendente.* Cap. *Ecclesia. il* 2. §. 3. LIB. II. DECR. *Tit.* 16. Cap. 4.

Cùm res restitui non potest, in alio æquivalenti fieri debet restitutio. *Glossa.*

Quoniam præfatam possessionem neque restituere poterat Ecclesiæ spoliatæ, loco illius tantumdem possionum æquivalentium, secundùm arbitrium dilectorum filiorum, eidem Ecclesiæ fecimus assignari. *De Constit.* Cap. *Ecclesia. med. in ingr.* LIB. I. DECR. *Tit.* 2. Cap. 10.

IV. Non priùs aliquem ad restitutionem fructuum compellatis, quàm ipse fuerit taliter restitutus, ut restituere possit, quod percepit de proventibus alienis. *De restitut. spoliat.* Cap. *Olim. il* 2. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 16.

SECTIO IX.

Sacerdotes monere debent. ut fiat restitutio. Nolentibus restituere, cùm possunt, Pœnitentia denegari debet; imò possunt excommunicari. Factâ restitutione, nihilominùs Pœnitentia imponi debet. Fures, si deprædando occidantur, pro eis orandum non est: Si tantùm vulnerentur, & peccata confiteantur, Communio non negatur.

I. Nolentes reddere, quòd novimus, & malè abstulisse, & unde reddant habere, arguimus, increpamus, obtestamur, quosdam clàm, (si est occultum, *Glossa, hoc verbo*) quosdam palam, (si est manifestum, *Glossa. hoc verbo*) sicut diversitas personarum diversam videtur posse recipere medicinam. CAUS. XIV. QUÆST. VI. Cap. 1. *Si res.* §. 3. *fin.* Vide *Conc.* PARIS. III. *ann.* 557. *Can.* 3. TOM. V. CONC. *pag.* 816.

II. Qui violenter surrexerit in rapinam, sive manifestè fuerit deprehensus, nisi priùs ablata restituat, si poterit, vel emendandi firmam & plenam securitatem fecerit, Pœnitentiæ beneficium ei penitùs denegetur. *De Raptorib.* Cap. *Super eo.* §. 1. LIB. V. DECR. *Tit.* 17. Cap. 2.

III. Si usque ad obitum in contumaciâ suâ duraverit, & in extremis positus, remedium Pœnitentiæ humiliter postulaverit; si emendationem, vel emendandi securitatem præstiterit, ei pœnitentia concedatur. *Ibid.*

Hæredes moneas & compellas, ut his, quibus ille per incendium, vel alio modo, damna contrà justitiam irrogaverat, juxtà facultates suas condignè satisfaciant. *De Raptorib.* Cap. *In litteris.* §. 1. LIB. V. DECR. *Tit.* 17. Cap. 5.

IV. Qui in sanitate obstinatâ mente non pœnituerit, vel emendaverit, & in morte securitatem præstare nequiverit, de peccato contrito viaticum non negetur. *Ibid.* §. 2. Hæredes tenentur pro delicto defuncti. *Glossa*, verbo, *Hæredes.*

V. Inducere studearis, ut universa per violentiam occupata restituat: Quod si acquiescere noluerit, ipsum ad hoc cogaris per Sententiam Excommunicationis. *De Jurejur.* Cap. *Sicut.* LIB II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 29. *Sæculo. Glossa*, verbo, *Ipsum liberari.*

VI. Quæ occuparunt tenentur in integrum restituere, si habent in facultatibus, undè possint ea reddere; & ipsis ex hoc moderata est Pœnitentia injungenda. *De homicidio.* Cap. *Sicut dignum.* §. 6. *Eos insuper.* LIB. V. DECR. *Tit.* 12. Cap. 6.

Nihilominùs est talibus pœna imponenda propter peccatum quod ipsi contraxerunt, contrectando res alienas, invitis Dominis. *Glossa*, verbo, *Non tamen alienas.*

VII. Qui rem detinere præsumpsit, si exindè satisfecerit, peragere debet pœnitentiam. *De furtis.* Cap. *Ex litteris.* LIB. V. DECR. *Tit.* 18. Cap. 5.

Licet quis satisfaciat de furto, nihilominus est illi pœnitentia imponenda. *Glossa.*

VIII. Fures & latrones, si in furando vel deprædando occiduntur, visum est pro eis non esse orandum. *De Furtis.* Cap. *Fures. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 18. Cap. 2. CAUS. XIII. QUÆST. II. Cap. 31. *Fures.*

Si fures in furando fuerint interfecti, non esse orandum pro eis. *Glossa.* Quia in mortali peccato eos decessisse constat. *Glossa*, verbo, *Non esse orandum. Ex Concil.* TRIBURIENSI. *Cap.* 31. anno 895.

IX. Si comprehensi aut vulnerati Presbytero confessi fuerint, Communionem eis non negamus. *Ibid. fin.* & CAUS. XIII. QUÆST. II. Cap. 31. *Fures.* Vide *Concil.* AUREL. II. ann. 535. *Cap.* 15. TOM. IV. CONC. *p.* 178. *Conc.* NEMAUSENSE ann. 1096. *Cap* 11. TOM. X. CONC. *p.* 608. Si vulnerati fuerint, Communio eis negari non debet. *Glossa.* Ex *Conc.* TRIBURIENSI. *Cap.* 31. anno 895.

SECTIO X.

Eos etiam, qui furta restituere nequeunt, torqueri debere. Ecclesiam non posse illos tradere ad infligendum pœnas corporales, sed posse justo modo intercedere, ne puniantur. Judices non posse cogere ad solvendum qua non rapuit: Si temerè id faciant, tenentur ablata restituere.

I. Qui aufert, nec aliud habet undè restituat, si aliquos sustinet cruciatus à repetente, dum existimatur habere quod reddat; nulla est iniquitas; quia etsi non est undè reddat ablatam pecuniam, meritò tamen, dum eam per molestias corporales reddere compellitur, peccati, quo malè ablata est, pœnas luit. CAUS. XIV. QUÆST. VI. *Cap.* 1. *Si res.* §. 1. S. AUG. *Epist. al.* 54. *ad* MACEDONIUM. *Nunc.* 153. ann. circ. 414.

II. Num-

II. Numqoid nos aut exigere, (*a*) ant ad exigendum tradere, vel possumus vel debemus? agimus quantùm Episcopalis facultas dat, & Humanum quidem nonnunquam, sed maximè ac semper Divinum Judicium comminantes. *Ibid.* §. 3. *med.*

(*a*) Id est, pœnas corporales insligere non potest. *Glossa*, verbo, *Exigere*. Quod Ecclesia non potest.

III. Inhumanum non est, etiam pro talibus intercedero, tanquam pro reis criminum; non ad hoc ut minimè restituantur aliena, sed ne frustrà homo in hominem sæviat. *Ibid.* §. 2.

IV. Hi, qui in furtis publicis implicati sunt, à nobis non videantur injustè defendi; ne opinionem malè agentium ex indiscretæ defensionis ausu in nos olln modo transferamus. CAUS. XIV. QUÆST. VI. *Cap.* 3. *Hi qui. init.* GRAO. I. LIB. VII. *Indict.* 2. *Epist.* 24. annn 599.

Ne Ecclesia fures injustè defendat, ne ea hoc ipsa infametur. *Glossa.*

V. Quantùm decet Ecclesiam, admonendo & verbum intercessionis adhibendo, quibus valetis succurrite, ut & illis opem feratis, & opininnem Sanctæ Ecclesiæ non inquineris. *Ibid. fin.*

Sed monendo & intercedendo opem ferat, in quantùm decet Ecclesiam. *Glossa.*

VI. Pernicinsum esset, aliquem cogi ad id, quod non rapuit, exsolvendum. *De excessib. Prælat.* Cap. *Dilectus. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 31. Cap. 13.

VII. Si quis aliquem super furti nomine accuset, propter qood per Judices injustè bonis propriis spolietur, & posteà furtum apud alios inveniatur, & quod ipse fuerit innocens faciente Domino reveletur; Judicibus incumbit, ut ablata restituant universa. *De purgatione vulgari.* Cap. *Significantibus*. LIB. V. DECR. *Tit.* 35. Cap. 2.

SECTIO XI.

Non licere quidquam Deo vel pauperibus dare; ex iis quæ malè ablata sunt.

I. Comperimus, nullam extitisse causam, pro qua res Judæorum potuissent rationabiliter occupari, atque eas esse inconsultè ac temerè consecratas. CAUS. XIV. QUÆST. VI. *Cap.* 2. *Comperimus.*

Res aliena consecrari non potest; qui consecrat, raptor est. *Glossa.* GREG. I. LIB. VII. *Indict.* 2. *Epist.* 58. ann. 599.

II. Si agris iniquè ac perperàm invasis ita quisque utatur, ut ex eorum fructibus largas eleemosynas faciat; non ideò rapinam justificat. CAUS. XIV. QUÆST. V. *Cap.* 9. *Neque enim. init.* S. AUG. LIB. *De bono conjugali.* Cap. 14. *n.* 16. circ. ann. 401.

III. Fortè aliquis hoc secum cogitat & dicit; Multi sunt Christiani divites, avari, cupidi; non habebo peccatum, si suum illis abstulero, & pauperibus dedero; undè enim illi nihil boni agunt, mercedem habere potero, si ego eleemosynas dedero. Etiam in hac re parcat unusquisque animæ suæ, quia hujusmodi cogitatio ex Diaboli calliditate suggeritur. CAUS. XIV. QUÆST. V. *Cap.* 3. *Fortè. In Appendice Sermonum* S. AUG. *Serm.* 287.

IV. Nolite velle eleemosynas facere de fœnore & usuris. CAUS. XIV. QUÆST. V. *Cap.* 1. *Nolite.* S. AUG. *Serm. al.* 35. *De verbis Domini. nunc.* 113. *n.* 2. *post med.*

V. Qui malè tollit, ut quasi benè præbeat, constat sine dubio quia Dominum non honorat. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 27. *Non est putanda.* §. 2. GREG. I. LIB. VII. *Epist.* 110. ann. 599.

VI. Qui hac intentione malè accipit, ut quasi benè dispenset, gravatur potiùs quàm juvatur. *Ibid.* CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 27. *Non est.* §. 1.

Furta facienda non sunt, etiam voluntate pascendi pauperes Sanctos; quod tantùm faciendum est non perpetrando furta, sed benè utendo Mammonâ iniquitatis. CAUS. XXXII. QUÆST. IV. *Cap.* 10. *Sic non sunt.*

SECTIO XII.

In extremâ necessitate licere cuilibet aliundè tollere, undè vitam sustentare queat.

I. Ubi cuncta deficiunt, nullis pauperibus jure Poli in extremæ necessitatis articulo, ad providendum sustentationi naturæ, via omnibus extremâ necessitate detentis concessa præcluditur; cùm ab omni lege extrema necessitas sit exempta. *In* 6. *De verb. Signif.* Cap. *Exiit.* §. 10. *Nec quicquam.* LIB. V. *Tit.* 12. Cap. 3.

II. Necessitas legem non habet. *De consecr.* DIST. I. *Cap.* 11. *Sicut. med.* FELIX *Episcopus omnibus Orthodoxis. Epistolâ.* 1. ann. 530.

III. Si quis propter necessitatem famis aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem, vel pecus, pœniteat (*a*) hebdomadas tres; & si reddiderit, non cogatur jejunare. *De furtis.* Cap. *Si quis.* LIB. V. DECR. *Tit.* 18. Cap. 3.

(*a*) Ex eo, quòd pœnitentia imponitur, colligitur quod modica fuerit necessitas; si tamen magna fuisset, non imponeretur pœnitentia. *Glossa*, verbo, *Pœniteat.*

EXPLICATIO TITULI XI.

Seu, Regula circa furtum, è Jure Canonico deprompta.

FUrtum considerari potest in genere, vel in specie. Circa Primum quæri potest.

1°. Quid furti nomine intelligatur?

2o. Qunt sint furti species?

3o. Quæ peccatorum genera ad furtum reducantur?

4o. Quid commune omni rei sub furto comprehensæ?

5o. Qua viâ furtum detegere liceat, quâ non liceat?

6o. Qui inter fures connumerandi?

7°. Quæ à furto excusent?

Circa Secundum quæri potest:

1o. Quid de qualibet furti specie Canon doceat?

2o. Quid etiam doceat circa quodlibet peccati genus, quod ad furtum reducitur.

3o. Quid de damno injustè illato.

PARS PRIMA.

Regula circa furtum in genere consideratum.

§. I.

Quid nomine furti intelligatur?

REGULA.

Furti nomine omnis illicita alienæ rei usurpatio intelligitur. *Cap.* 11. CAUS. XXXII. QUÆST. IV. *Cap.* 13. CAUS. XIV. QUÆST. V.

REGULÆ RATIO. Si vox furtum nil aliud significaret, quàm quod strictè sumpta significat, nempè occultam rei alienæ surreptionem; præceptum, quo proximo in rebus suis nocere prohibemur, his verbis, *Non furaberis*, ineptè conciperetur; nam levius minusve molestum, quodque faciliùs caveri potest, vetaret nocumentum; gravius verò magisque injuriosum, quodque difficiliùs impeditur, nempè rapinam, non vetaret.

§. II.

§. II.

Quot sint furti species?

REGULA.

Non aliæ sunt furti species, quàm quæ sequuntur.

1°. Furtum, quo aliena res clam surripitur. *Toto* Tit. *De furtis.*

2°. Rapina, quâ cum violentiâ res aliena sumitur. *Cap. 2. De furtis.* Cap. 1. *De raptor. & Præbendâ.* Item *Cap. 19. De pæn.* Dist. I. *Cap.* 13. Caus. XIV. Quæst. V. *multisque aliis ejusdem Quæstionis.*

3°. Sacrilegium, quo res Sacra, qualis omnis quæ Deo dicata est, vel res profana in loco Sacro, surripitur. *Eod.* Cap. 19. *Cap.* 58. Caus. XVI. Quæst. I. *Cap.* 10. Caus. XIII. Quæst. II.

4°. Peculatus, quo bonum publicum usurpatur.

Inferri potest è *Cap.* 19. *Cit.* differt enim peculatus à furto, rei usurpatæ qualitate; habetur expressè in *Cap.* 3. Caus. XXIII. Quæst. IV.

5°. Concussio, quâ Dominus, Judex, Miles, vi, minis, terrore, aliquid injustè exigunt. *Cap.* 15. Caus. XIV. Quæst. V. *Cap.* 26. 27. 28. 29. 30. Caus. I. Quæst. I. de concussione expressè loquuntur.

6°. Plagium, quo quis hominem furatur. *Cap.* 1. *De furtis.*

7°. Abigeatus, quo pecudes de gregibus subtrahuntur. *Cap.* 19. *De pæn.* Dist. I.

Ex citatis Capitibus legenti patebit, de qualibet furti specie Canonem expressè loqui.

§. III.

Quæ peccatorum genera ad furtum reducantur?

REGULA I.

Omne injustitiæ peccatum circa proximi Res, ad furtum reducitur.

REGULA II.

Inter hujusmodi peccata hæc sunt præcipua, de quibus in Canonico Jure peculiaris fiat mentio.

1°. Usura, qua vi mutui aliquid supra sortem accipitur. *Tit.* 19. Lib. V. Decret.

2°. Simonia, quâ res spiritualis pro temporali datur, vel temporalis pro spirituali exigitur; uno verbo, quâ temporali re datâ emitur venditurque spiritualis. *Tit.* 3. *Ibid.*

3°. Omnis actio, quâ quis culpâ suâ damnum proximo infert: Tales sunt quæ recensentur *Tit. De Restitutione. §. 2. n. 4. Tit. 36. Ibid.*

4°. Fraus & dolus, sub quibus comprehenditur stellionatus, quo quis rem obligat, quam scit alienam, & ut liberam alteri obligaram. *Tit.* 14 Lib. II.

5°. Intrusio. *Cap.* 11. Caus. VII. Quæst. I. *Cap.* 21. *De Jure Patron.* Cap. 12. Caus. XXIII. Quæst. IV. *Cap.* 115. Caus. I. Quæst. I.

§. IV.

Quid res sub furto comprehensæ commune habeant?

REGULA.

Res sub furto comprehensæ hæc habent communia.

1°. Peccata sunt; patebit ex dicendis circa illarum quamlibet.

2°. Ad restitutionem obligant. *Patet ex Tit. De Restitutione.*

3°. Pro circumstantiis sunt variè puniendæ, id est, magis minùsve, quò ex illis graviora leviorave sunt peccata.

§. V.

Quâ viâ liceat, quave non liceat, furta detegere?

REGULA.

Iisdem viis, quibus alia occulta licet, vel non licet, inquirere, furta deprehendere fas est, vel non est.

Regulæ Ratio: Furtum occultum est ejusdem conditionis; ac alia occulta.

Hinc cùm cætera inquiri nequeant sorte, nec inspectione Astrolabii, nec ullâ alia divinatione, nec etiam mendacio, falso Juramento, ullove alio peccato; sic nec furta occulta istis viis deprehendere fas est; cæteris verò viis, ut & alia licet detegere, sic & furta.

Quod de divinarione dictum est, expressè habetur *Cap.* 1. 2. *De Sortilegiis, &* Caus. XXVI. Quæst. II. Quod de mendacio additur, colligitur ex Cap. 4. *De usuris*, docente pro vita alterius mentiri non licere; undè multò minùs pro rebus temporalibus, quales furtum respicit. Idem à fortiori dicendum de falso Juramento, ac de mendacio; cùm sit mendacium longè gravius simplici mendacio.

Quod de quovis alio peccato etiam adjectum est, infertur ex locis citatis; non enim divinatione, vel mendacio, vel Juramento falso furtum detegere nefas est, nisi quia peccata sunt.

Hinc etiam non licet vulgari purgatione, qualis est duellum, ferrum candens, similiaque, furtum requirere; hac enim purgatione Deus tentatur, ideòque damnatur *Tit. De purgatione vulgari*, cujus *Cap.* 2. de furto hac via inquisito loquitur.

§. VI.

Qui inter fures connumerandi?

REGULA.

Præter recensitos in 2. & 3. §. non alii inter fures connumerandi videntur, quàm qui sequuntur.

1°. Furti particeps. *Cap. 4. De furtis.*

2°. Furti conscius Domino quærenti non indicans. *Ibid.*

3°. Furtum præcipiens. *Cap.* 8. Dist. L.

4°. Furtum consulens. *Ibid.* Cap. 23. *De pæn.* Dist. I. Extenditur ad furtum quod *Cap. Cit.* 8. Dist. L. dicit de homicidio. *Cap. istud* 23. loquitur tantùm de consilio; quodque dicit de homicidio, ad furtum extenditur.

5°. Commodatarius, si ex negligentiâ sua, etsi levissimâ, res commodata surripiatur. *Cap. unic. De Commodato.*

6°. Depositarius, qui seipsum deposito obtulit, vel pro custodiâ aliquid recipit, si ex culpâ suâ deposita res surripiatur; culpa autem levissima sufficit in primo casu; in secundo verò levis saltem requiritur. *Cap. 2. De Deposito.* Panorm. *in istud* Cap. 2.

7°. Inventam rem sibi retinens. *Cap.* 6. 8. Caus. XIV. Quæst. V.

8°. Surreptam rem scienter emens, ut sibi retineat. *Cap.* 3. Caus. XIV. Quæst. V.

9. Quicumque ad restitutionem obligatus non restituit.

Infertur ex *Cap. 6. 8. n. 7. Cit.* ubi retinens rem alienam, etsi inventam, fur dicitur, ejusque peccatum rapinæ comparatur.

10°. Commissæ in alium injustitiæ consentiens. *Cap.* 5. Caus. XVII. Quæst. IV.

11°. Ab injusto possessore, qualis est spoliator, rem scienter acquirens, atque sic acquisitam detinens. *Cap.* 18. *De Restit. spol.*

§. VII.

Quæ à furti peccato excusent?

REGULA.

Non alia in Canone excusant à furti peccato, quàm ista.

1°. Famis necessitas, adde & nuditatis. *Cap.* 26. *De Cons.* Dist. V.

Inferri

Inferri potest è *Cap.* 3. *De furtis*; nam licet ibi furtum ex necessitate famis vel nuditatis factum pœnitentiâ plectatur, non ideò peccatum est, cùm multa alia simili modo mulctentur, quæ non sunt verè peccata, ut dum de Sacramento Pœnitentiæ ostendetur. Prætereà pœnitentia revocatur, si res furrepta reddatur; quod novum argumentum est in furreptione non inesse peccatum, sed peccati speciem, quæ restitutione tollitur; denique si furtum tale peccatum sit habitum, indè natum est, quòd non satis gravis urgebat necessitas.

2o. Præceptum Dei furteptionem præcipientis. *Cap.* 12. CAUS. XIV. QUÆST. V.

3o. Justum bellum. *C. ult.* CAUS. XIV. QUÆST. IV.

4o. Justa lex Principis rebus suis reos ob crimina rectè privans. CAUS. XXIII. QUÆST. VII. ac primo occupanti tradens. *Ibid.*

PARS II.

Regula circa furtum in specie consideratum.

§. I.

Quid de qualibet furti specie Canon doceat?

Titulus hic in tot Paragraphos dividitur, quot sunt furti species; Quod enim in eo quæritur, inconfusè tractari nequit, nisi de qualibet seorsim agatur, cùm de singulis eadem Canon non doceat, sed de unâ plura, de aliâ pauciora. Cùm ergò sint septem furti species, septem erunt quoque hujus Tituli Paragraphi; verum si quid nonnullæ harum inter se commune habeant, prænotandum est. Observa ergo 1o. Non esse orandum pro furibus vel latronibus, qui in furando vel deprædando occiduntur; sed si vulnerati comprehensi confessi fuerint, Communionem eis non negandam. *Cap.* 2. *De furtis. Cap.* 31. CAUS. XIII. QUÆST. III. Uterque Canon ex eodem *Concilio* desumitur, nempè TRIBURIENSI.

Loquitur hic de Oratione publica, sive quæ nomine Ecclesiæ effunditur. Utrumque furto & rapinæ applicamus, tùm propter verba hæc, *Fures & Latrones*, quorum primum significare videtur eum, qui clam & occultè furatur, secundum verò, qui cum violentia eripit: tùm propter ista, *Furando & deprædando*, quorum postremum furtum cum armis factum haud dubiè significat: prætereà uterque casus in eo Capite contentus & furi & raptori convenit.

2o. Furtum, rapinam, imò & facrilegium à Clerico commissa, illum non excludere à promotione ad Ordines, si sint occulta; secùs, si sint manifesta. *Cap. ult. De furtis.*

De Sacrilegio tantùm loquitur hic Canon; sed cùm gravius sit furto & rapinâ facrilegium, idcircò ad furtum & rapinam Canon hic jure extenditur, cùm de re favorabili agatur.

3o. Furem & Raptorem, si ex inopiâ delinquant, verberibus corrigendos esse; damnis verò, si ex cupiditate, aliâve pravâ animi affectione. *Cap.* 11. CAUS. XII. QUÆST. II.

Loquitur tantùm de fure facrilego, sed raptori etiam convenit hic Canon; rapina enim ex inopiâ & ex cupiditate committi potest, sicut & furtum.

4o. Res Ecclesiæ sive rapinâ sive furto ablatas, sine augmento restitui. *Ibid.* ubi notanda hæc verba: *Absit ut Ecclesia cum augmento recipiat, quod de terrenis rebus videtur amittere, & lucra damnis quærat.* S. GREG.

5o. Criminalem rapinæ causam Ecclesiæ Prælatis à Potestate Sæculari delegari posse, eâque commissione licere Prælatis raptores, nedum pecuniâ, sed & flagellis punire. *Cap.* 4. *De Raptorib.*

Canon hic quoad delegationem à fortiori convenit furto, & quoad pœnam quodammodo eidem furto applicari potest; & à majori, facrilegio, cùm non excedat eorum malitiam.

6o. Eum, qui interficit furem, vel latronem, qui absque occisione, evidentique vitæ suæ periculo capi poterat, 40. dies pœnitere debere, iisque, quibus pœnitens, abstinere; si verò se suaque liberando id fecerit, ad pœnitentiam non obligatur. *Cap.* 2. *De homicid.* in quo pœnitentiæ modus præscribitur. *Cap.* 32. CAUS. XIII. QUÆST. II.

Nota clausulam Primæ Partis, *Qui absque* &c. è secunda illatam esse; secunda enim primæ opponitur, monstrans cur prior puniatur, non autem posterior, nempè quod ille culpæ gravi obnoxius sit, iste verò culpâ vacet.

Convenit hic Canon nedum furi, sed raptori, facrilego & abigeo.

7o. Ecclesiæ pecuniam furatam vel raptam reddendam in quadruplum. *Cap.* 16. CAUS. XVII. QUÆST. IV. *Cap.* 10. CAUS. XII. QUÆST. II.

Hi Canones opponuntur Canoni *cit. n.* 4. nec cum illo aliter conciliari possunt, quàm ex diversitate locorum, vel temporum, vel in reos agendi modi. Prior desumitur ex *Pœnitentiali* THEODORI *Contrariensis*: Posterior è *falso* EUSEBIO Impostore, qui THEODORO multo recentior ex illo EUSEBIANUM Canonem hausit: contrarius verò Canon ex S. GREG. desumptus est, scribente ad AUGUSTINUM Anglorum Episcopum; undè diversitas & locorum, & temporum, necnon & personarum, quarum ultima meliùs Ecclesiam noverat, quàm aliæ.

§. II.

Quid de furto strictè sumpto Jus Canonicum doceat.

REGULA.

Quæ furto sic sumpto propriè applicari possunt, hæc in Jure Canonico reperiuntur.

1o. Tempus, id est, circumstantia temporis discernit effractorem, vel furem diurnum à nocturno. *Cap.* 19. *De pœnis.* DIST. I.

2o. Qualitate discerni solent furta manifesta à non manifestis, expilationes à furtis; sunt enim illa graviora, quàm ista. *Ibid.*

3o. Furem diurnum occidens homicida reputatur; nocturnum verò, homicida non censetur. *Cap.* 3. *De homicid.* AUGUSTINUS Autor illius causam discriminis in illo affert.

4o. Clerico, qui Ecclesiæ furtum fecerit, sola peregrina communio tribuenda est; id est, jam non habendus ut proprius hujus Ecclesiæ vel alterius Clericus, sed inter extraneos vel peregrinos recensendus, eodemque, quo isti, modo sustentandus. *Cap.* 11. CAUS. XIII. QUÆST. II.

5o. Non est faciendum furtum voluntate pascendi pauperes; nec sustentandi sunt pauperes perpetrando furta; sed benè utendo mammonâ iniquitatis. *Cap.* 10. CAUS. XXXII. QUÆST. IV. *Cap.* 27. CAUS. I. QUÆST. I. Hujus Author S. GREG. Illius verò S. AUG.

6o. Statutum Episcopi, quo sub Excommunicatione furtum prohibet, ligat tantùm subditos intra Diœcesim furantes. *Cap.* 2. *De Constit. In* 6o.

7o. Fur non solùm in majoribus, sed in minoribus rebus etiam judicatur; non enim quod furto ablatum, sed mens furantis attenditur. *Cap.* 4. CAUS. XIV. QUÆST. VI. §. HIERON.

8o. Ecclesia intercedit pro implicatis in publicis furtis, sed indiscretè non defendit, ne malè agentis opinionem in se transferat. *Cap.* 3. CAUS. XIV. QUÆST. VI. S. GREG.

9o. Episcopus Ecclesiæ res sine justa causâ alienans, non solùm ad restitutionem tanquam fur cogitur, sed etiam deponitur. *Cap. fin.* CAUS. X. QUÆST. II. Ex MARTINO BRACHARENSI.

§. III.

§. III.

Quid doceat Canon circa Rapinam?

REGULA.

Non alia docet Rapinæ peculiaria, quàm ista.

1o. Raptores de rapinis viventes à Prælato loci, in quo delinquunt, excommunicandi sunt, ibique puniendi; nec dimittendi, donec plenè satisfecerint: si antè satisfactionem hinc exierint, monendi sunt locorum Prælati quæ petierint, de illorum Excommunicatione. *Cap.* 1. *De Raptorib.*

2o. Manifesto Raptori, Ecclesiarumve violatori, pœnitentia non est concedenda, donec ablata restituerit, si possit. Quòd si in voluntate non restituendi, licet possit, mortuus fuerit, à sepulturâ Ecclesiasticâ excludendus est, illiusque eleemosynæ vel oblationes rejiciendæ: Clerici contra id agentes, Officio Beneficioque privandi sunt. *Cap.* 2. *De Raptorib.*

3o. Qui fideles Christianos justâ de causâ navigantes rebus suis spoliant, excommunicandi sunt. *Cap.* 3. *De Raptorib.*

4o. Qui Christianos naufragos rebus suis spoliant, nisi ablata reddiderint, Excommunicationi subjacent. *Ibidem.*

5o. Pœnale est occultè auferre, sed majoris pœnæ visibiliter eripere. *Cap.* 13. Caus. XIV. Quæst. V. August.

Qui furtum prohibuit, rapinam non permisit; A parte totum significavit. *Ibid.* Furti nomine benè intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ. *Ibid.*

Hinc patet, cur majus sit peccatum Rapina, quàm furtum; idque provenire ex eo, quòd Rapina duplicem Domino facit injuriam; aufert enim rem illius, sicut & furtum; eumque prætereà præsentem illatâ violentiâ contemnit & molestat.

6o. Si quis manu armatâ usque ad quatuor homines, in alterius vicum, ad malefaciendum venerit; qui prior est pro illicitâ præsumptione, componat solidos 900. Sequaces verò ejus unusquisque solidos 80. si verò prædam fecerint, in quadruplum restituant. *Cap.* 8. Caus. XII. Quæst. II.

Canon hic Lex est citata à S. Gregorio ad Constantiam Galliæ Reginam scribente, ut illam excitaret ad similis Ecclesiæ factæ injuriæ reparationem procurandam.

7o. Loca Sacra visitantes spolians excommunicatur, donec satisfecerit: idem de molestante Mercatores novis Pedagiorum exactionibus. *Cap.* 23. Caus. XXIV. Quæst. III. Callixtus II.

8o. Oppignerationes seu Repressaliæ tàm Civili quàm Jure Canonico prohibitæ sunt; idque, quia sunt æquitati contrariæ, vetanti unum pro alio gravari; Repressaliis verò innocens pro reo gravetur. *Cap.* 1. *De Injuriis. In* 6.

§. IV.

Quid Canon doceat circa Concussionem?

REGULA.

Non alia docet Canon circa Concussionem, quàm ista.

1o. Quicumque (sive Judex, sive Miles, sive quis alius iis similis) sibi stipendia publicè decreta consequitur; si ampliùs quærit, tanquàm Calumniator & Concussor Joannis Sententiâ Luc. 3. condemnatur. *Cap.* 5. Caus. XXIII. Quæst. I. Aug. citatum locum Joannis explicans.

2o. Justum judicium vendere non licet. *Cap.* 66. 71. Caus. XI. Quæst. III. *Cap.* 14. Caus. XIV. Quæst. V.

§. V.

Quid doceat Canon circa furtum Sacrilegum?

REGULA.

Præter annotata, dum de furto in genere, ac in præmissis de furto in specie Observationibus, non alia Canon docet circa furtum Sacrilegum, quàm ista.

1o. Amico rapere aliquid, furtum est; Ecclesiam verò fraudare, Sacrilegium. *Cap.* 71. Caus. XII. Quæst. II. S. Hieron.

Undè patet, Sacrilegium non committi tantùm, cùm Vasa Sacra surripiuntur, de quo *Cap.* 5. *De Raptorib.* sed etiam cùm res profanæ in Ecclesia capiuntur, de quo *Cap.* 19. *De Pœnit.* Dist. I. sed etiam cùm res ad Ecclesiam quoquomodo pertinentes, eidem auferuntur.

Idem patet ex *Cap.* 3. 5. 10. Caus. XII. Quæst. II. in quibus, qui Ecclesiæ aliquid surripit, qualecumque sit, ut Sacrilegus judicandus declaratur. *Cap.* 3. 4. 5. Caus. XVII. Quæst. IV.

2o. Qui Christi vel Ecclesiæ pecunias rapit, vel fraudat, homicida est. Idem planè habetur *Cap.* 9. 10. Caus. XIII. Quæst. II. in quibus rerum Ecclesiæ detentores pauperum necatores vocantur. *Cap.* 1. 6. Caus. XII. Quæst. II.

3o. De rebus Ecclesiæ aliquid subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat. *Cap.* 70. Caus. XII. Quæst. II. S. Ambros.

4o. Judas fuit fur Sacrilegus, quia Sacrorum Christi loculorum fur extitit; ideò qui de Ecclesiâ aliquid furatur, Judæ proditori comparatur. *Cap.* 15. Caus. XVII. Quæst. IV. *Cap.* 3. Caus. XXIII. Quæst. IV.

5o. Pœnæ Sacrilegi sunt 1o. Interdictum ab ingressu Ecclesiæ. 2o. Perpetua infamia. 3o. Carcer. 4o. Perpetua deportatio. 5o. Septenniùs pœnitentia. *Cap.* 11. 13. 15. Caus. XVII. Quæst. IV.

Hæ pœnæ, aliæve similes non simul imponuntur; nec quælibet cuilibet Sacrilego convenit; sed in iis infligendis attenduntur circumstantiæ personarum, rei, temporis, loci.

§. VI.

Quid de Peculatu Canon doceat?

REGULA.

Hoc unum circa Peculatum Canon docet.

Peculatus furtum dicitur de Republica, & non judicatur furtum rei privatæ, quomodo publicæ: hujus criminis reus fuit Judas, quia loculi, de quibus furabatur, ad publici Apostolorum Corporis sustentationem destinati erant. *Cap.* 3. Caus. XXIII. Quæst. IV.

Hinc cùm res Ecclesiæ sint res publicæ, Peculatus committitur, nedum Sacrilegium, cùm de Ecclesiæ rebus aliquid surripitur. *Ibid.*

§. VII.

Quid doceat Canon circa Plagium?

REGULA.

Unum docet Canon circa Plagium; nempè eum qui furatus hominem vendiderit, morte plectendum. *Cap.* 1. *De Furtis.*

Nota Canonem hic novum jus non inducere, sed insinuare illam Exodi legem post Christum, ut antè, servandam esse, non propter factam illius à Moyse promulgationem, sed quia justa est; idcircò dici non posse mortis pœnam ab Ecclesiâ hic statui, sed potiùs infligendam judicari.

Nota iterùm, Canonistas existimare, *morte* Excommunicationem intelligendam, quoties Canon morte plectit. Panorm. *in Cap. mox cit.*

Nota 3o. priorem interpretationem posteriore potiorem videri; est enim naturalis, posterior verò violenta.

§. VIII.

Quid de Abigeatu Canon doceat?

REGULA.

Nil aliud circa abigeatum Canon docet, quàm istud.

Tom. III. Tract. de Contractibus.

Quantitas discernit Furem ab Abigeo: nam qui suem unum surripit, ut fur coërcebitur; qui gregem, ut Abigeus. *Cap.* 19. *De Pœnit.* DIST. I. *Ex* DIGEST. desumitur.

TITULUS XII.

Continens Juris Decisiones propriis verbis conceptas de Usurâ quæ committitur in Contractibus.

SECTIO I.

Usura est, quidquid plus exigere, quàm mutuò sit datum.

I. Usuræ arte nequissimâ, ex ipso auro aurum nascitur. DIST. XLVII. *Cap.* 8. *Sicut ii.* §. 1. *Concil.* PARIS. VI. *ann.* 829. *Cap.* 53. TOM. VII. CONC. *p.* 1632. S. AMBROS. *Serm.* 81. *circ. ann.* 380.

II. Usura est, ubi ampliùs requiritur, quàm datur: verbi gratiâ, si dederis solidos decem, & ampliùs quæsieris, vel dederis frumenti modium unum, & super aliquid exegeris. CAUS. XIV. QUÆST. III. *Cap.* 4. *Usura est.* Ex CAPITULARIB. LIB. I. *Cap.* 125. *anno* 806.

Quando ampliùs, quàm debetur, exigitur, Usura est. *Rubr.*

III. Si fœneraveris hominis, id est, mutuam pecuniam tuam dederis, à quo aliquid plus, quàm dedisti, expectes accipere; non pecuniam solam, sed aliquid plus, quàm dedisti, sive illud triticum sit, sivè vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud; si plus, quàm dedisti, expectas accipere, fœnerator es, & in hoc improbandus, non laudandus. CAUS. XIV. QUÆST. III. *Cap.* 1. *Si fœneraveris.* S. AUG. enarrat. *In Psalm.* 36. *Serm.* 3. *n.* 6. fortè *ann.* 405.

IV. Putant quidam, Usuram tantùm esse in pecuniâ: Quod prævidens Scriptura Divina, omnis rei aufert superabundantiam, ut plùs non recipias, quàm dedisti. Alii pro pecuniâ fœnerarâ solent munuscula accipere diversi generis, & non intelligunt Usuram appellari, & superabundantiam, quicquid illud est, si ab eo, quod dederint, plus acceperint. *Ibid.* CAUS. XIV. QUÆST. III. *Cap.* 2. *Putant.* S. HIERONY. *super* EZECHIELEM LIB. VI. *Ad Cap.* 18. *circ. ann.* 410.

Quicquid supra datum exigitur, usura est. *Summa.*

V. Plerique refugientes præcepta Legis, cùm dederint pecuniam negotiatoribus, non in pecuniâ Usuras exigunt, sed de mercibus eorum, tanquam Usurarum emolumenta, percipiunt; ideò audiant, quid Lex dicat, *Neque Usuram*, (DEUTERON. XXV.) inquit, *escarum accipies, neque omnium rerum. Ibid.* CAUS. XIV. QUÆST. III. *Plerique. init.* S. AMBR. LIB. *De Tobia. Cap.* 14. *n.* 49. fortè *circ. ann.* 377.

VI. Et esca usura est, & vestis usura est, & quodcumque forti accedit usura est; quod velis, ei nomen imponas, usura est. *Ibid.* §. 1. Quicquid forti accedit, usura est. *Summa.*

VII. Curandum, ne quid ex mutuo vel depositis, etiam apud Judæum factis, aliquid præter fortem, à quovis homine percipi ex convento, vel principaliter sperari possit; tametsi pecuniæ sint Pupillorum aut Viduarum; omnes enim audire tenentur illud CHRISTI; *Mutuum date, nihil indè sperantes. Constitut.* MELODUN. *Tit.* 34. *De Usuris. init.* MEMOIRES DU CLERGE' TOM. I. *p.* 468.

VIII. A Canonibus usuræ quasi manifestiùs damnatæ, commodatâ pecuniâ indigentibus possessiones eorum in pignus accipere, & provenientes fructus percipere ultra fortem. *De Usuris.* Cap. 1. *in integ.* LIB. V. DECR. *Tit.* 19. *Cap.* 1.

IX. Usuras prohibuimus, AUGUSTIN. ait. Quis habet injustum lucrum sine damno? ubi lucrum, ibi damnum; lucrum in arcâ, damnum in conscientia. *Conc.* CALCHUTANSE *ann.* 787. *Cap.* 17. TOM. VI. CONC. *p.* 1870. *Concil.* LATERANENSE II. *Generale, ann.* 1139. *Can.* 13. TOM. X. CONC. *p.* 1005.

SECTIO II.

Ubi mutuum palliatur simulato contractu venditionis, & plus recipitur, usura committitur.

I. Si quis mutuum ab aliquo recipere volens, instrumentum venditionis conficiat, ita ut creditor domos & olivas recipiat ab eodem, titulo emptionis; & Debitori promittat, quod quandocumque dederit certam summam, quæ vix dimidiam justi pretii contingit, domos ejus restituat & olivas: reverâ contractus Usurarius agitur. *De emptione.* Cap. *Ad nostram.* LIB. III. DECR. *Tit.* 17. *Cap.* 5.

Si in venditione apponitur pactum de recuperandâ re post certum tempus modico constituto pretio, præsumitur pignus, & non venditio. *Summa.*

II. Cùm venditioni talis est adjecta conditio, ut si emptori, à tempore contractûs usque ad duos proximos annos, emptio displiceat, abindè usque ad annum, viginti sex libras, perceptis fructibus computatis in ipsis, dare debeat; Ex duobus, quæ in pacto fuerunt expressa, videlicet, quod fructus percepti debeant in solvendâ pecuniâ numerari, (a) & quod ultrà summam receptam, quadraginta solidi (b) debeant persolvi; contra emptorem præsumitur vehementer, quòd sit Usurarius. *De pignorib.* Cap. *De illo.* §. 2. & 3. LIB. III. DECR. *Tit.* 21. *Cap.* 4.

(a) Cùm aliquid ultra fortem percipitur, usura præsumitur. *Glossa.* (b) Hoc fuit expressè usurarium. *Glossa.*

In pignore computantur fructus, non in venditione: undè hoc fuit contrà naturam venditionis, quia si aliquis rem vendit eo pacto quod quandocumque pretium restituerit, rem ipsam recipiat, emptor lucratur fructus perceptos, quoad usque pecuniam recipiat. *Glossa*, verbo, *Percepti*.

Non est hic contractus cum onere revenditionis. 1. quia Debitor mutuum vult recipere, & actor simulat actum emptionis. 2o. Quia exiguitas pretii ostendit non esse revenditionem. 3o. Quia simplex proponitur testitutio rerum emptarum.

III. Ne cui liceat ita cum altero contrahere, ut is totam pecuniæ summam ei, qui dederit, solvat; cùm ille partim pecuniam dederit, partim nominibus quæ difficilè exigi possint, vel in rebus pluris quàm valeant æstimatis. CONSTITUT. MELOD. *Tit.* 34. *De Usuris Art.* 8.

Curandum ne quis rem aliquam, ob dilatam solutionem, justo vendat cariùs pretio. *Ibid.*

IV. Ne res vendatur dilatâ in tempus solutione, ita ut pretium, quod rei accreverit, venditori solvatur, nisi ejusdem venditoris periculo fiat pretii diminutio. *Ibid.*

V. Ne res modico pignori detur, vel vendatur pacto redimendi intrà certum tempus; eâ lege, ut non redempta intra certum tempus, maneat emptori libera, aut ei qui pignori accepit. *Ibid.*

VI. Ne vinum, frumentum, oleum, vel aliquid rerum earum quæ usu consumuntur, sub conditione recipiendi plus quàm datum fuerit. *Ibid.*

VII. Ne fiant contractus, qui fictù libellarii dicuntur, ubi non est emptio certæ rei immobilis justo pretio. *Ibid.*

Ubi venditor cogatur redimere, vel uti, nisi post certum tempus redire possit; qui contractus omnes impii sunt. *Ibid.*

VIII. Ex

VIII. Ex formâ contractûs apparet quandoque, an contractus sit usurarius; & ex pretio apparet, an contractus sit usurarius, an vera venditio. *Glossa.*

IX. Conceffio simulata præsumitur propter modicum pretium. *Glossa*, verbo, *Dimidiam.*

SECTIO III.

Emptor anticipatâ solutione minoris emens, & venditor pluris vendens ob dilatam solutionem, non committunt usuram; si verisimile sit dubium, an merces plus minusve sint valiturae, & venditor non fuit venditurus tempore contractûs.

I. Ille qui dat decem solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur; quæ licet tunc plus valeant, utrùm plus vel minùs solutionis tempore fuerint valituræ, verisimiliter dubitatur; non debet ex hoc usurarius reputari. *De usuris.* Cap. *Naviganti.* §. 1. Lib. V. Decr. *Tit.* 19. Cap. 19.

II. Ratione hujus dubii etiam excusatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, vel alias merces vendit, ut ampliùs, quàm tunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem; si tamen ea tempore contractûs non fuerat venditurus, *Ib'd.* §. 2.

III. Quod quidam merces comparant, quæ tunc ultrà quinque libras non valent, & promittunt se illis, à quibus illas merces accipiunt, sex libras statuto termino soluturos; Licet contractus hujusmodi ex tali formâ non possit censeri nomine usurarum, nihilominus tamen venditores peccatum (a) incurrunt, nisi dubium sit merces illas plus minusve solutionis tempore valituras. *De Usuris.* Cap. *In Civitate. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 19. Cap. 6.

(a) Usurarum. *Glossa*, *ibid.*

Saluti suæ benè consulerent, si à tali contractu cessarent, cùm cogitationes hominum Omnipotenti Deo nequeant occultari, quia periculum est in his. *Glossa*, verbo, *Occultari. Ibid. fin.*

Propter dubium excusatur, quia tàm emptor quàm venditor æqualiter commodum & incommodum expectat; si certum esset quod tempore solutionis plus valerent, usurarius est censendus. *Glossa*, verbo, *Verisimiliter dubitatur.*

Non quodcunque dubium excusat ab usurâ, sed quando probabiliter dubitari potest. *Glossa.*

Si tunc fuerat venditurus pro minori, & ex certâ scientiâ plus recipiat alio termino, usura est. *Glossa*, verbo, *Tempore &c.*

Vendens rem plus quàm valeat, quia solutionem differt, peccat; nisi dubium sit an tempore solutionis erit valor rei variatus, & venditor non erat venditurus tempore quo vendidit. *Summa.*

Licet ex formâ non sit contractus usurarius, potest tamen fieri in fraudem usurarum. *Glossa*, verbo, *Venditores.*

SECTIO IV.

Usura committitur, cùm pignus accipitur cujus fructus non deducuntur in sortem.

I. A Canonibus usuras manifestiùs damnatas exercent, qui commodatâ pecuniâ indigentibus, possessiones eorum in pignus accipiunt, & provenientes fructus percipiunt ultra sortem. *De Usuris.* Cap. *Plures. in integrâ. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 19. Cap. 1.

Genus usuræ est, cùm fructus pignoris percipiuntur ultra sortem.

Usura est lucrifacere fructus rei pignoratæ. *Summ.*

II. Si quis alicujus possessionem, datâ pecuniâ, sub hac specie, in pignus acceperit; si sortem suam, deductis expensis de fructibus, jam percepit; absolutè possessionem restituat Debitori: Si autem aliquod minùs haber, eo recepto, possessio liberè ad Dominum revertatur. *De Usuris.* Cap. *Plures.* §. 1. Lib. V. Decr. *Tit.* 19. Cap. 1.

Fructus pignoris computandi sunt in sortem. *Glossa.*

III. Qui de possessionibus, vel arboribus, quas teneie in pignore noscuntur, sortem, deductis expensis, receperunt; ad eadem pignora restituenda, sine usurarum exactione, Ecclesiasticâ districtione compellantur. *Ibid. De Usuris.* Cap. *Quoniam. med.* Lib. V. Decr. *Tit.* 19. Cap. 2.

Fructus pignoris computari debent in sortem; priùs indè deductis expensis. *Glossa.*

IV. Si quis, cùm certam summam pecuniæ mutuasset, quasdam possessiones & reditus recepit in pignore; cùm ei pecuniam debitor persolverit, ad restituendum quicquid, deductis expensis, ultra sortem recepisse constiterit, compelli debet. *De Jurejurando.* Cap. *Ad nostram.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 7.

Creditor nihil ultrà sortem potest petere; expensas tamen quas fecit circa pignora potest deducere. *Glossa.*

V. Cùm super possessionibus, quas quondam Pater tuus pro certâ quantitate pecuniæ obligaverat, legitimè probavisti, quod ex earum proventibus tantùm fuit, à tempore quo fuerunt obligatæ, perceptum, quod fructus sorti possint adæquari, possessiones ipsæ tibi sunt restituendæ. *De Pignorib.* Cap. *Cùm contra.* Lib. III. Decr. *Tit.* 21. Cap. 6.

Si Creditor, vel is qui ab eo causam habet, tot fructus percepit ex pignore quod satisfactum est sorti, debet pignus restitui Debitori. *Summa.*

In talibus perceptio fructuum, in solutione sortis accedit; cùm, secundùm Canonicas Sanctiones, fructus restitui & in sortem debeant computari. *Ibid.* §. 1. *init.*

Fructus pignoris debent computari in sortem. *Glossa.*

VI. Creditor, ut sorte contentus, pensionibus pignoris computatis in eam, illam Debitori resignet, Censurâ Ecclesiasticâ cogatur. *Ibid. De Pignorib.* Cap. *Significante.* §. 1. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 21. Cap. 7.

SECTIO V.

Ab hac Lege excipiuntur. 1°. *Si possessiones Beneficiorum injustè detinentur.* 2°. *Si feuda Domino à Vassallo pignori dentur.* 3°. *Si terra detur merito pro dote uxoris.*

I. Si terram titulo pignoris detinetis, & de fructibus ejus sortem recepistis, prædictam terram reddatis, nisi terra ipsa de feudo sit Monasterii vestri. *De Usuris.* Cap. *Conquestus.* Lib. V. Decr. *Tit.* 19. Cap. 8.

Fructus pignoris semper computandi sunt in sortem, nisi terra fuerit de feudo Monasterii. *Glossa.*

II. Si quis possessionem, datâ pecuniâ, in pignus acceperit, si sortem suam de fructibus jam perceperit, absolutè possessionem restituat debitori; nisi fortè Ecclesiæ Beneficium fuerit, quod redimendum ei hoc modo de manu Laici videatur. *De Usuris.* Cap. *Plures.* §. 1. Lib. V. Decr. *Tit.* 19. Cap. 1.

III. Putà, Laicus aliquis injustè detinet possessionem aliquam, quæ fuerat Clerico in Beneficium assignata, licitum est Clerico de manu Laici taliter eam redimere, ut Ecclesia vel ipse Clericus fructus taliter perceptos retineat: nec est usura, cùm tantùm suum recipiat, quia sic fortè possessio ad Ecclesiam revertetur hoc modo, quia fortè aliàs non poterat recuperari. *Glossa*, verbo, *Beneficii.*

IV. Gageria, quam de feudo Ecclesiæ suæ à Vassallo dignosceris recepisse, à te potest liberè detineri, fructibus non computatis in sortem; ita videlicet, ut quamdiù fructus illos perceperis, in sortem minimè computandos, idem Vassallus à servitio, in quo tibi & Ecclesiæ tuæ pro feudo ipso tenetur, interim sit immunis. *De feudis*, Cap. *Insinuatione*. LIB. III. DECR. *Tit.* 20. Cap. 1.

V. Generum ad fructus possessionis sibi à socero suo, pro numerata dote pignori obligatæ, computandos in sortem, non credimus compellendum; cùm frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera Matrimonii supportanda. *De usuris*. Cap. *Salubriter*. LIB. V. DECR. *Tit.* 19. Cap. 16.

VI. Idem intellige de Laïco quod hoc modo sibi licet redimere possessionem de manu injusti detentoris; alienam tamen possessionem taliter redimere non potest, quia fructus illi non sunt sui; undè si illos tetineret, usura esset. Idem esset de Clerico, si possessionem Ecclesiæ, quæ non fuit sibi pro Beneficio assignata, taliter in pignus reciperet. *Glossa. Ibid.*

Idem habet GONZALEZ *ad* Cap. 1. *De feudis*. n. 5.

VII. Si Dominus à Vassallo recepit feudum in pignus, abstinendo ab ejus servitio, non tenetur computare fructus in sortem suam Dominus feudi. Qui res feudales à Vassallo pignori accepit, non tenetur fructus ipsarum in sortem principalem imputare. Intellige de feudo quod gratis concessum est cum servitiis, seu cum modicâ pensione, quæ servitia, quæ pensio interim solvi non debent, dum Dominus feudi illud retinet instar pignoris; fructus enim succedunt loco servitii. Id oritur ex ipsâ naturâ feudi.

VIII. Maritus fructus rei dotalis, vel oblatæ pro dote, non tenetur in sortem computare. *Glossa*. Hoc idcò dicit, quia fructus dotis cedunt lucro marito propter onera Matrimonii. *Glossa*, verbo, *Onera*.

SECTIO VI.

Inter Mercatores usura est recipere aliquid ultrà sortem, propter periculum, vel propter dilatam solutionem; & quæ in societate usura sint vitanda?

I. Naviganti vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quod suscipit in se periculum receepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus. *De usuris*. Cap. *Naviganti, init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 19. Cap. 19.

Mutuans pecuniam Mercatori, ut aliquid ultrà sortem recipiat, pro usurario habetur, licet periculum pecuniæ in se suscipiat. *Glossa*.

Est usurarius, cùm excedat naturam mutui; quia, cùm sit hinc indè mutuum, nihil indè sperari debet, juxtà illud; *Date mutuum, nihil indè sperantes. Glossa*, verbo, *Periculum*.

II. Reatu criminis usuræ involvitur Negotiator, qui merces suas longè majori pretio distrahit, si ad solutionem faciendam, prolixioris temporis dilatio prorogetur, quàm si ei incontinenti pretium persolvatur; quia quòd in hoc casu tenendum sit, ex Evangelio LUCÆ manifestè cognoscitur, in quo dicitur; *Date mutuum, nihil indè sperantes. De usuris*. Cap. *Consuluit*. LIB. V. DECR. *Tit.* 19. Cap. 10.

III. Ne in societate, in quam pecunias alter, alter operas confert, lucrifiat, aut constituatur distributio, nisi æquis partibus. CONSTITUTIONUM MELDUN. *Tit.* 34. MEM. DU CLERGE' TOM. I. *pag.* 469.

IV. Ne pactio fiat, ut salvâ sorte fructus communitet dividantur. *Ibid.*

V. In societate animalium, quæ inæstimata alicui dantur custodienda, sive ut operas præstet; omnes casus etiam fortuiti sint damno semper & periculo ejus qui dederit; nisi accipientis & custodientis dolo aut incuriâ accidisse damnum, aut casum, constiterit. *Ibid.*

Ne ex fructibus animalium quicquam præter sortem solvatur, aut capiatur. *Ibidem*.

SECTIO VII.

Generaliter usura est, quotiescumque, ratione mutui, aliquid recipitur ultra id quod mutuò datum est, etiam sine conventione & exactione.

I. Nullus ampliùs recipiat, quàm cuiquam accommodaverit; si pecuniam, pecuniam accipiat; speciem eamdem, quantam dederit, accipiat; & quicquid aliud tantùm, quantùm dederit, accipiat. CAUS. XIV. QUÆST. IV. Cap. 6. *Nullus. Ex Concil.* CARTHAGIN. III. *Cap.* 15. ann. 397.

II. Si quis solidum in necessitate præstiterit, hoc de vino vel frumento accipiat, quod mercandi causâ tempore statuto decretum fuerit venumdari; cæterùm si speciem non habuerit necessariam, ipsum, quod dedit, sine ullo augmento recipiat. CAUS. XIV. QUÆST. IV. Cap. 5. *Si quis Clericus. Ex Concil.* TARRACONENSI. *Cap.* 3, ann. 516.

III. Usurarius est, qui undecim denarios pro duodecim muruat in ludo, licet ad palliandum tantæ præsumptionis excessum, proponat, quod hoc faciat juxtà consuetudinem, quâ ferè universi mutuant sic frequentet & ludunt. *De excessib. Prælat.* Cap. *Inter dilectos. §.* 1. LIB. V. DECR. *Tit.* 31. Cap. 11.

IV. Ille in judicio animarum quasi usurarius debet judicari, qui non aliàs mutuò traditurus eo proposito mutuam pecuniam credidit, ut, licet omni conventione cessante, plus tamen forte recipiat. *De usuris*. Cap. *Consuluit. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 19. Cap. 10.

Quicquid recipitur ultra sortem, licet ex formâ contractûs non sit usurarius quoad Ecclesiam judicandus, propter intentionem tamen, quoad Deum, tanquam usurarius punietur, nisi restituerit: & sic aliquis non est usurarius quoad Ecclesiam, sed quoad Deum. *Glossa*.

V. Aliquis mutuavit pecuniam ad certum terminum; termino adveniente creditor non aliter parabolam juramenti concedit, donec, quamvis sine exactione, emolumentum aliquod indè percipiat; eodem reatu criminis usuræ involvitut. *Ibid. junctâ Glossâ*. Parabola juramenti, id est, obligatio, seu chirographum.

VI. Quid in his casibus tenendum sit, ex Evangelio LUCÆ manifestè cognoscitur, in quo dicitur; *Date mutuum, nihil indè sperantes. Ibid. §.* 1.

Ipsi propter intentionem quam habuerunt, judicandi sunt in judicio animæ malè agere, & reverà quoad Deum usurarii videntur; quia restituere tenentur sic accepta. *Glossa*, verbo, *Malè agere*.

VII. Hujusmodi homines pro intentione lucri quam habent, cùm omnis usura & superabundantia prohibeatur, in Lege judicandi sunt malè agere; & ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda, in animarum judicio efficaciter inducendi. *Ibid.*

SECTIO VIII.

Detestandum est crimen usurarum. In Scripturis à Deo condemnatur; nec sine crimine approbari, aut sine hæresi excusari potest.

I. Non solùm viris Ecclesiasticis, sed etiam quibuslibet aliis, periculosum est usurarum lucris intendere. *De Usuris*. Cap. *Quoniam. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 19. Cap. 2. ALEX. III. *Epist.* 48. TOM. X. CONC. *p.* 1281. *Epist.* 17. *Append.* 2. *p.* 1298.

Est

Est Usurarum crimen detestabile & horrendum plurimùm, & utriusque Testamenti paginâ condemnatum. *De Jurejur.* Cap. *Ad nostram. in integ. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 7.

II. Detestanda Usurarum lucra. *De Usuris.* Cap. *Plures.* §. 1. Lib. V. Decr. *Tit.* 19. Cap. 1.

III. Usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestatur. *Ibid.* Cap. *Super eo. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 19. Cap. 4. & Lib. II. Decr. *Tit.* 20. *De Testib.* Cap. 25. *Licet. in init. fin.*

IV. Usuræ utriusque Testamenti paginâ condemnantur. *Ibid.* Cap. 3. *Quia in omnibus. Synod.* Regiaticina. *ann.* 850. *Cap.* 21. Tom. VIII. Conc. *p.* 69.

V. Obliti sunt Divini præcepti, quo dictum est; *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, qui fœnerantes usuras exigunt. Caus. XVI. Quæst. IV. *Cap.* 8. *Quoniam. init. Psalmo* 14. *Ex Conc.* Nicæno. *Cap.* 17. *ann.* 325.

VI. Oblitus est timorem Domini, & Sanctam Scripturam, quæ dicit; *Pecuniam suam non dedit ad usuram*, qui fœneraverit & usuras exegerit. Caus. XIV. Quæst. IV. *Cap.* 4. *Si quis oblitus.*

SECTIO IX.

Super crimine Usuræ nulla Dispensatio, nec pro bono opere, dari potest; quia rapina est.

I. Cùm Usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur, super hoc Dispensationem aliquam posse fieri non videmus. *De Usuris.* Cap. *Super eo.* Lib. V. Decr. *Tit.* 19. Cap. 4.

II. Cùm Scriptura Sacra prohibeat pro alterius vitâ mentiri; multò magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimendâ vita captivi, Usurarum crimine involvatur. *De Usuris.* Cap. *Super eo.* Lib. V. Decr. *Tit.* 19. Cap. 4.

III. Si quis usuram acceperit, rapinam facit, vitâ non vivit. Caus. XIV. Quæst. IV. *Cap.* 10. *Si quis.* S. Ambros. Lib. *De bono mortis.* Cap. 12. *n.* 56. circ. ann. 587.

IV. An crudelior est, qui subtrahit aliquid, vel eripit diviti, quàm qui trucidat pauperem fœnore? hæc atque hujusmodi malè utique possidentur. Caus. XIV. Quæst. IV. *Cap.* 11. *Quid dicam.* S. August. *Epistol. aliàs* 54. *nunc* 153. *n.* 25. *fin. ann.* 414.

V. Ab illo usuram exige, cui meritò nocere desideras; cui jure inferuntur arma, huic legitimè indicantur usuræ; ab hoc usuram exige, quem non sit crimen occidere. S. Ambr. Lib. Tobiæ. *Cap.* 15. circ. ann. 377.

VI. Maledictus est Usurarius; ipse namque rem datam à Deo vendit, & post fœnus rem suam repetit, tollens aliena cum suis. Dist. LXXXVIII. *Cap.* 9. *Ejiciens.* §. 1. *med. Autor Operis imperf. in* Matth. *apud* S. Chrysost. *Hom.* 38. *ad Cap.* 1. Matth. circ. ann. 400.

VII. Usurarum vorago animas devorat, & facultates exhaurit. *In* 6. *De Usuris. Cap.* 1. Lib. V. *Tit.* 5.

VIII. Qui in aliquo ex casibus usuram redolentibus contraxerint, in foro conscientiæ irritos esse noverint. Constitut. Melod. *Tit.* 34.

SECTIO X.

Universas Usuras esse restituendas ab iis qui eas receperunt; scilicet iis à quibus illas extorserunt, filiis, aut heredibus, vel tandem pauperibus.

I. Usuras etiam ipsæ Leges & Judices reddi jubent. Caus. XIV. Quæst. IV. *Cap.* 11. *Quid dicant. init.* S. Aug. *Epist. al.* 54. *nunc* 153. *n.* 2. *fin. ann.* 414.

II. Qui certam summam pecuniæ mutuavit, cùm Debitores ei pecuniam persolverint, ipse ad restituendum quicquid, deductis expensis, ultrà sortem eum recepisse constiterit, compelli debet. *De jurejurand.* Cap. *Ad nostram.* §. ult. Lib. II. *Tit.* 24. Cap. 7.

Tom. III. Tract. de Contractibus.

III. Quilibet restituat, si quas aliquandò ipse vel Pater ejus extorsit usuras. *De Usuris.* Cap. *Michael.* §. 1. *fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 19. Cap. 17.

IV. Usurariorum filii, qui eis in crimine Usurarum defunctis succedunt, ad restituendas usuras eâ sunt districtione cogendi, quâ Parentes sui, si viverent, cogerentur. *De usuris.* Cap. *Tua nos.* Lib. V. Decr. *Tit.* 19. Cap. 9.

Tenentur filii pro Parentibus, pro hæreditariâ portione, usuras eorum restituere. *Glossa*, verbo, *Cogendi.*

V. Id ipsum etiam, contra hæredes extraneos, ad quos bona Usurariorum sunt devoluta, credimus exercendum. *Ibid. fin.*

Et illi, ad quos bona Usurariorum pervenerunt. *Glossa. Ibid.*

VI. Qui usuras extorserint, cogendi sunt, eas his, à quibus extorserunt, vel eorum hæredibus, restituere; vel, his non superstitibus, pauperibus erogare; dummodò in facultatibus habeant, undè ipsis possint eas restituere; cùm, juxtà verbum S. Augustini, *Non remittatur peccatum, nisi restituatur ablatum. De usuris.* Cap. *Cùm tu.* §. 1. Lib. V. Decr. *Tit.* 19. Cap. 5.

Usurarii, qui sunt solvendo, tenentur usuras restituere, vel iis, à quibus extortæ sunt, vel eorum hæredibus, vel, nullo eorum superstite, debent pauperibus erogare.

VII. Illi, qui non habent in facultatibus, undè usuras valeant restituere, non debent ullâ pœnâ mulctari; cùm eos nota paupertatis evidenter excuset. *Ibid.* §. 2.

Si non sunt solvendo, liberantur ex toto.

VIII. Possessiones, quæ de usuris comparatæ sunt, debent vendi, & ipsarum pretia his, à quibus usuræ sunt extortæ, restitui: ut non sic solùm à pœnâ, sed etiam à peccato possint, quod per usurarum extorsionem incurrerant, liberari. *Ibid.* §. 3.

Res emptæ de usuris, succedunt loco pecuniæ de usuris receptæ. *Glossa.*

IX. Cùm reverà Contractus usurarius agitur, instrumento venditionis confecto in fraudem Canonis promulgati contra Usurarios non obstante, ad restituendas domos compellantur. *De empt.* Cap. *Ad nostram.* Lib. III. Decr. *Tit.* 17. Cap. 5.

X. Restituendæ sunt ei, ad quem debent hæreditario jure devolvi, cùm debitor est viam universæ carnis ingressus. *Ibid. fin.*

SECTIO XI.

Si juraverit quis se usuras soluturum, vel eas non repetiturum, solvi debent & non repeti; sed Creditor tenetur juramenta relaxare; aut, si non vult, Judex ex Officio illas restitui jubebit; Si secùs judicaverit, Excommunicationis Sententiam incurret.

I. Debitores ad solvendas usuras, in quibus se obligaverant, cogi non debent; si verò de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt Domino reddere juramentum. *De jurejur.* Cap. *Debitores. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 6.

Juramentum super usuris factum tenet, & debet servari. *Glossa.*

II. Si quis, cùm certam summam pecuniæ mutuasset aliquibus, quasdam ab eis possessiones recepit in pignore, ipsos Juramenti Religione adstringens, quod super illis, donec solverent sibi pecuniam, nullum ei gravamen inferrent: si Debitores ejus prædictas contra juramentum subtraxerint, Ecclesiasticâ Cen-

surâ cogi debent, ut hæc restituant, nec sibi molestias inferanr, donec ei pecunia persolvatur. *De Jurejur.* Cap. *Ad aostram.* Lis. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 7.

Juramentum semper servandum est, etiam factum super usuris solvendis, licet promissio usurarum non valeat. *Glossa.* Juramentum ergo valere non deberet; ruente fundamento, ruit ædificum. Responderi potest, juramento renunciari juri ex illa nullitate provenienti.

Creditores ad Juramenta super usuris sibi solvendis præstita relaxanda, Ecclesiasticâ districtione cogantur. *De Jurejar.* Cap. *Ex administrationis.* Lia. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 1.

Creditores compelluntur relaxare juramentum de usuris sibi solvendis. *Glossa* 1.

IV. Cùm propter juramentum usuræ solutæ fuerint, Creditnres ad eas restituendas sunt Ecclesiasticâ severitate, si necesse fuerit, compellendi. *De Jurejur.* Cap. *Debitores. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 6.

V. Si Usurarii eos, quibus dant pecuniam ad usuram, præstare faciunt juramentum, quod usuras non repetant, & super his, quas solverint, nullam moveant quæstionem; Usurarii ipsi, monitione præmissa, per Censuram Ecclesiasticam compellantur antè usurarum solutionem, ab earum exactione desistere; vel restituere ipsas, postquàm fuerint persolutæ; ne de dolo & fraude contingat eos commodum reportare. *De Usuris.* Cap. *Tuas dudum.* Lia. V. Deca. *Tit.* 19. Cap. 13.

Juramenta recepta à Debitoribus pro persolvendis usuris Creditoribus, quæ in præjudicium animarum, quoad Creditores servari non possunt; & ideò ratione peccati compelluntur Creditores relaxare hujusmodi juramenta. *Glossa*, verbo, *Jaramenta.*

VI. Si qui cùm usuras non modicas persolvissent, juramento firmaverunt, quod nec per se, nec per alium, prædictas usuras repeterent, vel apud Ecclesiasticum Judicem, sed etiam Sæcularem super his deponnerent quæstinuem; Prædicti usuras repetere non attentent, propter hujusmodi juramentum. *De Jurej.* Cap. *Ad aostram. iait.* Lia. II. Daca. *Tit.* 24. Cap. 20.

Illi de jure repetere nnn possunt usuras, qui juraverunt nnn repetere. *Glossa*, verbo, *Probaverant.*

VII. Si ad Judicis audientiam pervenerit, & per dicta testium, vel alia documenta ei constiterit de præmissis; compellat hæredes, ut usuras, quas à prædictis Pater eorum accepit, restituant universas. *Ibid. fia*

Per Judicis Officium subvenitur illi, qui propter juramentum usuras repetere non potest. *Glossa prima.*

VIII. Sraturum est, ut quicumque Judices facere, scribere, vel dictare, aut quod solvantur usuræ, vel quod solutæ, cùm repetuntur, non restituantur plenè ac libere, scienter judicare præsumpserint; Sententiam Excommunicatinnis incurrant. Clementina unicâ. *De Usuris.* §. 1. Lib. V. Clementinar. *Tit.* 5. Cap unico.

Non nbstante juramento de non repetendis usuris, per Debitorem præstito; potest Judex ex Officio suo Usurarium ad restiruendas usuras compellere. *Samma.*

Usurarius, qui fecit Debitorem jurare de solvendis, vel de non repetendis usuris, Ecclesiasticâ Censurâ compellitur de exactione desistere, & exactas restituere. *Glossa prima.*

Usurarii possunt compelli, ut relaxent Debitoribus juramentum præstitum pro usuris solvendis, vel repetendis solutis. *Glossa.*

Cùm freqnens adeò esset juramenti injusta exactio de solvendis, vel de non repetendis solutis usuris; quæri posset, cur Ecclesia hujusmodi abusum non damnarit sub Excommunicatione ipso facto incurrendâ, eo tempore, quo illa pœna valdè timebatur? Hujus Quæstionis solutio non difficilis: nam vel illa Excommunicatio restricta fuisset ad exigentes hoc juramentum, & nihil operata fuisset, cùm illa aliæque Censuræ jamjam statutæ fuissent contra Usurarios, iisque non obstantibus, usura frequentissima erat; vel extensa fuisset ad jurantes, & gravissima pœna decreta fuisset in innoxios, cùm ex necessitate jurarent, miseriæ suæ aliud subsidium non invenientes.

SECTIO XII.

Quæ sint pœnæ contra Clericos & Laicos Usurarios decreta?

I. Contrahentes & Contractus recipientes, Proxenetæ usurarum, aut lucri earumdem participes, aut Ministri, sciant se gravissimâ dignos ultione. Constit. Meloo. *Tit.* 24. *fin.*

II. Nec hoc prætereundum esse duximus, quosdam lucri turpis cupiditate captos, Usurariam exercere pecuniam, & fœnore velle ditescere: Quos nos, non dicam in eos, qui sunt in Clericali Officio constituti, sed & in Laicos cadere, qui Christianos se dici cupiunt, condolemus: Quod vindicari acriùs in eos, qui fuerint confutati, decernimus, ut omnis peccandi opportunitas adimatur. Caus. XIV. Quæst. IV. *Cap.* 7. *Nec hoc.* S. Leo I. *Epist. nunc* 3. *aliàs* 1. Cap. 3. *ann.* 443.

III. Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, usuras à Debitoribus exigens, aut desinat, aut certè deponatur. Dist. XLVII. *Cap.* 1. *Episcopus. Ex Canonibus Apostolorum valgò dictis. Can.* 44. circa ann. 281.

IV. Si quis inventus fuerit usuras accipiens, dejiciatur à Clero, ac alienus ab Ecclesiastico habeatur gradu. Caus. XIV. Quæst. 4. *Cap.* 8. *Quoniam. Ex versione ia collectione* Isidori. & Dist. XLIX. *Cap.* 2. *Quoniam. Ex versione* Dionysii. *Ex Conc.* Nicæno. *Cap.* 17. *ann.* 325.

V. Si quis fœneraverit, de gradu suo dejectus alienus habeatur à Clero. Caus. XIV. Quæst. IV. *Cap.* 4. *Si quis oblitus. Ex Conc.* Martini *Papæ. Cap.* 62. circ. ann. 572.

VI. Si in Clero quisquam extiterit, qui detestandis usurarum lucris insistat, Ecclesiastici Officii periculum patiatur. *De Usuris.* Cap. *Plures.* §. 2. Lia. V. Decr. *Tit.* 19. Cap. 1.

Clericus Usurarius, de rigore Juris, ab Officio Ecclesiastico debet repelli. *Glossa.*

VII. Cùm usuras recipere sit interdictum, si Clerici parere contempserint, eos ab Officio Beneficioque suspendas *De Usuris.* Cap. *Præterea. iait.* Lib. V. Decr. *Tit.* 19. *Cap.* 7. & Lib. II. Deca. *Tit.* 20. *De Testib.* Cap. 23. *Licet. ia lat. fia.*

VIII. Si Laïci usuras receperint, usque ad dignam satisfactionem vinculo Excommunicationis adstringantur. *De Usuris.* Cap. *Præterea. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 19. Cap. 7.

SECTIO XIII.

Manifestos Usurarios qui in hoc peccato decesserint, Communione Altaris ac sepulturâ privandos; & qui dicendi sint manifesti Usurarii?

I. Constitutum est, ut Usurarii manifesti, nec ad Communionem admittantur Altaris, nec Christianam, si in hoc peccato decesserint, accipiant sepulturam; sed nec oblationes eorum quisquam accipiat. *De Usuris.* Cap. *Quia in omnibus. med.* Lib. V. Deca. *Tit.* 19. Cap. 3.

Canon ille, *Quia in omnibus*, non est latæ Sententiæ, sed ferendæ. *Glossa*, verbo, *Privandos.* Cap. *Cùm ta.*

II. Manifestos Usurarios, juxtà Decretum, quod in Concilio promulgatum est, Communione Altaris & Ecclesiasticâ sepulturâ privandos, rectè præcipitur, donec reddant quod tam pravè receperunt. *De Usuris.* Cap. *Cùm ta. iait.* Lib. V. Deca. *Tit.* 19. Cap. 5.

III. Constitutionem Lateranensis *Concil.* contrà Usurarios editam sub Divinæ maledictionis intermina-

minatione præceptum est inviolabiliter observati. *In 6. De Usuris.* Cap. 1. Lib. V. *Tit.* 5. Cap. 1. *init.*

IV. Quamquam Usurarii manifesti de usuris, quas receperant, satisfieri expressâ quantitate vel indistinctè in ultimâ voluntate mandaverint; nihilominus tamen eis Ecclesiastica sepultura denegetur, donec de usuris ipsis fuerit, prout patiuntur facultates eorum, plenariè satisfactum. *In 6. De usuris.* Cap. *Quamquam. init.* Lib. V. *Tit.* 5. Cap. 2.

V. Cùm sunt usurarii, de quibus minimè dubitatur, quin sint usurarii manifesti, contrà quos, propter timorem potentum, qui tuentur eosdem, nullus accusator apparet; nec iidem sunt per Sententiam condemnati; Licet contrà eos non appareat accusator; si tamen aliis argumentis illos constiterit esse usurarios manifestos, in eos pœnam in Lateranensi *Concilio* contra usurarios editam, libere poteris exercere. *De Usuris.* Cap. *Cùm in Diœcesi.* Lib. V. Decr. *Tit.* 19. Cap. 13.

Licet nullus appareat accusator, potest Judex, ex Officio suo, decernere pœnam contra usurarios manifestos, in Latar. *Concil.* latam. *Glossa*, verbo, *Poteris.*

Non solùm manifestus est usurarius, cùm adest accusator & testes producuntur, aut cùm est per Sententiam condemnatus; sed cùm alia sunt argumenta quibus id constat.

VI. Qui oblationes usurariorum acceperit, vel eos Christianæ tradiderit sepulturæ: & quæ acceperit, reddere compellatur; & donec ad arbitrium Episcopi satisfaciat, ab Officii sui maneat executione suspensus. *De Usuris.* Cap. *Quia in omnibus. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 19. Cap. 3.

VII. Omnes Religiosos, & alios qui manifestos usurarios ad Ecclesiasticam ausi fuerint admittere sepulturam, pœnæ Lateranensis *Concilii* promulgatæ statuimus subjacere. *In 6. De Usuris.* Cap. *Quamquam. §.* 1. Lib. V. *Tit.* 5. Cap. 2.

Hic habet locum pœna statuta in recipientes usurarios ad oblationes, & Ecclesiasticam sepulturam. *Glossa*, verbo, *Pœna.*

Eos, qui propriæ temeritatis audaciâ, usurarios manifestos scienter sepelire præsumpserint, decernimus ipso facto Excommunicationis Sententiæ subjacere: nullo Exemptionis, vel alio quovis privilegio, sub quacumque formâ verborum concesso, aliqualiter suffragante. Clement. I. *De Sepult.* Lib. III. Clement. *Tit.* 7. Cap. 1.

SECTIO XIV.

Non auditur usurarius, nisi, quas ipse recepit, usuras restituerit. In quacumque parte litis, Juramentum, de veritate dicendâ circà sortis quantitatem, ab usurario peti potest.

I. Usurarius super restituendis usuris, vel fructibus computandis in sortem, nisi priùs ipse restituerit usuras, quas ab aliis noscitur recepisse, nullatenùs audiatur. *De Usuris.* Cap. *Quia frustrà.* Lib. V. Decr. *Tit.* 19. Cap. 14.

Usurarius repetens usuras non auditur, nisi priùs receptas restituat. *Glossa.*

Hoc intellige, cùm est manifestus usurarius; vel cùm adest accusator; aliàs Judex non denegaret ei audientiam. *Glossa*, verbo, *Restituerit.*

II. Super causâ usurarum, cùm non potest per testes ab Adversâ Parte productos, de sortis quantitate liquere, licet de obligatione pignoris constet, & ex famâ quasi notorium habeatur, aliquem ex terrâ sibi titulo pignoris obligatâ sortem & ampliùs percepisse: Ne ex Juramenti defectu, justitia, occultatâ veritate, succumbat; Partes ad præstandum de dicendâ veritate Juramentum cogantur. *De Juram.* Cap. *Ex Litteris.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 32.

Cùm agitur de usuris, potest Judex in qualibet parte litis, ex officio suo, deficientibus probationibus, exigere à Partibus Juramentum de veritate dicenda, ut constet de sorte. *Summa.*

SECTIO XV.

In Cambiis usura committitur. 1°. Cùm confinguntur & simulantur. 2°. Cùm pecunia ficti Cambii nomine cum lucro traduntur. 3°. Cùm anticipatur solutio lucro recepto. 4°. Si pactum fiat certo interesse, in casum non solutionis.

I. Legitimum Cambiorum usum necessitas publicaque utilitas induxit. Bulla CXVIII. Pii V. *In eam.* §. 1. *init.* ann. 1571. Bullarii Tomo II. *p.* 325.

II. Sæpènumero, ob illiciti quæstûs cupiditatem, sub Cambii prætextu, usuraria pravitas à nonnullis exercetur. *Ibid.*

III. Primùm damnantur ea omnia cambia, quæ sicca nominantur, & ita confinguntur, ut contrahentes ad certas nundinas, sed ad alia loca, cambia celebrare simulent; ad quæ loca ii, qui pecuniam recipiunt, litteras quidem suas cambii tradunt, sed non mittuntur; vel ita mittuntur, ut transacto tempore, undè processerant, inanes referantur; aut etiam nullis hujusmodi litteris traditis, pecunia ibi denique cum interesse recipiatur, ubi contractus fuerat celebratus; nam inter dantes & recipientes, atque à principio ita convenerat, vel certè talis intentio erat; neque quisquam est qui in nundinis, aut locis supradictis, hujusmodi litteris receptis solutionem recipiat. *Ibid. §.* 2.

IV. Cui malo simile etiam illud est, cùm pecuniæ, sive depositi, sive alio nomine ficti cambii traduntur; ut posteà eodem in loco, vel alibi cum lucro restituantur. *Ibid.*

V. Sed & in ipsis cambiis, quæ realia appellantur, interdum campsores præstitutum solutionis terminum, lucro ex tacitâ vel expressâ conventione recepto, seu etiam tantùm modo promisso differunt: Quæ omnia usuraria esse declaratum est, & ne fiant districtiùs prohibitum. *Ibid.*

SECTIO XVI.

Ad tollendam in cambiis usuræ suspicionem. 1°. Nullum ineundum lucri pactum in casum non solutionis. 2°. Non exercendum cambium pro secundo & tertio termino. 3°. Curandum, ut habeatur in veris cambiis ratio vicinitatis vel longinquitatis locorum.

I. Ad tollendas in cambiis, quantùm cum Deo potest, occasiones peccandi, fraudesque fœneratorum; statutum est, ne quisquam audeat, sive à principio, sive aliàs, certum & determinatum interesse, etiam in casum non solutionis, pacisci. *Ibid.* Bulla CXVIII. Pii V. *In ea §.* 2. *fin.* ann. 1571.

II. Statutum, neque realia cambia aliter, quàm pro primis nundinis, ubi illæ celebrantur; ubi verò non celebrantur, pro primis terminis, juxtà receptum locorum usum, exercere; abusu illo prorsùs rejecto, cambia pro secundis & deinceps nundinis, sive terminis exercendi. *Ibid. fin.*

III. Curandum est in terminis, ut ratio habeatur longinquitatis & vicinitatis locorum, in quibus solutio destinatur; ne dum longiores præfiguntur, quàm loca destinatæ solutionis desiderant, fœnerandi detur occasio. *Ibid. fin.*

SECTIO XVII.

In contractibus Societatis usura committitur, cùm securitas est Capitalis.

I. Detestabilis avaritiæ ingluvies, & insatiabilis lucrandi cupiditas, malorum omnium radix, usque adeò excæcat mortalium mentes, ut multi avidè lucro inhiantes, in laqueos & insidias Diaboli miserè incidant; irrepit enim versutè & callidè antiquus humani generis hostis, per varios dolos & fallacias, & incautos homines quæstûs dulcedine captos ac delinitos opprimit, atque eò perducit, ut seipsos in usurarum voraginem, Deo hominibusque odiosam, Sacris Canonibus damnatam, & Christianæ charitati contrariam, fœdè immergantur, & dùm vanas & terrestres divitias quærunt, veras ac Cœlestes amittant. *Bulla* 45. SIXTI V. *Detestabilis.* 12. *Cal. Nov.* an. 1586. BULLAR. TOM. II. *p.* 557. Idem 21. *Octob.* ann. 1586.

II. Multi speciosum & honestum Societatis nomen suis fœneratriis contractibus prætexendo, hoc quasi colore & fuco, Mercatoribus, Opificibus, Negotiatoribus, & aliis personis, super eorum mercibus, officinis, tabernis, pannariis, aliisque rebus ac bonis, pecunias suas, aut alias res, Societatis nomine conferunt; vel greges, armenta, aut certa animalia, Agricolis seu terrarum cultoribus, Pastoribus, aliisque Rusticis, seu quibusvis personis dant in Societatem eâ conditione, ut sors ipsa, seu caput quod vulgò dicitur Capitale, tàm pecuniarum, quàm animalium, & rerum, salvum semper & integrum existat pro eo qui, non industriam aut operas, sed pecunias, animalia, aut res hujusmodi in Societatem confert; utque omne periculum & damnum ab altero socio recipiente sustineatur, contrà æquitatem & Societatis justitiam, diversimodè pacifcuntur; eosdemque socios, cum quibus contrahunt, plerumque pauperes & egenos, suoque labore & industriâ victitantes, ad sortem seu capitale restituendum, quicumque tandem casus & rerum eventus consequatur, pacto & obligatione obstringunt, simulque etiam certam lucri partem & summam, veluti tot pro quolibet centenario in singulos annos, per alterum socium durante Societate solvendam præfiniunt, & præscribunt; eamque summam & quantitatem, non subductis rationibus accepti & expensi, quod in Codices seu Tabulas Societatis referri solet, neque facto calculo vel computo pro ipsius lucri vel damni modo variabilem, sed laborem & curam computandi & calculandi se invicem remittere & renunciare asserentes, quovis tempore certam constituunt. *Ibid.* BULLARII TOM. II. *p.* 558.

III. Damnamus & reprobamus omnes & quoscumque contractus, conventiones, & pactiones, per quos seu quas cavebitur personis, pecunias, animalia, aut quaslibet alias res, Societatis nomine tradentibus, ut, etiamsi fortuito casu quamlibet jacturam, damnum aut amissionem incurrat, sors ipsa, seu capitale semper salvum sit, & integrum à socio recipiente restituatur; sive, ut de certa quantitate vel summa in singulos annos aut menses, durante Societate, respondeatur. *Ibid.* §. 1.

IV. Statutum hujusmodi contractus, conventiones, & pactiones, usurarios & illicitos censeri debere; atque non licere iis, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in Societatem tradent, de certo lucro, ut præfertur, percipiendo inter se pacisci & concordare; neque etiam, sive ad certum sive ad incertum lucrum conveniant, socios, qui ea recipient, ad sortem seu capitale, salvum & integrum, ubi illud casu fortuito perierit vel amissum erit, reddendum quovis pacto aut promissione sibi obligari. *Ibid.*

V. Ne de cætero Societates ineantur sub hujusmodi pactis & conditionibus, quæ usurariam pravitatem sapiunt, districtè interdictum & prohibitum. *Ibid. fin.*

SECTIO XVIII.

Quomodò ineundi Societatis Contractus, ut sint legitimi?

I. Cuncti noverint, Societates hujusmodi, cùm unus pecuniam, animalia, aut alias res & bona; alter verò operam, & industriam confert; purè, sincerè & bonâ fide, sicut decet, justis & æquis conditionibus & pactis, secundùm Juris dispositionem, ac sine ullâ prorsus fraude, palliatione, aut usurariæ pravitatis labe aut suspicione ineundas, seu contrahendas esse; ita ut non ad certam summam aut quantitatem, ab omni periculo & damno immunem, lucri nomine persolvendam, neque ad capitale, si casu fortuito perit, restituendum, socius accipiens teneatur. *Bulla* 45. SIXTI V. *Detestabilis.* §. 2. ann. 1586.

II. Si verò finitâ Societate ipsum capitale extat, ei, qui illud in Societatem contulerit, restituatur; nisi socio recipienti fuerit communicatum, aut aliter inter ipsos contrahentes super eo legitimè conventum sit. *Ibid.*

III. Prætereà iidem contrahentes, fructus, expensas, & damna in commune conferant, prout æquum & justum fuerit, sibi communicent, atque dividant. *Ibid. fin.*

EXPOSITIO TITULI XII.

Seu Regula circà Mutuum vel Usuram, è Jure Canonico deprompta, præmissas Decisiones illustrantes.

DUm de furto loquebamur, inter peccata, quæ ad furtum reducuntur, usuram primo loco annumeravimus; nunc de his peccatis acturi, juxtà præscriptum ordinem, ab usura incipimus.

REGULA GENERALIS

Totam Usuræ materiam comprehendens.

Non alia docet Jus Canonicum circà usuram, quàm ista.

1°. Quid sit? 2°. Quod prohibeatur. 3°. Quo Jure prohibita sit? 4°. Erga quos? 5°. Quibus & quot modis fiat? Quibus modis videatur fieri, & non fiat? Quæ sit illius injustitia? Quæ circa restitutionem lucri ex hoc peccato provenientis sint servanda? 6°. Quibus afficiantur pœnis usurarii? 7°. Quæ pœnæ eorum qui usurariis favent? 8°. Quæ peccata ad usuræ peccatum accedant?

REGULA I.

De Usuræ naturâ hæc tantùm in Jure Canonico habentur.

1°. Usura est, si plus quàm mutuo dedisti, expectes accipere. *Cap.* 1. CAUS. XIV. QUÆST. III.

2°. Usura est omnis superabundantia ex mutuo proveniens. *Cap.* 2. *Ibid.*

3°. Usura est quodcumque accedit sorti, id est, rei mutuatæ. *Cap.* 3. *Ibid.*

4°. Usura est, ubi ampliùs requiritur, quàm mutuo datur. *Cap.* 4. *Ibid.*

Hinc patet usuram non consistere in excessu lucri ex mutuo provenientis, sed in ipso lucro, quantulumcumque sit.

Hinc patet etiam, lucrum ex mutuo proveniens esse usuram, etsi non consistat in pecunia, sed in alia re, quæ pecuniæ tamen æquivaleat.

Hine patet, illud, quod percipitur titulo lucri cessantis, vel damni emergentis, non esse usuram, cùm non sit lucrum, sed indemnitas; non emolumentum,

mentum, ſed detrimenti compenſatio; non accedat ſorti propter ſortem mutuatam, ſed propter jacturam ex eo factam, quod ſors mutuò data ſit.

Hinc patet exactionem vel conventionem non requiri ad uſuram, ſed ſufficere ſpem & intentionem lucri.

REGULA II.

Uſuram illicitam eſſe conſtat, his Juris Canonici locutionibus.

1°. Vocatur crimen, *Cap.* 10. Dist. XLVII. *Cap.* 3. 4. 9. *De Uſuris.*

2°. Dicitur vorago quæ animas devorat, *Cap.* 1. *De Uſuris. In* 6.

3°. Deteſtandum appellatur uſurarum lucrum, *Cap.* 1. *De Uſuris.*

REGULA III.

Circa Jus ſive Legem, quâ uſura prohibeatur, duo docet Jus Canonicum.

1°. Uſuram prohiberi Jure Humano. Clem. Unic. *De Uſuris.*

2°. Prohiberi etiam Jure Divino. Clem. Unic. *De uſuris*, quæ id expreſsè dicit, quæque declarat, id de fide eſſe, dum vult Hæreticos haberi eos, qui manifeſtè affirmant, uſuram non eſſe peccatum. *Cap.* 3. 4. *De Uſuris*, quæ dicunt utriuſque Teſtamenti paginam uſuram condemnare deteſtarique. *Cap.* 4. *Citat.*, ubi dicitur, quòd circa uſuram non poteſt fieri Diſpenſatio; ubi etiam præceptum uſuram prohibens comparatur cum præcepto mendacium vetante. *Cap.* 10. Caus. XIV. Quæst. IV. ubi uſura cùm rapina comparatur. *Cap.* 1. *Ibid.* in quo fœnus cùm homicidio confertur. *Cap.* 11. *Ibid.* in quo præceptum quo uſura prohibetur, dicitur Divinum. *Cap.* 4. *Ibid.* Cap. 2. Caus. XIV. Quæst. III. in quibus prohibitio uſuræ fundari inſinuatur huic Scripturæ loco; *Qui non dedit pecuniam ſuam ad uſuram.*

REGULA IV.

Uſuram vetari tàm Laïcis quàm Clericis docet Jus Canonicum, nedum tacitè, ſed & expreſsè.

Primum patet ex dictis; Canones enim hucuſque citati loquuntur de uſurâ in ſe conſideratâ, eamque docent, ſine diſtinctione perſonarum, ſitam eſſe in lucro ex mutuo proveniente, grave eſſe crimen, ac Divino Jure prohiberi.

Secundum patet ex *Can.* 7. Caus. XIV. Quæst. IV. *Cap.* 2. *De Uſuris.*

Nec obſtat quod pleríque Canones à Gratiano citati circa uſuram, de Clericis tantùm loquantur; nam 1°. quos refert in fine Dist. XLVI. & in tota Dist. XLVII. ad hoc refert, ut oſtendat Clericos uſurarios non eſſe ordinandos, ideòque hi Canones de Clericis loqui debuerunt, & ſi quid de Laïcis dicebant, debuit omitti, ut *Can.* 5. Dist. XLVII. qui eſt 20, *Conc.* Eliberit. omiſſa eſt pars quæ de Laïcis loquebatur.

2°. Canones, quos citat Quæst. IV. Caus. XIV. ideò quidem refert, ut monſtret uſuram prohiberi tàm Laïcis quàm Clericis; ſed ſpeciatim Clericis & non Laïcis: quod profectò juſtum eſt; ſingulariter enim opponitur præſcriptis à Divo Paulo circa Clericos ordinandos regulis, cùm uſura ex cupiditate procedat, atque turpe lucrum ſit; Divus autem Paulus cupidos vel turpe lucrum ſectantes ordinari prohibeat, I. Timoth. *Cap.* 3. *verſ.* 3. 8. Idcircò Canones circa uſuram loqui de Clericis ſpeciatim debuerunt, non de Laïcis; tùm quia uſuram nec Lex nec Judex Laïcus puniebant, undè ut permiſſam habebant, nec ſcandalum generabat, nec pœnis Eccleſiaſticis digna judicabatur; hinc non debuit ab Eccleſia Laïcis peculiariter prohiberi, multòque minùs ſub pœnis Eccleſiaſticis, quia quæ ordinariò contra Laïcos fertur, quæque eſt major, Excommunicatio durior videbatur; ideòque Canones circa uſuram ſpecialem de Laïcis mentionem facere non debuerunt. *Cap.* 21. Caus. XIV. Quæst. IV.

REGULA V.

Uſuram erga omnes prohiberi clarè docet Jus Canonicum.

Patet ex dictis; Canones enim citati declarant, uſuram in ſe conſideratam eſſe vetitam, cùm ſine diſtinctione doceant, lucrum ex mutuo à Deo prohiberi, quodcumque ſit; undè ratione perſonarum fieri nequit licita.

Præterea ſi, juxtà Jus Canonicum, liceret cum lucro alicui mutuo dare, id exprimeretur alicubi. Cùm enim generalis regula exprimatur pluries in Canone, exceptio deberet etiam exprimi; nullibi tamen fit mentio de exceptione; quis enim poteſt excipi, niſi hoſtis, dives, mercator; nullus tamen illorum excipitur: Non Hoſtis; quia *Cap.* 12. Caus. XIV. Quæst. IV. quod docet licere ab hoſtibus exigere, loquitur de caſu, in quo eâ authoritate exigitur, quâ bellum decernitur; ut patet his verbis, *Ubi jus belli, ibi jus uſuræ.*

Non Dives; quia *Cap.* 10. Caus. XIV. Quæst. IV, S. Ambr. uſuram rapinæ comparat, & *Cap.* 3. Caus. XIV. Quæst. V. S. Aug. docet, non licere aliquid auferre, etiam ut detur pauperibus.

Non Mercator; tùm quia *Cap.* 3. Caus. XIV. Quæst. II. S. Ambrosius negotiatores recenſet inter eos, quibus non licet recipere quidquam ratione mutui; tùm quia *Cap.* 19. *De Uſuris* illum, qui recipit lucrum ex mutuo dato Mercatori, uſuræ peccato obnoxium judicat.

Non obſtat *Cap.* 7. *De Donationibus inter virum & mulierem*, in quo Innocentius III. jubet dotem apud maritum non tutam, apud Mercatorem deponi, ut de parte honeſti lucri ſuſtentet onera matrimonii. Non enim hinc ſequitur ex mutuo dato Mercatori licere lucrum percipere, cùm de mutuo hìc ſermo non fiat, ſed de ſocietate, in qua Mercator confert ſuam induſtriam, alter verò ſuam pecuniam, hoc pacto ut iſte pecuniæ periculum ſubeat, ſicut operarum jacturæ ſeſe objicit Mercator.

Nec dicas Innoc. III. velle hanc dotem extrà periculum ponere, hacque de cauſa præcipere, ut de manu mariti, apud quem tuta non erat, tollatur. Non enim ea eſt Innocentii mens, cùm det optionem, ut vel detur marito, vel Mercatori. Præterea ſi Innocentius intendiſſet, pecuniam hanc in tuto collocare, non juſſiſſet deponi apud Mercatorem, apud quem non eſſe tutam frequentiores caſus quovis ſœculo docuerunt; ſed intendit, ut quod minùs periculoſum ac matrimonio commodius eſt, eligatur; ita ut, ſi pecunia futura ſit tutior & fructuoſior in manibus Mercatoris, quàm in manibus mariti, deponatur potiùs apud Mercatorem, quàm apud maritum; ſi verò è contra, credatur marito. Denique Panorm. *illud Caput* interpretatur eodem modo, quo interpretati ſumus; ibique docet ſocietatem, qua Mercator pecuniæ operarumque ſubiret periculum, non eſſe honeſtam, ſed potiùs leoninam; cùm honeſtæ ſocietatis ea Lex ſit, ut ſocii æqualiter, participent damno, ut & lucro, pro rei qualitate quam in ſocietatem conferunt.

Nec dicas iterùm *Cap.* 19. *De Uſuris* alium eſſe ſenſum, quàm quem adduximus, illumque eſſe, non eſſe uſurarium qui lucratur ex mutuo dato Mercatori. Non enim certum eſt hanc priorem *Cap.* Partem cum negatione legendam eſſe; cùm in *Editione* facta autoritate Gregorii XIII. ſine negatione legatur, atque id ſufficiat, ut Sectio hæc erronea non judicetur.

Verùm etſi Pars hæc cum negatione legenda eſſet, non ſequeretur hinc, quòd ex mutuo Mercatori dato, lucrum percipere liceret; ſed tantùm quod id liceret ex eo, quòd qui mutuo dat, periculum in ſe ſuſcipiat ultrò & volens, ac de illo cum Mercatore paciſcitur, ita ut ſi pecunia mutuo data pereat, ipſe totam illius jacturam patiatur, etſi Mercator aliundè habeat ad iſtam jacturam reſarciendam,

R E-

REGULA VI.

Nullo in casu licita est Usura.

Cap. 4. De Usuris, ubi dicitur, quòd super usura fieri nequit ulla dispensatio, quia à Deo prohibetur; quòdque, sicut non licet mentiri pro vita alterius, multò magis non licet usurâ involvi pro redimendo captivo: Undè inferre licet, quòd quemadmodum mendacium nullo in casu est licitum; ita nec usura ullo in casu est licita.

REGULA VII.

Usura fieri non potest, nisi duobus modis.

I. Quando lucrum percipitur ex vero mutuo, quo rei, quæ usu consumitur, dominium in alium transfertur cum obligatione similem restituendi: undè differt mutuum à commodato, tùm in eo, quòd commodatum versatur circa res, quæ usu non consumuntur; tùm in eo, quòd in commodato dominium non transfertur.

II. Quando lucrum percipitur exactione quæ mutuo æquivalet, ejusque vices gerit.

REGULA VIII.

Quando Usura fit priore modo, dicitur vera; quando posteriore, dicitur palliata.

REGULA IX.

Non alii leguntur in Jure Canonico casus ad veram usuram pertinentes, quàm isti.

1°. Si munuscula accipiantur pro re fœnetata; ut si quis convivium instaurandum putat, ad negotiatorem mittit, ut absynthiaci capellam deferat sibi gratis. Ad Caponem dirigit, ut Picenum vinum, aut Tyracum requirat; ad Lanium, ut hilum sibi procuret; ad alium, ut poma sibi adornet. *Cap.* 21. CAUS. XIV. QUÆST. III. *Cap.* 3. *Ibid.*

2°. Si vestis, si esca exigatur ab eo, qui mutuo accipit. *Ibid.*

3°. Si centesimum accipit, id est, nummum unum pro centum, quolibet mense. *Cap.* 4. CAUS. XIV. QUÆST. IV. *Cap.* 2. DIST. XLVII.

4°. Qui hemiolia vel sescupla exigit, id est, dimidium centesimi, sive dimidium nummi quolibet mense pro centum, vel totam rem mutuatam cum dimidia illius parte, modium frumenti mutuatum cum dimidio modii. Utraque hæc interpretatio apud ZONARAM habetur, sed posterior ZONAR. in *Cap.* 17. *Nican.* non videtur verisimilis; quia *Conc.* NICÆN. è quo desumptus est Canon, quem citat & quem explicat ZONARAS in Primâ Parte hujus Canonis prohibet centesimam usuram; in secundâ verò sescuplam. Undè oportet, ut ista minor sit illâ: frustrà enim post prohibitam minorem, majorem prohiberet, cùm secunda prohibitio in primâ includeretur.

5°. Qui fructus rei in pignus receptæ pro mutuo non computat in sortem, deductis impensis necessariis ut fructus ferat & ut colligantur, *Cap.* 7. 32. *De Jurejur.* Cap. 6. 7. *De Pignoribus.* Cap. 8. *De Usur.* Cap. 1. *De Empt. in primâ Collect.*

Sed hujus casus triplex exceptio. Prima, si Dominus feudi illud in pignus accipiat à Vassallo suo, qui propter hoc cessat consuetum servitium exhibere; tunc enim fructus pignoris sunt loco servitii. *Cap.* 1. *De Feudis.*

Secunda, si Clericus Beneficii sui agrum recuperare non valens, nisi mutuando & accipiendo in mutui pignus agrum injustè detentum; tunc enim fructus percipit è re sua, ideòque non sunt in sortem computandi. Quod de Clerico *in cit. Cap.* dicitur, ad Laïcum extendendum, quia par ratio. *Cap.* 1. *De Usur.*

Tertia, si maritus agrum soceri in pignus accipiat pro numerata dote socero relictâ, vel pro numerandâ, fructus in sortem computare non tenetur, quia vices gerunt solvendæ pro dote pensionis. *Cap.* 16. *De Usur.*

6°. Qui naviganti vel eunti ad nundinas mutuo dat, aliquid ultra sortem recepturus, ex eo quod in se suscipit sortis periculum. *Cap.* 19. *De Usur.*

Cujus casus ratio est; quia percipiendum hujusmodi lucrum vel nascitur ex mutuo, vel ex societate: si ex mutuo, naturæ mutui contrarium est, cum mutuum sit ex natura sua merè gratuitum; si ex societate, justæ societati adversatur; ut enim justa sit societas, requiritur æquitas damni & lucri; hæc autem æqualitas in isto casu non reperitur; creditor enim lucrum ex mutuata pecunia, de quo eum debitore pactus est, periculo non exponit; undè unum solum incurrit periculum, nempè sortis; cùm debitor triplex incurrat, nempè 1°. Operarum. 2°. Lucri ex opere. 3°. Emolumenti creditori promissi quoquo modo succedat negotium. *Cap.* 10. *De Usur.*

7°. Si mutuo dentur undecim pro duodecim. *Cap.* 1. *De Excess. Præl.*

8o. Si mutuo detur, eo proposito, ut plus forte recipiatur, omni licet cessante conventione. *Cap.* 10. *De Usuris.*

REGULA X.

Non alii in Jure Canonico leguntur casus ad usuram palliatam pertinentes, quàm isti.

1o. Si Creditor, qui, *v. gr.* centum nummos mutuò dedit, accipiat pignus, quod centum quinque nummis & ampliùs valeat, eâ lege, ut si intra annum mutuata summa sibi non reddatur, fiat pignoris Dominus. Infertur è *Cap.* 7. *De Pignoribus.*

2°. Quando qui mutuò dedit, emit ab eo, cui dedit, domum eo pacto, ut intra statutum tempus venditor illam recuperet pretio longè minori, quàm sit domus valor; tunc enim præsumitur pignus, non emptio vera judicatur; fruitio verò domûs vices gerit lucri, quod è re mutuata Creditor percipere vult, vel modicum illud pretium usuræ sunt rei mutuatæ. *Cap.* 5. *De Emptione.*

3°. Si quis aliquid vendat pluris quàm valeat, ob dilatam pretii solutionem. *Cap.* 6. 10. *De Usuris.*

4°. Qui emit aliquid minoris quàm valeat, ob anticipatam pretii solutionem. *Cap.* 19. *De Usur.*

5°. Qui non aliter prorogat Debitori tempus ad solvendum à se constitutum, nisi accepto pretio, etsi nihil exigat. *Cap.* 10. *De Usur.*

6°. Qui rem emit eo pacto, quod illam posteà restituat venditori, & recipiat ab illo aliquid ultra pretium à se datum. *Cap.* 4. *De Pignor.*

REGULA XI.

In Jure Canonico non habentur alii modi, quibus usura fieri videatur & non fit, quàm isti.

1°. Si in dubio, an merces plùs minùsve valituræ sint tempore quo illarum pretium solvatur, quis vendat pluris quàm valeant tempore quo vendit, & quo non erat venditurus, sed illo quo pretium solvetur. *Cap.* 6. *De Usur.*

2°. Qui decem mensuras olei vel frumenti decem nummis emit eo tempore quo plus valent; sed incertum est, an tempore quo tradentur plus vel minus valituræ sint. *Cap.* 19. *De Usuris.*

Casus isti duo videntur usurarii, quia lucrum percipi videtur; in priore, ex dilata solutione; in posteriore, ex dilata traditione: sed non sunt, quia non est attendendum tempus quo merces venduntur, sed quo vendendæ erant; nec tempus quo emuntur, sed quo tradendæ sunt.

3°. Quando ratione damni, quod quis passus est, aliquid accipit ultra rem traditam. *Cap.* 7. *De Foro compet.*

Hic casus videtur usurarius, quia sorti aliquid accedit; plus enim accipitur, quàm datum sit: sed non est, quia quod accipitur ultrà creditam rem, non est ipsius augmentum, sed alterius perditæ compensatio.

Cùm

Cùm cessatio lucri sit damnum; quod de damno dictum est in casu isto, ad lucrum cessans extendendum est.

4º. Cùm quis datis, *v. g.* 20. nummis, plus vel minus, emit censum annuum unius nummi super agro, vel domo, vel simili re in Contractu expressis, eo pacto ut venditor possit, quando voluerit, censum hunc in toto vel in parte redimere, reddendo in toto vel in parte quod accepit, sed ad id cogi nequeat ab emptore. Extrav. Comm. I. 2. *De Empt.*

Videtur hic Casus Usurarius, quia sicut in Usura data pecunia fructificat, cùm summa 20. nummorum unius fructum producat; sed non est, quia hic fructus non provenit ex mutuo sterili, sed ex emptione & venditione, ex quibus fructus percipi potest. Præterea in Usura qui mutuo dat fructum percipit ex re aliena, cùm mutuata pecunia sit illius qui illam mutuo accepit: in casu verò isto, emens fructus percipit è re sibi obligata, ac idcircò quodammodo suâ.

REGULA XII.

De Usuræ injustitia hæc habet Jus Canonicum.

1º. Comparat Usuram cum rapinâ; undè insinuat, quod sicut rapina est duplo iniquior furto, ita peccatum Usuræ est multò iniquius aliis injustitiæ peccatis. Quæst. IV. Caus. XIV. *Cap.* 10.

2º. Dùm dicit fœnora pauperem trucidare, docet adeò injustam esse Usuram, ut quod introductum est in pauperis salutem mutuum, in illius necem vertat. *Cap.* 11. *Ibid.*

3º. Vocat Usuram voraginem, quæ facultates exhaurit; Quod de mutuantis facultatibus præcipuè est intelligendum. *Cap.* 1. *De Usur. In 6.*

4º. Insinuat per Usuram vendi usum rei ab ipsâ re indistinctum; fructum percipi è re, quæ non fert fructum; eâque iniquè æquiparari pecuniam, quæ est ex se sterilis, instituta tantùm ad emendum, cum agro, qui est ex se fœcundus & dispositus ad ferendum fructus; æquiparari mutuum cum locatione, à quâ differt in eo, quòd in locatione non transfertur dominium, ideòque res locata ferre potest fructus locanti, mutuo verò res data fiat illius, cui mutuo datur; proindèque isti, non illi, qui mutuò dedit, fructificare debeat. *Cap.* 11. Dist. LXXXVIII.

REGULA XIII.

Præter modos, quibus Usura fit, de quibus hactenùs, quique substantiales sunt; est alius accidentalis scitu necessarius.

Regula fundatur in eo, quòd usura fiat, vel manifestè, vel non manifestè; hoc autem sibi commune sit cum aliis peccatis: indèque fiat, ut sit duplex Usurariorum genus, quorum alii sint non manifesti, alii manifesti; circa quos Jus Canonicum nonnulla docet non negligenda, suisque locis non prætereunda.

REGULA XIV.

Usurarii manifesti judicandi sunt, etiam quoad pœnas, non solùm qui per Sententiam condemnati sunt; sed etiam, qui eodem modo condemnarentur, nisi Protectorum potentia id impediret. *Cap.* 15. *De Usuris.*

REGULA XV.

Circa Usurarum restitutionem, non alia servanda docet Jus Canonicum, quàm ista.

1º. Usurarii manifesti non sunt antè sepeliendi, quàm Usuræ restitutæ fuerint, aut de hoc idoneè cautum, etsi Testamenta hanc restitutionem mandaverint; cautio autem illa fieri debet his, quibus est restitutio facienda; aliàs recipi potest ab Ordinario, vel ejus Vicario, aut à Parocho coram Testibus fide dignis, aut à servo publico Ordinarii mandatu; atque in eâ exprimi debet perceptarum Usurarum quantitas, si sit manifesta; aliàs, prout à recipiente moderabitur; si verò iste minorem, quàm verisimiliter creditur, sciens moderetur, ad residuum tenetur. *Cap.* 2. *De Usur. In 6.*

2º. Usurarius per Censuras Ecclesiasticas est compellendus, ut extortas aut receptas usuras restituat, licet Debitor juraverit se eas non repetiturum: cujus ratio, quia tunc gravior est Usurarii culpa, cùm hujusmodi juramentum ab Usurario, ut plurimùm, extorqueatur. *Cap.* 5. 13. *De Usur.* Cap. 6. 7. *De Jurej.* Cap. 13. *De Usur.* Cap. 20. *De Jurejur.*

3º. Antè hujusmodi restitutionem non potest Usurarius repetere Usuras, quæ à se exactæ sunt; nec auditur eas repetens, etsi Literas ad hoc impetrarit, *Cap.* 14. 17. *De Usur.*

4º. Usurariorum filii hæredesve, ad Usuras restituendas eâ sunt districtione cogendi, quâ Usurarii ipsi, si viverent. *Cap.* 9. 17. *De Usur.* Cap. 20. *De Jurejur.*

5º. Usuræ restituendæ sunt iis, à quibus extortæ, vel acceptæ sunt; illis verò deficientibus, illorum hæredibus; quibus etiam deficientibus, pauperibus erogandæ sunt. *Cap.* 5. *De Usur.*

6º. Emptæ ex Usuris possessiones vendi debent, ipsarumque pretia restitui iis de quibus mox dictum est. *Ibid.*

7º. Excusantur à restitutione & à pœnis contrà non restituentes statutis, qui non habent undè restituant, quorumque nota est paupertas. *Ibid.*

8º. Judæi ad Usuras Christianis restituendas, per Principes Sæculares cogendi sunt; & donec restituerint, sub Excommunicatione jubentur Christiani eis denegare omnimodam communionem. *Cap.* 12. 18. *De Usuris.*

REGULA XVI.

Nisi Usurarius manifestus satisfecerit, vel de hoc idoneè caverit, à Jure Canonico plectitur his pœnis.

1º. Non est admittendus ad Communionem Altaris, *Cap.* 3. *De Usur.*

2º. Si decesserit, Sacrâ privandus est sepulturâ. *Ibid.*

3º. Oblationes illius non sunt recipiendæ. *Ibid.*

4º. Non est audienda ejus Confessio, nec à fortiori absolvendus est. *Cap.* 2. *De Usur. In 6.*

5º. Nullus interesse debet illius testamento. *Ibid.*

6º. Nullum est illius testamentum.

7º. Appellans non est audiendus. *Cap.* 11. *De Usur.*

8º. Ecclesiastici Officii periculum patitur. *Cap.* 1. *De Usur.*

9º. Ab obtinendâ dignitate excluditur. *Cap.* 11. *De Excess. Prael.*

10º. Infamis est ipso genere facti. *Cap.* 2. *vers. fin.* Caus. III. Quæst. VII.

Tres postremæ pœnæ ab Usurario manifesto incurruntur, etiamsi satisfecerit.

REGULA XVII.

In Jure Canonico puniuntur, ut Usurario manifesto faventes, qui sequuntur.

1º. Qui illius oblationes accipit; & iste, nedùm accepta reddere compellitur, sed, donec ad arbitrium Episcopi satisfaciat, ab Officio est suspensus. *Cap.* 3. *De Usur* Cap. 2. *De Usur. In 6.*

2º. Qui illum, qui in peccato decedentem Sacræ tradit sepulturæ, & eâdem ac præcedens fautor pœnâ plectitur, restituto priùs quidquid ad hoc accepit. *Ibid.*

3º. Qui alienigenam Usuras publicè exercentem, vel exercere volentem, in terris suis domos conducere, vel conductas habere, vel habitare permittit; & iste,

& iste, si fuerit Episcopus vel Archiepiscopus, vel Patriarcha, suspensionem incurrit; si alius iis inferior est, Excommunicationem; si verò id à Collegio fiat, Interdicto subjacet; quam pœnam si quis eorum per mensem animo indurato sustinuerit, terræ illius interdictæ remanent, donec hinc Usurarium commorantem expulerint. *Cap. t. De Usur. In 6.*

4°. Idem dicendum de eo, qui ad fœnus exercendum domos locat, vel alio Titulo concedit, ac de illo de quo mox dictum est. *Ibid.*

5°. Communitatum Rectores, aliive Officiales, qui Statuta faciunt, scribunt, vel dictant, quòd Usuræ solventur, quodque solutæ non repetentur; & isti Excommunicationis pœnam ipso facto incurrunt. CLEM. *De Usur.*

6°. Idem, nisi intra tres menses, in quantùm in ipsis erit, Statuta talia de Communitatum libris ooo deleverint. *Ibid.*

7°. Idem, si Statuta ista similesve consuetudines quoquo modo observent. *Ibid.*

REGULA XVIII.

Ad Usuræ peccatum accedunt quævis peccata, quæ in turpi lucro, ex pecunia, similive re, provenienti, consistunt.

Cap. 1. DIST. XLVII. *Cap.* 4. 8. CAUS. XIV. QUÆST. IV. in quibus peccata hujusmodi cum Usuræ peccato conjunguntur.

REGULA XIX

Ex hujusmodi peccatis, quæ ad Usuræ peccatum accedunt, non alia in Jure Canonico leguntur, quàm ista.

I. Quando quis tempore messis emit annonam, ut alio tempore cariùs vendat. Idem de vino additur. *Cap.* 9. CAUS. XIV. QUÆST. IV. *Cap.* 11. *In medio. Cap.* 13. DIST. LXXXVIII.

Circa hos Canones notandum, 1°. Quod negotium tale non est peccatum, nisi quando ex cupiditate fit; non autem si ex necessitate rei domesticæ fiat, ut scilicet hinc familia sustentetur. 2°. Quod frumentum à vino hoc casu differat in eo, quod vinum servari possit ut commodiori tempore vendatur; frumentum verò eo fine emptum servare non liceat, sed omni tempore venale esse debeat, si emptor sese offerat. 3°. Quod citati Canones adversari videantur *Cap.* 10. Cap. 13. *Ejusdem* DIST. cùm in istis negotiatio approbetur, in illis verò damnetur; quòdque apparens ista contrarietas tollatur, distinguendo negotiationem in se sumptam à negotiatione cum pravis circumstantiis conjunctâ; addendoque, quòd posteriores Canones negotiationem in se spectent & approbent; priores verò alio modo considerent & damnent. 4°. Quod inter circumstantias, quibus illicita fit negotiatio, quædam ad propositum non pertineant; quales sunt, quod ex cupiditate vel propter vanam gloriam fiat, quodve mendaciis & perjuriis merces onerentur; aliæ verò ad istum locum spectant; talis est, quòd bonum publicum lædat, ut fit, quando res, quæ viliùs comparari possent, si à pluribus possiderentur, & venderentur, ab eodem simul emuntur, ut cariùs posteà, pro libito, distrahantur; talis est etiam, quòd res nimiùm vendantur. *Cap.* 9. *cit.* CAUS. XIV. QUÆST. IV. *Cap.* 11. *cit.* DIST. LXXXVIII. *Cap.* 11. 13. *Ibid.* Cap. 13. *Ibid.* Infertur ex *eod.* Cap. 13.

II. Quando transeuntibus res cariùs venduntur, quàm mercato vendantur. *Cap. t. De Empt.*

III. Quando justæ mensuræ, justa pondera lucri causâ mutantur. *Cap.* 2. *Ibid.*

Casus isti duo reducuntur ad illum generalem, quo res nimiùm venduntur; cùm enim mensura vel pondus sunt injusta erga emptorem; quod mensuræ deest, rei venditæ pretium auget, eoque modo nimium evadit.

IV. Quando pœna pecuniaria exigitur tota ab eo, qui sub ea obligatus ad quamdam summam solvendam statuto termino, non eam integram solvit, sed majorem illius partem. *Cap.* 9. *De pœnis.*

V. Cùm Episcopi vel Abbates alicujus rebus inhiantes, seducendo inducunt ad Regularem vitam amplectendam, eoque modo illius res surripiunt. *Cap.* 5. CAUS. XX. QUÆST. III.

VI. Quodvis Mercatoris peccatum in lucro consistens, turpis quæstus dicitur, eoque modo ad usuram accedit. *Cap.* 2. *De Pœnit.* DIST. V.

TITULUS XIII.

De injuriis & damnis quæ inferuntur.

SECTIO I.

Occasio seu causa damni, damnum dare censetur; & quocumque modo in damnum influat, satisfacere tenetur.

I. Qui occasionem damni dat, damnum videtur dedisse. *De injuriis.* Cap. *Si culpa. §.* 2. LIB. V. DECR. *Tit.* 36. Cap. 9. *fin.*

II. Si egressus ignis comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris, reddet damnum qui ignem succenderit. *Ibid. De injuriis.* Cap. *Si egressus.* LIB. V. DECR. *Tit* 36. Cap. 5. EXODI XXII.

III. Si læserit quispiam agrum vel vineam, & dimiserit jumentum suum ut depascat aliena; pro damno æstimationem restituat. *Ibid.* Cap. *Si læserit.* LIB. V. DECR. *Tit.* 36. Cap. 4. EXODI XXII.

IV. Si quis domum vel aream cujusquam incenderit voluntariè, sublata & incensa omnia restituat. *Ibid. De Injuriis.* Cap. *Si quis domum.* LIB. V. DECR. *Tit.* 36. Cap. 6. *Ex Pœnitentiali Romano.*

V. Si culpâ tuâ datum est damnum, vel injuria irrogata; jure super his satisfacere te oportet. *De Injuriis.* Cap. *Si culpâ. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 36. Cap. 9.

Quis renetur si culpâ suâ damnum dedit: item renetur qui injuriam irrogavit. *Glossa.*

VI. Si aliis damnum vel injuriam irrogantibus opem fortè tulisti, jure super his satisfacere te oportet. *Ibid.*

Non solùm qui damnum dedit, seu injuriam irrogavit, sed qui opem tulit, tenetur. *Glossa*, verbo, *Tulisti.*

VII. Si hæc imperitiâ tuâ sive negligentiâ evenerunt, jure super his satisfacere te oportet. *Ibid.*

Imperitia quæ annumeratur culpæ, sive negligentia. *Glossa*, verbo, *Imperitia.* Ergò sive culpâ, sive imperitiâ vel negligentiâ damnum dederis, vel si injuriam irrogaveris, vel dantibus opem dedisti, teneris.

VIII. Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere vel jacturam. *Ibid.*

Si negligentiâ tuâ aliquod minus benè fecisti, & ob hoc damnum datum sit, teneris. *Glossa. Ibid.*

IX. Secùs est in illo dicendum, qui, ut damnum accideret, de contingentibus nil omisit. *Ibid. §.* 2. *fin.*

Non est ei imputandum, qui de contingentibus nihil omisit. *Glossa*, verbo, *Nil omisit.*

Non excusat ignorantia à culpâ, si potuit scire ex facto suo contingere jacturam vel injuriam. *Glossa*, verbo, *Ignorantia.*

SEC-

SECTIO II.

Etiam de damno tenetur, quod fit per res suas, si etiam non adhibuit quam debebat diligentiam, ne nocerent.

I. Si bos alienus cornupeta esset, & non custodivit eum Dominus suus; reddet bovem pro bove. *De Injuriis.* Cap. *Si bos.* Lib. V. Decr. *Tit.* 36. *Cap.* 1. Exod *Cap.XXI.* Si animal tuum mihi damnum dedit, tu teneris. *Glossa*, verbo, *Reddet.*

II. Si animalia tua nocuisse proponas, nihilominùs ad satisfactionem teneris, si fuerint animalia quæ consueverunt nocere, & quam debueras non curasti diligentiam adhibere. *Ibid.* Cap. *Si culpa.* §. 1. *Quod si.* Lib. V. Decr. *Tit.*36. *Cap.*9.

Si animalia tua damnum dederunt, satisfacere te oportet. *Glossa.*

III. Si quis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos vel asinus in eam, Dominus cisternæ reddet pretium jumentorum; quod autem mortuum est, ipsius erit. *Ibid.* *De Injuriis.* Cap. *Si quis aperuerit.* Lib. V. Decr. *Tit.* 36. *Cap.* 2.

Si hoc fecit in publico loco; quia qui occasionem damni dat, tenetur. *Glossa*, verbo, *Reddet.*

SECTIO III.

Multis modis fit injuria alteri.

I. Non solùm is injuriarum tenetur, qui fecit injuriam, hoc est, qui percussit; verùm ille quoque continetur, qui dolo fecit, vel curavit, ut cui mala (seu maxilla) pugno percuteretur. Caus. XXXIII. Quæst.III. *De Pœnit.*Dist.I. Cap.12. *Si quis tam.* §.1. Ex Digestis Lib. XLVII. *Tit.* 10. *De Injuriis.* *Lege* 11. *Non solùm.*

Injuriarum tenetur, qui alium percutit, vel facit ut percutiatur. *Glossa.*

II. Qui non repellit à socio injuriam, si potest, tàm est in vitio, quàm ille qui facit. Caus.XXXIII. Quæst. III. *Cap.*7. *Non inferenda.*

Qui socii non repellit injuriam, similis est ei qui facit. *Rubr.*

III. Qui potest obviare & perturbare perversos,& non facit, nihil aliud est, quàm favere eorum perversitati; nec enim caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare. Caus. XXIII. Quæst. III. Cap. 8. *Qui potest.* Damasus *Papa Epist.* 1. *ad* Stephanum Cap. 8. ann. 367. S. Ambros. Lib. I. *De Officiis.* *Cap.* 36. *init.* ann. cir. 391.

SECTIO IV.

Amentes & impuberes facere non posse injuriam. Infames esse, qui injuriam inferunt.

I. Sunt quidam, qui injuriam facere non possunt, utputà furiosus, & impubes qui doli capax non est; namque hi injuriam pati solent, non facere. Caus. XV. Quæst. I. *Cap.* 2. *Illud.* Ex Digestis Lib. XLVII. *Tit.* 10. *De Injuriis.* *Lege* 3.

II. Cùm injuria ex affectu facientis consistat, consequens erit dicere, hos, sive pulsent, sive convitia dicant, injuriam fecisse non videri. *Ibid.*

III. Pati quis injuriam, etiamsi non sentiat, potest; facere nemo, nisi qui scit se injuriam facere, etsi nesciat cui faciat. *Ibid.*

IV. Si quis per jocum percutiat, aut dum certat, injuriarum non tenetur. *Ibid.*

V. Injuriâ injustè irrogatâ, ejus est infamia qui facit. Caus. XXII. Quæst. IV. *Cap.*22. *Inter cætera.* *fin.* S. Aug. Severo *Milevitano*, fortè circ. ann.396.

VI. Ubi nulla fuerit vel minima facta injuria, infamiâ non notaris. *De Sent.* Cap.*Cùm te.* §.1. Lib. II. Decr. *Tit.* 27. *Cap.* 23.

Condemnatus de injuriâ notatur infamiâ, nisi injuria sit minima. *Glossa.*

SECTIO V.

Vim vi repellere licet.

I. Vim vi repellere omnes Leges, & omnia Jura permittunt. *De Homicidio.* Cap. *Significasti.* §.4. Lib. V. Decr. *Tit.* 12. *Cap.* 18.

II. Vim vi repellere omnes Leges, omniaque Jura permittunt. *De Sent. Excom.* Cap. *Si verò.* §. 1. *fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. *Cap.* 3.

III. Omnes Leges omniaque Jura vim vi repellere, & sese defensare permittunt. *In* 6. *De Sent. Excom.* Cap. *Dilecto.* §.1. *init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 11. *Cap.* 6.

IV. Licet alicui, si quis eum bonis suis mundanis injuriosè spoliare, vel ea violenter occupare præsumpserit, contra illius violentiam injuriamque se tueri. *Ibid.*

V. Licet cuilibet, suo vicino vel proximo, pro repellendâ ipsius injuriâ, suum impertiri auxilium. *Ibid.* §. 2. *init.*

VI. Imò si potest, & negligit, videtur injuriantem fovere, ac esse particeps ejus culpæ. *Ibid.*

VII. Non in inferendâ, sed in repellendâ injuriâ Lex virtutis est. Caus. XXIII. Quæst. III. *Cap.*7. *Non in inferendâ.* S. Ambros. Lib. I. *De Officiis.* Cap. 36. *init.* circ. ann. 391.

Licet statim, ex quo vobis innotuit Juri vestro præjudicium fuisse irrogatum, vim vi duxeritis repellendam, necessè est satisfactionem debitam exhibere, si defendendo jus vestrum, in offensam alicujus, modum forsitan excessistis. *De Restit. Spoliat.* Cap. *Olim.* §. 2. Lib. II. Decr. *Tit.*13. *Cap.*12.

Vim vi incontinenti, vel quam citò intelligit vim illatam, repellere licet. *Glossa.*

Vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ; & qui modum excedit, tenetur. *Glossa.*

SECTIO VI.

Volenti non fit injuria, nisi cedat in damnum alterius. Nulli debet officium suum esse damnosum; nec indè damnum contingere, undè meretur præmium.

I. Scienti & consentienti non fit injuria. *In* 6. *De Reg. Juris. Reg.* 27.

II. Manus injectio in Clericum, qui corpus suum sponte supponit percussionibus, etsi non violenta, tamen injuriosa videtur; cùm Canon non tàm in favorem Clerici, quàm in favorem Ordinis Clericalis fuerit promulgatus. *De Sent. Excom.* Cap. *Contingit.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. *Cap.* 36.

Volenti & scienti ac patienti fit injuria factum, si in eo lædatur jus alterius. *Glossa.*

III. Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum. *In* 6. *De Reg. Juris. Reg.* 33.

IV. Non decet alicui suum officium esse damnosum. *In* 6. *De Elect.* Cap. *Cùm non decet. init.* Lib.I. *Tit* 6. *Cap.* 30.

V. Damnum, quod quis suâ culpâ sentit, sibi debet, non aliis, imputare. *In* 6. *De Reg. Juris. Reg.* 86.

VI. Undè misericordiam quis debuit impertare, indè non cogitur dispendium sustinere. *De Renunciatione.* Cap. *Sanè.* §.2. Lib. I. Decr. *Tit.* 9. *Cap.*7.

Undè gratiam quis meretur, damnum sustinere non debet. *Glossa.*

VII. Ne quis dispendium patiatur, undè videtur præmium meruisse. *De Fidejussorib.* Cap. *Pervenit.* §.1. Lib. III. Decr. *Tit.* 22. *Cap.* 2.

Quis non debet pati dispendium, de quo meruit præmium obtinere. *Glossa.*

VIII. Si non poteſt ſubveniri alteri, niſi alter lædatur, commodius eſt neutrum juvari, quàm gravari alterum. CAUS. XIV. QUÆST. V. *Cap* 10. *Denique. init.* S. AMBROS. LIB. III. *De Officiis.* Cap.9. *n.* 59. *init.* ann. circ. 391.

SECTIO VII.

Satisfaciendum pro illatis injuriis, non ſolùm in damnis, habitâ ratione injuriarum, ſed etiam in expenſis.

I. Qui cum alio alternatim convitia inferendo certavit, in ſatisfactione injuriarum debet aliorum obedire Mandato. *De Jurejur.* Cap. *Veniens. init.* LIB. II. DECR. *Tit* 24. *Cap.* 16. EUGENIUS II. ann. circ. 824. *Decreto* 9. TOM. VII. CONC. *pag.* 542. *Concil.* RHEMANSE ann. 1148. *Can.* 15. TOM. IX. CONC. *pag.* 1112.

II. Aliquando tale quid commiſit propter quod ei aliquod grave non debeat imponi. *Ibid. med.*

Mandatum debet eſſe idoneum, non iniquum, aliàs relaxatur Mandatum. *Gloſſa.*

III. Eccleſia monere eſſi aciter, & inducere aliquem poteſt ad ſatisfaciendum de damnis & injuriis irrogatis, &, ſi neceſſe fuerit, Cenſurâ Eccleſiaſticâ coarctare. *De Injuriis.* Cap. *Olim. in int.* LIB. V. DECR. *Tit.* 36. *Cap.* 7.

IV. Is propter injuriam in expenſas & damna tali occaſione ſecuta condemnandus eſt. *Ibid.*

Propter hanc injuriam punitur ad expenſas, quas propter hoc fecit, & damna quæ pertulit occaſione. *Gloſſa*, verbo, *Banniverat. fin.*

Condemnari debet ſecundùm æſtimationem injuriæ, in expenſis & damnis. *Ibid. in Summa Capit.*

V. Si rixati fuerint homines, & percuſſerit alter proximum ſuum lapide, vel pugno, & ille mortuus non fuerit; ſi jacuerit in lecto, qui percuſſerit operas ejus & expenſas in Medicos reſtituat. *De Injuriis.* Cap. *Si rixati.* LIB. V. DECR. *Tit.* 36, Cap. 1. EXODI *Cap.* 21.

FINIS TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.



INDEX

INDEX
TITULORUM, SECTIONUM, QUÆSTIONUM, PARAGRAPHORUM, ET CAPITUM,

Quæ in hoc TRACTATU DE CONTRACTIBUS, continentur.

PRÆLUDIUM in quo agitur de JUSTITIA & JURE, *pag.* 1

TITULUS I.

Quibus modis Jus habeatur in bonis temporalibus circa quæ Contractus versantur, *ibid.*

Sectio I. *Bonorum alia sunt mobilia, aut pecunia; alia immobilia. Juris varia significatio, necnon & Justitia, quæ hic idem ferè quod Jus Contractus dirigens, vel per illos in alios translatum, vel possessori confirmatum,* ibid.

Sectio II. *De proprietate, usufructu, & usu bonorum, per Contractus transmissis, quid sint?,* ibid.

Sectio III. *Usumfructum in re constitui posse; à proprietate separari: Usum autem esse multiplicem, eumque non posse in rebus, quæ usu consumuntur, sicut nec usumfructum, constitui,* 2

Sectio IV. *Principia quædam generalia, quæ consequuntur ex naturâ proprietatis,* ibid.

Sectio V. *Quis censeatur rei possessor?* 3

Sectio VI. *Quis sit bonæ vel malæ fidei possessor? Et quis malus possessor?* ibid.

Sectio VII. *Quæ sint commoda possessionis?* 4

Sectio VIII. *Eum, qui à possessione rei ejectus est, seu re suâ spoliatus, ante omnia esse restituendum,* ibid.

Sectio IX. *In causâ spoliatæ possessionis probandum est spoliatum verè fuisse in possessione, & fuisse spoliatum,* ibid.

Sectio X. *Spoliatum non posse cogi super aliis articulis respondere spoliatoribus, antequàm restituatur; si Judices aliter judicent, processus eorum erit irritus, & à Superiore reformabitur,* 5

Sectio XI. *Quid si spoliator aliam spoliationem opponat? Si per modum actionis, quis prior obtinebit? Si per modum exceptionis opponatur alia spoliatio, quid judicandum? Sed non quamcumque spoliationem à quocumque proponi posse,* ibid.

Sectio XII. *Si spoliatus, neglecto possessorio Judicio, consensit petitorio, seu de proprietate experiri, valet processus; sed potest in quacumque litis parte ad possessorium redire, & illi soli insistere, nisi causa proprietatis sit propè terminanda,* 6

Sectio XIII. *In rebus temporalibus Judices non debere simul de possessione & proprietate judicare; sed in gratiam possessionis, salvo jure proprietatis; & illa præfertur possessio, quæ meliùs probatur,* ibid.

Sectio XIV. *Cùm agitur de Beneficio Ecclesiastico, quo spoliatum se fuisse quis contendit, petitorium simul cum possessorio agitari debet, & illi possessio adjudicari, cui melior titulus favet,* 7

Sectio XV. *Qui possint intentare possessorium, seu restitutorium judicium? Et contrà quos institui possit?* ibid.

Sectio XVI. *Judex, cùm ei constat de possessione, decernere debet integram rerum omnium ablatarum, cum fructibus indè perceptis, & qui percipi potuerunt, restitutionem, vel justam illarum æstimationem, si consumptæ, aut amissæ fuerint, juxtà spoliati jusjurandum, si spoliator sit contumaciter absens,* ib,

Sectio XVII. *Restitutione factâ posse Adversarium de proprietate experiri, ac debere possessionem ei Parti assignari, cui proprietas adjudicatur,* 8

Sectio XVIII. *Quæ ex hoc Præludio, de Jure & Justitia, ad explicationem Contractuum utilitas percipi possit?* 8

TITULUS II.

De Præscriptione, 9

Sectio I. *Præscriptionem esse longi temporis possessionem. Non præscribere, nisi qui possidet. Legitimum esse Titulum Præscriptionis, etiam Juris Spiritualis; rectè institutam ad vitandam bonorum confusionem,* ibid.

Sectio II. *Ad legitimam Præscriptionem requiri bonam fidem,* ibid.

Sectio III. *In rebus Ecclesiasticis, quæ prævideri non possunt, vel quæ sunt contra Jus Commune, bona fides non sufficit ad Præscriptionem; sed requiritur justus Titulus, nisi sit longissimi temporis Præscriptio,* 10

Sectio IV. *Probationem incumbere ei qui Præscriptione nititur, & eâ probatâ, debere causam obtinere,* ibid.

Sectio V. *Ecclesiam præscribere bona privatorum intra spatium 30. annorum, sicut fit inter privatos,* ibid.

Sectio VI. *Ecclesiam contrà Ecclesiam præscribere posse, modò res ejus malè non fuerint alienatæ, ac possideri possint, neque precariò tantùm possideantur,* 11

Sectio VII. *Præscribi non posse limites Diœceseon ac Parochiarum, quando semel constituti ac fixi fuerint,* ibid.

Sectio VIII. *Non valere Præscriptionem contra Ecclesiam Romanam, nisi sit centum annorum; & contrà quaslibet alias Ecclesias, nisi sit quadraginta annorum,* ibid.

Sectio IX. *Præscriptionem non esse legitimam adversùs Ecclesiam, nisi sit continua, seu sine interruptione; & pacifica, seu sine lite,* 12

Sectio X. *Præscriptio non currit contra Ecclesiam, eâ vacante, & Prælato absente, vel legitimè impedito, non tempore hostilitatis,* 13

Sectio XI. *Præscribi contra arbitrium, & super donationibus. Privilegium donationis Præscriptionem elidere,* ibid.

Sectio XII. *Observationes, quibus supplentur quæ desunt, & enucleantur quæ obscura sunt,* 14

TITULUS III.

De Contractibus; ubi paucis præmissis quæ illos generatim spectant, de nonnullis tantùm in specie agitur, 15

Sectio I. *Contractus ex conventione legem accipit. De illo ex formâ contractûs judicandum. Non dissolvitur, nisi contrariâ voluntate. Plena in iis interpretatio adhibenda,* ibid.

Sectio II. *Contractus bonæ fidei non dissolvuntur: Nulla in eis perfidia debet esse: Cùm violenter aut illicitè contractum est, non debet stare,* ibid.

Sectio III. *Quædam Regulæ Generales quæ ad contractus maximè pertinent,* ibid.

Sectio IV. *Vendere est pretium pro re constituere. Venditio alia pura: Prior statim obligat; Posterior nonnisi post conditionis eventum. In dubio ex contractu judicandum,* 16

Sectio V. *Non plus justo pretio taxato esse vendendum: Non iniquis ponderibus utendum. Ubi deceptio*

est ultrà dimidiam justi pretii, aut rescindendum contractum, aut supplendum quod deest pro arbitrio decepti; ibid.
Sectio VI. *Bona cum suo onere transire. Venditor non tenetur de evictione. I. Si emptione non denuntiavit. II. Si contumax fuit. III. Si per injuriam Judicis condemnetur,* 17
Sectio VII. *Licitam esse & Jure consonam emptionem & venditionem censuum annuorum super bonis cum facultate illos redimendi; licet ad id cogi non possint Venditores,* 17
Sectio VIII. *Negotiatio, cùm viliùs emitur, ut cariùs vendatur, secundùm se licita est, sed valdè periculosa: Quid vitandum?* ibid.
Sectio IX. *Conductores agrorum non teneri de fortuitis casibus domorum. Inquilinos expelli posse in quatuor casibus; & Emphyteutas, si per biennium sint in morâ solvendæ pensionis,* 18
Sectio X. *Eos qui suas operas locant, manere obligatos; & stricto jure mercedem iis solvi debere,* ibid.
Sectio XI. *Quid sit commodatum? Quid depositum? Quando utrumque reddendum?* ibid.
Sectio XII. *Depositum est contractus bonæ fidei. Pro libito repetitur. Vi illius depositarius, aliquando de solo dolo, aliquando de culpâ tenetur,* 19
Sectio XIII. *Post usum rei commodatæ, rectè actio intentatur. Quandonam de culpâ commodatarius teneatur?* ibid.
Sectio XIV. *Observationes in* Titulum III. *ibid.*

TITULUS IV.

De Testamentis & Donationibus, *ibid.*
Sectio I. *De Etymologiâ, naturâ, & formâ Testamenti,* ibid.
Sectio II. *Qui testari, & quomodo condere possint Testamentum?* 20
Sectio III. *Quomodò hæredes Testamenti commodo uti debeant?* 21
Sectio IV. *Religiosos posse ex Mandato Superioris esse Testamentorum executores, exceptis Mendicantibus, qui circa id possunt tamen dare consilium,* 22
Sectio V. *Executores Testamentorum intrà annum tenentur defunctorum vota adimplere eo meliori modo quo possunt,* ibid.
Sectio VI. *Quomodo judicandum, ubi occasione Testamentorum lites occurrunt?* 22
Sectio VII. *Donationes Ecclesiis, seu ad pias causas, tàm in bona valetudine, quàm in ultimâ voluntate minùs solemniter facta valent, si ita ferat consuetudo,* 23
Sectio VIII. *Ecclesiam non approbare quod circumveniantur fideles ad res suas Ecclesiæ donandas,* 24
Sectio IX. *Decisiones collectas* Sectione VII. *produci posse ad contractus in pari causa vel casu,* ibid.

TITULUS V.

De Feudis, 25
Sectio I. *Pro Feudo Vasallus Domino in servitio tenetur. Non semper hæredes tenentur præstare juramentum, licet fidelitatem semper debeant?* ibid.
Sectio II. *Vassallus non tenetur de Feudo coràm alio quàm coràm Domino respondere,* ibid.
Sectio III. *Clericos ratione feudorum posse Laïcis fidelitatem promittere, aliàs non debere, cùm nihil temporale obtinent ab eis,* 26
Sectio IV. *Dominus tenens Vassalli sui Feudum, fructus suos facit, & Vassallus à servitio eximitur,* ibid.
Sectio V. *Casus notandi, in quibus Prælatus infeudare potest, salvo juramento non alienandi,* 27

TITULUS VI.

De Solutionibus, *ibid.*
Sectio I. *Filii Patris hæredes debita defuncti, & quique debitores tenentur sua debita solvere, cum moderatis expensis atque damnis,* ibid.
Sectio II. *Cùm dies statuta est ad solvendum, intra illam solvi debet, eâ tamen elapsâ, non cessat solvendi obligatio. A Judice quadrimestre tempus ut plurimùm conceditur ad solvendum; potest tamen prorogari, aut breviari; & qui breviorem terminum recipit, non potest posteà executionem Sententiæ retardare,* 27
Sectio III. *Instrumenta inspici debent, ut de debitis judicetur, nisi causam exprimant; tenetur actor debitum probare si denegetur, aliàs tenebitur Reus probare se indebitè promisisse,* 28
Sectio IV. *Debitor, qui jam liberatus est, non tenetur solvere: Potest cum re sibi debitâ compensationem petere, si causa liquida sit. Non liberatur qui alii solvit; qui verò per nuncium, quem fidelem putat, mittit summam debitam, qui illam retinet, liberatur quoad pœnam incurrendam ob solutionem non factam intra tempus conventum,* ibid.
Sectio V. *Qui non est solvendo, excusatur à solutione, & propterea excommunicari non potest, aut absolvi ut datâ cautione quod ditior factus solvet,* 29
Sectio VI. *Peti potest quod debetur, non suprà debitum: non quod solutum, nisi sit indebitè, vel iniquè alii solutum; quo casu Actoris est id probare, nisi adversarius solutum negans recepisse convincatur,* ibid.
Sectio VII. *Prælatos Ecclesias suas inutiliter obligare pro alienis debitis; & contra facientes suspendi ab administratione spirituali & temporali,* ibid.
Sectio VIII. Clericos *plura habere privilegia quoad solutiones debitorum suorum; quæ sint? Qui illis gaudeant? An sint ipsis peculiaria? Qui Canones de illis mentionem faciant?* 29
Sectio IX. *Censum constitutum in certa quantitate pecuniæ moneta determinata, solvendum non esse secundùm valorem intrinsecum illius, tempore constitutionis, nisi aliud in illa sit expressum,* 30

TITULUS VII.

De Accessoriis Contractuum, sive de Censibus seu Pensionibus, quæ Beneficiis Ecclesiasticis imponi possunt, aliisve similibus, *ibid.*
Sectio I. *Census seu Pensiones Beneficiis in fundatione, seu à longo tempore impositas accuratè solvi debere; at nec augeri, neque novas imponi posse,* ibid.
Sectio II. *Autoritate vel collusione eorum qui Beneficia possident, imponi non posse Pensiones super Beneficiis, quantumvis accedat Episcoporum consensus,* 31
Sectio III. *Parochis, seu Vicariis perpetuis certam Pensionem, seu congruam, ut vocant, portionem assignari debere, ad honestam eorum sustentationem, à quibuslibet Patronis, etiam Religiosis exemptis,* ibid.
Sectio IV. *Pensionem solvendam in certa moneta vel mensurâ, juxta illam quæ tempore Constitutionis, in usu erat, solvendam esse, si subsistat; vel illius æstimationem, si desierit,* 32
Sectio V. *Census nomine, alia in Jure etiam significari, quàm Pensionem Beneficiariam; quæ nosse, nedum utile, sed & necessarium,* 32
Sectio VI. *Per solam solutionem Census alicui factam longo tempore illum non acquiri, sed oportere ut constet de causa solvendi, eamque legitimam esse,* 33
Sectio VII. *Censum ita in Jure distingui à procuratione, ut in illius remissione, ista remissa non censeatur,* ibid.

TITULUS VIII.

Circa Contractus ac quasi Contractus.

Regulæ ex Jure Canonico depromptæ, *ibid.*

Pars I. Generales Juris Regulæ materiam contractuum propiùs respicientes, 34

Pars II. De Contractibus in genere, 36

Pars III. Regulæ è Jure Canonico depromptæ circa Contractus in specie consideratos, 14

Sectio I. *Regulæ Canonicæ circa Emptionem & Venditionem, è Jure Canonico desumptæ,* ibid.

Sectio II. *Regulæ circa Permutationum Contractum, è Jure deprompta,* 43

Sectio III. *Regulæ circa Donationes, è Jure Canonico depromptæ,* 45

Sectio IV. *Regulæ circa Testamenta, è Jure Canonico depromptæ,* 46

Sectio V. *Regulæ tirca Contractum Infeudationis, è Jure Canonito desumptæ,* 48

Sectio VI. *Regulæ cirta Emphyteusim, è Jure Canonico deprompta,* 49

Sectio VII. *Regulæ tirca Precarias, è Jure Canonico depromptæ,* 50

Sectio VIII. *Regulæ clrca Precarium, è Jure Canonico depromptæ,* ibid.

Sectio IX. *Regulæ eirta Commodatum, è Jure Canonico depromptæ,* ibid.

Sectio X. *Regulæ eircu Locationem & Conductionem, è Jure Canonito deprompca,* 51

Sectio XI. *Regulæ cirea Depositum, è Jure Canonico deprompta,* 52

Sectio XII. *Regulæ circa Pignoratitium Contractum, è Jure Canonico depromptæ,* 53

Sectio XIII. *Regulæ circa fidejussorium Contractum, è Jure Canonico deprompta,* 54

Sectio XIV. *Regulæ circa Contractum Mandati, è Jure Canonico depromptæ,* ibid.

Sectio XV. *Regula circa Societatem, è Jure Canonico desumpta,* 58

Pars IV. Regularum circa Contractus, in quâ colliguntur illæ, quæ Contractus mixtos respiciunt, 60

Sectio I. *De Pactis in genere consideratis,* ibid.

Sectio II. *De iis quæ peculiaria sunt pactis puris vel simplicibus,* ibid.

Sectio III. *Quæ peculiaria pactis reciprocis?* ibid.

Sectio IV. *De his quæ Jus Canonicum seorsim docet de promissionibus,* 61

Sectio V. *Decisiones Canonicæ cirta Ludos,* ibid.

Sectio VI. *De Sponsionibus,* 62

TITULUS IX.

De præcipuis causis nullitatis Contractuum, quæ memorantur in Titulo De iis quæ vi metuve fiunt. Regulæ è Jure Canonico desumptæ, *ibid.*

TITULUS X.

De remedio contra Contractus nullos vel rescindendos; nempè de Restitutione in Integrum, 64

Sectio I. *Ecclesiarum ac Minorum Privilegium esse, ut restituantur in Integrum,* ibid.

Sectio II. *I. Ecclesia nonnisi per officium Judicis potest postulare beneficium restitutionis. II. Cùm principaliter proponitur restitutio, fieri debet litis contestatio. III. Cùm in uno judicio fuit restitutio denegata, in alio dari non potest, nisi nova causa emergant. IV. Negari non potest restitutio ad appellandum à Sententia denegationis,* 65

Sectio III. *Latâ Sententiâ, statim restitutio in integrum peti potest. Ultra quadriennium differri non debet petitio illius. Adversùs lapsum temporis restitutio quibusdam in casibus concedi potest & convenit,* 65

Sectio IV. *Pendent petitione restitutionis in integrum, suspensa manet Sententiæ executio; nisi præsumptioni sit locus; restitutionem ex malitiâ petitam esse. De illa petitione cognoscunt Judices Ordinaris, habentes administrationem, necnon & istorum Delegati, si fiat de hoc mentio in Mandatis; aliàs ut & Arbitri, de illâ non judicant, nisi incidenter,* ibid:

Sectio V. *Restitutionem in integrum fieri apud Gallos per Litteras à Principe obtentas, tàm à Majoribus, quàm à Minoribus; aliisque Minorum beneficio fruentibus; exceptis nonnullis casibus, ubi his Litteris opus non est,* 66

TITULUS XI.

De Furto, & ejus restitutione, *ibid.*

Sectio I. *Furtum est illicita usurpatio rei alienæ: Furtum est quicquid invito Domino aufertur; Furti species Rapina, Peculatus, Sacrilegium; omnes à Deo sunt prohibita,* ibid.

Sectio II. *Furtum quodcumque & quacumque intentione factum, peccatum est: Tempus & locus varias ejus species efficiunt; & pro specierum diversitate magis vel minùs puniendum est,* 67

Sectio III. *Sacrilegium facit, qui res Ecclesiæ, Ecclesias, loca sacra, & res profanas in sacro loco positas, diripit,* ibid.

Sectio IV. *Genus furti est cum fure partiri; non indicare, vel possidere aliena; non reddere quod inventum est,* ibid.

Sectio V. *Quatuor modis plus peti posse. Non licere plus petere. Creditorem plus petentem in expensis condemnandum,* 68

Sectio VI. *Restituendum esse quicquid alienum est, seu ablatum sit, seu aliter occupatum,* ibid.

Sectio VII. *Restituendum esse iis ipsis, à quibus aliquid ablatum est, vel eorum hæredibus; ac tandem in utrorumque defectum pauperibus erogandum, si sit facultas ad restituendum,* ibid.

Sectio VIII. *Differri posse restitutionem, vel illam non posse imperari, tùm Debitor facultatem non habet restituendi,* 69

Sectio IX. *Sacerdotes monere debent, ut fiat restitutio. Nolentibus restituere, cùm possunt, Pænitentia denegari debet; imò possunt excommunicari. Factâ restitutione, nihilominùs Pænitentia imponi debet. Fures, si deprædando occidantur, pro eis orandum non est: Si tantùm vulnerentur, & peccata confiteantur, Communio non negatur,* ibid.

Sectio X. *Eos etiam, qui furta restituere nequeunt, torqueri debere. Ecclesiam non posse illos tradere ad infligendum pœnas corporales, sed posse justo modo intercedere, ne puniantur. Judices non posse cogere ad solvendum quæ non rapuit: Si temerè id faciant, tenentur ablata restituere,* ibid.

Sectio XI. *Non licere quidquam Deo vel pauperibus dare, ex iis quæ malè ablata sunt,* 70

Sectio XII. *In extremâ necessitate licere cuilibet aliundè tollere, undè vitam sustentare queat,* ibid.

Explicatio Tituli XI.

Seu, Regulæ circa furtum, è Jure Canonico depromptæ, 70

Pars I. Regulæ circa furtum in genere consideratum, *ibid.*

§. I. *Quid nomine furti intelligatur?* ibid.

§. II. *Quot sint furti species?* 71

§. III. *Quæ peccatorum genera ad furtum reducantur?* ib.

§. IV. *Quid res sub furto comprehensa commune habeant?* ibid.
§. V. *Quâ viâ liceat, quave non liceat, furta detegere?* ibid.
§. VI. *Qui inter fures enumerandi,* ibid.
§. VII. *Quæ à furti peccato excusent?* ibid.

Pars II. Regulæ circa furtum in specie consideratum, 72

§. I. *Quid de qualibet furti specie Canon doceat?* ibid.
§. II. *Quid de furto strictè sumpto Jus Canonicum doceat?* ibid.
§. III. *Quid doceat Canon circa Rapinam?* 73
§. IV. *Quid Canon doceat circa Concussionem?* ibid.
§. V. *Quid doceat Canon circa furtum Sacrilegum?* ibid.
§. VI. *Quid de Peculatu Canon doceat?* ibid.
§. VII. *Quid doceat Canon circa Plagium?* ibid.
§. VIII. *Quid de Abigeatu Canon doceat?* ibid.

TITULUS XII.

Continens Juris Decisiones propriis verbis conceptas de Usurâ quæ committitur in Contractibus, 74

Sectio I. *Usura est, quidquid plus exigere, quàm mutuò sit datum,* ibid.
Sectio II. *Ubi mutuum palliatur simulato contractu venditionis, & plus recipitur, usura committitur,* ibid.
Sectio III. *Emptor anticipatâ solutione minoris emens, & venditor pluris vendens ob dilatam solutionem, non committunt usuram; si verisimile sit dubium, an merces plus minusve sint valituræ, & venditor non fuit venditurus tempore contractûs,* 75
Sectio IV. *Usura committitur, cùm pignus accipitur cujus fructus non deducuntur in sortem,* ibid.
Sectio V. *Ab hac Lege excipiuntur 1° Si possessiones Beneficiorum injustè detineantur. 2°. Si feuda Domino à Vassallo pignori dentur. 3°. Si terræ dentur marito pro dote uxoris;* ibid.
Sectio VI. *Inter Mercatores usura est recipere aliquid ultrà sortem, propter periculum, vel propter dilatam solutionem; & quæ in societate usuræ sint vitandæ?* 76
Sectio VII. *Generaliter usura est, quotiescumque, ratione mutui, aliquid recipitur ultra id quod mutuò datum est, etiam sine conventione & exactione,* ibid.
Sectio. VIII. *Detestandum est crimen usurarum. In Scripturis à Deo condemnatur; nec sine crimine approbari, aut sine hæresi excusari potest,* ibid.
Sectio IX. *Super crimine Usuræ nulla Dispensatio, nec pro bono opere, dari potest; quia rapina est,* 77
Sectio X. *Universas Usuras esse restituendas ab iis qui eas receperunt; scilicet iis à quibus illas extorserunt, filiis, aut hæredibus, vel tandem pauperibus,* ibid.
Sectio XI. *Si juraverit quis se usuras soluturum, vel eas non repetiturum, solvi debent & non repeti; sed Creditor tenetur juramenta relaxare; aut, si non vult, Judex ex Officio illas restitui jubebit; si secùs judicavarit, Excommunicationis Sententiam incurret,* ibid.
Sectio XII. *Quæ sint pœnæ contra Clericos & Laicos Usurarios decreta?* 78
Sectio XIII. *Manifestos Usurarios qui in hoc peccato decesserint, Communione Altaris ac Sepulturâ privandos; & qui dicendi sint manifesti Usurarii?* 78
Sectio XIV. *Non auditur usurarius, nisi quas ipse recepit, usuras restituerit. In quacumque parte litis, juramentum, de veritate dicendâ circà sortis quantitatem ab usurario peti potest,* 79
Sectio XV. *In Cambiis usura committitur. 1°. Cùm confinguntur & simulantur. 2°. Cum pecuniæ ficti Cambii nomine cum lucro traduntur. 3°. Cùm anticipatur solutio lucro recepto. 4°. Si pactum fiat certo interesse in casum non solutionis,* ibid.
Sectio XVI. *Ad tollendam in Cambiis usuræ suspicionem. 1°. Nullum ineundem lucri pactum in casum non solutionis. 2°. Non exercendum cambium pro secundo & tertio termino. 3°. Curandum, ut habeantur in veris Cambiis ratio vicinitatis vel longinquitatis locorum,* ibid.
Sectio XVII. *In Contractibus societatis usura committitur, cùm securitas est Capitalis,* 80
Sectio XVIII. *Quomodò ineundi Societatis Contractus, ut sint legitimi?* ibid.

EXPLICATIO TITULI XII.

Seu, Regulæ circà Mutuum vel Usuram, è Jure Canonico deprompta, præmissas Decisiones illustrantes, *ibid.*

TITULUS XIII.

De injuriis & damnis quæ inferuntur, 84

Sectio I. *Occasio seu causa damni, damnum dare censetur; & quocumque modo in damnum influat, satisfacere tenetur,* ibid.
Sectio II. *Etiam de damno tenetur, quod fit per res suas, si etiam non adhibuit quam debebat diligentiam, ne nocerent,* 85
Sectio III. *Multis modis fit injuria alteri;* 85
Sectio IV. *Amentes & impuberes facere non posse injuriam. Infames esse, qui injuriam inferunt,* ibid.
Sectio V. *Vim vi repellere licet,* ibid.
Sectio VI. *Volenti non fit injuria, nisi cedat in damnum alterius. Nulli debet officium suum esse damnosum; nec indè damnum contingere, undè meretur præmium,* ibid.
Sectio VII. *Satisfaciendum pro illatis injuriis, non solùm in damnis, habitâ ratione injuriarum, sed etiam in expensis,* 86

FINIS TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.

EXPOSITIO



EXPOSITIO JURIS CANONICI, IN SPECIE CONSIDERATI,

PER

REGULAS NATURALI ORDINE DIGESTAS, EX ILLIUS CORPORE, AUT ALIUNDE DESUMPTAS.



PARS QUARTA.

TRACTATUS DE SACRAMENTIS.

PRÆFATIO.



POTUISSET hic Tractatus DE SACRAMENTIS immediatè collocari post Tractatum *De Ecclesiâ*. Potestas Ecclesiæ super Sacramenta id videbatur expostulare; nam eadem instituit plerasque Cæremonias præcedentes ea quæ sunt illis substantialia, aut comitantur, aut sequuntur. Præscripsit ut istæ in illis adhiberentur; benedicit materiam multorum ex illis, scilicet Aquam, Sacra Olea, Sanctum Chrisma, quæ ingrediuntur aut in eorum substantias, aut solemnitates: præcipit dispositiones sive ut administrentur, sive ut accipiantur: determinat tempus & locum in quo hoc utrumque debeat fieri; benedicit aut consecrat omnia quæ inserviunt Sancto Missæ Sacrificio, in quo perficitur Sacrum Eucharistiæ Sacramentum; cujus sumptionem præscribit illis qui recipiunt Sacramenta vivorum, si sint adulti. Nihilominùs visum fuerat convenientius inserere Tractatum de Sacramentis post Tractatum de Beneficiis, quia id omne quod Ecclesia patrat ratione Sacramentorum, illud idem per suos Beneficiarios agit, qui sunt præcipui ipsius Ministri, omnium ad ean-

eandem attinentium functionum, Jurium & obligationum Procuratores; ex istis verò nulla fuit spectatior, gravior, & communior quàm administratio aut confectio Sacramentorum. Accipiunt omnes & singuli hujusce potestatem, partim per Ordinem annexum suis Beneficiis, partim per Jurisdictionem quam accipiunt ab iisdem.

Hæ rationes nos determinaverant ut Secundum hujusce Tomi locum daremus huic Tractatui; sed tres aliæ quæ menti occurrerunt causæ nos impulerunt ad illum collocandum post Tractatum *De Contractibus*. 1o. Confectio, & Administratio Sacramentorum, atque Celebratio Rituum qui eadem spectant, remotè aut proximè, non conveniunt majori parti Beneficiariorum. 2o. Sacramenta sunt Contractus Spirituales inter Deum & homines habiti, quibus sese obligat ad dandam ipsis suam gratiam, & isti promittunt Legem ejus se servaturos; promissa aut vota Baptismi illud probant. Tandem innumeræ sunt lites spectantes ad Sacramenta, præsertim Matrimonium, atque ut plurimùm istæ sunt magni momenti, Tractatus verò sequens pertinet ad *Judicia*.

Agendo de hac materia, colligitur primò quod est commune omnibus Sacramentis, quoad eorum nomen, naturam, institutionem, materiam, & formam; confectionem & administrationem; potestatem & dispositiones, ac alia requisita in Ministro; necnon quoad eorum effectum, sive cùm conferuntur extrà Ecclesiam, sive in Ecclesia; personas à quibus possunt accipi, aut quæ possunt ea administrare; ritus qui pertinent ad illa; tandem quas possint ferre mutationes.

Remittuntur ad unumquodque Sacramentum Quæstiones quibus occasionem præbuit, quamvis aliis possint convenire: Tales sunt illæ quæ spectant dotes Ministri, & iterationem quorumdam Sacramentorum natæ occasione Baptismi aut Ordinationis.

Transeundo ad Sacramenta considerata in particulari, immoramur præcipuè iis quæ propria sunt unicuique, & ordimur à definitionibus quas Ecclesia expressit de unoquoque. Prærogativæ verò Baptismi suprà omnia alia Sacramenta, cùm sit aliorum janua & fundamentum, cogunt ut primum inter omnia locum obtineat.

Refertur ergò id quod Jus dicit de *Baptismi* naturâ, materiâ, formâ; de mutationibus essentialibus aut accidentalibus quas tolerare potest; de ejus absolutâ necessitate, tùm quoad adultos, tùm quoad pueros, extrà casum Martyrii pro istis, & de casu Martyrii & conversionis pro aliis; de ejus Ministro ordinario & extraordinario; de ejus validitate à quocunque conferatur in formâ Ecclesiæ; de ejus utilitate pro salute infantium, quamvis illum accipiant ab homine qui est extrà Ecclesiam, propter Hæresim, aut Schisma, aut Excommunicationem; de differentiâ quæ reperitur inter Baptisma Infantium, & Adultorum, quoad dispositiones, locum, tempus, præceptum illud accipiendi. Colligitur quidquid Jus Canonicum dicit de casibus in quibus Baptismus suos habet effectus, de illis in quibus non habet; de illis in quibus eosdem recuperat: De Baptismo Infanorum, cùm illum conferunt; de prohibitione illum iterandi; & de rationibus ejusdem prohibitionis; de Cæremoniis, de Unctionibus Sacri Chrismatis, & de illis quæ ad illud spectant; de cognatione spirituali proveniente ex isto; de atrocitate fornicationis admissæ cum talibus affinibus.

Datur Secundus Ordo *Confirmationi*, quia illa perfectio est Baptismi. Quidquid Jus de illa docet præcipuè reducitur ad illud quod est ipsi essentiale; ad ejus effectus; ad ejus Ministrum ordinarium & extraordinarium; ad locum & tempus in quo debet conferri; ad obligationem recipiendi illam; ad Patrinos; ad affinitatem spiritualem quam producit; ad vetitam illius iterationem; & Cæremonias quæ ad illam pertinent: id omne explicatur Textibus expressis.

Tertius Ordo debetur *Eucharistiæ*, quia conservat & auget gratias acceptas à Baptismo & Confirmatione; undè dabantur hæc tria Sacramenta conjunctim. Primum mereretur locum quantùm ad dignitatem, quia continet Corpus & Sanguinem JESU CHRISTI, ejus animam & Divinitatem, quæ subsistunt in illo quandiù species; sed quia supponit Baptismum & Confirmationem, post illos collocatur.

Dicendo de hoc Sacramento, ostenditur propriis Juris verbis 1°. In quo consistat? 2°. A quo & quo tempore fuerit institutum? Quænam sit ejus dignitas, aut præcellentia super alia? Quis illi debeatur Cultus? 3°. Quædam verba determinata esse ad illud conficiendum; quænam illa sint demonstratur, & quid præcisè operentur. 4°. Quomodo fiat conversio Panis & Vini in Corpus & Sanguinem JESU CHRISTI? Quonam proprio nomine illa appelletur? 5°. Quare sit institutum? Quod servandum sit & gestandum publicè? 6°. Quomodo JESUS CHRISTUS in eo manducetur? 7°. Quod contineatur totus integer in qualibet specie; & quod fideles illum possint recipere sub una specie. 8°. Quod sit præceptum obligans Fideles illum accipiendi, & quod pro adultis factum sit. 9°. Esse rationes fortes & validas pro & contrà frequentem Communionem, eamque rem pendere totam ex dispositionibus illorum qui volunt ad eam accedere. 10°. Quæ sint dispositiones ad dignè participandum Sacrosanctæ Eucharistiæ, tùm ex parte corporis, tùm ex parte animæ? 11°. Ad quem pertineat conficere hoc Sacramentum & illud distribuere? An & quomodo ad ægros deferendum sit?

Eucharistia, cùm sit Sacrificium æquè ac Sacramentum, explanatis illis quæ spectant ad Sacramentum, transitur ad ea quæ pertinent ad Sacrificium; & probatur ipsis Juris verbis: 1°. Esse in Ecclesiâ verum Sacrificium, & celebrari in Missâ. 2°. A JESU CHRISTO institutum fuisse, &

& quinam ejus fint effectus? 3°. Quomodò offerendum fit, & pro quibus? 4°. Adhibendas esse in illo Cæremonias; posse dici Missas privatas, ut & publicas ac solemnes; nec illud posse fieri Linguâ vulgari fine Dispensatione. 5°. Quæ fit hujus materia? 6°. Quo in loco necesse fit illud offerri? & quibus vasibus utendum fit? 7°. Quæ debeant esse indumenta Sacerdotis illud offerentis? Quæ Ornamenta Altaris in quo offertur? 8°. Quæ fint Missæ partes, & præcipuè quid fit Canon? 9°. Quosdam esse casus in quibus plures Missas eidem celebrare licet; & extrà hos casus unam tantùm dicendam esse. 10°. Quantâ pietate, quantâ reverentiâ celebranda fit & modestiâ? 11°. Nunquam permitti Presbytero simulare se recipere Corpus & Sanguinem JESU CHRISTI. 12°. Quomodo oporteat obviare nascituris, & mederi incommodis occurentibus per Celebrationem Missæ. 13°. Dicendas esse tot Missas, quot recipiuntur honoraria; &, si per alios celebrentur Missæ quarum honorarium accepimus, hujusce Oblationis partem retinere nequaquam possumus. 14°. Quoties Presbyteri teneantur celebrare? & quomodò explicandum fit quod dicitur, Sacerdotes celebrare debere singulis diebus ratione suorum Beneficiorum, aut alicujùs alterius oneris? 15°. Quæ fit Episcopi cura quoad Celebrationem Missarum, aut earum reductionem? 16°. Quando Fideles teneantur audire Missam, & quomodò munus illud adimplere debeant? Hactenùs dicta de Eucharistiæ Sacramento ac Sacrificio clauduntur Collectione Historicâ Canonum circà Corporalia, aliaque Vestimenta Sacra ad illius Celebrationem requisita, quâ supplentur quæ in Corpore Juris hac de re desiderantur.

Finis Institutionis *Pænitentiæ* postulat, ut apponatur immediatè post tria præcedentia Sacramenta; nam instituta fuit ad reparandum damnum gratiarum comparatarum per hæc Sacramenta, quæ sunt hujusce tria prima Canalia. Loquendo de Sacramento Pœnitentiæ, 1o. ut virtus consideratur, quæ necessaria fuit per omnia tempora omnibus hominibus ad remissionem peccatorum, & est adhuc Christianis in quorum gratiam elevata est ad Dignitatem Sacramenti; similis in hoc Contractui Matrimonii, communi omnibus mundi Nationibus, & erecto in Sacramentum ad Fidelium commodum. Collectis igitur Textibus qui loquuntur de hac virtute, transitus fit ad Sacramentum, de quo probamus propriis Juris verbis; 1o. Ejus existentiam, 2o. Naturam, Institutionem, & qualitates. 3o. Quis fit ejus Minister? & quid per claves Ecclesiæ intelligatur, quarum nomine Evangelium explicat potestatem hujus Ministri? 4o. Quid sciendum fit de ejus formâ? 5o. De iis quæ materiæ locum tenent; quæ nempè sunt actus Pœnitentis, contritio, confessio, satisfactio; ex quibus fontibus depromitur id quod Jus dicit, 1o. Duplicem esse contritionem, aliam perfectam, & aliam imperfectam. 2o. Priorem reconciliare Deo si juncta fit cum desiderio Sacramenti; & posteriorem præparare ad reconciliarionem. 3o. Confessionem Jure Divino necessariam esse. 4o. Usquequò extendatur obligatio confitendi omnia peccata lethalia. 5o. Præceptum esse Ecclesiasticum quod obliget ad deponendum peccata, & quomodo debeat intelligi? 6o. Quomodo subveniendum fit necessitati loqui non valentium, & consequenter accusare se de peccatis. 7o. Quod satisfactio fit necessaria ad impetrandam remissionem, & qui fint ejus effectus.? 8o. Quomodo debeat fieri, & ad quid præcipuè obliget. 9o. Quas Regulas Confessarius debeat sequi in impositione Pœnitentiæ. 10o. An fint casus in quibus Pœnitentia debeat esse publica? quis fit quarumdam Ecclesiarum usus? 11o. Non posse administrari Sacramentum Pœnitentiæ fine Jurisdictione, & approbatione prodeunte aut ex Beneficio aut ex commissione Episcopi. 12o. Quæ fint signa veræ aut falsæ Pœnitentiæ? 13o. Quomodo Confessarii debeant se gerere quoad absolutionem dandam, aut recusandam, aut differendam? 14o. Quæ fit eorum obligatio quoad sigillum servandum? 15o. Non esse peccatum irremissibile, nisi impœnitentiam finalem; & peccata remissa non redire, ita ut venia eorum revocetur. 16o. Esse in Ecclesia Prælatos qui possunt sibi peccata reservare; Quinam fint illi Prælati? 17o. Qui fint casus reservati Papæ apud Francos? Quinam reserventur Episcopis? 18o. Nonnullos esse casus in quibus Episcopus & etiam Sacerdotes possunt Jure Communi absolvere de peccatis reservatis Summo Pontifici aut Episcopo.

Quoniam, juxta communem usum Autorum qui scripserunt de Pœnitentiâ ut Sacramento, junguntur Indulgentiæ, finitis iis quæ dicenda erant de hoc Sacramento, non aptior agendi de Indulgentiis locus ullus occurrit; quapropter in Corpore Juris sub eodem Titulo comprehensæ fuerunt Indulgentiæ & Pœnitentia, Titulo *De Pænitentiis vel Remissionibus.* Compilatores existimaverunt Indulgentias esse remissionem Pœnitentiæ Canonicæ, & id inferri ex expressionibus vulgò adhibitis in Indulgentiis quæ non sunt Plenariæ, & quæ determinant illarum extensionem, & limitant ad quemdam dierum numerum aut annorum; Ista *De injunctis Pænitentiis*; quæ non est minùs communis, hoc etiam demonstrat, undè multi Patres *Concilii Tridentini* proposuerunt ut restituerentur Pœnitentiæ Canonicæ, ut meliùs quanta sit utilitas Indulgentiarum perciperetur.

Colligendo ergo in hoc loco quidquid Jus docet de hâc materiâ, statuitur primò potestas dandi Indulgentias; deindè ostenditur ad quem pertineat, & quas Regulas sequi oporteat in hujus potestatis usu. Finitur per originem Jubilei Universalis, quod est maxima & maximè privilegiata inter Indulgentias, & referuntur mutationes natæ circà intervallum positum inter utrumque, aut distantiam unius ad alterum; suppletur per Bullas Paparum quod deest hac de re Corpori Juris.

His omnibus accedit Appendix, continens 10. Regulas, Observationes & Quæstiones circa Reser-

vationes peccatorum jamdiù bis editas Gallico idiomate. 2o. Quæstiones quinque De privilegio eligendi Confessarium Episcopis, illorumque Superioribus, necnon & Prælatis exemptis utrisque inferioribus. 3o. Collectiones duas Canonum; priorem, De officiis Clericorum quoad Episcopum circà Confessiones; posteriorem, De Confessione Quadragesimali. Hac autem Appendice supplentur quæ Corpori Juris desunt circà Pœnitentiam, collectæque ex illo Decisiones illustrantur.

Sacramentum *Extremæ-Unctionis*, cùm sit consummatio Sacramenti Pœnitentiæ, quemadmodùm Confirmatio est perfectio Baptismi, oportuit ut collocaretur post hoc Sacramentum. Quidquid Jus dicit de illo, reducitur ad ejus Naturam, Institutionem, materiam, formam, Ministrum, præceptum, ac tempus illud accipiendi, necnon ejus effectus; tandem ejus conformitatem cum omnibus aliis Sacramentis, quæ non imprimunt Caracterem, in eo quod possit recipi multoties, sicut & illa Sacramenta.

Sacramenta, de quibus dictum est hactenùs, pertinent ad bonum privatum illorum qui ea accipiunt, & ideò necesse fuit ut illa omnia explicarentur seriatim, ac eo quo peractum est ordine; cùm illa, de quibus loqui superest, spectent bonum publicum, ut & bonum illorum quibus conferuntur, par erat ut hunc remitterentur in locum: Hæc sunt, Ordo & Matrimonium, quorum alterum est tribuendum ad Ministros, alterum ad Ecclesiæ pueros impertiendum: Quamvis Ordo magnam habeat prærogativam præ omnibus aliis Sacramentis, in eo quod potestatem concedat illa conferendi, non debuit de illo, antequàm de aliis, mentio fieri, quia supponit nonnulla ex eis, videlicet saltem Baptismum.

Agendo de *Ordine*, nullus habebitur sermo de Epicopatu, quamvis sit primus Ordinum, qui sunt Sacramentum, & habeat id omne quod convenit Ordini ut Sacramento, scilicet Divinam institutionem, materiam suam, formam, effectus suos particulares, & eundem Ministrum ac prædicti Ordines habent; nos conformabimus in hoc Canonistis, qui constituunt illum supra Ordines, considerantes eum, quasi apicem Dignitatum: aliundè jam de illo dictum est ad horum imitationem in primo hujusce Operis Tractatu; & quod illi convenit, ut est Ordo Sacramentum, in hoc loco explicatum est, sub Titulo *Consecrationis Episcoporum*, quod nomen affectatum est Ordinationi ipsorum quæ aliud non est quàm collatio Ordinis Episcopalis.

Sed Tonsura non habebit locum inter Ordines, quamvis Canonistæ illam ponant inter illos, in Capite *Cùm contingat*, *De ætate & qualitate &c.* Sequemur in hoc CONCILIUM TRIDENTINUM SESS. XXIII. *De Ordine* quod illam claré distinguit ab iis, sive dividendo Ordines in Majores & Minores, & supponendo Tonsuram esse necessariam ut quis promoveatur ad eos; sivè loquendo de Tonsurâ *Cap.* 4. & de Ordinibus in *aliis Capitibus*; sivè per hanc disjunctivam quæ legitur in *Cap.* 10. *Tonsuram vel Ordines Minores*, quæ idem ostendit.

Institutâ 1o. existentiâ Sacramenti Ordinis, Sacerdotii nomine sub quo intelligitur, mentio fit de ejus natura, institutione, & hujus tempore, & de gradibus quibus ad illud ascendimus: deindè minutatim explicantur Ordines Majores, & Minores; undè transitur ad materiam & formam uniuscujusque, & ad ritus in illis conferendis observandos; posteà perpenditur quid sit agendum, cùm Ordinis Sacramentum collatum est ante Baptisma, aut aliquid omissum est in Collatione Ordinum: undè proceditur ad munus cuique Ordini peculiare: indè transeundo ad qualitates Ordinandorum, Dicitur 1o. Generatim, & de Examine ante Ordinationem necessario, 2o. De iis dotibus quæ requiruntur ad Ordines Minores. 3o. De his quas Jus exigit ad Subdiaconatum; & examinando separatim istas, tractatur de necessitate Tituli Ordinationis, & de pœnis latis contra Ordinantes ac Ordinatos sine Titulo. Cùm egerimus de dotibus ad Diaconatum & Presbyteratum requisitis & de criminibus quæ excludunt ab illis, transitus fit ad Ministrum hujusce Sacramenti, sive ordinatium, sive extraordinarium; & sermo fit de ejus obligationibus, quarum præcipuæ sunt. 1o. Conferendi Ordines solis subditis, nisi alii habeant Litteras Dimissorias: Dicendo de hac obligatione sermo habetur de pœnis contra sic Ordinantes, & Ordinatos ab illis, & de modo quo puniuntur illi qui conferunt Ordines aut Litteras Dimissorias primo anno vacantis Sedis, & qui obtinent illud utrumque sine Dispensatione. 2o. Faciendi solùm ordinationem in tempore & loco præscriptis. 3o. Non conferendi plures Ordines Sacros eodem die sine Dispensatione Sanctæ Sedis eidem personæ. 4o. Conferendi Ordines juxta ritum suæ Ecclesiæ, aut Latinæ, aut Græcæ, & in iis conferendis observandi quidquid præscribitur circà hanc Collationem. 5o. Non ordinandi pueros, aut eos qui ætatem requisitam non attigerunt, & qui nolunt ordinari. 6o. Non conferendi bis eosdem Ordines eidem personæ. 7o. Non illos conferendi cuilibet in hæresi versanti, vel in Schismate, aut in Excommunicatione, aut postquàm aliquis renunciavit Episcopatui. 8o. Tradendi Ordinandis Literas Ordinum collatorum.

Inter loquendum de his obligationibus, mentio fit de pœnis injunctis contra illos qui illas violant, & Ordinandos culpæ participes; cùm obligatio, tùm punitio debet esse reciproca.

Finis imponitur Tractatui Sacramentorum per Sacramentum *Matrimonii*; Illi vulgo datur locus ultimus, quamvis pro suâ significatione dignum esset nobiliori donari, cùm sit signum unionis Jesu-Christi cùm Ecclesiâ, ut & Mysterii Incarnationis; sed quâ ratione insertum est cum Ordine post quinque prima eâdem etiam postpositum est Ordini, quia bonum quod istud procurat majus est quàm illud quod oritur ex Matrimonio.

Est

Est hoc peculiare illi Sacramento, quod promisso solemni personæ ad id accipiendum astringantur. Isti promissioni imponitur nomen Sponsalium; multis in Ecclesiis, ut & Matrimonium, benedicitur; eadem impedit ne Sponsalia & Matrimonia cum aliis contrahi valeant, quemadmodùm Matrimonium impedit ne illud contrahentes, Matrimonio aut Sponsalibus conjungantur cum aliis; producit impedimentum honestatis publicæ, æquè ac Matrimonium contractum; eisdem impedimentis ac matrimonium annullatur, excepto ætatis obstaculo.

Illud quoque est proprium huic Sacramento, quod consistat in unione duarum personarum, illique influat, quodque multa habeat impedimenta quibus irritatur, præter illa obstacula quæ reddunt illicitam ejus receptionem; in nullum Ecclesia majorem habeat potestatem. quod videtur ex magno numero impedimentorum, sive dirimentium, sivè aliorum, quorum pleraque sunt ex ejus Institutione aut quasi Institutione, ratione approbationis aut acceptationis quam fecit de illis. Eadem res adhuc videtur ex derelictâ sibi dispensandi hac de materiâ potestate, necnon cognoscendi de causis spectantibus ad hæc impedimenta: Idem adhuc intelligitur ex multitudine Canonum Matrimonii causâ collectorum, sive in *Decem ultimis* CAUSIS *Secundæ Partis* DECRETI GRATIANI, sivè in QUARTO LIBRO *Collectionum* DECRETALIUM, & alibi, inter quos multi præcipiunt, ut judicentur causæ matrimoniales juxtà StatutaCanonum, quique requirunt scientiam Canonum in illis qui præponuntur ut illas causas judicent. Itaque pars contingens Sacramentum Matrimonii multò latiùs patet quàm ulla ex aliis; & hâc de causâ methodus in illo magis necessaria est, ut evitetur confusio & iterationes: Istæ autem sunt frequentes in fontibus ex quibus colligitur quod hac de re dicendum est. Procedunt ex eo quod eædem Quæstiones sæpiùs propositæ sint, aut diversis, aut iisdem Summis Pontificibus. Est etiam multa confusio quamvis materia tractetur seriatim, tùm in GRATIANO, tùm in DECRETALIBUS: Nam *Primus* incipit materiam ab impedimento voti, & agendo de aliis permixtim, confundit prohibentia cum dirimentibus; postponit aliis ea quæ spectant ad consensum qui peragit Matrimonium: loquitur multis in locis de iisdem impedimentis; miscet ea quæ ad dissolutionem, cum iis quæ ad celebrationem spectant; mentionem facit de Sponsalibus pluribus in locis, cùm anteà de Matrimonio dixerit; ita ut quisque facilè intelligat, aut ipsum non agnovisse ordinem quem sequi par est in tractandis materiis, aut illum neglexisse, loquendo de unaquaque re prout Canones oblati illum ad id impulerunt. *Author Collectionum* DECRETALIUM miscet Primo in Titulo materiam Sponsalium cum Matrimoniali; utitur in hoc Titulo, & multis in aliis, vocabulis æquivocis, his, *Sponsalia, Sponsus, Sponsa, Desponsatio*, quæ significant modò Sponsalia de futuro, modò desponsationes de præsenti, modò idem quod promissus aut promissa, modò idem quod Sponsus aut Sponsa sive conjux: miscet impedimenta orta à criminibus cum aliis.

Ut igitur vitentur hæc vitia & alia omnia quæ retardant progressum in studio materiarum spectantium ad Matrimonium, separatur quidquid pertinet ad Sponsalia ab eo quod spectat ad matrimonium; Datur cuique Parti ordo convenientior ad faciliorem intelligentiam eorum quæ continet; & ut quisque adjuvetur ad illa retinenda, explicantur voces æquivocæ, & accuratè quæcunque superflua resecantur, quæ cum necessariis permixta illorum oblivionem quandoque inducunt.

Hac de causa agendo de Sponsalibus redigetur quidquid Jus dicit ad explicationem eorum nominis, naturæ, modi quo fiunt, ætatis quam requirunt; libertatis necessariæ; eorum effectûs, & præsertim impedimenti honestatis publicæ quod ex iis nascitur; eorum dissolutionis, & causarum ejus; Officii Judicis Ecclesiastici quoad controversias circa illa; conditionum quæ possunt iis apponi.

Loquendo de Matrimonio omnia referentur ad Capita sequentia, quæ sunt 1o. Rationes quibus justificatur. 2o. Ejus nomina. 3o. Ejus institutio tanquam Legis novæ Sacramenti. 4o. Ejus materia, videlicet Partium consensus, verba aut signa quæ ipsum exprimunt, ea quæ legitimum illud reddunt, nempè ætas pubertatis, libertas. 5o. Ejus forma, nempè aut solemnitates quæ debent præcedere, comitari, aut sequi. 6o. Ejus Minister. 7o. Discrimen quod intercedit inter Fidelium & Infidelium Matrimonium, inter inchoatum & perfectum connubium: Inter illud Matrimonium quod vocatur Desponsatio, aut Contractum Matrimonium, & illud quod dicitur consummatum matrimonium; inter connubium à Partibus præsentibus, & connubium per Procuratorem contractum. 8o. Officium conjugale & omnia ad illud spectantia. 9o. Impedimenta quæ Matrimonium tantùm illicitum efficiunt, & ea quibus quoque annullatur. 10o. Differentiam quæ est inter ista, cùm præcedunt, & eadem cùm sequuntur, posita præcipuè in eo quod in hoc ultimo casu sinant Matrimonium subsistere, & illicitum tantùm reddant usum ex parte nolentis; cùm in primo nullum omninò efficiant. 11o. Enumeratio illorum impedimentorum, cùm eorum causis, quorum alia sunt Juris Naturalis, error, violentia, impotentia, stultitia, furor, aut ebrietas; alia Juris Divini, quale ligamen nascens ex Matrimonio adhuc subsistente; alia Juris Humani, ut cætera quorum nonnulla abrogata sunt, servitus, cognatio legalis: alia vigent adhuc, nempè consanguinitas, affinitas, honestas publica, cognatio spiritualis, vota solemnia, Ordo Sacer, clandestinitas, defectus consensûs Parentum quibusdam in Ecclesiis, Græcâ & Gallicanâ. 12o. Divortium aut Dissolutio sive quoad vinculum sive quoad cohabitationem. 13o. Judex causarum Matrimonialium. 14o. Secundæ nuptiæ. 15o. Dos & donatio Matrimonii causâ. 16o. Defectus natalium.

Collectis

Collectis Juris Decisionibus circà Matrimonium, adjunctum duplex genus Quæstionum: alterum earum quibus resolvuntur nonnulla gravioris momenti quæ indecisa remanserant; alterum illarum quibus ostenditur non pauca quæ prætermissa videntur, ex eo quòd extra locum suum tractata habentur, omissa verè non esse, indicatis locis ubi illa explanantur. Hac adjectione totus de Sacramentis Tractatus absolvitur, in hoc præ cæteris hujus Operis Tractatibus notandus, quod positis extrà Corpus Juris Conciliumque Tridentinum Canonibus ad sui perfectionem multòminùs indiguerit.



TRACTATUS

TRACTATUS
DE
SACRAMENTIS,

Ex Corpore Juris Canonici, *Conciliοque* Tridentino *desumptus.*



Ex colligendis Canonibus circa Sacramenta, tàm in genere, quàm in specie spectata, patebit quod quæcumque hac de re scitu necessaria sunt, sive quoad Fidem, aliaque ad Doctrinam pertinentia, sive quoad Praxim, in Corpore Juris, conjuncto *Concilio* Tridentino, contineantur, sed ut plurimùm extra sua loca vagentur, ideòque Methodo Scholastica maximè egeat hæc Collectio. Patebit etiam quod paucissima de Sacramentis in genere in iis habeantur; cujus ratio est, fontes illorum Canonum, præter *Concilium* Tridentinum, ac nonnullas Synodos post Sæculum XII. celebratas, collectasque à Labbæo, de Sacramentis sic consideratis mentionem vix fecisse; nam si quid de illis dixerunt, quod sub illa facie illa respiciat, id occasione alicujus Sacramenti, præsertim Baptismi, dixerunt, ut infrà observabitur in *Tit. XI. Sect. V.*

TITULUS I.

De Sacramentis in genere.

SECTIO I.

Quid sit Sacramentum, undè dictum, & quotuplex? Ubi de eo quod convenit tàm Veteribus, quàm Novis Sacramentis, & de istorum numero.

I. Sacramentum est Sacrum Signum. *De Consecratione.* Dist. II. Cap. 32. *Sacrificium.*

II. Signum est res, præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cognitionem venire. *Ibid.* Cap. 33. *Signum.*

III. Sacramentum est in aliqua Celebratione, cùm res gesta ita fit, ut aliquid significare intelligarur, quod sanctè accipiendum est. Caus. I. Quæst. I. Cap. 84. *Multi.* §. *Sacramentum.* Ob id Sacramenra dicuntur, quia sub tegumenro corporalium rerum, virtus Divina secretiùs salutem operatur; undè & à secretis virtutibus, vel à Sacris, Sacramenta dicuntur. *Ibid.*

IV. Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma. *De Consecratione* Dist. II. Cap. 32 *Sacrificium. fin.*

V. Ideò dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur; quod videtur, speciem habet corporalem; quod intelligitur, fructum habet spiritualem. *De Consecr.* Dist. II. Cap. 58. *Qui manducant.* §. *Ista.*

VI. Si quis dixerit Sacramenta, aut esse plura vel pauciora quàm septem, videlicet *Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pænitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem, & Matrimonium*, aut etiam aliquod horum seprem non esse verè & propriè Sacramentum, Anathema sit. *Conc.* Trid. Sess. VII. *Canone* I. Idem anteà in *Decretis ad Armenos.* Conc. Tom. XIII. *p.* 534.

VII. Ecclesiastica Sacramenta alia necessaria, alia voluntaria. *De Transactionibus.* Cap. *Veniens.* Lib. I. Decr. *Tit.* 36. Cap. 8. *init.*

VIII. Per quæ, scilicet Sacramenta, omnis vera justitia vel incipit, vel cæpta augetur, vel amissa reparatur. *Proœm.* Deca. *De Sacram.* Sess. VII.

SECTIO II.

A quo institnta sint Sacramenta, & qua eorum virtns? Ubi de pracipnis differentiis inter antiqua & nova Sacramenta, necnon illa qua sunt nova invicem considerantur.

I. Si quis dixerit Sacramenra Novæ Legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino Nostro instituta, Anathema sit. Conc. Trident. Sess. VII. *Can.* I. *inis,*

II. Aliud est Sacramentum ab effectu Sacramenti. Caus. I. Quæst. I. Cap. 48. *Etiam.*

III. Per Sacramenra omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augerur, vel amissa reparatur. *Concil.* Trid. Sess. VII. Decret. *De Sacramentis, in Proœmio.*

IV. Si quis dixerir ea ipsa novæ Legis Sacramenra, à Sacramentis antiquæ Legis non differre, nisi quia Cæremoniæ sunt aliæ, & alii ritus externi, Anathema sit. *Conc.* Trid. *Ibid.* Sess. VII. *Can.* 2.

V. Si quis dixerit hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nullâ ratione aliud sit alio dignius, Anathema sit, *Ibid. Can.* 3.

VI. Si quis dixerit hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, Anathema sit. *Ibid. Can. 5.*

VII. Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis, non continere gratiam quam significant, Anathema sit. *Ibid. Can. 6.*

VIII. Si quis dixerit ea gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantùm externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel justitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis quibus apud homines discernuntur Fideles ab infidelibus, Anathema sit. *Ibid. Can. 6.*

IX. Si quis dixerit non dari gratiam, per hujusmodi Sacramenta, semper & omnibus, quantùm est ex parte Dei, etiamsi ritè ea suscipiant, sed aliquandò & aliquibus, Anathema sit. *Ibid. Can. 7.*

X. Si quis dixerit per ipsa novæ Legis Sacramenta, ex opere operato non conferri gratiam, Anathema sit. *Ibid. Can. 8.*

XI. Nemo pius de Dei misericordia, de CHRISTI merito, deque Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet. *Concil.* TRID. SESS. VI. Cap. *9. fin. De Justificatione.*

XII. Justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundùm mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, & secundùm propriam cujusque dispositionem & cooperationem. *Cap. 7. circa medium. de Justificatione.*

XIII. Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi caracterem in anima, hoc est signum quoddam indelebile, undè ea iterari non possunt, Anathema sit. *Can. 9. De Sacram.* SESS. VII.

SECTIO III.

Quomodo conficiantur Sacramenta, & quid requiratur in Ministro? Ubi de materia & formâ, de potestate, fide, Sanctitate, intentione, seu voluntate, necessariis.

I. Credendum est quod in verbis CHRISTI Sacramenta conficiantur; cujus priùs creantur imperio, ejus utique verbo recreantur ad melius. CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 77. *Intrà. §. Si enim. fin.*

II. Crede adesse Dominum JESUM invocatum precibus Sacerdotum. *Ibid.* CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 83. *Cum Scriptura. §. ult. fin.*

III. Necessaria est tantùm solemnis oratio & non Sacerdotum merita. *Ibid.* Cap. 90. *Sacerdotes. fin.*

IV. Sanctè sanctè administrari convenit. *Concil.* TRID. SESS. XXII. DECR. *De Sacrific.* Cap. 4. *init.*

V. Omnia Sacramenta cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus. *Ibid.* CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 78. *Omnia.*

VI. Necesse est ut esse munda studeat manus, quæ diluere sordes curat. *Ibid.* Cap. 93. *Necesse.*

VII. Perniciem sibi infert, non illis bonis qui accipiunt ab eis Sacramenta. *Ibid.* Cap. 98. *Per Isaiam. §. quilibet. init.*

VIII. Si quis dixerit in Ministris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, Anathema sit. *Conc.* TRID. SESS. VII. *Canone 11.*

IX. Communia omnia sunt omnibus Sacramenta, sed non communis gratia, ita & Baptismus communis, sed non virtus Baptismi. *De Pœnit.* DIST. IV. *post* Cap. 7.

X. Bona quidem res est Divina Sacerdotibus contrectare mysteria, sed cavendum valdè est, ne hoc quisque ad usum pravitatis suæ intorqueat, undè soli Deo de bono conscientiæ placere debuerat: scriptum est enim: *Væ his qui faciunt opus Domini fraudulenter & desidiosè. Concil.* BRACAR. IV. *ann.* 675. Cap. 6. TOM. VI. CONC. *p.* 565.

SECTIO IV.

Sacramenta valere à quibuscumque peccatoribus collata, secundùm ritum Ecclesiæ; sed accepta extra Ecclesiam non prodesse.

I. Si quis dixerit Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, Anathema sit. *Concil.* TRID. SESS. VII. *Canone* 12.

II. Non potest aliquis, quantumcumque pollutus sit, Sacramenta Divina polluere. CAUS. XV. QUÆST. VIII. Cap. 5. *Sciscitantibus. init.*

III. Qualiscumque Sacerdos sit, quæ Sancta sunt coinquinare non potest. *Ibid. med.*

IV. Deus adest Sacramentis & Verbis suis, per qualeslibet administrentur; & Sacramenta Dei ubique recta sunt. CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 32. *Sic autem.*

V. Nec foris, sicut nec intùs, quisquam qui ex parte Diaboli est, potest in se vel in quoquam maculare Sacramentum; quod CHRISTI est. *Ibid.* Cap. 33. *Nec foris.*

VI. Sacramenta quæ Schismatici vel Hæretici, si non aliter habent, nec aliter agunt, quàm vera Ecclesia; cùm ad nos veniunt, non emendamus, sed potiùs approbamus. *Ibid.* Cap. 35. *Sicut.*

VII. Cùm aliud sit Sacramentum quod habere etiam SIMON Magus potuit; aliud operatio ejusdem Spiritûs, quam nisi boni habere non possunt; quodlibet Hæretici & Schismatici accipiant: Charitas quæ cooperit multitudinem peccatorum, proprium donum est Catholicæ unitatis, & pacis; nec est in omnibus, quia nec ejus sunt omnes. *Ibid.* CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 38. *Multa. fin.*

VIII. Excipiendi qui sine peccato mortali ab illis recipiunt, ut pueri; aut qui ignorant illos esse verè Schismaticos aut Hæreticos, vel in periculo mortis. Hæc triplex exceptio locum habet in similibus Canonibus.

IX. Sacramentis Dei nihil obsunt mores malorum hominum, quo illa vel omninò non sint, vel minùs Sancta sint. *Ibid.* Cap. 87. *Dominus. §. memento.* Voluntas Sacerdotis obesse aut prodesse non potest, sed meritum Benedictionem poscentis. CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 96. *Dictum est. init.*

X. Corporalia Sacramenta quæ portant, & celebrant, jam segregati ab unitate Corporis CHRISTI, formam possunt exhibere pietatis; virtus verò pietatis invisibilis & Spiritualis, ita in eis non potest esse, quemadmodum sensus non sequitur hominis membrum, quando amputatur à Corpore. *Ibid.* Cap. 49. *Corporalia.*

XI. Intelligitur perversitatem hominum esse corrigendam; Sanctitatem autem Sacramentorum in nullo perverso esse violandam. *Ibid.* Cap. 97. *Quod quidam. §. penultimo, sicut redeunti.* Sacramenta ideò fructuosè penes Ecclesiam fiunt, quia Sanctus in ea manens Spiritus, eorumdem Sacramentorum latenter operatur effectum. CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 84. §. *Sacram. med.*

XII. In CHRISTO JESU neque liber, neque servus, est à Sacramentis Ecclesiæ removendus. *De Conjugio servorum.* Cap. *Dignum. init.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 9. Cap. 1.

SECTIO V.

A quibus suscipi possint Sacramenta? Quæ in illis requirantur? Quod discrimen inter infantes & adultos? In quo amentes & dormientes cum infantibus conveniant, & differant? De voto illa recipiendi.

Quicumque Canones qui colligi hîc possent, aptiùs collocabuntur suis quique locis, dum de Baptismo, quia de illo & propter illum conditi sunt.

SEC-

SECTIO VI.

A quibus Ministris possint fideles licitè recipere Sacramenta?

I. Chrisma, Oleum Sanctum, Consecrationes Altarium seu Basilicarum, Ordinationes Clericorum qui ad Sacros Ordines promovendi sunt, non debent postulari, nec recipi ab eo Episcopo qui Catholicus non fuerit, & gratiam Sedis Apostolicæ non habuerit, id est, excommunicatus, suspensus, vel interdictus fuerit. *De Præscription.* Cap. *Veniens.* §. *Chrisma. junctâ Gloss.* Lib.II. Decr. *Tit.26. Cap.19.* Vide Dist. XXXII. *Post Cap.6.* §. *verum.* Nicol.I. *ad Consf.* Bulg. Cap. 71. Tom. VIII. Conc. *p.* 541.

II. Sine dubitatione tenendum est, quod à Clericis & Presbyteris, quanquam fornicariis, quamdiù tolerantur, nec habent operis evidentiam, licitè Divina Mysteria audiantur, & alia recipiantur Sacramenta Ecclesiastica. *De Cohabitatione Clericorum &c.* Cap. *Vestra. fin.* Lib.III. Decr. *Tit.* 2. Cap. 7.

III. Aliud est à talium Officiis abstinere, ut peccandi licentia cæteris auferatur, & hujusmodi ad pœnitentiæ fructum trahantur; atque aliud, si talium tanquam in fornicatione jacentium, ministeria respuantur. *Ibidem.* §. *Cæterum.* Ex præjudicio scilicet quod non sint efficacia.

IV. Etsi quemlibet pro mortali peccato, quoad se ipsum constet esse suspensum, non debet tamen Clericus in fornicationem prolapsus in Officiis, priusquàm pœnituerit, evitari; quia quantùm ad alios, etiam in casu proposito suspensus non est, nisi peccatum hujusmodi sit notorium. *Ibid. De Cohab. Cleric.* Cap. *Quæsitum.* Lib. III. Decr. *Tit.2.* Cap.10.*& ult.* Nunc sola notorietas facti non sufficit, sed requiritur sententia, quæ à Celebratione interdicat, vel interdictum declaret.

V. Qualiscumque Sacerdos sit, quæ Sancta sunt coinquinare non potest; idcircò ab eo, usquequò judicio Episcoporum reprobetur, Communio percipienda est; quoniam mali bona administrando se tantummodò lædunt. Caus. XV. Quæst. VIII. Cap. 5. *Sciscitantibus. med.* Huic Canoni conforme Decretum Constantiense & Basileense. *Pragmat. Sanct. & Concordatorum, De Excommunicatis & Interdictis vitandis, vel non.*

VI. Si quis dixerit Ministrum in peccato existentem, modò essentialia omnia quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, Anathema sit. *Can.* 12. Sess. VII. *De Sacram.*

SECTIO VII.

Quis sit Sacramentorum Minister? Quæ mutationes fieri possint in illorum administratione? Quique ritus sint adhibendi?

I. Si quis dixerit Christianos omnes, in omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, Anathema sit. *Conc.* Trid. Sess. VII. *Can.* 10.

II. Spiritus gratiarum, non personam sequitur digni aut indigni, sed Ordinationem traditionis, ut quamvis aliquis boni meriti sit, non tamen possit benedicere, nisi fuerit ordinatus, ut Officium Ministerii exhibeat; Dei autem est effectum tribuere Benedictionis. Caus. I. Quæst. I. Cap. *96. Dictum est.* §. *quanta. fin.*

III. Gratiam traditio per Ministerium Ordinantis transfundit hominibus. *Ibid. init. Capitis.*

IV. Hæc potestas perpetuò in Ecclesia fuit, ut in Sacramentorum Dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum & locorum varietate, magis expedire judicaret. *Conc.* Trid. Sess.XXI. *De Communione sub utraque specie.* Cap. 2.

V. Sacramenta Hæreticorum nobis inimica non sunt &c. Caus. XXIII. Quæst. IV. Cap. 25. Agnoscit Sancta Mater Ecclesia, hanc suam in administratione Sacramentorum autoritatem. *Ibid.*

VI. Si quis dixerit receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in Solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à Ministris pro libito omitti, aut in novos alios, per quemcumque Ecclesiarum Pastorem, mutari posse, Anathema sit.

VII. Cùm natura hominum ea sit, ut non facilè queat sine adminiculis exteriotibus, ad rerum Divinarum meditationem sustolli, proptereà pia Mater Ecclesia ritus quosdam instituit. *Conc.* Trid. Sess. XXII. *De Sacrificio Missæ.* Cap. 5. *init.*

VIII. Mores ac ritus Græcorum, in quantùm cum Domino fieri potest, sustineri debent. *De Baptismo.* Cap. *Licet. init.* Colligitur. Lib. III. Decr. *Tit.* 42. Cap.*6. Quoniam.* Lib.I. Decr. *Tit.* 14. *De Off. Jud. Ord.* Cap *Cùm olim. 6.* Decr. *De Cler. Conjug.* Idem dicendum de illorum ritibus quoad Ordines, Eucharistiam, aliaque Sacramenta, cùm à pluribus Conciliis approbati fuerint. Ratio hujus Concordiæ est, quod ritus pertineant, vel ad Disciplinam, in qua quævis Ecclesia, saltem ex præcipuis, libera est; vel ad Doctrinam, cujusmodi qui essentiam Sacramentorum ac Sacrosanctæ Missæ Sacrificia, quique pro substialibus habentur; adeò ut Catholici, tàm Græci, quàm Latini, in hiscemet ritibus omninè consentiant. Hinc Theologi discernere solent quæ essentialia sunt ab aliis, ex illa consentione, vel dissentione; undè concludunt hos vel illos ritus essentiales non esse, ex eo quod à Græcis vel Latinis non usurpentur.

Hactenùs Collecti Canones circa Sacramenta in genere illustrabuntur, confirmabunturque per colligendos circa Baptismi Ministrum, illiusque effectus, & subjectum.

TITULUS II.

De Baptismo.

SECTIO I.

Quid sit Baptismus, & qui sint ejus effectus?

I. Baptisma Circumcisioni successit. *De Baptismo &c.* Cap. *Majores.* §. 1. *ad id. init.* Lib.III. Decr. *Tit.*42. Cap. 3.

II. Baptismus Sacramentorum fundamentum, & janua reliquorum. *In 6. De Cognatione Spirituali.* Cap. *Per Catechismum. init.* Lib. IV. *Tit.*3. Cap. 2. *Cap. Veniens* 3. *De Presb. non Bapt.* Lib. III. Decr. *Tit.* 43.

III. Cùm Baptismus sit fundamentum omnium Sacramentorum, ante susceptionem Baptismi non suscipiatur aliud Sacramentum; quoniam ubi fundamentum non est, superædificari non potest. *De Presbytero non baptisato.* Cap. *Veniens.* §.1. *eumque* Lib.III. Decr. *Tit.* 43. Cap. 3.

IV. Sacramentum Baptismi ad Dei invocationem, & Individuæ Trinitatis, videlicet Patris & Filii & Spiritus Sancti, consecratur in aqua. *De Summa Trinitate.* Cap. *Firmiter.* §. *Sacramentum.* Lib. I. Decr. *Tit.* 1. Cap. 1.

V. Lavacrum regenerationis facit posse vocari Deum Patrem. Caus. XI. Quæst. III. Cap. 24. *Ad mensam.* §. 1. S. Chrisost. *Homil.* 25. ad *Cap.* 11. *Epistola ad Hebræos*; forte circa *annum* 404. Salutis unda à culpa primi hominis absolvimur. Caus. XXXIII. Quæst. III. *De Pænit. Cap.* 82 Dominus noster Jesus Christus per Lavacri regenerationem, omnibus remissionem dedit peccatorum. Caus. I. Quæst. I. Cap. 16. *Citò.* §. 1. *med.* S. Ambrosius. Lib. IV. ad *Cap.* 4. Lucæ. *n.* 54. *circ. ann.* 384.

VI. In remissionem peccatorum, Baptismi celebratur Sacramentum. *Conc.* Triaur. *ann.* 895. *Can.* 12. Tom.IX. Conc. *p.* 446.

VII. Per Baptismum CHRISTUM induentes nova prorsùs in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes. *Concil.* TRID. SESS. XIV. *De Pœnitentiâ.* Cap. 2.

VIII. Per Sacramentum Baptismi crimina dimittuntur. *De Divortiis.* Cap. *Gaudemus.* §. 1. *fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 19. Cap. 8.

IX. Justificationis causa instrumentalis est Sacramentum Baptismi, quod est Sacramentum fidei, sine quâ nulli unquam contigit justificatio. *Conc.* TRID. SESS. VI. *Cap.* 7.

X. In Baptismo peccata omnia dimittuntur. DIST. XXVI. Cap. 2. *Acutiùs. post init.*

XI. Plus Baptismus hodiè confert Christianis, quàm quondam Judæis Circumcisio contulit. *De Baptismo & ejus effectu.* Cap. *Majores.* §. 2. *ad id. med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 42. Cap. 3.

XII. Generalis efficacia mortis CHRISTI per Baptisma, applicatur pariter omnibus Baptisatis. CLEM. *De Summa Trinit.* Cap. unico. §. *verùm.* LIB. I. *Tit.* 1. Cap. 1.

XIII. Per Sacramentum Baptismi CHRISTI sanguine rubricati culpa remittitur, vitatur periculum, & ad Regnum Cælorum etiam pervenitur; cujus januam CHRISTI sanguis fidelibus suis misericorditer reseravit. *Ibid. fin.*

XIV. Si quis dixerit Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo CHRISTI, Anathema sit. *Conc.* TRID. SESS. VII. *Can.* 1. *De Baptismo.*

XV. Cùm ad Baptismi Sanctificationem venitur, scire debemus & fidere, quia illic Diabolus opprimitur, & homo Deo dicatus Divina indulgentia liberatur. *De Consecr.* DIST. IV. Cap. 127. *Nec quemquam.* §. *Spiritus. fin.*

XVI. Opinio quæ dicit tàm parvulis, quàm adultis conferri in Baptismo informantem gratiam & virtutes, tamquàm probabilior, & dictis Sanctorum ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consona, est eligenda. CLEMENT. *De Summa Trinit.* Cap. un. *fin.* LIB. I. *Tit.* 1. Cap. 1. §. *ult.*

XVII. Nec grandibus hoc præstatur in Baptismo, nisi fortè miraculo ineffabili Omnipotentissimi Creatoris, ut lex peccati, quæ inest in membris repugnans legi mentis, penitùs extinguatur, & non sit; sed ut quidquid mali ab homine factum, dictum, cogitatum fuerit, cùm eidem concupiscentiæ subjecta mente serviret, totum aboleatur, & velut factum non fuerit, habeatur. *Ibid. De Consecr.* DIST. IV. Cap. 2. *Per Baptismum. fin.*

XVIII. Quod culpæ est in Baptismo relaxatur. DIST. XXVI. Cap. 4. *Una. med.*

XIX. Ad hoc Baptismus valet, ut Baptisati CHRISTO incorporentur, & membra ejus habeantur & consepeliantur, & oblati per Sacramentum, charitatemque fidelium, reconcilientur Deo, ut in illo vivi, salvi, liberati, redempti, illuminati fiant. *Ibid.* Cap. 143. *Ad hoc.*

Etsi Baptismus solvat vincula omnium peccatorum, quoad culpam & pœnam Deo debitam, eaque vincula majora sint quovis vinculo civili; nullum tamen vinculum civile rumpit, nec hac in re locum habet Regula Juris: *Quod plus est, continet quod est minus*, cùm ista ad res ejusdem generis restringatur.

SECTIO II.

Quomodo conficiatur Sacramentum Baptismi?

I. In Baptismo duo semper, videlicet Verbum & Elementum, necessariò requiruntur; juxta quod de Verbo Veritas ait; *Baptisate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. De Baptismo.* Cap. *Non ut.* LIB. III. DECR. *Tit.* 42. Cap. 5. §. *Cùm igitur.*

II. Baptisma celebratur in aquâ, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. CLEMENT. *De Summa Trinit.* Cap. unic. §. *ad hoc.* LIB. I. *Tit.* 1. Cap. 1.

III. Eadem Veritas dicit de Elemento: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Cælorum. Ibid.* Cap. 5.

IV. Dubitari non debet, illos verum non habere Baptismum, in quibus non solùm utrumque prædictorum, sed eorum alterum est omissum. *Ibid. fin.*

V. Non omnis aqua sanat, sed aqua sanat quæ habet gratiam CHRISTI. Aliud est Elementum, aliud Consecratio †: aliud opus, aliud operatio. *De Consecr.* DIST. IV. *Cap.* 9. *Per aquam.* † hoc est, non in quantum est sonus aliquis prolatus, sed in quantum habet virtutem Spiritualem à CHRISTO.

Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum. CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 54. *Detrahe. init.*

VI. Undè tanta virtus aquæ ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? Non quia dicitur, sed quia creditur; nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. *Ibid.* §. *undè.*

VII. Si quis dixerit aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideò illa verba Domini nostri JESU CHRISTI, *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto*, ad metaphoram aliquam detorserit, Anathema sit. *Concil.* TRID. SESS. VII. *De Baptismo. Canone* 2.

VIII. Solum Baptisma ratum est quod in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti perficitur. CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 73. *Arrianos. post init.*

IX. Si lotus in fonte Baptismatis quis fuerit, sine invocatione Trinitatis, perfectus Cristianus non est †, nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti fuerit baptisatus. *De Consecr.* DIST. IV. Cap. 83. *In Synodo. post init.* † Imò nec Christianus.

X. Sine illis certis Evangelicis verbis, non potest Baptismus consecrari. *De Consecr.* DIST. IV. Cap. 72. *post init.*

SECTIO III.

Quales defectus in usu aquæ, seu verborum Evangelicorum, possint impedire Baptismi collationem?

I. Pro certo verum est, ut qui vel unam de Trinitate personam in Baptismo non nominaverit, illud Baptisma esse verum non possit. *De Consecr.* DIST. IV. Cap. 83. *med.*

II. Si quis puerum ter in aquâ immerserit in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Amen; & non dixerit: Ego te baptiso in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen: non est puer baptisatus. *De Baptismo &c.* Cap. *Si quis.* LIB. III. DECR. *Tit.* 42. Cap. 1.

III. Firmissimè præceptum est ut qui sine invocatione Trinitatis lotus fuisset, Sacramentum regenerationis non haberet. *Synodus Anglorum* relata in Epistolâ 10. ZACHARIÆ ad BONIF. TOM. VI. CONC. *p.* 1518. *ann.* 747. Si mersus in fonte Baptismatis &c. *Ibid.*

IV. Si Sacerdos qui baptisat nesciens latini eloquii, infringens linguam diceret, baptiso te in nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancta, si id faciat, non errorem introducens aut Hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis, ita baptisati non sunt denuò baptisandi. *De Consecr.* DIST. IV. Cap. 86. *Retulerunt.* ZACHARIAS *Epistola* 6. TOM. VI. CONCIL. *p.* 1505.

V. Qui in mortis articulo constitutus, in aquam seipsum immersit, dicens: Ego baptiso me in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen est denuò ab alio baptisandus, ut ostendatur quod alius est qui baptisatur, & alius qui baptisat. *De Baptismo &c.* Cap. *Debitum.* LIB. III. DECR. *Tit.* 42. Cap. 4.

VI. Inter Baptisantem & Baptisatum debet esse discretio, sicut ex verbis Domini colligitur, dicentis Apostolis: *Ite, baptisate omnes gentes* &c. *Ibid.* §. *Respond.*

VII. Sicut in carnali generatione qua proles ex viro & fœmina nascitur, alius est qui carnaliter gignit, & alius qui carnaliter gignitur; sic & in Sacramentali generatione, qua soboles ex aqua & Spiritu Sancto renascitur, alius debet esse qui generet, & alius qui spiritualiter generetur. *Ibid.*

VIII.

VIII. Cùm corpus exterios, sive cùm cor ioterius baptisatur, oportet nt utrobique paternitas & filiatio valeat inveniri, quibus baptisans & baptisatus ad invicem referantur. *Ibid. fin.*

IX. Parvuli, quos in articulo mortis constitutos, propter aquæ penuriam, & absentiam Sacerdotis, aliquorum simplicitas io caput & pectus, ac inter scapulas, pro Baptismo, salivæ conspersione linivit, verum non habent Baptismum. *Ibid. De Baptismo. &c.* Cap. *Non ut.* Lib. III. Decr. *Tit.* 42. Cap. 5.

X. Reprehensibile esse nullatenùs potest infantem in Baptismate, vel ter vel semel immergere, quandò & in tribus mersionibus personarum Trioitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari. *De Consecr.* Dist. IV. Cap. 80. *De Triná. fin.* Aspersio quoque aquæ instar salutaris lavacri obtinet. *De Consecr.* Dist. IV. Cap. 127. *Nec quemquam.* circa *med.* Ex S. Cypriano desumitur, id ibidem solide probante. Vide *Concil.* apud Celichyth. *ann.* 816. *Cab.* 11. *fin.* Tom. VII. Concil. *p.* 1489.

XI. Illa certa Evangelica verba, sine quibus non potest Baptismus consecrari tantùm valent, ut per illa sic evacuentur quæcunique in prece vitiosa contra Regulam fidei dicuntur, quemadmodum Dæmonium Christi oomine excluditur. *De Consecr.* Dist. IV. Cap. 72. *Si non Sanctificatur.*

XII. Cùm aliqua erroris verba inter baptisandum per imperitiam precator effundit, vel affert aliquam precem in qua loquatur contra Regulam fidei, per ignorantiæ simplicitatem, putans bonam esse; quod in eis perversum est, non evacuat illa quæ in Baptismo recta sunt, nec sic baptisati jubebuntur deouò baptisari. *Ibid.*

XIII. Approbator *Cap. Licet* 6. Lib. III. Decr. *Tit.* 42. Baptisma Græcorum, qui in illius forma non exprimunt personam Ministri. Videsis Gonzal. *in hoc Cap.* 6. & *in Cap.* 1. in qoo refert historiam hujus Decisionis, quæ est Alexand. III. cum actis illam probantibus. Hæc autem lectu digna est, maximè erga Gallos apud quos res gesta est.

SECTIO IV.

Baptismum esse absolutè, seu, ut ajunt, necessitate medii, necessarium; posse tamen per Martyrium semper, & per cordis Conversionem aliquando, suppleri.

I. Necessarium est visibile Sacramentum aquæ ad absolutionem visibilis corporis, sicut necessaria est doctrina invisibilis fidei ad Sanctificationem invisibilis animæ. *De Consecr.* Dist. IV. Cap. 1. *Necessarium.*

II. Nulla præter Baptismum Christi Salus promittitur infantibus; quia infantes si per Sacramenmentum quod ad hoc est Divinitùs institutum, in credentium numerum non transeant, profectò in tenebris manent. *Ibid. De Consecr.* Cap. 42. *Nulla.* Dist. IV.

III. Quisquis ex concupiscentia carnis & Lege peccati & mortis carnaliter generatur, regenerari specialiter opus habet; ut non solùm ad Regnum Dei perducatur, verùm etiam à peccati damnatione liberetur. *Ibid.* Cap. 137. *Quisquis.*

IV. Indistinctè vox intonat Evangelica; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Dei*, ab hac generalitate nec sexum nec ætatem excludens. *De Baptismo & ejus effectu.* Cap. *Majores.* §. 2. *ad id. post init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 42. Cap. 3.

V. Firmissimè tene & nullatenùs dubites, exceptis illis qui pro nomine Christi suo sanguine baptisantur, nullom hominem accepturum vitam æternam, qui non hic à malis suis fuerit per pœnitentiam fidemque cooversus, & per Sacramentum fidei & pœnitentiæ, id est, per Baptismum liberatus. Caus. XV. Quæst. I. Cap. 3. *Firmissimè.* Adde cætera.

VI. Justificatio seu translatio ab eo statu in quo homo nascitur filios primi Adæ, in statu gratiæ & adoptioois filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum Salvatorem nostrum, post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerarionis aut ejus voto fieri non potest, sicut scriptum est: *Nisi quis renatus &c. Conc* Trid. Sess. VI. *Cap.* 4. Decr. *De Justificat.*

VII. Baptismi vicèm aliquaodò implere passionem, de latrone illo cui non baptisato dictum est, *hodiè mecum eris in Paradiso*, non leve documentum assumitur. *De Consecr.* Dist. IV. Cap. 34. *Baptismi. init.* Quod verum esse nequit, nisi supposito quod latro voluerit mori pro Christo, verosimilius est eum salvum esso per fidem in Christum charitate perfectam.

VIII. Non tantùm passio pro nomine Christi, id quod ex Baptismo deerat, potest supplere; sed etiam fides conversioque cordis, si fortè ad celebrandum mysterium Baptismi, in angustiis temporum succurri non potest. *Ibid. Cap.* 34.

IX. Impletur invisibiliter, quod ait Apostolus: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*; cùm mysteriom Baptismi, non contemptus Religionis, sed articulus necessitatis excludit. *Ibid.*

X. Aliud est Sacramentum Baptismi, aliud conversio cordis; sed salus hominis ex utroque completur; nec si unum eorum defuerit, ideò putare debemus consequens esse & ut alterum desit. *Ibid.* §. *quibus.*

XI. Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus Religionis, sed terminus necessitatis excludit. *De Presbyt. non baptisat.* Cap. *Apostolicam.* §. *undè. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 43. Cap. 2.

XII. Conversio cordis potest quidem inessé non percepto Baptismo, sed contempto Baptismo noo potest: neque enim ullo modo dicenda est conversio cordis ad Deum, cùm Dei Sacramentum contemnitur. *De Consecratione*, Dist. IV. Cap. 34. §. *ult. fin.* Cap. *Baptismi.*

XIII. Io Dei servis apud quos confessio cogitatur, & martyrium mente concipitur, animus ad bonum deditus Deo Judice coronatur; aliud est enim martyrio animum deesse, aliud animo defuisse Martyrium. Caus. XXXIII. *De Pœnitentiá.* Quæst. III. Dist. I. Cap. 26. *Numquid. med.*

XIV. Catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam non habere, excepto martyrio ubi tota Baptismi Sacramenta complentur. *De Consecr.* Dist. IV. Cap 37. *Catechumenum. init.* In qoo hic Canon contrarius videtor præcedentibus qui tria admittunt baptismata, nempè aquæ, sanguinis & fluminis; quod postremum ideò sufficit in necessitatis casu, quia continet Votum Baptismi aquæ, sicut contritio supplet defectum Sacrameoti Pœnitentiæ, quia continet Votum ipsius.

XV. Qui sine unda Baptismatis extremum diem clausisse significatur, cùm in Sanctæ Matris Ecclesiæ fide, & Christi nominis confessione perseveravit; ab originali peccato solutus, & Cælestis patriæ gaudium esse, adeptus asserendus est incunctanter. *De Presbytero non baptisato.* Cap. *Apostolicam.* §. *unde. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 43. Cap. 2.

XVI. Totum legendum *d. Cap.* 2. quia in eo otriosque Baptismatis aquæ & sanguinis perfecta fit collatio: quod in illo omittitur de Baptismo fluminis, supplendum est per *Can.* 34. supra citatum,

XVII In Ecclesia juges preces hostiæque Deo offerri debent pro homine sic mortuo. *Ibid. fin.*

XVIII. Quis non solùm per Sacramentom fidei, sed per fidem etiam Sacramenti efficitur procul dubio membrum Christi; & qui Christum habet per fidem, etiamsi Baptismum non habeat, habet utique fundamentum, præter quod aliud poni non potest; quod est Christus Jesus. *De Presbyt. non baptis.* Cap. *Venient.* §. 1. *cumque. post init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 43. Cap. 3.

XIX. Non malè de Sacramento sentitur, cùm illud non Religionis contemptus, sed articulus oecessitais exclodit. *Ibid.* §. 2. *quia verò. fin.*

XX. Qui Sacramenti fidem habet, etsi fidei Sacramentum non habear, si talis continuò decesserit, ad cœlestem patriam protinùs evolat. *De Baptismo*. Cap. *Debitum*. *§. respondemus*. Verbo *quamvis*. *post initi* LIB. III. DECR. *Tit.* 42. Cap. 4.

SECTIO V.

Quis conferre possit Sacramentum Baptismi, tàm ordinariè quàm in casu necessitatis?

I. Constat Baptisma solis Sacerdotibus esse tractandum. *De Consecratione*. DIST. IV. Cap. 19. *Constat. Init. Responsa* STEPHAN. II. Cap. 10. 11. 12. 13. 14. *ann. circ.* 754. TOM. VI. CONC. *p.* 1652.

II. Nullus Sacerdos baptisar, nisi indutus Albâ & Stolâ, nisi necessitare. *Concil.* ROTHOM. *ann.* 1072. *Can.* 5. TOM. IX. CONC. *p.* 1226.

III. Nec ipsis Diaconis Baptismi Mysterium explere est licitum absque Episcopo, vel Presbytero; nisi his procul absentibus ultima languoris necessitas cogat. *Ib.*

IV. Diaconi absque Episcopo vel Presbytero baptisare non audeant, nisi prædictis fortassis Ordinibus, seu Officiis longiùs constitutis, extrema necessitas compellat. DIST. XCIII. *Cap.* 13. *Diaconos*.

V. Si Laicus nulla cogente necessitate Baptisma dederit, alieni muneris usurpatio est; & quamvis non possit dici non datum, rectè dici potest illicitè datum. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 97. *Quod quidam*. §. 3. *Scat fin.*

VI. Presbyter degradatus, certa necessitate cogente, pro periculo mortis, si alius non adest, potest infirmum baptisare. *Concil.* apud VERMER. nunc *Verberie* in Pago *Suession. ann.* 752. Cap. 15. TOM. VI. CONC. *p.* 1659. *Conc.* COMPEND. *ann.* 757. *Can.* 9. TOM. VI. CONC. *p.* 1696.

VII. Mulier, quamvis docta & Sancta, aliquos in Conventu baptisare non præsumat. *De Consecrat.* DIST. IV. Cap. 20. *Mulier*.

VIII. In necessitate cum Episcopi, aut Presbyteri, aut quilibet Ministrorum non inveniuntur, & urget periculum ejus qui petit, ne sine isto Sacramento hanc vitam finiat; etiam Laicos solere dare Sacramentum quod acceperunt, solemus audire. *De Consecrat.* DIST. IV. Cap. 21. *In necessitate*.

IX. Si Laicus aliqua pereuntis dederit necessitate compulsus, quod cùm ipse acciperet, dandum esse addidicit, aut nullum aut veniale delictum est. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 97. *Quod quidam. §.* 3. *Sicut. med.*

X. Hoc baptisandi opus Laïcis fidelibus, juxta Canonicam authoritatem, si necesse fuerit, facere liberè conceditur. CAUS. XXX. QUÆST. I. *Cap.* 7. *Ad limina*.

XI. Et Baptismus est, si instante necessitate fœmina puerum in nomine Trinitatis baptisaverit. CAUS. XXX. QUÆST. III. Cap. 4. *Super. init.*

SECTIO VI.

Baptismum à quocumque collatum juxtà ritum Ecclesiæ, validum esse, nec alium esse alio meliorem.

I. Baptismus CHRISTI nulla perversitate hominis, sive dantis, sive accipientis potest violari. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 48. *Etiam. init.* Vide DIST. XIX. Cap. 8. *Secundùm*.

II. Spiritus Dei subministrat gratiam Baptismi, licet Paganus sit qui baptisat. *Ibid.* QUÆST. I. Cap. 59. *fin.*

III. Baptismi puritas, à puritate vel immunditia conscientiæ, sive dantis, sive accipientis, omninò distincta est. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 87. §. 4.

IV. Si Diaconus, aut Presbyter crimen Capitale commiserit, bis quoque, si alii defuerint & causa certa necessitatis exorirur, poscentem Baptismum liceat baptisare. DIST. LXXXI. *Cap.* 14. *Si Diaconus*, ex *Conc.* AUREL. I. Cap. 12. *ann.* 511.

V. A Judæo, Christiano, vel Pagano, in nomine Sanctæ Trinitatis aliqui baptisati sunt; constat eos non esse denuò baptisandos. *De Consecratione* DIST. IV, Cap. 24. *A quodam*. NICOLAUS I. *Ad Consultat. Bulgar.* Cap. 15. TOM. VIII. CONC. *p.* 523.

VI. Unum Baptisma est & Hæreticorum (eorum scilicet, qui in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptisantur) & Ecclesiæ Catholicæ; & ideò eos Ecclesia non rebaptisat, qui extra Ecclesiam baptisati sunt, quia in nomine Trinitatis baptizati sunt. *Ibidem*. Cap. 29. *Quamvis*.

VII. Qui apud illos Hæreticos baptisati sunt, qui in Sanctæ Trinitatis Confessione baptisant, & veniunt ad nos, accipiantur quidem ut baptisati, ne Sanctæ Trinitatis Invocatio, vel Confessio annulletur. *Ibid.* Cap. 28. *Si. qui. init.*

VIII. Nequaquam dubitandum habere eos Baptisma, qui ubicunque, & à quibuscumque, illud verbis Evangelicis consecratum, sine sua simulatione, & eum aliqua fide acceperunt: Quanquam eis ad salutem Spiritualem non prodest, si charitate careant, qua Catholicæ inseruntur Ecclesiæ. *Ibid.* Cap. 31. *Solet.* §. 1. *Verùmtamen*.

IX. Si inter bonos Ministros, cùm sit alius alio melior, non est melior Baptismus, qui per meliorem datur, nullo modo est malus, qui etiam per malum datur, quandò idem Baptismus datur; & ideò per Ministros dispares Dei munus æquale est, quia non illorum, sed ejus est. *Ibid. De Consecratione*. DIST. IV. Cap. 25. *Si inter*.

X. Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: *Hic est qui baptisat. De Consecr.* DIST. IV. Cap. 26 *Baptismas. fin.*

XI. Baptisma, sive ab adultero, vel à fure datum fuerit, ad percipientem munus pervenit illibatum. DIST. XIX. *Cap.* 8. *Secundùm post init.*

XII. Cùm baptisat malus ex aliqua vel ignorantia Ecclesiæ, vel tolerantia, illud quod datum est, unum est, nec impar propter impares Ministros, sed par, & æquale propter, *Hic est, qui baptisat. De Consecr.* DIST. IV. Cap. 27 *Cùm baptisat*.

XIII. Ad Baptismum, qui verbis Evangelicis consecratur, non pertinet cujusquam vel dantis vel accipientis error: sive de Patre, sive de Filio, sive de Spiritu Sancto aliter sentiat, quàm cœlestis Doctrina insinuat. *Ibid.* Cap. 48. *Satis*.

XIV. Tantùm valet Baptismus per hominem contemptibilem, quantùm per Apostolum datus: Ita nec illius esse cognoscitur, sed CHRISTI. *Ibid.* Cap. 47. *Cùm tantùm*.

SECTIO VII.

Baptismum extra Ecclesiam collatum non prodesse ad salutem accipientis, nisi in casu extremæ necessitatis.

I. Ecclesia Paradiso comparata indicat nobis posse quidem ejus Baptismum homines etiam foris recipere, sed salutem beatitudinis extra eam neminem vel percipere, vel teoere. *De Consecr.* DIST. IV. Cap. 41.

Restringendum ad Baptisma Adultorum; idem de sequentibus idem docentibus. Ratio discriminis est, quod adulti extra Ecclesiam baptizati, gratiæ obicem ponunt ex mala voluntate recipiendi Baptismum, ubi illum recipere non deberent: Infantes nullum ponunt obicem, cùm illius pravæ voluntatis incapaces sint: Excipitur quoad adultos casus extremæ necessitatis, quo malunt ab hæreticis, schismaticis, aliisque similibus baptizari, quàm sine Baptismo decedere.

II. Baptismus Ecclesiæ potest esse extra Ecclesiam; munus autem beatæ vitæ, non nisi intra Ecclesiam reperitur. *Ibid. fin.*

III. Qui foris & extra Ecclesiam baptisantur non sumunt

ſumunt Baptiſmum ad ſalutem, ſed ad perniciem, habentes nimirùm formam Sacramenti, virtutem autem ejus abnegantes. *De Conſecrat.* Dist. IV. Cap. 29. *Quamvis.*

IV. In Communionibus ab Eccleſia ſeparatis, poſſunt Celebratione homines baptiſari, ubi Christi Baptiſmus eadem Celebratione datur & ſumitur; qui tamen tunc proſit ad remiſſionem peccatorum, cùm quis reconciliatus unitati, ſacrilegio diſſenſionis exuitur, quo ejus peccata tenebantur, & dimitti non ſinebantur. *Ibid.* Cap. 32. *Oſtenditur. fin.*

V. Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, extra Eccleſiam baptiſatis, ſi ad Eccleſiam non redierint, Baptiſmo cumulari perniciem; tantùm enim valet Eccleſiaſticæ ſocietatis Communio ad ſalutem, ut Baptiſmo non ſalvetur, cui non ibi datur ubi oportet ut detur. Caus. I. Quæst. I. Cap. 55. *Firmiſſimè.*

VI. Baptiſmus extra compagem Corporis Christi ineſſe potuit, prodeſſe non potuit. Caus. XXIII. Quæst. VII. Cap. 4. *Quemadmodùm. §. 1. ſed hoc. fin.*

VII. Hæretici tantùm dant vel accipiunt Sacramentum Baptiſmi, & non dant remiſſionem peccatorum. Caus. I. Quæst. I. Cap. 48. *Etiam. fin.* Non ſanat Baptiſmus perfidorum, non mundat, ſed polluit; & ipſis qui faciunt, & quibus faciunt, non ſolùm non prodeſt, ſed ad judicium eſt. Caus. I. Quæst. I. Cap. 50. *Non ſanat* Hi qui Baptiſmum ab Hæreticis acceperunt, formam tantùm Baptiſmi ſine Sanctificationis virtute ſumpſerunt. *Ibid.* Cap. 51. *Hi qui.*

VIII. Si quem fortè coëgerit extrema neceſſitas, ubi Catholicum, per quem accipiat, non invenerit, & in animo pace Catholica cuſtodita, per aliquem extra unitatem Catholicam poſitum acceperit, quod erat in ipſa Catholica unitate percepturus; ſi ſtatim etiam de hac vita migraverit, non eum niſi Catholicum deputamus; quia ſine Sancti Baptiſmi Sacramento noluit ex hac vita migrare. Caus. XXIV. Quæst. I. Cap. 40. *Si quem. init.*

IX. Ille cui traditur Baptiſmus poteſt illum ſalubriter accipere, ſi ipſe non ſeparatus acceperit urgente mortis neceſſitate. *De Conſecratione.* Dist. IV. Cap. 41. *Quomodo.* §. 4. *omnes. fin.*

Deſideratos hic Canones circa Baptiſmum extra Eccleſiam collatum collectos habes in poſtrema Lib. VIII. Epiſtolarum Launoii *in* II. *Part.* Tom. V. *Operum ſuorum*, necnon in Diſſertatione *De Concilio Plenario* apud S. Augustinum, ubi quæcumque illum ſpectant, doctè & methodicè, pro more ſuo, referuntur, ac diſcutiuntur, fusèque oſtenditur Cyprianum S. Stephano in multis prævaluiſſe, tàm ante illorum obitum, quàm poſteà.

SECTIO VIII.

Quinam ſint baptiſandi, an parvuli, & quæ in illis diſpoſitiones requirantur?

I. Cùm Circumciſio tàm adultis, quàm parvulis ex præcepto Domini conferretur; ne Baptiſmus qui ſucceſſit loco ipſius, & generalior tamen exiſtit, cùm tàm viri quàm fœminæ baptiſentur, minoris videatur effectûs, tàm adultis, quàm parvulis eſt conferendus. *De Baptiſmo & ejus effectu.* Cap. *Majores.* Lib. III. Decr. *Tit.* 42. Cap. 3. *§.* 2. *ad id. Poſt init.*

II. Sacramentum Baptiſmi tàm parvulis quàm adultis, in forma Eccleſiæ, à quocumque ritè collatum, proficit ad ſalutem. *De Summa Trinit.* Cap. *Firmiter.* §. *Sacramentum.* Lib. I. Decr. *Tit.* 1. Cap. 1.

III. Abſit ut univerſi parvuli pereant, quorum quotidiè tanta multitudo moritur, quin & ipſis miſericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad ſalutem. *Ibid. fin.*

IV. Firmiſſimè tene & nullatenùs dubites, parvulis qui nec propria voluntate credere, nec pœnitentiam pro peccato, quod originaliter trahunt, agere poſſunt, Sacramentum fidei, quod eſt Sanctum Baptiſma, quamdiù rationis ætas eorum capax eſſe non poteſt, ſufficere ad ſalutem. Caus. XV. Quæst. I. Cap. 3. *Firmiſſimè. fin.*

V. Baptiſma credimus eſſe tàm Adultis quàm parvulis communiter perfectum remedium ad ſalutem. Clement. *De Summa Trinit.* Cap. *un.* §. *ad hoc.* Lib. I. *Tit.* 1. Cap. 1.

VI. A pœnitentia, cùm baptiſantur, ſoli parvuli ſunt immunes; nondum enim uti poſſunt libero arbitrio; quibus tamen ad Conſecrationem, remiſſionemque originalis peccati. prodeſt eorum fides à quibus offeruntur. Caus. XXXIII. Quæst III. *De Pœnitentia.* Dist. I. *Cap.* 81. *Tres ſunt. §.* 1. *omnis. fin.*

VII. Cùm non poſſint credere parvuli, non de illis intelligenda eſt illa autoritas (*qui crediderit & baptiſatus fuerit*) niſi dicatur quod parvuli credunt, non per uſum, ſed per habitum fidei quem ſuſcipiunt in Baptiſmo. *De Baptiſmo.* Cap. *Majores.* Lib. III. Decr. *Tit.* 42. Cap. 3. *§.* 3. *Cæterum. fin.*

VIII. Peccatum originale quod ſine conſenſu contrahitur, in parvulis ſine conſenſu per vim remittitur Sacramenti. *Ibid. Part.* 2. §. 5. *Verum. fin.*

IX. Parvuli alio profitente baptiſantur, quia adhuc loqui vel credere neſciunt. *De Conſ.* Dist. IV. Cap. 74. *Parvuli. init.*

X. Infantibus qui loqui non poterunt per ætatem, vel his quibus in qualibet neceſſitate opus fuerit Sacri unda Baptiſmatis, omni volumus celeritate ſuccurri, ne ad noſtrarum perniciem tendat animarum, ſi negato deſiderantibus fonte ſalutari, exiens unuſquiſque de Sæculo, & Regnum perdat, & vitam. *Epiſt.* 1. Siricii. Cap. 1. *med.* Tom XII. Conc *p.* 1018. Theodulphus *Aurelian. in Capitulari. ann.* 797. Cap. 17. Tom. VII. Conc. *p.* 1140.

XI. Etſi quidam non ea fide ad Baptiſmum parvulos ferant, ut gratia ſpirituali ad vitam regenerentur æternam, ſed quod eos putant hoc remedio temporalem retinere, vel recipere ſanitatem, non propterea illi non regenerantur, quia non ab illis hac intentione offeruntur. *De Conſ.* Dist. IV. Cap. 33. *Non te.*

XII. Parvulum, etſi nondum fides illa quæ in credentium voluntate conſiſtit, jam tamen ipſius fidei Sacramentum fidelem facit. *De Conſ.* Dist. IV. Cap. 76. *Nihil.* §. *parvulum. init.*

XIII. Cùm pro parvulis alii reſpondent, ut impleatur ergà eos Celebratio Sacramenti, valet utique ad eorum Conſecrationem, quia ipſi reſpondere non poſſunt. *Ibid.* Cap. 77. *Cùm pro.*

XIV. Si quis dixerit parvulos, eo quod actum credendi non habeant ſuſcepto Baptiſmo, inter fideles computandos non eſſe, ac propterea cùm ad annos diſcretionis pervenerint, eſſe rebaptizandos, Anathema ſit. *Conc.* Trid. Sess. VII. *Can.* 1.

SECTIO IX.

Quandonam baptiſandi ſint parvuli, & quo in loco?

I. Qui in maternis uteris ſunt, ideò cum matre baptiſari non poſſunt, quia qui natus adhuc ſecundùm Adam non eſt, renaſci ſecundùm Christum non poteſt; neque enim dici regeneratio in eo poterit, quem generatio non præceſſit. *De Conſ.* Dist. IV. Cap. 115. *Qui in. init. Concil.* Quinisextum. *ann.* 692. *Can.* 59. Tom. VI. *Conc. p.* 1169. Cap. 2. *Poſt Conc.* Constantin. III. Tom VI. *Conc. p.* 1203.

II. Non baptiſatus eſt infans, cujus mater baptiſata eſt, aliquo mortis urgente periculo, cùm eum geſtaret in utero. *Ibid.* Cap. 114. *Si ad matris. Conc.* Tolet. XII. *ann.* 681. Cap. 2. Tom. VI. Conc. *p.* 1226.

III. Baptiſari hoc quod mulier genuerit, ſi periculo mortis urgetur, vel ipſa hora eadem qua natum eſt, nullomodo prohibetur. Dist. V. Cap. 3. *Baptiſari. init.*

IV. Prohibitum est ne quis in aulis vel cameris, aut aliis privatis domibus, sed duntaxat in Ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos audeat baptisare. CLEMENTINAR. *De Baptismo.* Cap. *unico.* LIB. III. *Tit.* 15. Cap. unico.

V. Si necessitas contigerit, omni tempore subveniendum est, quia necessitas vix legem habet. *Capit.* HETTONIS. *ann.* 822. Cap. 7. TOM. VII. *Conc. p.* 1523. *Concil.* MELD. *ann.* 845. Cap. 48. TOM. VII. *Concil. p.* 1835.

VI. Parvulis, quocumque tempore, quocumque die petierint, regenerationis lavacrum non negetur. *Conc.* ROTHOMAG. *ann.* 1072. *Can.* 24. TOM. IX. CONC. *p.* 1219.

Excipitur 1°. nisi Regum vel Principum, quibus valeat in hoc casu deferri, liberi extiterint. *Ibid. med.*

Excipitur 2°. nisi talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi. *Ibidem.*

VII. Qui secus præsumpserit, aut suam in hoc præsentiam exhibuerit, taliter per Episcopum suum castigetur, quod alii attentare similia non præsumant. *Ibid. fin.* CLEMENT. LIB. III. *Tit.* 15. Cap. unico.

VIII. Nulli liceat pueros privatim & domi baptisare, nisi necessitate urgente, idque adhibito, si patiatur necessitas, Sacerdote, aut alio ad Sacros Ordines promoto; neque id unquàm liceat mulieribus, nisi absentibus viris. *Constitutionum* CONVENTUS MELODUNENSIS. *ann.* 1579. *Tit.* 8. *init.* *Memoires du Clergé.* TOM. I. *Titr.* 2. *p.* 444.

IX. Quod si qui domi baptisatus est, posteà vixerit, intra certum ab ortu diem in Ecclesia sistatur; ubi si rectam Baptismi formam servatam fuisse constiterit, ritus etiam & Cæremoniæ Baptismi adhibeantur. *Ibid.*

X. Ut omnes Sacerdotes, quibuscumque horis, omnibus indigentibus, Baptismum infirmitatis causa diligentissimè tribuant. *Excerptiones* EGBERTI. Cap. 11. TOM. VI. CONC. *p.* 1587.

XI. Periculo quocumque modo præoccupatis & desperatis, omni tempore subveniendum, & Baptismi Sacramentum est tribuendum, quia necessitas vix habet legem: si enim valida infirmitate occupati & desperati ad Ecclesiam provehi non possint, loco mundo perspecto Baptisma celebretur, & procuratione Presbyteri cautè observetur & collocetur. *Conc.* TRIBUR. *ann.* 895. *Can.* 12. TOM. IX. CONC. *p.* 446.

SECTIO X.

An Adulti teneantur ex præcepto baptisari, & quandò? quæque dispositiones in iis requirantur?

I. Tota Autoritas illa, *Qui crediderit & baptisatus fuerit*, intelligenda est de Adultis. *De Baptismo.* Cap. *Majores.* §. 3. *Cæterùm. med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 42. Cap. 3.

II. Si qui necessitate mortis, ægritudinis, obsidionis, persecutionis & naufragii, urgentur, omni tempore debent baptisari. *De Cons.* DIST. IV. Cap. 16. *Si qui.*

III. Infirmis, urgente mortis periculo, oportet, ne in æternum pereant, remediis subveniri. *Ibid.* Cap. 17. *Venerabilis. fin.*

IV. Omnis qui jam arbiter voluntatis suæ constitutus est, cùm accedit ad Sacramenta fidelium, nisi eum pœniteat vitæ veteris, novam non potest inchoare. CAUS. XXXIII. QUÆST. III. *De Pœnitentia.* DIST. I. Cap. 81. §. 1. *omnis. init.* & *De Cons.* DIST. IV. Cap. 96. *Omnis.*

V. Baptisari enixam mulierem, si periculo mortis urgetur, vel ipsa hora eadem qua gignit, nullo modo prohibetur. DIST. V. Cap. 3. *Baptisari.* Agunt homines ante Baptismum pœnitentiam de suis prioribus peccatis; ita tamen ut etiam baptisentur; sicut scriptum est: *Agite pœnitentiam, & baptisetur unusquisque vestrùm.* *De Consecr.* DIST. IV. Cap. 97. *Agnat.*

VI. Majoribus necessarium est, & pœnitentiam de malis suis agere, & fidem Catholicam secundùm regulam veritatis tenere, & Sacramentum Baptismatis accipere. CAUS. XV. QUÆST. I. Cap. 3. *Firmissimè. Post init.*

VII. Cùm pro parvulis alii respondent, ut impleatur erga eos Celebratio Sacramenti, valet utique ad eorum Consecrationem, quia ipsi respondere non possunt; at si pro eo qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet. *Ibid.* Cap. 77. *Cùm pro.*

VIII. Ægrotantes, si pro se respondere non possunt, cùm voluntatis eorum testimonium, sui, id est propinqui, familiares, dixerint, baptisentur. *Ibid.* Cap. 75. *Ægrotantes.*

IX. Etiam ægri, muti, & surdi, qui loqui vel credere nesciunt, alio profitente baptisantur. *Ibid.* Cap. 74

X. Baptisandos oportet Symbolum fidei discere. *Ibid.* Cap. 58. *Baptisandos.*

XI. Priùs debet baptisandus fide incarnationis CHRISTI instrui, & sic ad Baptismum jam credulus admitti, ut sciat cujus gratiæ in eo est particeps, & cui jam debitor fiat deinceps. *Ibid.* *De Cons.* DIST. IV. Cap. 54. *Antè.* §. *priùs. fin.*

XII. Sancti Mysterii gratia viventibus, atque discernentibus, cum magna discretione providenda est. DIST. V. Cap. 3. *Baptisari. med.*

XIII. Subitò obmutescens, prout status ejus est, baptisari aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis aut præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu. *Conc.* ARAUSICAN. I. *Can.* 12. TOM. III. *Conc. p.* 1449.

XIV. Subitò obmutescens baptisari potest. *Conc.* ARELAT. II. *ann.* 452. *Can.* 38. TOM. IV. *Conc. p.* 1015.

XV. Symbolum & Orationem Dominicam omnis CHRISTIANUS memoriter sciat, omnis ætas, omnis sexus, omnisque conditio, masculi, fœminæ, juvenes, senes, servi, liberi, pueri, conjugati, innuptæque puellæ, quia sine hac Benedictione nullus poterit in Regno Cælorum percipere portionem. *Conc.* FOROJUL. *ann.* 791. *In Symbolo fidei. fin.* TOM. VII. *Conc. p.* 1002.

XVI. Quibus mors imminet, Sancti Mysterii gratia sine ulla dilatione offerenda est; ne dum adhuc tempus ad præbendum redemptionis Mysterium quæritur, interveniente paululum mora inveniri non valeat, qui redimatur. *Ibid.* DIST. V. Cap. 3. *fin.* THEODULPHUS AURELIAN. in *Capit. an.* 797. Cap. 22. TOM. VII. *Conc. p.* 1141.

XVII. Quicumque Presbyter, ubicumque inventus fuerit, commendatum sibi infirmum baptisare noluerit, vel pro intentione itineris, vel pro alia aliqua excusatione, & sic sine Baptismo moritur, deponatur. *De Cons.* DIST. IV. Cap. 22. *Quicumque.*

SECTIO XI.

An ii qui Baptismum accipiunt in hæresi vel in peccato, aut cum aliqua simulatione, consequantur remissionem peccatorum, & quomodò hanc deinceps recuperare possint?

I. In hæresi baptisatus in nomine Sanctæ Trinitatis, tamen non fit Templum Dei, si ab hæresi non recesserit; quomodo neque in avaritia in eodem nomine baptisatus, fit Templum Dei, si ab avaritia non recedat, quæ est idolorum servitus. CAUS. I. QUÆST. I. Cap. 47. *fin.* §. *sic ergo.*

II. Remissio peccatorum per Orationes Sanctorum, id est, per columbæ gemitus datur, quicumque baptiset

tiset, si ad ejus pacem illi pertinent, quibus datur. *Ibid.* Cap. 39. *Remissionem. init.*

III. Baptismo Christi baptisari potest homo, & tamen cor ejus in malitia, vel Sacrilegio perseverans, peccatorum abolitionem non finere fieri. *De Consecratione.* Dist. IV. Cap. 32. *Ostenditur.* §. *Si ad. med.*

IV. Non dubitandum etiam illos habere Baptismum, qui quanquam fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia ab eis in quorum societate id accipitur. *Ibid.* Cap. 31. *Solet.* §. *Verùmtamen. post med.*

V. Perfidus & Blasphemus, si in perfidia & Blasphemia permanserit, nec extra Ecclesiam, nec intra Ecclesiam, remissionem accipit peccatorum. *De Consecratione.* Dist. IV. Cap. 40. *Nullus.* §. *perfidus.*

VI. Si consenserimus quod omnia Sacramenta Ecclesiastica quisque, prout vult, fingat, & non verè faciat; omnis Ordo Ecclesiasticus turbabitur, nec Catholicæ fidei jura consistunt, nec Canones Sacri rite observantur. Quid enim profuit Simoni Mago Baptismum Sacrum fictè suscipere, & in Christianitate permansurum se finxisse, cùm per Apostolum fraude ejus detecta, quod sibi futurum esset, pronuntiatum fuit? Ideò tales, nisi resipiscant, Spirituali gladio percutere censemus: Non enim fas est Spiritui Sancto mentiri, sicut Ananias & Sapphira mentiti sunt, & statim perierunt. Dist. XXVII. *Cap.* 7. *Nam si.* Tribuitur Nicolao I. *In Epistola ad* Albinum Vienn. *circ. ann.* 865.

VII. Ficti veraciter, non fictè recipiunt; nec eorum Baptisma reprobatur, Caus. I. Quæst. I. *Cap.* 35. *Sicut.* His qui ficto corde baptisantur, peccata nullatenus dimittuntur. *De Consecrat.* Dist. IV. Cap. 41. *Quomodo.* §. *ult. init.*

VIII. Tunc valere incipit ad salutem Baptismus, cùm illa fictio veraci Confessione recesserit, quæ, corde in malitia vel Sacrilegio perseverante, peccatorum abolitionem non finebat fieri. *Ibid.* Cap. 42. *Tunc.*

IX. Is qui fictè ad Baptismum accedit, caracterem suscipit Christianitatis impressum. *De Baptismo.* Cap. *Majores. Pars.* 3. *med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 42. Cap. 3.

SECTIO XII.

An & quomodo baptisari possint Amentes & Dormientes?

I. Dormientes & Amentes, si priùsquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione persisterent, non sunt baptisandi. *De Baptism.* Cap. *Majores.* §. *ult.* Lib. III. Decr. *Tit.* 42. Cap. 3.

II. In iis originale peccatum sine peccatis actualibus dimitti non potest, quia Dominus peccata, non ex parte, sed ex toto, dimittit. *Ibid.* § *Sed adhuc.*

III. Si Dormientes & Amentes, in quibus intelligitur contradictionis propositum perdurare, fuerint sic baptisati, caracterem non suscipiunt Sacramenti. *Ibid.* §. *ult. Dormientes.*

IV. Amentibus quæcumque pietatis sunt, conferenda sunt. Caus. XXVI. Quæst. VI. *Cap.* 7. *fin.* ex *Conc.* Arausico Cap. 4 *ann.* 441. & ex *Concil.* Arelat. II. *ann.* 452. *Can.* 38. Tom. IV. Conc. *pag.* 1015.

V. Si priùs Catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptisandi, tales in necessitatis articulo consuevit Ecclesia baptisare. *Ibid.*

SECTIO XIII.

An aliqui compellendi sint ad fidem? & quid recipiant, vel ad quid teneantur, qui Baptismum volentes, vel inviti receperunt?

I. Est Religioni Christianæ contrarium, ut semper invitus & penitùs contradicens ad recipiendam & servandam Christianitatem aliquis compellatur. *De Baptismo.* Cap. *Majores.* §. *item quæritur. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 42. Cap. 3. Vid. Dist. XLV.

II. Nullus invitos, vel nolentes Judæos, ad Baptismum venire compellat. *De Judæis.* Cap. *Sicut.* Lib. V. Decr. *Tit.* 6. Cap. 9. *init.* Qui jam pridem ad Christianitatem coacti sunt venire &c. *Ibid. med*

III. Judæi non vi, sed liberi arbitrii facultate, ut converterentur, suadendi sunt, non potiùs impellendi. Dist. XLV. *Cap.* 5. *De Judæis. med.*

IV. Qui sincera intentione extraneos à Christiana Religione ad fidem cupiunt rectam perducere, blandimentis, non asperitatibus debent studere. *Ibid.* Dist. XLV. *Cap.* 3. *Qui sincera. init.* Si quis dixerit baptisatos liberos esse ab omnibus Sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis summittere voluerint, Anathema sit. *Concil.* Trid. Sess. VII. *De Bapt. Can.* 8. *Epistola* Gregor. II. *ad* Bonifac. *ann. circ.* 726. Cap. 8. Tom. VI. Conc. *pag.* 1449.

V. Ille qui nunquam consentit, sed penitùs contradicit, nec rem, nec caracterem suscipit Sacramenti; quia plus est expressè contradicere, quàm minimè consentire. *Ibid. fin.* De Judæis præceptum est nemini ad credendum vim inferri &c. Dist. XLV. *Cap.* 5. *De Judæis. init.*

VI. Christi fidem habere non creditur, qui ad Christianorum Baptismum, non sponteneus, sed invitus cogitur pervenire. *Ibid.*

VII. Qui absolutè aut præcisè coacti, baptisati fuerunt, non sunt cogendi ad fidem servandam. *In* 6. *De Hæreticis.* Cap. *Contra.* Lib. V. *Tit.* 2. Cap. 9. *Cum Glossa*

VIII. Is qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, Baptismi suscipit Sacramentum, talis characterem suscipit Christianitatis impressum. *Ibid.*

IX. Et ipse tanquam conditionaliter volens, licet absolutè non velit, cogendus est ad observantiam fidei Christianæ. *Ibid.*

X. Infantes, aut qui metu mortis baptisati fuerunt, cogi possunt ad servandam fidem. *In* 6. *De Hæreticis.* Cap. *Contra. init. Cum Glossa.* Lib. V. *Tit.* 2. Cap. 9.

XI. Si ad ritum transierint vel redierint Judæorum, erit contra ipsos tanquam Hæreticos procedendum. *Ibid.*

XII. Qui ad Sacri undam Baptismatis voluntarii accesserunt, prioris ritûs reliquias retinere nullatenùs debent, nec Christianæ Religionis decorem tali commixtione confundere. *De Apostatis.* Cap. *Quidam.* Lib. V. *Tit.* 9. *Cap.* 4. *init.* Recens ad fidem conversi paulatim instruendi sunt in fide; confessionis formam, Orationem Dominicam, & Symbolum sollicitè edocendi. *De Pœnitent.* Cap. *Deus.* Lib. V. Decr. *Tit.* 38. Cap. 8. §. *Apostoli.*

XIII. Quos Christianæ Religioni liberæ voluntatis arbitrium obtulit, salutiferæ coactionis necessitas in ejus observatione conservet; cùm minus malum existat, viam Domini non agnoscere, quàm post agnitam retroire. *Ibid. De Apostatis.* Cap. *Quidam. fin.*

XIV. Si quis dixerit, baptisatos per Baptismum ipsum solius tantùm fidei debitores fieri, non autem universæ Legis Christi servandæ, Anathema sit. *Concil.* Trident. Sess. VII. *De Baptismo. Canone* 7.

Canones circa Baptismum à Judæis, aliisve infidelibus vi susceptum, aliaque de eadem re Veterum Testimonia collecta habes apud Launoium cum Notis eruditis & solidis.

SECTIO XIV.

Baptismi Sacramentum nunquàm esse iterandum.

I. Ubi compertum quod aliquis non fuerit secundùm formam Evangelii Baptisatus, ritè baptisari debet.

debet. *De Presbytero non baptisato.* Cap. *Veniens.* Lib. III. Decr. *Tit.* 43. Cap. 3. *inic.*

II. Semel baptisatus iterùm baptisari non debet. Dist. LXVIII. *Cap.* 1. *Sicut. init.*

III. Infans à qualicumque Sacerdote in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti semel baptisatus, non debet iterùm baptisari. *Ibid.* Dist. LXVIII. Cap. 3. *Ecclesiis. med.*

IV. Hanc Regulam servandam omnibus Ecclesiis prædicamus, ut Lavacrum semel initum nulla iteratione violetur, dicente Apostolo: *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.* Caus. I. Quæst. I. Cap. 51. *Hi qui, n.* 2. & Cap. 57.

V. Baptisma unicum baptisatos omnes in Christo regenerans est, sicut unus Deus, ac fides unica, ab omnibus fideliter confitendum. Clem. *De Sancta Trinit.* Cap. unic. §. *Ad hoc. init.* Lib. I. *Tit.* 1. Cap. 1.

VI. Domestici fidei quos Christus Dominus, lavacro Baptismi, sui Corporis membra semel effecit; si se posteà crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito Baptismo ablui debent, cùm id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat. *Concil.* Trid. Sess. XIV. Cap. 2. *med.*

VII. Manûs impositio, sicut Baptismus, repeti non potest. Caus. I. Quæst. I. *Cap.* 74. *Manus.*

VIII. Rebaptisare Hæreticum hominem, qui hæc Sanctitatis signa perceperit, quæ Christiana tradidit Disciplina, omninò peccatum est; rebaptisare autem Catholicum, immanissimum scelus est. *De Consf.* Dist. IV. Cap. 108. *Rebaptisare.*

IX. Illicitas esse sancimus rebaptisationes, & satis esse alienum à sincera fide, & Catholica Disciplina. *Concil.* Carthag. I. *an.* 348. *Can.* 1. *med.* Tom. II. Conc. *p.* 714.

X. Per iterationem Baptismi, fit injutia Baptismatis Sacramento. *De Apostatis.* Cap. *Ex Literarum, init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 9. Cap. 2.

XI. Inexpiabile est facinus, quoties juxta Hæreticorum damnata à Sanctis Patribus instituta, cogitur aliquis, Lavacrum quod regenerandis semel tributum est, bis subire. *De Consecr.* Dist. IV. *Cap.* 112. *Cùm itaque.*

XII. Hæreticos eos Ecclesia non rebaptisat, qui in nomine Trinitatis baptisati sunt; ipsa est profectò forma Sacramenti. *De Consecrat.* Dist. IV. *Cap.* 29. *Quamvis. fin.*

XIII. Qui bis ignoranter baptisati sunt, secundùm Canones ordinari non possunt, nisi magna aliqua necessitas cogat. *De Consecrat.* Dist. IV. Cap. 117. *Qui bis. init.*

XIV. Qui se baptisatos sciunt, sed cujus fidei fuerint, qui eos baptisavere, se nescire profitentur, quolibet (id est cùm solæcismis & barbarismis, *Glossa. Ibid.*) modo formam Baptismi acceperint, rebaptisandi non sunt. *Ibid.* Cap. 38. *Hi de quibus. init.*

XV. Si quis dixerit verum & ritè collatum Baptismum iterandum esse illi qui apud infideles fidem Christi negaverit, cùm ad pœnitentiam convertitur, Anathema sit. *Concil.* Trid. Sess. VII. *Can.* 11. *De Baptismo.*

XVI. Baptisatos à Latinis ipsi Græci rebaptisare, ausu temerario præsumere non debent. *De Baptismo.* Cap. *Licet.* Lib. III. Decr. *Tit.* 42. Cap. 6. *quod est ultim.* Huc pertinent Canones loquentes de Caracrere, ejusque effectu proprio.

SECTIO XV.

Quid agendum sit quando ignoratur, vel dubium est, an aliquis fuerit baptisatus?

I. Parvulos qui à parentibus subtracti sunt, & an baptisati sint ignoratur, hos baptisari debere secundùm Patrum traditionem, si non fuerit qui testificetur, ratio poscit. *De Consecrat.* Dist. IV. Cap. 110. *Parvulos.* Gregor. II. in *Epistola ad* Bonifac. *circ. ann.* 726. Cap. 9. Tom. VI. Conc. *p.* 1449.

II. Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes qui eos baptisatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi Sacramentis respondere, absque ullo scrupulo illos esse baptisandos. *Ibid.* Cap. 111. *Placuit.*

III. Quoties persona talis inciderit, quæ Baptismi sui nihil recordetur, nec alter attestari de eo possit, qui sciat consecratum; sollicita primum examinatione discuti debet, & longo tempore, nisi fortè supremus finis immineat, indagari, utrùm nemo penitùs sit qui testimonio suo juvare possit ignorantiam nescientis. *Ibidem.* Cap. 12. *Cùm itaque.*

IV. Acolytus qui huic Sacrilegio adstitit, cùm Baptismus asseritur iteratus, & ministerium in respondendo exhibuit Presbytero baptisanti, & cooperator extitit rei nefandæ, licet minor ætas & intentio fraternæ salutis excusare videatur, ad Superiores Ordines promoveri non valebit, si publicum est quod proponitur, nisi ad Religionem transire voluerit, ut favore Religionis ipsius circa eum valeat dispensari. *De Apostatis &c.* Cap. *Ex Literis. in integra. apud* Gonzal, Lib. V. Decr. *Tit.* 9. Cap. 2.

V. Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes qui eos baptisatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem de traditis sibi Sacramentis idonei respondere, absque ullo scrupulo esse baptisandos, ne ista trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione privari. *Cod. Eccles. Afric. Can.* 72. Tom. II. Conc. *p.* 1093. Vide *Epistolam* Troiani *Episcopi* Santonens. ad Eumerium *Episcopum* Nannetens. *circ. ann.* 540. Tom. V. Conc. *pag.* 378.

VI. Certè de illo qui natus de Christianis parentibus, & inter Christianos est fideliter conversatus, tàm violenter præsumitur quod fuerit baptisatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probaretur. *De Presbytero baptisato.* Cap. *Veniens. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 43. Cap. 3.

VII. Cùm constiterit hunc qui Baptismatis indiget Sacramento, sola inaniter suspicione prohiberi, accedat intrepidus ad consequendam gratiam, cujus in se nullum scit esse vestigium. *De Consecrat.* Dist. IV. Cap. 112. *Cùm itaque. fin.*

VIII. Non potest in iterationis crimen venire, quod omninò factum esse nescitur. *Ibid. med.*

IX. Si verò occultum est, promoveri poterit, & excessum suum dignis pœnitentiæ fructibus expiare. *Ibid. fin. Concil.* Quinisex. *ann.* 691. *Can.* 84. Tom. VI. Conc. *p.* 1177.

X. Eos qui se dubitant fuisse baptisatos, ut rebaptisentur præcipimus. *Epistola* I. Gregor. III. *ann. circ.* 731. Cap. 5. Tom. VI. Conc. *p.* 1469. *Excerptiones* Egberti. Cap. 41.

XI. Si nulla extant indicia inter propinquos, aut familiares, nulla inter Clericos, aut vicinos, quibus hi de quibus quæritur baptisati fuisse doceantur, agendum est, ut renascantur, ne manifestè pereant; in quibus quod non ostenditur gestum, ratio non finit, ut videatur iteratum. *De Consecrat.* Dist. IV. Cap. 113. *Si nulla. init.*

XII. Conferendum videtur quod collatum esse nescitur; quia non temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis. *De Consecr.* Dist. IV. Cap. 113. *Si nulla. fin.*

XIII. De quibus dubium est, an baptisati fuerint, baptisantur his verbis præmissis: *Si baptisatus es, non te baptiso; sed si nondum baptisatus es, ego te baptiso &c. De Baptismo.* Cap. *De quibus.* Lib. III. Decr. *Tit.* 42. Cap. 2.

XIV. Non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum. *De Presbytero non baptisato.* Cap. *Veniens.* §. *Quia*

§. *Quia verò. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 43. Cap. 3. De iteratione Baptismi ample agitur, dùm de Baptismo extra Ecclesiam collato. Vide Launoium *in loco supra citato.*

SECTIO XVI.

An, & quando imprimatur character in Baptismo, & utrùm Sacramentum amitti possit?

I. Si quis dixerit in tribus Sacramentis, scilicet Baptismo &c. non imprimi Characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale & indelebile, undè ea iterari non possunt, Anathema sit. *Concil.* Trid. Sess. VII. *De Sacramentis in genere, Canone 9.*

II. Non te baptiso redeuntem ad Ecclesiam, quia non facio injuriam characteri Imperatoris, cùm errorem corrigo desertoris. Caus. XXIII. Quæst. VII. *Cap. 4. Quemadmodum. §. 1. Sed hoc. med.* S. August.

III. In Baptismo character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest. *Concil.* Trid. Sess. XXIII. *De Sacramento Ordinis.* Cap. 4. *init.*

IV. Tunc characterem Sacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistente n. *De Baptismo.* Cap. *Majores. §. ult. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 42. Cap. 3.

V. Sacramentum fidei semel admissum nunquàm amittitur. *De Divortiis.* Cap. *Quantò.* §. *Si verò.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 19. Cap. 7.

VI. Parvuli usu rationis carentes, per Baptismi Lavacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam primam Filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt. *Concil.* Trid. Sess. XXI. *Doctrina de Communione* Cap. 4.

VII. Baptisatus, si ab unitate recesserit, Sacramentum Baptismi non amittit. *De Consecratione.* Dist. IV. Cap. 32. *Ostenditur.* §. *Sacramentum. post init.*

VIII. Apostatæ anima, velut de conjugio Christi recedens, etiam fide perdita Sacramentum fidei non amittit, quod Lavacro regenerationis accepit; redderetur enim procul dubio redeunti, si amisisset abscedens; habet autem hoc qui recessit ad cumulum supplicii, non ad meritum præmii. Caus. XXXII. Quæst. VII. *Cap.* 28. quod est ultimum. *Usque adeò. fin.*

IX. Si quis, cùm posset in ipsa Catholica accipere, aliqua mentis perversitate elegerit in Schismate baptisari; etiamsi posteà venerit ad Catholicam Ecclesiam, certum est ibi prodesse Sacramentum. Caus. XXIV. Quæst. I. *Cap.* 40. *Si quem. fin.*

SECTIO XVII.

Quæ Ceremoniæ adhibeantur in Baptismo?

Etsi illæ Ceremoniæ potissimùm repetendæ sint ex Libris Ritualibus cujusque Ecclesiæ; non injucundum tamen, nec inutile fuerit ostendere hos ipsos ritus, quos etiamnum usurpamus, fuisse antiquitùs observatos.

I. Non refert utrùm in frigida aqua vel calida baptisent. *Bulla* Innocent. IV. *Sub Catholica. ann.* 1254. §. 3. *Bullarii* Tom. I. *p.* 126. Vide *Concil.* Mogunt. I. *ann.* 857. Cap. 3. Tom. VIII. Conc. *p.* 43. quod præcipit, ut Baptismus uniformiter detur secundùm ritum Romanum, solemnis Paschate & Pentecoste, periclitantibus quovis tempore, renuncietur Diabolo & Operibus ejus, quæ sunt Opera carnis, necnon & pompis, quæ sunt Superbia, & Filiæ ejus.

II. Benedicimus aquam Baptismatis, & oleum unctionis, & præterea ipsum qui baptisatur. Dist. XI. *Cap.* 5. *Ecclesiasticarum.* Ex S. Basilio, Lib. *De Spiritu Sancto.* Cap. 27.

III. *Concil.* Turon. III. *ann.* 813. *Can.* 18. Tom. VII. Conc. *p.* 1263. Quæ sunt Opera, quæ pompæ quibus in Baptismo renuntiatur? Abrenuntiatur Satanæ, & Angelis ejus. *Ibid.*

IV. Sive parvuli, sive juvenes, ad regenerationis veniunt Sacramentum, non priùs fontem vitæ adeant, quàm exorcismis & exsufflationibus Clericorum, Spiritus ab eis immundus abjiciatur. *De Consf.* Dist. IV. Cap. 53. *Sive.* Ex *prima Epistola S.* Coelestini *Papæ* I. *Episcopis Galliæ* Cap. 12.

V. Parvuli exsufflantur & exorcisantur, ut pellatur ab eis Diaboli potestas inimica, quæ decepit hominem, ut possideret hominem. *Ibid.* Cap. 62. *Sicut.* ex S. August. *De Symbolo.* Lib. I. Cap. 1.

VI. Si Jura humanæ pactionis firmiter conservantur, fortiùs tamen atque ferventiùs Jura tanti pacti, quæ cùm Deo facta sunt, inviolabiliter sunt observanda. *Concil.* VI. Paris. *an.* 829. Cap. 10. *fin.* Tom. VII. Conc. *p.* 1605.

VII. Inter Scapulas, ut per Spiritus Sancti gratiam excutiat negligentiam & torporem, & bonam operationem exerceat. *Ibid.*

VIII. Unctio diversis corporis nostri adhibita partibus, designat nos per oleum Sanctificationis ad auditum plenæ fidei præparari, & ad bonum Christi odorem vocari. *De Consecrat.* Dist. IV Cap. 73. *Prima. post initium.* Ex S. August. *ad Neophytos.* Homilia III.

IX. Unguntur omnes Christiani bis antè Baptismum, scilicet oleo benedicto, primùm in pectore, deindè inter scapulas. *De Sacra Unctione* Cap. unic. *Part* 3. §. *Quia verò. post init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 15. Cap. unic.

X. Antè Baptismum ungitur oleo benedicto, & post Baptismum Chrismate Sancto; quia Chrisma soli competit Christiano. *De Sacra Unctione.* Cap. unic. *Part.* 2 *fin* Lib. I. Decr. *Tit.* 15. Cap. unic.

XI. Emittitur certissima cautio, quâ baptisandus se abrenuntiare omnibus pompis Diaboli, & omnibus Operibus ejus, & omni fornicationi Diabolicæ spondet. *Ibid.*

XII. Antequàm ringamus, interrogamus: *Credis in Deum Patrem Omnipotentem?* Respondetur, *Credo.* Rursus interrogamus: *Credis & in* Jesum Christum *Filium ejus?* Respondetur similiter, *Credo.* Iterùm interrogatur: *Credis & in Spiritum Sanctum?* Respondetur similiter, *Credo. Ibid.*

XIII. In pectore baptisandus inungitur, ut per Sancti Spiritus donum, abjiciat errorem & ignorantiam, & suscipiat fidem rectam; quia justus ex fide vivit. *Ibid.* Inter Scapulas, ut per Spiritus Sancti gratiam, excutiat negligentiam & torporem, & bonam operationem exerceat. *Ibid.*

XIV. In Scapulis, quatenùs fides per dilectionem secundùm Apostolum operatur. *Ibid.*

XV. Postquàm ascenderit baptisatus de fonte, statim signatur in cerebro, à Presbytero, cum Sacro Chrismate, sequente simul & Oratione, ut Regni Christi particeps fiat, & à Christo Christianus possit vocari. *De Consecr.* Dist. IV. Cap. 88. *Postquam.*

XVI. Non os tangit Episcopus, sed nares, ut bonum odorem accipias pietatis æternæ. *Ibid. De Consf.* Dist. IV. Cap. 69. *Propter.* Ex S. Ambros. seu *Authore Libri primi De Sacramentis.* Cap. 1.

XVII. Sal Cœlestis sapientiæ, quo initiantur Catechumeni, in cunctis operum nostrorum Sacrificiis jubemur offerre. *Ibid.* Cap. 65. *Sal. ex* Beda in Esdram Lib. II. Cap. 9.

XVIII. Unguntur omnes Christiani bis post Baptismum, scilicet Chrismate Sancto, primùm in vertice, demùm in fronte. *Ibid.* In vertice baptisatus inungitur, ut sit paratus omni petenti de fide reddere rationem. *Ibid.* Ex Innocentio III.

XIX. Accepisti Mysterium, hoc est, unguentum supra caput, quia sensus sapientis in capite ejus. *De Consecr.* Dist IV. Cap. 90. *Accepisti* 3. *init.* ex S. Ambros. seu *Authore* Lib. III. *De Sacram.* Cap. 1.

XX. Accepisti post Baptismum vestimenta candida, ut esset indicium quod exueris involucrum peccatorum, & indueris innocentiæ casta velamina. *Ibid.* Cap. 92. *Accepisti* 4. ex Ambrosio Lib. *De initiandis.* Cap. 7.

Plura habere potes ex Rabano Mauro sæculi X. Scriptore, quæ referuntur Capitibus 63. 64. 66. 67. 68. 70. 88. 91. &c.

SECTIO

SECTIO XVIII.

De Patrinis & Matrinis. Quot & Qui admitti debeant, & Quâ ratione cognationem spiritualem contrahant, in ordine ad dirimendum matrimonium?

I. Parochus, antequàm ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur quem vel quos elegerint, ut baptisatum de Sacro fonte suscipiant. *Concil.* TRID. SESS. XXIV. Cap. *De Refor. matrim.* C. 2. *med.* Eum vel eos tantùm ad suscipiendos admittat, & in libro eorum nomina describat. *Ibid.*

II. Quod uxor cum marito in Baptismate simul non debeat suscipere puerum, nulla authoritate reperitur prohibitum. CAUS. XXX. QUÆST. II. *Cap.* 6.

III. Quamvis vir & uxor alienum teneant puerum in Baptismo, nulla tamen inter eosdem virum & uxorem contrahitur compaternitas, cùm una caro sint per copulam conjugalem. *De Consanguinit.* Cap. *Quod super his. in int. med.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 14. Cap. 5.

IV. Unus tantùm sive vir, sive mulier, juxta Sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus & una baptisatum de Baptismo suscipiant. *cit. Cap.* 2. SESS. XXIV.

V. Inter eos ac baptisatum ipsum, & illius Patrem & Matrem; nec non inter baptisantem & baptisatum, baptisatique patrem & matrem tantùm, spiritualis cognatio contrahatur. *Ibidem.*

VI. Doceat Parochus suscipientes, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant. *Ibid.*

VII. Hujusmodi suscipientes, si excommunicati fuerint, ad id muneris non admittantur, minùs autem Hæretici. *Constitutionum Melodunensium*, anni 1579. *Tit.* 8. *De Baptismo. Commentar. Cleri Gallic.* p. 445. TOM. I.

VIII. Illi qui parvulos de Sacro fonte Baptismatis suscipiunt, & pro non loquentibus respondent, ob renuntiationem Sathanæ, & operum, & pomparum ejus, seu fidei credulitatem, sciant se fidejussores ipsorum esse ad Dominum pro ipsa sponsione, ut dum ad perfectionem ætatis pervenerint, doceant eos Orationem Dominicam & Symbolum &c. *Concil.* CALCHUTENSE *ann.* 787. *Cap.* 2. TOM. VI. CONC. *p.* 5863.

IX. Si quis filiastrum aut filiastram, ante Episcopum, ad confirmationem tenuerit, separetur ab uxore sua, & alteram non accipiat. *Concil.* COMPENDIENSE *ann.* 756. aut 757. *Can.* 12. TOM. VI. CONC. *p.* 1695. CAUS. XXX. QUÆST. I. Cap. *Si quis filiastrum. Conc.* ARELAT. VI. *ann.* 813. *Can.* 19. TOM. VII. CONC. *p.* 1238. *Conc.* MOGUNT. *ann.* 813. *Can.* 47. TOM. VII. CONC. *p.* 1251. *Capitul.* HEYTONIS *ann.* 822. Cap. 25. TOM. VII. CONC. *p.* 1526.

X. Quod si alii ultra designatos baptisatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo modo contrahant; Constitutionibus in contrarium facientibus non obstantibus, *cit. loc.* TRID.

XI. In Baptismate vel Chrismate, seu Confirmatione, non potest alium suscipere in filiolum, qui non est ipse baptisatus, vel confirmatus. *De Consecr.* DIST. IV. Cap. 102. *In Baptismate. Conc.* VI. PARIS. *ann.* 829. Cap. 7. TOM. VII. CONC. *p.* 1599.

XII. Sunt spirituales filii, quos vel nobis suscipientibus, vel trinæ mersionis vocabulo mergentibus, unda Sacri Baptismatis regeneravit. CAUS. XXX. QUÆST. I. Cap. 8. *Omnes. init. Concil.* METENSE *ann.* 888. *Can.* 6. TOM. IX. CONC. *p.* 414.

XIII. Non liceat Abbati vel Monacho de Baptismo suscipere filios, nec Commatres habere: *Ibid.* Cap. 103. *Non licet.* Vide *Concil.* AUGUSTODUN. Sancti LEODEGARII *circà ann.* 670. *Can.* 5. Ut Compatres nullus Monachorum audeat habere. TOM. VI. CONCIL. *p.* 535.

XIV. Ante omnia, tàm mulieres, quàm viri qui filios in Baptismo susceperunt, monendi sunt, ut se cognoscant fidejussores apud Deum extitisse, pro illis quos visi sunt de Sacro fonte suscipere. *Ibid.* Cap. 105. *Vos. init. Concil.* VORMAT. *ann.* 868. *Can.* 34. TOM. VIII. CONC. *p.* 952.

Ante omnia Symbolum & Orationem Dominicam, & ipsi tenere debent, & illis quos susceperunt ostendere. *Ibid.* §. *ante.*

SECTIO XIX.

Quale peccatum sit fornicari cum filiis & filiabus spiritualibus?

Si quis cum matre fornicatus fuerit spirituali, Anathematis percutitur ictibus. CAUS. XXXIII. QUÆST. II. Cap. 17. *Si quis. init.*

Similiter & ille percutiendus qui cum ea, quam de Sacro fonte Baptismatis susceperit, aut cum illa, quam ante Episcopum tenuerit, cum Sacro Chrismate fuerit uncta, fornicationis perpetraverit scelus. *Ibid.* Vide *Concil.* VORMAT. *ann.* 868. *Can.* 34. TOM. VIII. CONC. *p.* 952.

Ne Monachi Compatres, nec Monachæ Commatres fiant. *Concil.* LONDON. *ann.* 1102. *Can.* 19. TOM. X. CONC. *p.* 730.

SECTIO XX.

De variis Unctionibus quæ fiunt antè vel post Baptismum.

§. I.

Quænam illæ sint, & in quibus partibus adhibeantur?

I. Unguntur omnes Christiani bis ante Baptismum, scilicet Oleo Benedicto, primùm in pectore, deindè inter scapulas. *De Sacra Unctione*, Cap. unico. LIB. I. DECR. *Tit.* 15. *Cap. unico.* Tet oleo inungimus quos baptisamus DIST. XI. *Cap.* 5. *fin.*

II. In pectore baptisandus inungitur, ut per Sancti Spiritus donum, abjiciat errorem & ignorantiam, & suscipiat fidem rectam, quia justus ex fide vivit. *Ibidem.*

III. Inter scapulas, ut per Spiritûs Sancti gratiam, excutiat negligentiam & torporem, & bonam operationem exerceat. In scapulis, quatenùs fides per dilectionem secundum Apostolum operetur. *Ibid*

IV. Unguntur omnes Christiani bis post Baptismum, scilicet Chrismate Sancto; primùm in vertice, demùm in fronte. *Ibid.*

V. In vertice baptisandus inungitur, ut sit paratus omni petenti de fide reddere rationem. *Ibid.*

§. II.

Quæ sit materia illarum Unctionum? Quid sit Chrisma? Et à quo confici debeat?

I. Ante Baptismum ungitur oleo benedicto; & post Baptismum Chrismate Sancto, quia Chrisma soli competit Christiano. *De Sacra Unctione.* Cap. unic. *Part.* 2. *fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 15. Cap. unico.

II. In Baptismo & Confirmatione, Chrismatis utimur Unctione. *In* 6. *De Sent. excom.* Cap. *Quoniam.* LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 19.

III. Ad exhibendum exteriorem & visibilem Unctionem, benedicitur oleum quod dicitur Catechumenorum, vel infirmorum; & conficitur Chrisma, quod ex oleo fit & balsamo. *Ibid.* §. 2. *Ad exhibendum..init.* Vide *Epistolam* MONTANI EPISCOPI TOLET. *ad Parochos suæ Provinciæ. ann.* 531. TOM. IV. CONC. *p.* 1736. Vide *Concil.* HISPAL. II. *ann.* 619. *Can.* 7. TOM. V. CONCIL. *p.* 1666.

IV. Chrismatis confectio à Presbyteris non fiat. CAUS. XXVI. QUÆST. VI. Cap. 1. *Si jubet. fin.* Ex eodem *Can. Eccl. Afric. Can.* 6. TOM. II. CONC. *p.* 1052.

V. Pres-

V. Presbyter Chrisma nunquam conficiat. *Ibid.* Cap. 2. *Presbyter.* Episcopi est ipsum Chrisma conficere. Dist. XCV. Cap. 3. *Illud. med.*

VI. Statutum est Diaconum non chrismare, sed Presbyterum absente Episcopo; præsente verò, si ab ipso fuerit præceptum. *Conc.* Tolet. vulgò 1um. *ann.* 400. *Can.* 20. Tom. II. Conc. *p.* 1226.

VII. Chrisma conficere nullus præter Episcopum præsumat, nam illi soli hæc dignitas concessa est. *Conc.* Vormatiense *ann.* 868. *Can.* 2. Tom. VIII. Conc. *p.* 945.

VIII. Omni tempore Episcopo liceat Chrisma conficere, & per suas Diœceses destinare. *De Consecr.* Dist. IV. Cap. 124. *Omni. initio.*

IX. Chrisma die Cœnæ Domini conficitur. *in 6. De Sent. Excom.* Cap. *Quoniam.* Lib. V. *Tit.* 11. Cap. 19.

X. Die Cœnæ Domini, in qua Ecclesia tenetur Episcopus Chrisma conficere, debet Missarum Solemnia celebrare. *De Celebratione Missarum.* Cap. *Te referente.* Lib. III. Decr. *Tit.* 41. Cap. 12. *fin.*

XI. Missa est de substantia confectionis Chrismatis. *De Celebr. Miss.* Cap. *Te referente.* Glossa colligit Lib. III. Decr. *Tit.* 41. Cap. 12.

XII. Placuit nullum alium, nisi Episcopum, Chrisma facere. *Concil.* Tolet. vulgò 1um. *ann.* 400. *Can* 20. Tom. II. Conc. *p.* 1226.

XIII. Episcopo sanè certum est omni tempore licere Chrisma conficere. *Ibid. Conc.* Bracar. II. *ann.* 563. Cap. 19. Tom. V. Conc. *p.* 842.

§. III.

An Presbyteris liceat baptisatos Chrismate ungere? Quale illud esse debeat? Et à quo petendum sit?

I. Si quis de alio Chrismate, quàm de illo novo, quod proprii Episcopi largitione, vel concessione acceperit, baptisare, nisi præoccupante morte, tentaverit; pro temeritatis ausu ipse in se suæ damnationis protulisse sententiam manifestatur. *De Consecr.* Dist. IV. *Cap.* 122.

II. Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo, baptisantibus, Chrismate baptisatos ungere licet; sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare. *De Consecrat.* Dist. IV. Cap. 119. *Presbyter. init.*

III. Presbyteri, qui Diœcesanas regunt Ecclesias, non à quibuslibet Episcopis, sed à suo; nec per minorem Clericum, sed per se ipsos, aut per illum qui ejusdem Ordinis sit, ante Paschæ solemnitatem Chrisma petant. *Ibid.* Cap. 123. *Presbyter.*

IV. Ad accipiendum Chrisma, Diaconus aut Subdiaconus, ante diem Paschæ de singulis Ecclesiis ad Episcopum destinetur. *Ibid.* Cap. 124. *Omni.*

TITULUS III.

De Sacramento Confirmationis.

SECTIO I.

Quid sit Confirmatio? Quem effectum habeat? Quomodo detur? Et à quibus?

I. Si quis dixerit Confirmationem baptisatorum otiosam Cæremoniam esse, & non potiùs verum & proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse quàm catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, Anathema sit. *Conc.* Trid. Sess. VII. *De Confir. Can.* 1.

II. Si quis dixerit injurios esse Spiritui Sancto, qui Sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt, Anathema sit. *Ibid. Canone* 2. Chrisma totius Christianitatis salus & perfectio vera. Joann. VIII. *Epistola* 132. 133. Tom. IX. Conc. *p.* 167.

III. Sequitur speciale signaculum, quia post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis, Spiritus Sanctus infunditur. *De Consecrat.* Dist. IV. Cap. 90. *Accepisti.* §. *sequitur.*

IV. Sacramentum Confirmationis est, quod chrismando renatos soli debent Episcopi per manûs impositionem conferre. *De Consuetudine.* Cap. *Quanto. post init.* Lib. I. Decr. *Tit.* IV. Cap. 4.

V. Per frontis chrismationem, manûs impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio; quia per eam Spiritus Sanctus ad augmentum datur & robur. *De Sacra Unctione.* Cap. unico. §. *penult. Per frontis.* Lib. I. Decr. *Tit.* 15. Cap. unico.

VI. In Confirmatione caracter imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest. *Conc.* Trid. Sess. XXIII. *De Sacrament. Ordinis.* Cap. 4. *init.*

VII. Cùm cæteras Unctiones simplex Sacerdos vel Presbyter valeat exhibere, confirmatoriam Unctionem nonnisi summus Sacerdos, id est Episcopus, debet conferre; quia de solis Apostolis legitur, quod per manûs impositionem Spiritum Sanctum dabant. *Ibid.*

VIII. Presbyteri baptisatos infantes signare Sacro in frontibus Chrismate, non præsumant. *De Consecr.* Dist. IV Cap. 120. *Presbyteri. init.*

IX. Presbyteris non licet frontem ex Chrismate signare, quod solis debetur Episcopis, cùm tradunt Spiritum Paracletum. *Ibid.* Cap. 119. *Presbyteris. fin.*

X. Qui per Baptismum renati, quasi modo geniti infantes, cùm sint imbecilles, & in spirituali certamine vix certare possint; Sacramento Confirmationis, ut contra omnes insidias Diaboli pugnare possint, donandi sunt; eo enim adversùs Dæmonis, mundi, & carnis impetus facilè evadere victores poterunt. *Constitut.* Melod. *Titul.* 9. *init.*

XI. Soli Episcopi Chrismate consignent in frontibus baptisatos, quia hujus Unctio non debet nisi per Episcopos exhiberi &c. Innoc. IV. *Bulla, Sub Catholica*, §. 4. *ann.* 1254. *Concil.* Regiaticinum *ann.* 850. Cap. 7. Tom. VIII. Conc. *p.* 64.

XII. Sacramentum Confirmationis ab Apostolorum tempore fuit solis Pontificibus reservatum. *De Consuetud.* Cap. *Quanto. post initium.* Lib. I. Decr. *Tit.* 4. Cap. 4.

XIII. Simplicibus Sacerdotibus, ob solam consuetudinem, non licet Sacramentum Confirmationis conferre. *Ibid.*

XIV. Si quis dixerit Sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum, non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, Anathema sit. *Concil.* Trid. Sess. VII. *De Confirm. Can.* 3.

SECTIO II.

An & quomodo teneantur fideles Sacramentum Confirmationis recipere? Inter quas personas cognationem spiritualem pariat? Et an iterari possit?

I. Sacramentum Confirmationis non est à fidelibus contemnendum. *De Consuetudine.* Cap. *Quanto.* Lib. I. Decret. *Tit.* 4. Cap. 4. §. *discretioni.* Vide *Statuta Ecclesiæ Rhemensis* Tom. V. Concil. *p.* 1693.

II. Totius tamen est illud sine periculo ex necessitate omittere, quàm ut ab his quibus illud conferre non licet, scilicet simplicibus Sacerdotibus, ex temeritate, non sine gravi periculo, inaniter conferatur; cùm umbra quædam ostendatur in opere, veritas autem non subeat in effectu. *Ibid. fin.*

III. Qui annos septem nati non sunt, quandoquidem judicio carent, ad Sacramenti Confirmationis susceptionem admitti non debent. *Constitutionum* MELODUNENSIUM. *ann.* 1579. *Tit.* 9. *De Confirmatione.*

IV. Adulti inconfessi accedere haud præsumant, aut saltem fine maximo peccatorum dolore commissorum, & proposito confitendi. *Ibid. Commentar. Cleri Gallicani.* TOM. I. *p.* 445.

V. Unus Patrinus, idemque confirmatus, unum offerat, aut duos. *Constit.* MELOD. *Tit.* 9.

VI Gradus cognationis spiritualis inter offerentes & oblatos, secundùm Ecclesiæ Romanæ Canones serventur. *Ibid.*

VII. Cognatio spiritualis quæ ex Confirmatione contrahitur confirmantem inter & confirmatum, illiusque Patrem & Matrem, ac tenentem, non egre diatur; omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omninò sublatis. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. *De Reform. Matrim.* Cap. 2. *fin.*

VIII. Confirmationis Sacramentum in eo non debet iterari, qui per errorem fuit non Chrismate, sed oleo delinitus; sed caute supplendum quod incautè fuerat prætermissum. *De Sacramentis non iterandis.* Cap. *Pastoralis.* §. 2. & 3. LIB. I. DECR. *Tit.* 16. Cap. 1.

IX. Ut non iteretur hoc Sacramentum diligentet curandum est, & proindè ejus rei admonendi sunt pueri confirmati, à Parentibus. *Constit.* MOLODUN. *Tit.* 9. *loc. cit.*

X. De homine qui à Pontifice confirmatus fuerit, denuò illi talis reiteratio prohibenda est. *Epistola* GREGORII II. *ad* BONIFACIUM. *ann.* 726. Cap. 4. TOM. VI. CONC. *p.* 1449. *Conc.* CABILLON. II. *ann.* 813. *Can.* 27. TOM. VII. CONC. *p.* 1278.

XI. De his qui filiastros, id est, filios uxoris suæ de viro priori, ad Confirmationem coram Episcopis tenent &c. CAUS. XXX. QUÆST. I. Cap. 6. *De His qui. Ex* NICOL. I. *Epist.* 19. *Append.* Cap. 3. TOM. VIII. CONC. *p.* 505.

XII. Collecti Canones exponunt continentque omnia scitu necessaria circa Sacramentum Confirmationis, omissa methodo scholastica, quæ incipit à nominibus rei, eorumque significatione; undè transit ad naturam illius qua convenit cum aliis rebus similibus, & differt ab illis; tum agit de causis, nempè efficienti, seu autore, seu institutore, necnon Ministro illius, materiali, formali, finali, seu materia, & forma, & fine institutionis; quas sequuntur effectus, nempe caracterem, augmentum gratiæ sanctificantis, jus ad auxilia actualia, ad implenda Officia, quibus subjicit; demùm finit inquisitione, an præcepta vel consilii tantùm. Hæc autem singula facile inferuntur ex relatis Canonibus, ut cuique paululùm attendenti patebit, proindeque illud demonstrare supervacaneum fore videtur. Sufficiet ergò de illis monuisse, ac etiam insimul notasse, plures Canones, dùm de Baptismo, collectos circa Chrisma, pertinere etiam ad Confirmationem; quodque à Baptismo, nedùm in materia & forma, in effectu, in Ministro Ordinario, in Cæremoniis; sed & in eo quod Baptismum supponat, cùm ipsius perfectio sit, ut Extrema-Unctio est consummatio Sacramenti Pœnitentiæ, atque in eo quod non sit ad salutem absolutè necessaria; Baptismus verò eo modo necessarius sit tàm parvulis, quàm adultis, ideòque recipi possit tribus modis quoad effectum, nempè aqua, sanguine & contritione Votum illius accipiendi, necnon propterea Solemnitates Baptismi ab ipsius substantia multoties separantur; quod in Confirmatione numquàm accidit.

TITULUS IV.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

SECTIO I.

Quid sit Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum?

I. Commune hoc quidem Sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis, Symbolum esse rei Sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem. *Conc.* TRID. SESS. XIII. DECR. *De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.* Cap. 3. *init.*

II. Eucharistia est corporis & sanguinis Domini Sacramentum. *De Pœnitentiis.* Cap. *Deus. §. Apostoli. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 38. Cap. 8.

III. In almo Sanctæ Eucharistiæ Sacramento, post panis & vini Consecrationem, Dominus Noster JESUS CHRISTUS, verus Deus atque homo, verè, realiter, ac substantialiter, sub specie illarum rerum sensibilium continetur. *Conc.* TRID. SESS. XIII. DECR. *De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.* Cap. 1.

IV. Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post Consecrationem, verum Domini Nostri Corpus, verumque ejus sanguinem, sub panis & vini specie, unà cum ipsius anima & Divinitate existere. *Ibid.* Cap. 3.

V. Si quis negaverit in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem, unà cum anima & Divinitate Domini Nostri JESU CHRISTI, ac proindè totum CHRISTUM; sed dixerit tantummodò esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute, Anathema sit. *Ibid. Conc.* TRID. SESS. XIII. *Can.* 1.

VI. Si, quia figura est Sacramentum Altaris, veritas esse negatur; nec mors, nec resurrectio CHRISTI, cùm figura sit, veritas est credenda. *De Celebratione Missarum.* Cap. *Cum Marthæ.* §. *Ex eo autem.* LIB. III. DECR. *Tit.* 41. Cap. 6. *Epistolæ ad Rom.* Cap. 6. 1. *Petri* 2.

VII. Dicitur mysterium fidei, quoniam aliud ibi creditur quàm cernatur; & aliud cernitur quàm credatur: Cernitur species panis & vini; & creditur veritas carnis & sanguinis CHRISTI, ac virtus unitatis & charitatis. *Ibid. fin.*

VIII. Distinguendum est inter tria quæ sunt in in hoc Sacramento discreta; videlicet formam visibilem, veritatem corporis, & virtutem spiritualem. Forma seu species est panis & vini; veritas carnis & sanguinis; virtus unitatis & charitatis. Primum est Sacramentum, & non res; Secundum est Sacramentum & res; Tertium est res, & non Sacramentum. *De Celebratione Missarum.* Cap. *Cum Martha.* §. *distinguendum.* LIB. III. DECR. *Tit.* 41. Cap. 6.

SECTIO II.

A quo, & quandò institutum fuerit Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum? Et quantæ sit supra cætera dignitatis? Et quo cultu venerandum?

I. Majores nostri omnes, quotquot in verâ CHRISTI Ecclesia fuerunt, qui de Sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, apertissimè professi sunt hoc tàm admirabile Sacramentum in ultima Cæna Redemptorem Nostrum instituisse; cùm post panis vinique Benedictionem, se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatus est. *Conc.* TRID. SESS. XIII. Cap. 1.

II. Panis qui super eum (lapidem) offertur, panis est quidem communis, sed quando ipse Sacramento sacratus

sacratus fuerit, Corpus Christi in veritate fit & dicitur. Sic & vinum modicum aliquod digna existentia ante Benedictionem, post sanctificationem Spiritûs Sanguis Christi efficitur. *Epistola* 2. Nicolai I. Tom. VIII. Conc. *p.* 275. Illa verba *digna existentia* mendosa esse videntur.

III. Ergo Salvator Noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit; in quo divitias Divini sui erga nos amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum. *Ibid.* Cap. 2. *init.*

IV. Illud in Eucharistia excellens & singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habeant, cùm quis illis utitur; at in Eucharistia ipse Sanctitatis Autor ante usus est; nondùm enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cùm verè tamen ipse affirmaret Corpus suum esse quod præbebat. *Ibid.* Cap. 3. *post init.*

V. Si quis dixerit, peracta Consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse Corpus & Sanguinem Domini Nostri Jesu Christi, sed tantùm in usu dum sumitur, Anathema sit. *Ibid. Canone* 4.

VI. Nullus dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles, pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, Latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic Sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant. *Ibid.* Cap. 5. *init.*

VII. Non Sacramentum istud minùs est adorandum, quod fuerit à Christo Domino, ut sumatur, institutum; nam illum eumdem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dixit, *& adorent eum omnes Angeli Dei.* ibid *Cap.* 5.

VIII. Si quis dixerit in Sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei filium non esse cultu Latriæ, etiam externo, adorandum, vel non publicè ut adoretur populo proponendum, & ejus adoratores esse idololatras, Anathema sit. *Ibid. Concil.* Trid. Sess. XIII. *Canone* 6.

SECTIO III.

An certis quibusdam verbis conficiatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum? Et quænam illa sint? Et quid præcisè efficiant?

I. Non omnis panis, sed accipiens Benedictionem, fit Corpus Christi. *De Consecr.* Dist. II. Cap. 61. *Non omnis.*

II. Corpus & Sanguinem Christi dicimus illud quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum, ritè sumimus ad salutem spiritualem, in memoriam pro nobis Dominicæ passionis. *Ibid.* Cap. 60. *Corpus. init.*

III. Manus Chrismate Sacro peruncta, quæ de pane & vino aqua mixto, per orationem & crucis signum, conficit corporis & Christi sanguinis Sacramentum &c. *Synodus* Carisiaca *ann.* 858. Cap. 15. Tom. VIII. Conc. *p.* 666.

IV. Jusjurandum Berengarii in *Conc.* Rom. VI. *ann.* 1079. „ Ego Berengar. corde credo & ore „confiteor, panem & vinum, quæ ponuntur in Altari, „ per mysterium Sacræ Orationis, & verba Nostri Re„demptoris, substantialiter converti &c. „. Tom. X. Conc. *p.* 378.

V. Panis & Calix non quilibet, sed certa Consecratione, mysticus fit nobis, non nascitur. *Ibid. De Consecr.* Dist. II. Cap. 39. *Panis. init.*

VI. Ante Benedictionem verborum Cælestium, alia species nominatur; post Benedictionem, corpus Christi significatur. Ipse dicit Sanguinem suum. Antè Consecrationem, aliud dicitur; post Consecrationem, sanguis nuncupatur. *De Consecr.* Dist. II. Cap. 69. *Revera.* §.*ult. non enim.*

VII. Panis est in Altari usitatus ante verba Sacramentorum; ubi accessit Consecratio, de pane fit corpus Christi. *Ibid.* Cap. 55. *Panis. init.* ex S. Ambros. *Tom. III. Tract. De Sacramentis.* Lib. *De Sacram.* circa quem sciendum ab Autoribus IX. sæculi initio scribentibus huic Patri tribui. Vid. *Praenot. Canonic.* Lib. II. Cap. 50. *p.* 341.

VIII. Ubi venitur ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi; ergo Christi sermo hoc conficit Sacramentum. *Ibid.* Cap. 55. *post init.*

IX. Sermo Christi operatorius est ut sint quæ erant, & in aliud commutentur; & sic quod erat panis antè Consecrationem, jam corpus Christi est post Consecrationem, quia sermo Christi creaturam mutat: & sic ex pane fit corpus Christi, & vinum cum aqua in Calice mistum fit Sanguis, Consecratione verbi Cælestis. *Ibid.*

X. Verba sunt Christi: *Accipite & edite ex hoc omnes; hoc enim est Corpus meum.* Et, *Accipite & bibite ex eo omnes; hic est enim Sanguis meus.* ibid. *De Consecr.* Dist. II. Cap. 55. *Panis* §. *vis scire. fin.*

XI. Antequam consecretur, panis est; ubi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi: audi dicentem: *Accipite & edite ex eo omnes, hoc est enim Corpus meum. Ibid. fin.* Ante verba Christi Calix est vini & aquæ plenus; ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit. *Ibid. fin.*

XII. Ex Euseb. *Emisseno.* Invisibilis Sacerdos visibiles creaturas in substantiam Corporis & Sanguinis sui, verbo suo, secreta potestate convertit, ita dicens: *Accipite & comedite, hoc est enim Corpus meum*; & Sanctificatione repetita: *Accipite & bibite, hic est Sanguis meus. De Consecr.* Dist. II. Cap. 35. *Quia Corpus.* §. *recedat. init.*

XIII. Hæc verba à Sanctis Evangelistis commemorata, & à Divo Paulo repetita, cùm propriam illam & apertissimam significationem præ se ferant, secundùm quam à Patribus intellecta sunt; indignissimum flagitium est, ea à quibusdam contentiosis, & pravis hominibus, ad fictitios & imaginarios tropos, quibus veritas Carnis & Sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesiæ sensum, detorqueri. *Concil.* Trid. Sess. XIII. Cap. 1. *fin.*

XIV. Statim post Consecrationem, corpus quidem Domini Nostri sub specie panis, & sanguis sub vini specie, ex vi verborum existit. *Concil.* Trid. Sess. XIII. *Cap.* 3.

XV. Ipsum autem corpus Domini Nostri sub specie vini, & Sanguis sub specie panis, animaque sub utraque specie existit; vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi Domini (qui jam ex mortuis resurrexit, non ampliùs moriturus) inter se copulantur. *Ibid.*

XVI. Divinitas porrò sub utraque specie existit, propter admirabilem illam ejus cum Corpore & anima hypostaticam unionem. *Ibid.*

SECTIO IV.

Qua ratione fiat illa conversio panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi? *Et quo nomine propriè appelletur?*

I. Panis simplex ante Sacrificium panis est; transubstantiatione verò facta per verba Dominica, panis non est, & ideò nec fermentatus, nec azymus dici potest; sed ille potiùs creditur panis vivus qui descendit de Cælo, & tribuit vitam mundo. *Bulla* Gregor. IX. *Cùm juxta.* §. 3. *fin. ann.* 1235. *Bullarii* Tom. I. *pag.* 108. Hisce verbis: *Nec fermentatus nec azimus*, addendum videtur, *quoad rem, cùm quoad speciem remaneat, vel fermentatus, vel azimus.*

II. Quoniam Christus Redemptor Noster Corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit; ideò persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, per Consecrationem panis & vini, conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini Nostri; & totius substantiæ vini in substantiam Sanguinis ejus. *Concil.* Trid. Sess. XIII. *Cap.* 4.

III. In CHRISTI substantiam terrena & mortalia convertuntur. *De Conf.* DIST. II. Cap. 35. *Quia corpus.* §. *recedat. med.*

IV. Si quis dixerit in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento, remanere substantiam panis & vini, unà cum corpore & sanguine Domini Nostri Jesu CHRISTI, Anathema sit. *Ibid. Canone* 2. *init.*

V. Sermo CHRISTI operatur ut possit mutare & convertere genera & Instituta naturæ. *Ibid.* Cap. 43. *Fartè. post init.*

VI. Si quis negaverit mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini, Anathema sit. *Ibid. med.*

VII. Species & similitudo illarum rerum vocabula sunt, quæ ante fuerunt, scilicet panis & vini: Undè in fine cujusdam Missæ postulat Sacerdos, ut Corpus CHRISTI, quod sub specie panis & vini nunc geritur, manifesta visione, sicut revera est, quandoque capiatur. *De Conf.* DIST. II. Cap. 34. *Species.*

VIII. Hæc conversio convenienter & propriè à Sancta Catholica Ecclesia *transubstantiatio* appellata est. *Ibid. Cap.* 1. Cedit natura miraculo, & virtus supra consuetudinem operatur. *De Celebrat. Missarum.* Cap. *Cum Martha.* §. *quæsivisti.* LIB. III. DECR. *Tit.* 41. *Cap.* 6.

IX. Ipse CHRISTUS in corpus & sanguinem suum, panem transubstantiavit & vinum. *De Celebratione Missarum.* Cap. *Cum Martha. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 4. Cap. 6.

X. Corpus & sanguis CHRISTI in Sacramento Altaris, sub speciebus panis & vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, potestate Divina, ut ad perficiendum mysterium unitatis accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. *De Summa Trinit.* Cap. *Firmiter.* §. *una.* LIB. I. DECR. *Tit.* 1. Cap. 1.

XI. Panis & vinum quæ in Altari ponuntur, post Consecrationem, non solùm Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguis Domini Nostri JESU CHRISTI sunt; & non solùm Sacramento, sed in veritate, manibus Sacerdotum tractatur, frangitur, & fidelium dentibus atteritur. *De Conf.* DIST. II. Cap. 42. *Ego Berengarius.*

SECTIO V.

Ad quid institutum sit Eucharistiæ Sacramentum? An servari possit, & publicè deferri?

I. Eucharistiam Salvator Noster, in Ecclesia sua, tanquàm Symbolum reliquit ejus unitatis & Charitatis, quà Christianos omnes inter se conjunctos & copulatos esse voluit. *Conc.* TRID. SESS. XIII. DECR. *De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento*, in *Proœmio.*

II. Hoc Sanctissimum Sacramentum fuit à CHRISTO Domino, ut sumatur, institutum. *Conc.* TRID. SESS. XIII. Cap. 5. *init.*

III. In Sacrario, Eucharistia Christi propter infirmos non desit. *De Off. Archipresbyteri.* Cap. *Officium.* §. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 24. Cap. 3.

IV. Salvator Noster sumi voluit Sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius qui dixit: *Qui manducat me, & ipse vivet propter me*; & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur. *Conc.* TRID. SESS. XIII. Cap. 2.

V. In illius sumptione colere nos memoriam sui præcepit, suamque annuntiare mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat. *Ibid.* Cap. 2.

VI. *Act.* 5. *Conc.* CONSTANTINOPOL. *ann.* 536. sub MENNA in supplicatione Clericorum contra JOANNEM ANTIOCHENUM (columbas aureas & argenteas super Lavacra & Altaria) TOM. V. *Conc. p.* 159.

VII. Infirmis providendum, ne fortè sine confessione, vel confirmatione Corporis & sanguinis Domini Nostri JESU CHRISTI moriantur. *Ibid.*

VIII. Ut Presbyter Eucharistiam habeat semper paratam ad infirmos, ne sine Communione moriantur. *Excerptiones* EGBERTI. Cap. 22. TOM. VI. CONC. *p.* 1568.

IX. Præterea pignus id esse voluit futuræ nostræ gloriæ & perpetuæ felicitatis; adeòque Symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput existit; cuique nos tanquam membra arctissima fidei, spei, & charitatis connexione adstrictos esse voluit. *Ibid. fin.*

X. Quia Corpus Domini per Ecclesias Parœcianas dicebatur nimia vetustate neglectum; statuerunt Episcopi, ut corpus Domini non plus servetur, quàm à Dominica in alteram. *Conc.* BITURICENSE. *ann.* 1031. *Can.* 2. TOM. IX. CONC. *p.* 865. *Conc.* ROTHOMAG. *ann.* 1072. *Can.* 6. TOM. IX. CONC. *p.* 1226. *Conc.* LONDONENSE. *ann.* 1138. *Can.* 2. TOM. X. CONC. *p.* 995.

XI. Dominus Noster JESUS CHRISTUS mysterium pacis & unitatis nostræ in sua mensa consecravit. *De Conf.* DIST. II. Cap. 36. *Quia passus.* §. *ita. init.*

XII. In illa mystica distributione, spiritualis alimoniæ hoc impertitur, hoc sumitur, ut accipientes virtutem cælestis cibi, in carnem ipsius qui caro nostra factus est, transeamus. *Ibid.* Cap. 38. *In quibus. fin.*

XIII. Si quis vel dixerit præcipuum fructum Sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios fructus provenire, Anathema sit. *Conc.* TRID. SESS. XIII. *Can.* 5.

XIV. Consuetudo asservandi in Sacrario Sanctam Eucharistiam, adeò antiqua est, ut eam Sæculum etiam Nicæni Concilii agnoverit. *Conc.* TRID. SESS. XIII. Cap. 6. *init.*

XV. Si quis dixerit, non licere Sacram Eucharistiam in Sacrario reservari, sed statim post Consecrationem adstantibus necessariò distribuendam, Anathema sit. *Conc.* TRID. SESS. XIII. *Can.* 7.

XVI. Si quis dixerit, in hostiis seu particulis consecratis, quæ post Communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini, Anathema sit. *Conc.* TRID. SESS. XIII. *Can.* 4. *fin.*

XVII. Piè & religiosè admodùm in Dei Ecclesia inductus fuit hic mos, ut singulis annis, peculiari quodam & festo die, præcelsum hoc & venerabile Sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur; utque in Processionibus reverenter & honorificè illud per vias & loca publica circumferretur. *Conc.* TRID. SESS. XIII. Cap. 5. *med.*

SECTIO VI.

Quomodo CHRISTUS *manducetur in Sacramento Eucharistiæ?*

I. Quoad usum, rectè & sapienter Patres nostri, tres rationes hoc Sanctum Sacramentum accipiendi, distinxerunt. *Conc.* TRID. SESS. XIII. Cap. 8. *init.*

II. Quosdam docuerunt Sacramentaliter id sumere duntaxat, ut peccatores. *Ibid.*

III. Alios tantùm spiritualiter, illos nimirùm qui Voto propositum illum Cælestem panem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus & utilitatem sentiunt. *Ibid.*

IV. Dum frangitur hostia, cùm sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quàm Dominici Corporis in cruce immolatio, ejusque sanguinis de latere effusio designatur? *De Conf.* DIST. II. Cap. 37.

V. Tertios porrò sacramentaliter scilicet & spiritualiter sumere, qui ita se priùs probant & instruunt, ut vestem nuptialem induti, ad Divinam hanc mensam accedant. *Ibid.*

VI. Panem Cælestem spiritualiter manducare, est innocentiam ad Altare apportare. *De Conf.* DIST. II. Cap. 64. *Panem. init.*

VII.

VII. Participatione filii, quod est per onitatem Corporis CHRISTI & Sanguinis, homo manducans vivit, non sumens tantùm in Sacramento, quod & mali faciunt; sed usque ad spiritûs participationem; ut in corpore Domini, tanquàm membrum, maneat, & ejus spiritu vegetetur, quod est dum ejus mandata servat. *Ibid.* Cap. 59. *Credere. med.*

VIII. Qui manducant & bibunt CHRISTUM, vitam manducant & bibunt: Quod in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducatur, & bibitur. *Ibid.* Cap. 58. *init.*

IX. Ubi pars est corporis, est & totum. Eadem ratio est in corpore Domini, quæ in Mannâ, quod in ejus figura præcessit; de quo dicitur: *Qui plus colegerat, non habuit ampliùs; neque qui minùs paraverat, invenit minùs*: Non enim est quantitas visibilis in hoc æstimanda mysterio, sed virtus Sacramenti Spiritualis. *De Consecr.* DIST. II Cap. 78. *Ubi pars est.* Refertur inter Decreta HILARII *Papæ* TOM. IV. CONC. p. 1048. hic legitur *habuit*, pro *invenit*.

X. CHRISTUM manducare non hoc solùm est, in Sacramento corpus ejus accipere; multi enim indignè accipiunt. Sed quomodo manducandus est CHRISTUS? Si in me manet, & ego in eo, tunc manducat, tunc bibit: Qui autem non in me manet, nec ego in illo, etsi accipit Sacramentum, acquirit magnum tormentum. *Ibid.* Cap. 46. *Quid est.*

XI. Manducetur CHRISTUS, vivit manducatus, quia resurrexit occisus; nec quando manducamus, partes de illo facimus *De Consecr.* DIST. II. Cap. 58. *Qui manducat. post init.*

XII. In Sacramento unusquisque accipit partem suam, & manet integer totus in Cælo, manet integer totus in corde tuo. *Ibid.* & Cap. 70. *Invitat. fin.*

XIII. Quotidie ipse comeditur, & bibitur, in veritate, sed integer & vivus atque immaculatus manet. *De Consecr.* DIST. II. Cap. 73. *fin.*

XIV. Si quis dixerit, CHRISTUM in Eucharistia exhibitum spiritualiter tantùm manducari, & non etiam Sacramentaliter ac realiter, Anathema sit. *Concil.* TRID. SESS. XIII. *Can.* 8.

SECTIO VII.

Totum CHRISTUM *sub unaquaque specie contineri; & posse fideles sub una tantum specie communicare.*

I. Verissimum est tantumdem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri; totus enim & integer CHRISTUS sub panis specie, & sub quavis ipsius parte; totus item sub vini specie, & sub ejus partibus existit. *Concil.* TRID. SESS. XIII. Cap. 3. *fin.*

II. Sive plus, sive minùs, quis inde percipiat, omnes æqualiter Corpus CHRISTI integerrimè sumunt, & generaliter omnes, & specialiter unusquisque. *De Consecr.* DIST. II. Cap. 73. *Quid sit.* § *tanta. fin.*

III. Quamvis Redemptor Noster in suprema illa Cænâ hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit, & Apostolis tradiderit; tamen fatendum est, etiam sub altera specie totum atque integrum CHRISTUM, verumque Sacramentum, sumi. *Conc.* TRID. SESS. XXI. Cap. 1.

IV. Nullo Divino præcepto Laïci, & Clerici non conficientes, obligantur ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum. *Conc.* TRID. SESS. XXI. Cap. 1.

V. Etsi CHRISTUS Dominus in ultima Cæna venerabile hoc Sacramentum in panis & vini speciebus instituit, & Apostolis tradidit; non tamen illa constitutio & traditio eò tendunt, ut omnes CHRISTI fideles, statuto Domini, ad utramque speciem accipiendam adstringantur. *Ibid.*

VI. Neque ex sermone illo apud JOANN. *Cap.* 6. rectè colligitur utriusque speciei Communionem à Domino præceptam esse; namque qui dixit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; dixit quoque: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Ibid.*

Tom. III. Tract. De Sacramentis.

VII. Nullo pacto salva fide dubitari potest, quin Laïcis & Clericis non conficientibus, alterius speciei Communio ad salutem sufficiat. *Ibid.* SESS. XXI. Cap. 1. *post init.*

VIII. Etiam fatendum est, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt. *Conc.* TRID. SESS. XXI. *Cap.* 3.

IX. Si quis negavit totum & integrum CHRISTUM, omnium gratiarum fontem & authorem, sub una panis specie sumi, quia, ut quidam falsò asserunt, secundùm ipsius CHRISTI Constitutionem sub utraque specie sumatur, Anathema sit. *Ibid. Can.* 3.

X. Agnoscens Sancta Mater Ecclesia suam in Administratione Sacramentorum autoritatem, licet ab initio Christianæ Religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset; tamen progressu temporis latissimè jam mutata illa consuetudine, gravibus & justis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, & pro Lege habendam decrevit; quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ autoritate pro libito mutare, non licet. *Conc.* TRID. SESS. XXI. Cap. 2. *fin.*

XI. Si quis dixerit Sanctam Ecclesiam Catholicam, non justis causis & rationibus adductam fuisse, ut Laïcos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodò specie communicaret, aut in eo errasse, Anathema sit. *Ibid. Can.* 2.

SECTIO VIII.

An, & quomodò impositum sit fidelibus præceptum Sacram sumendi Eucharistiam?

I. Parvuli usu rationis carentes nulla obligantur necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ Communionem; siquidem per Baptismi lavacrum regenerati, & CHRISTO incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam, in illa ætate amittere non possunt. *Concil.* TRID. SESS. XXI. *Cap.* 4. Hinc inferre non est, Eucharistiam institutam ad recuperandam gratiam, eam ex eod. Concilio suprà ostensum sit alias esse institutionis rationes. *Vide* SECT. V.

II. Omnis utriusque sexûs fidelis, postquàm ad annos discretionis pervenerit, suscipiat reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi fortè de proprii Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum. *De Pœnitent.* Cap. *Omnis utriusque.* LIB. V. DECR. *Tit.* 38. Cap. 12.

III. Alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. *Ibid.*

IV. Hoc salutare Statutum frequenter in Ecclesiis publicetur; ne quisquam ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat. *Ibid.*

V. Si quis negaverit omnes & singulos CHRISTI fideles utriusque sexûs, cùm ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum Sanctæ Matris Ecclesiæ, Anathema sit. *Conc.* TRID. SESS. XIII. *Can.* 9.

VI. Intelligimus optimo jure satisfactum esse Canoni, si in hebdomada Sancta, vel infra Octavam Paschæ resurrectionis Dominicæ, secundùm meliorem dispositionem conscientiæ, & aptiorem mentis devotionem, fideles, præparatione debita, Sanctum Eucharistiæ pignus accipiant, & cum Domino Pascha celebrent ad salutem, & huic senteotiæ omnes volumus acquiescere. *Bulla XX.* EUGENII IV. *Fide digna.* §. 2. *fin. ann.* 1440. *Bullarii* TOM. I. p. 359.

VII. Corporis & Sanguinis Domini Sacramentum, renatis fonte Baptismatis, in mortis articulo tribui debet. *De Pœnit.* Cap. *Deus.fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 38. Cap. 8.

VIII. Viaticum quod verè pœnitentibus exhibetur, nec ipsum decedentibus denegetur. *De Pœnit.* Cap. *Quod in te.* LIB. V. DECR. *Tit.* 38. Cap. 11. *init.*

IX. Omnibus, de peccatis suis puram Confessionem agentibus, & dignè pœnitentibus, Communio in fine, secundùm Canonicum jussum, danda est. CAUS. XIII. QUÆST. II. Cap. 30. *Quæsitum est.*

X. De his qui in patibulis suspenduntur pro suis sceleribus, post confessionem Deo paractam, oblationes pro eis offerendæ sunt, & Missæ celebrandæ. *Ibid.* Videsis *Consultationum Canonic. De Sacram.* TOM. IV. *Consult.* 25. ubi Canones, quicumque inveniri potuerunt, circa usum concedendi aut denegandi viaticum damnatis ad mortem, colliguntur.

SECTIO IX.

An frequenter, an rarò communicandum sit?

I. Admonet Ecclesia, hortatur, rogat, & obsecrat per viscera misericordiæ Dei Nostri, ut omnes & singuli qui Christiano nomine censentur, memores tantæ Majestatis, & tàm eximii amoris JESU CHRISTI Domini Nostri, qui dilectam animam suam in nostræ salutis pretium, & carnem suam nobis dedit ad manducandum; hæc sacra mysteria Corporis & Sanguinis ejus, ea fidei constantia & firmitate, ea animi devotione, ea pietate & cultu credant & venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint, & is verè eis sit animæ vita, & perpetua sanitas mentis. *Conc.* TRID. SESS. XIII. Cap. 8. GREGOR. VII. *Epist.* 47. *ad Comitissam* MATHILDEM, *an.* 1073. TOM. X. CONC. *p.* 42. THEODULPHUS *Aurelian. in Capit. ann.* 797. Cap. 44. TOM. VII. CONC. *p.* 1147. *Conc.* CABILLON. II. *ann.* 813. *Can.* 46. TOM. VII. CONC. *p.* 1285.

II. Ad frequentem Communionem, cum fidei sinceritate, spei confidentia, charitatis ardore, ac animarum puritate, Populi excitandi sunt. *Constit.* MELOD. *Tit.* 10.

III. Quotidiè Eucharistiæ Communionem percipere, nec laudandum, nec vituperandum. *De Consecr.* DIST. II. Cap. 13. *Quotidiè.*

IV. Optaret quidem Ecclesia, ut in singulis Missis Fideles adstantes, non solùm spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione, communicarent. *Conc.* TRID. SESS. XXII. *Cap.* 6. Quod de Missis Publicis, ac ex præcepto audiendis, intelligendum est.

V. Dixerit quispiam non quotidiè accipiendam Eucharistiam; alius affirmet quotidiè: Faciat unusquisque quod secundùm fidem suam piè credit esse faciendum; neuter enim eorum exhonorat Corpus & Sanguinem Domini, si saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. *Ibid.* §. *dixerit. init.*

VI. Panis iste quotidianus est; sic vive, ut quotidiè merearis accipere. *De Conf.* DIST. II. Cap. 56. *Non iste. fin.*

VII. Omnibus Dominicis diebus communicandum suadeo, & hortor, si tamen mens sine affectu peccandi sit. *Ibid.*

VIII. Habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis constat Eucharistiæ perceptione, quàm purificari. *Ibid.*

IX. Qui sceleratè vivunt in Ecclesia, & communicare non desinunt, putantes se tali communione mundari, discant nihil ad emundationem sibi proficere. *Ibid. De Conf.* DIST. II. Cap. 24. *Qui sceleratè.*

X. Pueri hortandi sunt, qui needùm videlicet lascivientis ætatis corruptela sint vitiati, ut sæpiùs communicent, necnon & provectioris ætatis, seu cœlibes, seu etiam conjugati, qui peccare desinunt, ad hoc ipsum admonendi sunt quatenùs frequentiùs communicent, ne salutaris cibi potusque inopia deficiant, dicente Domino; *Nisi manducaveritis &c. Conc.* CLOVESHOVIÆ II. *ann.* 747. *Can.* 23. TOM. VI. CONC. *p.* 1580.

Collectis Canonibus hac in Sectione, adjicere fas est Synodos multas, tùm Diœcesanas, tùm Provinciales, laudatas à LAUNOIO TOM. I. *p.* 111. ad 131. quæ sententiam pii GERSONIS de frequenti usu Confessionis & Communionis probant, commendantque. Hæc autem habetur *in Opere tripartito, & in Summa Sacramentorum*; hinc factum Communionis usum frequentiorem probat LAUNOIUS.

SECTIO X.

Qua & qualis præparatio necessaria sit ad dignè sumendam sacram Eucharistiam?

I. Si non decet ad Sacras ullas functiones quempiam accedere nisi sanctè; certè quò magis Sanctitas & Divinitas Cœlestis hujus Sacramenti viro Christiano comperta est, eò diligentiùs cavere ille debet, ne absque magna reverentia & Sanctitate, ad id percipiendum accedat; præsertim cùm illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: *Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini. Conc.* TRID. SESS. XIII. Cap. 7. *init.*

II. Communicare volenti, revocandum est in memoriam ejus præceptum: *Probet se ipsum homo. Ibid.* Vide TOM. VII. *Conc. p.* 314. *Conc.* TURON. III. *ann.* 813. *Can.* 19. TOM. VII. *Conc. p.* 1264.

III. Sacramentum Eucharistiæ reverenter suscipiendum est, & post annos discretionis. *De Pœnit.* Cap. *Omnis.* Colligitur. LIB. V. DECR. *Tit.* 38. Cap. 12. *init.*

IV. Panem cœlestem manducare, est innocentiam ad Altare apportare, peccata etsi sint quotidiana, vel non sint mortifera. *De Conf.* DIST. II. Cap. 64. *Panem. init.* Notant *Correct. Rom.* in antiquis Cod. legi panem cœlestem spiritualiter manducare; quæ lectio indicare videtur hìc agi de manducatione spirituali.

V. Ecclesiastica consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantùmvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione, ad Sacram Eucharistiam accedere debeat. *Ibid.*

VI. Ne tantum Sacramentum indignè, atque adeò in mortem & condemnationem sumatur; illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantùmcumque etiam se contritos existiment, habitâ copiâ Confessoris, necessariò præmittenda est Sacramentalis Confessio. *Conc.* TRID. SESS. XIII. *Can.* 11. *fin.*

VII. Si quis contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eo ipso Excommunicatus existat. *Ibid. fin.*

VIII. Si quis dixerit solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, Anathema sit. *Ibid. Can.* 11. *init.*

IX. Antequam ad Altare accedatis, attendite quod dicatis: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Si dimittis, dimittetur tibi; securus accede, panis est, non venenum. Sed vide si dimittis; nam si non dimittis, mentiris, & ei mentiris quem non fallis; mentiri Deo potes, Deum fallere non potes. *Ibid. De Conf.* DIST. II. Cap. 64. *Panem. med.*... Corpori & Sanguini Dominico communicare debetis; si tamen mens in affectu peccandi non sit &c. NICOL. I. *ad Consulta. Bulgar.* Cap. 9. TOM. VIII. CONC. *p.* 521.

X. Ubicumque Extrema Unctio ægrotis ante Eucharistiam confertur, illa ad istam, tamquàm præparatio, consideratur; idque non immeritò, cùm Extrema Unctio sit Pœnitentiæ consummatio; & Pœnitentia, prout cor mundat, maxima sit ad Communionem dispositio. De hoc usu historicè agit LAUNOIUS. TOM. I. *Part.* 1. *pag.* 594. ad *pag.* 606. colligitque præcipua testimonia à Sæculo VIII. exeunte ad XVII. Antiquius nihil refert quàm Canonem à Theodoro Cantuariensi. Cætera testimonia

non

non sunt ejusdem generis, sed sunt quæ deponunt Viaticum, quandoque Extremam-Unctionem, longè tamen pauciora, quàm quæ attestantur Unctionem præcessisse Eucharistiam. Prioris generis habenda videntur quæ illam vocant ultimum Sacramentum; sic enim dictum censendum ex eo quod post alia omnia recipiatur. Quis ex duobus his usibus est alti præferendus? Si res in se spectentur, satiùs videtur ut Unctio præcedat Viaticum, cùm præparet ad istud; prætereà illa minùs negligitur, quando conferri solet ante Viaticum, ne illa neglectâ mors à Viatico excludat.

SECTIO XI.

De aliis Dispositionibus requisitis ad Sacram Communionem, tàm ex parte Corporis, quàm ex parte Animæ.

I. *Concilium* Quinisextum *ann.* 692. *Can.* 100. Tom. VI. Conc. *p.* 1185. Placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani priùs Dominicum Corpus intraret, quàm cæteri cibi; nam ideò per universum orbem mos iste servatur, quòd à jejunis semper accipitur. *De Consecrat.* Dist. II. Cap. 54. *Liquido. post init.*

II. De Histrione, qui in ejusdem adhuc artis suæ dedecore perseverat, talis non debet communicare nobiscum; nec Majestati Divinæ, nec Evangelicæ Disciplinæ congruit, ut pudor & honor Ecclesiæ tàm turpi & infami contagione fœdetur. *Ibid. De Consecr.* Dist. II. Cap. 95. *Pro dilectione. fin.*

III. Mulier, dùm ex consuetudine menstrua patitur, Sanctæ Communionis Mysterium percipere non debet prohiberi; si autem ex veneratione magna percipere non præsumit, laudanda est; sed si percipiat, non judicanda. Dist, V. *Cap.* 4. *Ad ejus.* §. *ult.*

IV. Ut sciatur an post illusionem, seu pollutionem quæ per somnium solet accidere, Corpus Domini quilibet accipere valeat; est in eadem illusione valdè necessaria discretio, qua subtiliter pensari debet, ex qua re accidat menti dormientis; aliquando enim ex crapula; aliquando ex naturæ superfluitate, vel infirmitate; aliquandò ex cogitatione contingit. Dist. VI. *Cap.* 1. *Testamentum.* §. 1. *post initium. Cùm Præfatione* Gratiani. Vide *Excerptum* Gregor. III. *post ann.* 731. Cap. 24. Tom. VI. Conc. *p.* 1482. Cap. 25.

V. Cùm ex naturæ superfluitate vel infirmitate evenerit, omnimodo hæc illusio seu pollutio nocturna non est timenda; quia hanc animus nesciens pertulisse magis dolendus est, quàm fecisse. *Ibid.*

VI. Cùm ultra modum appetitus gulæ in sumendis alimentis rapitur, atque idcircò humorum receptacula gravantur; habet exindè animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi Sacri Mysterii, cùm fortasse festus dies exigit. *Ibid.*

VII. Si ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio in mente dormientis, patet animo suus reatus; videt enim à qua radice inquinatio illa processit; quia quod cogitavit sciens, hoc pertulit nesciens: & propter talem pollutionem, à Sacro Mysterio ea die abstinere oportet. *Ibid.* §. *ult. qua in re fin.*

VIII. Omnis homo ante Sacram Communionem à propria uxore abstinere debet, tribus, aut quatuor, aut octo diebus. *De Consecr.* Dist. II. Cap. 21. *Omnis. init.*

IX. Si quis sua conjuge, non cupidine voluptatis captus, sed solummodò liberorum creandorum gratia utitur, ipse profectò de sumendo Corporis Dominici Sanguinisque Mysterio, suo est relinquendus judicio; quia à nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. Caus. XXXIII. Quæst. IV. *Cap.* 7. *Vir.* §. 2. *oportet.*

SECTIO XII.

Cujus sit hoc Sacramentum conficere ac distribuere, & an sit deferendum ad infirmos, & quomodo?

I. Et hoc utique Sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos qui ritè fuerit ordinatus, secundùm claves Ecclesiæ. *De Summa Trinit.* Cap. *Firmiter.* §. 2. *Una. fin.*

II. Intra Catholicam Ecclesiam in Mysterio Corporis Christi nihil à bono majus, nihil à malo minus perficitur Sacerdote; quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris, & in virtute Spiritûs Sancti. *De Consecr.* Dist. II. Cap. 72. *Utrùm. med.* & Caus. I. Quæst. I. Cap. 77. *Intra.*

III. Sacrificium offerre non debent, nisi Episcopi & Presbyteri. *Excerptiones* Egberti *in Præfat. fin.* Tom. VI. Conc. *p.* 1586. *Epistola* 42. Paschalis II. Tom. X. Conc. *p* 661.

IV. Non in ignem projiciendum ad extinguendum incendium. *Concil.* Salgunstad. *ann.* 1022. Cap. 6. Tom. IX. Conc. *p.* 846.

V. In Sacramentali sumptione, semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut Laïci à Sacerdotibus Communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent; qui mos, tanquàm ex traditione Apostolica descendens, jure ac meritò retineri debet. *Concil.* Trid. Sess. XIII. Cap. 8.

VI. Deferri ipsam Sacram Eucharistiam ad infirmos, & in hunc usum diligenter in Ecclesiis conservari, præterquàm quod cum summa æquitate & ratione conjunctum est, tùm multis in Conciliis præceptum invenitur, & vetustissimo Catholicæ Ecclesiæ more est observatum; quare retinendum omninò salutarem hunc & necessarium morem &c. *Concil.* Trident. Sess. XIII. Cap. 6.

VII. Presbyter Eucharistiam semper habeat paratam, ut quandò quis infirmatus fuerit, statim eum communicet, ne sine Communione moriatur. *De Consecr.* Dist. II. Cap. 93. *Presbyter.*

VIII. Cùm Eucharistiam defert Presbyter ad infirmum, eam in decenti habitu, superposito mundo velamine, ferat, & referat manifestè, ac honorificè antè pectus, cum omni reverentia & timore, semper lumine præcedente; cùm sit candor lucis æternæ, ut ex hoc apud omnes fides & devotio augeatur. *De Celebratione Missarum.* Cap. *Sane.* §. *Sacerdos.* Lib. III. Decr. *Tit.* 41. Cap. 10.

IX. In Sacrario Eucharistia Christi propter infirmos non desit. *De Officio Archipresbyteri.* Cap. *Officium.* §. *Debet.* Lib. I. Decr. *Tit.* 24. Cap. 3. *Concil.* Tolet. XI. *ann.* 675. Cap. 11. Tom. VI. Conc. *pag.* 552.

X. Sacerdos quilibet frequenter doceat plebem suam, ut se reverenter inclinet, cùm Eucharistiam defert Presbyter ad infirmum. *Ibid. init.*

XI. Prælati hujusmodi mandati graviter punire non differant transgressores. *Ibid. fin.*

XII. Deferens Eucharistiam Sacerdos superpelliceo indutus sit, stola collo imposita, & alio quovis, juxta loci aut Ecclesiæ consuetudinem, honoris ornamento. *Constitut.* Melodun. *Tit.* 10. *De Eucharistia Sacrosancto Sacramento.*

XIII. Vasculum quo defertur decorum sit, & serico decenter involutum, aut alio velo. *Ibid.*

XIV. Nusquàm sine præcedente lumine, ac Clerico tintinnabulum pulsante, infirmis adferatur, ut ad preces, & ad infirmorum visitationes, excitetur populus. *Ibid.*

XV. Omnimodis Presbyter per seipsum infirmum communicet; quod si aliter fecerit, gradûs sui periculo subjacebit. *De Consecrat.* Dist. II. Cap. 29. *Pervenit. fin.*

TITULUS V.

De Eucharistiâ, quatenùs est Sacrificium, sive de Sacrificio Missæ.

SECTIO I.

In Ecclesia verum esse Sacrificium à Christo institutum, & illud in Missa celebrari.

I. Ut vetus, absoluta, atque omni ex parte perfecta, de magno Eucharistiæ Mysterio, in Sancta Catholica Ecclesia, fides atque Doctrina retineatur, & in sua puritate conservetur; de ea, quatenùs verum & singulare Sacrificium est, agi debet. *Concil.* TRIO. SESS. XXII. *in Proœmio.*

II. Deus qui sacrificatur & qui distribuitur ad Corporum simul & animarum acquisitionem, eos qui fiunt ejus participes, deificat. *In Orat. Patrum qui in Trullo convenerunt.* TOM. VI. CONC. *p.* 1132.

III. Sacrificium dicitur quasi Sacrum factum, quia prece Mystica consecratur pro nobis, in memoriam Dominicæ passionia. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 84. *Multi §.* 2. *Mysterium.*

IV. In Ecclesia idem ipse Sacerdos est Sacrificium J. CHRISTUS. *De Summa Trinit.* Cap. *Firmiter §. Una.* LIB. I. DEC. *Tit.* 1. Cap. 1.

V. Deus & Dominus Noster Jaaua CHRISTUS, etsi semel se ipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur; quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum nun erat, io cœna novissima qua nocte tradebatur, dilectæ suæ Sponsæ Ecclesiæ, visibile, sicut hominum natura exigit, relinquere voluit Sacrificium, quo eruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur. ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaria virtus in remissionem eotum, quæ à nobia quotidiè committuntur, peccatorum, applicaretur. *Concil.* TRIO. SESS. XXII. Cap. 1.

VI. Si quia dixerit quod offerri non sit aliud quàm nobia CHRISTUM ad manducandum dari, Anathema sit. *Concil.* TRIO. SASS. XXII. *Can.* 1.

VII In una Catholica Ecclesia, vera hostia Redemptoris immolatur. CAUS. XXIII. QUÆST. I. *Cap.* 81. Vide TOM. VII. CONC. *p.* 447. ubi *Concil.* NICÆNUM II. air, Eucharistiæ panem . . . Divinum Corpus fieri voluit, mediante Sacerdote; qui oblationem de communi separans, ad Sanctificationem pertiogere facit. Huc Pascha, quod hinc Dominus in novo Mysterio egit, quotidiè eelebramus, quotieseumque Missam agimus. *Conc.* apud S. MACRAM in *Diœcesi* RHEMANAI *ann.* 881. Cap. 5. TOM. IX. CONC. *p.* 342.

VIII. Is igitur Sacerdotem, secundùm Ordinem MELCHISEDECH, se in æternum declarans, Corpus & Sanguinem suum, sub speciebus panis & vini, Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum Symbolis, Apostolis, ur sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque Successoribus, ot offerrent præcepit, per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, uti semper Ecclesia Catholica intellexit & docuit. *Ibid.* Vide *Constitutiones* RICULPHI SUESSION. *Episcopi an.* 889. Cap. 3. 4. 7. TOM. IX. CONC. *p.* 418. ubi inter alia hæc notanda, ut dum oblationes mundas Deo porrigimus, ipsi quoque, ante Sanctum Altare illius, hostiæ acceptabiles efficiamur.

IX. Celebrato veteri Pascha, novum instituit Pascha, se ipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum, in memoriam transitûs sui ex hoc mundo ad Patrem, quandò per sui sanguinis effusionem noa redemir, atque eripuit de potestate tenebrarum, & in Regnum suum transtulit. *Ibid.*

X. Si quis dixerit illia verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, CHRISTUM non ordioasse, ut Apostoli, aliique Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum, Anathema sit. *Concil.* TRIO. SASS. XXII. *Can.* 2.

XI. Extra Catholicam Ecclesiam non est locus veri Sacrificii. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 71. *Extra.*

XII. Divinum hoc Sacrificium in Missa peragitur. *Concil.* TRIO. SESS. XXII. *Cap.* 2.

XIII. In Divino hoc Sacrificio, idem ille CHRISTUS continerur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis semel semetipsum cruentè obtulit. *Ibid.*

XIV. Una eademque est hostia, idemque nunc offerens Sacerdotum Ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. *Ibid.* *Concil.* TRID. SESS. XXII. Cap. 2.

XV. Si quia dixerit in Missa non offerri Deo verum & proprium Sácrificium, Anathema sit. *Concil.* TRIO. SESS. XXII. *Canone* 1.

XVI. Sacrosanctum Missæ Sacrificium est tremendum Mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in Altari per Sacerdotes quotidiè immolatur. *Concil.* TRIO. SESS. XXII. DECRAT. *De observandis*, &c.

XVII. Er hæc quidem illa munda oblatio est, quæ oulla indignitare aut malitia offerentium inquinari potest. *Conc.* TRIO. SASS. XXII. Cap. 1.

SECTIO II.

Quale sit illud Sacrificium, & qui sint fructus, sive effectus, Sacrosancti Missæ Sacrificii?

I. Oblationia cruentæ CHRISTI fructua, per hanc incruentam oblationem uberrimè percipiuntur. *Conc.* TRID. SESS. XXII. *Cap.* 2.

II. Sacrificium istud verè propitiatorium est, pee ipsumque fit, ut si cum vero corde, & recta fide, cum metu ac reverentia, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericotdiam consequamur, & gratiam inveniamus io auxilio opportuno. *Ibid.*

III. Hujus oblatione placatua Domious, gratiam & donum pœnitentiæ concedena, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. *Ibid.*

IV. Est hoc omnium Sanctissimum Sacrificium. *Conc.* TRIO. SESA. XXII. Cap. 4. *init.*

V. Hæc illa est oblatio munda, quæ bona omnia, pet Sacrificia naturæ & legis tempote significata, velut illorum omnium consummatio & perfectio, complectitur. *Ibid.* Cap. 1. *fin.*

VI. Missæ Sacrificium non tantùm est laudis & gratiarum actionis. *Ibid.* *Can.* 3.

VII. Non est nuda commemoratio Sacrificii in cruce peracti. *Ibid.*

VIII. Quia quotidiè labimur, quotidiè CHRISTUS pro nobis mysticè immolatur, & passio CHRISTI in Mysterio traditur; ut qui semel moriendo mortem vicerat, quotidie recidiva delictorum, per hæc Sacramenta Corporis & Sanguinis, peccata relaxet. *De Consecr.* DIST. II. Cap. 71. *Iteratur. med.*

IX. Animæ io Purgatorio detentæ potissimùm acceptabili Altaris Sacrificio juvantur. *Concil.* TRIO. SASS. XXV. DACR. *De Purgatorio.*

X. Omne crimen atque peccatum oblatis Deo Sacrificiia deletur. *Concil.* BRACAR. IV. *ann.* 675. Cap. 2. *De Consecr.* DIST. II. Cap. 7. *Cùm omne crimen.*

SECTIO III.

Quomodo, & pro quibus offerendum sit Sacrosanctum Missæ Sacrificium?

I. Quamvis in honorem & memoriam Sanctorum, oonnullas interdùm Missas Ecclesia eelebrare consueverit, nou tamen illis Sacrificium offertur, sed Deo soli, qui illos coronavit. *Concil.* TRID, SASS. XXII. Cap.

Cap. 3. *init. Concil.* SALEGUNSTAD. *ann.* 1022. Cap. 10. TOM. IX. CONC. *p.* 846. Prohibito abusu petendi quotidiè Missas de Trinitate, vel de S. MICHAELE, subdit, si voluerint ut sibi Missæ cantentur de eodem die, audiant Missas vel pro salute vivorum, aut pro defunctis.

II. Nec Sacerdos dicere solet, offero tibi Sacrificium, PETRE vel PAOLE; sed Deo de illorum victoria gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriam facimus in terris. *Cit. loco Conc.* TRID.

III. Hoc Divinum Sacrificium, pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, ritè, juxta Apostolorum traditionem, offertur. *Concil.* TRID. SESS. XXII. Cap. 2. *fin.*

IV. Etiam pro defunctis in CHRISTO, nondùm ad plenum purgatis, ritè, juxta Apostolorum traditionem, offertur. *Ibid.*

V. Non negandum est, defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cùm pro illis Sacrificium Mediatoris offertur, vel Eleemosinæ in Ecclesia fiunt. Sed hæc eis prosunt, qui cùm viverent, ut hæc sibi posteà possent prodesse, meruerunt. CAUS. XIII. QUÆST. II. *Cap.* 23. *Tempus. §.* 1. *neque. Epistola* 1. GREGOR. III. *ann. circ.* 731. Cap. 3. TOM. VI. *Concil p.* 1468. *Excerptum ejusdem anni.* Cap. 731. 32. TOM. VI. CONC. *p.* 1485. vetat offerri pro illis qui seipsos interficiunt. GREGOR. III. *ann.* 738.

VI. Sancta sic tenet Ecclesia, ut quisque pro suis mortuis verè Christianis offerat oblationes, atque Presbyter eorum memoriam faciat. *Ibid.* Cap. 21. *Pro obeuntibus.*

VII. Quamvis omnes peccatis subjaceamus, congruit ut Sacerdos pro mortuis Catholicis memoriam faciat, & intercedat: non tamen pro impiis, quamvis Christiani fuerint, tale quid agere licebit. *Ib. fin.*

VIII. Non æstimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus, pervenire, nisi quod pro eis sive Altaris, sive Orationum, sive Eleemosinarum Sacrificiis solemniter supplicamus; quamvis non pro quibus fiunt, omnibus prosint; sed his tantùm quibus, dùm vivunt, comparatur ut prosint. *Ibid.* CAUS. XIII. QUÆST. II. Cap. 19. *Non æstimemus. init.*

IX. Sed quia non discernimus qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, ut nullus eorum prætermittatur ad quos hæc beneficia possint, & debeant pervenire; meliùs enim supererunt ista eis quibus nec obsunt, nec prosunt, quàm eis deerunt quibus prosunt. *Ibid.*

X. Diligentiùs tamen faciat hoc quisque pro necessariis suis, quo pro illo fiat similiter à suis. CAUS. XIII. QUÆST. II. *Cap.* 19. *Non æstimemus. §.* 1. Vide *Concil.* CLOVESHOVIÆ II. *ann.* 747. *Can.* 27. *De Psalmodia in lingua incognita.* TOM. VI. CONC. *p.* 1581.

XI. In Sanctificatione Corporis & Sanguinis Domini JESU CHRISTI, solummodò Orationem Dominicam S. Apostoli decantabant. *Epist.* 3. LEONIS VII. TOM. IX. CONC. *p.* 597. *ann. circ.* 937. Vide *Epistolam* 8. NICOLAI. I TOM. VIII. CONC. *p.* 298.

SECTIO IV.

An adhibendæ sint aliquæ Ceremoniæ in Sacrificio Missæ; & an liceat Missas, tàm in lingua vulgari, quàm privatas celebrare?

I. Pia Mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam summissâ voce, alia verò elatiore in Missa pronuntiarentur, instituit. *Concil.* TRID. SESS. XXII. Cap. 5.

II. Si quis dixerit Ecclesiæ Romanæ ritum, quo summissa voce pars Canonis & verba Consecrationis proferuntur, damnandum esse, Anathema sit. *Ib. Can.* 9.

III. Missa, præter Secretas Orationes, ita summissa voce dici non debet, quod à circumstantibus audiri non possit. PRAGMATICA SANCTIO. *Tit.* XVI. Cap. *Abusum.* Et qui in hoc transgressor inventus fuerit, à Superiore debitè castigetur.

IV. Cùm Sacerdos ad solemnia Missarum accedit, aut per se Deo Sacrificium oblaturus, aut Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini Nostri JESU CHRISTI sumpturus, non aliter accedat, quàm orario utroque humero circumseptus, sicut & tempore Ordinationis suæ dignoscitur consecratus; si quis autem aliter egerit, Excommunicationi debitæ subjaceat. DIST. XXIII. *Cap.* 9. *Ecclesiastica.* Ex *Conc.* BRACHAR. III. Cap. 3. *ann.* 675.

V. Sacerdos Missam solus nequaquam celebret. THEODULPHUS AURELIAN. *Capitulari.* Cap. 7. TOM. VII. CONC. *p.* 1138. Multos alios Canones hujus generis collectos vide in TOM. III. *Consult. Canon. de Sacram. Consult.* 7. *à p.* 85. *ad p.* 103.

VI. Ut nullus Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, ad celebrandum Missarum solemnia præsumat cum baculo introire; aut velato Capite Altario Dei assistere; quoniam & Apostolus prohiber viro velato capite orare in Ecclesia; & si temere præsumpserit, Communione privetur. *Concil.* ROMANUM I. sub ZACHARIA *ann.* 743. Cap. 13. TOM. VI. CONC. *p.* 1549. *Concil.* PARIS. VI. *ann.* 829. Cap. 48. TOM. VII. CONC. *p.* 1619. Pecçasse probatio Missam celebrandi velato capite ad Disciplinam pertinet, quæ ubique eadem non est, imò quandoque longè diversa.

VII. Ceremonias item Ecclesia adhibuit, ut Mysticas Benedictiones, lumina, Thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolica Disciplina & Traditione, quo & Majestas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes fidelium, per hæc visibilia Religionis & pietatis signa, ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur. *Conc.* TRID. SESS. XXII. *Cap.* 5.

VIII. Peccasse probatur Presbyter, ex cujus confessionibus invenitur, quod sine igne sacrificaverit. *De Celebratione Missarum.* Cap. *Literas. §. intellecto.* LIB. III. DECR. *Tit* 41. Cap. 14. *& ult.*

IX. Non solus Presbyter Missarum solemnia potest sine Ministri suffragio celebrare. *De Filiis Presbyter.* Cap. *Proposuit. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 17. Cap. 6. *Conc.* NAMNETENSE *Can.* 3. TOM. IX. CONC. *p.* 469.

X. Missa etiam privata sine Ministro dici non debet; & qui in hoc transgressor inventus fuerit, à Superiore debitè castigetur. PRAGMAT. SANCTIO. *Tit.* 16. Cap. *Abusum.*

XI. Prohibendum est, ut nulla fœmina ad Altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare. *De Cohabitatione Clericorum &c.* Cap. *Inhibendum. §. ult.* LIB. III. DECR. *Tit.* 2. Cap. 1.

XII. Missas illas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, Ecclesia probat, atque commendat. *Concil.* TRID. SESS. XXII. *Cap.* 6.

XIII. Illæ Missæ verè communes censeri debent, partim quod in eis populus spiritualiter communicet; partim quod à publico Ecclesiæ Ministro, non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus CHRISTI pertinent, celebrentur. *Ibid.*

XIV. Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem; non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari lingua passim celebraretur. *Concil.* TRID. SESS. XXII. Cap. 8. *init.*

XV. Institutio Missarum, sicut in Metropolitana Ecclesia agitur, ita in Dei nomine in omnibus Provinciis, tàm ipsius Missæ Ordo, quàm psallendi vel ministrandi consuetudo, servetur. *De Consecrat.* DIST. II. Cap. 31. *Concil.* MOGUNTIACUM *ann.* 813. *Can.* 43. TOM. VII. CONC. *p.* 1251. JOANNIS VIII. *Epist.* 195. TOM. IX. CONC. *p.* 127. *Epist.* 147. TOM. IX. CONC. *p.* 177.

XVI. Episcopus Den sacrificans testes secùm habeat, & plures quàm alius Sacerdos; sicut enim majoris honoris gradu fruitur, sic majoris testimonii incremento indiget. *De Consecr.* DIST. I. Cap. 59.

XVII.

XVII. Consultum est, utrùm Episcopi *Pax vobis*, an *Dominus vobiscum*, pronuntiare debeant; sed non aliter per omnem vestram Provinciam tenendum est, quàm in Sancta Romana Ecclesia; in Dominicis enim diebus, & in præcipuis festivitatibus, atque Sanctorum Matalitiis, *Gloria in excelsis Deo, & Pax vobis*, pronuntiamus; in diebus verò Quadragesimæ, & in Quatuor Temporibus, sive in vigiliis Sanctorum, & in reliquis Jejuniorum diebus, *Dominus vobiscum*, tantùmmodo dicimus. *Epistola* 3. LEONIS VII. TOM. IX. CONC. *p.* 597.

XVIII. Si quis dixerit lingua tantùm vulgari Missam celebrari debere, Anathema sit. *Concil.* TRID. SESS. XXII. *Canone* 9.

XIX. Retineri debet ubique cujusque Ecclesiæ antiquus, & à Sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum Matre & Magistra, probatus ritus in celebranda Missa. *Ibid. Concil.* TRID. SESS. XXII. Cap. 8.

SECTIO V.

Quid offerri debeat in Sacrificio Missæ, seu quæ sit materia Divini hujus Sacrificii?

I. Non oportet aliquid aliud in Sacramento offerri præter panem, vinum, & aquam, quæ in typo CHRISTI benedicuntur. *De Consecr.* DIST. II. Cap. 4. *Non oportet. init.*

II. In Sacramento Corporis & Sanguinis Domini, nihil ampliùs offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est, panis, & vinum aquæ mixtum. *Ibid.* Cap. 5. *In Sacramento.* Ea *Conc.* CARTAG. III. & *Cod. Can. Ecclesiæ Africanæ.*

III. Corpus Domini non potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi otrumque adunatum fuerit, & copulatum, & panis unius compage solidatum. *Ib.* Cap. 2. *Sic in sanctificando. fin. Concil.* VORMATIENS. *ann.* 868. *Can.* 4. TOM. VIII. CONCIL. *p.* 946. *Conc.* BRACAR. IV. *ann.* 675. Cap. 2. TOM. VI. CONC. *p.* 563. THEODULPHUS AURELIAN. in *Capitulari*. Cap. 5. TOM. VII. CONC. *p.* 1138.

IV. CHRISTUS Dominus, Sacerdos secundùm Ordinem MELCHISEDECH, Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini, Apostolis, eorumque in Sacerdotio Successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem. Concil.* TRID. SESS. XXII. Cap. 10. *Concil.* TOLET. XVI. *ann.* 693. Cap. 6. TOM. VI. CONC. *pag.* 1340. *Concil.* ANTISSIODOR. *ann.* 573. *Can.* 8. TOM. V. CONC. *p.* 958. *Concil. apud* VUINTON. *ann. circ.* 1074. Cap. 6. TOM. X. CONC. *p.* 312.

V. Definimus in Azimo sive fermentato pane triticeo Corpus CHRISTI veraciter confici, Sacerdotesque in altero ipsorum Domini Corpus conficare debere, unumquemque se, juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis, consuetudinem. *Bulla* 17. EUGENII IV. *Lætentur Cæli.* §. 4. *ann.* 1439. BULLAR. TOM. I. *p.* 354. Vide *Bullam.* 19. *Exultate.* §. 12. *p.* 358.

VI. A Domino admoniti & instructi sumus, ut calicem Domini cum vino mixtum, secundùm quod Dominus obtulit, offeramus. *Ibid.* Cap. 3. *Scriptura. fin.*

VII. Præceptum est ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent; tùm quod CHRISTUM Dominum ita fecisse credatur; tùm etiam quia à latere ejus aqua simul cùm sanguine exierit, quod Sacramentum hac mistione recolitur; & cùm aquæ in Apocalypsi B. JOANN. populi dicantur, ipsius populi fidelis cum Capite CHRISTO unio repræsentatur. *Concil.* TRID. SESS. XXII. Cap. 7.

VIII. Vel ex aperta malitia, vel nimia desipientia, peccasse probatur Presbyter, qui cùm quadam die hostiam & calicem non haberet, in pane fermentato Missarum Solemnia celebrare præsumpsit, & sine aqua sacrificavit. *De Celebratione Missarum.* Cap. *Literas.* LIB. III. DECR. *Tit.* 41. Cap. 14. *& ult.*

IX. Si Ecclesia per malitiam dicti Presbyteri multipliciter in his fuerit læsa, videtur Officio & Beneficio perpetuò privandus. *Ibid. fin.*

X. Secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiæ Generalis, plùs in Sacrificio est de vino quàm de aqua ponendum. *De Celebratione Missarum.* Cap. *Perniciosus.* LIB. III. DECR. *Tit.* 41. Cap. 13.

XI. Inter opiniones Scholasticorum, illa probabilior judicatur, quæ asserit aquam cùm vino in sanguinem transmutari, ut expressiùs eluceat proprietas Sacramenti. *De Celebratione. Missarum.* Cap. *Cùm Martha.* §. *Verùm.* LIB. III. DECR. *Tit.* 41. Cap. 6.

XII. Ideò vino aqua unitur, ut CHRISTO populus adunetur. *Ibid.* Ut nullus in Oblatione Sacri Calicis, nisi quod ea fructu vineæ speratur, & hoc aqua mixtum, offerre præsumat, quia Sacrilegum judicatur aliud offerri quàm quod in Mandatis Sacratissimis Salvator instituit. *Concil.* AURAL. IV. *ann.* 541. *Can.* 4. TOM. V. CONC. *p.* 382.

XIII. In Sacramentorum Oblationibus, quæ inter Missarum solemnia Domino offeruntur, passio Domini miscenda est, ut ejus, cujus Corpus & Sanguis conficitur, passio celebretur; ita ut panis tantùm & vinum aqua permixtum in Sacrificium offerantur. *De Consecrat.* DIST. II. Cap. 2.

XIV. Non debet, ut à Patribus accepimus, & ipsa ratio ducet, in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri; sed utrumque permiatum, quia utrumque ea latere ejus in passione sua profluxisse legitur. *Ibid.*

XV. Frumentum quod à piissimis Imperatoribus Ecclesiis Lybiæ, quia ibi omninò triticum non nascitur; præstiturum est imprimis quidem ut incruenta ex ipso hostia offeratur... & ea hoc neque terribile & incruentum Sacrificium celebratum est. *Libellus* ISCHYRIONIS *contra* DIOSCORUM ALEXAND. *Act.* 3. *Concil.* CALCH. TOM. IV. CONC. *p.* 400. Vide *Libellum* SAMUELIS *Presbyteri* adversùs IBAM *Episcopum Edessenum. Accusatione* 10.

XVI. Dum memoria fieret Sanctorum Martyrum, non est datum vinum ad Sacrificium Altaris ad Sanctificationem, & populi distributionem, nisi admodùm exiguum, & vitiosum ac lutosum; ita ut his qui Sanctum Corpus distribuebant, innueret, ut ingrederentur, quia Sanguis non inveniretur illis bibentibus, & tunc ac semper habentibus distinctum & mirabile vinum. *Act.* 10. *Concil.* CALCHED. TOM. IV. CONC. *p.* 649. *Conc.* QUINISEXTUM *ann.* 692. *Can.* 32. TOM. VI. CONC. *p.* 1156. *Concil.* TRIBUR. *ann.* 895. *Can.* 19. TOM. IX. CONC. *p.* 451.

SECTIO VI.

Quo in loco, & quibus in vasis, Missæ Sacrificium offerri debeat?

I. Non oportet in domibus Oblationes celebrari ab Episcopis & Presbyteris. *De Consecrat.* DIST. I. Cap. 2. *Tabernaculum.* §. *ult. fin.*

II. Missarum Solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda sunt. *Ibid.* Cap. 12. *Missarum.*

III. Ut nullus Sacerdos in domibus vel aliis locis, nisi in Ecclesiis dedicatis, celebrare Missas audeat. *Excerpt.* EGBERTI. Cap. 9. TOM. VI. CONC. *p.* 1587.

IV. Missarum Celebrationes non alibi, quàm in sacratis Domino locis, absque magna necessitate fieri debere, liquet omnibus, quibus sunt nota Veteris & Novi Testamenti præcepta. *De Consecr.* DIST. I. Cap. 1. *Capitul.* HEITONII *ann.* 822. Cap. 14. TOM. VII. CONC. *p.* 1524. *Concil.* PARIS. VI. *ann.* 829. Cap. 47. TOM. VII. CONC. *p.* 1628.

V. Sa-

V. Sacerdotum, aliorumque Clericorum Ecclesiis servientium, honores à Laïcorum loco discretè apparere convenit. *De Conf.* DIST. II. Cap. 30.

VI. Oportet ad Ecclesias accedere pro Missa celebranda. *In 6. De Privilegiis.* Cap. *Quoniam. juncta Gloss.* LIB. V. *Tit.* 7. Cap. 12. *Post init.*

VII. Non in aliis, quàm Domino Sacratis locis Missas cantare, aut sacrificia offerre licet, nisi summa coëgerit necessitas. *De Conf.* DIST. I. Cap. 11. *Sicut.*

VIII. Satiùs est Missam non cantare, aut non audire, quàm in illis locis ubi fieri non oportet, nisi pro summa contingat necessitate. *Ibid.*

IX. Sicubi qualicumque modo Ecclesiæ fuerint incensæ & combustæ, in Capellis cum tabula consecrata Missas interim celebrari permittitur, donec Ecclesiæ ipsæ restaurari queant. *De Conf.* DIST. I. Cap. 30. *Concedimus.*

X. Quod non oporteat in domibus Oblationes celebrari ab Episcopis vel Presbyteris. *Conc.* LAODIC. *Can.* 58.

XI. Nulli Laïcorum liceat, in eo loco ubi Sacerdotes & reliqui Clerici consistunt, quando Missa celebratur, consistere, ut liberè ac honorificè possint Sacra Officia exercere. *Ibid.* Vide *Suppositum* FALICIS IV. *Epist.* 1. *ann.* 530. Cap. 1. TOM. IV. CONC. *p.* 1651.

XII. Non nisi in locis & Altaribus lapideis, saltem portatilibus, & consecratis, Missæ celebrentur. *Conc.* MELODUN. *Tit.* 11.

XIII. Vasa in quibus Sacrosancta conficiuntur Mysteria, calices sunt & patenæ. *Ibid.* Cap. 44. *Vasa. init.*

XIV. Ut Calix Domini cum patena, si non ex auro, omninò ex argento fiat. *Ibid.* Cap. 45. *Ut calix. Conc.* QUINISEXTUM. *ann.* 692. *Can.* 3. TOM. VI. CONC. *p.* 1156. Cap. 3. *Post illud Concilium.* TOM. VI. CONC. *p.* 1204.

XV. Si quis autem tàm pauper est, saltem vel stanneum calicem habeat. *Ibid.* Cap. 45.

XVI. De ære aut auricalcho non fiat calix, quia ob vini virtutem, æruginem parit, quæ vomitum provocat. *Ibid.*

XVII. Nullus in ligneo aut vitreo calice præsumat Missam cantare. *Ibid. fin.*

XVIII. Nullus Sacerdos Sacrum Mysterium Corporis & sanguinis Domini Nostri JESU CHRISTI in ligneis vasculis ullo modo conficere præsumat. *Ibid.* Cap. 44. *fin.*

XIX. Peccasse probatur Presbyter qui in scypho ligneo Missarum solemnia celebrare præsumpsit. *De Celebratione Missarum.* Cap. *Litteras.* LIB. III. DECR. *Tit.* 41. Cap. 14.

XX. Non aliis in locis, quàm in Domino sacratis ab Episcopis, Missas celebrare, nec Sacrificia offerre Domino debemus. *De Conf.* DIST. I. Cap. 2. §. 2.

XXI. Et hoc, nisi summa necessitas compulerit, non in domibus, quia in Sacris Canonibus Sacrificia in domibus offerre prohibita sunt, sed in tabernaculis, Divinis precibus à Pontificibus dicatis, & in mensis Domino sacratis, & Sacra unctione à Pontificibus delibutis, pro summa necessitate, & non pro libito cujusquam & pigritia, agatur. *Ibid.*

XXII. Presbyteri non sacrificent cum calice ligneo vel fictili. *Conc.* COYAC. *in Hispania. an.* 1050. *Can.* 3. TOM. IX. CONC. *p.* 1064. De hac re fusè agitur in *Consult.* 33. TOM. III. *Consult. Canonic. De Sacram. p.* 505. *ad* 527. in eaque colliguntur quicumque occurrerunt Canones, circa materiam ex qua fieri debeant Calices aliaque vasa sacra.

XXIII. In aliis locis sacrificare, & Missas celebrare non licet, nisi in his in quibus Episcopus proprius jusserit; aut ab Episcopo regulariter ordinato, tenente videlicet civitatem, consecrata fuerint; aliter enim non sunt hæc agenda, nec ritè celebranda. *De Conf.* DIST. I. Cap. 14.

XXIV. Nullus Presbyter Missas celebrare præsumat, nisi in sacratis ab Episcopo locis, qui sui particeps de cætero voluerit esse Sacerdotii. *Ibid.* Cap. 15.

XXV. Missarum solemnia nequaquàm alibi, nisi in Ecclesia, celebranda sunt &c. THEODULPHUS *Aurelian. Capitular.* Cap. 11. TOM. VIII. CONC *p.* 1139.

XXVI. Excepto Passionis Dominicæ die, quando Altaria denudata persistunt, nec cuiquam in eodem die Missarum licet Solemnia celebrare; cunctis aliis diebus Sacrificiorum Domino libamina dedicentur. *Concil.* TOLET. XVI. Cap. 8. *an.* 693. TOM. VI. CONC. *p.* 1344. *Conc.* CABILL. II. *ann.* 813. *Can.* 49. TOM. VII. *Conc. p.* 1283. *Conc.* ROMAN. 826. Cap. 17. TOM. VIII. *Conc. p.* 109. *Concil.* PONTIGON. *an.* 876. Cap. 7. TOM. IX. *Conc. p.* 287. *Conc.* MOGUNT. *an.* 888. Cap. 9. TOM. IX. *Conc. p.* 407. *Conc* METENSE *an.* 838. *Can.* 8. TOM. IX. *Conc. p.* 415. *Conc.* TRIBUR *an.* 895. *Can.* 18. TOM. IX. CONC. *p* 450.

XXVII. Ut calices non sint ærei vel lignei. *Conc. apud.* VUINTONIAM. *ann. circ.* 1074. Cap. 16. TOM. X. CONC. *pag.* 312. *Conc.* QUINTILINEBURG. *ann.* 1085. Cap. 4. TOM. X. CONC. *p.* 405.

SECTIO VII.

Qualia debeant esse vestimenta, & alia quibus utuntur Sacerdotes in offerendo Missæ Sacrificio?

I. Vestimenta Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, & Sacrata debent esse, & honesta; quibus in aliis usibus non debent frui, quam in Ecclesiasticis, & Deo dignis Officiis. *De Conf.* DIST. I. Cap. 42. *Vestimenta. init. Conc.* BRACAR. IV. *ann.* 675. Cap. 4. TOM. VI. CONC. *p.* 564.

II. Vestes Presbyteri in Sacrificio sint amictus, Alba &c. *Conc.* COYACENSE *in Hispania. ann.* 1050. TOM. IX. *Conc. p.* 1064.

III. Indumenta Sacerdotalia benedici debent. LIB. I. *De Sacramentis operandis* Cap. *A nobis. fin.* Colligitur. LIB. I. DECR. *Tit.* 16. Cap. 2.

IV. Indumenta Sacerdotalia, cum quibus degradati Presbyteri celebrarunt, non debent iterùm benedici. *Ibid.*

V. De vestibus & ligneis vasis, & aliis utensilibus ad cultum Religionis per Pontificem deputatis, antiqua consuetudo indubitanter observat, & venerabilium Patrum edocent Sanctiones, non debere mundanis usibus deputari. *De Religiosis domibus* &c. Cap. *Ad hæc. fin* LIB. III. DECR. *Tit.* 36. Cap. 4.

VI. Sacrificium Altaris non in serico panno, aut tincto, quisquam celebrare præsumat; sed in puro linteo ab Episcopo consecrato, terreno scilicet lino, ad instar Syndonis lineæ ad quam CHRISTUS sepultus est. *De Conf.* DIST. I. Cap. 46. *Consulto.* Vid. *Conc.* TOLET. III. *ann.* 589. *De Cantando Symbolo* CONSTANTINOPOLITANO *in Missa.* Cap. 2. TOM. V. CONC. *p.* 1009.

SECTIO VIII.

De variis Missæ partibus, ac præcipuè de Canone.

I. *Alleluia*, atque *Gloria in Excelsis Deo*, in Septuagesima intermittimus. *De Conf.* DIST. I. Cap. 55. *Hi duo. init.*

II. *Gloria in Excelsis* ab Episcopis in Cæna Domini inter Missarum solemnia dicenda est. *Ibid.* Cap. 6. Vide CONC. ECCLES. AFRIC. *Can.* 103. TOM. II. CONC. *p.* 1117. Vide *Concil.* VALENTINUM. *ann.* 524. Cap. 1. TOM. IV. CONC. *p.* 1617. De Officiis Missarum Vide *Epistolam* JOANNIS III. circa. *an.* 559. TOM. V. CONC. *p.* 817. Vide *Conc.* BRACARENSE II. *an.* 563. Cap. 3. 4. TOM. V. CONC. *p.* 840.

III. In diebus profestis, cùm Missarum solemnia in honorem B. Virginis celebrantur, neque Hymnus Angelicus, neque Symbolum decantatur, licet in Missa propria

propria Præfatio decantetur, ut inter commemorationem & solemnitatem differentia ostendatur. *De Celebr. Missarum.* Cap. *Consilium.* LIB. III. DECR. *Tit.* 41. Cap. 4. §. *inquisitioni.* Vide *Conc.* VASENSE vulgò III. verè II. *ann.* 529. Cap. 3.4. TOM. IV. CONC. *p.* 1680.

IV. Ibi Missæ Maturinæ & Quadragesimales, de non recitandis nominibus, antequàm Oblatio offeratur. *Concil.* FRANCOF. *ann.* 794. *Can.* 51. TOM. VII. CONC. *p.* 1063.

V. Ideò Sacerdos ante orationem, præfatione præmissa parat fratrum mentes, dicendo, *Sursùm corda*, ut dùm responder plebs, *Habemus ad Dominum*, admonearur, nihil se aliud, quàm Dominum cogitare debere. *De Consecr.* DIST. II. Cap. 70. *Quandò.*

VI. Caveat sibi Presbyter nunquam se sine nostri & tui nominis recitatione Sacra Mysteria celebrare. PELAG. I. in *Epist.* LAURENT. *Episcopo Centumcellensi* TOM. V. CONC. *p.* 810. *Concil.* AURAL. III. *ann.* 538. *Can.* 29.

VII. Sacrificia Missarum Maturinarum, sive vespertina. TOM. V. CONC. *p.* 302. *Epistola* 2. VIGIL. *an.* 538. Cap. 5. TOM. V. CONC. *p.* 713. *Concil.* CABILLON. II. *ann.* 813. *Can.* 39. TOM. VII. CONC. *p.* 1281.

VIII. Invenimus novem Præfationes in Sacro Catalogo tantummodò recipiendas, quas longa retrò vetustas io Romana Ecclesia hactenùs servavit. PELAG. II. fortè circa *ann.* 585. *De Consecr.* DIST. I. Cap. 71. *Invenimus.*

IX. In Concilio Placentiæ habito sub URBANO II. antiquis novem Præfationibus decima addita est de Beatissima Virgine. GRATIANUS DIST. LXX. *post* Caput 2. *Sanctorum. fin.* Vide TOMO X. CONC. *p.* 504. *fin. ann.* Christi 1095.

X. Rogamus hanc Oblationem benedictam, per quam nos benedicamur; adscriptam, per quam nos omnes in Cælo conscribamur; ratam, per quam in visceribus CHRISTI esse censeamur; rationabilem, per quam à bestiali sensu exuamur, acceptabilemque facere dignetur; quatenùs & nos per hoc quod in nobis displicuimus, acceptabiles in ejus unico Filio simus. *De Consecr.* DIST. II. Cap. 72. *Utrum. med. cum Correctione Romana* verbo *hanc igitur.*

XI. Unam in Albis Paschalibus: Aliam de Ascensione Domini: Tertiam de Pentecoste: Quartam de Natali Domini: Quintam de Apparitione Domini: Sextam de Apostolis: Septimam de Sancta Trinitare: Octavam de Cruce: Nonam de Jejunio in Quadragesima tantummodò dicendam: Has Præfationes tenet & custodit Sancta Romana Ecclesia. Circa has Præfationes Vide BONA *De Rebus Liturgicis*: De iisdem oonnihil dictum est, dùm *De Mendis* GRATIANI.

XII. Ecclesia Catholica, ut dignè reverenterque hoc Sacrificium offerretur ac perciperetur, Sacrum Canonem multis antè Sæculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maximè Sanctitatem & pietatem quamdam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat. *Conc.* TRID. SESS. XXII. Cap. 4.

XIII. Cùm Altari assistitur, semper ad Patrem dirigarur oratio. *Except.* EGBERTI Cap. 53. TOM. VI. CONC. *p.* 1590.

XIV. Constat, cùm ex ipsis Domini verbis, tùm ex Apostolorum traditionibus, ac Sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus. *Ibid.* Sub nomine Pontificum alii Sancti Patres comprehenduntur.

XV. Sunt quoque io eodem Canone formæ verborum, quas ipse CHRISTUS expressit, cùm in Corpus & Sanguinem suum, panem transubstantiavit & vinum. In Canone Missæ, quo Ecclesia utitur Generalis, sermo iste, videlicet *mysterium fidei*, interpositus invenitur, quod nullus Evangelistarum legitur expressisse. *De Celebr. Miss.* Cap. *Cùm Marthæ. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 41. Cap. 6.

XVI. Si forma ipsius Canonis inspiciatur diligenter, alia duo videlicet, *elevatis oculis in Cælum*, & *æterni testamenti*, in ipso Canone reperiuntur, quæ in Textu Evangelico non leguntur. *ibid.*

XVII. Multa tàm de verbis, quàm de factis Dominicis invenimus ab Evangelistis omissa, quæ Apostoli vel supplevisse verbo, vel facto expressisse leguntur. *ibid.* §. 1 *Sanè.* idque probatur adductis exemplis.

XVIII. Credimus quod formam verborum, sicut in Canone reperitur, & à CHRISTO Apostoli, & ab ipsis eorum acceperint Successores. §. *distinguendum. fin.*

XIX. Verba invocationis, cùm panis Eucharistiæ, & calix Benedictionis offertur, quis ex Sanctis Patribus scripto nobis reliquit? DIST. XI. Cap. 5. *Cum correctione Romana*, ex S. BASIL. LIB. *De Spiritu Sancto.* Cap. 27.

XX. Oratio quæ hìc vocatur invocatio, alibi dicitur vel Gratiarum actio, vel Benedictio, vel Consecratio.

XXI. Quæ adduntur in Canone Missæ, possunt ex aliis locis Evangelii comprobari. *De Celebr. Miss.* Cap. *Cùm Marthæ.* §. 1. *sanè. fin.*

XXII. Si tunc JESUS in Cælum oculos levavit ad Patrem, cùm ad corpus exanime animam Lazari revocavit; probabilius esse videtur quod tunc oculos levavit ad Patrem in Cælum, cùm panem & vinum in Corpus & Sanguinem proprium commutavit. *De Celebrat. Missarum.* Cap. *Cùm Marthæ.* §. *si tunc.* LIB. III. DECR. *Tit.* 41. Cap. 6.

XXIII. Sic intelligi debet quod in ipso Canone reperitur; *Hic est enim Sanguis meus Novi & Æterni Testamenti*, id est novæ ac æternæ promissionis, scilicet confirmator. *ibid.* §. *cæterum fin.* ex S. GREG. *Hom* 22. *in Evang.* Legendus hic Canon totus; multa omissa sunt quæ collecta firmant, enucleantque. Extat impressus in Ordinario Missæ in plurimis libris edito.

XXIV. Sacerdos quilibet frequenter doceat plebem suam, ut cùm in Celebratione Missarum elevatur hostia salutaris, se reverenter inclinet. *De Celebrat. Missarum.* Cap. *Sanè* §. *Sacerdos* LIB. III. DECR. *Tit.* 41. Cap. 10.

XXV. Quis fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora, ad Sacerdotis vocem Cælos aperiri, in illo JESU CHRISTI Mysterio Angelorum choros adesse, summa & ima sociari. *De Consecr.* DIST. II. Cap. 73. *Quid sit.* §. 1. *hac fin.* visum est ut in omnibus Missarum solemnibus &c. *hic Cap.* 72.

XXVI. Nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium, preces Domino, in Missarum solemnibus fundantur. *De Consecr.* DIST. I. Cap. 72. *Visum est. post init.*

XXVII. Reliqua omnia quæ Sacerdos dicit, aut Clerus Chori cantat, nihil aliud quàm laudes & Gratiarum actiones sunt, aut certè obsecrationes & Fidelium petitiones. *De Consecr.* DIST. I. Cap. 72. *Utrum. fin.*

XXVIII. Semper Sacerdos vino perfundere debet, postquàm totum accepit Eucharistiæ Sacramentum. *De Celebratione Missarum.* Cap. *Ex parte.* LIB. III. DECR. *Tit.* 41. Cap. 5. Hæc perfusio, quæ ablutio nuncupari solet per Canones, explicatur in 12. *Consult.* TOM. III. *Consult. Canonic. p.* 1. ad 23.

XXIX. Pars oblatæ in calicem missa, corpus CHRISTI, quod jam resurrexit, monstrat; pars comesta, ambulans adhuc super terram; pars in Altari usque ad finem Missæ remanens, corpus jacens in sepulchro, quia usque ad finem sæculi corpora Sanctorum in sepulchris erunt. *De Consecr.* DIST. II. *Cap.* 21. Post omnia, quæ aperire non debeo, pax est necessariò indicenda, per quam constet populum ad omnia, quæ in Mysteriis aguntur, atque in Ecclesia celebrantur, præbuisse consensum, ac finita esse pacis concludentis signaculo demonstrantur. *De Consecr.* DIST. II. Cap. 9. *Pacem igitur.*

XXX. Cùm Sacræ Scripturæ dicat autoritas, quod injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre; idem est

ratione

ratione consimili de aliis Sanctis sentiendum, quia Orationibus nostris non indigent, pro eo quod cùm sint perfectè beati, omnia eis ad vota succedunt: Sed nos potiùs Orationibus eorum indigemus, quos, cùm miseri simus, undique mala nostra perturbant. Undè quod in plerisque Orationibus continetur, prosit vel proficiat huic Sancto, vel illi, talis Oblatio ad gloriam & honorem, ita debet intelligi, ut ad hoc prosit, quod magis ac magis à fidelibus glorificetur in terris. *De Celebratione Missarum.* Cap. *Cùm Marthæ.* §. *ult.* Lib. III. Decr. *Tit.* 41. Cap. 6.

XXXI. Nulla nunc remanet pars oblata post finem Missæ; nam oblata Sacerdotis non est eadem ac oblata populi, imò omninò diversa; illa enim una est, & à Presbytero tota consumitur; hostiæ verò pro populo plures simul consecrantur, sua cuique datur, nisi necessitas cogat unam in plures dividere.

Multa hic omissa circa explicationem Missæ habes in Tractatu *de Curato* priori Parti inserto, *Tit. De Missa.*

SECTIO IX.

An liceat eidem Sacerdoti plures Missas una die celebrare, & quomodo?

I. Sufficit Sacerdoti unam Missam in die una celebrare. *De Consecr.* Dist. I. Cap. 53. *Sufficit. init.*

II. Cuiliber Sacerdoti, quacumque dignitate præfulgeat, unam in die celebrare Missam sufficit; nam & valdè est felix qui celebrat dignè unam. *De Celebra. Missarum.* Cap. *Te referente.* Lib. III. Decr. *Tit.* 41. Cap. 12.

III. Qui pro pecuniis, aut adulationibus Sæcularium, una die præsumunt plures facere Missas, non evadunt damnationem. *De Consecrat.* Dist. I. Cap. 53. *fin. Concil.* Salegunstad. *ann.* 1022. Cap. 5. Tom. IX. Conc. *p.* 846.

IV. Qui verò pro pecuniis aut adulationibus Sæcularium, una die præsumunt plures facere Missas, non æstimo evadere damnationem. *De Consf.* Dist. I. Cap. 53. *fin. Concil.* Tolet. XVII. *ann.* 693. Cap. 5. Tom. VI. Conc. *p.* 1366.

V. Excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodò celebrare. *Ibid.* Lib. III. Decr. *Tit.* 41. Cap. 3. *Consuluisti. Ibid.* Cap. 12. *Te referente.*

VI. Sacerdotes duas uno & eodem die Missas non celebrent, nisi in casibus à Jure permissis, maximè ubi tanta est Sacerdotum penuria, ut unus Rector duobus Altaribus ministrare cogatur. *Constit.* Melod. *Tit.* 5. Quod de duabus Missis dicendis ab eodem Sacerdote eodem die hic dicitur, fusè expositum est *in Consult.*

VII. Ne hoc quidem fieri unquam licet, sine Dispensatione ab Ordinario obtenta. *Ibid.* Memoires du Clergé. *p.* 441.

VIII. Sufficit Sacerdoti unam Missam in una die celebrare, quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit. *Excerpt.* Egberti. Cap. 54. Tom. VI. Conc. *p.* 1590.

IX. Sacerdos cùm eodem die aliam Missam debuerit celebrare, vinum non perfundat. *De Celebrat. Missarum.* Cap. *Ex parte.* Lib. III. Decr. *Tit.* 41. Cap. 5.

X. Sacerdotes pro omnibus orare debent, quorum Eleemosinas & Oblationes accipiunt. Caus. X. Quæst. I. Cap. 13. *Quia. init.*

XI. Si fortè vinum perfusionis acciperet, Celebrationem aliam impediret. *Ibid.*

SECTIO X.

Qua hora Missa dicenda sit? & qualis? & an pro stipendio?

I. Nocte Sancta Nativitatis Domini Salvatoris, Missas celebrent Presbyteri. *De Consecr.* Dist. I. Cap. 48. *Nocte. init.*

II. Edicto & pœnis propositis caveant (Ordinarii) ne Sacerdotes aliis quàm debitis horis celebrent. *Concil.* Trid. Sess. XXII.

III. Etiam prima parte diei Missas celebrare licet: *De Consecrat.* Dist. LI. *Necesse.* Colligitur.

IV. Necesse est ut quædam populi pars sua devotione privetur, si Sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte convenerint. *De Consecr.* Dist. I. Cap. 51. *Necesse est. Epistola* S. Leonis XI. *aliàs* VIII. Cap. 2.

V. Sancitum est ut Missæ peculiares, putà de S. Trinitate, & de S. Michaele, non fiant nisi suo tempore, & nisi aliquis velit, propter reverentiam Sanctæ Trinitatis, non pro alia devotione, audire, (quasi melius sit Missas istas audire quàm alias de die. *Gloss.*) *Ibid. De Celebrat. Miss.* Cap. *Quidam. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 41. Cap. 2.

VI. Missa debet concordare cum Officio, etiamsi dicatur pro defunctis; additis precibus peculiaribus pro ipsis.

VII. Pro festo, vel feria, secundùm temporum congruentiam, Missarum Solemnia celebrari debent. *Ibid. De Celebrat. Miss.* Cap. *Cùm Creatura. fin.* Colligitur. Lib. III. Decr. *Tit.* 41. Cap. 11.

SECTIO XI.

Quæ dispositiones requirantur in Sacerdote ad faciendam Missam?

I. Et pro Anniversariis defunctorum, & pro Festo, vel feria, secundùm temporum congruentiam, Missarum Solemnia conventualiter celebranda. *Cap.* 11. *Cùm Creatura.* Decr. Lib. III. *Tit.* 41.

II. Sacramenta Altaris non nisi à jejunis hominibus celebrentur. *De Consecr.* Dist. I. Cap. 49. *Sacramenta. init.*

III. Nullus post cibum potumque, quamlibet minimum, sumptum, Missas facere præsumat. Caus. VII. Quæst. I. Cap. 16. *Nihil. fin.*

IV. Quibusvis Prælatis, Capitulis, Clericis, Fratribus, aliisque Superioribus, sub perpetuæ suspensionis à Divinis pœna, districtiùs inhibitum est, ne Missas vespertino tempore, quovis prætextu, celebrare, vel celebrari facere præsumant. *Bulla* 4. Pii V. *Sanctissimus.* §. 2. *ann.* 1566. *Bullarii* Tom. II. *p.* 178. *Concil.* Tolet. VII. *ann.* 646. Cap. 2. *fin.* Tom. V. Conc. *p.* 1839. *Concil.* Quinisextum. *ann.* 692. *Can.* 29. Tom. VI. Conc. *p.* 1156.

V. Si quis hoc temerariè præsumpserit, Excommunicationis sententiam sustinebit. *Ibid. fin.*

VI. Si quis Presbyter in hac vesania fuerit deprehensus, ut non jejunus, sed quocumque jam cibo percepto, Oblationem consecraverit, continuò ab Officio suo privatus à proprio deponatur Episcopo. *Conc.* Bracar. III. *ann.* 572. *Can.* 10. *fin.* Tom. V. Conc. *p.* 898.

VII. Omnis Sacerdos tunc sibi licitum sacrificare sciat, quandò à malis actibus vacat. *Conc.* Tolet. XIII. *ann.* 683. Tom. VI. Conc. *p.* 1265.

VIII. Nullus Presbyter confertus cibo, aut crapulatus vino, Sacrificia contrectare, aut Missas facere præsumat; quod si quis præsumpserit, amittat honorem. *Conc.* Augustodun. *ann. circ.* 772 *Can.* 14. *in Append.* Tom. VI. Conc. *p.* 1887. *Concil.* Saligunst. *ann.* 1022. Cap. 4. Tom. IX. Conc. *p.* 845.

IX. Si necessariò fatemur nullum aliud opus adeò Sanctum ac Divinum à Christi fidelibus tractari posse, quàm hoc ipsum tremendum Mysterium; satis etiam apparet omnem operam & diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia & puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie, peragatur. *Concil.* Trid. Sess. XXII. *Decreto, De Observandis. &c. in Proœmio.*

X. Non licet Presbytero, aut Diacono, aut Subdiacono,

tione, post acceptum cibum vel poculum Missas tractare. *Concil.* ANTISSION. *ann.* 578. *Can.* 19, TOM. V. CONC. *p.* 959. *Conc.* MATISCON. II. *ann* 585. *Can.* 6. TOM. V. CONC. *p.* 981.

XI. Etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, perpetuò servandum est, ut quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, necessariò præmittant Confessionem Sacramentalem, modò non desit illis copia Confessoris. *Concil.* TRID. SESS. XIII. Cap. 7. & *Canone* 11.

XII. Quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur. *Ibid.* Cap. 7.

XIII. Cùm ultrà modum appetitus gulæ in sumendis alimentis rapitur, atque idcircò humorum receptacula gravantur; habet exindè animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem Missarum Solemnia celebrandi, cùm fortasse exhibere Mysterium, pro eo quod Sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas compellit. DIST. VI. Cap. 1. *Testamentum.* §. 3. *Cùm verò. med.*

XIV. Si adsint alii qui implere Mysterium valeant, illusio seu pollutio per crapulam facta ab immolatione Sacri Mysterii abstinere humiliter debet. *Ibid. fin.*

XV. Presbyter qui cùm sciat se in mortali crimine constitutum, Missarum Solemnia, quæ non potest propter necessitatem quamlibet intermittere, dubitat celebrare, & qui pro sui criminis conscientia, reputat se indignum, peccat graviter, si se ingerat irreverenter ad Missam celebrandam. *De Celebr. Missarum.* Cap. *De Homine.* LIB. III. DECR. *Tit.* 41. Cap. 7.

XVI. Si constiterit quod alicui Presbytero Ecclesia non perpetuò concessa, sed ad tempus fuerit commendata, & de vinolentia, & quod in taberna pernoctaverit, ita quod altera die, nulla præmissa dormitione, Missam cantaverit; si de hoc rationabiliter convictus fuerit, in judicio ante Episcopum suum, sive accusatus, vel ad rationem positus, sine coactione fuerit confessus, eadem Ecclesia privari debet. *De Accusationibus.* Cap. *Si constiterit.* LIB. I. DECR. *Tit.* 1. Cap. 12. Ex *Epist.* 14. *Append.* 1. ALEX. III. TOM. X. CONC. *p.* 1254.

SECTIO XI.

An Sacerdos possit fingere se consecrare, vel non sumere Corpus aut Sanguinem CHRISTI, *cum celebravit?*

I. Presbyter qui propter facinoris sui conscientiam, peractis cæteris circumstantiis, Missam celebrare se fingit, & suppressis verbis quibus conficitur Corpus CHRISTI, panem & vinum tantummodo purè sumit; graviùs videtur offendere, quàm qui se ingerit irreverenter ad Missam celebrandam. *De Celebrat. Missarum.* Cap. *De Homine.* LIB. II. DECR. *Tit.* 41. Cap. 7. Ratio est, quia si eum intentione non conficiendi accedit, irreverenter accedit, ac huic irreverentiæ addit Sacrilegium Sacrificii impii, præbetque ansam Idololatriæ.

II. Falsa sunt abjicienda remedia, quæ veris sunt periculis graviora. *De Celebr. Miss.* Cap. *De Homine. med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 41. Cap. 7. *Conc.* TOLET. XII. *ann.* 681. Cap. 5, TOM. VI. CONC. *p.* 1230.

III. Statutum est ut nullus Missam celebret qui non communicet. *Concil.* ROTHOMAG. *ann.* 1072. *Can.* 4. TOM. IX. CONC. *p.* 1216.

IV. Iste non solùm Deo, cui non veretur illudere, sed populo quem decipit, se adstringit. *Ibid. fin.*

V. Nullus Sacerdos absque proventu patentis molestiæ, cùm cœperit, imperfecta officia præsumat omninò relinquere. CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 16. *Nihil. fin.*

VI. Si quis hoc temerariè præsumpserit, Excommunicationis sententiam sustinebit. *Ibid. fin.*

VII. Certum est quod hi qui sacrificantes non edunt, Rei sunt Dominici Sacramenti. *De Consecr.* DIST. II. Cap. 11. *Relatum est. med.* Ratio; quia illud pro se, ut debent, frustrà conficiunt.

VIII. Modis omnibus est tenendum, ut quotiescumque sacrificans Corpus & Sanguinem JESU CHRISTI Domini Nostri in Altario immolat, toties perceptionis Corporis & Sanguinis CHRISTI participem se præbeat. *Ibid. fin.*

IX. Sacerdotes qui celebrant, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio unius ejusdemque Mysterii, sine grandi sacrilegio non potest provenire. *Ibid. De Consecr.* DIST. II. Cap. 12. *Comperimus.* Cujus ratio est, quod non communicantes, vel non integrè communicantes, institutum CHRISTI non implent.

X. Cùm ingressus fuerit Episcopus aut Presbyter ad Missarum Solemnia celebranda; nisi passio aliqua intervenerit, nullo modo audeat data Oratione recedere, ut ab alio Episcopo vel Presbytero Missarum Solemnia suppleantur; sed qui initium ponit, suppleat usque in finem, quia scriptum est: *Qui perseveraverit usque in finem salvus erit. De Consecr.* DIST. I. Cap. 57. *Nullus. med.* Habetur etiam CONC. TOM. VI. *p.* 1549. in *Conc.* ROM. sub ZACHAR. *ann.* 743.

XI. Si quis præsumpserit præter quod posuimus agere, à Sacro Corpore & Sanguine Domini Nostri JESU CHRISTI sit suspensus. *Ibid. fin.*

SECTIO XII.

Quomodo occurrendum certis quibusdam casibus qui inter celebrandum possunt contingere?

I. Cùm à Sacerdotibus Missarum tempore Sancta Mysteria consecrantur, si ægritudinis acciderit quilibet eventus, quo cœptum nequeat Consecrationis expleri Ministerium; sit liberum Episcopo, vel Presbytero alteri, Consecrationem exequi Officii cœpti. CAUS. VII. QUÆST. I. Cap. 16. *Nihil. post init.*

II. Non aliud ad supplementum initiatis Mysteriis competit, quàm aut incipientis aut subsequentis completa Benedictio Sacerdotis; quia nec perfecta videri possunt, nisi perfectionis ordine compleantur. *Ibid. med.* Supplens habetur in hoc pro uno eodemque Sacerdote cum incipiente.

III. Si per negligentiam aliquid de Sanguine Domini stillaverit in terram, lingua lambetur, & tabula radetur. *De Consecr.* DIST. II. Cap. 27. *Si per. init.*

IV. Si non fuerit tabula, ut non conculcetur locus, corradetur, & igne consumetur, & cinis intra Altare recondetur. *Ibid.*

V. Si super Altare stillaverit Calix, sorbeat Minister stillam, & linteamina, quæ tetigerit stilla, tribus vicibus Minister abluat calice supposito; & aqua ablutionis juxta Altare recondatur. *Ibid. fin.*

SECTIO XIII.

1°. *Tot Missæ, quot data stipendia celebranda.*
2°. *Ne Sacerdos partem stipendii sibi traditi reservans, alteri Sacerdoti dicendam committat.*

I. Ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis celebrandis, stipendia, quantumeumque incongrua & exigua, sive ab una, sive à pluribus personis collata fuerint, Sacerdotibus, ac locis piis quibuscumque tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, sub obtestatione Divini judicii, mandatum atque præceptum est, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ Eleemosinæ præscriptæ fuerint; ita ut alioquin ii ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quin imò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur. *Decreta Congregationis Cardinal. Conc.* TRID. *Interpretum, probata ab* URBANO VIII. *ann.* 1625. §. 1. *Bullarii* TOM. IV. *p.* 88.

II. Ut

II. Ut omne damnabile lucrum ab Ecclesia removeatur, prohibitum est Sacerdoti qui Missam suscipit celebrandam cum certa Eleemosina, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem Eleemosinæ sibi retenta, celebrandam committat. *Ibid.* §. 4.

III. Cùm Ordinarius præscripserit Eleemosinam congruam, juxta qualitatem loci, personarum, ac temporum; Sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, tenentur Missas illis ab offerente præscriptas celebrare. *Declarationes ejusdem Congregationis super dubiis.* Bullarii Tom. IV. *p.* 90. 91.

IV. Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare, ratione Beneficii seu Capellæ, legati, aut salarii, si Eleemosinas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non possunt eadem Missa utrique obligationi satisfacere. *Ibid.*

V. Permittendum non est, ut Ecclesiæ ac loca pia, seu illarum Administratores, ex Eleemosinis Missarum celebrandarum, ullam, utcumque minimam, portionem retineant, ratione expensarum quas subeunt in Missarum Celebratione; nisi cum Ecclesiæ & loca ipsa alios non habent reditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licitè possint; & tunc quam portionem retinebunt nullatenùs debet excedere valorem expensarum quæ pro ipsomet tantùm Missæ Sacrificio necessariò sunt subeundæ.

VI. Nihilominùs eo etiam casu curandum est, ut ex pecuniis quæ supersunt, expensis ut suprà deductis, absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus Eleemosinam. *Ibid.*

VII. Sacerdotes, quibus aliquandò offertur Eleemosina major solita pro Celebratione Missæ, si Missas celebrandas alteri committant, debent absolutè integram Eleemosinam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere possunt. *Ibid.* Vide *Propositiones* 8. 9. 10. *damnatas ab* Alexan. VII. *ann.* 1665 Bullarii Tom. V. *p.* 405. necnon *Conf.* 20. Tom. III. *Consult. Canon. de Sacram.*

SECTIO XIV.

An, & quoties Sacerdotes teneantur Missam celebrare? & quomodo intelligendum sit quod teneantur quotidiè celebrare ratione Beneficii, vel Oblationis?

I. Curet Episcopus, ut qui ad Presbyteratûs Ordinem assumuntur, saltem diebus Dominicis, ac Festis Solemnibus Missas celebrent. *Concil.* Trid. Sess. XXIII. *De Reform.* Cap. 14. *fin.* Tales ad Sacros Ordines promoveantur, qui diebus Dominicis ac Festivis, nisi jure impediantur, Sacrum facere non omittant. *Constitutionum* Melodun. *Tit.* 18.

II. Ecclesiarum Prælati peccant, qui Missarum Solemnia vix celebrant quater in anno; & pœnæ suspensionis obnoxii esse possunt. *De Celebrat. Missarum.* Cap. *Dolentes.* Lib. III. Decr. *Tit.* 41. Cap. 9.

III. Curet Episcopus ut Presbyteri, qui curam habuerint animarum, tàm frequenter Missas celebrent, ut suo muneri satisfaciant. *Concil.* Trid. Sess. XXIII. *De Reform.* Cap. 14. *fin.* Vide *Consult.* 21. Tom. III. *Consult. Canon. de Sacram.*

IV. Cùm Sacerdoti Præbenda data est, ita quod Missam, nisi corporis infirmitate gravatus sit, debeat quotidiè celebrare; debet quantò frequentiùs potest, salva honestate sua & debita devotione, Missarum Solemnia celebrare. *De Præbendis.* Cap. *Significatum est.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. Cap. 11. §. *quàm.*

V. Agnoscat Episcopus, aut alius ad id jus habens, omnes qui tenentur celebrare, aut qui celebrent pro eis, ut eos ad sui muneris exhibitionem, ex munere cogat, etiam invitos; ne & Christum suo honore Ecclesiam Catholicam, & propriam conscientiam fructu suo fraudare sinant, & patiantur. *Constitut.* Melodun. *Tit.* 11.

VI. Animadvertant in promotos ad Presbyteratûs Ordinem, & celebrare dedignantes. *Ibid.*

VII. Quod Sacerdotibus datur, dum celebrant Missarum Solemnia, pia fidelium devotione donatur. *De Excessibus Prælatorum.* Cap. *Nimis. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 31. Cap. 16.

SECTIO XV.

Quid curare debeant Episcopi circa Missarum Celebrationem, vel earum reductionem?

I. Ordinarii locorum Episcopi ea omnia prohibere, atque è medio tollere sedulò curent ac teneantur, quæ vel avaritia, Idolorum servitus, vel irreverentia, quæ ab impietate vix sejuncta esse potest, vel superstitio veræ pietatis falsa imitatrix induxerit. *Concil.* Trid. Sess. XXII. *Decret. De Observandis* &c. *in Proœmio. fin.*

II. Imprimis cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, necnon importunas atque illiberales Eleemosinarum exactiones, potiùsquàm postulationes, aliaque hujusmodi, quæ à Simoniaca labe vel certè à turpi quæstu non longè absunt, omninò prohibeant. *Ibid.* §. *atque.*

III. Singuli in suis Diœcesibus interdicant, ne cui vago & ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat. *Ibid.* §. *deindè. init.*

IV. Neminem qui publicè & notoriè criminosus sit, aut Sancto Altari ministrare, aut Sacris interesse permittant. *Ibid.*

V. Non patiantur privatis in domibus, atque omninò extra Ecclesiam, & ad Divinum tantùm cultum dedicata Oratoria, ab iisdem Ordinariis designanda & visitanda, Sanctum hoc Sacrificium à Sæcularibus aut Regularibus quibuscumque peragi. *Ibid.*

VI. Edicto & pœnis propositis caveant, ne Sacerdotes aliis quàm debitis horis celebrent, neve Ritus alios, aut alias Ceremonias & preces in Missarum Celebratione adhibeant, præter eas quæ ab Ecclesia probatæ, ac frequenti & laudabili usu receptæ fuerint. *Ibid.* § *Postremo.*

VII. Non solùm ea ipsa, sed quæcumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi prohibeant, mandent, corrigant, statuant; atque ad ea inviolatè servanda, Censuris Ecclesiasticis, aliisque pœnis, quæ illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant. *Ib.*

VIII. Curent Episcopi ut Fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet Sacrificia, Orationes, Eleemosinæ, aliaque pietatis opera, quæ à fidelibus, pro aliis fidelibus defunctis fieri consueverunt, secundùm Ecclesiæ instituta, piè & devotè fiant. *Concil.* Trid. Sess. XXV. Decr. *De Purgatorio. fin.*

IX. Et quæ pro illis ex Testatorum fundationibus, vel alia ratione debentur, non perfunctoriè, sed à Sacerdotibus & Ecclesiæ Ministris, & aliis qui hoc præstare tenentur, diligenter & accurate persolvantur. *Ib.*

X. In quibus Ecclesiis, vel tàm magnus Missarum celebrandarum numerus ex variis defunctorum relictis impositus est, ut illis pro singulis diebus, à Testatoribus præscriptis nequeat satisfieri; vel Eleemosinarum hujusmodi pro illis celebrandis, adeò tenuis est, ut non facilè inveniatur, qui velit hulcce muneri subjicere; undè depereunt piæ Testantium voluntates, & eorum conscientias, ad quos prædicta spectant, onerandi occasio datur; facultas est Episcopis, itemque Abbatibus, & Generalibus Ordinum, ut re diligenter perspecta, possint pro sua conscientia in prædictis Ecclesiis, quas hac provisione indigere cognoverint, statuere circa hæc, quicquid magis ad Dei honorem, & cultum, atque Ecclesiarum utilitatem viderint expedire. *Concil.* Trid. Sess. XXV. Dec. *De Reform.* Cap. 4. Videsis *Consult* 48. Tom. III. *Consult. Cans. de Sacram.* ubi Canones quotquot circa reductionem Missarum occurrunt, collectos habes & expositos.

XI. Ita tamen ut eorum ſemper defunctorum commemoratio fiat, qui pro ſuarum animarum ſalute, legata ea ad pios uſus reliquerint. *Ibid. fin.*

SECTIO XVI.

An, & quomodò teneantur fideles ex præcepto audire Miſſam?

I. Miſſas die Dominico Sæcularibus totas audire ſpeciali ordine præceptum eſt; ita ut ante Benedictionem Sacerdotis egredi populus non præſumat. *De Conſecr.* DIST. I. Cap. 64. *Miſſas. init.* Alios Canones qui idem docent collectos habes in *Conſult.* 33: TOM. III. *Conſult. Canon. De Sacram. p.* 336. *ad p.* 360. *De Miſſa Parochiali.* Vide CAUS. IX. QUÆST. II. Cap. 4. 5. *Addit. ad Capitul.* THOODULPHI. TOM. VII. CONC. APPEND. *p.* 1857. *Concil.* NANNETENSE *ann. fortè* 896. *Can.* 1. 2. TOM. IX. CONC. *p.* 468. Ex *Concil.* AGATHENSI Cap. 47. *ann.* 506. THEODULPH. AURSL. in *Capitulari. an.* 797. Cap. 45. 46. TOM. VII. CONC. *p.* 1147.

II. Peccant qui Miſſarum Solemnibus intereſſe contemnunt. *De Celebrat. Miſſarum.* Cap. *Doleates.* Colligitur. LIB. III. DECR. *Tit.* 41. Cap. 9.

III. Peccant etiam qui quandò, dùm Miſſarum Solemnia celebrantur, interſunt, intendunt exteriùs collocutionibus; dùmque auditum ad indebitos ſermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad Divina. *Ibid.*

IV. Qui interſunt Miſſarum Solemnibus, decenter compoſito corporis habitu, declarent ſe mente etiam ac devoto cordis affectu, non ſolùm corpore adeſſe. *Concil.* TRID. SESS. XXII. DECR. *De Obſervandis &c. §. deinde. fin.*

V. Cùm ad celebrandas Miſſas in Dei nomine convenitur, populus non antè diſcedat, quàm Miſſæ Solemnitas compleatur. *De Conſecr.* DIST. I. Cap. 65. *Cùm ad.* Ex *Conc.* AURELIANENS. I. Cap. 26. *ann.* 511. TOM. IV. CONC. *p.* 1408. *Conc.* AUREL. III. *ann.* 538. *Can.* 29. TOM. V. CONC. *p.* 302. *Conc.* EUGENII II. *ann.* 826. Cap. 33. TOM. VIII. CONC. *p.* 111.

VI. Notum facimus, omnes CHRISTI fideles utriuſque ſexûs, qui contempto proprio Sacerdote Parochiali, in Eccleſiis Fratrum Ordinum Mendicantium, Dominicis & Feſtis diebus Miſſas audiunt, ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de Miſſa audienda, nec in aliquam labem mortalis peccati, pœnamve incurrere. *Bulla.* 25. LEONIS X. *Intelleximus.* §. 1. *med. ann.* 1517. BULLARII TOM. I. *p.* 597. *Concil.* RAVENN. *ann.* 878. *Statuto* 13. TOM. IX. CONC. *p.* 302. *Conc.* TRIBUR. *an.* 895. *Can.* 35. TOM. IX. CONC. *p.* 458.

VII. Quandò ſtamus ad Orationem, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus; cogitatio omnis carnalis & ſæcularis abſcedat, nec quidquam tunc animus, quàm id ſolum cogitet quod precatur; ideò & Sacerdos ante Orationem præfatione præmiſſa, parat fratrum mentes dicendo; *ſurſum corda*, ut dùm reſpondet plebs, *habemus ad Dominum*, admoneatur nihil ſe aliud quàm Dominum cogitare debere; claudatur contra adverſarium pectus, & ſoli Deo pateat, nec ad ſe hoſtem Dei, tempore Orationis adire patiatur. *De Conſecrat.* DIST. I. Cap. 70. *Quando.* S. CYPRIAN. *De Orat. Dominica. ann.* 252.

APPENDIX AD TRACTATUM DE EUCHARISTIA.

Canones notabiliores circa Corporalium uſum, aliorumve hujuſmodi ad Miſſam proximè pertinentium, aliundè quàm ex Corpore Juris deprompti, quibus ſuppletur quod in illo deſideratur.

In colligendis Canonibus circa Corporale, plura præ aliis attendenda veniunt, nempè 1°. An iſtis nominibus Opertorium Dominici Corporis, Velum, Pallæ, Corporale comprehendatur? 2°. Quæ illius materia, nempè an linum, an lana, an ſera, an alia? 3°. Quæ forma, ſcilicet an oblonga, an quadrata? 4°. Quæ illius cura, nimirùm quo loco recondendum, à quo lavandum, an à Miniſtris Sacris, an ab aliis? 5°. Quis uſus ablutionis? 6°. An & à quo benedicendum? 7°. Quæ illius præſtantia ſupra Mappas, Pallas, aliaque Altari inſervientia? De illis omnibus tractat BELLOBE in *Obſervationibus ad ritus Eccleſiæ Laudem. p.* 454. *ad* 58.

Non alius erit Collectionis ordo, quàm ordo temporis quo Canones conditi ſunt, ut pateat qui aliorum fontes. Pleriſque ſubjicientur Notæ, quibus nova ab illis advecta ab aliis ſecernentur.

I. Ne Opertorio Dominici Corporis, Sacerdotis unquàm Corpus, dùm evehitur ad tumulum, obtegatur; ne Sacro Velamine uſibus ſuis reddito, dùm honorantur corpora, Altaria polluantur. *Cap.* 7. *Concil.* ARVERN. *ann.* 535. Idem in genere vetuerat *Cap.* 3. *Ejuſdem Concilii.*

II. Non licet Velo, vel Pallis, corpora mortuorum involvi, nec Diacono Velo vel Palla ſcapulas ſuas involvi. *Conc.* ANTISSIOD. *an.* 578. Cap. 12. 13.

III. His duobus Canonibus patet quanta eſſet reverentia erga Sacram Euchariſtiam, cùm non fineretur, ut quæ huic conficiendæ inſerviebant, aliis uſibus, etiam non profanis, applicarentur.

IV. Corporale ſuper quo Sacra Oblatio immolatur, ex mundiſſimo & puriſſimo linteo ſit; nec in eo alterius generis materia, pretioſior aut vilior, miſceatur, quia Dominicum Corpus in Sepulchro, non in holoſericis, ſed tantùm in Syndone munda fuit involutum. Corporale nunquàm ſuper Altare remaneat; ſed aut in Sacramentorum libro ponatur, aut cum calice & patena in mundiſſimo loco recondatur; & quandò abluetur à Sacerdote, Diacono vel Subdiacono, primò in Eccleſia in loco & vaſe ad hoc præparato abluatur, eo quod ex Dominico Corpore & Sanguine infectum ſit, poſt hæc à Lavandario in nitido loco paretur. REGINO. LIB. I. *Cap.* 68. ex *Concil.* RHEM. Hoc Concilium, quo præcisè ſæculo antè decimum celebratum ſit, incertum eſt. Simili laborat vitio Epiſtola EUSEBII & SYLVESTRI laudata *De Conſecrat.* DIST. I. Cap. 46. quæ idem habet de materia Corporalis, nempè linteum purum eſſe, addens illud ab Epiſcopo conſecrandum. Quod ex SYLVESTRO citatur, eſt in vita illius, *Conc.* TOM. 1. *p.* 1409.

V. In *Capitulis* HINCMARI datis *ann.* 852. habes à quo, & ubi Corporale lavabatur; hæc enim leguntur. *n.* 70.

Si habeat præparatum locum, ubi aqua effundi poſſit, quandò abluuntur vaſa Altaris. & manus, poſt perceptionem Sacræ Communionis, Presbyteri propriis manibus, aut Diaconus aut Subdiaconus ejus primò Corporale lavet.

VI. Inter inquirenda à Viſitatore, duo ſunt quæ Corporale reſpiciunt, *n.* 7. & 8. In 7. legis: *Si Corporale ex mundiſſimo & nitidiſſimo linteo ſit, & ubi recondatur*; In 8. eadem fere habes quæ in citato HINCMARI loco; ſic enim concipitur: *Si locus ſit in Secretario, aut juxta Altare præparatus, ubi aqua effundi poſſit, quandò hæc abluuntur, ſi vas ibi dependeat, ubi Sacerdos manus lavet, poſt perceptionem Corporis & Sanguinis Domini, & Presbyter Diaconus, aut Subdiaconus ibi primò Corporale lavet.* Formula inquiſitionis à REGINONE relata. Plura notari hîc poſſent 1°. Hanc vocem, *hæc*, referri ad vaſa & indumenta Sacra, de quibus anteà ſermo factus eſt in eadem inquiſitione.

2°. Manuum ablutionem repoſitam fuiſſe in vaſe peculiari, diſtinctum ab eo in quo rerum Sacrarum ablutio reponebatur.

3°. Numerum 8. inquiſitionis mentionem non facere de ablutione oris, de qua in 7. *Capit.* HINCM. ſed

hæc

hæc atque alia prætermittenda sunt, utpote minùs utilia; Unum est cui paulisper immorandum, hoc est, quod in utroque loco prima ablutio Corporalis fit à Ministris Sacris, aliis remissis mulieribus, quibus id laboris genus competit.

VII. Conquestum est etiam in Sancto Concilio de quibusdam stultissimis Presbyteris, ut quando incendium videant, Corporale Dominico Corpore consecratum, ad extinguendum incendium, remeraria præsumptione in ignem projiciant, ideòque decretum est sub Anathematis interdictione, ne ulteriùs fiat. *Conc.* SALIGUNSTADIENSE. Cap. 6. *Conc.* TOM. IX. *p.* 846.

Hinc patet quanta spes & fiducia in Corporali, ex ipsius Consecratione per contactum Corporis CHRISTI; non ob hoc damnantur Presbyteri de quibus agitur, sed propterea quod virtus CHRISTI committeretur, qui justis de causis velle poterat non exaudire in illo confidentes, ansaque præberetur credendi non potuisse CHRISTUM quod noluisset.

VIII. Vasa Altaris, & panni, vel pallia, sint nitida & integra, & si fierent vetusta vel aliquo casu corrupta, religioso, & puro loco abscondantur, vel igne crementur. GREGORIUS VII. in *Conc.* ROM. incerti ann. Cap. 17. Ab *ann.* 1073. ad *ann.* 1086. Pontifex.

IX. Sunt & alii qui non solùm Ecclesias dimittunt incultas, verùm etiam Vasa Ministerii, & Vestimenta Ministrorum, ac Pallas Altaris, necnon & ipsa Corporalia, tàm immunda relinquunt, quod interdum aliquibus sunt horrori; quia verò zelus nos comedit domus Dei, præcipimus quoque, ut Oratoria, Vasa, Corporalia & Vestimenta prædicta munda & nitida conserventur; nimis enim videtur absurdum, in Sacris sordes negligere quæ dedecerent etiam in profanis. *Conc.* LATERAN. *ann.* 1215. Cap. 19.

Hic expresse distinguuntur Corporalia à Pallis, cum quibus confundi solent in aliis testimoniis, & præsertim *Capitularium* Cap. 7. *n.* 31. ubi *Corporales pallæ* appellantur.

X. Prædicti Archidiaconi & Decali Rurales procurent per Sacerdotem, aut Diaconum superpelliceo indutum Corporalia sæpe ablui, & in vase mundo ad hoc specialiter depurato, omnes ablutiones, si fieri potest, vel saltem primam, in piscina reponi; & ut Altaris linteamina, indumenta Sacerdotalia, ab aliqua Matrona vel Virgine, sine appositione aliorum pannorum, quoties opus fuerit, abluantur, & munda & integra serventur. *Conc.* SALMUR. Cap. 3. *ann.* 1253. *Concil.* TOM. XI. *p.* 708.

Plura hic nova habes, eaque sunt 1°. Quod de superpelliceo. 2°. De omnibus Corporalium ablutionibus per Ministros Sacros, primi vel secundi gradùs faciendis. 3°. De cæteris lavandis, non à quacumque fœmina, sed à Matrona, vel Virgine, ac sine aliorum pannorum appositione. Eadem legis in *Constit. Synd. Legatarum* vel INNOCENTII III. vel HONORII III. quarum annus præcisus nescitur, iis exceptis primò reponendas esse in Baptisterio ablutiones, quæ in piscioa reponi nequeunt. 4°. Linteamina Altaris & indumenta Sacerdotalia lavanda esse à Ministris Sacris, vel à fœmina prædictæ qualitatis. 5°. Additur ratio desumpta à *Conc.* LATERAN. absurdum sordes esse in vasibus Sacris, quæ dedecerent in profanis.

XI. Corporalia mundissima sint, & honesta, & semel in mense, & à Presbyteris vel Diaconis, quoties necesse fuerit, abluantur, & aqua in piscinam jactetur. *Constit.* NICOS. *ann.* 1298. *n.* 6.

XII. In plerisque Ecclesiis, Mappæ, Pallæ Altaris, Corporalia, & alia Vestimenta, ac Vasa Divino cultui deputata, tàm inculta, tàm immunda relinquuntur, ut interdùm quibusdam sint horrori, contra Statutum *Concil. Generalis*; & licet alias super his à Sedis Apostolicæ Legatis, & à Prædecessoribus nostris, satis utiliter provisum sit; nos volentes expressiùs providere, universis Custodibus, Sacristis, Ecclesiarum Rectoribus præcipimus, quatenùs suprà dicta per ipsos munda & nitida conserventur, aliuquin ab Officio suspendantur. *Concil.* SALBURG. *ann.* 1386. Cap. 7.

Hic Canon præcedentibus Decretis addit pœnam suspensionis ferendæ sententiæ, illamque tantæ vis esse arbitratur, ut Legis pluries repetitæ, pluriesque neglectæ observationem procurare possit.

XIII. Idem habet *Conc.* FRIGEN. *an.* 1440. iisdem verbis, hæc duntaxat addens: *Corporaliaque pluries infra annum, juxta casûs exigentiam, per Clericos mundentur.*

XIV. Injungimus omnibus Presbyteris, ut Altaria, Corporalia, Mappas, Cortinas, Urceolos, seu Ampullas, Piscinas, Vestes Sacras, ac Ornamenta Altaris & Ecclesiæ cum omni puritate servent; nimis enim videtur absurdum in Sacris sordes negligere, quæ dedecerent in profanis. *Synod.* SENON. *ann.* 1524.

XV. Eadem habet *Synod.* CARNOT. *an.* 1526. Hæc duntaxat præmittens; *Quia maxima reverentia & honor Altaribus Sacris debetur.* Addit prætereà aliquid peculiare circa Corporalia, hoc est; *Ne Corporalia tradant mulieribus abluenda, sed ipsi frequenter, & ad minus bis anno ea mundent in vase munda, huic rei proprio, deindè aquam in piscinam mittant.*

XVI. Altaria, Infulæ, & quæ pariter vocamus Ornamenta, ut Mappæ, Corporalia, Vestes, Reliquiæ, Vasa, & quæcumque Sacris inserviunt, ea qua debent elegantia munditiaque serventur. *Synod.* PARIS. *ann.* 1557.

XVII. Quàm enim illota conscientia ac polluta accedant ad sacrificandum, aut quàm parùm studiosè ac pie adjudicent Corpus Domini, satis arguunt sordes Calicum, Corporalium, Mapparum, atque omnium Ornamentorum quibus decet venerari tantum Christianæ Religionis Sacramentum, & Sacrificium.

Ad medendum itaque huic indignitati, suos Calices stanneos, ut toti niteant, omnibus septimanis linteo atque sabulo cum aqua ne negligant detergere, quod in piscinam aut alium locum sacratum effundant. Corporalia quoque à se aut ab honestiori quopiam Sacerdote, aut etiam Subdiacono, ablui de trimestri in trimestre curent; sed Albas & Mappas frequentiùs, ita ut nitor & munditics maxima in illis, & decor, & in aliis ornamentum reluceat. *Conc.* ROTOM. *ann.* 1581. *Conc.* AQUEN. *ann.* 1585.

XVIII. Corporalia super quibus Sacra Oblatio immolatur, ex mundissimo & purissimo linteo sint, nec in iis alterius generis materia preciosior aut vilior misceatur, & nunquàm super Altare remaneant, nisi tempore Missæ; sed aut in theca ponantur, aut cum calice & patena in mundissimo loco recondantur; & quandò ablutione indigebunt, à Sacerdote, Diacono, vel Subdiacono abluantur in loco & vase ad hoc præparato, eo quod ex Dominico Corpore & sanguine tincta sint; post hæc à lotore in nitido loco parentur. *Conc.* TURON. *ann.* 1583. desumptus hic Canon ex *Conc.* RHEMENS. *suprà citat.*

Ex collectis Canonibus inferre est, 1°. quod Corporale Dominici Corporis *Opertorium* vocaretur. *n.* 1. quia corpus illius in Altari cooperiebat, ut & sanguinem in calice contentum. BELLOTE *loco citato.* 2°. *Velum* & *Pallæ* etiam denominaretur. 3°. Quod ex alia materia fieri nequibat, quàm ex lino vel linteo *num.* 2. 4°. Multò longius esset quàm nunc est, cùm sufficeret ad obducenda corpora mortuorum. 5°. Quod huic usui adhiberi prohiberetur, quia hinc pollui crederetur. *n.* 1. & 2. 6°. Quod Syndoni Sepulturæ CHRISTI comparari soleret, eaque de causa lineum esse deberet, & ut comparatio justa esset, quod de longitudine dictum est, verum esse oporteat. 7°. Quod duplex distingueretur Corporalis Consecratio; alia verbalis, quæ fiebat verbis Episcopi illud benedicentis; alia realis, quæ per consuetum corporis CHRISTI efficiebatur; quodque propter utramque à Ministris Sacris, Presbyteris, vel Diaconis, vel Subdiaconis abluendum esset, priùsquàm à Laïcis

ablueretur; hæc autem secunda ablutio à fœmina vel Matrona, vel Virgine facienda esset *n.* 4. 9. 10. 8°. Quod pluries singulis annis abluendum esset, quodque Ablutio fieret in vase ad hoc destinato, & distincto ab illo, in quo alia benedicta lintea lavabantur. *Ibid.* 9°. Graviter peccarent qui Corporale, occurrente incendio, in ignem projicerent ad illius extinctionem, quia sic Deum tentarent, petendo ab illo miraculum sine justa & necessaria causa, cùm ignis extingui possit pluribus naturalibus modis.

Circa cætera quæ his illationibus comprehendi non potuerunt, notandum.

1°. Quod ex collectis Canonibus nullus desumatur ex Corpore Juris, præter illum qui citatur in fine *num.* 4. Is autem supposititius censeatur, cùm liber Pontificalis DAMASO attributus, à *falso* ISIDORO confectus credatur, & *Epistola* EUSEBII ejusdem fœtus habeatur.

2°. Quod BALUSIUS in *Capite* 67. *Libri primi* REGINONIS referat BARONIUM putare hunc Canonem conditum fuisse in *Concil.* RHEMENSI, jussu CAROLI MAGNI convocato, sed quod nihil simile in illo reperiatur, indèque sequatur *Caput* 68., quod REGINO dicit desumi ex eodem *Concilio*, ex quo *Caput* 67. desumptum esse dixerat, non esse *Concil.* RHEMENSIS, cùm nihil quidquam simile in eo inveniatur.

TITULUS VI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

SECTIO I.

Quid sit Pœnitentia? Quid operetur? Et quomodo semper necessaria fuerit, ac etiamnùm sit?

I. POenitentia est, & mala præterita plangere, & plangenda iterùm non committere. CAUS. XXXIII. QUÆST. III. DIST. I. Cap. 39. *Ecce.* §. *Pœnit. fin.* Vide *Epistol.* THARASII *Constantinopol. ad* JOANNEM EGUMENUM. TOM. VII. CONC. *p.* 642. & 643.

II. Pœnitentia vera est, & dolor cordis, & amaritudo animæ, pro malis quæ quisque commisit. *Ibidem. init.*

III. Pœnitentiâ continetur cessatio à peccatis, & eorum detestatio, seu cor contritum & humiliatum. *Concil.* TRID. SESS. VI. Cap. 14.

IV. Fuit quovis tempore, ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus necessarius. *Conc.* TRID. SESS. XIV. Cap. 4. *init.*

V. Vera Pœnitentia veniam promeretur, simulata Deum irritat. *Ibidem. fin.*

VI. Lachrymis ex vera cordis compunctione fluentibus, restinguent æterni ignis incendia. *Ibid.* Cap. 31. *Porrò fin.*

VII. Fuit Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & Justitiam assequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi Sacramento ablui petivissent. *Concil.* TRID. SESS. XIV. *Cap.* 1.

VIII. Nemo à quocumque, seu magno seu parvo, peccato ad correctionem sine Pœnitentiâ potest transire. CAUS. XXXIII. QUÆST. III. DIST. I. Cap. 43. *Neminem.*

IX. Pœnitentia ad hoc suscipitur, ut peccatum diluat, & peccati sordes hominem intrare non sinat. *Concil.* TOLET. XIII. Cap. 10. *ann.* 1683. TOM. VI. CONC. *p.* 1265.

X. Pœnitentiæ Benedictionem quam viaticum deputamus. *Conc.* GERUNDENSE *ann.* 417. *Can.* 9. TOM. IV. CONC. *p.* 1569. Hinc Pœnitentia cuique Adulto necessaria duplici de causâ, scil. ad purgandum peccatum, & ad cavendum futurum.

XI. Misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras conversio. CAUS. XXXIII. QUÆST. III. DIST. I. Cap. 49. *Multiplex.* §. x. *fin.*

XII. Omnem Pœnitentiam recipit Deus, & indulget per Pœnitentiam peccata quæ jam facta sunt. CAUS. I. QUÆST. VII. Cap. 2. *Si quis.* §. 2. *Sed dicunt, init.*

XIII. Deus bonus est in omnibus, & aperta viscera ejus omni homini pœnitenti. *Ibid.* §. 4. *Episcopum.* Apud misericordem Judicem, nec ille fallax habetur, qui ad veritatem revertitur, etiam postquàm mentitur; quia omnipotens Deus, dùm libenter nostram pœnitentiam suscipit, ipse suo judicio, hoc quod erravimus, abscondit. CAUS. XXXII. QUÆST. I. Cap. 10. *Apud.* & CAUS. XXXVI. QUÆST. II. Cap. 7. *Apud Omnipotentem.* S. GREGOR. I. *Homil.* 24. *in Evangelia* circ. *ann.* 593.

XIV. Pœnitentiam verè agere est commissa plangere, & iterùm plangenda declinare. *De Pœnit.* DIST. III. Cap. 6. *fin.* Vera Pœnitentia veniam promeretur. *De Pœnit.* DIST. III. Cap. 55. *fin.*

XV. Si verè vos pœnitet de commisso, & plenè proponitis satisfacere de peccato, Dominum vobis credimus, imò novimus jam placatum. *De Sent. excom.* Cap. *Si verè. init. in int.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 34. *Concil.* BITURIC. mox citandum postquàm prohibuit nihil accipiendum pro Pœnitentia, quàm quod fideles sponte offerunt, & oblationes & luminaria pertinere ad Presbyteros, excipit à luminaribus Cereum Paschalem. *Cereus Paschalis ad illuminanda Altaria remaneat.* *Concil.* BITURIC. *ann.* 1031. *Can.* 13. TOM. IX. CONC. *p.* 867. Hactenùs dicta spectant Pœnitentiam ut virtutem.

SECTIO II.

An iis qui post Baptismum peccaverunt, aliquod sit remedium, seu Sacramentum, quo sua peccata reparare possint?

I. Si post susceptionem Baptismi, quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper Pœnitentiam reparari. *De Summa Trinit.* Cap. *Firmiter.* §. *ult.* & 5. LIB. I. DECR. *Tit.* 1. Cap. 1.

II. Qui ab accepta Justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursùs justificari poterunt, cùm excitante Deo per Pœnitentiæ Sacramentum, merito CHRISTI, amissam gratiam recuperare procuraverint. *Conc.* TRID. SESS. VI. *De Justificat.* Cap. 14. *init.*

III. Hic justificationis modus est lapsi reparatio, quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam SANCTI PATRES aptè nuncupaverunt. *Ibid.*

IV. Multiplex misericordia Dei ita lapsis subvenit humanis, ut non solùm per Baptismi gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ; ut qui regenerationis donum violarent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent. CAUS. XXXIII. QUÆST. III. *De Pœnit.* DIST. I. Cap. 49. *Multiplex. init.* Ex S. LEONE, aliàs *Epist.* 89. aut 91. Per Claves Regni Cælorum non dubitatur fieri remissio peccatorum. CAUS. XXXII. QUÆST. I. Cap. 8. *Conc.* CABILLON. *ann.* 650. *Can.* 8. TOM. VI. CONC. *p.* 389.

V. Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut Justitiam, in Baptismo, ipsius beneficio & gratia susceptam, constanter tuerentur; non fuisset opus, aliud ab ipso Baptismo Sacramentum, ad peccatorum remissionem esse institutum. *Concil.* TRID. SESS. XIV. *De Pœnitentia Sacramento.* Cap. 1. *init.*

VI. Quoniam Deus dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui se se posteà in peccati servitutem, & Dæmonis potestatem tradidissent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ. *Ibid.*

VII. Quotidiè peccantibus nunquam per Pœnitentiam venia negatur. DIST. L. Cap. 62. *Quamvis. fin.*

VIII. Pec-

VIII. Peccata remittuntur etiam per officium Sacerdotis, Sacrumque Ministerium. Caus. XXIII. Quæst. V. *Cap.* 49. Hùc pertinet *Can.* 1. Sess. XIV. infrà relatus *in fine Sect. VI.*

SECTIO III.

Quid sit Sacramentum Pænitentiæ, & quandò institutum? Et qualis sit Christianorum Pænitentia?

I. Nec ante adventum Christi Pœnitentia erat Sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante Baptismum. *Ibid.*

II. Sacramentum Pœnitentiæ est quo lapsis post Baptismum, beneficium mortis Christi applicatur. *Ibid. init.*

III. Pro iis qui post Baptismum in peccata labuntur, Christus Jesus Sacramentum instituit Pœnitentiæ, cùm dixit: *Accipite Spiritum Sanctum; Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Joannis XX. *Conc.* Trid. Sess. VI. Cap. 14.

IV. Dominus Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum &c. Conc.* Trid. Sess. XIV. Cap. 1. *med.*

V. Hoc tàm insigni facto, & verbis tàm perspicuis, potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis & eorum legitimis Successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit. *Ibid.* Agenda Pœnitentia, qualis agitur in Ecclesia. Nemo dicat sibi; occultè ago, apud Deum ago, novit Deus qui mihi ignoscit, quia in corde ago; ergò sine causâ dictum est: *Quæ solveritis in terrâ, soluta erunt & in Cælo*; ergo sine causâ claves datæ sunt Ecclesiæ Dei. Caus. XXXIII. Quæst. III. Dist. I. Cap. 44. *Agite. init.*

VI. Christiani hominis Pœnitentia post lapsum, multò alia est à Baptismali; eâque continetur non modò cessatio à peccatis & eorum detestatio, aut cor contritum & humiliatum; verùm etiam Sacramentalis Confessio, saltem in Voto, & suo tempore facienda, & Sacerdotalis Absolutio; itemque satisfactio per Jejunia, Eleemosinas, Orationes, & alia pia Spiritualis vitæ exercitia. *Conc.* Trid. Sess. VI. Cap. 14.

VII. Ad novitatem vitæ & integritatem, per Sacramentum Pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus & laboribus, Divina id exigente justitia, pervenire nequaquàm possumus; ut meritò Pœnitentia, laboriosus quidam Baptismus à Sanctis Patribus dictus fuerit. *Concil.* Trid. Sess. XIV. Cap. 2. *fin.*

VIII. Nisi egeris Pœnitentiam, salvus esse non poteris; quomodò enim gaudebis te correctum esse, nisi doleas te fuisse perversum? Caus. XXIII. Quæst. VII. Cap. 4. *Quemadmodum.* §. 1. *med.* S. Aug. in *Epist.* 9. aliàs 50. circ. *ann.* 417. Pœnitentem oportere simul dolere de omni crimine orto in anima & corpore. *De Pœnit.* Dist. III. Cap. 42.

SECTIO IV.

Quis sit Minister Sacramenti Pænitentiæ? Et quid sint Claves Ecclesiæ?

I. Falsa est; & à veritate Evangelii penitùs aliena, doctrina omnis quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos & Sacerdotes, Clavium Ministerium perniciosè extendit. *Conc.* Trid. Sess. XIV. Cap. 6. *init.*

II. Verbum illud Domini; *Quæcumque alligaveritis super terram &c.* Matth. XVI. &: *Quorum remiseritis peccata &c.* Joann. XX. non fuerunt ad omnes Christi fideles indifferenter & promiscuè, contra Sacramenti hujus institutionem, ita dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata. *Ibid.*

III. Mediator Dei & hominum, homo Jesus Christus, hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus Pœnitentiæ satisfactionem darent, & eadem salubri satisfactione purgatos ad Communionem Sacramentorum, per januam Reconciliationis admitterent. Caus. XXXIII. Quæst. III. *De Pœnit.* Dist. I. Cap. 49. *Multiplex. init.*

IV. Si quis dixerit non solos Sacerdotes esse Ministros absolutionis, Anathema sit.

V. Presbyteri in sua Ordinatione, à peccatis absolvendi potestatem accipiunt. *Conc.* Trid. Sess. XXIII. Cap. 15. *De Reform.*

VI. Claves Ecclesiæ ipse concessit Apostolis, eorumque Successoribus, Jesus Christus. *De Summa Trinit.* Cap. *Firmiter.* §. *& hoc.* Lib. I. Decr. *Tit.* 1. Cap. 1.

VII. Clavis est specialis potestas ligandi atque solvendi, qua Judex Ecclesiasticus, dignos recipere, & indignos excludere debet à Regno. Extravagant. Joann. XXII. *De Verborum significatione* Cap. *Quia quorumdam. med. Extravagant.* Quia quorumdam. *Tit.* 14.

VIII. Dominus par jus solvendi esse voluit & ligandi, qui utrumque pari conditione permisit. Qui solvendi jus non habet, nec ligandi habet. Caus. XXXIII. Quæst. III. *De Pœnit.* Dist. I. Cap. 51. *Verbum.* §. *Dominus.*

IX. Jus hoc solis permissum est Sacerdotibus. *Ibid.* Si in Ecclesia fit ut quæ in terra ligantur, in Cœlo ligentur, & quæ solvuntur in terra, solvantur in Cœlo; Petrus quandò Claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit. Caus. XXIV. Quæst. I. Cap. 6. *Quodcumque. post init.*

X. Claves Sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam Antiqui Patres & credunt & docent. *Concil.* Trid. Sess. XIV. Cap. 8. *fin.*

XI. Absonum est pariter & absurdum Abbatissas Monialium confessiones in criminibus audire. *De Pœnit.* Cap. *Nova.* Lib. V. Decr. *Tit.* 38. Cap. 10.

XII. Licet Beatissima Virgo Maria dignior & excellentior fuerit Apostolis universis; non tamen illi, sed istis, Dominus Claves Regni Cœlorum commisit. *Ibid. fin.*

XIII. Deus qui misericordiam suam promisit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit. Caus. XXXIII. Quæst. III. *De Pœnitentia* Dist. I. Cap. 78.

XIV. Quibus remittunt Sacerdotes, remittit Dominus; Lazarum enim de monumento jam suscitatum solvendum Apostolis tradidit, &c. Caus. XXXIII. Quæst. III. *De Pœnitentia.* Cap. 88. *med.*

SECTIO V.

Quæ, & qualis sit Sacramenti Pænitentiæ forma? Quive illius effectus?

I. Sacramenti Pœnitentiæ forma, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis posita est: *Ego te absolvo* &c. *Concil.* Trid. Sess. XIV. Cap. 3. *init.*

II. De Ecclesiæ Sanctæ more, preces quædam laudabiliter adjunguntur; ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquàm spectant, neque ad ipsius Sacramenti Administrationem sunt necessariæ. *Ibid.*

III. Quamvis Absolutio Sacerdotalis alieni beneficii sit Dispensatio; tamen non est solum nudum Ministerium, vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata. *Concil.* Trid. Sess. XIV. Cap. 6. *med.*

IV. Est Actus judicialis, quo ab ipso Sacerdote, velut à Judice, Sententia pronunciatur. *Ibid.*

V. Si Sacerdoti animus seriò agendi & verè absolvendi desit, Pœnitens verè & coram Deo non est absolutus. *Ibid.*

VI. Nec is esset nisi salutis suæ negligentissimus, qui Sacerdotem jocosè absolventem cognosceret, & non alium seriò agentem sedulò requireret. *Ibid.*

VII. Res & effectus hujus Sacramenti, quantùm ad ejus vim & efficaciam pertinet, Reconciliatio est cum Deo. *Concil.* TRID. SESS. XIV. Cap. 3. *fin.*

VIII. Interdùm in Viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, Reconciliationem hanc conscientiæ pax ac serenitas, cùm vehementi Spiritûs consolatione, consequi solet. *Ibid.*

IX. Vinculum quo peccator ligatus est apud Deum, in culpæ remissione dissolvitur. *De Sentent. Excommun.* Cap. *A nobis. §. nos igitur.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 28.

X. Canones in Sectionibus præcedentibus collecti, circa vim Pœnitentiæ & Potestatem Clavium, huc revocari possent, cùm respiciant effectum hujus Sacramenti.

SECTIO VI.

Quæ sit quasi materia, seu quæ sint partes Sacramenti Pœnitentiæ? An, & quomodo necessarium sit hoc Sacramentum, & an repeti possit?

I. Sunt quasi materia hujus Sacramenti, ipsius Pœnitentis actus, nempè Contritio, Confessio, & Satisfactio. *Conc.* TRID. SESS. XIV. Cap. 3. *med.*

II. Hi actus in Pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenam & perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur. *Ibid.*

III. Hac ratione Contritio, Confessio, & Satisfactio, tres Pœnitentiæ partes dicuntur. *Ibid. & Canone* 4.

IV. In corde Contritio, in ore Confessio, in opere toto humilitas, hæc est fructifera Pœnitentia. CAUS. XXXIII. QUÆST. III. *De Pœnit.* DIST. I. Cap. 40. *Perfecta. fin.*

Necessarium esse. V. Non potest quis gratiam doni cœlestis accipere, nisi priùs purgatus fuerit ab omni sorde peccati per Pœnitentiæ Confessionem. CAUS. XXXIII. QUÆST. III. DIST. I. *De Pœnit.* Cap. 41. *Non potest. init.*

VI. Pœnitentia, propter pronitatem & facilitatem hominum ad peccandum, summè necessaria est. *In* SEXTO. *De Sentent. Excommun.* Cap. *Alma Mater. §.* 1. *Sanè. med.* LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 24.

VII. Fides sine Pœnitentia remissionem nullam peccatorum præstaret. *Conc.* TRID. SESS. XIV. Cap. 6.

Necessitas medii. VIII. Est hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum, ad salutem necessarium, ut nondùm regeneratis ipse Baptismus. *Conc.* TRID. SESS. XIV. Cap. 2. *fin.*

Necessitas præcepti. IX. Si domestici fidei post Lavacrum Baptismi, se crimine aliquo contaminaverint, hos CHRISTUS Dominus ante hoc Pœnitentiæ Tribunal, tanquàm reos, sisti voluit, ut per Sacerdotium sententiam, non semel, Repeti posse. sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari. *Ibid. med.*

X. Necessarium est Pœnitentiæ Sacramentum. EXTRAVAG. COMM. *De Privilegiis.* Cap. *Inter cunctas. §.* 3. *Sed quia. init.* LIB. V. Cap. 1.

XI. Si quis dixerit in Catholicâ Ecclesiâ, Pœnitentiam non esse verè & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à CHRISTO Domino nostro institutum, Anathema sit. *Concil.* TRID. SESS. XIV. *Can.* 1. Huc faciunt Canones suprà collecti circà necessitatem Pœnitentiæ.

SECTIO VII.

Quid sit Contritio in genere, & qualis esse debeat? ac de Contritione perfectâ.

I. Contritio, quæ primum locum inter dictos Pœnitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. *Concil.* TRID. SESS. XIV. Cap. 4. *init.*

II. Hæc Contritio non solùm cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem; sed veteris etiam odium continet. *Ibid.*

III. Hic Contritionis motus in homine post Baptismum lapso, ita demùm præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia Divinæ misericordiæ, & Voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum Pœnitentiæ Sacramentum requiruntur. *Concil.* TRID. SESS. XIV. Cap. 4.

IV. Contritionem hanc aliquandò charitate perfectam esse contingit. *Ibid.*

V. Contritio perfecta hominem Deo reconciliat, priùsquàm Pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur. *Ibid.* Ipsa nihilominùs Reconciliatio ipsi Contritioni sine Sacramenti Voto non est adscribenda. *Ibid.*

VI. In Contritione perfecta Votum Sacramenti Pœnitentiæ includitur. *Ibid.*

SECTIO VIII.

De Contritione imperfecta; quid sit, & quomodò disponat ad peccatorum remissionem in Sacramento obtinendam?

I. Contritio imperfecta Attritio dicitur. *Conc.* TRID. SESS. XIV. Cap. 4.

II. Illa vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur. *Ibid.*

III. Si voluntatem peccandi excludat, cùm spe veniæ, donum Dei est, & Spiritûs Sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo Pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat. *Ibid.*

IV. Disponuntur ad ipsam justitiam, dùm peccatores se esse intelligentes, à Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter CHRISTUM propitium fore, illumque, tanquàm omnis justitiæ fontem, diligere incipiunt; ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod, & detestationem. *Concil.* TRID. SESS. 6. Cap. 6.

V. Cùm per timorem gehennæ continet se homo à peccato, fit consuetudo justitiæ, & incipit, quod durum erat, amari; & incipit excludi timor à charitate, & succedit timor castus, de quo hic dicitur; quo timemus, ne tardet sponsus, ne discedat, ne eo careamus; ille utilis est, sed non permanet in æternum, ut iste. CAUS. XXIII. QUÆST. VI. Cap. 4. §. *Ex his. fin.* S. AUGUST. *in Psalmum* 127. Verbo *Uxor tua.*

VI. Si quis dixerit, eam Contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, Anathema sit. *Concil.* TRID. SESS. XIV. *Can.* 5.

VII. Illa Contritio imperfecta sine Sacramento Pœnitentiæ, per se ad justificationem perducere peccatorem nequit. *Concil.* TRID. SESS. XIV. Cap. 4. *fin.*

VIII. Cùm ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. *Ibid. Conc.* ÆNHAMENS. *Angliæ. ann.* 1009. Cap. 20. TOM. IX. CONC. *p.* 793.

SECTIO IX.

Necessariam esse Jure Divino Confessionem peccatorum, in specie factam Sacerdoti, & esse à CHRISTO *institutam.*

I. Non potest quisquam justificari à peccato, nisi antè fuerit peccatum confessus. CAUS. XXXIII. QUÆST. III.

Dist. I. Cap. 38. *Noa potest.* Vide *Epistolam* Bonifacii *ad* Zachariam da Adalaerto, qui accedentes ad confitendum remittebat, quia scire se autumabar omnia occulta. Tom. VI. Conc. *p.* 1558. *ann.* 745. *Excerptiones* Egaarti. Cap. 20. Tom. VI. Conc. *p.* 5587.

II. Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ dniversa Ecclesia semper intelleait, institutam etiam à Domino integram peccatorum Confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis Jure Divino necessariam eatare. *Conc.* Trio. Sass. XIV. Cap. 5. *init.*

III. Dominus Noster Jesus Christus, è terris ascensurus ad Cælos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit tanquam Præsides & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint; quo, pro Potestate Clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. *Conc.* Taid. Sass. XIV. Cap. 5.

IV. Constat Sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaaat, & non potiùs in specie ac sigillatim, sua ipsi peccata declarassent. *Ibid.*

V. Secunda post naufragium tabula, simpliciter confiteri. Caus. XXXIII. Quæst. III. Dist. I. Cap. 72. *Secunda.*

VI. Per Lateranense *Concilium* Ecclesia non statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod Jure Divino necessarium & institutum esse intelleacrat. *Ibid. fin.* Confessio quam Sacerdotibus fatimus &c. Theodulphus Aurelian. *in Capitulari. ann.* 797. Cap. 30. Tom. VII. Conc. *p.* 1143. Cap. 31.

SECTIO X.

Qualis Confessio necessaria sit? Et quorum peccatorum?

I. Christus non vetuit quin aliquis in vindictam suorum scelerum & sui humiliationem, cùm ob aliorum eaemplum, tùm ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publicè confiteri possit. *Conc.* Trid. Sess XIV. Cap. 5. *med.*

II. Non est hoc Divino præcepto mandatum, nec satis consultè bumana aliqua Lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent Confessione aperienda. *Ibid.* A Sanctissimis & antiquissimis Patribus, magno unanimique consensu, secreta Confessio Sacramentalis fuit semper commendata. *Ibid.*

III. Hoc modo confitendi secretò apud solum Sacerdotem ab initio Ecclesia Sancta usa est, & modò etiam utitur. *Ibid.*

IV. Sanctissimus Dominus Noster, Dominus Clemens Papa VIII. hanc propositionem, scilicet, licere per Literas, seu internuntium, Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam, & scandalosam damnavit ac prohibuit. *Bulla* 87. Clamantis VIII. *Sanctissimus, ann.* 1602. Bullarii Tom. III. *p.* 132.

V. Præcepit, ne deinceps ista propositio publicis privatisque Lectionibus, Concionibus & Congressibus doceatur, neve unquàm tanquàm aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxius deducatur. *Ibid.*

VI. Si quis docuerit propter Eacommunicationis seotentiam &c. Sufficit illa Confessio quæ primùm Deo offertur &c. Hincmarus, *Epistola nomine Conc.* Tullansis II. *ann.* 860. Ea Laone I. *in Epistola ad Episcopos per Campaniam &c.* Tom. VIII. Conc. *p.* 719.

VII. Necessarium est Jure Divino confiteri omnia & singula peccata mortalia, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta. *Ibid. Conc.* Trid. Sess. XIV. *Canone* 7.

VIII. Nisi articulus necessitatis occurrat, Sacerdoti facienda oris Confessio exigitur; aliàs frustra esset in Sacramento Pœnitentiæ Sacerdotis Ministerium institutum. Extravag. Commun. *De Privilegiis.* Cap. *Inter cunctas.* §. 3. *sed quia. init.* Lia. V. Cap. 1.

IX. Cùm universa mortalia peccata, etiam cogitationes, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant; necessum est omnium etiam veniam, cum aperta & verecunda Confessione, à Deo quærere. *Conc.* Trid. Sess. XIV. Cap. 5. *Post init.*

X. Si quis diaerit, non licere confiteri peccata venialia, Anathema sit. *Ibid. Can.* 7. *fin.*

XI. Peccata venialia rectè & utiliter, citraque omnem præsumptionem, in Confessione dicuntur, quod piorum hominum usus demonstrat. *Conc.* Trid. Sass. XIV. Cap. 5.

XII. Fateri citra culpam; multisque aliis remediis expiari possunt. *Ibid.*

XIII. Absurdum est quod per Pœnitentiam dimissa peccata quis confiteri debeat, & quod liberatus debitor adhuc ad solvendum remaneat obligatus. Extravag. Commun. *De Privil.* Cap. *Inter cunctas.* §. 3. *Sed quia. fin.* Lia. V. Cap. 1. Vide *Canones sub* Edoaro *Rege.* Tom. IX. Conc. *p.* 687.

SECTIO XI.

Quousque extendatur obligatio confitendi omnia & singula peccata mortalia?

I. Impium est Confessionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare. *Conc.* Trid. Sess. XIV. Cap. 5. *med.*

II. Oportet Pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent onustam, in confessione recenseri. *Ibid.*

III. Constat nihil aliud à Pœnitentibus in Ecclesia exigi, quàm ut postquàm quisque diligentiùs se eacusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit. *Ibid.*

IV. Necessum est confiteri peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur. *Ibid. Can.* 7.

V. Reliqua autem peccata quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem Confessione inclusa esse intelliguntur. *Ibid.* Cap. 5.

VI. Dùm omnia quæ memoriæ occurrunt peccata, Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia Divinæ misericordiæ ignoscenda exponunt. *Ibid.*

VII. Qui scienter aliqua peccata mortalia retinent, nihil Divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt; si enim erubescat ægrotus vulnus Medico detegere, quod ignorat Medicina non curat. *Ibidem.*

VIII. Cùm hæ circumstantiæ in Confessione explicandæ sunt, quæ speciem peccati mutant; quod sine illis peccata ipsa neque à Pœnitentibus integrè exponantur, nec Judicibus innotescant; & fieri nequeat ut de gravitate criminum rectè censere possint, & pœnam quam oportet pro illis Pœnitentibus imponere. *Conc.* Trid. Sess. XIV. Cap. 5. *med.*

IX. De necessitate non est, iterùm eadem confiteri peccata. *Ibid.* §. *verum.*

X. Propter erubescentiam, quæ magna est Pœnitentiæ pars, ut eorumdem peccatorum iteretur Confessio, reputatur salubre. *Ibid.*

XI. Qui vult confiteri peccata, ut inveniat gratiam, quærat Sacerdotem scientem ligare & solvere, ne cùm negligens circa se eatiterit, negligatur ab illo qui eum misericorditer movet & petit; ne ambo in foveam cadant. *De Pœnit.* Dist. VI. *Cap.* 1. *init. Conc.* Caaillon. II. *ann.* 813. *Can.* 32. 33. Tom. VII. Conc. *p.* 1279. Malè in vulgatis Codicibus, *agaasendas.*

Videsis

Videsis *veterem Editionem*, *ann.* 1618. *cum Declarationibus de Pænit.* Cap. 15. *p.* 405.

XII. In Judicio animæ, credendum est illi qui non accusatur vel denuntiatur ab aliquo, sed per seipsum consilium appetit salutare. *De Homicidio.* Cap. *Significasti.* §. 2. *med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 12. Cap. 18.

De aliis circumstantiis silet Concilium; unde nata Quæstio maximè agitata, an illas confiteri teneamur quæ aggravant peccata mortalia? Circa quam videsis *Consult.* 5. TOM. III. *De Pænit.* & 7. *Consult. Canonic. De Sacram.* ubi affirmativa propugnatur, adductis quammultis Canonibus Ritualibusque eam confirmantibus, necnon objecto Concilii silentio satisfit.

SECTIO XII.

An sit aliquod præceptum ab Ecclesia fidelibus impositum peccata confitendi, & quomodò illud sit intelligendum?

I. Omnis utriusque sexûs fidelis, postquàm ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti. Quod de Parocho intelligebatur, posteà extensum est ad illius Superiores, Episcopum, Legatum, Papam. *Gloss. in* Cap. 2. *De Pænit. in* 6. *verso* 3. *ante casum*; quæ extensio orta videtur, ex eo quod hi Superiores gradatim supplere possint Parochi defectum. *De Pænit.* Cap. *Omnis.* LIB. V. DECR. *Tit.* 38. Cap. 12. *init.*

II. Ex *Concilio* LATERANO sub INNOCENTIO III. Cap. 2. *ann.* 1215. hoc salutare Statutum frequenter in Ecclesiis publicetur, ne quisquam ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat. *Ibid. fin.*

III. Domi confiteantur peccata sua, quia à proprio Episcopo suo aut Sacerdote ligandi aut exsolvendi sunt, non ab extraneo. *Capitul.* HEITONIS *Episcopi* BASILEENSIS, *ann.* 822. Cap. 18. TOM. VII. CONC. *p.* 1525. Hæc vox *Domi* accipitur pro Parochia vel Diœcesi; id denotant hæc verba *proprio Episcopo aut Sacerdote*, huic opposita *non extraneo.*

IV. Per LATERANENSE *Concilium* Ecclesia statuit, ut præceptum Confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus & singulis CHRISTI fidelibus, cùm ad annos discretionis pervenissent, impleretur. *Conc.* TRID. SESS. XIV. Cap. 5. *fin.*

V. Si quis alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata; licentiam priùs postulet & obtineat à proprio Sacerdote; cùm aliter ipse illum non possit absolvere vel ligare. *De Pænit.* Cap. *Omnis.* §. 1. *Si quis.* Ex eodem *Conc.* LATERAN. LIB. V. DECR. *Tit.* 38. Cap. 12.

VI. Mendicantes desistant prædicare, quod Parochiani non sint obligati, saltem in Paschate, proprio confiteri Sacerdoti, quia de jure tenetur Parochianus, saltem in Paschate, proprio confiteri Sacerdoti. EXTRAVAG. COMMUN. *De Treuga & pace.* Cap. *Vices.* §. 2. *nos igitur. med.* LIB. I. *Tit. ult.* Cap. 2. SIXTUS IV. *ann* 1478. 15. *Kal. Julii.* Vide *Statuta Ecclesiæ Gallicanæ pro Regularibus*, *annorum* 1625. 1635. 1645. Arlos MEMOIRES OU CLERGE', *Titr.* 2. *Chap.* 24. *p.* 992. *Collectionis Actorum Cleri Gallic.* TOM. I.

VII. Districtè injungitur, ut Religiosi confitentes attentè moneant, & in suis prædicationibus exhortentur, quod suis Sacerdotibus, saltem semel confiteantur in anno, asserendo id ad animarum profectum procul dubio pertinere. EXTRAVAG. COMMUN. Nulla potest Consuetudine introduci quod aliquis, scil. Laïcus, præter sui Superioris licentiam, Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare. *In* 6. *De Pænit.* Cap. *Si Episcopus. fin.* LIB. V. *Tit.* 10. Cap. 2. *De Privileg.* Cap. *Inter cunctas.* §. 8. *verum. fin.* LIB. V. *Tit.* 7. *Cap.* 1. Ex BENEDICTO XI.

VIII. Episcopus suo subdito concedere potest, ut sibi possit idoneum eligere Confessorem. *Ibid. init. Gloss.* colligit. Quod in Religiosis non exemptis, ac in aliis locum habet; sed hæc licentia cùm sit Dispensatio, sine justa causa dari non potest: Hinc per abusum, Parochi valdè imminutum jus ac ferè extinctum.

IX. Jure permittitur Episcopis & aliis Superioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, ut etiam præter sui Superioris licentiam, providum & discretum sibi possint eligere Confessorem. *De Pænit.* Cap. ult. *Ne pro dilatione.* LIB. V. DECR. *Tit.* 38. Cap. 16. Hæc licentia meritò data est, scilicet propter animarum periculum, nascens ex Superioris absentia, ejusque à subdito distantia.

X. Jam in universa Ecclesia, cum ingenti animarum fructu, observatur mos ille salutaris, confitendi sacro illo & maximè acceptabili tempore Quadragesimæ, qui mos pius & meritò retinendus est. *Conc.* TRID. SESS. XIV. Cap. 5. *fin.*

XI. Suadendum est CHRISTI fidelibus, ut confiteantur tempore Quadragesimæ. *Conc.* TRID. SESS. XIV. *Canone* 8.

SECTIO XIII.

An, & quomodò subveniendum sit iis fidelibus, qui casu quodam impediuntur à confitendis ore peccatis?

I. Si Presbyter Pœnitentiam morientibus abnegaverit &c. CAUS. XXVI. QUÆST. VI. Cap. 12.

II. Agnovimus Pœnitentiam morientibus denegari &c. *Ibid.* Cap. 13.

III. Ab infirmis in periculo mortis positis, per Presbyteros inquirenda est Confessio peccatorum. CAUS. XXVI. QUÆST. VII. Cap. 1.

IV. De viventis Pœnitentia per evidentia signa constare potest *De Sent. Excom.* Cap. *A nobis.* §. *unde. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 28. Colligitur.

V. Pœnitentiam morientibus non negamus. *De Pœnitentia.* Cap. *Quod in te. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 38. Cap. 11.

VI. Subitò obmutescens Pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu. CAUS. XXVI. QUÆST. VI. Cap. 7. *Qui recedunt. fin Conc.* TOLET. XI. *ann.* 675. Cap. 12. TOM. VI. *Concil. p.* 552.

VII. Si casu, dùm ad eum Sacerdos invitatus veniet, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesi inventus fuerit, dent testimonium hi qui eum audierunt, & sic accipiat Pœnitentiam. *Excerptum* GREGORII III. *post annum* 731. Cap. 31. TOM. VI. CONC. *p.* 1484. *Concil.* MOGUNT. *ann* 857. Cap. 26. TOM. VIII. CONC. *p.* 48. Cap. 27. *Constit.* RIEULPHI *Suess. Episcop. ann.* 889. Cap. 10. TOM. IX. CONCIL. *p.* 419.

VIII. Is qui Pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat Pœnitentiam. *Ibid.* Cap. 8. *Is qui. init.*

IX. Si qui aliqua ægritudine ita fuerint aggravati, ut quod paulò ante poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant; testimonia eis fidelium & circumstantium prodesse debebunt, ut & Pœnitentiæ & Reconciliationis Beneficium consequantur. *Ibid.* Cap. 10. *His qui.* §. *quod si* & CAUS. XXXIII. QUÆST. III. *De Pœnitent.* DIST. I. Cap. 49. *Multiplex.* §. 3. *ita. med*

X. Nec actio Pœnitentiæ, nec Communionis gratia denegetur, si eam etiam amissa vocis Officio per indicia integri sensûs quærere comprobentur. CAUS. XXXIII. QUÆST. III. DIST. I. Cap. 49. *Multiplex.* §. 3. *ita. init.*

XI. Agens

XI. Agens Pœnitentiam ad ultimum &c. *De Pœnit.* DIST. VII. Cap. 4. *med.*

Extant Ritualia quæ præcipiunt aut permittunt, ut si quis Christianus Catholicus piè vivens subitò amiserit sensuum usum quibus explicare possit suum desiderium erga Sacramenta Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis; Curatus aliusve Presbyter adstanx illum absolvat & ungat, præsumens illum velle in morte quod exercuit in vita, & præteritam bonam vitam præbere justum testimonium bonæ ipsius in mortis periculo dispositionis.

SECTIO XIV.

Necessariam esse Satisfactionem, ut Pœnitens peccatorum veniam consequatur; & qui sint illius effectus?

I. Falsum omninò est, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquàm remitti, quin universa etiam pœna condonetur. *Concil.* TRID. SESS. XIV. Cap. 8.

II. Ubi vulnus infixum est, necesse est medicinam adhibere, qua infixa sanetur macula. CAUS. IX. QUÆST. I. Cap. 3. *Per illicitam.* DAMASIUS I. *Epist.* 4.

III. Pœnitentia continet satisfactionem, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti Voto unà cum culpa remittitur; sed pro pœna temporali, quæ, ut Sacræ Literæ docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur. *Conc.* TRID. SESS. VI. Cap. 14. *fin.*

IV. Si quis dixerit fictionem esse quod, virtute Clavium, sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat, Anathema sit. *Conc.* TRID. SESS. XIV. *Can.* 15.

V. Et Divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter verò qui semel à peccati & Dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, scientet Templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contristare non formidaverint. *Conc.* TRID. SESS. XIV. Cap. 8.

VI. Procul dubio Dominus delictum sine ultrione non deserit; aut enim ipse hoc in se Pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. *De Pœnit.* DIST. I. Cap. 81.

VII. Si quis positus in ultima necessitate ægritudinis suæ, voluerit accipere Pœnitentiam &c. *De Pœnit.* DIST. VII. Cap. 2.

VIII. Et Divinam Clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta peccata leviora putantes, velut injurii & contumeliosi Spiritui Sancto in graviora labamur, thesaurisantes nobis iram in die iræ. *Ibid.*

IX. Procul dubio magnoperè à peccato revocant, & quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus malè vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. *Concil.* TRID. SESS. XIV. Cap. 8.

X. Non sufficit mores in melius commutare, & à præteritis malis recedere, nisi etiam, de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per Pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, cooperantibus Eleemosynis & jejuniis. CAUS. XXXIII. QUÆST. III. *De Pœnitentia.* DIST. I. Cap. 63. *Non sufficit.*

XI. Majora crimina majoribus abluuntur fletibus. *De Pœnit.* DIST. I. Cap. 78.

XII. Nullus debitæ gravioris pœnæ accipit veniam, nisi qualemcumque, etsi longè minorem quàm debeat, solverit pœnam; ita enim impertitur à Deo largitas misericordiæ, ut non relinquatur etiam justitia disciplinæ. CAUS. XXXIII. QUÆST. III. *De Pœnit.* DIST. I. Cap. 42. *Nullus.*

XIII. Si peccatores ipsi sibi Judices fiant, & veluti suæ iniquitatis ultores, hic in se voluntariam pœnam severissimæ animadversionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia. *Ibid.* Cap. 31. *Porro. fin.*

XIV. Sicut primi homines &c. *De Pœnit.* DIST. I. Cap. 83.

XV. Vel ad demonstrationem debitæ miseriæ &c. *De Pœnit.* DIST. III. Cap. 7.

XVI. Pro omnibus illicitis, Pœnitentiam unusquisque CHRISTI nominis cultor sustinere ac peragere summoperè debet, dicente Domino: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Cælorum.* CAUS. XXXIII. QUÆST. II. Cap. 13.

SECTIO XV.

Quomodo adimpleri debeat ista satisfactio, & quibus operibus potissimùm contineatur?

I. Satisfactio hæc quam pro peccatis nostris exsolvimus non ita nostra est, ut non sit per JESUM CHRISTUM. *Concil.* TRID. SESS. XIV. Cap. 8. *med.*

II. Omnis gloriatio nostra in CHRISTO est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos Pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre. *Ibid.*

III. Nulla securior via in Ecclesia Dei unquàm existimata fuit ad amovendam imminentem à Domino pœnam, quàm ut hæc Pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. *Ibid.*

IV. Omnis fidelis injunctam sibi Pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere. *De Pœnit.* Cap. *Omnis. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 38. Cap. 12.

V. Christiani hominis pœna post lapsum continet satisfactionem per jejunia, eleemosinas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia. *Concil.* TRID. SESS. VI. Cap. 14.

VI. Pro peccatis quoad pœnam temporalem, Deo per CHRISTI merita satisfit, pœnis vel à Sacerdote injunctis, vel sponte susceptis, ut jejuniis, Orationibus, Eleemosinis, vel aliis etiam pietatis Operibus. *Conc.* TRID. SESS. XIV. *Canone* 13.

VII. Tanta est Divinæ munificentiæ largitas, ut non solùm pœnis, sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam (quod maximum amoris argumentum est) temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per JESUM CHRISTUM satisfacere valeamus. *Conc.* TRID. SESS. XIV. Cap. 9. *fin.*

SECTIO XVI.

Quem modum tenere debeant Sacerdotes in Pœnitentiis imponendis?

I. Debent Sacerdotes Domini, quantùm spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & Pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere; ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum Pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. *Concil.* TRID. SESS. XIV. Cap. 8. *Conc.* TURON. III. *ann.* 813. *Can.* 22. TOM. VII. CONC. *p.* 1264. *Concil.* REGIATICINUM *ann.* 859. Cap. 6. TOM. VIII. CONC. *p.* 63. JOANN. VII. *Epist.* 41. TOM. IX. CONC. *p.* 36.

II. Juxta modum culpæ, vel possibilitatem naturæ, moderetur Pœnitentia. *Conc.* ROTHOMAG. *ann.* 1050. *Can.* 18. TOM. IX. CONC. *p.* 1049. *Mensuram temporis,* &c. *De Pœnit.* DIST. I. *Cap.* 86.

III. Habeant præ oculis ut satisfactio quam imponunt non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmi-

firmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem. *Ibid.*

IV. De pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est Judicare, ut attendat ad Confessionem Pœnitentis, & ad fletus atque lachrymas corrigentis, ac tunc jubere dimitti cùm viderit congruam satisfactionem. *De Consecr.* DIST. III. Cap. 17. *De Pœnitentibus.* § 1. INNOC. I. *Epistola* 1. Cap. 7. *ann.* 416. Vide DIST. L. Cap. 26. 27.

V. Oportet ut spiritualis Judex sciat cognoscere quid debeat judicare. *De Pœnit.* DIST. VI. Cap. 1. §. 3. *Epistola* 3. VIGIL. *ad* CÆSARIUM *Arelat. ann.* 538. *med.* TOM. V. CONC. *p.* 314. Vide *Conc.* QUINISEXTUM *ann.* 692. *Can.* 102. *ult.* TOM. VI. CONC. *p.* 1185.

VI. Pœnitentia non tàm secundùm qualitatem excessûs, quàm Pœnitentis contritionem, per discreti Sacerdotis arbitrium est moderanda, pensata qualitate personæ. *De Pœnit.* Cap. *Deus. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 38. Cap. 8.

VII. Super fornicatione, adulterio, homicidio, perjurio, & aliis criminibus, consideratis omnibus circumstantiis, competens Pœnitentia delinquentibus imponatur, prout saluti eorum videbitur expedire. *Ibid.* Pro merito personarum pœnitentia delinquentibus competens injungi debet. *De Sententia excom.* Cap. *Perpendimus. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 23.

VIII. His qui diversorum peccatorum lapsus incurrunt, & Oratione, Confessione, ac Pœnitentia, malorum suorum perfectam conversionem demonstrant, pro qualitate peccati, pœnitentiæ tempus attribuendum est, propter misericordiam & bonitatem Dei. CAUS. XXVI. QUÆST. VII. Cap. 4. *His qui.* Pro qualitate delicti tempus pœnitentiæ impendatur. *Ibid.* Cap. 7. *Pro qualitate.*

IX. Hoc sit in judicio positum eorum qui præsunt, vel quanto tempore vel quali modo pœnitere debeant qui delinquunt; quia ætas & eruditio multam haberi facit differentiam pœnæ. *Ibidem.* Cap. 8. *Hoc sit.*

X. In excessibus singulorum, non solùm quantitas & qualitas delicti, sed ætas, scientia, sexus, atque conditio delinquentis sunt attendenda; & non solùm prædicta, sed secundùm locum & tempus quo delictum committitur, unicuique Pœnitentia debet indici. *De Homicidio.* Cap. *Sicut. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 12. Cap. 6. Tempora pœnitudinis &c. CAUS. XXVI. QUÆST. VII. Cap. 2. *Conc.* CABILLON. II. *ann.* 813. *Can.* 35. TOM. VII. CONC. *p.* 1279. *Can.* 36.

XI. Loca & tempora, & modum culpæ, necnon & pœnitentiam, & gemitus hominum ad Confessionem venientium, Sacerdos præsens positus inspicere valet. CAUS. XXVI. QUÆST. VII. Cap. 3. *Conc.* MOGUNT. I. *ann.* 847. Cap. 31. TOM. VIII. CONC. *p.* 51. *Conc.* VORMAT. *ann.* 868. *Can.* 25. TOM. VIII. CONC. *p.* 950. *Can.* 28.

XII. Pœnitentibus secundùm differentiam peccatorum, pœnitentiæ tempora decernantur. CAUS. XXVI. QUÆST. VII. *Cap.* 5.

XIII. Sacerdos Pœnitentiam imploranti, absque personarum acceptatione, Pœnitentiam secundùm Leges imponat. *Ibid.* Cap. 6.

XIV. Maximè providendum, ut unicuique peccanti, Domini adhibeatur misericordia, quia scriptum est: *Fili, in judicando esto misericors.* JOB. IV. & ampliùs: *Judicium sine misericordia erit illi qui non fecerit misericordiam. Excerptum* GREGOR. III. *post ann.* 731. *Præfat.* TOM. VI. CONC. *p* 1477.

XV. Apud Deum non tàm valet mensura temporis, quàm doloris, nec abstinentia tantùm ciborum, sed mortificatio vitiorum; propter quod tempora pœnitentiæ fide & conversione pœnitentium abbrevianda præcipimus. *Ibid.*

XVI. Infirmis in periculo mortis positis non est imponenda quantitas Pœnitentiæ. CAUS. XXVI. QUÆST. VI. Cap. 1. *Ab infirmit.*

XVII. Cum amicorum Orationibus, & Eleemosynarum studiis, pondus Pœnitentiæ illis est sublevandum. *Ibid.*

XVIII. Habeat Sacerdos ætatis senilis intuitum, & periculorum aut ægritudinis respiciat necessitates. *Ibid.* Cap. 2. *Tempora. med.*

XIX. In Pœnitentia imponenda talis discretio haberi debet, ut pro austeritate pœnitentiæ, aliquis servitio Ecclesiæ nullatenùs retardetur; nec aliquod salutis periculum debeat formidare. *De Pœnit.* Cap. *Significavit. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 38. Cap. 3.

XX. Cùm una Pœnitentia fieri non potest, alia Satisfactio injungatur. *De Sent. Excom.* Cap. *Relatum.* §. *quocirca. med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 34. Cap. 37.

XXI. Eos quibus pro satisfactione suorum criminum iter peregrinationis injungitur, si propter debilitatem non possunt iter injunctæ peregrinationis implere, meliùs est redimere Pœnitentiam, quàm expensas consumere. *De Voto & Voti redempt.* Cap. *Quod super.* §. 3. *rursus.* LIB. III. DECR. *Tit.* 34. Cap. 8.

XXII. Mensuram temporis in agenda Pœnitentia idcircò non satis apertè præfigunt Canones pro unoquoque crimine, ut de singulis dicant qualiter unumquodque emendandum sit, sed magis in arbitrio Sacerdotis intelligentis relinquendum statuunt; quia apud Deum non tàm valet mensura temporis, quàm doloris; nec abstinentia tantùm ciborum, quàm mortificatio vitiorum. CAUS. XXXIII. QUÆST III. *De Pœnit.* DIST. I. Cap. 86. *Mensuram. init.*

XXIII. Pœnitentia, secundùm quod visum fuerit, misericorditer imponenda ei qui, pro libertate sua & Ecclesiæ devotione pugnans, modum excessit se defendendo. *De Pœnitent.* Cap. *Significavit, Rub.* LIB. V. DECR. *Tit.* 38. Cap. 3.

SECTIO XVII.

An sit aliquandò imponenda Pœnitentia publica, & qualis observetur in aliquibus Ecclesiis?

I. Apostolus monet publicè peccantes palàm esse corripiendos: Quando igitur ab aliquo publicè & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, undè alios scandalo offensos commotosque fuisse non sit dubitandum; huic condignam pro modo culpæ Pœnitentiam publicè injungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam. *Concil.* TRID. SESS. XXIV. *De Reform.* Cap. 8. *init.*

II. Episcopus hoc Pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quandò ita magis judicaverit expedire. *Ibid.* Publicè peccantibus publicam injungendam esse Pœnitentiam, jure à Tridentina præceptum est Synodo. *Constit.* MELOD. *Tit.* 12.

III. Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda. *De Pœnit.* Cap. *Manifesta.* LIB. V. DECR. *Tit.* 38. Cap. 1.

IV. Observent ipsi Religiosi, ne ad Confessiones recipiant criminosos criminibus pro quibus solemnis est Pœnitentia indicenda. EXTRAVAG. COMMUN. *De Privilegiis.* Cap. *Inter cunctas.* §. 6. *observent. init.* LIB. V. *Cap.* 1.

V. Hi qui publicis inter se odiis exardescunt, ab Ecclesiasticis Conventibus removendi, donec ad pacem recurrant. *Conc.* ARELAT. II. *ann.* 452. *Can.* 50. TOM. IV. CONC. *p.* 1016.

VI. In Capite Quadragesimæ, omnes Pœnitentes qui publicam suscipiunt aut susceperunt Pœnitentiam, ante fores Ecclesiæ se repræsentent Episcopo Civitatis sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demissis, reos se esse ipso habitu & vultu protestantes. DIST. L. Cap. 64. *in Cap. init.*

VII. Posthæc eos in Ecclesiam introducant, & cum omni Clero septem Pœnitentiales Psalmos in terrâ prostratus Episcopus cum lachrymis, pro eorum absolutione decantet. *Ibid.*

VIII. Tunc

VIII. Tunc resurgens ab oratione, juxta quod Canones jubent, manus eis imponat, Aquam benedictam super eos spargat, cinerem priùs mittat, deindè cilicio capita eorum operiat; & cum gemitu & suspiriis denuntiet eis, quod sicut Adam projectus est de Paradiso, ita ipsi pro peccatis ab Ecclesia abjiciuntur. *ibid.*

IX. Posthæc jubeat Ministris ut eos extra januas Ecclesiæ expellant, Clerus verò prosequatur eos cum Responsorio: *In sudore vultus tui. &c. ibid.*

X. In Sacrâ autem Domini Cænâ rursùs Pœnitentes Ecclesiæ liminibus repræsententur. Dist. L. Cap. 64. *in Capitis fin.*

SECTIO XVIII.

Qualis esse debeat Sacerdos qui præponitur Administrationi Sacramenti Pœnitentiæ?

I. Sacerdos ut sapiens & perfectus Medicus primùm sciat curare peccata sua, & posteà aliena vulnera detergere & sanare, & non publicare. Caus. III. Quæst. VII. Cap. 7. *Sacerdos.*

II. Ipsa tempora Pœnitentiæ pro fide & conversatione Pœnitentium abbrevianda Canones præcipiunt, & pro negligentia protelanda. *ibid. fin.*

III. Mitiùs agendum erga recens conversos. Joannes IX. *Epist.* 1. *post annum* 905. Tom. IX. Conc. *p.* 484.

IV. Sacerdos sit discretus, & cautus, ut more periti Medici superfundat vinum & oleum vulneribus sauciati. *De Pœnit.* Cap. *Omnis.* §. 2. *Sacerdos. init.*

V. In Sacramento Pœnitentiæ, Sacerdos inter lepram & lepram debet discernere. Extrav. Comm. Cap. *Inter cunctas.* §. 3. *sed quia. post init.* Lib. V. *De Privileg.* Cap. 1.

VI. Etiam Sacerdotes qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritûs Sancti in Ordinatione collatam, tanquàm Christi Ministri, functionem remittendi peccata exerceant. *Conc.* Trid. Sess. XIV. Cap. 6. *med.*

VII. Pravè sentiunt qui in malis Sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt. *Ibid.*

VIII. Si quis dixerit Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi & solvendi non habere, Anathema sit. *Ibid. Canone* 10. *init.*

IX. Ne in judiciis Pœnitentium unus minùs, alter verò majus alteri adulando, alteri detrahendo, placere velit; sed considerata qualitate personæ, juxta modum culpæ, agatur censura vindictæ. *Capitul.* Haytonis *ann.* 822. Cap. 19. Tom. VII. Conc. *p.*1625.

X. Magnum periculum est, fieri Judicem vitæ alienæ, qui nescit tenere moderamina vitæ suæ. *Ibid.* Cap. 20.

SECTIO XIX.

Sine Jurisdictione & approbatione, Sacerdotem nullum posse validè administrare Sacramentum Pœnitentiæ.

I. Verbum Dei dimittit peccata; Sacerdos est Judex. Caus. XXXIII. Quæst III. *De Pœnit.* Dist. I. Cap. 51. *Verbum. init.*

II. Absolutio Sacerdotis est ad instar Actûs judicialis, quo ab ipso, velut à Judice, Sententia pronuntiatur. *Concil.* Trid. Sess. XIV. Cap. 6. *post med.*

III. Quoniam igitur natura & ratio judicii exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum est, nullius momenti Absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem Ordinariam aut Subdelegatam non habet Jurisdictionem. *Concil.* Trid. Sess. XIV. Cap. 7. *init.*

IV. Presbyteri de occultis peccatis jussione Episcopi Pœnitentes reconcilient. Caus. XXVI. Quæst. VI. Cap. 4. *Presbyt.* Evaristus.

V. Placuit ut nulli Sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri Sacerdoti ad Pœnitentiam suscipere sine ejus consensu cui priùs se committit, nisi pro ignorantiâ illius cui Pœnitens priùs confessus est. Qui contra hæc Statuta facere tentaverit, gradûs sui periculo subjacebit. Caus. IX. Quæst. II. *Cap.* 1. & Caus. XXXIII. Dist. VI. *De Pœnit.* Cap. 3. *ult.* Urbanus II. fortè *anno* 1090.

VI. A non suo Judice ligati nullus valet, vel absolvi. *De Pœnit.* Cap. *Quod autem. med.* Lib. V. Decr. *Tit.* 38. Cap. 4.

VII. Nullus Presbyter, etiam Regularis, possit Confessiones Sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneus reputari, nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopis approbationem obtineat, Privilegiis & Consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus. *Conc.* Trid. Sess. XXIII. *De Reform.* Cap. 15.

VIII. Approbationem per examen, si Episcopis videbitur esse necessarium, obtineat, aut si aliàs idoneus judicetur. *Ibid.*

IX. Ne quis Sacerdos, sive Sæcularis sive Regularis, Confessiones audiat, nisi Episcopi scripto testimonio ad hoc comprobatus fuerit, prævio examine, si Episcopo placuerit. *Statuta* Melodun. *Tit.* 12. *fin.*

X. Approbatio gratis detur. *Ibid. Statuta Regul. Art.* 6.

SECTIO XX.

Quæ sint vera aut falsa Pœnitentiæ signa, ut solvant vel ligent Sacerdotes?

I. Non est vera hujusmodi Pœnitentia, cùm quidam ad Confessionem de criminibus veniunt, & quamvis confiteri velint, se tamen asserunt abstinere non posse. *De Pœnit.* Cap. *Quod quidam.* Lib. V. Decr. *Tit.*38. Cap. 5.

II. Eorum tamen Confessio recipi debet, & eis de Criminibus consilium exhiberi; & crebris & salubribus monitis Pœnitentia est indicenda. *Ibid. fin.*

III. Eos qui Pœnitentiam agunt, hoc solùm timere oportet, ne ipsius Pœnitentiæ agant Pœnitentiam. Caus. XVII. Quæst. IV. Cap. 3. *Sunt qui. fin.* S. Amar. Lib. II. *De Pœnit.* Cap. 9. *fortè ann.* 374. *Concilium* Romanum V. *anni* 1078. Cap. 5. Tom. X. Conc. *p.* 373. Vide *p.* 382. *Concilium* Claromontanum *anni* 1095. Cap. 25. 55. Tom. X Conc. *p.* 508. Vide *Conc.* Beluac. *ann.* 1114. Tom. X. Conc. p. 800. *Conc.* Lateran. II. *Gener. ann.* 1139. *Can* 12. Tom. X. Conc. *p.* 1007.

IV. Qui sic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc Pœnitentiam agere aut dissimulat, aut ignorat. Quid enim prodest, si peccata quis luxuriæ defleat, & tamen adhuc avaritiæ æstibus anhelat? Caus. XXXIII. Quæst. III. *De Pœnit.* Dist. III. Cap. 6. *Pœnitentiam.*

V. Anima peccare consueta difficilis est ad Pœnitentiam, etsi multa fuerint quæ maximè ad eam invitent. *Sententia* Mennæ *contra* Anthimum *Episcopum Trapezuntiorum.* Tom. V. Conc. *p.* 90.

VI. Pœnitens verecundia ductus dividat apud se Confessionem, ut diversa diversis velit Sacerdotibus manifestare; quidam enim uni celant, quæ alii manifestanda reservant, quod est se laudare, & ad hypocrisim tendere, & semper venia carere, ad quam per frusta putat totum pervenire. Caus. XXXIII. Quæst. III. *De Pœnit.* Dist. V. Cap. 1. *Consideret.* §. 3. *Cautus. init.*

VII. Dominus, qui totum hominem salvum fecit in Sabbatho, opus imperfectionis non novit; & ob hoc peccata non ex parte, sed ex toto dimittit. *De Baptismo.* Cap. *Majores.* §. 6. *Sed adhuc* Lib. III. Decr. *Tit.* 42. Cap. 3.

VIII. Quicunque, vel Negotiator, vel alicui Officio deditus, quod sine peccato exerceri non possit,

ſi culpia gravioribus irretitus ad Pœnitentiam venerit, vel qui bona alterius injuſtè detiuet, vel qui odium in corde gerit, recognoſcat ſe veram Pœninitantiam non poſſe peragere, per quam ad æternam vitam valeat pervenire, niſi negotium derelinquat, vel officium deſerat, odium ex corde dimittat, & bona quæ injuſtè abſtulit reſtituat. Caus. XXXIII. Quæst. III. *De Pœnit.* Dist. V. Cap. 6. *Falſas.*

IX. Qui renuunt ſatisfactiones vel reſtitutionea qnalescunque facere, abſolvi non debent. neque Sacrorum participationi admitti, niſi in articulo mortis. *Statutn* Melodun. *Tit.* 12.

X. Et ne in articulo mortis quidem, qui injurias ſibi illatas dimittere renuunt; carent enim qui hujuſmodi ſunt, charitate & miſericordia. *Ibid.*

XI. Ne tamen deſperet interim; quidquid bnni facere poterit, hortamur ut faciat; ut Omnipotens Dens cor illius illuſtret ad Pœnitentiam. *Ibid. fin.*

XII. Sunt pleraque negotia quæ ſine peccatis exhiberi, aut vix, aut nullatenùs poſſunt; quæ ergò negotia ad peccatum implicant, ad hæc neceſſe eſt ut poſt converſionem animus non recurrat. *Ibid.* Cap. 7. *Negotium.* §. *ſunt. fin.* S. Gregor. I. *in Homil.* 24. *Evangel.* circà *ann.* 593. Refert Nicol. I. *ad Conſ. Bulg.* Cap. 49. Tom. VIII. Conc. *p.* 534.

XIII. Nemo deſperandus eſt, dùm in hoc corpore conſtituitur; quia nonnunquàm quod diffidentia ætatis differtur, conſilio maturiure perficitur. Caus. XXXII. Quæst. II. Cap. 11. *Conc.* Melfitanum *in Apulin. ann.* 1089. Cap. 16. Tom. X. Concil. *pag.* 477.

XIV. Negotium quod ante converſionem ſine peccato eatitit, hoc etiam poſt Converſionem repetere culpa non fuit. Caus. XXXIII. Quæst. III. Dist. V. Cap. 7. *Negotium. init.* Adde quæ occurrunt §. *ſequenti, ante Section.* XX.

XV. Falſam Pœnitentiam eſſe conſtat, cùm ſpretis pluribus de uno ſolo Pœnitentia agitur, aut cùm ſic agitur de uno ut non diſcedatur ab alio. Caus. XXXIII. Quæst. III. *De Pœnit.* Dist. V. Cap. 8. *Fratres. poſt init.*

XVI. Falſa fit Pœnitentia, cùm Pœnitens ab officio, vel curiali, vel negotiali, non recedit, quod ſine peccato agi nulla ratione prævalet; aut ſi odium in corde geſtetur; aut ſi non offenſo cuilibet ſatisfiat; aut ſi non indulgeat offendenti offenſus; aut ſi arma quis contra juſtitiam gerat. *Ibid.*

XVII. Eos qui Pœnitentiam agunt, hoc ſolùm timere oportet, ne ipſius Pœnitentiæ agant Pœnitentiam. Caus. XVII. Quæst. IV. Cap. 3. *Sunt qni. fin.*

XVIII. Si res aliena propter quam peccatum eſt, cùm reddi poſſit, non redditur, non agitur Pœnitentia, ſed fingitur. Caus. XIV. Quæst. VI. Cap. 1. *Si res. init.*

SECTIO XXI.

Quomodò ſe gerere debeant Sacerdotes in Adminiſtratione Sacrnmenti Pœnitentiæ, ut abſolvant vel ligent Pœnitentes?

I. Sacerdos diligenter inquirat, & peccatoris circumſtantias, & peccati; quibus prudenter intelligat quale debeat ei præbere conſilium, & hujuſmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſalvandum ægrotum. *De Pœnit.* Cap. *Omnis.* §. 2. *Sacerdos.* Lib. V. Decr. *Tit.* 38. Cap. 12.

II. Cùm de confitentis ſolius præjudicio agatur in judicio animæ, ſeu Pœnitentiæ foro; ſtabitur ſimplici verbo illius. Extravag. Commun. *De Privileg.* Cap. *Inter Cunctus.* §. 4. *ſuper.* Lib. V.

III. Si quis mortaliter vulneratus fuerit in torneamentis, in quibus milites ex condicto coire ſolent, & ad oſtentrationem virium ſuarum & audaciæ temerè congredi, ei poſcenti Pœnitentia non negatur. *De Torneamentis.* Cap. 1. Lib. V. Decr. *Tit.* 13. Cap. 1.

IV. Nemo deſperandus eſt, dùm in hoc corpore conſtituitur, quia nonnunquàm quod diffidentiâ ætatis differtur, conſilio maturiore perficitur. Caus. XXXII. Quæst. II. *Cap.* 11.

V. Si Pœnitentes in definito tempore negligentiores circà ſalutem ſuam extiterint, protelandæ ipſius Pœnitentiæ tempus in poteſtate maneat Sacerdotis. Dist. L. Cap. 36. *De His Clericis. fin.*

VI. Ne pro dilatione Pœnitentiæ periculum immineat animarum. *De Pœnit.* Cap. *Ne pro. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 38. Cap. 16. *& ult.*

VII. Illi non debet Pœnitentia denegari qui fraudem commiſit, quam detegere ac reparare non poteſt, ſed competens ſatisfactio per diſcretum Sacerdotem ei debet injungi. *De Pœnit.* Cap. *Officii.* Lib. V. Decr. *Tit.* 38. Cap. 9. Co ligitur.

VIII. Si is qui Prælatus eſt debitori Dominico culpas impunè dimittit, non mediocriter profectò offendit qui debita Cæleſtis Regis & Domini ſua præſumptione reſolvit. Caus. XXIII. Quæst. IV. *Cap.* 28.

IX. Ea quæ in nos committuntur facilè poſſumus dimittere; ea verò quæ in Deum commiſſa ſunt, cum magna diſcretione, nec ſine Pœnitentiâ debemus relaxare. *Ibid.* Gregor. I. *in Homil. ann.* 593.

X. Pœnitentem ex corde ita oportet ſuſcipi &c. Caus. XXVI. Quæst. VII. *Cap.* 9. Affectum illum &c. *Ibid.* Cap. 10. *Erga eum. ibid.* Cap. 11. Alligant autem onera &c. *Ibid.* Cap. 12.

XI. Mulieri quæ, ignorante marito, de adulterio prolem ſuſcepit, quamvis id viro ſuo timeat confiteri, non eſt Pœnitentia deneganda. *Ibid.* §. *quoniam.*

XII. Mulieri quæ ſibi partum ſuppoſuit alienum, timenſque maritum non vult facinus ipſi detegere, qui prolem credit ſine dubitatione quâlibet eſſe ſuam, non debet Pœnitentia denegari, ſed competens ſatisfactio per diſcretum Sacerdotem ei debet injungi. *De Pœnitent.* Cap. *Officii.* Lib. III. Decr. *Tit.* 38. Cap. 9.

XIII. Sub magno moderamine Paſtores Eccleſiæ, vel ſolvere ſtudeant, vel ligare. Caus. XI. Quæst. III. Cap. 88. *Plerumque* §. *ult. fin.*

XIV. Cauſæ penſandæ ſunt, & tunc ligandi atque ſolvendi poteſtas exercenda. *Ibid.* §. 1. *ſæpè.*

XV. Quos Omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos Paſtoris ſententia abſolvat. *Ibid. fin.*

XVI. Quomodo Sacerdos mundum leproſum non facit, ſic Epiſcopus vel Presbyter non alligat eos qui inſontes ſunt, nec ſolvit noxios; ſed pro officio ſuo, cùm peccatorum varietates audierit, ſcit qui ligandus ſit, qui ſolvendus. Caus. XI. Quæst. III. Cap. 44. *Quomodo.*

XVII. Si veraciter agitur Pœnitentia, non remittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum, cùm reſtitui poteſt. Caus. XIV. Quæst. VI. Cap. 1. *Si res. init.*

XVIII. Nolentes reddere quos novimus & malè abſtuliſſe, & undè reddant habere, arguimus, increpamus, obteſtamur, quoſdam clàm, quoſdam palàm, ſicut diverſitas perſonarum diverſam videtur poſſe recipere medicinam. *Ibidem.* §. *ult. fin.*

XIX. Peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum. *In 6. De Reg. Juris. Reg.* 4. Lib. V. *Tit. ult.*

XX. Peccati venia non datur niſi correcto. *Ibid. Reg.* 5.

XXI. Legatur ex quo eſt Religio Chriſtiana, vel certè detur exemplum in Eccleſia Dei, à quibuslibet Pontificibus, ab ipſis Apoſtolis, ab ipſo denique Salvatore, veniam, niſi ſe corrigentibus, fuiſſe conceſſam. Caus. XXIV. Quæst. II. Cap. 2. *Legatur. init.*

XXII. His qui in tempore neceſſitatis, & in periculi urgentis inſtantia, præſidium Pœnitentiæ & mox Reconciliationis implorant, nec Satisfactio interdicenda eſt, nec Reconciliatio deneganda. Caus. XXXIII. Quæst. III. *De Pœnitentiâ.* Dist. I. Cap. 49. *Multiplex.* §. 2. *init.*

XXIII. Si aliqui docti Pœnitentia privatim à Sacerdote veniam postulant, moneri debent & induci, ut his quos læserunt congruè satisfaciant. *De Sent. Excommun.* Cap. *Porrò.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 7.

XXIV. Non pœnitentibus Sacramenta negantur. Dist. XCV. Cap. 5. *Illud. fin.*

XXV. Secundùm Statuta Canonica, ultimo deputandis supplicio negari, si petant, non debet Pœnitentiæ Sacramentum. Clem. *De Pœnit.* Cap. *Cùm secundùm. init.* Lib. V. *Tit.* 9. Cap. 1.

SECTIO XXII.

Sacerdotes teneri ad Sigillum Confessionis; & quâ pœnâ puniri debeant qui revelant peccata sibi detecta?

I. Nullus debet damnum ex Pœnitentia reportare. *De Sentent. Excommun.* Cap. *Si verò.* §. 1. *post init.* Colligitur. Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 34.

II. Non erit tutum, cùm secretos fuerit alicujus excessus, ipsum invitum ab Officio coercere. *De Simonia.* Cap. *Ex tua Fraternitatis. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3, Cap. 20.

III. Caveat omninò Sacerdos ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo, aliquatenùs prodat peccatorem. *De Pœnit.* Cap. *Omnis.* §. 3. *caveat. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 38. Cap. 12.

IV. Si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ requirat. *Ibid.*

V. Quia perniciosum esset Presbyterum revelare, quod sibi tanquam Sacerdoti fuerat revelatum, ad id nunquàm compelli potest. *De Excessib. Prælatorum.* Cap. *Dilectus.* *Junctâ Rubr.* Lib. V. Decr. *Tit.* 31. Cap. 13. Sententia interdicti ad id lata nullius est momenti. *Ibid.*

VI. Sacerdos ante omnia caveat, ne de his qui ei confitentur peccata alicui recitet, neque, quod absit, pro aliquo scandalo; si hoc fecerit, deponatur. Caus. XXXIII. Quæst. III. Dist. VI. Cap. 2. *Sacerdos.*

VII. Sacerdos qui peccatum in Pœnitentiali Judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solùm à Sacerdotali Officio deponendus est; verùm etiam ad agendam perpetuam Pœnitentiam in arctum Monasterium est detrudendus. *De Pœnit.* Cap. *Omnis.* §. *ult. caveat. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 38. Cap. 12.

VIII. Illi secretam Pœnitentiam, secundùm quod sibi visum fuerit, Sacerdos injungere non postponat. *Ibid. fin.* Vide *Concilium* Duziacense II. *ann.* 874. Cap. 8. Tom. IX. Conc. *p.* 273.

IX. Jure Confessionis secreto peccatoris persona nulli detegatur. *In Concil.* Rothomag. *Appendice. ann.* 1074. Cap. 8. Tom. X. Conc. *p.* 315.

X. Quomodò Presbyteri erga infirmos in lecto decumbentes se gerere debeant. *Conc.* Nannetense. *Can.* 4. Tom. IX. Conc. *p.* 469. *Can.* 5.

SECTIO XXIII.

An aliqua peccata sint quæ remitti nequeant? vel an cùm dimissa sunt, redire possint?

I. Omne peccatum bonus Deus indulget, si quis ex toto corde pœniteat. Caus. XXII. Quæst. IV. *Cap.* 18. *Actione.* §. Tharas. *med.*

II. Omne peccatum per Pœnitentiam deletur. Caus. XXXIII. Quæst. III. *De Pœnitentia.* Dist. III. Cap. 35. *Inter hac. init.*

III. Nemo desperandus est dùm fuerit in mortali corpore constitutus, cùm id quod differtur aliquando, consilio postmodùm maturiore perficiatur. *De Sentent. Excommun.* Cap. *Cùm non ab homine. In Int. med.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 14.

IV. Qui vellet sub præscripta forma jurare quod immunis sit ab illis criminibus, de quibus fuit infamatus; tanquàm dimissis per Pœnitentiam jam sit immunis ab illis: hoc jurare non parvæ temeritatis existeret, cùm Beatus Joa dicat; *Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorat anima mea. De Purgatione Canonica.* Cap. *Accepimus.* §. *Ipse. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 34. Cap. 16. *& ult.*

V. Deus nullum crimen excepit, qui peccata donavit omnia. Caus. XXXIII. Quæst. III. Dist. I. Cap. 50. *Nemo.* §. *Deus.*

VI. Deus definitionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit. *Ibid.* Cap. 78. *Deus. init.*

VII. Divina Clementia dimissa peccata in ultionem ulteriùs redire non permittit. Caus. XXXIII. Quæst. III. Dist. IV. Cap. 24. *Divina.* Caus. XXIII. Quæst. IV. *Cap.* 19. ubi integer locus refertur.

VIII. Qui recedit à Christo, & alienus à gratia finit hanc vitam, in perditionem cadit; sed non in id quod remissum est, recidit. *Ibid.* Cap. 14. *Qui recedit. init.*

IX. Peccatum ad mortem, & perseverantia in peccato usque ad mortem. *Conc.* Tricassin. II. *an.* 878. Cap. 3. Tom. IX. Conc. *p.* 310.

X. Nulli homini claudenda est misericordia. Caus. XXIII. Quæst. IV Cap. 35. *Duo.* §. 1. *Ita. init.* Vide Hadrianum II. *Epistola* 14. *Ad* Valoradam. Tom. VIII. Conc. *p.* 913. Vide *Literas Absolutionis à* Joanne XVIII. *missas* Hugoni *Antissiodorensi Episcopo. ann. circ.* 1053. Tom. IX. Conc. *p.* 858.

XI. Gratianus explicans Canones à se collectos, qui docere videntur peccata dimissa redire, ad illos qui relapsi in peccatis suis decedunt, restringit, dicens illa revivisçere ad supplicium; sicut bona opera mortificata per peccata reviviscunt per Pœnitentiam ad præmium. §. *Sed his authorit. in fine.* Dist. IV. *De Pœnit.*

SECTIO XXIV.

An sit in Ecclesia potestas reservandi aliqua peccata, & quæ, & penes quos sit?

I. Magnoperè ad Christiani populi Disciplinam pertinere, Sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam & graviora crimina, non à quibusvis, sed à Summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur. *Conc.* Trid. Sess. XIV. Cap. 7.

II. Meritò Pontifices Maximi, pro Suprema Potestate sibi in Ecclesia Universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. *Ibid.*

III. Neque dubitandum est, quandò omnia quæ à Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus, in sua cuique Diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem liceat. *Ibid.*

IV. Præsertim Reservatio esse potest quoad illa peccata, quibus Excommunicationis Censura annexa est. *Ibid.*

V. Hanc delictorum Reservationem consonum est Divinæ Authoritati, non tàm in externa Politia, sed etiam coram Deo, vim habere. *Ibid.*

VI. Episcopi habent jus reservandi sibi casus. *Conc.* Trid. Sess. XIV. *Can.* 11.

VII. Casuum Reservatio prohibet quominùs inferior Sacerdos à reservatis verè absolvat. *Ibid. Can.* 11.

VIII. Cæteri Canones in Corpore Juris inclusi circa peccatorum Reservationem extant in Regulis subjungendis, quæ jam bis editæ sunt Gallico idiomate, 1°. *In Casibus Conscientiæ ad praxim spectantibus.* 2°. *In Consultationibus Canonicis de Sacram.* Tom. V. qui totus est de hac Reservatione.

IX. Si quis de Corpore exiens, novissimum & necessarium Communionis viaticum expetit, non ei denegetur. Caus. XXVI. Quæst. VI. *Cap.* 6. ex *Concil.* Martini Bracar. Cap. 82. *circ. ann.* 572.

X. De his qui recedunt ex Corpore Antiquæ Legis, Regula observabitur etiam nunc, ita ut si forte quis recedat ex Corpore, necessario vitæ suæ viatico non defraudetur. CAUS. XXVI. QUÆST. VI. *Cap.* 9. *Ex Concilio* NICÆNO I. Cap. 12. *ann.* 325. His qui in tempore necessitatis &c. *Ibid.* Cap. 10. Prior Canonum marginalium est Posterioris versio; uterque ostendit quod nulla esse debeat Reservatio in articulo mortis.

SECTIO XXV.

Qui sint casus communiter in Gallia Summo Pontifici reservati?

Casus infrà scripti tanquàm speciales Sedi Apostolicæ reservati.

I. Offensa Ecclesiasticæ libertatis; violatio Interdicti ab eadem Sede impositi; & crimen hæresis, postquàm fuerint de ea Sententialiter condemnati, delati, seu publicè diffamati. *Ex* EXTRAV. II. *Etsi.*

II. Conspiratio in Personam aut Statum Romani Pontificis; quævis offensa, inobedientia, seu Rebellio ejusdem Pontificis, vel Sedis Apostolicæ. SIXTI IV. *Bulla*, *Etsi Dominici. ann.* 1478. EXTRAV. COMMUN. *De Pœnit.* Cap. *Etsi de.* LIB. V. Cap. 5.

III. Presbytericidium, seu mutilatio membrorum, vel occisio ejuscunque in Sacris Ordinibus constituti. *Ex* EXTRAV. II. *Etsi.* Cap. 5.

IV. Offensa personalis in Episcopum, seu alium SIXTI IV. Prælatum.

V. Invasio, deprædatio, occupatio, aut devastatio terrarum Romanæ Ecclesiæ mediatè vel immediatè subjectarum.

VI. Impositio novorum onerum, realium vel personalium, Ecclesiis vel Ecclesiasticis Personis.

VII. Invasio Romipetarum, & quorumcumque aliorum ad Romanam Curiam venientium.

VIII. Delatio armorum & aliorum prohibitorum ad partes Infidelium: Prohibitio devolutionum causarum ad dictam Curiam.

IX. Simonia super Ordinibus vel Beneficiis assequendis, in eadem Curia vel extra contracta. EXTRAV. COMMUN. *De Pœnit.* Cap. *Etsi Dominici. post init.* LIB. V. Cap. 3.

X. Qui in Clericos temerarias manus injiciunt, pro Absolutionis Beneficio, ad Apostolicam Sedem sunt mittendi. *De Sent. Excom.* Cap. *Tua nos.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 19. *Bulla* PAULI II. quæ incipit *Sanctissimus in* CHRISTO *Pater. ann.* 1466. renovata in *Bulla ejusdem*, quæ incipit, *Etsi Dominici. ann.* 1468.

XI. Incendiarii ex quo sunt per Ecclesiæ Sententiam publicati, pro Absolutionis Beneficio ad Apostolicam Sedem sunt mittendi. *Ibid. De Sent. Excomm.* Cap. *Tua nos. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 19.

XII. Omnes falsarii Literarum Apostolicarum Anathematis vinculo sunt innodati. *De Crimine falsi.* Cap. *Ad falsariorum.* LIB. V. DECR. *Tit.* 20. Cap. 7.

SECTIO XXVI.

Qui sint casus communiter in Gallia Episcopis reservati?

I. Sunt quædam tàm enormia peccata, quod ea rationabilis consuetudo præscripta Canonicè, in Episcopatibus aliquibus, reservavit Episcopis. EXTRAV. COMMUN. *De Privilegiis.* Cap. *Inter cunctas*, §. 7. *Incendiarios. init.* LIB. V. Cap. 1.

II. Sunt casus qui Episcopo specialiter reservantur. *In 6. De Pœnit.* Cap. *Si Episcopus.* LIB. V. *Tit.* 10, Cap. 2.

III. Voluntarii homicidæ.

IV. Falsarii videlicet aliarum Literarum, quàm Apostolicarum: Ecclesiarum Immunitatis, & Ecclesiasticæ libertatis violatores: Sortilegi. EXTRAVAG. COMMUN. *De Privileg.* Cap. *Inter cunctas.* §. 7. *Incendiarios.* LIB. V. *De Privil.* Cap. 1. Legendi sunt Libri Rituales uniuscujusque Diœcesis, in quibus illi casus referuntur, quos quisque Episcopus sibi de Jure vel de Consuetudine reservavit, quibus quidem & addere pro nutu potest, vel detrahere pro differentia temporum, modò sint duntaxat peccata lethalia, & ea quidem opere externo, non sola cogitatione commissa.

SECTIO XXVII.

Quandonam de Jure Communi possint Episcopi vel Inferiores Sacerdotes absolvere à casibus Papæ reservatis?

I. Licet Episcopis, in quibuscunque casibus occultis Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos, in Diœcesi sua per seipsos aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita Pœnitentia salutari. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. *De Reform.* Cap. 6.

II. Idem est in hæresis crimine, in eodem foro conscientiæ, eis tantum, non eorum Vicariis, permissum. *Ibid. fin.*

III. Piè admodùm, ne hac ipsa occasione Reservationis aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit Reservatio in articulo mortis; atque ideò omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possint. *Conc.* TRID. SESS. XIV. Cap. 7. *fin.*

IV. Hinc illa vulgaris clausula Bullarum: *Nec nisi in articulo mortis sine Romano Pontifice, Absolutionis possint Beneficium impetrare. De Sent. Excom.* Cap. *Non dubium. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 5.

SECTIO XXVIII.

Quandonam intelligatur concessa facultas absolvendi à casibus reservatis, seu Papæ, seu Episcopis? Et quid faciendum sit Sacerdoti, cùm potestatem non habet absolvendi à reservatis?

I. In quibuscunque concessionibus & facultatibus absolvendi, casus suprà scripti tanquàm speciales Sedi Apostolicæ reservati semper intelliguntur excepti. EXTRAVAG. COMMUN. *De Pœnit.* Cap. *Etsi Dominici.* LIB. V. *Tit.* 9. Cap. 3. *Post init. Ex Bulla* PAULI II. *anni* 1468.

II. Statuit & decrevit sua Sanctitas, suæ intentionis fuisse & esse, per quascunque Concessiones & Facultates, per suam Sanctitatem, tàm scripto quàm verbo factas, & in posterum faciendas, nemini licere irretitos dictis casibus absolvere sine speciali suæ Sanctitatis licentia. *Ibid. fin.*

III. Quin imò Concessiones & Indulta prædicta, quoad casus exceptos hujusmodi, nulli penitùs suffragantur. *Ibid.*

IV. Ex Bulla SIXTI IV. *ann.* 1478. De speciali licentia & certa scientia suæ Sanctitatis demùm censtare censeatur, cùm in signatura sua desuper manu sua scriptum, aut in Literis suis expressum fuerit, se ex certa scientia, & de speciali gratia id concedere, cum derogatione præsentis Constitutionis illius, de verbo ad verbum, non autem per clausulas id importantes. EXTRAVAG. COMMUN. *Cap. Etsi Dominici.* LIB. V. *De Pœnit.* Cap. 5. *Ante.* §. 1.

V. Non intendit sua Sanctitas, quod Regulares qui eligentur ad Officium audiendarum Confessionum exercendum, de casibus Episcopis & Superioribus, ac Sedi Apostolicæ reservatis, se ullatenùs intromittant. EXTRAVAG. COMMUN. *De Privil.* Cap. *Inter cunctas.* §. 5. *ut autem, fin.* Ex *Bulla* BENEDICTI XI, *Inter cunctas.*

VI. Si

VI. Si Episcopus suo subdito concesserit ut sibi possit idoneum eligere Confessorem; ille quem is elegerit, in casibus qui eidem Episcopo specialiter reservantur, nullam habet penitùs potestatem. *In 6. De Pœnitent.* Cap. *Si Episcopus.* Lib. V. *Tit.* 10. Cap. 2.

VII. Cùm extra mortis articulum, nihil possint Sacerdotes in casibus reservatis; id unum Pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores legitimos Judices pro Beneficio Absolutionis accedant. *Concil.* Trid. Sess. XIV. Cap. 7. *fin.*

SECTIO XXIX.

Quale sit crimen Sacerdotum qui cum Pœnitentibus fœminis peccant, & quâ pœnâ puniantur?

I. Non debet Episcopus aut Presbyter commisceri cum mulieribus, quæ ei sua fuerint confessæ peccata. Caus. XXX. Quæst. I. Cap. 10. *Non debet. init.*

II. Omnes quos in Pœnitentia suscipimus, ita nostri sunt spirituales filii, ut & ipsi quos, vel nobis suscipientibus vel mergentibus, Unda Sacri Baptismatis regeneravit. *Ibid.* Cap. 8. *Omnes. init.*

III. Nullus Sacerdos causâ fornicationis ad suam Pœnitentialem accedat. *Ibid.* Cap. 8.

IV. Si quis hoc scelus perpetraverit, non solùm dignitatis honorem amittat, verùm etiam jugi Pœnitentiæ se subdat. *Ibid.*

V. Si fortè, quod absit, hoc contigerit, Episcopus vel Presbyter deponatur, si tamen in conscientiam populi devenerit. *Ibid.* Cap. 10. *Non debet. fin.*

TITULUS VII.

De Indulgentiis.

SECTIO I.

Quid sit, & quotuplex Indulgentia, & an sit in Ecclesia potestas concedendi Indulgentias, & in quo sit fundata?

I. Potestas conferendi Indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa est. *Concil.* Trid. *Continuat.* Sess. XXV. Decr. *De Indulgentiis.* Cap. 1.

II. Hujusmodi Potestate Divinitùs sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus, Ecclesia usa est. *Ibid.*

III. Unigenitus Dei Filius sui ipsius Agni incontaminati & immaculati pretioso Sanguine nos redemit, quem in arâ crucis innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem, ad verbum, pro Redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiosè, velut quoddam profluvium, noscitur effudisse. Extravag. Commun. *De Pœnit.* Cap. *Unigenitus. post init.* Lib. V. *Cap.* 2.

IV. Quantùm ergò exindè, ut nec supervacua, inanis, aut superflua tantæ effusionis miseratio redderetur, Thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit, volens suis thesaurisare filiis pius Pater; ut sic sit infinitus thesaurus hominibus; quo qui usi sunt, Dei amicitiæ participes sunt effecti. *Ibidem.*

V. Indulgentia est Remissio pœnæ temporalis pro peccatis debitæ. Extravag. Commun. *De Pœnit.* Extravaganti. *Unigenitus. n.* 40. Lib. V. *Cap.* 2.

VI. Aliquandò dicitur simpliciter Remissio, & Indulgentia peccatorum. *Ibid.* Extravag. *Antiquorum. init.* hoc est, pœnarum pro peccatis debitarum. Clem. V. *Extravaganti Unigenit.*

VII. Aliquandò dicitur de injunctis Pœnitentiis indulta Remissio. *De Pœnit.* Cap. *Cum ex eo.* §. *ad hæc.* Lib. V. Decr. *Tit.* 38. Cap. 14.

VIII. Indulgentia plena, largior, plenissima venia peccatorum. Extravag. *Antiquorum. med.* Extrav. Commun. Lib. V. *De Pœnit.* Cap. 1.

IX. Ad hujus thesauri cumulum, Beatæ Dei Genitricis, omnium electorum à primo usque ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur. *Ibid.*

X. De hujus thesauri consumptione seu minutione non est aliquatenùs formidandum, tàm propter infinita Christi merita, quàm pro eo quod quantò plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tantò magis accrescit ipsorum cumulus meritorum. *Ibid.*

XI. Totalis est & partialis Indulgentia, seu remissio pœnæ temporalis. Extravag. *Unigenitus.* Extravag. Commun. Lib. V. *De Pœnit.* Cap. 2.

SECTIO II.

A quibus concedi possint Indulgentiæ, & quousque extendatur ista potestas?

I. Unigenitus Dei filius thesaurum suorum meritorum, per Beatum Petrum Cœli Clavigerum, ejusque Successores, suos in terris Vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum, & propriis & rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, tàm generaliter, quàm specialiter, prout cum Deo expedire cognoscerent, applicandum. Extravag. *Unigenitus. post init.* Extravag. Commun. Lib. V. *Tit. De Pœnit.* Cap. 2.

II. Ecclesiarum Prælati Indulgentias possunt concedere in sua quisque Diœcesi. *De Pœnit.* Cap. *Cum ex eo.* §. *ad hæc.* Colligitur. Innocent. III. *in Concil.* Lateran. seu Generali *ann.* 1215.

III. Cùm dedicatur Basilica, non extendatur Indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive à pluribus Episcopis dedicetur. *Ibid.*

IV. In Anniversario Dedicationis tempore, quadraginta dies de injunctis Pœnitentiis indulta remissio non excedat. *Ibid.* §. *ad hæc. fin.*

V. Hunc quadraginta dierum numerum, Indulgentiarum Literis debent Episcopi moderari, quæ pro quibuslibet casibus aliquoties conceduntur. *Ibid.* §. *ult. hunc quoque.*

VI. Romanus Pontifex hoc in talibus moderamen consuevit observare. *Ibid. fin.*

VII. Archiepiscopus per Provinciam suam liberè potest concedere Remissionis Literas generales, ita tamen quod Statutum Generalis Concilii, seu Lateran., non excedat. *De Pœnit.* Cap. *Nostro.* Lib. V. Decr. *Tit.* 38. *Cap.* 15.

VIII. In concedendis Indulgentiis non excedat Archiepiscopus Statutum Concilii Generalis Rhemensis. *In 6. De Pœnit.* Cap. *Romana. fin.* Lib. V. *Tit.* 10. Cap. 1.

IX. Indulgentiæ quæ ab uno vel pluribus Episcopis, in Ecclesiarum Dedicationibus, vel aliis quibuscunque casibus, conceduntur; vires non obtinent, si Statutum excesserint Concilii Generalis. *Ibid. In 6. De Pœnit.* Cap. *Indulgentiæ.* Lib. V. *Tit.* 10. Cap. 30. *seu ult.*

X. Episcopalis est Dignitatis concedere Indulgentiarum Literas, & nullus Abbatum potest id præsumere; nisi forsan quisquam eorum speciali concessione, vel alia legitima causa super hujusmodi valeat se tueri. *De Excessib. Prælatorum.* Cap. *Accedentibus.* Lib. V. Decr. *Tit.* 31. Cap. 12.

SECTIO III.

Quid observandum sit in concessione vel promulgatione Indulgentiarum?

I. In concedendis Indulgentiis, moderatio, juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem, adhibenda est, ne nimia facilitate Ecclesiastica Disciplina enervetur. *Conc.* Trid. *Continuatione* Sess. XXV. Decr. *De Indulg.* Cap. 1.

II. Sanctarum Indulgentiarum munus piè, sanctè, & incorruptè, omnibus fidelibus dispensetur. *Ibid. fin.* Indulgentiarum usus Christiano populo maximè salutaris, & Sacrorum Conciliorum autoritate probatus, in Ecclesia retinendus est. *Concil.* TRID. *Continuatione* SESS. XXV. DECR. *De Indulgent.* Cap. 1.

III. Per indiscretas & superfluas Indulgentias, & Claves Ecclesiæ contemnuntur, & Pœnitentialis Satisfactio enervatur. *De Pœnit.* Cap. *Cum ex eo.* §. *ad hæc. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 38. Cap. 14.

IV. In quibuscunque Christianæ Religionis locis, Quæstorum nomen atque usus penitùs aboleatur, nec ad Officium hujusmodi exercendum ullatenùs admittuntur. *Conc.* TRID. SESS. XXI. *De Refor.* Cap. 9.

V. Indulgentiæ aut aliæ speciales Gratiæ, per Ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus populo publicandæ sunt. *Ibid.* Præcavendum est ne cujusvis Indulgentiæ, Remissionis vel Facultatis obtentu, CHRISTI fideles procliviores ad illicita in posterum committenda reddantur, aut veniæ facilitas eis peccandi tribuat incentivum. EXTRAVAGANTI, *Etsi Dominici. init.* EXTRAV. COMMUN. LIB. V. *Tit De Pœnit.* Cap. 3. *Bulla* PAULI II. *ann.* 1466. relata in *Bulla anni* 1468.

VI. Cæleſtes hos Ecclesiæ Thesauros, non ad quæstum, sed ad pietatem exerceri, omnes verè intelligant. *Ibid. fin.*

VII. Nullæ Indulgentiæ admittantur, nisi Apostolicæ, vel Diœcesani Episcopi Literæ veræ exhibeantur. *De Pœnit.* Cap. *Cùm ex eo.* §. *eleemosynarum.* LIB. V. DECR. *Tit.* 38. Cap. 14.

VIII. Tunc præter id quod in ipsis continebitur Literis, nihil populo proponi permittatur. *Ibid.* Et CLEMENTINA, *Abusionibus. init* LIB. V. CLEMENTIN. *Tit.* 9. *De Pœnit.* Cap. 2.

IX. Literas Apostolicas Diœcesani Episcopi, ne quid fraudis committi valeat, per easdem, antequàm admittant, examinent diligenter. CLEMENT. *Abusionib. De Pœnit.* LIB. V. CLEMENT. *Tit.* 9. Cap. 2.

X. Per abusus promulgantium Indulgentias, Censura vilescit Ecclesiastica, & Clavium Ecclesiæ autoritas ducitur in contemptum. CLEMENT. *De Pœnit. Abusionib.* §. 1. *ad hæc. fin.* CLEMENT. LIB. V. *Tit.* 9. Cap. 2.

XI. Indulgentiæ, seu Remissiones prosunt illis tantummodò qui remittentibus subsunt, sive quibus ut prosint, proprii, hoc est Episcopi, specialiter indulserunt. *De Pœnit.* Cap. *Quod autem.* LIB. V. DECR. *Tit.* 38. Cap. 4.

XII. Cæleſtis hic thesaurus à Prælatis propriis, & rationabilibus causis, prout cum Deo expedire cognoverint, est applicandus. EXTRAVAG. *Unigenitus.* EXTRAVAG. COMMUN. LIB. V. *Tit. De Pœnitent.* Cap. 2.

SECTIO IV.

Per quos gradus Jubilei anni Indulgentia invaluerit in Ecclesia ad hunc usque diem?

I. BONIFACIUS Papa VIII. inconsumptibilem thesaurum hujusmodi, pro excitanda & remuneranda devotione fidelium, voluit aperire; decernens de Fratrum suorum consilio, ut omnes qui anno à nativitate Domini 1300. & quolibet anno centesimo ex tunc secuturo, ad Apostolorum Petri & Pauli Basilicas de Urbe accederent reverentèr, ipsasque, si Romani ad minus 30. si verò peregrini aut forenses fuerint 15. diebus continuis, vel interpolatis saltem semel in die, dùm tamen verè Pœnitentes, & Confessi existerent, personaliter visitarent, suorum omnium obtinerent plenissimam veniam peccatorum. EXTRAV. *Unigenitus. De Pœnit. ante* §. 1. *nos autem.* EXTRAVAG. COMMUN. LIB. V. *Tit. De Pœnit.* Cap. 2. *Bulla* CLEMENT. VI. *ann.* 1350.

II. CLEMENS VI volens quàmplurimos hujusmodi Indulgentiæ fieri participes, cùm pauci multorum respectu, propter vitæ hominum brevitatem valeant ad annum centesimum pervenire, de Fratrum consilio prædictam Confessionem Indulgentiæ ad annum quinquagesimum duxit reducendam; statuitque de Apostolicæ plenitudine potestatis, ut universi fideles, qui verè pœnitentes & confessi in anno à nativitate CHRISTI 1350. proximè futuro, & deinceps perpetuis futuris temporibus, de quinquaginta in quinquaginta annis prædictas eorumdem PETRI & PAULI Apostolorum BASILICAS, & LATERANENSEM Ecclesiam, causâ devotionis modo prædicto visitaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum veniam consequantur. *Ibid.* §. 1. *nos autem. In ead. Bulla.*

III. Adjecit, ut ii etiam qui pro ea Indulgentia consequenda ad easdem Basilicas & Ecclesias accederent, post iter arreptum impediti legitimè quominùs ad urbem illo anno valerent pervenire, aut in via, vel dierum prætaxato numero non completo, in dicta urbe decessissent, verè pœnitentes & confessi, eandem Indulgentiam consequerentur. *Ibid. fin.*

IV. PAULUS II. rationabilibus causis tunc expressis inductus, de Venerabilium Fratrum suorum consilio, annum Jubileum ad brevius tempus provida moderatione reducens, illum ad annos 25. Apostolica Autoritate restrinxit; ac voluit, statuit, & decrevit, quod singulis 25. annis, Jubileus annus prædictus celebrari deberet, quodque anno Domini 1474. à Vigilia Nativitatis Domini Nostri JESU CHRISTI, idem annus Jubileus inciperet, & ut sequitur, finiretur. EXTRAVAG. *Quemadmodum. De Pœnitentiis. Post init.* EXTRAVAG. COMMUN. LIB. V. *Tit. De Pœnit.* Cap. 4. *Bulla* SIXTI IV. *anni* 1474.

V. Statuit etiam ut Universi & Singuli CHRISTI utriusque sexûs Fideles, qui Beatorum Apostolorum PETRI & PAULI Basilicas, LATERANENSEM quoque, & Sanctæ Mariæ Majoris, Almæ Urbis Ecclesias, statutis diebus devotè visitarent, omnes & singulas Indulgentias, & peccatorum Remissiones consequerentur, quas idem Pontifex, suique Prædecessores anno Jubilæo hujusmodi Basilicas & Ecclesias prædictas visitantibus devotè concesserant. EXTRAVAG. *Quemadmodùm. De Pœnit.* EXTRAVAG. COMMUN. LIB. V. *Tit. De Pœnit.* Cap. 4. *Bulla* SIXTI IV. *ann.* 1474. In eadem *Bulla*, SIXTUS IV. similiter statuit, & ordinavit, quod annus Jubileus prædictus cum eisdem Indulgentiis & Remissionibus plenariis peccatorum, anno à Vigilia Nativitatis CHRISTI *ann.* 1474 inciperet, & continuari deberet. *Ibid. ante.* §. 1.

VI Idem, ne hoc Sanctum opus, ac Remissionis & gratiæ annus Jubileus intermitteretur, aut fideles ipsi à tanto munere redderentur expertes, omnes & singulas plenarias etiam ad instar Jubilei Indulgentias quibuscunque locis & personis quomodolibet concessas, ad suum & ejusdem Sedis beneplacitum suspendit. *Ibid.* §. *verùm.*

1. Antiquorum habet fida relatio, quod accedentibus ad honorabilem Basilicam Principis Apostolorum de Urbe concessæ sunt magnæ Remissiones & Indulgentiæ Peccatorum. *Bulla* BONIFACII VIII. &c.

2. Ut Beatissimi PETRUS & PAULUS Apostoli eò ampliùs honorentur, quò eorum Basilicæ de Urbe devotiùs fuerint à fidelibus frequentatæ, & fideles ipsi spiritualium largitione munerum, ex hujusmodi frequentatione magis se senserint refertos, quolibet anno centesimo sequuturo ad Basilicas ipsas accedentibus reverenter, verè Pœnitentibus & Confessis, vel qui verè pœnitebunt & confitebuntur in quolibet centesimo secuturo anno, non solùm plenam & largiorem, imò plenissimam omnium suorum concedemus & concedimus veniam peccatorum. *Bulla* VII. BONIFACII VIII. *Antiquorum.* §. 2. *ann.* 1300. *Bullarii.* TOM. I. *p.* 104.

3. CLE-

3°. Clem. *Papa* VI. Indulgentiam ante dictam ad annum quinquagesimum provida consideratione reducens, Apostolica authoritate statuit, ut omnes Christi fideles qui prædictas Basilicas, & Lateran. Ecclesiam, de quinquaginta annis in quinquaginta annos, certo modo tunc expresso, visitaverint, eandem peccatorum suorum veniam consequerentur. *Bulla* VII. Pauli II. *Ineffabilis*. §. 2. *ann*. 1470. *Bullarii* Tom. I. *p*. 401.

4°. Urbanus VI. ut populorum augeretur devotio, fides splenderet, & charitas ampliùs incalesceret, annum quinquagesimum ad trigesimum tertium reducens, statuit quod universi fideles verè pœnitentes & confessi, qui deinceps perpetuis temporibus, de triginta tribus annis in triginta tres annos Basilic. ac Lateran. & S. Mariæ Majoris, prædictæ Urbis Ecclesias, causa devotionis, modo præmisso visitarent, eandem consequerentur remissionem & veniam peccatorum. *Ibid*. §. 4.

5°. Paulus II. annum trigesimum tertium ad annum vigesimum quintum reducens, statuit & ordinavit, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, annus Jubileus, Plenariæ videlicet Remissionis, & gratiæ & reconciliationis humani generis nostro piissimo Redemptori, cum omnibus & singulis Indulgentiis, & peccatorum Remissionibus de viginti quinque annis, cum gratiarum actione, & mentis jucunditate debeat ab omnibus Christi fidelibus frequentari, ac etiam celebrari. *Bulla* Pauli II. *Ineffabili*. §. 7. *med*.

VII. Ex relatis Fragmentis colligitur, 1°. Quod *ann*. 1300. Bonifac. VIII. primus Jubilei Autor & Institutor fuit, quodque illud non concesserat nisi pro quolibet centesimo anno, ideòque secundus annus Jubileus incepturus esset *ann*. 1400.

2°. Clemens VI. ante *ann*. 1350. tempus 100. annorum reduxit ad 50. proindeque secundus Jubileus annus fuit *ann*. 1350.

3°. Urbanus VI. judicans longius esse tempus 50. annorum, illud restrinxit ad spatium triginta trium annorum (creatus fuit *ann*. 1378. & obiit *ann*. 1390.) ideòque antequàm incepisset tertius Jubilæus annus,

4°. Paulus II. ob eandem causam ad 25. annum, ut nunc est; (provectus est *ann*. 1458. & decessit sexto suæ promotionis anno) Hinc secundus Jubilæus annus incidit in annum 1350. Tertius cecidit in annum 1393. Quartus verò in annum 1418. Quintus in annum 1443. Sextus in annum 1468. Pauli II. gratiam confirmavit Sixtus IV. & executioni mandavit, *Bulla* sua *ann*. 1474.

5°. Ecclesiis quas Bonifac. VIII. visitandas præscripserat, nempè S. Petri & Pauli, adjecit Clem. VI. Ecclesiam Lateran. & Sixtus IV. Ecclesiam S. Mariæ Majoris.

6°. Extendit gratiam Jubilæi ad eos qui incœpto itinere ad Urbem Romam in via decederent, vel Romæ non completo visitationum numero. Hinc nata videtur concessio ejusdem gratiæ Principibus, eorumque familiæ, qui præsumuntur legitimè impediti ab hujusmodi itinere; posteà verò Beneficium Principum ipsis rogantibus ad illorum subditos prorogatum est.

7°. Sixtus IV. quascumque Indulgentias, quibuscumque concessas locis vel personis, suspendit per annum Jubilæum, ut omnes ad illam lucrandam gratiam unicè intenti essent.

Appendix ad Tractatum de Poenitentia, continens VI. Sectiones.

Sectio I.

Quæstiones variæ de peccatorum, sive, ut ajunt, casuum Reservatione; ad quarum solutionem præmittuntur Regulæ, ex Corpore Juris Canonici, Conciliique Tridentino *deprompta.*

Reservatio locum habet, nedùm circa peccata, sed etiam circa Censuras, Dispensationes, Votorum commutationes, Mandata procuratoria, tùm ad negotiorum gestionem, tùm ad Beneficiorum collationem, causarum Delegationes, aliaque similia. Ut ergò quæ peccatorum Reservationi peculiaria sunt, quævè cum aliis Reservationum generibus communia habet, faciliùs discernantur, operæ pretium est quæ cuivis Reservationum generi convenire possunt Regulis paucis colligere, antequàm quæ circa peccatorum Reservationem in Corpore Juris, necnon in *Concilio* Tridentino habentur, in Regulas redigamus.

Regula I.

Reservatio, quæcumque sit, nihil aliud esse videtur, quàm propriæ vel demandatæ alicui facultatis limitatio.

Patet Regula ex eo quod Reservatio vel afficit Ordinarium, vel Delegatum; si Ordinarium, Propriæ sive Ordinariæ Facultatis limitatio est: Demandatæ verò, si Delegatum. *Cap*. 1. *De Immun. Ecclesi*. in secunda Collectione. *Cap*. 1. *De tempor. Ordin*. in VI. Cap. 29. *De Sentent. Excommun*. Cap. 7. Sess. XIV. *De Pœnit*. Omnesque Canones qui de Reservatione, qualiscunque sit, loquuntur, in eo sitam demonstrant, quod in iis contra quos fit, agendi facultatem ligat.

Regula II.

Reservatio quæ Facultatem Propriam limitat, nulla est, nisi exprimatur; secùs verò in illa quæ Demandatam restringit Facultatem.

Patet Regula, ex eo quod Ordinarius possit, quidquid sibi non prohibetur; Delegatus verò nihil possit, nisi quod sibi expressè conceditur.

Regula III.

Prior Reservatio odiosa est; posterior non item; undè illa restringenda, ista verò non.

Regula, illataque ex illa consequentia, parent ex eo quod prior habito possessoque juri derogat, posterior verò id unum efficit, ut quæ conceditur facultas minor sit; illa de proprio bono aliquid adimit, ista verò alieni boni minor portio donatur.

Regula IV.

Utraque vel est à Jure, vel est ab homine. Quæ à Jure, vel est à Jure scripto, vel à Jure non scripto; vel à Jure Communi, vel à Jure particulari.

Patet Regula, ex eo quòd Jure Positivo introducta est Reservatio, suamque ab illo vim habet; Jus antem Positivum his partibus constat, nimirùm Jure Communi & Particulari, sive scripto sive non scripto: Præterea quæ à Jure determinata non sunt, vel recens addenda essent, illa, saltem ad tempus, homini Ecclesiam regenti determinanda, Jus idem relinquit.

Regula V.

Reservatio Facultatem Delegatam limitans peculiare hoc habet, quod Retentionis nomen quàm alia convenientiùs sortiatur.

Regola patet, ex eo quod Reservatio hæc aliud non fit, quàm amplioris potestatis non concessio; ideòque illius in concedente retentio.

REGULA VI.

Reservationes Divinæ authoritati consonæ sunt, & non tantùm in externa politia, sed etiam coram Deo vim habent. *Cap.* 7. SESS. XIV. *De Pœnit.* De Peccatorum Reservatione Concilium loquitur; sed cùm sit par ratio, ad omnes extendendum videtur quod dicit.

Regulis his præmissis, ad illas transeundum quæ peccatorum Reservationi peculiares sunt, vel præmissæ huic Observationis generi accommodanda.

REGULA I.

Peccatorum Reservatio aliud non est, quàm ab illis absolvendi potestatis limitatio. *Cap.* 7. SESS. XIV. *De Pœnit.*

REGULA II.

Peccata duplici modo reservari possunt, vel in se, vel in alio. Reservantur in se ipsis, quandò hæc vel illa distinctè reservantur. Reservantur in alio, quandò causa ob quam reservantur, ipsamet reservatur.

REGULA III.

Ut posterior reservandi modus *implicitus* vocari solet; ita prior *explicitus* nuncupari consuevit.

REGULA IV.

Peccatorum priori modo reservatorum, ante sæculum XIV. in Canonibus qui in Corpore Juris referuntur, nulla mentio.

Colligitur ex eo quod Textus qui illius meminerit nullus antiquior exter, quàm EXTRAVAG. I. *De Privil.* inter Communes ex BENEDICT. XI. circa annum 1304. illam condente desumpta.

Non obstat *Can.* 32. CAUS. XXIII. QUÆST. VIII. desumptus è *Conc.* LATERAN. *an.* 1139. nam de peccato reservato non loquitur, sed vetat ne Incendiarius damno non resarcito absolvatur.

Historia Conciliaque memorant Reservationes longè antiquiores; incepisse videntur sæculo XI. Id inter alia testatur *Concil.* RHEM. *ann.* 1131. LONDIN. *ann.* 1142. *Concil.* AVENION. *ann.* 1299.

REGULA V.

Quot sunt Veteres Canones in Corpore Juris inclusi, qui publicæ Pœnitentiæ impositionem, Pœnitentium Reconciliationem, Excommunicationem, illiusque Absolutionem, Episcopo reservant, vel reservata supponunt, tot sunt Juris Textus qui de peccatis posteriori modo reservatis mentionem faciunt.

Primus omnium Index casuum reservatorum est *in Constitut.* ODON. *Episcopi* PARIS. exeunte sæculo XII. promoti. *Cap.* 6. *n.* 4. Qui secundus repertus est eorumdem Casuum Reservatorum Catalogus, est *an.* 1326 & habetur in *Concil.* AVEN. ejusdem anni, *Cap.* 22. & amplissimus est.

Regula colligitur ex eo quod Pœnitens publicus, vel excommunicatus, ad Sacramenta non admittebatur, nisi post Reconciliationem vel Excommunicationis Absolutionem, & utraque Episcopo reservabatur.

Textus qui Regulam ejusque rationem confirmant, suo loco collecti sunt.

REGULA VI.

Peccata reservandi Facultas ad Jurisdictionis potestatem spectat, sicut & absolvendi Facultas quam limitare potest.

Colligitur Regula ex Doctrina *Concil.* TRID. quod nedùm Absolutionem cum judicio comparat, *Cap.* 7. *De Reform.* SESS. XVI. indeque concludit ad illam in absolvente jurisdictionem in absolvendum requiri, sed etiam & Actum judicialem vocat, *Cap.* 6. *Ead.* SESS.

REGULA VII.

Quæ requiritur sufficitque ad approbandos delegandosque Confessarios Jurisdictio, eadem requiritur sufficitque ad reservanda peccata; uno verbo clariùsque, Peccata reservare possunt quicumque absolvendi Facultatem conferre possunt.

Deducitur ex eo quod in rebus ejusdem generis, plus continet quod est minus. *Cap.* 35. *De Regul. Jur. in* 6.

Hinc Prælati Regulares qui ad Regularium Confessiones audiendas approbant, erga illos peccata reservare possunt quos approbant.

A majori idem possunt Prælati Jurisdictionem quasi Episcopalem habentes.

REGULA VIII.

Ex his qui peccata reservare possunt, nullus est de quo in Corpore Juris expressè dicatur, quod id possint.

In TRID. verò *Concil.* de solis Episcopis, illorumque Capite id posse nominatim dicitur, idque tantùm *Cap.* 7. SESS. XIV. *De Pœnit.*

REGULA IX.

Quicunque præter Episcopos, illorumque Caput, peccata reservare possunt, ex privilegio id habent. Illud verò colligitur ex *Cap.* 7. (nedum Jure positivo Ecclesiastico, sed etiam Jure Divino id possunt) SESS. XIV. *De Pœnit.* in quo *Concil.* TRID. generatim loquens de iis quibus reservandos esse casus Sanctissimis Patribus visum est, Summos Sacerdotes vocat, quod nomen Papæ Episcopisque duntaxat convenit; deindè explicans, quid per Summos illos Sacerdotes intelligatur, solius Papæ Episcoporumque meminit.

REGULA X.

Quicunque Textus docent Censuras reservâri posse ab his, qui illas ferre possunt, iidem consequenter docent eosdem Prælatos peccata reservare posse.

REGULA XI.

Quicunque peccata reservare possunt, non solùm sibi, sed & aliis reservare possunt.

Patet Regula ex eo quod Textus de hac potestate mentionem facientes, illius fructum ad illos quibus tribuunt, non restringunt. Prætereà *Cap.* 29. *De Sent. Excomm.* Cap. 20. *De Offic. Jud. Ord.* id implicitè docent, nempè in principio quod tradunt, vel supponunt.

REGULA XII.

Ex his quibus peccata reservari possunt, tàm in Corpore Juris, quàm in *Concilio* TRIDENTINO, soli Episcopi, eorumque Caput, casus sibi reservatos habere dicuntur; sed in Concilio nulli nominatim recensentur, in Corpore verò Juris quidam enumerantur.

Citatis

Citati in Regula Textus sunt Clem. I. *De Privil.* Extravag. I. *eodem Tit.* Extravag. III. IV. V. *De Pœnit. & Remiss.*

REGULA XIII.

Quibus peccata sibi vel aliis reservare licet, illa reservari possunt, vel Conciliorum Constitutionibus, vel particularibus Pontificum Constitutionibus, vel consentiendo Consuetudini illa aliquibus reservanti, vel Mandato scripto, aut viva voce dato.

In *Cap.* 29. Caus. XVII. Quæst. IV. Reservatio fit à *Concil.* Laterano, sub Innoc. II. In *Cap.* 1. *De Temporib. ordin. in 6.* fit à Clem. IV. in Constitutione particulari. In *Extravag. I.* de Reservatione per Consuetudinem facta, mentio fit. Eadem quoque commemorat reservationes factas Jure Communi, tàm Canonibus Conciliorum, quàm particularibus Pontificum Decretis composito. *Cap. 7. Conc.* Trid. Sess. XIV. *De Pœnit.* de potestate reservandi indistinctè loquitur, nec reservandi modum determinat.

REGULA XIV.

Qualia peccata reservari possint & debeant, duplici modo à Jure præscriptum est; 1°. Expressa illorum qualitate. 2°. Exemplis quæ ex casibus diverso tempore Episcopis vel Papæ reservatis, petuntur.

Reservandorum qualitas peccatorum exprimitur, dùm dicitur *C.* 7. Sess. XIV. *De Pœnit.* Sanctissimis Patribus visum esse, ut atrociora quædam & graviora, non à quibusvis, sed à Summis Sacerdotibus absolverentur. Exempla reservandorum leguntur in Textibus, reservatos Episcopis vel Papæ casus recensentibus.

REGULA XV.

Etsi in reservandis gravitas maximè spectetur, ipsa sola semper non sufficit.

Colligitur ex eo quod *Concil.* Trid. *C. cit.* dicit atrociora quædam, non quævis reservanda esse. Quid autem præter gravitatem requiritur, nisi quod publicum sit, scandalumque generet; quod tamen semper non exigitur, cùm inter reservata, occulta nonnulla collocari *Concil.* etiam Trident. supponat. *C.* 6. Sess. XXIV. *De Ref.*

Gravissima verò extare peccata quæ non reservantur, extrà dubium est, cùm Sacrilegæ Communiones etiam ex malitia, nec in Jure, nec alibi; inter reservata collocentur.

REGULA XVI.

Reservandorum exempla, quæ in Corpore Juris habemus, duplicis sunt generis; alia ex casibus generatim recensitis petuntur; alia ex casibus nominatim enumeratis desumuntur.

REGULA XVII.

Prioris generis quatuor duntaxat sunt; nempè 1°. Crimina pro quibus Solemnis Pœnitentia indicenda est. 2°. Crimina quibus Excommunicatio Major annexa est. 3°. Delicta quæ Clericos Irregulares efficiunt. Extravag. I. *De Privileg.* 4°. Tàm enormia peccata, quòd ea rationabilis Consuetudo præscripta Canonicè in Episcopatibus aliquibus reservavit Episcopis.

Hæc autem inter reservata collocantur, quia, ut *Ibid.* dicitur, inconveniens est, ut qui Pœnitentiam debitam imponere non valet, nec irregularitatem peccati sequelam tollere, nec Excommunicationem, quæ nonnisi pro gravi crimine infligitur & à Sacramentis suscipiendis excludit, removere, ab illis criminibus absolvat.

Hinc colligere licet; qui fuerint Reservationum peccatorum primi fontes, primæ origines, proximæque causæ; nempè quod illa Pœnitentiæ publicæ à solo Episcopo imponendæ suberant, vel quod Excommunicationi ab Episcopo tantùm vel Papa absolvendæ subjacebant; vel quod hinc Clerici Irregularitatem contrahebant, circà quam soli Episcopi vel Papa dispensabant; quodque demùm omninò dedeceat ut cui quod in crimine minus est, scilicet quod sibi in pœnam annexum est, Episcopo reservetur; culpa verò quæ est, quod in eo majus est, cùm propter eam pœnâ illâ plectatur, eidem absolvenda non retineatur.

Quæret aliquis, cur citatæ Extravag. Incendiariorum crimen ab his quibus Excommunicatio annexa est, distinguat, cùm hujus generis sit? Quæstioni huic aliud responderi non potest, nisi Excommunicationem, huic crimini à Jure annexam, tunc temporis non ubique servatam.

REGULA XVIII.

Posterioris generis reservata peccata, alia sunt quæ Episcopis non ubique, sed in aliquibus tantùm Episcopatibus, vi solius Consuetudinis reservantur; alia quæ Summo Pontifici, seu Sedi Apostolicæ, quorumdam Pontificum Constitutionibus.

REGULA XIX.

Quæ Episcopis eo modo reservantur, hæc sunt.

1°. Homicidium voluntarium, 2°. Falsi crimen, 3°. Ecclesiarum Immunitatis, 4°. Ecclesiasticæ libertatis violatio, 5°. Sortilegium.

REGULA XX.

Quando Extravagans citata condita est (nempè *ann.* 1304.) alia crimina Consuetudo Episcopis quibusdam reservaverat; sed propter causas quæ Benedicti XI. hujus Constitutionis Conditoris animum moverunt, ad recensitas illam restrinxit.

REGULA XXI.

Reservata Sedi Apostolicæ, de quibus in Corpore Juris fit mentio, alia sunt generaliter reservata, alia specialiter.

Quæ sunt prioris generis, in Corpore Juris eo sub nomine non recensentur, sed pleraque includuntur in Excommunicationibus Sedi Apostolicæ reservatis, ac in Tractatu de Excommunicatione eo sub Titulo collectis, *Excommunicationes reservatæ Summo Pontifici*.

Quæ posterioris, hæc enumerantur. 1°. Offensa Ecclesiasticæ libertatis. 2°. Violatio Interdicti à Sede Apostolica impositi. 3°. Crimina hæreseos. 4°. Conspiratio in personam aut Statum Romani Pontificis, seu quævis offensa, inobedientia seu rebellio in Romanum Pontificem, vel Sedem Apostolicam. 5°. Presbytericidium. 6°. Offensa personalis in Episcopum, seu alium Prælatum. 7°. Invasio, deprædatio, occupatio, aut devastatio terrarum Romanæ Ecclesiæ mediatè vel immediatè subjectarum. 8°. Invasio Romipetarum, seu aliorum quorumcumque ad Romanam Curiam venientium. 9°. Prohibitio devolutionis causarum ad dictam Sedem. 10°. Delatio armorum & aliorum prohibitorum ad partes Infidelium. 11°. Impositio novorum onerum realium vel personalium Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis. 12°. Simonia super Ordinibus Clerici, vel Beneficiis acquirendis in eadem Curia vel extra contracta. Extravag. III. *De Pœnit. & Remiss.*

Dictum

Dictum est ex specialiter reservatis Sedi Apostolicæ, relatos tantùm in Jure recenseri, quia præter relatos, alii sunt in *Bulla* quæ in die Cœnæ Domini legi consuevit, contenti, ut *ead.* EXTRAVAG. monet & notat.

Iidem casus Sedi Apostolicæ reservati in *Cap.* 5. *Eod. Tit.* & LIB. leguntur, cum hoc discrimine, quod ut hæresis crimen sit specialiter reservatum, oportet ut qui illius reus est sententialiter condemnatus fuerit, vel delatus, vel publicè diffamatus, quodque non solùm Presbytericidium, sed cujuscunque in Sacris constituti Ordinibus, nedum occisio, sed mutilatio, Sedi Apostolicæ reserventur.

Ex Regulis quibus expressi in Jure Reservati casus Sedi Apostolicæ vel Episcopis comprehensi, relatique sunt, patet multò plures ex illis, quàm ex istis, in Jure nominatim recenseri.

REGULA XXII.

Exemplis etiam cognoscitur, quæ & qualia esse debeant reservanda peccata, tàm per *Bullam In Cœna Domini* nuncupatam, quàm per Catalogos casuum à doctioribus prudentioribusque Prælatis reservatorum.

REGULA XXIII.

Quò majores sunt contra quos Reservatio fit, eò major ad illam causa movere debet.

Patet Regula ex recensitis suprà casibus Sedi Apostolicæ vel Episcopis reservatis; graviora siquidem manifestè sunt peccata quæ Sedi Apostolicæ reservata dicuntur, quàm quæ inter Episcopis reservata collocantur, ideòque ad Papalem Reservationem major movit causa, quàm ad Episcopalem.

Colligitur ex definitione Reservationis peccatorum; nam si absolvendi potestatis limitatio est tàm in Ordinario, quàm in Delegato, sine justa causa fieri non debet, cùm sua potestate privandus non sit Ordinarius, nisi urgens causa ad id moverit; & quò major est Prælatus, eò major quoque est illius potestas, ac consequenter si Reservatione limitetur, majori potestate privatur; quò autem majori quis potestate privandus est, eò majori cum causa faciendum est, quod illius potestatem imminuit.

Hinc ad Reservationem quæ Episcopi limitat potestatem, major requiritur causa, quàm ad illam quæ Archipresbyteri vel Pœnitentiarii restringit facultatem; ad istam verò major, quàm ad illam quæ Parochorum potestatem limitat. Propter parem rationem, idem dicendum de Reservatione quæ potestatem à Deo immediatè manantem restringit, erga illam quæ fluentem ab Ecclesia facultatem limitat: Hinc cùm à Deo instituti sint Episcopi, suamque ab eo proximè habeant potestatem, Pœnitentiarius verò Ecclesiasticæ sit institutionis, atque adeò ab illa accipiat qua pollet potestatem, hanc etiam ob rationem urgentior esse debet Reservationis contra Episcopos causa, quàm Reservationis contra Pœnitentiarium.

REGULA XXIV.

Peccatum omne quod circa rem quoad aliud reservatam versatur, reservatum non est.

Infertur ex *Tit. De Voto & Voti Redempt.* in quo pleraque Vota, quoad Dispensationem, reservata sunt, vel Episcopo, vel Papæ; transgressio autem Voti, nec ibi, nec alibi, ulli reservatur quoad Absolutionem. Cujus rei ratio: multò minus est à peccatis quibusdam circa Vota absolvere, quàm circà illa dispensare, cùm per Dispensationem tollantur, & per Absolutionem, ipsis manentibus, quædam tantùm circà illa culpæ commissæ tollantur.

REGULA XXV.

Nec etiam reservatum est quodcunque peccatum, cui reservatum aliquid annexum est; & si quod hujusmodi reservetur, non eidem semper reservatur cui annexa res alia reservatur.

Prior Pars patet ex *Cap.* 6. SESS. XXIV. *De Ref.* in quo mutilatio quoad Irregularitatem reservatur, & quoad Absolutionem nullibi reservatur. Posterior colligitur *ex eodem Capite*, in quo homicidium voluntarium quoad Dispensationem, circà Irregularitatem per illud contractam, Papæ reservatur; & *Cap.* 1. *De Privil.* EXTRAV. COMMUN. in quo idem peccatum quoad Absolutionem, Episcopo reservatum declaratur.

REGULA XXVI.

Sive scripto, sive viva voce, Reservatio fiat, ritè fit: Et, Quibuscunque verbis significare quis potest, se in aliis absolvendi potestatem limitare velle, iisdem Reservationem facere potest.

REGULÆ RATIO: Nec modus, nec forma reservandi à Jure præscripta sunt, undè hac in re, sicut in aliis hujusmodi, sufficit ut illam faciendi voluntas manifestetur.

REGULA XXVII.

In dubio circà Reservantis voluntatem, pro reservato habendum est peccatum, quandiù dubium durat.

REGULÆ RATIO: In dubio tutius est eligendum.

REGULA XXVIII.

Ut deponatur dubium, Reservantis voluntas ab ipso Reservante, vel ab illo qui in jurisdictione ipsius succedit, quærenda est.

REGULÆ RATIO: Cujus est Legem condere, ejus illam interpretari.

REGULA XXIX.

Reservationis finis præcipuus, animarum salus; ad illum reducuntur quicunque ex Jure colliguntur.

REGULA XXX.

Isti autem sunt, 1°. ut Sancta-tecta teneatur Christiani Populi Disciplina. *Cap.* 7. SESS. XIV. *De Pœnit.*

2°. Ne commodioris Remissionis occasione, CHRISTI fideles ad illicita procliviores reddantur. *Cap.* 3. *De Pœnit. & Rem.* EXTRAVAG. COMMUN.

3°. Ne facilitas veniæ incentivum peccandi tribuat. *Ibid.*

Tertius finis à secundo solis verbis differt, ut cuique patet; relatus autem, quia rem feliciùs exprimit.

Non obstat quod dictum est, dùm de fine Reservationis Censurarum, nempè quod partim sit, ut præcipuæ Sedes honorentur; tunc enim verus honor his Sedibus exhibetur, quùm necessario ad illas recursu, animarum saluti utiles magis declarantur.

REGULA XXXI.

Qui Reservationis finis, idem & illius fructus; quæ illius natura, itidem est illius effectus.

REGULÆ RATIO: Propter commoda quæ ex ea nascuntur, Reservatio fit; eadem in limitatione potestatis absolvendi consistit, & hoc unum efficit.

Non

Non obstat, quod præterea efficiat Reservatio, ut nulla sit Absolutio; cùm *Concilium* Tridentin. doceat in casibus reservatis, Sacerdotes nihil posse extrà mortis periculum: hic enim effectus in alio continetur, ex eo enim quod ad certos casus limitata est alicujus Jurisdictio, necessariò sequitur extra illos nihil posse.

REGULA XXXII.

Si quæ peccatorum Reservationi tribui possunt proprietates, vel ex illius fine, vel ex potestate facientis, vel ex peccati reservati qualitate petuntur.

Regulæ Ratio: Proprietates aliæ esse non possunt, nisi ut illa Reservatio utilis necessariave sit, & hoc habet ex fine; vel quod valeat, irritave sit, & hoc ex facientis potestate; vel quod justa injustave sit, & hoc ex qualitate peccati reservati.

De prima dictum est quidquid dicendum erat, idque dum de fine.

De secunda explicationis causa addendum, ex potestatis defectu Reservationem nullam esse. 1°. Si Archiepiscopus Reservationes extendat ad Suffraganeorum Diœceses, cùm, quoad forum Pœnitentiale, nulla sit in illas Archiepiscopi Jurisdictio.

2°. Si Episcopus illas ultrà Diœcesim extendat; idcircò *Conc.* Trid. Episcopos casus reservare posse definiens, hæc addit, *in sua cujusque Diœcesi. Cap. 7. toties citato.*

3°. Si Episcopus ad exemptos Presbyteros, sive Sæculares sive Regulares, extendat; idcircò Concilium ibidem ad subditos restringit quam Episcopo tribuit reservandi potestatem, his verbis *pro illis in subditos*, tradita in reliquos Sacerdotes potestate.

4°. Si Prælatus Regularis etiam exemptus, quam ab Episcopo habent sui subditi Regulares potestatem Sæculares absolvendi restringere velit; cùm quoad id sibi non subdantur.

5°. Si Prælatus Jurisdictionem habens quasi Episcopalem extrà districtum, in quo illam habet, casus reservare velit.

6°. Si Episcopus intrà mox dicti Prælati districtum idem velit.

De tertia proprietate adjiciendum, reservandi potestatem in ædificationem, non in destructionem, dari, idcòque peccata levia communiaque non reservanda, cùm talium Reservatio in destructionem vergeret; alicujus potestas siquidem destruitur, cùm sine causa justa minuitur; in destructionem etiam fieret hæc Reservatio, cùm charitatem, quæ est vinculum perfectionis, evertere posset.

REGULA XXXIII.

Reservatio sive à Lege, sive ab homine sit, Revocatione cessat. Quæ à Lege, itidem cessat viis aliis quibus Lex vim amittit suam. Quæ ab homine, cessat reservantis morte, aliisque viis quibus Jurisdictionem perdere potest.

Regulæ Ratio: Utriusque Reservationis duratio pendet à Reservantis voluntate; causa enim illius est nedum producens, sed conservans; undè mutata illius voluntate cessare debet Reservatio, sive sit à Lege, sive sit ab homine. Voluntatem autem mutat, si Reservationem revocet, si in desuetudinem abire sinat &c. Reservationis quæ est ab homine duratio à potestatis duratione pendet quoque, quia eo modo, quo præceptum, ligat; istud autem cum præcipientis potestate ligare desinit.

Colligitur ergò Regula ex variis Juris Textibus, in quibus dicitur quod, cessante causa, cessat effectus; vel quod, per quascumque causas res nascitur, per easdem dissolvitur. Prædictæ Revocationis exemplum aliquod subministrare videtur *Cap. 6.* Sess. XXIV. *De Reform.* dùm enim Episcopis permittit ut in occultis Sedi Apostolicæ reservatis absolvant, quoad illos revocat Reservationem.

REGULA XXXIV.

Manente erga alios Reservatione, cessare potest erga hunc vel illum Confessarium, Commissione vel Generali vel speciali. *Cap. 5. De Pœnit. & Rem.* Extravag. Commun.

REGULA XXXV.

Utraque Commissio fieri potest, verbo, vel scripto. *Ibid. & Cap. 5. Eod. Tit.*

REGULA XXXVI.

Scripto fieri potest Literis, vel quavis alia scriptura. *Cap. 5. cit.*

REGULA XXXVII.

Commissio specialis duplex; alia qua casus specialiter reservati committuntur omnes; alia qua è casibus, sive generaliter, sive specialiter Reservatis, aliquis alicui committitur, vel quoad omnes reservantis subditos, vel quoad hunc vel illum semel absolvendum.

REGULA XXXVIII.

Commissio prioris generis, si à Papa emanet, non valet, nisi manu Papæ in signatura scriptum sit, vel in Literis expressum, se ex certa scientia & de speciali gratia licentiam concedere, cum derogatione Constitutionis relatæ in *Cap. 5. De Pœnit. & Remiss.* Extravag. Commun. illius de verbo ad verbum inserto tenore.

Hinc colligere licet, quod ad absolvendum à casibus reservatis, non qualiscumque licentia sufficiat, sed ea requiratur quæ à reservante vel à Jure præscripta est. Cùm autem in rebus quæ à Jurisdictione pendent, quæ sine legitima Jurisdictione fiunt, nullius sunt momenti; is verò qui legitima licentia caret, Jurisdictione careat, ut concessa ab isto Absolutio nulla sit, oportet; eaque de causa in *cit. Cap.* quæ absque præscripta in eo commissionis formula concedetur Absolutio, nulla declaratur.

REGULA XXXIX.

Causæ quæ ad peccata reservanda movent, eædem itidem postulant, ne Reservatorum peccatorum Absolutio faciliùs committatur. *Cap. 3. 5. De Pœnit. & Remiss.* Extrav. Commun.

REGULA XL.

Qui à reservatis ex Officio absolvere possunt, ad id quoque committere, sed quoad illos tantùm casus à quibus ex Officio absolvere possunt, nisi quoad alios ab illo committantur, cujus Delegati delegare possunt.

Utraque Regulæ Pars ex *Cap. 1. De Temp. Ordin. in 6.* colligitur, in quo Clemens IV. Pœnitentiariis suis prohibet, ne à Censura quam ibidem fert, absolvant vel committant, absque speciali ipsius licentia; undè sequitur quod prohibitione sublata, absolvere poterant & committere, & cum licentia prædicta utrumque etiam possunt. Sequitur etiam quod ex Officio ab aliis censuris absolvere poterant, cùm necessaria non sit prohibitio hujusmodi, nisi contra eos qui rem ex Officio possunt. Sequitur denique, quod qui committuntur ab eo cujus Delegati delegare possunt, commit-

committere quoque possunt, quia prædictis Pœnitentiariis ideò committere licebat, quod ex speciali licentia poterant, quod à Papa, cujus Delegati delegare possunt, committebantur.

REGULA XLI.

Reservatio quoque cessat erga quemvis Presbyterum, qui ex acquisito Beneficio à casibus generaliter reservatis absolvendi Facultatem accipit.

Hinc cùm Beneficium nullum sit ratione cujus à casibus specialiter reservatis absolvere liceat, eo modo cessare nequit specialis Reservatio.

Hinc cùm Pœnitentiariæ annexa sit prædicta à casibus generaliter reservatis absolvendi Facultas, eo ipso quo quis hujusmodi Beneficii Possessor fit, nulla est erga illum generalis Reservatio; Pœnitentiariæ autem Facultatem hanc annecti, patet ex *Cap. 5. De Temp. Ordin. in 6.* in quo CLEM. IV. Pœnitentiariis suis Absolutionem prohibere cogitur, illam sibi uni retinere volens.

REULA XLII.

Per egressum è Diœcesi Reservatio non cessat erga Confessarium, Reservantis authoritate absolventem; cessat verò erga quemvis confitentem.

Prior Regulæ Pars colligitur è *Cap.* 7. SESS. XIV. *De Pœnit. toties cit.* docente, quemvis Sacerdotem Reservanti subditum Reservatione ligari; talis autem manet quicumque Sacerdos, Reservantis authoritate absolvens. Nota, secundam Regulæ partem communi Doctorum sententiæ quidem adversari, sed nihilominùs veram videri, non solùm ex Reservationis definitione, sed multò magis ex eo quod quocunque fine quis è Diœcesi egrediatur, verum est Confessarium qui illum absolvit, Reservationi non subdi, nisi Confessarii Ordinarius huic illum subesse velit, de quo constare debet ut credatur.

Posterior ex Reservationis definitione colligitur; ex illa enim sequitur solos Confessarios Reservatione ligari.

Ne verò casus quem prior Regulæ Pars respicit commentitius, nihilque ad praxim conferre, videatur; notandum, communem esse Doctorum Sententiam, Parochum Parochianos suos, in quocumque illos loco offenderit, absolvere posse. Supponamus ergò unum ex his Reservatum in Parochia peccatum commisisse extra Parochiam simul & Diœcesim, Parocho occurrisse, & reservatum peccatum in Confessione illi deposuisse; tunc Parochus si absolvat, Reservantis authoritate absolvet; hæc autem suppositio habet nihil quod non frequenter accidat.

Non obstat quod dictus Parochus extra Diœcesim absolvat, & Concilium declaret intra Diœcesim restringi Episcopalem reservandi potestatem; nam cùm absolvat ut Parochus talis Diœcesis, intra illam absolvere censetur.

Contra posteriorem Regulæ partem dicet aliquis, nemini fraudem & dolum patrocinari debere; si verò Reservatio cesset erga quemvis Pœnitentem extra Diœcesim confitentem, fraudem extra illam eunti, ut peccata Reservata deponat, patrocinaturam.

Cui Objectioni respondendum, Pœnitentem ea fraude egredientem, ex fraude nullum reportaturum esse commodum; nam vel fraudem Confessario suam reteget, & tunc iste, si sapiat, ad Episcopum remittet, ex fraude rectè concludens ad Sacramentum fictè, id est sine vero dolore, accedere; vel fraudem celabit, & tunc Sacrilega erit illius confessio, tùm defectu integritatis, cùm fraus illa peccatum sit, tùm defectu Contritionis, cùm ad sui emendationem accommodato medio, per Episcopum à Deo sibi oblato, uti contemnat.

Addet alius; Si extra Diœcesim confitens Reservatione non ligetur, peccata reservata cuivis Confessario, à reservatis absolvendi facultatem non habenti, deponere poterit, quod absurdum videtur, cùm graviorem quæ Reservatis imponi solet Pœnitentiam eo modo declinet. Inter alia quæ huic Objectioni respondere licet, unum est omnibus præferendum; nempè quod, dummodò Confessario peccata sua reservata esse exponat, nihil incommodi nascitur ex eo quod peccata, non Reservata in Diœcesi in qua illa confitetur, Confessario cuivis scienti solvere & ligare deponat; is enim, ut par erit, Reservationem ponderabit, & causa cognita, sive per rei evidentiam, sive per inquisitionem, quam impositurus esset Episcopus Pœnitentiam imponere studebit.

Fortius aliquid objici videretur, si, comparata Censura ab homine cùm Reservatione ab homine, diceretur, quod sicut qui intra Diœcesim ab Episcopo Censura innodatus est, Censura ligatus manet extra Diœcesim, nec ab alio quàm à ligante, ubicumque degat ligatus, absolvi valeat; ita qui peccatum ab homine reservatum commisit, Reservatio cui subest illum egredientem è Diœcesi tùm seqoitur. Verùm Objectionis istius vis non est, nisi apparens: Jus enim ipsum Censuram quæ est ab homine, quocunque loco sit qui illa innodatus foit, ferenti expressè reservat: Peccati verò etiam, ut dictum est, reservati Absolutio Jure ipso reservanti non retinetur erga Subditum è Diœcesi egressum, cùm ostensum sit Reservationem Confessarium duntaxat ligare.

REGULA XLIII.

Si cui conceditur Confessorem eligendi Facultas, hinc ab eo Electus à reservatis absolvendi Facultatem non habet. *Cap. 2. De Pœnit. in 6.*

REGULA XLIV.

Aliis, quàm prædictis modis Reservatio non cessat, nisi ad tempus determinatum foret.

Præter istum, alius novus excogitari nequit; nam si quis esset, maximè conditionis defectus, seu Reservatio conditionata, nempè si talibus vestiatur actio circumstantiis peccatum, quibus tales circumstantiæ desunt, non efficit, ideòque nullum fingi potest peccatum quod reservari desinat ob non impletam conditionem.

SECTIO II.

Observationes Historicæ circa peccatorum Reservationem, è Corpore Juris Canonici, Conciliioque TRIDENTINO *desumpta.*

OBSERVATIO I.

Constans omnium temporum, Ecclesiarumque Disciplina fuit, ut in mortis articulo Reservatio nulla sit, ne hac occasione aliquis pereat, undè in omni Reservatione articulus mortis exceptus intelligitur. *Cap.* 7. SESS. XIV. *De Pœnit.*

Non obstant Canones, qui propter nonnulla peccata, morientibus etiam Communionem denegabant. Istos enim Canones ad Reservationem, de qua hic, pertinere certum non est; cùm 1°. controversum sit, an per Communionem, Absolutionem intelligant: Cùmque 2°. Si eo sensu Communio in illis sumatur, non huic vel illi Presbytero Absolutionem, ut Reservatio, prohibeant, sed omnibus absolutè vetent.

OBSERVATIO II.

Contenti in Corpore Juris Canones, de Censurarum Reservatione longe antè mentionem expressam fecerunt, quàm de peccatorum Reservatione. Hinc tamen non sequitur illam ista antiquiorem fuisse, cùm

quàm de peccatorum Reservatione. Hinc tamen non sequitur illam ista antiquiorem fuisse, cùm in Censurarum Reservatione peccatorum Reservatio includatur, si eæ Censuræ sint quæ peccatorum Absolutionis incapacem quemvis efficiant.

Observatio autem hæc colligitur, ex eo quod S. Greg. *ann.* 592. Excommunicationem sibi reservet, *C.* 52. Caus. XVI. Quæst. I. Innoc. II. *ann.* 1159. Excommunicationem quoque Sedi Apostolicæ retineat *C.* 29. Caus. XVII. Quæst. IV. Clem. IV. *ann.* 1290. Suspensionem eidem sedi reservet. Benedictus verò XI. qui de peccatis reservatis expressè meminerit primus videatur, idque *C.* 1. *De Privil.* Extravag. Commun. *ann.* 1304.

Illata ex Observatione consequentia confirmatur quibuscumque Juris Textibus, qui Excommunicationem, nec non Interdictum personale, à Sacramentorum participatione excludere docent.

Sunt etiam alia quæ eamdem consequentiam confirmant; nempè, quod si Canones ulli de peccatorum Reservatione expressam mentionem, citiùs quàm notatum est, non fecerint, id provenire potuit ex eo quod de illa Canones condendi occasio anteà data non sit, vel si qui hujusmodi fuerint, Collectorum diligentiam fugerint.

Quod de Reservatione Censurarum comparata cum Reservatione peccatorum dictum est, extendendum est ad Reservationem Dispensationum circà Vota cum eadem comparatam, cum saltem ante sæculum XIII. plures Juris Textus illius meminerint.

Observatio III.

Per totum illud tempus, per quod ut Prælato suo quisque confiteretur obligatus fuit, peccatorum Reservationi locus non fuisse videtur; tunc enim à titulo suo potestatem absolvendi quilibet habebat: undè sicut sine limitatione illam accipiebat, ita sine ulla restrictione illam exercebat. *v. gr.* eo ipso quo quis Parochus ordinabatur, cujusque Parochiæ Incolæ Confessarius fiebat; & sicut erat plenus cujuslibet Parochus, ita quoad omnia peccata Confessarius. Quod de Parocho erga Parochianos dictum est, de Archipresbytero erga Parochos, de Episcopo erga Archipresbyteros, de Archiepiscopo erga Suffraganeos, & sic de cæteris Superioribus erga sibi subditos, dicendum.

Deindè verò cùm aliundè quàm ex titulo potestas absolvendi obtineri cœpit, pro concedentis voluntate restricta est. Qui illam accipiebant, ex gratiâ accipiebant; ac consequenter, ut in Concessione privilegii vestigium viseretur, Concessio restringebatur. Hoc autem ortum habuisse videtur à Mendicantium institutione, illorumque ad Clericalia munia admissione, sine ullo ad hoc accepto Beneficio.

Verùm si quis res ita sese habuisse sentiret, falleretur. Longè enim aliter res esse, multa demonstrant; sed istud potissimùm, quod anno 1304. quæ nunc etiam durat, proprio Parocho, saltem semel quolibet anno, confitendi obligatio nondùm obsoleverat; attamen in Parocho adeò tunc restringebatur absolvendi Facultas, ut peccata propter quæ imponenda erat Pœnitentia publica, vel quibus annexa erat Excommunicatio, aut irregularitas, remittere non posset, nec etiam Incendiariorum crimen, pluraque alia quæ Episcopis consuetudo reservaverat.

Hæc memoratæ conjecturæ refutatio petitur ex *Cap.* 1. *De Privileg.* Extravag. Commun. in quo Benedictus XI. *ann.* 1304. postquàm declaravit, Regularibus se ampliorem, quàm Parochi haberent circa Confessiones audiendas Facultatem concedere nolle, addit ea de causâ se prohibere, ne Regulares à mox recensitis absolvant. Extant quoque plures casuum reservatorum Judices multò antiquiores, quibus Parochi ut alii subjiciebantur.

Observatio IV.

Qui primus Juris Textus casuum Sedi Apostolicæ reservatorum meminit, idem de casibus Episcopo reservatis mentionem quoque facit. Hic autem Textus est *C.* 1. *De Privil.* Extravag. Commun. *toties citatum.* Sed cum nullus alius, qui sint Episcopo reservati casus, enumeret, sunt alii in quibus casus Apostolicæ Sedi reservati recensentur, nempè *C* 3. & 5. *De Pœnit. & Remiss.* Extravag. Commun.

Horum Textuum prior desumitur è Constitutione quam Paulus II. ann. 1468. V. Nonas Martias, Pontificatûs anno 5. condidit. Hac in Constitutione aliam innovat quâ idem Paulus ann. 1466. ante Kalendas Aprilis, Pontificatûs ann. 2. Concessas per illius Prædecessores generales à casibus Sedi Apostolicæ reservatis absolvendi facultates restrinxerat, quod maximè necessarium erat; nam cùm facultates hæ enormia crimina, ut & alia remittere permitterent, factum fuerat quod eadem, quâ remittebantur hæc crimina, facilitate committebantur. Tanto ergò abusu excitatus jussit, ne in prædictis facultatibus gravissima, quorum catalogum texit, crimina comprehensa intelligantur, atque etiam ne sine speciali Sedis Apostolicæ licentiâ à recensitis criminibus quis absolvat, etiamsi ex prædictis facultatibus aliquam habeat. Innovationis autem causa quæ esse potuerit, aliam non videmus quàm publicatæ neglectum, contemptumve.

Sed secunda Pauli cura quàm prima felicior non fuit; nec enim Constitutionis suæ innovatio plùs profuit, quàm ipsa Constitutio. Hujus rei manifestum in altero Textu testimonium habemus; inter alia siquidem docet simili abusu, similique abusûs causâ, Sixtum IV. ann. 1478. scilicet decem post Paulum annis, coactum fuisse Constitutionem similem condere, ideòque Paulinæ Constitutionis præfationem, cujus hæc est summa, peccata eò faciliùs committi, quò faciliùs remittuntur, de verbo ad verbum suæ assuisse.

In eodem Textu, præter ea quæ communia cum alio habere notavimus, alia sunt historica non omittenda. Præfationi subjungitur fons & origo effusæ facultatum prædictarum multitudinis, nempè nimia Summorum Pontificum Indulgentia, effrenisque Corporibus singularibusque personis benefaciendi voluntas. Hinc Hospitalibus concessæ erant hujusmodi facultates, aliisque locis piis, ut propter hoc ad illa confluentium largas Eleemosinas procurarent; Confratriis quoque concessæ erant, ut plures iis nomina darent. Vitæ Regularis Professionem emittentibus itidem concessæ erant, ut qui illarum ope indigebant ad Statum Regularem amplectendum incitarentur. Nonnullis utriusque sexûs personis, tàm Sæcularis quàm Regularis statûs, concessæ erant hæ facultates, ut Indulgentias plenarias, vel non plenarias faciliùs consequerentur. Quibusdam etiam ex iis, quibus indultum erat ut Confessarium eligere possent, similes facultates concessæ erant, ut Indulti fructu pleniùs potirentur, ampliorem habentes eligendi potestatem. Multitudinis facultatum detectâ origine, illas revocat Sixtus IV. quâcumque formâ datæ sint, & quibuscumque personis, quantacumque dignitate prædictis, etiam Episcopali & majori, etiam Regali & majori, prohibetque ne sine speciali licentiâ, cujus formam præscribit, ab iis quos recenset reservatis Sedi Apostolicæ casibus quisquam absolvat: Si quis autem aliter absolverit, non solùm absolutionem irritam declarat, sed absolventem Excommunicationi eo ipso subjicit.

Observatio V.

Nullus Juris Textus extat qui falsi crimen Sedi Apostolicæ reservet: sunt è contra qui illud soli Epis-

copo reservant, collocantque inter illa crimina quæ consuetudo, ineunte Sæculo XIV. jam Episcopo reservaverat. *Cap.* 2. *De Privil.* EXTRAV. COMMUN. *ann.* 1304.

Eodem *ann.* 1304. Soli Episcopo reservabatur Libertatis Ecclesiasticæ Violatio, idque ex consuetudine quam BENEDICTUS XI. eo anno approbavit; annis verò 1466. 1468. 1478. inter peccata Sedi Apostolicæ specialiter reservata collocatur; quid enim per impositionum novorum onerum super personis, rebusque Ecclesiasticis, aliud intelligi potest quàm Ecclesiasticæ Libertatis Violatio? Hæc autem impositio inter reservata specialiter Sedi Apostolicæ prædictis annis recensetur, *Cap.* 3. EXTRAV. COMM. Præterea in eodem *Cap.* 3. & 5. *De Pœnit.* EXTRAV. COMMUNI offensa Ecclesiasticæ Libertatis primus est casuum Sedi Apostolicæ reservatorum.

OBSERVATIO VI.

Ante Sæculum XIII. nullus Juris Textus de Confessarium eligendi Indulto mentionem facit, nec post Sæculum XV.; primus enim qui illius meminerit est *Cap. ult. De Pœnit. & Remiss.* quod est *ann.* 1232. ultimus est *Cap.* 5. *De Pœnit. & Remiss.* EXTRAVAG. COMMUN. quod est anni 1478. quo nullus recentior extat Textus in Corpore Juris. Electus autem Confessor vi illius Indulti à reservatis concedenti absolvere non poterat, nisi in eo id exprimeretur *Cap.* 2. *De Pœnit. & Remiss. in* 6. cujus ratio est: Major gratia in minori non includitur; quod autem aliquis à quovis absolvi possit à reservatis, major est gratia, quàm quod à quovis absolvi possit à non reservatis.

De utroque Indulti genere, tàm illius in quo exprimitur ut Electus Confessor à reservatis absolvere possit, quàm illius in quo id non exprimitur, in Corpore Juris exempla habemus; Prioris in *Cap.* 5. *De Pœnit. & Remiss.* EXTRAV. COMM. Posterioris in *Cap.* 2. *De Pœnit. in* 6.

OBSERVATIO VII.

Ex nullo Juris Textu inferre licet, vi Indulti Confessarium eligere simpliciter permittentis, Confessarium Electum à reservatis absolvere potuisse; nec huic Indulti generi conveniebat ut talis Confessor tantam potestatem haberet. Prior Observationis pars pendet ex posteriori; verisimile enim non est, aliquem Juris Textum probasse rem non convenientem. Posterior verò patet, ex eo quod id genus Indulti aliud non sit, quàm Dispensatio simplex à Lege qua proprio Prælato quisque confiteri tenebatur: Quidquid ergo vi illius Indulti fieri poterat, in eo positum erat ut Confessor paris potestatis eligeretur. Hinc *Cap.* 2. *De Pœnit. in* 6. de reservatis simpliciter intelligendum, non autem ad specialiter reservata restringendum.

OBSERVATIO VIII.

Ante BONIFACIUM VIII. specialiòr jam reservatorum Casuum Reservatio nata videtur; idque colligere est ex *Cap.* 1. *De Tempor. Ordin.* In eo enim CLEMENS IV. ab anno 1265. ad annum 1269. Summus Pontifex vetat Pœnitentiarios qui ex Officio solent à reservatis communiter absolvere, ne absque sua speciali licentia absolvant Ordinatos ab alieno Episcopo, non habitis Dimissoriis.

OBSERVATIO IX.

Quantùm ex iis quæ in Corpore Juris continentur, colligere fas est, tanta semper fuit Summorum Pontificum erga casus Episcopis reservatos Religio, ut iis etiam, quos intra illorum Diœceses, illis invitis, ad Confessiones audiendas approbabant, ne à casibus prædictis absolverent, prohibuerint, non expressè quidem, sed tacitè, dùm quam concedebant illis absolvendi potestatem, ad eum moderabantur modum intra quem Parochi ea uti poterant. CLEM. II. *De Sepult.* Cap. 1. *De Privil.* EXTRAV. COMM.

In priori CLEMENS V. innovat Constitutionem BONIFACII VIII. quam in posteriori revocarat BENEDICTUS XI. Hanc autem innovat CLEMENS, quia quem BENEDICTUS exitum expectarat, non habuerat, imò contrarium; quam enim inter Regulares & Clerum Sæcularem tollere voluerat discordiam, auxerat; sed quod mirum omninò videri debet, eamdem attulerat revocationis causam, quam innovationis affert CLEMENS; undè, ut illorum alter partium expositione deceptus fuerit, oportet; quis verò fuerit, cui per otium id licebit, discutiet.

Non obstat, quod quibuscunque privilegiis Constitutioni suæ contrariis BONIFACIUS derogat, quodque ista in eo partim consistere potuerint, quod Regulares à reservatis Episcopo casibus absolvere possent, eo etiam invito; hoc enim adeò obscurum incertumque est, ut indè quidquam Observationi adversum concludere non liceat.

OBSERVATIO X.

In Corpore Juris extant Textus, qui ostendunt Regulares à reservatis, nedùm Episcopo, sed & Sedi Apostolicæ, absolvendi facultatem aliàs usurpasse: Talis est autem CLEM. I. *De Privil.* in qua CLEMENS V. in *Concilio* VIENNENSI, Regularibus inter alia prohibet, ne in casibus Sedi Apostolicæ aut locorum Ordinariis reservatis, quemquam absolvant.

OBSERVATIO ULTIMA.

Hæreticos, ad quorum condemnationem partim celebratum est *Concilium* TRIDENTINUM, variis modis cærasse circa casuum Reservationem, ex eodem Concilio *Cap.* 7. & *Can.* 11. *De Pœnitentia* certò colligitur. Si enim illorum aliqui non sensissent, dixissentque cum scandalo, prædictam Reservationem humanum commentum esse, ex sola dominandi libidine ortum, Divinæ autoritati contrarium, atque idcircò Episcopos casus sibi reservare non posse, & si quas faciunt Reservationes, coram Deo vim non habere, nec impedire quominùs Sacerdos verè absolvat; nisi, inquam, tales extitissent errores, Concilium tanta cum cura non statuisset casus reservandi potestatem, tùm ex natura Fori Pœnitentialis in eo posita quod judiciale sit, undè sicut in aliis judiciis, ita in isto, defectu Jurisdictionis super singula, nulli Judicum pronuntiare licet; tùm ex Sanctorum Patrum traditione, ac antiqua Ecclesiæ praxi; tùm ex suprema quam habet Summus Pontifex in totâ Ecclesia autoritate; tùm ex tradita Episcopis in reliquos Sacerdotes sibi subditos potestate; nec addidisset Reservationes Divinæ Autoritati consonas esse, atque non solùm quoad externam politiam, sed coram Deo vim habere, nec Anathema dixisset in illos qui definitis contrarium aliquid docerent.

DE CONTROVERSIIS CIRCA PECCATA RESERVATA.

Inter ea quæ de peccatis Reservatis dicta sunt, nonnulla sunt quæ majori discussione egent, idcircò in calce Tractatûs de iis agere visum est; finito enim Opere, liberiori attentiorique mente examinare licebit.

QUÆSTIO I.

Quæritur 1o. *An pro certo habendum sit, Pœnitentem Reservatione non affici.*

Quærendi Causa. Multa occurrunt quæ demonstrare videntur Reservatione Pœnitentes ligari.

1o. In

1°. In Reservatione includitur prohibitio, ne alii quis confiteatur peccata reservata, quàm cui reservata sunt. Cùm ergo prohibitio hæc Pœnitentem liget, ut Reservatione ligetur oportet. 2°. Reservanti Pœnitens subest; subesse ergo debet Reservationis Legi; ideòque illa ligari. 3°. Reservationis vis minor non est quàm aliàs fuit; quo autem tempore Prælato suo confiteri quisque tenebatur, Pœnitentem Reservatio afficiebat, cùm per eam fieret, ut reservata peccata alii confiteri non posset quàm proximo Prælati sui Superiori. 4°. Varia extant exempla Indultorum, quibus Pœnitentibus permittebatur, ut à casibus Sedi Apostolicæ reservatis, à quo vellent, absolvi possent; at si Reservatione ligati non fuissent, talibus Indultis non eguissent. Hæc exempla in *Cap.* 5. *De Pœnit. & Remiss.* leguntur. 5°. Maxima est inter forum internum, & forum externum analogia; at in isto, criminum Reservatione adeò reus ligatur, ut ab alio quàm cui reservata sunt, validè judicari non possit. 6°. Reservatio in Pœnitentium utilitatem fit, illos ergo ligare debet.

His non obstantibus, pro certo habendum ducimus, Reservatione Pœnitentem non affici; nam præterquàm quòd id *Concil.* Trident. clarè docet, dùm Episcopalem peccata reservandi potestatem, in tradita ipsis supra reliquos Sacerdotes subditos potestate unicè fundat; uno verbo, objecta ferè omnia ruunt, cùm quatuor priora id unum evincant, Reservationem Pœnitentes non in se consideratos ligare, sed pro illo quem habent ad Confessarium respectu; in dubio autem de Pœnitente in se spectato agitur.

Ad Quintum antem Objectum, quod solum in præmissa responsione non comprehenditur, responderi potest, Analogiam prædictam deficere in eo, quod nunc saltem forum internum territorium non habeat, forum verò externum habeat; atque indè fieri, ut in illo, ubicumque crimen commissum sit, alibi de illo cognosci possit; in isto verò, prima de crimine cognitio, ad loci, in quo commissum est, Judicem pertinet. Dictum est, *nunc saltem*, quia aliàs, quandò suo quisque Prælato confiteri tenebatur, *internum* forum territorium habuisse videtur, cùm de crimine judicare ad illum pertineret, intra cujus districtum commissum fuerat.

Verùm ut clariùs pateat Objecta alia vim nullam habere, ad quodlibet respondendum.

Ad Primum dicendum, verum quidem esse ex Reservatione nosci, alii quàm cui peccata reservata sunt, confitendi prohibitionem; sed hinc non sequitur Reservatione Pœnitentem ligari, quia si post Reservationem Pœniteti non liceat alii confiteri, id tantùm provenit ex eo quòd alius illum absolvere non potest, si manserit in loco, ubi reservatum est; nam si hinc sine fraude discesserit, alii confiteri potest, pendente absentia.

Ad Secundum dicendum, Reservationis legem, sicut & alias, subditos quosvis obligare, vel in se; vel in aliis quorum ope egent, circa ipsarum legum materiam: Quod patet exemplo legis, quâ cujusdam generis Confessariorum approbatio revocatur; sicut enim Lex ista subditos Revocantis Pœnitentes non ligat, prout in se considerantur, sed tantùm pro eo quem habent ad Confessarios respectu, uno verbo, non in se, sed in Confessariis; ita nec Lex reservantis Pœnitentes in se ligat, sed in Confessariis: undè sicut Lex revocans non impedit ne aliis Confessariis confiteatur Pœnitens, ita nec Lex Reservans impedit ne Pœnitentes extra districtum Reservantis aliis confiteantur.

Ad Tertium dicendum, quod quandò post Reservationem alii confiteri non licebat, nisi Reservanti, ex Reservatione id non proveniebat, sed ex usu quo quisque Prælato suo, vel istius Superiori casus sibi reservanti, confiteri teneb atur, quandiù illorum subditus remanebat; remanet autem, qui in locis ubi degit, domicilium acquirere non censetur; talis est fraudulenter discedens.

Quartum ad rem non facit, quia casus Sedi Apostolicæ reservati ubicumque reservantur; undè per transitum ex uno loco in alium, extra Reservantia districtum nemo egreditur; ac consequenter Confessarios ligatos ubique reperit. Hinc Indulto, quo sibi liceat reservatorum Papæ absolutionem à quocumque, vel ab hoc, vel ab illo petere, quilibet indigere potest.

Ad Sextum dicendum, singulas Leges non ligare omnes in quorum commodum fiunt; verbi gratia, Lex quæ Confessariis injungit ut congruas imponant Pœnitentias, Pœnitentes non ligat; non enim peccat Pœnitens cui Confessarius ex nimia indulgentia, vel alia culpâ cujus causa non est, leviores Pœnitentias imponit; Lex tamen spiritualem Pœnitentis utilitatem maximè respicit.

Adjiciet forsan aliquis, inutilem fore Reservationem, si Pœnitentem non liget. Illius finis, inquiet, est ut à peccatis quis retrahatur veniæ difficultate; at si Pœnitentem non ligat, per Reservationem à peccatis iste non retrahitur, cùm hinc sibi difficilior venia non efficiatur. Sed præterquàm quod Reservatio peccati gravitatem demonstrans, illius horrorem imprimit, ac aliundè per Reservationem præcipuæ Sedes honorantur; rarus admodùm casus est quo extrà Reservantis districtum, validè licitèque à peccatis reservatis quis absolvitur: 1o. enim oportet, ut per fraudem è Diœcesi non exeat. 2o. Ut exitum meditans, reservatum peccatum non commiserit spe assequendæ faciliùs alibi veniæ. 3o. Ut in loco ubi peccata reservata commisit, mox rediturus non sit. Quod autem conditiones hæ requirantur, ex his patet quæ, de reservatorum Confessione quæ ex fraude fit, dicta sunt; præmissis enim circumstantiis, vel inest verè fraus vel inesse videtur. Certum ergò manet Reservationem peccatorum, Pœnitentes non ligare, sed tantùm Confessarios, cùm illi possint absolvi à non habentibus reservata si extra districtum reservantis sine fraude confiteantur. Hoc autem producendum quoque est ad Reservationem Censurarum, quando localis est, cùm extra loca non reserventur: Ratio eadem utrobique, nempè, quod Reservatio est restrictio vel retentio potestatis in subdito Reservantis.

Quæstio II.

Quæritur 1°. *An ex eo quod Pœnitentes Reservatio non liget, necessariò sequatur, verbi gratiâ, à peccatis in Diœcesi Parisinâ reservatis, Parisinos aliis in Diœcesibus commorantes à quocumque Confessario absolvi posse?*

Dubitandi Ratio: Triplici ex capite fieri potest, Parisinum in alia Diœcesi commorantem, peccata reservata quæ in sua commisit, iis solis confiteri posse, quibus, ut à reservatis absolvant, indultum est. 1°. enim, Jure Communi scripto constitui potuit, ut peccatum reservatum in una Diœcesi, in aliis quoque reservetur, quoad illius subditos qui illud in illa commiserint, idque non ex eo quòd Pœnitentes liget, sed ut Reservanti cuilibet major honos deferatur. 2°. Consuetudine generali vel particulari introduci id potuit. 3o. Ea esse potest mens Episcopi cujusque Confessarios approbantis, ut pro iis tantùm peccatis approbet quæ nullibi reservantur; ideòque illos obligatos velit, ut ab extraneis quærant, an aliquod ex depositis peccatis in ipsorum Diœcesi reserventur, & si quod hujusmodi habeant, vel ad Pœnitentiarium remittant, vel ab illo ipsi absolvendi licentiam petant.

Ut ergò Quæstio proposita solvatur, examinandum an res se ita habeant, ut se se habere posse dictum est.

Circa quod certum est 1°. nullo Juris Textu statui posse peccatum in una Diœcesi reservatum, in aliis quoque quoad illius subditos reservari.

Certum est 2. Episcopos in amplis casuum reservatorum quos texunt Catalogis, casus quovis modo sibi reservatos comprehendere, ideòque alios Confessario cuivis permittere: Undè si in his Catalogis nullâ clausulâ reserventur (ut de quàmplurimis constat non reservari) peccata extraneorum in illorum Diœcesi reservata, cujusque Confessarii absolutioni subjici justè præsumitur, imò & creditur, cùm Reservatio sit quid odiosum, quod ut & alia similia locum non habet, nisi in casibus expressis.

Certum est 3°. quoad illos, qui ordinariam absolvendi potestatem habent, nihil reservatum videri, nisi quod expressè reservatum est: Quoad alios verò qui per Delegationem absolvunt, pro Reservato habere debere quod non constat sibi concessum; undè in dubio post adhibitam diligentiam debitam remanenti, illi absolvere possent, sed satiùs ut absolvendi licentiam petant; isti verò non possunt, sed illam licentiam obtinere tenentur. Porrò in casu de quo agitur, nullum dubium probabile, cùm Reservatio localis extrà loca vim habere nequeat, ex defectu potestatis & voluntatis in Reservante.

QUÆSTIO III.

Quæritur 3°. Quid sentiendum de Lugdunensi Parisiis commoranti, peccata ibidem reservata confitente, quæ Lugduni, ubi reservata non sunt, commisit; habendusne est ut Parisinus? Et quibus indultum est à Reservatis absolvant, remittendusne est?

Dubitandi Ratio petitur ex eo quod si Parisiis, peccatis hujusmodi Censura annexa esset, quam Lugduni ea commisit Censura non irretiretur; ità à pari, si Reservatio Parisiis huic vel illi peccato annexa sit, qui eò loci illa commisit ubi Reservata non sunt, Reservationi Parisinæ subesse non debet.

Contrarium tamen tenendum ex dictis patet, sed ex hoc potissimùm quod Pœnitens forum sortiatur loci in quo degit, & peccata confitetur; hinc enim sequitur, quod in illo absolvendo servandæ sint Leges quæ ibidem vigent. Oppositæ verò rationi respondendum, Censurâ personam rei ligari, non Reservatione; Cujus discriminis causa: Censura est pœna, ideòque reum afficere debet; Reservatio verò aliud non est quàm potestatis absolvendi limitatio.

Confirmari posset Quæstionis Decisio ex illo Axiomate celebri: *Qui sentit commodum, sentire debet & incommodum.* Extraneus commodum sentit, dum à Reservatis in Diœcesi sua, quilibet illum Confessarius absolvit; in hoc verò sentire debet incommodum quod peccata non Reservata in sua Diœcesi ibidemque commissa, in loco autem in quo illa deponit Reservata habenti, Reservata Confessario confiteri teneatur.

QUÆSTIO IV.

Circa sequentem Quæstionem præmittendum est, illam proponi, non ut absolutè necessariam ad explicandum quomodò Episcopus alienos Diœcesanos à casibus Reservatis in aliena Diœcesi absolvere valeat, cùm modus sumptus ex natura Reservationis satis ad id abundèque sufficiat: sed dumtaxat tamquàm opportunam exponendo celebri axiomati Episcopalem Ordinem respicienti, quo benè intellecto, patet vi illius Episcopos nil posse erga alienos subditos manentes aliis subditos, in casu in quo circa illos agunt suo nomine, seu ut Ordinarii, non alieno, seu ut Delegati: Hoc autem est, *Episcopatus est à singulis, ut ab omnibus, in solidum possessus*; quod si in sensu genuino sumatur, nihil aliud significare videtur, nisi quemvis Episcopum in Diœcesi sua posse, quidquid alius in sua potest vi solius Episcopatûs.

Proponenda ergo Quæstio est, *An dici possit ex unitate Episcopatûs Episcopos habere, ut alienos subditos in Diœcesi sua degentes à Reservatis aliis Episcopis absolvere valeant.*

Id ita esse videtur, quia, cùm ut ait CYPRIANUS; *unus sit Episcopatus ab omnibus & singulis Episcopis in solidum possessus*: quilibet in Diœcesi sua potest, quidquid alius in sua; undè sicut qui peccata sibi reservavit, absolvere potest è Diœcesi non egredientes; ita alius egredientes, & in sua Diœcesi commorantes, ab eisdem absolvere valebit.

Sed contra est, quod ratio hæc ex mente Autoris erga Papam locum solùm habeat; cùm illius ergo à CYPRIANO dicta sententia prolata sit; etsi aliud non sit Papa quàm Episcoporum primus, præcipuusque; & Papatus id unum sit, nempè primus Episcopatûs gradus; hoc enim ad summum est inter Episcopos, quod erga Apostolos Petrus; de isto autem quidquam majus dictum non est, quàm illum Apostolorum Coryphæum esse; Episcopi autem à Reservatis Papæ absolvere non possunt.

In hoc rationum conflictu dicendum, quod si Papa spectatur ut Episcopus Romanus, & prout Diœcesim peculiarem habet ex unitate Episcopatûs, alii Episcopi erga Papæ Diœcesanos poterunt quod circa aliorum Diœcesanos possunt, ideòque, ut ratio, ita & privilegium illi innixum, in Papa locum habebit.

Quod si Papa consideretur ut Episcoporum caput, & juxta quod pro tradita in illos potestate, certa peccata sibi reservare potest, cùm supra illos aliquid habeat, quod ab illis nequaquàm possidetur, nec ratio, nec privilegium rationi innixum erga Papam vigebunt.

Dicet aliquis, falsum esse ex unitate Episcopatûs, erga alienum Diœcesanum Episcopum quemvis posse in Diœcesi sua, quod illius Episcopus in sua erga illum potest; cùm à Censura ab homine illum absolvere nequeat, ut communis fert Sententia, Canonesque docent, dum vetant ne ab Episcopo suo Excommunicati, ab aliis recipiantur. Cui Objectioni Respondetur, ex unitate Episcopatûs, Episcopos non posse, quod sibi invicem prohibent, quale illud de quo objectio.

Forsitan quæret alius, an ex unitate Episcopatûs à casibus alii Reservatis Episcopi absolventes, ut Vicarii id agant, an ut Ordinarii; idque quæret, quia casus extant in quibus per se ipsos Episcopi absolvere debent, *Cap. 6. Sess. XXIV. De Ref.* unde sequitur ab his saltem casibus ex unitate Episcopatûs Episcopos absolvere non posse. Quæret etiam, an quod de casibus Reservatis, ex Episcopatûs unitate absolvendis dictum est, intelligendum quoque sit de specialiter Reservatis.

Priori Quæstioni Respondendum, Episcopos ut Ordinarios operari quod ex Episcopatûs unitate agunt, cùm ex illa unitate, Episcopatum in solidum possideant, atque eo modo illum ut Vicarii possidere nequeant.

Posteriori Respondendum, hac in re casus specialiter Reservatos ab aliis nequaquàm differre, cùm erga utrosque eadem sit ratio, & specialis Reservatio nihil aliud operetur, nisi, ut qui de Jure Communi absolvere possunt à Reservatis, ab illis qui illi subsunt, sine speciali licentia absolvere nequeant. Cæterùm ne quid dissimuletur, agnoscendum axioma prædictum ad rem non facere, seu non operari, ut Episcopus alienos Diœcesanos in sua Diœcesi commorantes à peccatis aliis Episcopis Reservatis absolvere possit, cùm id proveniat ex eo solùm, quod ratione domicilii sint ipsius subditi, & Reservatio illos non sequatur, tàm erga illa quæ jam commissa, quàm erga committenda.

QUÆS-

Quæstio V.

Quæritur 5°. An certum sit Confessarium electum vi Indulti, quo Confessarium sibi eligere potest, ab iis quæ Jure Communi reservata sunt Indultum concedenti, absolvere posse?

Hujus Quæstionis examini præmittendum, illam inutilem non esse, etsi Indulta de quibus agitur erga Sæculares obsoleverint; adhuc enim vigent erga Regulares qui illius ope Confessarium eligere possunt, nedum tempore Jubilæi, sed etiam alio quovis tempore. Præterea Episcopus similes facultates concedere potest, Parocho recusante illas sine justâ causâ; & in iis locum habere potest proposita Quæstio.

Dubitandi Ratio. Bonifac. VIII. Cap. 2. *De Pœnit. in 6.* insinuat illum Confessarium id posse, dum negat tantùm à reservatis specialiter Episcopo, illum absolvere posse; cùm inter res ejusdem ordinis aliqua mihi specialiter prohibetur, alias mihi permitti justè inferam.

Adde quod Indultum hujusmodi gratia sit, favores autem conveniat ampliari.

Quæstioni huic Respondetur, non obstantibus oppositis rationibus, certum videri talem Confessarium à reservatis absolvere nequaquàm posse; quia Indultum in Confessario nihil operatur; est enim tantùm facultas inter Confessores aliquem eligendi, undè nihil in illo immutat; ut illi non tribuit potestatem, ita nec auget; qualis est ante Electionem, talis manet post Electionem. Concessa gratia in eo solùm posita est, quod qui huic vel illi Confessario confiteri tenebatur, alii quem volet confiteri possit, modo Confessarius jam sit, sive ad id approbatus.

Ad priorem rationem oppositam dicendum, Bonifac. VIII. *loco citato* hæc habere: *Si Episcopus suo subdito concesserit ut sibi eligere possit Confessorem, ille quem is elegerit, in casibus qui eidem Episcopo specialiter reservantur, nullam penitùs habere potestatem.* Cujus rei hanc rationem affert: *In generali Concessione illa non veniunt quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus.* Inter illos autem casus qui specialiter Episcopo reservantur, alii Jure Communi, alios Jure Particulari ipsi reservantur; undè si prædictus Confessor à reservatis Jure Communi absolvere posset contra Bonifacianam Decisionem, à specialiter reservatis absolvere posset. Quod autem de omnibus reservatis Bonifacius loquatur, ex eo patet, quod indistinctè loquatur de casibus Episcopo specialiter reservatis, atque hæc locutio conveniat casibus quovismodo reservatis. Nec obstat vox *specialiter*, quia eò loci usurpatur tantùm, ut distinguat casus Episcopo proprios, ab his qui sibi cum aliis communes sunt. Allata à Bonifacio suæ Decisionis ratio, interpretationem quam Decisioni damus confirmat, cùm sine Commissione, quæ est gratia specialis, ab his quæ Jure Communi Episcopo reservantur, nullus absolvere valeat, nisi à Beneficio suo id habeat, quale nihil tale habere supponitur Confessor de quo Bonifacius.

Confirmatur etiam eadem interpretatio, ex eo quod Innocent. III. *Cap.* 29. *De Sentent. Excomm.* in pari argumento, vocem *specialiter* eo sensu accipit, quo hic interpretamur; id est, non ita ut significet rem reservari personæ reservantis, quo sensu vox hæc nunc usurpari solet, sed ut significet, rem Reservantis Sedi, vel Tribunali reservari.

Ad posteriorem Respondendum, gratiam tantùm extendi intra idem genus debere, non autem ab una specie ad aliam; si autem prædictum Indultum ita interpretari luberet, ut Confessor non solùm audire possit, quem aliàs audire non valet, quia confitentis Prælatus proprius non est, sed etiam à reservatis absolvere, extra genus suum extenderetur, & ab una specie ad aliam, cum gratia qua à reservatis quis absolvit, multùm differat à gratia, qua non subditum quis absolvit.

Circa idem Indultum quæri potest, an vi illius liceat extra Diœcesim Confessarium eligere? Hujus Quæstionis non inutilis solutio; si enim id licet, vel Reservatio sequitur Pœnitentem, vel Bonifaciana Decisio restringenda est ad casum, in quo Pœnitens intra Diœcesim Confessarium eligit.

Ad cujus Quæstionis decisionem dicendum, licentiam eligendi Confessarium necessariam non videri ad eligendum illum extra Diœcesim, cùm illic eligi non soleat, nisi ab iis qui ibidem commorantur, isti autem ex sola commoratione in alia Diœcesi, intra illam confitendi jus acquirunt. Præterea Bonif. VIII. tempore nondùm licebat Confessario unius Diœcesis, Pœnitentes alterius Diœcesis alibi commorantes audire, atque ut liceret, fortè necessaria fuisset licentia tàm Episcopi Confessarii, quàm Episcopi confitentis. Unde in Bonifaciana Decisione de Indulto eligendi intra Diœcesim tantùm agi potest.

Sed etiamsi Indultum extendatur ad Confessarios alterius Diœcesis, attamen ad casum in quo intra Diœcesim Confessarius eligitur, Bonifac. decisio restringenda non est; nec dicendum quod Reservatio Pœnitentem sequatur, cum quæ Episcopis Jure Communi reservantur, iisdem ubique reservantur, & inter illa quæ sibi Episcopus quisque reservat, multa sunt quæ ab aliis quoque reservantur.

Quæst. VI.

Quæstio hæc unam Decreti & *Canonis De Pœnitent.* circa casuum Reservationem à *Conc.* Trident. conditorum explicationem respicit.

Quæritur ergò, 1°. Quæ sit illa Divina Autoritas, cui consona dicitur Casuum Reservatio? Estne in Novo, estne in Veteri Testamento? Estne in utroque?

Ad illam Quæstionem dicendum, tàm in Veteri, quàm in Novo Testamento loca legi, ex quibus rectè colligitur conveniens esse ut Casuum Reservatio fiat; nam 1°. Jetro Mosis socer illi consulit, ut, permisso aliis minorum rerum judicio, graviora judicia sibi reservet, idque consilii tanquam à Deo manantis exequitur Moses, Exodi XVIII. *vers.* 22. 26.

2°. Deuter. XVII. *v.* 8. 9. 10. Deus præcipit ut in rebus difficilioribus recurratur ad Rectores loci, quem elegerat, propter illorum præeminentiam in dignitate & potestate, ac majorem quæ in illis esse debet Legis Dei scientiam; Simplices autem Sacerdotes erga Episcopos, sunt velut minores Judices quibus minora dimittenda, reservatis gravioribus ipsis Episcopis; Episcopi etiam sunt illi Rectores loci quem elegit Dominus, quibus difficiliora referenda sunt. Quod de Presbyteris erga Episcopos dictum est, de Episcopis erga Summum Pontificem quodammodò dici potest.

3°. Christus dixit Apostolis, quibus Episcopi successerunt; *Quodcumque ligaveritis in terris, ligatum erit in Cœlis.* Dixit etiam: *Quæ retinueritis peccata, retenta erunt.* Horum autem locorum prior duplici modo intelligitur, nempè de potestate dandi præcepta & Leges condendi, & de potestate peccata retinendi, ut posterior. Si priori modo intelligatur, optimè convenit Casuum Reservationi, cùm Reservatio lex vel præceptum sit, quo inferioribus à Superiore prohibetur ne ab his illisve peccatis absolvant. Si posteriori modo sumatur, & eodem quo posterior locus recidat, eidem Reservationi etiam convenit, cùm valdè congruum sit, ut inter fontem potestatis absolvendi illiusque rivulum, aliquod intersit discrimen, atque in illo consistat, quod in fonte amplior & abundantior sit, quàm in rivulo; hoc autem per Casuum Reservationem fit.

Quæritur 2o. Undè illorum error ortus sit, qui Reservationem, quoad externam tantum politiam, vim habere dixerunt, quosque ideò Anathemate Concilium TRID. *ferit?*

Huic Quæstioni respondemus, illum errorem oatum videri ex illo, quo Leges Ecclesiasticas in foro externo, sive coram hominibus tantùm obligare creditum est, quemque PAULUS etiam damnat 1. COR. XIII. docens omnem animam sublimioribus Potestatibus subditam esse debere, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam; tùm quia omnis Potestas à Deo est, atque ideò qui Potestati resistit, Ordinationi Dei resistit; tùm quia Prælatus Minister Dei est ad remunerandum sicut ad puniendum.

Quæritur 3o. De quibus Sacerdotibus Concilium TRIDENTINUM *loquatur, dùm dicit Sacerdotes extra necessitatis articulum in reservatis nihil posse?*

Quod de omnibus loquatur, ex eo colligi videtur, quod de iis loquatur de quibus anteà dixit, in necessitatis articulo à reservatis absolvere posse, hoc autem de omnibus dixit. Sed si de omnibus Sacerdotibus Coucilium loquitur, tàm de his qui extra reservantis districtum existunt, quàm de aliis, fiet consequenter quod Confessarius casus reservatos non habens, subditum alieni Episcopi absolvere non poterit à Reservatis quæ commisit in Diœcesi sua, etiamsi in Confessarii Diœcesi commoretur.

Huic Quæstioni respondemus, Concilii sensum haud dubiè esse iis in casibus Reservatis, quibus Sacerdotes subduntur, extra necessitatis articulum nihil posse; undè si casus Papæ reservati sint, cùm illis Sacerdotes omnes subdantur, in iis, extra necessitatem, Sacerdos nullus quidquam potest. Si verò alicui tantùm Episcopo reservati fuerint, tunc Sacerdotes huic Episcopo subditi in iis casibus, extra necessitatem, nihil poterunt, secùs de aliis. Hunc esse autem germanum loci prædicti sensum, patet ex eo quod, ut supra dictum est, in *eod. Cap.* Concilium Episcopalem reservandi Facultatem fundat in tradita Episcopis supra reliquos Sacerdotes ipsis Subditos potestate; cùm sine Blasphemia dici nequeat Concilium sibi ipsi oon constare, consequens est, ut dum dicit in Reservatis Sacerdotes nihil posse extra necessitatem, de Sacerdotibus qui reservanti subsunt duntaxat loquatur.

Quæritur 4o. An facta ab Episcopo Reservatio omnes Diœcesis Sacerdotes liget?

Id ita esse inferri potest ex eo, quod *Concilium* TRIDENT. doceat Episcopos in Diœcesi posse, quod in tota Ecclesia Summus Pontifex; Summi autem Pontificis Reservationes omnes Ecclesiæ Episcopos & Sacerdotes ligant: Prætereà Concilium per hæc verba, *in Diœcesi*, & per ista, *reliquos Sacerdotes*, insinuare videtur, quod ut quis Reservatione ligetur, sufficit illum Sacerdotem esse, & in Diœcesi degere.

Quæstioni huic respondemus? Concilium sese satis explicare per hæc verba: *Sibi Subditos*; hæc enim Reservationi Sacerdotes non Subditos, quoad Confessiones audiendas, clarè subtrahunt. Hi autem sunt duplicis generis, alii enim hac in re, ab Episcopi Jurisdictione exempti omninò sunt; tales sunt qui intra districtum Prælati, Jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, existunt; alii verò sunt partim Subditi, partim Exempti; Subditi quoad Confessiones Sæcularium audiendas; Exempti verò, quoad Confessiones Regularium. Posterioris generis Sacerdotes Episcopali Reservationi subsunt quoad illorum omnium Confessiones, quas sine Episcopi approbatione recipere non possunt.

Hinc cùm illam in Regularibus non requirat Concilium, nisi ad audiendas Sæcularium Confessiones, consequens ut quoad illas tantùm Confessiones Episcopali Reservationi Regulares subsint.

SECTIO III.

Canones de Officio Confessarii, aliundè quàm ex Corpore Juris desumpti, continentes Epitomen Antiquæ & Novæ Disciplinæ circa Pœnitentias imponendas, circumstantias declarandas, Interrogationes faciendas, Jus Ordinarium & Delegatum Confessiones audiendi, Reservationes casuum, cùm Notis necessariis.

I. Sancti Patres qui perfecti fuerunt, constituerunt, ut cùm aliqua cogitatio mala in corde servorum Dei, suadente Diabolo, eveniet, statim per humilem Confessionem suo Priori confiteri deberent vel Episcopo. Nos fragiles, ut aliqua ex parte eorum vestigia sequamur, constituimus, ut bis quaterve Clerus ad Episcopum suum purè faciat. *Regula* CHRODEGR. Cap. 14. sæculo VIII. incliuante. Quod in priori hujus Canonis parte legitur, servatur in nonnullis Religionibus, *verb. gr.* in Ordine Visitationis. Ex usu hujusmodi natus videtur abusus, de quo in *Cap.* 10. *De Pœnit. & Remis.*

II. Nec diversa sentiant in judiciis Pœnitentium, cùm unus minùs, alter verò majus, alteri adulando, alteri detrahendo placere velit, sed considerata qualitate personæ, juxta modum culpæ agatur Censura vindictæ. AHITON. *Basiliensis Episcopi. Capit.* 11. sæculo IX. Acceptio personarum maximè vitanda in judicio toto Divino, quale Pœnitentiale.

III. Cùm venerit aliquis ad Sacerdotem confiteri peccata sua, mandet ei Sacerdos, ut modicùm expectet, donec intret Ecclesiam aut cubiculum suum, ad Orationem. DECR. LIB. XIX. Cap. 2. sæculo XI. In re adeò periculosa multò eget Dei auxilio Confessarius.

IV. Si posueris super humeros innocentis onus, quod bajulare non possit; necessè est, ut aut onus rejiciat, aut sub onere confringatur: Similiter si peccatori grave pondus Pœnitentiæ imposueris; necessè est, aut ne Pœnitentiam faciat in desperationem cadens, aut ipsi oneri succumbat; melius est namque ut de misericordia arguatur Sacerdos in die Judicii, quàm de nimia crudelitate. *Constitutiones Nicos.* Cap. 27. circa medium sæculi XIII. Hic maxima opus est prudentia.

V. Episcopi vel Presbyteri cùm recipiunt Confessiones, humiliare se debent, & cùm tristitiæ gemitu lacrimisque orare, non solùm pro suis delictis, sed etiam pro Fratris casu; ait enim Apostolus: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Ibid.* Cap. 297. 298. Hæc dispositio si manifesta sit, utilis, nedùm Confesso, sed & Pœnitentiria.

VI. Quotiescumque Christiani ad Pœnitentiam accedunt, jejunia injungimus, & nos cum eis communicare debemus in jejunio unam aut duas hebdomadas, vel quantùm possumus, ut non dicatur, quod Sacerdotibus Judæorum à Domino dicitur: *Væ vobis Legisperitis, qui imponitis onera quæ non vultis digito* &c. REG. LIB. I. Cap. 293. *Ex Pœnit.* Huc facere videtur locus Pauli, *Alter alterius onera portate; sic adimplebitis Legem* CHRISTI.

VII. Quotiescumque dederis consilium peccanti, simul da illi Pœnitentiam, quantùm debeat jejunare, aut Eleemosinis redimere peccata sua, ne fortè obliviscaris quæ tibi jam dixit, & iterùm tibi necesse sit interrogare, & forsitan erubescat iterùm confiteri, & inveniatur jam ampliùs judicari. *Ibid.* Cap. 294. Hac utendum cautela, præcipuè in Confessionibus generalibus.

VIII. Episcopis & Presbyteris diligenti cautela pertractandum est, qualiter hominibus sua sibi delicta confitentibus tempus abstinendi adscribant; ut juxta modum peccati, Pœnitentibus abstinentia indicetur; quorum variè ab aliquibus Sacerdotibus & indiscretè hæc judicia proferuntur; ideò necessarium videbatur nobis

nobis; cùm omnes Episcopi ad Sacrum Palatiom congregati fuerint, ab eis edoceri, cujus Antiquorum Liber Pœnitentialis potissimùm sit sequendus. Omnibus nobis salubriter in commune visum est, ut unusquisque Episcoporum in sua Parochia, eosdem erroneos Codicillos (Pœnitentiales) diligenter perquirat, & inventos igni tradat, ne per eos ulteriùs Sacerdotes imperiti homines decipiant... Presbyteri etiam imperiti solerti studio ab Episcopis suis instruendi sunt, qualiter & confitentium peccata discretè inquirere, eisque congruum modum, secundùm Catholicam auctoritatem, Pœnitentiæ noverint imponere. *Conc.* Turon. Cap. 22. *ann.* 813. *Conc.* Paris. VI. Cap. 32. Lib. I. Quod hìc dicitur de nonnullis Pœnitentialibus, hoc agendum nunc esset de quibusdam Casuistis.

IX. Regin. Lib. I. refert formulam inquisitionis faciendæ à præfulstrante Diœcesim, ex qua constat quod sub Ludovico III. Imperatore, Parochi tenebantur sequi Pœnitentiale vel Romanum, vel Theodori *Cantuariensis*, vel Bedæ, *p.* 30. *n.* 95.

X. Modus Pœnitentiæ peccata sua Pœnitentibus, aut per antiquorum Canonum institutionem, aut per Sanctarum Scripturarum autoritatem, aut per Ecclesiasticam consuetudinem imponi debet, repudiatis ac penitùs eliminatis libellis quos Pœnitentiales vocant, quorum sunt certi errores, incerti Autores, de quibus rectè dici potest: Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivebant. *Cap.* 38. *Conc.* Cabill.II. *ann.* 813. In prædictis Libris Pœnitentialibus, primum exemplum laxioris circa mores doctrinæ.

XI. Item confirmatum est, ut si quandò Presbyteri vel Diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint, ita ut eos à Ministerio necesse fuerit removeri, non eis manus tanquàm Pœnitentibus, vel tanquàm Fidelibus Laicis, imponatur. *Concil.* Carth. V. Cap. 9. *ann.* 398. Canon antiquior qui Ministros Sacros à Pœnitentia publica eximit, ad servandum Sacerdotio honorem debitum: Vox *confirmatum*, supponit rem de qua agitur jam statutam, vel usu vel Canone qui non extat.

XII. Ab universis Episcopis dictum est; Chrismæ confectio & puellarum Consecratio à Presbyteris non fiat; vel reconciliare quemquam in publica Missa Presbytero non liceat; hoc omnibus placet. *Capitulo 6. Cod. Ecclesiæ Afric.* quem eruditi nonnulli in *Conc.* Carthag. *ann.* 419. celebrato conditum existimant. Reservationis casuum vetustius vestigium.

XIII. Aurelius *Episcopus* dixit: Si quisdam in periculo fuerit constitutus, & se reconciliari Divinis Altaribus petierit, si Episcopus absens fuerit, debet utique Presbyter consulere Episcopum, & sic periclitantem, ejus præcepto reconciliare. *Cap.* 7. *Codicis. Eccl. Afr.* conditi *ann.* 419. ut putant nonnulli eruditi. Ex postrema hujus Canonis Parte inferre est, quod Reservatio Absolutionis cessabat in articulo mortis; in eo enim quod dicit de consulendo Episcopo, subintelligenda conditio videtur, nisi mora damnosa futura sit.

XIV. Qui recedunt de corpore, Pœnitentiâ acceptâ, placuit sine Reconciliatoria manûs impositione eis communicari, quod morientis sufficit consolationi, secundùm definitiones Patrum, qui hujusmodi Communionem congruenter *Viaticum* nominarunt. *Conc.* Arausic. I. *Cap.* 3. *ann.* 441. Quos citat Patres, sunt Nicæni, qui idem habent *Cap.* 13. Ex postrema Parte docent, per *Viaticum* se intelligere Eucharistiæ participationem, cui peccatorum Absolutio haud dubiè præmittebatur. Idem præscribit *Conc.* Agath. Cap. 15. *ann.* 506.

XV. Oportet autem eos, qui solvendi & ligandi potestatem à Deo accepêre, peccati qualitatem considerare, & ejus qui peccavit ad conversionem promptum studium, & sic morbo convenientem afferre medicinam, ne si in utraque immoderatione utatur, ab ejus, qui laborat, salute excedat; non enim simplex est morbus peccati, sed varius & multiformis, & multas incommodi propagines germinans, ex quibus malum multùm diffunditur, & ulteriùs progreditur, donec viribus medentis consistat. *Conc.* Trull. Cap. 102. *ann.* 692. Pro exigentia morbi & ægri adhibenda medela.

XVI. Septenne jejunium potest quis in uno anno absolvere, si quotidiè cantaverit Psalterium, Psalmos, itidemque nocte, & 50. vespere; unica etiam Missa potest quis absolvere duodecim dierum jejunium; & cum triginta Missis potest quis eximere totius anni jejunium, si voluerit ex vero Dei amore pro seipso intercedere, & peccata sua suo confiteri Confessario, eademque, prout is edixerit, emendare, & semper posteà declinare. *Canon. sub* Edgaro. *De Satisfact. n.* 19 *ann.* 967. Vid. *Consult.* 5. Tom. IV. *De Pœnit.* ubi fusè de redemptione Pœnitentiæ, de qua hìc Edgarus, & longè antiquiora testimonia de illa laudantur.

XVII. Interroga ipsum de sui ipsius moribus; Extorque scelera, & quæ fecit propone omnia; sed hoc tecùm semper recognoscens, ut uno eodemque modo nunquam judicabis divites & pauperes, liberos & servos, seniores & juvenes, firmos & infirmos, humiles & superbos, fortes & debiles, Ordinatos & Sæculares. *Can. sub* Edgaro. *De Confessio. n.* 3. *ann.* 967. In attendenda diversitate personarum, habenda est ratio sexûs, ut ætatis, virium, conditionis, dignitatis. Huc attinent quæ docet S. Greg. in *Pastorali*.

XVIII. Quia multi tanta mentis suæ falluntur stultitia, ut in aliquo capitali crimine inculpati Pœnitentiam à Sacerdotibus suis accipere nolint, in hoc maximè confisi, ut Romam euntibus Apostolicus omnia sibi dimittat peccata; Sancto visum est *Concilio*, ut talis Indulgentia illis non prosit.

XIX. Sed priùs, juxta modum delicti, Pœnitentiam sibi datam à suis Sacerdotibus adimpleant, & tunc Romam ire, si velint, ab Episcopo licentiam, & Literas de iisdem rebus ad Apostolicum deferendas accipiant. *Conc.* Salegunstad. Cap. 18. *ann.* 1022. Antiquum, etsi non primum, exemplum abusûs Indulgentiæ Romanæ.

XX. De facto quod videlicet, quomodo, ubi, & quando sit perpetratum, & quamvis nullo loco seu tempore licitum sit peccatum, Festis tamen diebus, & in jejunii temporibus, festivisque locis, cautiùs quisque ab hoc tenetur abstinere; quantò etiam quis potentior est & majoris dignitatis, tantò graviùs pro peccatis coram Deo & hominibus corrigendus est; forti enim atque debili non imponetur onus simile &c. *Ibid.* Cap. 7. *Leg. Ecclesiast.* Canuti Angliæ *Regis. ann.* 1032. Ex deductis hìc circumstantiis peccata aggravantibus, notanda circumstantia temporis quam pauci attendunt.

XXI. Pœnitentes, occasione avaritiæ, gravare aut levare nemo præsumat; sed juxta modum culpæ, vel possibilitatem naturæ, moderetur Pœnitentia. *Conc.* Rotom. Cap 18. *ann.* 1050. In administratione Pœnitentiæ, imprimis quærendum quæ Dei sunt.

XXII. Quod in quodam Concilio statutum invenimus, approbantes, statuimus, ut per quoslibet Decanatus prudentes viri & fideles constituantur per Episcopum Confessores, quibus personæ & minores Clerici confiteri valeant, qui Decanis erubescunt confiteri, forsitan & verentur. In Ecclesiis verò Cathedralibus Confessores institui præcipimus Generales. *Cap.* 5. *Conc.* London. *ann.* 1237. Æquissimum conscientiarum levamen.

XXIII. Ne Confessores qui mittuntur ad absolvendum à casibus Reservatis, eos qui Episcopum adire nequeunt, generalibus Parochianorum Confessionibus audiendis se occupent, nisi de mandato Prælati, & de licentia Curati, sed ad proprios remittant Sacerdotes, & à casibus Reservatis tantùm absolvant, ne ipsi Parochiani mandatum de confitendo

ſemel in anno propriis Sacerdotibus ſimulatoriè & doloſè ſe gaudeant evaſiſſe, nempè dicendo de Pœnitentiariis confeſſos. *Concil.* ARELAT. *ann.* 1260. Cap. 16. Præſumendum quod Confeſſores miſſi ad abſolvendum à Reſervatis, non audita integra Confeſſione, non abſolvebant culpa, ſed imponebant tantùm pro illa Pœnitentias, cùm unum peccatum mortale ſine alio remitti nequeat.

XXIV. Quibus obſiſtentes ut ſeductoribus animarum, & pulvillos conſuentibus ſub cubitis reproborum; omnibus Confeſſoribus inhibemus, ne dent Abſolutionis ſignaculum peccatoribus, dùm ſunt in ſuis ſceleribus pertinaces, exiſtimantes, hujuſmodi non tàm Confeſſores, quàm fovearum Diaboli Confoſſores, peccare graviſſime, cùm convincantur ſaltem tacitè eiſdem ſceleribus conſentire, & ſceleroſos in ſua perfidia confortare. *Concil.* LAMATH. Cap. 6. *ann.* 1281.

Confeſſores *Confoſſares*; eleganter dictum, ut veritate, ita energia plenum; attentione fructuque digniſſimum.

XXV. Caveant Sacerdotes ne in confitente quærant nomina perſonarum cum quibus peccaverit; ſed circumſtantias quæ quandoque tantùm aggravationem peccati faciunt, quod ſine hoc de peccati quantitate non poteſt benè judicari. *Conſtitut.* NICOL. *ann.* 1298. Cap. 5. *Statut. Synod. Eccleſ.* TREC. *Concil.* LAMETH. Cap. 2. *ann.* 1330. NICOS. *Conſtitut.* Cap. 11. TOM. XI. *p.* 2393. & 2411. Plurimi alii Canones idem prohibentes, tàm locorum quàm temporum diverſorum, qui denotant abuſum hic damnatum frequentiorem fuiſſe.

XXVI. Sacerdos ne Laïco ad Pœnitentiam venienti obtentu cupiditatis injungat, ut Miſſas faciat celebrari. *Concil.* EBORAC. *ann.* 1195. Cap. 3. Nullus Sacerdos nomine Pœnitentiæ totaliter & partialiter Miſſas præſumat injungere: conſulere tamen poteſt. *Conſtitut.* S. EDMUND. *Archiepiſ. Cantuar. ann.* 1236. Cap. 18. CONC. TOM. XI. *p.* 508.

XXVII. In furto, rapina, uſura, fraude, ſibi valdè caveant Sacerdotes. Non alias injungant Pœnitentias, ſcilicet Miſſarum, Eleemoſinarum & hujuſmodi, priuſquam reddiderint; non enim tale dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. ODO *Paris. circ. ann.* 1200. Idem *Conc.* LAMATH. *in Provinc. Cantuar.* Cap. 2. *ann.* 1330. *Conſtitut.* NICOS. *ann.* 1298. *Syn.* EXON. *ann.* 1285. Cap. 5. *§. in rebus.* Hùc facit Scriptura dicens, qui honorat Deum de ſubſtantia pauperis, quaſi qui victimat Filium in conſpectu Patris.

XXVIII. Audita Confeſſione, ſemper Confeſſor interroget confitentem, ſi velit abſtinere ab omni mortali peccato; aliter verò non abſolvat eum, nec injungat ei Pœnitentiam, ne indè confidat; ſed moneat, ut iterùm faciat quidquid boni poterit, ut Deus cor illius illuſtret ad Pœnitentiam. ODO *Paris. in Syn Conſtitut.* NICOS. *ann.* 1298. Cap. 5. Supra & infra ſimiles citantur Canones, idemque docent infiniti alii, exigendo in Pœnitente contritionem.

XXIX. Statuimus quod cùm aliquis Parochianus de cætero à Curato vel Vicario petet ſibi dari licentiam alteri confitendi, Curatus concedat faciliter, abſque magna inquiſitione cauſæ. Quod ſi Curatus recuſaret, Nos tenore præſentis Statuti, petita priùs à Curato & non conceſſa, eidem de gratia concedimus, ſalvo in aliis jure Curati. *Synod.* LING. *ann.* 1404. Agnoſcit Epiſcopus ſe non poſſe hanc licentiam dare, niſi cùm Parochus illam injuſtè recuſat.

XXX. Si Confeſſor præſumatur veriſimiliter ſollicitare ad peccata, (ut putà ad lubricitatem) perſona hoc timens, debet ab illo, ſi ſit ſuus Curatus, petere licentiam alteri confitendi; qua non obtenta, poteſt nihilominùs alteri confiteri & abſolvi. 1°. GERSON. in *Reg. Moral.* Proindeque Parochianus ſubtrahitur ipſo facto à poteſtate Curati quoad Confeſſionem, juxta Regulam: Qui conceſſa abutitur poteſtate, illam amittere meretur; quæ hìc ex GERSONA, veræ ſententiæ eſt.

XXXI. Caveat Sacerdos ne audiat Confeſſionem alicujus perſonæ de peccato, de quo ipſe eſt agens vel conſentiens, ſed illam perſonam remittat ad alium Confeſſorem, & ſi ſit opus, det licentiam confiteri alteri. Inhibemus omnibus & ſingulis Sacerdotibus, ne Confeſſiones Mulierum cum quibus carnaliter peccaverunt, vel eas ad peccandum induxerunt, audiant, niſi in magnæ neceſſitatis articulo. *Syn.* LING. *an.* 1404. *Syn.* CARNOT. *an.* 1526. Tunc Confeſſor pars foret & Judex, cùm, ob complicitatem, ſententia ferenda ad ipſum ſeſe extendat: hac de cauſa plurimi ſunt Canones idem prohibentes.

XXXII. Quando Sacerdotes injungent de faciendo celebrari Miſſas, vel dicere aliquas Orationes, vel dando pecunias, aut alias res pro Eleemoſina, non inducant ipſi Sacerdotes, quod ſibi dentur pecuniæ vel aliæ res. *Syn.* LING. *an.* 1404. In Sacro charitatis Miniſterio omnis cupiditatis ſuſpicio vitanda eſt.

XXXIII. In injungendis Pœnitentiis conſiderent Confeſſores peccata, modum peccandi, tempus, locum, quomodò, & qualiter, perſonas, quantitatem culpæ, contritionem confitentis, & non injungant nimis magnas Pœnitentias, ſed moderatas, dicendo peccatori, Fili, nimis parva eſt iſta Pœnitentia, ſed quidquid boni ultrà feceris, hoc tibi injungo &c. *Statut.* RHEM. & TRECENS. ſalva ſemper Pœnitentiæ cum peccatis confeſſis proportione.

XXXIV. Sacerdotes debent ſemper injungere Pœnitentiam per contrarium peccatori, putà, ſuperbo humilem Orationem; avaro Eleemoſinarum largitionem; otioſo peregrinationem, & Eccleſiarum frequentationem; guloſo abſtinentiam à cibis & potibus; luxurioſo carnis macerationem & quandoque loci mutationem; iracundo manſuetudinem, & quod in corde reprimat fortiter primum motum iræ. *Syn.* LING. *ann.* 1404. *Conſtitut.* NICOS. *ann.* 1298. Cap. 4. Si præſens Pœnitentis ſtatus patiatur; aliàs ſervanda mens eſt effati; qui non habet in ære, ſolvat in cute.

XXXV. Caveant Sacerdotes ne gravent Pœnitentes per difficiles vel oneroſas Pœnitentias; ſed eas imponant quas putant poſſe & velle Pœnitentem portare, ne deterius contingat non adimplendo, etiamſi non deberent injungere niſi unum *Ave Maria*; debet enim ſufficere Sacerdoti, ſi Pœnitentem videat liberatum ab offenſa, & pœnam mittat ad Purgatorium. *Syn.* LING. *an.* 1404. Stupendum laxioris circa mores Doctrinæ exemplum, foventis neglectum Pœnitentiæ æterna damnatione puniendum, juxta CHRISTI verbum: *Niſi Pœnitentiam egeritis. . peribitis.*

XXXVI. Si vera Pœnitentia eſt, admiſſa peccata deflere, defleta non rurſùs admittere; ideò ſi fortè aliquis non proponat abſtinere in poſterum, nec ablata reſtituere, artes injuſtè factitatas ritè exercere, nec denique ullo modo vitam emendare, Abſolutionis Sacramentalis Beneficio non venit donandus; id enim in ejus perniciem cederet. *Syn.* CARN. *ann.* 1526. *Conc.* LAMETH. *in Provinc. Cantuar.* Cap. 2. *ann.* 1330. *Regul. Canonic. Regula interpolata* Cap. 32. *Concil.* TOM. VII. In hoc nulla penitùs exceptio.

XXXVII. Idoneus Confeſſarius is eſt, qui (ut ajunt) inter lepram & lepram facilè diſcernere novit; qui delicti cirumſtantias quæ tacendæ, quæ exquirendæ ſint, advertit, qui graviora excutit, qui conſcientiis ſatisfacit, Pœnitentium ſecreta continet, quæſtum non ſectatur. *Syn.* PARIS. *ann.* 1557. Quæ in illo neceſſaria paucis complectitur, nempè ſcientiam, prudentiam, diligentiam, & charitatem quærentem ſolùm quæ Dei ſunt.

XXXVIII. Parochis noſtris prohibemus ne alienum recipiant Parochianum, ut eum in Confeſſione abſolvant, aut illi quodvis Sacramentum adminiſtrent, niſi

nisi Parochi, cui ille subditus est, licentiâ id fiat, & is de sui Parochi licentia fidem faciat. *Syn.* Paris. *ann.* 1557. Sua cuique servanda Jurisdictio, aliàs Ordo Ecclesiasticus confunditur.

XXXIX. Neminem Parochi absolvant eorum, qui cùm præcedente Confessione se ablata restituturos, aut legata ad pias causas soluturos esse polliciti sint, cùm facultas adfuisset, neglexerint. Eos excipimus, qui in mortis periculo fuerint constituti &c. qui tamen admonendi erunt, ut id oneris, si obierint, hæredibus imponant, vel si convaluerint, quàmprimùm poterunt, satisfaciant. *Concil.* Burdigal. *ann.* 1583. Prædicta negligentia signum malæ voluntatis, si non certum, saltem valdè probabile.

XL. Post Confessionem Absolutio nemini conceditur, qui non fuerit reconciliatus cum proximo, si quem oderat, saltem in Voto. *Concil.* Rhem. *ann.* 1583. *De Pœnit. n.* 8. De inimicitia publica loquitur.

XLI. Confessariis injungimus, ut ab iis quos in Confessione audient, inquirant, an *Pater*, *Ave*, Symbolum, Decalogum didicerint; nescientibus injungant, ut discant, ac negligentibus post unam atque alteram admonitionem, extra necessitatis casum, Absolutionem non impertiant. *Concil.* Burdig. *ann.* 1583. Vid. *Consultationes Canonicas. de Sacram.* Tom. II. *De Pœnit.* Cap. 5. ubi collectos habes Canones cujusque sæculi, circa ea quæ scire quisque debet ut salvus fiat.

XLII. In audiendis Confessionibus, ne inquirant Sacerdotes nomina personarum cum quibus peccaverunt confitentes; sed de circumstantiis aggravantibus diligenter examinent, ut gravitatem & quantitatem peccati meliùs judicare & discernere, ac pro enormitate peccatorum congruam Pœnitentiam injungere possint. *Syn.* Senon. 1524. Ooo. *Paris.* qui addit, si confitens indicaverit, arguat eum Confessor & secretum illud teneat, sicut confitentis peccatum nullus Missas quas injunxerit, celebret, nec tricenarium, nec anuale, & pro minùs nullus triennale, & quinquennale. Ooo. Paris. *in Syn. Syn.* Paris. *annn.* 1557. ne credatur ipsas Missas injunxisse propter lucrum. *Statut. Syn. Eccles.* Rhem. ne potiùs pecuniam, quàm animarum salutem quærere videantur. *Synod.* Wigorn. Cap. 17. Vid. *Citatas Consult.* Tom. III. *De Pœnitentia*, ubi omnes Canones, circa necessitatem confitendi circumstantias aggravantes, illam stabilientes collecti sunt, quorum numerus maximus est.

XLIII. Si quis fidelis habens uxorem, non semel sed sæpè fuerit mœchatus, in fine mortis conveniendus est; quod si se promiserit cessaturum, detur ei Communio; si verò resuscitatus rursùs fuerit mœchatus, placuit ulteriùs non ludere eum de Communione pacis. *Concil.* Eliberit. Cap. 47. *ann.* 305. Vid. *Notam Abalpinæi* adulteros in morte absolutos, si in idem relaberentur, exclusos ab Absolutione etiam in morte, asserentis.

XLIV. Confessionibus populi audiendis, præsertim in urbibus, nemo præficiatur Confessionarius, nisi qui debitè per Episcopum seu ejus Pœnitentiarium, tùm vitæ morumque integritate, tùm litteratura & experientia fuerit idoneus judicatus. *Syn.* Turon. *ann.* 1583. Pœnitentiario tribuit potestatem Confessarios approbandi, quâ nullibi nunc potitur, nisi ex commissione.

XLV. Nemo existimet sibi licere cuicumque volet Sacerdoti confiteri, sed proprio tantùm Parocho. Si quis alieno Sacerdoti voluerit justa de causa confiteri, licentiam postulet, & obtineat à proprio Sacerdote, cùm aliter ipse illum non possit absolvere vel ligare. *Conc.* Rhem. 1583. *Statut. Synod. Ecclesiæ* Trec. Etiam extra tempus Paschale, ut ostensum est, dùm de Curato, per plurimos alios Canones idem docentes quod illi, simul & nullitatem Absolutionis aliter datæ.

XLVI. Is qui Pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dùm ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus in infirmitate obmutuit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat Pœnitentiam, & si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manûs impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia. *Capitular.* Lib. V. Cap. Cap. 120. & 140. sæculo VIII. aut IX. quia tribuuntur Principibus, qui utroque vixerunt, ut Carolus Magnus; vel IX. tantùm, ut Ludovicus Pius. Utrumque Caput desumptum est è *Conc.* Carth IV. Cap. 76. *an.* 398. *Conc.* Carth. III. Cap. 34. *ann.* 397. Idem jam à pluribus sæculis sentiunt viri docti & pii de iis qui Christianè vixerunt antè letargiam vel furorem, quo impediuntur ne petant Sacramenta; quia anteacta vita illa expuscit.

XLVII. Nemo aliquem ad perpetuò sibi soli confitendum obliget; & ejusmodi promissionem, etiam juratam, tamquàm irrationalem & indiscretam, hæc Synodus irritam esse declarat, & quatenùs opus est, irritat. *Conc.* Mechlin. *ann.* 1607. *Tit.* 6. Cap. 7.

Idque meritò, cùm id genus promissionis procedere soleat vel ex avaritia, vel ex præsumptione; ex amore carnis in Confessario, vel ex errore ac seductione ex parte Pœnitentis; & exponit periculo Confessionum Sacrilegarum ex reticentia peccatorum, quod periculum impulit Ecclesiam ut Monialibus concederet Confessarios Extraordinarios statis anni temporibus.

SECTIO IV.

Consultatio spectans ad Privilegium eligendi sibi Confessarium, jure concessum Episcopis & aliis Superioribus, necnon & Prælatis inferioribus immunibus; in qua examinatur, 1°. *An sit adhuc necessarium?* 2°. *An post Concilium* Tridentinum *subsistat?* 3°. *Quinam illo fruantur, & præ cæteris Cardinales non Episcopi? An Episcopi qui se abdicaverunt à dignitate? An Prælati Commendatarii, sive Sæculares, sive Regulares, sint ex hoc numero?* 4°. *An extendatur ad omnes legitimè impeditos, ne ad Confessarios Ordinarios adeant?* 5°. *Quamnam tribuat potestatem? & præsertim an permittat Privilegio donatis, ut Sacerdotes approbent quos eligunt?*

Dignitas Privilegii, & Quæstionum quæ illius causa considerantur, satis clarè ostendunt, Consultationem propositam non fore inutilem: Materia hujus gravissimi sane est momenti, & numerus hominum quorum interest, ferè est infinitus; hæ considerationes formaverunt propositum, quod mox executuri sumus.

Quæstio I.

An illud Privilegium sit adhuc necessarium?

Ut quis possit judicare de necessitate hujus Privilegii, par est ut antè oculos habeat Textum qui illud concessit, causas & motiva illius aperit, declarat cui sit datum, quomodò debeat hoc uti: *Ne pro dilatione Pœnitentiæ, periculum immineat animarum. permittimus Episcopis & aliis Superioribus, necnon minoribus Prælatis exemptis, ut etiam præter sui Superioris Licentiam, providum & discretum sibi possint eligere Confessorem.* Ita loquitur Gregorius IX. Cap. 16. *De Pœnit.* &c, & tribuit hoc Privilegium suo proprio

proprio motu, sola necessitate compellitur, ut illud concedat. Imminebat periculum animarum, Episcopi plerumque distant à suis Metropolitanis, hi à Primatibus suis, Primates à Patriarchis, & illi à Summo Pontifice; & nihilominus quisque tenebatur illorum, ut peccata confiteretur Superiori, aut data ab eo licentia alium eligeret Confessorem, quoties per negotia & infirmitates ipsi non liceret ut faceret iter. Itaque sæpè cogebatur ut suam Confessionem differret, & hæc dilatio poterat saluti obesse. Prælati Inferiores adducebantur in idem discrimen magis aut minùs, prout à Superiori immediato magis aut minùs longè disjuncti erant. Quidam immediatè erant Papæ subjecti, alii erant sibi invicem subordinati, quemadmodùm in Corporibus Regularibus; & dignitate, qualitate, & situ Prælaturarum à Superiore longè remoti videbantur; Superiores non habebant Pœnitentiarios, in districtibus Prælatorum Inferiorum nullos poterant constituere defectu jurisdictionis in territorio. Idem erat in hoc puncto de foro interiori, ac de exteriori; par erat igitur, ut Papa Superior illorum omnium Prælatorum provideret hujus Disciplinæ incommodo. Hoc adductus est GREGORIUS IX. ut de his dispensaret in gratiam Præsulum primi Ordinis, & secundi immunis à Jurisdictione Antistitum primi; par erat ut utrique etiam sentirent, quantæ necessitatis esset ut bonos Confessores haberent, & ideò dispensavit tantùm ea lege, ut in hoc casu gnaros & peritos viros eligerent, firmos & prudentes, cùm persuasum haberet absque his conditionibus, nullum posse sine periculo Prælatorum Confessiones audire.

Itaque si hæc sit origo hujus Privilegii, si Episcoporum & aliorum primi Ordinis Pastorum obligatio deponendi peccata Superiori immediato, & periculosi exitus hujus obligationis necessarium illud fecit, videtur hoc non ampliùs in usu esse, quia hæc videtur abolita à desuetudine immemoriali. Ex alia parte, juxta *Cap. 2. De Pœnit. in 6.* eadem obligatio non potest abrogari à consuetudine contraria; BONIFACIUS VIII. expressè dicit, nullam posse consuetudinem introduci, qua aliquis præter sui Superioris Facultatem, Confessarium sibi possit eligere; hæc enim habet: *Nulla quoque potest Consuetudine introduci, quod aliquis præter sui Superioris Licentiam Confessorem sibi eligere valeat, qui possit eum solvere vel ligare.* Prætereà omnes Bullæ Jubilei supponunt hanc obligationem adhuc vigere; aliter data ab illis Facultas Confessorem eligendi, inanis foret; itaque quamvis Episcopi non ampliùs confiteantur peccata coram Metropolitanis, neque illi coram Primatibus, neque hi coram Superiore immediato, privilegium quo ad id non tenentur, ipsis adhuc necessarium est.

Non usus posset haberi pro concessione Superiorum immediatorum, ad arbitrium eorumdem revocabili; sed satiùs est asserere, quod privilegium à GREGORIO IX. tributum, junctum consuetudini statutæ in illius consequentiam, nihil aliud est, quoad Pastores primi Ordinis in gradibus inferioribus quales Episcopi, quoad Metropolitanos, quàm Dispensatio qua prorsùs immunes sunt ab obligatione peccata confitendi coram Superiore immediato, & Dispensatio jure concessa qua liberantur ab Officio exposcendi ab ipso Facultatem, ut alium Confessorem habeant. Atque ita dicendum est, *Cap. 2. De Pœnit. in 6.* non pertinere ad Pastores illos, qui non indigent alia Consuetudine, qua fiant immunes à petenda Facultate à Superiore suo, ut alium adhibeant adeantve Confessarium. Hic Textus spectat ad illos tantùm, qui adhuc jure cogebantur, ut hanc Facultatem expostularent, & statuit, ut nullus ab hoc Officio deterreatur & avertatur propter Consuetudinem.

Quod mox diximus de Pastoribus primi Ordinis, videtur adhuc locum habere in Pastoribus secundi immediatè Sanctæ Sedi subjectis, quos magna distantia à Papa in necessitate constituit, ut in locis Confessores eligant. Textus BONIFACII VIII. citatus non ad illos spectat: Ratio Textus GREGORII IX. à Jurisdictione Papæ illos substraxerat, quoad Confessorum delectum; non ampliùs opus habebant alia nova Consuetudine, qua non tenerentur licentiam expostulare Superioris sui immediati, ut Confessarios eligerent: illis tantùm qui non continentur in privilegio concesso à GREGORIO IX. attribuendus est Textus BONIFACII VIII. Quoad illos voluit hic Summus Pontifex, ut consuetudine non valerent esse immunes, imò tenerentur peccata deponere coram Superiore immediato; erga solos ipsos valebat post Textum GREGORII IX. itaque nulli alii indigebant Facultate Superioris immediati, ut alios adirent Confessarios. De his personis intelligenda est clausula Jubileorum, qua permittitur alios eligere Confessores, quàm Ordinarium aut jure statutum.

Quemadmodum igitur Lex qua quis adstringitur Prælatus, ut coram Superiore suo immediato peccata deponat, adhuc viget, quoad benemultos, privilegium GREGORII IX. est adhuc illis necessarium, quibus illud idem concessit; nam dùm Lex manet, nullus immunis est ab obligatione quam imposuit, sine Dispensatione, aut à jure aut ab homine; cùm verò abrogata est, non opus est Exemptione, cùm tunc omnes solvuntur ab illa.

QUÆSTIO II.

An Privilegium de quo agitur maneat post Concilium TRIDENTINUM?

Adduci posset aliquis ad credendum, illud ab hoc Concilio fuisse revocatum; nam 1°. Statuit *Cap.* 15. SESS. XXIII. duplex tantùm genus esse Confessariorum; alii à jure, quales sunt qui ratione Beneficiorum suorum, quibus addictum onus animarum, peccata audiunt; alii qui ad hoc ab Ordinario approbabuntur. 2°. Vetat ne Regulares audiant Sæcularium peccata, nisi sint in uno ex illis casibus constituti. 3°. Derogat omni Privilegio & consuetudini contrariæ, etiam immemoriali.

Videtur autem ex hoc sequi, nulli ampliùs cuilibet licere, ut ad arbitrium Confessarios eligat, sed adeundi sunt illi qui à Diœcesano fuerunt constituti, sive per Beneficia quibus jus datur Pœnitentiæ Sacramentum administrandi, sive per approbationem ad hunc finem concessam.

Nihilominùs multùm abest, ut *Concilium* TRIDENT. revocaverit hoc Privilegium, neque in Capite citato, neque alibi. Nam 1°. certò constat, nullam esse revocationem expressam, cùm nullum ex hujus Decretis de ea nominatim loquatur. 2°. Nulla est tacita rescissio quæ fit à Lege contraria. Reverà nihil in Concilio legitur quod videatur adversari Privilegio de quo agitur, præter Caput citatum; & hoc libertas continuatur eligendi aliquem ex Confessoribus approbatis, aut à jure, ut Beneficiarii onere animarum gravati; aut ab homine, ut alii de quibus facta est mentio, non quoad omnes homines, sed quoad illos qui hanc Facultatem habebant à jure, aut quibus illa imposterùm concedetur.

His fundamentis roborata *Congregatio Cardinalium* declaravit, *Concilium* TRIDENTINUM non abstulisse Episcopis Privilegium, quo sibi Confessores eligant, & GREGORIUM XIII. idem fecit, post auditam Congregationis relationem. Hoc testatur FAGNANUS *n. 62.* in Cap. *16. De Pœnitent. suprà cit.* Ejus verba exponentur, cùm inferiùs sermo habebitur de licentia ab hoc Privilegio concessa.

Gonzalez in eodem Textu post multos Canonistas idem agit, quos citat, & quorum Sententiam approbat, cùm asserit eos meritò observasse, hoc privilegium, de quo loquitur hic Textus, à *Concilio* Tridentino non fuisse revocatum *Cap.* 15. Sess. XXIII. quia, cùm inseratur in Jure, de illo facienda fuisset mentio specialis; nulla sine hoc derogatio censenda est: *Qui omnes rectè notant privilegium hoc non esse revocatum per* Trid. Cap. 15. Sess. XXIII. *De Ref. quia cùm sit insertum in Corpore Juris, & ejus specialis mentio non fiat, non censetur derogatum.*

Tamburinus *De Jure Abbatum*, Tom. II. Disp. VI. Quæst. X. cùm fusis verbis de hoc privilegio disserat, supponit illud subsistere, & de eo loquitur post benè multos alios quos citat, quasi de re practica. Infrà referetur quod de eo dicit, quoad Abbates tàm Generales quàm Particulares, sive Regulares sive Sæculares Commendatarios.

Quæstio III.

Quinam fruantur Privilegio de quo agitur?

Procul dubio Episcopi & alii Superiores debent eo frui. Textus Gregorii IX. hoc expresè docet.

Certò adhuc constat Prælatos Inferiores exemptos debere hoc potiri; relatus Textus horumce mentionem expressam facit.

Difficultas tantùm versatur in personis quæ continentur sub hoc verbo, *Episcopi*, & his verbis, *alii Superiores*, & his terminis, *Prælati Inferiores exempti*.

Quoad Episcopos quæri potest, *an qui se abdicaverunt, hoc amiserint privilegium sibi Confessorem eligendi?* Videntur illud amisisse, quia hæc dignitatis prærogativa est, cui nuntium remiserunt, & ob hanc rationem non possunt functiones Episcopales exercere; sed nemo potest ita loqui, quin confundat Renuntiationem Episcopali dignitati, cùm eâ quâ renuntiatur cuidam Episcopatui; & hoc duplex genus Renuntiationis multùm discrepat. Per primam, amittuntur prærogativæ & privilegia dignitatis, atque ideò hujus fieri non possunt functiones, etiam ex consensu alterius Episcopi; & per alteram, perditur solùm jus fungendi illis muneribus propria sua autoritate, cùm conservetur jus functiones illas faciendi, rogante alio Episcopo qui eas exercet, aut eodem consentiente. Quemadmodùm igitur Episcopi qui solùm se abdicant Episcopatu, dignitatem Episcopalem conservant, ita pariter privilegia quæ illi addicta sunt retinent. Vid. Gonzalez *in* Cap. 1. *De Ordin. ab eo qui Episcopatui renunciavit*: In eo explicat & statuit hanc distinctionem. Adde quod Textus Gregorii absolutè loquatur & indistinctè de Episcopis, & agatur de privilegio opportuno, & nulli noxio; ita in utroque comprehenduntur illi, qui se abdicaverunt Episcopatu suo, nec Episcopatui renuntiaverunt.

Sed dicet aliquis, Ratio hujus Privilegii cessat quoad Episcopum qui nuncium mittit Episcopio suo, quia nulli subjectus est Metropolitano, cui jure teneatur peccata deponere. Frustra talis haberetur sermo; nam cùm Episcopi liberati sint ab onere confitendi peccata coram Metropolitano suo, propter rationem Episcoporum Corpori communem, non est necessè ut hæc ratio valeat quoad privatum quemque, ut iste privilegio fruatur.

Posset adhuc Quæri, *An Episcopus depositus, habeat adhuc privilegium Confessorem sibi eligendi?* Hoc fas esset credere, quia conservat caracterem infinitè venerandum ubicumque inveniatur. Sed hæc ratio longiùs progreditur; nam locum habet in Episcopo qui renuntiavit Episcopatui; aliundè depositio spoliat omnibus privilegiis Ordinis & dignitatis.

Quod dictum est de Episcopis qui se abdicaverunt Episcopatu, locum habet quoad Episcopos in Partibus, illis similes, in eo quod in Clerum aut Populum non possunt autoritatem Episcopalem exercere, & possunt, sicut illi, muneribus Pontificalibus fungi, rogantibus & consentientibus Episcopis, quibus est & Clerus & Populus; quamobrem Gonzalez in loco citato alios aliis comparat, quia in eodem situ sub hoc respectu repeiriuntur.

Et hæc dicenda erant quoad verbum *Episcopi*; ecce ea quæ spectant ad illa, *& ad alios Superiores*, propter quos quæri potest, *An Cardinales non Episcopi in illis comprehendantur?* Fagnanus tractat hanc Quæstionem super Textum Gregorii IX. *à numero* 31. *usque ad numerum* 49. *inclusivè*, &, cùm multas rationes dubitandi attulerit, decidit Cardinales non Episcopos contineri his verbis, *& aliis Superioribus*; quia sunt Episcopis Superiores, ratione sui Officii, suæque Jurisdictionis, & ob hanc causam omnia privilegia concessa Episcopis, & Superioribus suis, locum habent in his Cardinalibus, quod probat usu confirmato Declarationibus & Edictis Cardinalium.

Sed cùm satis non habeat ostendisse hos Cardinales, tanquàm Superiores Episcoporum, in hoc privilegio comprehendi, probat adhuc illos in eodem contineri, ut Prælatos exemptos, & immediatè Papæ subjectos; quia sunt Præsules Jurisdictionem quasi Episcopalem habentes in suo Titulo, & quod sint adhuc immunes à Jurisdictione Ordinariorum, cùm sint immediatè Summo Pontifici subditi.

Deindè cum rationibus contrariis Respondet, quoad præcipuam, quæ depromitur ex eo quod hi Cardinales non longè distant à Papa cui deponere peccata debent, quia eorum Superior est immediatus; quoad hanc, inquam, rationem asserit, locorum distantiam tantùm esse causam impulsivam privilegii; fundamentalem verò esse animarum salutem, quæ potest multis in casibus exigere, ut Cardinales confiteantur peccata aliis quàm Papæ, aut magno ejus Pœnitentiario, sive propter magnas Summi Pontificis occupationes, aut ejusdem infirmitates; sive ratione similium impedimentorum in Pœnitentiario; periculum animarum à similibus impedimentis ortum, effecisse ut Episcopi possent alium habere Confessorem, quàm Metropolitanum, cùm apud illos & eorum in Diœcesi versatur, visitationis causa aut aliorum negotiorum, aut apud illum tempore Concilii Provincialis morantur; Hæ Responsiones confirmant illam quæ data est Objectioni propositæ, in Episcopos qui se exuerunt Episcopatu.

Quoad Prælatos Inferiores exemptos, quæri poterat; *An omnes hujus generis Prælati in hoc Privilegio contineantur? Aut num comprehendantur illi tantùm qui immediatè Papæ subjecti sunt, ut Generales Ordinum?* Quoad Prælatos qui in Congregatione manent, & omnes Abbates, Priores, Præpositos, & alios Superiores Capitales Monasteriorum in Congregatione non morantes, Fagnanus contendit solos Prælatos hujus secundi generis posse hoc privilegio frui, quia sunt Superiores aliis, qui possunt in locis Confessores constituere, qui audiant peccata Prælatorum Monasteriorum, itaque privilegium non est quoad ipsos necessarium. *Ibid. n.* 35.

Contra Tamburinus *De Jure Abbatum*, Tom. II. Disp. VI. Quæst. X. asserit cum benemultis aliis Autoribus, Prælatos etiam locales, qui in Congregatione vivunt, jus habere sibi Confessarios eligendi; & hoc probat per Textum Gregorii IX. qui supponit Præsules, quibus permittit hunc facere delectum, habere Superiores, cùm dicit illud injusso Superiore posse; & agitur de re commoda quam debent largè interpretari; aliundè Papa indistinctè agit de Prælatis exemptis à jurisdictione

Loci

Loci Episcopi, & hi Prælati Locales in hoc numero recensentur. Quod de Prælatis Localibus asserit, à fortiori ad Provinciales extenditur, qui non minùs longè à Generali remoti sunt, quàm illi à Provincialibus; & hæc distantia, quemadmodum & periculum salutis ex ea proveniens, causa est hujus privilegii: Excipit casum in quo juxta Privilegia aut Constitutiones Ordinis, sunt Confessarii designati à Superioribus Majoribus qui audiant Confessiones Prælatorum Localium. Restringit quoque facultatem eligendi inter Ordinis Religiosos; cum iisdem Constitutionibus aut Privilegiis prohibetur, ne Prælati, quemadmodum nec Inferiores, confiteantur peccata aliis quàm Religiosis Ordinis.

Quod hactenùs dictum est de Prælatis Exemptis, ad Commendatarios pervadit, quemadmodùm ad Titularios tùm Sæculares, tùm Regulares.

Duo tantùm ad hoc sunt necessaria, Prælatio, & Exemptio; & hæc reperiuntur in Præsulibus quibus Abbatiæ & Conventuales Prioratus sunt in Commenda concessi, sive eas possideant Clerici Sæculares, sive Regulares alterius Ordinis: Expressio Textûs est absoluta, *Prælati Exempti*; Materia est commoda & idonea, cùm agatur de animarum salute. His fundamentis fultus TAMBURINUS *in loco citato* expressè recenset Præsules Commendatarios, inter eos qui fruuntur Privilegio de quo agitur, & eosdem affirmat omnes ejusdem prærogativas habere.

SECTIO IV.

An hoc privilegium refundatur in illos, seu spectet ad illos qui legitimè sunt impediti, ne adeant Confessores Ordinarios?

Videtur hoc Privilegium, cùm sit concessum ad providendum animarum saluti, quæ sine hoc adjumento periculum adirent salutis amittendæ, debere ad omne genus hominum extendi, qui hoc in discrimen adducuntur, propter impotentiam Physicam aut Moralem proprium suum Confessarium adeundi; Privilegia sunt Leges, quisque convenit hâc de re, & Leges ad omnes casus protrahuntur, ad quos ratio Legis videtur extendi & progredi; ratio Legis est ejusdem Legis anima, intentionem facientis manifestat; per hanc licet eamdem interpretari, undè fit ut NICOLAUS VIGELIUS *in Methodo Juris Canonici*, Lib. I. *Cap.* 5. QUÆST. VIII. Regulam de illa faciat, hæc est quarta, sic concepta: *Ubi eadem ratio est, ibi idem jus constituendum est.* Impedimenta quæ in utraque ponunt impotentiam de quâ mentio facta est, enumerantur in *Cap.* 11. & 58. *De Sent. Excomm.* Occasio peccandi quam Lex suppeditat, est ex eorum numero; in eo agitur de Lege Humana, nempè Reservatione Excommunicationis Papæ, quæ per hæc impedimenta cessat, & jus absolvendi ad Episcopos redit. Si quis igitur non possit recurrere ad Confessarios Ordinarios sine periculo peccandi, Lex quæ id præscribit cessare debet, & jus audiendi Confessiones ad alios transire. Idem est de casibus in quibus nonnulla ex aliis impedimentis occurrunt. Hæc materia clarè explanatur in *Usibus Ecclesiæ Gallicanæ spectantibus ad Censuras*, Tit. *De Censuris reservatis*, & in *Tractatu de Excommunicatione Canonis*, Si quis suadente, *ibidem inserto*. Non operæ pretium est, ut hìc repetamus quæ dicta sunt fusiùs in his locis.

Itaque posset asseri juxta hæc principia, privilegium eligendi sibi Confessorem, locum habere in omnibus casibus in quibus aliquis naturaliter aut moraliter impeditur, ne adeat Confessores Ordinarios; & illos homines, de quibus mentio fit in Textu GREGORII IX. esse tantùm exempla illorum, qui dispensantur ab hoc præcepto. Sed si hoc ita esset, Papa non dixisset, *Permittimus*; nam hoc termino demonstratur, quod antea non liceret hominibus prædictis, alium adire quàm Confessorem ordinarium; sed in hoc usus esset his verbis, *Declaramus permissum.* Hanc ob causam Interpretes hujus Textus, illum restringunt ad genus personarum quæ in eo nominatim exprimuntur; alioquin non docuissent, quemadmodùm fecerunt, illum non extendi ad genus personarum, quæ non in eo clarè comprehendantur tanquàm species in suo genere. Si dispositio Textûs, de quo agitur, haberet locum in omnibus casibus in quibus periculum esset salutis, non contineret Privilegium aut Dispensationem à Lege, quâ quis tenetur deponere peccata Superiori suo immediato, sed foret exceptio generalis hujus legis, & talis exceptio multùm differt à Privilegio & Dispensatione; nam hæc supponit Legem obligare in casibus in quibus ab eadem liberat, & exceptio cadit solùm in casus in quibus Lex ex natura sua locum non habet; talis est, verbi gratia, illa quæ pertinet ad omnes casus in quibus periculum mortis imminet sine Absolutione, aut aliis Sacramentis necessariis, & quæ agnita est ab omnibus retrò Sæculis, juxta *Cap.* 7. SESS. XIV. *De Pœnitent.*

Sed dicet aliquis, Quid fieret de hominibus qui eùm eos morderet noxa lethalis, nullum possent reperire ex Confessoribus Ordinariis, qui vellet eos absolvere sine conditionibus quæ viderentur ipsis manifestè illicitæ; ut, *verbi gratia*, si Confessor pecuniam exigeret sine qua Absolutio non daretur, quemadmodùm & de alia conditione æquè criminosâ. Idem esset de illis hominibus, ac de illis qui cùm Missam celebrare intendant, nullum Sacerdotem reperire possunt, cui possint peccata deponere; & consequenter possent sequi dispositionem *Capitis* 7. SESS. XIV. nam nullus in dubium revocat, quod illud quod fieri non potest absque peccato, tenetur ut impossibile, & quod ille casus est ex illis qui pertinent ad Regulam: *Ad impossibile nemo obligari potest.* Cap. 6. *De Reg. Jur. in* 6. & quidem ex præcipuis: Hæc applicatio eò videtur aptior, quod Concilium clarè insinuet, ea quæ dicit de Sacerdotibus qui tenentur celebrare, extendi ad omnes Christianos qui coguntur accedere ad sacram Synaxim; nam eùm dederit tanquàm Regulam, quod illi qui sunt lethalis peccati nocentes, tenentur deponere peccata, antequam accedant ad Sacrosanctam Eucharistiam, & cùm Sacerdotes in ea comprehenderit, addit exceptionem depromptam ab impotentiâ confitendi peccata defectu Confessarii. Revera nullam facit mentionem expressam de omnibus Christianis in exceptione, sed solùm de Sacerdotibus; sed non minùs verum est, illud posse oriri ex eo quod casus de quo agitur sæpiùs eveniat quoad Sacerdotes, & admodum rarò quoad alios Christianos; cùm multi Sacerdotes teneantur Missam celebrare, aut diebus singulis, aut fermè, propter Beneficia aut Officia quibus onerantur, quod non habet locum erga alios. *Ecclesiastica Consuetudo declarat eam probationem* (loquitur de ea quæ continetur in his Divi Pauli verbis: *Probet autem seipsum homo*) *necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantùmcumque sibi contritus videatur, absque præmissâ Sacramentali Confessione, ad Sacram Eucharistiam accedere debeat; quod à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sacra Synodus perpetuò servandum esse decrevit, modò non desit illis copia Confessoris; quod si necessitate urgente Sacerdos absque præviâ Confessione celebraverit, quam primùm confiteatur.* Si quis tenetur immunis esse à peccato mortali ante Communionem, & deponere peccata si debeat, ut ipsi eadem remittantur, illud non minoris est momenti in Sacerdotibus, quàm in omnibus Christianis; remedium contritionis non minùs est ipsis insufficiens, si deponere peccata valeant, quàm

quàm aliis; & nihilominùs cùm teneantur participare Mensæ Domini, ratione Celebrationis Missæ, nec possunt peccata deponere, licet ipsis sine Confessione Corpus Domini accipere, modò Contritionem in sese pro viribus excitent: Cur igitur alii Christiani in simili casu id non poterunt? Si aliundè quod est illicitum fit impossibile, ita ut hæc impossibilitas magis excuset quàm altera quælibet alia, idem esse debet si quis Confessario careat, à quo possit absolvi sine conditione illicitâ, aut si nullum habeat: Itaque illi qui in primo casu reperientur, dispensarentur à Confessione, eodem modo ac illi qui effectivè & reverà Confessario carent; & consequenter licerct illis, quemadmodùm & aliis, Mensæ Domini participes esse, eâ lege ut contriti statuerent confiteri peccatum, quàm celerrimè possent, sine illicita conditione.

Quod si hujusmodi personæ non essent obnoxiæ Legi Confessionis, quandiù duraret impedimentum, manifestum est illas liberè alios Confessores adituras, si quos invenirent, nec opus haberent Privilegio de quo agitur, & quod necessarium tantùm est in casibus, in quibus possibile est Confessarios Ordinarios adire, de jure possent juxta Disciplinam quæ viget.

Quoad alios qui mortali peccato non coinquinantur, quæ est summa felicitas ipsis, minùs adhuc indigent Privilegio prædicto; nam Confessio peccatorum venialium non importat multùm, aliis benemultis mediis illorum venia conceditur; tales sunt omnes actus qui excitant contritionem in nobis, amorem Dei, & hæ occasiones sunt frequentes, præsertim tempore perturbationis & afflictionis publicæ; subjectio voluntati Dei; ejusdem Consiliorum adoratio; Justitiæ illius agnitio in malis toleratis; misericordiæ ejus fundatio & benedictio, in illis à quibus liberamur; ejus in nos Providentiæ in mille casibus, in quibus à discriminibus prolapsionis nos vindicavit; Eleemosina; Confessio mutua; Opera misericordiæ Spiritualia & Corporalia; injuriarum condonatio; & tot remedia quorum usus facilis & quotidianus, & quidem cujusque momenti & temporis; debent consolari & allevare in privatione auxilii Confessionis Sacramentalis. Idem est de usu tot Sæculorum serie adhibito, in quibus absque culparum Confessione quam Sacerdoti fecerint, ut ab illis absolverentur noxis, vi Sacramenti & efficacia non minùs Sancti habiti sunt aliqui. Itaque non propter illas culpas, Privilegium de quo agitur concessum fuit, sed propter peccata mortalia quæ in discrimen salutis adducunt, cui providet facilitate Confessionis.

Quæstio V.

Quænam potestas ab hoc Privilegio concedatur? An ut solùm quis eligat sibi Confessorem ex iis qui sunt approbati, aut, an ut unum sibi approbet?

Hæc Quæstio gravissimi est momenti, & difficillima inter eas quæ incumbunt nobis examinandæ. Omnium maximi interest; nam si hoc Privilegio detur licentia approbandi Confessores, magnum illud affert auxilium, præsertim temporibus perturbationis. Difficilis est & ardua; nam ad hoc requiritur notitia Disciplinæ Sæculi XIII. in quo concessum illud fuit, & voluntas Papæ qui illud tribuit, quique tantùm potuit dare facultatem eligendi aliquem inter Confessores approbatos, aut à jure aut ab homine, aut eidem jungere licentiam approbandi cuique datam pro suo usu. Tamburinus & Fagnanus de ea fusiùs disserunt in locis citatis, & uterque illam asserit post *Conc.* Trid. quod agnoscunt illam non irritasse. Tamburinus censet quod, qui efficacia hujus Privilegii fruuntur, Jus habeant eligendi in Confessarium, non approbatum Sacerdotem, & hoc delectu illum approbare valeant. Fagnanus contrarium asserit, quem par est ut sequamur.

Antequàm alicujus partes suscipiamus, referenda sunt & examinanda utriusque opinionis fundamenta, ut amplectamur unam ex illis quæ fundamento invictiori niva videbitur. Hæc igitur summa eorum quæ leguntur *in* Tamburino. Sed anteà animadvertendum est, quod, quamvis tantùm loquatur de Abbatibus, & aliis Prælatis hoc nomine intellectis & designatis, ea tamen quæ dicit extenduntur ad omnes quibus Privilegium concessum est; nam Prælati Inferiores de quibus loquitur Privilegium, sunt certè infra Episcopos, & Superioribus eorumdem inferiores de quibus etiam sermonem habet; & consequenter illud Privilegium magis non favit illis quàm Episcopis; præterea loquitur de utrisque iisdem verbis; itaque hoc Privilegium debet esse idem.

Post hanc Observationem assero, hunc Autorem primò unum tanquàm certum habere, Generales Ordinis immediatos Papæ, jus habere sibi Confessores eligendi, ab Ordinario locorum non approbatos. Quoad alios, dicit in varias multos abire sententias, & cùm nonnullos recensuerit, qui negativè asserant, multò plures appellat affirmativam sententiam tuentes, quam ipse amplectitur; supponens Prælatos qui alios Superiores habent, præter Papam, ejusdem quàm Abbates Generales conditionis esse, ratione juris eligendi Confessarios non approbatos ab Ordinario, & eo modo sentire Authores quos sequitur. Expressè hâc de re sententiam explicat, cùm dicit; *Possunt sibi eligere Confessarium, quem magis voluerint, etiam ab Ordinario non approbatum, & quod aliter Privilegium esset irritum, & inane*; quod probat deindè tribus rationibus; 1o. Ut quis audire peccata valeat, requiritur potentia Ordinis necnon & Jurisdictionis; omnis Sacerdos priorem in suâ Ordinatione recipit, & secundam à Prælato, qui ipsum Confessarium eligit. 2o. Cùm supponit hunc delectum à Prælato factum dare Jurisdictionem electo ab eodem, asserit, quod si teneretur eligere Sacerdotem deputatum ab Ordinario loci, non posset dici illum in Confessarium eligere, cùm jam electus foret ad hoc à Diœcesano. 3o. Idem non est de Prælato Privilegium habente Confessorem eligendi, ac de simplici Religioso, cui Superior ejusdem permittit unum eligere; iste autem potest eligere quem vult ex Confessariis approbatis; itaque par est ut Prælatus possit alios eligere quos probet suo delectu, & optione.

Quærit posteà, *an Prælati possint tempore Jubilei eligere Confessarios non approbatos?* & decidit non posse, quia Bullâ Jubilei coguntur ut assumant aliquem ex illis qui approbantur, & sine hoc privat fructu Jubilei; & hac de causa necesse est ut omnes ad id se accommodent.

Deindè cùm diverit Prælatum confitentem peccata alicui Sacerdoti, eumdem approbare hac ratione, ut audiat ejus Confessionem; quia hæc approbatio potest dari actione, quemadmodùm verbis; & Confessio facta huic Sacerdoti quædam est approbatio per actionem; terminat licentiam optandi Confessorem non approbatum, 1o. ad casus in quibus nullus designatur Confessarius à Superioribus Majoribus, qui audiat Confessiones Prælatorum Localium, juxta Constitutiones Ordinis à Sede Apostolica approbatas: 2o. ad casus in quibus Ille Præsul Sacerdotes Ordinis assumit, posito quod Constitutiones vetent, ne aliis peccata quis deponat.

Proponit posteà tria dubia, quoad potestatem eligendi Confessorem, etiam non approbatum, *Primum, An Prælatus excommunicatus possit absolvi, à Confessario quem eligit?* Et illud posse decidit, quia ille potestatem suam habet à jure, nempè à Textu qui concessit hoc Privilegium; & hac de causa, si percuteret aliquem ex suis Religiosis, posset absolvi ab hoc Confessore.

Secundum, *An possit uti suo Privilegio coràm Confessore à Generali approbato, aut à Provinciali?* Et illud posse decidit, & cùm considerasset senum & reputasset rationem Privilegii depromptam ab animarum periculo, non habere locum in hoc casu, Respondet, illud ad commodum Prælatorum dari, atque ita nisi confidant in hoc Confessario, illos posse alterum assumere.

Tertium, *An Confessorem habere valeat suæ Jurisdictioni non subditum?* Et illud posse Responder, quia Privilegium est absolutum, & optionem non terminat; & hanc ob rem, si Provincialis extra Provinciam suam vadat, potest in Monasterio ubi manebit, Religiosum non approbatum assumere ut illi peccata deponat.

Tandem cùm sibi objecisset Declarationem Cardinalium, asserentem Episcopos non posse extra Diœcesim suam peccata confiteri aliis quàm Confessoribus approbatis ab Ordinario locorum; reponit, quod hoc tantùm ab illa statutum fuerit, quia magni momenti est, ut sua cuique Episcopo Jurisdictio conservetur; & ratio eadem locum non habet in Præsulibus Localibus, quorum Jurisdictio minima iisdem considerationibus digna non est. Finit repetendo quæ supra dixit, nempè quod, si nulla Ordinis Constitutione prohibeatur, *ne* Religiosi alios adeant præter Ordinis sui Confessores, Prælati possunt eligere extra Ordinem, non approbatum Confessorem à Diœcesano loci. Hæc omnia summatim docet TAMBURINUS, quoad quæstionem, an Prælati vi & efficacia Privilegii, Confessores sibi eligendi, possint aliquos adire ab Ordinario locorum non probatos, quâ de re par est ut meminerimus eorum quæ citata sunt QUÆST. III. quoad Commendatarios.

Quod FAGNANUS docet, de eadem licentia Confessores eligendi non approbatos, reducitur ad tria Capita. *Primum* spectat ad Episcopos. *Secundum* ad Cardinales. *Tertium* ad Prælatos Inferiores Exemptos.

Quoad ultimum, de quo loquitur n. 20. dicit, in hoc puncto, *Idem esse de his Prælatis ac de Episcopis*, præter quàm quod Episcopi valeant approbare suæ Jurisdictionis Sacerdotem, & peccata coram eodem confiteri; hi verò Præsules non possunt id facere, ut idem asserit, nisi territorium habeant & Jurisdictionem quasi Episcopalem, & Congregationem ita rem decidisse exponit, in quo destruit differentiam à TAMBURINO observatam, inter Episcopos & Prælatos Inferiores, ratione licentiæ approbandi Confessarios in Districtu alieno.

Quoad Episcopos, de quibus mentionem facit à n. 5. usque ad num 30. inclusivè, contendit non posse eosdem eligere sibi Confessores non approbatos à Diœcesano loci, nisi Sacerdotes quos approbant suæ Jurisdictioni subjiciantur; & illud probat quinque rationibus quæ rediguntur ad tres; nempè 1°. quod Sacerdotes non approbati ab Ordinario loci, carent aliqua ex qualitatibus & dotibus necessariis, ad audiendas Episcoporum peregrinorum Confessiones; nam præter Jurisdictionem & Sacerdotium, requiritur approbatio, & non possunt illam accipere, ex eo quod ipsos delegerint illi Episcopi in Confessores; *nam*, inquit, *hac optione datur tantùm illis Jurisdictio, quam in eosdem non habent Episcopi*: In quo observandum est per transennam, hanc rationem locum non habere in Pastoribus, & Curatis, qui cùm sint jure approbati, ratione sui Beneficii cui animarum onus addictum est, & consequenter quoad alios, qui similem à suo Beneficio approbationem mutuantur.

Secunda Ratio est, quod Privilegium, de quo agitur, nullum aliud jus tribuit, præter illud quo prorogatur Jurisdictio Judicis, & quod hæc prorogatio locum non habeat erga illum qui non est Judex: Itaque quemadmodum hi Sacerdotes, non approbati sive à Jure, sive ab homine, non sunt Judices, non possunt per hoc Privilegium, audire Confessiones Episcoporum alienigenarum.

Tertia est quod Jubileum simile tribuat Privilegium omnibus quibus illud conceditur, & hanc ob causam judicandum est de Privilegio Episcopis concesso à GREGORIO IX. quemadmodùm & de Jubilei Privilegio; nullus autem per illud valet eligere alios Confessores, præter eos qui approbati sunt à Diœcesano locorum.

Quod superest insumitur in proponendis objectionibus & iisdem retorquendis; præcipua est, quod si Episcopi nequeant per suum Privilegium approbare sibi Confessarios, in Diœcesibus aliorum, nullum ex Privilegio suo commodum percipient, cùm omnis alienigena valeat eligere, in locis in quibus moratur, Confessarios approbatos.

Huic Objectioni pro solutione subjungit, hoc Privilegium duos adhuc producere effectus; primus est, quod ratione ejusdem possint Episcopi adire quem voluerint Confessorem, & sine illo cogerentur eligere Pastorem Parochiæ in quâ manerent; possunt adhuc, inter alios Confessarios approbatos, qualem voluerint, assumere, Sacerdotem etiam Sæcularem, & ab illo poterunt absolvi, & non possent alii peregrini ab illis hoc Privilegio carentes absolvi.

Secundus effectus est, quod cùm elegerint Sacerdotem approbatum, valeant coram illo confiteri peccata, ubicumque sint, si secum eundem duxerint, quia per vim Privilegii, fit ipsorum proprius & peculiaris Confessor, & fruitur jure Parochi, qui constitutus proprius Parochianorum suorum Confessarius, potest eos confitentes peccata audire, ubicumque illos invenerit: Hujus Ratio est, quod hic Confessor potestatem suam accipit à Lege, quâ datum est hoc Privilegium, & hæc Lex tribuit ipsi potestatem pro omni regione, ratione hujus qui ipsum elegit, v. n. 25. CABASSUT. qui in *sua Theoria & praxi* LIB. III. *Cap.* 8. *num.* 4. *versus finem*, malè accepisse sensum FAGNANI videtur.

Iste autem examinans à n. 50. usque ad finem, an Cardinales, sive Episcopi, sive non Episcopi, valeant, in virtute Privilegii de quo agitur, eligere Sacerdotes non approbatos ab Ordinario loci, & eos approbare ut audiant eorum Confessiones? & quemadmodùm ostendit hoc Privilegium ad eos extendi, sive quia præsunt Episcopis, ex suo Officio & Jurisdictione, & tanquàm Prælati Exempti; facilè conjicitur, quid de hac quæstione sentiat, post illa quæ mox de sententia hujus, quoad eandem Quæstionem, dicta sunt, per respectum ad Episcopos & Prælatos Exemptos; hoc quoque infertur ex his quæ supra dixit, *n.* 20. *citate*, hoc Privilegium æquale esse in illis quibus conceditur, præter rationem potestatis approbandi Confessarios, quam restringit illis, qui territorium habent aut Jurisdictionem quasi Episcopalem, quæ vulgò est in Cardinalibus, & hac de causâ nulla est exceptio erga ipsos; debet igitur quoad Cardinales docere, quæ de Episcopis & Prælatis dixit.

Quare satis erit si observemus, 1o. Quod de Cardinalibus loquendo, mentionem facit de Declaratione Cardinalium ad hoc latâ ut Episcopi non valeant per virtutem sui Privilegii alios eligere Confessores præter approbatos in Diœcesibus alienis, in quibus peccata confiteri volunt, & asserit à GREGORIO XIII. approbatam fuisse hanc Declarationem, causâ maturiùs perpensâ.

2o. Cùm considerasset Objectionem suprà explicatam cum Responsione, quoad inutilitatem Privilegii, nisi det Privilegio donatis licentiam approbandi Sacerdotes alienigenas qui audiant illorum Confessiones, contendit ex illo emergere quatuor commoda, quæ ad duo suprà relata reducuntur.

3o. Allegatis multis rationibus in favorem Cardinalium, & præ cæteris, cùm asseruerit 1o. illorum Privilegium præ simplicibus Sacerdotibus majus esse debere, quod minimè valeret, cùm illi possint

peccata

peccata confiteri omni Sacerdoti approbato. 2°. Cùm dixerit Cardinales non esse comprehensos in ullâ lege odiosâ, qualis est illa quâ terminatur potestas deponendi peccata cuilibet voluerint. Ad primam assertionem Respondet, Cardinales suum habere privilegium, tanquàm Cardinales & Sacerdotes, ita ut eodem fruantur, licet non sint ordinati Presbyteri, & simplices Sacerdotes, privilegio suo frui tanquàm Sacerdotes, & contendit *Conc.* Trid. ab his Sacerdotibus privilegium idem sustulisse, juxta hæc verba, *etiam Sacerdotum*, & privilegium Cardinalibus non ademisse. Ad Secundam reponit, Canonistas non inter se convenire quod Cardinales non contineantur in legibus quæ nullam faciunt de illis mentionem, & rationibus utrorumque relatis, & illis quæ sunt contra approbatis, nempè 1°. Quod aliter Cardinales in nulla Lege generali intelligerentur, aut saltem in perpaucis, quia rarissimè hæ ejusmodi leges de illis mentionem faciunt. 2°. Quod non præstantiori dignitate decorentur, nec adeò potioris conditionis sint quàm Imperatrix, quæ Legibus Generalibus subjecta est, quamvis de illa minimè loquantur: Affert exemplum Legis generalis, cui certè subditi sunt Cardinales, licet in eâ non nominentur, nempè illa quæ spectat ad Confessionem annuam, & Communionem Paschalem; animadvertit quoque quod etiamsi Cardinales fruerentur privilegio, non adstringi Legibus quæ de illis mentionem non faciunt, excipiendæ essent illæ quæ spectant ad bonum publicum & animarum salutem, quodque *Cap.* 15. Sess. XXIII. tam sæpè citatum in boc numero recenseatur, & hac de causa cogit Cardinales, licet in eo non nominentur.

Considerationes *quoad doctrinam* Tamburini *&* Fagnani *ratione hujus Quæstionis quintæ.*

Uterque convenit, Episcopos non posse per Privilegium sibi eligendi Confessores, alios adire quàm approbatos ab Ordinario loci, & hunc esse sensum Decr. *Concilii* Trid. à Congregatione Cardinalium explanati, & Fagnanus addit interpretationem Congregationis fuisse confirmatam à Papa Gregorio XIII, causâ maturiùs examinata, juxta relationem ipsi missam.

Non concordant de potestate ab hoc Privilegio data Prælatis exemptis. Secundùm Tamburinum possunt per ejusdem virtutem, Confessarios non approbatos eligere, & approbare eos sibi non solùm cùm in illorum Ordine, sed etiam cùm in eodem non recensiti fuerint, nisi à Constitutionibus Ordinis vetitum sit, vel aliis extra Ordinem suum peccata deponant, aut eædem præscribant, ut adeant quosdam Confessores designatos à Superioribus suis Majoribus. Juxta Fagnanum hi Prælati minorem potestatem habent, quàm Episcopi, quoad approbationem Sacerdotum quos eligunt in Confessarios, in eo quod Episcopi valeant ad hoc approbare Jurisdictioni suæ subjectos, & hi Prælati hoc non valent exequi, nisi territorium habeant & jurisdictionem quasi Episcopalem; quod intelligendum est de Confessoribus Sæcularibus; nam hi Prælati vulgò Jurisdictionem exercent in Religiosos suorum Monasteriorum, quorum sunt quasi Episcopi, & in illos qui manent in aliis Monasteriis, si sint Provinciales aut Visitatores, aut Generales.

Tamburinus comprehendit expressè Abbates Commendatarios in Privilegio de quo agitur, & eamdem potestatem illis ac Prælatis Titularibus attribuit. Fagnanus de eo non expressè loquitur; sed quemadmodùm dignitas Prælatorum Exemptorum benemultis Commendatariis propria & peculiaris est, locus est credendi illos in hoc Privilegio contentos, quoad facultatem eligendi Confessarios, & quoad licentiam approbandi Sacerdotes ipsis subjectos, modò territorium, & jurisdictionem quasi Episcopalem habeant.

Sententia Tamburini quâ asserit, privilegium de quo agitur, dare Privilegio donatis potestatem faciendi aut approbandi Confessarios, est magis consentanea veteri Disciplinæ, quæ vigebat Sæculo XIII. in quo hoc Privilegium concessum fuit; nam tunc licentia sibi Confessorem eligendi includebat approbationem omnis Sacerdotis ad hoc eligendi; undè Textus, à quo depromitur hoc Privilegium datum, mandat, ut eligantur personæ qualitatibus requisitis instructæ, quæ dignè & prudenter se gerant in audiendis Confessionibus; quod non fuisset necessarium, si hoc Privilegium restrictum fuisset ad Confessores approbatos; nam præsumptio valuisset in unoquoque illorum Confessariorum, præsertim eo tempore in quo numerus illorum perpaucus erat. *Cap.* 2. *De Pœnit. in* 6°. hanc sententiam corroborat; nam ex eo intelligitur, quod cùm daret Episcopus alicui licentiam sibi Confessorem eligendi, hoc modo approbabat illum qui eligeretur, cùm dicit hanc illius Confessarii facultatem ad casus reservatos non extendi; nam Commissiones generales non includunt potestates, quæ requirunt Commissionem & Deputationem specialem, cùm in Commissione generali non veniant ea, quæ quis non esset in specie verisimiliter concessurus.

Eadem sententia adhuc confirmatur à Canonibus ejusdem Sæculi & sequentium Sæculorum, quibus licitum est Sacerdotibus, qui pro necessitate aut pietate confiteri peccata vellent ante Celebrationem Missæ, ut adirent omnem qui occurreret Sacerdotem: Collecti sunt à *Patre* Thomass. *Part.* 4. Lib. I. *Cap.* 69. Idem Autor cùm retulisset n. 2. *Ibid.* multa exempla Licentiarum sibi eligendi Confessores, à summis Pontificibus, in gratiam Principum concessarum, & ab Episcopis in aliorum favorem, ex iis concludit, tanquàm ex Canonibus allatis, similes facultates includere approbationem Confessorum eligendorum; hoc modo loquitur post comparatam Veterem Disciplinam quæ pro parvo Confessorum numero tenebatur concedere tales Licentias, cum Novâ, quæ benemultos constituit. *Hac agendi ratio non est fortasse minùs tuta, quàm cùm per Privilegium Papæ aut Episcoporum poterant eligi Confessarii, qui nondum erant, prout verisimile esse potest, approbati, & ut multi Theologi sentiunt.* Quod addit debet restringi ad Privilegia non inserta in Corpore Juris; itaque *Concilium* Trid. hæc omnia Privilegia sapientissimè revocavit; nam suprà probatum est Privilegium de quo agitur, non fuisse revocatum, quia revocatio ejusdem fieri debebat clausulâ expressâ, & Concilium de eo non expressè loquitur.

Sententia Fagnani congruit aptiùs cum Disciplinâ recèns constituta à *Concilio* Trid. *Cap.* 15. Sess. XXIII. quâ prohibetur ne quis Sacerdos audiat Confessiones, nisi approbetur jure per suum Beneficium, vel ab Episcopo per approbationem ad hoc expressam; ex eo enim sequitur Abbates, necnon Episcopos, & Cardinales, non posse per suum Privilegium eligere sibi alios Confessores in Diœcesibus alienis, quàm eos qui in illis approbati sunt uno ex illis duobus modis.

Tamburinus sibi facit Objectionem desumptam ex clausulaBullarum Jubilei, quæ restringit ad Confessores approbatos ab Ordinario, facultatem quam tribuunt eligendi Confessarios; & Respondet illam continere exceptionem Regulæ Juris Communis, & illam debere diligenter observari, quia Bullæ sunt stricti juris. Fagnani principium ex illa facit, quo debent interpretari prædictum Privilegium, quia contendit facultatem quæ tribuitur à Jubileis, dari ad exemplum Licentiæ datæ ab isto Privilegio; sed non illud probat; locus est etiam credendi quod si illa quæ spectat ad Jubileos, expressè terminetur ad Confessarios approbatos, illud evenit, ne longiùs extenderetur interpretando illam per illud Privilegium quod

quod est absolutum; & quemadmodum mox ostendimus, illud relinquere libertatem eligendi Sacerdotes non approbatos, qui tales fiebant per delectum & voluntatem concedentis; hæc limitatio est verisimiliter posterior Concilio & Declarationi Cardinalium, & propterea confirmativa hujus interpretationis; itaque permissio Jubilæorum non potest haberi prout Regula interpretationis, quoad facultatem privilegii dati juxta veterem Disciplinam.

Secundùm TAMBURINUM, privilegium tribuens potestatem sibi eligendi Confessorem, dat potestatem aliquem faciendi, & ad hoc illum approbandi, *quia*, inquit, *electio dat Jurisdictionem fori interioris, aut Pœnitentiæ.* FAGNANUS meritò contendit *n.* 53. hoc ratiocinium esse puram petitionem principii; nam in Quæstione est an hoc privilegio detur privilegiato potestas approbandi Confessarium propter suas necessitates, & deciditur hanc ab illo licentiam tribui, quia dat potestatem eligendi Confessorem, & idem est Confessorem eligere ac approbare.

Quod dictum est Doctrinam TAMBURINI quoad potestatem Abbatum localium, spectantem ad delectum Confessorum, & approbationem hoc delectu, suam habere applicationem in Episcopis ratione ejusdem optionis, debet restringi ad casus in quibus eligunt Religiosos Jurisdictioni suæ subjectos; & verum est illud quod dictum est; nam cùm Episcopi eligunt Sacerdotes suæ Diœcesis in Confessores, hoc delectu illos approbant, & idem possunt facere extra suas Diœceses, quemadmodùm hi Prælati extra Monasterium suum; sed si illud extendatur ad delectum aliorum Religiosorum, applicatio non esset justa, quia nullos possunt approbare præter suos proprios Diœcesanos, & si in sua Diœcesi peregrinos approbent, illud fit tantùm, quia fiunt eorum Diœcesani sua habitatione in eadem Diœcesi. Si qui Prælati locales, ut supponit TAMBURINUS, possint eligere Religiosos, in Confessores, qui sibi non sunt subjecti, & qui non sunt ab Ordinario locorum approbati, non illud fit per privilegium de quo agitur, quod non potest esse majus ratione illorum, quàm ratione Episcoporum qui hac potestate carent, cùm sint infra illos; sed solùm illud accidit per Constitutiones Ordinis, aut per facultatem Superiorum Majorum, qui hanc ipsis facultatem concedunt: Non examinatur an operæ pretium sit ut arrogentur Prælatis Localibus prærogativæ Episcopis denegatæ, hæc cura relinquitur ei ad quem pertinet.

SECTIO V.

Canones notandi de Officio Clericorum erga Episcopum quoad Confessiones, extra Corpus Juris deprompti, & docentes multà illorum interesse, ut ab illo interiùs cognoscantur, sive ad Sacros Ordines recipiendos, sive ad Ministeria Sacra suscipienda, utpote à Deo præposito ut ad utrumque illos vocet & applicet pro cujusque merito, animique dotibus.

I. Constituimus ut in anno vel binas vices Clerus noster Confessiones suas ad suum Episcopum purè faciat; una vice initio Quadragesimæ ante Pascha, alia vice à medio mense Augusto usque Kalendas Novembris. Cui necesse fuerit alio tempore suam Confessionem, ad Episcopum, vel ad alium Sacerdotem cui Episcopus decreverit, facere, quandocumque voluerit, & opus habet, faciat. *Regul. Crodeg.* Cap. 14. Obiit sub Pipino.

II. Si ullus de Clero vult suum Episcopum abscondere scelera sua, quia timet ut removeat eum Episcopus de gradu, & si adhuc in gradu non est, non accedat ad gradum, vel à Corpore Domini removeat, & si Episcopo id probatum fuerit, corporalem Disciplinam vel carcerem patiatur, vel aliud quod Episcopo visum fuerit, juxta modum culpæ, ut cæteri metum habeant, & in tale scelus non cadant. *Ibid.*

III. Præcipitur quod Sacerdotes Episcopo & Pœnitentiariis suis, saltem semel in anno confiteantur. Permittat Episcopus quod possint infirmi, quoties voluerint, aliis Sacerdotibus confiteri; Clerici autem antequàm Ordines accipiant, Pœnitentiariis discretis confiteantur, ne fortè pro simplicitate Confessoris irretiti, irregulariter ordinentur. *Ex Syn.* GALON. *&* SIMONIS *Legat.* INNOC. III. *vel* HONORII.

SECTIO VI.

Notabiliores Canones, aliundè quàm ex Corpore Juris desumpti, circa Quadragesimalem Confessionem, præcipuè docentes per 14. *priora Sæcula, ut & posteà, Gallos ad illam obligatos fuisse, sub variis pœnis hic enunciatis.*

I. Nemo tempore Quadragesimæ Pœnitentium Confessiones audiat præter Pastorem; hujus enim interest ovem recognoscere pro qua suam animam fœnerat Domino. *Cap.* 8. *Stat. Ecclesiæ* REM. per SONNATIUM Sæculo VII.

II. Hebdomada una ante initium Quadragesimæ, Confessiones Sacerdotibus dandæ sunt, Pœnitentia accipienda, discordantes reconciliandi, & jurgia omnia sedanda, & dimittere debent debita invicem de cordibus suis, & sic ingredientes in Beatæ Quadragesimæ tempus, mundis & purificatis mentibus ad Sanctum Pascha accedant, & per Pœnitentiam se renovent, qui est secundus Baptismus. THEODULF. AURELIAN. *n.* 36. CONC. TOM. VII. Sæculo VIII.

III. Si aliquis ad Confessionem non veniat, vel una vice in anno, id est in capite Quadragesimæ, & Pœnitentiam pro peccatis suis suscipiat *n.* 65. formulæ inquisitionis à visitante Parochiam faciendæ: Ea autem formula jamjam extabat Sæculo IX.

IV. Cùm Parochiani tempore Quadragesimali ad Confessionem veniunt, ab unoquoque Symbolum & Orationem Dominicam sibi decantare faciat. RAGIN. LIB. I. *Can.* 272. *Ex Conc.* RHEM. *Tit.* 20.

V. Frequenter Presbyteri moneant ad Confessionem, & præcipuè ab initio Quadragesimæ instanter præcipiant venire generaliter ad Confessionem. ODO PARIS. *in Syn.* versùs *ann.* 1200.

VI. Presbyteri Parochianos suos moneant, & frequenter in Ecclesiis suis denuncient, quod omnes saltem Patres-familias, & Matres ad Confessionem veniant ante Pascha floridum, & qui in hoc negligentes fuerint, in pœnam usque post Octavas Paschæ ad Confessionem non admittantur, sed usque ad illud tempus à carnibus jejunabunt, sicut in Quadragesima. WILLAM. PARIS. *in Syn.* circa *ann.* 1220.

VII. Moneantur Laïci statim in principio Quadragesimæ confiteri, *Constitut.* S. EDMUND, *Arch. Cantur. ann.* 1336.

VIII. Ut devoti Christiani præcipuè in Capite jejunii inducantur ad confitendum peccata sua, ut eorum jejunia & alia onera sint fructuosa, omnibus & singulis illa die vel aliquo trium dierum sequentium verè Pœnitentibus & Confessis, de injunctis sibi Pœnitentiis 30. dies in Domino relaxamus, & præcipimus, ut Dominica in Quinquagesima dictæ Indulgentiæ denuntientur. JOAN. LESGUISIER. *Episc. Trec. in Syn. ann.* 1427. *Syn.* SENON. *ann.* 1524. *Syn.* CARNOT. *ann.* 1526.

IX. Quia communiter in hebdomada magna, tanta confluit volentium confiteri multitudo, quod omnes commodè, vel ut expeditet, audiri non possunt, districtè

præci-

præcipimus, ut singulis Dominicis Quadragesimæ, Curati inducant suos Parochianos, ut ante hebdomadam prædictam, veniant ad confitendum peccata sua, maximè si in principio Quadragesimæ non fuerint confessi. *Ead. Syn.* Trec.

X. Per quindecim dies ante Pascha singulis diebus, etiam non feriatis, Curatus per duas aut tres vices in die, tàm mane quàm post meridiem, se disponat, & sit in Ecclesia sua ad audiendum Confessiones, & campanam unam faciat pulsari, sicut pulsatur pro elevatione Corporis Christi, ad hoc ut fiat signum Parochianis quod Sacerdos est in Ecclesia paratus pro Confessionibus audiendis, & quod veniant qui voluerint confiteri. *Syn.* Ling. *ann.* 1404.

XI. Feria quarta ante Quadragesimam, plebem ad Confessionem invitate, & ei juxta qualitatem delicti Pœnitentiam injungite, non ex corde vestro, sed sicut in Pœnitentiali scriptum est. Admonitio Synodi antiqua à Diacono post Evangelium legenda Episcopn &c.

XII. Qui curam animarum habent, veram confitendi rationem populo suo exponant, præsertim tempore Quadragesimæ, & ab initio Quadragesimæ Confessiones incipiant audire. *Conc.* Bituric. *ann.* 1584. *Statut. Synod. Eccles.* Trec.

XIII. Presbyteri Laïcos & alios Parochianos suos venire moneant ad Confessionem, & præcipuè à principio Quadragesimæ, quia jejunium, & Eleemosyna facta ab illo qui est in peccato mortali, parùm prodest. *Statut. Synod. Eccles.* Rhem. *&* Trecens.

XIV. Omnes Sacerdotes animarum curam habentes, de bonis Ecclesiarum emant Chartularia, in quibus quolibet anno, saltem in Quadragesima, conscribant nomina Parochianorum, qui ad Pœnitentiam venerunt; & dicta Chartularia teneant & custodiant diligenter, ipsa, quando ab Ecclesia recesserint, penes Ecclesiam dimittant; nomina eorum, qui non fuerint in Quadragesima confessi proprio Sacerdoti, vel alii de licentia ipsius, ad Episcopum deferantur. *Conc.* Arelat. *Canon.* 19.

SECTIO VI.

An Concilium Tridentinum aliquid definierit circà insufficientiam attritionis ad Reconciliationem peccatoris in Sacramento, ac circa necessitatem satisfaciendi ante Absolutionem?

Launoius Tom. I. utramque Quæstionem ex professo discutit; Priorem, *pag.* 143. eamque divisam in duas partes ostendit, 1°. Concilium neutri parti præjudicium fecisse, idque per octo Capita. 2°. Hanc Scholarum libertati, cui suberat anteà, omnino reliquisse; sed si illam definiendam duxisset in favorem sententiæ illorum qui affirmant attritionem sufficere, definiturum fuisse; quod posteà variis Observationibus confirmat.

Posteriorem tractandam suscipit *pag.* 808. eamque, discussam per tredecim Capita, indefinitam dimissam declarat, adjiciens Concilium propendisse in satisfactionem Absolutioni præviam, ex eo potissimùm quod, cùm sit partim medicinale, præparat animam ad curationem quam Absolutio operari solet in Pœnitente benè disposito.

Cur autem Concilium à definiendis prædictis Quæstionibus abstinuerit, indubitatum est id factum ex justa causa quæ est vel necessitas vel utilitas animarum, ex variis circumstantiis proveniens, quorum omnium & singulorum expositio à Launoio laudato petenda est, illa minutatim tractante. Satius est adire Auctorem, quàm compendium illius legere; itaque sitientibus fontem indicavisse sat erit. Non absimilis est apud eumdem Launoium Tom. I. expositio celeberrimi Canonis: *Omnis utriusque sexûs*, In illo *Tom. III. Tract. De Sacramentis*, enim inquirit quæ sit mens *Concilii* Lateranensis IV. quod illud condidit; historica est sicut prædicta laudatæ, producitutque ab anno 1215. ad annum 1660. Accedunt amplissimæ observationes quibus illustratur ac confirmatur. Incipit *pag.* 144. finitque *pag.* 441.

TITULUS VIII.

De Sacramento Extremæ-Unctionis.

SECTIO I.

Quid sit Sacramentum Extremæ-Unctionis? A quo institutum? Quæ ejus materia? Quæ forma?

I. Sacramentum Extremæ-Unctionis non modò Pœnitentiæ, sed etiam totius Christianæ vitæ, quæ perpetua Pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est à Patribus. *Conc* Trid. Sess. XIV. *De Sacramento Extremæ-Unctionis, in Proœmio. init. Synodus* Regiaticina. *ann.* 850. Cap. 8. Tom. VIII *Conc. p* 64. *Conc.* Vormat. *ann* 868. *Can.* 72. Tom. VIII. Conc. *p.* 958. *Constitutiones* Riculphi *Suession Episcopi. an.* 889. Cap. 10. Tom. IX. Conc. *p.* 419.

II. Sacra infirmorum Unctio confert gratiam, remittit peccata, & alleviat infirmos. *Ibid. De Sacramento Extremæ-Unctionis. Canone* 20.

III. Instituta est Sacra hæc Unctio infirmorum, tanquàm verè & propriè Sacramentum Novi Testamenti à Christo Domino Nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini Fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini; & Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccati. sit, dimittentur ei. Concilium* Tridentinum. *De Sacramento Extr. Unct* Cap. 1.

IV. Nulla ratione audiendi sunt qui contra tàm apertam & dilucidam Apostoli Jacobi sententiam, docent hanc Unctinnem vel figmentum esse humanum, vel ritum a Patribus acceptum, nec mandata Dei, nec promissionem gratiæ habentem. *Ibid.* Cap. 3. *med.*

V. Si quis dixerit Extremàm-Unctionem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino Nostro institutum, & à Beato Jacobo Apostolo promulgatum, Anathema sit. *Ibid. Canone* 1.

VI. His Jacobi verbis, ut ex Apostolica traditione per manus accepta, Ecclesia didicit, intellexit, materiam hujus salutaris Sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum. *Ibid.* Cap. 1. *fin.*

VII. Intellexit etiam ejusdem Sacramenti formam esse illa verba: *Per istam Unctionem &c. Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per visum v. gr. Ibid. fin.*

VIII. Unctio aptissimè Spiritûs Sancti gratiam, qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat. *Ibid. fin.*

IX. Oleum non consecratum consecrato potest oleo commisceri. *De Consecratione Ecclesiæ.* Cap. *Quod in dubiis.* §. 2. Lib. III. Decrat. *Tit.* 40. Cap. 3.

X. Secundùm Beati Apostoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicitur, à Presbyteris ungi debent. *Concil.* Cabillon. II. *ann* 813. *Can.* 48. Tom. VII Conc. *p.* 1283. *Concil.* Aquisgran. II. *ann.* 836. Cap. 2, *Can.* 8. Tom. VII. Conc. *p.* 1708.

SECTIO II.

Qui propriè ministrare debeant Sacramentum Extremæ-Unctionis, & quomodo?

I. Qui ministrare hoc Sacramentum debeant, haud obscurè fuit in verbis prædictis Apostoli Jacobi traditum. *Concil.* Trid. Sess. XIV. Decr. *De Sacramento Extremæ Unctionis.* Cap. 3.

II. Ostenditur illic proprios hujus Sacramenti Ministros esse Ecclesiæ Presbyteros. *Ibid.* Ut secundùm definitionem Sanctorum Patrum, si quis infirmatur à Sacerdotibus, Oleo sanctificato, cum Orationibus diligenter ungatur. *Excerptiones* Egberti. Cap. 21. Tom. VI. Conc. *p.* 1588.

III. Hoc nomine, eo loco, non ætate seniores, aut Primores in populo, intelligendi veniunt. *Ibid.*

IV. Intelligendi sunt aut Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis ritè ordinati per impositionem manuum Presbyterii. *Ibid.*

V. Si quis dixerit proprium Extremæ Unctionis Ministrum non esse solum Sacerdotem, Anathema sit. *Ibid. Canone* 4. *fin.*

VI. Illud superfluum ut de Episcopo ambigatur; quod Presbyteris licere non dubium est: nam idcircò de Presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt: Cæterùm si Episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem à se visitandum, & benedicere, & tangere Chrismate, sine cunctatione potest. Dist. XCV. Cap. 3. *Illud. init.*

VII. Religiosi qui Clericis aut Laicis Sacramentum Unctionis Extremæ ministrare, non habita Parochialis Presbyteri licentia speciali, præsumpserint, Excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, per Sedem Apostolicam duntaxat absolvendi. Clementin. Religiosi. *De Privilegiis. init.* Clement. Lib. V. *Tit.* 7. Cap. 1.

VIII. Rectorum seu Sacerdotum est Parochialium Ecclesiarum ministrare Extremæ Unctionis Sacramentum. *Extravaganti Inter cunctas. §. Sed quia fin.* Extravag. Commun. Lib. V. *Tit. De Privilegiis Cap.* 1. Colligitur.

IX. Sacerdos uno præsente Clerico, & etiam solus, potest infirmum ungere. *De verborum significatione.* Cap. *Quæsivit.* Lib. V. Decr. *Tit.* 40. Cap. 14.

X. Ritus & usus quem Sancta Romana Ecclesia in hujus Sacramenti Administratione observat, Jacobi Apostoli sententiæ non repugnat, atque ideò in alium commutandus non est. *Concil.* Trid. *Continuatione.* Sess. 14. Cap. 3. & *Canone* 3.

XI. Ecclesia Romana aliud in hac administranda Unctione, quantùm ad ea quæ hujus Sacramenti substantiam perficiunt, non observat, quàm quod B. Jacobus præscripsit. *Concil.* Trid. *Continuatione* Sess. XIV. Cap. 3. *fin.*

SECTIO III.

Qui suscipere debeant hoc Sacramentum, & quo tempore?

I. Declaratur ex verbis Apostoli Jacobi esse hanc Unctionem infirmis adhibendam. *Concil.* Trid. Sess. XXV. *De Sacramento Extr. Unct.* Cap. 3. *post init.*

II. Illis verò præsertim qui tàm periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur; Undè & Sacramentum exeuntium nuncupatur. *Ibidem.*

III. Scilicet Clementissimus Redemptor Noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis, adversùs omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodùm auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dùm viverent, ab omni graviore Spiritûs incommodo possint, ita Extremæ Unctionis Sacramento finem vitæ, tanquàm firmissimo quodam præsidio, munivit. *Concil.* Tridenti *Ibid.* Cap. 1.

IV. Etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat & captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit; nullum tamen tempus est quo vehementiùs ille omnes versutiæ suæ nervos intendat ad perdendos nos penitùs, & à fiducia etiam, si possit, Divinæ misericordiæ deturbandos, quàm cùm impendere nobis exitum vitæ prospicit. *Ibid. fin.*

V. Non Pœnitentibus istud Chrisma infundi non potest, quia genus est Sacramenti; nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodò unum genus putatur posse concedi? Distinct. XCV. Cap. 3. *Illud. fin.*

Vide Notam Correctionis Romanæ, quæ docet detrahendam esse particulam *Non.* Orationis sensus id poscit, si de Pœnitentibus publicis Canon intelligatur, ut intelligi solet: sed sic intellectus erroneus videtur; nam illis Pœnitentibus in fine vitæ Viaticum præbendum erat. *Can.* 12. Nicæn. relato Caus. XXVI. Quæst. VI. *Cap.* 9.

VI. Infirmi in periculo mortis positi, orationibus & consolationibus Ecclesiasticis, Sacra Unctione olei inuncti, secundùm Statuta Sanctorum Patrum, Communione Viatici reficiantur. Caus. XXVI. Quæst. VII. Cap. 1. *Ab infirmis. fin.*

VII. Curent Parochus & Parentes ut infirmi adhuc mentis sanæ tantùm Sacramentum sumant, cum omni in Deum fiducia, & omnium terrenarum rerum abjecta curâ. *Constitut.* Meldo. *Tit.* 14.

SECTIO IV.

Quis sit effectus Sacramenti Extremæ-Unctionis? An necessarium sit, & repeti possit?

I. Res & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur; *Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, dimittentur ei. Concil.* Trid. *Continuatione* Sess. XXV. Cap. 2. *init.*

II. Res hæc, gratia est Spiritûs Sancti, cujus Unctio delicta, si quæ sint adhuc, expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo Divinæ misericordiæ fiduciam excitando. *Ibidem.*

III. Hac gratia infirmus sublevatus, & morbi incommoda ac labores leviùs fert; & tentationibus Dæmonis insidiantis faciliùs resistit; & sanitatem Corporis interdùm, ubi saluti animæ expedierit, consequitur. *Ibid. fin.*

IV. Presbyteros Ecclesiæ B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur. *Concil.* Trid. *Ibid. Canone* 4. *init.*

V. Qui hanc Extremam Unctionem à fidelibus sine peccato contemni posse affirmant, manifestissimè pugnant cum perspicuis Apostoli Jacobi verbis. *Ibid.* Cap. 3. *med.*

VI. Neque verò tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere, & ipsius Spiritûs Sancti injuria esse posset. *Ibid. fin.*

VII. Quòd si infirmi post susceptam hanc Unctionem convaluerint, iterùm hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cùm in aliud simile vitæ discrimen inciderint. *Ibid.* Cap. 3. *med.*

VIII. Non est parvi pendenda hujuscemodi medicina, quæ animæ corporisque medetur languoribus. *Concil.* Cabillon. II. *ann.* 813. *Can.* 48. *fin.* Tom. VII. *p.* 1283.

IX. Hoc Sacramentum, ut Sacramentum Confirmationis, contemnere videtur, qui, cùm possit commodè, recipere illud negligit; utrumque est aliùs Sacramenti complementum; Confirmatio Baptismi; Extrema Unctio Pœnitentiæ. Hæ Observationes eruuntur ex dictis circa Baptismum, Confirmationem, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem,

Col-

Collecti hactenùs Canones abundè docent Sacramenti Extremæ-Unctionis naturam, seu materiam & formam, institutionem, Ministrum, susceptores, istorumque dispositiones, effectus, præceptum, hodiernamque praxim. Veteres verò usus, illorum varietatem, mutationes circa singula notata Capita, uno verbo illius historiam, habes in Launoio Tom. I. *Prima Parte à p. 444. usque ad finem illius.*

TITULUS IX.

De Sacramento Ordinis.

SECTIO I.

An sit, & quid sit Sacramentum Ordinis?

ADducti suprà Canones circa præcedentia Sacramenta, quibus probatur illa esse verè Sacramenta, illorumque Administrationem spectare ad Sacerdotes, ostendunt itidem Ordinem esse Sacramentum, cùm potestas quâ cætera Sacramenta conficiuntur, suosque effectus operantur, ab alio quàm à Deo accipi nequeat.

I. Sacrificium & Sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni Lege extiterit. *Concil.* Trid. Sess. XXIII. Cap. 1. *De Institutione Sacerdotii Novæ Legis.*

II. Cùm in Novo Testamento, Sanctum Eucharistiæ Sacrificium visibile, ex Domini Institutione, Catholica Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet in ea novum esse visibile & externum Sacerdotium, in quod vetus translatum est. *Ibid.*

III. Sacerdotium ab eodem Domino Salvatore Nostro institutum esse, atque Apostolis, eorumque Successoribus in Sacerdotio, potestatem traditam consecrandi, offerendi, & ministrandi Corpus & Sanguinem ejus, necnon & peccata dimittendj, & retinendi, Sacræ Literæ ostendunt, & Catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit. *Ibid.*

IV. Scripturæ testimonio, Apostolica traditione, & Patrum unanimi consensu, perspicuum est, per Sacram Ordinationem gratiam conferri; inquit enim Apostolus: *Admoneo te, ut ressuscites gratiam Dei quæ est in te, per impositionem manuum mearum; non enim dedit nobis Deus Spiritum timoris, sed virtutis & sobrietatis.* Ibid. *Cap. 3.*

V. Dubitare nemo debet Ordinem esse verè & propriè unum ex septem Sanctæ Ecclesiæ Sacramentis. *Ibid. med.*

VI. Ordo, sive Sacra Ordinatio, est verè & propriè Sacramentum, à Christo Domino institutum, per quod Spiritus Sanctus datur ad Sacra Ministeria exercenda. *Ibid. Can.* 3. 4.

VII. Si quis dixerit per Sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proindè frustrà Episcopos dicere: *Accipe Spiritum Sanctum*, Anathema sit. *Ibid. Canone 4.*

VIII. Sacra Ordinatio verbis & signis exterioribus perficitur. *Ibid.* Cap. 3.

SECTIO II.

Quid sit Sacerdotium? A quo, & quando institutum? & per quos Ordines ad illud ascenditur?

I. Si quis dixerit Sacerdotium esse Officium tantùm, & nudum Ministerium prædicandi Evangelium, Anathema sit. *Concil.* Trid. Sess. XXIII. *Canone 1. De Sacramento Ordinis.*

II. Si quis dixerit Sacerdotium non esse potestatem aliquam consecrandi & offerendi verum Corpus & Sanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi, Anathema sit. *Ibid.*

III. Deus & Dominus Noster Jesus Christus Sacerdotem secundùm Ordinem Melchisedec se in æternum constitutum declarans, Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, & Apostolos tunc Novi Testamenti Sacerdotes constituit. *Concil.* Trid. Sess. XXII. *De Sacrificio Missæ.* Cap. 1.

IV. Si quis dixerit illis verbis, *Hoc facite in meam Commemorationem*, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, Anathema sit. *Ibid. Can.* 2.

V. Cum Divina res sit tàm Sancti Sacerdotii Ministerium, consentaneum fuit, quò digniùs & majori cùm veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinaria dispositione, plures & diversi essent Ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex Officio deservirent, ita distributi, ut qui jam Clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. *Concil.* Trid. Sess. XXIII. Cap. 2.

VI. Si quis dixerit, præter Sacerdotium, non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, & majores & minores, per quos, velut per gradus quosdam, in Sacerdotium tendatur, Anathema sit. *Ibid. Canone.* 2.

VII. Clericorum gradus & nomina sunt hæc, Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Episcopus. Dist. XXI. Cap. 1°. *Cleros. Init.*

VIII. Non solùm de Sacerdotibus, sed & de Diaconis, Sacræ Literæ apertam mentionem faciunt; & quæ maximè in illorum Ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent. *Concil.* Trid. Sess. XXIII. Cap. 2.

IX. Ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria Ministeria, Subdiaconi seu Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. *Ibid.*

X. Ostiarii, Lectores, Exorcistæ, vel Acolyti, minores Ordines censentur. *De temporibus Ordinat.* Cap. *De eo.* Lib. I. Decr. *Tit.* 11. Cap. 3. *init.*

SECTIO III.

Quid sint singuli illi Ecclesiæ Ordines?

I. Sacerdos nomen habet compositum ex Græco & Latino, quasi Sacrum dans; sicut enim Rex à regendo, ita Sacerdos à sacrificando vocatus est; consecrat enim & sactificat. Dist. XXI. Cap. 1. *§. 6. Sacerdos.*

II. Presbyter Græcè & Latinè senior interpretatur, non modò pro ætate vel decrepita senectute, sed etiam propter honorem & dignitatem quam acceperunt, Presbyteri nominantur; ideò autem & Presbyteri Sacerdotes vocantur, quia Sacrum dant. *Ibid. §. Presbyter.*

III. Levitæ ex nomine Aurhotis, de *Levi* exorti; Græcè Diaconi, Latinè Ministri dicuntur, quia sicut in Sacerdote Consecratio, ita in Diacono Ministerii Dispensatio habetur. *Ibid. §. Levitæ.*

IV. Hypodiacones Græcè, quos nos Subdiaconos dicimus, ideò sic appellantur, quia subjacent præceptis & Officiis Levitarum. *Ibidem. §. Hypod.* Lectores à legendo. *Ibid.*

V. Acolythi Græcè, Latinè Ceroferarii dicuntur, à deportandis cereis, quandò legendum est Evangelium, aut Sacrificium offerendum. *Ibidem. §. Acolythi.*

VI. Exorcistæ ex Græco in Latinum Adjurantes sive Increpantes vocantur; invocant enim super Catechumenos, vel super eos qui habent Spiritum immundum, nomen Domini Jasu, adjurantes per eum ut egrediatur ab eis. *Ibid. §. Exorcista.*

VII. Ostiarii, iidem & Janitores ita dicti, quod

 præsint

præſint oſtiis templi; ipſi enim tenentes clavem, omnia intùs extràque cuſtodiunt, atque inter bonos & malos habentes judicium, fideles recipiunt, & reſpuunt infideles. *Ibid.* §. *ult.*

VIII. Subdiaconatus in ſtatu primitivæ Eccleſiæ, Sacer Ordo minimè dicebatur. *De ætate & qualitate &c.* Cap. *A multis* §. 2. *in quibus.* LIB. I. DECR. *Tit.* 14. *Cap.* 9. Hodiè Subdiaconatus inter Sacros Ordines computatur. *Ibid.* §. 3. *Verùm, Ex* INNOCANTIO III.

IX. Subdiaconatus ad Majores Ordines à Patribus & Sacris Conciliis refertur, in quibus & de aliis inferioribus frequentiſſimè legimus *Concil.* TRID. SESS. XXIII. *Cap.* 2. *fin.* Subdiaconatus licet Sacer Ordo non reputaretur in Eccleſiâ primitivâ; tamen à Conſtitutione GREGORII, atque URBANI, ſecundùm moderna tempora, Sacer gradus eſſe minimè dubitatur. *De ſervis non ordinandis.* Cap. *Miramur.* §. *De ſubdiaconali. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 18. Cap. 7. *ex* INNOCANTIO. III.

X. Subdiaconi dicuntur Sacer Ordo, quia & ipſi Altaribus miniſtrant. DISTINCT. LX. *Cap.* 4. *Nullus. med.* GRATIANUS *in Præfat.* DISTINCT XXI. *fin.* (*Subdiaconos & Acolythos procedente tempore, Eccleſia ſibi conſtituit.*) Conſtitutio GREGORII habetur DISTINCT. XXXI. Cap. 1. *Ante triennium.* §. *ult. Eos autem*; ubi appellat Subdiaconatum *Sacrum Ordinem.* Conſtitutio URBANI II. habetur DISTINCT. XXXII. Cap. 11. *Erubeſcant* (*eos qui in Sacris.*) Ex URBANO I. citatur Canon, *Nullus*, qui habetur DISTINCT. LX. *Cap.* 4 (*Sacros autem Ordines dicimus, Diaconatum, & Presbyteratum: Hos ſiquidem ſolos primitiva legitur habuiſſe Eccleſia*)

XI. De Subdiaconali Ordine, quia videtur nobis quod de eo non ſit mentio in Patrum Statutis expreſsè, & is cum Diaconali gradu privilegio gaudet eodem. *De ſervis non ordinandis.* Cap. *Miramur.* §. *De Subdiaconali.* LIB. I. DECR. *Tit.* 28. *Cap.* 7.

SECTIO IV.

Quæ ſit materia, quæ forma ſingulorum illorum Ordinum? Qui ritus in illis conferendis obſervari debeat?

I. Presbyter & Diaconus cùm ordinantur, manûs impoſitionem tactu corporali, ritu ab Apoſtolis introducto, recipiunt. *De Sacramentis non iterandis.* Cap. *Presbyter. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 16. *Cap.* 3.

II. Presbyter cùm ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præſentes ſunt, manus ſuas juxta manum Epiſcopi, ſuper caput illius teneant. DISTINCT. XXIII. *Cap.* 8. *Presbyter. init.* Vide *Concil.* AQUISGRANENSE *ann.* 816. TOM. VII. CONC. *p.* 1313.

III. Suſpenſio manuum debet fieri, cùm oratio ſuper caput effunditur ordinandi. *De Sacramentis non iterandis.* Cap. *Presbyter. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 16. *Cap.* 3.

IV. Diaconus dùm ordinatur, ſolus Epiſcopus qui eum benedicit, manum ſuper caput illius ponat; quia non ad Sacerdotium, ſed ad Miniſterium conſecratur. DISTINCT XXIII. *Cap.* 11. *Diaconus.*

V. Si quis dixerit Sacram Unctionem, qua Eccleſia in Sanctâ Ordinatione utitur, non tantùm non requiri, ſed contemnendam & pernicioſam eſſe, ſimiliter & alias Ordinis Ceremonias, Anathema ſit. *Concil.* TRID. SESS. XXIII. *Canone* 5.

VI. In Sanctâ Romanâ Eccleſia, neque Presbyteris, neque Diaconis debent cùm ordinantur manus Chriſmatis liquore perungi, ſed & quia ſit à novæ Legis Miniſtris actum, nuſquam legitur. DISTINCT. XXIII. *Cap.* 12. *Prætereà. init* Manus Sacerdotis inunguntur oleo ſimplici ſeu Catechum. *Ibid.* GLOSSA, verbo, *Chriſmatis.* NICOLAUS I. RADULPHO *Archiepiſcopo Bituricenſi* anno 864.

VII. Epiſcopus, dum conſecratur, cunctis Sacerdotibus ſigillatim dicit: *Conſecrentur & ſanctificentur Domine manus iſtæ &c.* CAUS. XVI. QUÆST. I. §. *Ecce ſufficienter. Gratianus poſt Caput* 40. *Generaliter.* Eadem Conſecratio eſt manuum Epiſcopi. *De Sacrâ Unctione* Cap. unico. §. *ad exhibendum. fin.* LIB. I. DECR. *Tit* 15. *Cap. unico.*

VIII. Subdiaconus cùm ordinatur, quia manûs impoſitionem non accipit, patenam de manu Epiſcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum; de manu verò Archidiaconi accipiat urceolum cum aquâ, manile, & manutergium. DISTINCT. XXIII. *Cap.* 15. *Subdiaconus.*

IX. Acolythus cùm ordinatur, ab Epiſcopo quidem doceatur qualiter in Officio ſuo agere debeat; ſed ab Archidiacono accipiat Ceroferarium cum Cereo, ut ſciat ſe ad accendenda Eccleſiæ Luminaria mancipati; accipiat & urceolum vacuum ad ſuggerendum vinum in Euchariſtiam ſanguinis CHRISTI. DISTINCT. XXIII. *Cap.* 16. *Acolythus.*

X. Exorciſta cùm ordinatur, accipiat de manu Epiſcopi libellum, in quo ſcripti ſunt Exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo; *Accipe & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenum, ſive Baptiſatum, ſive Catechumenum*, Ibid. *Cap.* 17. ex *Concil.* CARTHAG. IV. Vide *Concil.* AQUISGRAN. ann. 816. *Cap.* 4. TOM. VII. CONC. *p.* 1315.

XI. Lector cùm ordinatur, faciat de illo Epiſcopus verbum ad plebem, judicans ejus fidem, ac vitam, atque ingenium; poſt hæc, ſpectante plebe, tradat ei Codicem de quo lecturus eſt, dicens ad eum: *Accipe & eſto relator verbi Dei, habiturus, ſi fideliter & utiliter impleveris officium, partem cum eis qui verbum Dei miniſtraverint.* DISTINCT. XXIII. *Cap.* 18. *Lector.*

XII. Oſtiarius cùm ordinatur, poſtquàm ab Archidiacono inſtructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat converſari, ad ſuggeſtionem Archidiaconi tradat Epiſcopus claves Eccleſiæ, de Altario dicens: *Sic age quaſi redditurus Deo rationem pro his rebus quæ his clavibus recluduntur. Ibid. Cap.* 19. *Oſtiarius.*

XIII. Cùm ſcientia Juris Canonici ſit practica, ideò quæ dicta ſunt conferenda ſunt cum illis quæ in Pontificali Romano nunc uſitato, & notanda quæ ex veteri Ordinationis formâ retenta ſunt. Hinc colligetur quod materia & forma Minorum etiam nunc in uſu ſit, quamvis cæteri ritus diverſi ſint. Quoad Sacros Ordines plura addita vel mutata etiam ratione materiæ vel formæ.

SECTIO V.

Quid agendum ſit, cùm deprehenditur Presbyterum non fuiſſe baptizatum, vel aliquid omiſſum fuiſſe in collatione Ordinum?

I. Si quis in Presbyterum ordinatus deprehenderit ſe non eſſe baptizatum, baptizetur, & iterùm ordinetur. *De Presbytero non baptiſato.* Cap. *Veniens.* §. 2. *quia verò.* LIB. III. DECR. *Tit.* 43. *Cap.* 3. & *Cap.* 1. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 60.

II. In hoc dubitabili caſu, quod tutius eſt, ſequendum eſt; atque hujuſmodi per ſingulos Ordines uſque ad Sacerdotium promovendus eſt, & permittendus in Sacerdotio miniſtrare. *Ibid. Cap.* 3. *De Presbytero non baptiſato.*

III. Ante Baptiſmum Ordines non poſſunt ritè conferri, etiamſi aliqui baptiſati eſſe credantur. *Ibidem.* Colligitur, §. *Cumque. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 43. *Cap.* 3.

IV. In

IV. In Ordinibus conferendis non est aliquid iterandum, sed cautè supplendum quod incautè fuerat prætermissum. *De Sacramentis non iterandis.* Cap. *Pastoralis.* §. *ad quod. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 16. *Cap.* 1. Videsis *Consult.* 8. Tom. II. *De Sacr. ord.* Consult. Canonic. de Sacram. Tom. X. ubi fusè hic Canon, aliique similes explicantur.

V. Si in Ordinatione Presbyteri vel Diaconi, manûs impositio omissa fuerit, non est aliquatenùs iterandum, sed statuto tempore ad hujusmodi Ordines conferendos, cautè supplendum quod per errorem extitit prætermissum. *Ibidem. De Sacramentis non iterandis.* Cap. *Presbyter. med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 16. *Cap.* 3.

VI. Quorumdam Clericorum, dum unus ad Presbyterium, duo ad Levitarum Ministerium sacrarentur, Episcopus oculorum dolore detentus, fertur manum suam super eos imposuisse tantùm, & Presbyterum quemdam illis, contra Ecclesiasticum Ordinem, Benedictionem dedisse, hoc est Orationem super eos dixisse, ii gradum Sacerdotii vel Levitici Ordinis, quem perversè adepti sunt, amittant. Distinct. XXIII. *Cap.* 14. *Quorumdam.* Impropriè dicitur quis amittere quod invalidè recepit, cùm nihil receperit: Sensus est, quod non gaudeant, seu non exerceant quod non ritè acceperunt.

SECTIO VI.

Quæ sint officia singulorum Ordinum?

I. Sicut multa sunt membra corporis, omnia verò non eundem actum habent, ita multi sunt Ordines in Ecclesiâ, sed non omnes idem officium habent. *De Hæreticis.* Cap. *Cùm ex injuncto.* §. 2. *sicut. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 7. *Cap.* 12.

II. Ad Ostiarium pertinent claves Ecclesiæ, ut claudat & aperiat Templum Dei, & omnia quæ sunt intùs extraque custodiat, fideles recipiat, Excommunicatos & infideles repellat. Dist. XXV. Cap. 1. *Perlectis:* §. 1.

III. Ad Exorcistam pertinet Exorcismos memoriter retinere, manusque super Energumenos, & Catechumenos, in exorcizando imponere. *Ibidem* §. 2.

IV. Ad Acolythum pertinet præparatio Luminariorum in Sacrario; ipse Cereum portat, ipse Vasa suggesta pro Eucharistiâ, Calices Subdiaconis præparat. *Ibid.* §. 3.

V. Ad Lectorem pertinet Lectiones pronunciare, & ea quæ Prophetæ vaticinarunt, populis prædicare. *Ibid.* §. 5.

VI. Ad Subdiaconum pertinet Calicem, & patenam ad Altare Christi deferre, & Levitis tradere, üsque ministrare; urceolum quoque & aquam, manile & manutergium tenere, Episcopoque & Presbytero & Levitis, pro lavandis ante Altare manibus, aquam præbere. *Ibid.* §. 6. *Concil.* Bracar. II. ann. 563. *Cap.* 10. Tom. V. *Concil.* p. 841 Vide *Epistolam* Isidori Junioris *Hispalensis Episcopi ad* Laudafredum *Cordubensem* Tom. VI. *Concil. p.* 420.

VII. Ad Diaconum pertinet assistere Sacerdotibus, & ministrare in omnibus quæ aguntur in Sacramentis Christi in Baptismo, scil. in Chrismate, & patenâ, & Calice; oblationes quoque inferre, & disponere in Altario; componere etiam mensam Domini atque vestire; crucem ferre, & prædicare Evangelium & Apostolum. *Ibid.* §. 7.

VIII. Ad Presbyterum pertinet Sacramentum Corporis & sanguinis Domini in Altario Dei conficere, orationes dicere, & benedicere dona Dei. *Ibid.* Distinct. XXV. *Cap.* 1. *Perlectis.* §. 8.

IX. In sua Diaconi mensurâ permaneant, scientes quod Episcoporum quidem Ministri sunt, inferiores autem Presbyteris habentur. Distinct. XCIII. *Cap.* 14. *Pervenit. ex Concil.* Niceno *Cap.* 18. *ann.* 325.

X. Præsente Presbytero, Diaconus Eucharistiam corporis Christi, populo, si necessitas cogat, justus eroget. Dist. XCIII. *Cap.* 18. *ex Concil.* Carthagin. IV. *Cap.* 38. *ann.* 398.

Observatio.

XI. Etiamsi nonnulla sint ex iis Officiis, quæ jam seu per Laicos, seu per inferiores Clericos, aut etiam per Sacerdotes adimpleri soleant, non eo minùs tamen in rei veritate, etiam ex præsenti Ecclesiæ Gallicanæ Instituto, aut saltem Voto, ad dictos Ordines pertinent, atque eùm per eos geruntur, à propriis Ministris exerceri dicendum est.

XII. Ut Sanctorum Ordinum à Diaconatu ad Ostiariatum functiones ab Apostolorum temporibus in Ecclesiâ laudabiliter receptæ, & pluribus in locis aliquandiù intermissæ, in usum juxta Sacros Canones revocentur, nec ab Hæreticis tanquàm otiosæ traducantur, illius pristini moris restituendi desiderio flagrat Ecclesia. *Concil.* Trid. Sess. XXIII. *De Ref. Cap.* 17.

XIII. Omnes & singulos Prælatos Ecclesiarum in Domino hortatur, ut quantùm fieri commodè poterit, in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus suæ Diœcesis, si populus frequens, & Ecclesiæ proventus id ferre queant, hujusmodi functiones curent restituendas. *Concil.* Trid. Sess. XXIII. *De Ref. Cap.* 17.

XIV. Optat Ecclesia ut hujusmodi Ministeria non nisi per constitutos in dictis Ordinibus exerceantur. *Ibid.* Vide *Concil.* Arelat. IV. *Can* 1. & 2. *ann.* 524. Tom. IV. Conc. *p.* 1628. Conveniens non est, nec ratio, nec Disciplina patitur, ut temerè & leviter ordinetur aut Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus, qui neophytus est; maximè cùm & Magister Gentium Beatus Apostolus, ne hoc fieret denuntiasse & prohibuisse videatur; sed hi quorum per longum tempus examinata sit vita, & merita fuerint comprobata. *Concil.* Sardic. *Can.* 13. *vers. Dion.* Vide Dist. LXXVII. *Cap.* 8. & 9.

XV. Modis omnibus est amovenda hæc pernicies, ne per Christiani nominis institutum, aut aliena pervadi, aut publica videatur Disciplina subverti. Distinct. LIV. *Cap.* 12. *Generalis.* Gelasius I. *Epistolâ* 1. *Cap.* 16. *ann.* 494.

XVI. Irreligiosum est obligatos existere servituti, qui Sacri Ordinis suscipiunt dignitatem. *De servis.* Cap. *De famulis. in int. med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 18. *Cap.* 3.

XVII. Juxta Sacros Canones, vilis persona permanens, Sacerdotis dignitate fungi non potest. *De servis* Cap. *De servorum. in int. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 18. *Cap.* 2.

Cætera quæ ad hanc Sectionem pertinere possunt collecta habes in Sect. V. ubi in explicando natura cujusque Ordinis, illius officia etiam exponuntur.

SECTIO VII.

Quales esse debeant qui ad Ordines assumuntur?

I. In Ordinationibus Clericorum, illam Episcopus diligentiam debet adhibere, ut minùs idonei non ordinentur ab ipso. *De ætate & qualitate &c.* Cap. *Accepimus.* §. *licet. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 14. *Cap* 13.

II. Episcopus neque spurios neque servos ordinare debet. *De servis non ordinandis.* Cap. *Consuluit.* Lib. I. Decr. *Tit.* 18. *Cap.* 5. Vide *Append. Concil.* Later. *part.* 26. *Cap.* 19.

III. De servorum Ordinatione statutum est, ut nullus

nullus Episcoporum ad Sacros Ordines eos promovere præsumat, nisi priùs à Dominis suis libertatem consequantur. *Ibid.* Cap. *De servorum* LIB. I. DECR. *Tit.* 18. *Cap.* 2.

IV. Obligati ad ratiocinia, si post depositæ onera, & reddita ratiocinia, actus vitæ ipsorum fuerint comprobati in omnibus, debent ordinari. *De obligatis ad ratiocinia.* Cap. *Magnus.* LIB. I. DECR. *Tit.* 19. *Cap. unico.*

V. Sanctum & salutare Sacri Ordinis Sacramentum, ab ipso Domino & Salvatore Nostro J. CHRISTO institutum, Beatisque Apostolis, & eorum legitimis Successoribus, singulari Divinæ bonitatis munere traditum, ita ad Dei Omnipotentis gloriam salutemque animarum Sanctè ac Religiosè administrari decet, ut quæ vel ex typo & figurâ Veteris Legis, vel aliàs ex multâ Sanctorum Patrum providentiâ circa ordinandorum natales, ætatem, vitæ ac morum probitatem, Sanctitatem, scientiam, & alias qualitates in Sacris Ordinationibus requisitas, per Sacros Canones, vel Apostolicas Constitutiones, aut Generalium Conciliorum Decreta, salubriter statuta fuerunt, ea inviolabiliter observentur. *Bullâ XCI.* SIXTI V. *Sanctum & salutare init. ann.* 1589.

VI. Sanctius est, maxime in Ordinatione Sacerdotum, paucos bonos, quàm multos malos habere Ministros, quia *si cæcus cæcum ducit, ambo in foveam dilabuntur.* De ætate & qualit. *Cap.* Cùm. *fin.* LIB. I DECR. *Tit.* 14. *Cap.* 14

VII. Hi qui sæculi actionibus implicati sunt, in Clero Ecclesiæ præproperè suscipiendi non sunt; quia dum in Ecclesiastico habitu, non dissimiliter quàm vixerant, vivunt, nequaquàm student sæculum fugere, sed mutare. DISTINCT. LIII. *Cap. un. Legem. post init.* GREGOR. I. LIB. VII. REGISTR. *Epistolâ.* 11.

VIII. Etiamsi simplex Episcopus scienter servum alterius in Presbyterum ordinaret, licet Ordinator satisfacere Domino teneretur, Ordinatus tamen jugum evaderet servitutis. *Qui filii sint legitimi,* Cap. *Per venerabilem. ante med.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 17. *Cap.* 13. & DISTINCT. LIV. *Cap.* 59. & 20. *Si servus.*

IX. Debet esse immunis ab aliis, qui Divinæ militiæ est aggregandus, ut à castris Dominicis, quibus nomen ejus adscribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur. DISTINCT. LIV. *Cap.* 2. *Nullus Episcoporum. fin.*

X. Episcopi tales ad Sacros Ordines promovere procurent, qui commissum sibi officium dignè valeant adimplere. *De Electione.* Cap. *Nihil est. §.* 2. *Episcopi.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. *Cap.* 44.

XI. Illiteratos, aut aliquâ parte corporis vitiatos, vel imminutos, nullus præsumat ad Clericatûs Ordinem promovere; quia Litteris carens Sacris non potest esse aptus Officiis; & vitiosum nihil Deo prorsùs offerri Legalia præcepta sanxerunt. DISTINCT. XXXVI. *Cap.* 1. *Illiteratos.*

XII. Si in Veteri Testamento tàm multa de integritate & munditia Sacerdotum & Ministrorum Altaris, deque eorum præstantiâ & dignitate legimus, de quibus dixit Dominus per Malachiam Prophetam; *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est*, certè multò major ratio & diligentia adhibenda erit in promovendis tàm inferiorum graduum Clericis, quàm etiam Presbyteris, qui *ad consummationem Sanctorum, in opus Ministerii, in ædificationem Corporis* CHRISTI constituuntur, prout de his ipsis & Divino Verbo, & Beatorum Apostolorum præceptis, ac simul Sanctorum Patrum Statutis sæpissimè traditum est. *Ibid.* Legem piissimus Imperator dedit, ne hi &c. *Ibid. De obligatis ad ratiocinia.* & DIST. LIV. *Cap.* 3. *De servis.* Vide DISTINCT LIV. *Cap.* 1. &c.

XIII. Juxta Sacros Canones, vilis persona manens Sacerdotii dignitate fungi non potest. DIST. LIV. *Cap.* 5. *§.* 3. *fin.*

Ad hanc Sectionem pertinet quicumque Textus aliive Canones de Irregularitate ex delicto vel ex defectu; quælibet enim excludit ab Ordine.

SECTIO VIII.

An sint, & à quo sint, & de quibus rebus examinandi, qui sunt ad Ordines promovendi?

Idem dicendum de hac SECT. VIII. quod de VII. cùm examen versetur circa illa quæ excludunt ab Ordine, ut circà qualitates quæ ad illum disponunt.

I. In cunctis Sacris Ordinibus, & Ecclesiasticis Ministeriis, sunt ætatis maturitas, gravitas morum, & litterarum scientia inquirenda. *De Electione.* Cap. *Cùm in cunctis. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. *Cap.* 7.

II. Pastorum & Præsulum Ecclesiarum proprium munus est, personas idoneas Clericali militiæ adscribere, & ad Minores Majoresque Ordines ritè promovere. *Bulla* XCI. SIXTI V. *Sanctum. §.* 1. *ann.* 1589. BULLARIS. *p.* 657.

III. Ne passim Episcopus multitudinem Clericorum faciat, sed secundùm meritum vel reditum Ecclesiarum, numerus moderetur. BURCH. LIB. 2. *Cap.* 153. *Ex Conc.* HISPAL. *Cap.* 1. TOM. V. CONC. *p.* 1590. *Concil.* CUTHBERTI. *ann.* 747. *Can.* 6. TOM. VI. CONC. *p.* 1575.

IV. Ut nullus Episcoporum Presbyterum aut Diaconum ordinare præsumat, nisi probatæ vitæ fuerint, & officium suum rectè implere possint. *Concilium* CALCHUTENSE *ann.* 787. *Cap.* 6. TOM. VI. CONC. *p.* 1865.

V. Nullus ordinetur Clericus, nisi probatus fuerit, vel Episcoporum examine, vel populi testimonio. DISTINCT XXIV. *Cap.* 2. *Nullus.*

VI. Est regulariter & generaliter observatum, ut ad eum examinatio personæ pertineat, ad quem impositio manûs spectat. *De Electione.* Cap. *Venerabilem. §. verum. med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. *Cap.* 34.

VII. Qui ad Sacros Ordines sunt promoti sine examinatione, non creduntur ordinati. *De ætate & qualitate &c.* Cap. *Accepimus. §. Licèt. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 14. *Cap.* 15.

VIII. Debent Episcopi summâ diligentiâ providere, tùm in alienæ Diœcesis subditis ordinandis, ne quemquam promoveant sine eorum Ordinarii litteris dimissoriis; tùm in recognoscendis ipsis litteris, ne falsò aut ab aliquo qui authoritatem illas concedendi non habeat, confectæ sint; tùm denique in examinandis natalibus, ætate, vitâ, moribus, scientiâ, aliisque de quibus in Textu antepenultimo hujus Sect. *Ex Concilio* NANNETENSI. Circa examen examinandorum, Vide *Consult.* 41. TOM. IX. *Consultat. Canon. De Sacram.* p. 241. ad 258. ubi quæ de illo scienda habes.

IX. Quando Episcopus Ordinationes facere disponit, omnes qui ad Sacrum Ministerium accedere volunt, feriâ quartâ ante ipsam Ordinationem evocandi sunt ad Civitatem. DISTINCT. XXIV. *Cap.* 5. *Quando. init. Ex Concilio* NANNETENSI anni 890. *Can.* 11. TOM. IX. CONC. *p.* 471.

X. Episcopus eligere debet Sacerdotes & alios prudentes Viros, gnaros Divinæ Legis, & exercitatos in Ecclesiasticis Sanctionibus, qui ordinandorum vitam, genus, patriam, ætatem, institutionem, locum ubi educati sunt, si sint benè litterati, si instructi in Lege Domini, diligenter investigent; ante omnia si fidem Catholicam firmiter teneant, & verbis simplicibus asserere queant. *Ibid.*

XI. Ipsi

XI. Ipsi quibus hoc committitur, cavere debent, ne aut favotis gratiâ, aut cujuscumque muneris cupiditate illecti, à vero devient, ut indignum & minùs idoneum ad Sacros gradus suscipiendos, Episcopi manibus applicent. *Ibid.*

XII. Quando Episcopus Ordinationem facere disposuerit, omnes qui ad Sacrum Ministerium accedere voluerint, Feriâ quartâ ante ipsam Ordinationem, vel quando Episcopo videbitur, ad Civitatem evocentur. *Concilium* Trid. Sess. XXIII. *Cap.* 7.

XIII. Scientiâ, idoneitate, titulo, & reliquis qualitatibus, ne quid in suæ, vel alienæ Diæcesis personis, ad Clericalem honorem, & Ecclesiasticos Ordines promovendis, desideretur eorum quæ ex præscripto Sacrorum Canonum requiruntur. *Ibid. Bullâ* Sixti V.

XIV. Ne aliquem facilè ex Laicis ad Sacratos Ordines saltu præcipiti cuiquam Sacerdotum liceat aggregare. *Epistolâ* 8. Vigilii *ann.* 545. Tom. V. Conc. *p.* 311.

XV. Nulli liceat Episcoporum ordinare Diaconum, aut Presbyterum litteras ignorantem; sed qui ordinati fuerint cogantur discere. *Concil.* Narbon. *ann.* 589. *Can.* 11. Tom. V. Concil. *pag.* 1020.

XVI. Episcopus Sacerdotibus & aliis prudentibus Viris, peritis Divinæ Legis, ac in Ecclesiasticis functionibus exercitatis, sibi adsciris, Ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter investiget, & examinet. *Ibid.* Eadem habentur in *Conc.* Nannetanis suprà citato.

SECTIO IX.

Quid requiratur ut aliqui ad Minores Ordines promoveantur?

I. Ad Minores Ordines promovendi bonum à Parocho testimonium habeant. *Concilium* Trident. Sess. XXIII. *Cap.* 5. *init.* Vide Distinct. XXIII. *Capitib.* 16. 17. 18. 19.

II. Minores Ordines, iis qui saltem Latinam Linguam intelligant, conferantur. *Concil.* Trid. Sess. XXIII. *Cap.* 11.

III. Cùm hinc ad altiores gradus, & Sacratissima Mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiæ spes majoribus Ordinibus dignum ostendat. *Ibid.*

IV. Minores Ordines per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur, ut eò accuratiùs, quantum sit hujus Disciplinæ pondus, possint edoceri. *Ibid.*

V. In unoquoque munere juxta præscriptum Episcopi se exerceant in eâ cui adscripti erunt Ecclesiâ, nisi fortè ex causâ studiorum absint. *Ibidem.*

VI. De gradu in gradum ascendant, ut in eis cùm ætate vitæ meritum, & doctrina major accrescat; quod & bonorum morum exemplum, & assiduum in Ecclesiâ Ministerium, atque major erga Presbyteros & Superiores Ordines reverentia, & crebrior quàm anteà Corporis Christi Communio, maximè comprobabunt. *Ibid.*

SECTIO X.

Quid requiratur ut aliqui ad Sacrum Subdiaconatûs Ordinem promoveantur?

I. Quanquam omnes qui Sacris mancipantur Ordinibus. Dist. XXIII. *Cap.* 6. *Quanquam.* & *Cap.* 15. *Concil.* Bituric. *anni* 1031. *Can.* 6. Tom. IX. Conc. *p.* 865.

II. Honestius ac tutius est subjecto, debitam Præpositis obedientiam impendendo, in inferiori Ministerio deservire, quàm cum Præpositorum scandalo, graduum altiorum appetere dignitatem. Tales ad Sacros Ordines promoveantur, quales & populi salus, & temporum necessitas, ac muneris gravitas exigit, & statuit; pietate, doctrinâ, ac morum integritate ornati. *Constitutionum* Mediol. *Tit.* 18. *Concil.* Trid. Sess. XIV. *De Refor. Cap.* 1. *init.* & *De temporibus Ordin.* Cap. *Ad aures.* Lib. I. Decr. *Tit.* 11. *Cap.* 5. *med.*

III. Qui ad singulos Majores Ordines erunt assumendi, nominibus ac desiderio eorum publicè in Ecclesiâ propositis, Litteras Testimoniales, ipsam inquisitionem factam à Parocho, de ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vitâ continentes, ad ipsum Episcopum ferent. *Concil.* Trid. Sess. XXIII. *De Refor. Cap.* 5.

IV. Non nisi post annum à susceptione postremi gradûs Minorum Ordinum, ad Sacros Ordines promoveantur; nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat. *Concilium* Trid. Sess. XXIII. *De Refor Cap.* 11. *fin.*

V. Nullus ad Subdiaconatûs Ordinem, ante vigesimum secundum ætatis suæ annum, promoveatur. *Ibid. Cap.* 12. *init.*

VI. Subdiaconi ordinentur, habentes bonum testimonium, & in Minoribus Ordinibus jam probati, ac litteris, & his quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi; qui sperent Deo authore se continere posse. *Concilium* Trid. Sess. XXIII. *Cap.* 13. *init.*

VII. Nullum facere Subdiaconum præsumant Episcopi, nisi qui se victurum castè promiserit; quia nullus debet ad Altaris Ministerium accedere, nisi cujus castitas ante susceptum Ministerium fuerit approbata. Dist. XXVIII. *Cap.* 1. *Nullum.* & Dist. XXXI. *Cap.* 1. *Ante Triennium.*

SECTIO XI.

An, & qualem Titulum habere debeant promovendi ad Sacrum Subdiaconatûs Ordinem?

I. Non decet eos qui Divino Ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere. *Concilium* Trid. Sess. XXI. *De Refor. Cap.* 2. Urbanus II. *Epistolâ* 17. *Append. Cap.* 6. Tom. X. Conc. *p.* 454.

II. Ne quis Clericus Sæcularis, quamvis aliàs sit idoneus moribus, scientiâ, & ætate, ad Sacros Ordines promoveatur, nisi priùs legitimè constet eum Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere. *Ibid.*

III. Id Beneficium resignare non possit, nisi facta mentione quod ad illius Beneficii Titulum sit promotus, neque ea Resignatio admittatur, nisi constito quod aliundè vivere commodè possit, & aliter facta Resignatio nulla sit. *Ibid.* Clerici in Minoribus Ordinibus constituti, de patrimonialibus bonis habentes undè possint congruè sustentari, etsi nondùm fuerint Beneficium Ecclesiasticum assecuti, dummodò aliud Canonicum non obsistat, ad Superiores possunt Ordines promoveri. *De Prabendis* &c. *Cap. Tuis* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. *Cap.* 23.

IV. Patrimonium vel pensionem obtinentes ordinari non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos, pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum. *Concil.* Trid. Sess. XXIII. *De Refor. Cap.* 2.

V. Neque etiam ordinari possint, nisi eo priùs perspecto, patrimonium illud vel pensionem verè ab eis obtineri; taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint. *Ibid.*

VI. Illa, seu Patrimonium, seu pensio, sine licentiâ Episcopi alienari aut extingui, vel remitti

nulla [illegible]

nullatenùs possint, donec Beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliundè habeant undè vivere possint. *Ibid.*

Quæcumque Titulum spectant fusè & historicè exposita sunt in Prima hujus Tom. Parte.

SECTIO XII.

Ad quid teneantur Episcopi, qui Subdiaconos sine certo Titulo promovent, & quas pœnas incurrant tàm Ordinantes, quàm Ordinati?

I. Non liceat ulli Episcopo ordinare Clericos, & eis nullas alimonias præstare; sed duorum alterum eligat, vel non faciat Clericos, vel si fecerit, det illis unde vivere possint. *De Præbend.* Cap. *Non liceat.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. *cap.* 2.

II. Episcopus post promotionem eorum, exceptionem (v. gr. quod sit Irregularis, vel crimen aliquod commiserit, ut eximat se à præstandis alimoniis vel Beneficio conferendo) non poterit prætendere contra illos, nisi fortè postquàm promoti fuerint, reddiderint se indignos. *De ætate & qualitate.* Cap. *Accepimus.* §. 1. *Licet. init.* Lib I. Decr. *Tit.* 14. *Cap.* 13. Obviandum malitiæ, nec permittendum ut cui fraus patrocinari possit, & commodum dc ea reportet.

III. Episcopus si aliquem sine certo Titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, in Diaconum vel Presbyterum ordinaverit; tamdiù ei necessaria subministret, donec, in aliquâ Ecclesia, ei convenientia stipendia militiæ Clericalis assignet, nisi talis Ordinatus de suâ vel paternâ hæreditate subsidium vitæ possit habere. *De Præbendis.* Cap. *Episcopus.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. *Cap* 4.

IV. Licet antiquitùs Ordinationes eorum qui sine certo Titulo promovcntur, in injuriam Ordinantium irritæ essent & inanes, nunc tamdiù per Ordinatores vel Successores eorum provideri debet Ordinatis, donec per eos Ecclesiastica Beneficia consequantur. *Ibid.* Cap. *Cùm secundùm. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. *Cap.* 16.

V. Si de Jure cum Episcopo quis agere velit, potest meritò ad provisionem eorum compelli, quos à se vel Prædecessoribus suis ordinatos fuisse constiterit. *De ætate & qualitate.* Cap. *Accepimus.* §. 1. *Licet. post med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 14. *Cap.* 13.

VI. Alicujus Ecclesiæ perpetuo Vicario, de proventibus Vicariæ bonisque paternis habenti unde valeat commodè sustentari, non tenetur Episcopus in Ecclesiastico Beneficio providere. *De Rescriptis.* Cap. *Postulasti.* Lib. I. Decr. *Tit.* 3. *Cap.* 27.

VII. Si Successor à Prædecessore suo ad Subdiaconatum, nullo præsentante, sine certo Titulo promoto & reperto idoneo, neglexerit providere & ei tamdiù vitæ necessaria congruè subministrare, donec fuerit competens Beneficium Ecclesiasticum assecutus, ad id exequendum per districtionem Ecclesiasticam compelli poterit. *De Præbendis.* Cap. *Cum secundum. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. *Cap.* 16.

VIII. Si Episcopus cui, nullis personis expressis, in genere Diœcesanus commisit, ut vice suâ Ordines in suâ Diœcesi celebraret, ad Sacros Ordines promovetit quempiam Titulum non habentem; ei, cùm in culpa fuerit, taliter ordinando eumdem, tenebitur vitæ necessaria ministrare, donec sibi per eum, vel per alium, de competenti Beneficio sit provisum. *In 6. De Præbendis.* Cap. *Si Episcopus. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. *Cap.* 37.

IX. Si certas commisit eidem ordinare personas, Diœcesanus qui prævidere hoc casu an haberent titulum debuit, taliter Ordinato ad prædicta, donec per eum Beneficiatus fuerit, obligatus existit. *Ibid.* §. 1.

X. Si Episcopus aliquem ad Ecclesiam, in qua Pater ejus ministravit, in Presbyterum ordinaverit, non potest illâ eum spoliare. *De filiis Presbyter.* Cap. *Veniens.* Lib. I. Decr. *Tit.* 17. *Cap.* 5.

XI. Eis quibus à Diœcesanis datur licentia ut possint à quo voluerint Episcopo, ad omnes Sacros Ordines promoveri; non qui ordinant, sed qui tribuunt licentiam. cum eam dare non debeant Titulum non habenti, ad præmissa, si Titulum non habeant, obligantur. *Ibid. fin.*

XII. Qui vult in Subdiaconum ordinari, & certum Titulum non habet, non debet alicui repromittere, ut ipsum ad Ecclesiæ suæ Titulum præsentet, quod nunquàm, si præsentaverit eundem, in Ecclesia suâ aliquam petat portionem. *De Simoniâ.* Cap. *Per tuas.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. *Cap.* 37.

XIII. Si sic ad præsentationem ejus extitit ordinatus, licet se in hoc illicitum egisse aliquid non intellexerit; nisi cùm ei fuerit misericorditer dispensatum, nec ad Superiores ascendere, nec in suscepto debet Ordine ministrare. *Ibid. fin.* quia hoc scire debuit & potuit.

XIV. Si illum spoliaverit, si ei innotuerat, quando eam Ecclesiam dedit, quod Pater ejus Presbyter in dictâ Ecclesiâ ministrasset, ipsam ei restituere debet, amoto alio, si quem fortè instituit in eadem. *Ibid.* §. 1. *ideòque.*

XV. Si Episcopus hoc ignorans fecit, ex quo ad ad Ecclesiam ipsam eum in Presbyterum ordinavit, eam sibi restituet, donec in alia Ecclesia sibi provideat, undè honestè valeat sustentari. *Ibid. fin.*

XVI. Si quis ordinaverit, seu ad Ordinem præsentaverit aliquem promissionem vel juramentum ab illo recipiens, quod super provisione sua non inquieret eumdem; Ordinator à Collatione, Præsentator verò ab Executione Ordinum, per triennium noverint se suspensos. *De Simonia.* Cap. *Si quis.* Lib. V. Decr *Tit.* 37. *Cap.* 45.

XVII Sic Ordinatus, ab Ordine sic suscepto, donec Dispensationem super hoc per Sedem Apostolicam obtinere meruerit, noverit se suspensum. *Ibid. fin.*

XVIII. Antiquorum Canonum pœnas super his innovat Synodus Trid. Sess. XXIII. *De Refor. Cap.* 2. *fin.*

Origo, tempus & causa mutationum Disciplinæ circa Titulum, de quibus in hac Sectione, notata sunt loco suprà citato.

SECTIO XIII.

Quid requiratur ut promoveantur aliqui ad Sacrum Diaconatûs Ordinem?

I. Promoti ad Sacrum Subdiaconatûs Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur. *Concil.* Trid. Sess. XXIII. *De Refor. Cap.* 13. *med.*

II. Diaconi ordinentur habentes bonum testimonium, & jam probati, ac Litteris, & his quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi. *Ibid. init.*

III. Nullus ad Diaconatûs Ordinem, ante vigesimum tertium ætatis suæ annum, promoveatur. *Concil.* Trid. Sess. XXIII. *De Ref. Cap.* 12.

IV. Subdiaconi & Diaconi, Ecclesiis quibus adscribentur, inserviant; sciantque maximè decere si saltem diebus Dominicis & Solemnibus cùm Altari ministraverint, Sacram Communionem perceperint. *Ibid. Concil.* Trid. *Cap.* 13.

V. Diaconus dum ordinatur, solus Episcopus qui eum benedicit, manum super illius caput ponat; quia non ad Sacerdotium, sed ad Ministerium consecratur. Distinct. XXIII. *Cap.* 11. *Ex Concil.* Carthagin. IV. *Cap.* 4. *ann.* 398.

VI. Non ordinentur Diaconi conjugati, nisi qui priùs conversionis proposito, professi fuerint castitatem. *Concil.* Arelat. II. *ann.* 452. *Can.* 43. Tom. IV. *Concil. p.* 1016. Vide *Concil.* Arausic. I. *Can.* 22.

De

De Cœlibatû Sacrorum Ministrorum fusè dictum est Prima Parte hujus TOM. dum de interdicto Clericis cùm fœminis commercio, ac longè fusiùs in Historia illius, inserta in Traditione circa Sacramentum Matrimonii.

SECTIO XIV.

Quid requiratur ut aliqui promoveantur ad Sacrum Presbyteratûs Ordinem?

I. Qui Presbyterum ordinare necessarium ducit, deputet eum Ecclesiæ, in qua Domino serviens jugiter perseveret. *Concil.* RAVENN. *ann.* 878. *Statuto* 14. TOM. IX. CONC. *p.* 302. Vide *Epistolam* 9. GELASII Cap. 2. & 3. *ann.* 494. TOM. IV. CONC. *p.* 1188. GRAT. DIST. LXXVII. Cap. *Si quis.*

II. Sacerdotes propter excellentiam Ordinis, & Officii dignitatem, Deorum nomine nuncupantur. *De Hæreticis.* Cap. *Cùm ex injuncto.* §. 3. *Licet. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 7. Cap. 12.

III. Scientia est valdè necessaria Sacerdotibus ad doctrinam, quia juxta Verbum Propheticum; *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem exquirunt ex ore ejus. Ibid. init.*

IV. Sacerdotis est Officium nulli nocere, omnibus autem velle prodesse. *De Procuratoribus.* Cap. *Cùm Sacerdotis. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 37. Cap. 3.

V. Sacerdotibus, sicut & Episcopis, Dispensatio Mysteriorum Dei commissa est; præsunt enim Ecclesiæ CHRISTI, & in Consecratione Divini Corporis & Sanguinis consortes sunt Episcopis, similiter & in Doctrina populorum, & in Officio prædicandi. *De Pœnit.* Cap. *Si quis Presbyter. in int. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 37. Cap. 2.

VI. Nullus ad Presbyteratûs Ordinem ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur. *Conc.* TRID. SESS. XXIII. *De Refor.* Cap. 12.

VII. Sciant Episcopi non singulos in ea ætate constitutos debere ad hunc Ordinem assumi; sed dignos duntaxat, & quorum probata vita senectus sit. *Ib.*

VIII. Qui piè & fideliter in Ministeriis anteactis se gesserint, & ad Presbyteratûs Ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium. *Conc.* TRID. SESS. XXIII. Cap. 13.

IX. Hi sint qui in Diaconatû ad minùs annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministraverint. *Ibid.*

X. Et hi sint qui etiam ad populum docendum, ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur. *Ibid.*

XI. Episcopi promovendos in Sacerdotes diligentiùs instruant, & informent, vel per se ipsos, vel per alios idoneos Viros, super Divinis Officiis, & Ecclesiasticis Sacramentis, qualiter ea ritè valeant celebrare. *De Ætate & Qualitate.* Cap. *Cùm sit. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 14. Cap. 14. *Concil.* ARELAT. VI. *ann.* 851. *Can.* 3. TOM. VII. CONC. *p.* 1235.

XII. Sacerdotem quærit Ecclesia, aut de monogamia ordinatum, aut de Virginitate Sanctum; Bigamus enim haud fertur agere Sacerdotium. *Concil.* AQUISGRAN. *ann.* 816. Cap. 9. *med.* TOM. VII. CONC. *p.* 1319. Assumi aliquem ad Sacerdotium non posse in conjugii vinculo constitutum, nisi præmissa fuerit conversio. *Concil.* ARELAT. II. *ann.* 452. *Can.* 2. TOM. IV. CONC. *p.* 1011. DIST. XXVIII. Cap. *Assumi.* Vide *Epistolam veram* FELICIS IV. 3. *Ordina. ann.* 528. TOM. IV. CONC. *p.* 1658. *Concil.* BRACAR. II. *ann.* 561. Cap. 2. TOM. V. CONC. *p.* 842. *Concil* PARIS. VI. *ann.* 829. LIB. III. Cap. 9. TOM. VII. CONC. *p.* 1661.

XIII. Ita pietate ac castis moribus conspicui sint, ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis possint expectari. *Ibid.*

XIV. Quos maturiores ætate, & quorum vita sit probabilis, hos Episcopus in Presbyteratum studeat promovere. DIST. LXXIV. Cap. 9. *Consuluit. med.*

XV. Ad Presbyterii fastigium talis accedat, ut & nomen ætas impleat, & meritum probitatis stipendia anteacta testentur. DIST. LIX. *Cap.* 2. *Si Officia. med.*

XVI. Necesse est, ut quamvis inculpati quisque sit meriti, ante tamen per distinctos Ordines Ecclesiasticis exerceatur Officiis. DIST. LIX. *Cap.* 3. *Hoc ad nos. fin.*

XVII. Non saltu, sed statutis Majorum Ordinatione temporibus, per singulos per ordinem Presbyter fiat. DIST. LIX. *Cap.* 2. *Si Officia.*

SECTIO XV.

Propter quæ peccata aut facta Clerici non debeant ad Ordines, ac præcipuè ad Sacerdotium, admitti?

I. Apostolus Paulus quando elegit ordinandos, vel Presbyteros, vel Diaconos, & quicunque ordinandus est ad præposituram Ecclesiæ, non ait; *Si quis sine peccato*, (hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur) sed ait, *Si quis sine crimine est*, sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, Sacrilegium, & cætera hujusmodi. DIST. LXXXI. Cap. 1. *Apostolus.* Vide in *Concil.* TOLET. X. *ann.* 1656. *ex Concil.* VALENTIN. *Gallia* TOM. VI. CONC. *p.* 468.

II. Si Clericus adeò deliquit, quod si peccatum ejus esset publicum degradaretur ab Ordine quem suscepit, & ampliùs non posset ad Superiores Ordines promoveri, quoniam peccatum ipsius est occultum; Pœnitentia ei condigna imponi debet, & suaderi, ut parte Pœnitentiæ peractâ, Ordine suscepto utatur; quo contentus existens ad Superiores ampliùs non ascendat. *De Temporibus Ordinationum.* Cap. *Ex tenore.* LIB. I. DECR. *Tit.* 11. Cap. 4. Si ratione dignitatis vel Beneficii jus habeat petendi Ordines. GLOSSA. *Ibidem.* verbo, *prohibere.*

III. Si qui Presbyteri sine examine sunt provecti &c. *Concil.* NICÆN. I. *Can.* 9.

IV De Viris ordinatis, quorum occulta peccata sunt, nec manifestè ab aliquo argui possunt, si salubriter compuncti pro peccatis suis, Confessionem Episcopo sive Presbytero occultè faciunt; bonum mihi videtur, ut secundùm id quod decretum fuerit ab Episcopo sive Presbytero, Pœnitentiam agant, non trepidè, nec tardè, sed ferventer ac sollicitè; ac si se veniam peccatorum à Domino percepturos, & gradum se retenturos confidant. *Inter fragmenta Conciliorum* TOLET. TOM. II. CONC. *p.* 1236. Cap. *De Viris.*

V. Verùmtamen, quia peccatum occultum est, si promoveri voluerit, non debet aliqua ratione prohiberi. *Ibid. fin.*

In Tractatu de Censuris & Irregularitatibus notatum tempus quo cœpit distinctio inter crimina occulta & publica, circa Ordines recipiendos aut exercendos.

VI. Cùm Clerici per reatum adulterii, perjurii, homicidii, vel falsi testimonii, bonum conscientiæ rectæ perdiderunt; si proposita crimina ordine judiciario comprobata, vel aliàs notoria non fuerint, non debent hi, præter reos homicidii, post Pœnitentiam in jam susceptis vel suscipiendis Ordinibus impediri. *Ibid.* Cap. *Quæsitum* LIB. I. DECR. *Tit.* 11. *Cap.* 17. *& ult.*

VII. Si non pœnituerint, monendi sunt, & sub interminatione Divini Judicii obtestandi, ut in testimonium suæ damnationis in susceptis etiam Ordinibus non ministrent. *Ibid. fin.*

VIII. Si quis forsitan cum levi culpa ad Sacerdotium venit, pro culpâ Pœnitentia indici debet, & tamen Ordo servari. DIST. LXVIII. Cap. 1. *Sicut. fin.* GREG. I. LIB. II. *Epist.* 32. *ann.* 592. Vide LIB. V. DECR. *Tit.* 25. *De Clerico percussore.* Cap. 2.

IX. Si quis Clericus furtum spontè confessus fuerit, & exindè satisfecerit, nec est super hoc notâ vel infamiâ manifestâ respersus, post peractam Pœnitentiam, aut congruam partem Pœnitentiæ, dummodò aliàs idoneus esse cognoscatur, ad Sacros Ordines sine dubitatione potest promoveri. *De Furtis.* Cap. *Ex Literis.* Lib. V. Decr. *Tit.* 18. Cap. 5. & ult.

X. Si quis Clericus super crimine Homicidii, cujus tamen autor non est, fuerit respersus infamiâ, non potest ad Sacrum Ordinem ascendere. *De Homicidio voluntario.* Cap. *Petrus.* Lib. V. Decr. *Tit.* 12. Cap. 17. §. *Quacirca.* juncta Glossa.

XI. Si adversus fidelem aliqua accusatio intendatur, vel fornicationis vel adulterii, vel alicujus aliûs prohibitæ actionis, & convictus fuerit; ad Clerum nè provehatur. *Can.* Apost. 60. *Epistola* 12. Zachariæ *ann.* 747. Tom. VI. Conc. *p.* 1526. Vide *Canones Romanorum ad Gallos.* *Can.* 5. Tom. II. Conc. *p.* 1319. Vide *Epistolam* 9. Gelasii *ann.* 494. Cap. 18. Tom. IV. Conc. *p.* 1193. *Epistola* Martini *Papæ ad* Amandum *Episcopum Trajectens. ann. circ.* 649. Tom. VI. Conc. *p.* 381.

XII. Etiam accusati, nisi priùs se probaverint innocentes, à susceptione Ordinum repelluntur. *De Testib.* Cap. *Non debet. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 56. & ultim.

XIII. Qui non promoveantur, ex Regulis Canonum, ad Sacerdotium, hi sunt qui in aliquo crimine detecti sunt; qui infamiæ notâ aspersi sunt; qui scelera aliqua per publicam Pœnitentiam se admisisse confessi sunt; qui in hæresim lapsi sunt, vel qui in hæresi baptisati, aut rebaptisati esse noscuntur; qui semet ipsos absciderunt, aut naturali defectu membrorum, aut recisione aliquid minùs habere noscuntur; qui secundæ uxoris conjunctionem sortiti sunt, aut numerosa conjugia frequentaverunt; qui viduam vel à marito relictam duxerunt; aut corruptarum mariti fuerunt; qui Concubinas aut fornicarias habuerunt; qui servili conditioni obnoxii sunt; qui ignoti sunt; qui Neophyti vel Laïci sunt; qui sæculari militiæ dediti sunt; qui Curiæ nexibus obligati sunt; qui inscii Literarum sunt; qui per gradus Ecclesiasticos non ascenderunt; qui ambitu honorem quærunt; qui muneribus honorem moliuntur. Dist. LI. Cap. 5. *Qui in aliquo.* *Ex Concilio* Tolet. IV. *ann.* 633. Cap. 8.

XIV. Si quis contra prædicta vetita Canonum, ad gradum Sacerdotii indignus aspirare contenderit, cum Ordinatoribus suis, adepti honoris periculo subjacebit. *Ibidem,* Dist. LI. Cap. 5. *Qui in aliquo.* §. *ultim.*

De requisitis ad Sacros Ordines fusè actum est in Prima Parte, dùm de Officiis quæ Clericis sunt communia.

SECTIO XVI.

Penes quos sit potestas conferendi Ordines?

I. Minores, usque ad Subdiaconatum, Ordines à non Episcopis quandoque conferuntur. *De Ordinatis ab Episcopo qui renuntiavit.* Cap. *Requisivit. med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 13. Cap. 1.

II. In septima Synodo est statutum, ut Lectores per manûs impositionem, licentia sit unicuique Abbati in proprio Monasterio solummodò faciendi; dummodò ipsis ab Episcopo secundùm morem præficiendorum Abbatum manûs impositio facta noscatur; & constet eum existere Sacerdotem. *De Ætate & Qualitate &c.* Cap. *Cùm contingat.* Lib. I. Decr. *Tit.* 14. Cap. 11. Refertur Dist. LXIX. Cap. 1. *Quoniam.* §. 1. *Lectoris.* Presbyter ab uno Episcopo ordinetur, & Diaconus & reliqui Clerici. *Can.* Apost. *Can.* 2. Vide *Concil.* Nicæn. II. *Can.* 14. Tom. VII. Concil. *p.* 607. Abbates possunt conferre Minores Ordines. *Ibid.* Glossa, & in Cap. *Quoniam.* Dist. LXIX. Cap. 1.

III. Abbatibus, & aliis quibuscunque quantumvis Exemptis, non liceat intra fines alicujus Diœcesis consistentibus, etiamsi nullius Diœcesis vel Exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus non sit, Tonsuram vel Minores Ordines conferre. *Concil.* Trid. Sess. XXIII. *De Refor.* Cap. 10. *init.*

IV. Sacerdotes à proprio ordinentur Episcopo. Dist. LXVII. Cap. 1. *Reliquas. init.* Anacletus. *Epist.* 2. *ad Episcopos Italiæ.*

V. Non oportet exorcisare eos qui necdùm ab Episcopis sunt promoti, neque in Ecclesiis, neque in domibus Dist. LXIX. Cap. 2. *Non oportet.*

VI. Episcopus Sacerdotibus ac Ministris solus honorem dare potest. Dist. LXVII. Cap. 2. *Episcopus.*

VII. Episcoporum est Ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia peragere, quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent. *Conc.* Trid. Sess. XXIII. Cap. 4. *Concil.* Cabillon. *ann.* 650. *Can.* 13. Tom. VI. Conc. *p.* 390.

VIII. Si quis dixerit Episcopos non habere potestatem ordinandi, Anathema sit. *Ibid.* *Can.* 7. *Concilium* Nannet. *ann.* 890. *Can.* 7. Tom. IX Conc. *p.* 470. *Concil.* Bracar. II. *ann.* 563. Cap. 8. Tom. V. Conc. *p.* 849. *Conc.* Arelat. V. *an.* 554. *Can.* 7. Tom. V. Conc. *p.* 782. *Conc.* Aurel. V. *ann.* 549. *Can.* 5. Tom. V. Conc. *p.* 392. *Concil.* Aurel. III. *ann.* 538. *Can.* 15. Tom. V. Conc *p* 299. Vide *Conc.* Carth. I. *Can.* 5. *ann.* 348. Tom. II. Conc. *p.* 715. *Concil.* Valent. *ann.* 524. Cap. 6 Tom. IV. Conc. I *p.* 1620. *Conc.* Hispal. II. Cap. 5. *ann.* 619. *Conc.* Tom V *p.* 1665. ubi declaratur nulla Ordinatio facta ab Episcopo & à Presbytero, isto benedicente, illo manum imponente, etsi aliqua adesset necessitas.

SECTIO XVII.

Quos quisque Episcopus debeat ordinare, & quomodo?

I. Nullus Episcopus, vel quivis alius, absque sui Superioris licentia, homini Diœcesis alienæ Clericalem præsumat conferre Tonsuram. *In* 6. *De Temporibus Ordinat.* Cap. fin *Nullus.* Lib. I. *Tit.* 9. Cap. 6. Nulli Episcopo liceat alterius Civitatis Ecclesiasticum hominem in suâ Diœcesi Clericum ordinare. Dist. LXXI. Cap. 1. *Illud. init.* Episcopi per semet ipsos Ordines conferant. *Conc.* Trid. Sess. XXIII. Cap. 3.

II. Quod si ægritudine fuerint impediti, subditos suos, non aliter quàm jam probatos & examinatos, ad alium Episcopum ordinandos dimittant. *Ibid.* 3.

III Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secùm fuerit commoratus, & Beneficium, quacunque fraude cessante, statim reipsa illi conferat, Consuetudine quacunque, etiam immemorabili, in contrarium non obstante. *Ibid.* Cap. 9.

IV. Unusquisque à proprio Episcopo ordinetur. *Conc.* Trid. Sess. XXIII. *De Reform.* Cap. 8. Nullus Clericum Parochiæ alienæ, præter Superioris ipsius licentiam, debet ordinare. *In* 6. *De Temporibus Ordinationum.* Cap. *Cùm nullus.* Lib. I. Decr. *Tit.* 9. Cap. 3. Vide *Concilium* Mogunt. *ann.* 888. Cap. 14. Tom. IX. Conc. *p.* 408. *Conc.* Londin. *ann.* 1125. *Can.* 10. Tom. X. Conc. *p.* 916.

V. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenùs id ei, etiam cujusvis aut Generalis aut Specialis Rescripti vel Privilegii prætextû, etiam statutis temporibus, permittatur, nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. *Conc.* Trid. Sess. XXIII. *De Reform.* Cap. 3.

VI. Superior intelligitur in hoc casu Episcopus, de cujus Diœcesi est is qui ad Ordines promoveri desiderat oriundus, seu in cujus Diœcesi Beneficium obtinet Ecclesiasticum, seu habet, (licet alibi natus fuerit) domicilium in eadem. *Ibid.*

VII. Officialis

VII. Officialis Episcopi, cùm ad hoc se ipsius Officium non extendit, hujusmodi nequit licentiam impertiri. *Ibid.* §. t.

VIII. Episcopo in remotis agente, ipsius in spiritualibus Vicarius Generalis dare potest licentiam ordinandi. *Ibid.* §. 2. Hodiè talibus Vicariis datur super hoc expressa potestas, ita quod etiam Episcopis præsentibus, tales Litteras extendant. Glossa *v. Additio.*

IX. Abbates, & alii Exempti, aut Collegia vel Capitula quæcunque, etiam Ecclesiarum Cathedralium, Litteras Dimissorias aliquibus Clericis Sæcularibus, ut ab aliis ordinentur, non concedant; sed horum omnium Ordinario ad Episcopos intra quorum Diœcesis fines existunt, pertineat; non obstantibus quibusvis privilegiis, præscriptionibus, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus. *Conc.* Trid. Sess. XXIII. *De Refor. Cap.* 10. *med.*

X. Nemo Episcoporum qui Titulares vocantur, etiamsi in loco nullius Diœcesis, etiam Exempto, aut aliquo Monasterio cujusvis Ordinis resederint, aut moram traxerint, vigore cujusvis privilegii sibi de promovendo quoscunque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam prætextu familiaritatis continuæ commensalitatis suæ, absque sui Prælati expresso consensu, aut Literis Dimissoriis, ad aliquos Sacros aut Minores Ordines vel primam Tonsuram promovere, seu ordinare valeat. *Conc.* Trid. Sess. XIV. *De Refor. Cap.* 2.

XI. Nullus Episcoporum Italiæ aliquem Ultramontanum Clericum ordinare præsumat, nisi à Romano Pontifice specialem licentiam habeat, vel ab Episcopo de cujus Diœcesi traxit originem ordinandus, vel in cujus Diœcesi Beneficiatus existit, per ejus Patentes Literas, causam rationabilem continentes, quare ipsum nolit aut nequeat ordinare. *In 6. De Temporib. Ordin.* Cap. *Sæpè §.* 1°. *Nos.* Lib. I. *Tit.* 9. *Cap.* 1.

XII. Facultates de promovendo à quocunque, non suffragentur nisi habentibus legitimam causam, ob quam à propriis Episcopis ordinati non possint, in Litteris exprimendam. *Conc.* Trid. Sess. VII. *De Refor. Cap.* 11.

XIII. Et tunc non ordinentur ab Episcopo, nisi in suâ Diœcesi residente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti prævio examine. *Ibid.*

XIV. Urbanus VIII. Clementis IV. Constitutionem approbans & innovans, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis in Italia existentibus prohibuit, ne quovis prætextu, & ex quacunque causa, Gallos, aliosque Ultramontanos, & ex quibusvis locis extra Italiam oriundos, non solùm ad Sacros, sed etiam ad Minores Ordines, vel Clericalem caracterem promovere audeant seu præsumant, nisi Dimissorias suorum Ordinariorum Litteras, à Sanctæ Sedis Nuntiis in illis partibus commorantibus recognitas, probatas, & subscriptas habeant. Bulla 35. Urbani VIII. *Secretis æternæ* §. 3. *ann.* 1624. Bullarii Tom. IV. *p.* 80. Aliàs promoti perpetuæ suspensionis pœnam, absque spe Dispensationis à Sede Apostolica obtinendæ, incurrant eo ipso. *Ibid.* Præcipui cujusque Sæculi circa Dimissorias, in Prima Parte hujus Tomi accuratè collecti sunt, ut pateat quo studio Ecclesia semper provideat ne Episcopi alienos Diœcesanos ordinarent, istis non consentientibus.

SECTIO XVIII.

Quas pœnas incurrant tàm Episcopi qui sine Dimissoriis Litteris alienos Clericos ordinant, quàm sic Ordinati?

I. Qui Clericos Parochiæ alienæ absque Superioris ordinandorum licentiâ, scienter seu affectatâ ignorantia, vel quocunque alio figmento quæsito præsumpserint ordinare, per annum à Collatione Ordinum sint suspensi. *In 6. De Temporib. Ordinat.* Cap. *Eos qui.* Lib. I. *Tit.* 9. *Cap.* 2. *init.*

II. Episcopus, vel quivis alius, qui absque sui Superioris licentiâ, homini Diœcesis alienæ Clericalem præsumpserit conferre Tonsuram, ut in eo in quo peccaverit, puniatur, per unum annum à Collatione Clericalis Tonsuræ duntaxat noverit se suspensum. *In 6. De Temp. Ord.* Cap. *fin.* Lib. I. *Tit.* 9. *Cap.* 6. Hæc quæ Jura statuunt contra taliter ordinatos in suo robore durant. *Ibid.*

III. Episcopus Titularis quocunque prætextu alterius subditum absque sui proprii Prælati expresso consensu aut Litteris Dimissoriis ordinans, ab exercitio Pontificalium per annum ipso Jure sit suspensus. *Conc.* Trid. Sess. XIV. *De Refor. Cap.* 2. *fin.*

IV. Taliter promotus ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso Jure sit suspensus. *Ibid.*

V. Episcopus quoscunque suos Clericos, præsertim in Sacris constitutos, absque suo præcedenti examine, & Commendatitiis Literis, quacunque Authoritate promotos, licet tanquàm habiles ab eo à quo ordinati sunt probatos, quos tamen ad Divina Officia celebranda seu Ecclesiastica Sacramenta ministranda minùs idoneos & capaces repererit, à susceptorum Ordinum exercitio ad tempus de quo ei videbitur, suspendere, & illis ne in Altari, aut aliquo Ordine ministrent, interdicere posse. *Concil.* Trid. Sess. XIV. *Cap.* 3.

VI. Interdicenda est Ordinis executio ab alieno Pontifice, sine mandato vel licentia sui Episcopi ordinato. *De Tempor. Ordinat.* Cap. *Quod translationem,* Lib. I. Decr. *Tit.* 11. *Cap.* 11. §. 1. *fin.*

VII. Quicunque ex alia Parochia voluerit alienum Ministrum sine consensu Episcopi ipsius & sine voluntate ordinare, non sit rata Ordinatio ejus. *Conc.* Sardic. *Can.* 19. *vers. Dion.* Vide *Concilium* Taurinense *Can.* 7. & 8. Tom. II. *Conc. p.* 1157. *Concilium* London. *anni* 1138. *Can.* 7. Tom. X. *Conc. p.* 995. Citati hic Canones & non relati loco suprà citato referuntur.

SECTIO XIX.

Quas pœnas incurrant tàm qui concedant Literas Dimissorias Sede vacante, intra annum à die vacationis, quàm qui illas impetrant?

I. Non licet Capitulis Ecclesiarum, Sede vacante, infra annum à die vacationis, ordinandi licentiam, aut Literas Dimissorias, alicui qui Beneficii Ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere. *Concil.* Trid. Sess. VII. *De Refor. Cap.* 10.

II. Si secùs fiat, Capitulum contraveniens Ecclesiastico subjaceat Interdicto. *Ibid.*

III. Sic Ordinati, si in Minoribus Ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio Clericali, præsertim in Criminalibus, gaudeant. *Ibid.*

IV. In Majoribus verò, ab executione Ordinum, ad bene placitum futuri Prælati, sint ipso Jure suspensi. *Ibid.*

V. Pœnam quoque impositam iis, qui contra hujus Sanctæ Synodi sub Paulo III. Decretum, à Capitulo, (Episcopali Sede vacante) Literas Dimissorias impetrant, ad illos qui easdem Literas non à Capitulo, sed ab aliis quibusvis, in Jurisdictione Episcopi loco Capituli, Sede vacante, succedentibus, obtinerent, mandat sancta Synodus Tridentina extendi. *Concil.* Trid. Sess. XXIII. *De Refor. Cap.* 10. Hoc Caput non servatur in Ecclesiis Lugdunensi & Heduensi, quæ Sede vacante administrantur, hæc ab Archiepiscopo Lugdunensi, illa ab Episcopo Heduensi.

Tom. III. Tract. De Sacramentis.

VI. Concedentes Dimissorias contra formam ejusdem Decreti, ab Officio & Beneficio per annum sint ipso jure suspensi. *Ibid. Concil.* TRID. SESS. XXIII. *De Reform.* Cap. 10. *fin.*

VII. Concedentes Dimissorias contra formam Decreti, quo jubetur facultates de promovendo à quocunque dari non debere, nisi habentibus legitimam causam in litteris exprimendam, ab Officio & Beneficio per annum sint ipso jure suspensi. *Concil.* TRID. Sass. XXIII. *De Reform.* Cap. 10. *fin.*

VIII. Quicunque ex aliâ Parochiâ voluerit alienum Ministrum, sine consensu Episcopi ipsius & sine voluntate ordinare, non sit rata Ordinatio ejus. DIST. LXXI. *Cap.* 1. *Illud.* *§.* Hæc pœna nunc reducitur ad suspensionem ab executione Ordinum susceptorum.

IX. Si quis ab alio Episcopo promoveatur, etiam cujusvis privilegii prætextu, nec ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur, Ordinans à Collatione Ordinum per annum sit suspensus. *Concil.* TRID. SESS. XXIII. *Cap.* 8. *fin.*

X. Ordinatus à susceptorum Ordinum executione, quamdiù proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus. *Ibid.*

XI. Si quis Episcoporum Italiæ Ultramontanum Clericum ordinare præsumat, sine speciali licentiâ, sic Ordinans Pœnitentiâ condignâ puniri debet. *In* 6. *De Temporibus Ordinationum.* Cap. *Sæpè* *§.* 2. *eos.* LIB. I. *Tit.* 9. *Cap.* 11.

XII. Sic ordinati manebunt, absque spe Dispensationis super hoc à Sede Apostolicâ obtinendæ, suspensi. *Ibid.*

XIII. Si quis ordinatus fuerit ab Episcopo Pontificalia in alterius Diœcesi exercente, nisi de Ordinarii loci expressâ licentiâ, ab executione Ordinum sit ipso jure suspensus. *Concil.* TRID. SESS. *De Refor. Cap.* 5. *fin.*

XIV. Omnibus Pœnitentiariis Papæ districtè inhibitum est, ne absque licentiâ Sedis Apostolicæ speciali, cùm taliter ordinatis dispensent, vel suas eis tradant Litteras per quas cum ipsis debeat dispensari. *Ibid. fin.*

Quicumque Textus puniunt Ordinantes & ordinatos sine requisitis Dimissoriis, locum habent in Ordinationibus sic factis Sede vacante, quia eadem culpa, nempè contemptus Jurisdictionis Ordinariæ,

SECTIO XX.

Quo tempore, & quibus diebus liceat Ordines conferre?

I. Minores Ordines diebus Dominicis quilibet habeant licentiam celebrandi. *De Temporibus Ordinat.* Cap. *Subdiaconos.* *§.* 1. *Quamvis.* LIB. I. DECR. *Tit.* 11. Cap. 1.

II. Sacri Canones docent aptis temporibus Sacerdotes ordinandos. *Epist.* 12. ZACHARIÆ *ann.* 747. TOM. VI. CONC. *p.* 1526.

III. Jejunantes Ordinationem celebrent. DIST. LXVII. *Cap.* 1. ANACLETUS. *Epistola* 2. *ad Episcopos Italiæ. Capitulare* GREGORII II. anno cir. 721. *Cap.* 5. TOM. VI. CONC. *p.* 1453. *Concil.* ROM. I. *sub* ZACHARIA ann. 743. *Cap.* 11. TOM. VI. CONC. *p.* 1548. *Conc.* CABILLON. II. *ann.* 813. *Can.* 23. TOM. VII. CONC. *p.* 1277. *Concil.* ROTHOMAG. *anni.* 1072. *Can.* 8. TOM. IX. CONC. *p.* 1227.

IV. Extra jejunia quatuor temporum, licitum est Episcopis, Dominicis & aliis Festivis diebus, unum aut duos ad Minores Ordines promovere. *Ibid.* Cap. *De eo.* LIB. I. DECR. *Tit.* 11. *Cap.* 3. *med.* Nunc omnes ad id probatos. *Pontificale Rom.* p. 10.

V. Subdiaconos nulli nisi Romano Pontifici liceat in diebus Dominicis ordinare. *Ibid.* Cap. *Subdiaconos. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 11. Cap. 1.

VI. Quod à Patribus Nostris propensiore curâ novimus esse servatum, hoc debet custodiri, ut non passim diebus omnibus Sacerdotalis vel Levitica Ordinatio celebretur. DIST. LXXV. Cap. 4. *Quod à Patribus. init.* CONCILIUM CLAROMONTAN. *ann.* 1095. Cap. 24. TOM. X. CONC. *p.* 508. sic se habet: *Ne fiant Ordines nisi quatuor certis temporibus, & Sabbatho mediante Quadragesima, & tunc protrahatur jejunium usque ad vesperas, & si fieri potest, usque ad crastinum, ut magis appareat in die Dominico Ordines fieri.*

VII. Ad Subdiaconatum, nisi in Quatuor Temporibus, aut Sabbato Sancto, vel in Sabbato ante Dominicam de Passione, nulli Episcoporum, præterquàm Romano Pontifici, licet aliquos ordinare. *Ibid.* Cap. *De eo. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 11. Cap. 3.

VIII. Secundùm Ecclesiasticas Regulas, & Sanctorum Instituta Pontificum, Sacri sunt Ordines in certis temporibus conferendi. *De Temporib. Ordinat.* Cap. *Cùm secundùm. in int.* LIB. I. DECR. *Tit.* 11. Cap. 8.

IX. Sacri Ordines non sunt præterquàm in Quatuor-Temporibus conferendi. *Ibid.*

X. Ordinationes Sacrorum Ordinum statutis à Jure temporibus celebrentur. *Concilium* TRID. SESS. XXIII. *De Ref.* Cap. 8. *init.*

XI. Ordinationes Presbyterorum & Diaconorum, nisi certis temporibus & diebus, exerceri non debent, id est, quarti mensis jejunio, septimi, & decimi; sed & etiam Quadragesimalis initii, ac medianæ Hebdomadæ, & Sabbati jejunio, noverint celebrandas. DIST. LXXV. Cap. 7. *Ordinationes.*

XII. Sabbato Pentecostes non liceat alicui Sacros Ordines celebrare, cùm in sequenti septimanâ, recepta spiritûs Sancti gratia celebrentur. *De Temporib. Ordinat.* Cap. *Subdiaconos* *§.* 2. LIB. I. DECR. *Tit.* 11. Cap. 1.

XIII. Consuetudo illa, etiam antiqua, ut extra Jejunia Quatuor-Temporum, Clerici ad Sacros Ordines promoveantur, utpotè institutioni Ecclesiasticæ inimica, est penitùs improbanda. *De Temporibus Ordinat.* Cap. *Sanè. med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 11. Cap. 2.

Prætermissos hîc Canones scitu dignos, collectos habes in loco cit. de requisitis ad Ordines §. 1.

SECTIO XXI.

Quo in loco conferri debeant Ordines? & an Episcopi possint plures Sacros Ordines in uno die, atque etiam in die suæ Ordinationis conferre?

I. Ordinationes Sacrorum Ordinum in Cathedrali Ecclesiâ, vocatis præsentibusque ad id Ecclesiæ Canonicis, celebrentur. *Concil.* TRID. SESS. XXIII. *De Refor.* Cap. 8. *initio.*

II. Si in alio Diœcesis loco celebretur, præsente Clero loci, dignior quantùm fieri poterit Ecclesia semper adeatur. *Ibid.*

III. Ordinationes Presbyterorum, Levitarumque, congruo tempore, multis eorum astantibus, solemniter agendæ, & probabiles ac docti Viri ad hoc opus provehendi. DIST. LXXV. Cap. 3. *Ordinationes. Ibid.*

IV. Grave delictum est, si Episcopus aliquem uno & eodem die ad tres Sacros promoverit Ordines, contra normam Ecclesiasticam; est in ipso facto enormiter excessum. *De Temporibus Ordinat.* Cap. *Dilectus.* LIB. I. DECR. *Tit.* 11. Cap. 15. *Vide in integrâ.*

V. Ne quidem de mandato Archiepiscopi potest Episcopus ad hujusmodi Ordinationem inordinatè procedere, nec ipsi obtemperare debet in hac parte. *Ibid.* *§. Cùm ergò.*

VI. Archiepiscopo non est hujusmodi Dispensatio à Canone permissa, ut mandare possit aliquem ad plures Sacros Ordines promoveri. *Ibid.* Hæc Reservatio jam usu introducta erat, ut ostensum est in Appendice 1. Vicarii Generalis.

VII. Duos Ordines Sacros eadem die conferre Episcopo non licet. *Ibid. De Temporibus Ordinat.* Cap. *Litteras. post init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 11. Cap. 13.

VIII. Eodem

VIII. Eodem die ad tres Sacros Ordines promovendi Dispensatio Archiepiscopo minimè est permissa, sed ad solum Romanum Pontificem non est dubium pertinere. *De Temporibus Ordin.* Cap. *Dilectus. in inr. post med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 11. *Cap.* 15. Vide *Conc.* Hispal. II. *ann.* 619. *Can.* 5. Tom. V. *Conc. p.* 1665. Pertinet potiùs ad Sect. XVIII. ubi de Ministro Ordinationis; loquitur enim de Episcopo qui Presbyterum unum & duos Levitas ordinaverat, ipso manum imponente, & Presbytero benedicente.

IX. Pari ratione non licet unum Sacrum Ordinem, uno die, putà Sabbatho,& alium altero puta Dominico, jejunio continuato conferre, cùm propter continuationem jejunii,fictione Canonicâ,sive mane diei Dominicæ traharur ad Sabbathum, sive vespera Sabbathi ad diem Dominicam referatur; profectò manè cùm vespera, seu vespera cum manè ad eundem diem pertinere dicetur. *Ibidem.*

X. Duo Sacri Ordines non eodem die, etiam Regularibus, conferantur; Privilegiis,ac Indultis quibuscis concessis, non obstantibus quibuscumque. *Concil.* Trid. Sess. XXIII. *De Ref. Cap.* 13.

XI. Solus Romanus Pontifex in die Consecrationis suæ valet Ordines celebrare. *De Electione.* Cap. *Quod sicut.* §. *super eo. med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. *Cap.* 28. idque quia antè hymnum Angelicum ordinatur. Gonzalez. v. *Ante hymnum.* Vetustissimum hujus usus Testimonium.

XII. Cæteri Episcopi, quia consecrati concelebrant principaliter celebranti, ne dividatur Mysterium unitatis, non debent tunc Ordines celebrare *Ibid.* Gonzalez v. *Missarum*, refert plura exempla hujusmodi Ordinationum.

XIII. Episcopus qui in die Consecrationis suæ, antequàm Missarum Solemnia finirentur, Acolythum ordinâsset, pro tali excessû corripi & castigari deberet. *Ib. init.* nisi justa subesset excusatio, quales hic duæ memorantur.

XIV. His qui consecrandi sunt jejunis & à jejunantibus Sacra Benedictio conferatur. Dist. LXXV. *Cap.* 4. *Quod à Patribus. med.*

SECTIO XXII.

Quas pænas incurrant, tàm Episcopi Ordinantes, quàm Ordinati, cùm vel extra statuta tempora, vel plures eodem die Ordines Sacri, sine Dispensatione Apostolica conferuntur?

I. Extra statuta tempora ordinati non debent permitti in susceptis Ordinibus ministrare. *De Temporibus Ordin.* Cap. *Sanè fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 11. *Cap.* 2.

II. Si antiqua Consuetudo terræ talis esset, permitterentur in susceptis Ordinibus ministrare. *Ibid.*

III. Apud nos sic ordinati deponuntur. *Ibid.*

IV. Sic ordinati à susceptis Ordinibus tamdiu reddi debent expertes, donec apud Sedem Apostolicam Restitutionis gratiam consequantur. *Ibid.* Cap. *Cùm quidam. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 11. *Cap.* 8.

V. Talis Dispensatio soli Papæ reservatur. *Ibid.* & Glossa, verbo, *apud nos.*

VI. Sine Dispensatione Papæ, extrà tempora statuta ordinatos, primò eis pro transgressione hujusmodi, Pœnitentiâ impositâ competenti, Episcopus sustinere potest in susceptis Ordinibus ministrare. *Ibid.* Cap. *Consultationi.* Lib. I. Decr. *Tit.* 11. *Cap.* 16. Gonzalez in C. 1. 2. 3. *De Tempor. Ordin.* explicat hoc Cap. 16. ac difficultates contra necessitatem ordinandi certis temporibus, petitas ex facto Christi, Apostolorum, & Successorum, qui illud non servarunt, ex usu contrario Ecclesiæ Græcæ, ex Consecratione Episcoporum, quæ fit extra tempora prædicta, ac ex Collatione Minorum Ordinum, quæ extra eadem fieri potest.

VII. Episcopus, qui die quo non debuit Ordines celebravit, Canonicâ Disciplinâ corrigi debet. *De Temporibus Ordin.* Cap. *Cùm quidam. Init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 11. *Cap.* 8.

VIII. Extra Jejunia Quatuor Temporum, Ordinantes privantur authoritate ordinandi. *Ibid.* Cap. *Sanè. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 11. *Cap.* 2.

IX. Episcopus, qui uno die plures Ordines Sacros contulit, ut puniatur in quo deliquit, à Collatione Ordinum manere debet suspensus, donec de illoe-S des Apostolica aliter disponat. *De Temporibus Ordinat.* Cap. *Litteras. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 11. *Cap.* 13.

X. Episcopum qui die quo non debuit, celebravit Ordines, Canonicâ Disciplinâ corrigere, & ordinatos à susceptis Ordinibus tamdiù debes reddere expertes, donec apud nos vel Successores nostros Restitutionis gratiam consequantur. *De Jurejur.* Cap. *Cùm quidam. in int. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. *Cap.* 12.

XI. Etiamsi constaret quod Archiepiscopus ei præceperat, ut aliquem uno & eodem die ad plures Sacros Ordines promoveret, tamdiù ab ordinandi suspensus est potestate, donec Sedis Apostolicæ meruerit gratiam obtinere. *Ibid.* Cap. *Dilectus, fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 11. *Cap.* 16. Solus Papa super hoc dispensat. *Ibidem* & *Glossa finalis.*

XII. Sabbatho in Diaconum, & sequenti die Dominico in Presbyterum ordinatus, ab executione Officii Sacerdotalis tamdiù manere debet suspensus, donec de illo Sedes Apostolica aliter disponat. *Ibid.* Cap. *Litteras. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 11. *Cap.* 13.

XIII. Statuimus & ordinamus, quod omnes & singuli, qui absque Dispensatione Canonicâ aut legitimâ licentiâ, sive extra tempora à Jure statuta, sive ante ætatem legitimam, vel absque Dimissoriis Literis, ad aliquem ex Sacris Ordinibus se fecerint promoveri, à suorum Ordinum executione ipso jure suspensi sint; & si hujusmodi suspensione durante, in eisdem Ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso Irregularitatem incurrant. *Bulla* 7. Pii II. *Cùm ex Sacrorum* §. 1. *ann.* 1461. Bullarii Tom. I. *p.* 489.

XIV. Præterea, ultrà alias pœnas in tales generaliter à Jure inflictas, Beneficiis potiri non possint. *Ibid. fin.* Reducta fuit hæc Sixti V. Constitutio ad terminos Juris Communis, *Conc.* Trid. & Bulla Pii II. à Clemente VIII. *Bulla* 40. *Romanum Pontificem, ann.* 1595. Bullarii Tom. III. *p.* 54.

SECTIO XXIII.

Quid observare debeant Episcopi in conferendis Ordinibus?

I. Ille in ordinandis Presbyteris mos servari debet quem Apostolica Sedes observat. *De Sacra Unctione.* Cap. Unico §. *penult. ungitur. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 15. *Cap. Unico.*

II. Latini à Græcis, & Græci à Latinis, secundùm alterutrius Institutionis observantiam, non debent ordinari. *De Temporib. Ordin.* Cap. *Cùm secundùm.* Lib. I. Decr. *Tit.* 11. *Cap* 9.

III. Commixtiones & Consuetudines Rituum in Ordinibus observari non debent. *Ibid. fin.*

IV. Culpandus est Episcopus Latinus, qui Clericos suos à Græco facit Autistite ordinari. *Ibid.* Cap. *Quod translationem.* §. *Si verò.* Lib. I. Decr. *Tit.* 11. *Cap.* 11.

V. Presbyter cùm ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi, super caput illius teneant. Dist. XXIII. *Cap.* 8. *Presbyter. Ex Concil.* Carthagin. IV *Cap.* 3. *ann.* 398.

VI. Cùm Græcus Clericus Episcopo Latino subjectus à Græco Pontifice ordinatur, nisi de mandato vel licentia Episcopi sui fiat, interdicenda est ei Ordinis executio sic suspensi, tanquàm ab alieno Pontifice sine mandato vel licentia sui Episcopi ordinato. *Ibid.* §. 1.

VII. Si de mandato vel licentia sui Præsulis, à Græco Pontifice, secundùm morem Græcorum, fuerit ordinatus; quamdiù talis mos ab Ecclesiâ toleratur, impediri non debet ab executione Ordinum taliter susceptorum. *Ibid. fin.* Tolerantia hæc facit licitum quod aliàs illicitum foret.

VIII. Quid est manus citò imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus Examinis, ante meritum Obedientiæ, ante experientiam Disciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere non probatis. DIST. LXXVIII. *Cap. 3. Quid est.*

IX. Et quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici Ordinantem, qualis ille est qui non meruit ordinari. *Ibid. fin.*

X. Ecclesiastica & antiqua consuetudine præfixum nnvimus, ut omnis Sacerdos cùm ordinatur, Orario utroque humero ambiatur. *Ex Concil.* BRACARENSI III. *Cap. 3. ann. 675. Concil.* TOLET. XI. *ann. 675. Cap.* 10. TOM. VI. CONC. *p.* 551. Sciscitaris utrùm solis Presbyteris, an & Diaconis debeant, cùm ordinantur, manus Chrismatis liquore perungi? Quod in Sanctâ hâc Romana Ecclesiâ... neutris agitur, sed quia fit à novæ Legis Ministris actum... nusquàm legimus. DIST. XXIII. *Cap.* 12. *Præterea.* Ex *Epistolâ* X. NICOL. I. *Append. Cap.* 3. TOM. VIII. *Conc. p.* 505. Dirigitur Archiepiscopo BITURICENSI; undè Decretum INNOCENTII ad DECENTIUM EUGUBINUM non videtur congruum; quia iste Suffraganeus Papæ erat, eoque nomine jussum Ecclesiæ Romanæ sequi tenebatur.

XI. Divinos Ordines largiri, oportet districti semper esse judicii; rarum enim omne quod magnum est. DIST. LIX. *Cap.* 2. *Si Officia. fin.*

XII. Cùm Episcopus aliquem in Diaconum vel Presbyterum promovet, prior Diaconorum qui assistit, dicit: Postulat Sancta Mater Ecclesia hunc Diaconum vel Subdiaconum, ad onus Presbyteratûs vel Diaconatûs assumi. *De Scrutinio in Ordine faciendo. Cap. unico. Ex parte. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 12. *Cap. unico.*

XIII. Episcopo interrogante, si eum cognoverit esse dignum, idem respondet, quod quantùm humana fragilitas nosse sinit, & scit, & testificatur illum ad hujusmodi onus Officii esse dignum. *Ibidem.*

XIV. In tali Responsione aliquis non peccat, dummodò contra conscientiam non loquatur; quia non simpliciter illum asserit esse dignum, sed in quantùm humana fragilitas nosse sinit. *Ibidem.*

XV. Illum quem indignum esse non novit, dignum debet æstimare, adeòque ejusmodi Responsione securè uti potest, nisi fortè de indignitate ei constitetit consecrandi. *Ibid. De scrutinio in Ordine* &c. *Cap. unico §. 1. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 12. *Cap. unico.*

XVI. Si illum indignum esse cognoscit, Episcopo priusquàm ad hujusmodi scrutinium veniatur, secretò debet nuntiare vel intimare. *Ibid. §. 2. Si autem.*

XVII. Interrogationem hujusmodi, in Ordinatione Diaconi vel Presbyteri facimus. *Ibid. fin.*

Cætera observanda in Ordinatione, collecta habes in loco citato, *De requisitis ad Ordines.*

SECTIO XXIV.

Episcopos habere Supremam Authoritatem ad repellendos ab Ordinibus, vel ad promovendos ad Superiores Ordines quos voluerint?

I. Nullus debet ordinari qui judicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis. *Conc.* TRID. SESS. XXIII. *De Refor. Cap.* 16. *init.*

II. Ei cui ascensus ad Sacros Ordines à suo Prælato, ex quacumque causâ, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter, fuerit interdictus; nulla contra Prælati ipsius voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo suffragetur. *Conc.* TRID. SESS. XIV. *De Refor Cap.* 16. *med.*

III. Utilior est in Ecclesiâ paucorum bonorum electa probatio, quàm erraticæ multitudinis præsentia conglobata; ac plus ædificationis afferunt rara virtutis exempla, quàm popularis licentiæ abundans & incorrecta præsumptio. *Sententia* VERANI *Episcopi fortè Lugdunens. circ. ann.* 583. TOM. V. CONC. *p.* 979.

IV. In judicio Episcoporum sit, ut ipsi eum qui ordinandus est, probent, si in sermone & fide spirituali vita edoctus sit. DIST. LXIII. *Cap.* 8. Honestius & tutius est subjectis, debitam Præpositis obedientiam impendendo, in inferiori Ministerio deservire, quàm cùm Præpositorum scandalo, graduum (*Conc.* TRID. addit, *altiorum*) appetere dignitatem. *De Temporibus Ordin.* Cap. *Ad aures. post init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 11. *Cap.* 5. & *Conc.* TRID. SESS. XIV. *De Reform. Cap.* 1.

V. Damnat quoque S. LEO numerosiores Ordinationes, ad pompam Episcoporum, non ad salutem populorum factas. *Cap.* 2. DIST. LIX.

VI. Nec est in hac parte Subjectorum desiderium confovendum, quoniam esse potest quod Prælati eorum commissa secreta noverint; ex quibus constat eis quod salvâ conscientiâ nequeunt sublimari; quia non in sublimitate graduum, sed in amplitudine charitatis acquiritur Regnum Dei. *Ibid. De Temporibus Ordinat.* Cap. *Ad aures. §. nec est.* LIB. I. DECR. *Tit.* 11. *Cap.* 5.

VII. Quicunque Clerici vel Diaconi pro necessitatibus Ecclesiasticarum rerum, non obtemperaverint Episcopis suis, volentibus eos ad honorem ampliorem in Ecclesiâ suâ promovere, nec illi ministrent in suo gradu, undè noluerint recedere. DIST. LXIV. *Cap.* 4. *Placuit.*

Hinc in Gallia non coguntur rationem reddere denegationis Ordinum.

SECTIO XXV.

An invitis pueris, aliisque extra legitimam ætatem, conferri possint Ordines? & quæ pænæ sint decreta in eos qui ita vel ordinant, vel ordinantur?

I. Justum est, ut nemo crescere compellatur invitus, seu nolens ad Sacerdotii Ordinem provehatur. DIST. LXXIV. *Cap.* 2. *Gesta, med.*

II. Diaconos ad Presbyteri gradum venire detrectantes, invitosque fieri, Ecclesiastica moderatio gravitasque non patitur. DIST. LXXIV. *Cap.* 9. *Consuluit. init.*

III. Denuntiamus, quod si posthac aliquem seu Episcopum, seu Presbyterum, seu Diaconum invitum facere fortè credideris, Ordinationes sibi noveris auferendas. CAUSA XXV. QUÆST. II. *Cap.* 23. *Si qui Episcopi &c. Ibid. Cap.* 24. *ex Concil.* AURELIAN. *Cap.* 7. *ann.* 538.

IV. Episcopus qui invitum aut reclamantem præsumpserit ordinare, Pœnitentiæ fit subditus. DIST. LXXIV. *Cap.* 1. *Episcopus.*

V. Denuntiamus quod si aliquem, seu Episcopum, seu Presbyterum, seu Diaconum invitum facere fortè credideris, Ordinationes tibi noveris auferendas. DIST. LXXIV. *Cap.* 7. *Ibid. fin.* & CAUSA XXV. QUÆST. II. *Cap.* 23. *Denuntiamus.*

VI. Potest Ordinatione quadam perficere, ut Clerici ex nolentibus fiant volentes, si quâ saltem ratione eos constringat, ut honorem quem refugerant appetere nitantur & quæstum. *Ibid.* DIST. LXXIV. *Cap.* 9. *Consuluit.* SIMPLICIUS PAPA *Epistolâ* II, JOANNI *Episcopo Ravennat. ann.* 482.

Hoc Canone conciliantur Canones qui vetant Ordines invitis dare, cum Canonibus qui præcipiunt obedire Episcopis ad Ordines vocantibus.

VII. Eos qui extra tempora statuta, Sacros Ordines receperunt, caracterem non est dubium recepisse. *De Temporibus Ordin.* Cap. *Consultationi.* LIB. I. DECR. *Tit.* 11. *Cap.* 16.

VIII. Pueri ad Sacros Ordines nullatenùs admittantur. CAUSA I. QUÆST. I. *Cap.* 120. *Pueri. init.*

IX. Vel non est compos sui Episcopus, vel nimis videtur

videtur à se scientiam repulisse, qui puerum adhuc tredecim annorum, contrà Sacrorum Canonum Instituta, inordinatè in Diaconum dicitur ordinasse, in ludibrium Ordinis Clericalis. *Ibid. De Temporib. Ord.* Cap. *Vel non est. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 11. *Cap.* 14.

X. Talis extra legitimam ætatem ordinatus verè recipit Ordinem; sed ab executione Officii Diaconi, usque ad ætatem legitimam, in injuriam suspenditur Ordinantis. *Ibid.* §. *Discretioni.* Juncta Glossa, verbo *ætatem.* Episcopus qui ita ordinavit, à Collatione Ordinum sulpendi debet. *Ibid.*

XI. Debet etiam taliter ordinato providere in Ecelesiastico Beneficio competenti. *Ibid. fin.*

SECTIO XXVI.

An, & quomodò Episcopi debeant Litteras dare, vel Dimissorias, vel Testimoniales, Ordinis collati?

I. Ordinatus à suis Ordinatoribus Litteras accipere jubetur. Caus. II. Quæst. I. *Cap.* 9. *Legum. post init.* Vide Cod. Eccles. Afric. *Can.* 89. Tom. II. Conc. *p.* 2001.

II. Quoniam ab Ecclesiastico Ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet; nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam Clericalis Tonsuræ, nec pro Litteris Dimissoriis, aut Testimonialibus, nec pro sigillo, nec aliâ quâcunque de causâ, etiam sponte oblatum, Episcopi & alii Ordinum Collatores, aut eorum Ministri, quovis prætextu accipiant. *Concil.* Trid. Sess. XXI. *De Refor. Cap.* 1. *init.*

III. Notarii in his tantùm locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi pro singulis Litteris Dimissoriis, aut Testimonialibus, decimam tantùm unius aurei partem accipere possint; dummodò eis nullum salarium sit constitutum pro Officio exercendo. *Ibid.*

IV. Nec Episcopis, ex Notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem Ordinum Collationibus, directè vel indirectè, provenire possit; tunc enim gratis operam suam præstare omninò tenentur. *Ibid.*

V. Contrariæ taxæ, ac Statuta, & Consuetudines etiam immemorabiles, quorumcumque locorum, quæ potiùs abusus & corruptelæ simoniacæ pravitati faventes nuncupari possunt, penitùs cassata sunt & interdicta. *Ibid.*

VI. Qui secùs fecerint, tàm dantes quàm accipientes, ultra Divinam ultionem, pœnas à Jure inflictas ipso facto incurrant. *Ibid. fin.*

VII. Sicut Episcopum non decet, manum quam imponit, vendere, ita Minister vel Notarius non debet in Ordinatione ejus, vocem suam vel calamum vendere. Caus. I. Quæst. II. *Cap.* 4. *Sicut. init.* & *De Simoniâ. Cap.* 1. §. 1. Lib. V. Decr. *Tit.* 3. *Cap.* 1. Gregor. I. Lib. IV. *Epist.* 44. *sive in Synodo habita* anno 595.

VIII. Ut Episcopi de Sacris Ordinibus munus non accipiant, nec aliquis de subjectis eorum, sicut pro scribendis nominibus Ordinandorum, solebant Scriptores pretium accipere. *Concil.* Bituric. *anni* 1031. *Can.* 3. Tom. IX. Conc. *p.* 865.

SECTIO XXVII.

Quas pœnas incurrant qui se ordinari patiuntur ab Episcopis Hæreticis, Schismaticis, Excommunicatis, vel qui renuntiaverunt Episcopatui?

I. Ordinationes ab Hæreticis factæ, & ab ordinatis ab eis, irritæ sunt. Intellige quoad executionem: Irritæ sunt quoque eodem modo quæ fiunt à Schismaticis & ordinatis ab eis. *Cap. Quod à Prædecessore* Lib. V. Decr. *Tit.* 8. *Cap.* 1. §. 10. *init. Concilium* Placentinum *anni* 1095. *Cap.* 9. *&c.* Tom. X Conc. *p.* 504. *Concilium* Rom. III. *anni* 1099. *Cap.* 8. 9. 10. *&c.* Tom. X. Conc. *p.* 616. Si Schismatici à Catholicis ordinati sunt, suscipiendi redeuntes ad Ecclesiam in suis gradibus.

II. Ordinationes quæ ab Hæresiarchis nominatim excommunicatis factæ sunt, & ab eis qui Catholicorum adhuc viventium Episcoporum Sedes invaserunt, irritæ esse judicantur; nisi probare valuerint, se, cùm ordinarentur, eos nescisse damnatos. Caus. IX. Quæst. I. *Cap.* 5. *Ordinationes. init.*

III. Aliquis vim passus, atque invitus attractus, repugnansque ab Hæreticis ordinatus, si statim discedentibus illis, pessimo Conciliabulo eorum renuntiavit, & ad Ecclesiam rediit; iste talis potest habere colorem aliquem excusationis. Caus. I. Quæst. I. *Cap.* 111. *Constat.* Innocent. I. *Epistola* 22. *Cap.* 5. *ann.* 414.

IV. Qui fuit à Schismatico ordinatus, ab Officio debet repelli incunctanter, nisi legitimè probaverit secum fuisse misericorditer dispensatum, & ab eâ personâ quæ super hoc potestatem habuerit dispensandi. *De Schismaticis.* Cap. *Fraternitati.* Lib. V. Decr. *Tit.* 8. *Cap.* 2.

V. Quicunque à Schismaticis, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ adversariis, se ordinari permiserit, & ad Ecclesiæ unitatem redierit, nullatenùs servatis propriis Ordinibus, suscipiatur. Caus. IX. Quæst. I. *Cap.* 5. *Ordinationes* §. 3.

VI. Cum Clericis qui ab excommunicato Episcopo ignoranter Ordines receperunt, per suos poterit Episcopos dispensari. *De Ordinatis ab Episcopo qui renuntiavit.* Cap. *Cum Clericis.* Lib. I. Decr. *Tit.* 13. *Cap.* 2.

VII. Ab excommunicatis, quondam tamen Catholicis, Episcopis ordinatos, siquidem non simoniacè Ordines ipsos acceperunt, etsi ipsos Episcopos simoniacos non fuisse constiterit; ad hæc, si eorum Religiosior vita & Doctrinæ prærogativa visa fuerit promereri; Pœnitentiâ indictâ quam congruam duxerit Episcopus, in ipsis quos acceperunt Ordinibus, permanere, potest permittere. Caus. IX. Quæst. I. *Cap.* 4. *Ab Excommunicatis.* Urb. II. Sciendum est quod non semper contrarius sensus authoritatis pro lege & certa ratione suscipiendus est. Glossa. *v. Etsi tunc. med.*

VIII. Ad Superiores autem Ordines iis conscendere non conceditur, nisi necessitas vel utilitas maxima flagitaverit, & ipsorum sancta conversatio promeruerit. *Ibid.*

IX. Qui à Diœcesano Episcopo fuit in Subdiaconum ordinatus, de quo postmodum didicit, ex relatione quorumdam, quod multoties commiserat vitium simoniæ, in Ordine sic suscepto securè potest ministrare; sed contrà conscientiam non debet ab eodem Episcopo ad Superiores Ordines promoveri, nisi deponat errorem. *De Simoniâ.* Cap. *Per tuas.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. *Cap.* 35. Urbanus II. *Epistolâ* 17. *Appendicis* Tom. X. Conc. *p.* 454.

X. Clerici qui post renunciationem factam, ab Episcopo Ordines receperunt, in ipsis debent remanere, si Episcopus renuntiavit loco tantùm. *De Ordinatis ab Episcopo qui renuntiavit.* Cap. *Requisivit.* Lib. I. Decr. *Tit.* 13. *Cap.* 1.

XI. Si Episcopus renuntiavit loco simul & Dignitati, qui à tali Minores Ordines, usque ad Subdiaconatum exclusivè, acceperit, & in illis deservire poterit, & ad Majores, si idoneus fuerit, promoveri. *Ibidem.*

XII. Si ab eodem Sacros Ordines quis receperit, quia indignum se fecit, executionem Officii non habebit. *Ibid.* §. *sanè.*

XIII. Ubi autem non scienter illos Ordines receperit, poterit, nisi crassa & supina fuerit ignorantia, discretus Pontifex dispensare. *Ibid fin.*

SECTIO XXVIII.

An possint Ordines denuò conferri vel amitti?

I. In Sacramento Ordinis, sicut & in Baptismo & Confirmatione, character imprimitur qui nec deleri, nec auferri potest. *Concilium* TRID. SESS. XXIII. *Cap.* 4.

II. Sicut semel baptisatus iterùm baptisari non debet; ita qui consecratus est semel, in eodem iterùm Ordine non debet consecrari. DIST. LXVIII. *Cap.* 10. *Sicut. init.* Non licet fieri Rebaptisationes & Reordinationes. *De Consecr.* DIST. IV. *Cap.* 107. *Non licet.*

III. Si incogniti fuerint illi qui ordinant, & dubium est eos Episcopos fuisse, an non, qui Presbyteros ordinaverunt; si bonæ actionis & Catholici Viri sunt ipsi Presbyteri, & in Ministerio CHRISTI, omnique Lege Sanctâ edocti, ab Episcopo suo Benedictionem Presbyteratùs suscipiant, & consecrentur; & sic Ministerio Sacro fungantur. DIST. LXVIII. *Cap.* 2. *Presbyteris.*

IV. Non intelligitur iteratum quod factum esse nescitur. *De Clerico per saltum promoto.* Cap *unico.* LIB. V. DECR. *Tit.* 29. *Cap. unico.*

V. Non dicitur iterari quòd priùs factum non fuit. *De Sacramentis non iterandis.* Cap. *Pastoralit.* GLOSSA colligit. LIB. I. DECR. *Tit.* 16. *Cap.* 1.

VI. Ordinatus si ab unitate discesserit, Sacramentum dandi Baptismi non amittit; nulli enim Sacramento injuria facienda est. *De Consecr.* DIST. IV. *Cap.* 31. *Ostenditur.* §. 1. *Sacramentum.*

VII. Falsa eorum sententia qui asserunt Novi Testamenti Sacerdotes, temporariam tantummodo potestatem habere, & semel ritè ordinatos iterùm Laicos effici posse, si Verbi Dei Ministerium non exerceant. *Concilium* TRID. SESS. XXIII. *Cap.* 4. Canones vetantes ne Ordinationes iterentur, loquuntur de iis quæ certè validæ sunt, sicuti Canones qui prohibent ne iteretur Baptismus, loquuntur de Baptismo haud dubiè valido; quæ enim irrita sunt, habentur pro non factis, juxta Regulam, *Quæ contra jus fiunt, pro infectis utique haberi debent*, & juxta istam, *Quod nullum est, nullum præstat impedimentum.* Hinc nihil actum est contra hos Canones, quotiescumque, probante Ecclesia, ordinari sunt qui jam fuerant ordinati, quia hujusmodi invalidè ordinati fuerant ob Ordines receptos ante Baptismum, *Cap.* 1. 1. *De Presbytero nondum baptizato*; vel ob defectum potestatis in Ordinante, qui vel non fuerat consecratus Episcopus, vel probare non poterat Consecrationem suam, vel ista pro verè irritâ habebatur. His, aliisve similibus modis conciliantur Canones vetantes Reordinationes, cum illis qui illas vel permittunt vel præcipiunt.

Eodem planè modo conciliari solent Canones, prohibentes Rebaptisationem, cum Canonibus illam præcipientibus; hi enim intelliguntur de iteratione Baptismi invalidè collati; illi verò de iteratione Baptismi ritè administrati. Ut ergò ista conciliatio justa rectaque est, cùm vera iteratio Baptismi non fit, quoties prior irritus fuit, sed apparens; ideòque Rebaptizatio dici non debeat, proindèque eo nomine impropriè admodùm donetur: sic præcedens conciliatio Canonum circa iterationem Ordinationum, optima est, cùm prohibentes intelligantur de verâ iteratione quæ fit quandò ritè ordinati iterùm ordinantur; præcipientes verò de falsâ seu apparenti, qualis est quandò iterùm ordinantur qui aliàs invalidè ordinati fuerunt.

Abusus circa iteratas Ordinationes factas exempla frequentiora fuere sub STEPHANO FORMOSI Successore.

Abusus verò quoad Baptismum sine justâ causâ iteratum, duravit per plura sæcula, nimirum quandiù Baptisati ab Hæreticis aut à Schismaticis iterùm baptizati sunt, etsi in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti baptizati essent, ex eo potissimùm quòd extra Ecclesiam Baptismum suscepissent. Hoc autem viguit à Sæculo II. ad VIII. quo recipi cœpit ubique *Canon* 8. *Concilii* ARELATENSIS ann. 314. celebrati, probans Baptisma eo nomine à quocumque collatum. Vide LAUNOIUM TOM. II. *Parte* 1. *De Concilio plenario apud* S. AUGUSTINUM & TOM. V. *Parte* 2. *in postremâ Libri* 8. *Epistolâ.*

SECTIO XXIX.

In quibus Sacramentum Ordinis, & Sacramentum Matrimonii conveniant, differantve?

Dicturi de Sacramento Matrimonii, postquàm egimus de Sacramento Ordinis, inter utrumque Sacramentum comparationem instituendam duximus. Hinc jam dicta de illo, & dicenda de isto invicem illustrabuntur. Hinc intellectâ mutuâ affinitate, patebit cur Ecclesia hæc duo Sacramenta quodammodò ab aliis distinguat, illis assignando postrema loca inter Sacramenta; hoc enim factum non esset, si peculiari similitudine non conjungerentur.

His de Causis observamus, utrumque Sacramentum eâ potissimùm ratione convenire quâ ab aliis secernuntur; nempè sine suo peculiari, qui est bonum publicum; sive spirituale, ut in Ordine; sive temporale, ut in Matrimonio; alia siquidem Sacramenta proprium cujusque Susceptoris commodum proximè respiciunt.

Ut autem ea distinctionis ratio faciliùs intelligatur, ob oculos objiciendum, duplex esse Reipublicæ genus, aliam scilicet Sacram, seu Spiritualem; aliam Profanam, sive Temporalem; istam formari, propagari, & conservari medio matrimonio à quo accipit filios, membra, & Ministros ad rectam administrationem temporalem necessarios: illam verò paria commoda sibi congruentia, ab Ordinatione percipere: Hinc enim primùm Ministri, à quibus proles quæ nascitur per Baptismum, roboratur per Confirmationem, nutritur per Eucharistiam, curatur per Pœnitentiam, & per Extremam Unctionem, cujusque pars non exigua ad Ministerium evehitur, unde Reipublicæ Sacræ perpetua, constans, indeficiensque conservatio, perindè ac ipsius membrorum infinita propemodum multiplicatio.

Itaque cùm Sacramentum Matrimonii, & Sacramentum Ordinis pro suo quodque genere similes effectus operentur, Ordinatione fit Conjugium Spirituale, quotiescumque conferuntur Sacri Ordines sub Titulo Beneficii curam animarum habentis, eoque modo ordinati conjuges sponsive suarum Ecclesiarum vocitari solent; quod innumeris Canonibus demonstrari potest, à quibus Episcopi aliique consimiles eo nomine insigniuntur: Illorum præcipui collecti sunt, dùm de Episcopis, de Parochis, aliisque Pastoribus actum est. Ex eodem fonte manat frequens in iisdem Canonibus vinculi Episcopalis cum vinculo conjugali comparatio, in quâ tamen istud ab illo in hoc differt, quòd indissolubile sit omninò, si conjugium consummatum fuerit; Episcopale verò vinculum, etiam Consecratione consummatum, justâ de causâ, nempè vel urgente Ecclesiæ necessitate, vel evidenti illius utilitate, dissolvi possit: Discriminis hujus ratio potissima petitur ex eo quod vinculum Episcopale formetur ab Ecclesiâ propter animarum salutem, quæ quandoque illam cogit illud dissolvere; vinculum conjugale formatur à Deo qui illud solvere prohibuit, ut ostensum in Traditione Ecclesiæ circa Sacramentum Matrimonii, TOM. III. idque propter causas ibidem expositas.

Hactenùs observatum est, Sacramenta Ordinis & Matrimonii convenire & differre ratione finis, ratione effectûs, & ratione nominis: Nunc observandum, in quibus consentiant & dissentiant, ratione dispositionum quas in suscipientibus exigunt, qua-

rumque

defectus vocantur impedimenta quoad Matrimonium, & Irregularitates quoad Ordines & Beneficia. Cùm illorum finis peculiaris ſit bonum publicum, hinc multò plures diſpoſitiones poſtulant, quàm cætera Sacramenta, commodum privatum ſuſcipientis ſolùmmodò ſpectantia; nam præter iſtas, alias requirunt Rempublicam Sacram contingentes.

Illarum autem diſpoſitionum aliæ adeò neceſſariæ ſunt in ſuſcipiente, ut, ſi illis careat, ſuſceptio nedùm illicita, ſed etiam irrita ſit; aliæ verò exiguntur tantùm ut licitè ſuſcipiantur: Hinc impedimenta ex defectu diſpoſitionum prioris generis vocantur dirimentia; cætera verò dicuntur prohibentia. Inter diſpoſitiones ad Ordines requiſitas, pauciſſimæ ſunt quæ ſint prioris generis; hoc enim tantùm convenit Baptiſmi & ſexûs maſculini defectui vel carentiæ: Cæteræ irregularitates ſunt impedimenta poſterioris generis; secùs quoad matrimonium ex diſpoſitionibus illud reſpicientibus, multò plures ſunt prioris generis quàm poſterioris; hinc impedimenta provenientia ex illarum defectu, & dirimentia dicta excedunt numero alia quæ impedientia vel prohibentia denominata: Utrumque patebit dum de illis in genere, & in ſpecie agetur.

Unum ſupereſt in quo eadem Sacramenta Ordinis & Matrimonii comparari itidem poſſunt; illudque jam prætactum, dùm devincu lo mentio facta eſt, ſed inſufficienter explicatum. In Ordinatione imprimitur caracter quo ſit inamiſſibilis poteſtas quam confert, undè quandiù vivit Ordinatus, tamdiù manet in eo poteſtas ab illo accepta, non obſtante quocumque crimine, vel defectu, vel Cenſura, vel Irregularitate Ordinationi accedente, ita ut actus quilibet à ritè Ordinato exercitus ſemper valeat, dummodò à ſolo Ordine omninò pendeat; Impedimenta ſingula ſuccedentia ſuſpendere quidem poſſunt illius exercitium, illudque facere illicitum, ſed ſalvâ manente ſubſtantiâ poteſtatis; uſus illius numquàm inutilis niſi ad valorem illius Juriſdictio requiratur, quo caſu actùs inutilitas à defectu Ordinis non petitur, ſed à defectu Juriſdictionis. Simile quid operatur in utroque conjuge Matrimonium ritè celebratum, acquiſitâ mutuâ utrique in corpus alterius poteſtate, quæ durat per vitam illorum; undè etſi uſus illius amittatur crimine vel impedimento alio ſuccedente, legitima eſt proles indè proveniens: Nullæ extant Leges vel Canones quibus auferatur hæc poteſtas; ſuſpendunt illam quandoque, illiuſque uſum efficiunt illicitum, ſed nihil ampliùs: ſola morte alterutrius conjugum tollitur, ſi ſemel illâ uſi fuerint

---

TITULUS X.

De Sponſalibus.

SECTIO I.

Quid ſint Sponſalia, & quâ ratione contrahantur?

ANtequàm referantur Textus, qui naturam Sponſalium explicant, notandum, quod vox Sponſalia à voce ſpondeo derivetur, quæ idem ſignificat ac promitto; ideòque illa conſiſtere debeant in promiſſione mutuâ, diſtinguendâ maximè à Matrimonio, quod eſt proprie donatio, quæ cùm ſubſequitur promiſſionem, eſt illius executio; undè Sponſalia differre debent à Matrimonio eodem modo quo promiſſio differt à donatione. Hinc 1o. in Inſcriptione *Tit.* 1. Sponſalia à Matrimonio diſtinguuntur, ut res planè diverſæ; hæc eſt enim *De Sponſalibus & Matrimonio.* 2o. Matrimonium æquè impropriè dici Sponſalia ac Sponſalia Matrimonium. 3o. Quotieſcumque vox Sponſalia ad ſignificandum Matrimonium uſurpatur, adduntur hæc verba, *de præſenti*, vel ſubintelliguntur. 4. In dubio, ubicumque ſermo ſit de Sponſalibus, de ſimplicibus Sponſalibus id intelligendum, quia hoc caſu verba in propriâ ſignificatione ſumuntur. Harum Obſervationum neceſſitas patebit ex Textibus citandis in hoc Titulo & in aliis ſubſecuturis.

I. Sponſalia futurarum ſunt nuptiarum promiſſio. Caus. XXX. Quæst. V. *Cap.* 3. *Noſtrates. poſt init.*

II. Inter Virum & Mulierem accedit promiſſio de futuro, utroque dicente alteri: Ego te recipiam in meam; & Ego te in meum; ſive verba ſimilia. *De Sponſalibus.* Cap. *Si inter.* §. *verùm.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. *Cap.* 31. *ſeu penultimo.* eſt Gregorii IX. motu proprio. Gonzalez. Per verba de futuro Sponſalia contrahuntur. *Ibid.* Cap. *Sicut* §. *quod ſi.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. *Cap.* 22.

III. Per verba de futuro Vir deſponſat Mulierem, qui illam ſe ducturum in conjugium promittit. *Ibid. init.* & §. *poſtulationi.*

IV. Mulier poteſt Viro abſenti fide datâ ſe nupturam promittere. *Qui Clerici vel voventes* &c. Cap. *Veniens. init..* Colligitur. Lib. IV. Decr. *Tit.* 6. *Cap.* 5.

V. Inter Virum & Mulierem acceſſit promiſſio de futuro, cùm videlicet uterque dixit alteri; Ego te recipiam in meam, & ego te recipiam in meum. *De ſponſa duorum.* Cap. *Tua fraternitas* juxta *Collectionem* Gonzalis. *mel.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 4. *Cap.* 4. Et Alexandri III. *Januenſi Epiſcopo.*

VI Juramento firmantur Sponſalia cùm quis jurat ſe quamdam ducturum poſteà in uxorem. *Ibid.* Cap. *Rurſus. init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 6. Cap. 6. & *De Sponſalibus.* Cap. *Sicut. init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. *Cap.* 22.

VII. Sponſalia interpoſitâ conditione contraxit, qui in quamdam mulierem conſenſit, ſi pater ejus ſuum præſtaret aſſenſum. *De conditionibus appoſitis.* Cap. *Super eo.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 5. *Cap.* 5.

VIII. Conſenſus liber dici non poteſt qui in alieno arbitrio reſervatur. *Ibid.*

IX. Eſt fides pactionis, quandò aliquis promittit alicui fidem quod eam ducet, ſi permiſerit eum ſecùm rem habere, vel etiam pro conſenſu in futurum Matrimonium. *De ſponſâ duorum.* Cap. *Duobus.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 4. Cap. 1. §. *eſt autem.*

SECTIO II.

Quâ ætate Sponſalia iniri poſſint?

I. Deſponſationes ejuſmodi nullæ ſunt quæ in cunabulis fiunt. *De Deſponſatione impuberum.* Cap. *Litteras.* §. *Conſolationi.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 2. *Cap.* 4.

II. Deſponſationes ante ſeptem annos fieri non poſſunt, ſi conſenſus poſteà non accedit. *Ibid. De Deſponſatione impub.* Cap. *Acceſſit.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 2. Cap. 5. *Append. Conc. Later.* III. *Parte* 6. *Cap.* 7.

III. Qui pueris dant puellas in cunabilis, & è converſo, nihil faciunt, niſi uterque puerorum poſtquàm venerit ad annos diſcretionis, conſentiat; etiamſi pater ac mater hoc voluerint & fecerint. Causa XXX. Quæst. II. *Cap. unico.*

IV. Inter juvenem & puellam Sponſalia non fuerunt contracta, cùm conſtat puellam nondùm ad ſeptennium perveniſſe. *Ibid.* Cap. *Ad diſſolvendum* §. *Interloquendo.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 2. *Cap.* 13.

V. Sponſalia parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt. *In* 6. *De Deſponſatione impuberum.* Cap. unico. §. 2. *porrò* Lib. IV. Decr. *Tit.* 2. Cap. *unico.* Sed non obligantur filii niſi expreſſè vel tacitè conſenſerint; tacitus eſt con-

ſenſus

sensus si præsentes fuerint, & non contradixerint. Potest filium nondùm adultum, voluntas cujus discerni non potest. Pater cui vult (hoc est desponsare. Vide GLOSSAM & Interpretes) matrimonio tradere. *De Desponsatione impub.* Cap. *Tua.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 2. Cap. 1. Hic Textus adversatur aliis qui exigunt consensum tacitum vel expressum filiorum ad Sponsalia; sed isti posteriores huic derogarunt.

VI. Si infantes ad invicem, vel unus major septennio, & alter minor, Sponsalia contraxerint; ipsi, vel Parentes pro eis, nisi per cohabitationem eorum mutuam, sive aliàs verbo vel facto ipsorum, liquidò appareat eosdem in eadem voluntate factos majores septennio perdurare; Sponsalia ejusmodi quæ ab initio nulla erant, per lapsum dicti temporis minimè convalescunt. *In 6. De Despons. Impuber.* Cap. un. LIB. IV. *Tit.* 2. Cap. unico. *init.* Sed novo consensu fiunt nova.

VII. De filio adulto quem pater matrimonium (hoc est Sponsalia) vult contrahere, si aliquo modo non consentit filius, fieri non potest. *De Despons. Impub.* Cap. *Tua. init.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 2. Cap. 1.

VIII. Si puella ante desponsationem septimum annum complevit, verè fuit desponsata. *De Desponsatione Impuberum* Cap. *Accessit. med. §. sanè* LIB. IV. DECR. *Tit.* 2. Cap. 5.

IX. Postquàm puella septimum annum complevit, Sponsalia ex tunc placere consueverunt. *Ibid.* Cap. *Litteras. fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 2. Cap. 4.

X. In aliquibus ætatem supplevisse malitia videtur. *De Desponsat. Impub.* Cap. *De illis.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 2. Cap. 9.

XI. Quod de Matrimonio antiquo jure statutum fuerat, nunc de solis Sponsalibus intelligendum est, ubi nullum novum Jus inductum est.

Hujus Notæ ratio esse debet, quod malitia non supplebat ætatem in Matrimoniis, nisi in illis quæ præsumpta dicebantur, quæque abrogata sunt.

SECTIO III.

An, & quomodo teneatur aliquis in conscientiâ fidem Sponsaliorum servare?

I. Si aliquis alicui mulieri fidem fecerit pactionis, non debet aliam ducere. *De sponsa duorum.* Cap. *Duobus. init.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 4. Cap. 1.

II. Si is aliam duxerit in uxorem, Pœnitentiam debet agere de fide mentitâ. *Ibid.*.

III Qui Sponsalia purè ac determinatè cum aliquâ muliere contraxit, & postmodùm cum secundâ idem fecit; ex priorum Sponsaliorum vigore ad Matrimonium contrahendum cum primâ remanet obligatus. *In 6. De Sponsalibus.* Cap. un. *med.* LIB. IV. *Tit.* 1. Cap. *unico.* Qui prior est tempore potior est jure, quia agitur de pari vinculo.

IV. Si inter aliquos accessit promissio de futuro, & alius per verba de præsenti mulierem desponsaverit, eis est de violatione fidei Pœnitentia injungenda. *De Sponsalib.* Cap. *Si inter* §. *Verum. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 1. Cap. 32. *penult.*

V. Ubi Sponsalia præcesserunt, inter Virum & mulierem obligatorium vinculum est contractum. *De restitutione spoliatorum.* Cap. *Ex parte. §. quia igitur.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 14.

VI. Si constiterit quod quispiam unam mulierem per verba de futuro, alteram verò desponsaverit per verba de præsenti, imponi debet ei Pœnitentia competens, quia primam fidem irritam fecit. *Ibid. De Sponsalibus.* Cap. *sicut. §.* 1. *Postulationi. init.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 1. Cap. 22.

VII. De illis qui præstito juramento promittunt, se aliquas mulieres ducturos, illæ recipere debent de perjurio Pœnitentiam, si per eas steterit, quominus fuerit Matrimonium consummatum. *Ibid.* Cap. *De illis.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 1. Cap. 5.

VIII. Si Vir mulieri de contrahendo Matrimonio fidem dedit, & se cum eâ intra biennium per verba de præsenti contracturum, præstito juramento firmavit, nunc autem privatâ lege ductus ad frugem melioris vitæ transire suspirat, tutius est ei, Religione juramenti servatâ, priùs contrahere, & posteà, si elegerit, ad Religionem migrare. *Ibid.* Cap. *Commissum.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 1. Cap. 16. Contrarium ostensum in *Consult.* 16. TOM. I. *De Matrim. Consultationum Canonic. de Sacram.* TOM. II.

IX. Si quis forsitan in juramento suo certum terminum, intra quem mulierem ducat in uxorem, præfixit, nec per eum stetit, quin ad statutum terminum matrimonium consummaverit, primam fidem irritam non facit. *Ibid.* Cap. *Sicut.* §. *Postulationi.* LIB. IV. DECR. Tit. 1. Cap. 22.

X. Si puella ante desponsationem cum Viro septimum annum non complevit, & posteà in eum consentire noluerit, Vir à desponsatione ipsius puellæ ipso jure absolvitur. *De Despons. Impuberum.* Cap. *Accessit. fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 2. Cap. 5.

Ex collectis Canonibus plectentibus illos qui non servant Sponsalia, excipiendi sunt quicumque ab illorum adimpletione legitimè excusantur, de quibus excusationibus sequens Sectio.

SECTIO IV.

Quomodò Judex Ecclesiasticus decernere debeat circa eos, qui fidem sibi dederunt, aut etiam juramento firmaverunt, & adimplere recusant?

I. Si quis per verba de futuro Sponsalia cum duabus mulieribus contraxit, & juramento firmavit; juramentum primum, sicut licitè factum est, ipsum servare Judex compellat, de secundo ei Pœnitentiam injuncturus. *De Sponsalib.* Cap. *Sicut* §. 2. *quod si. init.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 1. Cap. 22.

II. Viro negante se mulierem affidasse, cùm mater filiæ incrementum & honorem videtur diligere, ubi Vir superior est divitiis, nobilitate, potentiâ, vel honore, testimonium ejus videtur esse suspectum, & ideò non esse aliquatenùs admittendum. *De Testibus.* Cap. *Super eo quod.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 22.

III. Hi qui de matrimonio contrahendo purè & sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, & modis omnibus inducendi, ut præstitam fidem observent. *Ibid. De Sponsalibus.* Cap. *Prætereà. init.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 1. Cap. 2.

IV. Fides inter Virum & mulierem occultè & sine testibus de conjugio data, si ab alterutro negata fuerit, irrita habeatur. *Concil.* LONO. *anni* 1102. *Can.* 22. TOM. X. CONC. *p.* 730. Convenit hic Canon cum *Cap.* 22. *De Testibus & attest.* in eo quod juramentum partis asserentis non admittebatur.

V. Si autem se ad invicem admittere noluerint, ne fortè deterius indè contingat, ut talem scilicet ducat quam odio habet; videtur quod ad instar eorum qui societatem interpositione fidei contrahunt, & posteà eamdem sibi remittunt, hoc possit in patientiâ tolerari. *Ibid.* §. *si autem.* Comparatio exigere videtur ut utraque pars consentiat, ut in dissolutione societatis.

VI. Nullâ Censurâ mulier compelli debet, quæ jurisjurandi Religione neglectâ nubere renuit, cui se nupturam interposito juramento firmavit: Et cum libera debeant esse Matrimonia, monenda est potiùs quàm cogenda; cùm coactiones difficiles soleant frequenter exitus habere. *Ibid.* Cap. *Requisivit.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 1. Cap. 17.

VII. Si constiterit quod Vir mulierem se juravit ducere in uxorem, & tamen velit ad alia vota migrare, quia periculosum est contra juramentum suum venire, eum moneat Judex, & si non acquieverit moni-

monitis, Ecclesiastica Censura compellat, ut ipsam nisi (rationabilem causam hic intellige nimiam repugnantiam, ex qua sequerentur odia & dissensiones, unde Matrimonium difficiles exitus haberet; juxta Caput *Requisivit*) rationabilis causa obstiterit, in uxorem recipiat, & maritali affectione pertractet. *De Sponsalibus.* Cap. *Ex Literis. §. quia igitur.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. *Cap.* 10. Hic Textus cum *Cap.* 17. conciliari etiam potest, ex eo quod istud posterius sit, sicque alii derogaverit.

VIII. Si quis cùm filiam suam cuidam filiorum sui Concivis dare vellet uxorem, juravit, quod si ille eam habere, casu aliquo interveniente, non posset, alteri filio quem de alia uxore genuerat, eamdem Matrimonio copularet; si suum implere propositum non permittitur, ut ob impedimentum proveniens ex eo quod frater nequeat habere sponsam fratris sui, ut Pœnitentiam agat de illicito juramento, monitione præmissa, Ecclesiastica districtione eum debet Judex compellere. *De Sponsalibus.* Cap. *Ad audientiam. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. Cap. 4.

SECTIO V.

Ex quibus Sponsalibus oriatur, vel non oriatur, impedimentum justitia publica honestatis, & quid efficiat illud impedimentum?

I. Ex Sponsalibus puris & certis oritur efficax ad impediendum & dirimendum sequentia Sponsalia vel Matrimonia impedimentum justitiæ publicæ honestatis, *In 6. De Sponsalib.* Cap. unicn. Lib. IV. *Tit.* 1.

II. Ex Sponsalibus conditionalibus, ante conditionem extantem, nulla publicæ honestatis justitia oritur. *Ibid. §. illc. fin. In 6.* Lib. IV. *Tit.* 1. Cap. unico. Prima mentio hujus impedimenti, sub nomine honestatis, in *Cap.* 3. *De Sponsal.* sic enim vocatur ab Eugenio III. his verbis, *propter honestatem Ecclesiæ*; eo nomine donari potest quodlibet impedimentum Matrimonii, cùm omnia sint instituta, ut servetur in Matrimonio quod honestum est; hoc autem nomen affectatum & appropriatum est impedimento ex Sponsalibus nascenti, omniumque minimo; ut nomen *animal* commune homini cum brutis, istis affectatum est.

III. Ex Sponsalibus consensu non habentibus & incertis (appellantur Sponsalia incerta, cùm promittit aliquis se ducturum unam ex pluribus filiabus Titii. *Glossa. Ibidem*) nulla publicæ honestatis justitia oritur. *Ibid. fin.*

IV. Ex Sponsalibus quæ Parentes pro filiis puberibus vel impuberibus contrahunt, ipsi filii, si expressè consenserint, vel tacitè, ut si præsentes fuerint, nec contradixerint, obligantur, & ex eis oritur justitia publicæ honestatis. *In 6. De Desponsatione Impuberum.* Cap. unico. *Si infantes.* §. 1. *porro.* Lib. IV. *Tit.* 2. Cap. unico.

V. Est idem si filii tempore Sponsaliorum absentes, & etiam ignorantes, eadem Sponsalia post scientes ratificaverint, tacitè vel expressè. *Ibid. §.* 3. *& est.*

VI. Aliàs ex Sponsalibus contractis à Parentibus pro filiis, nec ipsi filii obligantur, nec publicæ honestatis Justitia indè surgit. *Ibid. fin. In 6.* Lib. IV. *Tit.* 2. *De Desponsatione Impuberum.* Cap. unico.

VII. Si constiterit quod puella non esset septennis, quando viro desponsata fuit, & posteà in eum non consenserit; matrimonium inter eundem & matrem puellæ inviolabiliter debet observari. *De Desponsatione Impub.* Cap. *Accessit. post init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 2. Cap. 5.

VIII. Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi Sponsalia quacunque ratione valida non erunt, prorsus nullum est, vel sublatum est. *Conc.* Trid. Sess. XXIV. *De Reform. matrimonii* Cap. 3. *init.*

IX. Publicæ honestatis justitia prohibente matrimonium contrahi non potest, & contractum debet separari. *Qui filii sint legitimi.* Cap. *Referente. init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 17. Cap. 10.

X. Ac per hoc eùm filii, nec per Ecclesiæ permissionem, nec per paternam ignorantiam excusentur, ad successionem bonorum paternorum non videntur aliquatenus admittendi. *Ibid. fin.*

XI. Absque ullius criminis vitio fieri potest, ut velit aliquis secundam filiam illi nuptiis collocare, cui primam jam decreverat tantummodò desponsare, si utriusque partis federit voluntati. Caus. XXVII. Quæst. II. Cap. 18. *Lex. fin.* Hoc enim consensu facta sunt Sponsalia.

XII. Si vir cùm esset perfectæ ætatis puellam desponsavit, & matrem ejus, antequàm septimum annum complevisset, in uxorem accepit, matrimonium non debet dissolvi. *De Despons. Impub.* Cap. *Literas. §. Consultationi.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 2. Cap. 4. Hinc patet quod Bonifacius VIII. dùm dixit *Cap.* 1. *De Sponsalibus. in* 6. Sponsalia ex consensûs defectu nulla non inducere impedimentum, novum Jus non statuit, sed antiquum declaravit.

SECTIO VI.

An maneat impedimentum justitia publica honestatis, etiam post dissoluta Jure Sponsalia, & inter quas personas sit?

I. Si puella ante desponsationem septimum annum compleverat, licet vir à desponsatione ipsius puellæ ipso Jure fuerit absolutus, cum ea in eum consentire noluerit; inhonestum tamen videtur, ut matrem ejus habeat, cujus filia fuit sibi desponsata. *De Desponsatione Impuber.* Cap. *Accessit. §. fin. sane.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 2. *Cap.* 5. Licet Sponsalia ipso Jure fuerint dissoluta, manet tamen impedimentum justitiæ publicæ honestatis. *Ibid. Summa.*

II. Si quis uxorem desponsaverit, quanquam postmodum, præveniente die mortis ejus, nequiverit eam ducere in uxorem, tamen non licet de consanguinitate ejus, ei accipere aliquam in conjugio; De quo si inventum fuerit; separetur omninò. Caus. XXVII. Quæst. II. Cap. 14.

III. Quoniam scriptum est quod Sponsam fratris frater habere non potest; non permittitur Patri, contractis à filio priore Sponsalibus cum aliqua muliere, quam habere casu aliquo interveniente non possit, eamdem alteri filio quem de alia uxore genuerit, matrimonio copulare, ob impedimentum publicæ honestatis. *De Sponsalibus.* Cap. *Ad audientiam.* Lib. I. Decr. *Tit.* 1. Cap. 4. *Juncta Rubrica & Glossa.* Desponsatam fratri frater habere non possit. Caus. XXVII. Quæst. II. Cap. 31. *Quidam. med.*

IV. Divortii sententia in eum Canonicè promulgatur, qui illam sibi posteà copulare præsumpsit, cujus antea sororem adhuc septennem contractis (*Ex Sponsalibus contractis cum puella qua nondum complevit septennium, interveniente copula attentata, oritur publica honestas matrimonium impediens contrahendum cum consanguinea. Glossa*). Sponsalibus extraordinaria libidine noscitur polluisse. *De eo qui cognovit.* &c. Cap. *Fraternitati.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 13. *Cap.* 7. Probabilissimum videtur quod non dissolveretur nunc hujusmodi Matrimonium, cùm nullum obstaret impedimentum, nec honestatis publicæ ob nullitatem Sponsaliorum ex defectu consensûs, nec affinitatis ob defectum commixtionis sanguinis.

V. Si quis sororem suam jam nubilem cuidam se daturum in uxorem, ea præsente & consentiente, præstito juramento firmavit, non potest illa à proprio mortui viri, hoc est sponsi, sui fratre desponsari, ut patet ex Textu, & *Glossa* observat. *De matrimonio contracto contra interdictum* &c. Cap. *Litteræ. init. & fine.* Colligitur. *juncta Glossa.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 16. Cap. 1.

VI. Si postquàm puella septimum annum complevit, vir illam desponsavit; matrem ejus habere sponsam vel

vel uxorem non permittitur. *De Desponsatione Impuberum*. Cap. *Literas*. LIB. IV. DECR. *Tit*. 2. Cap. 4.

VII. Si præcedente rempore, matrem in uxorem accepit, inter eos sententia divortii non differatur promulgari. *Ibid. fin.*

VIII. Ubi Sponsalia valida fuerint, justitiæ publicæ honestatis impedimentum primum gradum non excedat; quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari. *Conc*. TRID. SESS.XXIV. *De Ref. Matrim*. Cap.3.

VIX. Si puella intra nubiles annos alicui desponsata fuerit, non licet alicui de (*a*) primo consanguinitatis gradu, ipsius cui desponsata fuerir, eam ducere in uxorem; nec fas est eidem sponso de primo gradu consanguinitatis sponsæ, sibi aliquam copulare. *De Desponsat. Impuberum*. Cap. *Continebatur*. *§. ult.* LIB. IV. DECR. *Tit*. 2. (*a*) In Textu habetur *alicui de consanguinitate*; sed quia correctum est per TRID. *Conc*. jam non aliter intelligi debet.

Relati Textus quoad utramque partem Sect. supponunt, ut impedimentum publicæ honestatis contrahatur ex Sponsalibus, sufficere ut valida sint, nec requiri ut compleantur, ideòque etiam si dissolvantur, matrimonium cum aliis contrahendum impedire, ac si impleta fuissent.

SECTIO VII.

An, & quomodò dissolvantur Sponsalia ob appositam conditionem non impletam?

I. Si aliquis, sub hujusmodi verbis, juramentum alicui mulieri præstiterit; *Ego te in uxorem accipiam, si tantum mibi donaveris*; Reus perjurii non habebitur si eam nolentem sibi solvere, quod sibi dari petiir, non acceperit in uxorem; (*b*) *De conditionibus appositis* &c. Cap. *De illis*. LIB. IV. DECR. *Tit*. 5. *Cap*. 3. (*b*) Addit Textus *nisi consensus de præsenti, aut carnalis sit inter eos commixtio subsecuta*: Quippe cum liquidò olim constabat, quod post contracta Sponsalia carnalis erat inter sponsos copula subsecuta, pro matrimonio præsumebatur, quia videbatur à conditione apposita recessisse. *Ibid*. Cap. *Per tuas*. *§. Consultationi*. Sed id jam correctum est per *Conc*. TRID. quod declaravit matrimonia clandestina omninò irrita.

II. Qui in quamdam mulierem consensit, si Pater ejus suum præstaret assensum; cùm conditionem ipsam Canonica non improbent Instituta, nisi voluntas Patris postmodùm intercedat, nequaquam cogendus est ad matrimonium contrahendum. *Ibidem*. Cap. *Super eo. post init*. LIB. IV. DECR. *Tit*. 5. Cap. 5.

III. Si Spoosalia inter Virum & mulierem sub hac fuerunt conditione contracta, si Pater ejus & Patruus Sponsalibus consentirent, sed ipsi quàm cito noverunt, & sponso contradixerunt, & Sponsæ; Vir mulierem in uxorem ducere non tenetur. *Ibid*. Cap. *Per tuas*. LIB. IV. DECR. *Tit*. 5. Cap. 6.

IV. Sponsalia interposita conditione contracta, ipsa non impleta, dissolvi debent, nec omninò observari. *De condit. appositis*. Cap. *Super eo*. LIB. IV. DECR. *Tit*. 5. Cap. 5. *med*. Hujusmodi Sponsalia deficiente conditioue pro non contractis habentur, quia illorum vinculum suspenditur, usque ad illius eventum, eoque non adveniente nulla sunt.

SECTIO VIII.

An, & quomoda Sponsalia reddantur nulla ob defectum consensûs?

I. Canonum & Legum authoritas talia Sponsalia in quibus quis nolens & pro viribus tenitens alteri desponsatur, non approbat. CAUS. XXXI. QUÆST. II. Cap. 1. *Si verum. med.*

II. Talis non prohibetur, quin alii, si voluerit, nubat, tantùm in Domino. *Ibid. fin.*

III. Qui io minori ætate desponsantur, cujuscunque sint ætatis, se possunt per illatam violentiam excusare, nisi post violentiam consensus accedat. *De Desponsatione Impuberum*. Cap. *De illis*. 2°. *fin*. LIB. IV. DECR. *Tit*. 2. Cap. 9.

IV. De illis qui intra annos aptos matrimoniis Sponsalia contrahunt; sive uterque, sive alter reclamet, antequàm ad annos matrimoniis aptos pervenerint, & postulent separari, non sunt ullatenus audiendi. *Ibid*. Cap. *De illis*. 10. LIB. IV. DECR. *Tit*. 2. Cap. 7. *init*.

V. Si alteruter istorum ad annos pubertatis pervenerit, infra eosdem annos altero existente cùm Sponsalia contrahuntur, si is qui minoris ætatis est, cùm ad annos illos pervenerir, reclamaverit, nec in alterum voluerit consentire, judicio Ecclesiæ poterunt ab invicem separari. *Ibid. §. si verò*. Mulier quæ postquàm annos nubiles attigir, ei qui nondum ad annos aptos matrimoniis nupsir, (hoc est, Sponsalia contraxit, ur habet *Glossa*) cùm in eum semel consenserit, ampliùs non poterit dissentire, nisi ipse cui fidem dedit, postquàm ad legitimam ætatem pervenerit, in eam suum negaverit præstare consensum. *Ibid. §. ult.* Hic Textus correctus viderur per *Cap*. 11. infra relatum, quod decidit puberem qui desponsavit impuberem posse ante istius pubertatem à Sponsalibus resilire, ac aliam uxorem ducere. Posterior est & aliùs Pontificis, nempe URBANI III.

VI. Si constiterit quod puella non esset septennis, quando viro desponsata fuit, & posteà in eum non consenserit, Sponsalia non tenent. *De Desponsat. Impuberam*. Cap. *Accessit*. LIB. IV. DECR. *Tit*. 2. Cap. 5.

VII. Si puella 12. annorum jurata fuit, & desponsata puero novem vel decem annorum, & tempore procedeure de voluntate Parentum, poriùs quàm de sua, ad domum Patris pueri adducta, ubi nolens & invita, minis Parentum impulsa, moram fecit per annum & ampliùs, si commonita, ut donec compleat idem puer annum 14um. expectet, non duxerit expectandum, accipiendi alium virum liberam habeat facultatem. *Ibid*. Cap. *Ex Literis*. LIB. IV. DECR. *Tit*. 2. *Cap*. 11. Hæc decisio præferenda videtur decisioni contrariæ quæ est in *Cap. 7. ejusd. Tit.* in eo quod pubes qui impuberem desponsavit, tenetur expectare istius pubertatem, & sequi ejus voluntatem cùm pubes factus fuerit.

VIII. Si mulierem intra pubertatis tempora constitutam, Patruus suus alicui puero nondum septem annorum voluerit copulare, ac eadem traducta fuerit in domum ejusdem; ipsa ex quo ad nubiles annos pervenit, ratum nolens habere quod à Patruo suo circa hoc procuratum fuerat, nubendi alii licentiam habere debet. *De Restitutione Spoliatorum*. Cap. *Ex parte. init*. LIB. II. DECR. *Tit*. 13. Cap. 14.

SECTIO IX.

An, & quomodo Sponsalia dissolvantur per alia Sponsalia, vel per Matrimonium posteà contractum.

I. Ex secundis Sponsalibus noo oritur ad præcedentia Sponsalia vel Matrimonia dissolvendum, impedimentum justitiæ publicæ honestatis. *In 6. De Sponsalibus*. Cap. unico. *init*. LIB. IV. *Tit*. 1. *Cap*. unico. Idque quia sequentia Sponsalia, utpotè nulla, non dissolvunt priora.

II. Qui Sponsalia purè ac determinatè cum aliqua muliere contraxit, & postmodum cum secunda prioris consanguinea idem fecit, ex priorum Sponsaliorum vigore ad Matrimonium cootrahendum cum prima remanet obligatus. *Ibidem*.

III. Prioribus Sponsalibus, per publicæ honestatis justitiam ex secundis Sponsalibus cum muliere prioris sponsæ consanguinea subsecutam, minimè derogatur. *In 6. De Sponsalibus*. Cap. 1. *med*. LIB. IV. *Tit*. 1. Cap. unic.

IV. Qui Sponsalia cum aliqua muliere sub conditione contraxit, si postmodum ante conditionis eventum, cum alia prioris consanguinea per verba contraxerit de præsenti, cum secunda remanere debebit. *Ibid. in 6. De Sponsal*. Cap. unico. *§. ille. init*. LIB. IV. *Tit*. 1. Cap. unic.

V. Si

V. Si inter Virum & mulierem accessit promissio de futuro, & alius mulierem illam per verba de præsenti desponsaverit; etiamsi inter ipsam & primum juramentum intervenerit de futuro, hujusmodi desponsationis intuitu, secundum Matrimonium non poterit separari. *De Sponsalibus.* Cap. *Si inter.* §. *verùm.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. Cap. 31.

VI. Si nihil constiterit, quod impediat Matrimonium, præter consensum de futuro qui inter aliquos asseritur præcessisse; Matrimonia ab utraque parte, etiam contra interdictum Ecclesiæ inita, inviolabiliter observanda sunt. *De Matrim. contracto contra interdictum &c.* Cap. *Ex Literis.* §. *mandamus.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 16. Cap. 2.

VII. Sponsalia dissolvuntur per Matrimonium subsequens. Si inter Virum & mulierem non accessit consensus mutuus de præsenti, sed promissio de futuro, si alius mulierem illam desponsaverit & traduxerit, etiamsi inter primos juramentum fuerit de futuro, hujusmodi desponsationis intuitu, secundum non poterit separari Matrimonium, sed eis est de violatione fidei Pœnitentia injungenda. *De Sponsâ duorum.* Cap. *Tua Fraternitas. juxta Collectionem* Gonzalis. Lib. IV. Decr. *Tit.* 4 Cap. 4. *med.*

VIII. Si constiterit quod idem Vir unam mulierem per verba de futuro, aliam verò, quatuor postmodùm vel quinque annis elapsis, desponsaverit per verba de præsenti, Matrimonium secundo loco contractum legitimum judicari debet, & ad illud servandum Vir compelli. *De Sponsalib.* Cap. *Sicut.* §. 1. *postulationi.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. Cap. 22.

Ratio præcedentium Decisionum est, quod priora Sponsalia impediant tantùm Matrimonium contrahendum, non dirimant contractum.

SECTIO X.

Quæ sint aliæ causæ propter quas Sponsalia dissolvuntur?

Per mutuum dissensum.

I. Qui de Matrimonio contrahendo purè & sine omni conditione fidem dederunt; si se ad invicem admittere noluerint, ne fortè deterius indè contingat, ut talem scilicet ducat quam odio habet, eandem fidem posteà sibi remittere possunt. *De Sponsalib.* Cap. *Præterea.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. *Cap.* 2. Dissolvuntur cùm Vir & mulier datam fidem sibi remittunt. Joannes VIII. *Epistolâ* 148. Tom. IX. Conc. *p.* 101.

Per mutationem domicilii.

II. Qui præstito juramento promittunt se aliquas mulieres ducturos, & posteà dimittunt terram, se ad partes alias transferentes; liberum erit mulieribus ipsis, si non est ampliùs in facto processum, ad alia se Vota transferre. *Ibid.* Cap. *De illis. init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. *Cap.* 2. Illâ Translatione promisso Matrimonio renunciare videtur.

Cùm Vir recedit, & ad aliam terram se transfert, sponsa de futuro non tenetur sequi sponsum vagabundum, nec diù ipsum expectare, dummodò non fuerit in morâ. *Ibid. Gloss.* colligit: & meritò, quia mora sua cuilibet est nociva; sed hoc casu necesse est, ut sit spes regressus, si non prompti, saltem non nimium tardi.

Per lepram supervenientem.

III. Si post Sponsalia de futuro inter legitimas personas contracta, antequàm à Viro mulier traducatur, alter eorum lepræ morbum incurrat, ad eam accipiendam cogi non debet; cùm nondum inter eos Matrimonium fuerit consummatum. *De Conjugio Leprosorum.* Cap. *Literas.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 8. *Cap.* 3. Hæc verba, *de futuro*, non sunt apud Gonzal. nec in *Primâ Collectione*, *hoc Tit. Cap.* 3. ubi etiam plura leguntur quæ monstrant quod Urbanus III. loquitur de Sponsalibus de præsenti. Idem in *Append. post Concil.* Lateb. III. *Part.* 50. *C.* 63.

Per fornicationem sponsæ.

IV. Ante conjugium celebratum sponsus licitè potest, propter fornicationem, in suam cohabitationem non admittere sponsam. *De Jurejurando.* Cap. *Quemadmodum. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 25.

Per alios morbos, & per deformitatem supervenientem; per fornicationem mulieris subsequentem.

V. Si quis juraverit se ducturum aliquam in uxorem, & post hujusmodi juramentum, mulier fiat non solùm leprosa, sed etiam paralitica, vel oculos, vel nasum amittat, seu quidquam ei turpius eveniat, Vir non tenebitur eam ducere in uxorem. *De Jurejurando.* Cap. *Quemadmodum.* §. 1. *quod si.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 25.

VI. Si quis juraverit se ducturum aliquam in uxorem, non potest ei fornicationem opponere præcedentem, sed subsequentem; ut illam non ducat in conjugem; quia in illo juramento talis conditio debet subintelligi, si videlicet illa contra Regulam desponsationis non venerit. *Ibid. post initium Capitis, Quemadmodum.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 25.

VII. Prorsùs absurdum est, quod si mulier post hujusmodi juramentum publica meretrix fieret, Vir teneretur eam ducere in uxorem. *Ibid.*

Per affinitatem in 1°. gradu sequentem.

VIII. Qui cùm esset perfectæ ætatis puellam desponsavit, postquàm septimum annum complevit; procedente verò tempore matrem puellæ cognovit; nec ipsam filiam, nec matrem habere potest. *De Desponsatione impuberum.* Cap. *Literas fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 2. Cap. 4.

IX. Si quis matrem puellæ, quam intra nubiles annos desponsaverat in uxorem, carnaliter cognovit, & post carnali commixtione puellam tractavit adultam, ab invicem separari debent. *De eo qui cognovit.* Cap. *Ex Literis.* §. *nos.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 13. *Cap.* 8. Affinitas superveniens solvit Sponsalia. *Ibid.*

X. Si manifestum est juvenem cognovisse propinquam puellæ; vel si non est manifestum, fama tamen loci hoc habet; idem (*a*) puellæ, quam nondùm nubilem fide interpositâ desponsaverat, ipsum repetentis, impetitione debet absolvi. (*a*) Cùm fuerit sponsa tantummodò de futuro. *De Consanguinit.* Cap. *Super eo.* §. *inquisitioni.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 14. Cap. 2. Affinitas Sponsalibus superveniens dissolvit ea. *Glossa.*

Hæ & similes causæ propter quas Sponsalia dissolvuntur his versibus continentur, qui referuntur à *Gloss.* in Caput *De illis.* De Sponsalibus, seu Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. Cap. 5.

Lepra superveniens, furor, ordo, sanguis, & absens,
Læsaque virginitas, membri damnum, minor ætas,
Hæresis ac lapsus, fideique remissio, prorsùs
Sponsos dissociant, & Vota futura retractant.

Quod de læsa Virginitate dicitur, intelligendum de læsione quæ præcessit Sponsalia, & posteà detecta est, tàm ob infamiam hinc nascentem, quàm ob justum metum futuræ infidelitatis.

SECTIO XI.

An sponsi proprio nutu possint dissolvere Sponsalia, an verò judicium Ecclesiæ expectare teneantur?

I. Si puella ante desponsationem septimum annum non complevit, Vir à desponsatione ipsius ipso jure absolvitur, cùm ea in eum consentire noluerit. *De Desponsat. Impuber.* Cap. *Accessit. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 2. Cap. 5.

II. Si quis juraverit se ducturum aliquam in uxorem, ante conjugium celebratum, propter fornicationem licitè potest in suam cohabitationem non admittere, non obstante vinculo juramenti, quod propter subintelligendam conditionem est tale, ut is qui juravit ad utrumque, sine transgressione se possit habere. *De Jurejurando.* Cap. *Quemadmodum. ante* §. 1. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. *Cap.* 25. Observandum quod in *Cap.* De illis. *De Desponsat. Impuber. fin.* seu Lib. IV. Decr. *Tit.* 2. *Cap.* 7. dum dicitur (quod si is qui minoris ætatis est, dùm ad annos pubertatis pervenerit, reclamaverit, nec in alterum voluerit consentire, judicio Ecclesiæ poterunt ab invicem separari.) non imponatur ibi necessitas requirendi judicium Ecclesiæ; sed si causa agitur coram Judice, poterit ille tales separare. Excipienda Sponsalia ab Ecclesiâ benedicta, quæ eapropter ab illâ resolvi decet.

SECTIO XII.

An possit aliqua pœna apponi in Sponsalibus ?

I. Cùm inter aliquos Sponsalia contracta fuerunt, pœna solvenda à parte quæ contraveniret in stipulatione apposita, non debet extorqueri. *De Sponsalib.* Cap. *Gemmæ. init.* LIB. IV. DECR. *Tit.* I. *Cap.* 29.

II. Cùm libera Matrimonia esse debeant, talis stipulatio, propter pœnæ interpositionem, est meritò improbanda. *Ibid.*

III. Si quis hujusmodi pœnam ab alia parte nititur extorquere, ut ab extorsione illius desistat, Ecclesiasticâ Censurâ compelli debet. *Ibid. fin.* Hujusmodi resolvi solet in resarcirionem damnorum, vel restitutionem expensarum.

TITULUS XI.

De Sacramento Matrimonii.

SECTIO I.

Matrimonium esse bonum ?

I. Non solùm Virgines & continentes, verùm etiam & conjugati, per fidem rectam & operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem pervenire *De summa Trinitate.* Cap. *Firmiter.* §. *ultimo. etsi.* LIB. I. DECR. *Tit.* I. *Cap.* I. *fin.*

II. Nuptias non esse peccatum. DIST. XXVI. *Cap.* 2. *Acu ius. Cap.* 3. *Deindè.*

III. Qui solutus est, si continere nolit, juxta Apostoli consilium, uxorem ducat. PRAGM. SANCT. *Tit.* 20. §. *ult.* & CONCORDATORUM. *Tit.* 8. §. *ult.*

IV. Si quis nuptias in accusationem duxerit, & mulierem fidelem ac Religiosam cum Viro suo dormientem, abominandam crediderit, aut etiam accusandam, tanquàm non posse conjugatos in Regnum Dei ingredi, Anathema sit. DIST. XXX. *Cap.* 12. *Si quis nuptias.* & DIST. XXXI. *Cap.* 8. *Si quis vituperat.* Ex versione ISIDORI *Mercatoris.* Ex *Concilio* GANGRENSI *Cap.* 1. circa *ann.* 324.

V. Si qua mulier derelicto Viro discedere voluerit, soluto vinculo conjugali, nuptias condemnando, Anathema sit. DIST. XXX. *Cap.* 3. *Si qua.* Ex *Eadem, Cap.* 14.

VI. Et Virginitatem cum humilitate admiramur, & continentiam cum castitate & Religione Deo acceptissimam dicimus. *Ex Eodem Cap. ult.*

VII. Nuptiarum vinculum, quod secundùm castitatem perdurat, honoramus. DIST. XXX. *Cap.* 16. *Hac autem.*

VIII. Si quis vel Virginitatem vel continentiam professus, tanquam abominabiles nuptias judicat, Anathema sit. DIST. XXX. *Cap.* 5, *Si quis vel. Ex eodem Cap.* 9.

IX. Qui dixit, si nupserit virgo non peccat, satis declaravit nuptias non esse peccatum. DIST. XXVI. *Cap.* 2. *Acutiùs. post init.*

X. Quibus voluntas propria desiderium nubendi persuaserit, concessam ab Apostolo licentiam auferre non possumus. DIST. XXVIII. *Cap.* 5, *De iis. fin. Ex Concil.* TOLET. II. *Cap.* 1. *ann.* 531.

XI. Extra Clericorum Ordinem constitutis, nuptiarum societati & procreationi filiorum studere est liberum. DIST. XXXII. *Cap.* 1. *Omnium.* LEO I. *Epist.* 82 *Cap.* 3. *ann.* 445.

XII. Non negamus esse in Laïcis Deo placitos mores. DIST. LXI. *Cap.* 3.

XIII. Duo sunt genera Christianorum &c. CAUS. XII. QUÆST. I. *Cap.* 7.

XIV. Honestum potest esse conjugium. CAUS. XX. QUÆST. III. *Cap.* 1. *fin.*

XV. Nuptiarum bonum semper est quidem bonum &c. CAUS. XXVII. QUÆST. I. *Cap.* 41.

XVI. Ecclesia fidei, spei, & charitatis integritate, non in solis Virginibus Sacris, sed etiam viduis & conjugatis fidelibus tota virgo est. *Ibid. Cap.* 41. §. 3. *fin.* S. AUG.

XVII. Si quis dixerit vel crediderit conjugia hominum, quæ secundùm Legem Divinam licita habentur, execrabilia esse, Anathema sit. *Concil.* TOLET. *vulgò I. ann.* 400. *In Regular. fidei, Artic.* 16. TOM. II. CONCIL. *p.* 1226.

XVIII. Si quis conjugia humana duntaxat & procreationem nascentium perhorrescit, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt, Anathema sit. *Concil.* BRACAR. II. *ann.* 563. *Cap.* 11. TOM. V. CONC. *p.* 838. Vide *Capitulare* GREGORII II. *ann.* 721. *Cap* 6. TOM. VI. CONC. *p.* 1453. Vide *Conc.* ROM. *an.* 721. TOM. VI. CONC. *p.* 1456.

SECTIO II.

Quid sit Matrimonium, undè dictum, à quo institutum, & an sit Sacramentum in novâ Lege ?

Vide *Epistolam* HINCMARI *nomine Concil.* TULLENSIS II. *an.* 860. TOM. VIII. CONC. *p.* 716. &c. Viri & mulieris digna conjunctio unum facit Matrimonium. DIST. XL. *Cap.* 8. *Sicut. init.* ISIDORUS *circ. an.* 630.

I. Matrimonium est maris & fœminæ conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens. *De Præsumptionibus.* Cap. *Illud.* §. *Verùm. med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 23. *Cap.* 11. Matrimonium non ab homine, sed à Deo est institutum. *De Off. Deleg.* Cap. *Causa. med. in init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 29. *Cap.* 16.

II. Individua vitæ consuetudo est talem se in omnibus exhibere Viro, qualis ipsa sibi est; & è converso. CAUS. XXVII. QUÆST. II. *Cap.* 3. *Beata Maria. fin.*

III. Non defloratio virginitatis facit Conjugium, sed pactio conjugalis; cùm jungitur puella, conjugium est, non cum Viri admistione cognoscitur. CAUS. XXVII. QUÆST. II. *Cap.* 5. *Cùm initiatur.*

IV. Ex hoc legitima conjunctio maris & fœminæ magis Matrimonium, quàm Patrimonium nuncupatur; quod cùm puer adhuc infans existit, magis materno indiget solatio quàm paterno, matrique antè partum onerosus, dolorosus in partu, post partum laboriosus esse noscatur. *De conversione infidelium.* Cap. *Ex Litteris.* §. *ad hoc.* LIB. III. DECR. *Tit.* 33. *Cap* 2.

V. Indè nuptiæ dictæ quod pudoris gratiâ se puellæ obnuberent. CAUS. XXX. QUÆST. V. *Cap.* 8 *Nec illud. fin.*

VI. Deus Matrimonii fuit institutor & author. *De frigidis.* Cap. *Litteræ. post med.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 15. *Cap.* 7.

VII. Deus masculum & fœminam propagandi generis causâ, nuptiali castitate conjunxit. CAUS. XXXI. QUÆST. I. *Cap.* 11. *Deus. init.*

VIII. Nuptiarum bonum semper est quidem bonum, sed in populo Dei fuit aliquandò legis obsequium, nunc est infirmitatis remedium; in quibusdam verò humanitatis solatium. CAUS. XXVII. QUÆST. I. *Cap.* 41. *Nuptiarum. init.*

IX. Societas nuptiarum ità à principio constituta est, ut præter sexuum conjunctionem, haberet in se CHRISTI & Ecclesiæ Sacramentum. CAUS. XXVII. QUÆST. II. *Cap.* 17. *Cùm Societas.* Aliter legitur apud Gratianum, sed corrigi debet ex Epistola, aliàs 92. nunc 2. S. LEONIS *Responso* 4. Vide quomodo refertur in *Epistola* HINCMARI *nomine Concilii* TULLENSIS II. TOM. VIII. CONCIL. *p.* 720.

X. Cùm Matrimonium in Lege Evangelicâ veteribus connubiis per CHRISTUM gratia præstet, meritò inter novæ Legis Sacramenta annumerandum S. Patres Nostri, Concilia, & Universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt. *Concil.* TRID. SESS. XXIV. *De Sacramento Matrimonii.* §. *Cùm igitur.*

XI. Gratiam quæ naturalem conjugum amorem, & indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse CHRISTUS, venerabilium Sacramentorum institutor atque perfector, suâ nobis passione promeruit, quod Paulus Apostolus innuit dicens; *Viri diligite uxores vestras, sicut* CHRISTUS *dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro eâ*, mox subjungens,

Sacramentum

Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo *& in Ecclesiâ. Conc.* Trid. *Ibidem §. gratiam.* Matrimonium non facit coitus, sed voluntas. Caus. XXVII. Quæst. II. *Cap.* 1.

XII. Si quis dixerit Matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis, à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, Anathema sit. *Conc.* Trid. *Ibid. Canone* 1.

XIII. Sancta res est Matrimonium, & Sanctè tractandum. *Conc.* Trid. Sess. XXIV. *De Ref. Matr.* Cap. 10. *fin.* Quod dixit *Conc.* Trid. de Traditione, illam docere Matrimonium esse Sacramentum, patet ex historia Benedictionis nuptialis à Christo ad nos, quâ incipit *Tom. I.* Traditionis Ecclesiæ circa hoc Sacramentum.

SECTIO III.

Quomodò, & quibus verbis contrahatur Matrimonium? Sive, quæ sit materia, & quæ forma Sacramenti Matrimonii?

Matrimonium inter legitimas personas per verba de præsenti contrahitur.

I. Per solam traductionem mulieris in domum Viri, quam non præcesserunt Sponsalia vel consensus legitimus, nec fuerunt etiam subsecuta, nullum inter eos obligatorium vinculum est contractum. *De Restitutione spoliatorum.* Cap. *Ex parte.* §. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 13. Cap. 14.

II. Consensus si in nuptiis solus fortè defuerit, cætera omnia, etiam cum ipso coitu celebrata, frustrantur. Caus. XXVII. Quæst. II. *Quia igitur.* Cap. 2. *De Conversatione Conjugatorum.* Cap. *Ex parte* 5. *§.* 5. *Nos autem.* Lib. III. Decr. *Tit.* 32. Cap. 14.

III. Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum Viri & mulieris consensum. *De Sponsalibus.* Cap. *Tuæ fraternitati.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. Cap. 25.

IV. Necessaria sunt, quantùm ad Ecclesiam, verba (*a*) consensum exprimentia. (*a*) (Nomine *Verborum* intellige quæcunque signa, quibus consensus exprimi potest, ut infra dicetur.) de præsenti. *Ibid.*

V. Hujusmodi consensus non est de præsenti habendus, licet per verba de præsenti evidentiùs exprimatur, quia in alieno arbitrio, non habito, sed habendo, consistit. *De Condition. appositis.* Cap. *Super eo. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 5. Cap. 5.

VI. Fides consensûs est, quando etsi non constringit manum, corde tamen & ore consentit ducere; & mutuò se concedunt, unus alii, & mutuò se suscipiunt. *De Sponsa duorum.* Cap. *Duobus. §.* ult. *fides.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 4. Cap. 1. *fin.*

VII. Inter Virum & mulierem legitimus consensus intervenit de præsenti, si unus alterum in suo mutuo consensu verbis consuetis expressè recipiat, utroque dicente, Ego accipio te in meam, & Ego accipio te in meum. *De Sponsa duorum.* Cap. *Licet. init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 4. *Cap.* 3. Si puella nubilis erat ætatis, & inter eum & Virum legitimus intervenit de præsenti consensus, absque dubio inter eos erat legitimum matrimonium. *De Despons. Impub.* Cap. *Tua nobis.* ult. in *int. med.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 2. Cap. 14.

VIII. Inter Virum & mulierem legitimus consensus intervenit de præsenti, ita quod unus alterum mutuo consensu verbis consuetis expresso recipiat, utroque dicente, Ego te in meam accipio, & Ego te accipio in meum, vel alia verba consensum exprimentia de præsenti. *De Sponsalibus.* Cap. *Si inter. init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. Cap. 31.

Substantia (id est, materia, ut habetur in *Glossâ marginali*) conjugalis contractûs, est consensus, sine quo cætera nequeunt fœdus perficere conjugale. *De Sponsalib.* Cap. *Tua nos. fin.* Lib. IV. Decr *Tit.* 1. Cap. 26. *fin.*

IX. Forma contrahendi conjugium, sunt verba quibus exprimitur consensus. *Ibid.* Colligitur. & *Glossa* docet verbo, nec *formâ.*

De forma introducta à *Concil.* Trident. tàm substantiali quàm accidentali, vide infra Sectionem XV. XVI. XVIII. XIX. XX. XXI. Intereà nota quod hæc forma nova non est nisi quoad Solemnitates, quia, ut ostensum in citata Historia, semper necessaria fuit Benedictio Sacerdotalis in nuptiis Christianorum.

SECTIO IV.

Quid agendum sit cùm Vir aut mulier verbis obscuris, vel ambiguis usi sunt?

I. In Matrimonio contrahendo potiùs consideratur intentio contrahentium, quàm verba quibus mediantibus contrahunt, dummodò animo contrahendi id faciant. Glossa in *Caput* 1. *De Sponsalibus.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. Cap. 1. *De Francia.*

II. Quando inter aliquos Sponsalia contrahuntur, nec intelligit alter quod alter proponit, inspiciendum est Judici, si matrimonium contracturi ad id faciendum sint idonei scientiâ & ætate. *De Sponsalib.* Cap. *Ex Litteris.* Lib. IV. Decr. *Tit* 1. Cap. 7.

III. Hoc cognito, si alter non intellexerit quod alter proposuit, ad communem verbi intelligentiam recurratur, & cogatur uterque verba prolata in eo sensu retinere, quem solent rectè intelligentibus generare. *Ibid. fin.*

IV. Si alter contrahentium utitur verbis dubiis, animo decipiendi mulierem, videtur in foro judiciali pro conjugio præsumendum. *De Sponsalib.* Cap. *Tua nos. §. super quo.* juncta Rubr. & Glossa. Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. Cap. 26.

V. Si constiterit quod Vir nunquam consensit in mulierem, licet illa consenserit in eum, non debet ex verbis dubiis in foro pœnitentiali conjugium judicari. *Ibid.* juncta Summa *Cap.* & *Glossâ.*

Ubicumque forma Tridentina servatur, casus hic vix contingere potest, cùm Sacerdos assistens matrimonio interrogare soleat Partes an consentiant in se invicem accipiendas in conjuges, illasque non benedicit nisi post expressum consensum signo vel verbo, non obscuro vel ambiguo; sed si contingeret, in foro exteriori, judicandum foret pro Matrimonio, quia in illo sufficere debet intentio exterior, ut obviam eatur fraudibus gravissimis, eòque magis quò jura deceptis subveniant: Præterea in foro interiori præcipiendum esset ei qui decepisset fingendo consentire, ut verè consentiret, præsertim si mulier fuisset, & consummatum fuisset Matrimonium; huic enim casui convenit Regula: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

SECTIO V.

Quâ ætate possit iniri Matrimonium?

I. Inspiciendum est si Matrimonium contracturi, ad id faciendum sint idonei scientiâ & ætate. *De Sponsalib.* Cap. *Ex Litteris.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. Cap. 7. *Synodus Regiaticina ann.* 850. *Cap.* 54. Tom. VIII. Conc. *p.* 69.

II. Puellulæ usque ad duodecim annos non nubant. *Conc.* Nemaus. *ann.* 1096. *Cap.* 13. Tom. X. Conc *p.* 608.

III. Ætas repugnat, ut juvenis puellam nondùm septennem ducat. *Ibid.* Cap. *Juvenis.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. Cap. 3. *init.*

IV. Pueri ante annos legitimos per verba sola non contrahunt, cùm intelligantur minimè consentire. *Ibid.* Cap. *Tuæ fraternitati. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. *Cap.* 25. Verba quæ consensum significant falsa sunt, si à consensu sejuncta fuerint, ut in pueris qui consensus incapaces sunt, & in his qui consentire fingunt.

V. Districtiùs inhibitum est, ne aliqui, quorum uterque vel alter ad ætatem, Legibus vel Canonibus determinatam, non pervenerit, conjungantur. *De Desponsatione Impuberum.* Cap. *Ubi non est. init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 2. Cap. 2.

VI. Nec, nisi fortè aliquâ urgentissimâ necessitate interveniente, utpotè pro bono pacis, talis conjunctio toleretur. *Ibid. fin.*

VII. Mulier ætati nubili est proxima in undecimo, vel circa duodecimum annum. *De Desponsat impuber*. Cap. *Continebatur*. §. 2. *Si autem*. LIB. IV. DECR. *Tit*. 2. *Cap*. 6.

VIII. Puella ætatis nubilis metas attingit, ejusque legitimus ad Matrimonium consensus in duodecimo anno spectatur. *Qui Matrimonium accusare &c*. Cap. *Insuper. med*. LIB. IV. DECR. *Tit*. 18. Cap. 4.

IX. Si innubilis contraxerit, potest ante duodecimum annum dissentire. *Ibid*.

X. Juvenis post decimum quartum annum ætatis suæ, vel circa finem decimi quarti anni tantùm, ad legitimam ætatem pervenit, quâ mulierem consentiat habere uxorem. *De Desponf. impuber*. Cap. *Attestationes*. §. *consultationi*. LIB. IV. DECR. *Tit*. 2. Cap. 10.

XI. Si antequàm ad annum decimum quartum pervenerit, mulierem accepit uxorem, & posteà ab eadem recessit; ab impetitione ejus debet absolvi. *Ibid*.

XII. Si puér nondùm ad decimum quartum annum pervenerit, non censetur nupsisse puellæ duodecim annorum, juratæ licet & desponsatæ *Ibid*. Cap. *Ex Litteris*. §. *Cùm autem*. LIB. IV. DECR. *Tit*. 2. *Cap*. 11.

XIII. Si puella nubere cùm illo voluerit, expectet donec compleat idem puer annum decimum quartum. *Ibid*.

XIV. Manifestum est, eum puberem esse, qui de gesticulatione corporis sui talis est, ut jam procreare possit, licet ad metas legibus definitas non pervenerit. *Append. Conc*. LATER. III. *Parte* 6. Cap. 6. TOM. X. CONC. *p*. 1573.

XV. Justas nuptias contrahunt qui secundùm præcepta Legum contrahunt, masculi quidem puberes, fœminæ autem Viripotentes. CAUS. XXXVI. QUÆST. II. *post* Cap. 11.

XVI. Puer qui non potest reddere debitum, non est aptus Conjugio. *De Frigidis*. Cap. *Quod sedem*. LIB. IV. DECR. *Tit*. 15. Cap. 2.

Historiam impedimenti ex defectu ætatis habes in Traditione Ecclesiæ circa Matrimonii Sacramentum.

SECTIO VI.

Quid sit pubertas, & quandò incipiat, & an Matrimonium ab impuberibus contractum valeat?

I. Puberes à pube sunt vocati, id est à pudentiâ corporis nuncupati; quia hæc loca primò lanugiuem ducunt. *De Desponf. impub*. Cap. *Puberes. init*. LIB. IV. DECR. *Tit*. 2. Cap. 3. Vide *Concil*. FOROJULIENSA *an*. 791. *Cap*. 9. TOM. VII. CONC. *p*. 1005.

II. Certum est eum puberem esse qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, & generare jam potest. *Ibid*. Pueri ab annis quatuordecim pubescere incipiunt. *De delictis puerorum*. Cap *Pueris*. LIB. V. DECR. *Tit*. 23. *Cap*. 1.

III. Existimamus eum esse puberem, qui quatuordecim annos implevit, quamvis tardissimè pubescat. *De Desponf. impub*. Cap. *Puberes*. LIB. IV. DECR. *Tit*. 2. *Cap*. 3.

IV. Si pubes & impubes, vel duo impuberes non proximi pubertati, & in quibus ætatem malitia non supplebat, per verba contraxerint de præsenti, licet verba consensum exprimentia de præsenti haberent, & Matrimonium contrahere intenderent, ut Matrimonium ætate non tenuit prohibente. *In 6. De Desponf. impuber*. Cap. un. LIB. IV. *Tit*. 2. §. *idem quoque*. Hinc duo requiruntur ut impuberes Matrimonium possint contrahere; 1o. ut proximi pubertati sint. 2o. ut malitia suppleat ætatem, manifestata per commixtionem.

V. Per adventum pubertatis in Matrimonium non transit de præsenti, nec per lapsum dicti temporis convalescit, nisi contrahentes eosdem cum ejusdem perseverantiâ voluntatis, ad pubertatis tempora pervenisse constiterit evidenter. *Ibid. In 6. De Desponf. Impub*. Cap. unico LIB. IV. *Tit*. 2. Cap. unico §. 1. *fin*.

VI. Qui intra annos nubiles Matrimonii nomine conjunguntur, ante nubiles annos conjugalem consensum non habent. *De Desponf. Impub*. Cap. *A nobis*. LIB. IV. DECR. *Tit*. 2. Cap. 8.

SECTIO. VII.

An Matrimonium clàm contractum ab Impuberibus, saltem valeat ut Sponsalia, etiam attento Jure Concilii Tridentini?

Certum est Concilium Tridentinum decernere ut Matrimonia clandestina nulla sint & irrita, & contrahentes sint omninò inhabiles ad sic contrahendum; si igitur contingat puberem & impuberem, vel duos impuberes ex malitiâ vel ignorantia fidem sibi dare per verba de præsenti, cùm Matrimonium illud non teneat ut Matrimonium, Quæritur an saltem valeat, ut promissio mutua de futuro, quæ in conscientia obliget utrumque ad expectandum legitimam ætatem in quâ contrahant Matrimonium? Certè cùm Concilium Tridentinum eâ jure non correxerit Jus antiquum, videtur totum stare, adeòque consensum illum per verba de præsenti valere instar Sponsaliorum, quare sit decisio.

I. Si pubes & impubes, vel duo impuberes, per verba contraxerint de præsenti, Sponsalia illa Juris interpretatione tantùm fuerunt Sponsalia de futuro. *In 6. De Desponsat. Impuber*. Cap. un. LIB. IV. *Tit*. 2. Cap. *unico §. Idem quoque. init*.

II. Per dictum contractum, qui valuit ut potuit, non sicuti agebatur, publicæ honestatis justitia est inducta. *Ibid. fin*.

III. Iis qui intra annos nubiles Matrimonii nomine conjunguntur, vel eorum alteri, antequam ad annos aptos Matrimonio perveniant, non licet à Matrimonio tali discedere, sed usque ad legitimam ætatem expectare tenentur, & tunc aut confirmetur Matrimonium, aut si simul esse noluerint, separentur. *De Desponf. Impuber*. Cap. *A nobis*.

IV. Si puella nubilis non erat ætatis cùm Vir desponsavit eamdem, & ætatem in eâ prudentia non supplebat; procul dubio inter eos non conjugium, sed Sponsalia contracta fuerunt; quamvis ab ipso Viro eadem fuerit subarrhata *De Desponf. Impub*. Cap. *Tuæ nobis §. quia. fin*. LIB. IV. DECR. *Tit*. 2. Cap. 14.

V. Carnalis commixtio interdùm tempus anticipare solet pubertatis. *De Desponf. Impub*. Cap. *A nobis. fin*. LIB. IV. DECR. *Tit*. 2. *Cap*. 8. Est hic argumentum manifestum, quod si minor in contrahendo utatur verbis pertinentibus ad Matrimonium contrahendum, contrahit Sponsalia. *Glossa fin*. Adde quod correctio Juris sine necessitate admittenda non sit; hic autem nulla necessitas illam admittendi, cùm antiquum Jus circa Sponsalia manere possit, salvo novo Jure circa Matrimonium. Vid. FAGNANUM. *in C* 9. *De Desponsat. Impub*. n. 49. ubi id confirmat Cardinalium Declarationibus.

SECTIO VIII.

An surdi & muti possint contrahere Matrimonium?

I. Surdi & muti possunt contrahere Matrimonium per consensum mutuum sine verbis. *De Sponsalibus*. Cap. *Tuæ fraternitati. fin*. LIB. IV. DECR. *Tit*. 1. Cap. 25.

II. Prohibitorium est Edictum de Matrimonio contrahendo, ut quicunque non prohibetur, per consequentiam admittatur. *De Sponsalib*. Cap. *Cum apud*. LIB. IV. DECR *Tit*. 1. Cap. 23.

III. Sufficit ad Matrimonium solus consensus illorum de quorum quarumque conjunctionibus agitur. *Ibid*.

IV. Si surdus & mutus velit contrahere, sibi non potest nec debet denegari; cùm quod verbis non potest, signis valeat declarare. *Ibidem. fin*.

SECTIO IX.

Matrimonia à Filiis-familias, dùm minores sunt, sine consensu Parentum, illicitè contrahi; valida tamen esse, si in ætate legitimâ contrahantur, quamvis Jure Regni meritò separentur ab uxoribus, & liberi ab eis suscepti non legitimi censeantur?

I. Verbum illud, *Minor annis*, duobus modis potest

est intelligi, cùm & qui minor est quatuordecim annis, & qui viginti quinque, dici soleat minor annis. *De Probationibus.* Cap. *In præsentia.* §. 2. *quare.med.* Lib. II. Deca. *Tit.* 19. *Cap.* 8. Vide *Concil.* Paris. III. *ann.* 557. *Can.* 6. Tom. V. *Concil. p.* 827.

II. Si non intersint parentes, & consensum non adhibuerint, secundùm Leges, uullum fit matrimonium. *Qui matr. acc.* Cap. *Videtur. in int. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 18. *Cap.* 3. Id observamus eò loci. Quod si ineatur Matrimnnium infra decimum quartum annum, non valer, ur dictum est Sess. IV.

III. Justas nuptias inter se contrahnnt Filii-familias, dùm tamen consensum habeant Parentum quorum in potestate sunt. Caus. XXXVI. Quæst. II, *post Cap.* 11. *fin.*

IV. In Causa matrimoniali Minor 25. annorum, major autem duodecim vel 14. annorum, censetur Major. *De Restitutione Spoliatorum.* Cap. *Ex parte* §. *quia igitur. init.* Glossa colligit. & verbo *Minor.* Lib. II. Deca. *Tit.* 13. *Cap.* 14.

V. Non liceat Filiis-familias fine parenrum consensu nuptias coutrahere. *Conventus* Malodun. *Tit.* 15. *De matrim. Articulo,* 11.

VI. Sufficit ad Matrimonium solus consensus illorum, de quorum quarumque conjunctionibus agitur. *De Sponsalibus.* Cap. *Cum apud. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. *Cap.* 25.

VII. Jure Civili Antiquo Parentnm erat filiorum Matrimonio interesse; ita nt si non intersuissent, & consensum non adhibuissent, secundùm Leges nullum fieret Matrimouium. *Qui matrimonium accusare &c.* Cap. *Videtur.* §. 1. *fin.* Lib. IV. Deca. *Tit.* 18. *Cap.* 3.

VIII. Anathemate damnantur qui falsò affirmant Matrimonia à Filiis-familias sine consensu Parentum contracta, irrita esse, & Parentes ea rata vel irrita facere posse. *Concil.* Trid. Sess. XXIV. *De Reform. matrim. Cap.* 1. *init.*.

IX. Parentum est interesse matrimonio, ita ut si non interfuerint, & consensum non adhibuerint, secundùm Leges nullum fiat matrimonium. *Qui matrim. accusare &c.* Cap. *Videtur.* §. 1. *fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 18. *Cap.* 3. In disquisitione Historicâ de Doctrinâ Canonum Corpori Juris inclusorum, circà requisitum Parentum consensum in matrimonio suorum filiorum, ostensum est, juxta hos Canones illa fuisse irrita, si sine consensu Patentum contraherentur usque ad Sæculum XII. idemque probatum ex Canonibus Extravagantibus. Idem quoque validiùs ostensum est in Dissertatione Historicâ circà eamdem rem, tùm ex novis Canonibus, Ordinationibus Regiis, & Senatùs-Consultis, cùm ex Epistola Illustrissimi Cancellarii De Pontchartrain registrata in Curia Bisuntina, demonstraute quod cùm contractus sit nullus, matrimonii Sacramentum esse irritum necessè sit, quia is est illius materia.

X. Nuptialia fœdera consensu eorum qui hæc contrahunt, & eorum in quorum potestate sunt (*b*) celebrantur. Caus. XXX. Quæst. V. *Cap.* 3. *Nostrates. post. init.* (*b*) Intellige ex honestate, non ex necessitate, cùm Glossa ia *Cap.* 2. sufficiat. Caus. XXVII. Quæst. II. Quæ apud Gallos non recipientur, existimantes similes Canones intelligendos de consensu legitimo, is autem talis esse nequeat, ubicumque Lex Civilis requirit ut consentiant ii, in quorum potestate sunt cortrahentes.

SECTIO X.

An furiosi, & amentes, possint contrahere matrimonium?

I. Neque furiosus, neque furiosa matrimonium contrahere possunt; sed si contractum fuerit (intellige eo tempore qno liberum haberent suæ rationis usum, ut ex sequentibus Decisionibus constat) separentur. Caus. XXXII. Quæst. VII. *Cap.* 26. *Neque.* Ubi non est consensus utriusque non est conjugium. Caus. XXX. Quæst. II. *Cap. Unico.*

II. Propter alienationem furoris, legitimus non potest intervenire consensus. *De Sponsalibus.* Cap. *Dilectus. med.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. *Cap.* 24.

III. Si quis filiam suam Viro qui continuo furore laborat, ignorans matrimonialiter copulavit, atque illa cum ipso morari non possit, debent ab invicem separari. *Ibid. fin.*

IV. Matrimonium non facit coitus, sed voluntas. Caus. XXVII. Quæst. II. *Cap.* 1. *Matrimonium. init.*

V. Si consensus in nuptiis solus fortè defuerit, cætera omnia etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur. *Ibid.* Caus. XXVII. Quæst. II. *Cap.* 2. *Sufficiat. fin.*

SECTIO XI.

An validè Matrimonium contrahant qui ad illud coguntur?

I. Si mulier Virum aliquem omninò renuit, & in eadem voluntatis anthoritate persistit, ut Viro illi prorsus se deneger nupturam, nequaquam invita & renitens ejusdem Viri cogenda est conjugio sociari. Caus. XXXI. Quæst. II. *Cap.* 3. *De neptis. init.*

Id pari tenore de Viro sentiendum est. *Ibid. fin.*

II. Quorum unum corpus est, unus deber esse & animus. *Ibid. med.*

III. Viduæ si nubere elegerint, illis nubant quos ptopria voluntate voluerint habere maritos. Similis conditio de virginibus habeatur, nec extrà voluntatem parentum vel suam cogantur accipere maritos. Caus. XXVII. Quæst. I. *Cap.* 38. *Ex* Concil. Tolet. III. *Cap.* 10. *ann.* 589. Tom. V. *Conc. p.* 1011.

IV. Consensus facit Matrimonium. Caus. XXVII. Quæst. II. *init.* Isidorus.

V. Ubi non est consensus utriusque, non est conjugium. Caus. XXX. Quæst. II. *Cap.* 1.

VI. Libera Matrimonia esse debeut. *De Sponsalibus.* Cap *Gemma. med.* Lib. IV. Deca. *Tit.* 1. *Cap.* 29.

VII. Tua Sanctitas nos requisivit de Filio adulto, quem Pater Matrimonium contrahere vult, si sine voluntate filii adulti facere potest id quod dicimus, si aliquo modo non consensit filius, fieri non posse. Caus. XXXI. Quæst. II. *Cap.* 2. Quod restringendum ad filium adultum; nam de non adulto contrarium expressè docet, ut observatum est, dùm de Parentum potestate circa cogendos filios impuberes. I. *Parte Tom. hujus.*

VIII. Si verum esse constiterit quod aliquis coactus, & dolens filiam suam infantulam, nolentem, flentem, & pro viribus renitentem, non assentientibus, sed valdè dolentibus Patre & Matre & Parentela alterius filio desponsaverit; Canonum & Legum Autoriras talia Sponsalia non approbat; & non prohibetur, quin alii Viro, si noluerit, prædicta Filia ejus nubat, tantùm in Domino. Caus. XXXI. Quæst. II. *Cap.* 1.

IX. Cùm locum non habeat consensus ubi metus vel coactio intercedit, necessè est ut ubi assensus cujusdam requiritur, coactionis materia repellatur; Matrimonium autem solo consensu contrahitur; & ubi de ipso quæritur, plenâ debet securitate ille gaudere, cujus est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere quod odit, & sequatur exitus, qui de invitis soler nuptiis provenire. *De Sponsalibus.* Cap. *Cùm locum. init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. *Cap.* 14.

X. Si inveneris quod prædicta mulier (quæ per vim contraxerat) fuerit judicio Ecclesiæ separata, & sine Ecclesiæ contradictione ab alio in uxorem traducta, istum compellas, ut cum illa cohabitet conjugaliter, maximè si prior Vir cui fuerat invita & resistens copulata, decesserit. *Cap.* 13. *De Sponsal. & mat.*

XI. Si quis metu coactus, qui posset in Virum constantem cadere, per verba de præsenti mulierem desponsaverit, non tenetur ei adhærere ut uxori. *Ibid.* Cap. *Veniens. fin.* Lib. IV. Deca. *Tit.* 1. *Cap.* 15. Matrimonium contractum per metum, qui cadit in constantem Virum, non tenet. Glossa.

XII. Puella quæ invita nupsit, reclamans admittitur, nisi cum spontanea voluntate ratum habuisse Matri-

monium ex cohabitatione liberâ præsumatur. *Cap.* 21. *De Sponsalib.*

SECTIO XII.

Quale peccatum sit cogere aliquos ad contrahendum Matrimonium? Et qua pœna decernatur tùm in Dominos Temporales, qui subditos, tùm in alios, qui invitos cogunt Matrimonio jungi?

I. Maximè nefarium est Matrimonii libertatem violare, & ab eis injurias nasci, à quibus jura expectantur. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. Cap. 9. *med. De Reform. Matrimonii.*

II. Libera debent esse Matrimonia, & coactiones difficiles solent exitus frequenter habere. *De Sponsalibus.* Cap. *Requisivit.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 1. Cap. 17. *§. Ad quod.*

III. Timendum est ne fortè Virgo, cùm fuerit alicui invita copulata, contra Domini Apostolique præceptum, aut reatum dissidii, aut crimen fornicationis incurrat. CAUS. XXXI. QUÆST. II. *Cap.* 3. *De Neptis. med.*

IV. Hujus peccati malum in eum redundare constat, qui mulierem conjunxit invitam. *Ibidem. fin.* Loquitur de casu in quo Matrimonium consistit, quia coactio sufficiens non fuit ad cassationem, vel ista petita non fuit.

V. Ita plerumque Temporalium Dominorum ac Magistratuum mentis oculos terrreni affectus atque cupiditates execæcant, ut Viros & Mulieres sub eorum Jurisdictione degentes, maximè divites, vel spem magnæ hæreditatis habentes, minis & pœnis adigant, cum iis Matrimonium invitos contrahere, quos ipsi Domini vel Magistratus illis præscripserint. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. *De Reform. Matrim.* Cap. 9. *init.*

VI. Omnibus cujuscumque gradûs, dignitatis, & conditionis existant, sub Anathematis pœnâ, quam ipso facto incurrant, præceptum est, ne quovis modo, directè vel indirectè, subditos suos, vel quoscunque alios cogant, quominùs liberè Matrimonia contrahant. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. *De Reform. Matrim.* Cap. 9. *fin.* Acriter puniendi & castigandi essent qui invitos cogunt Matrimonio jungi. *Conventus* MELDO. *Tit.* 15. *De Matrim. Articulo.* 7. Etsi posterior *Conc.* TRID. eamdem pœnam non fert Ordinatio BLESANS. 1579. *ann.* 281. Similes coactiones sub duplici pœnâ vetat, 1. pœnâ raptus; 2. privatione nobilitatis.

SECTIO XIII.

An, & quomodò Matrimonium contrahi possit per Internuncium, seu Procuratorem?

I. Ex quo Vir Mulierem mediantibus Internunciis, per verba de præsenti, arrha etiam interpositâ, desponsat, Matrimonium contrahitur. *De Conversione Conjugatorum.* Cap. *Ex Parte.* Secundo. *init.* & §. 2. *Nos.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32. Cap. 14. Mulier cuidam Viro absenti fide data se nupturam promisit. *Cap.* 5. *Qui Cler. vel Vov.* Quod fieri sine Procuratore Viri non potuit, & quoad hoc par erat conditio Matrimonii ac Sponsaliorum.

II. Procurator non aliter censetur idoneus ad Matrimonium contrahendum, quàm si ad hoc mandatum habuerit speciale. *In 6. De Procuratorib.* Cap. *Procurator. init.* LIB. I. *Tit.* 19. Cap. 9.

III. Quamvis aliàs is qui constituitur ad negotia Procurator, alium dare possit, in hoc tamen casu Matrimonii, propter magnum quod ex facto tàm arduo posset periculum imminere, non poterit deputare alium, nisi hoc eidem specialiter sit commissum. *Ibid.*

IV. Si Procurator antequàm contraxerit, à Domino fuerit revocatus; contractum postmodùm Matrimonium ab eodem, licet tàm ipse, quàm ea cum quâ contraxit, revocationem ejusmodi penitùs ignorarent, nullius momenti existit, cùm illius consensus defecerit; sine quo firmitatem habere nequivit. *Ibid. In 6. De Procuratoribus.* Cap. *Procurator. §. Sanè.* LIB. I. *Tit.* 19. Cap. 9. Circa collectos Canones nulla mutatio à *Conc.* TRID. nec à subsequentibus Pontificibus.

SECTIO XIV.

Quas mulieres Vir possit in conjuges assumere? Et qua conditiones apponi possint in contractu Conjugii?

I. Omnibus qui publicas mulieres de lupanari extraxerint, & duxerint in uxores, quod agunt in remissionem proficit peccatorum. *De Sponsalib.* Cap. *Inter. §. Statuimus.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 1. Cap. 20.

II. Quam prius Concubinam habuerat, non est peccatum in conjugem suscipere, & si quis talem susceepit, Matrimonium sit in Deo firmum & stabile. CAUS. XXII. QUÆST. IV. *Cap.* 22. *Inter cætera. post init.*

III. Regula, *Actus legitimi non recipiunt conditionem*, locum habet maximè in Matrimonio; hinc nulla conditio suspendit illius validitatem; turpes & impossibiles pro non adjectis habentur, nisi sint contra substantiam Matrimonii, eoque casu illud vitiant. Conditio tacita quæ inest Matrimonio rato & non consummato, suspendit tantùm ad tempus consummationem, scilicet ad duos menses, si alteruter conjugum velit Religionem ingredi & profiteri.

IV. Si aliquis sub hujusmodi verbis juramentum alicui mulieri præstiterit; *ego te in uxorem accipiam, si tantùm mihi donaveris*; reus perjurii non habebitur, si eam nolentem sibi solvere, quod sibi dari petiit, non acceperit in uxorem; nisi consensus de præsenti sit inter eos subsecutus. *De Conditionibus appositis in Desponsatione &c.* Cap. *De illis.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 5. Cap. 3.

V. Quicunque sub conditionis nomine aliquam desponsaverit, & eam relinquere voluerit, frangatur conditio, & desponsatio irrefragabiliter teneatur. *Ibid.* Cap. *Quicumque.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 5. Cap. 1. GONZAL. in illud notat agi hìc de conditione initiativa, quæ suspendit initium Matrimonii, quæque ideò frangenda sit, si alteruter velit illud dissolvere, quia indissolubile est.

VI. Si conditiones contra (a) substantiam conjugii inferantur, putà, si alter dicat alteri; contraho tecùm si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas: Matrimonialis contractus, quantumcunque sit favorabilis, caret effectu. *Ibid. De Conditionibus &c.* Cap. ult. LIB. IV. DECR. *Tit.* 5. Cap. 7. (a) Conditiones censentur esse contra substantiam conjugii, cùm sunt contra bonum prolis, vel contra Sacramentum ipsum, vel contra bonum Fidei. Aliæ conditiones appositæ in Matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debent propter ejus favorem pro non adjectis haberi. *Ibid. fin.*

VII. Si aliquam sibi Vir ad tempus adhibuerit, donec aliam dignam vel honoribus vel facultatibus suis inveniat quam comparem ducat; animo ipso adulter est, nec cum illa quam cupit invenire, sed cum ista cum qua sic cubat, ut cum ea non habeat maritale consortium. CAUS. XXXII. QUÆST. II. *Cap.* 6. *Solet. fin. §. Etenim.*

VIII. Si qui ea causâ conjuncti sint, ut vel nolint sibi nasci filios, vel etiam opere aliquo malo agant ne nascantur, non invenitur quemadmodùm has nuptias appellare possimus. *Ibid.*

SECTIO XV.

Quæ personæ possint vel non possint contrahere Matrimonium?

I. Nubendi licentia tribuitur illis qui virginalem vel vidualem castimòniam nequaquàm professi sunt. Non tribuitur autem illis qui Virgines vel continentes esse decreverunt. CAUS. XXVII. QUÆST. I. Cap. 10. *Nubendi.*

II.

II. Possunt conjungi quos nulla proximitas carnalis &c. Caus. XXX. Quæst. II. Cap. 4.

III. Virginem quæ se Deo consecraverit, similiter & Monachum, decretum est non licere nuptialia jura contrahere. *Ibid.* Caus. XXVII. Quæst. I. Cap. 12. *Virginem.* In Historia Calthatus ostensum est impedimentum Religiosæ Professionis cæpisse Sæculo XII. & esse dirimens, scilicet *ann.* 1122.

IV. Si quaVirgo se dedicaverit Deo, similiter & Monachus, non licet eis nuptiis jungi. *Ibid.* C. 22. *Si qua. init.*

V. Si quis dixerit Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares, castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, Anathema sit. *Conc.* Trid. Sess. XXIV. *Can.* 9.

VI. Leprosi, si continere nolunt, & aliquam quæ sibi nubere velit, invenerint, liberum est eis ad Matrimonium convolare. *De Conjugio Leprosorum.* Cap. *Quoniam.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 8. Cap. 2.

VII. Juxta verbum Apostoli, sicut in Christo Jesu neque liber, neque servus, est à Sacramentis Ecclesiæ removendus, ita nec inter servos Matrimonia debent ullatenus prohiberi. *De Conjugio servorum.* Cap. *Dignum.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 9. Cap. 1.

VIII. Si contradicentibus Dominis & invitis contracta fuerint Matrimonia, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda; debita tamen & consueta servitia non minùs debent propriis Dominis exhiberi. *Ibid. fin.*

SECTIO XVI.

Quæ solemnitates jam requirantur antequàm Matrimonium ineatur?

I. *Concil.* Lateran. IV. sub Innocentio III. Cap. 51. Lib. IV. Decr. *Tit.* 3. Cap. 3.

II. Probatur esse uxorem legitimam, quæ nuptiis secundùm morem celebratis, per Benedictionem scilicet Sacerdotis, alicui extitit conjuncta. Caus. XXXI. Quæst. II. Cap. 4. *med.*

III. Ut omnes Laici publicas nuptias faciant, tàm nobiles quàm ignobiles. *Conc.* Vernense. *ann.* 755. *Can.* 15. Tom. VI. Conc. p. 1668. Vide *Conc.* Forojul. *ann.* 791. Cap 8. Tom. VII. Conc. *p.* 1004.

IV. Antequàm Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis in Ecclesia, inter Missarum Solemnia publicè denuncietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum. *Conc.* Trid. *De Ref. Matr.* Cap. 1. *Post init.*

V. Cùm Matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesiis, per Presbyteros publicè proponantur, ut qui voluerit & valuerit legitimum impedimentum apponat. *De Clandestina Desponsatione.* Cap. *Cùm inhibitio. init.* Verbo *Statuimus.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 3.

VI. Ipsi Presbyteri nihilominùs investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat. *Ibid.*

VII. Si Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denunciationes remittantur, hoc illius prudentiæ & judicio relinquitur. *Conc.* Trid. Sess. XXIV. *De Ref. matr.* Cap. 1. *med.*

VIII. Ne trinæ proclamationes omittantur, & Dispensationes super illarum omissione non concedantur, nisi ex causa diligenter probata; quas Dispensationes soli Episcopi, aut eorum dabunt Vicarii. *Conventus* Melodun. *ann.* 1569. *Tit.* 15. *De Matrim. Articulo ultimo.*

IX. Quod si aliquandò probabilis fuerit suspicio, Matrimonium malitiosè impediri posse, si tres præcesserint denunciationes; tunc vel una tantùm denunciatio fiat; vel saltem Parocho, & duobus vel tribus testibus præsentibus, Matrimonium celebretur. *Conc.* Trid. Sess. XXIV. *De Ref. Matrim.* Cap. 1.

X. Deindè ante illius consummationem, denunciationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, faciliùs detegantur. *Ibidem.*

XI. Decernimus & nos, secundùm Constitutionem antiquam, ut nullus occultas nuptias aut raptum faciat. *Concilium* Trosleianum. *ann.* 909. Cap. 8. Tom. IX. Conc. *p.* 543.

XII. Cum Benedictione Sacerdotis, publicè & non occultè, ducenda est uxor. *Ibidem. p.* 544.

SECTIO XVII.

Quid agendum sit, si post denunciationes impedimentum aliquod appareat?

I. Cùm apparuerit probabilis conjectura contra copulam contrahendam; contractus interdicatur expressè, donec quid fieri debeat super eo, manifestis constiterit documentis. *De Clandestina Desponsatione.* Cap. *Cum inhibitio. ante* §. 1.

II. Cùm contingit quod aliquibus volentibus Matrimonium contrahere, bannis in Ecclesiis editis, ac nullo contradictore publicè comparente, licet fama privatum impedimentum deferat; si persona gravis cui fides sit adhibenda, denuntiet impedimentum, & de fama vel scandalo doceat, aut etiam per se ipsum possit Episcopus certificari de plano; debet eos qui sic contrahere nituntur (si moniti induci nequiverint) compellere, ut à tali contractu desistant. *De Sponsalib.* Cap. *Cùm in tua.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. Cap. 27.

III. Vel sponsus & sponsa contra famam hujusmodi, secundùm discretionis Episcopi arbitrium (*a*) probationes vel Juramenta exhibeant. *Ibid.* (*a*) Hoc est, si probetur fama contra illos qui contrahere nituntur, debent probare si possunt contrarium ad tollendam famam; tollenda autem est fama, ut possit sine scandalo Matrimonium contrahi. Si persona denuncians non sit talis, seu persona gravis cui fides sit adhibenda, vel de fama vel de scandalo non poterit edocere, ad desistendum Episcopus monere poterit, non compellere contrahentes. *Ibid. fin.*

IV. Fama vel scandalum impedit Matrimonium contrahendum. *Ibid. Glossa.*

Sola denunciatio non impedit Matrimonium, nisi adsit fama. *Ibid. Glossa* verbo *De fama.*

Sola fama impedit Matrimonium. *Ibid. Glossa.*

SECTIO XVIII.

Quæ forma essentialiter observari debeat in contrahendo Matrimonio?

I. Denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad Celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur. *Conc.* Trident. Sess. XXIV. Cap. 1. *De Ref. Matr.*

II. Ibi Parochus Viro & Muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat; *Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti*; vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum. *Ibid.* Si quis de Francia nobilem mulierem de Saxonia Lege Saxonum duxerit in uxorem, licet non eisdem utantur Legibus Saxones & Francigenæ, & is dicat, quod eam non sua, id est non Francorum Lege, desponsaverit, illam dimittere non potest, nec aliam super inducere. *De Sponsalib.* Cap *De Francia* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. Cap. 1.

III. Si dimissa illa aliam super induxit, ut transgressor Evangelicæ Legis, subjiciatur Pœnitentiæ, & à secunda separetur conjuge, & ad priorem redire cogatur. *De Sponsal.* Cap 1. Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. Cap. 1. Valet Matrimonium secundùm Consuetudinem patriæ uxoris contractum, licet contra Legem Patriæ viri.

IV. Qui aliter quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos Ecclesia ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit; & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, atque irritos facit, & annullat. *Ibid. Conc.* Trid. Sess. XXIV. *De Reform. Matrim.* Cap. 1.

V. Nullus fidelis, cujuscunque conditionis sit, occultè nuptias faciat, sed Benedictione accepta à Sacerdote, publicè nubat in Domino. *Appendice Conc.* Lateran. *Part.* 49. Cap. 10.

VI. Clandestina Matrimonia libero contrahentium consensu facta, Ecclesia irrita fecit. *Ibid. init.*

VII. Gravia peccata ex eisdem clandestinis conjugiis orrum habebant; præsertim verò dùm qui priore uxore, cum quâ clàm contraxerant, relictâ, cum alia palàm contrahebant, & cum ea in perpetuo adulterio vivebant. *Ibid* Ut fides inter Virum & mulierem occultè & sine testibus de conjugio data irrita sit.

SECTIO XIX.

Quæ pœna sint decreta, tùm adversùs eos qui formam præscriptam non servant, Matrimonium aliter, quàm præsente Parocho, & duobus vel tribus testibus, celebrando, tùm adversus Presbyteros qui conjunxerint aliquos post denunciatum impedimentum?

I. Ecclesia Parochum vel alium Sacerdotem, qui cum minore quàm cum duorum, vel trium testium numero; & testes qui sine Parocho vel Sacerdote, hujusmodi contractui interfuerint; nec non ipsos contrahentes, graviter, arbitrio Ordinarii, puniti præcipit. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. *De Reform. Matrim.* Cap. 1. *med.*

II. Quod contra interdictum & Ordinem Ecclesiæ factum est, tanquàm inordinatum ratum non haberi, tàm Divinæ quàm Humanæ Legis autoritas proclamat. CAUS. XXXV. QUÆST. VI. Cap. 2. & LIB. IV. DECR. *Tit.* 18. *Qui Matr. Acc.* Cap. 3. *Videtur. in int. init.*

III. Clandestina, & absque Sacerdotali Benedictione, nnn debere contrahi conjugia, multorum Sanctorum Patrum declarat Autoritas. ALEXANDER III. *Epist.* 22. *App.* 1ª. TOM. X. CONC. *p.* 1165.

IV. Si quis Parochus, vel alius Sacerdos, sive Regularis, sive Sæcularis sit (etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili Consuetudine licere contendat) alterius Parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentia, Matrimonio conjungere ausus fuerit; ipso Jure tamdiù suspensus maneat, quamdiù ab Ordinario ejus Parochi qui Matrimonio interesse debebat, absolvatur. *Ibid. Conc.* TRID. SESS. XXIV. *De Ref. Matr.* Cap. 1. *fin.*

V. Si Parochialis Sacerdos interdictas conjunctiones post allegatum impedimentum prohibere contempserit, aut quilibet etiam Regularis qui eis præsumpserit interesse, per triennium ab Officio suspendatur. *De clandest. Despons.* Cap. *Cùm inhibitio.* §. 2. *fané. init.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 5. Cap. 3. *Juncta Glossa.*

VI. Erit graviùs puniendus, si culpæ qualitas postulaverit. *Ibid.* Hæc abrogata non sunt à *Conc.* TRID. quia nihil contrarium decrevit.

SECTIO XX.

Qua ratione vagi homines, & qui non habent certum domicilium, ad Matrimonium admitti debeant?

I. Multi sunt qui vagantur & incertas habent sedes; & ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta, aliam & plerumque plures, illâ vivente, diversis in locis ducunt. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. *De Ref. Matr.* Cap. 7. *init.*

II. Huic morbo cupiens Synodus TRID. occurrere, omnes ad quos spectat, paternè monet, ne hoc genus hominum vagantium ad Matrimonium facilè recipiant. *Ibid.*

III. Parochis præcipit ne illorum Matrimoniis intersint, nisi priùs diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. *Ibid. fin.*

IV. Servetur accuratissimè quod Tridentina Synodus de Matrimoniis, quæ cum vagabundis hominibus sæpè iniri solent, sanctissimè statuit. *Conventus* MELOD. *Tit.* 15. *Art.* 9.

SECTIO XXI.

Quomodò nupturi disponere se debeant ad contrahendum Matrimonium?

I. Sancta res est Matrimonium, & Sanctè tractandum. *Conc.* TRID. SESS. XIV. *De Ref. Matr.* Cap. 10. *seu ult. fin.*

II. Sancta Synodus TRID. conjuges hortatur, ut antequàm contrahant, vel saltem triduo ante Matrimonii consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, & ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum piè accedant. *Ibid.* §. *postremo.*

III. Cùm constet Matrimonium à Deo institutum, ut & CHRISTI ac Ecclesiæ Sacram & inseparabilem adumbraret conjunctionem, & proindè honorabile esse connubium, teste Apostolo; summo ideò in pretio haberi debet, ac maximo cum honore contrahendum est ac celebrandum, sive primò, sive secundò, sive tertiò, aut quartò, contrahatur. *Convent.* MELOD. *T.* 15. *Art.* 1.

IV. Nubentes Sacramento Pœnitentiæ & piis præmuniri debent precibus. *Ibid. Art.* 4. *fin.*

V. Si quæ Provinciæ aliis ultra prædictas laudabilibus Consuetudinibus & Ceremoniis hac in re utuntur, eas omninò retineri Ecclesia vehementer optat. *Conc.* TRID. SASS. XXIV. Cap. 1. §. *postremo. med. De Ref. Matrim.*

SECTIO XXII.

Quid agendum post celebratum Matrimonium?

I. Habeat Parochus librum in quo Conjugum & Testium nomina, diemque & locum contracti Matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat. *Conc.* TRIU. SESS. XXIV. *De Ref.* Cap. 1. *Antè.* §. *ult. postremo.*

II. Memores oportet esse nubentes, quanta cum puritate ac simplicitate CHRISTUM, Matrem, ac Discipulos ejus, nuptiis interfuisse testentur Sacræ Literæ; ne Sacræ à Christianis nuptiæ in Bacchanalia convertantur. *Conventus* MELODUN. *Tit.* 15. *Art.* 10.

III. Curabunt Episcopi, ut nuptiæ, eâ qua decet modestiâ & honestate fiant. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. *De Ref. Matr.* Cap. 10. *fin.*

IV. Abarceantur ludi qui impudenter, ne in contemptum dicamus nuptiarum secundarum, multis in locis fieri solent, adhibita si videtur, urgente necessitate, aut irrisorum hujusmodi contumacia, ipsa Excommunicationis Censura. *Convent.* MELOD. *Tit.* 15. *Art.* 20.

SECTIO XXIII.

Quo tempore permittat aut vetet Ecclesia nuptias celebrari? & quæ pœna contra nubentes contra interdictum Ecclesiæ?

I. Si quis dixerit prohibitionem Solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse Tyrannicam, aut ab Ethnicorum superstitione profectam, Anathema sit. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. *Can.* 11. *init.*

II. Non oportet in Quadragesima nuptias celebrare. CAUS. XXXIII. QUÆST. IV. Cap. 8. *Non oportet.* Ex *Conc.* LAODIC. Cap. 52.

III. Non licet nuptias in Quadragesima celebrare. *Ibid.* Cap. 9. *Non licet. fin.*

IV. Non oportet à Septuagesima usque in Octavas Paschæ, & ab Adventu Domini usque post Epiphaniam, nuptias celebrare. *Ibid.* Cap. 10. *Non oportet.*

V. Secundùm Canones à Septuagesima usque post Octavas Paschæ, nuptiæ suspenduntur. *De Feriis.* Cap. *Capellanus.* §. *Quia ergo. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 9. Cap. 4.

VI. Non clandestinæ celebrentur nuptiæ, nec noctu, metu præstigiorum, fieri debent nuptiarum Benedictiones, sed diù. *Convent.* MELOD. *T.* 15. *De Matr. Art.* 4.

VII. Nullus fidelis, cujuscunque conditionis sit, occultè nuptias faciat, sed Benedictione acceptâ à Sacerdote publicè nubat in Domino. CAUS. XXX. QUÆST. III. Cap. 2.

VIII. Uxorem ducere in Quadragesimali tempore convenire posse nullatenùs arbitramur. CAUS. XXXIII. QUÆST. IV. Cap. 11.

IX. Ab

IX. Ab Adventu Domini Nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniæ; & à feriâ quartâ Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusivè, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari Ecclesia præcipit. *Concil.* Trid. Sess. XXIV. *De Reform. Matrim.* Cap. 10. *init.*

X. In aliis verò temporibus nuptias solemnitet celebrari Ecclesia permittit. *Ibid.* Nuptiarum celebrandarum tempora à Sanctâ Tridentina Synodo statuta, diligentissimè serventur. *Conventus* Melodun. *Tit.* 15. *Articulo* 5.

XI. Licet contra Interdictum Ecclesiæ Vit ad secunda Vota transire non debuerit, non est tamen conveniens, ut ob id solùm Sacramentum conjugii dissolvatur. *De Matrimonio contracto &c.* Cap. *Ex Literis.* §. ult. *mandamus.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 16. Cap. 2.

XII. Pœnitentia tamen debebit imponi, quia contra prohibitionem Ecclesiæ hoc fecerunt. *Ibid. fin.*

XIII. Matrimonium contra interdictum Ecclesiæ vel Judicis factum seu contractum, propter hoc solum non dirimitur; imponitur tamen Pœnitentia sic contrahentibus. *Ibid. De Matrimonio contracto. &c.* Cap. *Litera.* Rubrica. colligit. Lib. IV. Decr. *Tit.* 16. Cap. 1.

XIV. Ea est Romanæ Ecclesiæ consuetudo, ut quocumque tempore Matrimonium contrahatur, consensu interveniente legitimo de præsenti. *De Feriis.* Cap. *Capellanus.* §. *Quia ergo.* Lib. II. Decr. *Tit.* 9. Cap. 4. Ideò forte *Concil.* Trid. supra cit. loco non vetat Matrimonium his diebus, sed Solemnitates nuptiarum. In Gallia utrumque prohibetur.

SECTIO XXIV.

Quæ Ceremoniæ adhibeantur in administratione Sacramenti Matrimonii, & quid significent? Et quàm potissimùm necessaria sit Benedictio Sacerdotis, & à quo dari debeat?

Vide Nicol. I. *in Responsione ad Consulta Bulgarorum.* Cap. 3. Tom. VIII. Conc. *p.* 517.

I. Qui ad nuptialia fœdera perducuntur, primùm quidem in Ecclesia Domini, cum Oblationibus quas offerre debent Deo per Sacerdotis manum statuuntur, sicque demùm Benedictionem & velamen Cœleste suscipiunt. Caus. XXX. Quæst. V. *Cap.* 3. *Nostrates.*

II. Quod annulus à sponso sponsæ datur, fit hoc nimirùm, vel propter mutuæ fidei signum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur. Caus. XXX. Quæst. V. *Cap.* 7. *Fæmina.* §. ult. *Item. init.*

III. Sancta Synodus Tridentina hortatur, ut conjuges ante Benedictionem Sacerdotalem in Templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent. *Conc.* Trid. Sess. XXIV. *De Reform. Matrim.* Cap. 1.

IV. Nulli (a) uxores ducant sine Benedictione Sacerdotis; qui autem nupturi erunt, à Sacerdote benedicti nubere audeant, nec aliter præsumant. Caus. XXXV. Quæst. I. & II. *Cap.* 19. Nulli (a) id est, Qui Matrimonium consummaturi sunt, nonnisi post Sacerdotis Benedictionem consumment. Ex testimoniis collectis in Historia Benedictionis Nuptialis inferre est, hic agi de Benedictione quæ Celebrationem Matrimonii comitatur, quæque substantialis; non de subsequenti, quæ merè accidentalis est.

V. Synodus Tridentina statuit, Benedictionem à proprio Parocho fieri, neque à quoquam, nisi ab ipso Parocho vel Ordinario, licentiam ad prædictam Benedictionem faciendam, alii Sacerdoti concedi posse; quacunque Consuetudine etiam immemorabili, quæ potiùs corruptela dicenda est, vel Privilegio non obstante. *Concil.* Trid. Sess. XXIV. *De Reform. Matrim.* Cap. 1.

VI. Fiat Benedictio Nuptialis in Ecclesia Parochiali nubentium; quod si diversarum fiunt Parochiarum, neuter illorum ad alteram accedat benedicendus, sine proprii Curati licentia. *Convent.* Melod. *Tit.* 15 *fin.*

VII. Fœminæ, dùm maritantur, ideò velantur, ut noverint se semper maritis suis subditas esse, & humiles. Caus. XXX. Quæst. V. *Cap.* 7. *Femina. init.*

VIII. Si quis Benedictiones & alias Ceremonias, quibus Ecclesia in nuptiis utitur, damnaverit, Anathema sit. *Concil.* Trid. Sess. XXIV. *Canone* 1. *fin.*

IX. Quod si quis Parochus vel alius Sacerdos, sive Regularis, sive Sæcularis sit; (etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili Consuetudine licere contendat) alterius Parochi sponsos sine illorum Parochi licentia benedicere ausus fuerit; ipso jure tamdiù suspensus maneat, quamdiù ab Ordinario ejus Parochi, à quo Benedictio suscipienda erat, absolvatur. *Concil.* Trid. Sess. XIV. *De Reform. Matrim.* Cap. 1.

SECTIO XXV.

Parochus referre debere Matrimonia in Librum; & quàm honestè nuptias celebrari deceat?

Vide supra Sect. XXII. quæ posita est 12. locum: Hic 25. loco collocari poterat; uterque locus congruebat, prior prælatus est ut congruentior.

SECTIO XXVI.

Quid sit Matrimonium ratum? Quid consummatum?

Triplex est Matrimonii genus, vel potiùs status, sive gradus. Primum est *Matrimonium initiatum*, quod fit per Sponsalia, sive mutuam promissionem futurarum nuptiarum: Secundum est Matrimonium contractum inter fideles, *ratum* dictum, quia promissio executioni mandatur sine facultate resiliendi: Tertium est Matrimonium *consummatum* commixtione Corporum; quâ factâ inter fideles omninò indissolubile efficitur.

I. Duo sunt in conjugio, videlicet consensus animorum, & commixtio Corporum. *De Bigamis non ordinandis.* Cap. *Debitum. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 21. Cap. 5.

II. Horum alter significat charitatem, quæ consistit in Spiritu inter Deum & justam animam; ad quod pertinet illud quod dicit Apostolus, *Qui adhæret Deo unus Spiritus est cum eo. Ibid.*

III. Reliquum verò designat conformitatem, quæ consistit in carne inter Christum & Ecclesiam, ad quod pertinet illud quod Evangelista testatur: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Ibidem.*

IV. Cum initiatur conjugium, conjugii nomen ascisciitur, non cùm puella Viri admistione cognoscitur. Caus. XXVII. Quæst. II. *Cap.* 35.

V. In omni Matrimonio conjunctio intelligitur spiritualis, quam confirmat & perficit conjunctorum commixtio corporalis. *Ibid.* Cap. 36.

VI. Si quis desponsata sibi & traditâ utatur, ritè conjugium vocatur. *Ibid.* Cap. 38.

VII. (a) Sacramentum Fidei, ratum efficit conjugii Sacramentum. *De Divortiis.* Cap. *Quantò.* §. 2. *Si verò med.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 19. C. 7. (a) Bigamus.

VIII. Inter fideles Matrimonium verum & ratum existit. *Ibid.* Dominus innuit esse Matrimonium inter infideles. *De Consanguinit.* Cap. *De Infidelibus. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 14. Cap. 4.

IX. Etsi Matrimonium verum inter Infideles existat, non tamen est ratum. Lib. IV. Decr. *Tit.* 19. Cap. 7. §. 2. *Si verò. init.*

X. Conjugium commixtione Corporum consummatur. *De Bigamis.* Cap. *Debitum. post init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 21. Cap. 5.

XI. Vir & Mulier, per nuda sponsionis verba, non possunt una caro fieri. Caus. XXVII. Quæst. II. *Cap.* 13. *Lex. med.*

XII. Non est dubium illam mulierem non pertinere ad Matrimonium, cum quâ docetur non fuisse commixtio sexûs. Caus. XXVII. Quæst. II. Cap. 16. *Cùm Societas.* &c. *Ibid.* Cap. 17.

XIII. Protoplastus ille Prophetico Spiritu inter alia protulit

protulit: *Propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*: quibus verbis innotuit, non aliter Virum & Mulierem posse fieri unam carnem, nisi carnali copula sibi cohæreant. *Ibid.* CAUS. XXVII. QUÆST. II. *Cap.* 18. *Lex med.*

XIV. Matrimonium sine carnali copula consummari non potest. *De Conversione Conjugatorum* Cap. *Ex publico.* §. ult. *Sanè. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32. C. 7.

XV. Vir & Uxor una caro per copulam conjugalem efficiuntur. *Ibid.* Cap. *Ad Apostolicam. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 31. Cap. 13.

XVI. Constat quia Vir & Mulier una caro per (b) connubium efficiuntur. (b) id est, per copulam conjugalem. CAUS XXX QUÆST. IV. *Cap.* 1. *Sciscitatur. med.*

XVII. Secundùm Verbum Domini, Vir & Mulier efficiuntur per connubium una caro. *De Cognatione Spirituali.* Cap. *Martinus.* §. *Nos autem.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 11. Cap. 4.

SECTIO XXVII.

An Matrimonium ratum dissolvi possit per Professionem Solemnem, in Religione emissam? Et quanto tempore sit expectandum? Et an pati debeat aliquod damnum qui ingreditur in Religionem?

I. Quod Dominus in Evangelio dicit: *Non licere Viro nisi ob causam fornicationis uxorem suam dimittere*, intelligendum est, secundùm interpretationem Sacri eloquii, de his quorum Matrimonium carnali copula est consummatum. *De Conversione Conjugatorum.* Cap. *Ex publico.* §. ult. *Sanè.* LIB III. DECR. *Tit.* 32. Cap 7. Videsis *Traditionem Ecclesiæ circa Sacramentum Matrimonii*, ubi habes Historiam hujus dissolutionis Matrimonii rati per Professionem Religiosam, ex colligendis hic Canonibus, aliisque Extravagantibus qui inveniri potuerunt, desumpram.

II. Potest quis Matrimonium contrahere, & posteà, si elegerit, ad Religionem migrare, si tamen post Desponsationem, copula non dignoscitur intervenisse carnalis. *De Sponsalib.* Cap. *Commissum.* §. *Fraternitati.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 1. *Cap.* 16. Hinc vulgò colligunt, conjuges antè consummationem Matrimonii, posse sibi assumere duorum mensium spatium, ad deliberandum nùm velint ad Religionem transire; debet autem certum tempus constitui intra quod alter conjux vel ad Religionem transeat, vel ad conjugem redeat.

III. Post consensum legitimum de præsenti, licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere Monasterium, sicut Sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt, dummodò carnalis commistio non intervenerit inter eos; & alteri remanenti, si commonitus continentiam servare noluerit, licitum est ad secunda Vota transire, quia cùm non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire, & alter in sæculo remanere. *De Conversione Conjugatorum.* Cap *Verùm.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32. Cap. 2. *Append. Concil.* LATER. III. *Parte* 5. Cap. 1.

IV. Si Vir Uxorem sibi de præsenti desponsatam carnaliter non cognoverit, & eadem ad Religionem transire voluerit, recipi debet ab ea sufficiens cautio, quod vel ad Religionem transire, vel ad Virum suum redire intra duorum mensium spatium debeat. *Ibid.* Cap. *Ex publico.* §. *Caterùm init.*

V. Antequàm Matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licet alteri conjugum, reliquo inconsulto, ad Religionem transire, ita quod reliquus ex tunc legitimè possit alteri copulari, quamvis falsa sit causa per quam ad susceptionem veli mulier est inducta; cùm sine qualibet tali causa, id ipsum Religionis obtentu facere possit. *De Conversione Conjugatorum.* Cap. *Ex Parte, il secundo.* §. 3. *Nos tamen.* LIB. I. DECR. *Tit.* 32 Cap. 14.

VI. Inter Mulierem & Virum tale divortium non celebratur, nisi alter Voto Solemni ad Religionem transeat. *Ibid* & *De Frigidis.* Cap. *Fraternitatis.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 15. Cap. 6.

VII. Decreta legalia desponsatam, si converti voluerit, nullo omninò censuerunt damno mulctari. CAUS. XXVII. QUÆST. II. *Cap.* 28. *Decreta.*

VIII. Si alter ad Religionem transierit, uterque restituat alteri quod ab eo noscitur recepisse. *De Convers. Conjug.* Cap. *Ex publico.* §. *Caterum fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32. Cap. 7.

IX. Desponsatæ puellæ licet sibi Monasterium eligere. CAUS. XXVII. QUÆST. II. *Cap.* 27.

SECTIO XXVIII.

An Matrimonium ratum dissolvatur ob alias causas, putà, vel susceptionem Ordinis Sacri, vel Votum simplex servanda continentia &c.?

I. Votum Solemnisatum per Sacri susceptionem Ordinis, ad dissolvendum Matrimonium priùs contractum, etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum, cùm nec Jure Divino, nec per Sacros reperiatur Canones hoc statutum, invalidum est censendum. EXTRAVAG. JOANN. XXII. *Antiqua. post ini.* EXTRAVAG. JOANN. XXII. *De Voto & Voti &c. Tit.* 6. Cap. unic.

II. Matrimonium ratum non dissolvitur per susceptionem Ordinis Sacri.

III. Districtiùs inhibitum est, ne quispiam durante Matrimonio, nondùm etiam consummato, aliquem de Sacris Ordinibus præsumat suscipere, nisi prout Sacris Canonibus noverit convenire. *Ibid.*

IV. Si secùs à quoquam forsitan attentatum fuerit, nec Matrimonio soluto in sic suscepto Ordine ministrare, nec ad Superiores Ordines provehi, nec ad aliquod Beneficium vel Officium Ecclesiasticum valeat promoveri; nisi aliquam de Religionibus approbatis, ipsum Canonicè contigerit ingredi, ac ejus Regulam expresè profiteri; quo casu Diœcesanus super præmissis, & singulis præmissorum, cum eo dispensare valeat, nisi sit aliud Canonicum quod obsistat. EXTRAVAG. JOANN. XXII. *Antiqua. med. De Voto.* EXTRAVAG. JOANN. XXII. *Tit.* 6. Cap. unic.

V. Matrimonium in Ecclesia Dei adeò magnum Sacramentum probatur esse, quod sine rationabili & evidenti causa dissolvi non debeat. præsertim cùm non ab homine, sed à Deo sit institutum. *De Offic. Jud. Deleg.* Cap. *Cans. Matrim. in int.* LIB. I. DECR. *Tit.* 29. Cap. 16. Loquitur de Dissolutione Declaratoria Matrimonium esse nullum, non autem de illa quæ rumpit vinculum validè formatum, de qua hic agitur.

VI. Ad ingressum hujusmodi sic ordinatus, si Matrimonium consummatum non fuerit, per Diœcesanum instanter moneri debet & induci. *Ibid.*

VII. Quod si forsitan renuerit adimplere, ipse, si sponsa ejus institerit, per Censuram Ecclesiasticam compellendus est contractum Matrimonium consummare. *Ibidem fin.*

VIII. Si mulier quæ se in Virum consensisse de præsenti confitetur, velit in domo propria remanere, quasi propositum castitatis in sæculo servatura, nihilominùs consummandum est Matrimonium jam contractum; nisi se Voto adstrinxerit ad observantiam Regularem. *De Conversione Conjug.* Cap. *Ex Parte, il secundo.* §. ult. *Porrò.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32. Cap 14.

IX. Quo in casu mulier compelli potest, ut relicto sæculo, Religionis propositum exequatur. *Ib. fin.* Posito quod adhuc sit intra tempus datum ad deliberandum, eligendamque vitam Religiosam.

X. Si mulier cuidam Viro matrimonialiter nupsit, cum quo per multos annos morata, non potuit carnaliter ab ipso cognosci, & invenerit qui ejusmodi seras reserat, atque cum alio nubat; si tantùm simplici verbo promisit se continentiam servaturam, non debet cum secundo Viro aliquatenùs remanere, sed ad primum redire. *De Frigidis.* Cap. *Fraternitatis.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 15. Cap. 6.

XI. Si

X. Si posterius Mattimonium cnntractum sit post dissolutionem prioris, ex impotentia debitè probata, non liceret nunc, saltem in Gallia, illud dissolvere, sive absoluta, sive tespectiva declarata sit impotentia; quia cùm prius declaratum sit nullum ob impedimentum antecedens debitè probatum, posterius validum esse debeat.

Etiamsi unus fidelium inter quos est ratum conjugium fieret hæreticus, & noller permanere cum alrero; sine contumelia Creatoris, illis viventibus Matrimoninm non potest dissolvi, ut vivente reliquo, alter ad secunda vota transmigter. *De Conversione conjngatorum.* Cap. *Ex parte. il secundo. §. 2. nos autem.* Lib. III. Decr. *Tit.* 32. Cap. 14. Si inter Virum & mulierem legitimus consensus interveniat de præsenti, sive sit juramentum interpositum, sive non; non licet alteri ad (a) alia vota ttansire. (a) boc est, ad alind Matrimonium. *De Sponsalibus.* Cap. *Si inter. init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. Cap. 31. Gregorius IX. *Episcopo* Cenomanensi. *circa annum* 1236.

XI. Quod si fuerit secundum Matrimonium de facto contractum, etiamsi sit carnalis cnpula subsecuta, separari debet, & ptimum in sua firmitate manere. *Ibidem.*

XII. Si alter fidelium conjugum vel labatur in hætesim, vel transeat ad Gentilitatis errorem, in boc casu, is qui relinquitur, vivente altero, non potest ad secundas nuptias convolare, licet in hoc casu maxima appareat contumelia Creatoris. *De divortiis.* Cap. *Qnanto. §. 2. si verò.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 19. *Cap.* 7. Undè sequitur qnud dissolubilitas Matrimonii inter Infideles contracti, per conversionem alterius ad fidem, non oritur ex sola contumelia Creatoris, timenda si conversus cum alio remaneat, sed etiam ex Dispensatione Divina ab Apostolo publicatâ.

XIII. Sactamentum fidei qnod semel est admissum nunquàm amittitur, sed ratum efficit Conjugii Sacramentum, ur ipsum in conjugibus illo durante perduret. *Ibidem.*

Per hanc Responsionem quorumdam malitiæ obviatur, qui in odium conjngum, vel qnando sibi invicem displicerent, si eas possent in tali casu dimittere, simularent hæresim, ut ab ipsa nnhentibus conjugibus resilirent. *Ibid. §. ult. per banc.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 19. Cap. 7.

XIV. Si aliquis alicui mulieri fecerit fidem consensûs, non licet ei aliam ducere; si autem duxerit; dimittet ipsam, & adhærebir priori. *De Sponsa duorum.* Cap. *Duobns. init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 4. Cap. 1.

XV. Non debet rescindi tantum Sactamentum. *Ibid.*

XVI. Si inter Virum & mulierem legitimus consensus interveniar de præsenti, sive sit Juramentum interpositum, sive non, non licet mulieri alii nubere; & si nupserit, etiamsi carnalis copula sit secuta, ab eo separari debet, & ut ad primum redeat Ecclesiasticâ districtione compelli. *De sponsa duorum.* Cap. *Licet.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 4. Cap. 3. Alexander III. *Salernitano Archiepiscopo, circa annum* 1170. *Appendice Conc.* Lateran. III. *Part. 6. Cap.* 8. Probant aliqui Summum Pontificem posse dirimere Matrimonium ratum duntaxat, ex *Cap.* Veniens. *De eo qui* &c. Lib. IV. Decr. *Tit.* 13. *Cap.* 2. Ubi Alexander III. permittit, ut Vir qni cognoverat matrem nxoris suæ, cum qua nondùm Matrimoninm consummaverat, possit, si publicum est quod matrem sponsæ cognovit, ex Dispensatione cum alia contrahere, & ipsa nxor alii nubere. Alii aliter intelligunt. In Tractatu *de Dispensationibns Matrimonialibus* ostensum est, Papam à Matrimonio rato nulla ex causa dispensare posse, & Responsum objecto Textui aliisque omnibus qui objici possunt, necnon rationibus validioribus secùs sentientium, quales Navarrus, *Sanctus* Fagnanus.

SECTIO XXIX.

Ex Matrimonio rato oriri impedimentum justitiæ publicæ honestatis, & ad quartum gradum extendi.

Cùm sint duo Sponsaliorum genera usitata, eo tempore quo conditi sunt Canones, Corpori Juris inclusi, scilicet alia de futuro, alia de præsenti; Textus qui loquuntur de impedimento publicæ honestatis, ex Sponsalibus provenienris, de utrisque intelligendi sunt, cùm ad Sponsalia de futuro non restringuntur. Hinc Textns illi probant, Matrimonium ratum, qnod aliud non est qnàm Sponsalia de præsenti, producere hoc impedimentum. Idem faciunt qui de Sponsalibus de futuro clarè loquuntur, cùm major ratio id exposcat. Nec obstat Regula, odia restringi convenit; quia utilitas publica privatæ sit præferenda. *Cap.* 3. *De postulat.*

I. Si quis uxorem (a) subarrhaverit, & sive præveniente die mortis, sive irruentibus quibusdam aliis causis, minimè eam cognoverit; neque ejus superstes frater, neque ullus (b) de consanguinitate ejus eandem sibi tollat in uxorem ullo unquam tempore. *Cap. nlt. De Desponf Impnb.* Caus. XXVII. Quæst. II. Cap. 15. *Si qnis desponsaverit.* (a) Gonzalez *in* Cap. ult. *De Desponsat. Impnb.* in verbo *Snbarraria* docet arrhas dari in securitatem contractûs tàm Sponsaliorum quàm Matrimonii, ideòque esse signum æquivocum ex circumstantiis interpretandum. Eadem Doctrina ex Expositione Cujacii *in idem Cap.* depromi potest.

Etsi de Sponsalibus possit absolutè intelligi, probabilius tamen est agi de Matrimonio rato, quia subarrhatio maximè pertinet ad desponsationem de præsenti, & jam non agit de uxore ducenda, sed de usu conjugii.

Sed (b) quoad rem sufficit scire quod non dubitaretur de honestate publica inter matrem puellæ de cujus desponsatione agebatur, sive Matrimonium ratum foret, sive simplicia Sponsalia, & sponsum ejusdem pnellæ; hoc enim certum erat: sed incertum an puella ætatis esset nnbilis tempore contractûs, an non esset. 1°. Casu dicta desponsatio erat Matrimonium, 2°. non erat, sed simplicia Sponsalia.

II. Duorum consobrinarum conjuges, quamvis diversis temporibus, Viro uni alreram post alterius obitum (c) nubere, ipsa præter autoritatem Canonicam publicæ honestatis justitiæ contradicit. Caus. XXXV. Quæst. III. Cap. 22. *Finali. Porro.*

Nihil (c) etiam obest quominùs intelligatur de conjugibus qui Matrimonium non consummaverunt.

III. Si duo pueri (d) matrimonialiter sunt conjuncti, cum impediente puerili ætate Matrimonium (e) inter eos non fit; licet alter, postquàm mulier nupsit alii, possit aliam ducere in uxorem, tamen quia duxir consobrinam mulieris ejusdem, non debet cum eadem, propter publicæ honestatis justitiam, remanere. *De Desponf. Impnberum.* Cap. *Dno pueri. §. 1. Quia igitur.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 2. Cap. 12.

Matrimonium (d) illud habebat equidem rationem Sponsaliorum duntaxat: (e) hoc est dummodo Matrimonium ratum, non sit nullum ex defectu consensûs; nam etiamsi sir nullum consanguinitatis, affinitatis, & frigiditaris, Religionis, aut quavis alia ratione, producit hoc impedimentum, ut patet ex *Cap.* unico, *De Sponsalibus, in 6.* Lib. IV. *Tit.* 1, usque ad quartum gradum, juxta *Cap. Non debet. De Consangninitate.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 14. Cap. 8. §. 2. *prohibitio.*

IV. Juvenis qui puellam nondùm septennem dnxit, quamvis ætas repugnet, propter honestatem Ecclesiæ, quia ipsa conjux ipsius fuisse dicitur, consobrinam ipsius puellæ non potest ducere. *De Sponsalib.* Cap. *Juvenis.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. *Cap.* 3. Potior ratio desumitur ex affinitate per illicitum congressum contracta, cùm nulla essent Sponsalia ob defectum consensûs ex ætatis defectu provenientem.

V. De-

V. Decretum *Concilii* TRID. SESS. XXIV. *De Ref. matr. Cap.* 4. omninò intelligendum est, & procedit in Sponsalibus de futuro duntaxat, non autem in Matrimonio, sicut præfertur, contracto. *Ibid. motu proprio* PII. V.

Sponsaliorum appellatione quâ *Concil.* TRID. SESS. XXIV *De Ref. matr. Cap.* 3. utitur, non nisi impropriè Matrimonium verbis de præsenti conceptis contractum continetur, ut ostensum est dum *de Sponsalibus.*

Cùmque agatur de Correctione Juris veteris, quo casu secundùm proprietatem verborum duntaxat procedendum est, præsertim cùm longè majorem rationem prohibitionis in Matrimonio per verba de præsenti contracto, quàm in Sponsalibus de futuro vigere à nemine dubitatur; idcircò declaratum est & definitum Decretum Concilii hujusmodi omninò intelligendum esse, & procedere in Sponsalibus de futuro duntaxat, non autem in Matrimonio, sicut præfertur, contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus & gradibus quibus de Jure Veteri ante prædictum Decretum Concilii introductum erat; & ita ab omnibus judicari debere mandatum atque statutum, *Bullâ* LXII. PII V. *Ad Romanum* §. 2. *ann.* 1568. BULLARII TOM. II. *p.* 257. Ratio illius est quod Decretum Concilii corrigit *Cap.* 1. *De Sponsalib. In* 6. ubi de solis Sponsalibus de futuro sermo fit, cùm Sponsalia de præsenti semper sint pura & certa.

SECTIO XXX.

Matrimonium consummatum nulla ratione dissolvi posse.

I. Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis Parens, Divini Spiritûs instinctu pronuntiavit, cùm dixit; *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne meâ; quamobrem relinquet*
GENES. XX. EPHES. V. *homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ & erunt duo in carne una. Concil.* TRID. SESS. XXIV. *Doctrina de Sacramento Matrimonii. init.*

II. Contracta Matrimonia, accedente infirmitate, nullâ voluntatis contrarietate solvantur; quod si qui è conjugibus fecerint, noverint se Communione privandos. *Concil.* AUREL. II. *ann.* 533. *Can.* 11. TOM. IV. CONC. *p.* 1781.

III. Qui mulierem sibi legitimè copulatam dimittit, & aliam ducit, secundùm Domini sententiam, adulterii judicio subjicitur. S. BASIL. *Epist. Can.* 3. CAUS. LXXVII. TOM. II. CONC. *Append. p.* 1754.

IV. CHRISTUS Dominus ejusdem nexus firmitatem
MATTH. XIX. MARCI. X. ab Adamo tantò ante pronunciatam, his verbis confirmavit *Quod ergo Deus Conjunxit, homo non separet.* Ibid.

Matrimonii vinculum ab ipso Ecclesiæ Capite, rerum omnium Conditore, ipsum in Paradiso & in statu innocentiæ instituente, unionem & indissolubilitatem accepit. *In* 6. *De Voto & Voti redemptione.* Cap. unico. *init.* LIB. III. *Tit.* 15. Cap. unico.

V. Si alter fidelium conjugum vel labatur in hæresim, vel transeat ad Gentilitatis errorem; non credimus quod in hoc casu is qui relinquitur, vivente altero, possit ad secundas nuptias convolare; licet in hoc casu appareat contumelia Creatoris. *De divortiis.* Cap. *Quanto.* §. 2. *Si verò.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 19. Cap. 7. Non solvitur per lapsum in hæresim vel infidelitatem.

Per hanc Responsionem quorumdam malitiæ obviatur qui in odium Conjugum, vel quandò sibi invicem displicerent, si eas possent in tali casu dimittere, simularent hæresim, ut ab ipsâ (nubentibus Conjugibus) resilirent. *Ibid.* §. 3. *Per hanc.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 19. Cap. 7. *fin.*

VI. Religionis causâ conjugia dissolvi Lex Divina prohibuit, per se enim veritas dixit; *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* CAUS. XXVII. QUÆST. II. *Cap.* 19. *Sunt qui. init.*

VII. Conversionis gratia utrolibet invito posse solvi Conjugia Divina Lex fieri non permittit. CAUS. XXVII. QUÆST. II. *Cap.* 21. *Agathosa.*

VIII. Uxore nolente, aut altero eorum, etiam pro Religiosâ vitâ Matrimonium non solvitur. CAUS. XXVII. QUÆST. II. *Cap.* 23. *Si Vir & uxor.*

IX. Etsi fides thori sit unum de tribus bonis conjugii, non tamen ipsius violatio conjugale vinculum violat. *Qui filii sint legitimi.* Cap. *Per Venerabilem.* §. 1. *Videbatur. fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 17. *Cap.* 13. Non per adulterium.

X. Licet contra interdictum Ecclesiæ ad secunda Vota quis transire non debuerit, non est tamen conveniens, ut ob id solum Sacramentum conjugii dissolvatur. *De Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.* Cap. *Ex literis.* §. *Mandamus. fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 16. Cap. 2. *fin.* Non propter interdictum Ecclesiæ aut Judicis.

XI. Si mulier cùm Judex ei prohibuisset publicè, ne alicui se copularet, spretis monitis Judicis, alii nubere non expaverit, illam, ne mandatum contemptibile videatur, impositâ sibi de tanto excessu Pœnitentiâ condignâ, ad Virum reverti Judex permittat. *De Matrimonio contracto contra Interdictum Ecclesiæ.* Cap *Litteræ.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 16. Cap. 1. Matrimonium contra Interdictum Ecclesiæ vel Judicis factum seu contractum, propter hoc solum non dirimitur. SUMMA. *Ibid.*

XII. Hi qui Matrimonium sani contraxerint, & uni ex duobus amentia, aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem conjugia talium solvi non possunt. CAUS. XXXII. QUÆST. VII. *Cap.* 25. *Hi qui. init.* Non solvitur Matrimonium per morbum vel amentiam supervenientem.

XIII. Similiter sentiendum de his qui ab adversariis excæcantur, aut membris truncantur, aut à Barbaris exsecti fuerint. *Ibid. fin.*

XIV. Tantùm valet illud sociale vinculum Conjugum, ut cum causâ procreandi colligetur, nec ipsâ causâ procreandi solvatur. Non propter sterilitatem. *Ibid.* CAUS. XXXII. QUÆST. VII. *Cap.* 27. *Tantùm, init.*

XV. Non licet dimittere sterilem uxorem, & aliam ducere de quâ filios habeat. *Ibid.* CAUS. XXXII. QUÆST. VII. *Cap.* 27. *Tantum.*

XVI. Si quis dixerit propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam, à conjuge dissolvi posse Matrimonii vinculum, Anathema sit. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. *Canone* 5. Non propter hæresim, malitiam, aut absentiam.

XVII. Si quis dixerit Ecclesiam errare, cùm docuit & docet, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius Conjugum Matrimonium non posse dissolvi, & utrumque vel etiam innocentem qui causam adulterio non dedit, non posse altero Conjuge vivente aliud Matrimonium contrahere; mœcharique eum qui dimissâ adulterâ aliam duxerit, & eam quæ dimisso adultero alii nupserit, Anathema sit. *Ibid. Conc.* TRID. SESS. XXIV. *Cap.* 7. Hinc sequitur quod errent, qui dicunt adulteræ Matrimonium dissolvi, cum principia ex quibus contrarium docet Romana Ecclesia, sint infallibilia, certòque contineant illius doctrinam, ut patet ex Tractatu infrà citando.

XVIII. Manet inter viventes quoddam vinculum conjugale, quod nec separatio, nec cum altero Copulatio possit auferre. CAUS. XXXII. QUÆST. VII. *Cap.* 28. §. *manet.* Non propter separationem, aut aliud Matrimonium.

XIX. Interveniente divortio non aboletur illa confœderatio nuptialis; ita ut sibi Conjuges sint etiam separati; cùm illis autem adulterium committant, quibus etiam fuerint post suum repudium copulati. CAUS. XXXII. QUÆST. VII. *Cap.* 1. *Interveniente.* Non propter divortium.

XX. Quandiù vivit Vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, & ab uxore propter hæc scelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum Virum accipere non licet. *Ibid. Cap.* 7. *med.* Non propter ullum crimen.

Doctrina Canonum Tridentinorum de absoluta Matrimonii fidelium consummati indissolubilitate, præter

mortis

mortis casum, confirmata est, collectis cujusque Sæculi à Christo ad nos testimoniis, illam attestantibus, *in Traditione Ecclesiæ circà Sacramentum Matrimonii.*

SECTIO XXXI.

Non posse de Jure Matrimonium iniri cum pluribus viris vel uxoribus.

I. Matrimonii vinculo duo tantummodo copulari & conjungi, Christus Dominus apertiùs docuit, cùm illa verba tanquàm à Deo prolata referens, dixit; *Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Et erunt duo in carne una. Concil.* Bituric. *ann.* 1031. *Can.* 16. Tom. IX. Conc. *p.* 867. *Concilium* Trid. Sess. XXIV. *in Proœmio. post init.* Vide *Epistolam* Gregorii II. *ad* Bonifacium *Cap.* 2. Tom. VI. Conc. *p.* 1448. Caus. XXXII. Quæst. II. *Cap. Quod proposuisti. Concil.* Eugenii II. *ann.* 826. *Cap* 37. Tom. VIII. Conc. *p.* 112.

II. Christiano, non dicam plurimas, sed nec duas simul habere licitum est, nisi unam tantùm uxorem. Dist. XXXIV. *Cap.* 5. *Christiano.* Isidorus *De distantiâ Novi & Veteris Testamenti*, *ann.* 628.

III. Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla Lege Divina esse prohibitum, Anathema sit. *Ibid. Canone* 2.

IV. Absonum hoc videtur & inimicum fidei Christianæ, ut Pagani post conversionem suam plures insimul fœminas retinere valeant, cùm ab initio una costa in unam fœminam sit conversa, & Scriptura Divina testetur quod propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: non dixit, tres vel plures, sed duo: nec dixit, adhærebit uxoribus, sed uxori. *De Divortiis.* Cap. *Gaudemus*, *§.* 3. *verùm.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 19. *Cap.* 8. Pagani conversi non possunt retinere nisi unam conjugem.

V. Nulli unquam licuit insimul plures uxores habere, nisi cui fuit Divinâ Revelatione concessum, per quam Patriarchæ, & alii viri justi qui plures leguntur simul habuisse uxores, ab adulterio excusantur. *Ibid. §.* 4. *nec illi.*

VI. Patres Polygamiam silentio prætermisêre, belluinam & penitùs ab hominum genere alienam. S. Basil. *Epist.* 3. *Canone* 8. Tom. II. Conc. *Append. p.* 1755.

VII. Qui alteri desponsatam mulierem, eo adhuc vivo cui desponsata est, in nuptiarum ducit Societatem, adulterii crimini subjicitur. *Concil.* Quinisextum *ann.* 692. *Can.* 98. Tom. VI. Conc. *p.* 1184. Nicol. I. *Ad Cons. Bulg. Cap.* 5. Tom. VIII. Conc. *p.* 534.

VIII. Veridica hæc sententia probatur etiam de testimonio veritatis testantis in Evangelio; *Quicumque dimiserit uxorem suam ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*: Si ergo uxore dimissâ duci alia de jure non potest, fortiùs & ipsâ retentâ; per quod evidenter apparet pluralitatem in utroque sexu, cùm non ad imparia judicentur, circà Matrimonium reprobandam. *Ibid.*

IX. Conjugalis violatio est si quis puellam alteri (*a*) desponsatam alter in Matrimonium accipiat; & tale connubium anathematisatur, & modis omnibus, ne fiat, prohibetur; quia illa benedictio quam (*b*) nupturæ Sacerdos imponit, apud fideles cujusdam Sacrilegii instar est, si ullâ transgressione violetur. Caus. XXVII. Quæst. II. *Cap.* 50. *De Conjugali.*

(*a*) Desponsatam, id est nuptam.

(*b*) Nupturæ, id est Matrimonium consummaturæ.

X. Non potuit esse uxor quæ viri sui thorum maculans, alii, dùm ille viveret, copulari præsumpsit. *Qui filii sint legitimi.* Cap. *Caus.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 17. *Cap.* 4. Fide Catholicâ suffragante, illud est conjugium quod primitùs erat gratiâ Divinâ fundatum, conventusque secundæ mulieris priore superstite nullo pacto potest esse legitimus. Caus. XXXIV. Quæst. I. & II. *Cap.* 2. *Cùm in Captivitate. fin.*

XI. Secundus vir non appellatur vir, sed adulter. *Ibid. Cap.* 3. *Non satis. med.*

Collectis hic Canonibus ac etiam mox colligendis plurimi alii adjecti sunt in Historia impedimenti *Ligaminis* dicti, & juxtà temporis ordinem collocati; hæc autem est pars Traditionis Ecclesiæ circà Sacramentum Matrimonii.

XII. Si inter virum & mulierem legitimus consensus interveniat de præsenti, ita quidem quod unus alterum in suo mutuo consensu verbis expressis recipiat, sive sit juramentum interpositum sive non, non licet mulieri alii nubere. *De Sponsa duorum.* Cap. *Licet.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 4. *Cap.* 3. *init.*

XIII. Si vir & mulier sese recipiunt expresso consensu mutuo de præsenti, neuter eorum, altero superstite, poterit ad alia vota transire, etsi possit ad Monasterium transmigrare. *Ibid. De Sponsa duorum.* Cap. *Tua fraternitas.* Juxtà Collectionem Gonzalis. *init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 4. *Cap.* 4.

XIV. Cùm in Matrimoniis contrahendis, non juris effectus, sed animi destinatio attendatur, illum comitatur infamia qui duas simul habet uxores, quod partim ad factum convenit retorqueri. *De Bigamis non ordinandis.* Cap. *Nuper. §.* 1. *tertius. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 21. *Cap.* 4. Infamis est qui duas simul habet uxores.

XV. Etsi quis de facto contraheret cum diversis, iis de jure non posset matrimonialiter copulari. De facto potest Matrimonium contrahi cum diversis, non de jure. *Ibid. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 21. *Cap.* 4. *§. tertius.*

XVI. Vivente uxore legitima, aliam sibi copulare nequit in uxorem. *De eo qui duxit* &c. Cap. *Veniens. §. licet.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 7. *Cap.* 7.

SECTIO XXXII.

An Judex compellere debeat Conjuges, ut post contractum legitimè Matrimonium, illud consumment?

I. Si Judici constiterit quod vir desponsaverit mulierem per verba de præsenti, & Matrimonium contractum legitimum judicet, ad illud servandum compellat eundem. *De Sponsalib.* Cap. *Sicut. §. postulationi.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. *Cap.* 22.

II. Si quis ab eâ quam sibi matrimonialiter copulavit recedat, & alibi mulierem, insciam quod habeat uxorem, sibi solemniter copulet, ei Pœnitentia injungi debet, ut ad legitimam redeat uxorem. *De eo qui duxit.* Cap. *Veniens. init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 7. *Cap.* 7.

III. Si mulier consenserit in virum, utrumque compellat Judex ad alterum maritali affectione tractandum; nisi fortè vellent ad Religionem pariter convolare. *Ibid.* Cap. *Ad id. §. mandamus. init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. *Cap.* 21.

IV. Mulier se in virum per verba de præsenti consensisse confessa, & ob hoc ejus abominata complexus, quod audierat eum esse leprâ percussum, si tamen velit in domo propria remanere, quasi propositum castitatis in Sæculo servatura, nihilominùs consummandum est Matrimonium jam contractum, nisi se voto adstrinxerit ad observantiam Regularem, in quo casu compelli, potest ut, relicto Sæculo, Religionis propositum exequatur. *De conversione conjugatorum.* Cap. *Ex parte, il Secundo. §. ult. portò.* Lib. III. Decr. *Tit.* 32. *Cap.* 14.

V. Quicunque alienigenam, hoc est alienæ gentis fœminam, verbi gratia Francus mulierem Bajoaricam, utrorumque consultu propinquorum, legitimè vel suâ vel mulieris lege acquisitam in conjugium duxerit, velit, nolit, tenenda erit, nec ultrò ab eo separanda, excepta fornicationis causâ. Quemdam Francum & mulierem Saxonicam talia egisse cognovimus. *Conc.* Tribur. *ann.* 895. *Can.* 39. Tom. IX. Conc. *p.* 460.

VI. Cùm Episcopus Judex judiciali sententia Matrimonium approbat, etiam mulieri præcipit, ut ad virum rediens exhibeat eidem affectum conjugalem. *De Conversione Conjugatorum.* Cap. *Ex publico. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32. *Cap.* 7.

SECTIO XXXIII.

Quid Judex decernere debeat, cùm quæstio vertitur super Matrimonio contracto?

I. Ortâ Quæstione super Sponsalibus vel Matrimonio, Judex sub Excommunicationis interminatione, districtiùs interdicere debet, ne cui alteruter Conjugum nubat, donec causa ipsa finem debitum sortiatur. *De Matrimonio contracto &c.* Cap. *Ex Litteris.* §. 2. LIB. IV. DECR. *Tit.* 16. Cap. 2.

II. Videtur nobis quod secunda, quam contra prohibitionem Ecclesiæ duxit, non sit uxor, etiamsi primam non haberet desponsatam &c. CAUS. XXXV. QUÆST. VI. Cap. 2. *init.* Hic Textus Jure abrogatur, quia falso innitebatur principio, nempè quod quidquid factum est contra prohibitionem Ecclesiæ, nullum sit.

III. Puellam, de cujus matrimonio quæstio ventilatur, in domo in qua nihil eam timere oportet, faciat Judex honestè teneri, donec prædicta causa terminata fuerit, & sententia sine contradictione cujusquam valeat executioni mandari. *De Sponsal.* Cap. *Cùm locum.* §. *quocircà.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 1. Cap. 14. *fin.*

IV. Cùm Matrimonii quæstio tractatur, si de factis non constat ad plenum, tamdiù adhuc Judex cognoscat dè causa, donec super his sufficienter instruatur. *De Spons.* Cap. *Sicut.* §. ult. *Quod si. fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 1. Cap. 22. *fin.*

V. De his qui coram Judice, super desponsatione facta per consensum mutuum de præsenti, controversiam movent, & appellatione pendente, quam ante sententiam vel cognitionem causæ interponunt, accipiunt alias in uxores; hoc agendum ut eis publicè interdicatur, ne ante decisionem causæ aliud contrahant Matrimonium. *De sponsa duorum.* Cap. *Tua Fraternit.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 4. Cap. 4. *init.* ALEXAND. III. *circa an.* 1170. PITHÆUS putat esse URBANUM III.

VI. Si contra Interdictum Ecclesiæ publicè factum venire præsumpserint, Matrimonium tàm præsumptuosè contractum Judex poterit irritare. *Ibid.* Cap. 4. *fin.* DD. restringunt hunc Textum ad casum in quo prohibitioni adjecta est comminatio nullitatis. Vid. PONTIUM, GONZALEM quoque *in* Cap. 3. *eod. Tit.* 7.

VII. Cùm inter virum & mulierem quæstio Matrimonii vertitur, & vir muliere absente ab impetitione ipsius absolvitur, sed ipsa causam cognosci denuò impetrat, si vir aliam intereà sibi copulare præsumpsit, eidem sub pœna Excommunicationis arctiùs debet Judex interdicere, ne ad eam quam superinduxit, accedat, priusquàm fuerit causa decisa. *De Sententia &c.* Cap. *Tenor.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 10. CLEMENS III. *circa ann.* 1190. Matrimonium quod de Jure non tenet, licet pro Matrimonio ab Ecclesia teneatur, non præstat impedimentum secundo, dummodò primum appareat postmodùm non tenuisse. *Glossa.*

VIII. Si pendente lite vir mulierem superinduxit, & postmodùm super prioris Matrimonii Quæstione, Delegati Judices sententiam divortii protulerunt, impositâ viro Pœnitentiâ competenti, in maritali copula poterunt permanere. *De Sponsalibus.* Cap. *Cùm in Apostolica. fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 1. Cap. 18.

Harum Decisionum ratio est, quod primum Matrimonium obicem non ponit secundo, nisi sit validum; undè dicitur impedimentum ligaminis, quod cessat quoties nullum est revera ligamen.

SECTIO XXXIV.

Quæ Momenta observare debeat Judex, ut judicet Matrimonium initum fuisse vel consummatum?

I. In Matrimoniis contrahendis illod debet Judex observare, ut postquàm inter legitimas personas consensus legitimus intervenerit de præsenti, qui sufficit in talibus juxta Canonicas Sanctiones, & si solus defuerit, cætera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur: Si personæ junctæ legitimè cum aliis postea de facto contrahant, quod priùs de Jure factum fuerat, non poterit irritari. *De Sponsa duorum.* Cap. *Tuas dudùm.* §. *Ne verò.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 4. Cap. 5.

II. In dubietate Matrimonii fama viciniæ magis debet attendi. Si fama loci habet quod vir mulierem in lecto & in mensa sicut uxorem tenuerit, cogenda est mulier ut eidem viro affectu serviat conjugali. *De Præsumptionibus.* Cap. *Illud.* §. *Verum. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 23. Cap. 11.

III. Si causa Matrimonii, quæ agitatur inter virum & puellam quæ se virginem & Monacham profitetur, non est ita instructa, ut in ea usque ad calculum definitivæ sententiæ Judex procedere liberè valeat, decernere debet quatenùs eadem puella ponatur interim in illo Monasterio quod intravit, ut ibi securè valeat commorari, donec judiciali sententia quid ei sit agendum decernatur. *De Probationibus.* Cap. *Causam.* LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 14.

IV. Cùm in Decretis habeatur expressum, quod si vir dixerit quod uxorem suam cognoverit, & mulier negaverit, viri standum est veritati; ei viro qui dicit se mulierem ipsam cognovisse fides est adhibenda, si id firmaverit juramento. *De Desponsatione Impuber.* Cap. *Continebatur.* §. 1. *Consultationi.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 2. *Cap.* 6. Nunc neutri creditur, sed aliæ probationes requiruntur, ipsisque statur.

V. Si quis accepit uxorem, & habuit eam aliquo tempore, & ipsa fæmina dicit quod nunquàm coisset cum eo; & ille vir dicit quod sic fecit; in veritate viri consistat, quia vir caput est mulieris. CAUS. XXXIII. QUÆST. I. Cap. 3. *Si quis accepit.* Recipi postmodùm debent, non solùm probationes viri quas inducere voluerit contra mulieres illas quæ ad investigandum signa virginitatis ex parte puellæ fuerunt introductæ, verùm etiam probationes aliæ hoc negotium contingentes, quas Pars utralibet duxerit perducendas. *Ibidem.*

VI. Et quia, ut dicit Canon, manus sæpè fallitur, & oculus obstetricum, adhùc honestas matronas providas & prudentes Judex deputare curet, ad inquirendum utrùm dicta puella virginitatis privilegio sit munita. *Ibid. fin.* CAUS. XXVII. QUÆST. I. Cap. 4. *Nec aliqua.*

VII. Testimonium Parentum multùm facit ad judicandum puellam fuisse ætatis legitimæ cùm fuit desponsata. *De Desponsat. Impub.* Cap. *Continebatur.* §. 2. *Si autem. fin.* Colligitur. LIB. IV. DECR. *Tit.* 2. *Cap.* 6. Nunc probatio ex scripto desumpta authentico exigitur.

VIII. Præsumptio est in favorem Matrimonii, cùm ostenditur publicum instrumentum in quo sese conjuges nominant, & per quod alterum alteri donationem propter nuptias fecisse apparet, præsertim si præscriptum instrumentum ab eo conditum fuerit, qui Officium suum fideliter adimplevit. *De Præsumpt.* Cap. *Illud.* LIB. II. DECR. *Tit.* 23. Cap. 1.

Plura hìc dici possent de his in quibus Jus Gallicanum differat à Textibus citatis circa Judicia Ecclesiastica de Matrimonialibus causis; sed satius illa seriatim notare eodem loco, quàm per partes hìc illicque, observare.

TITU-

TITULUS XII.

De Legitimo usu Matrimonii.

SECTIO I.

Quid sit, & Quale sit Matrimonii bonum; & an licitus sit usus Conjugii?

I. Non in solâ commistione maris & fœminæ nuptiarum veritas est, quamvis sine illâ commistione nuptiæ filios procreare non possint; sed alia sunt ad nuptias propriè pertinentia, quibus ab adulteriis nuptiæ discernuntur; sicuti est thori conjugalis fides, & cura ordinatè filios procreandi, & bonus usus mali, hoc est bonus usus concupiscentiæ carnis, quo boun adulteri malè utuntur. Caus. XXXII. Quæst. I. *Cap.* 11. *Non enim.*

II. Omne nuptiarum bonum, proles, fides, Sacramentum. Caus. XXVII. Quæst. II *Cap.* 10. *Omne. init.*

III. Fidem cognoscimus, quia nullum adulterium; Sacramentum, quia nullum divortium. *Ibid.*

IV. Fides thori est unum de tribus bonis conjugii. *Qui filii sint legitimi.* Cap. *Per Venerabilem* §. 1. *videbatur. post med.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 17. *Cap.* 13.

V. Usus naturalis & licitus est in conjugio, sicut illicitus in adulterio. Caus. XXXII. Quæst. VII. *Cap.* 14. *Usus. init.*

VI. Filiorum procreationi operam dare; non canino mote per usum promiscuum fœminarum, sed honesto ordine conjugali, non est in homine improbandus affectus. Caus, XXVII. Quæst. I. *Cap.* 41. *Nuptiarum. post init.*

VII. Nuptiarum bonum semper est quidem bonum, sed in populo Dei fuit aliquandò legis obsequium; nunc est infirmitatis remedium; in quibusdam verò humanitatis solatium. Caus. XXVII. Quæst. I. *Cap.* 41. *Nuptiarum. init.*

VIII. Quisquis compatiens infirmitati uxoris reddit, non exigit debitum; aut si propter propriam infirmitatem ducit uxorem, securus expectat diem novissimum. Caus. XXXIII. Quæst. V. *Cap.* 5. *Secundùm.* §. *Quisquis.*

Dùm probatum Sect. I. *Tit.* 11. Matrimonium esse bonum, alii Textus collecti qui docent usum Conjugii licitum esse.

SECTIO II.

Utrùm teneantur conjuges ad reddendum sibi mutuò debitum conjugale, & propter quem finem id facere possint?

I. Vir quasi divisus in duo plenam sui non habet potestatem. *De Clericis conjugatis.* Cap. *Diversis.* §. *Cùm ergo.* Lib. III. Decr. *Tit.* 3. *Cap.* 5.

II. Post Matrimonium carnis commistione perfectum, teste Apostolo, *Uxor sui corporis potestatem non habet, sed maritus*; & è converso. *De Raptoribus.* Cap. *Cùm causam. med.* Lib. V. Decr. *Tit.* 17. *Cap.* 6. Uxor pars corporis mariti. Caus. XXXIII. Quæst. II. *Cap.* 8. *Admonere. init.*

III. Non exigere debitum in viri potestate est; non reddere autem, non est in viri, sed mulieris
II. Cor. 7. potestate; undè Apostolus; *Vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier.* Conjuges non tenentur exigere, sed reddere. *De conversione Conjugatorum.* Cap. *Quidam. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 32. *Cap.* 3. Si virum, sive uxorem, leprosum fieri contigerit, & infirmus à sano carnale debitum exigat; generali præcepto Apostoli, quod exigitur est solvendum, cui præcepto nulla in hoc casu exceptio invenitur. *De conjugio lepros.* Cap. *Quoniam* §. *Quod si.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 8. *Cap.* 2. Urban. III. *in C.* 3. *Ibidem, prout istud est in antiqua.* Papa sensisse videtur, quod lepra superveniens Matrimonio illud dissolvit, ideòque ne Textus hic in errorem induceret, Raymundus adjecit hæc verba, *de futuro*, post verbum *Sponsalia.*

IV. Debent sibi conjugati, non solùm ipsius sexûs sui commiscendi fidem, liberorum procreandorum causâ (quæ prima est humani generis in istâ mortalitate societas) verùm etiam infirmitatis invicem (*a*) excipiendæ ad illicitos concubitus evitandos, mutuam quodammodò servitutem. Caus. XXXII. Quæst. II. Cap. 3. *Quidquid. fin.* (*a*) Conjugati debent ad invicem sibi reddere debitum, non tantùm causa prolis habendæ, sed etiam causâ fornicationis vitandæ. *Glossa*, verbo *quidquid.*

V. Secundùm verba Apostolica, etiamsi se Vir continere voluisset & uxor noluisset, debitum ei reddere cogeretur, & illi Deus imputaret ad continentiam, si non suæ, sed uxoris cederet infirmitati, ne in adulterium caderet. Caus. XXXIII. Quæst. V. Cap. 5. *Secundùm.*

VI. Ideò Conjugii tibi datum est jus, ne in laqueum incidas & cum aliena muliere delinquas. Caus. XXXII. Quæst. IV. Cap. 4. *Nemo.* §. 1. *nulli.*

Conjugium legitimum nulli Orthodoxorum Pœnitentiam sustinenti solvere licet. Caus. XXXIII. Quæst. II. *Cap.* 13.

Sacris expedit eloquiis edocere populos, ut licitis copulationibus juncti de omnibus illicitis Pœnitentiam agere procurent; fuit tamen semper, & nunc esse potest, continentia ex mutuo consensu pars Pœnitentiæ.

VII. Oportet legitima carnis copula, ut causa prolis fit, non voluptatis; & carnis commistio creandorum liberorum sit gratia, non satisfactio vitiorum. Caus. XXXIII. Quæst. IV. *Cap.* 7. *Vir.* §. 2. *oportet.* Id est, non causâ libidinis explendæ. *Glossa. Ibid. init. ut* Dist. XIII. Cap. *Merni.* §. *penult.* Seu, ut non dominetur voluptas Caus. XXXIII. Quæst. IV. *Cap.* 7. Infrà. *Sect. sequenti.* Concupiscentia nata est servire justitiæ, seu charitati, sicut omnes affectus humani.

SECTIO III.

Quot modis peccare possint Conjuges in reddendo sibi debito?

I. Quicquid inter se conjugati immodestum, inverecundum, sordidumve gerunt, vitium est hominum, non culpa nuptiarum, Caus. XXXII. Quæst. I. *Cap.* 3. *Quicquid. init.*

II. Cùm non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere commistionis, habent conjuges etiam de suâ commistione quod defleant. (*a*) Caus. XXXIII. Quæst. IV. *Cap.* 7. *Vir.* §. 2. *oportet.* (*a*) Non est mortale peccatum, sed veniale; & hoc indicat cùm dicit, *quod defleant. Glossa*, hoc verbo. Apostolus verò insinuat dicens, *propter indulgentiam.* I. Cor. 7.

III. Ipsarum quoque opera nuptiarum, si non verecundè, & cum honestate, quasi sub oculis Dei fiant, ut tantùm liberis serviatur, Scriptura immunditiam (*b*) & luxuriam nominavit. Caus. XXXII. Quæst. IV. *Cap.* 12. *In eo. fin.* (*b*) Non quoad reatum mortalis vitii, sed quoad speciem facti; specie enim & sollicitudinem luxuriæ & immunditiæ prætendunt. *Glossa*, verbo, *Immunditiam.*

IV. Liberorum in Matrimonio opera concessa sunt, voluptates autem quæ de meretricum capiuntur amplexibus in uxore damnatæ. (*c*) *Ibid.* Caus. XXXII. Quæst. IV. *Cap.* 14. *Liberorum.* (*c*) *damnata*, id est puniendæ propter veniale peccatum. *Glossa*, verbo *Liberorum.* Hæc locutio, aliæque similes, quibus vituperatur excessus in usu Conjugii, insinuant aliquid gravius peccato veniali, sed id omne pendet ex circumstantiis quæ efficere possunt ut illud quod ex natura sua est veniale, fiat mortale.

V. (*d*) Adulter est in suam uxorem amator ardentior, in alienâ quippe uxore omnis amor turpis est, in suâ nimius. Sapiens vir judicio debet amare conjugem, non affectu. (*f*) Rege (*g*) impetus voluptatis, nec præceps feratur in coitum. Nihil est fœdius, quàm uxo-

uxorem amare quasi adulteram. CAUS. XXXII. QUÆST. IV. *Cap.* 5. *Origo.* §. 1. *nihil.* (*d*) Adulter non reatu criminis illins capitalis; sed sollicitudine adulterinæ libidinis. *Gloss.* verbo *adulter.* (*e*) Vehemens amator dicitur, qui tantum uxorem diligit, ut apud se disponat, quod si ipsa esset fortè uxor alterius, non minùs carnaliter se cum ea commisceret. *Glossa. V. amator*, & tunc esset peccatum mortale. (*f*) Affectu explendæ libidinis. *Glossa* verbo *affectu.* Quod verò non peccet mortaliter cùm hoe affectu ardet, patet; nam ibi dissuadetur ad quod evitandum non tenetur. *Glossa* verbo *adulter.*

VI. Usus naturalis si ultra modum prolabitut in uxore, veniale est. CAUS. XXXII. QUÆST. VII. *Cap.* 11. *Adulterii. med.*

In ipsâ immoderatiore exactione debiti carnalis quam conjugatis non secundùm imperium præcipit, sed secundùm veniam concedit Apostolus, ut etiam præter causam procreandi sibi misceantur; etsi eos pravi mores ad talem concubitum impellunt, nuptiæ tamen ab adulterio seu fotnicatione defendunt. CAUS. XXXII. QUÆST. II. *Cap.* 3. *Quicquid. post init.*

VII. Qui dicunt se causâ Reipublicæ & generis humani uxoribus jungi, & filios procreare, imitentur saltem pecudes; & postquàm venter intumuerit, non perdant filios, nec amatores se uxoribus exhibeant, sed maritos. CAUS. XXXII. QUÆST. IV. *Cap.* 5. *Origo.* §. ult. *Certè.*

VIII. Cùm mulieres in consuetis menstruis detinentur, viris suis misceri prohibeantur. DECR. I. *à Parte* DIST. V. *Cap.* 4. *Ad ejus. post init.*

IX. Mulieres, nisi purgationis tempus priùs transierit, viris suis non debent admisceri. *Ibid.*

X. Parentibus, si tædium est filios numerosiùs augere, priùs se ipsos debent castigare à fornicatione; nam dum causâ propagandæ prolis sortiuntur conjugia, docent se non pro filiis, sed pro libidine sociari. *Concil.* TOLET III. *anno* 589. *Cap.* 17. TOM. V. CONC. *p.* 1013. In adductis Texibus circa excessus in usu conjugii intervenientes nulla mentio de illo qui provenit ex circumstantiâ loci indebiti, sive sacri aut publici, de quâ dicetur dùm de speciebus luxuriæ agetur.

De fœcunditate conquerentes.

SECTIO IV.

An propter votum, vel orationem possint conjuges debitum sibi denegare? & an æquale sit viri & uxoris jus quoad debitum?

I. Apostolus nec ad tempus ut vacetur orationi, nisi ex consensu, voluit conjuges carnali invicem fraudare debito. CAUS. XXXIII. QUÆST. IV. *Cap.* 12. *Apostolus.*

II. Ad individuam vitæ consuetudinem pertinet, absque legitimi consensu viri & mulieris, orationi aliquandò non posse vacare, nec continentiam profiteri. CAUS. XXVII. QUÆST. II. *Cap.* 3. *Beata Maria* §. *Consensus fin.*

III. Si continentiam quam vir appetit uxor non sequitur, aut quam uxor appetit vir recusat, dividi conjugium non potest, quia scriptum est; *Mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir; similiter & vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier.* Ibid. CAUS. XXVII. QUÆST. II. Cap. 19. *Sunt qui.* §. *Proindè. fin.*

IV. Si tu abstines sine uxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam; & peccatum illius tuæ imputabitur abstinentiæ. *Ibid.* CAUS. XXVII. QUÆST. II. Cap. 24. *Si tu.*

V. Vovenda talia non sunt à conjugatis, nisi ex consensu & voluntate communi; & si præproperè factum fuerit, magis est corrigenda temeritas quàm persolvenda promissio; neque enim Deus exigit, si quis ex alieno aliquid voverit, sed potiùs usurpare vetat alienum. CAUS. XXXIII. QUÆST. V. Cap. 6. *Una sola. med.*

VI. Si dicat vir, continere jam volo; nolo autem, uxor; non potest; quod enim tu vis, non vult illa; nunquid per continentiam tuam, debes illam facere fornicariam? redde debitum, etsi non exigis redde; pro satisfactione perfectâ Deus tibi computabit, si non quod tibi debetur, exigis, sed reddis quod debetur uxori. CAUS. XXXIII. QUÆST. V Cap. 1. *Si dicat.*

VII. Una sola causa esse posset, quâ te ad id quod vovisti, non solùm non hortaremur, verum etiam prohiberemus implere, si fortè tua conjux, hoc tecum suscipere, animi seu carnis infirmitate recusaret. *Ibidem.* CAUS, XXXIII. QUÆST. V. Cap. 6. *Una sola. init.*

SECTIO V.

An, & quomodo conjuges possint privatim vovere continentiam, & ad quid tale votum illos astringit?

I. Sine Conjugis consensione marito continenter non licet vivere. CAUS. XVII. QUÆST. II. Cap. 2. *Nos novimus. fin.*

II. Etsi alteri conjugatorum perpetua continentia placeat, nisi ex alterius consensu fieri non potest. CAUS. XXXII. QUÆST. II. Cap. 3. *Quicquid. fin.*

III. Si mulier maritali copulâ velit exui, & solâ privatâ vitâ esse contenta; non aliter hoc fieri potest, nisi eandem vitam conjux ejus elegerit. CAUS. XXVII. QUÆST. II. Cap. 26. *Scripsit. init.*

IV. Secundùm Sacros Canones, nisi ambotum consensu, nullius Religionis obtentu debet conjux dimittere conjugem. CAUS. XXX. QUÆST. I. *Cap.* 3.

V. Si viro & uxori conveniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare? quandò certum est quod Omnipotens Deus qui minora concessit, majora non prohibuit. CAUS. XXVII. QUÆST. II. Cap. 19. *Sunt qui. med.*

VI. Si id noverint homines quod vovendum fuit, sicuti est ex consensu voventibus, & carnalia debita sibi invicem relaxantibus, fidelibus castisque conjugibus (quod alterum sine alterâ, vel alteram sine altero vovere fas non est) jugis continentia. Hæc quæ rectissimè voventur, cùm homines voverint, nullâ conditione rumpenda sunt, quæ sine ullâ conditione voverunt. CAUS. XXXII. QUÆST. VIII. Cap. unico *Non solùm. fin.*

VII. Laudabiliter, etiam vivente viro, ex ejus consensu, continentiam fœmina CHRISTO vovet. CAUS. XXVII. QUÆST. I. *Cap.* 41. §. 3.

VIII. Quod Deo pari consensu ambo voveratis, perseveranter usque in finem reddere ambo debuistis, à quo proposito si lapsus est ille, tu saltem instantissimè persevera; quod te non exhortarer, nisi quia tibi ad hoc ipse consenserat. CAUS. XXXIII. QUÆST. V. Cap. 4. *Quod Deo. init.*

IX. Nam si nunquàm tenuisses ejus assensum, numerus te nullus defendisset annorum, si vir in infirmitate positus, consentiente uxore, votum voverit castitatis, ea lata de medio votum sine salutis suæ periculo non potest violare, & aliam sibi temerè copulare. *De Convers. Conjug.* Cap. *Ex parte.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32. *Cap.* 9.

X. Manifestum est ita voluisse Legem, fœminam esse sub viro, ut nulla vota ejus, quæ abstinentiæ causâ voverit, reddantur ab eâ, nisi author vir fuerit permittendo. CAUS. XXXIII. QUÆST. V. Cap. 11. *Manifestum. init.*

XI. Ad peccatum viri pertinet, si priùs permiserit, & posteà prohibuerit. *Ibidem.*

XII. Lex dixit Viri esse peccatum; quia abnuit quod priùs concesserat; non tamen mulieri vel ex hoc permissum dedit, ut quod priùs vir ei concesserat, posteà si prohibuerit, contemnatur. *Ibidem. fin.*

XIII. Si inveniatur uxorem gravi infirmitate depressam continentiam vovisse, & virum ejus ad tempus præbuisse consensum; maximè si non idem vir continentiam vovit perpetuam, debet eadem viro cohabitare, & uterque invicem maritali affectione tractare. *De Conversione Conjug.* Cap. *Charissimus.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32 *Cap.* 11. GRATIANUS hunc *Can.* 11. cum 50. suprà citato concilians, ait, quod mulier sit socia mariti in debito conjugali, ideòque vir non potest revocare quod concessit uxori, ut non reddat debitum: in cæteris verò vir est caput mulieris, proindèque si

velit

velit, ut ipsa non servet vota abstinentiæ quæ emisit ipso consentiente, ab impletione illorum abstinere debet. In urtoque autem casu satius fortè esset, ut recurreretur ad Episcopum, qui pensatis omnibus, aut virum adstringeret, ut uxori concessâ potestate uti sineret, aut impositâ illi congrua Pœnitentiâ votà relaxaret.

SECTIO VI.

An, & quomodo possint conjuges ad solemne Votum in Monasteriis, vel ad Sacros Ordines admitti?

I. Nullus conjugatorum est ad Sacros Ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus. *De Conversione conjugatorum.* Cap. *Conjugatus.* Lib. III. Decr. *Tit.* 32. Cap. 5. *Epist.* 11. Alexandri III. Tom. IX. Conc. *p.* 1125. Non sufficit viro licentia mulieris ut ad Ordines promoveatur, imò exigitur quod continentiam voveat. *Glossa. Ibid.*

II. Si conjugati consenserint ordinari, uxoris voluntas priùs requirenda est. *De Convers. Conjugator.* Cap. *Sane.* Lib. III. Decr. *Tit.* 32. Cap. 6.

III. Autoritate Apostolicâ prohibitum est, ne uxoratum quis præsumat in Episcopum ordinare, nisi uxor, priùs professa continentiam, Sacrum sibi velamen imponat, & Religiosam vestem assumat. *Ibid.* Cap. *Sane.* Lib. III. Decr. *Tit.* 32. Cap. 6. *§. fraternitati.* Speciale in uxore Episcopi, quod debet continentiam profiteri, & intrare Religionem antequàm vir ejus promoveatur in Episcopum. *Glossa. Ibidem.*

IV. Assumi aliquem ad Sacerdotium in conjugis vinculo constitutum non oportet, nisi fuerit promissa conversio, hoc est, nisi promissâ castitate. Dist. XXVIII. Cap. 6. *Assumi.* Uxoratus sine licentia uxoris inter Monachos nullatenùs recipiatur. *De Convers. Conjugat.* Cap. *Uxoratus. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 32. Cap. 8.

V. Neque permittetur posteà uxor jungi eidem marito suo carnaliter, nec cuiquam nubere in vita aut post mortem illius. *Ibidem.* Nec manere eum illo dum vivit, propter periculum incontinentiæ, vel diffamationis.

Sanctorum Patrum Constitutioni est contrarium, ut vir uxore suâ, aut uxor viro ejus non assumente Religionis habitum, debeat ad Religionem transire. *De Convers. Conjugat.* Cap. *Cùm sit. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 32. Cap. 4. *Append. Conc.* Lateran. III. *Part.* 5 Cap. 3.

VI. Autoritate Apostolicâ prohibitum est Episcopis, ne in Episcopatu suo virum vel uxorem, nisi uterque ad Religionem migraverit, transire permittant. *Ibid. §. inde.* Lib. III. Decr. *Tit.* 32. Cap. 4.

VII. Si quis desiderat ad Subdiaconatum ascendere, nequibit hoc sine consensu uxoris suæ; ut fiat de carnali deinceps spirituale conjugium, nemine ad hoc eos cogente. Dist. XXXII. Cap. 14. *Seriatim. post med.*

VIII. Verùm si ita uxor senex est & sterilis, quod sine suspicione possit esse in sæculo, dissimulari poterit, ut, eâ in sæculo remanente & castitatem promittente, ad Religionem transeat vir ejusdem. *Ibid. fin. Append. Conc.* Lateran. *Part.* 5. Cap. 3.

IX. Si quis conjugatus vult converti ad Monasterium, non est recipiendus nisi priùs à conjuge castimoniam profitente fuerit absolutus; nec recipitur apud Deum ejus viri conversio, cujus sequitur conjugalis fœderis prostitutio: Tales igitur tunc sine culpa sequuntur Christum relicto sæculo, si habeant ex pari voluntate castitatis consensum. Caus. XXVII. Quæst. II. Cap. 22. *Si quis.*

X. Si vir & uxor una caro sunt, & Religionis causâ vir uxorem dimittit, vel mulier virum in hoc mundo remanentem, vel etiam fortasse ad illicita vota migrantem; quæ est ista conversio, in qua una eademque caro ex parte transit ad continentiam, & ex parte remanet in pollutione? *Ibid.* Caus. XXVII. Quæst. II. *Cap.* 19. *Sunt qui. med.*

Quam advertis in his Canonibus, & sequentibus, aliisque similibus, extra Corpus Juris vagantibus, diversitatem, expositam habes in Historia dissolutionis Matrimonii per Professionem Religionis: Ibi enim collecti sunt quicunque ad illam dissolutionem spectant, sive proximè, sive remotè, servato ordinis tempore, ut insimul haberentur ac illustrarentur, notâta accuratè varietate Disciplinæ circa continentiam à conjugatis votam aut Deo promissam, quod aliquando & alicubi licuit, cum alterutrius consensu; interdum oportuit, ut consentiens voveret etiam continentiam; aliquando, & in aliis locis præceptum utrique, ut in Monasterio vota emitteret; quod postremum, ut potius, præferendum videtur.

XI. Cùm boni conjuges aut meritum augere desiderant, aut anteactæ vitæ culpas delere, ut se ad continentiam adstringant, & meliorem vitam appetant, licet. Caus. XXVII. Quæst. II. Cap. 19. *Sunt qui. §. Proinde. fin.*

XII. Vir & uxor possunt omni juri quod in se habent renunciare, & tribuere sibi invicem licentiam ad Monasterium transeundi. *De Convers. Conjug.* Cap. *Dudùm.* Lib. III. Decr. *Tit.* 32. Cap. 20.

XIII. Cùm vir & uxor una caro sint per copulam conjugalem effecti, nec una pars converti possit ad Dominum, & altera in sæculo remanere; profectò non est alter conjugum recipiendus ad observantiam Regularem, nisi reliquus perpetuam continentiam repromittat; sed & vitam debet mutare, nisi fortè sit ejus ætatis ut sine suspicione incontinentiæ valeat in sæculo remanere. *De Convers. Conjug.* Cap. *Ad Apostolicam.* Lib. III. Decr. *Tit.* 32. Cap. 13.

XIV. Vir consentiente uxore votum vovens castitatis, illâ remanente in sæculo, de jure ad Religionem nequit proficisci. *Ibid. De Convers. Conjug.* Cap. *Ex parte.* Lib. III. Decr. *Tit.* 32. Cap. 9.

XV. Postquàm copulatione conjugii viri atque mulieris unum Corpus efficitur, non potest ex parte converti, & ex parte in sæculo remanere. Caus. XXVII. Quæst. II. Cap. 21. *Agathosa. fin.*

XVI. Licet sit scriptum, *quod Deus conjunxit homo non separet*, Deus tamen, & non homo, separat, quando Divini amoris intuitu, ex consensu utriusque conjugis, Matrimonia dissolvuntur; aliter fieri mutuam separationem prohibitum est. Caus. XXVII. Quæst. II. Cap. 26. *Scripsit. §. Nam licet.*

XVII. Si vir in Monasterio converti desiderat, ita suscipiendus est, si & uxor illius similiter converti voluerit; nam dum unum utrumque Corpus conjugii copulatione sit factum, incongruum est partem converti, & partem in sæculo remanere. Caus. XXVII. Quæst. II. Cap. 25. *Quia Agatho. §. Quem tamen.*

XVIII. Cùm post Matrimonium carnis commixtione perfectum, teste Apostolo, uxor sui corporis potestatem non habeat, sed maritus, & è converso; si præcessisse Martimonium, vel ex probationibus viri, vel ex mulieris confessione claruerit, postmodùm sine assensu viri non potest ipsa Monasterium ingredi, aut aliter continentiam profiteri. *De Raptoribus.* Cap. *Cùm causam. med.* Lib. V. Decr. *Tit.* 17. Cap. 6. & *ultimo.*

XIX. Non violentiâ, sed ex pari voluntate & consensu, sicut Sancti Patres dicunt, conjuges Monasterium petere debent. Caus. XXXIII. Quæst. V. Cap. 2. *Notificasti. fin.*

XX. Vir in Monasterium recipiendus non est, nisi uxor illius fæmineum Monasterium elegerit, aut professa continentiam, habitum cum festinatione mutaverit. Caus. XXXIII. Quæst. V. Cap. 2. *Notificasti. fin. Ex Correctione Rom. ut legitur apud* Yvonem *& in* Pannormia. Apud Gratianum sic refertur: *Neque vir Monasterium eligere, aut professâ continentiâ cum festinatione habitum mutare debet.*

SECTIO VII.

Ad quid teneantur conjuges post votum Religionis ex consensu emissum?

I. Qui uxorem suam velare permiserit, aliam non accipiat, sed similiter convertatur. CAUS. XXXIII. QUÆST V. Cap. 10. *Qui uxorem.*

II. Si purè, simpliciter, ac voluntariè, pro amore Dei, & remedio animæ suæ, vir se castiratem servaturum promittat, & tribuat uxori licentiam ad Monasterium transeundi, & uxor versâ vice similiter promittat, ac tribuat viro licentiam eandem, omni juri quod in se habuerant renuntiantes; licet alter professus non fuerit, & se illius ætatis esse proponat, ut sine suspicione incontinentiæ non valeat in sæculo remanere, non potest alterum professum repetere. *De Converſ. Conjug.* Cap. *Dudùm.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32. *Cap.* 20. Cedens jus suum alteri illud acceptanti frustrà repetit, cùm hinc factum sit jus acceptantis; hæc est ratio hujus Decisionis.

III. Si uxor integræ opinionis ita existat, quod nulla marito ejus suspicio habeatur eam ad secunda vota velle migrare, vel quod minùs continenter debeat vivere; marito de ejus licentia in consortio Monachorum recepto, ipsa publicè in conspectu Ecclesiæ continentiam professa, in domo propria cum filiis suis & familia poterit permanere. *De Converſ. Conjug.* Cap. *Uxoratus. post init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32. Cap. 8.

IV. Si talis fuerit quæ suspicione non careat, voto continentiæ celebrato, à Sæcularium hominum se conversatione removeat, & in loco Religioso, ubi Deo serviat, perpetuò commoretur. *Ibid. §. si autem.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32. Cap. 8.

Si mulier viro suo licentiam concesserit Religionem intrandi, continentiæ tamen voto sibi injuncto, & recepta fide ab ipsa quod perpetuò contineret; post factam Professionem, à viro in Monasterio in quo habitum assumpserat Monachalem, ipsa votum continentiæ observans, intrare Monasterium compelli non debet invita, si id primo non expresserit, & hoc expresso, viro suo licentiam non dedisset; si est talis ætatis de qua suspicio haberi non possit. *De Converſ. Conjug.* Cap. *Significavit.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32. Cap. 18.

Confirmatur à *Cap.* 1. *ejusd. Tit.* GONZALEZ in utrumque ibi notat etiam quod vir adulteræ istius consensu non egeat ad professionem Religiosam emittendam.

V. Si vir consentiente uxore Monachalem habitum susceperit, licet illâ remanente in sæculo de Jure ad Religionem nequiverit proficisci; eâ tamen defunctâ non potest aliam sibi temerè copulare; quod si fecerit, per Excommunicationem compelli debet, ut muliere dimissa, ad suum Monasterium revertatur sub Regulari habitu, de cætero Domino serviturus. *De Converſ. Conjug.* Cap. *Ex parte.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32. Cap. 9.

VI. Vir ad Religionem (consentiente uxore, juxta *Glossam*; sciente tantùm & tacente, seu dissimulante, juxta alios) transiens & in ea professus, uxore sua de præsenti vita sublata, nec habitum potest abjicere quem assumpsit, nec aliquam sibi Matrimonio copulare; quod si contraxerit, Matrimonium ipsum erit dirimendum. *Ibid.* Cap. *Consuluit.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32. Cap. 10.

SECTIO VIII.

Ad quid teneantur conjuges, cùm alter eorum sine consensu alterius, vel tantùm cum consensu vi vel dolo extorto, in Monasterio Solemne votum emisit?

I. Laicus uxoratus, qui præsentibus Sacerdotibus, ignorante Episcopo, de licentia & permissione uxoris, Monasterium ingressus professionem fecit, uxore in sæculari habitu remanente, nisi uxor ad Religionem transierit, aut perpetuò castitatem servare promiserit; vir potest & debet de Monasterio revocari. *De Converſ. Conjug.* Cap. *Præterea.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32. Cap. 1. Vide *Appendicem Conc.* LATERAN. *Part.* 50. Cap. 30. *fin.* Vir sine consensu uxoris professus potest de Monasterio revocari; idem de muliere dicendum.

II. Mulier si sine licentia viri sui velum in caput miserit, (habetur in originali, commeatu) si viro placuerit, recipiet eam iterùm in conjugem. CAUS. XXXIII. QUÆST. V. Cap. 2. *Mulier. Ex Conc.* COMPENDIENSI. *an.* 757. *Can.* 3. TOM. VI. CONC. *p.* 1695.

III. Quidam intravit Monasterium invita uxore, eâ ipsum repetente, cogitur ad eam redire. *De Converſ. Conjug.* Cap. *Quidam. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32. Cap. 3. *Append. Conc.* LATER. III. *Part.* 5. *Cap.* 2. Vir invita uxore professus cogitur de Monasterio exire.

IV. Uxore autem mortuâ, quia votum non tenuit, ratione voti ad Monasterium non tenetur redire; ulteriùs verò non poterit uxorem accipere; promisit enim se non exigere debitum quod in ejus potestate erat, & ideò quoad hoc votum tenuit; non reddere autem, non erat in ejus, sed mulieris potestate. *Ibid. De Converſ. Conjug.* Cap. *Quidam. med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32. Cap. 3. *Appendice. Conc.* LATER III. *Ibidem.* Post uxoris obitum tenetur ad Monasterium redire; nec tamen potest aliam uxorem accipere. Votum illud obligat tantùm ad non exigendum debitum; quia id solum est in conjugis potestate, quare non plenè tenet, ut ait *Glossa* hic, verbo *Votum.*

Plura objici possunt contra Decisionem hanc; 1°. votum viri sui conditionale, nec aliud esse potuit; conditio subintellecta erat, si uxor consenserit, conditione autem deficiente votum fit omninò nullum. 2°. Quod nullum est nullum præstat impedimentum. *Reg. Jur. in* 6. 3°. Idem votum valere non potuit, ut solemne, defectu prædicti consensus, nec ut simpli defectu voluntatis in vovente, qui voluit solemniter profiteri & non. 4°. Præfatum votum obligare virum non valuit ad non petendum, alioquin onerosum factum esset mulieri, cùm redacta fuit ad impossibilitatem medendi suæ infirmitati, aliter quàm molestâ ut plurimùm sexui petitione.

V. Si queratur uxor, maritum suum contra voluntatem suam in Monasterio esse conversum, diligenti inquisitione discutiendum est, ne fortè cum ejus voluntate conversus sit, vel ipsa se mutare promiserit. CAUS. XXVII. QUÆST. II. Cap. 21. *Agathosa. init.*

VI. Si hoc repererit, & illum in Monasterio remanere, Judex provideat, & hanc, sicut promisit, mutare compellat. *Ibid. med.*

VII. Si nihil horum est, ne viri conversio uxori relictæ in sæculo fieri possit perditionis occasio, Judex maritum suum illi, etiamsi jam tonsuratus est, reddere debet, omni excusatione cessante. *Ibid.*

VIII. Si mulier credens mortuum maritum, habitum Religionis assumpsit; eo reverso, de Monasterio educi potest. *De Converſ. Conjug.* Cap. *Placet. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32. Cap. 12.

IX. Post obitum viri sui consultius uxori & congruentius est ad salutem, ut ad Monasterium redeat, ubi bonâ ducta intentione professionem fecit, & habitum Religionis accepit. *Ibid. De Converſ. Conjug.* Cap. *Placet. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32. Cap. 12.

X. Si verò ad hoc induci mulier illa non poterit; ipsa invita non est cogenda. *Ibid. fin.*

XI. Licet votum ejus usquequaque non tenuerit, eatenus tamen fuit obligatorium, quatenus se poterat obligare; promisit enim intrando Monasterium se non exacturam carnis debitum quod erat in potestate ipsius; redire vero ad sæculum in ejus potestate non erat; sed in potestate mariti, & ideò quantùm

tùm ad ipsam tenuit votum, quod post viri obitum tenere non desiit, cùm ad eum casum, à quo poterat efficax habere principium, pervenisse noscatur. *Ibid.* §. *Super quo. init.* Conjux emittens votum solemne, altero ignorante, vel non consentiente, obligat se tantùm ad non exigendum carnis debitum; quia id solùm est in ejus potestate. Votum illud plenè non tenet, ut supra. Vide quæ subjuncta. Lib. III. Decr. *Tit.* 32. *Cap.* 3. Adde *Regulam.* 73. *De Reg. Jur. in* 6. sumptam in contrario sensu, nempè factum illegitimè retractari, etsi casus eveniat à quo potuit inchoari.

XII. Muliet pro eo quod post Matrimoninm consummatum rapta per vim in Monasterin fuerit, viri non potest consortium declinare; maximè si probari nequeat virum, ut illa profiteretur continentiam, assensisse. *De Raptoribus.* Cap. *Cùm Causam. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 17. Cap. 6. *Appendice Concilii* Later. *Parte* 50. Cap. 2.

XIII. Si Vir à sua Uxore, minis & terroribus eam occidendi, licentiam extorsit, & Monasterium petiit; posteà domum remeare, & ei suâ uxore uti licet. Caus. XXXIII. Quæst. V. Cap. 2. *Notificasti.*

XIV. Ejusmodi vir contra leges minaciter & violenter, à suâ uxore, nullâ licentiâ acceptâ, recessit, & Monasterium petiit. *Ibid. post med.*

XV. Si mulier propter multa verbera, & alia gravamina quæ suus vir inferebat eidem, annuetit votis ejus, & ille Religionis habitum assumpserit, atque ipsa in domo Monialium, nullo ibi habitu Religinnis assumpto, vel voto conversionis emisso, permanserit, cùm idem vir ad sæculum rediens Religionis habitum reliquerit, muliere se ab ipso petente reassumi, dictus vir ut eam recipiat, eique affectum exhibeat conjugalem, appellatione remotâ, cogi debet. *De Convers. Conjug.* Cap. *Accedens.* Lib. III. Decr. *Tit.* 32. Cap. 17.

XVI. Si conjux, etiam obtentâ licentia, ad Monasterinm transiisse dignoscitur iratus, seductus pariter & illectus, & sub spe pruniſſionis, ac sub ea conditione vel modo, si posset continentiam observare, votum non tenuit. *De Convers. Conjug.* Cap. *Dudùm.* §. *verùm.* juncta *Glossa*, verbo, *Calore iracundiæ.* Lib. III. Decr. *Tit.* 32. Cap. 20.

XVII. Cùm vir intrandi Monasterium propositum concepisset, captiose asseruit uxori, quia nisi sibi consentiret, tàm sibi quàm toti mundo se inutilem redderet, & Presbyteros exoravit, ne prædictæ uxori exponerent, quod eandem relinquere sæculum oporteret, si fortè licentiam daret Viro ad Monasterium convolandi; undè ipsa demùm tàm ipsius quàm multorum precibus fletibusque devicta, caput ejus Altari supposuit manu sua, qui eadem præsente tonsuratus, Monasterium adiit, & finito probationis tempore, Professionem fecit solemniter Monachalem; illa verò in sæculo remanens inhonestos amatores admisit; ex quo tamen eadem caput Viri Altari sponte (*a*) supposuit, & postmodùm non continuit, non est aliquatenùs audienda. *De Convers. Conjug.* Cap *Veniens.* Lib. III. Decr. *Tit.* 32. Cap. 16. (*a*) Ideò præjudicatum est huic mulieri, quia non continuit; aliàs si continuisset, non præjudicasset sibi per hoc quod fecit. *Glossa* verbo *captiosè.*

XVIII. Muliet quæ captiosè delusa licentiam Viro dedit ad Monasterium convolandi, potest illum repetere, antequàm fornicetur. *Ibid. fin. Glossa* colligit, verbo finali, *repetendum.*

SECTIO IX.

An, & quandò liceat alteri conjugum, invito altero, vel Sacros Ordines suscipere, vel Monasticam vitam profiteri, propter adulterium publicum alterius?

I. Si quis in facie Ecclesiæ duxit uxorem, quam cùm carnaliter cognovisset, ipsa fuit, cuidam alii copulata, undè usque ad gradum Sacerdotii ordinatus est, & posteà Monachalem habitum assumpsit; illa mulier ut à secundo Viro recedat, cui per adulterium est conjuncta, nec (*a*) Virum suum impetat quominùs Regulare votum valeat adimplere, per Censuram Ecclesiasticam cogi debet. *De Convers. Conjug.* Cap. *Constitutus.* Lib. III. Decr. *Tit.* 32. Cap. 15. (*a*) Si Uxor publicè adulteretur, Vir licitè potest postmodum promoveri ad Ordines & intrare Religionem. *Glossa.*

II. Ex quo Mulier post Viri Professionem non continuit, super revocatione ipsius, non est aliquatenùs (*b*) audienda, licet ad dandam Viro licentiam dolo fuerit inducta, cùm ipsius intentio exceptione possit fornicationis elidi. *Ibid.* Cap. *Veniens. fin. juncta Rubr.* Lib. III. Decr. *Tit.* 32. Cap. 16. (*b*) Postquàm alter conjugum publicè fornicatur, alter potest Religionem intrare altero invito. *Glossa.*

III. Mulier, quæ in fide remansit, potest nolente Viro, qui ab infidelitate revertitur, propter quam ab eo fuerat (*c*) judicio Ecclesiæ separata, ad Religionem liberè convolare. *De Convers. Conjugatorum.* Cap. *Mulier.* Lib. III. Decr. *Tit.* 32. Cap. 21. & ult. (*c*) Si non fuisset judicio Ecclesiæ separata, invito Viro Religionem intrare non posset. *Glossa*, verbo, *judicio Ecclesiæ.*

SECTIO X.

An aliqui casus occurrant in quibus conjuges possint ac debeant continere, & an possint jurare se mutuò non petituros, & ad quid obliget illud juramentum?

I. In conjugio multi casus occurrunt in quibus conjuges sine culpa, sed non sine causâ, continere coguntur. *Ut lite non contestata.* Cap. *Quoniam.* §. *Si autem. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 6. Cap. 5.

II. In multis casibus hoc contingit, ut fidelis conjux relictus debeat jure suo sine culpa privari; ut si alter conjugum incidatur. *De Divortiis.* Cap. *Quantò.* §. *Si verò. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 19. Cap. 7.

III. Vir innocens denegare potest uxori suæ in adulterio deprehensæ debitum conjugale. *De adulteriis.* Cap. *Tua Fraternitat. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 16. Cap. 7.

IV. Temerarium fuit hujusmodi juramentum, quo Vir & Uxor ejus ad invicem juraverunt, se nunquàm mutuò petituros. *De Jurejurando.* Cap. *Tua nos.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 24.

V. Si post hujusmodi juramentum, alter repetit instanter alteram nolentem redire ad eum; uterque ad continentiam servandam monendus & inducendus est, quam si promittere voluerint & servare, uterque dimittendus est sine alio commorari. *Ibid.* §. *Nos igitur.*

VI. Si Vir noluerit continere, mulier ut revertatur ad ipsum, & tanquam uxor cum viro moretur, per Excommunicationis sententiam, appellatione remotâ, compelli debet. *Ibid. fin.*

VII. Si Vir & Uxor, postquàm Matrimonium in facie Ecclesiæ contraxerunt, & diutiùs cohabitaverunt, corporaliter præstiterint Juramentum, quod deinceps alter non requirat alterum, prætextu impedimenti super quo non fuit Ecclesiæ facta fides, illud fuit illicitum Juramentum. *De Regular.* Cap. *Veniens.* Lib. III. Decr. *Tit.* 31. Cap. 19.

VIII. Compellli debent ut se recipiant, nisi ambo sæculo derelicto maluerint ad Regularem vitam migrare. *Ibid.* §. *Nos igitur.*

IX. Affinitas quæ post contractum legitimè Matrimonium inter virum & mulierem, iniquè contrahitur, non ei debet objici, qui hujus iniquitatis particeps non existit, cùm suo jure non debeat sine culpa privari, *Cap.* Discretionem. Lib. IV. Decr. *Tit.* 13. *Cap.* 6. Undè si conscius fuit, privari debet.

X, Viro

IX. Viro, qui cognovit matrem puellæ sibi intra annos nubiles desponsatæ, nec non puellam factam adultam, Pœnitentia injungenda est; Vir & uxor separandi; mulieri interdicendum ne nubat alteri, si postquàm novit viri & matris delictum, ei non erubuit commisceri. *Ibid.* Cap. *Ex Literis.* 7.

X. Ut uxor abstineat à commixtione viri qui concubuit cum sorore ipsius, & in continentia maneat usque ad mortem viri, diligentiùs est monenda; quod si commonitioni parere recusans talis fuerit, ut de lapsu teneatur ipsius, Vir ejus poterit & debebit debitum ei solvere Conjugale. *Cap. Tua.* 10. *Ibid.*

SECTIO XI.

An possint conjuges diutiùs abesse, & an teneantur se sequi?

I. Cùm Vir & uxor una caro sint, non debet alter sine altero esse diutiùs. *De Conjugio leprosorum.* Cap. *Pervenit.* §. *quoniam. init.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 8. Cap. 1. Vide *Concilium apud* VERMERIAS *ann.* 752. *Cap.* 9. TOM. VI. CONC. *p.* 1658.

II. Alteruter conjugum sine culpâ abesse potest; ut si captivitate, vel ægritudine, aut alio justo impedimento forsitan teneatur; aut etiam propriâ, sed non malitiosâ voluntate in remotis partibus moram faciat. *Ut Lite non contestata.* Cap. *Quoniam.* §. *si autem. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 6. Cap. 5.

III. Cùm Caput mulieris Vir sit, Caput autem Viri CHRISTUS; quæcunque uxor non subjicitur Viro suo, hoc est Capiti suo, ejusdem criminis rea est, cujus & vir, si non subjiciatur CHRISTO Capiti suo. CAUS. XXXIII. QUÆST. V. Cap. 15. *Cùm Caput. init.*

IV. Si quis necessitate inevitabili cogente, in alium Ducatum seu Provinciam fugerit; & ejus uxor cùm valet & potest, amore Parentum & rerum suarum, eum sequi noluerit; ipsa omni tempore, quandiù vir ejus quem secuta non fuit, vivit, semper innupta permaneat. CAUS. XXXIV. QUÆST. I. & II. Cap. 4. *Si quis.*

V. Cùm hi qui lepræ morbum incurrunt, de consuetudine generali à communione hominum separentur; ut uxores viros, & viri uxores qui lepræ morbum incurrunt, sequantur, & eis conjugali affectione ministrent, sollicitis exhortationibus induci debent. *De Conjugio Leprosorum.* Cap. *Pervenit.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 8. Cap. 1.

VI. Si verò ad hoc induci non poterunt, eis arctiùs injungi debet, ut uterque altero vivente continentiam servet; quod mandatum si servare contempserint, vinculo Excommunicationis adstringantur. *Ibid. fin.*

SECTIO XII.

De aliis generalibus Conjugum, tàm erga se, tùm erga filios, officiis.

I. Justum & honestum est ut viri suas petant uxores. *De Sponsalib.* Cap. *Nua est.* §. *nos.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 1. Cap. 11.

II. Cùm vir cogitet quomodo placere possit uxori, & ideò minùs quæ Dei sunt valeat cogitare; quasi divisus in duo, plenam sui non habet potestatem. *De Clericis conjugatis.* Cap. *Diversis.* §. 2. *Cùm ergò.* LIB. III. DECR. *Tit.* 3. Cap. 5.

III. Filius in patris potestate consistit cujus sequitur familiam, & non matris. *De Conversione Infidelium.* Cap. *Ex Literis.* §. *Cùm autem.* LIB. III. DECR. *Tit.* 33.

IV. Est ordo naturalis in hominibus, ut serviant fœminæ viris, filii Parentibus, quia nulla justitia est, ut major serviat minori. CAUS. XXXIII. QUÆST. V. Cap. 12. *Est ordo.*

V. Adam per Evam deceptus est, non Eva per Adam; quem vocavit ad culpam mulier, justum est, ut eum gubernatorem assumat, ne iterùm fœmineâ facilitate labatur. CAUS. XXXIII. QUÆST. V. Cap. 18. *Adam fin.*

VI. Cùm puer adhuc infans existit, magis materno indiget solatio quàm paterno. *De Conversione Infidel.* Cap. *Ex Liter.* LIB. III. DECR. *Tit.* 33. Cap. 2. §. *ad hoc.* Apud Matrem debet convenientiùs remanere quàm apud Patrem. *Ibid.*

VII. Justum est ut vir uxori officium exhibeat maritale. *De Excessibus Prælatorum.* Cap. *Quàm sit. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 31. Cap. 4.

VIII. Fucare pigmentis, quò vel rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia est; quâ non dubito eam ipsos maritos se nolle decipi; quibus solis permittendæ sunt fœminæ ornari, secundùm veniam, non secundùm imperium. *De Consecratione.* DIST. V. Cap. 38. *Fucare. init.*

IX. Verus ornatus, maximè Christianorum & Christianarum, non tantùm nullus fucus mendax, verùm ne auri quidem vestisque pompa, sed mores boni sunt. *Ibid.*

X. Pro facinore à marito commisso, eo fugam petente, ipsa mulier minùs justè à Regio Justitiario capitur. *De Pignoribus.* Cap. *Ex Literis.* LIB. III. DECR. *Tit.* 21. Cap. 5. *int.*

TITULUS XIII.

De Impedimentis Matrimonii.

SECTIO I.

Quot sint impedimenta? Qui nuntiare illa debeant? Quæ pœna malitiosè denuntiantium? Et quomodo vel impediant contrahendum Matrimonium, vel dirimant contractum?

I. INterdùm contractum non dirimit Matrimonium, quod impedit contrahendum. *De Jurejur.* Cap. *Quemadm.* §. 1. *quod si. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. *Cap.* 25. Desumitur ex INNOC. III. Successore CÆLESTINI. Impedimentum alterum impediens tantùm Matrimonium contrahendum; votum simplex impedit contrahendum, non dirimit contractum. CÆLESTIN. III. *Qui Clerici vel voventes.* Cap. *Rursùs.* DECR. LIB. IV. *Tit.* 6. *C.* 6.

II. Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, Anathema sit. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. *Can.* 4. Impedimenta dirimentia contractum Matrimonium.

III. Qui contractum sciverint Matrimonium cum impedimento dirimente, debent Ecclesiæ illud nuntiare. *De Cognatione Spirituali.* Cap *Tua nos. fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 11. *Cap.* 7. Debent nunciare qui noverint impedimentum.

IV. Si quis ad impediendam legitimam copulam malitiosè impedimentum objecerit, Canonicam non effugiet ultionem. *De Clandestina Desponsatione.* Cap. *Cùm inhibitio.* §. ult. *sane. fin.* LIB. IV. DECR *Tit.* 3. Cap. 3.

V. De muliere quæ à viro petitur, inter quos impedimentum quis proponit, sed hoc publicè confiteri recusat propter metum & potentiam alterutrius; ut Matrimonium ipsum fieri, (*a*) nisi juramentum intervenerit, districtè prohibeatur, ne deterius indè contingat. *De Sponsalib.* Cap. *Prætereà. il secundo.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 1. *Cap.* 12. (*a*) Matrimonium ad dictum unius impeditur ne contrahatur, sed si juramentum interveniet, propter dictum unius non impeditur. *Glossa.*

VI. Si non est firmatum Matrimonium inter aliquos, uno asseverante impedimentum, non debet conjungi. (*b*) Si verò Matrimonium est firmatum, non debet dissolvi. *De Testibus.* Cap. *Super eo.* §. *super illa. med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. *Cap.* 22. (*b*) Ad dictum unius impeditur matrimonium contrahendum, sed non dirimitur jam contractum. *Glossa.*

VII. Si manifestum est intercedere impedimentum; vel si non est manifestum, (*c*) fama tamen loci hoc habet; cùm fuerit Sponsa tantummodò de futuro, ab eâ ducendâ vir debet absolvi. *De Consanguin.* Cap. *Super eo.* §. *Inquisition.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 14. *Cap.* 2. Fama impedit Matrimonium contrahendum. *Glossa.*

VIII.

VIII. Si persona quæ denuntiat impedimentum inter aliquos, de famâ vel scandalo doceat; qui sunt Matrimonio copulandi compelli debent, ut à tali contractu desistant. *De Sponsalib.* Cap. *Cùm in tua. med.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. Cap. 27.

IX. Cùm vir & uxor Matrimonium in facie Ecclesiæ contraxerunt, & diutiùs cohabitaverunt, non possunt, prætextu impedimenti super quo non sui Ecclesiæ facta fides, ad secunda vota convolare. *De Regularib.* Cap. *Veniens.* Lib. III. Decr. *Tit.* 31. Cap. 19.

X. Debent ambo compelli ut excluso eo quem superinduxerunt, se invicem recipiant, ut postmodùm audiatur si quid fuerit Quæstionis. *Ibid. §. Nos igitur.*

SECTIO II.

De impedimento quod oritur ex violentia injustè incussa. Quid observandum sit cùm violentia impedimentum proponitur, in causa Matrimonii?

I. Cùm quæritur de muliere, quæ est invita tradita viro, & detenta, an validum sit ejus Matrimonium; cùm inter vim (*a*) & vim sit differentia, genus violentiæ, & utrùm posteà consensus intercesserit, exprimi debet. *De Sponsalib.* Cap. *De muliere.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. Cap. 2. (*a*) Ut sciatur quæ violentia fuerit illata, & quis metus, an is qui posset cadere in constantem virum?

II. Puella de cujus Matrimonio Quæstio ventilatur, in domo in quâ nihil eam timere oportet, debet honestè teneri; donec causa terminata fuerit, & sententia sine contradictione cujusquam valeat executioni mandari. *De Sponsalib.* Cap. *Cùm locum.* §. *Quocircà.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. Cap. 14.

III. Si Parentes mulieris eam invitam & reclamantem in uxorem alicui tradiderunt, & ab illo viro ipsa judicio Ecclesiæ fuerit separata, & ab alio sine contradictione Ecclesiæ in uxorem traducta; debet secundus vir compelli ut illam recipiat, & studeat maritali affectione tractare. *Ibid.* Cap. *Veniens.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 7. Cap. 13.

IV. Quamvis mulier undecim annos habens, ab initio invita fuerit viro tradita, & renitens; tamen si postmodùm per annum & dimidium sibi cohabitet, consensisse videtur, & ad ipsum est cogenda redire. *De Sponsal.* Cap. *Ad id. post init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. Cap. 21. Matrimonium per vim contractum cohabitatione spontaneâ convalescit. Summa.

V. De cætero recipiendi non sunt testes, si quos illa mulier ad probandum, quod non consenserit in eundem virum, nominaverit producendos, cum morâ tanti temporis, ut hujusmodi probationem excludat. *Ibid. fin.* Illis mulieribus quæ Benedictione acceptâ mox à sponsis aufugiunt ante carnis copulam subsecutam, asserentes se nunquàm in illos veraciter consensisse, sed metu illato compulsas verba protulisse consensus, licet animo dissentirent, non statim est audientia deneganda.

VI. Sed de illato metu est cum diligentia inquirendum; & si talis metus inveniatur illatus, qui cadere potuit in constantem virum, erunt non immeritò audiendæ. *De Sponsalibus.* Cap. *Consultationi.* §. *Sanè.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. Cap. 28. Benedictionis, de qua hic Textus, historiam habes in *Traditione Ecclesiæ circà Sacramentum Matrimonii* Tom. I.

VII. Si constiterit quod alicui viro tanta vis illatà fuerit, quod non spontè in primam mulierem consenserit, nec post præstitum juramentum ipsam carnaliter cognoverit; propter hoc non dimittat Judex, quin ad aliam, quam posteà in uxorem accepit, revertendi liberam tribuat facultatem. *De eo qui duxit.* Cap. *Significavit. init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 7. Cap. 2.

VIII. Qui in minori ætate desponsantur, cujuscunque sint ætatis, se possunt per illatam violentiam excusare, nisi post violentiam consensus accedat. *De Desposatione Impub.* Cap. *De illis. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 2. Cap. 9. Matrimonium per vim contractum per consensum sequentem fit firmum, quod priùs erat infirmum. *Glossa.*

IX. Si puella quæ innubilis contraxit, & ætatis metas attingens pluries à viro cognita, contra Matrimonium proclamet, asserens se semper ab initio dissensisse, quod per testes famâ & conversatione præclaros probare intendit, adversùs Matrimonium audiri non debet, quæ ante cognitionem sui, legitimum annum attingens, cùm potuit, minimè reclamavit. *Qui Matrimonium accusare.* Cap. *Insuper. init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 18. Cap. 4. Præsumitur noluisse peccare consummando alio animo quàm conjugali; sed hæc præsumptio cessat si constet metum durasse, ut in eo qui probat se suscepisse Sacramentum Ordinis vi metuve ad id impellente.

X. Postquàm legitimo tempore accedente, semel etiam copulæ carnali consensit, ea ratihabitione sibi super hoc silentium non ambigitur indixisse. *Ibid. fin.*

SECTIO III.

De Impedimento erroris. Matrimonium contractum per errorem personæ unius pro alia esse irritum.

Hùc pertinent omnia illa testimonia quibus evincitur sine consensu stare non posse Matrimonium; ubi enim quis putat esse talem personam, revera non consentit in aliam, adeòque non init Matrimonium cum illâ aliâ.

I. Matrimonium solo consensu contrahitur. *De Sponsalibus.* Cap. *Cùm locum. post init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. Cap. 14.

II. Ubi non est consensus utriusque, non est conjugium. Caus. XXX. Quæst. II. *Cap. unic. init.*

III. Consensus si in nuptiis solus fortè defuerit, cætera omnia etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur. (*a*) Caus. XXVII. Quæst. II. Cap. 2. *Sufficit.* (*a*) Ad hoc ut Matrimonium contrahatur, necesse est ut uterque contrahentium consentiat in alterum. *Glossa.*

IV. Qui nunquam consensit in talem personam, non debet ex desponsatione cum illa conjugium judicari; cùm in eo substantia (*b*) conjugalis contractùs non valeat inveniri. *De Sponsalibus.* Cap. *Tua nos. §. ult. Nos autem.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. *Cap.* 26. (*b*) In Matrimonio pro substantia est consensus. *Glossa*, verbo, *nec forma.*

V. Ex altera parte ubi dolus solummodò affuit, & defuit omninò consensus, non debet conjugium judicari. *Ibid. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. *Cap.* 26.

VI. Si quis autem desponsaverit mulierem in propria persona & sub nomine alieno, quo tunc vocari se finxit, pro Conjugio est præsumendum. *Ibid. §. super quo.*

Cùm autem jus decidat defectum consensûs in talem personam reddere Matrimonium invalidum, validum autem reputari si sit duntaxat nominis mutatio; consequens est errorem fortunæ, quo quis putatur esse dives, cùm sit pauper, vel qualitatis quo putatur bonus cùm sit malus, non irritare Matrimonium. Vide Gratianum, Caus. XXIX. Quæst. I.

Reliquos Canones circa impedimenta erroris, violentiæ, & metûs, Autor colligit in historia impedimenti ex defectu consensûs insertâ Tom. I. Traditionis Ecclesiæ circà Sacramentum Matrimonii.

Observatio circà impedimentum conditionis.

Possemus hîc abstinere à referendis Juris Decisionibus quibus explicatur hoc impedimentum. Servilis enim conditionis nomine, quæ dirimendo Matrimonio ansam præbet, intelligitur vera quædam mancipiorum servitus, qualis in Jure Romano adstruitur, cum jure vitæ & necis; undè cum in Galliâ nullum sit hujusmodi mancipiorum genus, sed omnes etiam quos nominamus servos & ancillas, liberi nascantur, ac sint, nullius propè utilitatis esse potest quod in Jure de hoc impedi-

impedimento statuitur. Quia tamen Libri omnes nostri Rituales, nostrique Theologi etiam, referunt impedimentum conditionis inter cætera, & aliundè non alio jure tenerentur si qui inter nos verè servi nascerentur, cùm præterea sint in Novo Orbe veri servi à Catholicis possessi, qui Jure Canonico, quod ad Regulas reducitur, reguntur, ut in Mexicanâ Provinciâ, quorum ergo conditi sunt duo Canones circa Matrimonia servorum hujusmodi, LIB IV. *Tit.* 1. §. 8. & 9. *Conc.* MEXIC. *ann.* 1585. CONC. TOM. XV. *p.* 1305. Hinc fit,

SECTIO IV.

An, & quibus in casibus dirimeretur Matrimonium inter mancipia, sive inter servos & ancillas propriè dictas?

I. Si quis ingenuus homo uxorem ancillam alterius acceperit, & existimat quod ingenua sit, si ipsa fœmina fuerit posteà in servitute detecta; si voluerit, aliam accipiat. CAUS. XXIX. QUÆST. II. Cap. 4. *Si quis ingenuus.*

II. Si autem ancillam eam sciebat, & collaudaverat, prout legitimam eam habeat. *Ibid.*

III. Similiter & mulier ingenua de servo alterius facere debet. *Ibid. fin.* desumitur è *Concilio apud* VERMERIAM *in Galliâ ann.* 722.

IV. Si constiterit quod quis ignoranter (*a*) contraxit cum ancilla, ita quod postquàm intellexit conditionem ipsius, nec facto nec verbo consenserit in eandem, propter quod ab ejus fuerit consortio separatus, contrahendi cum aliâ libera ipsi concedi debet facultas. *De Conjugio servorum.* Cap. *Ad nostram.* §. *Ideoque.* LIB IV. DECR. *Tit.* 9. *Cap.* 4. (*a*) Error conditionis Matrimonium dirimit jam contractum. *Glossa.* Hinc à majori colligitur errorem personæ dirimere Matrimonium.

V. Si constiterit quod vir mulierem, postquàm illam audivit esse ancillam, carnaliter cognovit, compelli debet ut eam sicut uxorem maritali affectione pertractet. *Ibid.* Cap. *Propofuit.* §. *Mandamus.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 9. *Cap.* 2.

VI. Si aliter fuerit, & sententiam divortii proferri contingat; mulieri pecunia quam præfato viro pro dote concessit, restitui debet. *Ibid. fin.*

VII. Libera mulier quæ per decem annos cuidam servo scienter cohabitaverit, & ab eo fuerit carnaliter cognita, nunc ipsum asserens suum non esse maritum, si fama loci habet quod vir ipsam in lecto & in mensâ sicut uxorem tenuerit, cogenda est ut eidem viro affectu serviat conjugali. *De Præsumptionib.* Cap. *Illud.* LIB. II. DECR. *Tit.* 23. Cap. 11.

VIII. Si fœmina ingenua acceperit servum, sciens quod servus esset, habeat eum. CAUS. XXIX. QUÆST. II. Cap. 5. *Si fœmina.* Una Lex erit viro & fœminæ. *Ibid. fin.*

IX. Si quis liber ancillam in Matrimonium acceperit, non habet licentiam dimittere eam, si consensu amborum conjuncti sunt. *Ibid.* CAUS. XXIX. QUÆST. II. Cap. 2. *Si quis liber. init.*

X. Conjugia servorum non dirimantur, etiamsi diversos Dominos habeant; sed in uno conjugio permanentes Dominis serviant suis, & hoc in illis observandum est, ubi *b*) legalis conjunctio fuit, & per voluntatem Dominorum. *Ibid.* CAUS. XXIX. QUÆST. II. Cap. 8. *Dictum est. med.* (*b*) legitima conjunctio, per communem consensum.

XI. Si ingenuus ingenuam accepit uxorem, & post filiorum procreationem servum se fecit, uxor minimè debet dimitti. CAUS. XXIX. QUÆST. II. Cap. 7. *Perlatum est.*

XII. Si quis ancillam suam libertate donavetit, & in Matrimonium sibi sociaverit, talia connubia legitima sunt; si enim ex affectu fiunt omnes nuptiæ, & nihil impium in tali copulatione fieri potest, quare prædictæ nuptiæ inhibendæ forent? CAUS. XXIX. QUÆST. II. Cap. 3. *Si aliquis.*

XIII. Mulier quam maritus suus ob hoc quod de servili fuerat conditione pulsata, à suo nositur removisse consortio; eùm primùm approbata est libera, nullaque in ea macula servilis inventa est, suo marito restitui debet. CAUS. XXIX. QUÆST. II. Cap. 6. *Cujus rei. med.*

XIV. Mulier non potest divortium postulare pro eo quod vir eum quo suæ conditionis ignara contraxit, servus proponatur; cùm è contra idem vir Patrem suum, cujus conditionem secundùm Leges Provinciæ sequeretur, tempore mortis pro libero se gessisse, & jam elapso decennio, nec Patris, nec suo nomine se status controversiam passum constanter affirmet; quia ratione temporis & favore libertatis pro parte viri securiùs judicandum. *De Conjugio servorum.* Cap. *Licet.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 9. Cap. 3.

Hic describendi essent §. 8. & 9. *Concil.* MEXICANI LIB. IV. *Tit.* 1. suprà inObservatione citati; sed quia nihil dicunt de errore conditionis, sed tantùm de Matrimonio servorum loquuntur, videat qui opus iis habuerit. Cætera quæ impedimentum hoc spectant, reperies in historia illius TOM. I. Traditionis Ecclesiæ circa Sacramentum Matrimonii, ubi quæcumque gesta sunt circa illud accuratè referuntur.

Quoniam sequentia impedimenta quæ explicanda supersunt, fusiori indigent explicatione, tùm quia multò plures circa unumquodque Textus versantur, tùm quia hi Textus majorem numerum Quæstionum subministrant, quodlibet eorum singulari Capite elucidabitur: Hinc faciliores evadent citationes illud contingentes, ideòque incoeptus Titulus subdividetur in Capita, & Caput quodvis in Sectiones.

CAPUT I.

De impedimento Voti, tùm simplicis, tùm solemnis.

SECTIO I.

Votum simplex continentia servanda, aut Religionis assumenda, impedire duntaxat Matrimonium contrahendum, sed non dirimere contractum.

I. Simplex votum Matrimonium impedit contrahendum, & non dirimit jam contractum. *Qui Clerici vel voventes. &c.* Cap. *Consuluit. fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 6. Cap. 4.

II. Si mulier cuidam viro fide datâ se nupturam promisit, sed postmodùm cùm timeret ne illi nubere cogeretur, continentiæ votum promisit; quia tutius est ut post fidem & votum simpliciter oblatum Matrimonium contrahat, quàm fornicationis reatum incurrat, indictâ sibi de fide mentitâ & voto violato congruâ satisfactione, ei cui vult nubendi in Domino licentiam tribuas. *Qui Clerici &c.* Cap. *Veniens.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 6. Cap. 5.

III. Si quis dixerit posse omnes contrahere Matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, Anathema sit; cùm Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos suprà id quod possumus, tentari. *Concil.* TRID. SESS. XXIV. *Can.* 9. *fin.*

IV. Graviter peccant, qui nubentes post votum dividunt. DIST. XXVII. Cap. 1. *Quidam.*

V. Si vir simplex votum virginitatis habens, adjungatur uxori, posteà non dimittat uxorem. DIST. XXVII. Cap. 3. *Si vir.* THEODORUS *in Pœnitentiali circa annum* 670.

VI. Si quis castitatis votum emittens, juravit se quamdam ducturum posteà in uxorem, & postquàm hujusmodi præstitit juramentum, ad nuptias motu proprio convolavit; cùm votum simplex Matrimonium

nium impediat contrahendum, non tamen dirimat jam contractum, debet cum uxore remanere. *Qui Clerici vel voventes.* Cap. *Rursus. fin.* juncta *Glossa.* verbo, *Videtur.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 6. Cap 6.

VII. Si vir votum virginitatis habens adjungitur uxori, posteà non dimittat uxorem. Caus. XXVII. Quæst. I. *Cap.* 43. & *ult.* Dist. XXVII. Cap. 3. *Si vir.*

VIII. Fit per hanc minùs consideratam opinionem, quâ putant lapsarum à Sancto proposito fœminarum, si nupserint, non esse conjugia, non parvum malum, ut à maritis separentur uxores, quasi adulteræ sint, non uxores; & cùm volunt illas separatas reddere continentiæ, faciunt maritos earum adulteros veros, cùm, suis uxoribus vivis, alteras duxerint. Caus. XXVII. Quæst. I. *Cap.* 41. §. 4.

IX. Si vir post propositum Religionis uxorem duxit, illi sine conjugis consensione continenter vivere non licet; cùm illa, nihil eorum sciens, innocenter & simpliciter nupsit. Caus. XVII. Quæst. II. Cap. 2. *Nos novimus. fin.*

X. Si quis nec habitum suscepit, nec professionem, sed votum solummodò fecit, & se ad Religionem transiturum promisit; licet posteà Matrimonium contraxerit, non est cogendus ad Religionem transire, & Matrimoniale votum rescindere. *Qui Clerici &c.* Cap. *Meminimus. med.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 6. Cap. 3.

XI. Ut judicetur de validitate Matrimonii post votum contracti, plenè exprimi debet, quomodò mulier se promiserit continentiam servaturam, utrùm videlicet simplici verbo, an voto solemni; utrùmve ad Religionem transierit, ut promisit; an contra promissionem suam in domo remanserit. *De Frigidis.* Cap. *Fraternitatis. ante med.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 15. Cap. 6.

XII. Virgines quæ post consecrationem nupserunt, non tàm adulteræ sunt quàm incestæ. Dist. XXVII. Cap. 9. *Virgines.* S. Hieronymus *contra* Jovinianum. Lib. II. *ann.* 390.

SECTIO II.

Susceptionem Sacrorum Ordinum, & Professionem Regularem impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum: & quæ pœnæ decreta sint in eos qui hujusmodi Matrimonia contrahunt?

I. Illud solum votum debet dici solemne, quantùm ad post contractum Matrimonium dirimendum, quod solemnisatum fuerit per susceptionem Sacri Ordinis, aut per Professionem expressam factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. *In* 6. *De Voto &c.* Cap. unic. Lib. III. *Tit.* 15. Cap. unic.

II. Si quis dixerit Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante Lege Ecclesiasticâ vel voto, & oppositum nihil aliud esse quam damnare Matrimonium, Anathema sit. *Conc.* Trid. Sess. XXIV. *Can.* 9.

III. Reliqua vota, etsi quandoque Matrimonium impediant contrahendum, non tamen rescindere possunt Matrimonia contracta. *Ibid. in* 6. Lib. III. *Tit.* 15. *Cap. unico. fin.*

IV. Votum solemnisatum per Sacri susceptionem Ordinis, quantùm ad impediendum Matrimonium contrahendum, ac ad dirimendum si post contractum fuerit, secundùm Statuta Canonum est efficax reputandum. *Extravagant.* Joann. XXII. *Antiquæ init.* Extravag. Joann. XXII. *Tit.* 6. *De Voto.* Cap. unico.

V. Si quisquam qui se Religioni devovit, & habitu suscepto Professionem fecit, postmodùm sibi aliquam copulaverit, est cogendus ab ea recedere, & ad Ecclesiam cui se contulit sine contradictione transire. *Qui Clerici &c.* Cap. *Meminimus.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 6. Cap. 3. *init.* Votum solemne impedit & dirimit Matrimonium post contractum. Summarium vel Summa.

VI. Si quos Monachorum usque ad tantum nefas prosiluisse cognoscas, ut uxores publicè sortiantur, inventos digna coercitione, in Monasteriis quorum Monachi fuerant, transmittas. Caus. XXVI. Quæst. I. Cap. 19. *Et quia &c. Ibid* Cap. 40. *Ut Lex continentiæ.*

VII. Vir ad Religionem transiens & in eâ professus, nec habitum potest abjicere quem assumsit, nec aliquam sibi Matrimonio copulare; quod si contraxerit Matrimonium, ipsum est dirimendum. *De Convers. conjug.* Cap. *Consuluit.* Lib. III. Decr. *Tit.* 32. Cap. 10.

VIII. Si Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares Canonici, Monachi atque conversi professi, Sanctum transgredientes propositum, uxores sibi copulare præsumpserint, hujusmodi copulatio, quam contra Ecclesiasticam Regulam constet contractam, Matrimonium non est censendum. Caus. XXVII. Quæst. I. Cap. 40. *Ut Lex. med. Clement. unica.* Lib. IV. *Tit. unic.* Cap. unic.

IX. Qui Divino timore postposito, in suorum periculum animarum, scienter cum Monialibus contrahere matrimonialiter non verentur, Excommunicationis sententiæ ipso facto subjacent. *Clementinâ*, Eos qui. *De Consanguin. init.* Lib IV. Clem. *Tit. un.* Cap. un.

X. Religiosi & Moniales, ac Clerici in Sacris Ordinibus constituti, Matrimonia contrahentes Excommunicationis sententiæ ipso facto subjacent. *Ibid. Clement.*

XI. Si Sacerdotes nuptias contrahunt, non nuptiæ sed contubernia sunt potiùs nuncupanda. *De Clericis conjugatis.* Cap. *Sanè. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 3. Cap. 4.

XII. Ecclesiarum Prælati illos, quos eis constiterit taliter contraxisse, excommunicatos publicè tamdiù nuncient, seu à suis subditis faciant nuntiari, donec suum humiliter recognoscentes errorem separentur ab invicem, & Absolutionis obtinere beneficium mereantur. *Ibid.* Clement. *Eos qui &c.*

XIII. Per prædicta, juribus, quæ sic contrahentibus alias pœnas imponunt, in nullo derogatum est. *Ibid. fin.* Cæteros Canones circa impedimentum voti collectos reperies in Historia Cælibatûs insertâ Traditioni Ecclesiæ de Sacramento Matrimonii.

Caput II.

De impedimento cognationis.

Triplex est cognatio; alia naturalis, quæ dici solet consanguinitas; alia Spiritualis; alia legalis. De qualibet seorsim agendum, & primùm de consanguinitate quæ est aliarum exemplar.

SECTIO I.

Quid sit consanguinitas, undè oriatur, & cur impediat Matrimonium?

Vide *Concil.* Forojuliense *ann.* 791. Cap. 8. Tom. VII. Conc. *p.* 1004. Capitulars Haytonis Episcopi Basil. *ann.* 822. *Cap.* 21. Tom. VII. Conc. *p.* 1525. *Concil.* Eugenii II. *ann.* 826. *Cap.* 38. Tom. VIII. Conc. *p.* 112. *Epistolâ Concilii* Duziacensis II. *ann.* 874. Tom. IX. Conc. *p.* 259.

I. Eos consanguineos dicimus quos Divina & Imperatorum Leges consanguineos appellant, & in hæreditate suscipiunt. Caus. XXXV. Quæst. II. & III. Cap. 2. *Conjunctiones.* §. *Eos.*

II. Copulatio maris & fœminæ, quantùm attinet ad genus mortalium, quoddam Seminarium est Civitatis. Caus. XXXV. Quæst. I. Cap. 1. *Cùm igitur.* §. ult. *Copulatio.* Vide *Conc.* Epaon. *ann.* 517. *Can.* 30. Tom. IV. Conc. *p.* 1579. *Conc.* Ilerdense *ann.* 524. *Can.* 4. Tom. IV. Conc. *p.* 1610.

III. Consanguinitas est vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum. *Epistola* Hincmari *in Synodo Rhem. ann.* 879. Tom. IX. Conc. *p.* 335. *Conc.* Colon. *ann.* 887. Cap. 6. Tom. IX. Concil. *p.* 398. *Concil.* Turon. *ann.*

ann. 1060. Cap. 9. TOM. IX. CONC. *p.* 1110. *Concil.* TROIÆ *in Apulia. ann.* 1093. TOM. X. CONC. *p.* 475. CAUS. XXXV. QUÆST. VI. Cap. 4. & TOM. X. CONC. *p.* 493. *Conc.* LATERAN. I. *ann.* 1122. *Can.* 5. TOM. X. CONC. *p.* 898.

IV. Cùm genus humanum post primam copulam viri facti ex pulvere, & conjugis ejus ex viri latere, marium fæminarumque conjunctione opus haberet, ut gignendo multiplicaretur, nec essent ulli homines nisi qui ex illis duobus nati fuissent, viri sorores suas acceperunt: Quod profectò quantò est antiquius compellente necessitate, tantò posteà factum est damnabilius Religione prohibente. CAUS. XXXV. QUÆST. I. Cap. 1. *Cùm igitur. init.*

V. Fieri debuit, quandò potuit, ut existente copia, indè ducerentur uxores, quæ non erant jam sorores; & non solùm, istud ut fieret, nulla necessitas esset, verùm etiamsi fieret, nefas esset. *Ibid.* §. 1. *Sed hoc.*

VI. Habita est ratio rectissima charitatis, ut homines quibus esset utilis atque honestissima concordia, diversarum necessitudinum vinculis necterentur, nec unus in una multas haberet, sed singulæ spargerentur in singulos, ac sic ad socialem vitam diligentiùs colligandam, plurimæ plurimos obtinerent. *Ibid. post init.*

VII. Desponsatam fratri frater habere non possit. CAUS. XXVII. QUÆST. II. Cap. 31. Vide *Conc.* TOLAT. vulgò 2um, verè 1um. *an.* 531. Cap. 5. TOM. IV. CONC. *p.* 1734. *Conc.* ARELAT. VI. *ann.* 813. *Can.* 11. TOM. VII. CONC. *p.* 1136. *Conc.* MOGUNT. I. *an.* 857. TOM. VIII. CONC. *p.* 50. Cap. 29. 30. *Conc.* VORMAT. *an.* 868. *Can.* 78. TOM. VIII. CONC. *p.* 959. JOANN. VIII. *Epist.* 198. TOM. IX. CONC. *p.* 159. *Conc.* RHEMENSA *ann.* 1131. *Can.* 16. TOM. X. CONC. *p.* 986.

VIII. Conjunctiones consanguineorum fieri prohibete, quando has & Divinæ & sæculi prohibent Leges. Leges ergò Divinæ hoc agentes & eos qui ex iis prodeunt, non solùm ejiciunt, sed & maledictos appellant. Leges verò sæculi infames tales vocant, & ab hæreditate repellunt. CAUS. XXXV. QUÆST II. Cap. 2. *Conc.* TROSLEIANUM. *an.* 909. Cap. 8. TOM. IX. CONC. *p.* 544. *Epistol.* 3. LEONIS VII. *ann. circ.* 937. TOM. IX. CONC. *p.* 598. Vide *Epist.* 2. S. ANSELMI *Cantuariensis.* TOM. X. CONC. *p.* 734.

IX. Sacra Lex probibet cognationis turpitudinem revelare. CAUS. XXXV. QUÆST. II. & III. Cap. 20. *Quædam. post init.*

X. Dominus præcepit per Moysem dicens; *turpitudinem Patris tui, vel Matris, vel sororis, non revelabis; turpitudo enim tua est.* Ergò à propria consanguinitate jubemur abstinere. CAUS. XXX. QUÆST. III. Cap. 2. *Pitacium* (a). §. *Sed benè. init.* (a) Pitacium, scriptum petitionem continens.

XI. Consanguineorum conjunctiones nec legitimæ sunt, nec manere possunt, sed sunt repellendæ. CAUS. III. QUÆST. IV. Cap. 4. *Consanguineorum. init.* CALIXTUS I. *Epist.* 2. Cap. 4.

XII. Sacrorum præceptio Canonum jubet à propria abstinere consanguinitate. CAUS. XXXV. QUÆST. V. Cap. 2. §. 8.

SECTIO II.

Quomodo computentur gradus consanguinitatis, juxta Jus Canonicum quod vulgò sequimur in Gallia?

I. Altera Legum fit, altera Canonum computatio; utramque tamen computationem, si attentè & subtiliter perspecta fuerit, idem sensisse, & eandem esse in eis sententiam, atque ad eundem terminum convenire, manifestissimum erit. CAUS. XXXV. QUÆST. V. Cap. 2. *Ad Sedem. post init.* ALEXANDER II. *Epist.* 38. *p.* 1140. *Conc.* ROM. II. *ann.* 1065. TOM. IX. CONC. *p.* 1181.

II. In Canonibus ob hoc progenies computatur, ut apertè monstretur usque ad quotam generationem à consanguineorum sit nuptiis abstinendum; ut ritè & Canonicè inter fideles nuptiæ celebrentur.

III. Quia nuptiæ sine duabus non valent fieri personis, ideò Sacri Canones duas in uno gradu constituêre personas. *Ibid.*

IV. Apostolica Autoritas monet sic seriem Genealogiæ computandam esse, quemadmodùm S. Patres numerandam esse sanxerunt, & antiquus mos Sanctæ & Universalis Ecclesiæ per longa tempora olim computasse monstratur. *Ibid.* §. ult. *Hæc itaque. fin.* In Historia impedimenti cognationis naturalis, collecta sunt non pauca testimonia, quæ probare videntur quod Ecclesia per plura sæcula gradus computavit eo modo quo Leges Sæculares; hinc quod hîc contra supponitur certum omninò non est.

V. Primo gradu Ascendentium & Descendentium, superiore linea continentur Pater, Mater: Inferiore, Filius, Filia, quibus nullæ aliæ personæ junguntur. Secundo gradu continentur, superiore lineâ Avus, Avia; inferiore, Nepos, Neptis. Tertio gradu veniunt suprà Proavus, Proavia: Infrà Pronepos, Proneptis. Quarto gradu veniunt suprà Abavus, Abavia: Infrà Abnepos, Abneptis. CAUS. XXXV. QUÆST. V. Cap. 6. *Primo gradu.*

VI. Parentelæ gradus taliter computamus quoad Collaterales: Siquidem ego & frater meus una generatio sumus, primumque gradum efficimus, nulloque gradu distamus; rursùs filius meus, fratrisque mei filius secunda generatio sunt, ac gradum secundum faciunt, nec à se aliquo gradu separantur: atque ad hunc modum cæteræ successiones numerandæ sunt. *Ibid.* CAUS. XXXV. QUÆST. V. Cap. 4. *Parentelæ.* Taliter determinatis gradibus Consanguinitatis &c. CAUS. XXXV. QUÆST. V. Cap. 2. *fin.*

VII. Fratres qui secundùm Sæculares Leges dicuntur in secundo gradu, juxta Canones numerantur in primo. Filii fratrum qui illic numerantur in quarto, hic computantur in secundo. Nepotes verò qui in sexto ibi, istic numerantur in tertio.

VIII. Sic deinceps qui in Legibus scribuntur in octavo, & decimo, in Canonibus definiuntur in quarto, & quinto. CAUS. XXXV. QUÆST. V. Cap. 2. *Ad Sedem. med.* Hic Textus clarè docet aliam fuisse computationem à computatione Canonicâ.

IX. Qui ad divortium celebrandum consanguinitatis gradus computant, à stipite debent incipere, id est à Parentibus vel germanis, & sic per ordinem distinguere gradus nominibus propriis, vel æquipollentibus indiciis, designando personas de consanguinitate. *Cap. Tam ans. med.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 14. Cap. 7.

X. Quarto gradu quis distat à stipite, & à quolibet per aliam lineam descendentium ab eodem. *Ibid.* Cap. *Quod dilectio.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 14. Cap. 3. *med.*

Stipes à qua incipitur computatio graduum consanguinitatis, sunt Pater & Mater, vel fratres. Hoc secundo casu stipes non demitur, primo verò demitur; aliàs vel forent quinque gradus prohibiti in primo casu, vel tres tantùm in secundo, cùm prohibitio finiatur ad tertias consobrinas, & non ultra extendatur. Ergò si computentur Pater & Mater, erunt quinque gradus; si verò non computentur fratres, erunt tantùm tres gradus.

SECTIO III.

Ad quotum gradum consanguinitas impediat Matrimonium, ac dirimat contractum? Et quæ Regulæ in hoc observentur?

I. Si quis dixerit eos tantùm consanguinitatis gradus qui Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec posse Ecclesiam constituere, ut plures impediant & dirimant, Anathema sit. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. Cap. 3.

II. Prohibitio copulæ conjugalis quartum consanguinitatis gradum de cætero non excedat, quoniam

in

in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari. *De Consang.* Cap. *Non debet.* §. 2. *prohibitio.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 14 *Cap.* 8.

III. Cùm jam usque ad quartum gradum prohibitio conjugalis copulæ sit restricta, ea ita debet esse perpetua, non obstantibus Constitutionibus super hoc editis, ut si quis contrà prohibitionem hujusmodi præsumpserit copulari, nulla longinquitate defendatur annorum. *Ibid.* §. 4. *Cùm ergo.*

IV. Vir qui à stipire quarto gradu, & mulier quæ ex alio latere distat quinto, secundùm regulam approbatam, quâ dicitur; *Quoto gradu remotior differt à stipite, & à quolibet per aliam lineam descendentium ex eodem:* licitè possunt matrimonialiter copulari. *De Consanguinitate.* Cap. *Vir qui.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 14 Cap. *9. & ult.*

V. Sacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare, undè necesse est, ut in quartâ vel quintâ generatione fidelium licenter sibi conjungantur. Caus. XXXV. Quæst. II. & III. *Cap.* 20.

Magis consideratur remotus gradus quàm propinquus. *Glossa.* Quod justum, cùm gradus sumantur ex distantiâ à stipite, eorumque numerus sit major vel minor, quò major minorve distantia ab eodem.

VI. De his qui post mortuas uxores secundas contrahere nuptias voluerint, justè & honestè & rationabiliter prospeximus ab earum consanguineis usque ad quartum gradum abstinere. Caus. XXXV. Quæst. VIII. Cap. 1. *fin.*

SECTIO IV.

Quo jure, Naturali, Divino, an Ecclesiastico, consanguinitas impediat Matrimonium, & dirimat contractum?

I. Proles de infidelium conjunctionibus nata, qui secundo, tertio, vel ulteriore gradu, secundùm opinionem illorum, matrimoniali contraxerunt affectu; post fidem receptam, utilitate publicâ suadente, legitima reputatur. *Qui filii sint legitimi.* Cap. *Gaudemus.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 17. Cap. 15. *& ult.*

II. Pagani uxores accipientes in secundo vel tertio, vel ulteriore gradu sibi conjunctas, post conversionem suam, in favorem præsertim Christianæ Religionis & fidei, à cujus perceptione per uxores se deseri timentes viri possunt facilè revocari; fideles hujusmodi matrimonialiter copulati liberè possunt, & licitè remanere conjuncti, cùm per Sacramentum Baptismi non solvantur Conjugia, sed crimina dimittantur. *De Divortiis.* Cap. *Gaudemus. init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 19. *Cap.* 8.

III. In præmissis gradibus à Paganis, quoad eos Matrimonium licitè est contractum, qui Constitutionibus Canonicis non arctantur. *Ibid.*

IV. Si infideles ad fidem conversi ante conversionem suam, secundùm legis veteris instituta circà gradus à Canone denotatos, conjuncti fuerint; Matrimonium sic contractum non est post Baptismi lavacrum separandum. *De Consanguinit.* Cap. *De infidelibus. init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 14. *Cap.* 4.

Est aliquis consanguinitatis gradus in quo Sedes Apostolica dispensare non potest, nec etiam consuevit. *De Restitutione spoliat.* Cap. *Litteras.* §. 2. *Rescripto.* Lib. II. Decr. *Tit.* 13. *Cap.* 13. Loquitur de illo qui Lege Divinâ prohibetur.

V. In secundo gradu nunquàm dispensetur, nisi inter Magnos Principes, & ob publicam causam. *Concil.* Trid. Sess. XXIV. Cap. 5. *fin. De Reformatione Matrimonii.*

Quandoquidem Matrimonium infidelium, in secundo licet consanguinitatis gradu contractum, post illorum conversionem ab Ecclesiâ non dirimitur; atque etiam Ecclesia ipsa in secundo consanguinitatis gradu dispensare potest inter fideles; consequens videtur primum duntaxat consanguinitatis gradum Jure Naturæ propriè dicto impedire contrahendum Matrimonium, ac dirimere contractum; in quo solo Ecclesia dispensare non potest, nec consuevit, ac dirimeret Matrimonium infidelium in eo contractum.

SECTIO V.

Quid Episcopus præstare debeat, ne consanguinei nubant, & postquàm illi nupserint?

I. Ne intrà gradus prohibitos Matrimonium contrahatur, debet Episcopus publicè inhibere, & præsumptores Ecclesiasticâ districtione punire, non obstante consuetudine, quæ dicenda est potiùs corruptela. *De Consanguin.* Cap. *Quod super his.* §. *ult.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 14. Cap. 5. *Concil.* Londin. *ann.* 1126. *Can.* 17. Tom. X. Conc. *p.* 917. Vide *De Bigamis non ordinand.* Cap. *Quia circa. fin. in int.* Lib. I. Decr. *Tit* 21. *Cap.* 6. Illud ut Matrimonium remaneat, non suadet quod sponsus & sponsa, constanti assertione proponunt se carnaliter cognovisse; cùm commercium carnale inter non legitimas personas Matrimonium de jure facere non possit. *De Probat.* Cap. *Juravit. in int. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 19. *Cap.* 6.

II. Cùm denuntiata est consanguinitas, ut interdicatur Matrimonium contrahendum, ad denunciationem legitimè probandum, terminum assignare debet Episcopus, salvis exceptionibus proponendis. *De Desponsatione Impuberum.* Cap. *Ad dissolvendum.* §. 1. *Interloquendo.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 2. *Cap.* 3.

III. Interim interdicere debet ne in negotio de novo procedatur ulteriùs; donec vel à denunciatione cessetur, vel eâ probatâ ordine judiciario procedatur. *Ibid.* §. 2. *Ne verò.*

IV. Quod si contrà Interdictum, in præjudicium alterius partis, aliquid fuerit attentatum, id irritum esse decernat Episcopus, & viribus omninò carere. *Ibid. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 2. Cap. 11. *fin.*

V. Illos qui pro consanguinitate prohibentur conjungi, & post contrà Interdictum Ecclesiæ se receperint, Excommunicationi. tamdiù debet Episcopus subjicere: donec tamdiù separentur, quousque legitimè cognoscatur utrùm eorum Matrimonium possit & debeat jure stare. *De Matrimonio contracto &c.* Cap. *De muliere.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 16. Cap. 3.

VI Non apparentibus accusatoribus, & parentelâ manifestâ, seu publicâ existente (quod credibile non est nisi essent in primo gradu vel secundo) Episcopalis officii interest Matrimonia illa adhibitâ gravitate dissolvere, quæ illicitè contracta noscuntur. *De Divortiis.* Cap. *Porrò.* §. *præterea.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 19. Cap. 3.

VII. Si qui pro illicitâ consanguinitatis & affinitatis copulâ ab Diœcesano Excommunicatione notati, ad Judices remotiores ab Apostolicâ Sede Litteras impetrant, per quas cùm ab Excommunicatione fuerint absoluti, quia dicti Delegati ad locum, ubi testes produci valeant non accedunt, nec aliquos pro eorum receptione transmittunt, in prænominatâ nefariæ conjunctionis copulâ remanent, & causa debitum non sortitur effectum; quoties ea in cujusque Episcopi Diœcesi evenire contigerit, licitè poterit Episcopus taliter absolutos, in pristinam Excommunicationis sententiam revocare, ipsosque tamdiù eadem sententiâ tenere ligatos, donec causa in receptione testium & in aliis legitimum incipiat habere progressum. *De Officio Jud. Del.* Cap. *Significavit.* Lib. I. Decr. *Tit.* 31. Cap. 6.

VIII. Pro malitia vel desidia Judicis Delegati non debet quis ad remanendum in copulâ conjunctionis iniquæ suffragium invenire. *Ibid.* Lib. I. Decr. *Tit.* 31. Cap. 6. §. *Cùm itaque.* Innocent. II. *Epistola* 42. Tom. X. Conc. *p.* 971.

SECTIO VI.

Qua ratione sit contestanda lis, & finienda, super consanguinitate, ad impediendum Matrimonium contrahendum?

I. Cùm nondùm est Matrimonium contractum, accusatio locum non habet, cùm non sit quod possit legitimè accusari; denuntiari tamen potest consanguinitas ut interdicatur Matrimonium contrahendum. *De Desponsat. Impuberum.* Cap. *Ad dissolvendum.* §. 1. *Interloquendo. init.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 2. Cap. 13.

II. Si non est firmatum Matrimonium inter aliquos, sola matre alterutrius asseverante ipsos esse consanguineos, non debent conjungi; quia præsumptio est non modica quod se lineâ consanguinitatis attingant. *De Testibus.* Cap. *Super eo.* §. *Super illa.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 22.

III. Pater in causa filii, filius in causa Patris, in Matrimonio conjungendo & disjungendo, ex ipsius conjugii prærogativa, & quia favorabilis res est, congruè admittuntur. *Qui Matrimon. &c.* Cap. *Videtur.* §. ult. *Quod verò. fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 18. Cap. 3.

IV. Quod Parentes, Fratres, & cognati utriusque sexûs, in testificatione suorum, ad Matrimonium conjungendum vel dirimendum, admittantur, tàm antiqua consuetudine quàm Legibus approbatur. *Ibid.* §. 1. *init.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 18. Cap. 3.

V. Ideò maximè Parentes, & si defuerint Parentes, proximiores admittuntur, quoniam unusquisque suam Genealogiam cum testibus & chartis, tùm etiam ex recitatione Majorum scire laborat; qui enim meliùs recipi debent quàm illi qui meliùs sciunt, & quorum est interesse? *Ibidem.*

VI. Quod Parentes, Fratres & cognati utriusque sexûs in testificationem suorum, ad Matrimonium conjungendum vel dirimendum admittantur, tàm antiqua consuetudine quàm Legibus approbatur. CAUS. XXXV. QUÆST. VI. *Cap.* 2. §. 1. Ex eodem Pontifice desumitur, CÆLEST II. & iisdem verbis.

VII. Quod super consanguinitate cogendus sit testis perhibere testimonium veritati, non dubitatur, cùm id tàm Jus scriptum approbet, quàm consuetudo actibus utentium approbata; nisi ipsum constiterit odio vel gratia veritatem supprimere aut timore. *De Testibus cogendis.* Cap. *Cæterùm.* LIB. II. DECR. *Tit.* 21. Cap. 6.

VIII. Ubi agitur de Matrimonio contrahendo, siquidem legitimè probaverunt virum & uxorem in prohibito consanguinitatis gradu sibi invicem attinere; etsi alius probare velit, contra prædictam probationem partibus publicatam, nullo eos sese consanguinitatis gradu contingere; standum est probationi priori. *De probationibus.* Cap. *Juravit.* LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 6.

SECTIO VII.

Qua ratione lis instituenda sit, quoad Matrimonium contractum inter consanguineos dirimendum?

I. Si mulier virum suum repetit, & hic exceptionem consanguinitatis objicit, cum exceptione probata quæstio principalis perimatur, antè est cognoscendum de ipsa quàm ad definitionis articulum procedatur. *De Ordine Cognitionum.* Cap. *Intelleximus.* LIB. II. DECR. *Tit.* 10. Cap. 1.

II. Exceptione consanguinitatis probata, vir ab impetitione mulieris, prout exposuit ratio juris, absolvi debet. *Ibid. fin.* De milite qui cùm mulierem duxerit in uxorem, & eam longo tempore tenuerit, & prolem ex ea susceperit, nunc Matrimonium suum accusat, dicens in quarto gradu consanguinitatis esse; dicendum quod si mulierem ipsam in facie Ecclesiæ duxerit, & longo tempore tenuerit, non debet vox accusationis suæ admitti, nisi personæ aliæ & idoneæ appareant.

Exceptio consanguinitatis objecta, (*a*) petitionem conjugis elidit. *Ibid.* (*a*) Exceptio consanguinitatis peremptoria est. Si vir mulieris præcipuè devictus instantiâ, aliquem in suum filium publicè recognovit; & filius ejus nominatus communiter fuit & habitus ab ambobus, ejusdem mulieris postmodùm Juramento in contrarium præstito non est standum, sed is filius neptem ejus viri cujus prima facie præsumitur consobrinus, non potest habere aliquatenùs in uxorem. *De Probationibus.* Cap. *Per tuas.* §. *Quia verò.* LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 10.

III. De his qui sub obtentu Religionis, quasi pœnitentes dicunt se cum sororibus aut cum consanguineis uxorum suarum ante conjugium coisse, odio habentes uxores suas, & hac occasione volentes dimittere eas; communi assensu instituimus, ut quod ore profitentur, judicio probent. *Concil.* ROTHOMAG. *ann.* 1074. *Can.* 10. TOM. X. CONC. *p.* 311.

IV. Meritò suspicionis carentes, quæ Matrimonium ipsum velint & possint legitimè accusare, nec hæredes personæ admitti debent, si per 20. vel 18. annos insimul sine quæstione remanserint. *Append. Part.* 6. *Cap.* 30. Hoc casu aliove simili non dissolveretur Matrimonium, sed ab impedimento dispensaretur. Consanguinitas præsumptivè probata dissolvit Matrimonium. *Glossa*, Verbo *Consobrinus.* In Quæstione consanguinitatis, Judex utramque partem ante suam præsentiam convocet, & faciat testes coram se jurare. *De Consanguinit.* Cap. *Ex Literis.* §. 2. *Nunc.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 14. Cap. 1. §. 3.

V. Quoties aliqui propter cognationem propinquitatis separari petunt; duobus vel tribus testibus adhibitis, qui de eadem consanguinitate superstint, vel totidem senioribus & melioribus loci ejusdem, id debet legitimè comprobari. *De Testib.* Cap. *Quoties. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 5.

VI. In consanguinitatis & affinitatis gradibus computandis, ne peticula contra legitima conjugia perveniant, ne recipiantur de cætero testes de auditu; cùm jam quartum gradum prohibitio non excedat; nisi fortè personæ graves extiterint, quibus fides sit meritò adhibenda, & ante litem motam testificata didicerint ab Antiquioribus suis, non utique ab uno, cùm non sufficeret ille si viveret, sed duobus ad minus. *De Testibus.* Cap. *Licet, il secundo.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. *Cap.* 47. Cùm consanguinitas usque ad quartum gradum per acta publica probari quear, probatio videtur non admittenda.

VII. Utrinque partibus convocatis, si Judici constiterit quod ante litem legitimè contestatam, vel post appellationem interpositam, testes super consanguinitate contra Matrimonium absque culpa contumaciæ recepti fuerint, attestationes hujusmodi decernere debet irritas & inanes. *Ut lite non contestata.* Cap. *Accedens. il secundo.* §. *Mandamus.* LIB. II. DECR. *Tit.* 6. Cap. 4.

VIII. Tùm compelli debet conjux ut revertatur ad conjugem suum, quem inconsultè dimisit, ita quod postquàm ipse plenariam restitutionem habuerit, uxoris causa super Matrimonio audiatur, eaque fine Canonico terminetur. *Ibid. fin.* Excipiuntur plures casus ab hac restitutione. *Tit. De Restitutione spoliatorum.*

IX. Testes autem hujusmodi proprio Juramento firmantes quod ad ferendum testimonium in causa ipsa, odio, amore, timore, vel commodo non procedant, personas expressis nominibus, vel demonstratione, vel circumlocutione sufficienti, designent, & ab utroque latere singulos gradus clara computatione distinguant; & in suo nihilominus Juramento concludant, se accepisse à suis Majoribus quod deponunt, & credere ita esse. Sed nec tales sufficiant, nisi jurati deponant se vidisse personas vel saltem in uno prædictorum graduum constitutas pro Con-

Consanguineis se habere. *Ibid. De Testibus.* Cap. *Licet. il Secundo. §. testes.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. *Cap.* 47.

X. Tolerabilius est aliquos contrà Statuta hominum dimittere copulatos, quàm conjunctos legitimè contrà Statuta Domini separare. *Ibid. fin.*

XI. Si Matrimonium inter aliquos est firmatum, non debet sine plurium juramento dissolvi. *Ibid. De Testibus.* Cap. *Super eo. §. super. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. *Cap.* 22. *fin.*

XII. Si accusatore idoneo comparente, per tres vel quatuor testes inter. jam conjunctos parentela probetur, & per depositiones eorumdem posteriorum testium derogetur fidei undecim vel duodecim propinquorum, qui antiquiores tempore ac præstantiores meritis ante contractum Matrimonium in contrarium juraverunt, distinguendo personas & gradus, à quibus directè hi de quorum copula agitur descenderunt, posteriores prioribus præferuntur. *De Testibus.* Cap *Cùm in tuâ.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. *Cap.* 44.

XIII. Si tamen in secundo judicio priores personæ juratæ deponerent, illa eadem quæ primò dixerunt absque dubio eorum testimonia prævalerent. *Ibid. fin. §. quanquàm* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. *Cap.* 44.

XIV. Antè Matrimonium denunciatione facta consanguinitatis, probatum est per testes virum & mulierem non esse consanguineos; post contractum Matrimonium instituitur accusatio illos esse consanguineos, & id probatur per testes idoneos; valet dictum secundorum, & dissolvitur Matrimonium, nisi priores majoris sint ponderis, tùm numero, tùm qualitate, & firment iterùm juramento quod antè Matrimonium deposuerunt. His in casibus locum non habet Regula, quod *post publicatas depositiones testium, non admittuntur alii testes*, quia de diversis agitur judiciis, & Regula restringenda ad unum idemque judicium. Vide Cujacium *in Cap.* 44. *De Testibus*, ubi plures Glossarum errores notat.

SECTIO VIII.

De Impedimento cognationis spiritualis?

In memoriam revocanda notata suprà cognationis diversitas; nempè triplicem vulgò distingui cognationem, Spiritualem, Legalem, & Naturalem.

Spiritualis cognatio contrahitur in susceptione & administratione Baptismi vel Confirmationis, de quâ jam nonnulla delibavimus, ubi de Baptismo & Confirmatione.

Cognatio Legalis contrahitur ex adoptione Civili.

Cognatio Naturalis, sive consanguinitas, ex naturali generatione oritur.

Spiritualis definiri potest, inter Patres & filios spirituales gratuita & Sancta Communio, quæ non est dicenda consanguinitas, sed potiùs habenda spiritualis proximitas. Caus. XXX. Quæst. III. *Cap.* 1. *Si inter eos* &c. *Ibid.*

§. I.

An & quomodò cognatio Spiritualis impediat Matrimonium contrahendum, & dirimat contractum, & inter quas personas?

Si solam praxim spectes, quæcunque fritu necessaria sunt circà cognationem, continentur in Decretis *Conc.* Trid. circà illam; cætera solùm Historiam Jusque Vetus respiciunt.

Possunt conjungi quos nulla proximitas carnalis, vel nulla generatio secernit spiritualis. Caus. XXX. Quæst. II. *Cap.* 4. *fin. Concil.* Quinisextum. *Can.* 53. *an.* 692. Tom. VI. Conc. *p.* 1168. *Concil.* Tribur. *ann.* 895. Tom. IX. Conc. *p.* 463. *Can.* 47. *Can.* 48.

I. Si unus & una (*a*) accesserint ad suscipiendum de Baptismo infantem, spiritualis cognatio indè contrahitur, Matrimonia contrahenda impediens, & etiam post contracta dissolvens. *Ibid. in 6. De Cognatione Spirituali.* Cap. *Quamvis. med.* Lib. IV. *Tit.* 3. *Cap.* 3. (*a*) Ita debet intelligi vox, *plures*, hîc posita, post Legem Concilii Tridentini relatam *De Baptismo.* Sect. XVIII.

II. De Confirmatione insuper, quantùm ad hoc; idem judicium est habendum. *Ibid.*

Ex datione aliorum Sacramentorum Cognatio spiritualis nequaquàm oritur, quæ Matrimonium impediat vel dissolvat. *In 6. De Cognatione Spirituali.* Cap. *Nedum. fin.* Lib. IV. *Tit.* 3. *Cap.* 1.

In *Concilio* Trid. decretum fuit, cognationem Spiritualem inter eos tantùm contrahi qui suscipiunt baptisatum de Baptismo, ac baptisatum ipsum, & illius Patrem, & Matrem, necnon baptisantem & baptisatum, baptisatique Patrem & Matrem. In reliquis personis quæ per antiquos Canones, occasione cognationis hujusmodi, contrahere prohibebantur, omne impedimentum sublatum est. Bulla XV. Pii V. *Cùm illius §.* 1. *ann.* 1566.

III. Inter baptisatum & illum qui eum suscepit de Baptismo, ac inter suscipientem Patremque baptisati, & Matrem, cognationem spiritualem contrahi in Baptismo, jure constat; quæ cognatio & contrahendum Matrimonium impedit, & dirimit post contractum. *In 6. De Cognatione Spirituali.* Cap. *Nedum.* Lib. IV. *Tit.* 3. *Cap.* 1. Ita post legem *Concil.* Trid. hoc Caput restringendum est. Vide Caus. XXX. Quæst. III. *Cap.* 3. 4. 5. 7.

IV. Eadem quæ de suscipiente sunt dicta, sunt etiam de baptisante censenda. *Ibid. fin.*

V. Ex Confirmatione quoque, seu frontis chrismatione, spiritualis cognatio eisdem modis contrahitur, Matrimonia scilicet impediens contrahenda, & dirimens post contracta. *Ibid. §. ex Confirmatione. In 6.* Lib. IV. *Tit.* 3. *Cap.* 1.

VI. Omnia inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimenta sunt sublata. *Concil.* Trid. Sess. XXIV. *De Refor. matr. Cap.* 2. *fin.*

VII. Neque cognationi carnis cognatio spiritûs comparatur, neque per unionem carnis ad unionem spiritus pertransitur. Caus. XXX. Quæst. IV. *Cap.* 5. *Post uxoris. fin.*

VIII. Si filiolam aut commatrem (*a*) suam aliquis in conjugium duxerit, separandi sunt, & gravi Pœnitentiâ plectendi. Caus. XXX. Quæst. IV. *Cap.* 5. *De eo. med.* (*a*) id est filiolæ matrem.

IX. Si constiterit mulierem, alicujus viri filium de sacro fonte levasse, antequàm eam desponsasset uxorem, inter eos divortium appellatione postpositâ celebrari debet. *De Cognatione Spirituali.* Cap. *Veniens.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 11. *Cap.* 6. Si quis filiastrum. &c. Caus. XXX. Quæst. I. *Cap.* 2. *Epistola* 3. Leonis V. *ann. circ.* 937. Tom. IX. Conc. *p.* 198.

X. Nullum ampliùs impedimentum ratione cognationis spiritualis subesse decretum est & declaratum, quominus inter maritum vel uxorem suscipientis & baptisatum, baptisatique Patrem & Matrem, & quascunque alias personas, tàm ex parte suscipientis quàm baptisantis & baptisati, in dicto Concilio nominatim non expressas, Matrimonium liberè & licitè contrahi possit. Bulla XV. Pii V. *§.* 2. *Cùm illius. an.* 1566.

XI. Ubi compaternitas inter mulierem & virum suum legitimè probata est, inter eos sententia divortii, per judicium Ecclesiæ, rationabiliter promulgatur. *De sent. & re jud.* Cap. *Consanguinei.* Lib. II. Decr. *Tit.* 27. *Cap.* 11.

§. II.

An, & quomodò conjuges teneantur sibi reddere debitum, vel possint illud exigere, si contraxerint cognationem spiritualem post legitimum Matrimonium?

I. Sanctissimi Patres præscripserunt & confirmaverunt, ut nullo modo se in conjugio reciperent viri, mulieres,

mulieres, ac viri, quicunque aliquâ ratione fuscepe-rint ex lavacro Sancto natos proprios, sed separarent se, ne suadente Diabolo tale vitium inolescat. CAUS. XXX. QUÆST. I. *Cap.* 1.

II. Si conjuges legitimi, unus aut ambo ex industriâ fecerint ut filium suum de fonte susciperent, si innupti permanere voluerint, bonum est; sin autem, gravis Pœnitentia insidiatori injungatur & simul maneant. CAUS. XXX. QUÆST. I. Cap. 5. *De eo. post med.*

III. Si conjuges de industriâ contraxerint cognationem, non eximuntur à reddendo sibi debito. Si non ex consensu utriusque conjugis factum esse probatur, ut mulier viri filium ex aliâ fœminâ genitum de Sacro fonte levaverit, non fraudentur invicem, sed revertantur in idipsum. *Ibid.* Cap. 3. *Nosse. fin.* Pertinet ad ingens uxoris exitium, quæ habens odio virum, vel infirmitatem ejus non considerans, quasi causa pietatis, operatur impietatem. *Ibidem.* CAUS. XXX. QUÆST. I. Cap. 3. *Nosse. med. Concil.* MOGUNTIACUM *ann.* 813. *Can.* 54. 55. 56. TOM. VII. CONC. *p.* 1252. *Conc.* MOGUNT. *ann.* 888. Cap. 18. TOM. IX. CONC. *p.* 408. *Conc.* CABILLON. II. *ann.* 813. *Can.* 31. TOM. VII. CONC. *p.* 1278.

IV. Si qua mulier filium suum desidiâ aut fraude aliquâ coram Episcopo tenuerit ad confirmandum, propter fallaciam suam, aut propter fraudem à viro suo non separetur. *Ibid.* Cap. 4. *Dictum est. fin.*

V. Qui filiastros suos ad confirmationem coram Episcopis tenent, id est qui filios uxoris suæ de viro priori, dùm chrismantur ab Episcopis, super se sustinent; si in scientia fiat, non est usque ad separationem conjugii ponendum. *Ibid.* Cap. 6. *De his.*

VI. Conjux qui non ex consensu alterius contraxit cognationem spiritualem, debet alteri debitum reddere. Ille tamen qui levat filium suum de Sacro fonte, perdit jus exigendi. *Glossa.* Verbo, *Non fraudentur.*

Propter fraudem in contrahendâ cognatione spirituali, non eximitur conjux à reddendo debito alteri. Neque etiam eximitur à reddendo alteri debito, si per inscientiam contrahat cognationem spiritualem, si genitor filium suum corpore morientem aspiciens, ne animam perpetuâ morte pereuntem dimitteret, in absentia Sacerdotum, necessitate cogente, Sacri undâ Baptismatis lavit, ut eum de potestate auctoris mortis & tenebrarum eriperet, & in Regnum CHRISTI jam regnaturum transmitteret, benè fecisse laudatur, & idcircò suæ uxori sibi jam legitimè sociatæ impunè, quandiù vixerit, manere debet conjunctus. *Ibid.* CAUS. XXX. QUÆST. I. Cap. 7. *Ad limina. fin. Ex Epistolâ* 188. JOANN. VIII. TOM. IX. CONC. *p.* 122.

VII. Qui cogente necessitate filium baptisaverit, reddere & exigere potest debitum. Si vir vel mulier, sive ex ignorantiâ, sive ex malitiâ, filium suum de Sacro fonte susceperint, non sunt ab invicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere; quod si ex ignorantiâ id factum est, eos ignorantia excusare videtur; si ex malitiâ, eis sua fraus non debet patrocinari, vel dolus. *De Cognatione spirituali.* Cap. *Si vir.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 11. Cap. 2. *Appendice Concil.* LATER. *Parte* 32. *Cap.* 2. Conjuges tenentur sibi reddere debitum, sive ex ignorantiâ, sive ex malitiâ contraxerint cognationem spiritualem.

Ex hac Decisione vulgò concludunt Theologi, & Juris Canonici Interpretes, utrumque conjugem amittere jus exigendi debiti, si contraxerint cognationem spiritualem ex certâ scientiâ aut etiam ex malitiâ; tùm quia ignorantia eos non excusaret, tùm quia alioquin fraus sua eis patrocinaretur. Id tenet disertè *Glossa* in Cap. 3. *Nosse.* CAUS. XXX. QUÆST. I. *Si uterque conjux levavit filium suum de Sacro fonte, neuter habet jus petendi debiti.*

OBSERVATIO

Circa impedimentum cognationis legalis.

Cùm in plerisque Galliæ partibus utamur Jure Consuetudinario, non Romano; mos ille adoptandi filios seu assumendi personas alienas in familiam suam, vix est in usu in hoc Regno, adeòque impedimentum, quod ex hujusmodi adoptione nascitur, vix occurrit. Quia tamen Ecclesia sequitur Romanas Leges, si quem aliquandò adoptari contingat, & quia cognatio spiritualis ad imitationem cognationis legalis introducta fuit, hinc sit

SECTIO UNICA.

An, & inter quas personas orietur impedimentum dirimens ex Cognatione legali, sive Adoptione civili?

I. Inter eos non contrahitur Matrimonium quos adoptio jungit. CAUS. XXX. QUÆST. III. Cap. 1. *Ita diligere.* §. 2. *Si ergò. init.* Inter adoptantem & adoptatum; inter uxorem adoptantis & adoptatum; & vicissim inter adoptantem & uxorem adoptati; & adoptantem, filios, ac nepotes adoptati; usque ad quartum gradum, sive inter ascendentes & descendentes, licet solvatur adoptio: inter ipsum adoptatum, & filios adoptantis, quamdiù sunt sub patris potestate. Ex LIB. XXIII. *Digest. Tit.* 2. *De Ritu Nuptiar.*

II. Adoptivus filius, si emancipetur, eam quæ Patris adoptivi uxor fuit, ducere non potest, quia novercæ locum habet. *Digest.* LIB. XXIII. *Tit.* 2. *Lege* 14.

III. Item si quis filium adoptaverit, uxorem ejusdem, quæ nurûs loco est, ne quidem post emancipationem filii, ducere poterit, quoniam aliquandò nurus ei fuit. *Ibid.*

IV. Nec inter eos qui adoptione filii sunt, venerandæ Romanæ Leges Matrimonia contrahi permittunt. *Ibid.* §. 1.

V. Si qua per adoptionem mihi soror esse cœperit, quandiù durat adoptio inter me & ipsam, nuptiæ consistere non possunt. *De Cognatione Legali.* Cap. unic. LIB. IV. DECR. *Tit.* 12. Cap. unic.

VI. Si per adoptionem quæsita fraternitas, eò usque impedit nuptias donec manet adoptio; ideòque eam quam pater meus adoptavit & emancipavit, potero uxorem ducere, æquè ac si me emancipato in potestatem illam retinuerit, poterimus jungi Matrimonio. *Digest.* LIB. XXIII. *De Ritu Nupt. Tit.* 2. *Lege* 17. & CAUS. XXX. QUÆST. III. Cap. 6. *Per adoptionem.*

CAPUT III.

De impedimento Criminis.

Duplex est hujusmodi impedimentum, scilicet, 1o. Adulterium cum promissione Matrimonii vel contractu illius. 2°. Uxoricidium, vel mariticidium, cum adulterio. *Concil.* MELD. *ann.* 845. Cap. 69. TOM. VII. CONCIL. *p.* 1840.

SECTIO I.

An, & quomodò contrahatur impedimentum dirimens Matrimonium, per Matrimonii promissionem vel Matrimonium contractum?

I. Promissio Matrimonii, vel Matrimonium de facto contractum cum adulterio, impediunt ac dirimunt Matrimonium cum illa cui fides data, vel cum quâ matrimonium contractum. *Cap.* 1. *&* 4. *De Eo qui duxit in &c.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 7.

II. Si quis, uxore vivente, fide data promisit aliam se ducturum, vel cum ipsâ de facto contraxit, est Matrimonium quod cum eâ contraxit post uxoris obitum, dirimendum, si priùs vel posteà dum vixerit uxor ipsius, illam Adulterio polluerit.

De

De eo qui dux't &c. Cap. *Si quis.* Lib. IV. Decr. *Tit* 7. Cap. 8. *Concilium* Metense *anni.* 888. *Can.* 11. Tom. IX. Conc. *p.* 415. *Concil.* Tribur. *ann.* 895. *Can.* 40. Tom. IX. Conc. *p.* 461. *Can.* 50. *p.* 464. *Concil.* Rothomag. *ann.* 1072. *Can.* 16. Tom. IX. Conc. *p.* 1228.

III. Qui alteriùs uxorem stupro violaverit, & insuper mœchæ, vivente viro, juramentum dederit, ut post legitimi mariti mortem, si supervixerit, ducat uxorem, tale connubium prohibetur & anathematisatur. Caus. XXXII. Quæst. I. Cap. 4. *Relatum est.* & laudatur. Lib. IV. Decr. *Tit.* 7. Cap. 5. *§. tale. De eo qui duxit.* Cap. *Cùm haberet.*

Promissio Matrimonii cum stupro impedit Matrimonium.

IV. Si vir uxorem habens sibi aliam hujusmodi insciam copulavit, primâ mortuâ non potest discedere à secundâ, & nisi mulier divortium petat, ad petitionem viri non sunt aliquatenus (*a*) separandi; quia præfata mulier erat inscia, quod ille aliam haberet uxorem viventem; nec dignum est ut prædictus vir qui scienter contra Canones venerat, luctum de suo dolo reportet. *Ibid. De eo qui duxit.* Cap. *Propositum est.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 7. *Cap.* 1.

(*a*) Matrimonium contractum cum eâ quæ non est conscia prioris Matrimonii, effectum habet soluto priore conjugio, non propter Matrimonium quod nullum fuit, cùm vir esset ligatus; sed propter culpam & dolum ipsius viri, undè sola mulier potest divortium petere. Vide *Glossam.*

V. Si quis ab uxore legitima recedens, alibi mulierem insciam quod aliam haberet uxorem, sibi solemniter copulavit; priore defunctâ potest in secundam de novo (*b*) matrimonialiter consentire, & eidem affectu adhærere conjugali. *De eo &c.* Cap. *Veniens.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 7. Cap. 7. *§. Licet.*

(*b*) Quia prior consensus vivente legitimâ nullus fuit, & ideò debet de novo consentire in illam. *Glossâ.*

VI Qui vivente uxore legitimâ contrahit cum adulterâ, primâ mortuâ separabitur à secundâ, etiam post longam cohabitationem & plures filios susceptos, idque quia secunda criminis conscia erat. Si quis vivente legitimâ uxore, cum adulterâ Matrimonium contrahere, & ipsi diu cohabitare præsumpsit; etiamsi cum eâ per decennium fit moratus, & de eâ decem filios procreaverit, separentur omninò, & eis injunctâ Pœnitentiâ, perpetua continentia indicatur. *Ibid.* Cap. *Cùm haberet.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 7. *Cap.* 5. Hujusmodi crimen tunc erat impedimentum prohibens.

Nec aliquid eisdem adminiculum afferunt ut maneant, quod decennio cohabitaverunt ad invicem, ac decem filios susceperunt; cùm multiplicitas prolis ita susceptæ magis eorum crimen exaggeret, & diuturnitas temporis peccatum non minuat, sed augmentet. *Ibid. fin.*

VII. Si quis sponte in primam uxorem consenserit, nec tamen ipsam carnaliter cognoverit, ne ad secundam, quam posteà in uxorem accepit, revertatur, sub interminatione Anathematis inhibendum est. *Ibid.* Cap. *Significavit. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 7. *Cap.* 2. Vivente primâ uxore etiam non cognitâ, qui contrahit cum secundâ adulterâ, eam priore mortuâ habere non potest.

VIII. Qui uxore vivente etiam separatâ quoad thorum, contrahit cum aliâ; primâ mortuâ separatur à secundâ.

IX. Si vir uxorem suam in adulterio deprehensam abjecit, quæ postmodùm accepit habitum Monachalem, & ipse antequàm illa decederet, aliam superinduxit, & plures suscepit filios ex eâdem, debent ab invicem separari. *Ibidem. De eo qui duxit.* Cap. *Ex Litterarum.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 7. *Cap.* 4.

SECTIO II.

An, & quomodò contrahatur impedimentum dirimens, si conjux alterius mortem machinetur?

I. De infidelibus qui, dùm in captivitate essent, quarumdam Christianarum viros earum insidiis, & machinationibus (*a*) occiderunt; si in mortem ipsorum malitiosè fuerint uxores illæ machinatæ, licet earum studio isti infideles ad fidem (*b*) accesserint; tamen nec eis adhærere debent, nec sunt, si adhæsetint (*c*) etiam tolerandi; cùm tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non velit. *De Conversione infidel.* Cap. *Laudabilem.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 33. *Cap.* 1.

Mulier non potest contrahere cum illo qui virum suum interfecit, si mortem ejus fuerit machinata. *Glossa.*

(*a*) Sola machinatio mortis sine adulterio impedit ut sit hujusmodi impedimentum; debet sequi mors, sive esse machinatio mortis cum effectu.

(*b*) Baptismus ipse non tollit hujusmodi impedimentum.

(*c*) Non possunt de jure accipere eas in uxores, quæ machinatæ sunt mortem, & si duxerint, Conjugium non tenet.

Quod si in nota marginali dicitur quod sola machinatio mortis cum effectu impedit Matrimonium, observandum tamen est ex hoc Textu contrarium insinuari: In eo enim Coelestinus III. citat, pro fundamento suæ Decisionis, *Concil.* Triburiense, quod præter machinationem illam exigit, ut adulterium præcesserit; hic autem Can. habetur pro Regula, nedùm à Coelestino III. sed etiam ab Alexandro III. qui Cap. 3. *De eo qui duxit,* duo requirit ad impedimentum criminis, nempe adulterium cum fide datâ vel cum machinatione.

II. Si infideles in bello sunt Christianos interfecisse notati, & Christiani similiter infideles, posteà verò uxores eorum quos in belli certamine occiderunt, sibi matrimonialiter utrique copularunt; cùm tales non (*d*) procuraverint virorum interitum defunctorum, Matrimonium inter hujusmodi personas licitè potest contrahi, & taliter copulati nequeunt divortium postulare. *Ibid.* §. *Ad hoc.* (*d*) Ad hoc ut Matrimonium impediatur duo exiguntur, scilicet effectus cum opere subsecuto. *Glossa,* verbo, *procuraverint.*

III. Si Adultera (*e*) est in mortem uxoris aliquid machinata, sive fidem vir dederit sive non, quod eâ defunctâ hanc esset ducturus; secundùm Canones ab ejus consortio prohibetur, & hæc prohibitio perpetuò est servanda. *De eo qui duxit &c.* Cap. *Super hoc. med.* Lib. IV. Decr *Tit.* 7. Cap. 3. *Append. Concil.* Lateran. III. *Parte* 6. *Cap.* 16. (*e*) Ad impediendum Matrimonium sufficit quod sola adultera, necem uxoris viri quem ducturam se sperat, sit machinata.

IV. Si quis uxore relictâ meretrici adhæsit, quam post uxoris mortem desponsavit, & alter eorum in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus, legitimum non debet judicari Matrimonium. *Ibid.* Cap. *Significasti.* §. 2. *Nos igitur. init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 7. *Cap.* 6.

V. Si vir, vivente uxore, aliquâ abusus fuerit, & hæc in mortem istius uxoris fuerit machinata, inter se legitimum Matrimonium contrahere non possunt. *Qui Filii sint legitimi.* Cap. *Meminimus.* In Collectione Gonzalis Lib. IV. Decr. *Tit.* 17. Cap. *Si. fin.*

Dirimitur Matrimonium, si alteruter necem prioris Conjugis sit machinatus. Intellige de eo vel eâ quæ machinata est in mortem alterius cum effectu. *Glossa in* Cap. 8. Si quis vivente. *De eo qui duxit.* verbo, *cognovit. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 7. *Cap.* 8.

SECTIO III.

Adulterium solum, præterquàm in prædictis casibus, non impedire Matrimonium, nec dirimere contractum.

I. Mortuo viro, cum qno verum connubium fuit, fieri potest conjugium cum quo præcessit adulterium. CAUS. XXXI. QUÆST. I. *Cap.* 2. *Denique.*

II. Posse fieri nuptias ex personis malè conjunctis, honesto placito posteà consequente, manifestum est. *Ibid.* CAUS. XXXI. QUÆST. I. *Cap.* 2. *Denique. §. posse.*

III. Si quis, uxore vivente, fide data promisit aliam se ducturum, vel cum ipsa de facto contraxit; si nec antè, nec post, legitima ejus superstite (*a*) cognovit eandem; quamvis utrique ipsorum, pro eo quod in hoc graviter deliquerint, sit Pœnitentia injungenda, non est tamen Matrimonium quod cum ea contraxit post uxoris obitum dirimendum. *De ea qui duxit.* Cap. *Si quis vivente. init.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 7. Cap. 8. (*a*) Sola fides data, vel tantùm de facto, contrahere non impedit Matrimonium uxore defunctâ, nisi ad carnalem copulam sit processnms voluntas, sive factum, nisi fuerit subsecutus effectus, non nocet. *Ibid. Glossa.* Non obfuit conatus ubi injuria non habuit effectum. *Ibid. Glossa.*

IV. Si quis vivente marito conjugem illins adulterasse accusatur, & eo defuncto eamdem sumpsisse dignoscitnr, servabitur Regula, (*a*) nisi fortè vir aut mulier virum qui mortuus fuerat (*b*) occidisse notetur, aut propinquitas vel alia actio criminalis impediat. CAUS. XXXI. QUÆST. I. *Cap.* 5. *Si quis vivente.*

(*a*) Contrabendi scilicet Matrimonium, ut contrahatur cum illa. *Glossa.* verbo, *Regula.* (*b*) Nota quod dicit *occidisse*; unde nisi machinatus fuerit cum effectu, non impeditur; putà si voluerit dare venenum & non dederit; sed nec impeditur qui mortem viri ratam habet, dùm tamen non præceperit. *Glossa,* verbo *occidisse.* Vide *Concilium apud* VERMERIAa *ann.* 752. *Cap.* 5. TOM. VI. CONC. *p.* 1657. CAUS. XXXI. QUÆST. I. *Cap. Si qua mulier.*

V. Si quis, cùm uxor ipsius esset viam universæ carnis ingressa, meretricem, cui vivente uxore adhæserat, desponsavit; nisi alter eorum in mortem uxoris defunctæ fuerit macbinatus, vel ea vivente sibi fidem dederit de Matrimonio contrahendo, legitimum judicari debet Matrimonium suprà dictum. *De eo qui duxit.* Cap. *Significasti.* §. 2. & 3. LIB. IV. DECR. *Tit.* 7. Cap. 6.

VI. Licet in Canonibus habeatur, ut nullus copulet Matrimonio quam polluerat adulterio; illam intelligitur cui fidem dederat uxore sua vivente, vel quæ machinata est in mortem uxoris. *De eo qui duxit.* Cap. *Propositum est.* §. 1. *Licet.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 7. Cap. 1.

VII. Qui vivente uxore legitima, alibi mulierem insciam quod aliam haberet uxorem, sibi solemniter copulavit; uxore defuncta, utpote à Lege ipsius solutus, in eamdem mulierem de novo potest matrimonialiter consentire, dummodò non præstiterit fidem adulteræ, vel machinatus fuerit in mortem uxoris. *De eo qui duxit.* Cap. *Veniens.* §. *Licet.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 7. Cap. 7.

VIII. Ex dictis circa impedimentum criminis, sequitur quod locum non habet, 1. Si solum adfuerit adulterium: 2o. Si sola fides data: 3o. Si solum Matrimonium: 4o. Si sola machinatio: Sed requiritur ut adulterium junctum sit cum Fide data, vel cum Matrimonio, vel cum machinatione. Videsis *Consultationes* 24. 25. 26. TOM. II. *De Matrim. Consultationum Canonicarum de Sacramentis,* TOM. XII. ubi quæ dubia esse videntur circa idem impedimentum, juxta Canones elucidantur & resolvuntur.

CAPUT IV.

De Impedimento Impotentiæ.

SECTIO I.

Traduntur Regulæ Generales, cùm constat de hujusmodi Impedimento.

I. Impotentes dicuntur qui opus Matrimonii consummare, & carnaliter commisceri non possunt. Ut conjugio copulati, & divortium postulantes propter impossibilitatem coëundi, judicio probent se nec posse illud opus conjugii efficere, nec se faciente aliquo modo ad hanc impossibilitatem pervenisse. *Concil.* ROTHOMAG. *ann.* 1074. Cap. 7. TOM. X. CONC. *p.* 312. Vide *Appendicem Concil.* LATER. *Parte.* 50. Cap. 28. ideòque impedimentum sit subsequens.

II. Separandi conjuges, ubi est impedimentum perpetuum ex parte viri.

Si vir ita est frigidæ naturæ, ut non possit coire cum illa quæ uxor sua esse debuit, nec cum aliquâ aliâ, separetur, nec post aliam accipiat. *De Frigidis.* Cap. *Accepisti.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 15. Cap. 1. Quod si ambo consentiant simul esse, vir eam, etsi non uxorem, saltem habeat ut sororem. *Ibid. De Frigidis.* Cap. *Laudabilem.* §. *nos verò. fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 15. Cap. 75.

Qui impotentes (*a*) sunt, minimè apti ad contrahenda Matrimonia reputantur. *De Frigidis.* Cap. *Quod Sedem. fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 15. Cap. 2. (*a*) Quas tanquam uxores habere non possunt, habeant ut sorores.

III. Separandi etiam sunt conjuges, si impedimentum sit perpetuum ex parte mulieris.

Si mulier vitium illud à natura contraxit, ut omninò viro sit inutilis, & vir ei commisceri non possit, nec ope Medicorum possit adjuvari, viro aliam accipiendi mulierem libera facultas tribui debet. *Ibid.* Cap. *Ex Literis. fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 15. Cap. 3.

IV. Impedimentum illud non est perpetuum, quod præter Divinum miraculum, per opus humanum absque corporali periculo potest removeri. *Ibid.* Cap. *Fraternitatis. med.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 15. Cap. 6. Impedimentum temporale quod naturaliter absque corporis periculo tolli potest.

V. Quæ adeò arcta est ut nulli possit carnaliter commisceri, nisi per incisionem, aut alio sibi modo violentia inferatur, non solummodò levis, (*a*) sed fortè tàm gravis ut ex ea mortis periculum timeatur, ad Matrimonium contrahendum non debet idonea reputari. *Ibid.* §. 1. *per hæc.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 15. Cap. 6. cum *Glossa.* (*a*) Hinc vulgò colligunt mulierem teneri subire levem incisionem, ut reddatur apta viro.

VI. Si mulier illa quæ viro cui nupserat adeò arcta est ut nunquàm ab eo valeat (*b*) deflorari; si ab eo sit per judicium Ecclesiæ separata, & nubat alteri cui arcta non sit, & per frequentem usum secundi reddatur etiam apta primo; ad eum redire non debet cum quo priùs fœdus inierat conjugale. *Ibid.* §. *ult similiter.* juncta *Glossa.* Præsumitur illa impotentia relativa dirimens Matrimonium cum primo.

(*b*) Nisi per incisionem & gravem violentiam, ex quâ mortis periculum timeatur, juxta distinctionem præmissam Decisione superiore.

VII. Impedimentum absolutum Matrimonium dirimit.

VIII. Impedimentum respectivum etiam dirimit Matrimonium respectu viri cum quo initum est, quandò nimia difficultas est ad illud tollendum, vel ob illius debilitatem, vel ob disproportionem instrumentorum.

SECTIO II.

Omnino interdictum, ne Eunuchi & Spadones Matrimonia contrahant, & si qua contraxerint esse irrita, ac prorsùs separari debere à mulieribus.

I. Cùm Eunuchi quidam, & spadones qui utroque teste carent,

carent, & ideò certum & manifestum est eos verum semen emittere non posse, quia impura carnis tentigine atque immundis complexibus cum mulieribus se commiscent, & humorem forsan quemdam similem femini, licet ad generationem & ad Matrimonii causam minimè aptum effundunt, Matrimonia cum mulieribus, præsertim hunc ipsum eorum defectum scientibus, contrahere præsumant, idque sibi licere pertinacitet contendant, sic de hujusmodi connubiis est statuendum. *Bulla* Sixti V. 59. *Cùm frequenter. ann.* 1587. *Bullarii.* Tom. II. *p.* 587.

II. Secundùm Canonicas Sanctiones, & naturæ rationem, qui frigidæ naturæ sunt, & impotentes, iidem minimè apti ad contrahenda Matrimonia reputantur. *Ibid.* §. 1.

III. Cùm prædicti Eunuchi aut Spadones, quas tanquàm uxores habere non possunt, easdem habere ut sorores nolint, quia experientia docet tàm ipsos, dùm se potentes ad coeundum jactitant, quàm mulieres quæ eis nubunt, non ut castè vivant, sed ut carnaliter invicem conjungantur, prava & libidinosa intentione, sub prætextu & in figura Matrimonii, turpes hujusmodi commixtiones affectare; quæ cum peccati & scandali occasionem præbeant, & in animarum damnationem tendant, sunt ab Ecclesia Dei prorsùs exterminandæ; insuper ex Spadonum hujusmodi & Eunuchorum conjugiis nulla utilitas provenit, sed potiùs tentationum illecebræ, & incentiva libidinis oriuntur. *Ibid.*

IV. Conjugia per quoscunque Eunuchos & Spadones utroque teste carentes, cum quibusvis mulieribus, defectum prædictum sive ignorantibus sive etiam scientibus, contrahi prohibitum est; iique ad Matrimonia quomodocumque contrahenda inhabiles declarantur. *Ibid.*

V. Locorum Ordinariis, ne hujusmodi conjunctiones de cætero fieri quoquomodo permittant, interdictum est. *Ibid.*

Eos qui sic de facto Matrimonium contraxerint separari oportet; & Matrimonia ipsa sic de facto contracta nulla, irrita, & invalida esse decerni debet. *Ibid.*

VI. Eos etiam qui sic jam contraxerunt, si appareat illos, non ut castè vivant contraxisse, sed actibus carnalibus & libidinosis operam dare; simulve in uno & eodem lecto eum prædictis mulieribus dormire convineantur, omninò similiter separari curandum est. *Ibid.* §. 2.

VII. Ita in præmissis, & non aliter, per quoscumque Judices & Commissarios, quacumque autoritate & dignitate fungentes, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, in quacumque causa & instantia judicari & definiri debere; & si secùs super his, à quoquam quavis autoritate scienter vel ignoranter, attentatum forsan est hactenùs, vel attentari in posterum contigerit, irritum & inane decretum est. *Ibid.* §. 3.

Hæc Bulla non est publicata in Gallia, nec usu recepta, nec necessaria, quia hujusmodi Eunuchi inter absolutè impotentes collocari solent.

Circa hujusmodi Quæstionem, nempè an à *Parocho admittendus sit ad conjugium vir, quem certò scit esse impotentem, cùm mulier hujus impedimenti conscia consentit illum habere ut conjugem.* Vide *Consultat.* 29. Tom. II. *De Matrimon. Consult. Canon. de Sacram.* Tom. XII. ubi ex professo examinatur quid in illo casu agere debeat.

SECTIO III.

Quid judicandum sit in foro externo, si constet Matrimonium contractum esse cum impotentia?

I. Vir & mulier si se conjunxerint, & posteà dixerit mulier de viro, quod non possit coire cum ea; si potest probare per justum judicium, quod verum sit, accipiat alium. Caus. XXXIII. Quæst. I. Cap. 1. *Quod autem. fin.*

II. Si mulier statim in ipsa novitate Matrimonii post mensem aut duos proclamaverit, dicens, volo esse mater, volo filios procreare, & ideò maritum accepi, sed vir quem accepi frigidæ naturæ est, & non potest illa facere propter quæ illum accepi: Si probari potest per rectum judicium, separari possunt, & illa, si vult, nubat in Domino. *De Frigidis.* Cap. *Accepisti. §. Illa. med.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 15. Cap. 1.

III. Si vir accepit mulierem, & per aliquod tempus habuit, per mensem aut per tres, aut per annum; & nunc primùm dicit se esse frigidæ naturæ, ita ut non possit coire cum illa, nec cum aliqua aliâ: Si illa quæ uxor esse debuit, eadem affirmat quæ vir dicit, & probari potest per verum judicium ita esse ut dicunt, separari possunt. *Ibid.* Cap. *Accepisti. init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 15. Cap. 1.

IV. Licet incredibile videatur quod aliquis cum fœmina clausa & impotente maribus commisceri, contrahat Matrimonium; si tamen contraxerit, debet rescindi Matrimonium, nisi ambo simul esse consentiant; quo in casu Romana Ecclesia consuevit judicare, ut quas tanquàm uxores habere non possunt, habeant ut sorores. *De Frigidis.* Cap. *Consultationi,* Lib. IV. Decr. *Tit.* 15. *Cap.* 4. Hæc Decisio locum habet, sive noverit vir, sive ignoraverit defectum mulieris, modò consentiat habitare eum illa, secluso tamen periculo peccati.

SECTIO IV.

Quid decernere debeat Judex, quandò dubium occurrit de impotentia?

I. De talibus non est facilè judicandum, cùm finale judicium pendeat ex futuro. *De Frigidis.* Cap. *Si Fraternitatis.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 15. Cap. 6. *fin.* Præsumptio pro viro, ejus affirmatio.

II. Si quis accepit uxorem, & habuit eam aliquo tempore, & ipsa fœmina dicit quod nunquàm coisset eum ea; & ille vir dicat, quod sic fecit, in veritate viri consistat, quia vir caput est mulieris. Caus. XXXIII. Quæst. I. Cap. 3. *Si quis.*

III. Si mulier post annum aut dimidium proclamaverit dicens quod vir non cognoverit eam; vir autem contrarium affirmat; illi credendum est, eo quod caput sit mulieris, quia si proclamare voluerit cur tamdiù tacuit; citò enim & in parvo tempore scire potuit si secum coire potuerit. *De Frigidis.* Cap. *Accepisti. §. Illa. init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 15. *Cap.* 1. Item mora mulieris in proclamando contrà Matrimonium.

IV. Si mulier proponat se nec à viro cognitam, nec potuisse cognosci, quod tàm proprio juramento, quàm testimonio septem mulierum probet, quæ per aspectum corporis eam esse virginem asseverant, viro per Juramentum suum contrarium asserente; videtur quod Juramento puellæ, & testimonio illarum septem mulierum fides est potiùs adhibenda. *De Probationibus.* Cap. *Proposuisti.* Lib. II. Decr. *Tit.* 19. *Cap.* 4. Hic Canon restringendus est ad casum manifestæ impotentiæ, vel, si ad casum dubiæ extendatur, ad loca limitandus ubi nondùm recepta erat Lex Justiniani, quæ primò dedit biennium ad experiendum, deindè triennium, quod postremum à Jure Canonico receptum. *Cap.* 5. *De Frigid.* super quo Vide Cujacium & Gonzalez.

V. Si impedimentum se tenet ex parte mulieris, Matronis providis & honestis districtè injungendum est sub periculo animarum, ut mulierem ipsam prudenter inspiciant, & perquirant diligenter utrum idonea sit ad viriles amplexus. *De Frigidis.* Cap. *Fraternitatis. post. init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 15. *Cap.* 6. Injungi debet inspectio mulierum. Idem intelligendum de viris, inspiciendos eos esse per Medicos.

VI. Asserentibus in fide suâ Matronis quod mulier nunquàm potest esse mater aut conjux; inter ipsam & virum divortium celebrari debet, & viro licentia tribui ut uxorem ducat, cùm pater fieri cupit. *Ibidem.* Cap. *Fraternitatis*, Lib. IV. Decr. *Tit.* 15. Cap. 6.

VII. Si mulier proponit quod cum pluribus annis elapsis viro fuerit matrimonialiter copulata, & cohabitaverit eidem, adhuc integra permanet, eo quod vir ejus non habet potentiam coëundi; ne id confiteatur in fraudem, à Matronis bonæ opinionis, fide dignis, ac expertis in opere nuptiali, dictam mulierem Judex faciat inspici. *Ibid.* Cap. *Litteræ.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 15. Cap. 7.

VIII. Si Matronæ perhibeant testimonium, mulierem adhuc virginem permanere; & constiterit præfatum virum & mulierem per continuum triennium insimul habitasse; ipsis firmantibus juramento se commisceri carnaliter nequivisse; licet vir afferat se habere potentiam cognoscendi alias mulieres, profecto debet sententia divortii inter eos. *Ibid.* §. *Quocirca.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 15. Cap 7.

IX. Indulgendum est naturaliter frigidis ad experientiam copulæ nuptialis, ut à tempore celebrati conjugii (si frigiditas priùs probari non possit) cohabitent per triennium. *De Frigidis.* Cap. *Laudabilem.* §. *Nos verò. init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 15. *Cap.* 5. Ad experientiam impotentiæ datur triennium à tempore celebrati conjugii, seu potiùs tentatæ copulæ, quod præsumitur factum ipso die celebrationis Matrimonii.

X. Elapso triennio, si nec tunc cohabitare voluerint, & juxtà Decretum Gregorii, mulier per justum judicium de viro probare potuerit quod cum eâ coire non possit, accipiat alium. *De Frigidis.* Cap. *Laudabilem.* §. *Nos verò.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 15. Cap. 5.

XI. Si autem quod nunquàm se invicem cognoverint ambo fateantur; tactis Sacrosanctis Evangeliis uterque jurejurando dicat quod nunquàm per carnis copulam una caro effecti fuerint; & tune videtur quod mulier valeat ad secundas nuptias convolare. *Ibid.* §. *Si autem.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 15. Cap. 5. Nunc non statur juramento Partium, quod suspectum esse potest, sed aliæ probationes exiguntur; nempè Inspectio Expertorum, sive Matronarum, sive Medicorum vel Chirurgorum ad id deputatorum, eorumque judicium, saltem apud Gallos. Ex collectis Textibus patet secundum, tertium, & quartum, abrogatos à posterioribus, nullamque in hoc prærogativam viri suprà mulierem.

SECTIO V.

An, & quandò possint conjuges, probato impotentia impedimento, nubere, vel non nubere?

I. Vir qui frigidæ naturæ est maneat sine conjuge. Caus. XXXIII. Quæst. I. Cap. 2. *Requisisti. fin.* Si ille aliam acceperit, separentur. *De Frigidis.* Cap. *Laudabilem.* §. *Nos verò. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 15. Cap. 5.

II. Si mulier non sit idonea ad viriles amplexus, nec unquàm possit esse mater aut conjux, induci debet ut ad Religionem aliquam se transferat, perpetuam continentiam servatura. *De Frigidis.* Cap. *Fraternitatis.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 15. Cap. 6.

III. Tum inter mulierem & virum divortium celebrari debet, & viro licentia tribui ut uxorem ducat. *Ibid.*

Mulier, nisi à viro impotente sit per judicium Ecclesiæ separata, non nubat alteri. *Ibid.* §. *Similiter.* Quod de muliere dicitur, ad virum producendum; in hoc pares sunt.

SECTIO VI.

Quid faciendum sit, cùm ex postfacto deprehenditur impedimentum non fuisse perpetuum, & sententiam divortii prolatam ob hujusmodi impedimentum stare non posse?

I. Si vir affirmavit se non posse coïre cum uxore, nec cum aliquâ aliâ, & post aliam acceperit, reus perjurii dijudicatur, & post peractam Pœnitentiam prima connubia reparare debet. *De Frigidis.* Cap. *Accepisti.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 15. *Cap.* 1. Separatio ex solâ confessione viri, etiam jurata, plena periculi erat, ideòque abolita.

II. Si vir & uxor jurejurando dixerint, quod nunquàm per carnis copulam una caro effecti fuerint, vir autem aliam duxerit, rei perjurii teneantur, & peractâ Pœnitentia cogantur ad connubia priora redire. *De Frigidis.* Cap. *Laudabilem.* §. *Si autem. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 15. Cap. 5.

III. Vir qui frigidæ naturæ est, & fuit à conjuge separatus, si aliam copulam acceperit, priora cogatur recipere connubia. Caus. XXXIII. Quæst. I. Cap. 2. *Requisisti. fin.* Restringenda est hæc Decisio ad casum separationis ob impotentiam absolutam. Cùm ex post facto patet quod mulier cognoscibilis erat illi cujus simili commisceetur; judicandum est sententiam divortii per errorem, licet probabilem, esse prolatam. *De Frigidis.* Cap. *Fraternitatis. med.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 15. Cap. 6.

IV. Ideò dici debet inter mulierem & primum virum Matrimonium extitisse, non esse verò Matrimonium inter eam & secundum virum, eosque ab invicem debere separari. *Ibid.* Quandò conjuges separati sunt ob impotentiam respectivam, ex successu secundi Matrimonii, non judicantur fuisse sibi invicem apti, ideòque non cogendi ut ad priora conjugia redeant.

V. Perspicaciter verò attendere debet Judex, qualiter impedimentum sublatum fuerit, utrum videlicet artificio Medici, an concubitu viri, seu alio quolibet modo. *Ibid.* Cùm impedimentum naturaliter sublatum esse intelligitur, secundâ uxore dimissâ, debet vir ad illam redire cum qua primò contraxit. *Ibid.*

VI. Nisi se voto solemni mulier illa constrinxerit ad continentiam observandam; ut intelligatur per hoc cum secundo viro fornicatam fuisse. *Ibid.*

VII. Vel nisi se fornicario modo secundo viro miscuerit, ut primus vir prætextu fornicationis ejus velit consortium declinare. *Ibid.*

VIII. Nam si tantùm simplici verbo promisit se continentiam servaturam, & posteà in conspectu Ecclesiæ nupsit secundo viro, quamdiù articulus iste impotentiæ dubitabilis erat, præsumi non debet, quod fornicaretur cum illo. *Ibid. fin.*

Sed amodò cognito quod mulier apta fuerit primo viro, non debet cum secundo aliquatenùs remanere. *Ibid. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 15. *Cap.* 6. Non intelligas quod tunc primò incipiat esse Matrimonium cum primo, eùm incipiat apta esse sibi, sed tunc primò declaratur fuisse Matrimonium. *Gloss.* verbo finali.

Hodiernus circa impotentes procedendi modus multò tutior, ideòque rara est reformatio huic innixorum judiciorum, si exactè servetur; hic autem fusè expositus est in historia impedimenti impotentiæ, *Tom. I.* Traditionis Ecclesiæ circa Sacramentum Matrimonii.

SECTIO VII.

Quid observandum sit, cùm impotentia provenit ex maleficio?

I. Si per sortiarias atque maleficas, occulto, sed nunquàm injusto, Dei judicio permittente, & Diabolo præparante, concubitus non sequitur, hortandi sunt quibus ista eveniunt, ut corde contrito & spiritu humiliato

miliato Deo & Sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, & profusis lachrimis, & largioribus eleemosinis, & orationibus atque jejuniis Domino satisfaciant; & per Exorcismos ac cætera Ecclesiasticæ Medicinæ munia, Ministri Ecclesiæ tales sanare procurent. Caus. XXXIII. Quæst. I. *Cap.* 4. *Si per fortiarias. Ex* Hincmaro *in Epistolâ nomine Concilii* Tullensis I. *anni.* 860. Tom. VIII. Conc. *p.* 732.

II Injuncto eisdem ut agant Pœnitentiam de commissis, ut, si fortè placeat Deo, opus Matrimonii consumment, si constiterit eos per continuum triennium insimul habitasse; ipsis firmantibus juramento se commisceri carnaliter nequivisse, proferri debet sententia divortii inter eos. *De Frigidis.* Cap *Litteræ. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 15. *Cap.* 7.

III. Sed postquàm alias nuptias expetierint, illis in carne viventibus, quibus juncti fuerant; prioribus quos reliquerant, etiamsi possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt. Caus. XXXIII. Quæst. I. Cap. 4. *Si per fortiarias.fin.* Cujus ratio est quod hæc impotentia purè respectiva. Primum hic habes Textum qui de impotentia respectivâ loquatur. Excommunicationis feriantur mucrone qui sortilegia, veneficia, aut incantationes in Matrimonia contrahentes, aut Benedictionem nuptialem suscipientes exercent. *Conventus* Melodun. *Tit.* 15.*De Matrimonio. fin.*

IV. Nemo caracteribus aut ritibus ullis illicitis & à Jure prohibitis, sed precibus & usu Sacramentorum Ecclesiæ,contra hujusmodi impietates utatur. *Ibid.*

Sunt qui prætendant quod impotentia per maleficia sit semper impedimentum subsequens, aut quod saltem incertum sit, an præcedat, an subsequatur, ideòque habenda sit ut subsequens, quia in dubiis tutior pars sit sequenda. Hanc difficultatem discussam habes in *Consult* 27. Tom. II. *De Matrim. Consult. Canon. de Sacramentis* Tom. XII. Ubi per Canones hic citatos pluresque alios, probatur quod si post immediatam Matrimonii celebrationem Partes experiantur se impotentes, cùm aliundè benè conformatæ sint, indicium certum sit, quod illa impotentia non subsequatur, sed aut præcedat aut comitetur.

SECTIO VIII.

Impotentiam Matrimonio jam legitimè contracto supervenientem illud non dirimere.

I. Hi qui Matrimonium sani contraxerint, & à Barbaris exsecti fuerint, conjugia talium solvi non possunt. Caus. XXXII. Quæst. VII. Cap. 25. *Hi qui. fin.*

II. Si alter conjugum incidatur, debet alter jure suo sine culpâ privari. *De divortiis.* Cap. *Quanto.* §. 2. *si verò. fin.*

Caput V.

De impedimento quod oritur ex dissimilitudine Religionis, sive, ut vocant. ex Disparitate cultus.

SECTIO I.

Non licere fidelibus Matrimonium contrahere cum infidelibus aut Hæreticis.

I. Sicut fidelium probitas magno debet donationis præmio munerari, ita infidelium pravitas fortissimo congruit judicantium mucrone percelli. *Conc.* Tolet.XVII.*ann.*694. Cap. 18. Tom. VI. Conc.*p.*1369. Vide *Can.* 14. *Conc.*Calched. Tom.IV.Conc.*p.* 761.

II. De conjugiis quæ sibi primitùs copulantur, ne nubat fœmina,non suæ Religionis viro, vel ne vir talem ducat uxorem, id jubet Dominus, docet Apostolus, utrumque præcipit Testamentum. Caus. XXVIII. Quæst. I. Cap. 9. *Sic enim.* §. 4. *Tu verò. med.*

III. Ubi agitur de conjungendis, pertinet ad illam Domini jussionem, Doctrinamque Apostolicam, & præceptum Veteris & Novi Testamenti, quo prohibetur Fidelis cum infideli conjugium copulare. *Ibid.*

IV. Dominus prohibet Fideles Infidelibus jungi. *Ibid fin.* Placuit ut nullus Christianus Judæam, neque Judæus Christianam in Matrimonio ducat uxorem; quia inter hujusmodi personas illicitas nuptias esse censemus. *Concil* Aurel. II. *ann.* 533. *Can.* 19. Tom. IV. Conc. *p.* 1782. *Concil.* Arvern. *ann.* 535. *Can.*6. Tom. IV. Conc. *p.* 1804. *Concil.* Quinisextum *ann.* 692. *Can.* 72. Tom. VI. Conc. *p.* 1173. Decernit irritas illas nuptias.

V. Cave, Christiane, Gentili, aut Judæo filiam tuam tradere; cave Gentilem, aut Judæam, atque alienigenam, hoc est, Hæreticam, & omnem alienam à fide tua uxorem accersas tibi; prima Conjugii fides castitatis gratia est. *Ibid.* Caus. XXVIII. Quæst. I. Cap. 15. *Cave.*

VI. Non oportet cum hominibus Hæreticis miscere connubia. *Ibid.* Cap. *Non oportet.* Caus. XXVIII. Quæst. I. *Cap.* 16.

VII. Christiani & Catholici inter se, & non cum Hæreticis aut profanis, Matrimonia contrahant; valdè impium sanè est Fideles jugum ducere cum infidelibus,ut piè & sanctè uxorem admonebat Tertullianus. *Conventus* Melodun. *Tit.*15. *De Matrim.* Articulo 3.

SECTIO II.

Matrimonio inter infideles inito, si alter eorum ad fidem convertatur, posse simul manere.

I. Crimina in Baptismo solvuntur, non Conjugia. Caus. XXVIII. Quæst.II.Cap.1. *Si quis habuerit. fin.*

II Per Sacramentum Baptismi non solvuntur Conjugia, sed crimina dimittuntur. *De Divortiis.* Cap. *Gaudemus.* §. *fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 19. *Cap.* 8.

III. Recedere ab infidelibus uxoribus vel maritis, fideles viri vel fœminæ non prohibentur à Domino, neque jubentur; nam si dimittere tales Conjuges juberentur, nullus locus esset consilio monentis Apostoli, ne hoc fieret. Caus. XXVIII. Quæst. I. Cap. 9. *Sic enim. init.* I. Cor. VII.

IV. Ideò nec juberi debuerunt Fideles ab Infidelibus separari, quia non contra jussionem Dei, Gentiles fuerunt ambo conjuncti. *Ibidem.* §. 1. *Cùm ergò. fin.*

V. Quoniam ab infideli fidelem discedere nec prohibet, nec jubet Dominus, ideò ut non discedat Apostolus dicit, non Dominus, habens utique spiritum Sanctum in quo dare possit utile & fidele consilium. *Ibid.* §. 2. *quoniam. init.* Caus. XXVIII. Quæst. I. *Cap.* 9.

VI. Monet Apostolus quod possit esse multorum occasio lucrandorum,ut Fideles Conjuges,in relinquendis Infidelibus permissâ licentiâ non utantur. Caus. XXVIII. Quæst. II. Cap. 2. *Concilium* Aurelianense III. *ann.* 538. *Can.* 13. Tom. V. Conc. *p.* 299.

VII. Sacramentum Conjugii apud Fideles & Infideles existit, quemadmodum ostendit Apostolus dicens; *Si quis frater infidelem habet uxorem, & hæc consentit habitare cum eo, non illam dimittat.* De Divortiis. *Cap.* Gaudemus, *init,* Lib. IV. Decr. *Tit.* 19. *Cap.* 8.

Observatio.

Nonnulli putant facultatem illam manendi cum Conjuge Infideli, sublatam fuisse per *Concilium* Toletanum IV. *anni.*633. Cujus *Canon.* 61. refertur Caus. XXVIII. Quæst. I. Cap. 10. *Judæi.* sed non constat usu receptum fuisse in Universâ Ecclesiâ hunc Canonem, & aliundè Innocentius III. cujus

cujus est Decisio quinta ex *Cap. Gaudemus.* quod continetur in *Epistola* TIBERIADENSI *Episcopo* scripta circiter annum 1212. novissimum Jus illud esse aut supponit, aut stabilit, ut possit conjux infidelis conversus manere cum conjuge in infidelitate perseverante, ut patebit clariùs ex sequente Sectione. Hæc difficultas discutitur in Historia hujus impedimenti TOM. II. *Tradit. Ecclesiæ circa Sacramentum Matrimonii.*

Discessionem Fidelis conjugis ab infideli non prohibet Dominus præcepto Legis, quia coram illo injusta non est; sed prohibet Apostolus consilio charitatis &c. CAUS. XXVIII. QUÆST. I. *Cap. 9. §. 2. fin.* Id est, dissuadet nisi immineat periculum subversionis. Desumitur ex S. AUGUST. cujus Doctrinæ convenit hæc interpretatio; charitatis enim ordo est ut quisque plus diligat salutem suam quàm proximi salutem.

SECTIO III.

Altero infidelium conjugum ad fidem converso, si alter infidelis remanens nolit habitare cum Fideli conjuge, vel ipsum velit ad mortale peccatum pertrahere, vel contumeliam inferre Creatori, potest Fidelis ad aliud Matrimonium convolare.

I. Si Infidelis discedit odio Christianæ Fidei, discedat; non est enim frater aut soror subjectus servituti in hujusmodi; non est enim dimissum peccatum, si alii se copulaverit. CAUS. XXVIII. QUÆST. II. *Cap. 2. Si Infidelis. init.*

II. Si Infidelis, dicit Apostolus, (1. COR. VII.) discedit, discedat; non est enim servituti subjectus frater aut soror in hujusmodi; id est, si Infidelis noluerit esse cum conjuge Fideli, hic agnoscat Fidelis suam libertatem; nec ita se subjectum reputet servituti ut ipsam dimittat Fidem, ne conjugem amittat infidelem. CAUS. XXVIII. QUÆST. I. *Cap. 7. Si Infidelis. init.*

III. Si unus ex conjugatis baptisatus est & alter Gentilis, & sequi non vult, sicut dicit Apostolus, Infidelis si discedit, discedat. CAUS. XXVIII. QUÆST. I. *Cap. 3.*

IV. Uxor legitima Societate conjuncta, sine ullâ culpâ relinquitur, si cum viro Christiano, (*a*) propter hoc quod Christianus est, permanere noluerit. *Ibid.* CAUS. XXVIII. QUÆST. I. *Cap. 4. Uxor. init. vide cætera infrà.* (*a*) Ex correctione Romana hæc adduntur.

Contumelia Creatoris solvit jus Matrimonii circa eum qui relinquitur. CAUS. XXVIII. QUÆST. II. *Cap. 2. Si Infidelis. med.*

V. Si alter Infidelium conjugum ad Fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia Divini Nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente; qui relinquitur ad secunda, si voluerit, vota transibit; & in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus; *Si Infidelis discedit &c.* & Canonem *Etiam*, in quo dicitur; *Contumelia Creatoris solvit jus Matrimonii circa eum qui relinquitur.* De Divortiis. *Cap. Quanto. §. Sanè. fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 19. Cap. 7.

VI. Paganus qui secundùm ritum suum, legitimam repudiavit uxorem, cùm tale repudium veritas *in* Evangelio reprobaverit, nunquàm eâ vivente licitè poterit aliam, etiam ad Fidem CHRISTI conversus, habere, nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso, aut etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum. *Ibidem. De Divortiis.* Cap. *Gaudemus.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 19. Cap. 8 §. *Qui autem.* Pagani qui plures habent uxores, cùm ad Fidem convertuntur, tenentur adhærere primæ uxori legitimæ, quantumvis fuerit repudiata, nisi ipsa nolit &c.

VII. In eo casu restitutionem petenti, quamvis de injusta spoliatione constaret, restitutio negaretur; quia secundùm Apostolum, frater aut soror non est in hujusmodi subjectus servituti. *Ibid de Divortiis.* Cap. *Gaudemus. §. penult. qui autem. fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 19. Cap. 8.

VIII. Neque dimissor poterit objicere fornicationem dimissæ, pro eo quod nupsit alii post repudium; nisi aliàs fuerit fornicata. *Ibid. §. ult. fin.* Posito nempè, quod conversa ad Fidem qui illam dimiserat virum repeteret.

SECTIO IV.

Quandonam solvatur Matrimonium Infidelis conversi altero nolente cohabitare, vel duntaxat cum peccato? Et an Fideles qui ad Infidelitatem vel hæresim deflexerunt, teneantur ad invicem redire post Conversionem?

I. Si Paganum conversum ad Fidem, & prima uxor Gentilis conversa sequatur, antequàm propter causas prædictas (*a*) legitimam ille (*b*) ducat uxorem, eam recipere compelletur. *De Divortiis.* Cap. *Gaudemus.* §. *ult. Quod si. init.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 19. Cap. 8.

(*a*) Vel quia renuit cohabitare, vel quia non consentit absque contumelia Creatoris, vel ut pertrahat ad mortale peccatum. *Ex eodem Cap.* Gaudemus. *Sect. Superiori, Decisione 6.*

(*b*) Antequàm aliam ducat uxorem non solvitur Matrimonium prius.

II. Si aliter fidelium conjugum, vel labatur in hæresim, vel transeat ad Gentilitatis errorem, ad eum qui ab hæresi vel infidelitate revertitur, is qui permansit in Fide redire cogitur. *De Divortiis.* Cap. *Quantò. §.* ult. *fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 19. Cap. 7.

III. Illa quæ viro suo labente in hæresim, ipsius consortium sine judicio Ecclesiæ declinavit, ei, cùm reversus fuerit, est reddenda. *Ibid. De Divortiis.* Cap. *De illa. init.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 19. Cap. 6.

IV. Nec mulier, etiamsi reverti noluerit, compellatur. *Ibidem. De Divortiis.* Cap. *De illa. med.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 19. Cap. 6.

V Mulier quæ in Fide remansit, potest, nolente viro qui ab infidelitate revertitur, propter quam ab eo fuerat judicio Ecclesiæ separata, ad Religionem liberè convolare. *De Conversione Conjugatorum.* Cap. finali. *Mulier.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32. Cap 21. Quo casu vir tenetur ad continentiam cùm maneat vinculum conjugale.

SECTIO V.

Apud quem è Parentibus educandi sint filii, quando alter Fidelis est, alter Infidelis?

I. Hi qui procreati sunt de Infidelibus mulieribus & Fidelibus viris, Christianam sequantur Religionem. CAUS. XXVIII. QUÆST. I. *Cap.* 10. *Judæi fin.*

II. Pueri post triennium apud Patrem non suspectum ali debent & morari. *De Conversione Infidelium.* Cap. *Ex Literis.* §. 2. *Cùm autem. med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 33. Cap. 2.

III. In ætate infantili quis non debet apud eas remanere personas, de quibus possit esse suspicio, quod saluti vel vitæ insidientur illius. *Ibid.*

IV. In favorem maximè Fidei Christianæ, Patri puer quadriennis assignandus est, si ipse sit de Infidelitatis errore ad CHRISTUM verum lumen adductus, uxore sua in errore relictâ; & in judicio id postuletur; ne, si eum remanere contingeret apud Matrem, posset illum adducere ad Infidelitatis errorem. *Ibid. De Convers. Infidelium.* Cap. *Ex Literis. fin* LIB III. DECR. *Tit.* 33. Cap. 2. Filius conditionem Patris vel Matris conversi ad Fidem sequi debet. *Glossa*, verbo *Perducendus.*

V. Aliam

V. Aliam rationem adducit Gonzalez in hunc Textum, nempè quod hîc aderat divortium culpâ mulieris quæ converti nolebat, & in Divortio traduntur filii curæ conjugis innocentis; id etiam utilitas prolis exposcit, quâ ratione statutum est ut nati ex servo & liberâ liberi sint. *Cap. unico. Tit.* 10. Lib. IV. Decr. *De Natis ex libero ventre.* Idem habetur in *Cap. ult. De Serv. non ordin.* ubi Gonzal. notat prolem liberam esse, modò mater libera fuerit tempore conceptionis, vel gestationis, vel partùs; item Caus. XXXII. Quæst. III. *Can.* 1. ubi puella nata ex Patre servo est in arbitrio vel potestate Avi liberi; excipienda proles illegitima favore indigna, in odium culpæ parentum.

Caput VI.

De Impedimento Raptûs.

SECTIO UNICA.

Quid sit Raptus, quàm grave crimen, & quomodò impediat vel dirimat Matrimonium, & quæ pœna Raptorum?

I. Juxta Canonicam authoritatem, ad conjugia legitima raptas sibi jure vindicare nullatenùs possunt. *Conc.* Trosleian. *an.* 909. *Cap.* 8. Tom. IX. Conc. *p.* 543.

II. Raptus admittitur cùm puella violenter à domo Patris abducitur, ut corrupta in uxorem habeatur; sive puellæ solummodò, sive Parentibus tantùm, sive utrisque vis illata constiterit. Gratianus. Decreti *Parte* 2. Caus. XXXVI. Quæst. I. *post Caput* 2. §. *Cùm ergo. fin.*

III. Ibi Raptus dicitur commissus, ubi puella de cujus ante nuptiis nihil actum fuerat, videtur abducta. Caus. XXXVI. Quæst. I. Cap. 2. *Lex.* & Caus. XXVII. Quæst. II. *Cap.* 49.

IV. Cùm ibi raptus dicatur admitti, ubi nihil antè de nuptiis agitur; iste raptor dici non debet, qui habuerit mulieris assensum, & priùs eam desponsaverit, quàm cognoverit; licet Parentes reclamarent, à quibus eam dicitur rapuisse. *De Raptoribus.* Cap. *Cum causam.* §. *Respondemus. init* Lib. V. Decr. *Tit* 17. Cap. 6. *Appendice Conc.* Lateran. *Parte* 50. Cap. 24. Vide *in int.* In Galliâ hic raptus in Parentes dirimit Matrimonium, si puella sit minor 25. annis.

V. Eos qui rapiunt mulieres sub nomine simul habitandi, aut cooperantes, aut conniventes Raptoribus, anathematisantur. Caus. XXXVI. Quæst. II. Cap. 1. *Eos qui.*

VI. Si Clerici sunt, decidunt proprio gradu. *Ibid.*

VII. Raptores viduarum vel virginum ob immanitatem tanti facinoris detestamur. *Ibidem.* Cap. 2. *Raptores. init.*

VIII. Nullus neque viduam, neque filiam alterius extrà voluntatem Parentum rapere præsumat; quod si fecerit, anathematis gladio feriatur. *Ibid.* Caus. XXXVI. Quæst. II. Cap. 6. *Nullus.*

IX. Participes consilii & conniventes raptoribus, juxtà Canonicam authoritatem, ad conjugia legitima raptas sibi jure vindicare nullatenùs possunt. *Ibid.* Caus. XXXVI. Quæst. II. Cap. 4. *De puellis. fin.*

X. Decrevit Sancta Synodus Tridentina inter raptorem & raptam, quamdiù ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium. *Conc.* Trid. Sess. XXIV. *De Refor. Matrim.* Cap. 6.

XI. Eos qui ex raptu habent mulieres, si quis vacantem, seu alii non desponsatam, acceperit, auferre quidem oportet, & suis restituere; illorum autem sententiæ permittere, sive sint Parentes, sive Fratres, sive quicumque alii virgini præsint; & si ei quidem tradere voluerint, Matrimonium constituere; sin autem renuerint, non cogi. S. Basil. *Epist.* 2. *Canonica. Can.* 22. Tom. II. Conc. *p.* 1735.

XII. Raptas non immeritò dicimus quæ sine consensu Parentum, aut ipsæ ultrò diffugiunt, aut nolentes ab aliis abducuntur. *Concil.* Ravennense *ann.* 878. *Statuto* 6. Tom. IX. Conc. *p.* 301. Favet usibus Gallicanis, sicut postremus.

XIII. Quod si rapta à raptore separata, & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consenserit; eam raptor in uxorem habeat. *Ibid. Concil.* Trid. *Cap.* 6. Quod non recipitur in Galliâ, nisi accedat consensus illorum in quorum est potestate.

XIV. Rapta puella legitimè contrahet cum raptore, si prior dissensio transeat postmodùm in consensum, & quod ante displicuit tandem incipiat complacere; dummodò ad contrahendum legitimæ sint personæ. *De Rapt.* Cap. *Accedens.* Lib. V. Decr. *Tit.* 17. C. 7.

XV. Nihilominùs raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces. *Ibid. Conc.* Trid. Si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. *Ibid.* Postrema pœna eget Principis consensu, ut vim habeat.

XVI. Teneatur prætereà raptor mulierem raptam, sive eam in uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare. *Ibid. Conc.* Trid. Sess. XXIV. *De Ref. Matrim.* Cap. 6. *fin.*

XVII. Placuit ut hi qui rapiunt fœminas, vel furantur, aut seducunt, eas nullatenùs habeant uxores, quamvis eis postmodùm conveniat, aut eas dotaverint, vel nuptialiter cum consensu Parentum suorum acceperint. Caus. XXXVI. Quæst. II. *Cap.* 11. In his seductio æquiparatur raptui, & furtum rapinæ. Fusè expositus est hic Textus in disquisitione Historica de Doctrina Canonum circa Parentum consensum in filiorum Matrimonio.

TITULUS XIV.

De Divortio, seu separatione Conjugum quoad thorum, seu cohabitationem.

SECTIO I.

Non licere cuiquam conjuges propriâ autoritate separare quoad thorum, seu cohabitationem.

I. Concil. Eugenii II. *ann.* 826. *Cap.* 36. Tom. VIII. Conc. *p.* 112. Divortium aliud quod fit judicio Ecclesiæ, per sententiam separationis quoad thorum; aliud quod fit propriâ conjugum authoritate. *Glossa* in Caput *Mulier.* Verbo, *judicio Ecclesiæ. De Convers. Conjugat.* Lib. III. Decr. *Tit.* 32. Cap. 28. *Conc.* Herudforolæ *ann.* 673. *Can.* 10. Tom. VI. Conc. *p.* 538. *Conc.* Suess. *ann.* 744. Cap. 9. Tom. VI. Conc. *p.* 1554. *Conc.* Quinisex. *an.* 692. *Can.* 87. Tom VI. Conc. *p.* 1180. *Conc.* Tolet. XII. *an.* 681. Cap 8. Tom. VI. Conc. *p.* 1231.

II. Novimus scriptum quod à Deo jungitur mulier viro; & iterùm præceptum agnovimus, ut quod Deus junxit, homo non separet. Caus. XXXIV. Quæst. I. & II. Cap. 1. *Cùm per bellicam. post init.*

III. *Quos Deus conjunxit, homo non separet*; subaudi violenter, sine Lege, absque ratione, quos Deus conjunxit homo non separet. Caus. XXXIII. Quæst. II. Cap. 18. *Quos Deus. init.*

IV. Secundùm Sacros Canones, nisi amborum consensu, nullius Religionis obtentu, debet conjux dimittere conjugem; maximè cùm Apostolus præcipiat; *Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus.* Caus. XXX. Quæst. I. Cap. 3. *Nosse. post init.*

V. Vir à suâ conjuge separari nullatenùs debet, dicente Scripturâ, à Domino junctam esse viro uxorem; & quod Deus conjunxit, homo non separet. *Ibid.* Caus. XXX. Quæst. I. Cap. 7. *Ad limina. med.*

VI. Deus dissolutionem carnalis conjugii, quod est inter virum & fœminam, suo tantùm judicio reservavit, præcipiens ut quos Deus conjunxit, homo non separet. *De Translatione Episcopi.* Cap. *Inter corporalia. post init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 7. Cap. 2.

VII. Legi-

VII. Legitimi Matrimonii vinculum quod est inter virum & uxorem, homo dissolvere nequit, Domino dicente in Evangelio; *Quos Deus conjunxit, homo non separet. Ibid. De Translat. Episcopi.* Cap. *Licet.* LIB. I. DECR. *Tit.* 7. Cap. 4. *init.*

VIII. Tolerabilius est aliquos contrà statuta hominum dimittere copulatos, quàm conjunctos legitimè contra Statuta Domini separare. *De Testib.* Cap. *Licet.* §. *Testes. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 47.

IX. Non vult Ecclesia Matrimonia Canonicè contracta levitate quadam dissolvi. *De Sententia & Re Jud.* Cap. *Lator.* §. *Nolentes.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 7.

X. Vir uxorem suam in adulterio deprehensam de Ecclesiæ assensu abjiciat. *De Divortiis.* Cap. *Ex Literar.* Colligitur. LIB. IV. DECR. *Tit.* 19. Cap. 4.

XI. Imponatur viro ad tempus Pœnitentia competens, qui pro sua opinione sola, uxorem, judicio Ecclesiæ non requisito, dimisit. *De Despons. Impub.* Cap. *Duo pueri.* §. ult. *fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 2. Cap. 12.

XII. Sæculares qui conjugale consortium nulla graviori causa dimittunt vel etiam dimiserunt, & nullas causas dissidii probabiliter proponentes, propterea sua Matrimonia dimittunt, ut aut illicita aut aliena præsumant; si antequàm dissidii causas dixerint, & priusquàm in judicio damnentur, uxores suas abjecerint, à Communione Sanctæ Ecclesiæ & populi Cœtu, pro eo quod fidem & conjugia maculant, excludantur. CAUS. XXXIII. QUÆST. II. Cap. I.

XIII. Cùm veritas oriretur de terra in terram, & visibilis in humanitate appareret, interrogatus est, si licitum esset homini uxorem relinquere; quod prohibens fieri vetuit, nisi forte fornicatio excluderet maritalem copulam. CAUS. XXXV. QUÆST. X. Cap. 5.

XIV. Si quis se in conjugio copulaverit, & uni eorum contigerit, ut debitum reddere non possit, non liceat eos separare. *Responsa* STEPHANI II. Cap. 2. TOM. VI. CONC. *p.* 1659. Cap. 19.

XV. Si vir, sine manifesta causa fornicationis, uxorem reliquerit, ut ad ipsam redeat, & eam maritali affectione pertractet, monitione præmissa per Ecclesiasticam Censuram cogi debet. *De Sponsal.* Cap. *Ex parte.* §. *Quia igitur.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 1. Cap. 9. JOANNES VIII. *Epist.* 63. TOM. IX. CONC. *p.* 52.

XVI. Cùm Matrimonium individuam vitæ consuetudinem continere debeat, idque non solùm Naturali Jure, sed etiam Divino manifestiùs comprobetur, dum dicitur: *Relinquet homo Patrem suum & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una;* & CHRISTUS Dominus Noster in Evangelio subjungat: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro: Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet:* ac denique testetur Apostolus *Sacramentum hoc magnum esse in* CHRISTO *& Ecclesia;* propterea nefas est conjuges fideles se propria voluntate aut arbitrio à conjugali Thoro separare, nisi ex causa à Sacris Canonibus permissa, & autoritate ac judicio Ecclesiæ cognita & probata. *Bulla* 46. GREGORII XIII. *Ad compescendam.* §. 2. *an.* 1586. *Bullarii* TOM. II. *p.* 559. Vide *Cod. Eccl. Afric. Can.* 102. TOM. II. CONC. *p.* 1117.

XVII. Qui mulierem sibi legitimè copulatam dimittit, & aliam ducit, secundùm Domini sententiam, adulterii judicio subjicitur. S. BASIL. *Epist.* 3. *Canone* 87. Vide NICOL. I. *Epist.* 59. Cap. 1. TOM. VIII. CONC. *p.* 457.

SECTIO II.

An, & quando liceat viro ab uxore se separare quoad Thorum seu cohabitationem?

I. Si quis dixerit Ecclesiam errare, cùm ob multas causas separationem inter conjuges quoad Thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, Anathema sit. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. *Can.* 8. *Conc.* NANNETENSE. *an.* 890. *Can.* 12. TOM. IX. CONC. *p.* 471. Hùc spectant Canones suprà collecti, de separatione ob lapsum in hæresim aut in infidelitatem.

II. Non enim homo separat quos pœna condemnat, quos reatus accusat, quos maleficium coarctat. CAUS. XXXIII. QUÆST. II. Cap. 18. *Quos Deus. fin.*

III. Dominus in Evangelio non posse dimittere uxorem suam, nisi causâ fornicationis, apertissimè jubet. CAUS. XXX. QUÆST. I. Cap. 7. *Ad limina. med.*

IV. Excepta fornicationis causâ, viro uxorem dimittere nulla ratione conceditur. CAUS. XXVII. QUÆST. II. Cap. 21. *Agathosa. fin.*

V. Præceptum Domini est ut exceptâ causâ fornicationis, uxor à Viro dimitti non debeat. CAUS. XXXII. QUÆST. V. Cap. 21. *Præceptum.*

VI. Nemini licet uxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere. *De Sponsal.* Cap. *Ex parte.* §. *Quia igitur.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 1. Cap. 9.

VII. Nemini licet, excepta causa fornicationis, uxorem dimittere. *De Conjugio Lepros.* Cap. *Quoniam. init.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 8. Cap. 2.

VIII. Post contractum conjugium, vir propter fornicationem licitè potest uxorem à sua cohabitatione dimittere. *De Jurejurand.* Cap. *Quemadmodùm. med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 25.

IX. Fieri potest ut vir dimittat uxorem causâ fornicationis, quia Dominus exceptam esse voluit. CAUS. XXXII. QUÆST. VII. Cap. 4. *Fieri. init.*

X. Propter fornicationis crimen viro licet dimittere uxorem. CAUS. XXVII. QUÆST. II. Cap. 21. *Agathosa. med.*

SECTIO III.

An æquale sit uxoris jus ad dimittendum virum ob fornicationem?

I. Secundùm Evangelicam veritatem, nunquàm nisi propter fornicationis causam, aut vir uxorem, aut uxor potest dimittere virum. *De eo qui cognovit &c.* Cap. *Discretionem.* §. *Nos igitur. med.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 13. Cap. 6.

II. Præcepit Dominus uxorem non debere dimitti excepta causâ fornicationis; & si dimissa fuerit, manere innuptam; quicquid viris jubetur, hoc consequenter redundat in fœminas: Neque enim adultera uxor dimittenda est, & vir mœchus retinendus. CAUS. XXXII. QUÆST. V. Cap. 19. *Præcepit.*

III. Apud nos quod non licet fœminis, æquè non licet viris; & eadem servitus pari conditione censetur. *Ibid.* Cap. *Apud nos.* CAUS. XXXII. QUÆST. V. Cap. 20.

IV. Christiana Religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat; sed viros suos mulieres non facilè de adulterio accusant, & non habent latentia peccata vindictam: Viri autem liberiùs uxores adulteras apud Sacerdotes deferre consueverunt. *Ibid.* CAUS. XXXII. QUÆST. V. Cap. 23. *Christiana. init.*

V. Si quis liber ancillam in Matrimonium acceperit, non habet licentiam dimittere eam, si consensu amborum conjuncti sunt, exceptâ causâ fornicationis, sed una Lex deinceps erit viro & fœminæ. CAUS. XXIX. QUÆST. I. Cap. 2. *Capituli.* LIB. VI. Cap. 94.

VI. Una Lex erit viro & fœminæ. *Ibid.* Cap. 5.

VII. Nemo blandiatur sibi de Legibus hominum; omne stuprum adulterium est, nec viro licet quod mulieri non licet. Eadem à viro quæ ab uxore debetur castimonia &c. CAUS. XXXII. QUÆST. IV. *Cap.* 4. Domini dictum secundùm sententiæ consequentiam ex æquo viris & mulieribus convenit, quod non liceat à Matrimonio discedere præterquàm propter fornicationem. S. BASIL. *in Epist.* 1. *Canon. Canone* 9. TOM. II. CONC. *Append. p.* 1726.

VIII. Uterque sexus non ad imparia judicatur circà Matrimonium. *De Divortiis.* Cap. *Gaudemus.* §. 4. *Nec illi. fin.* LIB. IV DECR. *Tit.* 19. Cap. 8.

IX. Si

IX. Si virum suum uxor invenerit adulterum, non ad imparia judicatur. Caus. XXXII. Quæst. I. *Cap.* 4. *Si quis uxorem. fin.*

Hinc patet quid sentiendum de usu contrario; agitur enim de institutione Divina, cui consuetudo derogare non potest. *Cap.* 11. *De Consuetudine.*

SECTIO IV.

An teneatur conjux adulterum dimittere, aut semper possit?

I. Dominus promisit causâ fornicationis uxorem dimitti, sed quia permisit, non jussit. Caus. XXXII. Quæst. VII. *Cap.* 3. *Apostolus.* §. *Dominus.*

II. Etiamsi Scriptura testetur quod patronus est turpitudinis qui celat crimen uxoris; & secundùm Regulam Evangelii, si primò & secundo correpta resipiscere nollet, dicendum esset Ecclesiæ, ut tanquam Ethnica & Publicana deindè vitaretur, ne per hoc libera præberetur ei peccandi facultas propter impunitatem peccati; vir tamen potest dimittere uxori peccanti non solùm septies, sed etiam usque septuagesies septies, secundùm Evangelicam veritatem. *De Jurejurando.* Cap. *Quemadmodum.* §. *Quod si.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 25. Caus. XXXII. Quæst. I. Cap. 1. *Sicut. fin.*

III. Non semper propter causam fornicationis; vel uxor virum, vel vir dimittere potest uxorem, cum possit exceptione vel replicatione legitima impediri. *De eo qui cognovit.* Cap. *Discretionem.* §. 2. *Nos igitur. med.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 13. Cap. 6.

IV. Adulterium uxori non potest objicere, qui eam adulterandam tradidit, præsertim invitam. *Ibid.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 10. Cap. 6.

V. Nihil iniquius quàm fornicationis causâ dimittere uxorem, si & ipse convincitur fornicari; occurrit enim illud; *In quo enim alterum judicas, temet ipsum condemnas, eadem enim agis quæ judicas*; quod similiter etiam de fœmina dixerim. Caus. XXXII. Quæst. VI. *Cap.* 1. *Nihil.*

VI. Cùm paria crimina compensatione mutua deleantur; vir fornicationis obtentu suæ uxoris nequit consortium declinare, si postmodùm ipse cum aliâ perpetraverit adulterium. *De Adulteriis.* Cap. *Tua Fraternitas.* §. *Super quo.* Lib. V. Decr. *Tit.* 16. Cap. 7.

VII. Non debet separari Matrimonium quoad thorum propter adulterium, quandò ambo conjuges fuerunt adulterati. *Summa.*

VIII. Vir potestatem sui corporis non habet sed mulier, nec mulier potestatem sui corporis habet sed vir; potest ergo vir sive mulier peccato suo facere, ut potestatem in corpore alterius perdat; sed facere non potest, ut alteri potestatem sui corporis, quantùm in se est, tollat; quod suum jus est, perdere potest; quod suum non est, tollere non potest. Si faciat ergò ut debitum suum in corpore alterius jure exigere non possit, non tamen facere potest, ut debitum alterius in suo corpore negare possit. *Appendice Concil.* Lateran. III. *Part.* 49. *Cap.* 18. In Gallia compensatio prædicta non admittitur; ibi enim mulier ob adulterium dimissa virum repetere non valet ob simile crimen posteà commissum.

SECTIO V.

Qua ratione procedi debeat ad instituendam accusationem de adulterio ad dissolutionem Matrimonii?

I. Vir potest accusare uxorem de crimine adulterii, vel coram Judice Sæculari ad pœnam legitimam infligendam; vel coram Ecclesiastico Judice, ut ab ejus cohabitatione discedat. *De Procuratoribus.* Cap. *Tuæ Fraternitatis.* Lib. I. Decr. *Tit* 38. Cap. 5.

II. Si vir accusare velit uxorem de adulterio coram Ecclesiastico Judice, designare debet in scriptis nomen adulteri, locum, & tempus adulterii. *Ibid.* §. *Si verò.* Hujusmodi accusatio etsi de crimine fiat, non est tamen criminalis, sed quasi mixta inter civilem & criminalem. *Ibid. fin.*

III. Offertur libellus quo conjux conjugem ad separationem Thori de adulterio accusat. *Ut lite non contestata.* Cap. *Ad hoc. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 6. C. 1.

IV. Conjugum alteruter accusatus, ante probatam accusationem, jure quod habet in altero privari non potest. *Ut lite pendente.* Cap. *Laudabilem.* §. *Ad quod.* Lib. II. Decr. *Tit.* 16. Cap. 2.

V. De muliere quæ pro castitate à marito accusatur præceptum est, ut primò permittatur ei rem familiarem liberè diutiùs ordinare, tunc demùm respondere objectis; hoc omnes Leges tàm Ecclesiasticæ quàm vulgares publicæque præcipiunt. Caus. XXXIII. Quæst. II. Cap. 3. *Historia. Vide notam Correct.* Loquitur de eâ quæ dimissa est sine causæ cognitione, ideòque ante omnia restituenda.

VI. Sive de conjugii fœdere, sive de adulterii crimine judicium agitandum sit, nulla ratio patitur uxorem cum viro, vel levissimum controversiæ subire certamen, nisi priùs ad tempus fuerit reddita suæ potestati, & consanguineis propriis liberè sociata. Caus. XXXIII. Quæst. II. *Cap.* 4. *Sive. init.*

VII. Itaque locus providendus est in quo nulla sit vis multitudinis formidanda, & non sit difficile testes producere, vel cæteras personas, quæ tam à Sanctis Canonibus, quàm à venerandis Legibus in hujusmodi controversiis requiruntur. *Ibid.* Caus. XXXIII. Quæst. II. *Cap.* 4. *Medium.*

Causa adulterii raro instituitur coram Ecclesiastico Judice, ob connexionem cum re temporali, cujus judicium pertinet ad Judicem Sæcularem.

SECTIO VI.

Quâ ratione Judex se gerere debeat in causâ adulterii coram ipso motâ?

I. Quos Deus conjunxit Judex sua authoritate separare non debet. Caus. XXXIII. Quæst. II. *Cap.* 17. *Si quis. fin.*

II. Conjux ad separationem Thori de adulterio accusatus; potest propter (*a*) contumaciam, Excommunicationis sententiâ innodari. *Ut lite non contestata.* Cap. *Ad hoc.* §. *Consultationi. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 6. Cap. 1. (*a*) Plura non habentur in originali; Quæ in editis Decretalibus nunc extant, fuerunt ab aliquo addita. Vide Gonzalem & Pithæum *ad hoc Caput.* Additionem, de qua hic, factam a Raimundo probabile est, quo casu autoritatem habet: hæc autem, *vel etiam Procuratoris, si sciens non purgaverit eum*, adjecta videntur.

III. Licet ordo judiciarius in Matrimonialibus causis non usquequaque servetur, quia tamen in præsenti judicio non agitur de (*b*) fœdere Matrimonii, sed de crimine adulterii per quod ad separationem conjugii, non ad conjunctionem, intenditur; lite non contestata testes recipi non debent, nec attestationes etiam publicari. *Ibidem. Ut lite non contestatâ.* Cap. *Ad hoc.* §. *Consultationi.* Lib. II. Decr. *Tit.* 6. Cap. 1. (*b*) Ut cùm agitur de impedimentis dirimentibus. Vide supra *Tit. De Impedim. in genere.* Sect. III. & *Tit. De Impedimento Consanguin.* Sect. VII.

IV. Cùm quis accusatur aliquam cognovisse; si testimonium conveniens de visu reddatur, vel etiam de auditu, & præsumptionem violentam fama consentiens subministret, ac alia legitima adminicula suffragentur; standum est testimonio juratorum testium, qui se carnalis copulæ conscios esse fatentur, licet de visu nihil affirmant; etenim circumspectus Judex atque discretus motum animi sui ex argumentis & testimoniis, quæ rei aptiora esse compererit, confirmabit. *De Testib.* Cap. *Præterea.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20, Cap. 17.

V. Ejus qui modò vult recedere ad priorem uxorem quam prius negavit, Ecclesia testimonium non recipit; quia variavit verbum suum, & contra semetipsum testimonium tulit, & abstulit sibi fidem in utroque, ut Conjugii Sacramentum ad invicem non esse videretur & opus carnalis commercii contradiceretur. *Append.* Conc. LATERAN. *Parte* 49. *Cap.* 17.

VI. Viro petente à muliere quam in uxorem acceperat separari, si accusatores Matrimonii producant testes firmiter asserentes, quod postquàm mulier eum prædicto viro contraxerat Matrimonium, consanguineum ejusdem viri solum cum solâ, nudum cum nudâ, in eodem lecto jacentem, eâ ut credebant intentione ut eam cognosceret carnaliter, viderunt, multis locis & latebris ad hoc commodis & horis electis; ex hujusmodi violentâ & certâ suspicione fornicationis potest sententia divortii promulgari. *De Præsumpt.* Cap. *Litteris.* LIB. II. DECR. *Tit.* 23. Cap. 12.

VII. Uxor legitimo Matrimonio sociata, si inveniatur cum alio viro nefariam rem faciens, priùs causa criminis est subtiliter investiganda, & tunc si ita fuerit inventa, secundùm Legis tramitem debet accipere ultionis vindictam. CAUS. XXXIII. QUÆST. II. Cap. 8. *Admonere. post init.*

VIII. Uxor à viro super crimine fornicationis in jure conventa, si cœpit publicè confiteri, quod cùm vir negaret ei in necessariis providere, crimen compulsa est incurrere memoratum; cùmque diligentiùs à Judice admonita, ne ad suggestionem alicujus illud tàm turpe contrà se proponeret, ipsa id manifestiùs asserat, utrique privatim continentia injungi debet observanda, ita quod castè vivent ab invicem segregati. *De Divortiis.* Cap. *Ex Litteris.* §. *Tandem.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 19. Cap. 5.

IX. Si vir posteà nuptias temerè celebret, ad legitimam uxorem redire compellatur. *Ibid.*

X. Si vir uxori objiciat adulterium, & hæc replicet id ipsum quod vir fuerit fornicatus, utrique Parti probandi hoc facultas concedi debet. *De Adulteriis.* Cap. *Intelleximus,* LIB. V. DECR. *Tit.* 16. Cap. 6. Hæc exceptio non admitteretur in Galliâ.

SECTIO VII.

An, & quando Judex objecto adulterio debeat decernere restitutionem alteri conjugum illam postulanti?

I. Si constiterit per evidentiam rei, vel per confessionem legitimam mulieris, quod adulterata fuerit, hæc autem per testes viri adulterium probaverit, nisi illi fuerint reprobati, cùm Matrimonii jus in utroque læsum consistat, paria delicta mutuâ compensatione tolluntur. *De adulter.* Cap. *Intelleximus.* §. *Quocircà.* LIB. V. DECR. *Tit.* 16. Cap. 6. Vide quod suprà dictum est de hâc compensatione.

II. Si Clericus non erubuerit publicè confiteri se uxorem alicujus carnaliter cognovisse; undè factum sit quod vir ad propria eam remitteret cui fuit matrimonialiter copulata; is compellitur ut uxorem suam recipiat, eique, sicut justum est, officium exhibeat maritale. *De Excessibus Prælatorum.* Cap. *Quàm sit.* LIB. V. DECR. *Tit.* 31. Cap. 9.

III. Si vir ab uxore separatus repetit illam instanter, ut revertatur ad ipsum, per Excommunicationis sententiam compelli debet, cùm adulterium utrimque est commissum. *De Jurejur.* Cap. *Tua nos.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 24. Restitutio uxoris præcipitur, quia non convicta dimissa fuerat.

IV. Si vir uxorem suam à maritali consortio depulerit, & hæc cum quodam adultero fornicata; tandem eum adjurans virum sibi restitui postulet, qui & objiciens adulterium, restitutionem sui proponat minime faciendam, mulier autem memorata, per quosdam testes, ejusdem viri adulterium probet, quos quidem vir ipse dicat tanquam minùs idoneos reprobandos; nisi constiterit, vel per evidentiam rei, vel per confessionem legitimam mulieris, quod taliter adulterata fuerit, adulterii etiam quod vir dicitur commisisse probatione cessante, ipse recipere eandem à Judice compellatur. *De Adulteriis.* Cap. *Intelleximus.* LIB. V. DECR. *Tit.* 16. Cap. 6. Hujus restitutionis ratio est; eo casu vir propriâ authoritate uxorem dimittens, subsequentis ab eâ commissi adulterii causa reputatur, ideòque necessè non est, ut ista probet idem crimen virum patrasse.

V. Quod si prædicto modo de mulieris fornicatione constiterit, nisi testes per quos viri adulterium est probatum, fuerint reprobati; cùm Matrimonii jus in utroque consistat, & paria delicta mutuâ compensatione tollantur, nihilominùs vir cogi debet ut uxorem recipiat, & eam maritali affectione pertractet. §. *Verum.* LIB. II. DECR. *Tit.* 6. Cap. 1. *Ibid. De adulteriis.* Cap.. *Intelleximus. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 16. Cap. 6. Alioquin mulieri silentium imponatur.

VI. Vir ab uxore de adulterio accusatus, & restitutionem uxoris primò fieri postulans, non auditur, si dicat mulier se virum habere suspectum, nec ejus procurator de mulieris impunitate cavere velit. *Ut lite non contestatâ &c.* Cap. *Ad hoc.*

VII. Adulterio viri debitè probato, cogitur vir uxorem adulteram recipere.

Duo sunt in hujus Sect. collectis Canonibus, quæ apud Gallos non recipiuntur; Primum, quod mulier possit virum adulterii accusare. Secundum, quod si mulier dimissa ob adulterium, probet à viro pariter commissum, jus suum recuperet, vitque cogi possit illam recipere.

VIII. Uxor sine judicio Ecclesiæ à viro dimissa, pro eo quod suggestum ei fuerat, ipsam incestum cum quodam consanguineo suo commisisse, si ipsa non continuerit, sed sobolem de alio viro susceperit, nec minùs postulet viro restitui, asserens se ab ipso injustè dimissam, & eumdem sibi materiam adulterandi dedisse; si notorium est ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam vir cogi non debet; nisi constet ipsum cum aliâ adulterium commisisse. *De Divortiis.* Cap. *Significasti.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 19. Cap. 4.

IX. Si vir & uxor ejus ad invicem juraverint se nunquàm mutuò perituros; vir autem posteà repetat illam instanter; quantùmvis illa repugnet, si vir noluerit continere, illa ut revertatur ad virum, & tanquam uxor cum viro moretur, per Excommunicationis sententiam compelli debet, cùm temerarium fuerit hujusmodi juramentum. *De Jurejurando.* Cap. *Tua nos.* LIB. II. DECR. *Tit.* 54. Cap. 24. & 25.

SECTIO VIII.

Quid agendum sit si alter Conjux alteri jurasset se eum nunquam accusaturum, aut dimissurum?

I. Illud juramentum est procul dubio temerarium si vir juret uxori quod eam super nullo crimine accusabit. *De Jurejurando.* Cap. *Quemadmodùm.* §. *Illud. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 25.

II. Si vir expressè uxori jurasset quod eam super adulterio non impeteret; tutius in hoc casu videtur, ut propter jurisjurandi Religionem, vir accusare desistat uxorem ad divortium celebrandum, quanquam denuntiare eam possit ad Pœnitentiam peragendam. *Ibid.* §. *Quod si.* & §. *Tutius. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 55. Prædictum juramentum plures ob causas irritum videtur, ideòque non servandum; est enim contra secundum Matrimonii bonum, utpote occasio adulterii frequentis per impunitatem promissum; nec denunciatio tanto malo sufficiens remedium.

III Si vir mulieri jurasset quando contraxit cum illâ, quod eam semper pro legitimâ uxore teneret; pro fornicatione quam mulier anteà commisisset, non posset eam dimittere. *Ibid. De Jurejurando.* Cap. *Quemadmodum. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 25.

IV. Sed

IV. Sed pro fornicatioue quam posteà perpetraret, eam dimittere posset, non obstante hujusmodi juramento, qunniam in eo talis erat subinrelligenda conditio, si videlicet in legem conjugii illa non peccaret. *Ibid.* Simile juramentum fiebat olim in Gallia in quolibet Matrimonio, ut patet ex veteribus Ritualibus citatis in Historia Benedictionis nuptialis, Tom. I. *Traditionis Ecclesiæ*, *circa Sacramentum Matrimonii*; sed subintelligebatur clausula, nisi subsit justa causa.

SECTIO IX.

An & quandò revocari possit sententia Divortii inter Conjuges lata?

I. Si Judici constiterit vitum & uxorem per judicium Ecclesiæ non fuisse legitimè feparatos, Ecclesiamque deceptam; ipsos faciat sieut virum & uxorem insimul permanere. *De Sententia & Re Jud* Cap. *Lator.* §. *Nolentes.* Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 7. Senteotia contrà Matrimonium lata nunquàm transit in rem judicatam, sed revocatur quandocunque error derectus fuerit. *Glossa.*

II. Propter solam confessionem mulieris nnn est recedendum à sententia per judicium Ecclesiæ rationabiliter promulgata, nisi legitimè in enntrarium probetur. *De sententia &c.* Cap. *Consanguinei.* §. *Fraternitoti.* Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 11.

III. Si Episcopus divortii sententiam promulgavit, à qua fuerit ad superiorem provocatum, Partibus ad locum idoneum couvocatis, recipi debent testca quos utraque Pars priùs induxit, vel altos si voluerit inducere, eùm nnndùm testificata ediderint, vel non renunciaverint restibus producendis. *De Testib.* Cap. *Constitutis*, *il secundo.* §. *Mandamus.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap 46. Adde quod de novis Capitulis agebatur, ideòque testium pro luctio nova licita erat. Vide Gonzal. *in hunc Textum*, *& in Cap.* 17. *ejusd. Tit.* Factum dilucide explanat; Vide quoque Cujacium *in eumdem Textum.*

IV. Si inter virum & uxorem divortli sententia fuerit promulgata; & posteà privatim testes se corruptos dicant testimonium perhibuisse falsirati; si tales exhibeantur per quos possit prædictæ corruptionis veritas comprobari, recepto eorum testimonio est sententia revocanda. *De Testibus.* Cap. *Sicut.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 9.

V. Si vir & uxor aut alter eorum, post sententiam divortii inter ipsos promulgatam, ad secunda vota transivit, illa faciliùs revocatur, quàm si ad secunda vota idem vir & uxor non migraverint. *Ibid* Junctâ *Glossâ marginali.* Cujus ratio est, quod primo casu, si sententia non reformetur, utraque Pars in adulteriis perseverat. In hujusmodi probatio per testes nunc subsidiaria tantùm est, præsertim in Gallia.

SECTIO X.

An alia sint causæ præter adulterium, ob quas conjuges separari possint quoad thorum & cohabitationem?

I. Idololatria quam sequuntur infideles, & quælibet noxia superstitio, fornicatio est. Dominus autem permisit causâ fornicationis uxorem dimitti. Caus. XXVIII. Quæst. I. *Cap.* 5. *Idololatria, init.* Justitia permittit à fornicanre discedere. Caus. XXVIII. Quæst. I. *Cap.* 9. *post init.*

II. Si mulier fieret infidelis, & nollet cohabitare viro absque contumelia Creatoris, vel ut illum pertraheret ad infidelitatis errorem; tunc incunctaurer deberet illam impetere apud Judicem suum; ut eam, nisi penitùs resipisceret, omninò dimitteret, secundùm Canonicas Sanctiones. *De Jurejurando.* Cap. *Quemadmod.* §. *illud. post. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 25. Cùm impedimentum illud sit purè spirituale, ad Judicem Ecclesiasticum de illo cognoscere pertinere videtur.

III. Si vir eonjugem suam ad infidelitatis maleficium traxerit, à viro poterit separari; in viris quoque præsentis sententiæ forma servetur. *De Divortiis.* Cap. *Quæsivit.* §. *Veròm.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 19. Cap. 2.

IV. Non tantùm fornicantem uxorem dimittere conceditur, sed quisquis eam quoque uxorem dimittit à quâ ipse eogitur fornicari, causâ urique fornicationis dimittit; velut, si aliquem cogit uxor sacrificare idolis. Caus. XXVIII. Quæst. I. *Cap.* 1. *fin.*

V. Mulier pro furto vel alio crimine viri sui, nisi ipse eam ad maleficia sua trahere nitatur, & fidei suæ Religionem corrumpere velit, non debet ab eâ separari, nec alii aliquâ ratione copulari. *Appendice Concil.* Lateran. *Part.* 50. Cap. 22. Cùm facultas hæc soli competat conjugi ad fidem converso, altero infideli manente ac ad infidelitatem illum pertrahente.

VI. Si infidelitas fornicatio est, & Idololatria infidelitas, & avaritia Idololatria, non est dubitandum, & avaririam fornieationem esse. Quisquis ergò jam quamlibet illicitam concupiscentiam potest rectè à fornicationis genere separare, si avaritia fornicatio est? Ex quo intelligitur quod propter illicitas concupiscentias, non tantùm quæ in stupris cum alienis viris & fœminis eommittuntur, sed omninò quaslibet, quæ animam corpore male utentem à Lege Dei aberrare faciunt, & perniciosè, turpiterque corrumpunt, possit sine crimine, & vir uxorem dimittere, & uxor virum. Caus. XXVIII. Qæst. I. *Cap.* 5. *Idololatria* §. *Si infidelitas.*

VII. Quia exceptam facit Dominus causam fornicationis, fornicationem generalem & universalem intelligere cogimur. *Ibid. med.*

VIII. Si tanta sit viri sævitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri, debet ab eo amoveri. *De Restitutione spoliat.* Cap. *Litteras.* §. ult. *Si verò.* Lib. II. Decr. *Tit.* 13. Cap. 13.

IX. Si qua mulier in mortem mariti sui cum aliis consiliata sit, & ipse vir aliquem illorum se defendendo occiderit; si probare potest ille vir eam ream esse consilii, potest ipsam uxorem dimittere. Caus. XXXI. Quæst. I. *Cap.* 6.

X. Verùm si conjugem suam ad errorem traxerit & ad maleficium, mulier à viro recedere poterit & separari; ita quod ei alii nubere nihilominùs non licebit; quia licet separentur, tamen conjuges erunt semperi. Viris quoque præsens sententia servetur. *Ibid.*

XI. De Infidelium conjugii separatione, uxor legitima societate conjuncta sine ullâ culpâ relinquitur, si eum viro Christiano pemanere noluerit; eo modo illa rectissimè dimittitur, si viro suo dicat, non ero uxor tua, nisi mihi de latrocinio divitias congeras, aut nisi solita lenocinia quibus nostram domum transigebas, etiam Christianus exerceas; aut si quid aliud vel facinorosum vel flagiriosum in viro noverat, quo delectata vel libidinem explebat, vel facilem victum habebat, vel etiam ornatior incedebat; tunc enim ille cui uxor hæc dicit, si veraciter egit Pœnitentiam ab operibus mortuis, quandò ad Baptismum accessit, habetque in fundamento fidem, quæ per dilectionem operatur, procul dubio plus tenebitur amore Divinæ gratiæ, quàm carnis luxuriæ; & membrum quod eum scandalisat fortiter amputabit. Caus. XXVIII. Quæst. I. *Cap.* 4. S. August. Lib. *De fide & operibus.* Cap. 16. *n.* 28. *circ. init. ann.* 413.

SECTIO XI.

Non posse, nec debere, propter leves aliquas causas, vel propter supervenientes aliquos defectus naturales, separari conjuges quoad Thorum.

I. Dominus ad illud confirmandum, ut non facilè dimittatur uxor, solam causam fornicationis excepit; cæteras verò universas molestias, si quæ fortè extiterint, jubet pro fide conjugali, pro castitate, fortiter sustinere. Caus. XXXII. Quæst. VII. *Cap.* 6. *Dominus. init.*

II. Si quis in fraudem aliquid fecerit, causâ Matrimonii separandi, Pœnitentiam pro præsumptione accipiat, Matrimonio in suâ firmitate durante. *De Cognatione Spirituali.* Cap. *Contracto. fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 11. *Cap.* 5.

III. Mandatum illicitum est ut vir, si quandò uxor illius aliquod factum vel verbum contumeliosum aliquibus objiciat, à se propriam removeat uxorem; & ad illius mandati observationem non tenetur. *De Jurejurando.* Cap. *Quintavallis.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. *Cap.* 23.

IV. Ex causa levi & temeraria, conjuges, etiam quoad thorum & mutuam cohabitationem, se separare non possunt, etiam cum juramenti interpositione. *Ibid. De Jurejurando.* Cap. *Tua nos.* SUMMA colligit. LIB. II. DECR. *Tit.* 24. *Cap.* 24.

V. Mulier pro furto vel alio crimine viri sui, nisi fidei suæ Religionem corrumpere velit, vel ad aliud crimen trahere nitatur, ab eo separari non debet. *De Divortiis.* Cap. *Quæsivit.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 19. *Cap.* 2.

VI. Etsi mulier filiam suam furore accensa Diabolico irregulaverit, maritus ejus & ipsa compelli non debent se abjurare; & non obstante juramento quod à viro quis proponeretur extorsisse, mulier eidem viro restitui debet, ita quod filios alios liberè possit & pacificè gubernare. *De his qui filios &c.* Cap. *Intelleximus.* LIB. V. DECR. *Tit.* 10. *Cap* 2.

VII. Si uxorem quis habeat sterilem, vel deformem corpore, sive debilem membris, vel cæcam, vel surdam, vel claudam, vel si quid aliud, sive morbis & doloribus, languoribusque confectam, & quicquid, excepta fornicatione, cogitari potest vehementer horribile; pro fide & societate sustineat. CAUS. XXXII. QUÆST. V. *Cap.* 18. *Si uxorem.*

VIII. Si vir mulieri jurasset quandò contraxit cum illâ, quod eam semper pro legitima uxore haberet, ac post hujusmodi juramentum non dimittendi uxorem, illa fieret non solùm leprosa, sed etiam paralytica, vel oculos vel nasum amitteret, seu quicquam ei turpiùs eveniret, profectò ductam vir non posset dimittere. *De Jurejurando.* Cap. *Quemadmodùm* §. 1. *Quod si.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. *Cap.* 25. Ad hoc teneretur, etiam non juratus.

SECTIO XII.

Conjuges, etiam post sententiam divortii legitimè promulgatam, non posse aliis nubere.

Vide Collationem Autoritatum quæ id probant in *Concilio* AQUISGRANENSI III. *ann.* 862. TOM. VIII. CONC. *p.* 745. Extant multò plures in Historiâ indissolubilitatis Matrimonii, *in Traditione Ecclesiæ circà Sacram. Matrimonii. p.* 3. *Concil.* FOROJUL. *ann.* 791. *Cap* 10. TOM. V. CONC. *p.* 1005.

I. Nolite vos viri habere uxores, quarum priores mariti vivunt, adulterina enim sunt ista conjugia. *Concil.* TROSLEIANUM *ann.* 909. *Cap.* 8. TOM. IX. CONC. *p.* 544.

II. Si viro vivente mulier per incontinentiam alteri nupserit, procul dubio adultera erit. *Ibid.* Cap. 21. *Si quis conjugatus.* Licitè dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterii qui dimissam duxerit, etiam ob causam fornicationis; manente enim in se vinculo fœderis conjugalis, uxor dimittitur ob causam fornicationis; nec carebit illo vinculo, etiamsi nunquàm reconcilietur viro. CAUS. XXXII. QUÆST. VII. *Cap.* 2. *Licitè.*

III. Non debet dimissâ conjuge suâ vir aliam ducere, hic actus similis est in viro & muliere. CAUS. XXXIV. QUÆST. I. & II. *Cap.* 7. *fin. Concil.* TRIBUR. *ann* 895. *Can.* 46. TOM. IX. CONC. *p.* 463.

IV. Si vir uxorem dimiserit, quod causâ fornicationis permittitur, maneat sine uxore, aut reconcilietur uxori. *Ibid.* CAUS. XXXII. QUÆST. VII. *Cap.* 3. *Apostolus. fin.*

V. Si nec uxori nubere conceditur vivo viro, à quo recessit; neque huic alteram ducere vivâ uxore quam dimisit; multò minùs fas est illicita cum quibuslibet stupra committere. *Ibid. Cap.* 4. *Fieri. med.*

VI. Placuit ut secundum Evangelicam & Apostolicam Disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa marito alteri conjungantur, aut sibimet reconcilientur; sed ita maneant, aut sibi reconcilientur: quod si contempserint, ad Pœnitentiam redigantur. *Ibid. Cap.* 5. *Placuit.*

VII. Rectè dici non potest, si causâ fornicationis vir uxorem dimiserit, & aliam duxerit, non mœchatur. Est enim etiam mœchatio eorum, qui alias ducunt relictis propter fornicationem prioribus, sed utique minor, quàm illorum qui non propter fornicationem dimittunt, & alteras ducunt. *Ibid.* CAUS. XXXII. QUÆST. VII. *Cap.* 10.

VIII. Dominus mœchum dixit etiam virum, qui eam duxerit quæ soluta est à viro. *Ibid. Cap.* 6. *Dominus. fin.*

IX. Conjux potest separari, ita quod ei nubere alii non liceat, quia licet separentur, semper tamen conjuges erunt. *De Divortiis.* Cap. *Quæsivit.* §. 2. *Verum.* LIB. IV DECR. *Tit.* 19. *Cap.* 2.

X. Mœchatur omnis qui dimittit uxorem suam, & ducit alteram, etsi propterea duxerit ut faciat Christianam. CAUS. XXXII. QUÆST. VIII. Cap. unico. *Non solùm. init.*

XI. Si vir uxorem suam causâ fornicationis dimittat, tunc eam sibi reconciliare debet, aut ipsâ vivente continere. *De Sponsalibus.* Cap. *Ex parte.* §. *quia igitur.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 1. *Cap.* 9.

XII. Uxori non licet dimittere virum suum, ut alteri se, vivente eo, Matrimonio societ, aut eum adulteret, licet fornicatus sit vir ejus; sed juxtà Apostolum, aut viro suo reconciliari debet, aut manere innupta CAUS. VII. QUÆST. I. *Cap.* 11. *Sicut. post init.* Non rejiciendus hic Canon ex eo quod ex Pseudo-Evaristo desumptus sit, cùm nihil aliud contineat quàm quod in testimoniis ævi ipsius impostoris, aliisque temporis præcedentis habetur.

XIII. Qui uxorem suam in adulterio deprehensam abjecerit, si aliam superinducat, debent ab invicem separari. *De eo qui duxit &c.* Cap. *Ex Litterarum.* §. *fraternitati,* LIB. IV. DECR. *Tit.* 7. *Cap.* 4.

SECTIO XIII.

Quomodo animadverti possit in conjuges adulteros, & quâ pœnâ puniri debeant?

I. Non licet homini Christiano adulteram conjugem occidere, sed tantùm dimittere; utrumque secundùm Legem CHRISTI illicitum est, sive adulteram occidere, sive illâ vivente alteram ducere. CAUS. XXXIII. QUÆST. II. *Cap.* 9. *Si quod verius. init.*

II. Si cujus uxor adulterium perpetraverit, marito non licet eam interficere. CAUS. XXXIII. QUÆST. II. *Cap.* 6. *Inter hæc.*

III. Mulier ut à viro recedat, cui per adulterium est conjuncta, per Censuram Ecclesiasticam cogi debet. *De Conversione conjug.* Cap. *Constitutus.* §. *idcòque.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32. *Cap.* 15.

IV. Mulieres, quæ relicto maritali Thoro, lapsu carnis ceciderunt, si mariti earum diligenter commoniti, eas ad frugem melioris vitæ conversas noluerint recipere propter Deum, in claustris (*a*) cum Religiosis mulieribus collocari, ut perpetuam Pœnitentiam ibi agant. *Ibid. De Convers. conjug.* Cap. *Gaudemus.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32. *Cap.* 19. (*a*) *Journal des Audiances.* I. Tome, Livre III. Chap. 45. *p* 275.

V. Separentur omninò & eis injunctâ Pœnitentiâ perpetua continentia indicatur, qui publicè in adulterio perdurantes Ecclesiam in gravi scandalo perturbaverint. *De eo qui duxit.* Cap. *Cùm haberet.* §. *tale. init,* LIB. IV. DECR. *Tit.* 7. *Cap.* 5.

VI. Si

VI. Si aliqui quos manifestum sit & notorium oxotem alterius detinere, appellaverint; eidem appellationi non est aliquatenùs deferendum. *De Appellationibus.* Cap. *Consuluit.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. *Cap.* 14.

VII. Diœcesanus audiens uxorem à viro depulsam cum quodam adultero fornicari, eam & illum (putà præmissis debitis monitionibus) vinculo Excommunicationis adstringat. *De Adulteriis.* Cap. *Intelleximus. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 16. Cap. 6. *init.*

VIII. Si mulier ob causam fornicationis, judicio Ecclesiæ, aut propriâ voluntate, à viro recesserit, nec reconciliata posteà sit eidem, dotem vel dotalitium repetere non valebit. *De donationibus.* Cap. *Plerumque.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 20. *Cap.* 4. Mulier propter adulterium à viro separata perdit dotem. *Glossa.*

SECTIO XIV.

Quandonam debeant reddere vel exigere debitum conjugale, qui impedimenti dirimentis conscii sunt, nec possunt illud probare?

I. Qui de morte prioris Conjugis sibi adhuc æstimat judicandum, ei quæ sibi nupsit, debitum non deneget postulanti, quod à se tamen noverit nullatenùs exigendum. LUCIUS III. Cap. 2. *De secund. Nuptiis.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 21. Cap. *Dominus.*

II. Cùm alter Conjugum pro certo scit impedimentum Conjugii, propter quod sine mortali peccato non valet carnale commercium exercere, quamvis illud apud Ecclesiam probare non possit, debet potiùs Excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quàm per carnale commercium peccatum operari mortale. *De Sent. Excom.* Cap. 44. *init.*

III. Cùm id non scit pro certo, sed credit tantùm, si habeat conscientiam hujusmodi ex credulitate levi & temerariâ, ad sui Pastoris consilium conscientiâ levis & temerariæ credulitatis explosâ, licitè potest non solùm reddere, sed exigere debitum conjugale. *Ibid.*

IV. Verùm cùm conscientia pulsat animum ex credulitate probabili & discretâ, quamvis non evidenti & manifestâ; debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro vel contrà Legem Conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam. *Ibid. fin.*

V. Cùm mulier quæ impedimenti habet notitiam, non possit viro sine mortali peccato carnaliter commisceri, quoniam omne quod non est ex fide peccatum est, etiamsi in tali casu adjudicaretur restitutio spoliato; illa contra Deum non debet in hoc Judici obedire, sed potiùs Excommunicationem humiliter sustinere. *De Restitutione spoliatorum.* Cap. *Litteras.* §. 8. *Porrò.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. *Cap.* 13.

SECTIO XV.

Quomodo procedi possit in judicio Ecclesiæ, cùm proponuntur impedimenta dirimentia, & qui accusatores admitti?

I. Si manifestum est impedimentum quod asseritur, aut legitimi accusatores & testes appareant; etiamsi alter conjux, postquàm fuerit cum omni diligentiâ requisitus, nequiverit inveniri, testes recipi possunt, & sine Canonico judicium terminari. *Qui Matrimonium accusare &c.* Cap. *Relatum est.* §. *Cæterum.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 18. *Cap.* 1. In causâ Matrimoniali lite non contestatâ, recipiuntur testes alterâ Parte absente. *Glossa.*

II. Super accusatione Matrimonii nullius momenti est, quoad sententiam proferendam, sola scriptura accusatoris & testium, nisi voce propriâ depromant, quod intendunt. *Qui Matrim. accusare &c.* Cap. *A nobis.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 18. *Cap.* 2.

III. Contrà virum & uxorem qui sibi fuerunt legitimè copulati, & in eâdem domo ferè per septennium habitaverunt; aliqui testes super impedimenta audiendi non sunt, nisi probatæ sint vitæ & opinionis, de quibus verisimile non sit quod debeant lucro aliquo dejerare. *De Testibus.* Cap. *In Litteris. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. *Cap.* 24.

IV. Si post contractum Matrimonium, aliquis appareat accusator, cùm non prodierit in publicum quandò banna secundùm consuetudinem in Ecclesiis edebantur, si tempore denuntiationis præmissæ extrà Diœcesim existebat, vel aliàs denunciatio non potuit ad ejus notitiam pervenire, ut putà si nimis infirmitatis fervore laborans sanæ mentis patiebatur exilium, vel in annis tàm teneris constitutus, quod ad comprehensionem talium ejus ætas sufficere non valebat, seu aliâ causâ legitimâ fuerit impeditus, ejus accusatio debet audiri. *Qui matrim. accusare.* Cap. *Cùm in tuâ.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 18. *Cap.* 6. CUJACIUS. *in Cap.* 24. *De Test.* Notat testes domesticos in prædicto casu maximè rejiciendos fuisse, quia manifesta argumenta erant adversùs virum ex septenni consuetudine cum uxore, ex silentio malâque fide ante conjugium, ex Conjugio solemniter celebrato nullo contradicente; alioquin cùm rationabiliter præsumatur quod denuntiationem publicè factam idem existens in ipsa Diœcesi minimè ignoravit; tanquam suspectus est procul dubio repellendus, nisi proprio firmaverit juramento, quod posteà didicerit ea quæ objecit, & ad hoc ex malitiâ non procedat. *Ibid.* §. *Super quo med.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 18. *Cap.* 6.

V. Tunc etiamsi didicisset ab illis, qui denunciationis tempore siluerunt, claudi non debet eidem aditus accusandi, quoniam etsi ab impetitione hujusmodi culpa de tali silentio contracta illos excluderet; iste tamen amoveri nequiret, cùm culpabilis non existat. *Ibid. fin.*

VI. Si super alicujus copulâ maritali quæstio moveatur; ne propter longam moram viro sive mulieri fornicationis occasio præbeatur, maximè cum propinquitatis gradus opponitur in Lege Divinâ prohibitus; si contumax apparuerit, is in quem fuit actio dirigenda, sive quia peremptoriâ citatione receptâ venire contemnit, sive quia malitiosè se ipsum occultat, sive quia impedit ne possit ad eum citatio pervenire; testes lite non contestatâ sunt meritò admittendi, & nihilominùs, si de causâ liqueat, ad definitivam sententiam est procedendum. *Ut Lite non contestata* Cap. *Quoniam.* §. 3. *Porrò. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 4. Cap. 5.

VII. Si verò aliter absens fuerit, tamdiù alteruter Conjugum expectetur, donec de ipsius obitu verisimiliter præsumatur, quia cum sine culpâ sit absens ei præjudicari non debet, cùm habeat forsan exceptiones legitimas, ad intentionem contrariam elidendam, eo nequaquàm obstante quod de lapsu carnis posset opponi. *Ibid.* §. 6. *Si autem.*

VIII. Quod Legibus Pater non recipiatur in causâ filii, nec filius in Causâ Patris, in Criminalibus & Contractibus verum est; in Matrimonio verò conjungendo vel disjungendo, ex ipsius Conjugii prærogativâ, & quia favorabilis res est, congrue admittuntur. *Qui Matrimonium accusare.* Cap. ult. §. *Quod verò,* LIB. IV. DECR. *Tit.* 18. Cap. 3.

IX. Pater potest filiæ Matrimonium accusare, sed si intellectui suo prava non possint opera respondere, offeratque se ab accusatione destitutum iri mediâ pecuniâ, ab accusatione repelli debet. *Ibid.* Cap. *Significanti.* 3.

TITULUS XV.

De cæteris quæ pertinent ad causas Matrimoniales.

SECTIO I.

Qui sint causarum Matrimonialium Judices, & quales esse debeant, & quas regulas observare?

I. Causæ Matrimoniales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantùm examini & Jurisdictioni relinquantur. *Concil.* TRID. SESS. XXIV. *Decreto* 10. *De Refor.* Cap. 20. *med.*

II. Si quis dixerit Causas Matrimnniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, Anathema sit. *Concil.* TRID. SESS. XXIV. *Canone* 12. *ultimo.*

III. Non sunt Causæ Matrimonii tractaudæ per quoslibet, sed per Judices discretos, qui potestatem habeant judicandi, & Statuta Canonum non ignorent. *De Consanguinit. & Affinit.* Cap. *Ex Literis.* §. ult. *Caterùm.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 14. Cap. 1.

IV. In Matrimoniali Causâ, cùm majores Judices exigant, Arbiter nequit assumi. *De in integram Restitutione.* Cap. *Causa.* §. *Delegati. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 41. Cap. 9.

V. Judex non potest interponere partes suas ad componendum in causâ Matrimoniali, ubi Laici uxores suas secundùm motum propriæ voluntatis dimittere, & alias superducere non verentur; quia in hâc causâ compositionis, sive Dispensationis, remedium non admittit conjugii Sacramentum; quod cùm non solùm apud Latinos, & Græcos, sed etiam apud Fideles & Infidelex existat, à severitate Canonicâ circa illud recedere non licet. *De Transactionibus.* Cap. *Ex parte tua.* LIB. I DECR. *Tit.* 36. Cap. 11.

VI. Judex providere debet, ut super Sponsalibus, quæ ioter aliquos contracta proponuntur, Procurator idoneus ad præsentiam suam mittatur, qui ad agendum & respondendum plenam habeat potestatem. *De Procuratorib.* Cap. *Accedens.* §. *Tu ergo.* LIB. I. DECR. *Tit.* 38. Cap. 10.

VII. In Causis Matrimonialibus consultius est, multitudini & observatæ consuetudini deferre, quàm aliud in dissensionem & scandalum populi statuere, quadam adhibitâ novitate. *De Consang.* Cap. *Quod dilectio.* §. *Nos itaque. fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 14. Cap. 3.

VIII. In his quæ omninò dubia sunt, Episcopus debet Consoetudinem suæ Metropolitanæ Ecclesiæ, vel aliarum circumpositarum, inquirere & diligentiùs imitari, ita quod si ejusdem Ecclesiæ Consuetudo habet inter aliquos non sustinere conjugium fieri, nec factum firmitatis robur habere, ipse simili modo in Ecclesiâ sibi commissâ conjugium hujusmodi fieri non permittat; etsi quos taliter conjunctos invenerit juxtà earumdem Ecclesiarum Consuetudinem, ipsos separare ab invicem non omittat. *De Cognatione spirituali.* Cap. *Super eo. med.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 11. Cap. 5.

IX. Verùm si de Consuetudine habeatur, ut talia conjugia permittantur, id Episcopus in Ecclesiâ suâ dissimulare poterit; ita quod contradicere, nec suum videatur præstare assensum. *Ibid.* Quod restringendom ad consuetudinem quæ sibi non probanda videtur; prædictæ enim differentiæ alia causa noo apparet.

X. Sicut grave est antiquam Consuetudinem circumadjacentium Ecclesiarum super causis Matrimonialibus contemnere; sic quoque gravius videtur, si Episcopus propter eam aliquibus conjugiis suom indulgeat assensum, cùm posset sic in exemplum assumi. *Ibidem. fin.* Quæ ratio confirmat adjectam suprà restrictionem.

SECTIO II.

An, & quandò Judex debeat decernere restitutionem uxoris, cùm à conjuge repetitur?

I. Matrimonialis contractus est multùm favorabilis. *De Conditionibus appositis.* Cap. *Si conditiones. med.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 5. Cap. 7.

II. Matrimonium est res favorabilis. *De Appellationibus.* Cap. *Directæ.* §. *Respondemus. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 39.

III. Conjugium favorabilis res est. *Qui Matrimonium accusare.* Cap. *Videtur.* §. *Quod verò. fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 18. Cap. 3.

IV. Si vir ad judicium alicujus, quod nou tenet, uxorem dimiserit; ut eamdem mulierem, sicut uxorem suam benignè recipiat, & maritali affectione pertractet, monitiooe præmissâ cogi debet. *De Officio & Potest. Jud. Deleg.* Cap. *Causam.* §. 1. *Discr.* LIB. I. DECR. *Tit.* 29. Cap. 16.

V. Si qui verò apparuerint qui, postqoàm ab eo recepta fuerit, Matrimonium ipsorum velint & legitimè possiut impetere, Judex causam audire debet, & fine Canooico terminare. *Ibid.* §. ult. *Si qui.* LIB. I. DECR. *Tit.* 29. Cap. 16.

VI. Vir mulierem indebitè recusantem sibi cujus uxor est, per consensum de præsenti, & carnis copulam subsecutam, Matrimonialiter adhærere, potest sibi restitui postulare. *De Conversione Conjugat.* Cap. *Dudùm init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32. Cap. 20.

VII. Si Judici constiterit quod mulier viro alicui legitimè (*a*) desponsata fuerit, (*b*) & ab eo cognita; ipsam ei restitui faciat: receptâ tamen sufficienti cautione, quod illi non debeat aliquod malum inferre. *De Restitutione Spoliatorum.* Cap. *Ex transmissâ. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. *Cap.* 8. (*a*) Per legitimum consensum de præsenti utriusque, per verba idonea expressum. *Glossa, hoc verbo.* (*b*) Qui petit restitutionem uxoris, duo debet probare, legitimam desponsationem, & copulam carnalem. *Glossa. ibid.* A posteriori excipiendus casus earum quarum Matrimonium nondùm est consummatum, & bimestre, ad deliberandum an Professio Religiosa præferretur illius consummationi, jamjam effluxit.

VIII. Si autem capitali odio ita mulierem vir persequitur, qood meritò de ipso diffidat, alicui probæ & honestæ mulieri usque ad causæ decisionem custodienda studiosiùs committatur, in loco ubi vir, vel Parentes ejus, nullam possint violentiam inferre. *De Restit. Spoliat.* Cap. *Ex transmissa.* §. 1. *Si autem.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 8.

IX. Si mulier quæ nondùm septem annorum alicui promissa, & traducta fuerit in domum ejusdem, postmodùm alii nopserit, non est ambigendom quin pars ea quæ mulieris restitutionem sibi fieri priùs postulat, restitui nequaquàm debeat; utpotè uullo joris seu possessionis commodo destituta; cùm per solam traductionem nullom inter eos obligatorium vinculum sit contractum. *De Restitut. Spoliator.* Cap. *Ex parte.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 14.

X. Exceptio legitima est viri contra restitutionem ipsius quam petit mulier; quod aliam tunc viventem priùs duxerat in uxorem. *De Testibus.* Cap. *Ex tenore.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 35.

XI. Si ex parte mulieris extitit replicatum, quod eo tempore necnon & ante, quo testes ejusdem viri dixerunt, eum cum aliâ Matrimonium coutraxisse, fuerat in aliâ Provinciâ commoratus; idque per testes idoneos sit probare parata; etiam post publicationem attestationum ad probandom illum articulum, testes mulieris sunt admittendi. *Ibid. De Testibus.* Cap. *Ex tenore. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 35.

XII. Si quis cùm mulierem sibi Matrimonio copulasset, & maritali affectiooe pertractans, ex ipsâ filiam

juf-

susceperit, sine judicio Ecclesiæ à se removit eamdem, accusaturus super consanguinitate Matrimonium; mulieri antè ipsius causæ ingressum, & post, virum sibi restitui postulanti, Judices mulieri virum restitui faciant. *De Restit. Spoliat.* Cap. *Ex conquestione.* Lib. II. Decr. *Tit.* 13. *Cap.* 10. Explicandus est Textus hic per *Caput* 13. *ejusdem Tit.* quod docet denegandam restitutionem, si agatur de gradu Lege Divina prohibito, & prompta sit probatio.

TITULUS XVI.

De Dote Mulieris, ac Viri Donationibus.

SECTIO I.

Quid sit Dos, an, & propter quid danda sit?

I. Illud ignorari non debet quod uxor dare dicitur viro dotem, vir autem uxori donationem facere propter nuptias, secundùm Legitimas Sanctiones. *De Donationibus inter virum & uxorem.* Cap. *Nuper.* §. ult. *Illud.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 20. Cap. 6.

II. Nullum sine dote fiat conjugium; juxta possibilitatem fiat dos. Caus. XXX. Quæst. V. Cap. 6. *Nullum.*

III. Literæ falsitate expressâ fuerunt impetratæ, eo quod suggestum fuit castrum ad mulierem ratione dotalitii pertinere, cùm nec ab initio, nec durante Matrimonio, à viro sibi fuerit in donationem propter nuptias assignatum. *De Foro competenti.* Cap. *Ex parte. med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 2. *Cap.* 16. Dotalitii, id est, donationis propter nuptias. *Gloss. hoc verbo.*

IV. Cùm satis possit ei modicum credi dotis, cui creditum est corpus uxoris; viro pauperi dos assignari debet, sub ea quam potest cautione præstare. *De Donationibus.* Cap. *Per vestras.* §. *Cùm ergo.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 20. Cap. 7.

V. Dos viro assignatur, ut de parte honesti lucri, vir onera possit Matrimonii sustentare. *Ibid.*

VI. Cùm inter aliquos Matrimonium non existit, nec dos, nec donatio propter nuptias stare potest; ne ad commodum ei cedat, quod debet in pœnam ejus potiùs retorqueri. *De Donat.* Cap. *Et necessit. med.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 20. Cap. 5.

VII. Si aliqua terra data fuerit alicui, non in hæreditatem vel feudum, sed tantùm quoad vixerit possidenda; & ipse postmodùm aliquam illius partem uxori suæ concesserit; non potest uxori relinquere, nisi quoad vixerit, possidere. *Ibid.* Cap. *Nuper.* §. 1. *Postulasti. med.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 20. Cap. 6.

SECTIO II.

Qua ratione dos solvi debeat? An alienari vel amitti possit? Et quomodo recuperari, vel restitui?

I. Gener ad fructus possessionum, quæ sibi à socero sunt pro numerata dote pignori obligatæ, computandos in sortem non est compellendus; cùm frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera Matrimonii supportanda. *De usuris.* Cap. *Salubriter.* Lib. V. Decr. *Tit.* 19. Cap. 16.

II. Si constante Matrimonio, mulieres alienationibus super rebus dotalibus, & donationibus propter nuptias consentiant, illarum consensus in talibus non videtur obligatorius, secundùm legitimas Sanctiones. *De Jurejur.* Cap. *Cùm contingat.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 28.

III. Quod si, ne ulteriùs contraveniant, proprio Sacramento firment, ne tali prætextu viam contingat perjuriis aperiri; mulieres ipsæ servare debent hujusmodi Juramenta sine vi & dolo præstita, cùm in alterius præjudicium non redundent, nec observata vergant in dispendium salutis æternæ. *Ibid. De Jurej.* Cap. *Cùm contingat.* §. *Nos autem. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 28.

IV. Maritus recipiens pignus pro dote promissa, non tenetur fructus in sortem computare. *Summa.* Judex sæcularis, cujus est de dote aliisve similibus cognoscere, nullam haberet rationem hujusce Juramenti, utpotè vulgò non liberi, & ad firmandum contractum irritum adinventi aut saltem exacti. Maritus fructus rei dotalis vel oblatæ pro dote, non tenetur in sortem computare. *Glossa.*

V. Dos omnibus creditoribus præfertur. *De Pignorib.* Cap. *Ex Literis. in int. post init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 21. Cap. 5.

VI. Omnia bona mariti mulieri propter dotem obligantur. *Ibid.*

VII. Culpa viri sui nequaquam mulieri de jure debet nocere. *Ibid.*

VIII. Consuetudo abusiva est, quod si fortè quis prodigalitatis vitio vel incuriâ, seu quocunque alio casu dissipaverit, vel amiserit omnia bona sua; bona uxoris suæ, quantumcunque laudabilis & honestæ vitæ, tàm mobilia, quàm immobilia pro voluntatis suæ arbitrio alienat. *De Consuetudine.* Cap. *Ex parte. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 4. Cap. 10.

IX. Mulieres quæ alienationibus dotium & donationum propter nuptias consentiunt, non contravenire proprio Juramento firmantes, servare Juramentum hujusmodi, non vi, nec dolo præstitum, de Jure Canonico tenentur. *In 6. De Jurejur.* Cap. *Licet. init.* Lib. II. *Tit.* 11. Cap. 2. V. Cujacium *in* Cap. 9. *De Jurejurand.* ubi citat Constitutionem Frederici quæ jubet mulieres non juvari Senatus-Consulto Velleiano in his quæ Sacramento firmavère, eoque casu minores privilegio suo frui; ubicumque Lex hæc recepta est, non dubium quod obligationes quæ Jure Civili aliàs non valerent, accedente Sacramento firmentur, cùm ab ipso hic casus excipiatur. Hoc restringendum ad Regiones ubi consentiunt hujusmodi Canonicè dispositioni.

X. Si probatum est quod pro facinore à marito alicujus mulieris commisso, eo fugam petente, de Regii Justitiarii mandato, bonorum omnium delinquentis facta sit distractio, cùm mulieribus favor multus in recuperandis dotibus debeatur, & cautum sit in Jure quod propter maleficium viri, mulier remanere non debeat indotata; cùm etiam bona viri mulieri sint pro dote tacitè obligata, & cum suo onere transeant ad quemlibet possidentem, ad restitutionem dotis ei mulieri eatenùs condemnari quis debet, quatenùs de bonis mariti noscitur possidere. *De Pignor.* Cap. *Ex Literis.* Lib. III. Decr. *Tit.* 21. Cap. 5.

XI. Mulieribus favor multus in recuperandis dotibus debetur. Mulier propter maleficium viri non amittit dotem. Bona viri mulieri sunt tacitè obligata pro dote, cum onere suo transeunt.

XII. Soluto Matrimonio, sicut dos ad mulierem, sic & donatio propter nuptias redit ad virum, nisi de consuetudine secùs obtineat, vel ex pacto de lucranda dote, vel donatione propter nuptias, quod æquale sit, hincindè contrarium inducatur. *De Donationib.* Cap. *Donatio.* §. *Sanè.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 20. Cap. 8. *Finali.*

XIII. Mulieres cùm pro aliqua licita causa, à propriis viris fuerint separatæ, tota dos iis reddi debet. *Ibid. De Donationibus.* Cap. *Mulieres.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 20. Cap. 1.

XIV. Soluto Matrimonio, dos redire debet ad mulierem, & donatio ad virum. *Glossa.* Consuetudo vel pactum in hoc derogat Legi. *Glossa.* Pactum illud debet esse æquale ex utraque parte. Separato licitè Matrimonio dos restituenda est.

XV. Divortio inter aliquos solemniter celebrato, si non est aliud quod obsistat, vir ad restitutionem dotis, & divisionem eorum quæ olim communiter habuerunt, compelli debet. *Ibid.* Cap. *Significavit.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 20. *Cap.* 2. Divortio celebrato cogitur vir dotem restituere, & bona dividere quæ eis communiter obvenerunt. *Summa.*

XVI. Si sententiam divortii proferri contingat mulieri, pecunia quam viro pro dote concessit, restitui debet. *De Conjugia servorum.* Cap. *Praposuit.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 9. *Cap.* 2.

TITULUS XVII.

De prole legitima, vel illegitima.

SECTIO I.

De filiis ex legitimo Matrimonio susceptis, eorumque juribus?

I. SI filius onus sibi à Patre injunctum, & ab eo sponte susceptum, occasione qualibet detrectaverit, paternâ se reddit successione indignum, & hæreditatis emolumento privari meretur, cujus recusaverit onera supportare. *De voto & voti &c.* Cap. *Licet. §. mandamus.* Lib. III. Decr. *Tit.* 34. *Cap.* 6.

II. Si Pater filiis suis uxores suas intrà certum terminum non restituerit, ad id per Censuram Ecclesiasticam compelli poterit. *De Sponsalibus.* Cap. *Non est. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. *Cap.* 11.

III. Quæstio nativitatis præjudicialis est quæstioni ad hæreditatem, etiamsi quæstio hæreditatis primò sit mota. *Qui filii sint legitimi.* Cap. *Lator. Glossa* colligit. Lib. IV. Decr. *Tit.* 17. *Cap.* 5. *Cap.* 3. *De Ord. cognit.* ubi vera sedes hujus argumenti, sive quæstionis.

IV. Non licet exhæredare filios vel filias levi de causâ. *De jurejurando.* Cap. *Quintavallis.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. *Cap.* 23.

V. Filii sub potestate & tutela matris minimè permanent, cùm jam ad secunda vota transivit. *De Appellationibus.* Cap. *Ex parte.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. *Cap.* 67.

SECTIO II.

Quandonam filii habendi sint legitimi?

Non debent illegitimi reputari, qui de adulterâ conscientiâ non nascuntur. *Qui filii.* Cap. *Ex tenore. in int. med.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 17. *Cap.* 14.

I. Tanta est vis Matrimonii, ut qui anteà sunt geniti, post contractum Matrimonium legitimi habeantur. *Qui filii sint legitimi.* Cap. *Tanta. init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 17. *Cap.* 6.

Matrimonium sequens legitimat filios antè illud ex soluto & solutâ susceptos. *Glossa.*

II. Mulier exhæredari non potest ex eo quod antè desponsationem matris suæ nata fuerit, si postea pater mulieris præfatæ matrem ipsius acceperit in uxorem; ea enim legitima judicari debet, nec illi hac occasione super hæreditate paterna, molestia inferri potest vel gravamen. *Ibid. Qui filii &c.* Cap. *Conquestus est.* Lib. IV Decr. *Tit.* 17. *Cap.* 1.

III. Tales filii exhæredari non possunt, hac occasione quod antè Matrimonium nati. Vide *De Convers. infid.* Lib. III. Decr. *Tit.* 33. *Cap.* 1. *in int. fin.*

IV. Si qui de Matrimonio ab Ecclesiâ comprobato & rato habito generati fuerint, eos legitimos judices filios & hæredes. *De Clandest. Desponſ.* Cap. *Quod nobis. fin. in int.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 3. *Cap.* 2.

V. Si constiterit quod puella de quadam muliere tempore viri sui, ipsa cùm alio tanquam cùm viro suo morante, istoque ipsam habentem virum publicè tenente, nata fuit, eam non fuisse legitimam istius filiam judicari debet. *Ibid.* Cap. *Causam.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 17. *Cap.* 4.

VI. Proles ex adulterio suscepta non est legitima. Si aliqua mulier vivente marito, alteri de facto matrimonialiter se conjungat, proles ex tali Matrimonio nata, illegitima judicatur. *Glossa.* Habere non potest hæreditatis consortium, qui non habet originis privilegium. Caus. XXXII. Quæst. IV. *Cap.* 9. *med.* Abdicitur filiis meretricum legitima hæreditas. *Concilium* Calchutense *ann.* 787. *Cap.* 16. Tom. VI. Conc *p.* 1869.

VII. Si vir vivente uxore suâ aliam cognoverit, & ex eâ prolem susceperit, licet post mortem uxoris eamdem duxerit; nihilominùs spurius erit filius, & ab hæreditate repellendus. *Qui filii &c.* Cap. *Tanta.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 17. *Cap.* 6. Non legitimatur per subsequens Matrimonium filius ex adulterio susceptus.

VIII. Si vir mulierem in facie Ecclesiæ, ignaram quod ipse aliam sibi matrimonialiter copulasset, duxerit in uxorem, & dùm ipsa conjux ipsius legitima putaretur, filium susceperit ex eadem, in favorem prolis declinandum potiùs est, & is legitimus reputandus. *Ibid.* Cap. *Ex tenore. §. Intelligentes.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 17. *Cap.* 14.

IX. Si inter patrem & matrem alicujus Matrimonium fuit legitimè celebratum, & illi quamdiù vixerunt, quietè permanserunt, itaque natus ex illo filius legitimus censeri debet. *Ibid.* Cap. *Pervenit.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 17. *Cap.* 11.

X. Si constiterit quod Episcopus inter aliquos sententiam divortii tulerit, & mulieri ut alium duceret, facultatem indulserit; filii quos illa sustulit de alio ad cujus copulam autoritate Episcopi migravit, legitimi judicari debent, & hac occasione ab hæreditate non possunt excludi. *Ibid.* Cap. *Perlatum est. §. ideòque.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 17. *Cap.* 8. Ignorantia alterius parentis facit quod filii de Matrimonio cum conjugato nati legitimi sint. *Glossa.* Ex quo Matrimonium in facie Ecclesiæ contractum est, & simul manent tanquàm vir & uxor, filii indè nati legitimi debent judicari. *Glossa.* Filii nati de Matrimonio autoritate Ecclesiæ contracto legitimi sunt habendi, licet Matrimonium non fuerit legitimum. *Glossa.*

XI. Si impedimentum fuerit comprobatum, priorem mulierem non esse viri conjugem apparebit; & per consequens alia mulier videbitur ipsi legitimè copulata, & filios ei legitimos (a) peperisse. *Qui filii sint legitimi.* Cap. *Per Venerabilem. §. videbatur. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 17. *Cap.* 13. (a) Matrimonium quod non tenet non impedit aliud Matrimonium quod de jure potest valere, cùm posteà constiterit, quod primum nullum fuit, & filii de secundo nati legitimi sunt. *Glossa.*

XII. Si Matrimonium inter patrem & matrem ob impedimentum dirimens contrahi non potuit, & contractum debuit separari, cùm filii ex iis nati per Ecclesiæ permissionem, nec per paternam ignorantiam excusantur, non sunt legitimi, & ad successionem bonorum paternorum non videntur aliquatenùs admittendi. *Qui filii sint legitimi.* Cap. *Referente.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 17. *Cap.* 10.

Illegitima est proles eorum, qui habent impedimentum dirimens, nisi vel habeant Ecclesiæ Dispensationem, vel alteruter ignoret impedimentum.

XIII. Cùm inter virum & mulierem divortii sententia Canonicè est prolata, filii eorum non debent exindè sustinere jacturam, cùm Parentes eorum publicè & sine contradictione Ecclesiæ inter se contraxisse noscuntur. *Ibid.* Cap. *Cùm inter.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 17. *Cap.* 2. *init.*

XIV. Filii eorum quos antè divortium habuerunt, & qui concepti fuerunt antè latam sententiam, non minùs habeantur legitimi, & in bona paterna hæreditario jure succedant, & de Parentum facultatibus nutriantur. *Ibid. fin.*

XV. Si quis gerat se filium & hæredem aliquorum, quamvis à viciniâ, quæ ipsum filium eorum esse credit, spurius dicatur; standum est verbo viri & mulieris, si dicant se eum pietatis intuitu nutrivisse, & spurium suum, aut legitimum filium esse negent; nisi certis indiciis & testibus constiterit eorum esse filium. *Ibid.* Cap. *Transmissæ.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 17. *Cap.* 3.

SEC-

SECTIO III.

An, & quomodò censendi sint legitimi & hæredes, si post Parentum decessum, de illorum statu dubitetur?

I. Incongruum videtur, ut Matrimonium genitricis alicujus impetatur, quod eâ vivente non fuit impetitum. *Qui Filii sint legitimi.* Cap. *Causam. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 17. Cap. 7.

II. Cùm inter Patrem & Matrem alicujus, Matrimonium fuit legitimè celebratum, & quamdiù vixerunt quietè permanserunt; post illorum decessum, non sufficit quosdam asserere illum non fuisse de legitimo Matrimonio susceptum, ut à paternâ hæreditate tanquàm illegitimus amoveatur, sed debet legitimus pronunciari. *Ibid.* Cap. *Pervenit.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 17. Cap. 11.

III. Habere non potest hæreditatis consortium, qui non habet originis Privilegium. Caus. XXXII, Quæst. IV. *Cap.* 9. *Dicat aliquis. med.*

IV. Si ancillæ Filius hæres non est, ergò nec Filius est. *Ibid.*

V. Si quis ex muliere, quam secundùm opinionem majoris partis viciniæ, in concubinam habebat, prole suscepta, quamdam post & aliam eâ defunctâ duxit in uxorem; processu verò temporis, cùm ageret in extremis, eum quem ex putatâ concubinâ susceperat, in testamento hæredem instituens legitimum Filium appellaverit; cùm plus sit quod in veritate agitur, quàm quod simulatè concipitur, licet cùm, eâ dimissâ quam ut concubinam habuerat, ad alia vota transiverit, videatur ipso facto Matrimonium, quod inter eos celebratum fuerat, denegasse; si tamen Desponsatio per consensum legitimum, per verba de præsenti expressum, legitimè comprobata, eos matri nonialiter fuisse conjunctos ostendit, tùm Filium istius viri & hæredem esse legitimum judicari debet. *Qui filii sint legitimi.* Cap. *Per tuas.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 17. Cap. 12.

SECTIO IV.

Etsi gravissimum sit peccatum, cùm mulieres prolem de adulterio suscipiunt, vel cùm partum supponunt alienum, non est tamen iis deneganda Pœnitentia, & earum impensis hujusmodi filii enutriri debent.

I. Mulieri quæ ignorante marito de adulterio prolem suscepit, quamvis id viro suo timeat confiteri, non est Pœnitentia deneganda. *De Pænit. & Remiss.* Cap. *Officii.* §. *Quoniam* Lib. V. Decr. *Tit.* 38. Cap 9.

II. Si quæ mulier in Pœnitentia fuerit confessa, quod timens ne viri possessio devolveretur ad alios, quarumdam herbarum succum potavit, & sic venter ejus intumuit; & indè gravidam se ostendens marito, partum supposuit alienum; timensque eum non vult facinus ipsi detegere, qui prolem credit sine dubitatione qualiber esse suam; hâc fraude durante, illi mulieri non debet Pœnitentia denegari; sed competens satisfactio per discretum Sacerdotem, ei debet injungi. *Ibid.* Cap. *Officii.* Lib. V. Decr. *Tit.* 38. Cap. 9.

III. Non cogitur mulier ad detegendum marito crimen, vel suppositi partûs alieni, vel prolis ex adulterio susceptæ. *Ibidem.* Colligitur.

IV. Pœnitentia per discreti Sacerdotis arbitrium est moderanda, pensata qualitate personæ super adulterio, & aliis criminibus, consideratis circumstantiis omnibus. *Ibid. De Pænitentiis.* Cap. *Deus.* §. 1. *init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 38. Cap. 8.

V. Parentes liberis suis ex adulterio susceptis, secundùm quod suppetunt eis facultates, necessaria subministrare tenentur. *De eo qui duxit.* Cap. *Cùm haberet.* §. *tale. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 7. Cap. 5.

VI. Non tenetur mater filiorum nomine respondere, quorum tutrix esse desiit. *Ibid.* Cap. 67.

VII. Filii quos de aliquâ suscepit, si eam, tolerante Ecclesiâ, in uxorem duxit, à successione paternæ vel maternæ hæreditatis prohiberi non possunt. *De Desponsat. impuberum.* Cap. *Accessit. in int. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 2. Cap. 5. *fin.*

TITULUS XVIII. *& Ultimi.*

De secundis Nuptiis.

SECTIO I.

Licitum esse sæpiùs nubere. sed secundas Nuptias benedici non debere.

Secundas Nuptias Sæcularibus inire conceditur. Gelas. *Epistola* 9. *ann* 494. Cap. 22. Tom. IV. Conc. *p.* 1194 Primæ Nuptiæ melioris sunt meriti, quam secundæ. Caus. XXVII. Quæst. I. *Cap* 41. §. 3.

I. Viduæ si se forsitan continere non poterunt, secundùm Apostolum nubere nullatenùs vetabuntur. Caus. XXVII. Quæst. I. *Cap.* 42. *De Viduis.* §. 1. *Quæ si. med.*

II. Non damnatur in Ecclesia Bigamia, imò nec Trigamia; & ita licet quinto, & sexto, & ultrà, quomodò & secundo marito nubere. Caus. XXXI. Quæst. I. *Cap.* 11. *Aperiunt.* §. ult. *Ergò.*

III. Viduæ quæ se non continent, nubant antequàm professæ continentiam Deo voveant. Caus. XXVII. Quæst. I. *Cap.* 33.

IV. Conjugium legitimum dum mortua fuerit uxor cujuslibet &c. Caus. XXVII. Quæst. II. *Cap.* 13. *Additur.* Quæ in viduitate habet sui potestatem &c. S. Basil. *Epist.* 2. *Canonica. Can.* 41. Tom. II. Concil. *Append. p.* 1743.

V. Quia secundùm Apostolum, mulier mortuo viro ab ipsius est lege soluta, ut nubendi cui vult in Domino liberam habeat facultatem, secundas, & tertias, ac ulteriores etiam Nuptias Græci non reprehendant aliquatenùs, nec condemnent, sed potiùs illas approbent inter personas, quæ alias licitè ad invicem Matrimonio jungi possunt. *Bulla* Innocentii IV. *Sub Catholicæ.* §. 20. *ann.* 1254.

VI. Deus secundas Nuptias quæ in utroque Testamento permittuntur, licitas esse monstravit. *Ibid. Cap.* 12. *Deus.* Secundùm Apostolum, mulier mortuo viro suo, ab ejus est lege soluta, & nubendi cui vult, tantùm in Domino, liberam habet facultatem. *De secundis Nuptiis.* Cap. *Cùm secundùm. init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 21. Cap. 5.

VII. Vir uxore defunctâ à lege ipsius solutus est. *De eo qui duxit.* Cap. *Veniens.* §. *Licet. init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 7. Cap. 7.

VIII. Vir vel mulier ad Bigamiam transiens non debet à Presbytero benedici, quia cum alia vice benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet. *De secundis Nuptiis.* Cap. *Vir autem.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 21. Cap. 3. *Append. Conc.* Later. *Parte.* 9. Cap. 1.

IX. Secundò nubentes Presbyteri nullatenùs benedicant. *Ibid.* §. 21. *Concil.* Quinisext. *an.* 692. *Can.* 93. Tom. VI. Conc. *p.* 1181. Extant Ritualia quæ permittunt benedici Matrimonium vidui cum virgine, quia benedictio cadit præcipuè super mulierem.

SECTIO II.

Quandònam liceat ad secunda vel ulteriora vota transire, & qua certitudo mortis prioris mariti requiratur?

I. Cùm Apostolus dicat; *Mulier, viro suo mortuo, soluta est à lege viri sui, in Domino nubat cui voluerit,* per licentiam & authoritatem Apostoli ejus

infamia aboletur quæ nubit infrà tempus luctûs. *De secundis Nuptiis.* Cap. *Super illa.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 21. Cap. 4. *Append. Concil.* Later. *Part.* 9. *Cap.* 2. Licet mulieri mortuo viro intra annum nubere.

II. Mulier non debet legalis infamiæ sustinere jacturam, quæ licet post viri obitum intra tempus luctûs, scilicet unius anni spatium, nubat, concessâ sibi tamen ab Apostolo utitur potestate; cùm in his præsertim Sæculares Leges non dedignentur Sacros Canones imitari. *Ibid.* Cap. *Cùm secundùm. med.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 21. Cap. 5.

III. Neuter nubentium de alterius Partis morte incertus ad alias nuptias contrahendas facilè admittatur, ne vis fiat verbo Dei dicenti; *Erunt duo in carne una.* Convent. Meldo. *Tit.* 15. *De Matrim.*

IV. Non debet conjux nubere nisi certus sit de morte prioris conjugis. Quæ, cùm vir secessit & non apparet, antequàm de ejus morte certior facta sit, cum alio cohabitavit, mœchatur. S. Basil. *Epist. Can.* 2. *Can.* 31. Tom. II. Concil. *Append. pag.* 1739.

V. Super Matrimoniis quæ nondùm habita obeuntis conjugis certitudine proponuntur, nullus ad secundas Nuptias migrare præsumat, donec ei constet quod ab hac vita migraverit conjux ejus. *De secundis Nuptiis.* Cap. *Dominus.* §. *Super.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 21. Cap. 2.

VI. De mulieribus quæ viros suos causâ captivitatis vel peregrinationis absentes ultra septennium præstolatæ fuerint, nec certificari possunt de vita vel de morte ipsorum, licet super militum uxores &c. *Can.* 36. *Ibid.*

VII. Mulieri, quæ in jure, præstito juramento, asseruit virum talem in ipsam per verba de præsenti matrimonialiter consensisse probationes alias non habenti, viro ab ejus impetitione per sententiam absoluto, non debet Episcopus licentiam dare cum alio matrimonium contrahendi, ne author perjurii videatur: nec hoc ei debet prohibere, ne fortè si falsò juraverit, matrimonium contingat legitimum impediri; sed suæ conscientiæ est potiùs relinquenda. *De Jurejurando.* Cap. *Mulieri.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 34. Hujusmodi difficultas cessavit; nunc enim requiruntur probationes ex Regesto Matrimoniorum desumptæ, aliàs Matrimonium non extare, declaratur.

VIII. Licet sollicitudinem adhibuerint diligentem, & pro juvenili ætate seu fragilitate carnis nequeant continere; authoritate Ecclesiæ permitti non debent contrahere, donec certum nuncium recipiant de morte virorum. *De Sponsalibus.* Cap. *In præsentia.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. Cap. 19. Ecclesia nunquàm debet permittere ut nubant conjuges, donec recipiant certum nuncium de morte prioris conjugis.

IX. Quantocumque annorum numero mulieres ita remaneant viventibus viris suis, non possunt ad aliorum consortium Canonicè convolare, donec certum nuncium recipiant de morte virorum. *Ibidem.* §. *Consultationi.* Lib. IV. Decr. *Tit.* I. Cap. 19.

X. Nec id quidem, quantuscunque annorum numerus sit elapsus. *Concil.* Rothom. *ann.* 1072. *Can.* 18. Tom. IX. Conc. *p.* 1228.

SECTIO III.

Qua ratione se gerere debent conjux, quoad usum conjugii, si antè receptum certum nuncium ad alia vota transivit? Et ad quid tenentur si posteà deprehenditur priorem conjugem vivere?

I. Si aliquis vel aliqua, nondùm habitâ obeuntis conjugis certitudine, contraxit, & de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum; ei quæ sibi nupsit debitum non deneget postulanti, quod à se tamen noverit nullatenùs exigendum. *De secundis Nuptiis.* Cap. *Dominus.* §. *Si verò.init.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 21. Cap. 2.

Quamdiù conjux incertus est de morte prioris conjugis, reddere debet debitum, non exigere. Propter dubium præsumitur pro Matrimonio. *Glossa verbo Non deneget.*

Quod si post hoc de prioris conjugis vita constiterit, relictis adulterinis complexibus ad priorem conjugem revertatur. *Ibid. fin.*

II. Si per bellicam cladem, & per gravissimos hostilitatis incursus, ita divisa sint conjugia, ut, abductis in captivitatem viris, fœminæ eorum remanserint destitutæ, quæ viros proprios interemptos putantes ad aliorum conjugium sollicitudine cogente transierint; sed statu rerum in meliora converso nonnulli eorum remeaverint; necesse est ut legitimarum fœdera nuptiarum redintegreutur. Caus. XXXIV. Quæst. I. & II. *Cap.* 1. *Cùm per bellicam. init.* S. Leo I. *Epist. al.* 79. *nunc* 129. Cap. 1. *circit. ann.* 458.

III. Si aliquæ mulieres ita posteriorum virorum amore sunt captæ, ut malint his cohærere, quàm in legitimum redire consortium, meritò sunt notandæ, ita ut etiam Ecclesiastica Communione priventur, quæ de re excusabili, contaminationem criminis elegerunt, ostendentes sibimet pro sua incontinentia placuisse quod justa remissio poterat expiare. *Ibid.* §. 2. *Sin autem.*

IV. Redeant in suum statum voluntaria redintegratione conjugia; neque ullo modo ad opprobrium malæ voluntatis trahatur, quod conditio necessitatis extorsit. *Ibid.*

V. Hæ mulieres quæ reverti ad viros suos nolunt, impiæ habendæ sunt. *Ibidem.* Caus. XXXIV. Quæst. I. & II. Cap. 1. *Cùm per bellicam.* §. 2. *Sin autem. fin.*

VI. Culpabilis non judicatur, & tanquàm alieni juris pervasor qui personam ejus mariti qui jam non esse existimabatur, assumpsit; & ideò omittendum est, & inculpabile judicandum est, quod necessitas intulit, & restituendum quod fides poscit. *Ibid.* §. 1. *Nec tamen.*

VII. Cùm in captivitate Ursa mulier teneretur, aliud conjugium cum Constituta Fontanum commisisse cognovimus; sed favore Domini reversa Ursa nullo diffitente uxorem se memorati esse perdocuit. Qua de re statuimus, fide Catholica suffragante, illud esse conjugium, quod primitùs erat gratia Divinâ fundatum, conventumque secundæ mulieris, priore superstite, nullo pacto posse esse legitimum. Caus. XXXIV. Quæst. I. *Cap.* 2. Innocentius I. *Epist.* 9. *circ. ann.* 405.

VIII. Quæ per ignorantiam nupsit ei qui ab uxore ad tempus relictus est, deindè dimissa est, quia prior uxor ad ipsum reversa est; fornicata quidem est, sed per ignorantiam. S. Basil. *Epist.* 2. *Canonica. Can.* 46. Tom. II. Conc. *Append. p.* 1743.

APPENDIX

TITULUS I.

Quæstiones desideratæ in præmisso Tractatu de Matrimonio, per Textus Juris, laudatos vel non, resolubiles.

INter has Quæstiones non minimæ sunt, quæ institutionem impedimentorum contingunt. Istarum autem præcipuæ sunt, utrùm illa pertineat ad Potestatem Sæcularem, an ad Potestatem Ecclesiasticam; ac qualis esse debeat utravis Potestas, an Suprema sit necessaria, an alia sufficiat.

Cur autem has Quæstiones, aliasve similes. Autor hujus Tractatûs omiserit, in promtu causa est. Extrà Consilium Operis vagabantur; proposuerat enim Decisiones Juris propriis verbis conceptas colligere, debitoque ordine collocare, nullamque ejusmodi hac de re invenit. Habitâ ergò ratione propositi, Quæstiones illæ non desiderantur; sed duntaxat ratione argumenti: ideòque illarum omissio non est defectus Operis, sed defectus perfectionis argumento debitæ.

QUÆSTIO I.

An sint aliqui Textus, è quibus inferre liceat, cujus sit impedimenta Matrimonis instituere?

Supponitur nullum occurrere qui id expressè decidat, idque justè præsumendum ex Autoris diligentiâ. Quæritur jam, an extent saltem nonnulli qui dubium illud tacitè saltem resolvant? Et multi sese offerunt, qui docent institutionem impedimentorum Matrimonii ad Potestatem tàm Sæcularem quàm Ecclesiasticam pertinere. Hujus generis sunt, quicunque Textus circà hoc argumentum laudant Leges & Canones, quorumque numerus non est exiguus. Collectos eos habes in *Disquisitione Historicâ circà Patriam Potestatem in Matrimonia filiorum.* Inter alios occurrit *Cap. 2. De Desponsat. Impub.* ubi NICOLAUS I. dicit, ætatem ad pubertatem requisitam Legibus & Canonibus esse præfixam, Legesque Canonibus præponit. Extat quoque *Cap. 5. De Frigid. & Malef.* in quo CÆLESTINUS III. laudat Justiniani Leges circà impotentiam, Canonesque, & illis Canones sese conformare debere adjicit: Nec non *Cap.* unic. *De Cognatione Legali*, ita dictâ quia à Legibus statuta est, & à Canonibus inter impedimenta Matrimonii recepta: desumitur à NICOLAO I.

Eandem Quæstionem resolvunt Textus, qui insinuant ad utramque Potestatem, Sæcularem & Ecclesiasticam, spectare jus dispensandi ab impedimentis Matrimonii; ad Priorem, quoad effectus civiles; ad Posteriorem, quoad spirituales. Hinc enim sequitur, utrique competere illorum institutionem, cùm ejus sit dispensare à Lege cujus est illam condere. Hujus generis est *Cap. 13. Qui filii sint legitimi*, desumptum ab INNOCENTIO III. Textus hic, præcitatique, plurimique consimiles qui adjici possent, ostendunt jus de quo agitur mixti esse Fori, ideòque condemnant Autores qui illud alterutri Potestati duntaxat adscribunt. Postremus viam aperit alios explicandi, docendo Matrimonium habere effectus Civiles, qui pendent à Potestate Civili, sive Sæculari, quia contractus est; alios verò spirituales, qui pendent à Potestate Spirituali, sive Ecclesiastica, quia Sacramentum est.

Ex multis ergò Textibus patet, utriusque Potestatis esse, impedimenta Matrimonii instituere, ac ejus juris ratio. Idem jus amplissimè, doctissimèque discutitur apud LAUNNIUM. TOM. I. *Part.* a. ibique referuntur Universæ Traditionis testimonia, utrique Potestati faventia, vel adversantia, quibus, ut par est, sine alterutrius exclusione intellectis, veram Ecclesiæ doctrinam habebis.

QUÆSTIO II.

An aliquis Textus demonstret, quod Potestas, cujus est instituere Matrimonii impedimenta, debeat esse suprema?

Nullus Juris Textus occurrit qui evincat hujusmodi Potestatem debere esse Supremam. Altum est hac de re in Jure silentium. Sed indè duntaxat colligitur, illum qui potest condere Leges vel Canones, posse quoque Matrimonii impedimenta instituere. Verùmtamen, cùm Legislatio supremæ sit Potestatis, inferioresque Potestates teneant ab illa jus statuendi Leges, sive Sæculares sivè Ecclesiasticas, tunc inferre licet jus statuendi id genus impedimenta ad Potestatem supremam plenariò pertinere, tanquàm ad illius juris fontem. Si quæ ergò ab aliis quàm à Principibus Supremis, vel à Conciliis non Oecumenicis, statuta sunt talia impedimenta (quod examinatum est in Traditione Ecclesiæ circà Sacramentum Matrimonii) vim universalem non habere, nisi post approbationem tacitè vel expressè concessam à Potestate Supremâ, quæ in sæculo residet tantùm in Principe non habente Superiorem in Temporalibus, in Religione verò non occurrit nisi in Ecclesia universali, vel in Concilio Oecumenico illam repræsentante.

Citandi infrà Textus, de vi consuetudinis ad constituenda Matrimonii impedimenta, docent Potestatem Supremâ inferiorem, facere posse hujusmodi institutionem, cùm de consuetudine Particulari loquantur, agnoscantque dilucidè illam id valere.

QUÆSTIO III.

An ex Textibus Juris colligatur quid possit consuetudo circà constituenda Matrimonis impedimenta?

Non pauci sunt, qui probent constitui posse à consuetudine illa impedimenta. Hujus generis sunt, 1o. *Cap. 1. & 3. De Cognat. Spirit.* Agitur in illis de extensione hujus impedimenti ad natos antè vel post Compsternitatem; & deciditur illam locum non habere, nisi alia sit consuetudo quæ scandalum generet.

2o. *Cap. 2. De Frigid.* in quo ALEXANDER III. scribens ad Episcopum Ambianensem, declarat Ecclesiam Gallicanam retinere posse consuetudinem separandi conjugatos ob impotentiam antecedentem, etsi Ecclesia Romana illos non separet ob hanc rem.

3o. *Cap 5. De Consanguin.* in quo INNOCENTIUS III. definit, incolas locorum quorumdam contrahere Matrimonium in septimo gradu, si talis sit illorum consuetudo, ideòque istam posse restringere impedimentum, proindèque partem Legis illud constituentis; undè sequitur, consuetudinem posse simile impedimentum extendere.

4o. Textus quicunque docent Orientalem Ecclesiam non recepisse votum continentiæ, ideòque Subdiaconos illius posse Matrimonium contrahere, Diaconos verò & Presbyteros anteà contracto uti posse, collectos habes in Historia impedimenti Ordinis. Vide etiam Traditionem Ecclesiæ circà Sacramentum Matrimonii.

5o. *Cap. 1. De Sponsal.* in quo insinuatur, consuetudinem Regionum efficere posse, ut Matrimonium contrà illam contractum effectu suo careat.

Porrò laudatos Textus non retulimus, quia jam suprà descripti sunt, dùm de quolibet impedimento, cujus mentionem faciunt, actum est.

TITU-

TITULUS II.

Quæstiones quæ videntur omninò omissæ, & non sunt, vel quia in aliis comprehensæ, vel alio quàm consueto loco & modo tractatæ; ac exempla illarum.

PRrimum *exemplum* petitur ex impedimento clandestinitatis. De eo nulla expressa mentio in loco ubi de impedimentis seorsim agitur; sed quæ illud spectant alibi examinata sunt, nempè dùm de denuntiationibus, de præsentia Parochi & Testium, & de consensu Parentum in Matrimonio suorum filiorum. Hæc omnia exposita sunt in *Titulo* 11. & si omittantur Matrimonium fit clandestinum, aut saltem pro tali alicubi habetur. Ut ergò Observatio hæc faciliùs intelligatur, & approbetur, sciendum quod triplex distinguatur clandestinitas Matrimonialis, quia tria necessaria sunt ad reddendum Matrimonium publicum, sivè Jure communi, sivè Jure Gallicano: Primum est, Denuntiatio, vel triplex, vel una cum dispensatione ab aliis: Secundum est, præsentia Parochi & Testium; quæ duo utroque Jure requiruntur, ita tamen quod Jure Communi secundum solum sit de necessitate Sacramenti, id est, sub pœna nullitatis ipso facto: Tertium, quod est consensus Parentum, Jure Gallicano necessarium ducitur sub eâdem pœnâ; ac ut hic defectus consensus amoveatur, prohibetur expresse à variis Ordinationibus, ne in Minorum Matrimonio à tribus denuntiationibus dispensetur, sed una semper fiat, nec ab aliis venia detur absque consensu Parentum. Non tenebatur ergò Autor hujus Tractatûs, post explicatum hoc impedimentum in *Tit.* 11. iterùm illud exponere in Titulo, *De impedimentis Matrimonium dirimentibus*, sed in isto Titulo de illo monere.

Ceterùm multa habes apud LAUNOIUM, TOM. I. *P.* 1. & TOM. IV. *P.* 2. monumenta luculenta de Matrimonio Clandestino, in quibus explicatur prædicta distinctio.

Alterum Exemplum spectat Impedimentum Affinitatis, de quo nulla expressa Quæstio; quod provenit aut provenire videtur, ex eo quod hoc impedimentum quodammodò continetur in impedimento consanguinitatis, fusè exposito in hoc Tractatu, Titulo *De Impedimenti*; eaque de causa Autor judicare potuit peculiarem tractationem de Impedimento affinitatis nequaquàm necessariam esse, cùm ferè singula quæ de consanguinitate docentur, locum habeant in affinitate, quæ eosdem habet gradus similiter computandos, paremque exigit procedendi modum contrà eos qui in gradu prohibito contraxerint, vel contrahere voluerint. Hæc autem tria rectè discussa sunt circà consanguinitatem.

Equidem nonnulla propria sunt affinitati, quæ speciali egent explicatione; nempè 1°. Quod triplex erat illius genus; sed cùm secundum & tertium abrogatum sit à *Conc.* LATERANO relato in *Cap.* 8. *De Consang.* hæc omissio levissima est. 2°. Quod affinitas, quæ ex illicita copula nascitur, restricta fuerit à *Conc.* TRID. ad secundum gradum. *Can.* 4. SESS. XXIV. *De Refor. Matrim.* sed quamvis ista omissio non sit levis momenti, solâ monitione suppletur.

Quoad genera affinitatis abolita Vid. GONZALEZ *in Cap. citatum*, si curiositate tua dignum judicaveris.

In *Tertium Exemplum* adduci posset omissio contingens honestatis publicæ impedimentum, cùm de illo neutiquàm agatur in Titulo *De impedimentis*, illius explicandi naturali loco; sed de hujusmodi omissione parùm aut nihil curandum, cùm de honestate publica tractatum sit, dùm de Sponsalibus & de Matrimonio rato, illius fontibus ordinariis; provenit enim ex Sponsalibus omninò validis, & non ex aliis, etsi valeant quoad consensum; & ad primum gradum reductum est hoc impedimentum à *Conc.* TRID. *Can.* 3. SESS. XXIV. *De Refor. Matr.* Provenit quoque ex Matrimonio rato valido, & ad quartum gradum adhuc extenditur, qui locus minùs conveniens non est ob connexionem causæ cum effectu. Præfata ergò omissio habenda est potiùs pro transpositione laudabili, quàm pro omissione culpabili, pro variâ ejusdem rei considerandæ ratione: Ad summum, si quod hac in re vitium, non tractatam rem respicit, sed tractandi modum, seu methodum, quæ utplurimùm arbitraria est.

Quod modò dictum est de omissionibus apparentibus, Titulum de Impedimentis contingentibus, id protrahere licet ad Titulum de Divortiis; mancus siquidem videtur ob omissas plurimas causas gravis momenti, quarum cognitio ad Judicem Ecclesiasticum Jure Communi pertinet; videlicet, singulæ in quibus agitur de separatione faciendâ propter contractum Matrimonum cum impedimento antecedenti. Sed vitium hoc apparens tantùm est, cùm de illis causis actum sit, dùm de quolibet ejusmodi impedimento. Etenim Autori non immeritò visum est, hoc loco examinare quid agendum sit Judici, casu eveniente ut Matrimonium invalidè contrahatur, post votum solemne, vel Ordinem Sacrum ritè susceptum, vel in gradibus prohibitis, sive affinitatis, sivè cognationis, sive hæc legalis fuerit, sive spiritualis, vel cum impedimento criminis, vel cum impotentiâ antecedenti, vel ratione raptûs; atque hujus judicii causa non improbanda, cùm adiri possit & debeat Judex, non solùm ad impediendum hujusmodi Matrimonia, aliaque itidem vitiosa & invalida, sed etiam ad illa dissolvenda. Non inficiandum has causas pertinere etiam ad Titulum de Divortiis, cùm duplex sit divortium, aliud spectans separationem quoad vinculum Matrimoniorum invalidè contractorum, ac proveniens ex nullitate quæ à Judice declaranda est; aliud verò contingens separationem quoad thorum, sive Matrimonii ritè celebrati usum à Jure præceptum, ob varias causas officiis conjugalibus adversantes. Licitum est prius à posteriori sejungere, ac de utroque seorsim agere, junctis cuique causis convenientibus. Nullum ergò vitium est in præfatâ methodo, sed recta est dispositio pro diversâ consideratione ejusdem rei.

Ob eandem rationem, desumptam ex vario eandem rem considerandi modo, excusari quoque potest triplex tractatio de Matrimonio coacto; semel sub *Tit.* 11. ubi inter alia examinantur quæ ad consensum requiruntur; & bis in *Tit.* 13. qui de impedimentis agit; nam sub nomine impedimenti bis Matrimonium coactum expenditur. 1°. Sub nomine violentiæ, 2°. Sub nomine Raptûs. Sed eò magis admittenda est hæc excusatio, quod primo loco agitur de validitate hujus Matrimonii, & de gravitate peccati quod cogens committit, & de pœnis quibus subjicitur; secundo loco explicatur qualitas vis illatæ, & quid agendum in eo casu, sive Matrimonium sit contrahendum, sivè jam fuerit contractum; in tertio loco distinguitur multiplex species Raptûs, nempè seductionis, & vis, Raptus in puellam, Raptus in Parentes; exponunturque conditiones requisitæ ut Raptus dirimat Matrimonium.

Alia quoque est excusationis ratio, adductis non impar. Textus qui singulis locis referuntur, sunt diversi, atque sese invicem supplent, illustrant, ac confirmant, indèque collectio fit utilior ac plenior.

Iterata ergò hujusmodi Tractatio non censenda est tanquàm mera, ut aiunt, repetitio, quâ quod semel dictum est iterùm dicitur quoad sensum.

Omissiones alias apparentes, vel transpositiones hujus generis, adjicere hic liceret, eodem illas excusandi animo: sed majores adduxisse & excusasse sufficiet.

INDEX

INDEX
TITULORUM, SECTIONUM, QUÆSTIONUM, PARAGRAPHORUM, ET CAPITUM,

Quæ in hoc TRACTATU DE SACRAMENTIS continentur.

TITULUS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE, 1
Sectio I. Quid sit Sacramentum, undè dictum, & quotuplex? Ubi de eo quod convenit tàm Veteribus, quam Novis Sacramentis, & de istorum numero, ib.
Sectio II. A quo instituta sint Sacramenta, & quæ eorum virtus? Ubi de præcipuis differentiis inter antiqua & nova Sacramenta, nec non illa quæ sunt nova invicem considerantur, ibid.
Sectio III. Quomodo conficiantur Sacramenta, & quid requiratur in Ministro? Ubi de materiâ & formâ, de potestate, fide, sanctitate, intentione, seu voluntate necessariis, 2
Sectio IV. Sacramenta valere à quibuscumque peccatoribus collata, secundum ritum Ecclesiæ; sed accepta extra Ecclesiam non prodesse, ibid.
Sectio V. A quibus suscipi possint Sacramenta? Quæ in illis requirantur? Quod discrimen inter infantes & adultos? In quo amentes & dormientes cum infantibus conveniant, & differant? De Voto illa recipiendi, ibid.
Sectio VI. A quibus Ministris possint fideles licitè recipere Sacramenta? 3
Sectio VII. Quis sit Sacramentorum Minister? Quæ mutationes fieri possint in illorum administratione? Quique ritus sint adhibendi? ibid.

TITULUS II.

DE BAPTISMO, ibid.
Sectio I. Quid sit Baptismus, & qui sint ejus effectus? ibid.
Sectio II. Quomodo conficiatur Sacramentum Baptismi? 4
Sectio III. Quales defectus in usu aquæ seu verborum Evangelicorum, possint impedire Baptismi collationem? ibid.
Sectio IV. Baptismum esse absolutè, seu, ut aiunt, necessitate medii, necessarium; posse tamen per Martyrium semper, & per cordis conversionem aliquandò suppleri, 5
Sectio V. Quis conferre possit Sacramentum Baptismi, tàm ordinariè quàm in casu necessitatis? 6
Sectio VI. Baptismum à quocumque collatum juxta ritum Ecclesiæ, validum esse, nec alium esse alio meliorem, ibid.
Sectio VII. Baptismum extra Ecclesiam collatum non prodesse ad salutem accipientis, nisi in casu extremæ necessitatis, ibid.
Sectio VIII. Quinam sint baptisandi, an parvuli, & quæ in illis dispositiones requirantur? 7
Sectio IX. Quandonam baptisandi sint parvuli, & quo in loco? ibid.
Sectio X. An Adulti teneantur ex præcepto baptisari, & quandò? Quæque dispositiones in iis requirantur? 8
Sectio XI. An ii qui Baptismum accipiunt in hæresi vel in peccato, aut cum aliqua simulatione, consequantur remissionem peccatorum, & quomodò hanc deinceps recuperare possint? ibid.
Sectio XII. An & quomodo baptisari possint amentes & dormientes? 9
Sectio XIII. An aliqui compellendi sint ad fidem? & quid recipiant, vel ad quid teneantur qui Baptismum volentes, vel inviti receperunt? ibid.
Sectio XIV. Baptismi Sacramentum nunquàm esse iterandum, ibid.
Sectio XV. Quid agendum sit quando ignoratur, vel dubium est, an aliquis fuerit baptisatus? 10
Sectio XVI. An, & quando imprimatur caracter in Baptismo, & utrùm Sacramentum amitti possit? 11
Sectio XVII. Quæ Ceremoniæ adhibeantur in Baptismo? ibid.
Sectio XVIII. De Patrinis & Matrinis. Quot & qui admitti debeant, & quâ ratione cognationem spiritualem contrahant, in ordine ad dirimendum Matrimonium? 12
Sectio XIX. Quale peccatum sit fornicari cum filiis & filiabus spiritualibus? ibid.
Sectio XX. De variis Unctionibus quæ fiunt ante vel post Baptismum, 12
§. I. Quænam illæ sint, & in quibus partibus adhibeantur? ibid.
§. II. Quæ sit materia illarum Unctionum? Quid sit Chrisma? Et a quo confici debeat, ibid.
§. III. An Presbyteris liceat baptisatos Chrismate ungere? Quale illud esse debeat? Et à quo petendum sit? 13

TITULUS III.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS. ibid.
Sectio I. Quid sit Confirmatio? Quem effectum habeat? Quomodo detur? Et à quibus? ibid.
Sectio II. An & quomodo teneantur fideles Sacramentum Confirmationis recipere? Inter quas personas cognationem spiritualem pariat? Et an iterari possit? ibid.

TITULUS IV.

DE S. EUCHARISTIÆ SACRAMENTO, 14
Sectio I. Quid sit S. Eucharistiæ Sacramentum? ibid.
Sectio II. A quo, & quando institutum fuerit S. Eucharistiæ Sacramentum? Et quantæ sit supra cætera dignitatis? Et quo cultu venerandum? ibid.
Sectio III. An certis quibusdam verbis conficiatur S. Eucharistiæ Sacramentum? Et quænam illa sint? Et quid præcisè efficiant? 15
Sectio IV. Quâ ratione fiat illa conversio panis & vini in Corpus & Sanguinem CHRITI? Et quo nomine propriè appelletur? ibid.
Sectio V. Ad quid institutum sit Eucharistiæ Sacramentum? 16
An servari possit, & publicè deferri? ibid.
Sectio VI. Quomodo CHRISTUS manducetur in Sacramento Eucharistiæ? 16
Sectio VII. Totum CHRISTUM sub unaquaque specie contineri; & posse fideles sub una tantùm specie communicare 17
Sectio VIII. An, & quomodò impositum sit fidelibus præceptum Sacram sumendi Eucharistiam? ibid.
Sectio IX. An frequenter, an rarò communicandum sit? 18
Sectio X. Quæ & qualis præparatio necessaria sit ad dignè sumendam Sacram Eucharistiam? ibid.
Sectio XI. De aliis Dispositionibus requisitis ad Sacram Communionem, tàm ex parte corporis, quàm ex parte animæ 19
Sectio XII. Cujus sit hoc Sacramentum conficere ac distribuere, & an sit deferendum ad infirmos & quomodo? ibid.

TITULUS V.

DE EUCHARISTIA, quatenus est Sacrificium, sive de SACRIFICIO MISSÆ, 20
Sectio I. In Ecclesia verum esse Sacrificium à Christo institutum, & illud in Missa celebrari, ibid.
Sectio II. Quale sit illud Sacrificium, & qui sint fructus, sive effectus, Sacrosancti Missæ Sacrificii? ibid.

Sectio III.

Sectio III. *Quomodo, & pro quibus offerendum sit Sacrosanctum Missæ Sacrificium?* ibid.
Sectio IV. *An adhibendæ fiat aliquæ Ceremoniæ in Sacrificio Missæ, & an liceat Missas, tàm in lingua vulgari, quàm privatas celebrare.* 21
Sectio V. *Quid offerri debeat in Sacrificio Missæ, seu quæ sit materia Divini hujus Sacrificii?* 22
Sectio VI. *Quo in loco, & quibus in vasis, Missæ Sacrificium offerri debeat?* ibid.
Sectio VII. *Quæ alia debeant esse vestimenta, & alia quibus utuntur Sacerdotes in offerendo Missæ Sacrificio?* 23
Sectio VIII. *De variis Missæ partibus, ac præcipuè de Canone,* ibid.
Sectio IX. *An liceat idem Sacerdoti plures Missas una die celebrare, & quomodo?* 25
Sectio X. *Quâ hora Missa dicenda sit? & qualis? & an pro stipendio?* ibid.
Sectio XI. a. *Quæ dispositiones requirantur in Sacerdote ad faciendam Missam?* ibid.
Sectio XI. b. *An Sacerdos possit fingere se consecrare, vel non sumere Corp. aut Sang.* CHRISTI, *cùm celebravit?* 26
Sectio XII. *Quomodo occurrendum certis quibusdam casibus qui inter celebrandum possunt contingere?* ibid.
Sectio XIII. 1°. Tot *Missæ, quot data stipendia celebrandæ.* 2°. *Ne Sacerdos partem stipendii sibi traditi reservans, alteri Sacerdoti dicendam committat,* ibid.
Sectio XIV. *An, & quot es Sacerdotes teneantur Missam celebrare? & quomodo intelligendum sit quod teneantur quotidie celebrare ratione Beneficii, vel Oblationis?* 27
Sectio XV. *Quid curare debeant Episcopi circa Missarum Celebrationem, vel earum reductionem?* ibid.
Sectio XVI. *An, & quomodò teneantur fideles ex præcepto audire Missam?* 28
APPENDIX AD TRACTATUM DE EUCHARISTIA.
Canones notabiliores circa Corporalium usum, aliorumve hujusmodi ad Missam proxime pertinentium, aliundè quàm ex Corpore Juris deprompti, quibus suppletur quod in illo desideratur.

TITULUS VI.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ. ibid.
Sectio I. *Quid sit Pœnitentia? Quid operetur? Et quomodo semper necessaria fuerit, ac etiamnùm sit?* 30
Sectio II. *An iis qui post Baptismum peccaverunt, aliquod sit remedium, seu Sacramentum, quo sua peccata reparare possint?* ibid.
Sectio III. *Quid sit Sacramentum Pœnitentiæ, & quandò institutum? Et qualis sit Christianorum Pœnitentia?* 31
Sectio IV. *Quis sit Minister Sacramenti Pœnitentiæ? Et quid sint Claves Ecclesiæ?* ibid.
Sectio V. *Quæ, & qualis sit Sacramenti Pœnitentiæ forma? Quive illius effectus?* ibid.
Sectio VI. *Quæ sit quasi materia, seu quæ sint partes Sacramenti Pœnitentiæ? An, & quomodo necessarium sit hoc Sacramentum, & an repeti possit?* 32
Sectio VII. *Quid sit Contritio in genere, & qualis esse debeat? Ac de Contritione perfectâ?* ibid.
Sectio VIII. *De Contritione imperfectâ; quid sit, & quomodò disponat ad peccatorum remissionem in Sacramento obtinendam?* ibid.
Sectio IX. *Necessariam esse Jure Divino Confessionem peccatorum, in specie factam Sacerdoti, & esse à* CHRISTO *institutam,* ibid.
Sectio X. *Qualis Confessio necessaria sit? Et quorum peccatorum?* 33
Sectio XI. *Quousque extendatur obligatio confitendi omnia & singula peccata mortalia?* ibid.
Sectio XII. *An sit aliquod præceptum ab Ecclesia fidelibus impositum peccata confitendi, & quomodò illud sit intelligendum?* 34
Sectio XIII. *An, & quomodò subveniendum sit iis fidelibus, qui casu quodam impediuntur à confitendis ore peccatis?* ibid.
Sectio XIV. *Necessariam esse satisfactionem, ut Pœnitens peccatorum veniam consequatur; & qui sint illius effectus?* 35
Sectio XV. *Quomodò adimpleri debeat ista satisfactio, & quibus operibus potissimùm contineatur?* ibid.
Sectio XVI. *Quem modum tenere debeant Sacerdotes in Pœnitentiis imponendis?* ibid.
Sectio XVII. *An sit aliquandò imponenda Pœnitentia publica, & qualis observetur in aliquibus Ecclesiis?* 36
Sectio XVIII. *Qualis esse debeat Sacerdos qui præponitur Administrationi Sacramenti Pœnitentiæ?* 37
Sectio XIX. *Sine Jurisdictione & approbatione, Sacerdotem nullum posse validè administrare Sacramentum Pœnitentiæ,* ibid.
Sectio XX. *Quæ sint veræ aut falsæ Pœnitentiæ signa, ut solvant vel ligent Sacerdotes?* ibid.
Sectio XXI. *Quomodò se gerere debeant Sacerdotes in administratione Sacramenti Pœnitentiæ, ut absolvant vel ligent Pœnitentes?* 38
Sectio XXII. *Sacerdotes teneri ad sigillum Confessionis; & quâ pœna puniri debeant qui revelant peccata sibi detecta?* 39
Sectio XXIII. *An aliqua peccata sint quæ remitti nequeant? Vel an cùm dimissa sunt, redire possint?* ibid.
Sectio XXIV. *An sit in Ecclesia potestas reservandi aliqua peccata, & quæ, & penes quos sit?* ibid.
Sectio XXV. *Qui sint casus communiter in Gallia Summo Pontifici reservati?* 40
Sectio XXVI. *Qui sint casus communiter in Gallia Episcopis reservati?* ibid.
Sectio XXVII. *Quandonam de Jure Communi possint Episcopi vel Inferiores Sacerdotes absolvere à casibus Papæ reservatis?* ibid.
Sectio XXVIII. *Quandonam intelligatur concessa facultas absolvendi à casibus reservatis, seu Papæ, seu Episcopis? Et quid faciendum sit Sacerdoti, cùm potestatem non habet absolvendi à reservatis?* 40
Sectio XXIX. *Quale sit crimen Sacerdotum qui cum Pœnitentibus fœminis peccant, & quâ pœnâ puniantur?* 41

TITULUS VII.

DE INDULGENTIIS. ibid.
Sect. I. *Quid sit, & quotuplex Indulgentia, & an sit in Ecclesia potestas concedendi Indulgentias, & in quo sit fundata?* ibid.
Sectio II. *A quibus concedi possint Indulgentiæ, & quousque extendatur ista potestas?* ibid.
Sectio III. *Quid observandum sit in concessione vel promulgatione Indulgentiarum?* ibid.
Sectio IV. *Per quos gradus Jubilei anni Indulgentia invaluerit in Ecclesia ad hunc usque diem?* 42
APPENDIX AD TRACTATUM DE POENITENTIA, Continens VI. Sectiones, 43
Sectio I. *Quæstiones variæ de peccatorum, sive, ut ajunt, casuum Reservatione; ad quarum solutionem præmittuntur Regulæ, ex Corpore Juris Canonici, Concilioque* TRIDENTINO *depromptæ,* ibid.
Regulæ his præmissis, ad illas transeundum quæ peccatorum Reservationi peculiares sunt, vel præmissæ huic Observationis generi accommodandæ, 44
Sectio II. *Observationes Historicæ circa peccatorum Reservationem, è Corpore Juris Canonici, Concilioque* TRIDENTINO *desumptæ,* 48
De Controversiis circa peccata reservata, 50
Quæst. I. *An pro certo habendum sit, Pœnitentem Reservatione non affici.* ibid.
Quæst. II. *An ex eo quod Pœnitentes Reservatio non liget, necessariò sequatur, verbi gratiâ, à peccatis in Diœcesi Parisinâ reservatis, Parisinos aliis in Diœcesibus commorantes à quocumque Confessario absolvi posse?* 51
Quæst. III. *Quid sentiendum de Lugdunensi Parisiis commoranti, peccata ibidem reservata confitente, quæ Lugduni, ubi reservata non sunt, commisit; habendusne est ut Parisinus? Et quibus indultum est à Reservatis absolvere, remittendusne est?* 52
Quæst. IV. *An dici possit ex unitate Episcopatûs Episcopos habere, ut alienos subditos in Diœcesi sua degentes à Reservatis aliis Episcopis absolvere valeant?* ibid.

Quæst. V.

Quæst. V. *An certum sit Confessarium electum vi Indulti, quo Confessarium sibi eligere potest, ab iis quæ Jure Communi reservata sunt Indultum concedenti, absolvere posse?* 53

Sect. III. *Canones de Officiu Confessarii, aliundè quàm ex Corpore Juris desumpti, continentes Epitomen Antiquæ & Novæ Disciplinæ circà Pœnitentias imponendas, circumstantias declarandas, interrogatianes faciendas, Jus Ordinarium & Delegatum Confessiones audiendi, Reservationes casuum, cum notis necessariis,* 54

Sect. IV. *Consultatio spectans ad Privilegium eligendi sibi Confessarinm, jure concessum Episcopis & aliis Superioribus, necnon & Prælatis inferioribus immunibus; in quo examinatur,* 57

Quæst. I. *An illud Privilegium sit adhuc necessarium?* ibid.

Quæst. II. *An Privilegium de quo agitur maneat post Concilium Tridentinum?* 58

Quæst. III. *Quinam fruantur Privilegio de quo agitur?* 59

Quæst. IV. *An hoc privilegium refundatur in illos, seu spectet ad illos qui legitimè sunt impediti, a adeant Confessores Ordinarios?* 60

Quæst. V. *Quænam potestas ab hoc Privilegio concedatur? An ut solùm quis eligat sibi Confessorem ex iis qui sunt approbati, aut, an ut unum sibi approbet?* 61

Considerationes *quoad doctrinam Tamburini & Fagnani ratione hujus Quæstionis quintæ,* 63

Sectio V. *Canones notandi de Officiu Clericorum erga Episcopum quoad Confessiones, extra Corpus Juris deprompti, & doceates multà illorum interesse, ut ab illu iateriùs cognoscantur, sive ad Sacros Ordines recipiendos, sive ad Ministeria Sacra suscipienda, utpote à Deo præposito ut ad utrumque illos vocet & applicet pro cujusque merito, animique dotibus,* 64

Sectio VI. *Norabiliores Canones, aliundè quàm ex Corpore Juris desumpti, circa Quadragesimalem Confessionem, præcipuè docentes per 14. priora Secula, ut & posteà, Gallus ad illam obligatos fuisse, sub variis pœnis hîc enunciatis,* ibid.

Sectio VII. *An Consilium Tridentinum oliquid definierit circà insufficientiam attritionis ad Reconciliationem peccatoris in Sacramento, ac circa necessitatem satisfaciendi ante absolutionem?* 65

TITULUS VIII.

DE SACRAMFMTO EXTREMÆ-UNCTIONIS, 65

Sectio I. *Quid sit Sacramtucum Extremæ-Unctionis? A quo institutum? Quæ ejus materia? Quæ forma?* ibid.

Sectio II. *Qui propriè ministrare debeant Sacramentum Extremæ-Unctionis, & quomodo?* 66

Sectio III. *Qui suscipere debeant hoc Sacramentum, & quo tempore?* ibid.

Sectio IV. *Quis sit effectus Sacramenti Extremæ-Unctionis? An necessarium sit, & repeti possit?* ibid.

TITULUS IX.

DE SACRAMENTO ORDINIS. 67

Sect. I. *An sit, & quid sit Sacramentum Ordinis?* ibid

Sect. II. *Quid sit Sacerdotium? A quo, & quandò institutum? Es per quos Ordines ad illud ascendatur?* ibid.

Sect. III. *Quid sint singuli illi Ecclesiæ Ordines?* ibid.

Sect. IV. *Quæ sit materia, quæ forma singulorum illorum Ordinum? Qui ritus in illis conferendis observari debeat?* 68

Sect. V. *Quid agendum sit, cùm deprehenditur Presbyterum non fuisse baptizatum, vel aliquid omissum fuisse in collatione Ordinum?* ibid.

Sect. VI. *Quæ sint Officia singulorum Ordinum?* 69

Sect. VII. *Quales esse debeant qui ad Ordines assumuntur?* ibid.

Sect. VIII. *An sint, & à quo sint, & de quibus rebus examinandi, qui sunt ad Ordines promovendi?* 70

Sect. IX. *Quid requiratur ut aliqui ad Minores Ordines promoveantur?* 71

Sect. X. *Quid requiratur ut aliqui ad Sacrum Subdiaconatûs Ordinem promoveantur?* ibid.

Sect. XI. *An, & qualem Titulum habere debeant promovendi ad Sacrum Subdiaconatûs Ordinem?* ibid.

Sect. XII. *Ad quid teneantur Episcopi, qui Subdiaconos sine certo Titulo promovent, & quas pœnas incurrant tàm Ordinantes, quàm Ordinati?* 72

Sectio XIII. *Quid requiratur ut promoveantur aliqui ad Sacrum Diaconatûs Ordinem?* ibid.

Sect. XIV. *Quid requiratur ut aliqui promoveantur ad Sacrum Presbyteratûs Ordinem?* 73

Sect. XV. *Propter quæ peccata aut facta Clerici non debeant ad Ordines, ac præcipuè ad Sacerdotium, admitti?* ibid.

Sectio XVI. *Penes quos sit potestas conferendi Ordines?* 74

Sectio XVII. *Quos quisque Episcopus debeat ordinare, & quomodo?* ibid.

Sectio XVIII. *Quas pœnas incurrant tàm Episcopi qui sine Dimissoriis Literis alienos Clericos ordinant, quàm sic ordinati?* 75

Sectio XIX *Quas pœnas incurrant tàm qui concedunt Literas Dimissorias Sede vacante, intra annum à die vacationis, quam qui illas impetrant?* ibid.

Sectio XX. *Quo tempore, & quibus diebus liceat Ordines conferre?* 76

Sectio XXI. *Quo in loco conferri debeant Ordines? Et an Episcopi possint plures Sacros Ordines in uno die, atque etiam in die suæ Ordinationis conferre?* ibid.

Sectio XXII. *Quas pœnas incurrant, tàm Episcopi Ordinantes, quàm Ordinati, cùm vel extra statuta tempora, vel plures eodem die Ordines Sacri, sine Dispensatione Apostolica conferuntur?* 77

Sectio XXIII. *Quid observare debeant Episcopi in conferendis Ordinibus?* ibid.

Sectio XXIV. *Episcopos habere Supremam Autoritatem ad repellendos ob Ordinibus, vel ad promovendos ad Superiores Ordines quos voluerint?* 78

Sectio XXV. *An invitis pueris, aliisque extra legitimam ætatem, conferri possint Ordines? Et quæ pœnæ sint decreta in eos qui ita vel ordinant, vel ordinantur?* ibid.

Sectio XXVI. *An & quomodò Episcopi debeant Literas dare, vel Dimissorias, vel Testimoniales, Ordinis collati?* 79

Sectio XXVII. *Quas pœnas incurrant qui se ordinari patiuntur ab Episcopis Hæreticis, Schismaticis, Excommunicatis, vel qui renunciaverunt Episcopatui?* ibid.

Sectio XXVIII. *An possint Ordines denuò conferri vel amitti?* 80

Sectio XXIX. *In quibus Sacramentum Ordinis, & Sacramentum Matrimonii conveniant, differantve?* ibid.

TITULUS X.

DE SPONSALIBUS. 81

Sectio I. *Quid sint Sponsalia, & quâ ratione contrahantur?* ibid.

Sectio II. *Quæ ætate Sponsalia iniri possint?* ibid.

Sectio III. *An, & quomodo teneatur aliquis in conscientiâ fidem Sponsaliorum servare?* 82

Sectio IV. *Quomodò Judex Ecclesiasticus decernere debeat circa eos, qui fidem sibi dederunt aut etiam juramento firmaverunt, & adimplere recusant?* 82

Sectio V. *Ex quibus Sponsalibus oriatur, vel non oriatur impedimentum justitiæ publicæ honestatis, & quid efficiat illud impedimentum?* 83

Sectio VI. *An maneat impedimentum justitiæ publicæ honestatis, etiam post dissoluta Jure Sponsalia, & inter quas personas sit?* ibid.

Sectio VII. *An, & quomodò dissolvantur Sponsalia ob appositam conditionem non impletam?* 84

Sectio VIII. *An, & quomodo Sponsalia reddantur nulla ob defectum consensûs?* ibid.

Sectio IX. *An, & quomodo Sponsalia dissolvantur per alia Sponsalia, vel per Matrimonium posteà contractum?* ibid.

Sectio X.

Sectio X. *Quæ sint aliæ causæ propter quas Sponsalia dissolvuntur?* 85
Sectio XI. *An sponsi proprio nutu possint dissolvere Sponsalia, an verò judicium Ecclesiæ expectare teneantur?* ibid.
Sectio XII. *An possit aliqua pœna apponi in Sponsalibus?* 86

TITULUS XI.

De Sacramento Matrimonii. ibid.

Sectio I. *Matrimonium esse bonum?* ibid.
Sectio II. *Quid sit Matrimonium, undè dictum, à quo institutum, & an sit Sacramentum in novâ Lege?* ibid.
Sectio III. *Quomodò, & quibus verbis contrahatur Matrimonium? Sive, quæ sit materia, & quæ forma Sacramenti Matrimonii?* 87
Sectio IV. *Quid agendum sit cùm Vir aut mulier verbis obscuris, vel ambiguis usi sunt?* 87
Sectio V. *Quâ ætate possit iniri Matrimonium?* ibid.
Sectio VI. *Quid sit pubertas, & quando incipiat, & an Matrimonium ab impuberibus contractum valeat?* 88
Sectio VII. *An Matrimonium clam contractum ab Impuberibus, saltem valeat ut Sponsalia, etiam attento Jure Concilii Tridentini?* ibid.
Sectio VIII. *An surdi & muti possint contrahere Matrimonium?* ibid.
Sectio IX. *Matrimonia à Filiis-familias, dum minores sunt, sine consensu Parentum, illicitè contrahi; valida tamen esse, si in ætate legitima contrahantur, quamvis Jure Regni meritò separentur ab uxoribus, & liberi ab eis suscepti non legitimi censeantur,* ibid.
Sectio X. *An furiosi, & amentes possint contrahere Matrimonium?* 89
Sectio XI. *An validè Matrimonium contrahant qui ad illud coguntur?* ibid.
Sectio XII. *Quale peccatum sit cogere aliquos ad contrahendum Matrimonium? Et quæ pœna decernatur tùm in Dominos Temporales, qui subditos, tùm in alios, qui invitos cogunt Matrimonio jungi?* 90
Sectio XIII. *An, & quomodo Matrimonium contrahi possit per Internuncium, seu Procuratorem?* ibid.
Sectio XIV. *Quas mulieres Vir possit in conjuges assumere? Et quæ conditiones apponi possint in contractu Conjugii?* ibid.
Sectio XV. *Quæ personæ possint vel non possint contrahere Matrimonium?* ibid.
Sectio XVI. *Quæ solemnitates jam requirantur antequàm Matrimonium ineatur?* 91
Sectio XVII. *Quid agendum sit, si post denunciationes impedimentum aliquod appareat?* ibid.
Sectio XVIII. *Quæ forma essentialiter observari debeat in contrahendo Matrimonio?* ibid.
Sectio XIX. *Quæ pœnæ sint decretæ, tùm adversùs eos qui formam præscriptam non servant, Matrimonium aliter, quàm præsente Parocho, & duobus vel tribus testibus, celebrando, tùm adversùs Presbyteros qui conjunxerint aliquos post denunciatum impedimentum?* 92
Sectio XX. *Quâ ratione vagi homines, & qui non habent certum domicilium, ad Matrimonium admitti debeant?* ibid.
Sectio XXI. *Quomodò nupturi disponere se debeant ad contrahendum Matrimonium?* ibid.
Sectio XXII. *Quid agendum post celebratum Matrimonium?* ibid.
Sectio XXIII. *Quo tempore permittat aut vetet Ecclesia nuptias celebrari? & quæ pœnæ contra nubentes contra interdictum Ecclesiæ?* ibid.
Sectio XXIV. *Quæ Ceremoniæ adhibeantur in administratione Sacramenti Matrimonii, & quid significent? Et quàm potissimùm necessaria sit Benedictio Sacerdotis, & à quo dari debeat?* 93
Sectio XXV. *Parochos referre debere Matrimonia in Librum: & quàm honestè nuptias celebrari deceat?* ibid.
Sectio XXVI. *Quid sit Matrimonium ratum? Quid consummatum?* ibid.
Sectio XXVII. *An Matrimonium ratum dissolvi possit per Professionem solemnem, in Religione emissam? Et quanto tempore sit exspectandum? Et an pati debeat aliquod damnum qui ingreditur in Religionem?* 94
Sectio XXVIII. *An Matrimonium ratum dissolvatur ob alias causas, putà, vel susceptionem Ordinis Sacri, vel Votum simplex servandæ continentiæ, &c.* ibid.
Sectio XXIX. *Ex Matrimonio rato oriri impedimentum justitiæ publicæ honestatis, & ad quartum gradum extendi.* 95
Sectio XXX. *Matrimonium consummatum nulla ratione dissolvi posse.* 96
Sectio XXXI. *Non posse de Jure Matrimonium iniri cum pluribus viris vel uxoribus.* 97
Sectio XXXII. *An Judex compellere debeat Conjuges, ut post contractum legitimè Matrimonium, illud consumment?* ibid.
Sectio XXXIII. *Quid Judex decernere debeat, cùm Quæstio vertitur super Matrimonio contracto?* 98
Sectio XXXIV. *Quæ momenta observare debeat Judex, ut judicet Matrimonium initum fuisse vel consummatum?* ibid.

TITULUS XII.

De Legitimo usu Matrimonii. 199

Sectio I. *Quid sit, & quale sit Matrimonii bonum? & an licitus sit usus conjugii?* ibid.
Sectio II. *Utrùm teneantur conjuges ad reddendum sibi mutuò debitum conjugale, & propter quem finem id facere possint?* ibid.
Sectio III. *Quot modis peccare possint conjuges in reddendo sibi debito?* ibid.
Sectio IV. *An propter votum, vel orationem possint conjuges debitum sibi denegare? Et an æquale sit viri & uxoris jus quoad debitum?* 100
Sectio V. *An, & quomodo conjuges possint privatim vovere continentiam, & ad quid tale votum illos astringit?* ibid.
Sectio VI. *An, & quomodo possint conjuges ad solemne votum in Monasteriis, vel ad Sacros Ordines admitti?* 101
Sectio VII. *Ad quid teneantur conjuges post votum Religionis ex consensu emissum?* 102
Sectio VIII. *Ad quid teneantur conjuges, cùm alter eorum sine consensu alterius, vel tantùm cum consensu vi vel dolo extorto, in Monasterio solemne votum emisit?* ibid.
Sectio IX. *An & quando liceat alteri conjugum, invito altero, vel Sacros Ordines suscipere, vel Monasticam vitam profiteri, propter adulterium publicum alterius?* 103
Sectio X. *An aliqui casus occurrant in quibus conjuges possint ac debeant continere, & an possint jurare se mutuò non petituros, & ad quid obliget illud juramentum?* ibid.
Sectio XI. *An possint conjuges diutiùs abesse, & an teneantur se sequi?* 104
Sectio XII. *De aliis generalibus conjugum, tùm erga se tùm erga filios, Officiis,* ibid.

TITULUS XIII.

De Impedimentis Matrimonii.

Sectio I. *Quot sint impedimenta? Qui nuntiare illa debeant? Quæ pœna malitiosè denuntiantium? Et quomodò vel impediant contrahendum Matrimonium, vel dirimant contractum?* ibid.
Sectio II. *De Impedimento quod oritur ex violentia injustè incussa. Quid observandum sit cùm violentiæ impedimentum proponitur, in causa Matrimonii?* 105
Sectio III. *De Impedimento erroris. Matrimonium contractum per errorem personæ unius pro alia esse irritum,* 105
Sectio IV. *An, & quibus in casibus dirimatur Matrimonium inter mancipia, sive inter servos & ancillas propriè dictas?* 106

Cap. I.

Cap. I. *De Impedimento veti, sùm simplicis, tùm solemnis,* ibid.
Sectio I. *Votum simplex continentiæ servandæ, aut Religionis assumendæ, impedire duntaxat Matrimonium contrahendum, sed non dirimere contractum,* ibid.
Sectio II. *Susceptionem Sacrorum Ordinum. & Professionem Regularem impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum: & quæ pœnæ decretæ sint in eos qui hujusmodi Matrimonia contrahunt?* 107
Cap. II. *De Impedimento cognationis?* ibid.
Sectio I. *Quid sit consanguinitas, undè oriatur, & cur impediat Matrimonium?* ibid.
Sectio II. *Quomodo computentur gradus consanguinitatis, juxta Jus Canonicum quod vulgo sequuntur in Gallia?* 108
Sectio III. *Ad quotum gradum consanguinitas impediat Matrimonium, ac dirimat contractum? Et quæ Regulæ in hoc observentur?* ibid.
Sectio IV. *Quo Jure, Naturali, Divino, an Ecclesiastico, consanguinitas impediat Matrimonium & dirimat contractum?* 109
Sectio V. *Quid Episcopus præstare debeat, ne consanguinei nubant, & postquàm illi nupserint?* ibid.
Sectio VI. *Qua ratione sit contestanda lis, & finienda, super consanguinitate, ad impediendum Matrimonium contrahendum?* 110
Sectio VII. *Qua ratione lis instituenda sit, quoad Matrimonium contractum inter consanguineos dirimendum?* ibid.
Sectio VIII. *De Impedimento cognationis spiritualis?* 111
§. I. *An & quomodò cognatio Spiritualis impediat Matrimonium contrahendum, & dirimat contractum, & inter quas personas?* ibid.
§. II. *An, & quomodò conjuges teneantur sibi reddere debitum, vel possint illud exigere, si contraxerint cognationem spiritualem post legitimum Matrimonium?* ibid.
Observatio *Circa Impedimentum cognationis legalis,* 112
Sectio Unica. *An, & inter quas personas oriatur impedimentum dirimens ex cognatione legali, sive Adoptione civili?* ibid.
Cap. III. *De Impedimento Criminis,* ibid.
Sectio I. *An, & quomodò contrahatur impedimentum dirimens Matrimonium, per Matrimonii promissionem vel Matrimonium contractum?* ibid.
Sectio II. *An, & quomodò contrahatur impedimentum dirimens, si conjux alterius mortem machinatur?* 113
Sectio III. *Adulterium solum, præterquàm in prædictis casibus, non impedire Matrimonium, nec dirimere contractum,* 114
Cap. IV. *De Impedimento Impotentiæ,* ibid.
Sectio I. *Traduntur Regulæ Generales, cùm constat de hujusmodi Impedimento,* ibid.
Sectio II. *Omnino interdictum, ne Eunuchi & Spadones Matrimonia contrahant, & si quæ contraxerint esse irrita, ac protinùs separari debere à mulieribus,* ibid.
Sectio III. *Quid judicandum sit in foro externo, si constet Matrimonium contractum esse cum impotentia?* 115
Sectio IV. *Quid decernere debeat Judex quandò dubium occurrit de impotentia?* ibid.
Sectio V. *An & quandò possint conjuges, probato impotentiæ impedimento, nubere vel non nubere?* 116
Sectio VI. *Quid faciendum sit, cùm ex postfacto deprehenditur impedimentum non fuisse perpetuum, & sententiam divortii prolatam ob hujusmodi impedimentum stare non posse?* ibid.
Sectio VII. *Quid observandum sit, cùm impotentia provenit ex maleficio?* ibid.
Sectio VIII. *Impotentiam Matrimonio jam legitimè contracto supervenientem illud non dirimere,* 117
Cap. V. *De Impedimento quod oritur ex dissimilitudine Religionis, sive, ut vocant, ex Disparitate cultûs,* ibid.
Sectio I. *Non licere fidelibus Matrimonium contrahere cum infidelibus aut hæreticis,* 117
Sectio II. *Matrimonia inter infideles inita, si alter eorum ad fidem convertatur, posse simul manere,* ib.
Sectio III. *Altero infidelium conjugum ad fidem converso, si alter infidelis remanens nolit habitare cum Fideli conjuge, vel ipsum velit ad mortale peccatum pertrahere, vel contumeliam inferre Creatori, potest Fidelis ad aliud Matrimonium convolare,* 118
Sectio IV. *Quandonam solvatur Matrimonium Infidelis conversi altero nolente cohabitare, vel duntaxat cum peccato? Et an fideles qui ad infidelitatem vel hæresim deflexerunt, teneantur ad invicem redire post Conversionem?* ibid.
Sectio V. *Apud quem è Parentibus educandi sint filii, quandò alter Fidelis est, alter Infidelis?* ibid.
Cap. VI. *De Impedimento Raptûs.* 119
Sectio Unica. *Quid sit Raptus, quàm grave crimen, & quomodò impediat vel dirimat Matrimonium, & quæ pœnæ Raptorum?* ibid.

TITULUS XIV.

De Divortio, seu Separatione Conjugum, quoad thorum, seu cohabitationem, *ibid.*

Sectio I. *Non licere cuiquam conjuges propriâ autoritate separare quoad thorum, seu cohabitationem,* ibid.
Sectio II. *An, & quandò liceat viro ab uxore se separare quoad thorum seu cohabitationem?* 120
Sectio III. *An æquale sit uxoris jus ad dimittendum virum ob fornicationem?* ibid.
Sectio IV. *An teneatur conjux adulterum dimittere, aut semper possit?* 121
Sectio V. *Qua ratione procedi debeat ad instituendam accusationem de adulterio ad dissolutionem Matrimonii?* ibid.
Sectio VI. *Qua ratione Judex se gerere debeat in causâ adulterii coram ipso motâ?* ibid.
Sectio VII. *An, & quando Judex objecto adulterio debeat decernere restitutionem alteri conjugum illam postulanti?* ibid.
Sectio VIII. *Quid agendum sit si alter Conjux alteri jurasset se eam nunquam accusaturum, aut dimissurum?* ibid.
Sectio IX. *An & quando revocari possit sententia Divortii inter Conjuges lata?* 123
Sectio X. *An aliæ sint causæ præter adulterium, ob quas conjuges separari possint quoad thorum & cohabitationem?* 123
Sectio XI. *Non posse, nec debere, propter leves aliquas causas, vel propter supervenientes aliquos defectus naturales, separari conjuges quoad thorum,* ib.
Sectio XII. *Conjuges, etiam post sententiam divortii legitimè promulgatam, non posse alii nubere?* 124
Sectio XIII. *Quomodo animadverti possit in conjuges adulteros, & quâ pœnâ puniri debeant?* ibid.
Sectio XIV. *Quandonam debeant reddere vel exigere debitum conjugale, qui impedimenti dirimentis conscii sunt, nec possunt illud probare?* 125
Sectio XV. *Quomodo procedi possit in judicio Ecclesiæ, cùm proponuntur impedimenta dirimentia, & qui accusatores admitti?* ibid.

TITULUS XV.

De cæteris quæ pertinent ad CAUSAS MATRIMONIALES. 126
Sectio I. *Qui sint causarum Matrimonialium Judices, & quales esse debeant, & quas Regulas observare?* ibid.
Sectio II. *An, & quandò Judex debeat decernere restitutionem uxoris, cùm à conjuge repetitur?* ibid.

TITULUS XVI.

De Dote Mulieris, ac Viri Donationibus, 127

Sectio I. *Quid sit Dos, an & propter quid danda sit?* ibid.

Sectio II. *Qua ratione Dos solvi debeat? An alienari vel amitti possit? Et quomodo recuperari, vel restitui?* ibid.

TITULUS XVII.

De prole legitima, vel illegitima, 128

Sectio I. *De filiis ex legitimo Matrimonio susceptis, eorumque juribus?* ibid.

Sectio II. *Quandonam filii habeandi sint legitimi?* ibid.

Sectio III. *An, & quomodò censendi sint legitimi & haredes, si post Parentum decessum, de illorum statu dubitetur?* 129

Sectio IV. *Etsi gravissimum sit peccatum, cùm mulieres prolem de adulterio suscipiant, vel cùm partum supponunt alienum, non est tamen iis deneganda Pœnitentia, & earum impensis hujusmodi filii enutriri debent,* ibid.

TITULUS XVIII. & Ultim.

De Secundis Nuptiis, ibid.

Sectio I. *Licitum esse sæpiùs nubere, sed secundas Nuptias benedici non debere,* ibid.

Sectio II. *Quandònam liceat ad secunda vel ulteriora vota transire, & qua certitudo mortis prioris mariti requiratur?* ibid.

Sectio III. *Qua ratione se gerere debeat conjux, quoad usum conjugii, si antè receptam certum nuncium ad alia vota transivit? Et ad quid teneatur si posteà deprehenditur priorem conjugem vivere?* 130

Appendix ad Tractatum de Matrimonio. 131

TITULUS I.

Quæstiones desideratæ in præmisso Tractatu de Matrimonio, per Textus Juris, laudatos vel non, resolubiles. *ibid.*

Quæst. I. *An sint aliqui Textus, è quibus inferre liceat, cujus sit impedimenta Matrimonii instituere?* ibid.

Quæst. II. *An aliquis Textus demonstret, quod Potestas, cujus est instituere Matrimonii impedimenta, debeat esse suprema?* ibid.

Quæst. III. *An ex Textibus Juris colligatur quid possit consuetudo circà constituenda Matrimonii impedimenta?* ibid.

TITULUS II.

Quæstiones quæ videntur omninò omissæ, & non sunt, vel quia in aliis comprehensæ, vel alio quàm consueto loco & modo tractatæ; ac exempla illarum. 132.

FINIS TRACTATUS DE SACRAMENTIS.



EXPOSITIO



EXPOSITIO JURIS CANONICI, IN SPECIE CONSIDERATI, PER REGULAS NATURALI ORDINE DIGESTAS, EX ILLIUS CORPORE, AUT ALIUNDE DESUMPTAS.



PARS QUINTA.

TRACTATUS DE JUDICIIS.

PRÆFATIO.



Uidquid hactenùs explicatum est in Tractatibus præcedentibus, communiter comprehenditur sub nomine Personarum & Rerum Ecclesiasticarum. Circà utrasque versantur Judicia, de quibus mox acturi sumus. Hæc autem considerari possunt, vel in genere, vel in specie: Priori modo illa inspicientes, referemus propriis Juris verbis, quidquid commune habet cuivis Judicio.

Hoc autem ad tria reducitur. Primum sunt Voces Judiciariæ frequentiores, cum ipsarum explicatione, necnon & Locutiones ejusdem generis; Alterum autem cadit in Personas ad Judicia necessarias, Judicem, Actorem, Reum; insimul & ad Personas quæ pro aliis agunt in Judicio, Commissarios, Procuratores, Advocatos; Tertium respicit Actus Judiciarios, illorumque Solemnitates præscriptas, citationem, auditionem Partium, receptionem probationum.

Dum de Partibus tractabitur, de earum Officiis circà Judicem, juribusque ipsis competentibus ergà eumdem, invicem comparabuntur; Regulæ ipsis communes colligentur; necnon & illæ quæ peculiares sunt ipsi Reo.

Circà Procuratores imprimis ostendetur, Quomodò constitui valeant? An sint admissibiles in quavis causâ, ejusdemque actu quolibet? Quid possint vi Procurationis Generalis? Quid non sine speciali? Quandonam fiant Domini Litis? Quibus tunc potiantur commodis? Quandò & quomodò illorum potestas expiret? Quibus casibus ratihabitio æquivaleat mandato? Quomodò & quandò negligentia, malitia, fraus Procuratoris noceant Domino? Quid operetur falsa Procuratio?

De Advocatis pauca in Jure; sat tamen de his habet ad explicanda ipsorum officia, munia, juraque; necnon officium Judicis erga eosdem, atque etiam quæ pertinent ad Personas Sacras, quæ ab hoc Ministerio excluduntur, exceptis quibusdam casibus; quæ singula ipsissimis Juris verbis congerentur, quemadmodum & illa quæ attinent ad suprà memorata Capita.

Absolutis his singulis generalitatibus circà Judicia, stabilitâque Judicis Ecclesiastici competentiâ, agetur de Jurisdictione contentiosâ; hujus nominis ratio reddetur, & dividetur in Ordinariam, Delegatam, & Arbitrariam sive Arbitrorum; notatisque differentiis inter præfatas tres Jurisdictionis species (undè triplex genus Judicum, Ordinarius, Delegatus, & Arbiter,) ac indicatis locis quibus de Arbitris actum est, discutitur seriatim quidquid contingit Judicem Delegatum. Cùm autem de solo Delegato Pontificio ut plurimùm sermo à Jure fiat, de illo potissimùm disseritur; & 1°. Quæ sit hujusce Delegati dignitas? 2°. Quis illius capax? 3°. Quæ potestas? 4°. Quid faciendum quandò plures concurrunt, sive seorsim, sive conjunctim Delegati? quod sit plerumque ne caduca fiat Delegatio morte Delegati, aliove casu, quo ipsi subriperetur facultas subdelegandi. 5°. Quid discriminis inter Delegatos eà lege ut simul agant, & illos qui cum libertate separatim agendi delegantur? 6°. Quæ sit Subdelegati potestas? 7°. Quando ab ipso ad Pontificem appelletur, quandò ad Subdelegantem? 8°. Quotuplex sit genus Delegatorum Pontificiorum? Quæ differentiæ inter illos? 10°. Quomodò & quandò expiret potestas Delegati & Subdelegati? 11°. Quandò, & quo in casu utrosque recusare fas sit? 12°. Quis de recusationis causis cognoscere debeat? 13°. An quod faciunt antè recusationem valeat posteà? 14°. Quæ illorum officia ergà Pontificem, quæ erga Partes? 15°. An illorum potestas à Partibus prorogari possit? 16°. Quid sciendum circà executionem judiciorum ab illis latorum? Quo casu ad illam Episcopus teneatur? 17°. Quandò Judicis Delegati defectum supplere possit?

Post explicata illa quæ peculiaria sunt Judici Delegato, & præmissam remissionem ad locum citarum circà Arbitros, descenditur ad Judicem Ordinarium, & sub ipsius nomine exponitur id quod omnes Judices tangit, cùm cæteri Judices ab Ordinario differre nequeant, nisi in eo quod sibi proprium est. Ab ejus Officiis ordientes, recensemus statim quæ congruunt tàm Sæcularibus quàm Ecclesiasticis, nempè Jus suum unicuique reddere; juxtà Leges judicare, non pro suo libito; Judicia non vendere, abbreviare & expedire promptè lites; ad Sententiam non procedere, nisi auditis Partibus, & te maturiùs expensâ; nec pronunciare sine solidis Juris fundamentis; abstinere se à Judicio, cùm recusatus fuerit, & probatæ recusationis causæ extiterint, imò etiam quandò discutiuntur.

Hoc Officium aliquantulùm pensantes examinamus, Quæ sint istæ recusationis Judicum causæ legitimæ? Quis illarum Judex? Quo tempore ordinariè proponenda recusatio? An quælibet Pars proponere possit recusationem? An sit aliquod tempus ad hoc præscriptum? Quomodò se gerere debeat Judex recusatus, quando recusationis Judex negligit vel protelat Judicium? An Judex recusatus possit causam committere alteri, consentientibus Partibus, postquàm justa recusationis causa declarata est.

Officium etiam est commune omnium Judicum ut citent Partes, ex eo proveniens quòd illas audire teneantur; Generaliter quoque obligantur ordinem Judiciarium servare, tàm quoad solemnitates sibi specialiter præscriptas, quàm quoad alias à Partibus servandas curante Judice.

Indè transitur ad propria officia Judicis Ecclesiastici, quorum præcipuum est juxtà Canones judicare; quod restringendum ad Canones receptos & vigentes in locis ubi sedet: hinc sæpiùs astringitur ad judicandum juxtà æquitatem, potiùs quàm secundùm Juris rigorem; ea siquidem mens est Juris Canonici. A prædictâ obligatione judicandi juxtà Canones, excipiendæ Causæ de quibus cognoscit ex sola concessione Principis, quæ judicandæ sunt juxtà istius Leges; quales quædam Matrimoniales Causæ in Galliâ, quarum Judicium illi non creditur, nisi eâ lege, ut Regias Ordinationes in illo sequatur; Ejusdem generis sunt Causæ versantes circà Solemnitatum defectum Ordinem Judiciarium contingentium, cui subest sicut Judex Sæcularis: Eidem Judici Ecclesiastico Officium etiam incumbit ut solis Causis Spiritualibus, sivè Criminalibus, sivè Civilibus, sese immisceat.

Hic colligendæ fuissent Decisiones Juris expressè relatæ in *Lib.* II. DECRETALIUM circà ordinem Judiciarium; sed cùm hic pluribus in locis non observetur, præsertìm in Galliâ, prætermittendas duximus; exemplum secuti *Domini* DALLO, cujus collectionem in lucem edimus; quod tamen supplevimus compendio quodam methodico earum Decisionum quarum verba descripta non sunt.

Hac de causâ accedentes ad illas quas colligit Dominus DALLO Decisiones circà Probationes, consideramus eas cùm illo statim in genere, deindè in specie: Harum præcipuæ duæ sunt, nempè per Instrumenta, & per Testes; subjicientur nonnullæ Observationes circà alias Probationes, Præsumptionem, Indicia, Rumorem publicum, idque præsertim dùm de Judicio criminali actum, in quo

quo frequens illarum usus; necnon circà probarionem per Juramentum; de quo præmonendum, Collectorem datâ occasione quascumque Decisiones ad juramentum spectantes debito ordine coacervasse, in qualicumque parte Juris contineantur.

Ex relaris ab Authore circà Probationes, inspicitur 1°. Servandam cuique Parti libertatem plenam probandi; impedienrem ne id fiat, demonstrare se injustam causam habere; probariones claras esse debere; non probantem ad expensas condemnandum. 2°. Quot probarionum genera sint? Quot ex illis à Jure expressè approbentur? 3°. Actore non probante absolvendum Reum. 4°. Negativæ nullam esse probationem directam, sed indirectam tantùm, posito quod aliquam affirmationem includat, loci, temporis, alteriusvè circumstanriæ. 5°. Probationes dandas à Partibus in eodem loco & coràm iisdem Judicibus; non admirendas nisi verisimiles, rejiciendas inuriles. 6°. Confessionem Procuraroris, aut Advocati, pro veritate haberi; nocere Parti; diversimodè fieri; corrigi Confessionem indiscretam ipsius revocarione. 7°. Probationem per Instrumenra requirere, ur istud manu Publicâ edirum sit, & sigillo aurhenrico muniarur: quid agendum quando Notarius obir antè perfectum Instrumentum? 8°. Acta haud facilè arguenda esse falsitaris; modicus enim defectus ad id non sufficit: multa esse falsitatis signa, nempè rasuram in loco gravi, interlineam, subscriptionem absentium, scripturæ diversitatem, mixtionem ceræ novæ cùm veteri, in Sigillo, chartæ qualitatem. 9°. Fidem non adhiberi transumpto ex Originali, nisi factum sit manu Publicâ, aut autoritare Judicis. 10°. Objectionem falsitatis actorum admitti semper; justa namque est causa cassationis illorum: deponenda Acta in loco tuto, dum de examine falsitatis agitur. 11°. Nulli licere Parti subtrahere Acta utrique communia; Acta sibi invicem adversaria non probare; idem dicendum esse de iis quæ à Judicibus rejecta fuere. 12°. Neminem posse Actis uti quæ impugnat, aut non exhibet.

Extracta Juris circà Testes docent 1°. Depositiones vim probationis habere, æquè ac Instrumenta, modò juratæ sint. 2°. Unum Testem non sufficere; ad minùs duos requiri; effrænam Testium multitudinem rejiciendam esse. 3°. Qui à Testimonio excludantur? Hi autem soli à Jure exclusi dicuntur, nimirùm Mulieres, Impuberes, vilissimæ conditionis, Perjurii, Infames, Propinqui, Amici, & Domestici Accusatoris; De aliquo Crimine convicti, aut qui convinci possunt, si infamia crimen notet, si Rei in illo persistant; idem dic de his qui illud confessi fuerint au confitentur; crimine accusati etsi convicti non fuerint, nec confessi: Illi quoque quibus crimen objicitur, quo posteà convincuntur ab Objiciente, depositionis fructu non potiuntur. 4°. Objecta contrà Testes probari posse per Testes: Idem de objectis contrà istos; at non recipi Testes, contrà tertios Testes, ne lites sint infinitæ. 5°. Objecta crimina contrà Testes specificanda, Testiumque nomina exprimenda; quod locum habet quovis in casu in quo admittitur Testium reprobationis probatio. 6°. Partem citandam à Judice ut adsit admissioni Testium contrà ipsam producendorum; si non comparuerit, procedere posse quasi præsens esset, confecto denunciationis Acto. 7°. Testes à Judice non admittendos nisi idoneos, nec sine diligenti examine; si absuerint, & in loco remoto, auditionem & examen aliis ab ipso committenda. 8°. Receptas depositiones Judicem ponderare debere, ut præferat quæ majoris sunt ponderis; in æquali pondere Testes possessoris pluris habendos; item & qui pro libertare; necnon eorum depositiones quæ verisimiliores sunt, atque ipsi negotio congruentiores. 9°. Singulares Testes ab ipso rejiciendos; item & Testes *de auditu*; itidem non satis probantes depositiones suas, aut ea ad quæ probanda adducuntur, Testes variantes, aut sibi ipsis contrarios. 10°. Testes convenire debere in depositione suâ quoad substantiam illius; Personas vel per nomina, vel per signa æquivalentia notas facere; simplicem & puram esse debere depositionem, nihilque adjicere facto quod testatur. 11°. Publicatione attestationum factâ, à Parte nihil objici posse contra Testes, nisi anteà de illâ protestata fuerit, vel rectè probaverit illud se accepisse post publicationem, aut corruptos Testes fuisse & falsa deposuisse; extrà hos casus imminere subornationis periculum. 12°. Post eamdem publicationem non producendos esse novos Testes circà eosdem articulos, aut alios directè oppositos; sed id licitum in casu subornationis & appellationis, posito quod nova facta elucidanda sint à præcedentibus pendentia; depositiones benignè interpretandas, adeò ut à perjurio Testes eximantur. 13°. Adeò infandum esse crimen corrumpere Testes & falsum deponere, ut utrumque post publicationem objicere liceat. 14°. Factas in uno Judicio depositiones, in alio fidem facere, si de eodem negotio iisdemque Partibus agatur. 15°. An fortior sit probatio per Testes quàm per Instrumenta? 16°. Quo pacto Clerici possint esse Testes in rebus suæ Ecclesiæ, ac in propriis factis? 17°. Convictos Testes criminum sibi objectorum pœnâ ordinariâ non plecti, sed condignam Pœnitentiam ipsis imponendam. 18°. Puniendos qui impediunt ne Testes deponant. 19°. In Re Civili Testem quemcumque cogi posse ad testificandum, ac semper potuisse; secùs verò in Criminali.

Dum de probatione per Juramentum, palàm fiet 1°. Illam esse tantùm subsidiariam. 2°. Cui Parti illud deferendum à Judice? 3°. Quis de Juramento cognoscere debeat, illud interpretari, & ab eo dispensare?

Absolutis iis quæ probationes Actoris spectant, transitus fit ad Exceptiones, quæ sunt Ipsius Rei præcipuæ defensiones, quæque ideò probandæ sunt perindè ac petitiones; ostenditurque, 1°. Ad duas species reduci, nempè Dilatorias, & Peremptorias; Priores suspendere dumtaxat Ju-

dicium definitivum; Posteriores litem definire. 2°. Istas potissimùm desumi ex transactionibus anterioribus, ex præscriptione, ex re judicatâ; eas autem expositas partim fuisse in *Tractatu* DE CONTRACTIBUS, ubi actum est de Transactionibus & Præscriptionibus, & quod superest dicendum explicabitur dum de Re judicata inferiùs sermo fiet. Ut ergo evitentur iterationes, remittere cogimur ad loca ubi Textus ad Exceptiones spectantes explanantur, nempe in *Tractatu* DE BENEFICIIS, & infrà dùm de viis procedendi in negotio criminali. His non contenti Decisiones circà Exceptiones Judiciarias accuratè collegimus, atque ita supplevimus quæ Autor Manuscripti omiserat.

Ab Exceptionibus transeuntes ad Sententiam Judicis, incipimus à conditionibus necessariis ut valida sit; nimirùm 1°. ut Canonibus & Legibus negotium contingentibus conformis sit. 2°. Scripta sit? 3°. Proferatur à Judice sedente, non stante.

Demonstratur posteà 1°. Nulla præscripta esse verba à Jure ad Sententiam pronunciandam; sed sufficere ut Judex claré mentem suam aperiat circà rem à se examinatam, & juxtà petitionis formam, & qualitatem personæ in lite comparentis, illam absolvat vel condemnet, aut ejus Procuratorem aut Syndicum, aut Tutorem; & referuntur diversæ formulæ pronunciandi in Jure expresè memoratæ. 2°. Præsumendum Sententiam justam esse, & ei parendum, donec de contrario constiterit. 3°. Quid discriminis sit inter jus litigantis, & jus Constitutionis, aut Ecclesiasticæ aut Civilis; in eo maximè positum quod Sententia nulla sit si adversetur posteriori, non item si priori. 4. Quomodò conciliandi sint Textus dicentes Sententiam contrariam Juri Constitutionis nullam esse, cùm illis qui asserunt illam irritandam. 5°. Sententiam à qua appellatum non est tempore præscripto, vim rei judicatæ acquirere. 6°. Sententias non nocere nisi eis cùm quibus prolatæ sunt; exceptis quibusdam casibus, ubi habentes jus agendi illo non sunt usi; & qui hi sint?

Reliquum ad eam rem pertinens enucleabitur Observationibus methodicè ordinatis, ac desumptis ex Textibus jam relatis, aliisque omnibus de eadem loquentibus, quâcunque in Juris parte siti sint. Hac in explicatione immorabimur præcipuè notandis iis in quibus differant Sententiæ Interlocutoriæ à Sententiis Definitivis.

Subsequuntur docenda de Appellationibus; circà quas ostenditur, 1°. Appellare nihil aliud esse quàm ad Judicem Superiorem causam deferre. 2°. Ut licita sit appellatio, necessarium esse ut solidis rationibus innitatur; quamvis aliam appellationem frivolam vocari, & frustratoriam. 3°. Pro qualitate Actûs à quo, appellatio ista vel est extrajudiciaria vel judiciaria; quæ discrimina inter utrumque hoc appellationis genus? 4°. Appellationem judiciariam interponi, aut à Sententiâ definitivam præcedenti, ideòque Interlocutoriâ dictâ, aut à Sententiâ definitivâ. 5°. Non licitam esse appellationem ab Interlocutoriâ, nisi quandò vim definitivæ habet, vel gravamen infert irreparabile in definitiva. 6°. Appellationem effectu carere, nisi intimetur aut significetur Parti aut ejus Procuratori; aut, posito quod neutrum fieri queat, in loco publico denuncietur. 7°. Judicem à cujus Interlocutoriâ appellatum est finire posse causâm si illam revocare voluerit; sed appellantem non teneri coràm illo comparere nisi ut audiat revocationem. 8°. Appellationis causam in eâ exprimendam, quocunque casu appelletur ab Interlocutoria; ut si Judex Superior illam non probet, negotium remittat ad primum Judicem, appellante damnato ad expensas; sin autem, de illo ipse cognoscat. 9°. Eodem in casu Judicem causam judicare posse absente Parte citatâ, etiam lite non contestatâ quoad principale. 10°. Appellationem Generalem à quocunque gravamine quod Pars pati potuerit in quolibet negotio irritam esse; quemadmodùm illam quæ in Commissione Delegatoria expresè à Papa prohibetur. 11°. Per legitimam appellationem suspendi Jurisdictionem Judicis à quo apellatum est, in quacumque re quæ judicari nequit incognitâ appellationis causâ. 12°. Post interpositam appellationem nihil innovandum esse; proindèque ferri non posse Sententiam definitivam, nec latam executioni mandari. 13°. Appellantem remanere subditum Judici suo in quovis alio negotio; istum verò non debere cogere illum ut coràm se compareat si ab illo tanquàm suspectus recusatus fuerit; posse tamen in possessionem illum remittere, si post appellationem in eâ turbatus fuerit. 14°. Casum esse denegationis Justitiæ, proindeque causam justam appellationis ab Interlocutoriâ Sententiâ. 1°. Si Judex nolit assignare Partem in loco tuto. 2°. Si Judiciarium ordinem non custodierit. 3°. Si nolit præcipere ut ipsi communicetur instrumentum commune cui innititur. 4°. Si Judex Delegatus committere noluerit Judices non suspectos. 15°. Fas non esse cuiquam appellare cujus non interest; tertium cujus refert, posse in causis quæ communes sunt pluribus; in re communi, uno appellante, censeri alios appellasse. 16°. Sententiam definitivam manere firmam si ab eâ non appelletur tempore præscripto; in appellatione verò ab Interlocutoriâ Judicem posse compellere appellantem, ut illam prosequatur aut pareat ipsius Sententiæ. Non posse autem, præfigere tempus Judici appellationis ad illam finiendam. 17°. Appellantis esse, ut prior agat; sin autem, appellatum prosequi posse quoties suâ refert; utroque deficiente, boneque publico postulante, Judicem remedium afferre teneri: Appellato fas esse terminum præfixum prævenire, modò fraus omnis abfuerit. 18°. Appellantem non comparentem tempore præscripto condemnandum ad expensas; Judicem contra illum procedere valere finito termino, perindè ac si peremptoriè citatus fuisset; posse quoque contrà absentem pronunciare, æquè ac si præsens esset. 19°. In casu appellationis, sivè ab Interlocutorio, sivè à Definitivo Judicio prolato post

litis

litis contestationem, Judicem illius posse definitivâ judicare absente alterutrâ Parte, si intrà terminum non comparuerit. 20°. Appellationem ab Appellante deseri posse invito Appellato, sed damnari ad expensas: Appellatione peremptâ, nec Appellanti nec Appellato illam prosequi licere, etiam mutuo consensu. 21°. Jurisdictionem devolvi ad Judicem Superiorem per appellationem legitimam; sed de istâ cognoscere non debere, nisi postquàm sibi constiterit Devolutionem ad se factam fuisse, nec illâ devolutâ potestate uti posse nisi inter Appellantem & Appellatum. 22°. Judicem appellationis ab Interlocutoriâ ante omnia cognoscere debere de innovato post illam; hoc autem innovatum vocitari *attentatum*, indèque secuta irrita esse, dummodò Judex Superior, cognito quod appellatio justa est, inhibuisset Judici Inferiori ne ultrà progrederetur; alioqui attentatum dumtaxat irritationi obnoxium esset, posito quod justam appellandi causam suisse competiretur. 23°. Si appellatum fuerit à Judicio definitivo, Judicem teneri revocare quidquid attentatum fuerit post illud, necnon & acta intrà tempus ad appellandum concessum. 24°. Appellationem ab Interlocutoriâ non admittendam nisi pateat justam esse illius causam, verum nempè gravamen, injustamve condemnationem; è contrà si appellatum fuerit à definitivâ, Judicem appellationem admittere debere quovis in casu, & comperto quod justa sit, non posse Partes ad primum Judicem remittere, nisi consenserint. 25°. Judicem appellationis debere gravamina reformare, Sententiamque irritare in qua Judiciarius ordo servatus non est; ac generaliter illam confirmare vel infirmare, prout justitiæ ratio postulaverit; quæ justa est confirmari debere; eandem Sententiam posse confirmari, & infirmari quoad certos articulos. 26°. Condemnationem ad expensas locum non habere in Judicio appellationis, nisi patuerit istam caruisse justo fundamento.

Itaque finitis illis quæ ad Judicia Ecclesiastica pertinent quoad res Civiles, progredimur ad Judicia Ecclesiastica quoad Criminalia; ac post relatos Textus monstrantes Crimina judicanda ubi patrata sunt, probatur 1°. Quod si agatur de Delicto Communi seu Ecclesiastico, cognitio pertineat ad Judicem Ecclesiasticum; si verò fuerint atrocia seu Civitatem turbantia, de illis cognoscat Judex Sæcularis, collectis accuratè omnibus Textibus qui hanc distinctionem stabiliunt. 2°. Quod Seditio, Sodomia, Assassinatus, Apostasia, inter atrocia Crimina à Jure recenseantur, quibus Clerici etiam in Sacris constituti Sæculari Judicio subjiciuntur. 3°. Si Clericus reus deprehensus fuerit in Veste Sæculari & anteà Sæculariter vixerit, Ecclesia patiatur ut à Judice Sæculari judicetur, etiamsi post ipsius capturam resumpserit habitum Ecclesiasticum; si è contrà antè crimen Clericaliter viveret, & in habitu Sæculari captus remitti pet'erit, Ecclesiasticus Judex de statu ipsius cognoscit; & constito quod reus fuerit Clericus ab hoc Judice judicatur; exceptis atrocioribus casibus privilegio fori privantibus. 4°. Quod Episcopus solus judicat de causis criminalibus Clericorum Diœcesanorum; exclusis Prælatis Inferioribus; nisi per privilegium vel consuetudinem potestatem contrariam acquisierint. 5°. Quod Clerici criminosi damnandi non sint, non servato Judiciatio ordine, qui perducit ad certam notitiam criminum. 6°. Quod crimen sit, aut publicum, aut occultum; & duplex sit publicitas; alia Juris, quæ fit per convictionem, vel per confessionem; alia facti, quæ locum habet quoties factum ita notum est ut nullâ tergiversatione celari possit: Hæ autem voces, *publicum*, *notorium*, *manifestum*, *evidens*, sunt hîc Synonimæ. 7°. Quod multâ referat hoc in loco non confundere notorium cum dubio, sive non notorio; quia in notoriis non servatur ordo Judiciarius quoad Testes & Accusatores. 8°. Quod hoc in casu notorietas quæ fit per rumorem publicum non sufficiat ad condemnationem, sed solùm quoad informationem. 9°. Quod triplex modus sit procedendi criminaliter: nempè Accusatio, Denunciatio, Inquisitio: Crimen etiam objici possit per viam exceptionis. 10°. Quod in accusando temeritas vitanda sit, calumnia, & silentium ex commodo temporali. 11°. Quod Accusator inscribere se teneatur, per seipsum agere, necnon designare expressè personam & crimen. 12°. Quod Accusatus non valeat per Procuratorem se defendere, sed tantùm seipsum excusare. 13°. Quod de Accusatore idem sit quod de Teste, in eo quod suspectus esse non debeat, proindèque nec inimicus, nec domesticus Accusatoris, nec propinquus Adversarii. 14°. Quod Accusatio facienda sit scripto, probanda per scripta vel Testes fide dignos; Testes autem saltem duo esse debeant omni exceptione majores; nullus esse queat Accusator & Testis insimul; Testis Juramentum præstare debeat coram Accusato, qualitas Testium, ut & Accusatoris, examinanda; Testis de auditu depositio non admittatur; nullus absens sit judicandus, nisi sit contumax; Accusatus liber esse debeat, ut se defendat, Accusator Accusato præfeutandus sit; requirantur probationes certæ ut Convictio & Confessio; conjecturæ non sufficiant. 15°. Quod Confessio esse debeat libera; confesso non credatur contrà alios, nec contrà se ipsum, quando de falsitate Confessionis constat; Confessio coram Judice incompetenti nulla sit; Crimen confessum incidenter puniri valeat. 16°. Quod si Accusator defecerit in probatione, Accusatus absolvendus sit, & Accusator eâdem pœnâ afficiendus quâ Testis Calumniator; Probato crimine Accusatus non admittatur ad innocentiam suam demonstrandam; coactio ad deponendum in criminali aliàs prohibita fuerit, nunc permissa, imò & præcepta, quod Accusator discedere ab Accusatione impunè possit antè Inscriptionem, sed tunc Judex inquirere debeat de famâ Accusati, quandocunque de collusione suspicio est, quod ab eo diligenter examinandum.

Exposito primo procedendi modo criminali, nempè viâ accusationis, itur ad secundum, quæ est Denunciatio. Circà quam duo tantùm à Jure docentur: 1°. Illum qui accusare non valet, denunciare posse. 2°. Præmittendam denunciationi monitionem.

Quoad Tertium modum procedendi, qui est Inquisitio, multò plura docet Jus Canonicum; nempè 1°. Quod diffamatio illam præcedere debeat, ex proprio motu Judicis aut requirente Parte, sive Privatâ, sive Publicâ; quod in illa ordo præscriptus est servandus; quod examinanda est veritas criminis de quo persona diffamatur; ista autem debet adesse Inquisitioni; Exponendi illi articuli de quibus inquirendum, depositiones Testium ac eorum nomina illi communicanda; admittendæ exceptiones illius contra Testes, quæ recipiendæ. Per Exceptionem hic intelligitur Objectio criminis, eo fine facta ut Testis à testimonio repellatur, aut pondus illius testimonii minuatur. Non immeritò distinguitur a modis procedendi Criminaliter contra Reos, præcipuè ab Accusatione, cui similis videtur, à quâ tamen differt in duobus. 1°. Inscriptio non est necessaria in exceptione, necessaria verò in accusatione. 2°. Crimen probatum viâ exceptionis pœnâ ordinariâ non punitur, sed arbitrariâ, seu prudentiæ Judicis relictâ.

Explicato quovis criminali procedendi modo, quo ad notitiam criminum pervenitur, de istius punitione sermo fit, incipiturque à Collectione Textuum docentium quod vitanda sit, in hoc præsertim judicio, quæcumque occasio injustè judicandi; animi præoccupatio, favor, acceptio personarum, munera, odium, vindicta; posteà stabilitur obligatio Prælatorum circà punitionem Subditorum suorum; ac ostenditur 1°. Toleranda ab illis peccata occulta, ad illorum forum delata, à pœnis publicis ea eximendo. 2°. Lenes & moderatos in puniendo, nisi de atrocibus criminibus agatur, esse debere. 3°. Ante omnia certiores fieri de crimine per probationes legitimas, à quibus excludendus rumor publicus, vix potens confirmare illas & suspicionem formare gravem, nisi accedant alia adminicula, atque etiam viciniæ opinio, præsumptionesque nisi fortes sint; quia, ut dictum est, condemnatio injusta est, nisi adsit convictio, vel voluntaria confessio. Ob affinitatem Pœnarum cum punitione, isti subjunguntur Textus qui de Pœnis loquuntur; docent autem illas necessarias esse, & proportionandas peccatis; pœnæ nomine intelligi læsionem affligentem; pium esse punire, sed puniendum amore justitiæ, non livore vindictæ; in punitione rationem habendam qualitatis personarum, sicut & qualitatis culparum, si quidem auget aut attenuat gravitatem istarum; ideòque si de injuriâ agatur metiendam esse qualitate personæ offensæ, considerandum an delictum ex malitiâ & cum cognitione sufficienti patratum sit, eoque casu severiùs puniendum; an à pluribus, ac tunc augenda severitas ergà illos qui alios ad id attraxerunt: extare casus in quibus aliquid severitati detrahendum; in pœnis benigniorem interpretationem faciendam, molliendas potiùs quam exasperandas; Judicem Ecclesiasticum damnare posse ad carcerem perpetuum; torturâ moderatâ uti ad deregendam veritatem; imponere pœnas pecuniarias non posse sine applicatione piis usibus; vindictam criminum capitalium Judici Sæculari dimittere debere; Sententiam efformare juxtà probationum & criminum modum; crimine satis probato damnandum Reum, non probato absolvendum; præscriptas à Canonibus pœnas infligendas, sin autem, juxtà Justitiæ & prudentiæ Leges, pœnas imponendas. Si objecta per exceptionem crimina antè promotionem ad Ordines vel Beneficia fuerint probata, ab illâ arcere debere; si id fiat post dictam promotionem, executionem Ordinum & retentionem Beneficiorum in atrocioribus casibus; in istis non dispensari; Episcopum in levioribus dispensare; suspendendos vel deponendos esse Clericos pro qualitate criminum; perseverantes post has pœnas excommunicandos; & in loco securo collocandos ad Pœnitentiam; aliàs verò in Monasteria detrusos fuisse; non tradi Brachio Sæculari quemvis Clericum depositum, sed illum tantùm qui incorrigibilis reputatur, aut qui commisit crimina capitalia; Judicem cognoscentem se errasse, erubescere non debere errorem suum revocare: Quod dictum est de punitione Clericorum reorum à Judice Sæculari, locum habere quotiescumque pœnæ Ecclesiasticæ ad condignam satisfactionem non sufficiunt: In casu appellationis criminalis ad Pontificem, istum committere debere *Judices in partibus*, & maximè Episcopum viciniorem cui mittenda processûs acta; hanc autem appellationem non permitti, nisi quandò Papa proximus est Superior Judicis à quo; servandum esse ordinem graduum Jurisdictionis in re criminali, ut & in civili, ideòque ab Episcopo ad Metropolitanum appellandum esse; justam futuram esse appellationis causam si Judex Prælatum puniens, Ecclesiam ipsius bonis suis privaret; appellationem tanquàm ab abusu fundamentum suum habere in Canonibus in casu correctionis & Disciplinæ; id autem appellationis genus nihilo magis suspendere executionem Sententiæ, quàm suspendat simplex appellatio in eadem materiâ, nisi pœna excesserit modum; ob Pœnitentiam condemnati partem pœnæ justè ipsi remitti; remissam pœnam non redire propter culpas subsequentes sine novo judicio; sufficienti pœnæ ad condignam culpæ punitionem, alias non subjungendas; Clericorum depositionem illos non eximere ab obligationibus Clericorum sui Ordinis; appellationem à Judice Sæculari ad Papam nullo casu permitti.

Tractatus de Judiciis absolvitur per Censuras & Irregularitates in genere & in specie spectatas: Utræque sunt præcipuæ pœnarum Ecclesiasticarum de quibus mox sermo factus est; etenim spiritualès sunt, ideòque sola Ecclesia illas præcipere valet, illarum effectus moderari, & ab his absolvere.

Censuris junguntur Irregularitates; sivè quia Irregularitates quæ ex delicto sunt pœnæ spirituales, sive quia violatio nonnullarum Censurarum operatur Irregularitatem. Cæteræ pœnæ quibus Judex Ecclesiasticus uti valet, Sæculares magis sunt quàm Ecclesiasticæ.

Hanc materiam ordimur ab ordine servando in ferendis Censuris, sive ergà eàmdem, sive ergà diversas personas: Hic autem est ut mitiores præmittantur aliis; Ratio est, quod graviores contumacibus

tumacibus congruentiores sint: Excipiendi casus quorum enormitas tanta est ut maximas pœnas mereantur, aut istis proximiores. Infima est Interdictum ab ingressu Ecclesiæ; proximè accedit Suspensio; omnium autem gravissima Excommunicatio Major, etiamsi depositio inter Censuras recenseatur; contemptus enim depositionis Excommunicatione plectendus venit, quemadmodùm contemptus Censurarum inferiorum punitur Excommunicatione Majori.

Leviter attingitur quod commune est omnibus censuris, quia id fusè explicabitur dum de Excommunicatione; hæc est propria hujus materiæ sedes.

Quæ dici solent de Censuris in genere reducuntur 1°. Ad nomina diversa Censuris imposita, quæ Excommunicationi magis conveniunt quàm aliis. 2°. Ad naturam. 3°. Ad varias species. 4°. Ad eos qui illas ferre possunt. 5°. Ad illarum effectus. 6°. Ad absolutionem illarum.

Relatis præcipuis Textibus hæc Capita contingentibus, examinatur Quæstio nuper agitata, an Antiquum Jus agnoverit Censuras quæ incurrantur ipso facto? Circà quam sustinetur affirmativa, & satisfit rationibus negativæ.

Ad quamlibet Censuram venientes, paulò fusiùs agimus de Excommunicatione, sive quia multus de ea sermo in Jure, sive quia cæteras comprehendit, istæque in illa explicantur. Hâc ergò de Censurâ cernere est; 1°. Quæ natura, quæ species? 2°. Qui effectus? 3°. Quæ culpæ illâ punienda? 4°. Quæ illius utilitas? Quâ circumspectione ferenda? 5°. Quæ personæ illâ feriendæ? 6°. Cujus sit illam ferre? 7°. Quæ sit ejus forma, sive essentialis, sive accidentalis? 8°. Quæ pœnæ contrà omittentes illam formam? 9°. Quandò, cur & quomodò denunciandæ sint Censuræ? 10°. An vitandi excommunicati, & à quibus vitandi? Quæ pœnæ contra non vitantes? Qui actus ab Excommunicatione annullentur? Præcipui Canones hac de re in Corpore Juris inclusi vel extrà siti, prohibentes ne recipiantur excommunicati. 11°. Quot modis Excommunicatio injusta sit, & quomodò à Judice irritanda? 12°. Quo pacto Excommunicatus possit contrà Excommunicationem se gerere, antè aut postquam lata est, & quandò audiendæ defensiones? 13°. Ad quos pertineat absolutio ab Excommunicatione? In quo posita sit? Quomodo Commissarius Apostolicus eam impertiri debeat? 14°. Quibus incommodis se implicet qui in Excommunicatione persistit? 15°. An Excommunicatus semper egeat absolutione ad communionem civilem? Quandò & à quo sic absolvi debeat? 16°. Quo casu & quomodò Sepultura Sacra Excommunicato deneganda sit? 17°. Quidquid pertincat ad Excommunicationem & absolutionem. 18°. Casus præcipui Excommunicationis ipso facto incurrendæ, quorum potissimus ille est in quo manus violentæ injiciuntur in personas Deo dicatas, vi status sui: Quid agendum ad promerendam Absolutionem ab his casibus aliisque similibus? Quid discriminis hac in re inter Clericos & Regulares? Quomodo & quandò Episcopi absolvere valeant impotentiæ naturali vel morali adeundi Papam obnoxios existentes.

Cùm circà Monitoria, nunc maximè usitata, nihil expressum habeatur in Corpore Juris, id unum hic refertur quod *Concilium* TRIDENTINUM de illis habet quod spectet ad Jus Commune; huicce Decreto subduntur *Ordinationes Regiæ* circà eamdem rem, dùm de Interdicto. Quidquid illud spectat, reducitur ad spectantia ejus naturam, varias species, personas ei subjectas, causas ob quas ferri valeat, ipsius effectus, licita tempore Interdicti Generalis, privilegia eorum qui Divina Officia tunc celebrare possunt; postremò cessationem Divini Officii quæ nonnullos effectus Interdicti operatur.

In exponenda Suspensione, colliguntur tantùm Textus Juris magis vigentes, verbis cujusque decisivis duntaxat relatis. Ex his omnibus patescit, 1°. In quo sita sit suspensio. 2°. Quatenùs differat ab Interdicto. 3°. Quod discrimen inter suspensionem latæ sententiæ, & Suspensionem ferendæ. 4°. Notabiliores casus quibus Suspensio ipso jure incurratur. 5°. Suspensiones reservatæ Summo Pontifici, etsi ab aliis latæ. 6°. Suspensionem quæ non est Censura, si quæ sit, non operari effectus Suspensionis quæ Censura est. 7°. Qui sint hi effectus? 8°. Quod sit privilegium Episcoporum quoad Suspensiones ipso facto? 9°. Absolutionem ad cautelam locum habere in Suspensione. 10°. Quibus in casibus Episcopus absolvere valeat à Suspensionibus Papæ reservatis.

Depositio explanatur eodem modo quo Suspensio, collectis tantùm Juris Textibus, solisque relatis verbis decisivis; Hi autem Textus docent, 1°. Quovis privilegio Clericali exuere depositionem, omnibusque ejus commodis. 2°. Illam esse verbalem, vel actualem; istam vocari degradationem, alludque non esse quàm illius executionem; fieri cum singularibus solemnitatibus; reservari Episcopo qui illam sine adjunctis facere nequit. 3°. Verbalem permitti Officiali. 4°. Faciliùs ab illâ dispensari antequàm feratur, quàm postquàm lata est. 5°. Episcopum dispensare non posse à Sententiâ illam ferente. 6°. Quæ crimina hanc mereantur?

De Irregularitate agentes, inspicimus eam in genere, colligiturque quidquid Jus dicit expressè de illâ sub nomine Irregularitatis, quod unum ostendit illam esse Impedimentum Canonicum ad Ordines & Beneficia; probari per Testes; quæ probata efficit inhabilem ad utrumque, & ad exercitium muniorum cujusque; sin autem probata non fuerit, sed de illâ suspiciones graves habeantur, suspectum teneri sese purgare. Deindè perpendentes illam in specie, immoramur in præcipuis cujusque speciei, quæ sunt Irregularitas *ex Defectu*, & Irregularitas *ex Delicto*; eligimusque quæ frequentiùs accidunt, nimirùm Bigamiam, defectum natalium, animi, libertatis, & Corporis, necnon receptionem & executionem illicitam Sacrorum Ordinum, homicidium, ac mutilationem.

Incipientes à Bigamiâ, probamus per Textus expressos 1°. Illam efficere Bigamum Irregularem. 2°. Quænam sit quæ illum effectum operetur. 3°. Quæ causæ illius. Acce-

Accedentes ad defectum natalium, ostendimus 1°. Qui illum patiantur; Quomodo ab Ordinibus excludantur. 2°. Hunc defectum arcere quoque à Beneficiis, & quo pacto. 3°. Quomodo cesset hæc Irregularitas? nempè legitimatione per Matrimonium subsequens; beneficio Principis; Ingressu in Religionem; Ecclesiæ Dispensatione.

Recensentur inter defectus animi amentia & furor, non solùm præsens, sed & præteritus; Idem de possessione Dæmonis quæ publicè fuit manifestata per convulsiones; & Epilepsiâ quæ aufert rationis usum, & similes creat convulsiones: & congeruntur Textus qui illos hujusmodi defectibus notatos excludunt à promotione ad Ordines & ab Exercitio illorum, & præscribunt cautiones adhibendas antequàm illis alterutrum permittatur.

Quoad defectum libertatis, de aliis sermo non fit quàm de obligatis ad ratiocinia de ære alieno, sive publico, sive privato; colliguntur que Textus prohibentes illorum Ordinationem ante solutionem debitorum, vel idoneam cautionem, & præcipientes quid posteà agendum.

Paulò fusiùs agitur de corporis quàm de animi aut libertatis defectibus; quia Juris Statuta circà illos, utpotè multo frequentiores, ad praxim magis conducunt. Collectio fit Textuum hac de re loquentium; hi autem docent 1°. Qui ex illis excludant à receptione Ordinum vel executione; scilicet carentia alicujus membri, si publica fuerit. 2°. Mentionem faciunt de mutilatione noxiâ & innoxiâ; quæ ex illis Irregularem efficiat? Et quo in casu? Quodnam sit scandalum cujus ratio habenda sit vel non. 3°. Qui casus in quibus imminutio membrorum Irregularitatem non producit.

A Priori specie Irregularitatis *ex Defectu* venientes ad Posteriorem quæ est *ex Delicto*, initium fit à proveniente ex Ordinibus malè receptis vel exercitis; Et tractato de proveniente ab exercitio Ordinum non receptorum, explicatur illa quæ nascitur ex furtiva Ordinum receptione, seu sine debitâ admissione ad illos, aut ex promotione per saltum, seu ex receptione Superiorum ante receptos inferiores, aut ex receptione plurium Ordinum Sacrorum eodem die; necnon de Dispensatione in omnibus hisce casibus: Deindè enucleatur quæ provenit ex illicito exercitio Ordinum Sacrorum debitè receptorum, quâ datâ occasione colligitur quidquid docet Jus expressè de potestate dispensandi in his casibus aliisque similibus; indicantur etiam Canones extranci de illâ pariter loquentes. Sermonem posteà facientes de Irregularitate nascenti ex exercitio Ordinum Sacrorum cum ligamine Censurarum. Sequuntur deinceps Canones præscribentes pœnas quibus plectendi Excommunicati, qui eâ Censurâ ligati promoventur ad Ordines Sacros, aut Divina Officia celebrant; Post hæc comparantes Irregularem cum ligato Censuris, ostendimus hunc puniri pari pœnâ ac illum, si in Irregularitate Ordines Sacros exerceat; sed excipiendum illum qui Excommunicatione irretitus est, sicuti & ignorantes invincibiliter Censuras contra se latas aut illarum incursionem: Aliter censendum de dubitante an sit ligatus, cùm abstinere ab exercitio debeat.

Hac finitâ comparatione examinatur obiter, an insordescentia in Excommunicatione, quâ quis sit suspectus de hæresi, efficiat illum etiam Irregularem.

Agentes deindè de Irregularitate ex homicidio, cum Canonibus plura homicidii genera distinguimus, nempè voluntarium, casuale & necessarium; homicidium in bello, sive publico, sive privato; homicidium autoritate Judicis; & discutientes an quodlibet illorum efficiat Irregularem, circà Primum ostenditur istud hunc semper effectum operari & operatum fuisse; idemque dicendum de mutilatione voluntaria. Quoad alia ostenditur quibusdam in casibus Irregularitatem producere, non in aliis: sed illam Irregularitatem quandoque esse tantùm *ex Defectu*, quandoque verò *ex Delicto*; hos omnes casus clarè distinguimus, secernimusque.


Finitur Tractatus per ea quæ spectant ad Dispensationem ab Irregularitate, quod reducitur ad potestatem illam dandi, & ad causas istius legitimas. Hæc est meta Partis Secundæ hujus Tractatûs.

Cui & subjungitur Pars ultima quæ versatur circà Peccata, quæ, quatenùs externa, propria sunt Judicii Criminalis materia; incipitque à conscientiâ actuum humanorum proximâ Regulâ, ideòque ob recessum ab illâ Regulâ peccatorum causâ immediatâ; quâ in se inspectâ ac in singulis speciebus suis quibuscumque, nempè certâ, dubiâ, probabili, verosimili, scrupulosâ sive levi, erroneâ, necnon & præcepti insciâ, sivè cum culpâ sive absque culpâ; transitur ad peccata, quibus spectatis in se & in causis, tùm internis tùm externis, sivè minuentibus aux excusantibus ut metu, vi, dolo, reductione; sive augentibus aut aggravantibus, ut publicitate, undè scandalum; aut Sanctitatis seu Religionis violatione, undè Sacrilegium; ad notabiliores frequentioresve peccatorum species transitur, nimirùm 1°. Superstitionem, 2°. Luxuriam, 3°. Homicidium; quæ singula cùm suas quoque habeant species non paucas. collecta sunt quæ circà quamlibet Juris Decisiones peculiaria exhibent. His verò ideò clauditur Tractatus de Judiciis, quia nullus alius occurrit locus congruentior quo de peccatis ageretur, & istud rei Canonicæ argumentum nequaquam erat prætermittendum.

Cæterùm, si quæ hoc in Tractatu nostrâ sunt scire volueris, paucis accipe. 1°. Adjecimus totum Titulum de Exceptionibus. 2°. Præmonenda in fronte Tractatus. 3°. Nonnullas Sectiones in diversis Titulis, quæ ab aliis facilè dignoscuntur, ex eo quod nihil aliud contineant quàm Animadversiones circà dicenda vel colligenda in Titulo, vel Observationes circà jam collecta, Expositiones, Conciliationes, omissorum supplerionem, aliave similia. 4°. Quidquid ferè habetur circà Censuras in genere à nobis additum est; Idem de pœnis in genere consideratis. 5°. Circà ordinem non pauca: Uno verbo, Quæcumque præter Decisiones Juris repereris, nostra esse, ut in cæteris Tractatibus, pro certo habeas.

TRACTATUS

TRACTATUS
DE JUDICIIS,
IN GENERE ET IN SPECIE CONSIDERATIS.
PARS PRÆLIMINARIS,
De Præparatoriis ad Judicia.



HUIC Tractatui nonnulla sunt præmittenda, ad imitationem Gregorii IX., qui de Judiciis acturus Libro II. plures Titulos ad Judicia præparatorios præmisit in fine Libri I. quorum præcipui sunt, *De Transactionibus*, *De Postulando*, *De Procuratoribus*, *De alienatione Judicii mutandi causâ*, & *De Arbitris*: Sed cùm de Procuratoribus generatim sumptis, necnon de Transactionibus actum sit, dùm de Contractibus; de prædictâ alienatione, dùm de Dolo; hic differetur tantùm de Procuratoribus ad lites, de Advocatis, ac de Arbitris; quibus addentur Prænotiones quædam necessariæ ad intelligentiam illorum quæ dicenda sunt circà Judicia, nempè explicatio Judicialium terminorum, nec non ea quæ Actori & Reo communia sunt, vel eorum alterutri peculiaria.

Præterea ad memoriam revocandæ sunt Regulæ Judiciales quæ in *Primò Tomo* collectæ fuerunt; insimul ex quæ habentur in *Primâ Parte Tomi Secundi* circà Jurisdictionem quovis modo spectatam, dùm de Vicario Generali. Idem dicendum de illis quæ leguntur in qualibet hujus Operis Parte circà Judicia, quæ spectant vel Beneficia, vel Contractus, vel Sacramenta, inprimis Matrimonium, quæ cùm singulis hisce Argumentis peculiares sint, cuilibet Tractatui inserendæ fuerunt; quod factum absque ullâ iteratione, ob diversitatem vel in re, vel in modo tractandi, vel in Textibus allatis.

Præmittendum quoque, Authorem Tractatûs qui editur inscripsisse illum, *De Ordine Judiciario*; comprehendebat scilicet sub hoc nomine quicquid ad Judicia pertinet, etsi ordo sit tantùm pars Judiciorum, (quippe qui nihil aliud est quàm modus aut forma procedendi) imò Jure Communi Judicium esse possit & quandoque debeat non servato ordine judiciario, ut in manifestis. Profectò existimavit, licere sibi partem præcipuam pro toto sumere; quod suo non caret fundamento, cùm in *Prænotionibus Canonicis* totam materiam Decretalium ad Judicia reducat Lib. IV. *Cap.* 19. quamvis Judicia sint duntaxat tertia pars illius. Agitur hìc de sola methodo & ratione explicandi, in quâ cuique maxima libertas competit, modò tamen pro suo concipiendi modo congruam dispositionem excogitet, & accuratè servet.

Nec omittendum, quod inter Collectiones ejusdem Authoris circà varia Argumenta Canonica per Decisiones Juris propriis ipsius verbis relatas, occurrebat una non contemnenda, *de Conscientiâ* scilicet & *de Peccatis*, cui ipse nullam sedem fixam designaverat. Hæc ergò cura, cùm mihi, defuncti vices agenti, ut narratum in Historia hujus Operis, incumberet, nullus locus con-

gruentior visus est, quàm postremus iste Tractatus de Judiciis, tùm quia Crimina sunt materia Judiciorum Criminalium, & de his in hoc Tractatu actum non est; tùm quia in prædictâ Collectione referuntur Decisiones Juris circà Conscientiam, quæ est proxima peccatorum causa, necnon & circà ipsa Peccata. Hisce de causis memoratam Collectionem ad hujus Tractatûs calcem remisi, sub hac Inscriptione, *Pars Ultima Tractatûs de Judiciis, contingens Crimina, eorumque causas.* Hanc Monitionem eò magis necessariam censui, quò, illâ omissâ, prædicta Collectio extrà locum suum posita posset existimari.

Quod mox dictum est de hâc Collectione, dicendum de multis Sectionibus circà diversos Titulos de Judiciis; quibus, cùm nulla sedes ab ipso Authore fixa esset, coacti fuimus cuique, pro rerum exigentiâ, aptam & congruam constituere.

Si quæ ergò Sectiones hujusmodi, vel minùs aptè, vel etiam ineptè collocatæ videantur nonnullis, in hoc, ut in cæteris, eos excusarum me habere rogo; meliùs non potui, vel Authoris mentem assequi, vel rei propositæ seriem & nexum cognoscere.

In recensendo eodem Tractatu de Judiciis, adverti quod quibusdam in Titulis, res examinandæ proponuntur iisdem verbis quibus deindè in nonnullis Sectionibus proponuntur, quod speciem iterationis statim præfert. Exemplum habes in Tit. XIII. sic inscripto, *Ad quæ teneantur speciatim Clerici Censuris vel irregularitate ligati? & quæ pœnæ decretæ sint in eos qui sic Divina Officia exercent?* collato cum Sectione XII. cujus ea est Inscriptio, *Quæ pœnæ decretæ sint erga Clericos qui majoribus censuris ligati Sacrum Ministerium exercent?* Ne quis ergò istâ similive iterationis apparentiâ fallatur, præmonendum duco, quod res generarim propositæ in Titulis, sigillatim deindè in Sectionibus discutiuntur; unde absque vitio utrobique similis haberi potest Inscriptio, cùm species in genere contineantur, ut partes in toto. Itaque si quod adest peccatum, occurrit illud in verbis, non in rebus, proindèque est tantùm apparens, ut videre est in exemplo adducto; nam quod dictum est in Titulo generarim de Clericis censurâ vel irregularitate ligatis Divina Officia exercentibus, dicitur speciatim in Sect. XII. de illis qui majoribus Censuris irretiuntur; quemadmodùm in Primâ ejusdem Tit. Sectione quæstio fuit de Clericis minori tantùm excommunicatione ligatis, & Decisiones Juris hìc & illìc relatæ omninò diversæ sunt.

TITULUS I.

De Procuratoribus & Advocatis.

SECTIO I.

Posse quemlibet, exceptis Criminibus, per alium agere. Procuratorem esse ad lites, & ad negotia; utrumque debere habere speciale mandatum.

I. Potest quis per alinm quod potest facere per se ipsum. *In 6. De Regul. Juris. Regul. 68.*

Non potest quis cogi, nisi velit, in gravibus causis Procuratorem constituere. *De Procuratoribus.* Cap. *Querelam. med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 38. Cap. 2.

II. Qui facit per alium est perindè ac si faciat per se ipsum. *In 6. De Regulis Juris. Regul.* 72.

III. Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit. *In 6. De Regulis Juris. Regul. 67. v. 9.* In usuris quas non licet exercere alieno nomine. *Glossa.*

Dum aliquid de mandato faciunt aliorum, hoc non ipsi, sed illi quorum authoritate id faciunt, facere videntur. *De Sententia Excommunicationis.* Cap. *Ut famæ.* §. 3. Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 35.

IV. In causis quæ contra vos & pro vobis moventur, vestra Universitas ad agendum & respondendum Procuratorem instituere de Jure Communi valet. *De Procuratoribus.* Cap. *Quia.* Lib. I. Decr. *Tit.* 38. Cap. 7.

Universitas de Jure Communi potest constituere Procuratorem. *Glossa.*

V. Quod factum est per eos in quos totum Capitulum transtulit potestatem, de consensu totius Capituli intelligitur esse factum. *De Elect.* Cap. *In causis.* §. *ult. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 3.

Causa non potest terminari cùm Nuncius Monasterii super Procurationem vel ratihabitionem Litteras non habet. *De Religiosis domibus.* Cap. *Cùm Dilectus.* §. *init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 36. Cap. 8.

VI. Idem Monachus omnium aliorum Monasteriorum Procurator, ex Litteris quas portat, apparet, & super controversiâ litigat. *De Censibus.* Cap. *Sopitæ.* §. 2. Lib. III. Decr. *Tit.* 39. Cap. 14.

Procurator constitutus ab Universitatibus pluribus. *Glossa*, verbo, *Procurator.*

VII.

VII. Episcopus vos in Procuratores constituit, licet in instrumento procurationis hujusmodi non exprimatur, quod constituat vos Syndicos vel Actores, dummodò ex teoore ipsius instrumenti liquidè cognoscatur, quod in integro fuerit ipsius Episcopi dare vobis agendi & respondendi pro ipso liberam potestatem. *De Procuratoribus.* Cap. *Petitio.* Lib. I. Decr. *Tit.* 38. *Cap.* 9.

Non refert an dicatur ab Universitate vel Collegio talem Procuratorem vel Sindicum vel Actorem dari, dummodò appareat quod ad agendum vel respondendum sit datus. *Glossa.*

Aliquis per se vel per Procuratorem idoneum sufficienter instructus ad litem contestandam, & ad alia omnia negotia peragenda, quæ necessaria decisioni negotii videbuntur, Judicis se conspectui potest repræsentare. *De dolo & contumacia.* Cap. *Venerabilis.* §. 1. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 14. *Cap.* 10.

VIII. Constituitur ad negotia Procurator. *In 6. De Procuratoribus.* Cap. *Qui generaliter. init.* Lib. I. *Tit.* 19. *Cap.* 5.

IX. Archiepiscopus, ac quilibet alius, constituit pro se Procuratorem in negotio, qui, salvis exceptionibus sibi competentibus, in respondendo & defendendo ac aliis omnia faciat quæ in propriâ erat personâ facturus. *De Dilationibus.* Cap. *Exposuit.* §. 1. *med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 8. *Cap* 4.

Ad judicia potest fieri Procurator. *Ibid.*

X. Ad plures, vel ad omnes causas, generaliter constituitur Procurator. *In 6.* Cap. *Is qui.* §. 1. Lib. I. *Tit.* 19. *Cap.* 3.

SECTIO II.

Non est Procurator, nisi habeat mandatum; ejusque commissio non extenditur ultrà fines mandati.

I. Instructa persona cum mandato legaliter facto transmitti debet, ut quidquid eum ea actum fuerit, jure subsistat. *De Procuratoribus.* Cap. *Alia quidem.* §. 2. Lib. I. Decr. *Tit.* 38. *Cap.* 1.

Non auditur quis tanquam alterius Procurator, nisi habeat mandatum legitimè factum.

II. Cùm viros ad causam non miseris, quæ eum ipsis facta sunt subsistere non debent. *Ibid. init.*

Absque litteris de ratihabitione, si de rato non caveat, sub fidejussoria cautione Procurator non auditur. *De Officio Delegati.* Cap. *Eorum. init.* Colligitur. Lib. I. Decr. *Tit.* 14. *Cap.* 34.

III. Nullam tibi Judex injuriam fecisse censetur qui Procuratorem tui Adversarii constitutum ad causam, habentem super hoc speciale mandatum, admisit. *In 6. De Juramento calumniæ.* Cap. *Nullam.* ult. Lib. II. *Tit.* 4. *Cap.* 3.

IV. Procurator ad illa solummodò intelligitur constitutus quæ in commissionis litteris inveniuntur expressa. *De Officio Delegati.* Cap. *Cùm olim Abbas.* §. 2. *med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 29. *Cap.* 32.

Procurator datus ad causam certam, ad alia non potest extendere suum officium. *Glossa.*

Supplicatio nomine Domini non fit, cùm non ad postulandam Dispensationem, sed ad petendam confirmationem nuntius fuit destinatus. *De Electione.* Cap. *Innotuit.* §. *Vult. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 20.

Nuntius missus ad unam rem petendam, aliam petere non potest. *Glossa.*

V. Arbitrium non valet, cùm Procurator fines mandati excesserit. Cap. *Per tuas.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 43. Cap. 9

Procurator fines mandati non debet excedere; quod si fecerit, Ecclesia vel Dominus non tenetur, nec ei nocet. *Glossa.*

VI. Procurator missus solummodò ad agendum per mandatum procuratorium sibi datum, ad defendendum sufficiens non videtur. *De Procuratoribus.* Cap. *Constitutis.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 38. Cap. 12.

Cùm quis non nisi ad impetrandum & contradicendum Procurator fuit institutus, ad prosequendam appellationem non est sufficiens Procurator. *De Appellatione.* Cap. *Nicolao.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 64.

SECTIO III.

Idoneus est Procurator qui non prohibetur: filiusfamilias, etiam sine assensu Patris; Laicus, etiam in causis spiritualibus.

I. Regulariter qui non prohibetur expressè ad exercendum Procurationis officium, idoneus debet reputari. *In 6. De Procuratoribus.* Cap. *Non indiscretè.* Lib. I. *Tit.* 19. Cap. 20.

Quilibet potest esse Procurator, nisi expressè reperiatur prohibitus. *Glossa.*

II. Nedùm ad negotia, sed etiam ad judicia potest filius-familiâs, absque Patris assensu, fieri Procurator. *In 6. De Procuratoribus.* Cap. *Qui generaliter.* §. 1. Lib. I. *Tit.* 19. Cap. 5.

III. Non injustè Judex processit qui filium-familias in Procuratorem admisit, quamvis ad futuras controversias constitutum. *De Procuratoribus.* Cap. *Non injustè. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 38. Cap. 14.

Filius-familiâs potest dari Procurator. *Glossa.*

IV. Quis post decimum septimum annum Procurator ad negotia licitè deputatur. *In 6. De Procuratoribus.* Cap. *Qui generaliter.* §. 2. Lib. I. *Tit.* 19. Cap. 5.

V. Ad judicia, nisi major viginti quinque annis fuerit, deputari nequibit. *Ibid. fin.*

VI. Procurator constituitur ab absente. *In 6. De Procuratoribus.* Cap. *Licet. init.* Lib. I. *Tit.* 19. Cap. 7.

Præsens & absens quis potest constitui Procurator. *Glossa,* verbo, *Absente.*

Sic ergò fœmina potest esse Procuratrix. *Glossa,* verbo, *Procuratricem.*

VII. Non indiscretè Judex censetur egisse, Procuratorem Laicum ad agendum, vel defendendum, in causis spiritualibus admittendo. *In 6. De Procuratoribus.* Cap. *Non indiscretè.* Lib. I. *Tit.* 19. Cap. 1.

Laicus, etiam uxoratus, & Procurator Clerici, potest Causas Spirituales tractare; quia tunc illas tractat nomine alieno, scilicet Clericorum, & non nomine suo. *Glossa.* Veriùs, quia Canones id Laico permittentes non excipiunt casum quo conjugatus est.

SECTIO IV.

Quæ negotia possit gerere Procurator vi mandati generalis?

I. Qui generaliter constituitur ad negotia Procurator, agere ac expetiti potest, exceptis his casibus qui mandatum exigunt speciale. *In 6. De Procuratoribus.* Cap. *Qui generaliter init.* Lib. I. *Tit.* 19. Cap. 5.

Mandatum generale ad negotia, etiam ad judicia se extendit.

II. Procurator alicujus generalis ad omnia ejus tractanda negotia, pro eo quod competentem terminum intrà quem Dominum suum consulat, utrùm debeat contendere, vel cedere quæstioni, sibi Judices concedere denegant, meritò appellat. *De Procur.* Cap. *Dilectus mandato.* Lib. I. Decr. *Tit.* 38. Cap. 11.

Si Procuratori constituto generaliter ad negotia, denegantur induciæ ad consulendum Dominum, ex causâ probabili absentem, poterit Procurator appellare.

III. Qui ad agendum & defendendum, ac generaliter ad omnia, etiamsi mandatum exigant speciale, constituitur Procurator; ex vi generalitatis hujusmodi ad aliquem actum, in quo speciale mandatum exigitur, admitti non debet. *De Procurat.* Cap. *Qui ad agendum. init.* Lib. I. *Tit.* 19. Cap. 4.

Datus Procurator ad agendum & dafendendum, & generaliter ad omnia alia quæ mandatum exigunt speciale, non potest agere in causis requirentibus mandatum speciale, nisi in procuratorio fuerint expressi aliqui casus requirentes speciale mandatum, adjectâ clausulâ generali. *Glossa.*

IV. Sed si aliquis vel aliqui de articulis speciale mandatum exigentibus specificati fuerunt, adjectâ clausulâ generali, tunc ad non expressos etiam admittitur. *Ibid.* *§.* 1.

Si quis Procuratori suo dederit mandatum speciale ad aliquid faciendum quod mandatum requirit speciale; & supposuerit clausulam generalem, etiam si talia exigant mandatum speciale, illa specialitas operatur ut clausula generalis secuta habeat efficaciam.

V. Procurator absque speciali mandato Juramentum deferre, transigere, vel pacisci non potest, nisi ei bonorum vel causæ administratio libera sit concessa. *Ibid. In 6. De Procuratoribus.* Cap. *Qui ad agendum.* *§.* ult. LIB. I. *Tit.* 19. Cap. 4.

Licet aliàs, si non fuisset posita specialitas, nullum haberet effectum. *Glossa.*

VI. Si quis ad causam tractandam, Procuratori dedit generale mandatum, non tamen ei mandavit ut sine speciali mandato compromittere posset, vel transigere super eâ, dicendum est arbitrium non valere. *De Arbitris.* Cap. *Per tuas.* §. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 43. Cap. 9.

Procurator generaliter ad agendum vel defendendum, non potest compromittere vel transigere sine speciali mandato. *Glossa.*

VII. Non potest Procurator ad agendum, vel defendendum, jurandumque de veritate dicendâ, & generaliter ad omnia alia quæ speciale mandatum exigunt, constitutus, nisi aliud super hoc in mandatis habeat, opponere in personam ejus, cui est provisio facienda vel facta, crimina vel defectus. CLEMENTINA II. *Non potest. De Procuratoribus. init.* LIB. I. CLEMENT. *Tit.* 10. Cap. 2.

Procurator habens mandatum omnia faciendi quæ requirunt speciale mandatum, contra electum vel provisum opponere non potest circà defectus. *Glossa*, verbo, *Non potest.*

VIII. Sub generalitate tali graviora non veniunt vel majora quàm in ipso procuratorio sint expressa. *Ibid. fin.*

Istud Caput limitat Caput *Qui ad agendum*, suprà; quia illud Caput intelligitur quandò paria vel æqualia & non majora opponuntur quàm fuerint illa specialiter expressa in procuratorio; secùs, si majora vel graviora. *Glossa.*

SECTIO V.

Plures Procuratores posse constitui, & quis eorum admitti debeat?

I. In causis Ecclesiæ vestræ, unus ex vobis vel duo ad agendum vel respondendum instituantur. *De Testibus.*, Cap. *Insuper.* LIB. II. DECRET. *Tit.* 20. Cap. 6.

Sic patet quod duo possint constitui Procuratores. *Glossa*, verbo, *Vel duo.*

II. Ille vos suos Procuratores constituit generales, cujus intentio fuit dare vobis agendi & respondendi pro ipso liberam potestatem. *De Procuratoribus.* Cap. *Petitio.* LIB. I. DECR. *Tit.* 38. Cap. 9.

III. Si duo Procuratores simul, non adjecto in solidum, deputentur, unus sine altero non debebit admitti. *In 6. De Procurat.* Cap. *Si duo. init.* LIB. I. *Tit.* 19. Cap. 6.

Ex duobus Procuratoribus simul simpliciter constitutis, alter solus admitti non debet.

IV. Secùs, si fiat in solidum constituti; sed tunc illius melior erit conditio, qui per litis contestationem negotium primitùs occupabit. *init.*

Si in solidum constituantur, qui primò contestatur litem, admittitur, altero totaliter excluso, nisi adjectum fuerit, quod non sit melior conditio occupantis. *Summa. Ibid.*

V. Post occupationem hujusmodi, alter se intromittere nequibit ulteriùs; nisi dictum in constitutione fuisset quod non fieret melior conditio occupantis; tunc enim si qui occuparit, infirmari, mori, absentari, vel aliàs impediri contingat, aut si prosequi fortè nolit; poterit alter suscipere ac perficere negotium ab alio inchoatum, dùm tamen ab alio non fuerit alius substitutus; nam si sit, is præferri debebit eidem *Ibid. In 6. De Procurat.* Cap. *Si duo.* LIB. I. *Tit.* 19. Cap. 6.

VI. Cæterùm ubi nullo substituto, alter suscipit negotium prosequendum, is qui occupavit primitùs, ipsum resumere postea, impedimento cessante, nequibit, nisi forsan illum contingeret impediri. *Ibid.* *§.* 1.

Procurator datus in solidum qui occupaverat negotium, ex impedimento exclusus, non reassumit, nisi altero impedito. *Summa.*

VII. In electionum, postulationum, provisionum, & aliorum spiritualium negotiorum causis, cùm talia celeriorem expeditionem exigere dignoscantur, si plures Procuratores in eis fuerint non in solidum deputati, Judex, ne propter eorum concursum negotia eadem intricari contingat, magis idoneum ex ipsis eligere valeat, & ille solummodò prosequatur, habeatque quidquid cum illo sic electo factum extiterit plenam roboris firmitatem, nec ad prosequendum alius admittatur postmodùm, nisi prout eum qui non occupat negotium censuimus post occupationem factam ab alio superiùs admittendum. *Ibid. In 6. De Procurat.* Cap. *Si duo.* *§. ult.* LIB. I. *Tit.* 19. Cap. 6.

In causis spiritualibus, ex duobus Procuratoribus specialiter datis, Judex eligit magis idoneum, qui solus prosequi poterit; nec alius admittitur, nisi primo legitimè excluso.

Si quando non dedit substitutum, & non potest vel non vult prosequi. *Glossa*, verbo, *Admittent.*

VIII. Procurator simul cum aliis dari potest. *De Procurat.* Cap. *Non injustè.* *§.* 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 38. Cap. 14.

Plures Procuratores dari possunt. *Glossa*, verbo, *Cum aliis.*

IX. Hoc fieri nequit in Procuratoribus diversis temporibus constitutis; quoniam dato posteriori, prioris est procuratio revocata. *Ibid.*

Dando secundum Procuratorem, priorem revocare videtur. *Glossa*, verbo, *Procuratio.*

SECTIO VI.

Nullus cogi potest ut sit Procurator; sed si semel receperit Procurationis Literas, tenetur ad omnia quæ in his exprimuntur, sitque post litem contestatam Dominus litis.

I. Instrumento vel Literis, quibus se aliquis in causis suis Procuratorem constituens pro te debito modo cavit simpliciter, nullâ facta protestatione, à te scienter receptis; non potes posteà recusare defensionem illius. CLEMENTINA. *De Procurat.* LIB. I. CLEMENT. *Tit* 10. *Cap.* 1. Qui sciens sine protestatione recipit instrumentum vel Literas suæ Procurationis, quibus constituens pro ipso cavebat super inclusis in procuratorio, Dominum defendere cogitur. *Glossa*, verbo, *Instrumento.*

II. Imò cogi poteris ipsum defendere in omnibus causis & negotiis, ad quæ prædicta instrumenta, seu Literæ se extendunt, cùm per hæc omnia tuum præstitisse videaris assensum. *Ibid. fin.*

III. Licet is qui constituitur Procurator ab absente, dixerit præsentatum sibi suscipere nolle mandatum, hoc tamen nequaquàm obstante, quamdiù constituens in eadem perstiterit voluntate, ipsum acceptare poterit.

Offi-

Officium Procuratoris est officium arbitrarium, & ideò non cogitur quis accipere procurationem. *Glossa*, verbo, *Quandocumque placebit. In 6. De Procurat*. Cap. *Licet*. Lib. I. *Tit*. 19. *Cap*. 7.

Procurator qui renuit acceptare mandatum, pœnitere potest quamdiù constituens in eadem perseverat voluntate. *Glossa*, verbo, *Licet is*.

IV. Procurator per litis contestationem negotium occupat. *In 6. De Procuratoribus*. Cap. *Si duo. med.*

Procurator potest & debet à sententia, in eo quod lata existit contra ipsum, appellare; vel saltem Domino contestari ut ad appellationis beneficium convolet. *De Procuratoribus*. Cap. *Non injustè*. §. 2. Lib. I. Decr. *Tit*. 38. *Cap*. 14.

Procurator appellationem prosequi non tenetur invitus. *Ibid*. Cap. *Non injustè*. §. 2. Lib. I. Decr. *Tit*. 38 *Cap*. 14.

V. Post occupationem hujusmodi Procurator ille efficitur. *Ibid*. Procurator per litis contestationem efficitur Dominus litis. *Glossa*.

VI. Procurator, post litem contestatam, Dominus est litis effectus. *In 6. De Procurat*. Cap. *Non indiscretè*. §. 1. Lib. I. *Tit*. 19. *Cap*. 1.

Procurator constitutus ad agendum, ante litem contestatam non est Dominus litis; sed post litem contestatam fuit factus Dominus litis, non causæ. *Glossa*. Id est, rei de quâ agitur.

SECTIO VII.

Procurator litis post litis contestationem potest substituere alium, & Procurator negotiorum semper potest substituere. Substitutus mandato suscepto revocari non potest. Is qui substituit, causas quas vult retinere, procuret.

I. A Procuratore, post litem contestatam ab eo, potest dari alius Procurator. *In 6. De Procuratoribus*. Cap. *Non indiscretè*. §. 1. Lib. I. *Tit*. 19. *Cap*. 1.

Procurator datus ad litem exercendam non potest alium Procuratorem substituere ante litem contestatam; sed post benè, ad litem finiendam; & ratio est, quia Procurator non potest constitui nisi à Domino; Procurator autem ante litem contestatam non est Dominus litis. *Glossa*.

II. Ante litem contestatam non potest dari alius Procurator, nisi in rem suam sit datus, vel à Domino substituendi alium, etiam certâ non expressâ personâ, sibi fuerit concessa potestas. *Ibid. fin*. Id est, utilitatem suam, *Glossa*, verbo, *Rem suam*.

III. Procurator datus ad negotia potest liberè quandocumque alium deputare. *Ibid*. §. *ultimo*.

Procurator ad negotia potest dare alium Procuratorem liberè, & etiam quandocumque. Summa.

IV. Is qui à Procuratore, super hoc à Domino potestatem habente, Procurator extitit substitutus, non potest post mandatum susceptum, etiam si eo usus non fuerit, ulteriùs revocari ab illo, nisi revocandi potestas concessa fuisset. *Ibidem, In 6. De Procurat*. Cap. *Is qui*. Lib. I. *Tit*. 19. *Cap*. 3.

Procurator habens potestatem substituendi, substitutum à se post mandatum susceptum, etiamsi eo non sit usus, revocare non potest, nisi & potestatem habuit revocandi. *Glossa*, verbo, *Is qui*.

V. Si Procurator, cùm ad plures vel ad omnes causas generaliter constitutus fuisset, in unâ tantùm substituerit earumdem; in aliis nequaquàm prohibetur Procurationis officium exercere. *Ibid*. §. 1. Lib. I. *Tit*. 19. *Cap* 3.

Si erat Procurator ad plures causas, & in alterâ substituit, in aliis remanet Procurator. *Glossa. Ibid.*

VI. Is qui constituitur ad negotia Procurator alium dare potest. *In 6. De Procurat*. Cap. *Procurator, med.* Lib. I. *Tit*. 19. *Cap*. 9.

SECTIO VIII.

Quandonam negligentia, malitia, vel dolus Procuratoris noceat Domino?

I. Si ex malitiâ Responsalis mandatum procuratorium occultantis, lites quæ de facili poterant terminari remaneant indecisæ, in absentem perindè procedatur ac si peremptoriè vocatus ad judicium extitisset. *De Appellat*. Cap. *Sæpè*. Lib. II. Decr. *Tit*. 28. *Cap*. 44.

Sic videtur quod negligentia sive dolus Procuratoris noceat Domino. *Glossa*, verbo, *Responsalis*.

Contumacia sive dolus Procuratoris nocet Domino. *Glossa*.

II. Potest aliquis propter suam contumaciam vel etiam Procuratoris, si sciens non purgavit eamdem, Excommunicationis sententiâ innodari. *Ut lite non contestata*. Cap. 1. §. 2. *fin*. Lib. II. Decr. *Tit* 6. *Cap*. 1.

Est Dominus puniendus propter contumaciam sui Procuratoris eo sciente & eam non purgante, quia tunc, intelligitur ratam habere contumaciam sui Procuratoris, quia alienam culpam fecit propriam per consensum. *Glossa*, verbo, *Procuratoris*.

III. Occurrendum est ne Procuratoris negligentia in damnum Domini redundet. *De in integrum restit*. Cap. *Cùm venissent*. §. *penult*. Lib. I. Decr. *Tit*. 41. *Cap*. 2.

Ecclesia propter negligentiam Procuratoris restituitur. *Glossa*.

IV. Domini Judices recusare minimè debent, cùm causa prædictis Judicibus delegata fuit, de utriusque partis Procuratorum assensu. *De causa posses*. Cap. *Cùm olim*. §. 1. *med*. Lib. II. Decr. *Tit*. 12. *Cap*. 7.

Si Procurator tuus impetravit sibi Judicem, non potes posteà eum recusare, ac si tu ipse eum impetrasses. Sibi imputet qui minùs diligentem Procuratorem constituit. *Glossa*, verbo, *Recusare*.

Si Dominus dedit certam formam de certis personis pro Judicibus obtinendis, & Procurator egressus est illam formam, petendo alios Judices; tunc non fit præjudicium Domino, quin possit illos recusare si voluerit. *Glossa. Ibid.*

V. Etsi super damnis à Procuratore suo lis fuerit contestata, Domino tamen ex hoc non potest præjudicium generari, cùm ad hoc Procurator datus non fuit. *De Officio Judicis Delegati*. Cap. *Cùm olim Abbas*. §. 2. *In integra*. Lib. I. Decr. *Tit*. 29. *Cap*. 32.

VI. Ad Judices non potest Jurisdictio prorogari, cùm Procurator ad illud non constitutus intelligitur. *Ibid*.

Prorogatio Jurisdictionis per Procuratorem fieri non potest, cùm de hoc non fuerit cogitatum quandò constitutus fuit Procurator. *Glossa*, verbo, *Cùm Procurator*.

Si Dominus non contradicat facto Procuratoris excedentis fines mandati, ratum habere intelligitur. *Glossa*.

VII. Si postquàm Dominus intellexit super aliquibus fuisse depositum, quæ in commissionis Procuratoris litteris non inveniuntur expressa, protinùs contradixit, non tenetur. *Ibid. De Officio Judicis Delegati*. Cap. *Cùm olim Abbas*. §. 2. *fin*. Lib. I. Decr. *Tit*. 29. *Cap*. 32.

Ex hoc videtur quod si Procurator fines mandati excedat Domino sciente, quod præjudicet Domino, nisi statim contradicat. *Glossa*, verbo, *Contradixit*.

VIII. Procuratoribus Partium litigantibus, si per confessionem Partis Adversæ constet alium quasi possessionem habuisse; ipsum restituendum decernitur ad eamdem. *De sententia*. Cap. *Suborta*. Lib. II. Decr. *Tit*. 27. *Cap*. 21.

Confessio Procuratoris Domino præjudicat. *Glossa*.

IX. Cùm Procurator circumventus, contrà inhibitionem ipsius Domini, super lite ad quosdam Judices certâ ratione suspectos litteras impetravit, si de inhibitione hujusmodi constiterit, & dictus Dominus uti non vult litteris, debet in irritum revocari. *De Appellat*. Cap. *Significante. post med*. Lib. II. Decr. *Tit*. 28. *Cap*. 69.

Procurator qui excedit fines mandati non præjudicat Domino. *Glossa*.

SECTIO IX.

Ratihabitio æquivalet Procurationi.

I. Si Procurator à Domino suo de ratihabitione Literas habuerit, transactionem quam fecit Dominus, ac si consenserit in eam, non poterit revocare, *De Transactionibus.* Cap. *Contingit.* §.1. Lib. I. Decr. *Tit.* 38. Cap. 3.

Revera consentit, dando Literas de rato. *Glossa,* verbo, *Ac si.*

Literæ de rato dantur, cùm mandatum procuratorium continet illam clausulam, ut quidquid super his per Procuratorem factum fuerit ratum habere promisit. *Glossa.* verbo, *Literas.*

Idem est si quid fecerit Procurator Domino mandante, vel ratum habente, vel non revocante. *Glossa,* verbo, *Cùm in positionibus.*

II. Idem est si te expresè mandante, vel etiam ex postfacto sciente, ac ratum habente seu non revocante, aliquid tuo nomine tuus fecerit Procurator. *In 6. De Jurejurando.* Cap. *Cum in positionib.* §. 1. Lib. II. *Tit.* 11. Cap. 3.

Aliquando non est differentia inter mandatum procuratorium, & Literas de rato; quia in mandato procuratorio constituens adjicit in fine, quod ratum habebit quidquid Procurator fecerit super causam illam ad quam est datus. *Glossa,* verbo, *Ratihabitione,* ad Cap. 8. *Cùm Dilectus. De Relig.* Lib. III. Decr. *Tit.* 36.

III. Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari. *In 6. De Regulis Juris. Reg.* 10.

Cùm quis proposuit quod Procuratori non mandavit, ut sine speciali mandato compromittere posset vel transigere; si ex parte ejus arbitrium receptum fuerit indistinctè, ratum haberi debet, & executioni mandari. *De Arbitris.* Cap. *Per suas.* §. 1. & 2. Lib. I. Decr. *Tit* 43. Cap. 9.

IV. Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum. *In 6. De Regulis Juris. Reg.* 9.

SECTIO X.

Procurator revocatur per mortem Constituentis, vel dando secundum Procuratorem, vel expresè inhibendo ne agat, vel per mandati revocationem, modò perveniat ad Judicem vel Adversarium.

I. Procuratorem à Prælato, Rectore, vel alio quolibet, pro Ecclesia sua vel Beneficio constitutum, per mortem constituentis revocari censemus; etiam quoad negotia jam incœpta, & causas in quibus per ipsum lis fuerit ante mortem hujusmodi contestata. *Clementina ultima. De Procurat.* Lib. I. Clementin. *Tit.* 10. *Cap.* 4. Hinc meritò expirat morte Constituentis, Officialis, Vicarii Generalis, & aliorum similium potestas.

Revocatur mandatum per obitum Constituentis, etiam re non integra. *Glossa.* Idem de compromisso: Utriusque ratio esse videtur, quòd utrumque stricti sit juris, ideoque nisi casus mortis in illis expressus fuerit, eo eveniente expirare debent. *Glossa.* Cap. ult. *De Arbitr.* verbo, *Hæredes.*

II. In Procuratoribus distinctis temporibus constitutis, dato posteriori, prioris est Procuratio revocata. *De Procurat.* Cap. *Non injustè.* §. 1. *fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 38. Cap. 14.

Quis dando secundum Procuratorem revocat primum. *Glossa.* Secùs de Vicario Generali, qui non revocatur constitutione alterius; quod discrimen fortè provenit ex dignitate illius, vel necessitate plurium in eâdem Diœcesi.

III. Falsus existit Procurator, cùm Dominus mandatum sibi traditum revocavit ob suspicionem in illum conceptam. *De Rescriptis.* Cap. *Ex parte Decani.* Lib. I. Decr. *Tit.* 3. *Cap.* 33. Revocatio Procuratoris dati ad lites pervenire debet ad Judicem, & aliter non tenet revocatio, & valent ea quæ cum tali Procuratore facta sunt in judicio.

Falsus Procurator qui fuit & non est, ut sic. *Glossa,* verbo, *Procurator.*

IV. Si revocatio mandati ad Procuratorem pervenit, minùs valere debet quod impetratur ab illo à quo mandatum Dominus revocavit. *Ibid.* §. *ultim. fin.*

Revocatio Procuratoris dati ad impetrandum, sive ad negotia, debet pervenire ad ipsum Procuratorem tantum. *Glossa.*

V. Si Procuratori constiterit expresè fuisse inhibitum ne causæ cognitionem susciperet, & ipse nihilominùs in causa procedens sententiam extraordinariam reportet; sententia contrà Dominum lata nequaquàm obstat. *De Procurat.* Cap. *Ex insinuatione.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 38. Cap. 3.

Factum falsi Procuratoris Domino non præjudicat. Iste Procurator falsus fuit à quo mandatum fuit legitimè revocatum. *Glossa.*

VI. Mandato Procuratoris post litem contestatam à Domino revocato, si hoc ignorante Judice vel Adversario factum fuerit, Judicium quod idem quasi Procurator postmodùm expertus est, ratum esse debebit. *De Procurat.* Cap. *Mandato.* Lib. I. Decr. *Tit.* 38. Cap. 13.

Revocatio pervenire debet ad Judicem, vel Adversarium. *Glossa.*

Si revocatio tamen perveniat ad Procuratorem, non præjudicat Adversario. *Glossa,* verbo, *A Domino revocato.*

Idem est ante litem contestatam. *Glossa,* verbo, *A Domino revocato.*

VII. Si quis Procuratores instituens, & de ipsorum fide postmodùm titubans, mandatum quod eis dederat, intrà modicum temporis spatium revocet; sed ipsi licet mandati literas revocatorias receperint, nihilominùs in negotio procedant, & pro Procuratoribus se gerentes, cum Adversario ingrediantur judicium, falsi Procuratores sunt. *De Procurat.* Cap. *In nostra.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 38. Cap. 4.

VIII. Non obstant literæ quas de revocatione mandati Procuratori suo Dominus destinavit, cùm antequàm ad illum literæ hujusmodi pervenerint, fuit super processibus hinc indè conclusum. *De Procur.* Cap. *Auditis. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 38. Cap. 8.

Non valet revocatio mandati postquàm est in causa conclusum. *Glossa.* Talis revocatio non impedit sententiam ferri super his in quibus est conclusum. *Glossa,* verbo, *Ad illum.*

SECTIO XI.

Falsi Procuratoris exceptionem semper posse objici; eâ probatâ judicium nullum esse; dandas inducias ad eam probandam.

I. Falsi Procuratoris exceptio non solùm ante sententiam, verùm etiam posteà potest objici. *De Procur.* Cap. *In nostra.* §. 1. *fin.* Lib. I. Decr. Tit. 38. Cap. 4.

Exceptio falsi Procuratoris, & ante sententiam, & post, potest objici. *Glossa.*

II. Ea probatâ judicium nullum, & nullius momenti controversiæ reputantur. *Ibid.*

III. Cùm Dominus ad probandum quod falsi Procuratores fuerunt, ab Judicibus inducias postulaverit, si ipsi exceptionem oppositam inutilem & supervacuam reputantes, ad probationem ipsius dilationem concedere nolint, processus dictorum Judicum est irritandus. *Ibid.*

IV. Cùm Capitulum noscitur habere certum aliud sigillum, per quod quemdam constituit Actorem, occasione literarum aliarum Actor non debet admitti. *De Appell.* Cap. *Signific. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 48.

Procurator debet esse legitimè constitutus, aliàs repelletur; undè primò debes hoc videre utrùm sit rectè constitutus. *Glossa.*

SECTIO XII.

Inferenda ex collectis Textibus circa Procuratores ad lites.

Procuratores isti, ut alii, variis donantur nominibus; vocantur siquidem Nuncii, Responsales, Sindici, Actores, Mandatarii.

Edictum

Edictum circa illos est prohibitorium. Ab illorum munere non arcentur alii, quàm qui à Lege vel à Canone nominatim excluduntur; in quo Procuratores similes sunt promovendis ad Prælaturas, Beneficia inferiora, ad Ordines, recipiendis ad Officia quæcumque, vel ad Contractus aliaque hujus generis admittendis.

Iidem Procuratores peculiarem habent affinitatem cum Delegatis, Vicariis, Officialibus aliisque Judicibus Ordinariis, cum Arbitris quoque. Plures circà eamdem rem constitui possunt Jure Communi, vel in solidum, vel conjunctim acturi; major ætas in illis quàm in aliis Procuratoribus; illorum potestas iisdem viis expirat quibus potestas Vicariorum non perpetuorum, Officialis, Delegati, & similium per Commissionem constitutorum; quæcumque faciunt, ut hujusmodi præfati, extra fines mandati, irrita sunt.

Illorum Procurationes sive Mandata conveniunt in multis cum Rescriptis; aliæ sunt generales, aliæ speciales, aliæ ex his mixtæ seu composita, nempè partim generales, partim speciales. Propter clausulam iisdem insertam, etsi exigant mandatum speciale, in his, ut in Rescriptis, species derogat generi. In utrisque falsitas irritat quæ fiunt vi illorum. Idem operatur revocatio debite significata cui interest. Procuratorium, ut & compromissum, necnon & Delegatio, non acceptatum postea acceptari potest, non mutatà constituentium voluntate. Ad acceptionem nemo cogitur. Duo priora expirant morte constituentis etiam re inceptà, non item Delegatio. Procuratoris, sicut & Vicarii, necnon & Compromissarii negligentia, vel imprudentia, vel malitia quandoque nocent constituenti, quandoque non nocent; cujuslibet illorum potestas extenditur ad paria expressis, non ad majora.

SECTIO XIII.

Advocatis licet vendere suum consilium & patrocinium. Judex Partibus dare Advocatum potest.

I. Licet Advocato vendere justum patrocinium, Jurisconsulto rectum consilium. Caus. XI. Quæst. III. Cap 71. *Non licet. fin.*

Clerici & Religiosi non possunt esse Advocati. *Vide* Tit. *De Postulando* Cap. 1. 2. & 3. Lib. I. Decr. *Tit.* 37. & Gonzal. *in hunc Titulum*, cujus Summa dabitur ex eodem, ad calcem Sectionis.

II. S. August. *in Epistola* 54. *ad* Macedon. *nunc*. 164. Vendit Advocatus justum patrocinium; Jurisperitus verum consilium. Caus. XIV. Quæst. V. Cap. 15. finali. *Non sanè.* §. 1.

III. Donec Advocatus veniat, induciæ postulari possunt, modò hujusmodi inducias petendo Judici illudere non videatur. *Ut lite non contestata*. Cap. *Ad hoc*. §. 1. *med. juncta Glossa*. Lib. II. Decr. *Tit. 6.* Cap. 1.

IV. Per responsionem Advocati lis contestata fuit. *De Appellat.* Cap. *Cùm causam.* §. 1. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 62.

V. Si Pars legitime probaverit, quod per Procuratorem ipsius eadem die Advocati responsio extiterit revocata, sic per consequens lis contestata non fuit. *Ibid.* §. 2.

VI. Si in uno Auditorio duo tantùm præ cæteris fuerint, vel plures quorum fama sit hilarior, in Judicantis officio sit, ut par Causidicorum distributio fiat, & exæquetur Partibus auxilium singulorum. Caus. III. Quæst. VII. Cap. 2. *Infames.* §. 12. *Si verò. Legendi* §. 10. & 11. *eosdem Advocatos spectant, quæ sibi vitanda præscribunt.* In Digestis, Titul. *De postulando.*

VII. Infames non possunt esse Procuratores, vel Patroni causarum. *Ibid init.*

VIII. Si quis adeò procax fuerit, ut non ratione sed probris putet esse certandum, opinionis suæ imminutionem patiatur. *Ibid.* §. 9.

IX. Quia Episcopus universique Sacerdotes ad solam laudem Dei, bonorumque operum actiones constituuntur, debet unusquisque eorum tàm pro Ecclesiasticis quàm etiam pro suis actionibus, excepto publico videlicet crimine, habere Advocatum, non malæ famæ suspectum, sed bonæ opinionis, & laudabilis artis inventum; ne dum humana lucra attendunt, æterna præmia perdant. Caus. V. Quæst. III. Cap. 3. *Quia Episcopus.* Eugenius II. *in Conc.* Rom. *C.* 19. *ann.* 826. Vide *Notam Correct. Rom.*

X. Gonzal. *in Tit. De postulando* tria illius Capita sic summat. Clerici, sive in Sacris, sive in Minoribus Ordinibus constituti, etiam Canonici Regulares, postulare nequeunt, nisi certis in casibus; & qui contra propriam Ecclesiam pro aliis postulaverit, privatur Beneficio quod in eà obtinet. Hanc autem Conclusionem confirmat pluribus Textibus Juris, aut Canonibus aliundè sumptis, necnon allegatis multis Autoribus illam sequentibus; eamque deindè impugnat propositis nonnullis gravibus dubiis; posteà illam doctis Observationibus explicatam tuetur, & Objectis respondet, exponendo Leges Canonesque specie adversantes. Casus quos excipit sunt isti: Si postulent coram Judice Ecclesiastico; si id faciant coram Judice Sæculari pro miserabilibus personis, nempè pauperibus, viduis, pupillis, aliisque vexationi obnoxiis; si pro Ecclesia, si pro seipsis, in causis propriis, aut pro conjunctis aut sanguine aut amicitia, si gratis. Undè sequitur quod necessitas propria, aut conjunctorum, aut Ecclesiæ utilitas, aut caritas ergà oppressos vel oppressioni expositos, excusant Sacerdotes Advocatorum professionem exercentes.

TITULUS II.

De Arbitris.

SECTIO I.

I. *Arbitros esse Judices quos communis consensus elegerit.* II. *Posse compromissum fieri in quosdam Judices tanquàm in Arbitros.* III. *Arbitrium in personâ incertâ non valet.* IV. *Unum eligat, aut tres.* V. *Fœminæ Nobiles auctoritatem habentes possunt Arbitrorum officio fungi.*

I. Ex communi placito inter quos causa versatur Arbitros eligere possunt. *De Arbitris.* Cap. *Sanè. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 43. Cap. 1.

Reverà justus Mediator non est qui uno litigante præsente, & altero absente, amborum emergentes lites decidere non formidat. Caus. III. Quæst. IX. Cap. 12. *Reverà. Ex responsione* Nicolai I. *Archiepiscopo* Senonensi, cum *Conc.* Senonensi *anno* 862. *Append.* Tom. VIII. Conc. *pag* 1935.

Filius etiam in re patris Arbiter esse potest. Caus. III. Quæst. VII. Cap. 2. *Infames.* §. 18.

Si quis verò Judex sit, arbitrium recipere ejus rei de qua Judex est & in se compromitti jubere prohibet. *Ibid.* §. 19.

Instar judiciorum sunt arbitria introducta. *De Constitut.* Cap. *Ecclesia. post med. in init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 2. Cap. 10.

II. Arbitrium est, cùm super quibusdam discordiis quæ indè videntur exortæ, in aliquem tanquàm in Arbitrum cum Parte altera compromittit. *De Arbitris.* Cap. *Exposita.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 43. Cap. 11.

Arbitrium non nisi metu pœnæ Partes constringit. *De Constit.* Cap. *Ecclesia. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 2. Cap. 10.

III. Legali est provisione statutum, ut compromissum de incertâ personâ in Arbitrum assumendâ non teneat. *Ibid.* Cap. *Innotuit.* §. 2. Lib. I. Decr. *Tit.* 43. Cap. 12.

Compromissum de incertâ personâ in Arbitrum assumendâ non tenet. *Glossa.*

IV. A Partibus in quosdam tanquam in Arbitros compromitti potest. *De Officio Delegati*. Cap. *Significantibus*. §. 1. LIB. I. DECR. *Tit*. 29. Cap. 38.

Arbitrium dici non potest ad quod voluntaria Partium compromissio non adstringit. ALEXAND. III. *Epistola ad Episcopos Galliæ*, in *Concilio* PAPIENSI *an*. 1160. TOM. X. CONC. *p*. 1401.

V. Judex aliquandò statuit ut Pars cum Adversario Arbitros communiter eligat, qui de causâ cognoscant, & si nequiverint in unam concordare sententiam, advocent tertium, ut quod duo ex ipsis decreverint robur obtineat firmitatis. *De Appell*. Cap. *Cùm speciali*. LIB. II. DECR. *Tit*. 28. Cap. 61.

Moniales in Episcopum electionem conferre possunt. *De Elect*. Cap. *Causam quæ*. LIB. I. DECR. *Tit*. 6. Cap 8.

VI. Quamvis secundùm Regulam Juris Civilis, fœminæ à publicis officiis sint remotæ, & alibi dicat, quod licet summæ opinionis existant, si arbitrium in se susceperint, ab omni sint judiciali examine separandæ, ut ex earum prolatione nulla pœna adversùs earum contemptores, nullaque pacti exceptio habeatur; quia tamen juxta consuetudinem approbatam, quæ pro lege servatur, in partibus Gallicanis fœminæ præcellentes in subditos suos Ordinariam Jurisdictionem habere noscuntur, Arbitrium providè latum à fœmina, & ab utraque Parte spontè receptum, observari debet. *De Arbitris*. Cap. *Dilecti*. §. 1. LIB. I. DECR. *Tit*. 43. Cap. 4.

Cùm coram Judicibus Delegatis quæstio vertitur, utraque Pars in eos compromittens ipsorum arbitrium se potest promittere servaturam. *De Arbitrit*. Cap. *Cùm olim*. *init*. LIB. I. DECR. *Tit*. 43. Cap. 7.

Si quis Judex sit, in se compromitti jubere prohibetur. CAUS. III. QUÆST. VII. *Cap*. 2. §. *penult*.

Delegatus potest esse Arbiter, retenta etiam Delegata jurisdictione. DIST. XC IX. *Can*. 5.

Super controversiis quæ inter Episcopum & Monachos vertuntur, fide hinc indè data, compromitti potest in Archiepiscopum. *De Arbitris*. Cap. *Cùm tempore*. §. 1. 2. LIB. I. DECR. *Tit*. 43. Cap. 5.

Ex hoc videtur quod Ordinarius potest esse Arbiter. *Glossa in verbo* MAGDEBURG.

VII. Cùm causa quæ vertitur inter Partes aliquoties à Sede Apostolica delegata fuerit, utraque Pars Delegatos Judices sub certâ pœnâ sibi Arbitros statuere potest, Delegatâ ipsis potestate nihilominùs reservata. *De Præsumpt*. Cap. *Literas*. *post init*. LIB. II. DECR. *Tit*. 23. Cap. 14.

VIII. In Delegatos compromitti potest. *De Præb*. Cap. *Nisi*. §. 1. *fin*. LIB. III. DECR. *Tit*. 5. Cap. 21.

SECTIO II.

I. Compromitti potest sub certâ pœnâ, vel simpliciter. II. Compromittentes possunt quam voluerint formam Arbitris præscribere. III. In Laïcos Jure Ordinario compromitti non potest de Causis Ecclesiasticis. IV. Sed fieri potest Autoritate Superioris. V. In certis causis Arbitri assumi non possunt.

I. Transactio non necessitatis, sed liberæ penitùs voluntatis. *De Constit*. Cap. *Ecclesia*. *post med*. *in init*. LIB. I. DECR. *Tit*. 2. Cap. 10.

Per transactionem citrà pœnam litigiosi contractûs, res potest in alium lite contestatâ transferri. *Ibid*.

Partes ut Arbitrium, ipsum observent per pœnam in compromisso statutam compelli possunt. *De Arbitrit*. Cap. *Dilecti*. §. 1. *fin*. LIB. I. DECR. *Tit*. 43. Cap. 4.

II. Refert utrùm fuerit vel non, de observando ipsum Arbitrium, pœna statuta. *De Arbitris*. Cap. *Per suas*. §. 2. *med*. LIB. I. DECR. *Tit*. 43. Cap. 9.

III. Si arbitrium receptum non fuerit & pœna fuerit apposita; agi possunt ad pœnam. *De Arbitris*. Cap. Per *suas*. §. 2. LIB. I. DECR. *Tit*. 43. Cap. 9.

IV. Si nulla statuta pœna fuerit, sed simpliciter quod staretur sententiæ fuerit compromissum, ad interesse Pars poterit conveniri. *Ibid*.

V. Non valet compromissio facta in Laïcum de rebus spiritualibus. *Glossa*.

VI. Generaliter prohibitum est, ne super rebus spiritualibus compromittatur in Laïcum, quia non decet ut Laïcus in talibus arbitretur. *De Arbitrit*. Cap. *Contingit*. §. 1. LIB. I. DECR. *Tit*. 43. Cap. 8.

VII. In Laïcum & Clericum de re spirituali ex autoritate Superioris potest compromitti. *Glossa*.

Quod Arbitrium à duobus Laïcis & uno Clerico dicitur esse prolatum, nequaquàm obviare videtur, cum autoritate Archiepiscopi factum sit. *De Arbitris*. Cap. *Per suas*. §. 2. *fin*. LIB. I. DECR. *Tit*. 43. Cap. 9.

VIII. Valet compromissum factum in unum vel in plures, ut ipsi per se causam definiant, vel per alios quos ipsi elegerint. *Summa*. A Partibus compromitti potest in aliquem, & promitti sub certâ pœnâ quod Arbitrio seu ordinationi ejusdem, vel duorum Mediatorum quos idem super hoc deputaverit, præcisè pareant. *De Arbitris*. Cap. *Cùm à nobis*. §. 1. *med*. LIB. I. DECR. *Tit*. 43. Cap. 13.

IX. In Matrimoniali, liberali, vel criminali causa, cùm majores Judices exigant, Arbiter nequit assumi. *De in integrum restit*. Cap. *Causa*. §. 1. *fin*. LIB. I. DECR. *Tit*. 41. Cap. 9.

Principaliter Arbitri cognoscere non possunt de Restitutione, cùm causa ista requirat majores Judices, qui hoc ex officio suo faciant. *Glossa* 2. verbo *incidenter*.

X. Arbitri de causa Restitutionis in integrum cognoscere nequeunt, nisi coram eis mota fuerit incidenter. *Ibid*. Si inciderit causa restitutionis in negotio de quo compromissum est, vel quod aliis Delegatis commissum, possunt tunc de Restitutione cognoscere. *Glossa* 2. verbo, *incidenter*.

SECTIO III.

I. Arbitri tenentur secundùm compromissi formam judicare. II. Non possunt alia judicare quàm de quibus est compromissum. III. Forma Arbitrii ex instrumento cognoscitur.

I. Cùm aliquis sub certâ formâ in aliquos compromisit, is qui dignoscitur nominatus, juxtà compromissi tenorem, debet assumi. *De Elect*. Cap. *Cùm in jure*. §. 1. & 2. LIB. I. DECR. *Tit*. 6. Cap. 33.

II. Illi in quos compromissum est, secundùm formam sibi traditam debent agere. *De Elect*. Cap. *Cùm Dilectus*. §. 3. *med*. LIB. I. DECR. *Tit*. 6. Cap. 12.

III. Publico instrumento Arbitrium continente diligenter inspecto, cognoscitur quid secundùm formam Arbitrii fieri debeat. *De Arbitris*. Cap. *Cùm olim*. §. 1. *init*. LIB. I. DECR. *Tit*. 43. Cap. 7.

IV. Arbitri judicare non valent nisi de his tantùm super quibus in eos extiterit compromissum. *De Arbitris*. Cap. *Cùm Dilectus*. *fin*. LIB. I. DECR. *Tit*. 43. Cap. 6.

V. Is qui convenitur coram Arbitris convenientem reconvenire non potest. *Ibid*. Reconventio coram Arbitris fieri non potest. *Glossa*.

Arbitrium contra formam compromissi dictatum, non obstante confirmatione Principis qui confirmaverat illud, sicut providè latum fuerat & ab utraque Parte receptum, decernitur irritum. *De Confirmatione utili*. Cap. *Examinata*. LIB. II. DECR. *Tit* 3. Cap. 7. Non tenet sententia Arbitri lata contra formam mandati. *Glossa*.

Cùm Papa committit alii, etiam Principi, curam componendi inter Partes circa rem jam judicatam, intentionis ejus non est immutare sententiam latam, vel sopitas per eam querimonias suscitare; ideòque quidquid per Arbitrium contra dictam sententiam invenietur esse factum, in irritum revocari debet. *Ibid*.

Ibid. De Arbitris. Cap. *Expofita.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 43. Cap. 15.

Arbiter poft rem judicatam fuper difcordiis novis affumptus non poteft per fuum Arbitrium etiam immutare. *Summa.*

Arbiter de slio arbitrari non debet, nifi de quo compromiffum eft; quod fi fecerit, non valet, & ita forma compromiffi fervanda eft. *Gloffa.*

SECTIO IV.

I. Finitur Arbitrium per mortem unius Arbitrorum. II. Item per mortem alterutrius compromittentium. III. Si unus ex Arbitris adeffe non poteft, non valet Arbitrium, nifi ex forma compromiffi aliter appareat.

I. Uno Delegatorum vel Arbitrorum rebus humanis exempto, eorum officium expiravit, nifi aliud in compromiffo fuiffet expreffum. *De Officio Deleg.* Cap. *Uno.* Lib. I. Decr. *Tit.* 29. Cap. 42.

Idem eft in Arbitris, ut uno mortuo eorum officium expiret, cum in eos compromiffum eft ut omnes judicent; & hoc verum eft, nifi in compromiffo expreffè fit cautum, ut fi alter intereffe non poffit, alter Arbitrium poffit proferre. *Gloffa*, verbo, *Delegatorum med.*

Per mortem Arbitrorum Arbitrium eft finitum. *Gloffa.*

II. Cùm Partes fuper aliqua re tres Arbitros elegerunt, & unus ipforum viam fuit univerfæ carnis ingreffus, & alius nimis diftat, tertio folo minimè arbitrari valente; videtur Arbitrium expiraffe. *De Teftibus.* Cap. *Præfentata.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 50

Compromiffum per mortem alterutrius Arbitrorum expirat. *Gloffa*, verbo, *Arbitrium.*

III. Cùm Partes in aliquem fide præftitâ compromittere curaverunt, Arbitrium finitur per mortem alterius compromittentis. *De Arbitris.* Cap. *Ex Parte.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 43. Cap. 10.

Finitur compromiffum per mortem alterius compromittentis. *Gloffa.*

IV. Cùm aliquis in tres Arbitros compromifit, duo, mortuo reliquo, ex formâ compromiffi poffunt procedentes arbitrari. *De Teftamentis.* Cap. *Raynaldus. poft init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 26. Cap. 18.

Forma compromiffi fervanda eft; undè fi in plures fit compromiffum, tertio abfente vel mortuo cæteri poffunt procedere, fi hoc fit dictum in compromiffo; aliàs non. *Gloffa.*

V. Compromiffum non extenditur in compromittentis hæredes, fi de ipfis non caveatur. *Ibidem. De Arbitris.* Cap. *Compromiffum.* Lib. I. Decr. *Tit.* 43. Cap. 14.

Compromiffum antè fententiam latam finitur morte alterius compromittentium; undè non tranfit in hæredes compromittentium; nifi de eis fit cautum in compromiffo.

SECTIO V.

I. Arbitri fecundùm Juris Ordinem debent judicare: II. Tenet id quod major Pars Arbitrorum decrevit.

I. Qui fufcepto Arbitrio in negotio procedunt, productis teftibus & depofitionibus publicatis, receptifque allegationibus Partium, & actis omnibus redactis in fcriptis, Arbitrium proferre debent. *De Teftibus.* Cap. *Præfentata.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 50.

II. Cùm Partes in te compromittere curaverunt, caufæ meritis diligenter infpectis, ad ferendam definitivam fententiam, diem debes præfigere. *De Arbitris.* Cap. *Ex parte.* §. 1. *init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 43. Cap. 10.

III. Si inter quos caufa verfatur, tres Arbitros elegerint, aut omnium fequantur fententiam, aut duorum. *De Arbitris.* Cap. *Sanè. fin.* Lib. I. *Tit.* 43. Cap. 1.

Arbitris difcordantibus ftatur fententiæ majoris partis. *Summa.* Sufficit duorum fententia, præfente tertio, licet ille diffentiat. *Gloffa*, verbo, *duorum.*

Si fuit compromiffum in tres Arbitros, & duo conveniant in eamdem fententiam, & alius difcordet, valet fententia duorum. *Gloffa.*

IV. Si ex tribus Arbitris re duo in decem, & tertius in quinque condemnent, debet fententia prævalere duorum. *In 6. De Arbitris.* Cap. 1.

V. Arbitrium quod contra formam Juris & compromiffi promulgatum fuit, non obftante illius confirmatione qui confirmavit illud ficut providè latum fuit & ab utraque Parte receptum fuit, decerni debet irritum, & inane. *De Judiciis.* Cap. *Examinata. med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 1. Cap. 15.

SECTIO VI.

I. Qui fe gravatum fentit ex Arbitrio lato poteft appellare. II. Judices debent ftare Arbitrio, fi veritate fubnixum eft. III. Si verò iniquum fit, & contra Jus, debent illud infirmare.

I. Cùm tertius Arbiter electus cum altero duorum Arbitrorum quempiam Parti alteri condemnaverit, idem ex eo fentiens fe gravari, Superioris poteft appellare audientiam. *De Arbitris.* Cap. *Innotuit.* Lib. I. Decr. *Tit.* 43. Cap. 12.

Si ex confenfu Partium Judices electi fuerint, etiam pauciore numero quàm conftitutum eft, liceat provocare. *Ex Concilio* Carthagin. III. Cap. 10. *ann.* 397. In autograpbo legitur cum negatione, *Non liceat provocare.* Gratianus tamen refert ad probandum licere appellare.

II. Inter aliquos quæftione fubortâ, fi eft à Partibus concorditer compromiffum quod Arbitrio feu ordinationi alicujus vel duorum Mediatorum quos idem fuper hoc deputaret præcifè parerent; quod per prædictos Mediatores fuper hoc actum eft, confirmari debet. *De Arbitris.* Cap. *Cùm à nobis.* Lib. I. Decr. *Tit.* 43. Cap. 13.

III. Si ex parte Actoris Arbitrium receptum fuerit, indiftinctè ratum haberi debet, ac per hoc executioni mandari. *De Arbitris.* Cap. *Per fuas.* §. 2. Lib. I. Decr. *Tit.* 43. Cap. 9.

Si Arbitrium à Partibus approbatur, ex eo datur actio & exceptio. *Gloffa*, verbo, *Ratum.* Ex quo Clerici ratum habuerunt Arbitrium, eft obfervandum & valet. *Gloffa, Ibidem.*

IV. Partes ut Arbitrium præfertim cùm eft ab utraque Parte fpontè receptum, obfervent, per pœnam in compromiffo ftatutam Judex compellere debet. *De Arbitris.* Cap. *Dilecti.* §. 1. *fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 43. Cap. 4.

V. Si invenerit Judex arbitrium, Ecclefiæ poffe in pofterum perniciofum exiftere, mandare debet ne Pars fibi, occafione hujufmodi, aliquid ulteriùs vindicare præfumat. *De Arbitris.* Cap. *Pervenit.* Lib. I. Decr. *Tit.* 43. Cap. 3.

VI. Non decet Judicem aliquatenus fuftinere ut quod perperam aliqui arbitrati funt, debeat incorrectum relinqui. *De Arbitris* Cap. *Non fine.* §. 1. *init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 43. Cap. 2.

VII. Si Judex arbitrium ipfum noverit æquitate fub-

ſubmiſſum, ad obſervantiam ipſius utramque Partem compellat. *Ibid. fin.*

VIII. Cùm legitimè conſtitit, quod fide hinc indè datâ, compromiſſum eſt in aliquem, Judex arbitrium ab ipſo prolatum decernet obſervandum, illis duntaxar capitulis exceptis quæ contra libertatem ipſius Monaſterii in arbitrio ſunt expreſſa. *De Arbitris.* Cap. *Cum tempore.* §. 2. LIB. I. DECR. *Tit.* 43. Cap. 5.

IX. Examinatâ cauſâ quæ vertitur inter aliquos, cùm perpenderit Judex arbitrium ſuper eodem negotio contrà formam Juris fuiſſe dictatum, non obſtante intentione Principis, qui confirmaverit illud ſicut providè latum fuit, & ab utrâque Parte receptum, decerner ipſum irritum & inane. *De Confirmatione utili.* Cap. *Examinata.* LIB. II. DEC. *Tit.* 30. Cap. 7.

Sententia contrà formam Juris lata per Arbitros, licet in formâ communi fuerit confirmatum, non tenet. *Summa.*

Non tenet ſententia Arbitri lata contrà formam Juris. *Gloſſa.*

X. Si illi in quos utrinque extitit compromiſſum arbitrati fuerunt quod improbatur, Judex prædictum arbitrium, & quidquid ſecutum eſt ex eo, vel ob id, irritum decernet. *De rerum permutatione,* Cap. *Exhibita.* LIB. III, DECR. *Tit.* 29. Cap. 9. *finali.*

Arbitrium nullum fuit ipſo jure, quia contra formam Juris fuit prolatum. *Gloſſa*, verbo, *Secutum.*

TITULUS III.

De aliis præparatoriis ad Judicia.

SECTIO I.

Explicantur termini qui pertinent ad forenſem Juriſdictionem.

I. FOrus eſt exercendarum litium locus. *De verb. ſignif.* Cap. *Forus. init.* LIB. V. DEC. *Tit.* 40. Cap. 10.

II. Conſtat forus cauſâ, lege, & Judicio. *Ibid.*

III. Cauſa eſt materia & origo negotii, necdum diſcuſſionis examine patefacta, quæ, dum proponitur, cauſa eſt; dum diſcutitur, judicium; dum finitur, juſtitia. *Ibid.*

IV. Vocatur Judicium, quaſi Juriſdictio; & Juſtitia, quaſi Juris ſtatus. *Ibidem.*

V. Judicium eſt legitimus actus duarum perſonarum, Actoris, & Rei, ſuper eadem quæſtione, ſub eodem Judice contracta. *Gloſſa*, verbo, *Judicium.*

VI. Lex dicitur ſtatus Juris; & verè, quia per ſententiam jus non conſtituitur, ſed ſtatus juris declaratur. *Gloſſa*, verbo, *Juris ſtatus.*

VII. Vocatur Judicium, quaſi Juriſdictio; & Juſtitia, quaſi Juris ſtatus.

VIII. Negotium in cauſis ſignificat actionem cauſæ, quæ eſt jurgium litis. *Ibid.* §. *Negotium.*

IX. Jurgium dicitur, quaſi Juris garrium, quod hi qui cauſam dicunt, jure diſceptant. *Ibid.* §. 2.

X. Actor ſeu Accuſator eſt, qui ad cauſam vocat eum quem appellat. *Ibid.* §. 3. *med.*

XI. Reus à re quæ petitur nuncupatur; quia quamvis conſcius ſceleris non ſit, reus tamen dicitur, quamdiù in judicium pro re aliquâ petitur. *Ibid.* §. 3. *fin.*

XII. Dici non poteſt quod conſuetudo aliqua quaſi contradictorio Judicio fuerit introducta, cùm pro bono pacis, extrà judicii proceſſum, dignoſcitur. *De verb. ſignif.* Cap. *Abbate.* §. 4. *Ad hoc.* LIB. V. DECR. *Tit.* 40. Cap. 25.

XIII. Contradictum ſeu contradictorium Judicium dicitur, purà cùm ego dicerem hanc eſſe conſuetudinem, adverſarius dicebat non eſſe conſuetudinem, & judicatum fuit quod erat conſuetudo. *Gloſſa*, verbo, *Contradicto judicio.*

SECTIO II.

Leges quæ ſunt Actori & Reo communes.

I. Litigantes ſe contrà factum proprium legitimè defendere non valent. *De donat.* Cap. *Inter Dilectos.* §. 2. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 24. Cap. 8.

II. Non licet Actori quod Reo licitum non exiſtit. *In 6. de Regulis Juris. Regula* 32.

III. Nullus pluribus uti defenſionibus prohibetur. *In 6. de Reg. Juris. Regula* 20.

IV. Contraria proponens non eſt audiendus. *Gloſſa.*

V. Abſonum eſt ut quis neget aliquid, ſuper quo inſtrumenta Prædeceſſoris ſui oſtendit contraria. *De Cenſibus.* Cap. *Cùm olim. fin.* juncta *Gloſſa.* LIB. III. DECR. *Tit.* 39. Cap. 19.

VI. Qui inſtrumentum nullatenus approbavit, ſed ſtuduit multipliciter impugnare, ex eo non debet Beneficium conſequi cui renunciaſſe tacitè videtur. *De Cenſib.* Cap. 6. *Cùm olim. med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 39. Cap. 19.

VII. Tacita remuneratio præjudicat. *Gloſſa.*

VIII. Aliquis fructum ex eo conſequi non debet quod nititur reprobare. *Gloſſa*, verbo, *Beneficium.*

IX. Litigantes Parti Adverſæ legem imponere non debent, quam ipſi negligunt obſervare. *De Præb.* Cap. *Pro illorum.* §. 2. *med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 22.

X. Nullus videtur factum contra legem opponere poſſe de jure, qui ſe fatetur contra ſtatutum ipſum egiſſe. *De conceſſ. Præb.* Cap. *Cùm ſuper.* §. 1. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 8.

XI. Allegans ſe feciſſe contrà Concilium, ex eo ſubſidium habere non debet. *Gloſſa.*

XII. Liti renunciat, qui authentica inſtrumenta, quæ ſuper hoc habet, in manibus Judicis reſignat. *De pactis.* Cap. *Cùm pridem.* §. 1. juncta *Gloſſa.* LIB. I. DECR. *Tit.* 34. Cap. 4.

XIII. Qui renunciat inſtrumentis, liti renunciare intelligitur. *Gloſſa.*

XIV. Actoris & Rei eadem eſt conditio. *De mutuis petitionibus.* Cap. *Prudentiam. med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 4. Cap. 2.

Actor & Reus eodem jure cenſentur, & eadem eſt conditio utriuſque. *Gloſſa.*

XV. Uno eodemque jure debet uterque cenſeri. *Ibid.*

XVI. Si conſtiterit aliquem facto alterius, ex quo nititur, ſponte renunciaſſe, ei ſilentium imponitur. *De Appellat.* Cap. *Conſtitut.* §. 1. *med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 45.

XVII. Ampliùs non eſt audiendus. *Gloſſa*, verbo, *Renunciaſſe.*

XVIII. Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum magis admittendus. *In 6. De Regulis Juris. Reg.* 71.

SECTIO III.

Unicuique licitum eſſe jus ſuum perſequi.

I. Licitum eſt eis ſuper litigioſis negotiis curam agere qui pacificis decreverunt ſtudiis inhærere. *De Judiciis.* Cap. *Cùm deputati.* §. 1. *med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 1. Cap. 16.

II. Utendo jure ſuo, aliis injuriam facere non videtur. *De Appellat.* Cap. *Bonæ memoriæ. med. in init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 51.

III. Ne quis in proſecutione cauſarum aliquos ab agendo vel reſpondendo occaſione hujuſmodi repellat, quod eorum generatio non eſt nota. *Ibid.*

IV.

IV. Si potest quis incontinenti suam intentionem fundare, quod suâ intersit ut se possit opponere, ad id admittitur. *De Testibus.* Cap. *Veniens.* §. 2. Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 38.

V. Non videtur injuriam facere qui utitur jure suo. *De Elect.* Cap. *Cùm Ecclesia.* §. 1. *med.* Lib. I. Deca. *Tit.* 6. Cap. 31.

VI. Quod debetur, non iniquè repetitur. Caus. XIV. Quæst. I. *Cap.* 2.

VII. Quilibet ad acta, ad quod negotium pertinet, sive cujus interest, potest se opponere, & debet admitti, primo probato quod suâ intersit. *Glossa.*

SECTIO IV.

Quæ sint Judiciorum acta?

I. Excusatur honestè qui ad præsentiam Delegatorum Judicum non potest venire citatus. *De Appell.* Cap. *Ex parte.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 47.

II. Ante litis contestationem sunt exceptiones dilatoriæ proponendæ. *De Appell.* Cap. *Cur Causam.* §. 1. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 3. Cap. 21.

III. Judicii acta, citationes, dilationes, recusationes, exceptiones, petitiones, responsiones, interrogationes, confessiones, testium depositiones, instrumentorum productiones, interlocutiones, appellationes, renunciationes, conclusiones, &c. *De Probationibus.* Cap. *Quoniam.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 19. Cap. 11.

IV. Pro parte Agentis & etiam Rei, si quid petere voluerit, est in ipso litis exordio petitio facienda. Clement. II. *De Verbor. signif.* §. *init.* Lib. V. Clem. *Tit.* 1. Cap. 2.

V. Ne Judex peremptorias exceptiones ex eorum parte propositas videatur sub silentio præterire. *De Appell.* Cap. *Consitentus.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 45. *med.*

VI. Petitio fieri potest salvo in omnibus jure addendi vel diminuendi. *De Fide Instrumentorum.* Cap. *Inter Dilectos.* ante 1. §. Lib. II. *Tit.* 22. Cap. 6.

VII. Super exceptione peremptoria tertio appellatur, si fuit ineptè proposita. Clement. VII. *De Appell.* Lib. II. Clem. *Tit.* 12. Cap. 7.

VIII. Cùm Actor non vult exprimere in porrecto Libello quare sibi pecunia debeatur, super hoc Reus minimè respondere tenetur. *De Libelli oblatione.* Cap. *Dilecti. med.* Lib II. Decr. *Tit.* 3. Cap. 3. *fin.*

IX. In citatione talia exprimi debent per quæ plenè Pars possit instrui super quibus in judicio convenitur. *Ibid.*

X. Per dilatorias exceptiones malitiosè nonnumquàm causarum terminatio prorogatur. *De Exceptione.* Cap. *Pastor.* Lib. II. Decr. *Tit.* 25. Cap. 4.

XI. Frequenter ad impediendum vel differendum processum, exceptiones per excogitatam malitiam opponuntur. *De Dolo & Contumacia.* Cap. fin. *med.* Lib. II. Deca. *Tit.* 14. *Cap.* 5. Ideòque eâ probata hujusmodi, ad expensas condemnantur opponentes.

XII. Cùm lite pendente nihil debeat innovari, litem pendere censemus postquam à Judice auditæ sunt Partes. *Cap.* 1. *De lit. contest.*

XIII. Causa legitimè insinuatur, porrecto videlicet Judici sub scriptura authentica libello, & copiâ modo consimili factâ. Clem. III. *Causam. post init. De Elect.* Lib. I. Clem. *Tit.* 3. Cap. 3.

XIV. Si propter Partis aut suorum metum vel potentiam, intimatio fieri nequeat, eamdem in loco publico sic solemniter volumus publicari, quod ad intimati, seu ejus Procuratoris, notitiam possit verisimiliter pervenire: Intimatio aliter facta careat juris effectu. *Ibid.* §. 2.

XV. Exceptiones dilatoriæ ante litis ingressum opponi debent. *De Sentent.* Cap. *Inter.* §. 1. Lib. II. Deca. *Tit.* 27. Cap. 20.

SECTIO V.

Quæ sint in gratiam Rei, ac suam defensionem?

I. Satis videtur absurdum si, Actore impugnante, Reo defensionis copia denegetur, quia sic condemnaretur multories absolvendus. *De Exceptionibus.* Cap. *Cùm inter.* §. 1. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 25.

II. Reo legitima defensio in judicio reservatur. *Ibid.* §. 1. *init.*

III. In Judicio convenientem reconvenire valetis qui coram Judice convenitur. *De Arbitris.* Cap. *Cùm dilectus. post init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 43. Cap. 6.

IV. Cùm sunt Partium jura obscura, Reo favendum est potiùs quàm Actori. *In* 6. *De Reg. Juris. Reg.* 11.

V. Actore non probante, qui convenitur, etsi nihil præstiterit, obtinebit. *De Causa possessionis.* Cap. *Cùm Ecclesia.* §. *ult. fin.* Lib. II. Deca. *Tit.* 12. Cap. 3.

VI. Juris est explorati, quod Actore non probante, is qui convenitur, etiamsi nihil præstiterit, debet absolvi. *Ut Ecclesiastica Beneficia.* Cap. *Ut nostrum.* §. *n. init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 12. Cap. unic.

SECTIO VI.

Quandonam in morâ quis esse censeatur?

I. Non est in morâ qui potest exceptione legitima se tueri. *In* 6. *De Reg. Juris. Reg.* 60.

II. Mora sua cuilibet est nociva. *In* 6. *De Reg. Juris. Reg.* 25.

III. Te pro causâ necessariâ absente, Parti Adversæ indulgetur, ut sibi lapsus temporis non obsistat. *De Verborum signif.* Cap. *Dilecto.* §. 1. Lib. V. Deca. *Tit.* 40. *Cap.* 28. Quod justum ob impedimentum, quo durante tempus non currit.

IV. Contrà illum qui absens est ex causâ necessariâ non proceditur. *Glossa.*

V. Sibi imputare poterit Pars Adversa, si negligens fuerit in suâ justitiâ prosequendâ, cùm absentiæ tuæ impedimento cessante, conveniendi te habuit facultatem. *Ibid. De Verb. signif.* Cap. *Dilecto.* §. 10. *fin.* Lib. III. Deca. *Tit.* 40. Cap. 28.

VI. His quibus interdicitur ut absque Superioris licentia aliquid facere non præsumant, tempus statutum currit ex quo in morâ fuerint licentiam hujusmodi postulandi. *De Elect.* Cap. *His quibus.* Lib. I. Deca. *Tit.* 6. Cap. 60.

VII. Currit tempus ei qui non potest agere, sed hoc est propter negligentiam, quia intra tempus debet petere licentiam. *Glossa.*

SECTIO VII.

In Judiciis distinguenda causa rea ab occasione innoxiâ; hinc etsi, qui causa est aliena mortis, aliquandò magis peccet quàm qui occidit, non tamen causa qualibet mortis peccat.

I. Aliquandò qui causâ mortis fuit, potiùs in culpâ est quàm ille qui occidit; velut si quispiam decipiat Fidejussorem suum, atque ille pro isto legitimum supplicium luat. Caus. XXIII. Quæst. V. Cap. 19. *Cùm homo.* §. 1.

II. Non tamen omnis qui causa alienæ mortis est, Reus est: Quid si enim quisquam stuprum petat, seseque si non impetraverit, interimat? Quid si filius timens Patris pia verbera, præcipitio pereat? Quid si alius homine liberato, vel ne alius liberetur, sibi ipse mortem inferat? *Ibid.*

III. Num propter illas alienarum mortium causas, aut sceleri consentiendum est; aut vindicta peccati, quæ non fit nocendi, sed corrigendi studio, etiam paterna tollenda, aut opera misericordiæ cohibenda sunt? *Ibid.*

IV. Hæc cùm accidunt, debemus eis humanum dolorem, non propter illa, ne accidant, rectè factorum reprimere voluntatem. *Ibid.*

SEC.

SECTIO VIII.

De Clausulis Juris, illarum vi, & effectu.

Clausulas Juris inter Prænotiones Judiciarias recensemus, tùm quia non paucæ sunt judiciariæ, tùm quia illarum notitia Judicibus maximè necessaria est. Non intendimus tamen illas seorsim exponere, sed tantùm volumus de illis nonnullas Observationes tradere.

OBSERVATIO I.

Dividi possunt in Communes cuivis materiæ, seu rei Canonicæ; & peculiares quibusdam hujusmodi rebus.

Communes sunt, quæ locum habent vel habere queunt in Rescriptis tùm gratiæ, tùm justitiæ, in Contractibus, in Sententiis, in Constitutionibus, in Privilegiis. Hujus generis sunt quæ *Præservativæ* nuncupantur; quales istæ, *Salvo jure alieno, sine præjudicio tertii, quatenus non tollatur jus alteri quæsitum, salvis Constitutionibus quibusdam*, aliæve similes. Ejusdem generis sunt quæ vocantur *Derogatoriæ*, & inseri valent in quovis genere actorum suprà memorato.

Peculiares sunt 1°. quæ dicuntur *Delegatoriæ*, quia Delegatos speciatim spectant, sive ad justitiam exhibendam, vel ad rem judicatam executioni mandandam, vel ad gratiam concedendam, vel concessam exequendam. 2°. *Judiciariæ*, quæ ad Judicia speciatim spectant. 3°. *Beneficiariæ* ita dictæ, quod ad Beneficia pertineant. 4°. *Restringentes*, quæ potestatem, vel pœnam, vel gratiam restringunt.

OBSERVATIO II.

Ne confundantur Clausulæ Juris cum Regulis Juris, advertendum est quod illæ ab istis multùm differant; nempè in eo quod istæ factæ sunt, uti Leges, propter utilitatem publicam, vel ob eamdem causam è Jure collectæ sunt; Clausulæ verò Juris privatum commodum vel incommodum, lucrum vel jacturam respiciunt. Regulæ sunt Pars Juris, vel per se subsistens, vel inserta in Constitutionibus vel Decisionibus Juris, tamquàm illarum probatio vel confirmatio; Clausulæ è contrà inseruntur in Actis privatis vel factis ob privatorum commodum, atque ex hâc insertione dicuntur Clausulæ, necnon ex ordinariâ illarum brevitate.

OBSERVATIO III.

Una est ex præcipuis Clausulis præservativis, quæ sic concipi solet; *In his quæ Canonibus, vel Concilii Tridentini Decretis, vel Constitutionibus Apostolicis non adversantur;* & intelligitur de Canonibus in Corpore Juris inclusis. FAGNANUS *in Cap. Canonum. De Constitut. n.* 33. id probat ex loco Concilii Tridentini distinguentis Canones à Conciliorum Generalium Decretis, & à Constitutionibus Apostolicis; quam rationem indiscussam dimittere cogimur, quia hæc discussio non est hujus loci.

Similis est alia Clausula ab eodem examinata, quæ sic se habet; *Dummodò Canonibus Sacris & Concilii Tridentini Decretis non adversetur*; illam refert idem Autor, explicatque similiter *in* Cap. *Tuarum. De Privileg. n.* 56. atque etiam notat in confirmatione Privilegiorum inseri solitam; interpretationis autem hujus vera ratio esse potest, quod Canones qui continent Jus Commune, universalem autoritatem habere debeant; quod non aliis convenit Canonibus, quàm illis qui in Corpore Juris inseruntur, nisi à Conciliis Generalibus, vel à Summo Pontifice conditi sint, prout expositum est in *Prolegomenis Part. I.*

Inter Clausulas ejusdem generis quibus jus alienum conservatur, atque diversimodè conceptas, maximè notandæ veniunt, quæ gratiam conditionalem faciunt, quales sunt istæ; *Quatenùs non tollatur Jus quæsitum, satisfactâ parte*, quæ inseri solent in Litteris quibus facultas dispensandi, & absolvendi, seu revalidandi Titulos Beneficiales in præjudicium tertii conceditur, quia his Clausulis non impletis gratia nulla fit. FAGNANUS *in* Cap. *Mandato. De Simonia*, ubi fusè id explicat, atque inter alia observat quod necessè non sit, ut satisfactio præcedat Absolutionem vel Dispensationem, vel revalidationem; sed sufficiat de illâ satisfactione cautum esse inter Partes, quia hâc cautione satisfactum censetur, cùm Pars læsa secura efficiatur de illato sibi damno recuperando restituendove.

Quod dictum est de revalidatione Tituli in præjudicium tertii, restringendum est ad casum, in quo læsus consentit; aliàs injusta est, cùm nemo innocens jure suo privandus sit invitus, nec Prælatus ullus, etiamsi Summus Pontifex, Beneficium facere queat de aliena re, Domino non consentiente. *Reg.* 28. *In* 6. in contrario sensu sumptâ. Scienti & consentienti non fit injuria, neque dolus: ergò si non consentiat fit ipsi injuria. Revalidationes hujusmodi frequentes sunt in Beneficiis Curatis in concursu datis; factum hoc patet ex citato FAGNANI loco.

OBSERVATIO IV.

Clausula, *ex certâ scientiâ & plenitudine potestatis*, inseri solita in Litteris Apostolicis gratiam extraordinariam continentibus, intelligenda de verâ scientiâ, non fictâ, seu præsumptâ; qualis est quæ ex Clausulâ, *quorum tenores*, etiam cum facultate illos inferendi in Litteris, FAGNANUS *in* Cap. *Veniens. De Transact. n.* 53. idque quia fieri posset ut Papa hujusmodi tenores ignoret; prætereà id genus gratiæ est odiosum, utpote à Jure Communi multùm exorbitans, proindèque verba strictè accipienda. Secunda pars Clausulæ non derogat Regulæ de non tollendo jure alteri quæsito; scilicet prætereà necessarium est ut Papa expressè ei deroget, quia condendo hanc Regulam, declaravit se nolle juri alieno derogare, & dicendo se agere ex plenitudine potestatis, non satis manifestat se velle huic Regulæ derogare. FAGNANUS *in* Cap. *Cæterum. De Rescript. n.* 17. *ad* 57.

Clausula hæc non recipitur in Galliâ, quia sapit potestatem absolutam, quam non admittit in Papâ, quem subjici Canonibus existimat.

OBSERVATIO V.

Clausula, *motu proprio*, quæ frequentissima est, præsertim in re Beneficiata, non supplet defectum provenientem ex falsitatis expressione, quia ista præsumitur impulisse Pontificem ad concessionem Rescripti: Prætereà crimen falsi tantùm est, ut præbeat justam causam credendi, quod si Papa illud nosset, non concessisset Rescriptum, nec Clausulâ prædictâ munivisset, cùm Orator hinc factus esset indignus tùm favore hujus Clausulæ, tùm ipso Rescripto. *Vid.* GONZALEM *in* Cap. 8. *De Rescript. n.* 15.

Apud Gallos Clausula, *motu proprio*, nihil operatur, sed pro non inserta habetur.

Inter cæteras Clausulas Beneficiarias, plures sunt quæ cum Mandatis Apostolicis seu Gratiis Expectativis exoleverunt. Tales sunt, 1°. Clausula, *Si pro alio non scripsimus*, de quâ *Cap.* 30. 38. 39. *De Rescriptis*, & GONZALEZ *in illa.* 2°. Clausula, *Cùm facultas se obtulerit.* 3°. *Cùm primùm vacaverit*, de quibus GONZALES *in Cap.* 29. *De Præb.* ubi notat quod posterior obligat statim ac aliquod Beneficium vacat; prior verò nonnisi cùm opportunum fuerit. *n.* 11. 4°. Clausula,

sula, *anteferri*, quâ posterior expectans priori erat præferendus. Hæc autem, ut contraria Regulæ de non tollendo juri alteri quæsito, apud Gallos semper rejecta videtur, & ubique rejicienda, præsertim si posteriorem provisum priori proviso præferri jubeatur.

Secùs de Clausulâ, *si idoneus*, de quâ *in Cap. ult. De Præsumpt.* cùm Canones omnes repellant à Beneficiis quoscumque inidoneos, eaque sit ut subintellecta, si non inseratur. *Vid.* Gonzal. *in illud.* Hæc semper viguit vel vigere debuit, sicut etiam nunc viget; ita ut provisio non valeat, si Beneficium conferatur inidoneo, etiam in formâ gratiosâ, nisi agatur de vitio dispensabili, & dispensetur cum proviso, atque Clausula hujusmodi inseri soleat in provisionibus Pontificiis in formâ commissoria concessis.

Quod dictum de Clausulis Mandata Apostolica spectantibus, dicendum quoque de illis quæ ad accessum Beneficiarium pertinebant, cùm abrogatus sit à *Conc.* Trident. *Cap.* 7. Sess. XXV. *De Reform.* Talis est Clausula, *Ex nunc prout ex tunc*, de quâ Fagnanus *in* Cap. *Dilectus* 27. *De Præb. n.* 19. ubi ostendit quod accedente Decreto citato antè eventum conditionis in illâ inclusæ, effectu caruit.

Observatio VI.

Nonnullæ Clausulæ pro subjectâ materiâ interpretandæ sunt; hujus rei exempla Fagnanus *in* Cap. *Presbyterum* 13. *De Pænit. & Remiss. n.* 31. affert, desumpta ex Clausulâ, *Postquàm ad annos discretionis pervenerit*, quæ, quoad Confessionem, locum habet post septennium; quoad Eucharistiam, post pubertatem; quoad Matrimonium, post pubertatem ad illud necessariam, respectu illius finis proximi; quoad Professionem, post decimum sextum annum; quoad administrationem bonorum, post annum vigesimum quintum.

Observatio VII.

Clausula in Rescripto posita, *Ubicumque sita*, ad statum Juris Communis reducenda, atque ex istius ordine interpretanda; is enim præferendus verborum ordini, qui inordinatus esse potest. *Cap.* 18. *De Rescript.* Fagnan. *in illud à n.* 2. *ad* 5. Gonzalez quoque *in eumdem Textum.*

E contrà si Clausula sita sit in medio, restringenda ad proxima, non extendenda ad omnia præcedentia. Fagnan. *in Cap.* 6. *De Reb. Eccles. non alien. à n.* 14. *ad* 18. quod probat variis Juris considerationibus, rerum Ecclesiasticarum alienationem continentibus. De Clausulâ *Decreti irritantis* in fine positâ idem haber in *Cap.* Presbyterum. *De Pænit. n.* 91.

Ab ultima parte Observationis excipiendi casus, in quibus ex instrumeoto patet aliam esse mentem loquentium; tunc enim illa præferenda cuivis alii considerationi; hujus exceptionis exemplum præbet *Cap.* 6. *De Donationibus*, ubi Clausula in fine posita ad omnia præcedentia non producitur, quia contraria apparet donantis intentio; adde quod quoties aliquod instrumentum constat pluribus articulis disparatis & in suo genere completis, Clausula unius, etiam postremi, ad alios extendenda non est; hujusmodi erat instrumentum de quo *Cit. Cap.*

Hinc Clausulæ non sunt semper interpretandæ ex solo Ordine scripturæ, sed quandoque ex materia subjecta, vel ex Ordine Juris, vel ex formâ instrumenti, vel ex quovis modo quo mens loquentis colligi potest perspicique.

Cætera quæ adjici possent circa eamdem interpretationem, desumenda ex iis quæ dicta sunt de interpretatione Rescriptorum, necnon & Privilegiorum *in Prolegomenis. Part. II.* Depromenda quoque ex dicendis infrà de Testibus, de Instrumentis, de Præsumptionibus, de Jurejurando; huic siquidem argumento adaptare licet quæ de interpretatione Instrumentorum, Depositionum Testium, Juramentorum, itidem & Votorum, & de utilitate Præsumptionum ad similes interpretationes.

Observatio VIII.

Clausulæ, *Servatis servandis*, & *Vocatis vocandis*; aliæve similes, quæ non aliud præcipiunt quàm quod Jure Communi jubetur, videntur monitoriæ, non conditionales; talesque sunt quæ subintellectæ censentur si non inferantur; omnis enim potestas Delegata juxta Jus Commune exequenda, nisi in Rescripto præstribatur forma peculiaris à Jure Communi aliena, ut patet ex *Cap.* 20. *De Rescriptis*, declarante Delegatum procedere debere juxta Jus Commune, quoties Rescriptum non valet quoad id quod præscribit de forma speciali; undè si hac exceptione cessante, Delegatus prætermittat aliquid ex servandis, quæ ab eo fiunt irrita sunt, posito quod omissio substantialis sit; quod contingit quoties res, vel actio omissa, necessaria est ad validitatem processûs, idque non propter contemptum Clausulæ; sed ob spretum Juris Communis præscriptum. Quod autem scriptum est, has Clausulas non esse conditionales, id intelligendum est de illis in se sumptis, non autem de illis quoad id quod continent; hoc enim conditionale est, ita ut, quemadmodum observatum est, si conditio præscripta à Jure sit irritans acta, omissa conditione erunt irrita vi Juris Communis prætermissi, non vi omissionis Clausulæ. *Vid.* Fagnan. *in Cap. Presbyterum. De Pænit. & Remiss.* idem dicentem aliis verbis. *n.* 98. Quod dictum est de Clausula, *Vocatis vocandis*, confirmatur per *Concil.* Constant. Sess, XLIII. *Decreto, Attendentes*, & *Concil.* Trid. Sess. VII. *Can.* 6. in quibus docetur hanc Clausulam esse de Jure Communi, cujus doctrinæ causa est, quod processus, non auditis quorum interest, peractus, injustus esset.

Observatio IX.

Quando in Lege vel Canone numeratæ sunt personæ minores vel inferiores, non possunt posteà sub Clausula generali subsequenti majores vel Superiores comprehendi. *Cap.* 5. *De Rescript.* undè Fagnan. *in Cap. Accedentibus* 12. *De Excessib. Prælat. n.* 39. concludit quod *Conc.* Tridént. *Can.* 20. Sess. XXIV. *De Reform.* non comprehendat Abbates, saltem territorium habentes, in prohibitione facta Decanis & Archidiaconis, ne cognoscant de Causis Matrimonialibus, aliisque similibus, etsi addat Clausulam generalem, *& aliorum inferiorum*; idque quia Abbates Superiores sunt Decanis & Archidiaconis; ideòque ratio prohibitionis in istis locum non habet. Aliud dicendum si par, vel major esset causa, veluti in Clausula generali subsequenti quædam significata, & extendenti prohibitionem vel præceptum ad similia. *Cap.* 1. *Ne Clerici vel Monachi. Vid.* Fagnan. *In illud. n.* 10. Idem infertur ex *Cap.* 4. *De Procurat. in* 6. ubi docetur quod si specificato aliquo ex exigentibus mandatum speciale, addatur Clausula, *& similia*; omnia ejusdem speciei comprehenduntur, etiamsi specificato majora essent, quia sub illa specie continentur.

Observatio X.

Clausula, *Non tamen se adstringens ad omnia probanda*, apponi solita in positionibus seu articulis, necessaria non est quando unum probarum ad fundandam intentionem sufficit. *Cap.* 8. *De Præb.* ubi opponens, vel excipiens contra electionem, vel provisionem, vel confirmationem, qui plura objicit, declaratur eximi à probandis omnibus objectis, sed sibi satis esse ut aliquod probet ad cassationem sufficiens.

sufficiens. *Vid.* FAGNAN. *id illud.* *n.* 10. cùm non alia objicientis mens sit quàm hujusmodi cassatio. Hæc Observatio vim suam exerit in judiciis ut extrà judicia; Pars enim objiciens plura contra testem, si alterum probat quod illum à depositione excludat, ad alia probanda non tenetur.

OBSERVATIO XI.

Clausula suspensiva unionum, apposita in admissione resignationis Beneficii uniti, valet pro una vice in Beneficiis Seminario unitis. FAGNAN. *in* Cap. *Unire.* *n.* 28. etiamsi hujusmodi uniones maximo favore dignæ sint.

OBSERVATIO XII.

Clausula, *Rebus sic stantibus*, subintelligitur, vel intellecta censetur in omni Dispositione, sive Rescripti, sive Privilegii, sive Contractûs, cujus effectus pendet à futuro. *Cap.* 13. *De Ætat. & Qualit.* & FAGNAN. *in illud* *n.* 7. Cap. 1. *De Probation.* & FAGNAN. *in illud.* *n.* 14. 15.

Hujus rei causa est, quod Dispositio quæ justa est tempore quo fit, in intervallo, mutatione accedente ante eventum, injusta fieri potest. Idem FAGNAN. in priori loco exempla plura Clausularum quæ subintellectæ censentur, in posteriori quædam habet Dispositionis hujusmodi contractualis effectu carentis ob mutationes eventum præcedentes. Ad exempla prioris generis refertur Clausula, *Si est idoneus & Beneficiis non indignus.* cit. Cap. 13. *n.* 7. memorata, & meritò, cùm subintellecta sit habenda, notaturque omnem indignum esse inidoneum, sed quem esse posse non indignum absque eo quod sit idoneus, ut cerdo, miles.

OBSERVATIO XIII.

Ut sunt Clausulæ quæ subintellectæ censentur, quia apponi consuevetunt, ita sunt quæ quandoque exprimuntur, & pro non adjectis habentur, quia alienæ sunt ab stilo & fori consuetudine, quæque ideò non creduntur ex voluntate rescribentis appositæ. GONZALEZ *in* Cap. 2. *De Rescript.* *n.* 17. ubi plura habet de Clausulis notanda, sicut *in n.* 16. *ibid.* Hujus generis est quod docet de *Clausula vetante cognitionem*, cujus appositio falsò extortum Rescriptum denotat.

Hìc esset opportunus locus exponendi cæteras judiciarias Clausulas, qualis potissimùm Clausula, *Appellatione remotâ*, quæ in Jure frequentissima; qualis quoque Clausula, *Quod si non omnes*, & Clausula, *& quidam alii*, quæ omnes explicatæ sunt, vel dùm de Rescriptis, vel dùm de Judice Delegato, aut dùm de Appellationibus; ideòque illas hìc missas facere tenemur, ne jam actum iterùm agamus.

Cæterùm quod paucis diximus de Clausulis præcipuis, fusiùs tractarunt MARTHA & BARBOSA *in Tractatibus de Clausulis* à GONZAL. pluries citatis. TAMBUR. *De Jure Abbatum.* TOM. III. *in praxi criminali*, Cap. 3. fusè agens de Judiciis summariis, rectè exponit Clausulas ad illa pertinentes; præcipuè sunt istæ, *de Plano*, *Implicitus*, *Sine strepitu*, *Sine figura Judicii*, *Solâ veritate inspectâ*, de quibus infrà nonnihil habebitur.



PARS

PARS PRINCIPALIS,

Tractatûs de Ordine Judiciario à Jure Communi præscripto, necnon de illo qui in Ecclesia Gallicanâ observari solet.

PARS PRIMA.

De Ordine Judiciario in Causis Civilibus observando.

TITULUS I.

De Jurisdictione Contentiosâ.

SECTIO I.

Ad Jurisdictionem Contentiosam pertinet Sententiam promulgare.

I. EJus est Sententias promulgare qui Jurisdictioni præesse dicitur. *De Officio Deleg.* Cap. 1. & 9. Lib. I. Decr. *Tit.* 29. *Cap.* 40. Vide Gratianum. *init.* Dist. XX. §. 1. In negotiis definiendis non solùm necessaria est scientia, sed etiam potestas &c.

II. Judices vel ex Jurisdictione Ordinariâ procedunt, vel ex Delegata potestate, vel ex compromisso. *De Sent.* Cap. *Duobus Judicibus.* Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 26. *fin.*

III. Superior inferiorem ligat regulariter, & absolvit. *De Majorit. & Obed.* Cap. *Cùm inferior.* Lib. I. Decr. *Tit.* 33. Cap. 16.

IV. Jurisdictio, ex quo ipsa usus quis non extitit, non censetur in eum efficaciter transivisse. *In 6. De Off. Deleg.* Cap. *Quamvis. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 14. Cap. 6.

V. Jurisdictio nullius videretur esse momenti, si coërctionem aliquam non haberet. *De Off. Judie. Deleg.* Cap. *Pastoralis. post init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 29. Cap. 28.

VI. Demandata Jurisdictio delusoria videretur, si Subdelegatus hujusmodi coërctionem aliquam non haberet *Ibid.* Cap. *Ex Literis.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 29. Cap. 29.

SECTIO II.

Nec inferior in Superiorem, nec par in parem habet Jurisdictionem, nec Superior extrà territorium.

I. Inferior Superiorem solvere nequit vel ligare. *De Majorit.* Cap. *Cùm inferior. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 33 C. 16.

Inferior Sedes Superiorem absolvere non potest, sola ergo potior inferiorem convenienter absolvit; Hinc liquidò providetur, quia quem non potest absolvere, nec potest Judicio inferior potiorem ligare. Dist. XXI. *Cap.* 4. Minor in majorem potestatem exercere non debet. *Glossa.*

II. Inferior vel compar ante factum vel comparem, non annuente majori, absolvere non potest. Nic. I. *Ep.* 10. Tom. VIII. Conc. *pag.* 369. Satis absonum videtur ut filius potestatem habeat in parentem. *De Maj.* Cap. *Cùm inferior.* Lib. I. Decr. *Tit.* 33. Cap. 16.

III. Non habet imperium par in parem. *De Elect.* Cap. *Innotuit.* §. 1. *fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 20.

IV. Natura & ratio Judicii illud exposcit ut Sententia in subditos duntaxat feratur. *Concil.* Trid. Sess. XIV. *De Sacr. Pœnit.* Cap. 7. *init.*

V. Ex Scriptura & probabilium Patrum Doctrina, Sole clariùs exhibetur non posse quemquam, qui minoris autoritatis est, eum qui majoris potestatis est judiciis suis abdicere, aut propriis definitionibus subjugare. Dist. XXI. Cap. 4. *Inferior.*

VI. Quantæ Censuræ fræno inferiores quique à suis Præpositis judicandi coërcendique sunt, si hi nec etiam benedicendi jus ullum penitùs obtineant. Dist. XXI. Cap. 6. *Denique. fin.* Nicolaus I. *Epist. ad* Michaelem *Imperatorem ann.* 863.

VII. Sacris Canonibus præcipientibus, & exemplis Sanctorum Patrum, semper ubi est major autoritas, est eundum. Dist. XXI. Cap. 8. *Submittitur. post init.* Nicolaus *Ibid.* Major non potest à minore judicari. Caus. II. Quæst. VII. Cap. 4. *In Sancta.* Julius *in Decretis.* Statutum non habet vires extrà Territorium, sed restringitur ad limites territorii facientis Sratutum. *Glossa.* Sicut major non potest à mioori judicari, ita nec obligari.

VIII. Decessor Successoribus suis nullum potest præjudicium generare, pari imò eadem potestate functuris. *Cap.* 20. *De Elect.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6.

IX. Nec mandatum Superioris Successorem suum quomodolibet obligat, cùm non habeat imperium par in parem. *In 6. De Verb. signif* Cap. *Exiit.* §. 26. Qui sicut asseritur. Lib. V. *Tit.* 12. Cap. 3. *Paulò antè finem.* Idem habetur in *Cap.* 20. De *Electione.* §. *Quamvis.*

X. Extra territorium jus dicenti non paretur impunè. (*a*) *In 6. De Constitutionibus.* Cap. *Unanimarum.* §. 1. *fin.* Lib. I. *Tit.* 2. Cap. 2. *Vide* Caus. IX. Quæst. II. *Cap.* 1. (*a*) Id est, sine pœnâ, id est non parens ex eo non patitur. *Gloss.* verbo, *Impunè.*

SECTIO III.

Nullus debet præsumere quæ sibi non sunt concessa. Jurisdictio non extenditur præter Literas vi quarum conceditur.

I. Amputaro totius usurpationis excessu, nullus debet præsumere quæ sibi non videntur esse concessa. Caus. XXV. Quæst. II. Cap. 11. *Amputato.*

II. Cùm non invenitur à Jure concessum, Jurisdictio ad alium non devolvitur. *In 6. De Suppl. negl. Prælat.* Cap. *Romana. fin.* Lib. II. *Tit.* 8. Cap. 1.

III. Licet aliquis Delegati Jurisdictionem in se voluerit prorogare, tamen cùm in illum nullam Jurisdictionem habebat Delegatus, Jurisdictionis prorogatio nulla noscitur extitisse. *De Off. Deleg.* Cap. 8. & 9. Lib. I. Decr. *Tit.* 29. Cap. 40.

IV. Ille condemnat, qui & absolvit. Caus. XXIV. Quæst. I. *Cap.* 17.

Nullus usurpet quæ sibi non sunt concessa. *Glossa.*

Delegata Jurisdictio ad personas non expressas in Rescripto, etiam de ipsorum consensu, prorogari non potest.

Jurisdictio Delegata ad personas, de quibus in Rescripto non fit mentio, prorogari non potest. *Glossa.*

Delegata Jurisdictio ad alias personas extendi non potest. *Ibid. fin.*

V. Jurisdictio per generales Literas attributa, per speciales, quantùm ad ea quæ specialiter exprimuntur, penitùs enervatur, licet de prioribus non faciant mentionem. *De Rescriptis.* Cap. *Pastoralis.* §. 4. Lib. I. Decr. *Tit.* 3. Cap. 14.

VI. Donec Jurisdictio revocetur, eam super rerum vel personarum articulis exprimendis obtinet Delegatus: Sed antequàm exprimantur personæ vel res,

Delegatus nequit Jurisdictionem hujusmodi exercere. *De Rescriptis.* Cap. *Pastoralis.* §. 4. *fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 3. Cap. 14.

VII. Delegatus ante expressionem personatum vel rerum, Jurisdictionem habet in habitu, & non in actu. *Summa.* Talis est Sacerdos in Ordinatione suâ, cui datur potestas ligandi & solvendi, sed eam exercere non potest, donec illi aliqui committantur; habet Jurisdictionem, licet non habeat exercitium. *Glossa*, verbo, *Jurisdictionem.*

VIII. Majores à minoribus non judicantur. CAUS. VI. QUÆST. I. *Cap.* 2. HADRIANUS *in Capitulis.* Cap. 21. *ann.* 785. Cap. 5 *fin.*

IX. Censemus nullum alterius Judicis, nisi sui, sententiâ teneri. HADR. I. *Cap.* TOM. VI. CONCIL. *pag.* 1833. *ann* 785. *Conc.* MOGUNT. *ann.* 888. Cap. 14. TOM. IX. CONC. *p.* 408.

X. Judici, cui sicut Jurisdictio, sic & cætera sine quibus explicari causa non potest, intelliguntur esse commissa. *De Off. Deleg.* Cap. *Suspiciones.* §. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 29. Cap. 39.

XI. Illa omnia pertinent ad Jurisdictionem Judicis causæ principalis, sine quibus non potest exerceri, & si sint accessoria ad Causam principalem. *Glossa.*

SECTIO IV.

Jurisdictio Delegata cessat, vel revocatione Superioris; vel morte concedentis, re integra, id est, si Jurisdictione uti non cœperit; & quandò res integra dicatur?

I. Quidquid ab aliis factum fuit, postquàm Prædecessor ad Curiam suam idem negotium revocavit, irritum decernimus & inane. *Ut lite pendente.* Cap. *Ecclesia, ut secundo.* §. 2. LIB. II. DECR. *Tit.* 16. *Cap.* 4. Postquàm Superior revocat ad se negotium, quidquid fit posteà ab inferiori, non tenet.

II. Si quis, Jurisdictione à suo sibi Collegâ delegatâ, eo vivente uti non cœperit, non habet solus officium judicandi. *De Off. Deleg.* Cap. *Licet.* §. 2. LIB. I. DECR. *Tit.* 29. Cap. 30.

III. Mandatum hujusmodi re integrâ morte mandatoris expiravit. *Ibid.*

Jurisdictio Delegati re integra, morte mandantis expirat.

IV. Si verò ante mortem illius, Jurisdictione uti cœperit taliter demandata, vices illius poterit adimplere. *Ibid. fin.*

V. Citatione factâ negotium est quasi cœptum. *De Off. Deleg.* Cap. *Gratum.* §. 2. LIB. I. DECR. *Tit.* 29. *Cap.* 20. Et ita perpetuatur Jurisdictio Delegati. *Gloss.* Ideò dicit quasi cœptum, quia quantùm ad perpetuandam Jurisdictionem cœptum est negotium, quamvis quantùm ad alia non est cœptum. *Glossa*, verbo, *Quasi cœptum.*

VI. Officium quorumcumque Conservatorum ipso jure, quoad non cœpta negotia, per obitum concedentis volumus expirare. *In 6. De Off. Deleg.* Cap. *Hac constitutione.* §. 6. LIB. I. *Tit.* 14. Cap. 15.

VII. Poteris, delegante rebus humanis exempto, commissum tibi negotium, dùm tamen eo vivente Jurisdictione uti cœperis, liberè definire. *In 6. De Off. Deleg.* Cap. *Si Deleg.* LIB. I. *Tit.* 14. Cap. 7.

VIII. Sine consensu utriusque Partis, non licet Judici terminum prorogare aliquatenus præfixum à Delegatore. *De Off. Jud. Deleg.* Cap. *Consultationibus. fin. in init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 29. Cap. 10. *Vide* GONZAL. *ad* Cap. 4. *De Causis.* LIB. I. *eodem Tit.* 19.

IX. Jurisdictio Delegati Judicis expiravit, si causa possessionis & non proprietatis fuit commissa, si super possessione pronunciavit, quia semel functus suo officio, super quæstione proprietatis deinceps cognoscere non valet. *De Sequestratione.* Cap. *Ad hoc.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 17. Cap. 1.

SECTIO V.

Alias esse Causas Civiles, alias in quibus agitur de Crimine.

I. Diversæ sunt species Causarum. CAUS. XIV. QUÆST. II. Cap. *Super prudentiâ. init.* PASCHALIS II. *Archiepiscopo* VIENNENSI. *ann.* 1115.

II. Non in omnibus causis crimina agitantur. *Ibid.*

III. Sunt possessionum vel hujusmodi negotia. *Ibid.*

IV. Qui possessorium & petitorium intentat, debet proprietatem quoad aliquid, & possessionem quoad aliud, comprobare. *De Capellis Mon.* Cap. *Dilectus. init. & med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 37. *Cap.* 2. Si quæ causa vel fidei, vel criminis, vel pecuniaria. CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 52. *Frater.* §. 1. *fin.*

Neque pro Civili, neque pro Criminali Causa. CAUS. XI. QUÆST. I. Cap. 8. *Nullus Episcopus. init.*

In Causâ actâ, Confessiones & attestationes intelligi, inspici instrumenta, & allegationes indagari debent. *De Judiciis.* Cap. *Examinatâ. in int. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 1. Cap. 15.

Causæ favorabiles, putà matrimonium, libertas, dos, seu testamentum. *De Sent.* Cap. *Duobus.* LIB II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 26.

TITULUS II.

De Judicibus.

SECTIO I.

Officium Judicis est, justitiam cuique reddere, secundùm Leges judicare, & non ex animi affectu.

I. JUdex dictus quasi Jus dicens populo, sive quod jure disceptet; jure autem disceptare est justè judicare. Non est ergò Judex si non est in eo justitia. *De Verb. signif.* Cap. *Forus.* §. 1. *med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 40. *Cap.* 10. & CAUS. XXIII. QUÆST. II. Cap. 1. *Jussum.* §. 1. ISIDORUS *Etymologiarum.* LIB. XVIII. *Cap.* 1. circa annum 630.

Vide *Leges Ecclesiasticas* ALHEBRSOI *Regis ann.* 1012. Cap. ult. *De Off. Judicis.* TOM. IX. CONC. *p.* 808.

II. Bonus Judex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito voluntatis, sed juxtà Leges & jura pronunciat; statutis Juris obtemperat; non indulget propriæ voluntati; nihil paratum, & meditatum domo defert, sed sicut audit ita judicat, & sicut se habet negotii natura, decernit; obsequitur Legibus, non adversatur; examinat causæ merita, non mutat. *Ibid.* CAUS. III. QUÆST. VII. Cap. 4. *Judicis.* §. 15. AMBR.

III. Qui judicat non voluntati suæ obtemperare debet, sed tenere quod Legum est. *Ibid.* §. 2.

IV. Summoperè præcavere debent qui publica judicia exercent, ut in dictandis sententiis nullæ levitate aut furore ducti, sint præcipites, sed causis priùs diligenter ventilatis, cùm res quæ ignorabatur, pleniter ad notitiam venerit, tunc Divina & Humana Lex revolvatur, & tunc secundùm quod ibi constitutum est, remotâ personarum acceptione, definitiva proferatur Sententia. CAUS XI. QUÆST. III. Cap. 70. *Summoperè. init.* Ex dictis GREG. fortè circa *ann.* 590. Caveant Ecclesiastici Judices &c. *In 6. De re Jud.* Cap. 1. LIB. II. *Tit.* 14.

V. Judices secundùm Leges, seu secundùm Consuetudinem suæ Civitatis, judicare jurant. *De Jurejur.* Cap. *Venientes.* §. 2. LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 19.

VI. Judicet ille qui ad pronuntiandum, nullo odio, nulla offensione, nulla levitate, ducatur. CAUS. III. QUÆST. VII. Cap. 4. *Judicet.* S. AMBR. *Serm.* 20. *Sup. Psalm. Beati immaculati*, ad verbum, *Miserationes sua.*

VII. Quatuor modis pervertitur humanum judicium; Timore, dum metu potestatis alicujus veritatem loqui pertimescimus; cupiditate, dùm præmio animum alicujus

alicujus corrumpimus; Odio, dùm contrà quemlibet adversarium molimur; Amore, dùm amico vel propinquo complacere contendimus. Caus. XI. Quæst. III. Cap. 78. *Quatuor.*

VIII. Quicumque aut consanguinitate aut amicitia, & è contrario vel hostili odio, vel inimicitiis, in judicando ducitur, pervertit judicium Christi qui est justitia, & fructum illius vertit in amaritudinem. Caus. XI. Quæst. II. Cap. 79. *Quicumque.* S. Hieron. *in Amos. Cap. 6.* Ad illud, *Quoniam convertistis*, circa *ann.* 408.

IX. Summum in rebus bonum est justitiam colere, ac sua cuique jura servare, & in subjectos non sinere quod potestatis est fieri, sed quod æquum est custodiri. Caus. XII. Quæst. II. Cap. 9. *Si Sæculi Leges. post init.* Greg. I. *fortè ann.* 598.

X. Nequaquàm rectè subditos judicat qui non seipsum prius justitiæ Censurâ castigat. *Conc.* Tolet. IX. *ann.* 655. *Præf.* Tom. VI. Conc. *p.* 452. Vide *Ibid. Cætera.*

XI. Parùm esset jura condere, nisi qui ea tueatur existat. Extravag. Commun. *Frequenter. De Judic.* Lib. II. Extrav.

XII. Et lis ante Judicem debet ventilari, & causa per Judicem definiri. *De Off. Deleg.* Cap. *Super Quæstionum.* §. 2. *fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 29. *Cap.* 17. Is cui committitur litis contestatio, & Causæ decisio, Judex est. *Glossa*, verbo, *Per Judicem.*

XIII. Per totam Divinæ Scripturæ seriem plùs Judicibus præcipitur judicare justitiam, quàm populis suis objectare negotia &c. *Conc.* Tolet. XV. *fin. ann.* 688. Tom. VI. Conc. *p.* 1306. Legibus Canonibusque designata justitia. *Ibid. fin.*

XIV. *Conc* Calcutense. *an.* 787. Cap. 13. Tom. VI. Conc. *p.* 1868. Cæteris Judicibus vetat acceptionem personarum, frequentem injustitiæ fontem. Joan. VIII. *Epist.* 152. Tom. IX. Conc. *p.* 102.

XV. Est injusta misericordia. Caus. XXIII. Quæst. IV. Cap. 33. *med.* Recensens multa exempla injustæ misericordiæ, meminit illius quâ nocens &c. persistens in voluntate nocendi, absolveretur propter lacrimas filiorum & uxoris, hæcque inter alia habet: *Nonne innocentes tradit exitio, qui liberat multorum exitia cogitantem?*

XVI. Ad hoc locorum gradus rationis ordo distinxit, & judicia esse constituit, ut nec præpositi in opprimendos se frustrà valeant occupare subjectos, nec subjectis iterùm contra suos Præpositos effrænata sit resultandi licentia. Caus. XVI. Quæst. I. Cap. 63. *Ad hoc. init.* Greg. I. Lib. VII. *Epist.* 8. *ann.* 597.

XVII. Non possunt esse Judices & Actores. *De Concess. Præb.* Cap. *Post electionem. versùs fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 8. Cap. 7.

XVIII. Judex ita procedat quod amorem aliquem, aut commodum temporale nequaquam præponere Justitiæ videatur. *Cap.* 1. *in initio. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 18. Cap. 1. *Prout est in* Gonzalez.

XIX. Qui pro acceptione munerum justitiam facit, Diabolum imitatur, & justitiam vendit quæ Christus est, & similis est Judæ. *Epistola Synodalis Conc.* Tullens. II. *ann.* 860. Tom. VIII. Conc. *p.* 715.

XX. Judicare de subditis dignè nequeunt, qui in subditorum causis sua vel odia vel gratiam sequuntur. Caus. XI. Quæst. III. Cap. 61. Greg. I. *Hom.* 26. *in Evang. circà ann.* 593.

SECTIO II.

Causæ duntaxat Spirituales & Ecclesiasticæ pertinent ad Forum Ecclesiasticum.

I. Causæ, ratione personarum vel rerum, ad Ecclesiasticum Forum pertinent. *De Verborum significatione.* Cap. *Super.* §. ult. Lib. V. Decr. *Tit.* 40. Cap. 25.

Sub Sæcularis Domini judicio, de hæreditate causa vertitur. *Qui filii sint.* Cap. *Lator.* §. 2. Lib. IV. Decr. *Tit.* 17. Cap. 5. Vide *Epistolam* Servii *Tom. III. Tract. De Judiciis.* *Papæ. ann.* 844. *ad Episcopos Transalpinos.* Tom. VIII. Conc. *p.* 1799. ubi fusè de causis ad Forum Ecclesiasticum pertinentibus, recensendo illas quæ Vicarium Apostolicum in partibus residentem contingunt. Vide *Epistolam* S. Thomæ Cantuariensis. Tom. X. Conc. *p.* 1209. *Responsum* Alex. III. aliasque Epistolas sequentes, quibus decernuntur irritæ consuetudines Anglicanæ Jurisdictionem Ecclesiasticam imminentes. Et *Epist.* 10. Alex. III. *p.* 1196. ubi de eadem re, ubi, ut illic, plura damnantur quæ nunc multis in locis usu recepta vigent, annuente Pontifice illa non iniqua esse.

Ad Judicem Ecclesiasticum, cùm agitur de re Ecclesiastica & Spirituali, cognitio pertinet. *In* 6. *De Sententia Excommun.* Cap. *Si Judex. post init.* Lib. V. *Tit.* 11. Cap. 12.

II. Pro quæstione nativitatis non dimittat, quin eam super hæreditate audiat & decidat. *Cap.* 5. *Qui filii legitimi. fin.*

Nihil de Civili Fori judicio, cujus cognitores non debemus esse Episcopi. Hincmarus *in Epistola nomine Conc.* Tullens. II. *ann.* 860. Tom. VIII. Conc. *p.* 718. Vide *Conc.* Agilent. *an.* 948. Cap. 9. Tom. IX. Conc. *p.* 625.

III. Ecclesia ut protectrix personarum miserabilium, aliis injustitiam facere non debet, cognoscendo de hæreditate in præjudicium Judicis Sæcularis. *De Foro Competenti.* Cap. *Ex tenore.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 11. Cap. 11.

Nemini licet super rebus Spiritualibus ad Sæcularem Judicem appellare. *Append. Conc.* Later. III. *Part.* 10. Cap. 26. *med.*

IV. Nisi sit talis causa quæ ad Ecclesiasticum pertinere noscatur, ei supersedere curet. *Ibid. Epist.* 19. Alexandri III. *Append.* 12. Tom. X. Conc. *p* 1260.

V. Si quando à Laïcis Literas super rebus præcipuè quæ Forum Sæculare contingunt, à Sede Apostolicâ contigerit impetrari; sublato appellationis obstaculo, Judex Ecclesiasticus decernat, Autoritate Apostolica, irritas & inanes. *De Foro Compet.* Cap. *Licet.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 2. Cap. 10.

Laicus Laïcum super re Civili coràm Judice Ecclesiastico convenire non potest.

Regi possessionum judicium relinquendum. *Qui filii sint legitimi.* Cap. *Causam. in initio. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit* 17. Cap. 7. *in init.*

VI. Actor Forum Rei sequi debet. *Ibid. De Foro compet.* Cap. *Si Clericus. fin.* Lib. II. Decr. *T.* 2. Cap. 5.

In actionibus personalibus Clericus coràm Episcopo citari potest.

VII. Si Clericus Laïcum de rebus suis, vel Ecclesiæ impetierit, & Laïcus res ipsas non Ecclesiæ aut Clerici, sed suas proprias asseverat; debet de rigore Juris ad Forensem Judicem trahi. *Ibid init.*

Si quis Clericus adversus Clericum negotium habeat, non deserat Episcopum proprium, sed priùs apud ipsum actio ventiletur. *De Foro compet.* Cap. *Si quis.* Lib. II. Decr. *Tit.* 2. *Cap.* 1. Restringendum ad causas personales, vel reales Spirituales, ubi de possessione non agitur, in Galliâ.

Laicus à quo Clericus vel Ecclesiasticam rem vendicat, debet coram Judice Laico conveniri. *Glossa.*

VIII. In omni causa quæ ratione personarum, vel rerum, ad Ecclesiasticum Forum pertinet, teneris in Judicio Ecclesiastico videre. *De Verborum signif.* Cap. *Super quibusdam.* §. ult. Lib. V. Decr. *Tit.* 40. Cap. 26.

IX. Si constiterit Archidiaconum in Foro Sæculari deposuisse contrà Episcopum super rebus Spiritualibus *De Excessibus Prælatorum.* Cap. *Gravem.* §. 1. *med.* Lib. V. Decr. *Tit.* 31. Cap. 55.

Si quis Clericorum Religionis negotia vel Spirituales causas Ecclesiæ ad Sæcularia patrocinia, relictâ Synodo, transire præsumpserit, Excommunicatione omnium ac detestatione dignus habeatur. *Conc.* Arelat. II. *ann.* 452. *Can.* 31. Tom. IV. *p.* 1014.

Punitur Clericus qui trahit Prælatum suum in Foro Sæculari pro re Spirituali. *Glossa.*

X. Te oportet irreprehensibiliter vivere, & summo studio niti, ut omnes vitæ hujus occupationes abjicias; neque enim Judicem aut Cognitorem sæcularium negotiorum, hodie te ordinare volumus; ne præfocatus præsentibus hujusmodi curis, non possis verbo Dei vacare, & secundùm veritatis regulam secernere bonos à malis. CAUS. XI. QUÆST. I. Cap. 29. *Te quidem. init. Ex* CLEMENTIS I. *Epist. supposititia.*

Si causa inter Clericos orta fuerit, ne invito Episcopo ad Sæculares Judices deferatur, sed Episcoporum Judicio terminetur. *Ibid.*

XI. Episcopus nullo Jure pecuniariis in causis Episcopali condemnatur sententiâ. CAUS. XVI. QUÆST. I, Cap. 52. *Frater.* §. 1. *init.*

SECTIO III.

Nullus de Regno Franciæ potest extrà illud trahi ad judicium, virtute cujuscumque Rescripti, sed causa debet in ipsis Franciæ partibus terminari, exceptis Majoribus usu probatis.

I. Nullus Prælatus vel alia persona Ecclesiastica, Sæcularis, vel Regularis, intra Regnum Franciæ consistens, aliquem vel aliquos Clericos vel Laicos coràm aliquo Conservatore per Sedem Apostolicam autoritate Literarum Sedis ejusdem deputato vel deputando, seu ejus Commissario, quacumque occasione vel causâ, ad judicium extrà Regnum prædictum trahere præsumat. *Bulla* URBANI V. *Ad audientiam. med. Probationum Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ.* Cap. 9. *Art.* 1. *p.* 102. & 103.

URBANUS V. 6. Idus Maji, Pontificatûs anno 5. id est, anno 1367.

Causæ omnes ad Forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi Beneficiales sint, in primâ instantiâ coram Ordinariis locorum duntaxat cognoscantur; ab his excipiantur causæ quæ juxtà Canonicas Sanctiones apud Sedem Apostolicam sunt tractandæ. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Ref.* Cap. 20.

II. Dicti Conservatores contrà Constitutionem & Ordinationem hujusmodi contrà aliquos procedere, aut in aliquos vel aliquem Excommunicationis, Suspensionis, vel Interdicti sententias promulgare non valeant nec præsumant; nos enim, ex nunc prout ex tunc, omnes processus & sententias hujusmodi, quæ contrà Ordinationem novam prædictam fieri contigerit, irritos decernimus & inanes, Constitutionibus, Privilegiis & Literis Apostolicis, cujuscumque tenoris existant, non obstantibus quibuscumque. *Ibid. fin.*

Propter multam locorum distantiam non potest ad Sedem Apostolicam sine magnis laboribus & expensis sæpiùs haberi recursus. *De in integr. Restit.* Cap. *Tum ex Literis.* §. 2. *fin.* LIB. I. DECR. TIT. 41. Cap. 5.

III. Ut omnia ordine congruo peragantur ad salutem animarum, ac pacem & quietem cunctorum, statutum & decretum est, quod in partibus ultrà quatuor Diætas à Romana Curia distantibus, omnes quæcumque causæ, exceptis Majoribus in Jure expressè enumeratis, apud illos Judices in partibus, qui de Jure aut de Consuetudine præscripta vel Privilegio cognitionem habent, terminentur & finiantur. PRAGMATICA SANCTION. *Tit.* 5. *De causis.* §. 2.

Non opotret ut degradetur vel inhonoretur unaquæque Provincia, sed apud semetipsam habeat Judices, Sacerdotes & Episcopos singulos, videlicet secundùm Ordines suos; & quicumque causam habuerit à suis Judicibus judicari, & non ab alienis, id est à suæ justis Judicibus Provinciæ, & non ab extraneis, nisi à judicandis fuerit appellatum. CAUS. VI. QUÆST. III. Cap. 2. *Scitote. fin.*

IV. Visum fuit dictæ Congregationi, quod si Romanam Curiam residere contingat citrà montes, quod tunc in partibus ultrà duas diætas à Curia distantibus, omnes Causæ Ecclesiasticæ habeant tractari coràm illis Judicibus, quibus de Jure aut Consuetudine vel privilegio competit cognitio & definitio earum, exceptis causis quæ continentur in Decreto. *Ibid.* §. 9.

V. Statutum & ordinatum est quod in Regno, Delphinatu, & Comitatu prædictis, omnes & singulæ Causæ, exceptis majoribus in Jure expressè denominatis, apud illos Judices in partibus, qui de Jure aut Consuetudine præscripta vel privilegio illarum cognitionem habent, terminari & finiri debeant. CONCORDATA. *De causis. Tit.* 10.

PALAGIUS *Papa* II. *Epist.* 1. *ann.* 580. quæ cum supposititia sit eruditis omnibus pauci facienda.

SECTIO IV.

Nullam causam, omisso medio, ad Papam deferri posse, qui Judices non nisi in partibus assignabit.

I. Confunditur exindè Ecclesiasticus ordo, dum Ordinariis Judicibus sua Jurisdictio minimè servatur. PRAGMAT. SANCTIO. *Tit.* 5. *De Causis.* §. 10.

Non liceat cuiquam, relictis his Sacerdotibus qui in eadem Provincia Dei Ecclesias nutu Divino gubernant, ad alias convolare Provincias, vel aliarum Provinciarum Episcoporum Judicia expetere, vel pati. CAUS. III. QUÆST. VI. Cap. 14. INNOCENTIUS I. *Epistola* 2. *ad Victricium Rothomagens.* Cap. 3. *ann.* 404.

II. Statutum est quod si quis offensus coram suo Judice habere non possit justitiæ complementum, ad immediatum Superiorem per appellationem recursum habeat, & sicut prudentissimè justissimèquo Nicæna sive Africana Decreta definierunt, quæcumque negotia in suis locis ubi orta fuerint finienda. ADRIANUS I. *In Capitulis.* Cap. 12. *ann.* 785. TOM. VI. CONC. *p.* 1833.

III. Nec ad quemcumque causam ad Papam omisso medio. PRAGM. SANCT. *Tit.* 5. *De Causis.* §. 5.

IV. Si verò quispiam Sedi Apostolicæ immediatè subjectus, ad ipsam Sedem duxerit appellandum, causa per Rescriptum usque ad finem litis inclusivè committatur in partibus. *Ibid.*

V. Quidquid in contrarium hujus saluberrimi Decreti attentatum, factum, vel obtentum fuerit, sit nullum ipso facto; litigantes qui contra fecerint in expensis condemnentur. *Ibidem.* §. 6.

VI. Item placet æquitas dicti Decreti quod ad neminem, etiam ad Papam, possit, omisso medio, de cætero appellari; & quod si quis offensus non possit coram suo Judice habere justitiæ complementum, quod tunc possit per appellationem ad immediatum Superiorem dicti sui Judicis habere recursum; ita quod, si Papa sit immediatus Superior dicti Judicis, quod causa committatur in partibus non suspecto vel suspectis. *Ibid.* §. 10.

Si quis nec Metropolitanum habuit, nec Patriarcham; dicendum est quia à Sede Apostolica, quæ omnium Ecclesiarum Caput est, causa audienda ac dirimenda est. CAUS. II. QUÆST. I. Cap. 7. *In primis.* §. 4. *Constit. init.* GREGOR. I. JOANNI *Defensori.* LIB. II. *Epist.* 5. *ann.* 603.

VII. Appellare non licet ad alium quàm ad immediatum Superiorem, ut præfertur; ita quod si ille immediatus Superior sit ipse Papa, quod causa ipsa committatur non suspecto vel non suspectis, vel in partibus. PRAGM. SANCT. *loco suprà citato.*

VIII. Si quis offensus coram suo Judice justitiæ complementum habere non possit, ad immediatum Superio-

ſuperiorem per appellationem recurſum habeat; nec ad aliquem Superiorem, putà ad Sedem Apoſtolicam, omiſſo medio, quomodolibet appelletur. Concordata. *Tit.* 10. *De frivolis Appellationibus.* *§.* 1. *med.*

IX. Non niſi ad immediatum Superiorem liceat appellari. *Ibid. fin.*

X. Si quis verò immediatè ſubjectus Sedi Apoſtolicæ, ad eamdem Sedem duxerit appellandum, cauſa committatur in partibus per Reſcriptum; proceſſus autem contra præmiſſa attentatos nullos & irritos eſſe volumus, ac Reſcripta contra præmiſſa impetrantes in expenſis, damnis, intereſſe, condemnari debere decernimus atque declaramus. Concordata. *Ibid.* *§.* 2. *De frivolis Appellationibus.*

Perſonis quæ qualitates habeant juxta Conſtitutionem Bonifac. VIII. quæ incipit, *Statutum*, Cauſæ Eccleſiaſticæ ac Spirituales & ad forum Eccleſiaſticum pertinentes in partibus delegandæ committantur. *Concil.* Tridentin. Sess. XXV. *De Reformatione.* Cap. 10.

SECTIO V.

Non licet appellare, neque à duabus interlocutoriis conformibus, neque à tertia Definitiva conformi.

I. Ut calumniis litigantium occurratur, is qui in quavis cauſâ tres contra ſe in petitorio vel poſſeſſorio ſententias reportavit, ad agendum de nullitate ipſarum vel alicujus ex eis nullatenùs admittatur, donec hujuſmodi ſententiæ plenariæ fuerint executioni mandatæ. Clement. I. *De Sentent. init.* Lib. II. Clement. *Tit.* 11. Cap. 1.

II. Si antè ſententiam quis appellaverit, cogitur illius ſtare judicio ad quod noſcitur appellaſſe. *De Appellatione*, Cap. *Cùm ſit.* *§.* 2. Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 5.

Secundùm jura alicui licet in eadem cauſa bis appellare. *De Appellat.* Cap. *Directæ.* *§.* 1. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 39.

III. Ut lites citiùs terminentur, ſuper eodem gravamine, aut ſuper eadem interlocutoria vim definitivæ non habente, nullatenùs liceat ſecundò appellare. Pragm. Sanct. *Tit.* 6. *De frivolis Appellationibus.*

IV. Similiter, ſi ille contra quem tres ſententiæ definitivæ latæ fuerint, ab interlocutoria vel gravamine antè prolationem ipſarum, vel earum alicujus, ſe appellaſſe, & cauſam Appellationis hujuſmodi adhuc pendere proponat, ſententiarum prædictarum executionem tali prætextu nolumus impediri. *Ibid.* *§.* 1. Qui tres ſententias extraordinarias in quavis cauſa reportavit, de illarum nullitate non agit nec excipit, illarum executione non facta. *Gloſſa*; verbo, *Ut calumniis.*

V. Ab interlocutoriis bis; à definitivis ter provocare non licere decernimus; ſed volumus ſecundam ſententiam interlocutoriam conformem, & tertiam definitivam etiam conformem, omni morâ ceſſante, executioni debitæ demandari debere, quâcumque Appellatione interpoſita non obſtante. Concordat. *Tit.* 11. *De frivolis Appellat.* *§.* 4.

Si quis in quacumque lite iterùm provocaverit, non liceat ei tertiò, in lite eadem ſuper eiſdem Capitulis, provocationis uti remedio. Caus. II. Quæst. VI. *Cap.* 39.

VI. Cauſa committatur in partibus per Reſcriptum uſque ad tertiam ſententiam conformem incluſivè, ſi ab illis appellari contigerit; niſi propter defectum denegatæ juſtitiæ, aut juſtum metum: & tunc committi debeat in partibus convicinis, & cum cauſarum expreſſione quæ etiam de illis legitimè & aliàs quàm per juramentum coram Judicibus à Sede Apoſtolica deputandis conſtare debeat. Concordat. *Tit.* 11. *De frivolis Appellat.* *§.* 2.

Tertiò non eſt appellandum à definitiva ſententia: *Gloſſa.*

Pars quæ ſemel & iterùm appellavit non poteſt de jure tertiò appellare. *De Appellatione.* Cap. *Suâ nobis.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 65.

Cùm Judex Ordinarius definitivam pro aliquo ſententiam promulgavit, quæ bis fuit per Judices confirmata, ſed pars altera quæ ſemel & iterùm appellaverat, tertiò vocem Appellationis ad Sedem Apoſtolicam emittat, Judices Delegati in negotio ipſo nequaquàm procedere attentent. *De Appellatione.* Cap. *Sua.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 65.

SECTIO VI.

Sunt Judices Ordinarii; Delegati, Arbitrarii: Singuli debent providere ut cauſæ rectè instituantur.

I. Judices Ordinarii Adminiſtrationem habentes. *De in integrum reſtitutione.* Cap. *Cauſa. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 41. Cap. 9. *init.*

Sicut eſt Epiſcopis poteſtas; et hujuſmodi, & alii etiam Ordinarii contentioſam Juriſdictionem habentes, qui præſunt alicui, ut iſti qui habent Adminiſtrationem cum Juriſdictione. *Gloſſa*, verbo, *Habentes.*

II. Delegati, ab Ordinariis qui Adminiſtrationem non habent, ſive hoc ipſis Delegatis ſpecialiter demandatum fuerit, ſive in commiſſo eis negotio contingat incidere. *Ibid.*

Fœminas non debere judicare. Indecens eſt, & etiam inter Barbaras Gentes reprehenſibile, mulieres virorum cauſas diſcutere. *Concil.* Nannet. *ann. incerto.* ſæculi IX. ad minùs. *Can.* 19. Tom. IX. Conc. *p.* 473. aliiſque Monumentis. Idem *ibid.* probatur; ut patet ex ſequentibus Extractis.

Divinæ Leges hoc contradicunt, & Humanæ nihilominùs id ipſum prohibent, ut fœminæ nihil aliud proſequantur in publico quàm ſuam cauſam. *Ibid.* Ait Lex Theodoſiana: Nulla ratione fœminæ ampliùs quàm ſuas cauſas agendi habeant poteſtatem, nec alicujus cauſam à ſe noverint proſequendam. *Ibid.*

III. Arbitri in quos extitit compromiſſum. *De Arbitris.* Cap. *Cùm Dilectus. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 43. Cap. 6.

IV. Admonet Sancta Synodus Tridentina tàm Ordinarios quàm alios quoſcumque Judices, ut terminandis cauſis, quantâ fieri poterit brevitate, ſtudeant, ac litigatorum artibus ſe in litis conteſtatione ſeu alia parte judicii differenda, modis omnibus, termini præfixione, aut competenti aliâ ratione, occurrant. *Concil.* Trid. Sess. XXV. Decr. II. *De Reform.* Cap. 10. *fin.*

V. Provideant attentiùs Judices, ne ita ſubtiliter, ſicut à multis fieri ſolet, cujuſmodi actio omninò intentetur, inquirant; ſed ſimpliciter & purè factum ipſum & rei veritatem, ſecundùm formam Canonum & Sanctorum Patrum inſtituta, inveſtigare curent. *De Judiciis.* Cap. *Dilecti.* *§.* 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 1. Cap. 6.

Juſtitiam non negabit Judex ei qui eam duxerit poſtulandam. *De Majorit.* Cap. *Inter quatuor.* *§.* 3. *fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 33. Cap. 8.

VI. Provideat Judex inter cætera ut Fratres Monaſterii cujus Epiſcopus loci Abbas eſt, cum autoritate & aſſenſu Epiſcopi ſui, ingrediantur negotium, ne ſi Partes Adverſæ obtineant, Epiſcopus idem Abbatem Monaſterii ſe proponens, litem ſopitam valeat ſuſcitare. *De Judiciis.* Cap. *Cauſam.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 1. Cap. 9.

Judex ex officio providere debet ut debitæ ſolemnitates ſerventur in judicio, quibus omiſſis judicium redderetur fruſtratorium.

Judex providere debet an persona quæ agit vel defendit, sit legitima. *Glossa.*

Judex debet habere personam publicam quæ scribat Acta judicii. *De Probat.* Cap. 11.

VII. Statutum est ut tàm in ordinario judicio, quàm extraordinario, quia Judex semper adhibeat publicam personam quæ fideliter universa judicii acta conscribat, & omnia sic conscripta Partibus tribuantur; ita quod originalia penes Scriptorem remaneant, ut si super processum Judicis fuerit suborta contentio, per hoc possit veritas declarari; quatenùs hoc adhibito moderamine sic honestis & disertis deferatur Judicibus, quod per improvidos & iniquos innocentium justitia non lædatur. *De Probationibus.* Cap. *Quoniam.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 11.

VIII. Statuit Generale Concilium, ut à Judicibus adhibeatur persona publica, vel duo viri idonei, qui Acta conscribant. EXTRAVAG. *Debent.* §. 1. *Post init. De Officio Judicis Ordinarii.* LIB. I. EXTRAVAG. COM. *Tit.* 7. Cap. 1.

IX. Judicans cuncta rimatur, discutit, Leges casibus applicat, Canonum Decreta secernit. *Extrav.* JOANN. XXII. *Quorumdam. De Verb. Signif.* §. 2. *fin. Extravag.* JOANN. XXII. *Tit.* 14. Cap. 1.

X. Judicantem oportet cuncta rimari; & ordinem rerum plena inquisitione discutere, interrogandi, respondendi, objiciendique præbitâ patientia ab eo, ut ibi actio ambarum Partium illuminata sit pleniter; nec litigantibus Judex priùs velit sua sententiâ obviare, nisi quando ipsi, jam peractis omnibus, nihil habeant in quæstione quod proponant, & tamdiù actio ventiletur, quousque ad rei veritatem perveniatur. Frequenter interrogare oportet, ne aliquid prætermissum fortè remaneat, quod annecti conveniat. CAUS. XXX. QUÆST. V. *Cap.* 11. *Judicantem.*

CONSTANTINUS LIB. I. *Cod. Theodor. De Judiciis, ann.* 321.

Dicitur quod Judex debet cognoscere per se ipsum in principio, in medio, & in fine; cùm antequàm ferat sententiam, universa quæ acta sunt in judicio, investigare debeat diligenter. *De Officio Delegati.* Cap. *Super quæ.* §. 3. *fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 21. Cap. 27.

Judex ex officio suo interrogare potest Partes, ubicumque dubitat de facto, usque ad sententiam. *Glossa.*

XI. Judex usque ad prolationem sententiæ, debet universa rimari. *De fide Instrumentorum.* Cap. *Cùm* JOANN. §. 4. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 10.

XII. Judex potest interrogare de facto, quoties dubitationis aliquid occurrit. *Ibid.*

XIII. Invenimus Judicem circumventum, cùm causam non recepit sufficienter instructam. *De Sententia.* Cap. *Cùm* BERTNOLD, §. 1. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 18.

SECTIO VII.

Debet Judex ex firmis fundamentis judicium seu sententiam formare.

I. Circumspectus Judex atque discretus, motum animi sui, ex argumentis & testimoniis quæ rei aptiora esse comperit, confirmabit. *De Testibus.* Cap. *Prætereà. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 27.

Judicis animus non semper ad unam probationis speciem inclinatur. *De Sententia.* Cap. *Causam.* §. 2. *med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 14.

Judex non debet se applicare ad unam speciem probationis. *Glossa.*

II. Judex non semper ad unam probationis speciem applicat mentem suam, sed ex confessionibus, depositionibus, allegationibus, & aliis quæ in ejus præsentia proponuntur, format animi sui motum. *De Renunciatione.* Cap. *In præsentia.* §. 1. *init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 9. Cap. 6.

Grave satis est & indecens ut in re dubia certa detur sententia. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 74. *Grave.*

III. Judex in negotio ipso ratione prævia procedat. *De Officio Judicis.* Cap. *Ex Literis.* §. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 32. Cap. 1.

IV. Quamvis vera sint quædam, non tamen sunt Judici credenda, nisi certis indiciis demonstrentur. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 75. *Quamvis.* S. AUGUST. LIB. *De Pœnitentia.* Cap. 5.

V. Incerta nemo judicare præsumat; & quamvis vera sint, tamen credenda non sunt, nisi quæ certis indiciis comprobantur, nisi quæ manifesto judicio convincuntur, nisi quæ judiciario ordine publicantur. CAUS. III. QUÆST. V. *Cap.* 9. §. *His ita Respondetur.*

SIXTUS *Papa, Epistola* 2. VICTOR *Papa, Epistola* 1. Cap. 1. *Ibidem.*

SECTIO VIII.

Sunt in Ecclesia Judices Ordinarii, Episcopi, Prælati, & Plebani aliqui, qui omnes justè judicare debent.

I. Habeant Episcopi singularum urbium, in suis Diœcesibus liberam potestatem adulteria & scelera inquirere, ulcisci, & judicare, secundùm quod Canones censent, absque impedimento alicujus. *De Officio Judicis Ordinarii.* Cap. *Perniciosam.* §. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 31. Cap. 1.

II. Ab Ecclesiarum Prælatis Ecclesiastica sententia in malefactores promulgatur. *De Officio Judicis Ordinarii.* Cap. *Cùm ob Ecclesiam. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. Cap. 1.

III. Si quando Plebanus in Clericos vel Laïcos Parochianos suos Interdicti vel Excommunicationis sententiam rationabiliter tulerit, debet observari. *Ibid.* §. 1.

Plebani aliqui habent Jurisdictionem excommunicandi. *Glossa.*

IV. Episcopi, Abbates, Archiepiscopi, & alii Ecclesiarum Prælati, de negotiis Ecclesiasticis, maximè de illis quæ spiritualia esse noscuntur, Laïcorum judicio non disponant. *De Judiciis.* Cap. *Decernimus.* LIB. II. DECR. *Tit.* 1. Cap. 3.

Omnes Ecclesiarum Prælatos esse Judices Ordinarios. *Glossa*, verbo, *Ecclesiarum Prælati.*

V. Nec propter Laïcorum prohibitionem, Ecclesiasticam dimittant justitiam exercere. *Ibid. fin.*

Discordantes Clericos Episcopus ratione vel potestate ad concordiam trahat. DIST. XC. *Cap.* 1. *Discordantes. Ex Concil.* CARTHAGIN. IV. Cap. 59. *ann.* 398.

SECTIO IX.

Ecclesiasticos Judices secundùm Juris Ordinem debere procedere.

I. Episcopus in causis Ecclesiasticis subjectorum suorum, postquàm ei de meritis earum constiterit, sententiam proferre valeat, sicut ordo postulat rationis, consuetudine qualibet non obstante. *De Consuetudine.* Cap. *Ad nostram.* §. 1. LIB. I. DECR. *Tit* 4. Cap. 3.

II. Cùm æterni Tribunal Judicis illum Reum non habeat quem injustè Judex condemnat, testante Propheta, *Nec damnabit eum, cùm judicabitur illi*: Caveant Ecclesiastici Judices, & prudenter attendant, ut in causarum processibus, nihil vindictæ odium, vel favor usurpet, timor exulet, præmium aut expectatio præmii justitiam non evertat, sed stateram gestent in manibus, lances appendant æquo libramine, ut in omnibus quæ in causis agenda fuerint,

fuerint, præsertim in concipiendis sententiis & proferendis, præ oculis habeant solum Deum; illius imitantes exemplum, qui querelas populi tabernaculum ingressus ad Dominum referebat, ut secundùm ejus imperium judicaret. *In 6. De Sententia &c.* Cap. *Cùm æterni. init.* Lib. II. *Tit.* 14. Cap. 1.

III. Si quis autem Judex Ecclesiasticus, Ordinarius aut etiam Delegatus, famæ suæ prodigus, & proprii persecutor honoris, contrà conscientiam & contrà justitiam, in gravamen Partis alterius, in judicio quicquam fecerit per gratiam, vel per sordes, ab executione Officii per annum noverit se suspensum, ad æstimationem litis Parti quam læserit nihilominùs condemnandus. *Ibid. in. 6. De Sententia.* Cap. *Cùm æterni.* §. 1. Lib. II. *Tit.* 14. Cap. 1.

Judex qui contrà justitiam & contrà conscientiam aliquid in judicio fecerit, in gravamen Partis, per gratiam, vel per sordes, condemnandus est Parti læsæ in æstimationem litis, & per annum suspensus. *Glossa*, verbo, *Cùm æterni*. Sex sunt quæ requiruntur ut Judex incurrat hanc pœnam. 1°. Quod contrà conscientiam. 2°. Quod contrà justitiam; 3°. Quod sciat quod malè judicet, quod in gravamen Partis. 4°. Quod in judicio. 5. Quod per gratiam, id est, preces, vel favore, vel odio; vel per sordes, id est per pecuniam. 6. Quod ipse gravet Partem in faciendo, non in negligendo. *Glossa*.

IV. Caveat omnino Judex ne voluntate perversâ, in alterius præjudicium mentiatur errorem, si districtionis Canonicæ vult effugere ultionem. *De Sententia Excommunicationis.* Cap. *Sacro.* §. 2. *fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 48.

SECTIO X.

Judicem Delegatum vices gerere Delegantis. Illum qui à Sede Apostolica delegatur, majorem esse quocumque alio Judice Ordinario & Legato.

I. Judex à Romano Pontifice delegatus vices illius gerit; undè in causa illa superior est & major illis quorum causam suscepit terminandam. *De Officio Delegati.* Cap. *Sanè.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 29. Cap. 11. Delegatus vices gerit Delegantis. *Glossa*.

II. Major est illis quorum causam suscepit terminandam. *Glossa*. Gregorius I. *ad Episcopos Siciliæ.* Lib. I. *Epistola* 1. anno 590.

III. Ex quo causa committitur alicui, omnia commissa intelliguntur sine quibus causa competere non potest, & sic extenditur Jurisdictio ad omnia accessoria. *Glossa*.

IV. Delegatus eamdem habet Jurisdictionem in accessorio quàm in principali. *Glossa*.

V. Uni personæ Romanus Pontifex omnia committit, ut ubi præsens esse non potest, sua, per eum cui præcipit, repræsentetur autoritas. Dist. XLIV. *Cap.* 1. *Valdè.*

VI. Delegato qui Reum, propter contumaciam manifestam, Excommunicationis vinculo innodavit, rebus humanis exempto; excommunicatus ab hujusmodi Delegato sine mandato Summi Pontificis, non potest per alium, præterquàm in mortis articulo, Absolutionis gratiam obtinere, nisi forsan Delegatus talis extiterit cui alius succedat in onere & honore. *De Officio Jud. Ord.* Cap. *Pastoralis.* §. 3. Lib. I. Decr. *Tit.* 29. Cap. 11.

VII. Qui aliquid de mandato faciunt Prælatorum, non ipsi, sed illi quorum autoritate id faciunt, facere videntur. *De Sententia Excommunicationis.* Cap. *Ut famæ.* §. 3. Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 35.

VIII. In causâ quam alicui delegamus, alius qui est Generalis in Provincia Legatus, commissionem illi factam specialiter impedire non potest; & si secundùm formam mandati ostri, Sententia jam fuerit promulgata, non poterit ipse Legatus, nisi super hoc mandatum speciale receperit, illam quomodolibet irritare. *De Officio Legati.* Cap. *Studuisti.* Lib. I. Decr. *Tit.* 30.

IX. Delegatus à Sede Apostolica, quantùm ad illud, est major Ordinario. *De Officio Ordinarii.* Cap. *Pastoralis.* §. 3. *med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 31. Cap. 11

Delegatus Papæ major est Ordinario, quantùm ad causam illam quæ est ei commissa. *Glossa*.

SECTIO XI.

Judicium vendi non debet. Per illud patere non debet injuriis aditus.

I. Non debet Judex vendere justum judicium. Causa XIV. Quæst. V. Cap. 15. *Non sanè. med.*

Ut nullus homo munera pro placito requirat, aut accipere præsumat. *Concil.* Rom. anno 813. *Canon.* 39. Tom. VII. Concil. p. 1258. *Concil.* Turon. III. anno 813. *Canon* 35. Tom. VII. Concil. pag. 1266. *Concil.* Cabilon. II. anno 813. *Can.* 21. Tom. VI. Concil. *pag.* 1276.

Sanctus Augustinus *Epistolâ* 54. nunc 164. *Concil.* Mogunt. I. anno 857. *Cap.* 1. 9. Tom. VIII. Conc. pag. 47.

II. Cùm judicia quæ nec justa, nec vera vendenda sunt, iniqua & falsa venduntur: multò sceleratiùs utique pecunia sumitur, quia sceleratè etiam quamvis à volentibus datur. *Ibid.*

Justitiam vendere est hanc pro præmii acceptatione servare. Causa I. Quæst. III. *Cap.* 10. §. 1. Gregorius I. *Hom.* 39. circà annum 593.

III. Nec justum judicium vendere licet, & venales sententiæ ipsis etiam Sæcularibus Legibus improbantur. *De Vita & honestate Clericorum.* Cap. *Cùm ab omni. In init. fin.* Lib III. Decr. *Tit.* 1. Cap. 10.

IV. Per judicium injuriis aditus patere non debet, quas juris observantia interdicit. *De Rescriptis.* Cap. *Nonnulli.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 3. Cap. 28.

Sanctus Augustinus *in eadem Epistola*; Ut nec Episcopus, nec Abbas, nec ullus Laicus pro justitia facienda sportulas contradictas accipiat, quia ubi dona intercurrunt, justitia evacuatur. *Concil.* Vernense anno 755. Tom. VI. Conc. *pag.* 1669.

V. Scriptum novimus in Lege Divina, ita magnum judicabis ut parvum, nec erit apud te acceptio personarum. *De Judiciis.* Cap. *Novit.* §. 3. Lib. II. Decr. *Tit.* 10. Cap. 13.

VI. Non debet claudicare judicium. *De Exception.* Cap. *Cùm inter.* §. 1. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 25. Cap. 5. Nota æqualitatem servari debere in judiciis. *Glossa*, verbo, *Claudicare*.

VII. In judiciis non est acceptio personarum habenda. *In 6. De Regulis Juris. Reg.* 12.

VIII. Ne amisso judicio sis pauperi in mala causa misericors; cujus si parcis sacello, percutis eor, & tantò nequiorem reddis quantò justum sibi favere videt. Caus. XXIII. Quæst. IV. Cap. 34. *Ne amisso.* *Ex Sententiis* Sti. Augustini *in Lib. Psalm.* 32. *N.* 12.

IX. Qui rectè judicat & præmium indè remunerationis expectat, fraudem in Deum perpetrat, quia justitiam quam gratis impertiri debuit, acceptione pecuniæ vendit. Causa XII. Quæst. III. Cap. 66. *Qui rectè.*

Isidorus Lib. III. Cap. 58. *De Summo bono*, circà annum 625.

X. Bonis malè utuntur qui justè pro temporali lucro judicant; tales quippè ad veritatem non justitiæ defensio, sed amor præmii provocat, quibus si spes nummi subtrahitur, confestim à justitiæ defensione recedunt. Acceptio nummorum prævaricatio veritatis est, undè & pro justo datur qui excurit manus suas ab omni munere; iste in excelsis habitabit. *Ibid.* Causa XI. Quæst. III. Cap. 66. *Qui rectè. med.*

SECTIO

SECTIO XII.

Restringendas esse & expediendas Lites.

I. Lites restringendæ sunt potiùs quàm laxandæ. *De Rescriptis.* Cap. *Nonnulli.* §. 4. *init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 3. Cap. 28.

Cessiones & emptiones legitimæ prohibent Sanctiones, ita quod jactura causæ afficiant illos, qui sibi patrocinium potentiorum advocare præsumunt. *De alienatione judicii.* Cap. *Ex parte.* LIB. I. DECR. *Tit.* 45. *Cap.* 2. §. 1. Ex eo sunt etiam odiosæ, quòd ex fonte cupiditatis videntur procedere. *Ibid.*

II. Non prorogari, sed expediri decet quæstiones. *De Feriis. Cap.* Conquestus est. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 9. Cap. 5.

III. Finem litibus cupientes imponi, ne partes ultrà modum graventur laboribus & expensis. *De dolo* Cap. *Finem. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 14. Cap. 5.

IV. Volentes finem imponi litibus, ne immortales existant. *Ibid. De dolo.* Cap. *Venerabilis. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 14. Cap. 10.

V. Jurgantium controversias celeri sententia terminare, & æquitati convenit, & rigori. *De sententia.* Cap. *Jurgantium.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 2.

VI. Lites prætextu instrumenti post reperti, non debent ullatenùs instaurari. *De sententia & re jud.* Cap. *Cùm inter. in init. post med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 13. *Tit.* 28. Cap. 59. *&* Cap. 21. *Ibid.* GONZALEZ *in illud.* Jure Civili etiam cavetur quod sub prætextu instrumentorum posteà repertorum, lites non debeant restaurari. *De novi Operis.* Cap. *Cùm de injuncto instramento. med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 32. Cap. 2. *&* Cap. 10. *De Restitut. in integrum.*

VI. Litigatoribus consulatur super laboribus & expensis. *De Appellatione.* Cap. *Ut debitus.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 59.

VII. Ne processus negotii frivolis occasionibus retardetur. *De Appellat.* Cap *Cùm cessante. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 60.

SECTIO XIII.

Judiciis parendum, ut citati judicio se sistant.

I. Cùm mandatur alicui ut ad certum terminum se Judici repræsentet, duo sub hac formâ mandantur, ut ad Judicem veniat, & ut ad diem sibi præfixam accedat. Undè si venire non possit ad diem assignatam, tenetur nihilominùs se Judici præsentare. *De dolo & contumacia.* Cap. *Cùm dilecti.* §. 3. LIB. II. DECR. *Tit.* 14. Cap. 6.

Si qui se malitiosè duxerint absentandos, cogi debent æquitati parere. *De alienatione judicii.* Cap. *Ex parte. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 42. Cap. 1.

II. Si quis legitimè citatus nec venit, nec Responsalem mittit, aut etiam aliàs parere contemnit, tenebit Sententia in eum pro contumacia promulgata. *De Appellat.* Cap. *Si duobus. med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 7.

Quilibet vocatus ad judicium debet ire; aliàs tenet Sententia pro contumacia lata in ipsum. *Glossa.*

III. Te non decet contemnere obtentu appellationis ad vocationem venire Judicis. *De Appellat.* Cap. *Cùm parati.* §. 2. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 19.

Quilibet vocatus à Judice suo, venire tenetur allegaturus privilegium suum. *Glossa.*

IV. Mandato Judicis habet quis parere necesse. *In 6. De Reg. Juris. Regula* 24.

V. Non debet dici citatio valuisse & ideò non potuit arcere citatum. *De Elect.* Cap. *Bonæ memoriæ il* 2. §. 1. *fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 36.

Generale est quod ad citationem quæ reprobatur à Jure, non tenetur venire citatus, etiam ut alleget privilegium. *Glossa*, verbo *Nec.* Prædicta citatio non legitimè facta non tenet. *Glossa.*

SECTIO XIV.

In judiciis Ecclesiasticis Canonum Statuta observari debere.

I. Canonum Statuta custodiantur ab omnibus, & nemo in actionibus vel judiciis Ecclesiasticis, suo sensu, sed eorum autoritate ducatur. *De Constitutionibus.* Cap. *Canonum.* LIB. I. DECR. *Tit.* 2. Cap. 1. *Concil.* MELDENSE *anno* 845. *Cap.* 34. TOM. VII. CONC. *p.* 1831.

II. Ne innitaris prudentiæ tuæ; prudentiæ suæ innititur, qui ea quæ sibi agenda vel dicenda videntur, Patrum Decretis præponit. *Ibid. De Constit.* Cap. *Ne innitaris.* LIB. I. DECR. *Tit.* 2. Cap. 5.

III Cùm causa vertitur inter Priorem & Clericos, negotium ipsum secundùm Legum & Canonum Statuta non differas terminare. *De novi Operis nunciatione.* Cap. *Intelleximus.* §. 1. *fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 32. Cap. 1.

IV. In his casibus in quibus de Ecclesiis, Decimis, & rebus spiritualibus tantùm agitur, tales Causæ non ex Legum districtione, sed ex Canonum æquitate finem debitum sortiuntur. *De juramento calumniæ.* Cap. *Litteras.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 7. Cap. 2.

V. De libellis & commentariis aliorum non convenit aliquid judicare, & Sanctorum Conciliorum Canones relinquere, vel Decretalium Regulas. DIST. XX. Cap. 1. *init.* Isti omninò sunt & per quos judicant Episcopi, & per quos Episcopi judicantur, & Clerici.

Si tale emerserit vel contigerit inusitatum negotium, quod minimè possit per istos definiri; tunc si dicta HYERONIMI, AUGUSTINI, ISIDORI, vel cæterorum & similium *Sanctorum Doctorum Patrum* reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda & promulganda. *Ibid.* LEO IV. *Episcop. Britanniæ. ann.* 850.

SECTIO XV.

Judices non debere ad Sententiam procedere, nisi auditis Partibus, & post examen Causæ.

I. Nec nos contrà inauditam Partem aliquid possumus definire. *De Causa possessionis.* Cap. *Susceptis.* §. 2. LIB. II. DECR. *Tit.* 12. *Cap.* 14.

Nos qui Sacerdotum Domini matura volumus esse judicia, nihil possumus incognitis rebus cujusquam Partis in præjudicium definire, priusquàm universa quæ gesta sunt, veraciter audiamus. LEO. I. *Epistola* 20. *al.* 8. Cap. 1. *fin. anno* 449.

II. Lite non contestata non est ad definitivam Sententiam procedendum. *Ut lite non contestata.* Cap. *Ad hoc Deus.* §. *Vale.* LIB. II. DECR. *Tit.* 6. Cap. 1.

In Civilibus Causis nunquàm est ferenda Sententia lite non contestata. *Glossa*, verbo, *Ad definitivam.*

III. Causam, utpotè lite quæ ingeritur contestata, definitivâ Sententiâ terminetis. *De dolo & contumacia.* Cap. *Prout.* §. 2. *med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 14. *Cap.* 4.

IV. Judices non debuerunt super principali negotio definitivam Sententiam, lite non contestata, proferre. *Ut lite non contestata.* Cap. *Accedent. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 6. Cap. 2.

V. Cùm allegationes pro una Parte Judici fuerunt præsentatæ, propter quod non potuit scire per se quid objecerit, vel quid responderit ad objecta, sicque Causa non fuit sufficienter instructa, ad definitivam Sententiam non est procedendum. *De Elect.* Cap. *Dudùm.* §. 4. *init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 52.

VI. Dicitne Sententia meruit, quæ à Judice in absentem nec citatum legitimè, ac inauditum, per consequens & indefensum, non maturo fuit judicio, sed præcipiti promulgata? CLEMENTINA II. *Pastoralis. De sententia.* §. 7. *Quod si ponitio. post init.* LIB. II. CLEMENTINAE. *Tit.* 11. Cap. 2.

SECTIO XVI.

Judices suspectos ut inimicos recusari posse.

Nicolaus I. Michaeli *Imperatori* in Epistola quæ incipit, *Proposueramus*, anno 865.

Cod. *De Judiciis, Lege, Apertissimi.* Gelasius *in Commonitorio ad* Faustum.

Familiaritas repellit Judices, nam affectio familiaritatis veritatem impedire solet. *Glossa*, verbo, *Familiari.*

Si consentio in illum quem possum legitimè recusare, illum posteà non possum recusare. *Glossa.*

Pendente appellatione coram Ordinario, potest ipse Ordinarius recusari, si super aliâ causâ conveniatur appellans coràm eo. *Glossa.*

Si Judex fuerit consanguineus impetrantis, vel Advocatus, in eâdem Causâ recusari potest. *Glossa.*

Item ex qualibet justâ causâ potest Judex recusari. *Glossa.*

SECTIO XVII.

Formam seu ordinem juris, tùm ex parte litigantium, quàm ex parte Judicum, observari debere ad amussim.

I. Actionem quam intentabas, incongruentem cognovimus & ineptam, undè intentionem tuam in hac parte pronunciavimus non tenere. *De Judiciis.* Cap. *Examinata.* Lib. II. Decr. *Tit.* 1. Cap. 15.

Cùm Libellus ineptè concipitur, Reus ab instantiâ Judicii absolvitur. *Glossa.* Si posteà Libellus congruè reformetur, Reus tenetur reddere. *Glossa.*

Ordo judiciarius in controversiis est servandus. *Ut lite non contestata.* Cap. 1. §. 2. Lib. II. Decr. *Tit.* 6. Cap. 1.

II. Si postmodùm congruentem & aptam intentare voluerit actionem, Pars Adversa reddere teneatur. *Ibid. fin.*

III. Ex his quæ inordinatè sunt acta, non potest ordinabiliter agi. *De Accusationibus.* Cap. *Qualiter.* §. 1. *fin* Lib. V. Decr. *Tit.* 1. Cap. 17.

Incerta nemo Pontificum judicare præsumat, & quamvis vera sint, tamen credenda non sunt, nisi quæ certis Judiciis comprobantur, nisi quæ manifesto Judicio convincuntur, nisi quæ Judiciario ordine publicantur. Caus. XXX. Quæst. III. *post Cap.* 9.

Incerta nullatenus judicemus quousque &c. *Ibid.*

IV. Cùm invenitur Judices minùs providè processisse, processus ipsorum contrà Juris Ordinem attentatus, irritus decerni debet, & inanis. *De Rescriptis.* Cap. *Cùm dilecta.* §. 2. Lib. I. Decr. *Tit.* 3. Cap. 22.

V. In Causis quæ Summi Pontificis judicio deciduntur, & ordo Juris, & vigor æquitatis, est subtiliter observandus; cùm in similibus casibus cæteri teneantur similiter judicare. *De Sent.* Cap. *In causis. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 19.

Ordo Juris & æquitatis vigor in judiciis observanda sunt. *Glossa.*

SECTIO XVIII.

Prior tempore potior jure. Qui in jus alterius succedit, eodem jure uti debet, sicut & possessio eodem jure censetur.

I. Qui prior est tempore, jure potior esse videtur. *De Jure Patronatùs.* Cap. *Cùm autem. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 38. Cap 24.

Qui Judicium refugit, apparet eum de justitia diffisum. Caus. XI. Quæst. I. Cap. 12. *Christianis. fin.*

II. Is qui in jus succedit alterius, eo jure quo ille, uti debebit. *In 6. De Regul. Juris. Reg.* 46.

III. Possessiones quæ succedunt in locum & jus aliarum, eodem jure censentur. *Ut Lite pendente.* Cap. *Ecclesia.* §. 1. *juncta Glossa.* Lib. II. Decr. *Tit.* 16. Cap. 3.

Res quæ succedit in locum alterius, eodem jure censetur cum illa. *Glossa.*

IV. Jure Civili est cautum id venire in judicium, non solùm de quo actum est ut veniret; sed id non venire de quo nominatim actum est ne veniret. *De causa possessionis.* Cap. *Cùm Ecclesia.* §. 3. *Rerum. post init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 12. Cap. 3.

V. Res in litigio posita in nullam transferri potest omninò personam, donec legitimæ cognitionis eventu, cui potiùs debeatur, judiciaria disceptatione possit agnosci. Caus. XI. Quæst. I. Cap. 50. *ult. init.*

Ex eadem re non sinatur quispiam exigere pensiones. *Ibid.*

VI. In eodem statu re eâdem posita in quo videtur ante constituta, quisquis sibi putat quidpiam posse competere, juridico pulset examine, præjudiciis indè submotis. *Ibid.* Gelasius *Papa* circà annum 494.

SECTIO XIX.

Quomodò se habeant accessorium & principale in Causis?

I. Electione irritatâ, quidquid ex eâ & ob eam factum est penitùs non tenet. *De Elect.* Cap. *Qualiter. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 17.

Cassato principali, & omnia accessoria cassata intelliguntur. *Glossa.*

II. Juramento, quantùm ad obtinendum imperium, reprobato, juramentum hujusmodi non debet observari. *De Elect.* Cap. *Venerabilem.* §. *ult. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 34.

Destructo principali, & accessorium corruit. *Glossa*, verbo, *Observari.*

III. Cùm à modo non tenet principale, quidquid ex eo vel ob id secutum est, decernitur irritandum. *De novi Operis nunciatione.* Cap. *Cùm injuncto.* §. 1. *fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 32. Cap. 2.

Ex quo principale non tenet, quidquid ex eo vel ob id secutum est debet irritari. *Glossa.*

IV. Accessorium sequi congruit naturam principalis. *In 6. De Officio Delegati.* Cap. *Si super. med.* Lib. I. *Tit.* 14. Cap. 9.

V. Accessorium naturam sequi congruit principalis. *In 6. De Regulis Juris. Reg.* 42.

VI. Cùm processus irritantur, quæcumque secuta sunt ex eis vel ob eos, irrita judicantur. *De Procuratoribus.* Cap. *Auditis. init.* Lib. I. Decr. *Tit* 38. *Cap.* 8.

Cassato principali, & omnia consecutiva cassata intelliguntur. *Glossa.*

Ad quem pertinet principale, & accessorium. *De Appella.* Cap. *Sollicitudinem. Glossa.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 54.

VII. Si principale non tenuit, nec accessorium quod ex eo vel ob id dignoscitur esse secutum. *De fide Instrumentorum.* Cap. *Inter dilectos.* §. 8. *Cùm igitur.* Lib. II. Decret. *Tit.* 22. Cap. 5.

Istud regulariter verum est, ut si principale non tenet, nec accessorium. *Glossa*, verbo, *Nec accessorium.*

SECTIO XX.

Quid sit protestari, & quando prosit Protestatio?

I. Qui certo Præbendarum numero in Ecclesia constituto, postmodùm aliquos, sine præjudicio dictæ Constitutionis, in Canonicos recipiunt, videntur protestari. *De Constitut.* Cap. *Cùm in Feriarensi.* §. 2. *juncta Glossa.* Lib. I. Decret. *Tit.* 11. *Cap.* 9. Protestatio sat declarat Capitulum nolle abrogare Constitutionem, sed ab illâ tantùm dispensare.

II. Sed idem, si in derogationem suæ Constitutionis alios recipiunt, ultrà numerum constitutum, adeò quod Protestatio nihil prodest. *Ibid.* §. 3. *juncta Glossa.* Excipe casum quo Capitulum protestando declararet se velle tantùm à Constitutione dispensare. Hic non prodest Protestatio, quod est verum quando est contrà substantiam facti vel rei quæ sit. Talis esset Dispensatio cum Protestatione de non derogando, cùm ipsa sit derogatio.

Protestatio non valet ubi protestans per contrarium factum directè obviat suæ Protestationi. *Glossa*, verbo, *Sine præjudicio.*

Protestatio facti eadem est, ne factum proprium suæ Ecclesiæ noceat. *Glossa.*

III.

III. Proteſtatio valet cùm Papa condemnat, ita ut per hoc Eccleſiæ Romanæ nullum præjudicium generetur, ſi quando fortè jus ſuum duxerit proſequendum. *De Capellis Monachor.* Cap. *Dilectus. §. 1. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 37. Cap. 2.

IV. Verbo vel facto quis proteſtatur. *De Appell.* Cap. *Sollicitudin. §.* ult. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 54.

V. Sententia fertur ita tamen quod nullum per hoc Apoſtolicæ Sedi præjudicium generetor, quominùs ſi voluerit, ſuam juſtitiam proſequatur. *De Sent.* Cap. *Suborta.* §. 2. LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 21. Si Pars proteſtaretur contrà proferendam ſententiam, ſi contraria foret inſtrumentis quæ poſteà reperire ſperat, illa proteſtatio nulla eſſet, niſi ex illis eſſet quibus Jus permittit Sententiæ retractationem petere ex inſtrumentis noviter repertis. De illis loquitur GONZALEZ *in illud* Cap. *n.* 7.

Proteſtatio præmittenda eſt ne fiat alicui præjudicium circà jus ſuum. *Gloſſa.*

VI. Cùm aliquis certos denarios recepit, etſi jus ſuum poſtmodùm fuerit proteſtatus, ad tales recipiendos eſt condemnandus. *De Cenſib.* Cap. *Olim cauſam. juncta Gloſſa.* LIB. III. DECR. *Tit.* 39. *Cap.* 20. Excipe caſum quo illorum valor intrinſecus imminutus fuiſſet. *Cap.* 26. *De Cenſibus*, & per 40. annos denarii hujuſmodi imminuti non fuiſſent recepti poſt proteſtationem.

Proteſtatio non prodeſt, ubi proteſtans venit contrà ſuam proteſtationem, ut colligitur hic, quaſi Clerici iſti præſcripſiſſent, non profuiſſet Epiſcopo proteſtatio. *Gloſſa*, verbo, *Proteſtans.*

VII. Si juſtus metus te excuſat, proteſtatione propoſitâ, in quâ appellationis cauſas dixeris exprimendas, jus ſuum ſalvum manet. *De Appell.* Cap. *Si juſtus. ult.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 73.

Si per me non ſtet quominus faciam quod debeo, mihi non imputatur, præmiſſa proteſtatione. *Gloſſ.*

VIII. Si Monaſterii Procurator jus non tàm ſuum quàm Apoſtolicum fuerit proteſtatus, reſtituitur Monaſterium. *De in integrum reſtitutione* Cap. *Cùm veniſſent. §.* 3. LIB. I. DECR. *Tit.* 41. Cap. 2.

IX. Ut quis duas Electiones de ſe in aliquâ Eccleſiâ celebratas proſequatur inſimul, & confirmationem petat ex eis, rationi conſonum non putamus, etiamſi ſe contentum eſſe velle altera, per quam ſuæ intentionis conſequi poſſit effectum, in initio proteſtetur. *In 6. De Elect.* Cap. *Ut quis. init.* LIB. I. *Tit.* 6. Cap. 25.

Nihil operatur proteſtatio, per contrarium enim factum proteſtationi videtur obviare. *Gloſſa*, verbo, *Proteſtetur.* Eligenda una ex illis electionibus, quâ infirmatâ, nullus regreſſus foret ad alteram.

Ex collectis Textibus patet, proteſtationem aliud non eſſe quàm declarationem voluntatis contrariæ, illi quæ apparet in actu qui fit vel omittitur.

SECTIO XXI.

De citationibus, actibuſque aliis ſimilibus, Deciſiones Juris præcipuæ?

Nullus eſt in Jure Canonico Titulus ſic inſcriptus, ſed de re hoc nomine ſignificatâ paſſim ibidem ſermo fit. Citatio, aſſignatio, vocatio in jus, ac petitio in jure, ſunt voces ſinonimæ: Quod ſignificant, fieri ſolet libelli oblatione, de quâ *Tit.* 3. LIB. II. ut de fundamento inſtituendi Judicii: Hic tribus conſtat Textibus, quorum Primus docet Actorem declarare debere intentionem ſuam, ſeu petitionem formare in ſcriptis: Secundus, Rem peti vel actione reali, vel perſonali, & in utràque petitionem faciendam ſpecificè; indèque ſequi quod quando actio eſt realis, Actor rem petitam ita deſignare debet ut cognoſci poſſit: Tertius, In actione perſonali Reum non teneri reſpondere libello Actoris, niſi exprimatur cauſa petendi. Referuntur formulæ quædam antiquæ hujuſmodi libelli TOM. III. *Traditionis Eccleſiæ circà Sacramentum Matrimonii Tit. ult.* Idem libellus offerebatur Judici qui Reum ut ad certum diem coràm ſe veniret, vocabat. In Gallia aſſignatio hæc datur Actoris curâ, per Miniſtrum publicum ad id præfectum; ibi illa agnoſcitur ut baſis proceſſûs; hinc enim incipit *Ordinatio* 1667. quæ præſcribit Ordinem Judiciarium; præcipiturque ut ſit libellata, id eſt, contineat concluſiones Actoris & cauſas petendi. Hæc pauca ſummatim dicta ſufficient ad ſupplendum quod omiſſum eſt à Collectore. Apud quem nihil aliud repertum quàm quod ſequitur.

Vide LIB. I. DECR. *Tit.* 29. *Cap.* 24. *Conſuluit*, ubi de termino peremptorio; de quo Vide *Tit. De Except. Sect.* 5. De intimatione ſeu citatione. CLEMENT. III. *De Elect.* LIB. I. CLEMENT. *Tit.* 3. *Cap.* 3. Vid. *Tit. De Appell.* ubi fusè de intimatione, quæ aliud non eſt quam juridica ſignificatio Parti facta, rei de quâ agitur, ſicut citata Regula præcepit Actorem Forum ſemper ſequi pulſati. CAUS. XI. QUÆST. I. Cap. 16. *Si quiſquam. fin.*

II. In cauſis in quibus quælibet Eccleſiaſtici Officii perſona petitoris loco exiſtit, quempiam Laïcum pulſatura, apud ſuæ Provinciæ Judicem ſuas proponere actiones non deſerat. CAUS. XI. QUÆST. I. Cap. 15. *Experientiæ. init.*

III. Actor Forum Rei ſequi debet. *De Foro Compet.* Cap. *Si Clericus. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 2. Cap. 5.

IV. Eſt generale ut Actor Forum Rei ſequatur. *Ibid.* Cap. 8. *Cùm ſit. init.* Actor Rei Forum ſequatur. CAUS. III. QUÆST. VI. Cap. 16. *Neminem.*

V. Provideatis attentiùs ne ſubtiliter cujuſmodi actio intentetur inquiratis; ſed principaliter & purè factum ipſum & rei veritatem ſecundùm formam Canonum & Sanctorum Patrum inſtituta inveſtigare curetis. *De Judiciis.* Cap. *Dilecti.* LIB. II. DECR. *Tit.* 1. Cap. 6. Vide GONZALEZ. *Ibid.*

VI. Actor qui ad terminum venire ad quem citari Adverſarium fecerat non curavit; venienti Reo in expenſis propter hoc factis legitimè condemnetur. *In 6. De Dolo.* Cap. *Actor. init.* LIB. II. *Tit.* 6. Cap. 1.

VII. Abſente alterâ Partium, cùm citata non fuerit, non debet contumax judicari. *De Elect.* Cap. *Venerabilem. in int. poſt init.*

VIII. Judices Delegati ad primam citationem, terminum nimis brevem & peremptorium ſtatuere non debent. *De Dilationibus.* Cap. *Dilecti.* LIB. II. DECR. *Tit.* 8. Cap. 1.

IX. Si ſuper uno tantùm capitulo quæſtio fuerit, illud ſolummodò reſcribatur, & Adverſæ Parti copiæ ejus fiat. *De Fide Inſtrum.* Cap. *Contingit. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 5.

X. Non ſpectat ad Juris Ordinem diem peremptorium, maxime cùm de rebus Eccleſiaſticis agitur, niſi fortè neceſſitate urgente, maturare. *Ibid.* §. 1. *init.*

XI. Per ſcripturas authenticas probatur contumacia. *De Majorit.* Cap. *Cùm in Eccleſia*, LIB. I. DECR. *Tit.* 33. Cap. 10.

XII. Contra citationem peremptoriam poteſt ab abſente proponi. *De Appell.* Cap. *Sæpè.* §. 2. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 44.

Abſens peremptoriè vocatur. Qui non potuit venire juſtâ de cauſâ detentus, auditur allegans impedimentum ſuum, ita quod revocatur quod contrà eum factum eſt. *Gloſſa*, verbo, *Abſente proponi.*

XIII. Si is ad Judicis perſonam accedens, juſtam cauſam abſentiæ oſtenderit, latam ſententiam nullius decernatur eſſe valoris. *De Sent.* Cap. *Cùm Bertholdus. med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 18.

XIV. Cùm Actor adverſùs aliquem depoſuerit quæſtionem; & is nec per ſe, nec per Reſponſalem idoneum comparere curaverit; eidem imponatur ſilentium. *Ibid.*

XV. Si poſt latam ſententiam, fuerit ad Sedem Apoſtolicam appellatum, hi qui ſuper hæc delegantur à nobis, cùm lis ſit ſuper eodem negotio coràm primis Judicibus legitimè conteſtata, poterunt, eo qui convenitur ſe per contumaciam abſentante, cum eis de meritis cauſæ liquebit, com-

missum sibi negotium definire. *De Appell.* Cap. *Per tuas.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 18.

SECTIO XXII.

In quâ supplentur quæ omissa sunt, vel omissa videntur à Collectore, à Tit. IV. ad Tit. XVIII. inclusivè LIB. II. DECR. GREGOR. IX., *vel notando quæ scitu necessaria sunt in unoquoque, vel remittendo ad loca hujus Operis ubi collecta vel explicata sunt.*

Titulus *De Mutuis Petitionibus* expositus est, dùm de Competentia Judicum dictum est. Titul. *De Litis Contestatione* variis in locis, occasione darâ; hujus summa est, illam non fieri per Positiones & Responsiones; quod ad interrogatorium super Articulis pertinet, sed per petitionem in jure factam cum responsione Adversarii, eâque omissâ nullum esse processum.

Titul. *Ut lite non contestata, non procedatur ad Testium Receptionem, vel ad sententiam definitivam,* expositus est dùm de Testibus, vel de sententiis. Nonnihil dictum, Tit. *De Juramento Calumniæ* dùm de Jurejurando, de Actore, de Reo, de Procuratoribus, de Advocatis. Idem dicendum de Tit. *De Dilationibus;* De illis sermo factus est dùm de Actibus Judiciariis seorsim actum est; sunt enim induciæ datæ ad illos peragendos, quorum enumerationem habes apud GONZAL. cum citatione Textuum utriusque Juris de illis loquentium; quatuor tantùm constat Capitibus, ex quibus id unum hic Autor colligit; si Judex concedat dilationes nimis breves, vel longas, rectè à tali sententia appellatur. Conceduntur tàm Actori, quàm Reo, tàm à Jure, quàm à Judice in Tribunali sedente, cùm, ut plurimùm, illæ pendeant à circumstantiis personarum, rerum, locorum vel temporum, à Judice sæpè sæpiùs dantur; quocircà GONZALEZ de illis hæc habet: *Hodie in Dilationis spatio nimis stylo Curiæ cujusque, & Judex potest pro negotii seu personæ qualitate augere vel minuere.* In Gallia præfixæ sunt ab Ordinationibus Regiis pro singulis ferè Actibus Judiciariis, præsertim illis quæ datæ sunt *ann.* 1667. & 1670.

Titulus *De Feriis* explicatus est fusissimè dùm de Festis, quoad illas quæ proveniunt ex eo quod dies dicati sunt cultui Divino, ubi ostensum est Actus judiciarios inter opera servilia his diebus prohibita semper collocatos fuisse; quoad illas verò quæ dicuntur messium & vindemiarum, cùm pendeant ex usu cujusqueRegionis, nihil dicendum nisi quod ille usus sequendus sit, ac inter utrasque hoc discrimen notandum, quod Partes prioribus renunciare non valeant, secùs de posterioribus, ut GREGOR. IX. *Cap.* 4. *De Feriis* docet his verbis: *Quibus utique solemnibus Feriis, nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat, usque adeò convenit ab hujusmodi abstinere, ut consentientibus etiam Partibus, nec processus habitus teneat, nec Sententia quam contingit hujusmodi diebus promulgari: licet diebus feriatis, qui gratiâ vindemiarum ob necessitates hominum indulgentur, procedi valeat, si de Partium processerit voluntate.*

CUJACIUS post relatum hoc discrimen, notat quod jam statutum fuerat à LEG. I. *Cod. De Feriis,* insinuatque quod Judices aliter non valuissent de consensu Partium procedere; quæ nota justa est, cùm processus vires habeat ab autoritate Principis; certum est in Gallia consensum Partium ad id non sufficere, sed requiri consensum Principis; undè Tribunalia Sæcularia egent illius prorogatione ad forensia exercitia ultra tempus ad illa præfixum.

Actum est, *De Causâ possessionis & proprietatis,* dùm de Contractibus, necnon *De Restitutione Spoliatorum, & de eo qui mittitur in possessionem rei servandæ causâ,* eâdem possessionis ratione.

Ibidem quoque actum *De Ordine Cognitionum ra-*tione possessorii, de quo ut plurimùm disceptatur priusquàm de petitorio; item dùm de Matrimonio ratione causarum præjudicialium, ex illo provenientium, de quibus disceptandum, priusquàm de negotio principali; hujus generis legitimitas natalium, de qua tractatur priusquam de hæreditate; necnon quodlibet impedimentum dirimens, cujus existentia priùs discutienda quàm de separatione Matrimonii.

Tractatum est de Tit. *Ut lite pendente nihil innovetur,* dùm de Appellationibus, quia in causâ Appellationis nihil innovandum à Judice à quo, necà Parte intimata, & quæ innovantur irrita sunt.

Sermo factus est de Titulo *De sequestratione possessionum & fructuum* dùm de Sententiis & dùm de Appellationibus, idque meritò, quia ista locum habet in prima & in secunda instantia, quoties timere est ne fructus dissipentur à possessore.

Actum est de Tit. *De Dolo & Contumacia,* dùm de Sententiis & de Appellationibus, in quibus sæpè interveniunt, tàm ex parte Actoris quàm ex parte Rei; item dùm de Residentia, de gestatione habitûs Clericalis, itemdùm de Censuris quibus contumacia plerumque punitur in foro Ecclesiastico.

Actum quoque *De Dolo* dùm de Contractibus, dùm de peccatis, & in præludio ad Tractatum de illis. Titulus *De Confessis* explicatus est dùm de Probationibus, tàm in Prima Parte, quàm in secunda Parte Ordinis Judiciarii, idque benè, quia Confessio est probatio tàm in Civili, quàm in Criminali Judicio.

TITULUS III.

De Recusatione Judicum.

SECTIO I.

Judices recusari posse cùm suspecti sunt & inimici.

I. QUod suspecti & inimici Judices esse non debeant, & ipsa ratio dictat, & plurimis probatur exemplis. CAUS. III. QUÆST. V. *Cap.* 15. *Quod suspecti. Ex* NICOL. I. *Epistol.* 8. TOM. VIII. CONC. *p.* 299.

Non solùm pro inimicitiâ, sed etiam pro manifestâ Causâ suspicionis, potest Parochianus sui Episcopi judicium evitare, & ad Superiorem Judicem recurrere, cùm nullus à suspecto Judice debeat judicari. *Appendice Concil.* LATER. III. *Part.* 10. *Cap.* 27. *fin.* Nunc Ordinarius committere eo casu posset.

Hic casus vix accidit in Galliâ, ubi Episcopus non judicat per seipsum, sed per Officialem.

II. Quodammodò naturale est suspectorum Judicum insidias declinare, & inimicorum studium semper velle refugere. *Ibid.* §. *ultim.*

Nemo invitus suspectorum Judicum compellitur Judicia subire. *De eo qui mittitur.* Cap. *Cùm sicut. in init. med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 15. Cap. 2.

III. In Judicio ubi idem sunt inimici qui Judices, nec humana debent committi negotia; quantò minùs Divina, id est, Ecclesiastica. *Ibid.* §. *Penult.* 108. *Can. p.* 300.

IV. Ipsa ratio dictat quod suspecti & inimici Judices esse non debent. *De Appellat.* Cap. 2. §. 2. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 41.

Judex non debet in causa constitui qui meritò alterutri Partium possit esse suspectus. ALEXANDER III. *Epistola* 9. *Appendic.* TOM. X. CONC. *p.* 1151.

V. Periculosum est coram suspecto Judice litigare. *De Exceptionibus.* Cap. *Cùm inter.* §. I. *init.* LIB. II. DECR. *Tit* 25. Cap. 5.

Non debet quisquàm se credere suis capitalibus inimicis. *Ut lite non contestata.* Cap. *Accedens.* LIB. II. DECR. *Tit.* 6. Cap. 4. *Epistola* I. *Episcoporum Belgicæ Galliæ. ann.* 863. TOM. VIII. CONC. *p.* 763. ubi occasione controversiæ inter HINCMARUM REMENSEM & ROTHADUM SUESSIONENSEM, nonnulla notanda circa suspectos Judices.

SECTIO II.

Judex meritò habetur suspectus, si sit consanguineus, vel Advocatus Adversarii, si eum in familiarem admisit, si Dominus ejus, si socius inimicorum.

I. Si causa alicui fuerit delegata qui consanguineus sit illius qui Literas impetravit, aut in eodem negotio Advocati officio functus, vel ex aliâ causâ suspectus; hujusmodi Delegatus non immeritò poterit recusari, quamvis appellatione remota fuerit ei negotium delegatum. *De Appellat.* Cap. *Postremo.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 36.

Judex suspectus, si Pars cum eo familiaritatem habere dicitur, aut de mensa sua esse perhibetur.

Alexander III. *Epistola 9. Append. prima.* Tom. X, Conc. *p.* 1251.

II. Pars Delegatum Judicem habet suspectum pro eo quod Dominus est Adversarii. *De Officio Delegati.* Cap. *Causam quæ.* §. 1. Lib. I Decr. *Tit.* 29. Cap. 17.

III. Eos qui sunt ejus socii cum quo multas & graves inimicitias habet, meritò habet Pars Adversa suspectos. *De Officio Delegati.* Cap. *Cùm Canon.* §. a. *init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 29. Cap. 35.

IV. Cùm Actor aliquos in Judices postulavit, quorum familiaris est postmodùm effectus; ab Adversâ Parte possunt meritò recusari. *De Officio Delegati.* Cap. *Insinuante. med.* Lib. I, Decr. *Tit.* 29. Cap. 25.

V. Cùm Judex Adversarium proximâ lineâ Consanguinitatis attingit, recusari potest. *Ut lite non contest.* Cap. *Accedens.* §. 2. *init. juncta Glossa.* Lib. II. Decr. *Tit.* 6. Cap. 4.

Cùm Judex est ejus commensalis qui Parti est Adversarius, principalis recusari potest. *Ibid.*

VI. Si in unâ causâ quis appellaverit, & pendente appellatione conveniatur de aliâ re super quam non sit appellatum; & illam proferri contingat ad audientiam Judicis à quo in alio negotio appellavit, eum potest, si voluerit, tanquàm suspectum habere. *De Appellat.* Cap. *Ad hæc.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. C. 6.

VII. Quia cùm Judicem Delegatum similis penè causa contingat, nimis favorabilis Parti alteri videretur, loco ipsius alius est subrogandus. *De Judiciis.* Cap. *Causam quæ. il* 2. §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 1. Cap. 18.

SECTIO III.

Cuicumque licet recusare Judicem suspectum: hæc recusatio initio litis maximè est proponenda, etiam in processu litis proponi potest.

I. Etiam vinculo Excommunicationis adstricto legitima defensio reservatur, & maximè Judicis recusatio. *De Exception.* Cap. *Cùm inter.* §. 1. *init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 25. Cap. 5.

II. Justinianus Imperator Pius Legibus suis promulgasse dignoscitur, dicens: *Liceat ei qui suspectum Judicem putat, antequam lis inchoetur, eum recusare ut ad alium recurratur.* Caus. III. Quæst. V. *Cap.* 15. *Quod suspecti.* §. *ultim.*

III. Causæ suspicionis tanquàm dilatoriæ antè litis ingressum opponi debent. *De Sentent.* Cap. *Inter.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 20.

IV. Licet fuerit in quæstione processum, si tractu temporis, antè definitivæ Sententiæ calculum, Judex Actorem in familiarem admisit, propter hoc Adversæ Parti potest suspectus haberi, quæ & petere potest, decisionem ipsius causæ alterius discretioni committi. *De Officio Delegati.* Cap. *Insinuante.* Lib. I. Decr. *Tit.* 29. Cap. 25.

SECTIO IV.

Causa suspicionis coràm Judice allegari debet; & eâ probatâ abstineat, nisi Partes consenserint; non probata, suâ autoritate utatur.

I. Cùm aliquis Judicem proponit habere suspectum, suspicionis causam coram eodem allegare tenetur. *De Appell.* Cap. 2. §. *ult.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 41.

II. Statutum est ut si quis allegaverit se Judicem habere suspectum, coram eodem causam justæ suspicionis assignet. *De Appellat.* Cap. *Cùm speciali. post init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 61.

III. Causâ suspicionis legitimâ coram Judicibus intrà competentem terminum non probatâ, suâ jurisdictione Judex utatur. *Ibid. fin.*

IV. Si causa suspicionis intrà terminum competentem probata non fuerit, tunc demùm autoritate suâ Judex utetur. *De Appellat.* Cap. *Secundò requiris.* §. *ult. med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 41.

V. Si coram Judicibus causa suspicionis probata fuerit, causæ cognitioni supersedere tenebitur recusatus.

VI. Si postquàm Adversarius familiaris sui Judicis est effectus, litigare alter consenserit coram illo, iste judicet; sin autem, ad priorum Judicum revertatur examen. *De Officio Delegati.* Cap. *Insinuante.* Lib. I. Decr. *Tit.* 29. Cap. 25. Agitur de casu, ubi commissio duplex, & posterioris Judex prædicto modo factus est suspectus.

SECTIO V.

Causa Recusationis Delegati Episcopi, seu Officialis, coram Episcopo discutienda est.

I. Cùm Delegatus Episcopi recusatur, recusationis causa coram Episcopo est probanda. *In* Sexto. *De Offic. Deleg* Cap. *Si contra.* §. 1. Lib. I, *Tit.* 14. Cap. 4.

Coram Episcopo probabitur causa recusationis. *Glossa*, verbo, *Idem.*

II. Idem est si Officialis recusetur ejusdem. *Ibid.* Excipiendus videtur casus in quo ipse Episcopus suspectus est, quia Judex esse nequit.

III. Ne fortè commonitus, frustratoriæ recusationis obtentu, monentis possit declinare examen; statutum est, ut si allegaverit se Judicem habere suspectum, coram eodem causam justæ suspicionis assignet, & ipse cum Adversario, vel si fortè Adversarium non habeat, cum Judice Arbitros communiter eligat, qui de suspicionis causâ cognoscant. *De Appell.* Cap. *Cùm speciali. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. *Cap.* 61.

IV. Loquitur ista Constitutio in Ordinario, ut benè declarant sequentia, aliter intelligi non potest. *Glossa*, verbo, *Cùm Judice.*

V. Causâ suspicionis legitimâ intrà competentem terminum non probatâ, sua Jurisdictione Judex utatur. *Ib.*

VI. At ipsâ probatâ legitime de recusatoris assensu, personæ idoneæ committat negotium recusatus, vel ad Superiorem transmittat, ut in eo ipse procedat secundùm quod fuerit procedendum. *Ibid.*

Judex qui recusatur constituit competens tempus Arbitris ad finiendam causam, quo & elapso, si finitum non fuerit, in principali procedit. *Glossa*, verbo, *Legitima.*

Judex recusatus compellit Arbitros ad causam finiendam, & hoc Judici permittitur in pœnam illorum qui nolunt concordare, & ne culpâ eorum contingat negotium prorogari. *Glossa*, verbo, *Sunt cogendi.*

VII. Si Episcopus ut suspectus fuerit recusatus, executor ab eo deputetur. *De Foro competenti.* Cap. *Si quis contrà Clericum.* Lib. II. Decr. *Tit.* 2. Cap. 4.

VIII. Si hoc Actor refugerit, ab eodem Episcopo est deputandus, qui Partes sibi mutuo consensu Judices compellat eligere.

Judex Ordinarius potest recusari, sed potest Partes compellere, ut alium eligant, coram quo quæstio terminetur. *Glossa.*

SECTIO VI.

Judices Delegatos à Sede Apostolicâ posse recusari, & alios petendos esse quos concedet.

I. Suspectis Judicibus Sedes Apostolica causam de certâ conscientiâ non committit. *De Exceptione.* Cap. *Cùm inter.* §. 1. *med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 25. Cap. 5.

II. Ju-

II. Judex ab Apostolica Sede datus, legitimè recusari valet ut suspectus. *In 6. De Officio Delegati.* Cap. *Judex. init.* Lib. I. *Tit.* 14. Cap. 5.

III. Cùm Actor causam certis Judicibus à Sede Apostolica obtinuit delegari, & alter ipsorum alterutram Partem in familiarem admisit, Summus Pontifex mandat aliis Judicibus, quatenùs si est ita, nisi postquàm familiaris alter est effectus, Adversarius litigare consenserit coràm illo, in causâ, ratione præviâ, procedant. *De Officio Delegati.* Cap. *Insinuante.* Lib. I. Decr. *Tit.* 29. Cap. 25.

IV. Quoniam Pars Judicem Delegatum habet suspectum, ipsum amovendum, & alium loco ipsius scribit Romanus Pontifex subrogandum. *De Officio Delegati.* Cap. *Causam quæ.* Lib. I. Decr. *Tit.* 29. Cap. 17.

V. Is cui càusam Sedes Apostolica commisit, Parti cùm nimis favorabilis alteri videtur, loco ipsius alium subrogat. *De Judiciis.* Cap. *Causam quæ.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 1 Cap. 18.

Ex dictis patet, 1°. quàm facilis fuerit Sedes Apostolica ad revocandos Judices alterutri Parti suspectos, existimans maximi referre ne Pars ulla à Judice diffidat. 2°. Plerasque suspicionis causas ab Ordinatione 1667. *Tit.* 24. recensitas, à Jure Canonico nominatim probari. 3°. Judices inimicos à suspectis meritò distingui, quia certum eos contrarios; eos autem qui tantùm suspecti sunt, non certò adversoa esse, sed locum esse timendi, ne contrarii sint. 4°. Judicem recusatum ut suspectum non judicare de causis suspicionis, etsi coram illo allegandæ sint, sed Judicium reservari Arbitris electis ab illo & à recusante, vel ab isto cum Adversario, si habuerit, vel à Collegis Judicis si habeat. 5°. Causas pendente lite supervenientes allegari posse, ut & antecedentes, quæ ut istæ proponi possunt in procinctu sententiæ, si probetur tunc temporis ad notitiam pervenisse.

TITULUS IV.

De probationibus generatim sumptis quæ in judicio proponi debent, & particulatim de Instrumentis, Confessione, Evidentia facti, Præsumptionibus, Famâ, Indiciis.

SECTIO I.

Probationes esse proponendas; claras esse debere; iniquam habere Causam, qui Probationis copiam subtrahunt.

I. FAcultas probationum non est angustanda, quia publicè interest ne veritas occultetur. *Extravagant. Commun.* Debent. *De Officio Jud. Ordin.* §. 2. *init.* Lib. I. Extravag. Comm. *Tit.* 6. Cap. 1.

II. Recipiantur probationes negotium contingentes, quas Pars utralibet duxerit producendas. *De Probationib.* Cap. *Causam. med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 19. Cap. 14.

Omnes probationes, quæ tangunt negotium, sunt admittendæ. *Glossa.*

III. Si qua Partes duxerint legitimè proponenda, in scriptis redacta, seu probationes recipiantur. *De Probat.* Cap. *Cùm bonæ.* § 1. & 2. Lib. II Decr. *Tit.* 19. Cap. 15.

IV. Secundùm legitimas Sanctiones iniquam ostendit se causam fovere, & experiri debet Judicis autoritatem clusam, qui defensionis copiam subtrahit adversario. *De Testibus.* Cap. *Constitutis.* §. 3. *med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 45.

Qui subtrahit Adversario copiam probationis, ostendit se malam causam habere; undè puniri debet. *Glossa.*

V. Nulli dicendum est, ea quæ contrà te sunt apud temetipsum debes documenta requirere, atque pro me in medium proferre. *De Probation.* Cap. *Ex Epistolæ.* §. 2. Lib. II. Decr. *Tit.* 19. Cap. 1.

Reus non tenetur dare Actori instrumenta sua contrà se. *Glossa.*

VI. Litigantes, si in probatione defecerint, in expensis legitimis condemnentur. *De Testibus.* Cap. *Significaverunt.* §. 3. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 36.

VII. Verbum dubium non nocet. *De Probationibus.* Cap. *In præsentiâ.* §. 2. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 19. Cap. 8.

Clara & certa debet esse probatio, & non dubia *Glossa.*

VIII. Cùm juris quæstio movetur, ejus apud Sedem Apostolicam probationes necessariæ non existunt. *De Appellat.* Cap. *Sæpè contingit. post init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 44. *Vid.* Gonzal. *n.* 2. qui post Cujacium monet falsæ interpretationis *L. Omnium. Cod. De Testam.* Cujus sensus est, jura omnia esse in thesauris Principis, non in pectore.

Juris quæstio, utrum verbi gratiâ aliquis possit habere plura Beneficia de Jure Communi, de his nulla probatio apud Papam est necessaria, cum ipse habeat jura omnia in sinio pectoris sui. *Glossa*, verbo, *Juris Quæstio.* Papa nunc raro judicat per seipsum, & coràm Judicibus suis, vel Ordinariis, vel Delegatis, adducuntur probationes Juris.

IX. Interdùm facti Quæstio de levi potest Partibus præsentibus comprobari. *Ibid.* Attamen semper verum est, quæstiones juris faciliùs expediri quàm quæstiones facti. Cujacius *in Cap.* 44. *Cit.*

SECTIO II.

Quibus modis fiant Causarum probationes?

I. Probatio Testibus, & fide Tabularum constat. *De Verborum signif.* Cap. *Reus.* §. 2. *med.* Lib. V. Decr. *Tit.* 40. Cap. 10.

Sic æquiparantur Testes & Instrumenta, quia parem vim habent in litibus exercendis. *Glossa*, verbo, *Testibus.*

Cùm aliquis intentionem suam fundaverit Instrumentis aut Testibus, eis Sacramentum non defcratur. *De Probation.* Cap. *Sicut.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 19. Cap. 2.

Fides ejus probationibus haberi debet. *Ibid.*

II. Per dicta Testium, vel confessiones Partium, vel etiam Instrumenta, vel evidentiam facti, Judici aliquid constare potest. *De Restit. Spoliat.* Cap. *Cùm ad Sedem* §. 3. Lib. II. Decr. *Tit.* 13. Cap. 15.

Quod dicitur de evidentia facti, intelligendum de illa quæ certa est, quia multa notoria dicuntur, quæ non sunt. Cap. 13. 14. *De Appellat.*

Nota hîc quatuor modos probandi, per testes, confessiones, Instrumenta, & per evidentiam facti. *Glossa.*

III. Quædam per libros antiquos probantur. *De Probat.* Cap. *Cùm causam.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 19. Cap. 13.

Scriptura antiquorum librorum fidem facit. *Glossa*, verbo, *Per libros antiquos.*

IV. Per Testes, famam, & quæcumque alia adminicula, in negotio proceditur. *Ibid. fin.* Cap. 27. *De Testibus.*

Adminicula etsi per se non probant, tantùm adjuvant. *Glossa*, verbo, *Adminicula.*

V. Certis indiciis & testimoniis aliquid Judici constare potest. *Qui filii sint legitimi.* Cap. *Transmissæ. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 17. Cap. 3.

Per indicia fit probatio. *Glossa*, verbo, *Indiciis.*

VI. Si quædam fuit tantùm in modum exceptionis objecta, probationes super ipsa exceptione priùs audiri debent. *De Ordine cognit.* Cap. *Cùm Dilectus.* §. 3. Lib. II. Decr. *Tit.* 10. Cap. 2.

Aliquid tàm violenter præsumitur, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probetur. *De Presbitero non Baptizato.* Cap. *Veniens, in fine.* Lib. III. Dec. *Tit.* 43. Cap. 3.

In hac Sectione habes singulas probationum vel semi probationum species, ac illarum adminicula.

Quodvis probationum genus adhiberi potest in negotio incidenti, sicut in negotio principali.

SECTIO III.

In gratiam Rei judicandum, cùm Pars Adversa non probat suam intentionem.

I. Licer aliquid contrà te Pars Adversa proponat, cùm ramen probatum non extitir, tibi non nocet. *De Concessiou. Preb.* Cap. *Cùm super §. t. init. juncta Glossa.* verbo, *Non extitit.* LIB. III. DECREV. *Tit.* 8. Cap. 8.

Cùm jura Partium sunt obscura, favendum est Reo. *Cap.* 11 *De Reg. Jur. In* 6. CANISIUS in illam citat plures similes Regulas idem docentes, nempe favorabiliores sunt Rei; Actore non probante Reus absolvitur; promptiora sunt jura ad absolvendum quàm ad condemnandum.

II. Nisi contrà titulum Rei rationabile aliquid objiciatur, & probetur, Actori silentium imponi debet. *De Sententia.* Cap. *Suborta. §. 1. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 21.

Non sufficit objicere, nisi probetur objectum. *Glossa.*

III. Cùm Reus intentionem suam plenè fundavit, & nihil fuit ex adverso sufficienter probatum, Actori silenrium imponitur. *De Probationibus.* Cap. *In præsentia. §. ult.* LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 8.

IV. Intentioni Rei verbum dubium non nocet. *Ibid. §. 1. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 8. Idque quia non probat.

V. Cùm constat quod aliqnis bis quidpiam fecerit; nec ex adverso probatur quod utroque tempore fuerit Minor annis; probationem illam hujusmodi exceptionis probatio non eludit: cùm etsi primo tempore fuerir minor annis, secundo tamen potuit major extitisse. *Ibid. §. init.* Hæc autem possibilitas secundi facti retundit probationem primi.

SECTIO IV.

Propositio negans factum probari non potest, scilicet cùm purè ac simpliciter negat; si cum determinatione loci vel temporis, indirectè potest probari; sicut & negativa implicitè affirmationem continens.

I. Negantis factum per rerum naturam nulla est directa probatio. *De Probat.* Cap. *Quoniam, post init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 11.

Per rerum naturam factum negantis probatio nulla est. CAUS. VI. QUÆST. V. Cap. 2. *Accusator. fin.*

II. Quod aliqui citati non fuerint, non potest de facili comptobari; quia negantis factum per rerum naturam nulla est directa probario. *De Elect.* Cap. *Bonæ memoriæ. §. 3. med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 23.

Negativa directè probari non potest. *Glossa.* id est, secundùm cursum causarum, id est, per causam rerum; quoniam ea quæ non sunt non probantur per aliquam causam; eius quod uon est, nulla est causa. *Glossa,* verbo, *Per rerum naturam.*

Negativa facti pura & simplex probari non potest directè vel indirectè. *Glossa,* verbo *Per rerum naturam.*

Negativa facti quæ habet determinationem loci vel temporis, indirectè potest probari. *Glossa.*

Sunt positiones negativæ quæ probari non possunt, nisi per confessionem Adversarii. *In 6. De Confessis.* Cap. 1. LIB. II. *Tit.* 9. Solemnis negativa habens in se affirmativam probatur. *Glossa.*

Hæc propositio, non spontè renunciavit, includit in se hanc affirmativam, coactus renunciavit; & hanc probat Actor in suâ replicatione. *Glossa,* verbo, *Negat.*

III. Si eo rempore quo testes alicujus dicunt eum cum alia muliere Matrimonium contraxisse, determinando tempus & locum, Pars Adversa per testes idoneos sit probare parata, quod vir ille fuerit semper in aliâ Provinciâ commoratus; testes illius ad probandum illum articulum sunt admittendi. *De Testibus.* Cap. *Ex tenore.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 35.

IV. Licet negantis factum per rerum naturam nulla sit probatio, ejus tamen qui spontaneam renunciationem negat, cùm implicitè & quodam modo replicando inficietur, super assertione sua probationes eredimus admittendas. *De Renuntiatione.* Cap. *Super hoc §. 1. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 9. Cap. 5.

Cùm dicit quis qnod spontè non renunciavit, licet videatur negativa, tamen talis negativa habet in se implicitam affirmativam, scil, quod coactus renunciavit; & ideò super illa assertione implicita, probationes Actoris sunt admittendæ. *Glossa.*

V. Constare potest per attestationes longè majorem partem Capituli non fuisse consciam aliquarum litterarum. *De Testibus.* Cap. *Tam litteris. §. ult. med.* LIB. II. DEC. *Tit.* 20. Cap. 33. Constare negativa hic probatur, siquidem potest coustare probando absentiam Fratrum tempore contento in litteris, vel quia quoties fiebat mentio in Capitulo de hoc facto, nulla fuit habita mentio de talibus litteris. *Glossa.* verbo, *Non fuisse conscium.*

VI. Negativam quodam modo astruere satagens, & probare volens, directè qnod ad adversarios minimè pertineat, condemnatur. *De Causa Possessionis.* Cap. *Cùm Ecclesia. §. 2.* LIB. II. DECR. *Tit.* 12. Cap. 3.

Qui negativam directè probare nititur, non valet. *Gloss.*

VII. Instrumentum in quo facta alienatio rerum Ecclesiæ immobilium continetur, de assensu Conventûs non fuisse confectum probatur, cùm Fratres jurati dicunt, quod quoties de hoc inter Fratres aliqua erat mentio, Concilium totius Conventûs, & vox fuit unanimis qnod nolebant alienationem rerum illatum. *De Probationibus.* LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 5.

In probatione negativa, dum tamen possit affirmativa ex adverso probari, neminem audiatis. *De probat.* Cap. *Ad nostram. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 12.

Affirmativa primò probari debet, quia ei qui dicit incumbit probatio. *Glossa,* verbo, *Affirmativa.*

VIII. Admittitur aliquis ad probandum Testatorem suæ mentis compotem uon fuisse, cùm ultimam voluntatem expressit, si asserat se velle probare quod dictus Testator in extremis laborans tanquam frænetieus alienatus erat mente.

Negativa indirectè probatur. *Glossa, De successionibus ab intestato.* Cap. *Cùm Dilectus. §. 1. fin. & 2. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 27. Cap. 3.

Quis potest probare negativam, si includit in se affirmativam. *Glossa.*

Ille probabit istam negativam, quia habet in se implicitam affirmativam, hanc scilicet quod tunc erat furiosus. *Glossa,* verbo, *Compotem.*

SECTIO V.

Probationes Partium eodem in loco, & apud eosdem Judices fieri debent; admitti non debent, ubi factum verisimile non est, vel ubi non prosunt.

I. Ibi Pars una probare debet quæ voluerit, ubi onus probationis Pars altera subierit. *De Privilegiis.* Cap. *Cùm olim. §. 1. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 12.

Æqualitas in judiciis servanda est, ut utraque Pars in eodem loco suas offerat probationes. *Glossa.*

II. Quia verisimile non est quod aliquis quidpiam fecerit, provideas ne super boc probationem recipias, nisi communis loci fama id habeat, ut tales personæ appareant de quibus verisimile non est quod debeant dejerare. *De Præsumptionibus.* Cap. *Quia verisimile.* LIB. II. DECR. *Tit.* 23. Cap. 10.

III. Ejus super hoc probatio recipi non debet quod objectum nequaquàm à defendendo repellerer, si etiam probaretur. *De Exceptionibus.* Cap. *Dilecti.* LIB. II. DECR. *Tit.* 25. Cap. 8.

Non debet quis admitti ad probandum, qnod probatum non prodest. *Glossa,* verbo, *Interlocuti.*

IV. Exceptiones ducimus repellendas, quoniam etsi probatæ fidem testium debilitarent in aliquo, non tamen vacuarent in toto, aliis adminiculis suffragantibus. *De simonia.* Cap. *Per suas. §. 1. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 32.

Vid. Glossa, verbo, *Debilitarent. fin.* Non debet quis admitti,

admitti. *Vid. Glossa, Ad* Cap. 36. *Cùm contingat.* LIB. I. DECR. *Tit.* 15. *De Officio Delegati.* §. *ult.* 2. *Nihilominùs.* Ex quo Capite eruitur quod quoties factum ex alio pendet, de isto priùs probationes sunt admittendæ, quàm de illo aliquid decernatur.

SECTIO VI.

Confessio Partis, Procuratoris, Advocati, prò veritate habetur; fit multis modis; nocet Confitenti.

I. Ea Confessione Partium aliquarum, Judici rem se ita habere constat. *De Fidejussoribus.* Cap. *Pervenit.* §. 1. *med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 22. Cap. 2.

Confessus in Jure pro judicato habetur. *Glossa*, verbo, *Ex Confessione.*

II. Ex utriusque Partis assertione tenetur aliquid. *De eo qui mittitur.* Cap. *Constientis. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 15. Cap. 2.

Per confessiones Partium, constat de meritis Causæ, & ideò ex confessione proceditur ad sententiam. *Glossa*, verbo, *Assertione.*

III. Ex Fratrum confessione, contrà eos Sententia procedere debet. *De Transactione.* Cap. *Prætereà.* §. 3. LIB. I. DECR. *Tit.* 36. Cap. 10.

IV. Per confessiones Partium, cùm nullæ penitùs in judicio factæ fuerint, Judici constare aliquid non potest. *De Restitut. spoliat.* Cap. *Cùm ad Sedem.* §. 3. LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 15.

V. Cùm utraque Pars à Judice interrogata, fuit in jure aliquid confessa, ex utriusque confessione colligitur rem ita se habere. *De Fide Instrument.* Cap. *Cùm* JOANNES. §. *penult.* LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 10.

VI. Procuratoribus Partium litigantibus, per confessionem Partis Adversæ aliquid constare potest. *De Sent.* Cap. *Suborta. init* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 21.

Confessio Procuratoris Domino præjudicat. *Gloss.*

VII. Si Advocatus ductus errore responderit aliquid, ne per eam responsionem aliquod sibi possit præjudicium generari, per Procuratorem Advocati responsio debet revocari. *De Appellat.* Cap. *Cùm Causam* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 62.

Confessio Advocati præjudicat Parti suæ, nisi revocetur. *Glossa.*

VIII. Ex confessione Advocati alterius Partis non revocatâ apparet evidenter aliquid. *De Censib.* Cap. *Olim.* §. 1. *post init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 39. Cap. 20.

Confessio Advocati præjudicat, nisi fuerit revocata. *Glossa.*

IX. Cùm Oeconomus Monasterii, quædam per errorem facti fuit in jure confessus, ex quibus timet sibi præjudicium generari; si de hujusmodi errore docere potuerit, provideri debet ut nullum sibi super hoc præjudicium generetur. *De Confessis.* Cap. *Ex parte.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28 Cap. 3.

Confessio Syndici seu Procuratoris Ecclesiæ nocet ipsi Ecclesiæ. *Glossa*, verbo, *Potuerit.*

X. Si Reus vel Procurator ipsius, positionibus ab Adversario sibi factis, interrogatus jussusque à Judice respondere, absque rationabili causa recuset aut nolit, seu contumaciter se absentet, haberi debet, super his de quibus in eisdem positionibus interrogatus extitit, pro confesso. *In 6. De Confessis.* Cap. *Si post præstitum. init.* LIB. II. *Tit.* 9. Cap. 2.

Si Reus ejusve Procurator jussus positionibus respondere, recuset, vel si contumaciter recedit, habebuntur pro confessatis. *Glossa*, verbo, *Si post præstitum.*

XI. Si antequàm respondere sic jussus fuerit, eum contumaciter absentari contingat; tunc pro confesso non debet haberi. *Ibid.* §. 1. *In 6.* LIB. II. *Tit.* 9. Cap. 2.

XII. Cùm constat de alicujus renunciatione per Confessionem ipsius, ei silentium imponitur. *De Renunciat.* Cap. *In præsentia.* §. ult. *fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 9. Cap. 6.

Ex Confessione quis condemnatur. *Glossa.*

XIII. Ubi per viam communem revocationis erroris quem in facto prætendit, vult adversùs suam Confessionem Ecclesia se juvare, hoc quandocumque poterit, donec negotium sit finitum. *In 6. De Restit. in integ.* Cap. *Si adversus.* §. 1. LIB. I. *Tit.* 21. Cap. 2.

Confessio revocatur quandò errore facti quis fuit inductus ad confitendum. *Glossa.*

Error in facto nemini nocet, dummodò probetur, negotio nondùm finito. *Glossa*, verbo, *In facto.*

SECTIO VII.

Per Instrumenta Publica seu Authentica probantur quæ asseruntur; & quæ sint Instrumenta Publica & Authentica?

I. Publicum Instrumentum manu Notarii confectum. *De Convers. Conjug.* Cap. *Dudùm.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32. Cap. 20.

II. Instrumenta Publica, & sigilla Authentica fidem faciunt. *Gloss.* Id est, per Notarium. *Gloss. hoc verbo.*

Scripta nisi per manum Publicam facta fuerint, ita quod appareant publica; aut Authenticum sigillum habuerint per quod possint probari; non videntur alicujus firmitatis robur habere. *De Fide Instrum.* Cap. *Scripta.* LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 2.

III. Si Consuetudo patriæ obtinet approbata, ut Instrumentis alicujus fides adhibeatur, Ecclesiastici ea securè poterunt admittere. *De Fide Instr.* Cap. *Cùm Dilectus.* §. 2. LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 9.

Consuetudo facit aliquod Instrumentum Authenticum quod aliàs non esset. *Glossa*, verb. *Approbata.*

Privilegium ad fidem instruendam non videtur sufficere, quia nec est publica manu confectum, nec sigillum habet Authenticum. *De Fide Instrum.* Cap. *Inter Dilectos.* §. 5. *Post med.* LIB. II. DECR. *T.* 22. Cap. 6.

IV. Instrumenta fideliter in publicam formam redigere, habitura per hoc perpetuam firmitatem. *Ibid.* Cap. *Cùm per Tabellio.* LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 15.

V. Ex Publico Instrumento aliquid Judici innotescit. *De Convers. Conjug.* Cap. *Ex Publico. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32. Cap. 7.

SECTIO VIII.

Instrumentum Publicum falsitatis argui facilè non debet, neque modicus defectus ad id sufficit: plura verò sunt falsitatis judicia.

I. Cùm ostenditur Publicum Instrumentum, & Pars Adversa illud asserit vitiosum, pro eo præsumitur, si præscriptum Instrumentum ab eo conditum fuerit qui officium suum fideliter adimplevit. *De Præsumpt.* Cap. *Illud. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 23. Cap. 11.

Præsumitur (a) pro Instrumento facto ratione officii. *Glossa.* Vide *De Sentent.* Cap. *Cùm inter.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 23.

(a) Quod semper præsumitur, nisi contrà præsumatur, vel probetur. *Glossa*, verbo, *Officium.*

II. In literis quæ redargutæ fuerint falsitatis, paucarum literarum raturæ nequaquàm sapientis animum in dubitationem vertere debent. *De Crimine falsi.* Cap. *Ex conscientia.* LIB. V. DECR. *Tit.* 20. Cap. 9.

Ratura paucarum literarum non reddit falsum Rescriptum, nisi esset in loco suspecto. *Glossa.*

Propter Tabellionis autoritatem, qui suum Officium fideliter adimplere præsumitur, cùm ad hoc teneatur ex Juramento, fides adhibetur Instrumento confecto. *De Fide Instrum.* Cap. *Cùm* JOANNES. *in int. med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 10.

III. Si constet Instrumentum quod exhibetur in aliquot lineis habere raturas, & subscriptiones esse singulis subscribentium manibus adnotatas; cùm scriptum quod anteà exhibitum fuerat, nec raturam prætenderet, nec esset variis subscribentium manibus variatum, sed à primo ad ultimum eâdem manu conscriptum, non est illi Instrumento habenda fides. *De Privileg.* Cap. *Cùm olim.* §. 6. LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 14.

Hoc Instrumentum falsum videbatur, quia scriptum aliud fuit exhibitum, quod fuit eâdem manu confectum & conscriptum, & ideò non fuit Instrumento habita fides. *Glossa*, verbo, *Subscriptiones.*

Instrumento fides est indubitata adhibenda, cùm nec cancellatum, nec abolitum, nec corruptum est in aliqua parte sui. *De Fide Instrum.* Cap. *Cùm* JOAN. *med. in integr.* LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 10.

IV. An Tabellio in tertiâ personâ Instrumentum conficiat, vel in primâ, dummodò non mutetur substantia veritatis, nihil interessè videtur. *De Convers. Conjug.* Cap. *Dudùm.* §. 2. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 32. Cap. 10.

Non refert diversitas narrandi ubi eadem dicuntur, & veritas non mutatur. *Glossa.*

V. Propter superlinearem scripturam, & raturam loco suspecto factam, ubi videlicet annotatio temporis recensetur, instrumentum ad faciendam fidem invalidum est, utpotè propter prædicta de jure suspectum. *De Religiosis domibus.* Cap. *Cùm Venerabilis.* §. ultim. LIB. III. DECR. *Tit.* 36. Cap. 7.

Instrumentum suspectum est propter interlinearem scripturam & raturam in Indictione, id est in annis Domini, & in aliis locis suspectis. *Glossa.*

VI. Absentium nomina inscribi non sinas, quia talia munimenta irrita sunt & falsa; & tu exindè quæstionem falsi poteris meritò formidare. *De his quæ fiunt à Prælatis.* Cap. *Quanto.* §. 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 10. Cap. 5.

De falso tenetur qui nomina absentium scribit in Literis, ac si essent præsentes. *Glossa.*

VII. In annotatione Indictionis, potest falsitas faciliùs deprehendi. *De fide Instrum.* Cap. *Inter Dilectos.* §. 5. *init* LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 6.

VIII. Potest falsitas deprehendi cùm Chartæ vetustia videtur, & recentior apparet scriptura, tanquàm non illo tempore facta fuerit. *Ibid.*

Ex qualitate Chartæ falsitas deprehenditur. *Glossa*, verbo, *Videretur.* Falsitas Instrumentorum cognoscitur primò in annis Domini & Indictione; item ex qualitate Chartæ; item ex sigillo; item ex scriptura Notarii.

IX. Falsum sigillum vitiosè videtur appositum, cùm cera sigilli ab inferiori parte vetustissima est cera; quæ verò posita est ab exteriori, probat esse quasi ad conservationem sigilli, recens & mollis. *Ibid.*

X. Instrumentum videtur suspectum, tùm quia in ipso quædam apparent raturæ; tùm quia subscriptio Notarii videtur manûs alterius fuisse, quàm subscriptio instrumenti, (Legendum videtur, *conscriptio*) cùm tamen Notarius in subscriptione profiteatur se instrumentum manu propria conscripsisse; tùm quia Litera recentior videtur quàm charta, & aquâ videtur encaustum infectum, ut antiquius appareat. *Ibid.*

XI. Licet literæ in narratione facti abrasæ sint, propter abrasionem illam judicari falsæ non possunt, nec etiam haberi suspectæ. *De fide Instrum.* Cap. *Ex Literis.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 3.

Ubi jus non constituitur, non nocet rasura, quia narratio facti non facit jus. *Glossa.*

Et privilegia in possessionibus abraduntur. *Ibid.* Cap. 3. *fin.* Id est, in nominibus possessionum.

XII. Literæ in narratione facti, si erratum est, possunt incunctanter abradi. *Ibid. fin.*

In narratione facti possunt abradi, quia hoc ad jus non pertinet, sed ad quæstionem facti. *Glossa*, verbo, *Abrasa sunt.*

SECTIO IX.

Ubi Originale Instrumentum non apparet, non creditur Exemplari transcripto, nisi Judicis mandato manu publicâ fuerit confectum.

I. Si scripturam Authenticam non videamus, ad exemplaria nihil facere possumus. *De Fide Instrum.* Cap. *Si scripturam.* LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 1.

Exemplari non creditur, nisi ostendatur Originale. *Glossa.*

II. Confirmationis scriptum exhibens, non probat concessionem plenum habere vigorem, nisi authenticum appareat. *De Decimis* Cap. *Dudùm.* §. 1. & ult. *juncta Glossa.* LIB. III. DECR. *Tit.* 30. Cap. 31.

Si scriptum authenticum non ostendatur, ad transcriptum nihil fieri potest. *Glossa.*

III. Si instrumenta propter vetustatem, vel propter aliam justam causam, exemplari petantur; coram Ordinario Judice vel Delegato ab eo specialiter præsententur; qui si ea diligenter inspecta in nullâ sui parte vitiata repererit, per publicam personam illa præcipiat exemplari, eamdem autoritatem per hoc cum originalibus habitura. *De Fide Instrum.* Cap. *Si instrumenta.* LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 16. ult.

SECTIO X.

Falsitatis crimen semper objici potest, & sententia valet retractari prætextu falsitatis, quæ ut expendatur, debent Instrumenta in loco suo collocari.

I. Non solùm ante sententiam, verùmtamen post, objici potest exceptio falsitatis. *De Except.* Cap. *Cùm Venerabilis.* §. 2. LIB. II. DECR. *Tit.* 25. Cap. 6. GONZALEZ *in illud. n.* 7.

Exceptio falsi semper proponi potest, usque ad 20. annos. *Glossa.*

II. Falsorum Instrumentorum prætextu lata sententia usque ad viginti annorum spatium valet retractari, veritate comperta. *Ibid.*

Querela falsi quam vult proponere Pars Adversa, viginti annorum spatium non excedit. *De Sent.* Cap. *Cùm inter. in init. post med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 13.

III. Cùm Instrumenta non inspecta non valeant argui falsitatis, & difficile est & periculosum ea in alio loco exhibere, exhibeantur in loco congruo & securo. *De Fide Instrum.* Cap. *Accepimus.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 4.

Præcipiendum est ut exhibeantur in alio loco congruo & securo.

IV. Cùm testes jurati dicunt Instrumentum non fuisse confectum, & adulterinum vel furtivum esse sigillum, si contrà hoc nihil Pars Adversa probet, secundùm assertionem Testium tantummodò est judicandum. *De Probat.* Cap. *Tertio loco. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 5.

Si in modum exceptionis objiciatur falsitas instrumentorum, benè post hoc probari per Testes, & prævalebunt testes. *Glossa*, verbo, *Testium.*

V. Cùm Instrumenta contingit argui falsitatis, interim illa vacillare non debent, sed sententia, quæ eorum obtentu lata est, debet inviolabiliter observari. *De Fide Instrum.* Cap. *Accepimus.* §. 1. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 4.

Donec Instrumenta falsitatis convincantur, vacillare non debent, sed suam obtineant firmitatem. *Glossa*, verbo, *Reprobasse.*

SECTIO XI.

Nullus debet Adversario subtrahere litis Instrumenta. Contraria Instrumenta vel à Judice jam reprobata non probant.

I. Reus debet Adversario Instrumenta subtrahere, & ille qui subripit Instrumenta iniquam ostendit à se litem foveri. *De Testibus cogendis.* Cap. *Pervenit.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 21. Cap. 4.

Sub prætextu novorum Instrumentorum, lites non debent instaurari. *De Sentent.* Cap. *Inter.* §. 1. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 20.

II. Non

II. Non est adversa petens & sibi contrarius audiendus. *De Appellat.* Cap. *Sollicitudinem.* §. *ult. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 54.

Prætextu privilegii de novo reperti, non debet sententia retractari. *De Sentent.* Cap. *Suborta, fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 21.

III. Imputari ei potest qui contrarias inter se scripturas in judicio protulit, fidem sibi ad invicem derogantes; cùm in ipsius fuerit potestate, quam voluerat non proferre. *De Fide Instrum.* Cap. *Imputari.* Lib. II. Decr. *Tit.* 22. Cap. 13.

Qui contraria allegat, non debet audiri; & imputet sibi qui Causam suam male tractat. *Glossa.*

IV. Si Judices copiam quorumdam Instrumentorum communium, quæ habet Pars altera, & per quæ intendit intentionem suam super principali fundare, fieri non faciunt, licet appellare, idque quia copia Instrumentorum hujusmodi petenti Parti fieri debet. *De Fide Instrument.* Cap. *Perpetuus.* Lib. II. Decr. *Tit.* 22. Cap. 12.

Instrumenta communia Parti Pars exhibere tenetur. *Glossa.*

V. Si Instrumentum fuit in judicio præsentatum, & Judex tulit sententiam contra illud, intelligitur reprobasse. *De Sentent.* Cap. *Suborta.* §. 2. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 21. Gonzalez *in illud n.* 8.

Instrumentum dicitur reprobatum eo ipso quod cùm Judici ostenditur, contrarium judicat. *Glossa*, verbo, *Reprobasse.*

VI. Cùm vel scriptura facto, vel factum scripturæ præjudicat, magis inquirendum. *De Elect.* Cap. *Cùm inter.* §. 3. *fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 16. *juncta Glossa*, verbo, *Episcopus. fin.*

SECTIO XII.

Non potest uti instrumento qui illud impugnat, vel qui illud non ostendit.

I. Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare. *In 6. De Regul. Juris. Reg.* 38. *Vide* Canisium *in illam*, ubi explicat quo casu instrumentum non prodest illius impugnatori, quo secùs.

II. Qui compositionem statuit multipliciter impugnare, ex eâ non debet Beneficia consequi, cui renunciasse tacitè videtur. *De Censibus.* Cap. *Cùm olim. post med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 39. Cap. 19.

Ex eo quod quis impugnat, non debet aliquod Beneficium consequi, cùm ex eo tacitè ei renunciare videatur. *Glossa.*

III. Absonum est ut quis neget rem, super quâ ostendit Instrumenta contraria. *Ibid. De Censibus.* Cap. *Cùm olim. juncta Glossa.* Lib. III. Decr. *Tit.* 39. Cap. 19.

IV. Non obstat sententia quæ dicitur fuisse prolata, quæ tamen ostensa non fuit; cùm si Judicibus fuisset ostensa, eâ posthabitâ contrarium statuissent, alioquin est quod eam objicientibus imputetur. *De Sentent.* Cap. *Inter.* §. 1. *med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 20.

Instrumentum quod quis approbat pro se, tenetur recipere contrà se. *Glossa*, verbo, *Beneficium. fin.*

Non obstat sententia, quia si Judices vidissent, statuissent contrarium ejus quod fecerunt; alioquin, id est, si non fuit ostensa, imputent sibi qui debuerunt ostendere. *Glossa.*

V. Documenta ab una parte documentis alterius possunt obviare. *De natis ex libero ventre.* Cap. unic. Lib. IV. Decr. *Tit.* 10. Cap. unic.

Instrumentum potest reprobari per aliud Instrumentum.

Jus Gallicum circà Instrumenta habetur *in Ord. ann.* 1667. *Tit.* 12. & 20. & *Ordin. ann.* 1670. *Tit.* 8. 9.

SECTIO XIII.

Quæ in collectis circà Probationes Textibus deficiunt, adjiciuntur, obscura illustrantur, malè ordinata in Ordinem suum restituuntur.

Sciendum 1°. naturalem Ordinem eorum quæ generatim ad probationes spectant, hunc esse videri; quid sit probatio; conditiones ad illam requisitæ; quæ quis probare teneatur vel non; quæ probari possint vel non; aut modi probandi, tempus, locus probationum.

Sciendum 2°. Probationem medium esse quo certificetur Judex de veritate facti vel Juris de quo agitur, ut ostensum est in Traditione circa Sacramentum Matrimonii, Tom. I. *De Impotentia.* Cap. 6. *Continuationis 2. Partis*, illam quæ hunc effectum operari non potest, non esse veram probationem, scilicet completam, perfectam, sed incompletam & imperfectam.

Probationes pro gravitate rerum validiores requiri; item si agatur de personis, pro dignitate illarum graviores exigi; item si quæstio sit de criminibus cum his circumstantiis, causa fiat majoris momenti, ideòque major diligentia adhibenda in judicando.

Regulam, *Non licet Actori quod Reo licitum non existit*, sumptam in contrario sensu, fallere in materia Probationum, cùm Actor teneatur edere sua Instrumenta Reo, & iste ad id non teneatur, cùm Reo licitum sit tacere, nihilque in defensionem allegare. Quod si quandoque Reus probare teneatur, id non evenire nisi ex eo quod pro Actore habeatur, ut in reconventione, in defensione finium, in Communi dividendo, in omni exceptione, in quovis casu, in quo aliquid affirmat, quia affirmanti incumbit probatio; quâ de causâ quoties negativa includit affirmativam, ob illius probationem, illa quæ in se probabilis non est, probabilis efficitur.

Sciendum 3°. Regulam, *Eum qui certus est, certiorari ulteriùs non oportet*, hic locum habere, indèque inferri posse non exigendas alias probationes, quandocumque jam adductæ sufficiunt, proindeque meritò damnari. *Cap.* 2 *De Probationibus.* Consuetudinem, quæ exigebat ab Actore, qui intentionem suam Instrumentis vel Testibus probaverat, ut illam suo Juramento confirmaret.

Adductis variis probationum generibus, adjiciendum esse quod sumitur ex visitatione vel inspectione locorum vel personarum, istudque reduci posse ad evidentiam rei quæ unum est ex allatis; petitur siquidem quodammodò ex rei evidentia, cùm per hujusmodi inspectionem, res quandoque videatur; id probationis genus quoad personas memoratur in *Cap.* 4. *De Probationibus*, pluribusque aliis Juris Textibus, ut patet ex citato Tractatu de Impotentia, ubi collecti sunt, dùm de visitatione; quoad verò loca, fit illius mentio in *Cap.* 3. *&* 13. *De Probat.* ubi de lite circà limites, quæ vix decidi potest sine inspectione locorum.

Famam justæ probationis vim non habere, quia ex incerto Autore, plerumque inimico, cùm de malo agitur. Gonzal. *in Cap.* 13. *De Probat. n.* 7. De vi illius in Criminalibus agit Fagnan. *in Cap.* 24. *De Accusat. n.* 86. *usque ad* 90. & de illius vi in Civilibus pluribus in locis; Textus præcipui qui illius meminere, sunt *Cap.* 27. *De Sponsal. Cap* 5. *De eo qui cognovit. Cap.* 3. *Qui Matrimonium accusare.*

Adminicula esse probationes quæ seorsim sumptæ non sufficiunt, sed conjunctæ juvant. Gonzal. *Cap.* 13. *cit n.* 8.

Tempus & locum pendere ex circumstantiis, ac ex arbitrio ad illas attendentis Judicis.

Etsi in collectionibus Gregoriana & Bonifaciana actum sit de Confessione, priùs quàm de Pro-

bationibus & de Testibus antequàm de Instrumentis ageretur, meritò hoc in Titulo postpositoa esse Textus circa confessionem Textibus de Probationibus, cùm confessio sit probatio, & Textus de Instrumentis præmissos Textibus circa Testes, quia Instrumentorum probatio major sit illâ quæ fit per Testes; Textus verò de confessione præmissos esse Textibus circà Instrumenta, & Textibus circà Testes, quia posita Partium confessione, aliæ probationes necessariæ non sunt.

In Sectione VI. omissas esse Decisiones *Cap.* 1. *&* 2. *De Confessis*, quia Judicium Criminale contingunt, & in hac Prima Parte de Judiciis agitur de Judicio Civili.

Probationem per Instrumenta publica & autentica, & probationem per Testes in multis convenire; utraque enim fit pet Testimonium; prior per Testimonium scripro autoritate publicâ munito datum; posterior per Testimonium vivâ voce exhibitum: Falsitas utriusque Testimonii post sententiam objici potest, neutrum debet Parti substrahi; neutro nti licet illi qui vel Instrumentum nisus est impugnare, vel Testes alias repulit; neutrum probare potest nisi conditiones habeat à Lege præscriptas.

Differre autem porissimùm in eo quod probatio per Instrumenta majoris roboris esse debeat quàm probatio per Testes, cùm 1o. Testimonium istorum sit privatæ autoritatis, Testimonium verò Instrumentorum sit autoritatis publicæ. 2o. Testes sint veluti quædam Instrumentorum species, nam sub nomine Instrumentorum comprehenduntur. 3o. Testium juramentum contingit specialiter rem de qua agitur, illud verò quod in Instrumentis locum habet, generale est, producitur que ad Instrumenta quæcumque à Notario conficienda; non ideò tamen minùs confirmat Instrumentum quodlibet, quàm illud firmat quamvis depositionem. 4o. Post publicatas Attestationes, nova productio Testium illicita est; productio Instrumenrorum nova licita est post publicatas alias editiones, istaque permissio durat usque quò conclusum sit in Causâ, imò quandoqua post conclusionem. *Cap.* 9. *De Fide Instrum.* GONZAL. *in illud. n.* 7.

Scripta privata fieri quodammodo publica ipsa illorum coram Judice agnitione. In Gallia *Ordinat. an.* 1670. *Tit.* 8. *Ordin. ann.* 1667. *Tit.* 12.

TITULUS V.

De Testibus.

SECTIO I.

Causa probantur per Testes, modò jurati deponant de re quam noverunt.

I. INstrumentorum appellatione Testes continentur. *De Testibus cogendis.* Cap. *Pervenit.* §. 1. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 21. Cap. 4.

Duo sunt genera Testium, aut dicendo quod viderunt, aut proferendo quod audierunt. *De Verb. Signif.* Cap. 10.

Cùm nihil circà negotium actum est in forma judicii, Depositiones Testium non possunt præjudicium generare. *Ut Ecclesiastica Beneficia.* LIB. III. DECR. *Tit.* 12. Nulli credendum est in præjudicium alterius, nisi sit juratus. *Glossa.*

Legitimis & idoneis Testibus non debet aliorum simplex assertio prævalere. *De Sponsalibus.* Cap. *Consultationi.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 1. Cap. 28.

Potiùs Testibus credendum est quàm simplici assertioni alicujus. *Glossa.*

II. Nullius Testimonio, quantùmcumque religiosus existat, nisi juratus deposuerit, in alterius præjudicium debet credi. *De Testibus.* Cap. *Nuper.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 51. GONZAL. *in illud.* notat omnes Gentes obligasse Testes ad jurandum.

III. Jurisjurandi Religione Testes, priùsquam perhibeant Testimonium, coërcentur. CAUS. IV. QUÆST. III. Cap. 3. *Si Testes. versùs finem.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. *De Testib.* Cap. 29. *De Testibus.*

Si Testes sint inducti super aliquâ re *v. gr.* exceptione juraverint dicere veritatem, super alia *v. gr.* principali non debent audiri, nec cogi Testimonium perhibere, utpotè super quâ deponerent non jurati. *De Testib.* Cap. *De Testib.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 29. Quia Juramentum præstitum contingebat tantùm exceptionem, minimè verò principale.

Non valet dictum Testis si deponat super quo non juravit. *Glossa.*

Duobus modis Testes delinquunt, cùm aut falsa pronunciant, aut vera silentio obtegunt. *De Verbor. Signific.* Cap. *Forus. in init. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 40. Cap. 10. Delinquunt etiam variando; sed variatio reducitur ad prius delictum, si mala sit, ut cùm veritas retractatur.

IV. Personæ quæ veritatem causæ scire possunt tactis Sacrosanctis Evangeliis, præbito etiam legaliter Sacramento, quæ in veritate rerum noverunt, professionem suæ testificationis aperiant. CAUS. III. QUÆST. IX. Cap. 20. *Hortamur.*

PELAGIUS. Papa *Decorato Patricio*; fortè circà annum 557.

V. Cùm Testes ex tenore Sententiæ non dicuntur deposuisse jurati, nulla fides est eis adhibenda. *De Sententia.* Cap. *Cùm inter. in init. med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 13.

VI. Probatio Testium fieri debet Juramento, ut jurent se non privato odio, neque amicitiâ, neque pro aliquo commodo quod habuerint, vel quod habent vel habituri sunt, ad hoc Juramentum inductos. *De Testibus.* Cap. *Quoties.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 5.

VII. Monachi de suis Fratribus ac Conversis Testes in causis propriis producere absque Juramenti exhibitione non possunt, nisi fortè à Parte remittatur Adversâ. *De Testibus.* Cap. *Suis.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 39.

VIII. Omne quod Testibus adstipulatur, tunc veriùs constat, cùm adjectio jurationis confirmat. CAUS. XXII. QUÆST. I. *Cap.* 1. Cap. 51. *De Testib.* docens Monachos non admittendos in Testes absque Juramento, nullum casum excipiunt: Textus omnes qui obligant Testes ad jurandum, loquuntur præcipuè de Testibus judicialibus, vel quasi judicialibus. In contractibus similibusque negotiis, ubi necessarii sunt Testes, injurati subscribunt, idque rectè, quia sua subscriptione nihil aliud restantur, quàm adfuisse contractui quod non eget juramanti confirmatione. In Gallia probatio per Testes non valet in re excedente summam 100. librarum. *Ordin. ann.* 1667. *Tit.* 20.

SECTIO II.

Unius Testimonium non sufficere ad probandum, sed tres aut ad minùs duos Testes necessariò requiri. Effrenata Testium multitudo refrananda.

I. Licet quædam sint Causæ quæ plures quàm duos exigant Testes; nulla est tamen Causa quæ unius Testimonio quamvis legitimo terminetur. *De Testibus.* Cap. *Licet Universis.* §. 2. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 23.

Omnis controversia quæ de Ecclesiasticis rebus fit, secundùm Divinam Legem, sub duobus vel tribus Testibus terminetur, Domino dicente, *Non unus stet contrà alium, sed in ore duorum vel trium Testium stet omne verbum.* CAUS. XXXV. QUÆST. VI. *Post.* Cap. 11. *Ex Concil.* ILERDANSI. Cap. 20. *Nullius personæ. Ibid.*

II. Non est licitum alicui Christiano, & multòminùs crucis CHRISTI inimico, ut Causæ suæ unius tantùm quasi legitimo Testimonio finem imponat. *Ib.* §. 1.

III. In qualibet Causâ Christiani, & maximè Clerici, non minùs quàm duorum vel trium virorum qui sint probatæ vitæ & fidelis conversationis, Testimonium admittatis, juxta illud Dominicum, *In ore duorum vel trium Testium stat omne verbum. Ib.* §. 2. *init.*

IV.

IV. Secundùm ordinem solitum judiciorum, non sufficit unius Testis assertio, etiamsi Præsidiali refulgeat dignitate. *De Testibus.* Cap. *Licet.* Lib. II. §. 1. *med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 47.

Testimonium unius non probat. *Glossa.*

V. Unius testimonium nemo Judicum in quacumque Causâ facilè patiatur admitti. Caus. IV. Quæst. III. Cap. 3. *Si testet. fin.* §. *Jurisjurandi.*

Cùm unus testis solus dicit se vidisse aliquid, & alii testes dicunt se audivisse, non tanquàm sufficienter approbantes, sed tanquàm vehementer adminiculantes, assertionem adjuvant. *De Successionibus ab intestat.* Cap. *Cùm Dilectus.* Lib. III. Decr. *Tit.* 27. *Cap.* 3. In Libro Quæstionum Veteris Testamenti 45. fortè Hilarius *Diaconus ann.* 380.

VI. Unius testis responsio omninò non audiatur, etiamsi præclaræ Curiæ honore præfulgeat. *Ibid.*

Effrænatam multitudinem Testium refrenari volumus, ut hinc indè quadragenarium numerum Testium excedere non permittas. *De Testibus.* Cap. *Cùm causam.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 37.

Judices volunt effrænatam multitudinem Testium refrænari. *Ibid.* Cap. *Significaverunt.* §. 2. *med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. *Cap.* 36. In Gallia vetatur ne plures quàm decem Testes producantur & audiantur in re civili. *Ord. ann.* 1667. *Tit.* 27. *Art.* 21.

SECTIO III.

Quæ personæ omninò repellantur à ferendo testimonio, seu quæ de Jure Testes esse non possunt?

I. Mulier non potest Testis esse. Caus. XXXIII. Quæst. V. Cap. 17. *Mulierem. med. Concil.* Turon. III. *Can.* 14. *ann.* 813. Tom. VII. Conc. *pag.* 1266.

Vilissimi Testes exhibiti nullius sunt momenti. *De Testibus.* Cap. *In nomine.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 2.

II. Ad testimonium infrà annos quatuordecim ætatis suæ non admittantur. Caus. IV. Quæst. III. Cap. 1. *Testes. fin.* Vide *Ordinationem Regiam ann.* 1667. *Conc.* Mogunt. *ann.* 888. *Cap.* 13. Tom. IX. Conc. *pag.* 410. Ex *Conc.* Cartag. VII. Cap. 4. *ann.* 419. Caus. II. Quæst. I. Cap. 7.

Infrà quatuordecim annos impubes non recipitur ad testimonium. *Glossa*, verbo, *Ad testimonium.* In decimo Libro *Capitularium*, Cap. 63. *ann.* 789.

III. Qui semel perjuratus fuerit, nec Testis sit post hoc. Caus. XXII. Quæst. V. Cap. 14. *Parvuli. med.*

IV. Infames tanquam idonei Testes non debent admitti, cùm actus legitimi sint infamibus interdicti. *De Testibus.* Cap. *Licet ex quadam.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 45.

Infames à testimonio repelluntur. *Glossa.*

Quamquam Sacerdotum. Caus. XIV. Quæst. II. Cap. 2. *Quamquam.*

V. Sicut Canonica Instituta declarant, Testes absque ullâ infamiâ, vel suspicione, vel manifestâ maculâ, in ferendo testimonio requiruntur. *De Exceptionib.* Cap. *Denique.* §. 1. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 25. Cap. 1.

Si Clerici idonei sint ad assertionem Causæ illius, nullatenùs removeantur. Caus. XIV. Quæst. II. Cap. 1. *Super prudentiâ. fin.*

Paschalis II. Archiepiscopo Visnnensi, *an.* 1115.

Nolumus ut aliqui morbo consimili laborantes, si certum sit, aut legitimè convinci possint super his, si ab alterutra parte adducantur, in testimonium recipiantur. *De Testibus.* Cap. *Personas.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. C. 4.

VI. Consanguinei accusatoris adversùs extraneos testimonium non dicant, nec familiares, vel de domo prodeuntes. Caus. III. Quæst. V. Cap. 1. *Consanguinei.* Cap. 24. *De Testibus.*

Consanguinei accusatorum, vel familiares eorum, vel de domo sua prodeuntes, contrà extraneos testificari non possunt. *Glossa.*

VII. Testes probatissimi, & pauci de pluribus esse debent, tales de quorum fide non dubitetur &c. *Conc.* Cabillon. II. *ann.* 813. *Can.* 21. Tom. VII. Concil. *pag.* 1277.

Testimonium eorum qui perjuri sunt non est aliquatenùs admittendum. *De Testibus.* Cap. *Sicut nobis.* §. 1. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 9.

VIII. Quicumque sciens se perjuràverit, nunquàm in testimonium recipiatur. Caus. VI. Quæst. I. Cap. 18. *Quicumque.*

Fabianus *Papa* circa *ann.* 245. Eorum testimonium, in Causis in quibus Actores vel Responsales sunt instituti, non debent admitti. *De Testibus.* Cap. *Insuper. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 6.

Non potest quis in eadem Causa esse Procurator & Testis. *Glossa.*

IX. Qui in perjurio conscientiæ probantur, posteà ab omni testimonio sunt removendi, & secundùm Legem infamiâ notabuntur. Caus. XXII. Quæst. V. Cap. 7. *Si quis convictus. fin.*

Ex *Concil.* Matisconensi I. *Cap.* 27. *ann.* 581.

X. In appellationis Causa, is qui Appellantis Procurator vel Advocatus in priori judicio fuerat, non recipiatur in Testem. *In* 6. *De Testibus.* Cap. *Romana.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 10. Cap. 3.

Advocatus vel Procurator principalis Causæ in Causa appellationis testificari non potest.

XI. Testimonium Christianorum adversùs Judæos recipiendum est, cùm isti adversùs Christianos Testibus suis utantur, vel uti præsumant; excommunicandi quicumque, Judæos in hoc Christianis præferri voluerit. *Cap.* 21. *De Testib. & attest.*

XII. Perseverans in crimine, tàm in Civili quàm in Criminali Causâ à testimonio repellitur, secùs si emendatus fuerit, nisi agatur de crimine quod infamia comitatur, vel perjurus sit, vel criminalis sit actio. *Cap.* 54. *De Testib.*

XIII. In Criminali, si in alio judicio instituta accusatione contrà ipsum, de crimine convictus vel confessus extitit, vel si nunc per exceptionem exindè convincatur, aut gravata sit ejus opinio, pro eo quod quandoque fuit tali modo expulsus, quamvis in hoc casu non excluderetur in Causâ Civili, potest à testimonio, licet egerit Pœnitentiam, removeri. *Ibid.*

XIV. Non debet in Criminibus, nisi fortè in exceptis Criminibus, ad testificandum admitti, pendente accusatione de crimine contra ipsum. *Cap.* 56. *De Testib.*

XV. Nullus dicat testimonium, nisi jejunus. *Cap.* 1. *De Testibus.*

Cautela hæc sumpta est, vel in reverentiam juramenti præstandi; sunt enim plures Canones qui hoc exigunt à jurantibus; vel ad conservandam testimonio suam autoritatem: Hæc cautela inolevit.

Applicari potest personis quibus Testes esse permittitur *Cap.* 23. *De Sponsal.* quod loquens de illis qui matrimonium contrahere possunt, ait iis omnibus permitti quibus non prohibetur, idque quia Edictum circa matrimonia est prohibitorium; id enim Edicti genus convenit omnibus rebus Jure Naturali & Divino licitis, qualis haud dubiè testificatio, cùm hujusmodi res remaneant licitæ c[illegible]e quandiù Jure Humano illi non prohibentur; [illegible]d autem jus, cùm natum sit propter utilitatem communem Civium, illas res vetat nemini, nisi in se habeat aliquod vitium propter quod illarum sit incapax, ideòque impedimentum illas ita faciendi ut salva sit utilitas publica.

Plura hîc sese offerrent dicenda circa præfatum principium testibus accommodatum; sed cùm istud peculiare nihil habeat circa Testes, illa missa facimus, ne sine justâ causâ à proposito digrediamur, ideoque obiter notasse sufficiet singula hujusmodi Edicta esse odiosa, quia restringunt naturalem hominum libertatem, ac consequenter restringenda ad illas personas quæ in illis nominatim exprimuntur; id insinuat Cujacius *in Cap.* 23. *De Sponsalib.* Ubi explicans vim Edicti prohibitorii circa matrimonium, dicit illud non extendi ad alios quàm ad illos qui nominatim prohibentur;

bentur ; idem probatur in Tractatu De Irregularitate; ibi enim videre est, illos tantùm esse Irregulares quoad Ordines vel Beneficia, qui ab illis expressè excluduntur nec non utrorumque effectus nullos, nisi qui in Jure nominantur tales, nec satis esse ut quoddam personarum genus hoc in numero recenseatur, quod ratio Canonum illi conveniat.

Qui & quales esse debeant Testes in Gallia, habes in *Ordin. ann.* 1667. *Tit.* 21. 23. *Ordin. ann.* 1670. *Tit.* 6. ubi Clerici & Monachi ad testandum coram Judice Sæculari, & in re Criminali compelluntur per pœnas Sæculares. Propinqui, sive consanguinitate, sive affinitate, à ferendo testimonio, si sint infra gradum quartum, excipiuntur.

SECTIO IV.

Illi etiam repellendi sunt Testes in Causa Criminali vel Civili, qui certorum criminum Rei convincuntur.

I. Super eo quod quæsivisti, utrùm Testes sint reprobandi in Causa Criminali vel Civili, quibus ab Adversa Parte crimina opponuntur ; Respondemus, quod si etiam ante non sunt convicti vel confessi de criminibus illis, dummodò indè convincantur, in testimonium non debent admitti *De Testibus.* Cap. *Super eo.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 13.

Secundùm Canones repellitur à testimonio, sive jam condemnatus sit, sive & probari possit & probetur crimen. *Glossa*, verbo, *Confessi. fin.*

II. Testimonium ejus cui ab Adversa Parte opponitur crimen, meritò reprobatur in Criminali Causa, seu Civili, si in ipso crimine perseveret. *De Testibus.* Cap. *Testimonium. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 54.

Testis qui in crimine detinetur, secundùm Canones non admittitur ad testimonium. *Glossa.*

III. Si sit de crimine emendatus, & eum non comitetur infamia, non est in Causa Civili, vel etiam cum de crimine civiliter agitur, præterquàm pro reatu perjurii, repellendus. *Ibid.* §. 1.

Si est emendatus, admittitur in Causa Civili, vel ubi de crimine civiliter agitur. *Glossa.*

Perjurus post quantamcumque Pœnitentiam, ad testimonium ampliùs non recipitur. *Gloss.* verbo, *Perjurii.*

IV. In Criminali autem, si in alio judicio instituta accusatione contra ipsum, de crimine convictus extitit, vel confessus, vel si nunc per exceptionem exindè convincatur, aut gravata sit ejus opinio pro eo quod quandoque fuit tali modo repulsus, quamvis in hoc casu non excluderetur in Causa Civili, potest à testimonio, licet egerit Pœnitentiam, removeri. *Ibid.* §. 2.

Quod si opinio alicujus gravata est, ad testimonium admitti non debet in Causa Criminali, cùm absque omni infamia debeat esse Testis. *Glossa*, verbo, *Opinio.*

Qui in judicio condemnatus fuit de crimine, sufficit ad hoc ut à testimonio repellatur in Causa Criminali, licet egerit Pœnitentiam, nec necesse est ut ampliùs convincatur. *Glossa*, verbo, *Confessi.*.

V. Si crimina Testibus objiciuntur, de quibus non fuerant hactenus accusari, sed per exceptionem opponuntur; probatio illorum criminum exhibenda est, antequàm Causa per sententiam terminetur. *De Exceptionibus.* Cap. *Denique.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 25. Cap. 1.

Cùm quis personas Testium se velle post publicationem depositionum repellere fuerit protestatus, si quid pro ipso dixerint, non facilè credatur. *De Testibus,* Cap. *Præsentium. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 31.

VI. Cùm Pars asserit Testes non esse recipiendos pro eo quod quidam eorum in Causâ alia fuerunt convicti de perjurio, & se hoc dixit probaturum ; si nihilominùs Judices Testes tales recipiant, meritò appellatur. *De Testib.* Cap. *Ex parte.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit* 20. Cap. 7.

VII. Quod si sola crimina, de quibus alio tempore convicti vel confessi fuerunt, testibus objiciuntur, à testimonio repelli possunt. *Ibid.* §. 2.

SECTIO V.

Testes repelli possunt cùm sunt mala fama, cùm in Causa versantur.

I. Quidam Testes, quamvis non reprobentur expressè, usque adeò tamen malæ famæ sunt & levis opinionis, quod eorum dictis nulla vel modica fides est adhibenda. *De Probationibus.* Cap. *Licet causa.* §. 3. *med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 9. Id est criminibus expressè probatis. *Glossa, hoc verbo.* Testibus malæ famæ non est credendum, vel saltem modica fides est adhibenda. *Glossa.* Qui consimilem Causam habet in Causa consimili Testis esse non debet. *Gloss.* Mala fama comprehendit infamiam facti, & infamiam juris. GONZAL. *n.* 14. Ideòque sicut ista à testimonio excludit, ita & illa; idque meritò, quia ista provenit ex actuali corruptione, illa verò ex corruptione pratetita.

II. Si coram te, vel alio quolibet, negotia ventilentur, nolumus ut aliqui morbo consimili (a) laborantes, si certum sit, aut legitimè super hoc possint convinci, si ab alterutra Parte Testes adducti fuerint, in testimonium admittantur. *De Testibus.* Cap. *Personas.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 20.

(a) GONZAL. hæc verba, *morbo simili*, interpretatur de simili causâ, undè fit suspectum illorum testimonium.

SECTIO VI.

Recipi debere Testes quos Pars duxerit contrà personas Testium ab Adversa Parte productorum producendos ; contra quos probatio admittatur, non ulteriùs reprobandos.

I. Recipiatis Testes quos contra personas productorum super principali negotio Partes duxerint producendos. *De Testibus.* Cap. *Licet Dilectus.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 49.

Ad reprobationem Testium ex Parte altera productorum, Pars, si velit, potest producere Testes. *De Probationibus* Cap. *Licet Causam.* §. 2. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 9.

Possum reprobare Testes Adversarii mei. *Glossa*, verbo, *Reprobationem.*

Duæ reprobationes Testium fieri possunt, & non ultrà, ne in infinitum negotium prorogetur. *Glossa.*

Recipias Testes quos utraque Pars, tàm super principali negotio, quàm in personas Testium, duxerit producendos. *De Testibus.* Cap. *Cùm causam.* §. 1. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 37. In illo habes circumstantias unde peti possunt reprobationes Testium.

II. Hos si rursùs Pars altera vel utraque voluerit reprobare, contrà eos probationes admittere procuretis ; ita quod ultra non liceat Partibus ad reprobationem Testium aspirare, ne si producendi quartos contrà tertios, & sic deinceps, Partibus licentia tribuatur, negotium diutiùs protelati contingat. *Ibid. med.*

III. Testes quos super articulis Pars duxerit producendos, ad reprobandos Testes Partis alterius in Causa Principali, productos examines, secundùm Partis Adversæ interrogatoria, diligenter. *In 6. De Testibus.* Cap. *Præsentium.* §. 2. LIB. II. *Tit.* 10. Cap. 2.

Procuratores ad producendos Testes, per quos inductas à Parte Adversa repellant inducias, postulare possunt. *De Privilegiis.* Cap. *Cùm olim.* §. 2. *med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33 Cap. 12.

Testes possunt induci ad reprobationem Testium inductorum. *Gloss.*

Hujus-

Hujusmodi Testes cùm depnnant tantùm circa exceptionem, cujus probatio non rendit ad pœnam sed tantùm ad exclusionem à testimonio, tantæ autoritatis esse non debent, quantæ Testes inducti contrà accusatum, cùm accusatio tendat ad punitionem seu vindictam publicam.

IV. Si altera Pars aliquos Testes produxerit, contrà Testes ab Adversâ Parte producendos; juxtà articulos quos super reprobationem Testium productorum Partis in eâdem Causâ produxerit, recipere ac diligenter examinare procures. *Ibid.* §. 3.

Usus Galliæ circà reprobationes Testium habetur *in Ordin. ann.* 1667. *Tit.* 23. Non multùm distat à Jure Communi Canonico, ut patet ex Collatione; Gallia rejicit reprobationes vagas, vult ut scripto probentur illæ de quibus scripto constare debet, Parti significari, judicium reprobationum præcedere judicium Causæ, nullas fieri à Procuratore sine mandato speciali Domini.

SECTIO VII.

Specificari debent in particulari crimina propter quæ Pars intendit Testes reprobare cum earum nominibus.

I. Testium reprobandorum nomina in articulis contineri debent. *In 6. De Testib.* Cap. *Præsentium.* §. 2. Lib. II. *Tit.* 10. Cap. 2.

II. Reprobans Testes debet dicere contrà quos Testes opponit crimina. *Glossa.* Ne esse possit variationi locus, *v. g.* intendit talis probare talem Testem. *Glossa*, verbo, *Nomina.*

Primâ in personâ cujuslibet Testis producti, actâ sigillatim specificatione criminum, & aliorum objectorum in articulis contentorum, illa examinati debet. *Ibid.*

III. Similis specificatio criminum, & aliorum quæ contra Testes reprobatorios objecta fuerint, observetur. *Ibid.* §. 3.

Reprobans Testes debet dicere in specie crimina, vel alia per quæ impediuntur Testes esse; putà quod sunt vel fuerunt Advocati & Procuratores in Causa. *Glossa*, verbo, *Et aliarum objectorum.*

IV. Pervertitur Juris ordo, cùm proceditur ad receptionem Testium, lite nondùm super eodem negotio contestata. *De Judic.* Cap. *Exhibita.* §. 1. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 1. Cap. 19.

V. Si constiterit quod ante litem contestatam, vel post appellationem legitimè interpositam, Testes absque culpâ contumaciæ recepti fuerint, attestationes hujusmodi decerni debent irritæ & inanes. *Ut Lite non contest.* Cap. *Accedens.* Lib. II. §. 1. *med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 6. Cap. 4.

SECTIO VIII.

Citandam esse Adversam Partem ut Testes validè audiantur. Si Pars adesse noluerit, procedat Judex ac si Pars præsens fuisset.

I. Admonendus est semper Adversarius ut ad audiendos Testes veniat; quod cùm omissum est, necessè est ut quod contrà Legem actum est, non habeat firmitatem. *De Testib.* Cap. *In nomine Domini.* §. ult. Lib. II. Decr. *Tit.* 20. *Cap.* 2. Huc facit *Art.* 5. *Tit* 22. *Ordin. cit.*

Gregorius I. Joanni *Defensori*, *ann.* 603. Testes recepti altera Parte absente & non citatâ, non valent. *Glossa.*

II. Ne objiciatur quod per unam Partem gesta confecta sunt; oportet ut testimonia dentur Adversario admonito à Judice aut Defensore venire & audire Testes. *Ibid. De Testib.* Cap. *In nomine Domini.* §. 2. Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 2.

III. Si Adversarius noluerit venire, & non ex inevitabili quadam necessitate venire non possit; hujusmodi testimonia ita valent tanquam si non ex una Parte consisterent, sed etiam ipso præsente facta fuissent. *Ibid. fin.*

Si noluerit venire, tunc recipientur Testes & valebunt ac si præsentes essent. *Glossa*, verbo, *Noluerit.*

Si non potest venire justâ de causâ detentus, non reputatur contumax, & si tunc recipiantur Testes, non valet si causam absentiæ ostenderit. *Glossa*, verbo, *Inevitabili.*

IV. Denunciandum iis quorum interest ut receptioni Testium, si velint, intersint. *De Testib.* Cap. *Significavit.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 41.

Non est ita intelligendum ut audiant Testes cùm depunnt dictum suum; cùm in secreto & sigillatim sint recipiendi, sed audire debent Testes, id est, videre & audire eos jurantes. *Glossa*, verbo, *Audire.*

Testis recipi debet quando juravit. *Glossa. margin.*

Non valet receptio Testium, nisi denunciatio de hoc etiam facta sit Parti Adversæ. *Glossa*, verbo, *Denunciando.*

V. Si Actor receptionem Testium non denuntiaverit Adversario, Attestationes sic receptæ non valeant. *Ut lite non contestata.* Cap. *Quoniam.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 6. Cap. 5.

VI. Aliquando satisdatio idonea ab Adversario exigitur, quod ad Testes audiendos vadat vel mittat intrà terminum competentem. *De Fidejussoribus.* Cap. *Constitutus.* §. 2. Lib. III. Decr. *Tit.* 22. Cap. 3.

De hac denuntiatione fieri debet publicum Instrumentum, ut si dubitetur de denuntiatione, forsitan dubitaretur de valore attestationum.

Hoc, si voluerit; aliàs non compellitur, sed sufficit quod ei denuncietur ut mittat vel vadat ad Testes videndos, aliàs reciperentur in termino constituto. *Glossa*, verbo, *Satisdatione.* Quod dicit audiendos, id est, videndos jurare. *Ibid.*

Super denunciatione facta confici facias publicum Instrumentum. *De Testib.* Cap. *Significavit.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 41.

SECTIO IX.

Judices debere Testes idoneos recipere, & legaliter ac diligenter examinare; si verò absentes & in loco remoto, aliis committere ut illos examinent.

I. Testes duntaxat idoneos, qui fuerint ad probandum inducti, recipiaris legaliter & examineris prudenter. *De Testib.* Cap. *Tam literis.* §. 1. *post init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 32.

Proferendo testimonio nullum ullatenus Judex convocet, nisi quando conditio & status Causæ requirunt. *In 6. De Rescript.* Cap. *Statutum.* §. ult. Lib. I. *Tit.* 3. Cap. 11.

II. Cùm utrique Parti nimis existit onerosum ut Testes producantur coràm Judice, alius recipiat Testes, quos utraque Pars, tàm super speciali negotio, quam in personas Testium, duxerit producendos. *De Testib.* Cap. *Cùm Causam.* §. 1. *init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 37.

III. Testes quos aliquis in suæ assertionis testimonium invocaverit, monere curetis ut coràm vobis super his perhibeant testimonium veritati. *De Testib.* Cap. *Ex Parte.* §. ult. Lib. II. Decr. *T.* 20. Cap. 7.

Testes diligenter examinare procures, & de singulis circumstantiis prudenter inquirens, de causis, videlicet, personis, loco, tempore, visu, auditu, scientia, credulitate, fama, & certitudine, cuncta plane conscribas. *Ibid. De Testib.* Cap. *Cùm Causam.* §. 1. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 37.

Judex discretus in omnibus istis & aliis per quæ possit veritas meliùs perscrutari, debet interrogare; aliter ad veritatem non possumus pervenire.

IV. Testes idoneos, quos Pars duxerit producendos, examines diligenter, & eorum dicta in publica redigi facias monumenta. *De Testib.* Cap. *Significavit.* §. 1. *init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 41.

Hæc

Hæc est bona provisio ad cautelam futurorum, ut sic redigantur Testes in publicam formam.

V. Testes curetis recipere, depositiones ipsorum in scriptura publica redigi facientes. *De Testibus.* Cap. ALAERICUS. §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 43.

VI. Testes quos duxerint producendos, examinare sigillatim curetis, cum eâ diligentiâ, quæ solet & debet in receptione Testium adhiberi. *De Testibus.* Cap. *Venerabili.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 52.

Testes sigillatim & secretò sunt examinandi, aliàs non valent. *Glossa.*

Ideò examinandi sunt secretò & separatim, quia unus instrueret alium, & sequeretur dictum alterius; & ita non posset falsitas eorum facilè deprehendi. *Glossa*, verbo, *Examinaute sigillatim.*

VII. Fideliter redigat in scriptis depositiones Testium juratorum. *De Privilegiis.* Cap. *Cùm olim.* §. 1. LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 32.

VIII. Quia difficile foret suos Testes in Provinciam ducere, Judicibus loci literis significes, ut eos vice tuâ recipiant & examinent diligenter, & depositiones eorum transmittentes inclusas significent quanta fides possit Instrumentis vel Testibus adhiberi. *De Fidejussoribus* Cap. *Constitutus.* §. *ult.* LIB. III. DECR. *Tit.* 22. Cap. 3.

Si Testes remoti sint, debent eorum testimonia recipi, & mitti Judicibus qui de causa cognoscant. *Glossa.*

IX. Testes ad ferendum testimonium coràm Judicibus, vel eorom nuntio quem ad hoc miserint, compellantur. *De Testibus cogendis.* Cap. *Causam.* §. 2. LIB. II. DECR. *Tit.* 21. Cap. 1.

X. Judex à producente Testes competentes, vocatis, pro testimonio veniendo, stando, & redeundo, faciat ministrari expensas. *In 6. De Rescrip.* Cap. *Statutum.* §. *penult. fin.* LIB. I. *Tit.* 3. Cap. 11.

XI. Si qui Testium valetudinarii sunt, & senes, vel debilitate confecti, aut paupertate depressi, ita quod oon possint ad Judicis vestram præsentiam adduci, ad ipsos reeipiendos mittatis personas idoneas & discretas. *De Testibus.* Cap. *Si quis Testium.* LIB. II. DECR. *Tit.* 10. Cap. 8.

Judex mittere debet ad Testes in casibus hujus Capituli, oec debent compelli venire ad Judicem. *Glossa.*

Ad istos impeditos tali infirmitate vel senectute, & egregias personas debet mittere Judex, vel ad Judicem loci, ut eos recipiat, & dicta eorum sigillatim sibi rescribat. *Glossa*, verbo, *Valetudinarii.*

SECTIO X.

Quomodo Judices receptis Testibus, ex illorum testimoniis animi sui motum formare debeant?

I. Hinc indè Testes produci possunt ad cognitionem Judicis instruendam; quibus examinatis Judex quos præcellere intellexerit, ad fidem sibi faciendam admittat. *De Probationibus.* Cap. *Ex litteris.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 3.

Super assertionem alicujus, habito ad dignitatem & opinionem Testium respectu, probariones credimus admittendas. *De Renunciat.* Cap. *Super hoc fine. juncta Glossa.* LIB. I. DECR. *Tit.* 9. Cap. 5.

II. In possessorio, si ambarum Partium Testes sint æquè idonei, possessoris Testes præferentur, cùm promptiora sint jura ad absolvendum quàm ad condemnandum. *Ibid.* §. 2.

III. In liberali causa, si utriusque Partis Testes æquales fuerint, pro libertate sententia profetetur. *Ibid. fin.*

Dignitas & opinio Testium de Jure est consideranda. *Glossa.*

IV. Cùm evidenter apparet quod Pars per Testes numero plures, quibus potiùs lux veritatis assistit, qui etiam aptiora negotio & vero proximiora in suis testimoniis expresserunt, sufficienter ostendit jus suum, Pars adversa condemnari debet, & ei silentium imponi. *De Probationibus.* Cap. *Licet causam.* §. 4. & 5. LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 9.

V. In possessionom vel hujusmodi negotiis, hi potissimùm assumendi sunt qui eadem negotia tractaverunt, de quorum auditu & visu hæsitatio esse non debeat. CAUS. XIV. QUÆST. II *Cap* 1. *Super prudentiam. med.* PASCHALIS II. *Archiepiscopo Viennensi, anno* 1115.

VI. Ad multitudinem tamen respicere non oportet, sed ad Testium qualitatem, & ad ipsorum deposita, quibus potiùs lux veritatis assistit, ex quibus motum animi sui convenit Judicem informare. *De Testibus.* Cap. *In nostra.* §. 1. *med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 1. Cap. 32.

VII. Non semper debet Judex ad multitudinem Testium se referre, sed potiùs ad honestatem & opinionem Testium qui verisimiliora negotia dicant. *Glossa.*

VIII. Cùm Testes eiusdem existimationis sunt, tunc standum est numero Testium. *Glossa.*

Quod hic dicitur, recurrendum est ad dignitatem personarum, ut autoritas præferatur multitudini ex Parte altera, intelligitur quando numerus in modicum excedit. *Glossa*, verbo, *Refereuda.*

Si verò Testes ex parte Actoris producti tantæ præminentiæ fuerint, quod eorum autoritas aliorum sit meritò multitudini præferenda, ab impetitione rei absolvitur. §. 2. Ut in electione sanior pars quandoque præferebatur majori, ita in depositionibus Testium pars sanior quandoque prævalebit majori.

IX. Licet Judex vix fidem adhibere possit quod res aliqua gesta sit; tamen Pars per viros religiosos, providos, & honestos, de quibus non est verisimile quod suæ salutis obliti, ac juramenti religione contemptâ, falsum testimonium tulerint, ei facit super his quæ sunt proposita plenam fidem, depositionibus stare debet. *De Procuratoribus.* Cap. *In nostra.* LIB. I. DECR. *Tit.* 38. Cap. 4.

SECTIO XI.

Testium dicta non valent cùm vel singulares sunt, vel de auditu tantùm & fama loquuntur, vel cùm variant.

I. Cùm Testes sunt vel soli, vel tales qui non possunt dicta legitimè comprobare, nihil sufficienter ostendunt. *De Testibus.* Cap. *Tam litteris. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 10. Cap. 33.

Testes singulares non probant. *Glossa.*

II. Qui sunt in dicto sui testimonii singulares, non probant. *De probationibus.* Cap. *Licet causam.* §. 3. LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 9.

III. Non potest aliquid comprobari, cùm singuli sunt in suo testimonio singulares. *De electione.* Cap. *Bona memoria.* §. 3. LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 23.

Eorum voces tanquàm plurium non admittuntur quos temporum quidem diversitas simul interfuisse prohibuit. CAUS. III. QUÆST. IX. *Cap. Nihilominùs.* Voces eorum singularis Testis non probat. *Glossa*, verbo, *Probatio fin.*

IV. Non sunt audiendi tanquàm plurium qui distinctis temporibus interfuerunt; & contrà aliquid est probatio insufficiens eo quod singuli sint in suis testimoniis singulares. *De elect.* Cap. *Cùm dilectus.* §. 3. *med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 32.

Testis qui sibi contradicit non valet. *Glossa.*

V. Testes non probant si sibimet in serie sui testimonii contradicant. *De probat.* Cap. *Licet causam.* §. 3. LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 9.

VI. Testes generaliter repelluntur cùm non probant illud ad quod probandum Pars se adstrinxit. *Ibid. De probat.* Cap. *Licet causam* §. 3. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 9.

SEC-

SECTIO XII.

Quale debet esse testimonium quod ferunt Testes? Diversitas verborum non vitiat, si idem in substantia concludatur.

I. Nihil obstat narrandi diversitas ubi eadem dicuntur. *De Verbor. significat.* Cap. *Nihil. init.* Lib. VI. Decr. *Tit.* 40. Cap. 7.

Pro Testibus qui diverso modo ferunt testimonium, non nocet; dum tamen eadem dicant; secùs, si contraria dicerent. *Glossa.*

II. Testimonium de auditu minùs est validum. *De Consanguinit.* Cap. *Tua nos. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 14. Cap. 7.

Testimonium de auditu est minùs validum. *Glossa.*

III. Testes producti debent per ordinem nominibus propriis vel æquipollentibus indiciis designare personas. *Ibid.*

Non refert an proprio nomine, vel per circumlocutionem expressam, aliquod exprimatur quod æquipolleat proprio nomini. *Glossa*, verbo, *Æquipollentibus.*

IV. Testes proprio juramento firment quod ad ferendum testimonium in causa ipsâ, odio, amore, timore, vel commodo non procedant. *De Testib.* Cap *Licet ex quodam.* §. 1. *init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 47.

V. Testes personas expressis nominibus, vel demonstratione, vel circumlocutione sufficienti; designent. *De Testib.* Cap. *Licet ex quadam.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 47.

VI. Pura & simplex testimonii series intimanda est: plerumque Testis dum aliquid ad seriem gestorum ex suo addit, totam testimonii fidem Partis mendacio decolorat; nihil igitur, vel quod bonum videtur, addendum est. Caus. XVII. Quæst. IX. Cap. 17. *Pura.* S. Ambrosius. Lib. *De Paradiso.* Cap. 12. *n.* 56. *circa. ann.* 375.

VII. Cùm Judex deprehendit Testes unius Partis in perhibendis testimoniis varios extitisse, atque adversùs fidem suæ attestationis coràm Auditoribus vacillasse. *De Causa.* Cap. *Cùm Ecclesia.* §. 2. *init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 12. Cap. 3.

Testis qui varius est in dicto suo, non valet. *Gloss.* Item qui vacillat rejicitur. *Glossa.*

VIII. Nimis indignum est, juxtà Legitimas Sanctiones, ut quod suâ quisque voce dilucidè protestatus est, in eundem casum proprio valeat testimonio infirmare. *De Probationib.* Cap. *Per tuas.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 19. Cap. 1.

Primo dicto alicujus standum est, etiamsi posteà velit in contrarium jurare; nec valet si Testes ex intervallo velint mutare dictum suum. Cap. 33. *De Reg. Jur. In 6.* Confirmat hanc *Glossa*; fert enim quod nemo potest mutare consilium cum alterius detrimento: Huc etiam facit *Cap.* 21. *Ibid.* Quod semel placuit ampliùs displicere non potest.

IX. Cùm ex duorum depositione aliquid constat, licet testimonium ipsorum quasi nudè prolatum fuerit, cùm de causis nihil dixerint, depositionibus Testium standum est. *De Sententia.* Cap. *Sicut.* *il* 2. Decr. *Tit.* 27. Cap. 56.

Verum est quod Testis debeat assignare causam sui testimonii, si interrogatus fuerit; si verò interrogatus non fuerit, benè valet dictum ejus, licet fuerit nudè prolatum. *Glossa*, verbo, *Causis.*

X. Etsi probatum sit per Testes, quod postquàm Pater & Patruus viri contradixere Sponsalibus, idem vir mulierem illam cognoverit, tamen non est aliquomodò probatum quod antequàm ipse cognoverit eandem, Pater ejus, & Patruus contradicere curavissent. *De Conditionib. appositis.* Cap. *Per tuas.* §. 2. *fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 5. Cap. 6.

Contrà eum fit interpretatio qui Testes produxit, cùm expressè non probant id ad quod inducuntur, sed obscurè. *Glossa*, verbo, *Probatum sit.* Testes reprobantur qui sibi invicem evidentissimè contradicunt. *De Probationib.* Cap. *Licet causam.* §. 3. Lib. II. Decr. *Tit.* 19. Cap. 9.

SECTIO XIII.

Post publicationem Attestationum, de iis potest disputari; illas benignè interpretari convenit; sed non potest ulterius in personas Testium aliquid objici, nisi fuerit protestatus, vel probet se posteà didicisse, vel Testem corruptum falsa dixisse contendat.

I. Super dictis Testium, cùm fuerint publicata, publicè potest disputari. *De Testib.* Cap. *In causis. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 15. Id est, refelli post publicationem, oppositis exceptionibus, seu dispungi, & discuti. Gonzalez, hoc verbo, *Disputari.*

II. Dicta Testium benignè interpretari convenit, ne perjurii reatu notentur; cùm utrumque esse potest, quia constat Testes jurasse. *De Testib.* Cap. *Cùm tu fili.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 16.

Testes, si potest fieri, ad concordiam sunt reducendi, ne perjurii reatu notentur; & si non ad literam, saltem quoad specialem intellectum. *Glossa*, verbo, *Benignè.*

Testes semper debent, si possunt, concordari, propter perjurium. *Glossa.*

III. Si quis post depositiones Testium publicatas objicere voluerit in personas eorum, ei id non liceat, nisi forsan ante publicationem id fuerit protestatus; vel ostendere poterit quod post publicationem didicerit quod objicit in personas. *De Testibus.* Cap. *Præsentium. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 31.

Objicere potest quis in personam Testis, quod sit perjurus, infamis, conspirator, inimicus, quod sit corruptus, quod sit servus, & multa alia. *Glossa*, verbo, *Personas.*

Regula est quod post publicationem Attestationum, non potest objici in personas Testium, scilicet eorum qui deposuerunt. Duo casus à Regula excipiuntur. *Glossa prima.*

IV. Attestationibus publicatis, si Reus proponat se velle in personas Testium ex parte altera productorum quædam objicere, ac probare: Actore asserente id fieri non debere, decernat Judex Reum nullatenùs audiendum, cùm infrà spatium concessum, Testes hujusmodi producere non curaverit, intrà quod utraque Pars Testes inducere potuit, tàm in personas Testium, quàm super negotio principali. *De Probat.* Cap. *Licet causam.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 19. Cap. 9.

V. Si post hoc idem objiciat in Testes prædictos quod corrupti falsa dixerint; Judex Testes quos super hac exceptione Reus dixerit producendos, intrà certum terminum recipere & examinare curet. *Ibid.* §. 2.

Attestationibus publicatis admitti debent Testes ad probandam corruptionem Testium qui falsa dixerunt.

SECTIO XIV.

Publicatis Attestationibus non posse novos Testes produci, nisi in causa subornationis, vel appellationis, super novis Capitulis.

I. Attestationibus publicatis sententialiter condemnatus, si ab hac sententia duxerit appellandum, Testes inducere potest ad probandum novum Capitulum quod pendet ex veteri. *De Fide Instrument.* Cap. *Cùm Joannes.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 22. Cap. 10.

Super novo Articulo, publicatis Attestationibus, Testes recipiuntur. *Glossa.*

II. Testibus ritè receptis, & eorum Attestationibus publicatis, non licet super eisdem vel directò contrariis articulis, alios vel eosdem Testes in principali causa producere; cùm subornatio sit timenda. Clement. II. *De Testib.* Lib. II. Clem. *Tit.* 8. Cap. 2. *Testib.*

Publicatio Attestationum impedit Testes super eisdem articulis vel directè contrariis produci, quando receptio illorum Testium seu depositio tenuit. *Glossa.*

III. Sic nec debet id in appellationis cauſa licere; cùm non minùs in appellationibus quàm in principali cauſa ſubornatio ſit timenda *Ibid fin*

Publicatis atteſtationibus. Teſtes produci non poſſunt, etiam in cauſa appellationis, ſuper eiſdem articulis, vel directè contrariis. *Gloſſa*, verbo, *Teſtibus.*

Atteſtationes ſunt dicta Teſtium, vel Teſtimonia ordine Juris in ſcriptis redacta. Dicta Teſtium dicuntur publicata, quandò inter Partes legitur quod quilibet Teſtis depoſuit. *Gloſſa.*

IV. Cùm quidam alius probare vult contrà probationem Actoris per Teſtes juramentis Canonicis factam, & Partibus publicatam; ſtandum eſt probationi priori. *De prob.*Cap.*Juravit.*§.1.LIB II DECR.*Tit* 19.

Sic patet quod publicatis Atteſtationibus ſuper eodem articulo, non ſunt Teſtes ulteriùs in contrarium admittendi, nec etiam alii Teſtes ad idem probandum. *Gloſſa*, verbo, *Partibus.*

V. In appellationis cauſa, ſi nova contigerit emergere capitula, ſuper quibus aliqua Partium voluerit novos Teſtes inducere, vel per jam receptos aliquid comprobare; eos credimus poſſe recipi ſuper novis dumtaxat capitulis; receptis priùs ab ipſis, ſecundùm formam recipiendorum Teſtium, juramentis. *De Teſtibus.* Cap. *Fraternitatis.* §.1. LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 17.

Poſt aperturam Teſtium, ſive in cauſa principali, ſive in causâ appellationis, non ſunt recipiendi Teſtes ſuper eodem Capitulo, ſuper quo Teſtes publicati ſunt, ſed ſuper novo benè recipiuntur. *Gloſſa.*

VI. Si Teſtimonium publicatum non eſt, nec eſt abrenunciatum Teſtibus, Teſtes idoneos in teſtimonium recipere non poſtponas. *De Teſtibus.* Cap. *Intimavit. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 18.

Atteſtationibus publicatis, ſuper eodem Capitulo non ſunt alii Teſtes recipiendi. Item, poſtquàm renunciatum eſt productioni Teſtium, non ſunt ulteriùs admittendi. *Gloſſa.*

VII. Judices ſuper aliis capitulis, ſi qua alia fuerint ab his ſuper quibus Teſtes recepti ſunt, & eorum atteſtationes publicatæ, Teſtes, ſi qui idonei producti fuerint, recipiant. *De Teſtibus.* Cap. *Cauſam.* §. 1. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 29.

Atteſtationibus publicatis non ſunt ulteriùs Teſtes alii recipiendi ſuper eiſdem Capitulis. *Gloſſa.*

VIII. Quæſtiones ſuper quibus Teſtes fuere producti, & depoſitiones publicatæ eorum, vel renunciatum fuit Teſtibus hinc & indè, nullis aliis ab alterutra Parte ſuper eodem receptis, ſecundùm tenorem ipſarum, mediante juſtitiâ, terminari debent. *De Teſtibus.* Cap. *Cùm veniſſet.* §. 2. LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 25.

Poſt publicatas Atteſtationes, licet altera Pars nullas produxerit, non ſunt alii Teſtes inducendi. *Gloſſa.*

Si Pars ad unum articulum eoſdem Teſtes produxerit, quos ad alium probandum produxit, vos nihilominùs recipere procuretis. *De Teſtibus.* Cap. *Cùm cauſa.* §. 2. LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 42.

Poſt publicatas Atteſtationes, novum Capitulum probari poteſt per Teſtes antiquos. *Gloſſa.*

IX. Si quæ fuerint quæſtiones ſuper quibus vel Teſtes non fuerint producti, vel renunciatum eiſdem; audiri debent ſi qua hinc indè propoſita fuerint. *Ibid.* §. 3. *fin.*

Si renunciatum fuiſſet Teſtibus, licet nullos Teſtes produxerit Pars illa quæ renunciavit, non eſt ulteriùs ad hoc admittenda. quia licitum eſt cuilibet renunciare juri ſuo. *Gloſſa*, voce, *Renunciatum*,

X. Si quis poſt Teſtium publicationem, Teſtes ſuos interrogari poſtulat iteratò, non eſt ſuper hoc audiendus, niſi forſan à principio illos interrogari ſuper certis capitulis poſtulaſſet; idque malitiosè vel negligenter fuerit prætermiſſum. *De Teſtibus.* Cap. *Per tuas.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 48.

Cùm Pars plura Capitula dedit, ſuper quibus petiit ab initio Teſtes interrogari: & ſi negligenter vel malitiosè Judex omiſit, non debet illi objici malitia vel negligentia Judicis; undè iterùm debet deponere ſuper illo articulo. *Gloſſa*, verbo, *Audiendum.*

XI. Qui Atteſtationibus publicatis proponit ſe velle in perſonas Teſtium ex parte altera productorum, quædam objicere, ac probare; nullatenùs eſt audiendus. *De probat.* Cap. *Licet* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 9.

XII. Poſt publicationem Atteſtationum, ſuper novo articulo debent Teſtes admitti. *De Teſtibus.* Cap. *Ex tenore.* §. *ult.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 35.

Super novo articulo, publicatis Atteſtationibus, poſſunt Teſtes recipi. *Gloſſa.*

XIII. Cùm Atteſtationes ſunt clauſæ, iidem Teſtes, ſi neceſſe fuerit, iteratò producantur. *De Teſtibus.* Cap. *Cùm cauſam. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. *Cap.* 37. Quandiù Atteſtationes ſunt clauſæ, poſſunt adhuc iidem Teſtes iteratò induci, ut addant, quia fortè tunc non tenebant omnia in memoria. *Gloſſa*, verbo, *Voluerint.* §. 2. LIB. II. DECR. *Tit.* 29. Cap. 46.

XIV. Judices recipiant Teſtes quos Partes, cùm nondùm teſtificata didicerint, duxerint producendos, & cùm non renunciatum Teſtibus producendis. *De Teſtibus.* Cap. 1.

SECTIO XV.

Quantum Crimen ſit corrumpi Teſtem, aut falſum dicere; ac ſemper licere, etiam poſt publicatas Atteſtationes, Teſtes producere ad probandum corruptum Teſtem falſa dixiſſe.

I. Multi ſcelus Judæ, quia Dominum ac Magiſtrum Deumque ſuum pecuniâ vendiderit, velut immane & nefarium exhorrent; nec tamen cavent; nam cùm pro muneribus, falſum contrà quemlibet Teſtimonium dant, profectò quia veritatem pro pecuniâ negantes, Deum pecuniâ vendunt; ipſe enim dixit: *Ego ſum veritas.* CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 83. *Abiit.* §. 2. BEDA ad Cap. 14. MARCI circa annum 720.

II. Teſtes ad Teſtimonium dicendum pretio non conducantur. CAUS. IV. QUÆST. III. *Cap.* 2. *Placuit. init. & De Teſtibus.* Cap. *Placuit.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 1. *Ex Concilio* MACIENSI *Cap.* 6. fortè ex *Capitularibus.* LIB. III. *Cap.* 32. & 52. *ann.* 809.

III. Sæpè contingit quod Teſtes corrupti facilè inducantur ad falſum Teſtimonium proferendum. *De Præſumptionibus.* Cap. *Quia veriſimile. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 23. Cap. 10.

IV. Falſidicus Teſtis tribus perſonis eſt obnoxius; primùm Deo cujus præſentiam contemnit, deindè Judici quem mentiendo fallit, poſtremò innocenti quem falſo Teſtimonio lædit. *De Crimine falſi.* Cap. *Falſidicus. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 20. *Cap.* 1. *Ex Concilio* DUZIACENSI II. *ann.* 874. *Cap.* 3. TOM. IX. CONC. *p.* 267.

V. Cùm quidam ſe corruptos dicunt Teſtimonium perhibuiſſe falſitati; diligenter inquirendi ſunt coràm quibus corruptio interceſſit; & ſi tales exhibeantur per quos poſſit prædictæ corruptionis veritas comprobari, recepto eorum teſtimonio eſt ſententia revocanda. *De Teſtibus.* Cap. *Sicut:* §. 1. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* Cap. 9.

Retractanda eſt ſententia, ſi conſtat eam fuiſſe latam ad dictum corruptorum Teſtium. SUMMA.

VI. Exceptio quod Teſtes corrupti falſa dixerint, non ſolùm antè, ſed etiam poſt ſententiam, poteſt opponi; & Judex Teſtes quos ſuper hac exceptione Pars duxerit producendos, recipere, & examinare curet, de ſingulis circumſtantiis ſubtiliter inquirendo. *De probat.* Cap. *Licet cauſam.* §. 2. LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 9.

VII. Teſtes inducti ad probandum quod Teſtes Partis Adverſæ corrupti falſa dixerint, repelluntur; cùm etſi de corruptione videantur aliquid dicere, de falſitate penitùs nihil dicunt. *Ibid.* §. 3.

VIII. Qui juramenta exhibent per quæ inter ſponſos divortii ſententia promulgatur, poſteà verò privatim ſe corruptos dicunt teſtimonium perhibuiſſe falſitati, adulterio uni pluribusve cauſam dederunt. *De Teſtibus.* Cap. *Sicut.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 9.

Qui occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur. *Gloſſa.*

Reus

Reus est qui mendacium dixit, quia nocere desiderat. *De Crimine falsi.* Cap. 1. §. 1. LIB. I. DECR. Cap. 1. & CAUS. XL QUÆST. III. Cap. 80. *Quisquis.* §. 1.

SECTIO XVI.

Attestationes in uno judicio recepta fidem faciunt in eadem causa inter easdem Personas, coràm alio Judice, si recepta coram Arbitris vel in alia Judicio, Pars potest approbare, vel rejicere: Si clausa sunt, tenetur ratas habere; si sint publicata inter alios & in alia Judicio, non nocent.

I. Susceptis Attestationibus utriusque Partis quæ ab aliis Judicibus sunt receptæ, causam ipsam fine debito terminetis. *De Testib.* Cap. *Causam.* LIB II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 11. Attestationes unius Judicis in alio Judicio locum habent. *Glossa.*

Testis curare debet super toto negotio dicere veritatem, qui inducitur ad peremptoriam exceptionem probandam, si hoc fuerit petitum, nisi in tribus casibus hic contentis. *Glossa.*

II. Si constiterit aliquem Testes pro se coram Judicibus produxisse, Attestationibus apud eum depositis sit contentus coram aliis Judicibus. *De Testib.* Cap. *Cùm consist.* §. 2. LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 30.

Is qui produxit Testes coràm Judicibus certis, non potest ad eumdem effectum coràm Judicibus aliis illos producere, sed illorum Atttestationibus debet esse contentus. *Summa.*

III. Attestationibus priùs exhibitis in Summario Judicio, Pars uti non tenetur, cùm non super principali negotio, sed super articulo incidenti fuerint, lite non contestatâ; receptæ, Testes eidem sunt recipiendi super toto negotio. *De Testib.* Cap. *Veniens.* §. 2. & 3. LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 38. GONZAL. *n.* 2.

Attestationes receptæ in Summario fidem non faciunt in plenario; & illarum publicatione non obstante, iidem vel alii Testes super iisdem Capitulis recipi possunt. *Summa.* Vid. GONZAL. *in* Cap. 50. *n.* 2.

IV. Si suscepto arbitrio, productis Testibus, & depositionibus publicatis, videatur arbitrium expirasse; Judices causam, juxtà hujusmodi acta, fine debito terminare debent, optione Parti reservatâ, ut vel recipiat depositiones eorum qui supersunt productorum Testium contrà se, vel eas rejiciens consentiat ut iidem Testes admittantur iterùm, salvo jure quod in utroque casu eidem Parti competit, tàm in personas Testium, quàm in dicta. *De Testib.* Cap. *Præsentata.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 5.

In optione est illius contrà quem Testes inducti sunt coràm Arbitris, si Testes vivunt, admittere illorum Attestationes, vel ut iterùm inducantur coràm Judice, & sic in casu isto Testibus publicatis iterùm iidem Testes inducuntur. *Glossa.*

V. Si Pars Adversa Testium depositiones ratas habere voluerit, quæ à prioribus Judicibus receptæ fuerint, Testes ipsi computentur tùm Attestationes ipsæ sunt clausæ. *De Testib.* Cap. *Cùm Causam.* §. ult. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 37.

VI. Attestationes non possunt Parti nocumentum aliquod irrogare, cùm inter alias personas & in alio Judicio receptæ fuerunt. *De Fide Instrum.* Cap. *Inter Dilectos.* §. 6. LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 6. Res inter alios actæ tertio præjudicare non possunt.

Attestationes potest approbare, sed cogi non potest, cùm inter alias personas receptæ fuerunt. *Glossa*, verbo, *Nocumentum.*

Ut Attestationes factæ in unâ causâ possint prodesse in alia, iterandæ sunt coram novis Judicibus; in quo hæc probatio convenit cum aliis quæ in unâ causâ productæ, in alia prodesse nequeunt, nisi renoventur in nova causa. GONZAL. *in* Cap. 30. *n.* 2.

SECTIO XVII.

Vis Attestationum comparatur cum Instrumentorum efficaciâ in ordine ad probationem?

I. Testes eandem vim habent ac Instrumenta. Cùm agitur de conditionibus Instrumentorum in processibus judiciorum, fides habetur tantùm actis & ubi scriptura necessariò exigitur quoad Galliam. *Tit.* 20. *Ordin. ann.* 1667.

Eandem vim obtinent Instrumentorum fides ac depositiones Testium in litibus exercendis. *De Fide Instrum.* Cap. *Cùm* JOANNES. §. 3. LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 10.

Magis autoritas privilegii quàm depositiones Testium attendenda. *De Præscrip.* Cap. *Ad audientiam.* §. 2. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 26. Cap. 13.

Si in modum exceptionis objiciatur falsitas Instrumento, vel quod sub conditione debuit fieri, vel defectus, vel quod plus contineatur ibi quàm quod dictum fuerit, vel consimile, vel etiam falsitas, benè hoc probari potest per Testes, & prævalebunt Testes. *Glossa*, verbo, *Testium. med.*

II. Non quodlibet Instrumentum tanti debet esse momenti, ut trium, vel plurium idoneorum Testium depositionibus præferatur. *Ibid.*

III. Cùm dubitatio fuit exorta, utrùm sub conditione vel purè fuerit contractus initus, & in serie Instrumenti continetur venditionem puram extitisse; si per Testes omni exceptione majores fuerit manifestè probatum supra dictam venditionem fuisse conditionaliter celebratam, eorumdem depositiones sunt Instrumento meritò præferendæ. *Ibid.* Hæc prælatio non admittitur, saltem in Galliâ, quæ non sinit impugnari tenorem Instrumentorum per Testes contrarium deponentes.

IV. Literis standum est donec probetur contrarium. *De Probationibus.* Cap. *Post Cessionem. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 7.

V. Quoniam contrà falsam assertionem iniqui Judicis, innocens litigator quandoque non potest veram negationem probare, Judex semper adhibeat, aut publicam si potest habere personam, aut duos viros idoneos qui fideliter universi judicii acta conscribant; nec pro ipsius præsumatur processu, nisi quatenùs in causa legitimis constiterit documentis. *De Probat.* Cap. *Quoniam.* LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 11.

Si comparentur Instrumenta debitè confecta & autentica cum depositionibus Testium legitimè receptis, pro certo tenendum videtur quod major sit illorum vis habenda, quàm vis depositionum; cùm, ut dictum est, Instrumentorum testimonium sit autoritate publicâ munitum; testimonium datum per Testes sit autoritatis privatæ. Si verò comparatio fiat inter Instrumenta illegitima cum legitimis depositionibus, vel illegitimas depositiones & Instrumenta legitima, validum semper invalido prævalebit.

SECTIO XVIII.

Clericis in negotiis Ecclesia sua fides adhibenda; atque etiam in factis propriis pro respectu ad illorum Dignitatem.

I. Clerici non sunt à ferendo testimonio super negotio Ecclesiæ suæ, nisi alia rationabilis causa impediat, repellendi. *De Testib.* Cap. *Cùm nuncius.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 12.

In aliis causis non possunt. *Conc.* ROM. *ann.* 826. Cap. 13. TOM. VIII. CONC. *p.* 108. CAUS. XIV. QUÆST. II. Cap. 2.

Clerici possunt ferre testimonium in causis Ecclesiarum suarum. *Glossa.*

Illi qui sunt de Universitate, possunt ferre testimonium in causa Ecclesiæ. *Glossa.*

II. Licet Prælato & Clericis in causis Ecclesiæ suæ ferre testimonium. *De Testib.* Cap. *Insuper.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 6. *init.*

III Monachi de suis Fratribus ac Conversis Testes in causis propriis producere possunt. *De Testib.* Cap. *Tuis.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 39.

Tàm Monachi quàm alii Clerici possunt ferre pro Ecclesia sua testimonium. *Glossa*, verbo, *Juramenti.*

IV. Volentes indemnitati vestri Monasterii providere, ne propter defectum Testium sui juris sustineat læsionem, vos & Monasterii vestri Conversi possitis in causis ejusdem, deficientibus aliis Testibus, pro ipso perhibere testimonium veritati. *De Jurejur.* Cap. *Etsi Christus. §. ult.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 26.

Monachi & Clerici, deficientibus aliis Testibus, possunt deferre testimonium pro Ecclesiis suis. *Glossa.*

V. Si tres simul, aut duo saltem ex ipsis, jurati dicant majorem Canonicorum partem convenisse, contradictoribus silentium imponetur; cùm contrà hoc probatio esset insufficiens, eo quod singuli essent in suis testimoniis singulares. *De Elect.* Cap. *Cùm Dilectus. §. 3. med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 32.

Propter defectum probationum Testes recipiuntur, qui vel de facto suo recipi non deberent. *Glossa.*

SECTIO XIX.

Pœnitentia indicenda Testibus qui corrupti falsum dicunt, non pœna infligenda si crimen iis objiciatur per modum exceptionis tantùm, nec cùm reprobatur eorum testimonium, infames habentur.

I. Cùm quidam acceptâ pecuniâ exhibent juramenta, posteà verò privatim se corruptos dicunt testimonium perhibuisse falsitati, illis de perjurio pœnitentia indicatur. *De Testibus.* Cap. *Sicut. §. 1.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 9.

II. Si in modum exceptionis aliquod crimen Testi objicitur ut à testimonio repellatur, etsi crimen contrà eum civiliter probatum fuerit, non ideò sibi pœna infligitur ordinaria, sed ejus dumtaxat testimonio non creditur, quod eâ ratione contingit, quoniam in ipsum accusatio non procedit. *De Ordine Cognit.* Cap. *Cùm Dilectus. §. 4.* LIB. II. DECR. *Tit.* 10. Cap. 2.

Cùm crimen civiliter probatur, Testis non punitur pœnâ ordinariâ, sed solummodò à testimonio repellitur. *Glossa.*

III. Testes quorum testimonium reprobatur, inter infames, quasi ex falso testimonio, non habentur. *De Ordine Cognit.* Cap. *Cùm Dilectus. §. ult.* LIB. II. DECR. *Tit.* 10. Cap. 2.

Hoc loquitur quando non perjurium, sed aliud crimen quodcumque vis objicitur. *Glossa marginalis.*

IV. Si de criminibus ad solam exceptionem objectis Testes convicti fuerint, sive confessi, pœnâ ordinariâ mulctari non debent; cùm accusatio in ipsos secundùm juris ordinem non procedat. *De Exceptionib.* Cap. *Denique. §. 3. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 25. Cap. 1.

Testes quibus crimina probantur in modum exceptionis, non sunt propter hoc puniendi. *Glossa*, verbo, *Cæterum.*

V. Sufficit ergò si à perhibendo testimonio repellantur; præsertim ubi crimen quod eis objicitur, causam de qua agitur contingere non videtur. *Ibid. fin.*

Si crimen quod objicitur Testi, contingit causam de quâ agitur, non solùm repellitur, sed etiam punitur; sic Testis qui in testificando vacillaverit, sive falsum dixerit, punitur. *Glossa*, verbo, *Contingere.* Sunt in Galliâ pœnæ contrà Testes qui declarationes faciunt contrarias depositionibus suis, & contra Partem illis utentem. *Ordinat. ann.* 1670. *Tit.* 15. *art.* 21.

TITULUS VI.
De Jurejurando seu Juramento.

SECTIO I.

Considerationes circa collectos Canones de Jurejurando.

QUamvis hîc ageretur tantùm de Juramento, prout est probatio, collecti sunt tamen præcipui Canones, tàm ex Corpore Juris, quàm aliundè desumpti, qui de illo quovis modo considerato loquuntur, idque quia principia continent quibus explicatur illius natura, species, conditiones ut justum sit, causæ, effectus, proprietates, & viæ quibus cessat illius obligatio: Illorum autem singulorum notitia necessaria est ad intelligentiam eorum quæ dicenda sunt de juramento vim probationis habente, quod decisorium vocari solet, ut distinguatur ab aliis juramentis quæ appellantur vel promissoria, vel assertoria, quæque in negotiis extrajudiciariis, ut & in judiciariis, locum habent; dùm decisorium usurpari non soleat, nisi in judiciis: Istud etiam differt ab aliis in eo quòd introductum sit à Jure Civili, alia verò illi ignota omninò fuerint, ut notat & probat GONZALEZ *in Cap.* 36. *De Jurejurando*, qui etiam observat hunc Textum unicum esse in hoc Titulo qui meminerit juramenti decisorii, exposueritque illa quæ huic juramento peculiaria sunt.

Quod dictum de juramentis, sivè promissoriis, sive assertoriis, ipsa in Judiciis adhiberi, patet ex eo quod juramentum calumniæ quod exigitur à Partibus, sit partim promissorium, partim assertorium; promissorium, in eo quòd jurent omnem fraudem, dolum, cavillationem vitaturas; assertorium, in eo quod jurant se persuasas de justitia suæ causæ. Ut Juramentum quod exigitur à Testibus, & à Reo, dùm interrogantur, est promissorium, cùm jurent de dicendâ veritate; idem de illo quod postulatur ab Advocato, Procuratore, Tutore, Curatoribus, aliisve defensoribus Partium; jurant enim Partes nullâ fraude usuras: Juramentum quod exigitur à Conjugibus, post cohabitationem habitam ut experirentur an sint impotentes, & declarationem se tales expertos fuisse. Idem dicendum de juramento, exacto Reo diffamato de crimine non satis probato, necnon de illo quod exigitur ab hujusce rei compurgatoribus; idem quoque de juramento exacto à propinquis qui compurgatorum locum habent in causa impotentiæ.

Iidem Canones collecti plenè explicant secundum præceptum Decalogi, *Non assumes nomen Dei in vanum*; quæ & qualia sint ab illo prohibita vel jussa, peccata quæ illud contingunt; quæ ab illo excusant; qui jurare possint vel non possint; quomodo vel quâ formâ jurandum; quibus jurandum vel non; per quæ quis jurare possit vel non possit; quis ab illo dispensare valeat, quis non; quomodò interpretandum juramentum; cujus hoc sit; qui illud irritare valeat, vel non; quæ pœnitentiæ vel pœnæ imponendæ malè jurantibus; quæ violatoribus licitorum & validorum juramentorum; pluraque alia non minùs scitu necessaria.

Quæ considerationes, cùm includant substantiam hujus Tituli, singulaque in eo notabiliora, conducibile est ut illarum lectio præmittatur lectioni Tituli, ut inter illum legendum observentur quæ in illo annotanda indicantur.

SECTIO II.

Juramentum fieri, cùm Deus quoquomodo ut Testis invocatur, idque non esse per se malum nec peccatum.

I. Juro & cum magno timore dico, coràm Deo, aut testis est Deus, aut sit CHRISTUS, sic esse in animo meo. CAUS. XXII. QUÆST. I. Cap. 14. *Si Peccatum. post med.* S. AUGUST. *Sermon.* 480. *n.* 10. circa *ann.* 415. Vide *Conc.* TOLET. VIII. *ann.* 653. *Cap.* 2. TOM. VI. CONC. *pag.* 402.

II. Ut noveritis verum jurare non esse peccatum, invenimus & Apostolum PAULUM jurasse; *Quotidie morior, per vestram gloriam, Fratres, quam habeo in* CHRISTO JESU *Domino nostro*; per vestram gloriam, juratio est. CAUS. XXII. QUÆST. I. Cap. 4. *Ut noveritis. init.* S. AUGUST. *Sermone* 180. *n.* 5.

III. Non est contrà Dei præceptum jurare. CAUS. XXII. QUÆST. I. Cap. 13. *Non est. init.*

ISIDO-

Isidorus *Sententiarum.* Lib. II. Cap. 3. circà ann. 630.

IV. Si peccatum esset juratio, nec in Veteri Lege diceretur, *Non pejerabis, reddes autem Domino Juramenta tua*, non peccatum præciperetur nobis. Caus. XXII. Quæst. I. *Cap.* 14. *Si peccatum. init.* Levitici XIV.

V. Apostolus jurabat cùm diceret; *Testis est mihi Deus*; & iterùm; *Quotidiè morior per vestram gloriam, Fratres*, quæ Græca exemplaria manifestam jurationem esse ostendunt. *De Jurejurando.* Cap. *Etsi* Christus. §. 2. Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 26.

Jurare Dei, est à se ipso ordinata nullatenùs convellere. Caus. XXII. Quæst. IV. Cap. 9.

VI. Christus plus legitur dixisse in Evangelio quàm est est, non non, cùm sæpè dixerit, *Amen dico vobis*: Quod ipse secundùm Lucam exponens, cùm præmisisset, *Amen dico vobis*, consequenter adjunxit, *In veritate dico vobis.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 26.

VII. Angelus quem vidit in Apocalypsi Joannes stantem super mare, & super terram, levavit manum suam ad Cœlum, & juravit per viventem in Sæcula Sæculorum. *Ibid.*

VIII. Si per se malum esset jurare, profectò Dominus non jurasset, cùm in Veteri Testamento legatur; *Quia juravit Dominus, & non tamen pœnitebit eum*, & rursùm; *Juravit Dominus David veritatem*, imò & præcepit in Veteri Testamento, *Redde Deo Juramenta tua.* Ibid.

IX. Juramentum per se malum non est, cùm sit confirmatio veritatis. *Ibid. De Jurejurando.* Cap. *Etsi* Christus. §. 3. Lib. II Decr. *Tit* 24. Cap. 26.

Quod dicitur, *Vivit Dominus*, in Testamento Veteri jusjurandum est. Caus. XXII. Quæst. I. Cap. 7. *Et jurabunt. fin.* S. Hieronymus *super* Jerem. *ad* Cap. 4. circa ann. 410.

X. Ajunt omne Jusjurandum in Evangelio à Domino Deo esse prohibitum, nec ab Apostolis post Dominum, nec in Conciliis post inveniri statutum. Quid est igitur quod idem Dominus subsequenter ait, *Quod ampliùs est, à malo est*: Hoc enim ampliùs, ut exigamus, malum nos illo permittente compellit. *De Elect.* Cap. *Significasti.* in *init. med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 4. Paschalis II. *Epistola* 6. Tom. X. Conc. *p.* 629. Caus. XXII. Quæst. I. *Per totum.*

SECTIO III.

Prohibitum esse jurare per Creaturas, & puniendos qui sic juraverint, licet servandum sit tale Juramentum.

I. Si quis per Creaturam juraverit, acerrimè castigetur. Caus. XXII. Quæst. I. Cap. 10. *Si quis.* Nicolaus *ad Consf.* Bulgar. Cap. 67. Tom. VIII. Conc. *p.* 539. ubi probat non jurandum per Creaturas, nisi Sacræ sint, quia ipsis spes non collocanda, nec amandæ, nec venerandæ, & hæc tria convenire debent ei per quam juratur. *Ex Novella* 71. *ann.* 538. Cap. 2.

II. Postquàm dictum est de eo qui per capillum, vel Caput Dei jurat, quod blasphemat, & jussum ut si in Ecclesiastico Ordine est, deponatur; si Laicus, anathematisetur. Caus. XXII. Quæst. I. Cap. 10. *init. Ibid.* Additur, quod si per Creaturam quis juraverit, omninò castigetur, & juxta id quod Synodus dijudicaverit, pœniteat.

III Salvator non per Deum jurare prohibuit, sed per Cœlum, & terram, & Hyerosolimam, & per caput tuum. Caus. XXII. Quæst. I. *Cap.* 8. *Considera.* S. Hyeron. *super* Matth. Lib. I. *in Cap.* 5. circà annum 400.

IV. Clericum per Creaturas jurantem acerrimè objurgandum; si perstiterit in vitio, excommunicandum. Caus. XXII. Quæst. I. *Cap.* 9. *Clericum. Ex Concil.* Carthag. IV. *Cap.* 61. *an.* 398. Conc. Tom. II. *p.* 1205.

V. Licet juramentum prohibuisse Dominus videatur, nusquàm tamen per Creatorem, sed per Creaturam jurare prohibuit, ne per hujusmodi juramentum transferretur ad Creaturam honorificentia Creatoris; quare cùm in Evangelio præmisisset; *Dico vobis, nolite jurare omninò*, statim subjunxit, *neque per Cœlum, quia tronus Dei est; neque per terram, quia scabellum pedum ejus est; neque per Hyerosolimam, neque per caput tuum. De Jurejurando.* Cap. *Etsi* Christus. Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 26.

VI. Quod Jacobus subdit, *Neque per Cœlum, neque per terram, neque per quodcumque aliud Juramentum*; jurare vetat per quamlibet Creaturam, quodcumque sit illud; alioquin non dixisset Apostolus; *Homines per majorem suum jurant, & omnis controversiæ eorum ad confirmationem finis est Juramentum*; in quo patenter ostendit per quem sit jurandum, cùm ait: *Homines per majorem suum jurant*, id est, per Deum. *De Jurejurando. Cap. Etsi* Christus. §. 2. Lib II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 26.

VII. Quamvis non sit per Creaturam jurandum, si tamen juretur per Creaturam, servandum est quidem, dummodò sit licitum quod juratur, quia teste veritate, *Qui jurat in Cælo, jurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum. De Jurejurando.* Cap. *Etsi* Christus. §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 26.

SECTIO IV.

Prohibitum esse jurare per Deum, nisi ex necessitate, propter aliorum incredulitatem, ne jurando frequenter, perjuri fiant.

I. Non est contrà præceptum juratio, quæ à malo est, non jurantis, sed incredulitatis ejus cui jurare cogitur; nam hinc jurelligitur ita Dominum prohibuisse à jurando, ut quantùm in ipso est, quisquam non juret. Caus. XXII. Quæst. I. Cap. 2. *Non est contra. init. Concil.* Turon. III. *ann.* 813. *Can.* 43. Tom. VII. Conc. *p.* 1268. S. Augustin. *super Epistolam ad Galat.* Cap. 1. *n.* 9. circa annum 394.

II. Prohibemus jurare cupiditate aut delectatione jurandi; quamvis enim Juramento ampliùs sit quàm est est, non non, & ideò à malo sit, non tamen à malo tuo, sed infirmitas aut incredulitatis eorum, qui non aliter moventur ad fidem. *Ibid.* Caus. XXII. Quæst. I. Cap. 2. *Non est. fin.*

III. Cur Juramentum Dominus prohibuit, Apostolus Jacobus manifestat, adjiciens ut non sub Judicium incidatis, nec quisquam, sicut B. August. exponit, assiduitate jurandi ad perjurii consuetudinem dilabatur. Quapropter juratione non utatur nisi necessitate, cùm pigros videt esse homines ad credendum, quod eis utile est credere, nisi juratione firmetur. *De Elect.* Cap. *Significasti. in integra.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 4.

IV. Ita præcepisse Dominum intelligitur, ne juretur; ne quisquam, sicut bonum, appetat Jusjurandum, & assiduitate jurandi ad perjurium per consuetudinem delabatur. Qui intelligit non in bonis, sed in necessariis jurationem habendam, refrænet se quantùm potest, ut non eâ utatur, nisi necessitas cogat; videlicet, cùm videt pigros esse homines ad credendum quod eis utile est credere, nisi juratione firmetur. Caus. XXII. Quæst. I. Cap. 5. *Ita ergo. init.* S. Augustinus *De Serm. Domini in monte.* Cap. 17. *n.* 51. circa annum 393.

V. Juramentum vix fieri de voluntate propria creditur, quod ferè semper à malo est. *De Renunciatione.* Cap. *Super hoc.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 9. Cap. 5.

VI. Ad hoc pertinet, quod sic dicitur, *Sit sermo vester est est, non non, hoc bonum est & appetendum, quod autem ampliùs est, à malo est*, id est, si jurare cogeris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid suades; quæ infirmitas utique malum est. Itaque non dixit, quòd autem ampliùs est, malum est; tu enim non malum facis, qui benè uteris juratione, quæ etsi non bona, tamen necessaria est, ut

ut alteri persuadeas quod utiliter persuades, sed à malo est illius, cujus infirmitate jurare cogeris; à malo non credentis, sed juramentum exigentis. *Ibidem*, & *Cap. 6. Tu malam.*

VII. Apostolus patenter ostendit cur sit jurandum, ut videlicet omnis controversiæ finis sit juramentum. *De Jurejur.* Cap. *Etsi Christus.* §. 2. LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 26.

VIII. In Novo Testamento dictum est; *Ne omninò juremus*, non quia verum jurare peccatum est, sed quia pejerare immane peccatum est, à quo longè nos esse voluit, qui omninò ne juremus, admonuit. CAUS. XXII QUÆST. I. Cap. 5. *In Novo.* S. AUGUSTINUS *Epistola 47. n. 2. ann.* 398.

IX. Non jurare omninò, de hoc consequente lectionis series docet non adjurandam esse Creaturam aliam, nisi Creatorem, ut Prophetis mos est; *Vivit Dominus & vivit anima mea; &, vivit Dominus, cui assisto hodiè.* Finis autem contradictionis est nisi Domino; omni enim quod amat homo, hoc & juratur. *Secunda Synodus* S. PATRICII post annum 450. incerto. *Can.* 23. TOM. III. CONC. *p.* 1484.

X. Dum jurandi usum facimus, perjurii crimen incurrimus. CAUS. XXII. QUÆST. I. Cap. 13. *Non est contrà. fin.*

ISIDORUS *Sententiarum* LIB. II. *Cap.* 5. circa *ann.* 630.

XI. Quantùm ad me pertinet, juro, sed quantùm mihi videtur magnâ necessitate compulsus, cùm videro non mihi credi nisi faciam, & ei qui mihi non credit, non expedire quod non credit. Hâc perpensâ ratione, & consideratione libratâ, cum magno timore juro, & video quia ampliùs est, quàm est, est, non, non; sed quod ampliùs est, à malo est, etsi non à malo jurantis, à malo est non credentis. CAUS. XXII. QUÆST. I. Cap. 14. *Si peccatum.* §. 1.

XII. Tunc demùm ad Sacramentum est recurrendum, cùm aliæ legitimæ probationes deesse noscuntur. *De Probat.* Cap. *Sicut.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 1.

XIII. Etsi CHRISTUS præceperit secundùm Evangelicam veritatem; *Sit sermo vester, est est, non non*; quia tamen hominum exercente malitiâ, simplici assertioni vel negationi vix creditur, idcircò prudenter adjunxit, *Quod ampliùs est, à malo est*, à malo quidem, non tàm culpæ, quàm pœnæ; nec exhibentium, sed exigentium juramentum; nam incredulitas hujusmodi magis est pœna quàm culpa; undè non dixit malum, sed dixit à malo. *De Jurejur.* Cap. *Etsi Christus. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 26.

Juramentum in defectum probationum est præstandum. *Glossa.*

XIV. JACOBUS non simpliciter prohibet juramentum, sed voluntatem jurandi, cùm ait; *Antè omnia nolite jurare;* quoniam ad juramentum non debet quemquam spontanea voluntas inducere, sed necessitas habere importuna. *Ibid.* §. 2.

XV. Juramentum prohibetur ex causâ, quoniam ex frequenti incautâ juratione, perjurium sæpè contingit, sicut in Ecclesiastico legitur; *Vir multùm jurans replebitur iniquitate. Ibid.* §. 3.

SECTIO V.

Ut juramentum licitè fiat, tres habere debere comites, veritatem, judicium, & justitiam.

I. Animadvertendum est quod Jusjurandum hos habeat comites, Veritatem, Judicium, atque Justitiam; si ista defuerint, nequaquam erit juramentum, sed perjurium. CAUS. XXII. QUÆST. II. Cap. 2. *Animadvert.*

II. Falsum autem non jurari nisi res falsa putetur, quamvis aliàs juramentum sit temerarium. SANCTUS HIERONIMUS *super* JEREMIAM, LIB. I. *ad Caput* 4. circa *ann.* 410. *Concil.* TROSLEIANUM *ann.* 909. *Cap.* 11. TOM. IX. CONCIL. *p.* 551.

III. Cùm necessitas exigit pro re verâ, licitâ, & honestâ, potest securè jurari. *De Jurejurando.* Cap. *Etsi Christus.* §. 3. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 26.

IV. Cùm necessitas trahit, tunc potes sine culpâ jurare, dummodò illos tres comites habeat juramentum, de quibus Propheta ait; *Et jurabunt, vivit Dominus in veritate, & judicio, & justitia. De Jurejur.* Cap. *Etsi Christus.* §. 2. LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 26.

Conscientia, id est discretione vel deliberatione, id est, ut quod juratur sit justum, & licitum. *Glossa.* CHROMATIUS, *in Cap.* 5. *Matthæi* circa *ann.* 400.

V. Juramenti hæc causa est, quia omnis qui jurat, ad hoc jurat, ut quod verum est eloquatur, & ideò Dominus inter juramentum & loquelam nostram nullam vult esse distantiam; quia sicut in juramento nullam convenit esse perfidiam, ita quoque in verbis nostris nullum debet esse mendacium. CAUS XXII. QUÆST. V. Cap. 12. *Juramenti. init.* CHROMATIUS *in Cap.* 5. MATTH. *ann.* 400.

VI. Homines falsum jurant, vel cùm fallunt, vel cùm falluntur; aut enim putat homo verum esse quod falsum est, & temerè jurat; aut scit, vel putat falsum esse, & tamen pro vero jurat, & nihilominùs cum scelere jurat; distant autem ista perjuria. CAUS. XXII. QUÆST. II. Cap. 3. *Homines. init.* S. AUGUST. *in Sermone* 180. *n.* 2.

VII. Satis est illi qui exhibet juramentum, si secundùm propriam conscientiam & opinionem jurat. *De Purgat. Can.* Cap. *Constitut.* LIB. V. DECR. *Tit.* 34. Cap. 9.

Fac illum jurare, qui verum putat esse, pro quo jurat; verum putat esse, & tamen falsum est; non ex animo iste pejerat, fallitur; hoc pro vero habet, quod falsum est, non pro re falsâ, sciens jurationem interponit. *Ibid.* CAUS. XXII. QUÆST. II. Cap. 3. *Homines. post init.*

VIII. Da alium, qui scit falsum esse, & dicit verum esse, & jurat tanquàm verum sit, quod scit falsum esse. Videtis, quàm ista detestanda sit bellua, & de rebus humanis exterminanda? Quis enim hoc fieri velit? Talia omnes homines detestantur. *Ibid.*

Fac alium, qui putat falsum esse, & jurat tanquam verum sit, & fortè verum est; *verbi gratia*, pluit in illo loco, interrogas hominem, & putat non pluisse, & ad negotium ejus competit ut dicat, pluit, sed putat non pluisse: Dicitur ei, verè pluit? Verè, & jurat; & tamen pluit ibi, sed ille nescit, & putat non pluisse, perjurus est: Interest quemadmodùm verbum procedat ex animo. Ream linguam non facit, nisi rea mens. CAUS. XXII. QUÆST. II. Cap. 3. *Homines. fin.*

SECTIO VI.

Clericis ob dignitatem sine gravissimâ necessitate; & parvulis ob ætatem, & quibusdam publicis peccatoribus ob infamiam, non esse licitum jurare.

I. Sacramentum hactenùs à summis Sacerdotibus, vel Dei Ministris exigi, nisi pro fide rectâ minimè cognovimus; nec spontè eos jurasse reperimus. CAUS. XXII. QUÆST. V. Cap. 1. *Sacramentum.* CORNELIUS *Epistola* 2. *ann.* 251. vel 252.

II. Nos Sanctorum exempla sequentes, Sanctorum Apostolorum quorumcumque Successorum jura firmamus, & Sacramenta incauta fieri prohibemus. *Ibid.* CAUS. II. QUÆST. V. Cap. 2. *Nos Sanctorum.*

III. Nos Sacramentum Episcopis nescimus oblatum, nec unquàm fieri debet. *Ibid.* Cap. 3. *Nos Sacramentum.*

IV. Sacerdotes ex levi causâ jurare non debent; manus enim per quam Corpus & Sanguis CHRISTI conficitur, juramento polluetur? absit: cùm Dominus in Evangelio, Discipulis suis, quorum vicem nos indigni in Sancta gerimus Ecclesiâ, dicat; *Nolite omninò jurare; sit autem Sermo vester, est, est, non, non; quod autem his abundantius est, à malo est.* CAUS. II. QUÆST. V. Cap. 4. *Si quis Presbyter.* Ex *Concil.* TRIBURIENSE, *Cap.* 21. *ann.* 895. TOM. IX. CONC. *p.* 451.

V. Licet viri perfecti quantùm possunt juramenti vinculum evitare debeant, tamen ut eorum indemnitati provideatur, ne sui juris sustineant læsionem, possunt perhibere veritati testimonium. *De Jurejur.* Cap.

Cap. *Etsi* CHRISTUS. §.ult. LIB. II. DECR. *T.* 24. Cap. 26.

VI. Pro juratione incautâ, imponi potest Episcopo Pœnitentia congruens. *De Jurejur.* Cap. *Sicut nostris.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 27.

VII. Pueri ante annos quatuordecim non cogantur jurare. CAUS. XXII. QUÆST. V. Cap. 15. *Pueri. init.*

Parvuli qui sine rationabili ætate sunt, non cogantur jurare. CAUS. XXII. QUÆST. V. Cap. 14. *Parvuli. init. Ex Conc.* ELTBAAITAUO, *fortè ann.* 305. LIB. I. *Capitularium.* Cap. 63. *ann.* 789.

Honestum videtur ut pueri ante annos quatuordecim non cogantur jurare. *Ibid.* CAUS. XXII. QUÆST. V. Cap. 16.

Ideò hoc est, quia Juramento debet adesse judicium, sed hæc ætas nescit quid agat. *Glossa*, verbo, *Jurare.*

VIII. Si deprehensus fuerit in furto, aut perjurio, aut falso testimonio, nun admittitur ad Jusjurandum. *De Purgatione Canonica.* Cap. *Nobilis. med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 34. Cap. 1.

Qui condemnatus est, vel pactus de furto, infamis est; quare ulteriùs ad Juramentum oon admittitur. *Glossa*, verbo, *In furto.*

Perjurus nun admittitur ampliùs ad jurandum. *Glossa*, verbo, *Perjurii.*

IX. Etsi objectum Canonicis perjurium probaretur, non essent propter hoc à defensione suæ Ecclesiæ repellendi. *De Exceptionib.* Cap. *Dilecti. med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 25. Cap. 8.

X. Qui semel perjuratus fuerit, nec Testis sit post hoc, nec ad Sacramentum accedat, nec in suâ causâ vel alterius jurator existat. CAUS. XXII. QUÆST. V. Cap. 14. *Parvuli. fin.*

Ex LIB. I. *Capitul.* Cap. 63. *ann.* 789.

XI. Ii qui alicui in perjurio conscientiæ probantur; posteà ab omni testimonio sunt removendi, & secundùm Legem infamiâ notabuntur. CAUS. XXII. QUÆST. V. Cap. 7. *Si quis. fin.*

SECTIO VII.

Juramentum exigi aliquandò posse, etiam per falsos Deos aut Creaturas, modò nesciatur jurantem dicturum esse falsum.

I. Quamvis dictum sit, ne juremos; nusquam me in Scripturis Sanctis legisse memini, ne ab aliquo jurationem accipiamus. CAUS. XXII. QUÆST. I. *Cap.* 15. Quamvis propter mala evitanda Juramentum exigitur. *De Elect.* Cap. *Significasti. med. in integr.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 4. S. AUGUSTINUS, *Epist.* 47. *ad* PUBLICOLAM. *ann.* 398.

II. Si omne jusjurandum in Evangelio à Domino sit prohibitum, quid est quod Dominus subsequenter ait: *Quod ampliùs est, à malo est*; hoc est ampliùs ut exigamus, malum nos illo permittente compellit. *Ibid. De Elect.* Cap. *Significasti. med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 4. Id est, malitia seu incredulitas. *Glossa*, verbo, *Malum.*

Hoc malo, hac necessitaté compellimur Juramentum pro fide, pro obedientia, pro unitate requirere. *Ibid. in int.*

III. Qui otitur fide illius, quem constat jurasse per Deos falsos, & utitur non ad malam rem, sed ad licitam & bonam; non ejus peccato se sociat, quo per Dæmonia juravit, sed bono pacto ejus, quo fidem servavit. CAUS. XXII. QUÆST. I. Cap. 16. *Movet.* S. AUGUST. *Epist* 47. *ad* PUBLICOLAM. *an.* 398.

IV. Quæstio est utrùm non peccet qui per falsos Deos sibi jurari facit; quia ille qui ei jurat, jurat per falsos Deos, quos colit: Cui quæstioni possunt illa testimonia suffragari quæ commemorantur de Laban & Abimelech; si tamen Abimelech per Deos suos juravit, sicut Laban per Deum Nachor. CAUS. XXII. QUÆST. I. Cap. 16. *Movet.* §. *Alia. Ibid.*

V. Qui exigit jurationem, multùm interest, si nescit illum falsum juraturum, an scit: Si enim nescit, & ideò dicit, Jura mihi, ut fides ei fiat, nun est peccatum: tamen humana tentatio est. Si autem scit eum fecisse, videt fecisse, & cogit jurare, homicida est; ille enim suo se perjurio perimit; sed iste manum interficientis & impressit, & pressit. CAUS. XXII. QUÆST. V. Cap. 6. *Qui exigit.*

VI. Ille qui hominem provocat ad Jurationem, & scit eum falsum esse juraturum, vincit homicidam, quia homicida corpus occisurus est, ille animam, imò duas animas, & ejus quem jurare provocavit, & suam: scis verum esse quod dicis, & falsum esse quod ille dicit, & jurare compellis? Ecce jurat, ecce pejerat, ecce perit. Tu quid invenisti? Imò & tu peristi, qui de illius morte te satiare voluisti? CAUS. XXII. QUÆST. V. Cap. 5. *Ille.* PITHÆUS refert *ex Sermone De decollatione* S. JOANNIS, *is est Serme* 11. *de Sanctis, circà ann.* 391.

SECTIO VIII.

Juramentum eo mode esse intelligendum, quo is cui juratur, intelligit; & pejerare qui falsum per creaturas jurant, sivè eas putent Sanctas, sive is cui jurant id existimet.

I. Quâcumque arte verborum quisquis juret, Deus tamen, qui coonscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui juratur, intelligit; dupliciter autem reus fit, quia & Dei oomen in vanum assumit, & proximum dolo capit. CAUS. XXII. QUÆST. V. Cap. 9. *Quacumque.* ISIDORUS. *Glossa interlineatis in* PSAL. 23. *vers. Nec juravit in dole.*

II. Humanæ aures verba nostra talia judicant, qualia foris sonant. Divina verò judicia, talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur. CAUS. XXII. QUÆST. V. Cap. 11. *Humanæ. init.* GREGORIUS I. LIB. XXVI. *Moralium.* Cap. 7. *circà. ann.* 590.

III. Multi & in hoc falluntur, & putant, quia nihil est per quod jurant, non se crimine teneri perjurii Prorsùs perjurus es, quia per id, quod Sanctum putas, falsum juras. Sed ego illud Sanctum non puto? Sanctum putat cui juras; non enim quando juras, tibi juras, aut lapidi juras; sed proximo juras. Homini juras ante lapidem, sed ouoquid non ante Deum? Non te audit lapis loquentem, sed punit te Deus fallentem. CAUS. XXII. QUÆST. V. Cap. 10. Ecce dico: & qui super lapidem falsum jurat, perjurus est. CAUS. XXII. QUÆST. V. Cap. 10. *Ecce dico. init.* S. AUGUST. *Sermone* 13.

IV. Omne quod in pacis fœdera venit, tonc solidiùs subsistit, cùm Juramenti hoc interpositio roborat. CAUS. XXII. QUÆST. I. Cap. 1. *Omne. init. Ex Conc.* TOLETANO VIII. Cap. 2. *ann.* 653.

V. Omne quod amicorum animos conciliat, tunc fideliùs durat, cùm eos Sacramenti vincula ligant. *Ib.*

VI. Omne quod Testibus adstipulatur, tunc veriùs constat cùm id adjectio jurationis affirmat. *Ibid.*

VII. Quod si & Testis deficiat, innocentis fidem sola Jusjurandi taxatio manifestat.. *Ibid. fin.*

VIII. Sine ulla dubitatione, minus malum est per Deos falsos veraciter jurare, quàm per Deum verum fallaciter. CAUS. XXII. QUÆST. I. Cap 16. *Movet te.*

IX. Quantò id per quod juratur magis est Sanctùm, tantò magis est pœnale perjurium. *Ibid. fin.*

X. Consideranda sunt, & genus Jurisjurandi, & verba, & affectio animi ex quâ jurarunt, & minutissima quæque in verbis additamenta. S. BASIL. *Epist.* 1. TOM. II. CONC. *Append. p.* 1727.

SECTIO IX.

Juramentum promissorium, sive quo aliquid promittitur, esse observandum, nisi vertat in perniciem animæ, vel res fiat impossibilis.

I. Non est tutum quemlibet contrà Juramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vertat in interitum salutis æternæ. *De Jurejur.* Cap. *Si verò. post init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 8. S. AMBROSIUS. LIB. III. *Offic.* Cap. 10. *ann.* 377.

II. Josue pacem quam dederat revocandam non censuit, quia firmata erat Sacramenti Religione; ne dùm alienam perfidiam redargueret, suam fidem solveret. CAUS. XXII. *Quæst.* 4. Cap. 23. *Innocent. fin.*

III. Periculosum est contrà suum juramentum venire. *De sponsalibus.* Cap. *Ex litteris. il* 2. *§.* 1. *init.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 1. Cap. 10.

IV. Si juramentum licitum fuit, est usquequaque observandum. *De Jurejurando.* Cap. *Quantò.* §. 3. *init.*

V. Qui de observanda conventione juraverunt, & ipsi fidejussores qui similiter fidem præstitisse dicuntur, moneri debent, ut sicut jurarunt, eandem conventionem faciant adimpleri; alioquin puniantur. *De Jurejur.* Cap. *Ex Rescripto §.* 1. & 2. LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 9.

VI. Qui jurat alicujus Ecclesiæ servare statuta, ac pro posse defendere, juramento tenetur, si necessitate imminente, super hoc sub juramento debito requisitus duxerit appellandum; cùm à perjurio talis appellatio non excuset; imò nisi difficultas existat, propter quam requisitus non possit Ecclesiæ subvenire, culpa perjurii potiùs irretitur. *De Jurejur.* Cap. *Brevi.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 17. Necessitas sive impossibilitas excusat à perjurio. *Glossa.*

VII. Ne viam contingat perjuriis aperiri, servari debent juramenta, sine vi & dolo spontè præstita, cùm in alterius præjudicium non redundant, nec observata vergunt in dispendium salutis æternæ. *De Jurejur.* Cap. *Cùm contingat. §.* 1. *med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 18.

VIII. Non est tutum cuilibet, sed periculosum potiùs Religionem infringere juramenti. *De Jurejur.* Cap. *Ad nostram. in integra, post med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 7.

IX. Juratos juramentum pristinum servare cogatis, nisi fortè fuerit iniquè extortum. *De Judiciis.* Cap. *Dilecti. in init. med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 1. Cap. 6.

SECTIO X.

Juramentum quo promittitur aliquid illicitum, non esse observandum.

I. Non semper promissa omnia solvenda sunt; ipse Dominus frequenter suam mutat sententiam, sicut Scriptura indicat. CAUS. XXII. QUÆST. IV. *Cap.* 8. *Unusquisque. §. ultimo.* & *Cap.* 12. *Non semper.*

In malis promissis fidem non expedit observari. *In* 6. *De Regulis Juris. Reg.* 69.

Magnæ sapientiæ est revocare hominem quod malè locutus est. CAUS. XXII. QUÆST. V. Cap. 10. *Magnæ* S. AMBROS. LIB. III. *Off.* Cap. 12. anno 377.

II. Non est observandum juramentum quo malum incautè promittitur; veluti, si quispiam adulteræ perpetuam cum ea permanendi fidem polliceatur; tolerabilius est enim non implere Sacramentum, quàm permanere in stupri flagitio. CAUS. XXII. QUÆST. IV. Cap. 13. *Non est.* ISIDORUS *Sententiarum* LIB. II. *Cap.* 51. circà annum 630.

Perjurii percutitur pœnâ, & velut homicida in extremo examine à justo Judice condemnabitur, per quem Sacrosanctum Evangelium ad injustum & illicitum, & Deo minimè amabile, quasi testimonium justæ & humanæ petitionis, adducitur. CAUS. XXII. QUÆST. IV. Cap. 22. *Inter cætera. §.* 1. S. AUG. *Se vero Milevitano*, fortè cir. an. 396.

III. Si aliquid fortè nos incautiùs jurasse contigerit, quod observatum pejorem vergat in exitum, liberè illud consilio salubriore mutandum noverimus: ac magis instante necessitate pejerandum nobis, quàm pro vitando perjurio in aliud crimen gravius esse divertendum. CAUS. XXII. QUÆST. IV. Cap. 6. *Si aliquid fortè incautiùs.* CAUS. XXII. QUÆST. IV. Cap. 16.

IV. Unusquisque nihil promittat inhonestum, aut si promiserit, tolerabilius est promissum non facere, quàm facere quod turpe sit; sæpè plerique constringunt se ipsos jurisjurandi Sacramento, & cùm cognoverint promittendum non fuisse, Sacramenti tamen contemplatione faciunt quod spoponderunt, sicut Herodes qui saltatrici præmium turpiter promisit, crudeliter solvit. CAUS. XXII. QUÆST. IV. Cap. 8. *Unusquisque.*

Juramentum nostrum mendax dissolvatur, quasi nullam virtutem habens. CAUS. XXII. QUÆST. IV. Cap. 18. *Fit.*

Lugeat si coactione & timore juramenti aliquid defuit matri. CAUSA XXII. QUÆST. IV. Cap. 22. *Inter cætera §.* 2. Agebatur de illicito juramento non sublevandi juvandique matrem.

V. Est etiam contrà officium nonnunquàm solvere promissum, & Sacramentum custodire; ut Herodes qui juravit. CAUS. XXII. QUÆST. IV. Cap. 2. *Est etiam.*

S. AMBROSIUS *Lib.* 1. *De Officiis*, Cap. 50. anno 377. Cùm noxia promissa complemus, & Dei jussa superbè contemnimus, & proximis impiâ crudelitate nocemus, & nos ipsos vel crudeliori gladio trucidamus. DISTINCT. III. Cap. 1. *Duo mala. fin. Ex Concil.* TOLET. VIII. *Cap.* 2. anno 653.

VI. Si publicis Sacramentorum gestis, à quolibet illicita, vel non bona extitit conditio allegata, quæ aut jugulare animam Patris, aut agere compelleret stuprum sacratissimæ virginis; numquid non tolerabilius esset stultæ promissionis vota rejicere, quàm per inutilium promissorum custodiam, exhorrendam criminum implere mensuram. CAUS. XXII. QUÆST. IV. Cap. 1. *Si publicis. Ex Concilio* TOLET. VIII. Cap. 2. *anno* 693.

Quod DAVID juramentum per sanguinis effusionem non implevit, major pietas fuit. CAUS. XXII. QUÆST. IV. Cap. 3. *Juravit* DAVID *temerè. Ibid.*

Nec credo Sacramentum ad hoc debere fieri, ut injusta juratio suorum bonorum sit cum injustè jurantibus expoliatio, & accipienti æterna damnatio; perjurii namque percutitur pœnâ.

SECTIO XI.

Juramentum esse illicitum, cùm sit contra bonos mores, vel contra Canones, seu contrà præcedens contrarium juramentum licitum.

I. Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum. *In* 6. *De Regulis juris. Regula* 58.

II. Si qui jurant non loqui patri, vel matri, sorori, vel fratri, aut eis humanitatis subsidium non exhibere; juramentum illicitum est, & contrarium rationi. *De jurejur.* Cap. *Cùm quidam.* §. 2. LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 12.

III. Juramentum licitè servari non potest quod contra Canonica Statuta illicitis passionibus informatur. *De foro competenti.* Cap. *Si diligenti. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 2. Cap. 12.

IV. Non juramenta, sed perjuria potiùs sunt dicenda, quæ contra utilitatem Ecclesiasticam attentantur. *De Jurejur.* Cap. *Sicut nostris. §.* 2. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 27.

V. Si quis, quando juravit, habeat in mente ut veniret contra Canonicas Sanctiones; non juramentum, sed perjurium potiùs extitit; nec est aliquâ ratione servandum. *De Jurejur.* Cap. *Ad nostram, il* 3. *post init.* LIB. II. *Tit.* 24. Cap. 21.

VI. Non juramenta, sed potiùs perjuria sunt dicenda, quæ contrà utilitatem Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum veniunt Instituta. *De his quæ fiunt à majori parte Capituli.* Cap. *Cùm in cunctis. §.* 1. *fin.* LIB. III. DECRET. *Tit.* 11. Cap. 1.

VII. Præsbiteros super his juramenta illicita præstitisse noveritis, quæ constiterit contrà Constitutionem Concilii LATERANENSIS super Ecclesiis, vel earum censu à tempore Constitutionis hujusmodi juratoria cautione attentatâ. *De Censibus.* Cap. *Gravis.* §. 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 39. Cap. 15.

VIII. Cùm

VIII. Cùm in sua coronatione Rex juraverit jura Regni sui illibata servare; illicitum profectò fuit si præstitit de non revocandis alienationibus juramentum, & propterea penitùs non servandum. *De Jurejur.* Cap. *Intellecto. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 33.

IX. Juramentum contrarium priori juramento est illicitum, si jurisjurandi Religione se constringunt ad majorem solito pensionem solvendam, & posteà jurant quod solitam pensionem non augebunt; cùm posterius juramentum ratione, & Lateranensis Concilii autoritate juvetur, primo præjudicat quod de cupiditate processit. *De Jurejur.* Cap. *Tua nos.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 11.

Si quis duo fecit juramenta, quod majori juratur ratione est observandum. *Glossa.*

X. Si quis aliquid primitùs constanter asseruit, ejus postmodùm juramento in contrarium præstito non est standum. *De Probat.* Cap. *Per tuas.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 10.

Mandatum aliquod transgressurum juravit, & statuit, peccatum est; ait enim Propheta, *Juravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ*, quemadmodum mandatum est immutabilibus judiciis confirmandum, ita peccatum omninò infirmare, & delere oportet. S. BASIL. *Epistol.* 2. *Can.* 29. TOM. II. CONC. *App. p.* 1739.

Quis se alteri malefacturum jura anticipavit, declaret quidem pœnitere se, quod ad jurandum nimis facilis fuerit; non facilè pietatis prætextu suam improbitatem confirmet; neque enim Herodi jurare profuit, qui ne pejeraret Prophetam occidit; semel enim jusjurandum est prohibitum, multò magis consentaneum est id esse condemnatum quod propter malum juratum est; quare eum qui juravit pœnitere, non in pietatem studere confirmare oportet. Si quis se fratris oculos effossurum juraverit, inhonestum est hoc ad effectum deducere; si quis se interfecturum, si quis omninò juraverit mandatum alicujus transgressurum, hoc peccatum infirmare, & delere oportet. S. BASIL. *Epist.* 2. *Can.* 29. TOM. II. CONC. *pag.* 1739.

SECTIO XII.

Juramentum generaliter conceptum non extendi ad id quod impossibile est vel illicitum, & bonis moribus contrarium.

I. Quandò Statuta & Consuetudines quæ aliqui jurant inviolabiliter observare, continent nonnulla iniqua, tunc juramenta sub generalitate qualitercumque & sub qualiumcumque verborum formâ præstita vel præstanda, ad licita, possibilia, & Libertati Ecclesiasticæ non obviantia tantùm extenduntur, ipsique jurantes ad alia per præstationem juramenti hujusmodi non tenentur. *In 6. De Jurejur.* Cap. 1. *Contingit.* §. *ultimo* LIB. II. DECR. *Tit.* 11. Cap. 1.

Ne Statutis & generalitate jurandi sic jurantibus peccandi occasio præbeatur, cùm juramentum non fuerit, ut esset, iniquitatis vinculum institutum.

II. Juramenta, eâ intentione facienda, vel facta, ut etiam illicita, vel impossibilia, seu Ecclesiasticæ libertati obviantia observentur, cum etiam sub tali intentione præstari non possent absque Divinæ Majestatis offensâ, decretum est in hujusmodi illicitis, impossibilibus, seu libertati Ecclesiasticæ obviantibus, non servanda. *Ibid.* §. 1. *fin.*

III. Quin potiùs pro animarum salute, si sub tali generalitate jurandi aliquos ignorantes prædicta illicita, seu impossibilia, vel libertati Ecclesiasticæ obviantia, jurate contigerit, ad observanda dumtaxat licita, possibilia, & non obviantia libertati Ecclesiasticæ, jurantium referri debet intentio. *Ibid.* §. 1. *fin.*

IV. Cùm consuetudo Sacris est inimica Canonibus, ad ipsius observationem, etiamsi juramento firmata extiterit, cùm juramentum iniquitatis vinculum non existat, decretum est neminem teneri. *In 6. De Consuetudine*, Cap. 1. *Consuetudinem. med.* LIB. I. *Tit.* 4. Cap. 1.

V. Cum juramento pollicitus est Herodes saltatrici dare quodcumque postularet ab eo; si ob jusjurandum fecisse se dicat; si patris matrisve interitum postularet, facturus esset an non?(a) quod ergo in suis repudiaturus fuit, contemnere debuit in Propheta. *De Homicidio*, Cap. *Cum juramento.* LIB. V. DECR. *Tit.* 14. Cap. 4. (a) hoc est, non facturus esset.

VI. Herodes non fuit obligatus suo juramento, ut daret caput JOANNIS mulieri saltanti, per illa verba generalia, quodcumque postularet. *Glossa*, verbo, *Facturus esset.* SANCTUS HIERONYMUS *in Matthæum.* Cap. 14. *ann.* circ. 390. Sub generali pollicitatione seu promissione etiam juratâ non venit illicitum. *Summa.*

VII. Juramentum non ob hoc fuisse institutum invenitur, ut esset vinculum iniquitatis. CAUS. XXII. QUÆST. IV. Cap. 22. *Inter cætera. med.*

SECTIO XIII.

Juramentum etiam non extendi ad ea quæ in formâ ordinariâ juramenti non continentur.

I. Si ab aliquo exigatur juramentum præter formam Canonicam, quam cæteri consuevere præstare; nihil ampliùs exigendum est prætextu præstiti juramenti, quia denunciandum est eum hujusmodi juramento quoad alios articulos non teneri. *De Majorit. & obed.* Cap. *Dilecti.* §. 1. *fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 33. Cap. 3.

Juramentum non extenditur ad ea quæ de jure præstanda non sunt, licet super his juretur, imo ipso jure non tenet juramentum quoad alios articulos qui in forma juramenti non continentur, ut dicitur hic in fine. *Glossa*, verbo, *Juramenti.*

II. Cùm aliud sit damnorum restauratio, quàm satisfactio expensarum, ideò in juramento exhibito super damnorum articulo, intelligi non debet quod factum expensarum fuerit comprehensum. *De Injuriis.* Cap. *In nostra.* §. 1. *init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 36. Cap. 8.

Differentia est inter damnum, & expensas, undè juramentum super uno factum non extenditur ad aliud, cùm sint diversa. *Glossa*, verbo, *Damnorum. init.*

III. Qui juravit quod Ecclesiam resignaret, juramento prædicto, non ad repetendum, sed ad resignandum solummodo tenetur. *De his quæ vi.* Cap. *Ad audientiam. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 40. Cap. 4.

Juramentum non extenditur ad illa super quibus non est præstitum. *Glossa.*

IV. Clericus qui juravit se Statuta in Ecclesia sua edita servaturum, promittens per idem juramentum Statutum quod postmodùm subsequutum est fideliter observare; licet transgredi non debuerat quod promisit, non tenetur ad illius observantiam ex debito præstiti juramenti. *De Jurejur.* Cap. *Clericus.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 35.

Qui juravit servare Statuta edita, & posteà per illud juramentum aliter non jurando promisit servare addenda, seu posteà edita, non tenetur ex juramento ad noviter edita. *Summa.*

Ratio decisionum hujusmodi est, quod adjiciens rei promissæ cum juramento, aliam sine juramento, ad secundam tantùm tenetur vi simplicis promissionis.

V. Juramentum non extenditur, nisi ad eâ de quibus fuit cogitatum, & non ad ea quæ postea accidunt. *Glossa*, verbo, *Quod promisit.*

Si à te tale fuit præstitum juramentum, quod in omni causâ deberes ordinem judiciarium observare, nec tu, quando sub præmisso tenore jurasti, habebas in mente, ut propterea venires contra Canonicas Sanctiones, in manifestis & notoriis ratione juramenti præmissi non teneris servare subtilitatem ordinis judiciarii, quam in his non servari per omnia ipsa juris ratio postulat & requirit. *De Jurejur.* Cap. *Ad nostram il* 3. *init,* & §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 21.

Juramenta & promissa non extenduntur, nisi ad ea de quibus cogitatum est. *Glossa*, verbo, *In mente.* Sensus hujus juramenti est, quod jurant servare ordinem Judiciarium cuique causæ convenientem; cùm ergo

ergo ſubtilitas illius ordinis non conveniat cauſis notoriis, non tenetur illam in illis ſervare.

VI. Occaſione Juramenti quod de rebus Eccleſiæ non alienandis te aſſeris præſtitiſſe, nullatenùs prætermittas quin populo indigenti ſuper Baſilicarum inſtitutione ſtudeas ſalubriter providere. *De Eccleſiis ædif.* Cap. *Tua nos* Lib. III. Decr. *Tit.* 48. Cap. 6.

Juramentum ad caſum inopinatum extendi non debet. *Gloſſa.*

SECTIO XIV.

In quolibet juramento contineri tacitè certas aliquas conditiones honeſtas, ſeu exceptiones, contrà quas illud non valet.

I. Si vir mulieri juraſſet, quando contraxit cum illâ, quod eam ſemper pro legitimâ uxore teneret; pro fornicatione quam anteà perpetraſſet, eam dimittere non poſſet; ſed pro fornicatione, quam poſtcà perpetraret, eam dimittere poſſet, non obſtante hujuſmodi juramento, quoniam in eo talis erat ſubintelligenda conditio, ſi videlicet in legem conjugii illa non peccaret. *De Jurejur.* Cap. *Quemadmodùm. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 25.

Plerumque intelliguntur conditiones in juramentis; & hæ veræ ſunt in promiſſoriis juramentis, ſed in aſſertoriis nulla conditio ſubintelligitur. *Gloſſa*, verbo, *Conditio.* Hujus diſcriminis ratio eſt, quod iſtud cadat ſuper re factâ, quæ aliter eſſe nequit quàm facta ſit; illud verò ſuper re faciendâ quæ aliter fieri poteſt quàm fieri debeat. In Juramento honeſtæ conditiones ſubintelliguntur, quamvis non apponantur. *Gloſſa.*

II. Si quis juraverit ſe ducturum aliquam in uxorem, poteſt ei fornicationem opponere ſubſequentem, ut illam non ducat in conjugem; quia in illo Juramento talis debet conditio ſubintelligi, ſi videlicet illa contrà regulam deſponſationis non venerit. *Ibid.*

In utroque caſu vinculum juramenti, propter ſubintelligendam conditionem, eſt tale, ut is qui juravit, ad utrumque, ſine trangreſſione, ſe poſſit habere. *Ibid.*

III. Si quis pro offenſâ, quam filiæ ipſius aliis mulieribus irrogarant, quod earum mandato pareret, præſtitit Juramentum; quæ tale illi ſub debito juramenti dedêre mandatum; quod ſi quando filii aut oxor illius, aliquod factum vel verbum contumelioſum mulieribus illis objicerent, idem filias & filios exhæredaret, & à ſe propriam removeret uxorem; cùm licitum fuerit Juramentum, ſed mandatum illicitum, ad mandati obſervationem illius denuncietur non teneri. *De Jurejur.* Cap. *Quintavallis.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 23.

Cùm aliquis ſimpliciter jurat ſtare mandato alicujus, licitum debet eſſe mandatum: alioquin non ligat. *Gloſſa.* Ad hunc caſum Juramentum non extendebatur, nec debuit extendi. *Gloſſa*, verbo, *Exhæredaret.*

In Juramento illo ſubintelligebatur conditio, ſi mandatum eſſet licitum.

IV. In Juramento debet intelligi jus Superioris exceptum. *De Jurejur.* Cap. *Venientes.* §. 2. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 19.

In Juramento ſemper jus Superioris intelligitur exceptum, & cujuſcumque alterius; quia Juramentum factum in præjudicium alterius non valet, cùm illud obſervari non poſſit. *Gloſſa.*

V. Cùm in aliquâ Eccleſia certus eſt Canonicorum numerus inſtitutus, firmatus Jurejurando, & per multos Romanos Pontifices confirmatus; hæc conditio intelligitur apponi, ſalvâ Sedis Apoſtolicæ autoritate. *De Reſcriptis.* Cap. *Conſtitutus. in integra* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 3. Cap. 19. In omni tali Juramento ſemper intelligitur autoritas majoris excepta, & ideò quia conditio talis.

VI. Subintelligitur in hujuſmodi Juramentis, quia ſuper re alterius quaſi Juramentum tale præſtatur, & de re alterius præcisè jurari non poteſt. *Gloſſa*, verbo, *Juramento.*

Si quis, ut in ſatisfactione injuriarum, alicui obedit, & mandato Juramentum præſtitit; ſi mandatum priori juramento licitè facto repugnet, ipſum denuncietur non ſervandum. *De Jurejur.* Cap. *Veniens.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24 Cap. 16.

Subintelligitur conditio, ut Juramentum non obliget ad id quod contrarium eſt alteri Juramento licitè facto. Uno verbo, omnis exceptio in Juramento ſubintellecta ad unam reducitur, nempè jus alienum quod in omni contractu ſalvum eſſe debet; jus autem illud eſt Dei vel proximi,

SECTIO XV.

Juſjurandum quod ſub expreſſâ conditione alicujus eventûs, vel intrà certum terminum, factum eſt, neminem obligat, niſi poſt impletam conditionem, & intrà ſtatutum terminum.

I. Nec tu ei, etiamſi promiſſum tuum Juramento, vel fidei obligatione, interpoſitâ conditione, firmaſſes, aliquatenùs teneris, ſi conſtat eum conditioni minimè paruiſſe. *De Jurejur.* Cap. *Pervenit.* §. 2. §. 2. Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 3.

Juramentum vel fides data ſub conditione non obligat, niſi conditio ſervetur. *Gloſſa.*

II. Si aliquis ſub hujuſmodi verbis Juramentum alicui mulieri præſtiterit, Ego te in uxorem accipiam ſi tantùm mihi donaveris; reus perjurii non habebitur, ſi eam nolentem tibi ſolvere quod tibi dari petat, non acceperit in uxorem. *De Conditionibus.* Cap. *De illis.* Lib. V. Decr. *Tit.* 5. Cap. 3.

III. Si quis mulierem ſe ducturum in conjugem proprio firmaverit Juramento; & poſtmodùm aliam deſponſaverit per verba de præſenti; primam fidem irritam fecit, niſi forſitan in juramento ſuo certum terminum, intrà quem primam mulierem duceret in uxorem, præfixit; nec per eum ſtetit quin ad ſtatutum terminum matrimonium conſummaverit. *De Sponſalibus.* Cap. *Sicut.* §. 1.

Si quis cùm promiſiſſet præſtito juramento, quod domum aliquam ſtatuto termino recolligeret; intrà ſtatutum tempus, creditori pecuniam numeratam remiſit per idoneum nuncium qui illam infideliter retinuit; quantùm in eo fuit, Juramenti debitum adimplevit. *De pignoribus.* Cap, *Significante.* Lib. III. Decr. *Tit.* 21. Cap. 7.

SECTIO XVI.

Juſjurandum vi & metu extortum eſſe voluntarium, & obligare, modò non vergat in diſpendium ſalutis æternæ; ſed illius peti poſſe abſolutionem, ſeu relaxationem.

I. Si aliquis quemquam graviſſimo metu ſub Religione Juramenti ſuum jus refutare coegerit, non eſt tutum eum contrà juramentum ſuum venire, niſi tale ſit quod ſervatum vergat in interitum ſalutis æternæ. *De Jurejur.* Cap. *Si verò. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 8.

Juramentum metu extortum ſervandum eſt, & obligat; & qui illud non ſervat, perjurus eſt, dummodò ſervari poſſit ſine periculo animæ. *Gloſſa*, verbo, *Juramentum proprium.*

II. Eccleſia non vult alicui dare materiam veniendi contrà Juramentum proprium, ne author perjurii videatur. *De Jurejur.* Cap. *Si verò. med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 8.

III. Renunciatio facta ad terrorem Laïcorum, niſi fortè juramento vel fide interpoſitâ ſit confirmata, non impedit quominùs is qui renunciavit, Eccleſiæ præficiatur eidem. *De iis quæ vi metuve.* Cap. *Ad aures* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 40. Cap. 3.

IV. Cùm conſtat de præſtito juramento à Canonicis, quod non vergat in diſpendium ſalutis æternæ, ne via perjuriis aperiatur, non obſtante violentiâ quæ proponitur illata, ſervari debet. *De his quæ vi.* Cap. *Cùm Dilectus* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 40. Cap. 6.

Hic

Hic dixit Papa, si Juramentum intervenier in renunciatione, quod non reciperet illam prælationem, tunc non posset præfici illi Ecclesiæ, propter Juramentum quod potest servari sine interitu salutis æternæ. *Glossa*, verbo, *Nisi fortè*.

V. Si quis pejerare nolit, quod tamen fecit, cùm vult vivere, si se quisquam, nisi fecerit, mortem minetur; vult facere, quia vult vivere; & ideò non per se ipsum appetendo, ut falsum juret, sed ut falsum jurando vivat. CAUS. XV. QUÆST. I. *Cap.* 1. *Meritò. post init.* S. AUGUST. LIB. IV. QUÆST. *Quæstione ad Cap.* 13. fortè circa annum 400.

VI. Juramentum servare cogatis, nisi fortè fuerit iniquè extortum. *De Appellat.* Cap. 1. *in init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28.

VII. In Romana Ecclesia à pluribus Summis Pontificibus factum esse recolitur, quod Clerici qui coacti Ministerium Ecclesiæ abjurarunt, de Juramento Absolutionis Beneficium meruerunt. *De Jurejur.* Cap. *Si verò. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 8.

VIII. In ea quæstione quæ ponitur, an à Sacramenti vinculo absolvantur qui illud inviti pro vita, & rebus servandis fecerunt; nihil aliud arbitramur, quàm quod Antecessores nostri Romani Pontifices arbitrati fuisse noscuntur, qui tales à Juramenti nexibus absolverunt. *De Jurejur.* Cap. *Verùm. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 15.

IX. Autoritatem Venerabilium Prædecessorum suorum secuti Romani Pontifices, ab omnibus Juramentis, & cujuscumque modi obligationibus, quibus aliqui sese coacti violentiâ impiorum obligaverant, absolvunt, & ne illa serventur, vetant, sicut per Prophetam Dominus dixit, *Dissolve colligationes iniquitatis.* CAUS. XV. QUÆST. VI *Cap.* 2. *Autoritatem. init.* NICOLAUS I. *Episcopis Galliæ*, fortè circa annum 863. Inter Pontifices quos laudat, solius ALEXANDRI I. expressè meminit, cujus scripta alia non extant quàm supposititia. Videri potest *Glossa*, verbo, *Absolvimus*, ubi quæstio agitatur in utramque Partem, & deciditur hujusmodi coacta Juramenta obligare.

X. Cæterùm, ut agatur consultiùs, & auferatur materia pejerandi, non eis ita expressè dicatur, ut Juramenta non servent, sed si ea non attenderint, non ob hoc sunt tanquàm pro mortali crimine puniendi. *De Jurejur.* Cap. *Verùm.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 15.

XI. ISAIÆ 58. Cùm Gabaonitæ à Filiis Israël per fraudem surripuerint Juramentum; ipsi tamen cognitâ fraude contrà illud venire temerè noluerunt. *De Elect.* Cap. *Venerabilem.* §. 8. *fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 34.

XII. Is à quo per dolum & fraudem est Sacramentum extortum, ut Arbitrium aliquorum suscipiat, & servet; si constiterit illos nequiter arbitratos fuisse, debet ab observantiâ Juramenti prorsùs absolvi. *De Arbitris.* Cap. *Non sine.* LIB. I. DECR. *Tit.* 41. Cap. 2.

XIII. BONIFAC. VIII. *Cap.* 1. *De Pactis* loquens de renunciatione facta à filiâ nupturâ Patriæ successioni, ac Juramento firmata, illam non valere docet, si vi vel dolo Juramentum extortum fuerit.

SECTIO XVII.

Multa esse ad quorum observationem ex simplici promissione homo non teneretur; quæ tamen accedente Jurejurando, tenetur coram Deo observare, nisi petat illius relaxationem.

I. Debitores ad solvendas usuras, in quibus se obligaverant, cogi non debent; si verò de solutione juraverint, cogendi sunt Domino reddere Juramentum. *De Jurejur.* Cap. *Debitores. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 24. Cap. 6.

II. Secundùm Canones obligatio usurarum non tenet, sed Juramentum super hoc factum tenet, & debet servari. *Glossa.*

Periculosum est debitoribus usurarum suum Juramentum infringere. *De Jurejur.* Cap. *Ad nostram. in init. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 7.

III. Cùm usuræ solutæ fuerint, creditores ad eas restituendas sunt Ecclesiasticâ severitate, si necessè fuerit, compellendi. *Ibid. fin.*

Creditores ad Juramenta super usuris sibi solvendis præstita, relaxanda, Ecclesiasticâ districtione cogantur. *De Jurejur.* Cap. *Ex Administrationis.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 1.

IV. GREGOR. VIII. circa annum 1187. malè GREGOR. III. *Vide Notas* BALUSII *ad Concil.* MONSPEL. *ann.* 1195. TOM. X. CONC. *p.* 1599.

Non minùs periculosum est Creditoribus detinere quod in pignus recèperint.

V. Si quis cùm quibusdam hominibus certam summam pecuniæ mutuasset, quasdam ab eis possessiones & reditus recepit in pignore, ipsos Juramenti Religione adstringens, quod super illis, donec solverint sibi pecuniam, nullum ei gravamen inferrent; si prædictas possessiones & reditus contrà Juramentum subtrahant, Ecclesiasticâ Censurâ cogantur ut hæc restituant, nec sibi molestias inferant; donec ei pecunia persolvatur. *De Jurejur.* Cap. *Ad nostram.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 7.

Juramentum semper servandum est, etiam factum super usuris solvendis, licet promissio usurarum non valeat. *Glossa.*

VI. Etsi mulierum consensus in alienationibus super rebus dotalibus non videatur obligatorius, secundùm legitimas Sanctiones; si tamen mulieres proprio Sacramento firment non ulteriùs contravenire; ne viam contingat perjuriis aperiri, mulieres ipsæ servare debent hujusmodi Juramenta, sine vi & dolo spontè præstita, cùm in alterius præjudicium non redundent, nec observata vergant in dispendium salutis æternæ. *De Jurejur.* Cap. *Cùm contingat.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 28.

Juramentum præstitum super actu à Lege infirmato principaliter favore jurantis, licet secundariò in favorem publicum, necessariò est observandum, si non vi, nec dolo fuit præstitum, & in alterius præjudicium non redundat. *Rubrica.*

VII. Quamvis pactum Patris factum à filia dùm nuptui tradebatur, ut dote contenta nullum ad bona paterna regressum haberet, Lex Civilis improbet; si tamen Juramento, non vi nec dolo præstito, firmatum fuerit ab eadem, omninò servari debebit; cùm non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum. *In* 6. *De Pactis.* Cap. *Quamvis.* LIB. I. *Tit.* 18. Cap. 2.

Juramentum præstitum super tali pacto non est illicitum, ideò est servandum. *Glossa.*

VIII. Mulieres quæ alienationibus dotium, & donationum propter nuptias consentiunt non contravenire, proprio Juramento firmantes; servare Juramentum hujusmodi, non vi nec dolo præstitum, de Jure Canonico tenentur. *In* 6. *De Jurejur.* Cap. *Licet. init.* LIB. II. *Tit.* 11.

Infrà viginti quinque annos teneret donatio Juramento firmata. *De Probat.* Cap. *In Præsentia.* §. 2. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 8.

IX. Si vir expressè jurasset uxori, quod eam super adulterio non impeteret; tutius in hoc casu videtur, ut propter Jurisjurandi Religionem, vir accusare desistat uxorem ad divortium celebrandum, quamquam denuntiare eam possit ad pœnam peragendam. *De Jurejur.* Cap. *Quemadmodum.* §. 3. *& ult.* LIB. II DECR. *Tit.* 24. Cap. 25.

Si quis jurat non accusare uxorem de adulterio, servandum est Juramentum, tamen debet eam denuntiare ut pœniteat. *Glossa.*

SECTIO

SECTIO XVIII.

Quomodo cognosci possit an jusjurandum absolutione indigeat ut revocetur, an interpretatione? & qua ratione interpretari illud debeamus?

I. Si quis juramentum quod egit indiscretè, quia grave propter hoc scandalum generatur, cupiat revocare; super hoc diligens indagator poterit facilè intueri an sit absolutio necessaria, an interpretatio requirenda. *De Jurejur.* Cap. *Quanto.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24 Cap. 18.

II. Cùm juramentum fecit, rem aut illicitam, aut licitam esse credebat; si illicitam, juramentum fuit illicitum, & nullatenùs observandum. *Ibid.*

III. Si verò licitam esse credebat, juramentum licitum fuit, & usquequaque observandum; & ita agendum ut dispendium vitari possit, & juramentum servari. *Ibid.*

IV. Quidam tuum animum induxerunt ut jurares usque ad certum tempus Patris tui conservare monetam, quæ tamen circa mortem ejus fuerat legitimo pondere defraudata: & cùm adeò sit diminuta & minoris valoris effecta, quod grave propter hoc scandalum in populo generatur, tu quod egisti indiscretè cupis revocare, super quo diligens indagator poterit facilè intueri, an sit absolutio necessaria, an interpretatio requirenda. *De Jurejur.* Cap. *Quanto.* §. 1. & 2. LIB. II. DEC. *Tit.* 24. Cap. 18.

Juramentum aliquandò recipit interpretationem, & aliquando requirit absolutionem. *Glossa.*

V. Cùm juramentum fecisti, monetam aut falsam, aut legitimam esse credebas; si falsam, juramentum fuit illicitum, & nullatenus observandum. *Ibid. De Jurejur.* Cap. *Quanto.* §. 2. LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 18.

Jurans scienter illicitum, non indiget absolutione; sed tenetur illud non observare. *Summa.*

VI. Si verò legitimam esse credebas, juramentum licitum fuit, & usquequaque servandum; & ut irreprehensibiliter observetur, reprobata moneta quæ à legitimo pondere fuerat defraudata, alia sub nomine Patris tui excudatur, quam ad legitimum pondus reducas, ita quod antiqua moneta quæ ab illo statu falsata non fuerat cum eâ pariter expendatur, per quod & dispendium vitari poterit, & juramentum servari. *Ibid.* §. 3.

Si juravit illicitum ignoranter, debet illud observare, si aliquo licito modo est observabile. *Summa.* ut actus magis valeat quàm pereat.

Hîc non fuit necessaria absolutio, sed interpretatio, & secundùm interpretationem debet servari, quia fuit legitimum juramentum. *Glossa,* verbo, *Absolvi. fin.*

VII. Verumtamen si monetam ipsam in præstatione juramenti credebas à legitimo pondere diminutam, & tua super hoc conscientia remordeat; tuum humiliter confitere peccatum, & satisfactionem injunctam tibi pro illicito juramento studeas adimplere. *Ibid.* §. *ultimo.*

VIII. Juramentum benigniùs interpretari convenit, ita quod consonet Canonicis institutis. *De Jurejur.* Cap. *Ad nostram. il.* 3. §. 1. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 21.

IX. Juramentum generale debet ita intelligi si fieri potest ut non obviet juri, *Summa.* Cùm secundùm approbatum intellectum rectè potest intelligi quod jurasti; sic faciendum est ut & Juramenti tenorem serves, & instituta Canonica non omittas. §. 21.

Juramentum directè servari potest, vel per interpretationem servandum est. *Glossa.*

X. Si Princeps à Clericis juramentum extorserit, quod contrà ipsum de cætero non erunt; interpretatione congrua intelligendum est eos juramento hujusmodi non teneri quin pro juribus & honoribus ipsius Ecclesiæ, ac etiam specialibus suis legitimè defendendis contrà ipsum Principem stare libere valeant, coercendo se à machinatione dumtaxat, per quam idem Princeps deberet læsionem personæ, vel sui amissionem incurrere Principatûs. *De Jurejur.* Cap. *Petitio.* LIB. II. DEC. *Tit.* 24. Cap. 31.

Licet quis apertè teneatur alicui per Sacramentum, tamen contrà se non tenetur vel contrà Ecclesiam suam, vel etiam contrà Communitatem suam. *Glossa,* verbo, *Specialibus.*

Absolvendi sunt ab observantia juramenti, cùm illicitum est & contrarium rationi; injunctâ tamen eis, de hoc quod malè juraverunt, pœnâ competenti. *De Jurejur.* Cap. *Cùm quidam.* §. 2. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. *Cap.* 12. Intellige ad cautelam, quia juramentum non obligat ad illicitum. *Glossa,* verbo, *Absolvendi.*

Præsbyteros, quos contrà Constitutionem Ecclesiæ juramenta illicita præstitisse noverint, congruâ satisfactione impositâ faciant absolvi. *De Censibus.* Cap. *Gravis.* §. 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 39. *Cap.* 15. Id est, absolutos renuntiari. *Glossa. hoc* §.

Absolvitur, quia nefandissima coactione juravit. *De Jurejur.* Cap. *Pervenit.* §. 2. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 2.

Ad cautelam vel absolutus obtenditur. *Glossa,* verbo, *Absolvimus.*

SECTIO XIX.

Quibus modis cesset obligatio Juramenti?

I. Puella, si in puerili ætate sita, in domo Patris, illo nesciente, juramento se constrinxerit, & Pater ejus ut audierit, statim contradixerit, juramenta ejus irrita erunt, & faciliùs emendabitur. CAUS. XXII. QUÆST. V. Cap. 15. *Pueri. Ex Concil.* ELIBERIT. fortè *anno.* 305. Filii juramentum debet Pater revocare, quàm citò scit. *Glossa,* verbo, *Statim.*

II. Tribus modis juramenta contracta solvenda sunt: 1°. Cùm quis malè jurat.; 2°. Cùm quis incautè jurat, non putans hoc esse peccatum. 3°. Si pueri, vel puellæ in domo Parentum se juramento constrinxerint, Patribus, postquàm audierint, contradicentibus. CAUS. XXII. QUÆST. IV. Cap. 19. *Si quis præventus.* §. 1. *Glossa,* verbo, *Solvenda,* ait, hoc est, irritanda.

Id est irritum. *Glossa hoc* §. S. HIERONIMUS *Lib. De Naturu rerum.*

III. Definitio incauta laudabiliter solvenda est, id est, frangenda est. *Glossa.* Nec est prævaricatio, sed temeritatis emendatio. CAUS. XXII. QUÆST. IV. Cap. 17. *Ex Concilio* ELIBERIT. *Cap.* 1. Forte *anno* 305.

IV. Creditores ad juramenta super usuris sibi solvendis præstita relaxanda, Ecclesiasticâ districtione cogantur. *De Jurejur.* Cap. *Ex administrationis.* LIB. II. DECR. *Tit* 24. Cap. 1.

V. Agi potest ad relaxationem juramenti, cujus implementum turpitudinem continet ex parte suscipientis. *Summa.*

VI. Si Clericus de solvendo aliquibus pro Ecclesia annuo censû, præstitit Sacramentum, si census sit de novo impositus, idem ut Clericum à juramento absolvant compellantur. *De censibus.* Cap. *Significavit. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 39. Cap. 13.

VII. Qui recipit juramentum de novo censu imposito Ecclesiæ persolvendo, compellitur jurantem absolvere. *Summa.* Juramentum de novo censu solvendo præstitum relaxandum est. *Glossa.*

VIII. Si quis quod aliquorum mandato pareret, præstitit Juramentum, & illi sub debito Juramento dent mandatum illicitum; prædictis ut revocent mandatum, illud injungi debet; alioquin eum ad mandati observationem illius denuncietur non teneri. *De Jurejur.* Cap. *Quintavallis.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 23.

IX. Cùm pateat ex dictis Juramentum illicitum non ligare, consequens est, ut possit, & debeat non servari, ideòque necessarium non sit, ut ab exigente remittatur, neque à mandante revocetur mandatum, atque si præcipiatur remissio, ac mandati revocatio, id fiat tantùm ad exibendam reverentiam honoremque debitum Juramento, etiam irrito, & inani.

SEC-

SECTIO XX.

Eum qui promissionem Jurejurando confirmavit, puniendum, nisi adimpleat, etiamsi fortiori vinculo se liget.

I. Cùm tàm Patres quàm Filii sub Juramento promisêre, quod Filios & Filias impubescentes, ad invicem Matrimoniis copularent; si constiterit aliquem ad alia vota velle migrare, monendus est; & si non acquieverit moniris, Ecclesiasticâ Censurâ compellendus est, ut, nisi rationabilis causa obstiterit, quod juravit adimpleat. *De Sponsalibus.* Cap. *Ex Literis. il* 2. Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. *Cap.* 10.

II. Si quis Mulierem se ducturum in conjugem prævio firmaverit Juramento,& postmodùm aliam desponsaverit per verba de præsenti; imponi debet ei pœna competens, quia primam fidem irritam fecit. *De Sponsalibus.* Cap. *Sicut.* §.1. Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. *Cap.* 22.

Si fortè per verba de futuro Sponsalia cum utraque contraxit, Juramentum primum sicut licitè factum est, servare compellatur; de secundo ei pœna injungenda. *Ibid.* §. 2.

III. Qui præstitâ fide firmavit quod usque ad statutum terminum nullam alicui molestiam vel gravamen inferret, districtè compellendus est, ut quoad terminum constitutum, secundùm quod inter se convénerunt, ipsum permittat pacificè permanere. *Ne Prælati.* Cap. *Querelam.* §. 1. Lib. V. Decr. *Tit.* 4. *Cap.* 4. & *ult.*

IV. Si Religionem Fidei & Juramenti sui Clericos violare constiterit, ii ab Officio & Beneficio suspendantur. *De Fidejussoribus.* Cap. *Pervenit. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 22. *Cap.* 2.

V. In Episcopos qui suum transgressi sunt Juramentum, est tantò graviùs vindicandum, quantò majori præeminent dignitate; & eorum exemplo faciliùs alii poterunt ad similia provocari. *De Jurejur.* Cap. *Cùm quidam.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 24. *Cap.* 12.

Addenda hic quæ habentur sub Titulo de promissione, quia in Juramento promissorio duplex est quodammodo promissio; alia facta Deo per Juramentum, alia facta proximo per conventionem quæ à Juramento firmatur.

SECTIO XXI.

Etiam pro illicito seu temerario Juramento imponendam esse pœnam ab Ecclesiâ.

I. Qui juravit sponsam fratris ducere, ei suum implere propositum non permittatur, sed ut Pœnitentiam agat de illicito Juramento, monitione præmissâ, Ecclesiasticâ districtione compellatur. *De Sponsalibus.* Cap. *Ad audientiam. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. *Cap.* 4.

II. Presbyteros quos Juramenta illicita præstitisse noveritis, congruâ satisfactione impositâ faciatis absolvi. *De Censibus.* Cap. *Gravis.* §. 2. *med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 39. *Cap.* 15.

III. Necessè est ut malè jurans dignam Pœnitentiam agat, eo quod nomen Domini contra ipsum illius sumpsit in vanum, quia in Exodo scriptum est: *Nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustrà.* Caus. XXII. Quæst. IV. Cap. 14. *Necessè est. Ex Conc.* Toletano. *Cap.* 8. fortè anno 653.

IV. Qui Sacramento se obligaverit, litigans cum quolibet, quod ad pacem nullo modo redeat, reatum suum eleemosinis, fletibus, & quantis poterit jejuniis absolvat; ad caritatem verò, quæ operit moltitudinem peccatorum, celeriter venire festinet. Caus. XXII. Quæst. IV. *Cap.* 11. *Qui Sacramento. Ex Concilio* Ilerdansi. *Cap.* 7. *an.* 524.

V. Tuum humiliter confitere peccatum, & satisfactionem injunctam tibi pro illicito Juramento studeas adimplere. *De Jurejur.* Cap. *Quanto.* §. *ult. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. *Cap.* 18.

VI. Cùm Juramentum illicitum est, & contrarium rationi, injungatur eis de hoc quod malè juraverunt, pœna competens. *De Jurejur.* Cap. *Cùm quidam. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. *Cap.* 12. & *De temporibus Ordin.* Cap. *Cùm quidam. in init. fin.* Lib. II. Dec. *Tit.* 24. *Cap.* 28.

VII. Pro juratione incautâ imponatur Episcopo pœna congruens. *De Jurejur.* Cap. *Sicut nostris.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 24. *Cap.* 27.

VIII. Si quis hujusmodi consuetudines, quæ nec ratione juvantur, nec Sacris congruunt Institutis, jurare præsumpserit, donec dignam egerit Pœnitentiam, à perceptione sit Dominici Corporis alienus. *De his quæ fiunt à majori* &c. Cap. *Cùm in cunctis.* §. *ult.* Lib. III. Decr. *Tit.* 11. *Cap.* 1.

SECTIO XXII.

Perjuros esse qui in dolo promittunt; non qui præstito bonâ fide Sacramento, implere non possunt quod promiserunt; & quæ illius perjurii pœna?

I. In dolo jurat qui aliter facturus est quàm promittit, cùm perjurium sit nequiter decipere tradentem. Caus. XXII. Quæst. II. *Cap.* 1. *In dolo.*

II. Non solùm in Evangelio vel Reliquiis Sanctorum, crimen perjurii, sed in veritate; quæ Deus est, si mentitur, perpetrare dignoscitur. *Capitul.* Ahytonis *Episcopi* Basil. *an.* 822. Cap. 2. Tom. VII. *Conc. p.* 1526. S. Augustinus *in Psalm.* 23. *seu potiùs* Cassiodorus.

III. Qui compulsus à Domino sciens perjurat, utrique sunt perjuri, & Dominus & Miles; Dominus, quia præcepit; Miles, quia plùs Dominum quàm animam dilexit. Caus. XXII. Quæst. V. Cap. 1. *Qui compulsus.* Fortè ex *Pœnitentiali* Theodori circà an. 680.

IV. Qui pejerare paratus est, antequàm juret, jam perjurus esse videtur, qoia Deus non ex operibus judicat, sed ex cogitationibus & ex corde. Caus. XXII. Quæst. V. Cap. 13. *Qui pejerare.* Chromatius *in* Cap. 5. Math. circà an. 400.

V. Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 11. Perjurium, id est temerarium Juramentum, quod non habet justitiam secum, & alia quæ debent in Juramento intervenire.

VI. Qui alicui dat materiam veniendi contrà Juramentum proprium, autor perjurii videtur. *De Jurejur.* Cap. *Si verò. med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. *Cap.* 8.

VII. Perjurium quod est transgressio Juramenti, quod si licitum sit, peccat mortaliter transgrediendo; si est illicitum, ita ut ejus observatio vergat in dispendium salutis æternæ, non peccat contraveniendo, sed peccat jurando.

VIII. Beatus Paulus Apostolus non ideò (quod absit) fefellisse credendus est, aut sibi extitisse contrarios, quoniam cùm ad Hispanos se promisisset iturum, dispositione Divinâ, majoribus occupatus ex causis, implere non potuit quod promisit; quantùm enim ipsius voluntatis interfuit, hoc prononciavit, quod reverâ voluisset efficere; quantùm enim ad Divini secreta Consilii, quæ ut homo omnia non potuit, licet Spiritu Dei plenus, agnoscere, supernâ prætermisit dispositione præventus. Caus. XXII. Quæst. II. Cap. 5. *Beatus.*

IX. A perjurio appellatio frustratoria non excusat. *De Jurejur.* Cap. *Brevi.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 24. *Cap.* 17.

X. Nec quia Beatus Petrus Apostolus pro effectu Divinæ Reverentiæ ipsi Domino respondit; Non lavabis mihi pedes; in æternum fefellisse (quod absit) aut in suâ putabitur minimè constitisse sententiâ, quia mox eidem Divinæ voluntati cesserit, & quod se dixerat non esse facturum, causis adstrictus humanæ salutis, passus est pronâ voluntate faciendum. *Ibid. fin.*

Appellatio frustratoria non excusat aliquem ab eo qood facere tenetur. *Glossa.* Proindèque nec à Juramento adimplendo.

Nisi difficultas existat propter quam qui juramento tenetur non possit adimplere, culpâ perjurii potiùs irritatur. *Ibid.*

Perjurium quandoque dicitur indiscretum juramentum; istud ex deliberatione vel proposito factum, mortale peccatum est; si verò quis jurat jocosa levitate vel incautè, veniale peccatum est. *Glossa*, verbo, *Pro perjurio.* ad Tit. *De Jurejur.* Cap. *Tua nos.* Necessitas excusat á perjurio. *Glossa.*

XII. Sunt crimine perjurii irretiti, si contrà Juramentum suum non necessitate, sed voluntate, á pensionis solutione cessant. *De Jur.jur.* Cap. *Querelam.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 54. Cap. 10.

Perjurus est, & ab Ecclesiâ removendus, qui non necessitate, sed voluntate venit contrà licitum Juramentum. *Summa.*

Si præstitisti de faciendâ residentiâ Juramentum, te non absentando in fraudem, perjurium non incurris. *De Cler. non residentibus.* Cap. *Ex parte.* LIB. III. DECR. *Tit* 4. Cap. 51.

Qui autem fraudulenter se absentat, tunc perjurium incurreret. *Glossa*, verbo, *Perjurium.*

XIII. Qui aliquem jurare coegerunt quod non debuit, reatu perjurii implicitè tenentur. CAUS. XXII. QUÆST. I. Cap. 52. *Inter cætera. fin.* S. AUG. *Severo Milevit.* forte circà *ann.* 396. S. AUGUST. *Epist.* 47. *ann.* 398.

Pejerare immane peccatum est. CAUS. XXII. QUÆST. I. Cap. 1. *In novo. fin.*

XIV. Per se ipsam appensa magnum malum est falsa juratio. CAUS. XXII. QUÆST. IV. Cap. 4. *Juravit. fin.*

SECTIO XXIII.

Perjurium lethale esse peccatum, & pœnam de coacto etiam perjurio esse exigendam.

I. Dùm pejerare compellimur, Creatorem quidem offendimus, sed nos tantummodò maculamus. DIST. XIII. *Cap.* 1. *Duo mala.* §. 1. Comparatur pejeratio proveniens ex omissione rei promissæ proximo noxiæ, cum adimpletione hujusmodi promissionis quæ adimplera ostendit Deum, maculat adimplentem, & lædit proximum; undè ista pejor est quàm illa, cum tribus noceat, illa verò duobus tantùm. S. AUG. *Serm.* 9. *De Sanctis*, fortè circa *ann.* 391. *Ex Concil.* TOLET. VIII. Cap. 2. *ann.* 653. *Conc.* MATISCON. I. *ann.* 581.

II. *Can.* 17. TOM. V. CONC. *pag.* 970. CAUS. XXII. QUÆST. V. Cap. *Si quis*, ad perjuria attraxerit vel sollicitaverit, excommunicatur usque ad exitum vitæ.

III. Convictus perjurii, Divini Judicii pœnâ damnatur. CAUS. XXII. QUÆST. V. Cap. 12. *Juramenti. med.* CHROMATIUS *in Cap.* 5. MATTHÆI. circa *ann.* 400. CHRISOSTOMO tribuebatur ob simile tuitium nominis.

IV. Quantò per quod juratur magis est Sanctum, tantò magis est pœnale perjurium. CAUS. XXII. QUÆST. I. Cap. 16. *Movet te. fin. Ex Capitul.* LIB. I. Cap. 63. *ann.* 789. Pœnale est pœnâ dignum.

V. Habemus in Lege Dei scriptum, *Non pejeratis in nomine meo, nec pullues nomen Dei tui in vanum*; ideò admonendi sunt omnes ut diligenter caveant perjurium, non solùm in Altari, seu Sanctorum Reliquiis, sed etiam in communi loquela. CAUS. XXII. QUÆST. I. Cap. 12. *Habemus.*

VI. Prædicandum est, ut perjurium fideles caveant, & ab hoc summoperè abstineant; scientes hoc grande scelus esse, & in Lege, & in Prophetis, & in Evangelio prohibitum. CAUS. XXII. QUÆST. I. Cap. 17. *Prædic. init. Ex Capitul.* THEODULP. *Cap.* 26. circa *ann.* 792. *Conc.* TURON. III. *ann.* 813. *Can.* 34. TOM. VII. CONC. *p.* 1266. Excludit à testimonio viles personas, ne pro nihilo pejerent.

VII. Nosse debent talem de perjurio Pœnitentiam imponi debere, qualem & de adulterio, & de fornicatione, & de homicidio sponte commisso, & de cæteris criminalibus vitiis. *Ibid.*

VIII. Qui coactus fuerit, & ignotans se perjuraverit, & posteà cognoscit, pœniteat. CAUS. XXII. QUÆST. V. Cap. 2. *Qui pejerat. Ex Pœnitent.* THEOD. circa *ann.* 680.

IX. Si quis coactus pro vitâ redimendâ, vel pro qualibet causâ, vel necessitate perjurat, quia plus corpus quàm animam dilexit, pœniteat. CAUS. XXII. QUÆST. V. Cap. 3. *Si quis coactus.*

X. Si quis pejeraverit, & alios sciens in perjurium duxerit, pœniteat; & alii, si conscii fuerint, constanter pœniteant. CAUS. XXII. QUÆST. V. Cap. 4. *Si quis pejeraverit.* GELASIUS *Papa*, fortè circa *ann.* 494.

SECTIO XXIV.

Etiam fidem datam inter malos esse servandam, nisi mala voluntas emendetur.

I. Non hic eam fidem dico servari, quia fideles vocantur qui baptisantur in CHRISTO; illa enim longè alia est, longèque discreta à fide humanorum placitorum atque pactorum. CAUS. XXII. QUÆST. I. Cap. 16. *Movet te. med.* S. AUG. *Epist.* 47. *ann.* 398.

II. Si ad peccatum faciendum fides adhibetur, mirum si fides appellanda est; verumtamen qualiscumque sit, si & contrà ipsam fit, pejus fit, nisi cum propterea deseritur, ut ad veram fidem, legitimamque redeatur. id est ut peccatum emendetur, voluntatis pravitate correctâ. CAUS. XXII. QUÆST. IV. Cap. 20. *Si ad peccatum. init.* S. AUG. *De Bono Conjug. Cap.* 4. fortè circa *ann.* 401.

III. Si quis cùm hominem solus exspoliare non possit, inveniat socium iniquitatis, & cum eo paciscatur ut simul id faciant, spoliumque partiantur, quo facinore commisso totum solus auferat; dolet quidem ille, & fidem sibi non esse servatam conqueritur; verùm in ipsa suâ querelâ cogitare debet potiùs, in bonâ vitâ ipsi humanæ societati fidem fuisse servandam, ne præda iniqua ex homine fieret, si sentit quàm iniquè sibi in peccati societate servata non fuerit, ille quippe utrobique perfidus, profectò scelerator judicandus est. *Ibid.*

IV. Mulier si fide conjugali violatâ, fidem servet adultero, utique mala est; sed si nec adultero, pejor est. CAUS. XXII. QUÆST. IV. Cap. 21. *Mulier. init.* S. AUGUST. *De Bono Conjugat. Cap.* 4. fortè circa *ann.* 401.

V. Porrò si eam flagitii pœniteat, & ad castitatem rediens conjugalem, pacta ac placita adulterina rescindat; miror si eam fidei violatricem vel ipse adulter putabit. *Ibid. fin.*

SECTIO XXV.

Fidem mutuò datam inter aliquos esse servandam, nisi alter eorum eam frangat.

I. Qui de observanda conventione juraverunt, moneantur, ut sicut jurarunt, eandem conventionem adimpleant; alioquin puniantur. *De Jurejur.* Cap. *Ex Rescripto.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 9.

II. Juramentum quod aliquis se asserit præstitisse, si de assensu factum est utriusque, eum non ligat qui præstitit, dùm ille cui præstitum fuerat, servare negligit quod promisit. *De Jurejur.* Cap. *Sicut.* §. 2. LIB. II. DECR. *Tit.* 54. Cap. 29.

Non servanti fidem fides non est servanda. *Glossa*, verbo, *Non ligat.*

III. Fides quando promittitur etiam hosti servanda est contrà quem bellum geritur; quantò magis amico pro quo pugnatur. CAUS. XXIII. QUÆST. I. Cap. 3. *Noli existimare.* §. 1. S. AUGUST. *in Epistola* 207. *ad* BONIFAC. circa *ann.* 418.

IV. Quod fide hinc indè datâ promissum est, observandum est. *De Arbitris.* Cap. *Cum tempore.* §. 2. *init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 43. Cap. 5.

V. Quod

V. Quod benè ſemel definitum eſt, & interpoſitis juramentis deliberatum, nullâ debet iteratione, niſi fortaſſis ubi fuerit major autoritas, retractari. Caus. VI. Quæst. IV. Cap. 6. *Quod benè.* Quod de rettractatione a majori autoritate faciendâ dicitur, intelligendum de illa quæ fit per confirmationem Superioris. Nicolaus I. *in Epiſtola ad* Carolum *Regem*, cujus initium, *Nunquam dolorem generat. ann.* 868. Conc. Tom. VIII. *p.* 432.

VI. Pacis fœdera utrimque præſtito proprio juramento firmata ſervari debent. *De Judiciis.* Cap. *Novit.* §. *penult.* Lib. II. Decr. *Tit.* 1. Cap. 13.

VII. Fruſtrà ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſervari, cui fidem à ſe præſtitam ſervare recuſat. *In 6. De Regulis juris.* Cap. *Fruſtra, ſeu Reg* 75.

VIII. Omnia quæ in pacis tractatu tenentur adſcripta, firma, illibata, & ſine aliqua refragatione perſiſtant. *De Tranſactionibus.* Cap. *Sicut grave. fin. in int.* Lib. I. Decr. *Tit* 36. Cap. 1.

IX. Fœdus quod pangitis, nullâ eſt occaſione violandum; niſi fortè tamen confirmandi fœderis ipſius articulo interpoſitum eſt, quatenùs ſic una Pars id foret obſervatura, ſi Pars hoc altera nullâ tergiverſatione violaſſet. Nicol. I. *Ad Conſ. Bulg.* Cap. 81. Tom. VIII. Conc. *pag.* 543.

Huc attinent quæ habentur in *Tit. De purgatione Canonica*, circa juramentum purgatorium, quod exigitur à Reo diffamato de crimine quod plenè probari nequit.

SECTIO XXVI.

Quæ forma jurisjurandi fidelitatis quod ab inferiore Superiori exhibetur? An Succeſſoribus debeatur? & an præſtandum ſit, ſi aliis fuit præſtitum?

I. Ego ab hac horâ in anteà fidelis ero Domino meo, ejuſque Succeſſoribus Canonice intrantibus. Sic Deus me adjuvet & hæc Sancta Evangelia. *De Jurejur.* Cap. *Ego.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 4.

II. Clerici juramentum præſtant ſub hac formâ verborum; Ego talis ab hac horâ in antea fidelis ero Eccleſiæ & Domino meo Epiſcopo. *De verborum ſignif.* Cap. *Cùm Clerici. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 40. Cap. 19. Is quis præſtat hujuſmodi juramentum, Epiſcopo tanquam capiti principaliter obligatur. *Ibid. fin.*

III. Nullus Epiſcopus Clericos ſuos, niſi fortè quibus Eccleſiaſticarum rerum commiſſa fuerit diſpenſatio, ſibi jurare compellat. *Ibid.* Cap. *Nullus.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 5.

IV. Nimis de Jure Divino quidam Laici uſurpare nituntur, cùm viros Eccleſiaſticos nihil temporale obtinentes ab eis, ad præſtandum ſibi fidelitatis juramenta compellunt. *De Jurejur.* Cap. *Nimis.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 3. *init.*

V. Quia ſecundùm Apoſtolum ſervus ſuo Domino ſtat, aut cadit, Sacri autoritate Concilii prohibitum eſt, ne tales Clerici perſonis Secularibus præſtare cogantur hujuſmodi juramenta. *Ibid.*

VI. Hæredes ejus qui Domino vel alicui Succeſſorum ejus juraverunt, aliis jurare minimè compellantur: Succeſſoribus tamen, qui pro tempore fuerint, & homagii, & fidelitatis puritatem, nihilominùs ac ſi non juraſſent, omni tempore teneantur abſque tergiverſatione aliquâ fideliter obſervare. *Ibid.* Cap. *Veritatis.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 14.

VII. Cùm uni fidelitatem facere teneris, ſi alteri hujuſmodi juramentum præſtitiſti, illud ei cui tanquam debitum eſt præſtandum, ſine difficultate præſtabis. *Ibid.* Cap. *Ex tu.* §. 2, Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 22.

VIII. Qui Domino ſuo fidelitatem jurat, iſta ſex ſemper in memoria debet habere; incolume, tutum, honeſtum, utile, facile, poſſibile. Incolume, videlicet ne ſit in damnum Domino ſuo de corpore ſuo; Tutum, ne ſit ei in damnum de ſecreto ſuo, vel de munitionibus per quas tutus eſſe poteſt. Honeſtum, ne ſit ei in damnum de ſuâ juſtitiâ vel de aliis cauſis quæ ad honeſtatem ejus pertinere videntur; Utile, ne ſit ei damnum de ſuis poſſeſſionibus: Facile, vel poſſibile, ne id bonum quod Dominus ſuus facere poterat leviter, faciat ei difficile, neve id quod poſſibile erat, reddat ei impoſſibile. Ut fidelis hæc nocumenta caveat, juſtum eſt. Caus. XXII. Quæst. V. Cap. 18. *De formâ.* Fulbertus Carnotensis *in Epiſtola Duci Aquitanorum.* circ. *ann.* 1020.

Tom. III. Tract. De Judiciis.

A Duce recedi omninò debet, non obſtante juramento, ſi quod ei ratione Regni factum eſt, & eo quantùm ad obtinendum imperium reprobato, juramentum hujuſmodi non debet obſervari. *De Elect.* Cap. *Venerabilem.* §. *ult.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 34.

In eiſdem ſex ſuprà dictis, conſilium & auxilium Domino ſuo fideliter præſtet, ſi beneficio dignus videri vult, & ſalvus eſſe de fidelitate quam juravit. *Ibid. fin.*

Dominus quoque fideli ſuo in his omnibus vicem reddere debet; quod ſi non fecerit, meritò cenſebitur malè fidus, ſicut ille qui in eorum prævaricationem, vel faciendo, vel conſentiendo deprehenſus fuerit perfidus, & perjurus. *Ibid. fin.*

Si quis de obedientiâ ſuo Priori præſtandâ præſtiterit corporaliter juramentum, tùm exhibiti juramenti immemor, ſuo Priori per omnia reſtiterit; cogitur, ſi videbitur expedire, ut juramentum, de parendo mandatis Prioris, humiliter præſtare procuret. *De Majorit.* Cap. *Cùm in Eccleſiis.* §. 1. *& vult.* Lib. I. Decr. *Tit.* 33. Cap. 10.

SECTIO XXVII.

De Jurejurando in judiciis exhiberi ſolito; quandonam exhibendum? Et quomodo perjurium illius occaſione incurratur?

I. Cùm aliquis intentionem ſuam fundaverit Inſtrumentis aut Teſtibus, ei Sacramentum non eſt deferendum; cum tunc demùm ad hujuſmodi ſit ſuffragium recurrendum, cùm aliæ legitimæ probationes deeſſe noſcuntur. *De Probat.* Cap. *Sicut.* Lib. II. Decr. *Tit.* 19. Cap. 2.

Juramentum in defectum probationum eſt præſtandum.

II. Proprio juramento perſonæ, & teſtimonio aliorum fides eſt potiùs exhibenda, quàm uni per juramentum ſuum contrarium aſſerenti. *De Probat.* Cap. *Propoſuiſti.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 19. Cap. 4.

III. Ne ex juramenti defectu, juſtitia occultatâ veritate ſuccumbat, Partes ad præſtandum juramentum per Cenſuram Eccleſiaſticam cogi poſſunt. *De Jurejur.* Cap. *Ex litteris.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 32.

Hæc eſt cauſa quare hoc juramentum exigitur, ut ſcilicet veritas reveletur timore juramenti. *Gloſſa*, verbo, *Occultatâ veritate.*

IV. Ad majorem certitudinem, quia minùs ſufficienter Judex credit eſſe probatum quod una Pars aſſerit, juramentis Partes aſtringuntur. *De Præſumptionibus.* Cap. *Tertia loca. med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 23. Cap. 13. Ad ſupplementum probationis. *Gloſſa, hoc verbo.*

V. Si Actor per Teſtes idoneos probare nequiverit, à Reo juramentum recipiatur. De *Deſponſ. Impub.* Cap. *Atteſtat.* §. 1 Lib. IV. Dec. *Tit.* 2. *Cap.* 1. Hæc deciſio adverſa videtur Regulæ, Actore non probante Reus abſolvitur. Quare exigitur juramentum, cùm ipſe ſit Reus, ideò defertur ei juramentum, quia præſumptio erat pro muliere. *Gloſſa*, verbo, *Ab ipſa juramenta.*

VI. Non indiſtinctè ipſi appellanti, præſumptione faciente pro eo, deferatur juramentum, ſed tunc cùm, inſpectis perſonarum & ipſius cauſæ circumſtantiis, id fuerit faciendum. *In 6. De Teſtibus.* Cap. *Romana.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 10. Cap. 3. *finali.*

VII. In appellationis cauſa, quanquam in principali juratum fuerit, præſtari jubemus juramentum de veritate dicenda. *In 6. De Juram. Calumniæ.* Cap. *In appellationis*, Lib. II. *Tit.* 4. Cap. 2.

VIII. Qui publicè unam rem asseveravit, & posteà contrarium præstito juramento firmavit, vel mendacium priùs dixit, vel perjurium posteà commisit. *De Præsumption.* Cap. *Literas. in int. post init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 23. Cap. 14.

Perjurus reputatur qui unum in uno judicio vel eodem dicit, & posteà aliud. *Glossa*, verbo, *Purgavit.*

IX. Juramentum quod in judicio à Parte Parti defertur, recusari potest licitè, ac referri. *De Jurejur.* Cap. *Juramentum. med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 36.

Juramentum judiciale vel extrajudiciale, voluntarium, aut necessarium. *Gl. marg. & Glossa*, verbo, *A te.*

X. Juramentum à Judice Parti delatum, nisi justâ de causâ, non potuit recusari. *Ibid. init.*

XI. Non liceat convento famosâ actione, referre hujusmodi Juramentum. *Ibid. fin.* Præsumptione faciente pro Actore, Reo deferri potest ad suam innocentiam ostendendam, Juramentum, nisi Judex inspectis personarum & causæ circumstantiis, illud Actori videat ferendum. *Ibid. De Jurejur.* Cap. *Juramentum.* §. 1. *med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 36. *fin.* Videtur quoque hoc casu Reus absolvendus, si insufficiens sit Actoris probatio.

XII. Incurrit peccatum perjurii, qui variat jurando priùs quod Archiepiscopus id præceperat, & posteà quod illud non mandaverat, in judicio confitendo. *De Temporibus Ordinat.* Cap. *Dilectus.* §. 1. *fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 11. Cap. 15.

XIII. Cùm in positionibus post Juramentum in causâ præstitum à te datis, seu responsionibus quas ad positiones tui Adversarii fecisse dignosceris, reperiatur contrarietas manifesta; tibi tanquàm perjuro, nisi justa causa & rationabilis te excuset, perpetuum silentium imponi debebit. *In 6. De Jurejur.* Cap. *Cùm in positionibus.* LIB. II. *Tit* 11. Cap. 3.

XIV. Idem fiet si te expressè mandante, vel etiam ex postfacto sciente ac ratum habente, seu non revocante positiones, aut responsiones hujusmodi, contrarias tuo nomine tuus fecerit Procurator. *Ibid. In 6. De Jurejur.* Cap. *Cùm in positionibus.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 11. Cap. 3.

SECTIO XXVIII.

Ad Ecclesiam pertinere, de Jurisjurandi Religione cognoscere.

I. Prælati possunt de Juramenti religione cognoscere quod ad judicium Ecclesiæ non est dubium pertinere. *De Judiciis.* Cap. *Novit.* §. *penult. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 1. Cap. 13.

II. Utrum Juramentum sit licitum, vel illicitum, & ideò servandum, an non servandum, nemo sanæ mentis ignorat ad Ecclesiæ judicium pertinere. *De Elect.* Cap. *Venerabilem.* §. 7. LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 34.

III. Interpretatione congruâ declarat Ecclesia aliquem Juramento non teneri; quin pro juribus & honoribus Ecclesiæ agat. *De Jurejur.* Cap. *Petitio.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 31.

IV. Declaratio Juramenti seu interpretatio, cùm de ipso dubitatur, pertinet ad Papam. *Glossa*, verbo, *Declaramus.* Hujusmodi dubia ut plurimùm Ordinarius declarat.

V. Mulieri quæ in jure præstito Juramento asseruit virum talem in ipsam per verba de præsenti matrimonialiter consensisse; probationes alias non habenti, viro ab ejus impetitione per Sententiam absoluto, non debet Prælatus licentiam dare cum alio matrimonium contrahendi, ne autor perjurii videatur. *De Jurej.* Cap. *Mulieri.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 34.

VI. Nec hoc ei prohibendum est, ne fortè si falsò juraverit, matrimonium contingat legitimum impediri; sed suæ conscientiæ est potiùs relinquenda. *Ibid. fin.*

Hujus Capitis decisio similis videtur decisioni *Cap.* 1. *De Cognat. Spiritual.* ubi similis cautela præcipitur.

Neminem Divini timoris, contemnendo Jusjurandum, arbitramur immemorem, ut saluti propriæ ullum commodum anteponat; tamen ut ad salutis timorem, etiam necessitas periculi subjungatur, si quis ausus fuerit præstita Sacramenta negligere, non modò adversùs accipientem, sed etiam adversùs dantem accusandi cunctis, tamquàm crimen publicum, concedimus facultatem, quadrupli pœnâ, eo quòd convictus fuerit, feriendo. CAUS. I. QUÆST. VII. Cap. 16. *Sancimus. post med.* CONICIS LIB. IX. *Tit.* 27. *Lege* 6. *ann.* 439. Ecclesia non ampliùs cognoscit de Pactis, Contractibus, aliisque similibus ratione Juramenti confirmatorii; perjurii autem crimen communiter mixtum est quoad cognitionem.

SECTIO XXIX.

De promissione quæ pars est Juramenti promissorii.

I. Solet plus timeri quod singulariter pollicetur, quàm quod generali sponsione concluditur. DIST. XXIII. Cap. 6. *Quanquàm. post init. ex Conc.* TOLETANO XI. Cap. 20. *ann.* 675.

II. Nihil promittat inhonestum, aut si promiserit, est tolerabilius promissum non facere, quàm facere quod turpe sit. CAUS. XXII. QUÆST. IV. Cap. 8.

III. Non semper promissa solvenda sunt omnia. CAUS. XXII. QUÆST. IV. Cap. 8. *Unusquisque. fin.*

IV. Magnæ sapientiæ est revocare hominem quòd malè locutus est. CAUS. XXII. QUÆST. IV. Cap. 10.

Si quis præventus fuerit ut desinat agere aliquid eorum quæ non placent Deo, Pœnitentiam agat, & quod contrà Domini mandatum statutum est, in irritum revocetur. CAUS. XXII. QUÆST. IV. Cap. 19.

De maledicto *Vid.* CAUS. XXIV. QUÆST. III. Cap. 10. 11. 12. & 18. Hi Canones pertinent *ad Tractatum de peccatis.*

Fides in rebus etiam corporeis & abjectis magnum animi bonum est, & ideò salutem quoque corporalem, qua etiam vita ista continetur, certum est debere præponi. CAUS. XXXII. QUÆST. V. *post* Cap. 14. S. AUGUSTINUS LIB. *De bono conjugali.* Cap. 4. *n.* 4. *circà annum* 401.

Studiosè agendum est, ut ea quæ promittuntur, opere compleantur. *De Pactis.* Cap. *Qualiter.* LIB. I. DECR. *Tit.* 35. Cap. 3.

Quæ fuerint promissa serventur. *Ibid. in init. fin.* Cætera circà promissiones, dùm de Contractibus.

TITULUS VII.

De Exceptionibus.

Omissus fuerat à Collectore hic Titulus, qui cùm sit maximè necessarius, supplendus erat, ac in eo digerendo permixta Editoris methodus cum methodo Collectoris.

SECTIO I.

Generalia circa Exceptiones, tàm extrajudiciarias quàm judiciarias, principia.

A Probationibus transitur ad exceptiones, tùm quia istæ vel illas elidunt si sunt peremptoriæ, vel illas suspendunt si sint dilatoriæ, quales ferè omnes, quæ non sunt peremptoriæ; tùm quia sunt vel continent probationes contrarias. Hæc verò omnia, ut methodicè & dilucidè explicentur, sciendum 1. Exceptionem varia significare, nempè quæcumque in Regulâ, qualiscumque sit, non comprehenduntur, dicuntur ab illa excipi,

&

& Exceptionum oomine donaotur. Ex istâ acceptione, hujus nominis aliæ acceptiones otiri videutur; nam, v. gr. si exceptio sumatur pro defensione, *ut iu Reg. 30. De Reg. jurit. Iu 6.* dicente, *Nullus pluribus uti Defeusionibus prohibetur*, qui excipit se defendit; & sicut sunt defensionum varii modi, ita & sunt exceptionum diversæ species, & exceptiones aliò non tendunt quàm ut ostendanr, illum qui convenitur ut debitor, non esse ex numero debitorum ex causâ quæ contrà illum allegatur.

Exceptio sumitur etiam pro defensione *in Reg. 60. Ibid. Non est in morâ, qui potest legitimâ se tueri exceptione.* Idem dicenduin de *Regula 63. Ibid. Exceptionem objiciens de intentione Actoris non videtur fateri.* Prior supponit exceptionem esse defensionem, his verbis, *Se tueri*; Posterior insinuat exceptionem esse veluti clypeum, armorum genus defensivorum, quo aemnrum offensivorum ictus caveatur. Quod autem ita supponitur, vel insinuatur certè vetùm est, cùm exceptiones judiciariæ impugnationem irritam faciant, si sint peremptoriæ, sic dictæ quia perimunt actionem, vel illius effectum retundunt; sive sint declinatoriæ, quibus forum cujusdam Judicis declinatur, cùm non parùm temporis insumatur ad judicium hujusmodi exceptionis; sive sint Dilatoriæ nomine & re, cùm iis pendentibus omni processui supersedeatur.

Præter exceptiones quæ peremptoriæ vocari solent, quia, ut dictum est, iis probatis, actio principalis perimitur, sunt aliæ quæ simili oomine donari possent, quia parem effectum operantur, si probentur sufficienter; tales sunt quæ objiciuntur Accusatoribus vel Testibus, vel Procuratoribus, vel Judici; illis enim probatis, Accusatio quoad Accusatorem perimitur, & testificatio erga Testem, procuratio verò ergà Procuratorem, facultas judicandi ergà Judicem; hujusmodi sunt exceptiones extrà judicia, nempè dum agitur de confirmatione Electionis quæ suspenditur propter objecta contra formam illius, vel contra Electores, vel personam electi, quæ si pertinentia declarentur, denegatur confirmatio. Quod dictum de Confirmatione electi, locum habet iu Institutione Præsentati, in Admissione Provisi Apostolici in formâ *dignum.*

Verùm omissis his exceptionibus extrajudiciariis, aliis explicandis inmorabimur, dicendaque circà illas ad pauca capira reducemus, vel quia nonnulla jam exposita sunt sub aliis Titulis, nempè de Procuratoribus, de Recusatione vel Declinatione Judicis, de Accusatoribus, de Testibus, de vi, de metu, de Præscriptionibus, de Pactis, de Transactionibus, de Jurejurando, de Dilationibus; quædam verò tractabuntur subsequentibus Titulis de sententiâ & re judicatâ; porrò alia non apparent argumenta, quæ ad exceptiones pertineant quàm præfata; omnes enim exceptiones sunt 1°. vel *Recusatoriæ*, & istæ cadunr non solùm super Judicem, sed etiam super Procuratorem, Accusatorem, Testem, cùm exceptionibus hujusmodi personæ recusantur prædictæ, vel ut suspectæ, vel ut aliàs incapaces.

2°. Vel *Declinatoria*, quæ pertinent ad illos qui conveniuntur coràm aliis Judicibus quàm suis, vel ratione rerum, vel ratione personarum, & de hac specie actum est, dùm de Judicibus quibus monstratum est singulis suam Jurisdictionem esse servandam, alioquin judicia reddita nulla esse, cùm nullus major sit defectus quàm potestatis defectus. Hinc *Ordin. Regia 1667.* TIT. VI. *Artic.* 1. irritat quodcumque Judicium à Judice non suo prolatum.

3°. Vel *Dilatoria*, quibus Actus judiciarii differuntur, ut Partes ioterea parent quæ ad illos necessaria, vel ut deliberent quid agendum, vel ut subveniatur Parti, cui supervenit impedimentum. Dilatio autem conceditur vel à Jure, vel à Judice; Ordinaria à Jure, extraordinaria à Judic.. De utraque agit Titulos *De Dilationibus*, DECR. LIB II. *Tit.* 8. Jus Gallicum de his loquitur fusis verbis TIT. VII. VIII IX. XI. *Ordinat.* 1667. & in aliis *Tit.* ubicumque tempus ad aliquid faciendum præscribitur,

Hacteous memoratæ tres exceptionum species, in eo cooveniunt, quòd omnes temporales sint, id est ad rempus determinatum vel indeterminatum duraturæ, & in hoc distinguuntur ab aliis exceptionum speciebus, de quibus dicendum superest, quæque omnes perpetuæ sunt, ut peremptoriæ; ejusmodi sunt omnes quæ petuntur ex nullitare Tituli, ratione cujus quis in jus vocatur; hæc enim nullitas subministrat exceptionem perpetuam quæ semper elidit, & perimit intentionem Actoris; provenit autem, vel ex doln malo, vel ex metu, vel ex pacto eonvento perpetuo, vel ex actiooe, vel ex Jurejurando, vel ex præscriptione, vel ex re judicata, vel ex Legibus Titulum hujusmodi irritanribus, ut Senatus-consultum Macedooianum aut Velleianum.

Exceptionis ex dolo malo, & exceptionis ex metu par est ratio, nempè libertatis. Simile dicendum de exceptione ex Jurejurando, & exceptione ex re judicatâ; utriusque eadem ratio, nempè quod causa finira est; nam de Jurejurando decisorio sermo hic fit.

Discrimen quod poni solet iorer dolum malum & dolum bonum, non est verum; nec etiam exemplum petitum ex dolo quo quis Professioni Religiosæ sese adstingit, certum; cùm dolus ille videatur malus, ut ostensum est dum de metu & dolo, & dùm de Professione Canonicâ.

Quod attinet ad exceptiones petitas ex Senatusconsultis citatis, remittendum ad illos qui de Jure Civili consultò agunt.

Pactum conventum & Transactio in alio nnn disferunt, nisi in eo qund ista versetur circà rem dubiam, illud verò circà rem eertam.

SECTIO II.

Peculiaria Principia circà exceptiones Judiciarias, cùm notis necessariis.

I. Actor ligatus Excommunicatione Majori, ab ageodo removeri potest; secùs de ligato Excommunicatione Minori: cùm primus à Communione fidelium sir exclusus, secundus verò rantùm à Sacramentorum participatione remotus. *Cap. 2. De except.*

Hæc exceptio nune rara, quia Excommunicatio non denunciata nou excludit ab agendo, & rarissima est denunciatio illius; imò in quibusdam Regnis non recipitur in foro Sæculari. Ita in Galliâ.

II. Defensio iu judicio reservatur, hinc permittitur excommunicato convento, in jure comparere, Judicem recusare, Testes reprobare, à Sententiis appellare, in quo excommunicati favor non atrenditur, sed æquitas judicantis, cùm non debeat claudicare judicium, ac satis videatur absurdum, si Actore impugnanre, Reo defensionis copia deuegetur. *C. 5. De except.*

III. Excommuuicatus pro Ecclesiæ defensione opponere potest contra Electum, etiamsi hæc oppositio sit quædam Actio, cùm opponens impugnet electionem. Colligitur ex *C.* 8. *De Except.* juncto GONZALX.

IV. Censuræ per modum exceptionis objectæ relaxari possunt à Judice, etsi validas fuisse & esse rectè probari queat, ne recta Ecclesiæ ordinatio retardetur. *Cap. 9. De Except.*

V. Exceptio Excommunicationis latæ post appellationem, admittenda noo est, quia cuilibet excommunicato defensionis auxilium competerc dignoscitur, præsertim cùm Excommunicatio nulla est, qualis quam fert Judex in eum qui ab illo appellavit. Collig. *Ex Cap.* 10. *De Except.*

VI. Exceptionem Excommunicationis in dilatoriis proponeodis Reus scienter omitrens, in qualibet parte litis opponere minimè prohibetur; quod est in hac exceptione specialiter observandum, ne quisquam in periculum animæ suæ excommunicato communicare eogatur; qui si eam omiserir, ut Actor laboribus & sumptibus fatigetur, in expensis est legitimè condemnandus. *Cap. 12. De Except.* C. 5. *Eod. Tit. in 6.* qui

præscribit formam servandam in hac exceptione, CLEMENTINA *unic. eod. Tit.* quæ innovat illud Caput 1.

VII. Excommunicatus publicè, etsi hujusmodi exceptio non opponatur, nihilominùs est officio Judicis repellendus. *Cap.* 12. *De Except.* Idem habet BONIF. VIII. *in fine.* Cap. 1. *De Except. in 6.* Decisionis illius causam vide apud GONZAL. *Cap.* 12. *cit. n.* 2.

Ex collectis Decisionibus patet Exceptionem Excommunicationis frequentem sæculo XII. & XIII. cùm plerique Textus qui sunt sub Titulo *De Except.* de illâ loquantur. Experientia sat longa docet nunc hanc exceptionem admodùm raram, ob rationes 1°. *num.* expositas; sed horum Textuum inobservantia illos inutiles non facit, cùm illorum ratio adhuc vigeat, nempè honor debitus huic Censuræ, animarum salus, & Ecclesiæ utilitas. Quid agendum sit in similibus circumstantiis, hinc colligitur. Inter Textus citatos circà hanc Exceptionem, duo sunt qui Galliam respiciunt, nempè *Cap.* 5. *&* 8.

VIII. Si de criminibus ad solam exceptionem objectis Testes convicti fuerint sive confessi, pœna ordinariâ mulctari non debent, cùm accusatio in ipsos secundùm Juris ordinem non procedat; sufficit ergò, si à perhibendo testimonio repellantur, præsertim cùm crimen quod eis objicitur, causam de qua agitur contingere non videatur.

Si crimen causam contingeret, plenior fieret de illo, ut de istâ, inquisitio, & tunc severiùs puniri posset; imò & pœnâ ordinariâ, si post probatam exceptionem contrà Reum processum esset, servatis ad amussim quæ requiruntur ad Inquisitionem quæ fit in vindictam.

IX. Simili vitio laborans illud objicere aliis non valet, nisi id faceret nomine Ecclesiæ, quæ in utroque hoc condemnat. *Cap.* 3. *De Except.*

X. Intrà conveniens tempus à Judice assignandum, omnes Dilatoriæ proponantur, ità ut si Partes ex tunc voluerint aliquas opponere, quas non fuerint protestatæ, nullatenùs audiantur; nisi fortè aliqua de novo sibi competens exorta fuerit, vel is qui opponere voluerit, fidem faciat Juramento, se postmodùm ad illius notitiam pervenisse. *Cap.* 4. *De Except.*

Protestatio respicit casus impotentiæ illas opponendi: Prima Textûs hujus exceptio fundatur in Regulâ: *Quæ de novo emergunt, novo egent auxilio.*

Secunda Exceptio in usu est in recusationis causis, quæ proponi possunt in fine litis, cum juramento quod priùs cognitæ non fuerunt.

XI. Exceptionem objiciens, de intentione Adversæ Partis non intelligitur confiteri. *Cap.* 6. *De Except.* Hinc desumpta Regula suprà citata, cujus ratio est, quod judicandum de exceptione ex voluntate excipientis; hæc autem est elidendi actionem Actoris, quod non faceret, si intentionem illius fateretur, imò contrarium; sensus ergò excipientis est, quod si res petita Actori deberetur, aliquo titulo, sibi pertineat aliu fortiori quem objicit. GONZALEZ *num.* 11.

XII. Appellans à rejectione suæ exceptionis, illius veritatem probare debet coram Judice appellationis; istâ autem probatâ, de negotio principali Judex iste cognoscere nequit, si agatur de exceptione Declinatoria. Colligitur ex *Cap.* 7. *De Except.* Juncto GONZALE *num.* 10.

XIII. Adversario per Judicem absoluto, quoniam tempore motæ litis, rem petitam ab ipso, sine dolo desierat possidere, si eam dolo malo possideat, sibi petenti denuò rei judicatæ exceptio non obsistat. *Cap* 13.

Decisionis hujus Ratio evidens est, petiturque ex diversitate circumstantiarum, cùm in priori lite Adversarius, nec esset possessor, nec pro possessore haberetur; in posteriori verò possessor erat, vel habebatur.

XIV. Cui licet appellare, licet quoque appellationem prosequi. *Cap.* 14. *De Except.* Quod plus est, continet quod est minùs. *De Reg. jur. in 6.* Jus autem appellandi includit jus prosequendi appellationem, istoque interdicto illud non prodest.

XV. Judices Sæculares compellendi per Censuram Ecclesiasticam ad admittendam exceptionem rei judicatæ in foro Ecclesiastico; Judices verò Ecclesiastici per Superiores suos animadversione debitâ castigandi, si non admittant exceptionem rei judicatæ in foro Sæculari, quoad ea quæ animarum periculum non inducunt. *Cap.* 2. *De Except. in 6.*

Decisio hæc claudicare ac æquitati contraria videtur, in eo quod Judices Sæculares delinquentes contrà Judices Ecclesiasticos, non remittuntur puniendi Superioribus suis Sæcularibus, sicut Judices Ecclesiastici delinquentes in Judices Sæculares, remittuntur castigandi Superioribus Ecclesiasticis.

Eadem Decisio tuta non est, cùm Prælati Ecclesiastici multa existiment animarum periculum inducere, quæ revera non inducunt, eaque sunt ferè omnia quæ prætendunt ad forum Ecclesiasticum pertinere, licet temporale in illis prævaleat; qualia Decimæ, aliæque res temporales, quæ ad subveniendum Ecclesiarum, vel illarum Ministrorum necessitatibus temporalibus concessæ sunt; undè exponit Judices Sæculares Excommunicationi ob defensionem prætensi sui juris, etsi illicita non sit; itaque ut utilis esse possit, priùs conveniendum de competentiâ, justique figendi limites, & relinquenda Principi castigatio Judicis Sæcularis qui non admittet in foro suo exceptionem rei judicatæ in foro Ecclesiastico.

Collecta hactenùs principia desumuntur, ut patet per citationes, ex TITULO *De Exception.* COLLECTIONUM GREGORIANÆ, BONIFACIANÆ, & CLEMENTINARUM, extrà quas non extat: Hæc si conferantur cum iis quæ *Sect. I.* dicta sunt in genere de Exceptionibus, colligitur evidenter non pauca deesse huic Titulo, necessaria ad plenam notitiam illorum quæ ad illum pertinent; sunt etenim multæ Exceptiones peremptoriæ, de quibus ne verbum quidem; nempè illegitimitatis quoad Successiones hæreditarias, quoad acquisitionem Beneficiorum, consanguinitatis, aliorumve Impedimentorum dirimentium; quoad matrimonia; Doli mali; Metus, Pacti conventi ne peteret, ne faceret; Jurisjurandi delati; Transactionis; Præscriptionis; par defectus circà alias exceptionum species, quarum aliæ sunt Declinatoriæ, aliæ Recusatoriæ, aliæ Deliberatoriæ, aliæ aliis donantur nominibus, etsi omnes sub Dilatoriis comprehendi possint, & reverà comprehenduntur à CANISIO in Summa, quas sumit ex parte Actoris, ex parte Procuratorum, ex parte Causæ. Sed non est quod immoremur hujusmodi vitiis, cùm similibus scateant plurimi alii Tituli, ut ostensum est in PROSPECTU, additâ illius rei causâ.

SECTIO III.

Eadem de re alia principia, aliundè quàm ex TIT. DE EXCEPTIONIBUS *deprompta.*

I. Cùm Exceptione probatâ, quæstio principalis perimatur, antè est cognoscendum de ipsâ, quàm ad definitionis articulum procedatur. *Cap.* 1. *De Ordine Cognit.*

Etsi ibi agatur de exceptione peremptoriâ consanguinitatis, opposita mulieri petenti aliquem in virum, à quo se asserebat ductam; ad quamvis aliam peremptoriam exceptionem producitur, cùm par sit ratio; nempè quod negotium principale perimat. GONZAL. plura notanda habet in hoc principium; leget qui volet in *Comment. hujus loci.*

Similis exceptionis meminit *Cap* 13. *De Restitut. Spoliat.* casuumque in quibus restitutio præcedere debeat consanguinitatis appositæ discussionem.

II. Exceptio Natalium non legitimorum, opposita petenti feudum hæreditarium, priùs judicanda, quàm de feudali successione agatur, etiamsi de istâ quæstione Rex ipse Judex fuerit. *Cap.* 3. *Ibidem.*

III. Quotiescumque spoliatio objicitur, ante omnia de illâ cognoscendum. *Cap.* 2. *&* 4. *Ibid.* Et Toto TITULO, *De Restitutione spoliatorum.*

IV. Ex-

IV. Eaceptio malæ tractationis, opposita à muliere viro illam petenti, priùs discutienda, quàm restitutio facienda; posito quod illam vir capitali odio ita prosequatur, ut meritò de ipso diffidat; sed pendente lite circà exceptionem, alicui probæ & honestæ mulieri committatur usque ad decisionem causæ, studiosiùs custodienda in loco tuto, ubi vir, vel Parentes ejus, aut mulieris, nullam violentiam possint exercere. *Cap 8. De Restitut. spoliat.*

Hujus Decisionis ratio est, quod mulieri charior sit vita sua, quàm maritalis adhæsio; adde quod cùm tanta est viri sævitia ut illi uaor restitui non possit, quin mortis periculo objiciatur, justa est separationis causa. *Cap. 13. De Restitut. spoliat.*

Cætera quæ ad similes exceptiones spectant, videre est in *Tractatu De Matrimon. Tit. De Divort.*

V. Super spoliatione Conventús, adversùs restitutionem petentem, non est (nisi super quæstione spoliationis) si eum reconveniat, audiendus, cùm Restitutionis petitio in boc privilegiata noscatur, ut ipsam intentans, non cogatur antè restitutionem respondere, quanquàm ab agendo, spoliatione ab eis per modum eaceptionis propositâ, repellatur. *Cap. 4. De Ord. Cognit.*

Hic Textus est Gregorii IX. qui solvit Quæstionem à nemine sibi propositam, in eo sitam, an spoliatus petens restitutionem sit restituendus, antequàm respondear reconvenienti? Et docet restituendum, nisi reconventus sit super aliâ spoliatione à se factâ, & per modum exceptionis propositâ; pro ratione solutionis afferens Regulam generalem, nempè spoliatum ante omnia restituendum, addensque pro eaceptione quod si altera spoliatio illi opponatur, tunc cessat illius privilegium per concursum similis privilegii in reconveniente per modum exceptionis, ideòque ad Jus Commune redit, quo reconventus cogitur respondere. Hæc explicatio desumitur ex *Commentario* Gonzalis, in quâ nonnulla alia habentur principia circà eaceptiones, vel à Jure Canonico vel à Jure Civili tradita; quibus posterioribus omissis, priora bic eapenduntur, sed anteà ejus conclusio verbis suis referenda: *Agens interdicto possessionis recuperandæ, non tenetur antè restitutionem, nisi super spoliatiane spoliatori respondere, potest tamen ab agendo repelli per exceptionem spolii.*

VI. In judicio adipiscendæ possessionis, eaceptiones justi dominii, incontinenti probandæ admittuntur: secùs in judicio recuperandæ.

Prior Pars infertur ex *Cap. 1 De Ord. Cognit.* ubi hæc leguntur „Cùm quædam mulier peteret quemdam in „ virum, Testes ad suæ intentionis assertionem ad„ duxit, per quos Pars viri futurum sibi præjudicium „ metuens, exceptionem consanguinitatis objecit„; Hæc enim exceptio est exceptio justi dominii, cùm ostendat excipientem Dominum esse sui corporis, & incontinenti probanda admittitur, ut videre est in secundâ Parte hujus Teatus. Posterior Pars relati principii patet ex *Cap. 4. De Ord. Cognit.*

Non obstat huic Parti *Cap. 13. De Restitut. spoliatorum.* Ubi vir petens, sibi restitui quoad omnia, etiam quoad Thorum, uaorem, quæ ab ipso recesserat privata autoritate, exceptio justi dominii proposita ab uaore dicente se consanguineam viri in gradu prohibito, ac babente paratas probationes, admittitur; nam non obstante eâ eaceptione, viro restituenda decernitur quoad omnia, præter Thorum, qoi concedi non poterat ob incestûs periculum.

VII. Restitutionem juris alicujus petenti, cujus fruitione se spoliatum conqueritur, obstat ootorius defectus proprietatis. *Cap. 4 De Divort.* ubi deciditur quod si manifestum est mulierem petentem viri sui restitutionem, qui illam injustè ejecerat, adulterium posteà commiserit, ad eam recipiendam vir cogi oon debet. In Galliâ probandum esset adulterium, quia notorietas facti ibidem à probatione non eximit.

Ex hoc principio patet, quod spoliatus non restituitur quandò ea postfacto restitutione se fecit indignum.

VIII. Exceptio injoriæ receptæ ab eo cui similis facta est, redintegrat ad jus amissum. *Cap. 4. & 5. De Divortiis*, ubi dicitur, adulterium mulieris compensari adulterio viri, juatà Regulam, *Paria crimina mutuâ compensatione tolluntur.*

Hæc compensatio non admittitur in Galliâ.

IX. Beneficii restitutionem petenti, non obstat illi renunciatio post spolium facta; secùs, si præcesserit. *Cap. 3. & 4. De Restitut. spoliat.*

Teatus isti qui sibi invicem adversati videntur, hâc distinctione rectè conciliantur; hujus discriminis ratio, quod in priori casu renunciatio coacta violenter præsumitur; secùs, in posteriori.

X. Conquerens se spoliatum aliquo jure quod præsumitur usurpasse, tenetur probare se illud legitimè anteà possedisse. Usurpationis justa præsumptio est, quoties jus illud alteri pertinet Jure Communi. *Cap. 2. De Restitut. spoliat. in 6.* Agitur de decimis provenientibus ex prædiis inclosis intrà alienam Parochiam, quibus Ecclesia extrà illam sita querebatur se spoliatam.

XI. Spoliato petenti restitutionem rei ab alio quàm à spoliatore possessæ, frustrà objiceret possessor se illam non spoliasse. *Cap. 18. De Restitut. spoliat.*

Hujus principii ratio. Res transit cum onere suo; spoliator transmittens rem usurpatam, transmittit & vitium illius; si per similem alienationem spoliatus amitteret ptivilegium suum, fraudi patens porta aperiretur.

SECTIO IV.

An præscriptio, prout est exceptio, aliquid habeat sibi peculiare?

Qooniam post Titulum de Exceptionibus, in quo illæ in genere & specie spectantur, subjicitur Titulus de Præscriptionibus; hinc suspicari posset hanc eaceptionem speciale quid habere ut exceptio est; quod postulat, ut de illa seursim tractetur, & fusiùs quam de aliâ quâvis est actum.

Sed re bene, & ut par est, perpensâ, nihil occurrit, nisi quod hujus exceptionis frequentior usus sit; cujus causa est quod præscriptio sit modus acquirendi, aliis modis prævalens, cùm extinguat Jus per alios acquisitum, si conditiones habeat quascumque necessarias, ut legitima & Canonica sit. Sicut ergò priori de causâ, Titulus de Præscriptionibus subjici potuit Titulo de Exceptionibus; ob posteriorem, non infimum meretur locum in Tractatu de Contractibus qui sunt ordinarii acquisitionum modi, sive quoad proprietatem, sive quoad usumfructum, sive quoad usum, eapropter in hoc collocatus est, cum monitione hùc etiam pertinere; ubi sat erit adjicere quod Præscriptio cum quavis exceptione hoc commune habeat, quod frustrà distinguerentur aliæ ab aliis, si quid proprium cuique non inesset; hoc autem unum præscriptioni proprium esse, prout est exceptio, quod sit eaceptio temporis vel determinati, ut triennii, quinquennii, decennii, vicennii, tricennii, vel 40. annorum, vel centum anoorum; vel indeterminati, quale quod memoriam hominum excedit, illiusque elapsi absque ioterruptione & lite, cum bonâ fide ex parte possessoris; istamque diversitatem potissimùm oriri ex qualitate temporum, vel rerum, quæ Legislatores induxerunt, ut minus majusve tempus exigerent, prout necessarium vel utile bono publico judicarunt; Præscriptionem immemorialem specialiter requiri in casibus in quibus possessor speciali Titulo indiget, quale est Privilegium; sive quia incapax est possidendi rem de qua agitur, vel quia Jus Commune illam tribuit cuidam personarum generi; hujusmodi rerum exigentium Præscriptionem immemorialem, exempla haberi præcipue in juribus spiritua-

ritualibus possessis à Laïcis, qui illorum incapaces sunt ratione statûs, & in juribus Episcopalibus vel Parochialibus possessis ab aliis quàm ab Episcopis vel Parochis, vel ab alterutris alibi quàm in suo districtu.

SECTIO V.

Peculiaria nonnulla circa Exceptiones peremptorias, & citationes vel terminos peremptorios ad comparendum vel prosequendum.

Exceptiones peremptoriæ his potissimùm notis dignoscuntur.

1º. Quod vel præjudicant negotio principali, vel Judicinm reddunt nullum: Hinc si non est appellatum à sententiâ interlocutoriâ, quâ repulsa est hujusmodi exceptio, gravameu indè proveniens tollitur per Appellationem à sententiâ definitivâ; gravamen verò illatum à sententia interlocutoria, à qua aliud exceptionis genus rejectum est, per Appellationem à definitiva, illiusque judicium, non removetur. Ita definit BONIF. VIII. *Cap.* 12. *De Appellat. in* 6. his verbis: *Licet ab interlocutoriâ, (per quam pacti vel præscriptionis, aut alia, principali negotio præjudicans, vel judicium nullum reddens, exceptio est repulsa) non fuerit appellatum; si tamen à definitiva (quæ postmodùm ultra decennium promulgatur) appellari contingat: potest in Appellationis causa ipsum gravamen per interlocutoriam ineumdem illatum licitè per Appellationis judicium emendari. Ubi verò interlocutoria super eo profertur, quod non parat præjudicium negotio principali, vel judicium nullum reddit, nisi fuerit appellatum ab ipsâ per Appllationem à definitivâ posteà interjectum, gravamen illatum nequaquam poterit revocari.*

2º. Judices pervertunt Juris Ordinem, cùm de exceptionibus peremptoriis & principali negotio pariter per se inquirete intendunt. *De Judiciis.* Cap. *Exhibita.* §. 8. LIB. II. *Tit.* 1. Cap. 19.

Agebatur de Exceptionibus ab Electo objectis contrà opponentes Electioni suæ, illos ab illâ oppositione peremptoriè excludentibus GONZAL. *n.* 8. notat quod eversio Ordinis quandoque irritat judicium, ut cùm evertitur Ordo Juris unius causæ ad altam; quandoque verò illud irritationi tantùm subjicit, ut cùm pervertitur Ordo Juris causæ ad seipsam.

Exceptiones peremptoriæ differunt a citatione aliove termino peremptorio, in eo qnod Judex illis derogare nequaqnàm potest; istis verò derogat si velit, dummodò sit justa causa. Hoc postremum docet INNOC. III. *Cap.* 24. *De Offic. Judic. Delegat.* ubi ait, quòd si Jurisdictio Judicis durat ultrà terminum peremptorium in diem alteram, æquitate suadente poterit Pars absens expectari, nec erit peremptorio elapso citanda, nisi gratiam ei fecerit benignitas judicantis. Agitur de termino peremptorio præfixo à Judice, qui, sicut dare potuit longiorem, consequens est ut possit illum prorogare; secùs dicendum videtur de termino peremptorio à Lege præstituto, nisi ista prorogationem permittat.

De peremprorio termino præfixo Appellationi prosequendæ mentio fit *Cap.* 44. *De Appellat.* ibi enim INNOCENT. III. statuit, ut si Appellans non prosequatur intra terminum, iste Edicti peremptorii vires obtineat, ita videlicet, ut ex tunc, in absentem perindè procedatur, ac si peremptoriè vocatus extitisset; idque in casu in quo Appellatio à Judice recepta vel à Parte approbata; in casu vero ubi utrumque defuerit, etsi Appellatio vim suam habeat, attamen post terminum Appellationi præfixum, rata manet sententia, quæ fuerat Appellatione suspensa. *Vid.* CUJACIUM & GONZALEN circa hunc terminum peremptorium *hoc eod. Cap.* 44.

TITULUS VIII.

De Sententiis quæ feruntur à Judicibus.

SECTIO I.

Sententia à Judice stante proferri debet, & suum cuique reddere juxta Leges, ac scriptis mandari.

I. Sententia quæ dicta fuerit, cùm scripta non esset, nec nomen quidem Sententiæ habere mereatur, nec ad rescissionem perperàm Decretorum Appellationis solemnitas requiratur. CAUS. II. QUÆST. I. *Cap.* 8. *Statutis med.*

II. Sententia non à suo Judice dicta nil firmitatis obtinet. CAUS. II. QUÆST. I. *Cap.* 7. §. 4. *fin.* Cap. 4. *De Judic.*

Ex CODICE LIB. VII. *Tit.* 44. *De Sententiis ex breviculo recitandis. ann.* 374.

III. Quod dicitur, quia nihil scriptis judicatum est, legendus *Tit.* 44. LIB. VII. CODICIS, quia scriptis debuit judicari; nam ibi inter alia dicitur atque præcipitur, ut Sententia quæ sine scripto dicta fuerit, ne nomen quidem Sententiæ habere mereatur. *Ibid.* CAUS. II. QUÆST. I. Cap. 7. §. 14.

S. GREGOR. JOANNI *Defensori.* LIB. XI. *Epistola* 50. *ann.* 603. Sententia non à suo Judice dicta nihil firmitatis obtinet. CAUS. II. QUÆST. I. Cap. 7. §. 4. *fin.*

IV. Legum Ecclesiasticarum Consuetudo & autoritas talis est, ut in causis gestorum semper scripturam requirant. *Ibid.* CAUS. II. QUÆST. I. Cap. 9. *Legum.*

Ex *Concil.* S. MEDARDI HINCMARUS dixit *ann.* 813. Nemo in actionibus vel Judiciis Ecclesiasticis, suo sensu, sed Canonum autoritate ducatur. *De Constitut.* Cap. *Canonum.* §. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 2. Cap. 1.

V. BEATUS GREGORIUS *in Commonitorio ad* JOANNI *Defensorem* ex Romanis Legibus sumens scribit, Sententia quæ sine scripto profertur, nec nomen Sententiæ habere mereatur. *Ibid. fin. &* Cap. 8. *Statutis.*

Sententia definitiva postquàm scripta fuerit, debet à Judice, non ab alio de scripti recitatione proferri; aliàs, nec nomen Sententiæ mereatur habere, nec ab eâ sit appellare necessè. *In* 6. *De Sentent.* Cap. *Etsi.* LIB. I.I. *Tit.* 14. Cap. 4. *init.* Non est in usu.

VI. Sententia quam à Judice stando, non sedendo, proferri contingit, nullius penitùs est momenti. *In* 6. *De Sententia.* Cap. *Etsi.* §. *finali.* LIB. II. *Tit.* 14. Cap. 4.

VII. Rectissima Sententia, quæ contrà justitiam nulli parcit, sed reddit unicuique quod suum est. *De Privilegiis.* Cap. *Ex ore. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 17.

In plerisque locis, in quibus copia prudentum habetur, id moris existit, quod omnia quæ Judicem movent, non exptimantur in Senteotiis proferendis. *De Sententia.* Cap. *Sicut.* §. 1. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 16.

Omnia quæ movent Judicem necessè non est exprimere in Sententia. *Glossa.*

VIII. Summnperè præcavere debent qui publica judicia exercent, ut in dictandis Sententiis nullatenùs levitate aut furore ducti, sint præcipites, sed causis priùs diligenter ventilatis, cùm res quæ ignorabatur pleniter ad notitiam venerit, tunc Divina & Humana Lex revolvatur, & tunc secundùm quod ibi constitutum est, remota personarum acceptatione, definitiva proferatur Sententia. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 70. *Summoperè. init.* *Ex dictis* S. GREGOR. LIB.

Lia. XIX. *Moralium.* Cap. 23. & Lia. XII. *Rejesti Epistola* 26. quæ ¡optima contrà indiscretas Sententias.

IX. Non ex corde nostro, sed ex præcepto Divinn, condemnationis vel justificationis Sententiam proferamus. *Ibid. fia.*

Cùm Jura Canonica & Civilia edira sunt in aliquibus articulis; Episcopus procedat secundùm quod necessè fuerir secundùm Canonicas & Legitimas Sanctiones. *De Transactione.* Cap. *Ex parte. ia iait. fia.* Lia. I. Decr. *Tis.* 36. *Cap.* 11. *altimo.*

X. Judex interloquendo pronunciat. *De Ordine Cogait.* Cap. *Cùm Dilectus.* §. 3. Lia. II. Decr. *Tit.* 10. *Cap.* 2. *De Testibas.* Cap. *Veniens.* §. 2. Lia. II. Deca. *Tit.* 20. *Cap.* 38.

In his super quibus Judices Sententiam interlocutoriam prntulerunt. *De Officio Delegati.* Cap. 1. *Cam caasa. ante* §. 1. Lia. I. Decr. *Tit.* 29. *Cap.* 25.

SECTIO II.

Per quacumque verba Sententia proferri potest, modò constet de mente Jndicis; jnxtà petitionis formam concipitnr, modò in personam Procnratoris, Syndics, Tntoris, Partis.

I. Si Judex post cognitinnem causæ, in probatione scientiæ, his verbis non fnit usus, talem Partem condemno, vel talem absolvo; sed pronunciavit, ita statuo & præcipio; cùm non debeat aliquis considerare verba, sed volnntatem, verba tali forma prolata perpetuò valituræ sententiæ obtineanr firmitatem. *De Verbor. sigaif.* Cap. *In bis.* Lia. V. Decr. *Tit.* 40. *Cap.* 15.

Non refert per quæ verba fiat condemnatio vel absolutio, dum tamen de intentione Judicis constet per illa verba. *Glossa.*

II. Juxtà petitionis formam pronunciatio sequi debet. Clamentina II. *De Verborum sigaif.* §. 1. Lia. IV. Clement. *Tit.* 11. *Cap.* 2.

III. Si Oeconomus Monasterii aliquid proponit ex adverso, Judex Oeconomum in solutionem per definitivam sententiam condemnat, & alium Oeconomum Ecclesiæ ab impetitione ejusdem Oeconomi reddit absolutum. *De Religiosis Domibas.* Cap. *Coastitntas.* §. 2. *fia.* Lia. III. Decr. *Tit.* 36. *Cap.* 6.

Sententia concipienda est in persona Procuraroris sive ab initio, sive post litem contestatam interveniat. *Glossa.*

IV. Cùm Syndicus unius Ecclesiæ ab Oeconomo alterius Ecclesiæ aliquid postular, Judex Oeconomum ipsum Ecclesiæ ab impetitione Syndici prorsùs absolvit, Syndico perpetuum silentium imponendn. *De Capellis Monachorum.* Cap. *Dilectus. fin.* Lia. III. Decr. *Tit.* 37. *Cap.* 2.

Condemnationis & Absolutionis sententia potest in Procuratorem vel Syndicum proferri. *Glossa.*

V. Judex condemnat Tutorem nomine pupillorum ad restitutionem faciendam. *De Testamtas.* Cap. *Raynatias.* §. *ult.* Lia. III. Decr. *Tit.* 26. *Cap.* 16.

Si sit lis cum pupillo, Tutnr convenitur, & sententia fertur in personam Tutoris. *Glossa.*

VI. Cùm inter aliquos & Procuratorem Ecclesiæ fuit in Auditorio litigatum, ab impetitione Partis Procurator Ecclesiæ sententialiter absolvitur. *De Fide Instrument.* Cap. *Inter Dilectos.* §. *ult.* Lia. II. Decr. *Tit.* 25. *Cap.* 6.

Sententia formatur in personam Procuratoris. *Gloss.*

VII. Si querela per Oeconomum Ecclesiæ proponitur, rationibus utriusque Partis auditis, Judex in Oeconomum fert sententiam. *De Elect.* Cap. *Querelam.* §. 1. Lia. I. Deca. *Tit.* 6. *Cap.* 24.

Tunc Procurator est condemnandus quandò Dominus numquàm comparuit in Judicio, quia Dominus litis factus est; alioquin Dominus condemnabitur, & non Procurator. *Glossa*, verbo, *Oeconomi.*

VIII. Procurator Adversæ Partis, nomine aliquorum Clericorum, ad solutionem per definitivam Sententiam condemnatur. *De Ceasibus.* Cap. *Olim. fia.* Lia. III. Decr. *Tit.* 39. *Cap.* 20.

SECTIO III.

Sententia lata semper bona præsumitur, eique standum est, donec contrarium probetur.

I. Quantùm ad litigantes, jus ex sententiâ factum fuit, postquàm in rem transiir judicatam, etiamsi contra jus litigatoris lata fuerit. *De Sententia.* Cap. *Cùm inter vos.* §. *ult. med.* Lia. II. Dacr. *Tit.* 27. *Cap.* 13

Sententia à quâ non est appellatum transit in rem judicatam, & facit jus inter Partes, id est, declarar. *Glossa.* Licet sententia lara sit extrà jus litigatoris à quâ nnn est appellatum, tenet. *Glossa.*

II. Veritas gestotum sermonibus, prævalente sententiâ, præsumitur ritè per omnia celebrata. *Ibid.*

Veritas gestorum sermonibus prævalet, & semper præsumitur pro sententiâ, donec in contrarium ostendatur. *Glossa.*

III. Cùm constiterit Sententiam à Judice suo prolatam, propter autoritatem judiciariam, præsumi debet omnia legitimè processisse. *De Sentent.* Cap. *Sicut.* §. *ult. fia.* Lia. II. Decr. *Tit.* 27. *Cap.* 16.

Præsumendum est pro judiciatiâ potestate quod omnia legitimè fecerit in causis. *Glossa.*

IV. Pro his quæ à Judice sunt acta, præsumitur quod omnia ritè fuerint celebrata. *De Elect.* Cap. *Bona memoriæ.* §. 3. *med.* Lia. I. Dacr. *Tit.* 6. *Cap.* 23.

Quæ à Judice fiunt, præsumnntur legitimè acta, quandiù contrarium non ostendatur. *Glossa.*

V. Propter autoritatem judiciariam, præsumimua pro his quæ acta sunt à Legato. *Ibid.* §. 4. *iait.*

VI. Tanta est judicialis autoritas, ut semper pro Judice præsumi debeat, donec contrà ipsum aliquid legitimè comprobetur. *De Renunciatioae.* Cap. *In præsentia.* §. 1. *med.* Lia. I. Dacr. *Tit.* 9. Cap. 6.

Semper præsumitur pro Sententiâ, donec in contrarium ostendatur. *Glossa.*

VII. Standum est sententiæ, nisi Adversarius eam ostenderit irritandam. *Ibid. fin.*

Semper statur sententiæ, nisi probetur quod injusta sit. *Glossa*, verbo, *Staadum.*

VIII. Cùm Instrumenta contingit argui falsitatis, interim sententia, quæ eorum obtentu lata est, debet inviolabiliter observari. *De fide Iastrument.* Cap. *Accepimus.* §. 1. *fia.* Lia. II. Dacr. *Tit.* 22. Cap. 4.

Licet dicarur Sententia lata per falsa Instrumenta sive Testes, quousque de boc constet, in sua firmitate perdurat, & ei statur. *Glossa*, verbo, *Obteatu.*

IX. Litteris Judicis Ordinarii standum est, donec probetur contrarium. *De Probat.* Cap. *Post cessionem.* §. 1. *init.* Lia. II. Dacr. *Tit.* 19. Cap. 7.

SECTIO IV.

Sententia Juri contraria, & contrà formam mandati lata, ipso jure nulla est.

I. Jus ex Sententia factum fuit, cùm contrà jus Constitutionis expressè lata non fuit. *De Senteatia.* Cap. *Cùm inter vos.* §. 1. *med.* Lia. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 13.

Si lata est Sententia contrà jus Constitutionis expressè, nulla est, nec necessè est appellare ab ipsa. *Glossa.*

II. Si Sententia contra jus scriptum feratur, nullas vires obtinet, nec contrà eam est necessarium auxilium provocationis. Caus. II. Quæst. VI. Cap. 41. *Ei qui. Glossa*, verbo, *Definitiva.*

III. Definitiva Sententia quæ condemnationem vel Absolutionem non continet, pro nulla habetur. *Ib. init.*

IV. Sententia citrà solitum ordinem judiciorum à Præside prolata, autoritatem rei judicatæ non obtinet. *Ibid.* §. 4.

V. Si Sententia lata fuerit contrà res priùs judicatas,

catas, à quibus provocatum non est, Sententiæ autoritatem non obtinebit, & ideò appellare non est necessè. *Ibid.* §. 5.

VI. Sententia Juri contraria irritanda. *De Emptione* Cap. *Cùm Dilecti* §. 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 17. Cap. 3.

Sententia Juri contraria non valet. *Glossa.*

VII. Sententia contrà Leges, Canonesve prolata, licet non sit Appellatione suspensa, non potest tamen subsistere ipso Jure. *De Sententia.* Cap. *Sententia.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 1.

Sententia contrà jus lata, nulla est, licet non appelletur ab eâ. *Glossa.*

VIII. Sententia post appellationem ad Superiorem interpositam prolata, seu spretâ formâ Canonum promulgata, revocari debet. *De Sententia.* Cap. *Cùm Causa.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 8.

Sententia lata contrà Canonum formam non valet. *Glossa.*

IX. Cùm Sententia fertur iniqua, eam evacuari oportet, nec ei debet stari, si iniquitatem contineat manifestam. *De Sententia.* Cap. *Inter cæteras.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 9.

Nulla est Sententia continens manifestam iniquitatem. *Glossa.*

Dici non potest judicialis Sententia, quæ nec ab Ordinaria Jurisdictione, nec à Delegata procedit. ALEXANDER III. *Epistola ad Episcopos Galliæ in Concil. Papiensi, ann.* 1160. TOM. X. CONC. *p.* 1401.

Sexta & nona Decisiones contrariæ videntur aliis, cùm illæ dicant Sententias contrà Leges injustè latas ipso jure nullas, nec opus esse appellatione ut effectu careant: illæ verò doceant quod hujusmodi Sententiæ irritandæ vel evacuandæ sint, quod supponit illas validas esse, sed appellatione rescindendas. Sed hæc contrarietas non est vera, sed apparens; nam vel sexta & nona loquuntur de casu in quo Sententiæ non sunt manifestè contrà Canones, ideòque necessè est, ut id à Judice declaretur; vel loquuntur de irritatione & revocatione declaratoriâ factâ à Judice Superiore, quæ fit eâ cautela, ne Judicis inferioris autoritas privatorum contemptui exponi videatur. Dici etiam potest hujusmodi Sententias nullas esse in se, & apud Deum, sed servandas donec declarentur nullæ, nisi nullitas manifesta sit, quo casu neminem ligat, nec coram Deo, nec coram hominibus. *Cap.* 40. *De Sentent. Excommun.*

SECTIO V.

Sententia à quâ non appellatur, vim & autoritatem rei judicatæ obtinet.

I. Sententia cùm nullâ fuerit appellatione suspensa, transit in rem judicatam. *De Sententia.* Cap. *Cùm inter.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 13.

Si manifestè causa jam judicata est, quæ statuta sunt compleantur. *De Testamentis.* Cap. *Filius. init. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 26. Cap. 5.

II. Sententia in rem transit judicatam, cùm intrà decennium non fuit legitimâ provocatione suspensa. *De Electione.* Cap. *Cùm Dilectus* §. *ultim. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 32.

Interlocutoria Sententia à quâ infrà decem dies non appellatur, transit in rem judicatam, sicut definitiva. *Glossa.*

III. Si constiterit, Partem intra decem dies, post Interlocutoriam Sententiam, appellasse, admittatur. *De Testibus.* Cap. *Si significaverunt.* §. 3. *med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 36.

IV. Post decem dierum spatium, Sententia in autoritatem rei transit judicatæ. *De Sententia.* Cap. *Quod ad Consultationem.* §. 1. *med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 15.

Nisi condemnatus appellaverit intrà decem dies, Sententia transit in rem judicatam. *Glossa.*

In Galliâ Sententia non transit in rem judicatam, nisi post servata quæ præscripta sunt. *In Ordin. ann.* 1667. *Tit.* 27. *Art.* 5. 12.

SECTIO VI.

Sententia contrà alios, & in alia causa lata, aliis non nocet, nisi in certis casibus.

I. Regulariter aliis non nocet res inter alios judicata. *De Sententia.* Cap. *Quamvis. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 25.

Res inter alios acta, aliis non nocet. *Glossa.*

II. Nullum præjudicium potest generari, cùm ipsa Sententia lata fuit inter alios. *De Fide Instrum.* Cap. *Inter Dilectos.* §. 6. *med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 6.

III. Res inter alios acta alii non præjudicat. *Ibid.*

IV. Res inter alios acta non nocet regulariter aliis, juxta Canonicas Constitutiones & Civiles. *De Sentent.* Cap. *Cùm super.* §. 1. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 17.

V. Ei qui cùm sibi primùm de eâ re actio vel defensio competebat, sustinuit sequentem agere, est præjudicium generatum. *De Sentent.* Cap. *Quamvis. med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 25.

Res inter alios acta nocet, cùm aliquis cui competit actio vel defensio, sustinet sequentem agere. *Glos.*

Ratio est, quia negligentiâ suâ præjudicio suo consensit, ac scienti & consentienti non fit injuria. *Cap.* 27. *De Reg. Jur. in* 6.

VI. Illi etiam qui passus est, eum à quo causam habuit experiri, est præjudicium generatum. *Ibid. fin.* Præjudicatur alii per factum alterius, putà si actio vel defensio pertineat ad aliquem, & ipse scienter patiatur sequentem experiri de illâ re, intelligitur juri suo renunciasse; *verbi gratiâ*, si Debitor passus est Creditorem experiri de proprietate pignoris, & succubuit, Debitori obstabit res judicata, si posteà agere velit. *Glossa*, verbo, *Res inter alios.*

Si Emptor patiatur venditorem experiri de proprietate rei venditæ à quo causam habet, obstabit ei res judicata. *Glossa. Ibid.*

VII. Judex condemnat ad rem Prælato ejusque Successoribus exhibendam. *De Censibus.* Cap. *Sopitæ.* §. 3. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 39. Cap. 14.

Sententia lata pro Prædecessore prodest Successori. *Glossa.* Quia uterque censetur una eademque persona.

TITULUS IX.

De Appellationibus ad Superiorem à Sententia Judicis Inferioris in Causa Civili.

SECTIO I.

I. Appellationis remedium ad defensionem, non ad litium prorogationem, est inventum. II. Licitum est appellare. III. Appellare est ad majorem autoritatem provocare. IV. Qui appellat non vult ampliùs litigare coram Judice à quo. V. Agnoscit Jurisdictionem Judicis ad quem.

I. REmedium Appellationis non ideò est inventum, ut alicui debeat in suâ nequitiâ patrocinium exhibere. *De Appellat.* Cap. *Ad nostram. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 3.

Appellatio est inventa, non in diffugium opprimentium, sed in refugium oppressorum. *De Consanguin.* Cap. *Quod super his. in init.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 14. Cap. 5.

Appellationis remedium non est ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ institutum. *De Appellat.* Cap. *Cùm speciali.* §. 1. *post init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 61.

II. Placuit ut à quibuscumque Judicibus Ecclesiasticis, ad alios Judices Ecclesiasticos, ubi est autori-

tas

tas major, fuerit provocatum, audientia non denegetur. CAUS. II. QUÆST. VI. *Cap. 9. Placuit.*

De Rescriptis, *Appellatione remotâ*, Vidè *Glossam ad* Cap. *Super Quæstionem* 27. *De Officio Delegati. Tit.* 29. LIB. I. DECR. verbo, *Executorem*, ubi dicit nihil operari. *Vide Epistolam* 8. NICOLAI I. TOM. VIII. CONC. *p.* 329. *in med.* ubi plura de Appellatione, ac inter alia de necessitate hoc casu ad majorem recurrendi. JULIUS Papa *in Rescripto seu Epistola ad Orientales.* Cap. 22. *ann.* 337.

III. Non oportet ad compares Judices Appellationes referri, sed à minori judicio in majus Tribunal ascendere. CAUS. II. QUÆST. VI. Cap. 28. *Anteriorum.* §. 2. *med.* JUSTINIAN. Imperator *Novella* 23. *an.* 536.

IV. Liceat Appellatori vitiatam causam remedio Appellationis sublevare. CAUS. II. QUÆST. VI. *Cap.* 1. *Liceat.*

In *Decretis* SIXTI III. Cap. 3. Epistola citatur ex FABIANO.

V. Ad aliquem appellans sic fateri videtur eumdem Jurisdictionem habere. *In 6. De Offic. Delegat.* Cap. 14.

CONTINUATIO SECTION. I.

Non deferendum Appellationibus frivolis, iisque non obstantibus in negotio proceditur.

I. Appellationibus frivolis nec justitia defert, nec est à Judice deferendum. *In* SEXTO *De Appellat.* Cap. *Cùm Appellationibus. init.* LIB. II. *Tit.* 15. Cap. 5.

Qui à tua præsentia recedit appellans, protestari videtur hoc ipso se nolle coram te de cætero litigare. *In 6. De Dolo &c.* Cap. *Cùm qui.* LIB. II. *Tit.* 6. Cap. 2.

II. Quicumque non confidentia justæ causæ, sed causa afferendæ moræ, ne contrà eum Sententia proferatur, appellare voluerit, hujusmodi Appellatio non recipitur. CAUS. II. QUÆST. VI. Cap. 13. *Quicumque.* IN THEODOSIAN. Legibus ex *Breviario* ALARICI. *ann.* 506.

III. Ne frivolæ Appellationis diffugio, Appellans Judicis processum impediat. *De Appellat.* Cap. *Cùm speciali.* §. 1. *post init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 61.

IV. Si quis deprehensus fuerit fraude vel malitia in vocem Appellationis prorupisse, Appellationi ejus non est deferendum. *De Appellat.* Cap. *Suggestum.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 15.

V. Per Appellationem frustratoriam, etiamsi non fuerit inhibita, negotium non debet impediri. *De Appell.* Cap. *Pastoralis.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 53.

VI. Appellatione frivolâ nequaquàm obstante, in negotio ipso, ratione præviâ, procedatur. *De Dilationibus.* Cap. *Litera.* §. 2. LIB. II. DECR. *Tit.* 8. C. 3.

Grave non oportuit videri piissimis mentibus cujuscumque retractari judicium, quia veritas sæpiùs exagitata magis splendescit in luce, & pernicies revocata in Judicium graviùs & sine Pœnitentia condemnatur: nam fructus Divinus est, justitiam sæpiùs recenseri. CAUS. XXXV QUÆST. IX. Cap. 7. *Grave.* INNOC. I. *Episcopis per* MACEDON. *constitutis, Epistola* 7. *ann.* 406.

Rationabiliter appellatur pro eo quod super falsi suggestione, probationem nolunt admittere Judices. *De Elect.* Cap. *Cùm inter. in init. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 16.

De prædictis Appellationibus intelligitur Clausula, *Omni Appellatione remotâ*, quæ subaudita censetur quotiescumque omittitur, cùm justa Appellatio prohiberi nequeat nisi quoad effectum suspensivum.

SECTIO II.

Sacris Canonibus licitum est tàm extra Judicium provocare quàm in Judicio appellare; in Judicio, tàm antè Definitivam ab Interlocutoriâ, vel gravamine, quàm à Definitivâ appellatur.

I. Sicut Appellatio judicialis, sic & extrajudicialis. CLEMENT. III. *Sicut. init. De Appellat.* LIB. II. CLEMENT. *Tit.* 12. Cap. 3.

II. Si quis in judicio vel extrà, super Interlocutoria vel gravamine aliquo duxerit appellandum. *In 6. De Appellat.* Cap. *Cordi nobis. init.* LIB. II. *Tit.* 15. C. 1.

III. Sacri Canones etiam extrà judicium passim appellare permittunt. *De Appellat.* Cap. *Cùm sit.* §. 1. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 5.

In Electionibus, Provisionibus, & quibuslibet extràjudicialibus actibus, potest Appellatio interponi. *In 6. De Appell.* Cap. *Concertationi.* LIB. II. *Tit.* 15. Cap. 8. Ab actibus extràjudicialibus potest quis appellare. *Gl.*

IV. Sacri Canones antè & post litis contestationem, & in probatione Sententiæ, & post, singulis facultatem tribuunt appellandi. *De Appellat.* Cap. *Super eo.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 12.

V. Secundùm Canones, & antè Sententiam & post, potest appellari. *Glossa.*

VI. Si à gravamine & antè litis ingressum fuerit appellatum, hujusmodi audietur Appellans. *Ibid.*

VII. Non nisi à gravamine præsenti, præterito, vel futuro appellari potest *De Apellat.* Cap. *Bonæ memoriæ. med. in init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 51.

VIII. Non solent hujusmodi dici Appellationes, sed Provocationes ad causam. *De Appellat.* Cap. *Cùm sit.* §. 1. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 5.

IX. Quisquis gravatum se reputans per Appellationis Beneficium gravamen illatum desiderat revocari, à gravamine appellat. *In 6. De Appellat.* Cap. *Concertationi. init.* LIB. II. *Tit.* 15. Cap. 8.

X. Potest quis à Definitiva Sententiâ intrà tempus debitum appellare. *Clement. unica. De Dolo & Contumacia.* LIB. II. CLEMENT. *Tit.* 4. Cap. unic. *fin.*

XI. Leges etiam Sæculares, post Sententiam, Beneficium Appellationis non denegant aggravatis. *De Jurejur.* Cap. *Venientes. post init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 19.

Appellationes extrajudiciales abrogatæ videntur in Gallia, nisi in casu Appellationis à Decretis Pontificum ad Concilium Generale, & in casu Appellationis tamquam ab abusu.

SECTIO III.

Antè Definitivam Sententiam appellare non licet, nisi ex causa rationabili; hoc est, nisi vel Interlocutoria Definitivæ vim habeat, vel gravamen reparari nequeat in Definitivâ, vel justitia denegetur.

I. Ne sub umbra Appellationum, quæ nimium leviter & nonnumquàm frivolè interponi visæ sunt, atque etiam in eadem instantia ad prorogationem litium sæpè multiplicari, materia fovendis injustis vexationibus relinquatur, statutum est ne à gravamine in quacumque instantia, antè definitivam Sententiam quomodolibet appelletur, nisi forsitan tale gravamen extiterit quod in definitiva reparari nequiret. PRAGMATICA SANCTIO. *Tit.* 5. *De Causis.* §. 4.

Si quis fortè Appellationem interponeret ab omni gravamine quod sibi contingere posset, hujusmodi Appellatio tenere non debet. *De Appellat.* Cap. *Consuluit. in init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 2. & 18. nisi illa generalitas restringatur ad causam coram Judice delatam. *Cap.* 18.

Nota Regulam quâ potest appellari antè definitivam, quandò gravamen est per eam irreparabile; idem si difficulter esset reparabile. *Glossa.*

Ut debitus honor deferatur Judicibus, & Litigatoribus consulatur super laboribus & expensis, statutum est ut si quis coràm idoneo Judice convenerit Adversarium, ille ante Sententiam ad Superiorem Judicem absque rationabili causa non provocet, sed coràm illo suam justitiam prosequatur. *De Appell.* Cap. *Ut debitus. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 59.

II. Item placet Decretum in hoc scilicet quod in nullâ instantiâ ponit quomodolibet appellari ante definitivam Sententiam, si gravamen tale existat quod

in

in definitiva possit reparari; secùs, si tunc non potest reparari; nam tunc licitum est etiam ante definitivam Sententiam appellare. *Ibid.*

III. Quælibet provocatio intelligitur removeri quæ à jure non indulgetur expressè. *De Appellat.* Cap. *Pastoralis.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 53.

Ante Sententiam nullus debet appellari, nisi gravetur. *Glossa.* §. 1.

IV. Volumus quod nec à gravamine in quacumque instantia ante definitivam Sententiam quomodolibet appelletur, nisi forsitan tale gravamen exstiterit quod in definitiva reparari nequiret. *Concordata. Tit.* 10. *De Frivolis Appellat.* §. 1. *fin.*

Excommunicatio, verbi gratia, est gravamen irreparabile. REBUFFUS *ad hunc Concordat. locum.*

V. Appellationes ab Ordinariis interpositæ per Superiores quoscumque non recipiantur, eorumve commissio aut Inhibitio non fiat nisi à definitiva, vel definitivæ vim habente, & cujus gravamen per appellationem à definitivâ reparari nequeat. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Refor.* Cap. 20. *post init.*

Videtur tantùm loqui de causis in Romana Curia expediendis, tamen utile quid continet ne fiat ulla commissio nisi gravamen illud in commissione exprimatur.

Leges Sæculares Appellationem, nisi in casibus, ante Sententiam non admittunt. *De Appellat.* Cap. *Super eo.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 12.

VI. Statutum est quod si quis offensus coràm suo Judice habere non possit justitiæ complementum, ad immediatum Superiorem per appellationem recursum habeat. *Pragmat. Sanctio. Tit.* 5 *De Causis.* §. 4.

VII. Item placet æquitas dicti Decreti, quod si quis offensus non possit coram suo Judice habere justitiæ complementum, quod tunc possit per Appellationem ad immediatum Superiorem dicti sui Judicis habere recursum. *Pragmat. Sanctio.* §. 10. *med.*

VIII. Volumus quod si quis offensus coram suo Judice justitiæ complementum habere non possit, ad immediatum Superiorem, per Appellationem, recursum habeat. *Concordata. Tit.* 11. *De Frivolis Appellat.* §. 1. *med.* Vid. *Regul.* 37. *Cancellariæ ab* URBANO VIII. *approbatam. an.* 1623. *Bullarii.* TOM. IV,

SECTIO IV.

Extra judicium etiam à futuro gravamine appellatur. Si post Appellationem extrajudicialem aliquid fit, valet, modo non sit contra Appellationem.

I. Per Appellationem extrajudicialem à futuro gravamine appellatur. *In 6. De Appellat.* Cap. *Sicut. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 15. Cap. 3.

A futuro gravamine appellatur extrà judicium duntaxat. *Glossa.*

II. Cùm constat interpositam fuisse Appellationem, ne fieret Electio nisi Canonica; cùm appellatum fuerit, non ut nulla Electio fieret, sed ut fieret Canonica; si factum Electionis Canonicæ fuerit subsecutum, non utique contrà formam Appellationis hujusmodi, sed magis secundùm eam videtur esse processum; & ideò licet post Appellationem, non tamen contrà eamdem, fuit Electio celebrata; propter quod non est aliquatenùs irritanda. *De Elect.* Cap. *Cùm nobis.* §. 1. & 2. LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 19. Non debet inspici, an post Appellationem, sed an contrà fuerit Electio celebrata. *Summa.*

III. Si quis alicujus Ecclesiæ quam ad se asserit pertinere, per se ipsum possessionem ingressus, vocem Appellationis emisit, ne quis eum super possessione ipsius Ecclesiæ præsumeret molestare, aliquandiù prædictam Ecclesiam possedetit; & posteà de possessione ipsius Ecclesiæ per violentiam ejiciatur, in eum statum in quo tempore Appellationis factæ ex verisimilibus & probabilibus causis legitimè interpositæ fuisse noscitur, proprietatis parti utrumlibet jure salvo, reducendus est. *De Appellat.* Cap. *Bonæ.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 51. Ratio est, quia spoliatus antè omnia restituendus, etiamsi per viam extraordinariam, nempè per Appellationem extrajudicialem, sibi providerit.

Extrà judicium potest appellari, & à futuro gravamine. *Glossa.*

SECTIO V.

Appellatio intimari debet Appellato vel ejus Procuratori; aut, si neutrum fieri potest, in loco publico, ut effectum sortiatur.

I. Est appellato ignoranti Appellationis intimatio legitimè facienda. CLEMENTINA I. *De Appell.* LIB. II. CLEMENT. *Tit.* 12. Cap. 1.

Appellatio debet intimari appellato ignoranti. *Gloss.* Nunc etiam scienti, saltem quoad Galliam.

II. Causam per Appellationem omissam tunc demùm ad Superiorem devolvi censemus, cùm Appellato, aut Procuratori ejusdem in ipsâ causâ specialiter constituto, fuerit intra mensem ab interpositione ipsius, vel saltem post lapsum ejusdem mensis, quàm citò commodè poterit, legitimè intimata, porrectò videlicet sibi sub scripturâ authenticâ, vel perlecto illius tenore & copiâ modo consimili indè factâ. CLEMENTINA III. *De Elect.* Cap. 3.

Causa censetur devoluta per Appellationem, cùm fuerit Appellatio intimata seu notificata personæ Appellati aut Procuratoris ejusdem, dato libello, sub scripturâ authenticâ, & relictâ copiâ, etiam sub scripturâ authenticâ.

Quid simile habetur in *Cap.* 1. *De Sent. Excomm. In 6.* quoad tempus datum ad exhibendam copiam Sententiæ.

III. Quod si forsan Appellatum abesse, & Procuratorem talem non inveniri contingat in domo quam ipse Appellatus habitare communiter consuevit, volumus Appellationem hujusmodi publicari, ac de ipsâ copiam modo præmisso fieri Appellato. *Ibid.* §. 1.

IV. Si propter Appellati aut suorum metum vel potentiam, fieri nequeat intimatio, ut præfertur, Appellationem eamdem in loco aliquo publico sic solemniter volumus publicari, quod ad Appellati seu ejus Procuratoris notitiam possit veraciter pervenire. *Ibid.* §. 2.

V. Intimatio aliter facta omni careat juris effectu. *Ib.*

VI. Post decem aliàs, nunc post quadraginta dierum spatium, Sententia in autoritatem rei transit judicatæ. *De Sent.* Cap. *Quod consultationem.* §. 1. *med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 15.

Antiquo jure intrà decem dies appellandum erat, nunc intrà quadraginta. GONZAL. *n.* 3.

VII. Qui ad Procurationis subsidium intrà id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit, cùm per hoc videatur, per interpretationem juris, latæ Sententiæ paruisse. *Ibid. fin.*

VIII. Si justus metus, quominùs appellaveris te excusat, ad Appellationis reputaris Beneficium convolasse, dummodò intrà tempus quo licitè provocatur, in præsentiâ bonorum virorum, protestatione super hoc propositâ, causas Appellationis duxeris exprimendas. *De Appellat.* Cap. *Si justus.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 73. GONZAL. *n.* 3. Notat quod Protestatio sit facienda intrà tempus ad Appellationem datum, causâ petitur ex eo quod subrogetur Appellationi, & subrogatum sapiat naturam subrogati, quodque sufficiat ut fiat coràm uno bono viro, dummodò per legitimum numerum Testium comprobetur.

Justus metus excusat adeò quod non Appellans habetur pro Appellante, si fuerit protestatus, quoad dicendas causas. Intelligite in genere; sic, Iniqua Sententia lata est contrà me, nec audeo appellare, & hoc protester coram vobis. *Glossa*, verbo, *exprimendas. fin.*

SECTIO VI.

Si Judex à quo revocare velit Sententiam Interlocutoriam per quam infertur gravamen, poterit causam finire & Appellans non tenebitur coram illo comparere, nisi ad audiendam illati gravaminis revocationem.

I. Statutum, ut sive Judex Ordinarius, sive Delegatus aliquid interloquendo protulerit, quo executioni mandato alter litigantium gravaretur, & sano usus consilio ab hujusmodi interlocutionis effectu destiterit, liberè in causæ cognitione procedat, non obstante si à tali interlocutione fuerit appellatum, dummodò non sit ex alia legitima causa suspectus; ne processus negotii frivolis occasionibus retardetur. *De Appellat.* Cap. *Cùm cessante.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 60. Vide Gonzalem *in illud*, ubi notat quatuor exceptiones.

Si Judex à quo est appellatum, à gravamine istud revocat, potest in principali causâ procedere *Summa.*

Judex potest mutare Interlocutoriam Sententiam, quo facto Appellatio propter hoc interposita locum non habet. *Glossa.*

II. Quoties ad illos Judices vos evocati contigerit, ad quorum præsentiam vobis periculosum est ire, liberè poteritis appellare, nisi Judices vobis assignent locum idoneum & securum. *De Appellat.* Cap. *Ex parte.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 47.

Judex potest revocare gravamen ut Appellans cogatur recedere ab Appellatione. *Glossa.*

III. Cessante gravamine, cessare debet Appellatio. *Glossa*, verbo, *Non fuisset.*

Si ipse Judex à quo revocaverit gravamen cum effectu, poterit ex tunc liberè in causa procedere, ut si Appellatio non fuisset interposita. *Cap. Quod.* Cap. 60. *fin.* & Cap. 1. *Eod. Tit. In 6.*

IV. Si à Judice à quo ad docendum te fore gravatum tibi terminus præfigatur; coràm eo, cùm ipse per se id vīdere habeat, hoc docere, & etiam tanquam coram Judice comparere non teneris. *Eod. Tit.* Cap. 10. *In 6.*

Si Judex à quo citavit Appellantem ad faciendam fidem de suo gravamine, non tenetur Appellans comparere, quia Judex debet cognoscere utrùm Appellantem gravaverit. *Glossa.*

V. Si à Judice à quo, ad audiendam revocationem gravaminis, quod tibi proponis illatum, tibi terminus præfigatur; coram eo, tanquam coram Judice, comparere non teneris, nisi ad hoc solùm ut revocationem ipsam audias, si eam duxeris faciendam. *Ibid. med. In 6.*

Si Appellans esset citatus ad videndum revocari gravamen, tunc teneretur comparere coram Judice à quo. *Glossa.* Gonzales *in* Cap. 60. *De Appellatione*, notans casus in quibus potest Judex à quo appellatum est, revocare Sententiam Interlocutoriam, recenset primo loco, illum qui infert gravamen irreparabile, idque quia hujusmodi Sententia vim habet definitivæ quam Judex nullus revocare potest, cùm ferendo sententiam definitivam, functus sit officio suo, ideòque nullam retineat circa negotium autoritatem, sine qua Sententia revocari nequit.

SECTIO VII.

Si antè definitivam Sententiam appellatur, causa cur appelletur debet in scripto exprimi, & sic eam Judex Appellationis expendere debet, ut si legitimam eam non deprehenderit, negotium remittat ad primum Judicem, in expensis condemnando Appellantem; alioquin de illo cognoscat.

I. Si quis in judicio vel extrà super Interlocutoria vel gravamine aliquo duxerit appellandum, causam Appellationis in scriptis assignare deproperet, & petat Apostolos in quibus Appellationis causam exprimet; quod si Appellator non observet, reputabitur non Appellans, & ad prioris Judicis redibit examen, in expensis legitimis condemnandus. *In 6. De Appellat.* Cap. *Cordi.* Lib. II. *Tit.* 15. Cap. 1.

Appellatio ab Exceptionibus valet, dummodò causæ in Appellatione ipsâ expressæ fuerint. *De Appell.* Cap. *Cùm Causam.* §. 2. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 62.

Causa ideò exprimitur ut videat Judex cui porrigitur Appellatio, an justa fuerit, ut sic Appellantem admittat, vel repellat; undè semper Papa in committendo Appellationes à gravamine interpositas scribit, si est ita. *Glossa*, verbo, *Interlocutoria.*

In Appellante ab Interlocutoria vel gravamine requiritur, 1°. Quod appellet in scriptis. 2°. Quod ipse exprimat causam suæ Appellationis. *Glossa.*

II. Cùm ad Metropolitanam Curiam à Suffraganeorum, vel suorum Officialium audientia fuerit appellatum, Archiepiscopus vel Officialis ipsius nullatenùs in Appellationis causa interpositæ, ante definitivam Sententiam citent Partes, nec etiam aliis illam committant, Appellationis ejusdem causâ probabili seu legitimâ non expressâ. *In 6. De Appellat.* Cap. *Romana.* §. 5. Lib. II. *Tit.* 15. Cap. 3.

Quando appellatur ab Interlocutoria, Judex Appellationis non debet citare Appellatum, nisi constet sibi quod Appellatio fuit interposita ex justâ causâ & rationabili. *Glossa.*

Archiepiscopus causam Appellationis ab Episcopo interpositæ non debet committere, vel Partes citare, nisi in Appellatione probabilis seu legitima causa sit expressa. *Summa.*

III. Si objiciatur ex injustâ causâ, seu minùs legitimâ ante Sententiam Appellationem interpositam extitisse, & ex eo non esse Appellationem hujusmodi admittendam, nequeunt Archiepiscopus vel ejus Officialis prohibere, ne procedatur in causâ, nisi prius Appellatione receptâ, velut emissa ex causa probabili, cognoscere incipiant de causa hujusmodi an sit vera. *Ibid. In 6. De Appellat.* Cap. *Romana* §. 5. Lib. II. *Tit.* 15. Cap. 3.

Si Pars appellata proponat quod causa inserta in appellatione non est rationabilis, Judex appellationis debet interloqui, an illa sit causa rationabilis, vel non. *Glossa.*

Si dicitur ex injustâ causâ appellatum, Archiepiscopus inhibere non potest nisi priùs receptâ Appellatione ut probabili, incipiat cognoscere de causæ veritate. *Summa.*

IV. Cùm ad Archiepiscopum ab audientia Suffraganei sui super aliqua causa fuerit ante sententiam appellatum; idem Archiepiscopus, postquàm de Appellatione cognito constiterit, eam minùs rationabilem extitisse, causam ad eundem Suffraganeum emittere non postponat. *Ibid. In 6. De Appellat.* Cap. *Romana.* §. *ultimo.* Lib. II. *Tit.* 15. Cap. 3.

Hinc patet causam definitivè finiendam retinere non posse, ex quo Archiepiscopus pronontiaverit malè appellatum ante sententiam, sed statim debet causam ad Suffraganeum remittere. *Summa.*

V. Si Judex Inferior Appellationem minùs legitimam non admittat, eam Appellatore nihilominùs prosequente; Superior de ipsa cognoscens, causam ad priorem Judicem, juxta Sanctiones Canonicas, sine difficultate remittat, condemnationem faciens expensarum. *In 6. De Appellat.* Cap. *Cùm Appellationibus. init.* Lib. II. *Tit.* 15. Cap. 5.

Judex Appellationis iniquè Appellantem ante Sententiam remittere debet ad Judicem Principalem, & in expensis condemnare *Summa.*

VI. Cùm constat evidenter illam Appellationis causam, quæ fuit expressa, rationabilem non fuisse, etsi dicat

Appellans quod alia velit objicere, extrajudicialis actus velut confirmationis effectus, non debet, per ea quæ suntproposita,impediri. *De Appellat.* Cap. *Constitutis.* §.1. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 46.

Qui appellar, etiam extrà judicium, causam justæ Appellationis debet exprimere. *Glossa.* Non admittitur Appellatio, nisi sit rationabilia causa expressa. *Glossa*, verbo, *Aliam vellet.*

VII. Interpositâ Appellatione ex causa probabili, non sufficitAppellanti probare quod ex causa hujusmodi provocavit, si eam non doceat esse veram, nisi hoe se offerens probaturum, non fuisset admissus. *De Appellat.* Cap. *Interpositâ. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 7.

Ad justificandam Appellationem ex causa interpositam, probare oportet causæ veritatem coram Judice ad quem, nisi fuerit coram Judice à quo oblata probatio & rejecta. *Summo.*

Appellans antè Sententiam tenetur exprimere causam rationabilem coram ipso Judice à quo appellaverit. *Summa.*

VIII. Si quis antè Sententiam ex rationabili causa putaverit appellandum, coràm primo Judice, causâ probabili Appellationis expositâ, Superior de Appellatione cognoscat; & si minùs rationabilitet eum appellare constiterit, illum ad Inferiorem remittat, & in expensis alteri Parti condemnet, alioquin procedet. *De Appell.* Cap. *Ut debitus. med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 59.

Cùm appellatur antè Sententiam, causa gravaminis exponi debet coram Judice à quo appellatur. *Glossa.*

Qui minùs legitimè appellat, remittitur ad illum à quo appellavit, & in expensis alteri Parti condemnatur. *Glosso.*

Si Judex Appellarionis pronuntiat Appellationem tenere, incipit posteà cognoscere de causa principali. *Glossa*, verbo, *Alioquin.*

IX. Dùm agitur de excessibua, seu in cáusis criminalibus, Appellationis causâ coram Superiore probatâ, Superior suæ Jurisdictionis officium exeqnatur. *De Appell.* Cap. *Cùm speciali.* §. 1. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit* 28. Cap. 61. Qui non probat causam Appellationis, remitti debet ad eum à quo appellavit. *Glossa:* Qui appellat, justam causam debet allegare. *Glossa.*

X. Si Appellans in causæ probatione defecerit, ad eum à quo ipsum malitiose appellare constiterit, remittatur. *Ibid. fin.*

XI. Si constiterit aliquos post Interlocutoriam Sententiam appellasse, si in probatione defecerint, in expensis legitimis condemnentur. *De Testibus.* Cap. *Significaverunt.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 36.

Qui deficit in probatinne Appellationis à gravamine interpositæ, condemnari debet alteri Parti in expensis. *Glossa.*

XII. Legati, Patriarchæ, Primates, & Metropolitani, in Appellationibus ad eos interpositis &c. *Conc.* Trid. Sess. XXII. *De Reformatione.* Cap. 7.

SECTIO VIII.

Alterâ Parte absente per contumaciam, Judex Appellationis potest cognoscere de Gravamine lite non contestatâ; idem cùm lis super negotio fuit contestata.

I. Parato aliquo probare gravamen propter qnod duxerat appellandum, & Parte Adversâ se contumaciter absentante,potest super hoc, lite non contestatâ, procedi, licet nondùm litis contestatio facta fuerit in ipso Appellationis articulo,vel negotio principali;quia cùm in hoc casu iniquitas prioris Judicis principaliter arguatur, non est rigor Juris, ex quo sequi potest causæ perplexitas, requirendus. *De Appell.* Cap. *Interposita.* §. 3. *Sanè.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 7.

Articulus Appellationis interpositæ à gravamine discutitur per Judicem ad quem, Parte absente per contumaciam, etiam lite non contestatâ, in Appellatione, vel Principali causa. *Summa.*

II. Cùm post depositiones Testium publicatas fuerit appellatum, si altera Partium se noluerit præsentare, cùm lis sit super eodem negotio coràm primis Judicibus legitimè contestata, poterunt Judices, eo qui convenitur se per contumaciam absentante, cùm eis de meritis causæ liquebit, commissum sibi negotium definire. *De Appell.* Cap. *Per tuas.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 58.

Alterâ Parte contumaciter absente, potest Judex Appellationis etiam principale negotium definire, si post litem contestatam fuerit appellatum. *Summa.*

SECTIO IX.

Appellatio generalis pro omnibus causis, & super omni gravamine quod inferri potest, non valet, nec etiam quæ à Papa delegante prohibetur.

I. Super eo qnod aliquis à te interposuit Appellationem super omni causa, quà adversus eum aliquo tempore potest moveri, ipsum exindè redarguimus, nec hujusmodi Appellationem duximua admittendam. *De Appellat.* Cap. *Inter cætera.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 1.

Generalis Appellatio non debet admitti. *Glossa.*

II. Si generaliter Appellarionem quis interponeret; ab omni gravamine quod sibi potest contingere, hujusmodi Appellatio tenere non debet. *De Appellat.* Cap. *Consuluit.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 18.

Generalia & vaga Appellatio respectu cujuslibet gravaminis, non valet. *Summa.*

III. Reus contra quem agitur, debet juri parere, seu ad objecta respondere, vel coram primo Judice comparere; tunc ejus Appellatio non tenet. *Ut lite non contestatâ.* Cap. *Accedens.* §. 1. *init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 6. Cap. 2.

SECTIO X.

Appellatio legitima suspendit Jurisdictionem Judicis à quo appellatur, quantùm ad causam illam, & quantùm ad alia quæ sine Appellatione judicari non possunt.

I. Qui appellavit, à Jorisdictione tuâ se fecit exemptum. *De Appell.* Cap. *Directè.* §. 1. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 39.

Constat, eo ipso quod benè appellatum fuit, Jurisdictionem Judicum expirasse. *De Electione.* Cap. *Cùm inter. fin. in init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 16.

Judex cum antè se causam tractaverit, quam per Appellationem suspensam esse cognoverit, cognitione causæ quàm citiùs abstineat. *De Appell.* Cap. 20. *in init. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 11.

II. Multoties quia ad tempua per Appellationem legirimam, à Judicis sui, quoad certum articulum aliquem, eximitur potestate. *De Appell.* Cap. *Pastoralis.* §. 2. *init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 53.

Per Appellationem legitimam eximitur quis à Judice suo ad tempus, quantùm ad causam illam. *Glossa.*

III. Per Appellationem interpositam, Judicis videtur Jurisdictio dormitare. *Ibid.* §. 1. *med.*

IV. Per Appellationem est suspensa Judicis à quo Jurisdictio. *In 6. De Appell.* Cap. *Si à Judice. med.* Lib. II. *Tit.* 15. Cap. 1.

V. Causæ per Appellationem pendent. Clement. I. *De Sent.* §. 2. Lib. II. Clemen. *Tit.* 11. Cap. 1.

VI. Cùm aliquis ad Superioris audientiam appellavit, primi Judices debent causæ supersedere eidem.

De

De Rescript. Cap. *Dilectus*. §. 2. Lib. I. Decr. *Tit.* 3. Cap. 29.

Nemo cognoscere habet de Appellatione ab eodem ad Superiorem interpositâ. *Glossa.*

VII. Sicut Metropolitanus de Appellatione ad Papam interpositâ cognoscere omnino non valet; sic nec de his quæ post Appellationem fuerunt innovata, dummodò de illis alias cognosci non possit, nisi de Appellatione pariter cognoscatur, vel de his quæ Appellationis causam contingere dignoscuntur. *De Appell.* Cap. *Sollicitudinem.* §. 2. *init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 54.

Attentata post Appellationem sunt accessorium causæ Appellationis; idcircò Judex istius est Judex illorum.

Si suspenditur Jurisdictio alicujus in principali, & in accessorio. *Glossa*, verbo, *Cognoscere.*

In hoc casu si Metropolitanus ad cognoscendum Partes suas interponere fortè præsumeret, Episcopus potest ad Appellationis beneficium eoovolare. *Ibid.* Cap. *Sollicitudinem.* §. 2. *fin.* Si principalis quæstio talis sit quod non possit decidi sine incidenti, Judex supersedebit utrique. *Glossa.*

VIII. Si de aliquâ exceptione quæstio oriatur, & exindè Appellatio fieri contingat; eidem exceptioni erit meritò supersedendum: & si principalis causa sine illâ terminari non poterit, ei nihilominùs supersedeatur. *De Appell.* Cap. *Super eo.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 10.

Supersedetur propter articulum, in quo appellatum est, etiam super principali causa, si sine illo articulo expediri non potest. *Summa.*

SECTIO XI.

Post Appellationem legitimam, nihil debet innovari, nec Sententia proferri, nec executioni mandari, nec valet quod fit.

I. Appellatione ad Superiorem interpositâ, nihil debet innovari. *De Appell.* Cap. *Dilectis.* §. 1. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 55.

Appellatione pendente nihil est innovandum. *Gloss.*

Cautum est in Lege, quod Appellatione interpositâ, sive recepta sit, sive non, tempore medio nihil innovari oportet. *De Appell.* Cap. *Secundo. in init. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 41.

II. Cùm Reus ad Metropolitanam Sedem appellavit, Judex Ordinarius non potest post hoc ferre Sententiam. *Ibid.* §. 1. *init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 55.

Si quis appellaverit, ejus parebit judicio ad cujus examen causam voluit per Appellationem transferre. *De Purgat. Canon.* Cap. *Nos inter. in init. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 34. Cap. 6.

III. Judex Ordinarius, interim Appellatione interpositâ, procedere non debet ad Sententiam exequendam. *Ibid.* §. 1. *med.*

Judex post Appellationem, definitivam Sententiam non debet executioni mandare. *Glossa*, verbo, *Exequendam. Digestorum.* Lib XLIX. *Tit.* 7.

IV. Appellatione interpositâ, sive eâ recepta fuerit, sive non, medio tempore nihil novari oportet. Caus. II. Quæst. VI. Cap. 31. *Post Appellationem.* §. 1.

V. Cùm primi Judices teneantur Appellationibus interpositis deferre, non debent Sententias Appellatione suspensas executioni mandare. *De Jurejurando.* Cap. *Venientes.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 19.

Judex Ordinarius non potest exequi suam Sententiam, ex quo altera Pars appellavit. *Glossa*, verbo, *Possessionem. fin.*

VI. Executio Sententiæ suspendatur, donec Appellationis merita pleniùs sint discussa. *De Officio Delegat.* Cap. *Pastoralis.* §. 3. *fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 29. Cap. 28.

VII. Cùm constat interpositam fuisse Appellationem, videri potest quod post eam medio tempore nihil debuit innovari. *De Elect.* Cap. *Cum nobis.* §. 1. *init.* Lib. I Decr. *Tit.* 6. Cap. 19.

Non extenditur Appellatio nisi ad illa quæ illegitimè fiunt, & illa sola cassat. *Glossa*, verbo, *Innovari.*

VIII. Quod fit Appellatione pendente, non potest esse ratum. *De Elect.* Cap. *Auditis. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 29.

Quod fit post legitimam Appellationem non valet. *Glossa.*

IX. Post Appellationem excommunicati non possunt. *De Appell.* Cap. *Ad hæc. med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 37.

Post Appellationem nemo potest excommunicari. *Glossa.*

X. Sententiam Appellationis obstaculum debet impedire. *De Appell.* Cap. *Præstereà.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 40.

XI. Sententia Appellatione suspenditur. *De Appell.* Cap. *Sæpè.* §. 2. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 44.

XII. Per Appellationem ad suum statum omnia debent reduci. *De Elect.* Cap. *Consideravimus. post init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 10.

Quæ fiunt post Appellationem, debent in statum primum revocari. *Glossa.*

XIII. Nec in negotiis Sæcularibus Judices faciunt (quandò Causæ dubitatio ad majorem potestatem refertur) ut pendente relatione aliquid audeant commutare. Caus. II. Quæst. I. Cap. 12. *Nomen. med.* S. Augustinus *Epistola* 137.

Excipiendi à Textibus qui docent Appellationem suspendere executionem Sententiæ, quicumque casus in Jure expressi, in quibus præcipitur executio non obstante Appellatione; tales sunt 1°. Omnes casus correctionis disciplinæ, præsertim regularis visitationis, de quibus dum de Judiciis Criminalibus, 2°. Omnes qui pertinent ad causas summariè judicandas, de quibus *Tit.* 17. *Ordin. an.* 1667. & Gauret *in illum.*

SECTIO XII.

Appellatio non suspendit Jurisdictionem Judicis à quo in aliis causis, nec circà Possessorium, nisi recusetur ut suspectus.

I. Is qui ad Metropolitanam Curiam super aliquâ causa vocem Appellationis emittit, nihilominùs in causis aliis Ordinarii sui Jurisdictioni subjicitur. *In 6. De Appell.* Cap. *Romana.* §. 8. *Cùm verò. init.* Lib. II. *Tit.* 15. Cap. 3.

In Causâ Appellationis est exemptus Appellans à Jurisdictione sui Judicis. *Glossa*, verb. *Aliqua causa. init.*

II. Archiepiscopus vel Officialis nequaquàm Jurisdictionem ipsam Ordinarii in aliis causis impediant; ut ab ejusdem Ordinarii potestate totaliter eximant taliter Appellantem. *Ibib. fin.*

Archiepiscopus in illis causis in quibus Appellans remanet in Jurisdictione Ordinarii, nullam habet potestatem. *Glossa. Ibid.*

III. Cùm aliquis super aliquâ causâ appellat, pro illa Appellatione non minùs tenetur in aliis causis super quibus appellatum non est, respondere. *De Appel.* Cap. *Proposuit. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 28.

Licet aliquis appellet ab Ordinario, tamen super aliis causis remanet ejus Judex. *Glossa.*

Appellatio non eximit Appellantem à Jurisdictione Judicis, nisi in eo super quo appellatur. *Glossa*, verbo, *In aliis.*

IV. Judex tamen à quo appellatur, quia illi omninò suspectus est, eum non debet ad respondendum super aliis compellere. *Ibid. med.*

V. Si eorum possessio qui ad audientiam Superioris appellant, turbata fuerit; si exindè ad Judicem à quo querela pervenerit, illi eam, eo, de quo appellatio est interposita, prætermisso, ordine Judiciario reformare licebit. *De Appell.* Cap. *Cùm teneamur.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 17.

Si Appellans turbatur io poffeffione fuper quâ fuit appellatum, Judex à quo poteft illam poffeffionem fibi reformare ; appellatione in fuo ftatu permanente. *Summa.*

In eo tantùm articulo fuper quo appellatus exemptus eft à Jurifdictione Judicis fui Ordinarii, undè poteft poffeffionem illam reformare. *Gloffa*, verbo, *Prætermiffo*. GONZALEZ putat tunc appellatum fuiffe à judicio circà proprietatem, ideòque Judicem à qoo retinuiffe jurifdictionem fuper poffeffione, fortè de turbatione quæ promptam opem requitit, quæque faciliùs recipitur à Judice loci, quàm ab alio.

VI. Si in unâ causâ quis appellaverit, & pendente appellatione conveniator de alia re, fuper quâ, non fit appellatum, & illam proferri contingat ad audientiam Judicis à quo, in alio negotio appellavit; eum poteft, fi voluerit, tanquam fufpectum (*fi aliundè talis fit*) vitare ; alioquin debebit ejus ftare judicio, maximè fi fuus Ordinarius Judex exiftat. *De Appellatione*. Cap. *Ad hac*. LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 6. GONZALEZ *n.* 2.

Coram Judice à quo appellavi in nnâ causâ, poffum in aliâ conveniri, nifi eum recufem nt fufpectum. *Summa.*

Obfervandum eft, Appellationem interpofitam & pendentem non reddere Judicem ipfum fufpectum, nifi alia causa odii vel amoris adfit. *Vide* GONZALEM *ad hoc* Cap. 6. & *Gloffam ad* Cap. 24. *Propofuit.*

SECTIO XIII.

Appellare licet ante Sententiam Definitivam, cùm Judex à quo non vult affignare locum fecurum ; cùm inftrumenta communia petenti ea edi non curat ; cùm pervertit Juris ordinem.

I. Quoties ad illos Judices vos evocari contigerit, ad quorum præfentiam vobis periculofum eft ire, liberè pnteritis appellare, etiamfi in litteris commiffionis appellationis fuerit remedium interclufum, nifi Judices vobis affignent locum idooeum & fecurum. *De Appell.* Cap. *Ex parte.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 47.

Si Judex citat aliquem ad lncum ad quem non poffit ire fecurè, propofitâ exceptione de loco fufpecto, liberè poterit appellare, licet appellatio in litteris fit inhibita ; nifi Judex locum fecurum ei duxerit affignandum. *Gloffa.*

II. Si Judices quibus causa commiffa fuit, non velint Parti, nifi in terrâ inimicorum fuorum, locum & terminum affignare, nbi fine mortis periculo accedere non audeat, Appellatio interponi poteft. *Ut lite non conteftatâ.* Cap. *Accedens.* LIB. II. DECR. *Tit.* 6. Cap. 4.

Hæc fuit fofficiens causa appellandi. *Gloffa*, verbo, *Inimicorum.*

III. Si ex eo gravamine, quod Judices pervertendo juris ordinem fecerunt, appellatum confliterit, valet. *De Judiciis.* Cap. *Exhibita.* §. 1. & 2. LIB. II. DECR. *Tit.* 1. Cap. 19.

IV. Quia Judices copiam quorumdam Inftrumentorum communium, quæ habet Pars altera, & per quæ inteudit intentionem fuam fuper principali fundare, fieri non faciunt, eidem hoc cum inftantiâ poftulanti ; meritò ad Superioris audientiam appellat. *De fide Inftrum.* Cap. 9. *Perpetuus. med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 12.

Licitè appellatur à Judice, qui Parti hoc petenti non facit edi communia Inftrumenta. *Summa.*

V. Cùm fuper quadam terrâ quæftio vertitur, & Reus plures terras habet, ac ut terra illa fuper quâ quæftio vertitur, oftendatur eidem, à Judicibus poftulat ; fi id ipfi facere denegent, ad Superioris audientiam licitè provocabit. *De Appellat.* Cap. *Si fignificantibus.* LIB. II. DECRET. *Tit.* 28. Cap. 49.

VI. Si juftam Recufationis caufam noluit admittere Delegatus, fed coram fufpectis eum litigare cogebat ; à tali gravamine licitè potuit ad Superioris audientiam appellare. *De Off. Jud. Delegati.* Cap. *Super quæftionum.* §. *ult.* LIB. I. DECR. *Tit.* 29. Cap. 27.

Licitè appellat Reus fi non audiatur petens declarari rem petitam in Libello. *Summa.*

SECTIO XIV.

Nemo appellare poteft nifi ipfius interfit. Etiam tertiùs cujus intereft, audietur appellans; uno appellante, cæteri quibus caufa communis eft, cenfentur appellaffe.

I. Nifi qoorum intereft, aodiri non folent appellantes. *De Elect.* Cap. *Cùm inter.* §. 2. LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 16.

Non auditur Appellans, nifi cujus intereft. *Gloffa.*

Unâ fenteutiâ pluribus condemnatis, fi unus folus ad Appellationis beneficium convolaverit, illius victoria Jure Communi cæteris fuffragatur, fi Communi Jure juventur, idemque negotium, & eadem caufa defenfionis exiftat. *De Appellat.* Cap. *Una.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 72.

II. Appellatio unius prodeft alteri, fi Jure Commoni juventur, & idem fit negotium, & eadem defenfionis caufa. Quæ facta funt inter alios, non præjudicant quominus ifti fuam valeant confequi rationem.

Non folent audiri Appellantes, nifi hi, quorum intereft, vel quibus eft mandatum, vel qui negotium alienum gerunt quod mox ratum habetur. CAUS. II. QUÆST. VI. Cap. 3. *Non folent.*

DIGESTORUM LIB. XLIX. *Tit. De Recipiendis Appellationibus Lege.* 1.

III. Si quis ex confenfu compofitionis receptæ, jus quod fibi competierat, amifit ; per hoc de jure minimè appellare poteft. *De Elect.* Cap. *Cùm inter.* §. 2. *init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 16.

IV. Si conftiterit Appellarionem pro tertio rationabiliter interpofitam, executio fententiæ differatur, ne circa poffeffionem detrimentum incurrat. *De fententia.* Cap. *Cùm fuper.* §. 2. LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 17.

Quilibet cujus intereft, poteft appellare à fententia inter alios latâ, ne mandetur executioni. *Gloffa.*

V. Tenebit eorum Appellatio, qui videntes Juri fuo detrahi, duxerint appellandum. *De Off. Delegati.* Cap. *Super eo.* §. 1. *fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 29. Cap. 15.

Licet caufa commiffa fit inter aliquos, alii tamen qoos negotium tangit, admittuntur ad defenfionem fuam. *Gloffa.*

Poffunt appellare omnes quorum intereft. *Gloffa*, verbo, *Sed Partibus.*

SECTIO XV.

I. *Appellans tenetur intra tempus certum profequi fuam Appellationem, alioquin rata manet fententia.* II. *Judex a quo potefe compellere Appellantem ab Interlocutoria, ut vel profequatur Appellationem, vel fententia pareat.* III. *Non tamen potefe ftatuere terminum Judice Appellationis ad illam finiendam.*

I. Si is qui appellaverit, intra tempus ftatutum caufam Appellationis non fuerit profecutus, tenebit Sententia. *De Appell.* Cap. *Cùm fit.* §. 1. *poft init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 5.

Si qois non profequatur Appellationem intrà debitum tempus, rata manet fententia. *Gloffa.*

II. Provocantibus poft Sententiam; Appellationes fuas profequi curantibus; poft terminum Appellationis profeqnendæ præfixom, rata manet fententia, quæ fuerat Appellatione fufpenfa. *De Appell.* Cap. *Sepè.* §. 2. *med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 44.

Qui

Qui non prosequirur Appellationem suam, fingitur non appellasse. *Glossa*, verbo, *Rata*.

III. Cùm à te super aliquâ causâ fuerit appellatum, fax tibi sit Appellantes, Appellatione cessante, compellere, ut vel Appellationem interpositam prosequantur, vel coram te juris pareant æquitati. *De Appell.* Cap. *Ad hæc*. Lib. III. *init*. Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 27.

Judex compellere debet Appellantem, ut Appellationem suam prosequatur intra terminum sibi præfixum, vel stet juri coràm ipso. *Glossa*.

IV. Illos qui appellant à præsentia tua, cogere debes intrà tempus conveniens Appellationem interpositam prosequi, aut judicio tuo, Appellatione remotâ, parere. *De Appell.* Cap. *Consuluit*. §. 2. Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 14.

Appellanres cogendi sunt Appellationem prosequi, aut Judicio Judicis parere. *Glossa*.

V. Appellantis ad prosecurionem Appellationi terminus congruus præfigatur, intrà quem si Appellationem non fuerit prosecutus, ex tunc compellatur stare judicio Delegati. *De Appellat*. Cap. *Ad aures*. Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 33.

Qui non prosequitur Appellationem, incidit in jurisdictionem Judicis à quo appellavit. *Glossa*.

VI. Juxta Decretum Lateranensis *Concilii*, postquàm in termino prosequendæ Appellationis statuto, Appellans suam Appellationem non fuerit prosequutus, Judex Ordinarius autoritate sua liberè potest uti. *De Appell.* Cap. *Dirnta*. §. 1. *init*. Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 39.

VII. Post Appellationem ad Superiorem interpositam, cùm Appellans intra terminum sibi ad eam prosequendam præfixum non agit; Judex à quo contrà eum Sententiam profert. *De Sententia*. Cap. *Cùm causa*. *init*. Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 8.

Si quis intrà terminum sibi statutum Appellationem non prosequitur, Judex post terminum in causâ procedere debet. *Glossa*.

VIII. Judex Ordinarius non potest Judici Appellationis legem imponere, ut Appellationem teneatur intra certum terminum expedire, *De Appell.* Cap. *Ex insinuatione*. *med*. Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 5. Cujacius & Gonzalez notant præfixionem termini, inchoandæ & prosequendæ Appellationis, pertinere ad Judicem à quo; terminum verò peragendæ vel finiendæ pendere à Judice ad quem. Neutra præfixio est in usu in Galliâ.

Judex à quo non potest statuere terminum ad finiendam Appellationem. Summa.

SECTIO XVI.

I. *Appellantis est priùs agere.* II. *Eo non agente, Appellatus prosequatur Appellationem.* III. *Neutro prosequente, Superior ipse occurrat si periculum ex dilatione imminet.* IV. *Appellatus terminum prævenire potest, modò ne nimium præcurrat.*

I. Juxtà Regulam Juris, qui prior appellat, prior agat. *De Ordine cognitionum*. Cap. *Cùm Dilectus*. §. 2. *med*. Lib. II. Decr. *Tit.* 10. Cap. 2.

II. Quod si Appellans agere noluerit, appellatus potest nihilominùs prosequi causam ipsam; maximè si sentiat sibi ex dilatione imminere gravamen. *De Appellat*. Cap. *Oblata*. §. 1. *fin*. Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 57.

III. Superior quoque Judex, si viderit ex dilatione periculum imminere, potest & debet, neutro prosequente Appellationem, occurrere ut periculum evitetur. *Ibid*. §. 2. *init*.

Judex Appellationis potest prosequi causam Appellationis, si periculum immineat, neutrâ parte ipsam prosequi valente. *Glossa*.

IV. Puta, si sententia lata super confirmationem alicujus Electi fuerit provocatum, & utraque Pars velit prosecutionem Appellationis differre; potest otique, imò debet Superior Judex, ad quem fuerat appellatum, terminum provide moderari, ne gregi Dominico diù desit cura Pastoralis. *Ibid*. *fin*. Idem potest quoties Ecclesiæ utilitas poscit ut Partium negligentiam suppleat.

V. Pars appellata intrà terminum constitutum à Lege, dummodò nimium non præcurrat ut Appellantem in commissione impetranda supplantet, commissionis litteras poterit impetrare, quarum autoritate in Appellationis causâ legitimè procedatur. *De Appell.* Cap. *Oblatæ*. §. 1. *fin*. Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 57.

Nemo debet prævenire in literis commissionis impetrandis Appellantem nimiùm festinanter. *Glossa*.

VI. Quis appellatus terminum Appellationis prævenire potest. *De Appell.* Cap. *Sæpè*. §. 3. *init*. Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 44.

Terminum statutum à Lege potest Appellatus prævenire. *Glossa*, verbo, *Præveniens*. *Vide* Cujacium & Gonzalem *in Cap.* 57. de illo termino loquentes. De simili termino meminit *Conc*. Trid. Mens juris est; ne Partes graventur nimiâ judicii dilatione.

SECTIO XVII.

I. *Si Appellans stare in judicio neglexerit, condemnabitur in expensis.* II. *Contrà eum Judex procedit post terminum, ac si peremptoriè fuisset vocatus.* III. *Judex contrà absentem, ac si præsens esset, pronuntiabit.*

I. In Lateranensi *Concilio* fuit constitutum, ut si in quocunque negotio aliquis appellaverit, & eo qui appellatus fuerit veniente, qui appellavit venire neglexerit; competentem illi recompensationem faciat expensarum, ut hoc saltem timore deterritus, in gravamen alterius non facilè quis appellet. *De Appell.* Cap. *Sæpè*. Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 44.

Qui appellat tenetur Appellationem prosequi; aliàs Parte alterâ prosequente, condemnabitur in expensis. *Glossa*, verbo, *Appellaverit*.

II. Si in quocumque negotio aliquis appellaverit; & eo qui appellatus fuerit veniente, qui appellat venire neglexerit; si quid proprium habuerit, competentem illi recompensationem faciat expensarum; ut hoc saltem timore territus, in gravamen alterius non facilè quis appellet. *De Appell.* Cap. *Reprehensibilis*. §. 3. Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 26.

Qui non prosequitur Appellationem suam, condemnari debet Adversario eam prosequente in expensis. *Glossa*.

III. Cùm Actor, ad prosequendam Appellationem, sufficientem Procuratorem non miserit, Reo ipsam prosequente, ipsum ad restituendas expensas à tempore Appellationis factas eidem Reo condemnetis. *De Appel*. Cap. *Nicolao*. §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 64.

Appellans tenetur prosequi causam per sufficientem Procuratorem ad causam, Parte alterâ eam prosequente; aliàs in expensis Appellator condemnabitur. *Glossa*, verbo, *Appellationis*.

IV. Si quem Appellationem suam non fuisse prosequutum constiterit, Appellato in expensis necessariis condemnetur. *De Rescriptis*. Cap. *Ex parte*. §. 2. *fin*. Lib. II. Decr. *Tit.* 3. Cap. 22.

Qui Appellationem suam non prosequitur, altero prosequente condemnari debet in expensis. *Glossa*, verbo, *In expensis*.

V. Ex eo quod aliquis appellaverit & Appellationem non fuerit per sufficientes Procuratores, cùm possit, adversariis prosequentibus, prosequutus; non levis exoritur suspicio contrà eum. *De dolo*. Cap. *Cùm Dilecti*. §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 14. Cap. 6.

VI. Si Appellationem interpositam à Sententiâ contrà vos prolatâ prosequuti non estis; dummodò prosecutionem ipsius per impotentiam vos constiterit omisisse; volumus quod justitiæ vestræ debeat præjudicium generare

generare. *De Appell.* Cap. *Ex oratione.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 8.

Impotentia excusat ita quod etiam post biennium admittitur quis ad prosequendam Appellationem. *Glos.*

VII. Si justus metus quominùs appellaveris te excusat.

SECTIO XVIII.

I. *Post terminum Appellationis, Appellatio vim habet Edicti peremptorii, ut contrà absentem procedatur.* II. *Si post Sententiam appellatum sit, Judex Appellationis, Parte absente, negotium finire potest.*

I. Si Appellatio vel à Judice recepta, vel à Parte fuerit approbata, post terminum Appellationi præfixum Edicti peremptorij vires obtineat; ita videlicet ut ex tunc in absentem perindè procedatur ac si peremptoriè vocatus ad judicium extitisset. *De Appel.* Cap. *Sæpè.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 44.

Ipsa Appellatio, sive terminus statutus à Judice ad ipsam prosequendam, erit loco peremptorii, ut eo elapso procedat Judex in causa, si non fuerit Appellationem prosecutus. *Glossa*, verbo, *Obtineat.*

II. Appellatione interpositâ, si Pars altera Adversa ad peremptorium terminum non accesserit, Judex allegationibus diligenter inspectis, latam à Judicibus primis confirmat Sententiam. *De in Integrum.* Cap. *Ex Literis. post init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 41. Cap. 4.

Hoc est speciale Privilegium in causâ Appellationis, quod Judex alterâ Parte absente procedere possit, etiam lite non contestatâ. *Glossa*, verbo, *Confirmavit.*

III. Si post latam Sententiam, vel saltem post depositiones Testium publicatas, fuerit appellatum; cùm lis sit super eodem negotio coràm primis Judicibus legitimè contestata, poterunt Judices, eo qui convenitur se per contumaciam absentante, cùm eis de meritis causæ liquebit, negotium definire. *De Appellat.* Cap. *Per tuas.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 58.

Altera Parte contumaciter absente, potest Judex Appellationis etiam principale negotium definire, si post litem contestatam fuerit appellatum. *Summa.*

IV. Si Reus Appellans venire contempserit, causam, utpote lite quæ ingeritur contestatâ, definitivâ Sententiâ terminetis. *De dolo.* Cap. *Prout.* §. 2. *med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 14. Cap. 4.

Scilicet, si liquet de causâ, vel liquere potest, *Glossa*, verbo, *Terminetis.*

SECTIO XIX.

I. *Potest Appellans, invito Appellato, suæ Appellationi renunciare.* II. *Est in expensis Parti condemnandus.* III. *Cùm semel deserta est Appellatio* (l'appel pery) *etiam de consensu non possunt Appellans & Appellatus procedere.*

I. Ille qui vocem Appellationis emisit, ad petitionem ejusdem, ad eum à quo provocavit, de jure remittitur, contradictione Partis alterius non obstante. *De Appell.* Cap. *Interposita.* §. 2. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 70.

Antè inchoatam prosecutionem Appellationis, Appellans potest, si vult, invito Appellato, petere ut remittatur ad Judicem à quo.

II. Est tamen in legitimis expensis Adversario, quas eum propter hoc fecisse constiterit, condemnandus. *Ibid. fin.*

III. Si Appellatione per negligentiam Appellantis desertâ, Appellans ipse cum Appellato, aut Appellatus, etiam per se & principaliter prosequatur; non ideò minùs in rem judicatam censebitur transiisse Sententia à quâ fuerat appellatum. CLEMENT. VI. *Si Appellat. De Appell.* LIB. II. CLEMENT. *Tit.* 2. Cap. 6.

Sententia à quâ fuit appellatum, transit in rem judicatam ac si non fuisset appellatum, dummodò Appellatio non fuerit prosecuta, sed deserta. *Glossa.*

SECTIO XX

I. *Appellatio legitima causam devolvit ad Superiorem.* II. *Judex Appellationis de causâ cognoscere non debet, nisi constet eam esse per Appellationem devolutam.* III. *Non acquirit Jurisdictionem inter alios, quàm inter Appellantem & Appellatum.*

I. Per Appellationem interpositam, non solùm principale negotium, sed accessoria etiam ad Superioris referuntur examen. *De Appellat.* Cap. *Dilectis.* §. 2. LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 55.

Per Appellationem legitimam, & principale & accessorium ad Superiorem deferuntur. *Glossa.*

II. Si vocatis Partibus, non esse per Appellationem ad Archiepiscopum vel ejus Officialem devolutum negotium proponatur; iidem, nisi prius ipsis constiterit causam ipsam ad eos totaliter fuisse delatam, prohibere ne in causa illa, vel ne ad executionem procedatur Sententia, non præsumant. *In 6. De Appell.* Cap. *Romana.* §. 4. LIB. II. *Tit.* 15. Cap. 3.

Primò debet de Jurisdictione constare, & cognito an sit Judex, ad exercitium Jurisdictionis procedere. *Glossa*, verbo, *Præsumant.* Constare debet talem fuisse Appellationem quæ devolvat negotium. *Glossa*, verbo, *Totaliter.*

Si negetur per Appellationem negotium devolutum, non inhibebit Archiepiscopus Judicem Principalis Causæ procedere, nisi priùs de devolutione constiterit. *Summa.*

III. Archiepiscopus vel Officialis ipsius, in alium qui, circà rem de quâ inter Appellantem & Appellatum controversia vertitur, aliquid post eorum inhibitionem attentat; non valeat occasione hujusmodi Jurisdictionem aliquam vendicare. *Ibid. In* SEXTO. *De Appell.* Cap. *Romana.* §. 7. LIB. II. *Tit.* 15. Cap. 3.

Judex Appellationis non recipit Jurisdictionem nisi inter Partes, putà inter Appellantem & Appellatum, & non inter tertium. *Glossa, Sub finem.*

SECTIO XXI.

I. *Judex Appellationis debet ante omnia cognoscere de his quæ post Appellationem à definitivâ fuerunt innovata.* II. *Attentata post illam Appellationem, debet omnia statim ad eum statum, quo Appellationis tempore fuerant, revocare.* III. *In Appellatione ab Interlocutoria cognoscere debet an vera sit causa; & si constiterit de veritate, inhibere potest Judici à quo ne procedat, & quæcumque attentata post inhibitionem irrita renunciare.*

I. Ad Officium ejus qui de Appellatione cogniturus est, pertinet prudenter corrigere quæ contra ipsam invenerit attentata. *De Appell.* Cap. *Sollicitudin.* §. 2. LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 54.

Ad quem pertinet cognoscere de Appellatione, ad eumdem pertinet cognoscere de iis quæ causam Appellationis contingunt. *Glossa.*

II. Illa quæ post Appellationem interpositam ante definitivam Sententiam innovantur, donec Appellationis causam veram esse constiterit, revocari non debent, nisi postquàm per Appellationem emissam ex causâ probabili fore ad se negotium devolutum, viderit, inhibueritque Canonicè Judici a quo appellatum existit, ne procedat. *In 6. De Appellat.* Cap. *Non solùm.* §. 1. *init.* LIB. II. *Tit.* 15. Cap. 7.

Gesta per Judicem à quo post Appellationem ab Interlocutoria non revocantur; sed manent in eodem statu, donec sit recognitum de meritis causæ Appellationis, videlicet quod probatum sit quod causa inserta in Appellatione sit vera. *Glossa.*

Judex Appellationis non potest inhibere Judici à quo, ne in principali procedat, quòusque constiterit Judici Appel-

Appellationis, quod negotium sit ad ipsum devolutum. *Glossa.*

III. Quidquid post inhibitionem hujusmodi fuerit innovatum, licet causa eadem non sit vera, per eumdem Appellationis Judicem ante omnia in statum pristinum reducendum. *Ibid. fin.*

IV. Revocentur in statum pristinum omnia quæ post Appellationem invenientur attentata. *De Rescriptis.* Cap. *Ex Parte.* §. ultim. *Init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 3. Cap. 12.

Quidquid fit post Appellationem suam vel alterius, debet in statum pristinum revocari. *Glossa.*

V. Si ex dictis gravaminibus, vel ex aliquo ipsorum, appellatum constiterit, Judex Appellationis revocet in irritum quidquid post Appellationem hujusmodi invenerit attentatum. *De Judiciis.* Cap. *Exhibita.* §. 2. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 19.

Quidquid à Judicibus post Appellationem factum est, nunciari debet irritum & inane. *De Appellat.* Cap. *Cùm Causam. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 62.

VI. Si quem à Judicibus aggravari constiterit, quod terminum sibi nimis brevem & peremptorium statuerint; revocari debet irritum quidquid invenietur post Appellationem hujusmodi attentatum. *De Dilationibus.* Cap. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 8. Cap. 1.

VII. Quod post Appellationem à vero gravamine est præsumptum, judicari debet irritum & inane. *De Officio Delegati.* Cap *Super Quæstionum* §. ult. *fin.* Lib I. Decr. *Tit.* 29. Cap. 28.

Quidquid fit post Appellationem legitimam, debet in irritum revocari. *Glossa*, verbo, *A tali gravamine. fin.*

VIII. Si qui ad Superiorem ex sufficienti gravamine appellaverint, revocetur in statum debitum quidquid post hujusmodi Appellationem invenietur attentatum. *De Exceptionibus.* Cap. *Dilecta. init.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 25. Cap. 10.

SECTIO XXII.

I. *Judex Appellationis innovata post Appellationem à definitivâ antè omnia revocare debet.* II. *Etiam innovata medio tempore inter Sententiam & Appellationem.* III. *Appellanti debet restituere possessionem quæ adjudicata est Parti post Appellationem à definitivâ.*

I. Novata post Appellationem à definitivâ Sententiâ interjectam, debent semper, exceptis casibus, in quibus jura post Sententiam prohibent appellare, antè omnia per Appellationis Judicem penitùs revocari. *In 6. De Appellat.* Cap. *Non solùm. init.* Lib. II. *Tit.* 15. Cap. 7.

Ad Officium Judicis ad quem spectat cassare, revocare, annullare; attentata post definitivam Sententiam, priùsquàm incipiat cognoscere de meritis causæ Appellationis, an verè vel malè judicatum fuerit. *Gloss.*

II. Etiam debent revocari ea omnia quæ medio tempore, inter Sententiam & Appellationem quæ postmodùm interponitur ab eadem, contingit innovari, ac si post Appellationem eamdem innovata fuissent.

Innovata per Judicem post definitivam Sententiam à quâ appellatum existit, revocantur statim per Judicem Appellationis; etiamsi antè Appellationem fuerint innovata. *Glossa*, verbo, *Non solùm.*

III. Si postquàm aliquis à Sententia Judicis appellavit, Sententiam ipsam duxeritis executioni mandandam, in possessionem rerum de quibus quæstio vertebatur, appellantis Adversarium inducentes; Judex Appellationis mandabit, ut possessionem ipsam restituatis eidem. *De Jurejur.* Cap. *Venientes.* §. 3. Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 19.

Cùm appellatur à Sententiâ definitivâ, si Appellatione pendente fuit mandata executioni, Judex Appellationis debet revocare in irritum quidquid factum est post Appellationem, & antè omnia cognoscere an Appellatio sit justa vel injusta. *Glossa*, verbo, *Possessionem.*

SECTIO XXIII.

I. *Judex Appellationis non admittat Appellationem, nisi constet eam esse, vel propter gravamen, vel propter injustam condemnationem, emissam.* II. *A definitivâ Appellationem potest admittere pro quibuscumque Causis.* III. *Non debet Partes, nisi de consensu, ad Judicem ad quem remittere.*

I. Si quandò contigerit aliquem de Clericis à suo Episcopo ad Metropolitani audientiam appellare; non antè Appellationem admittat, quàm ipsi constiterit etiam vel à gravamine, vel injustâ condemnatione porrectam; alioquin ipsum ad prædicti Episcopi audientiam remittat, Appellatione remotâ ejus judicio pariturum. *De Appellat.* Cap. *Cùm in Ecclesia.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 38.

Judex Appellationis remittit appellantem & causam ad priorem Judicem, nisi sibi constiterit à gravamine vel Sententiâ fuisse appellatum. *Summa.*

II. De Appellationibus pro causis minimis interpositis volumus tenere, quod eis pro quacumque levi causa fiant, non minùs est quàm si pro majoribus fierent deferendum. *De Appell.* Cap. *De Appellationibus.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 11.

Etiam pro minoribus seu levioribus causis appellari potest. *Summa.*

III. Non debet ad eos Judices causa remitti, nisi Partes consenserint à quibus noscitur appellatum. *De Appell.* Cap. *Accepta.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. C. 35.

Si contigerit ab audientia alicujus Judicis appellari, non debet causa ad ipsum remitti, nisi Partes in hoc consentiant. *Glossa.*

SECTIO XXIV.

I. *Judex Appellationis emendare potest illata gravamina.* II. *Sententiam irritare potest, propter Judiciarium Ordinem non servatum.* III. *Infirmare debet Sententiam, si injustam noverit.* IV. *Confirmare debet Sententiam justam.* V. *Potest Sententiam confirmare in quibusdam capitibus, in aliis infirmare.*

I. Si appellans fuerit gravatus injustè, gravamen hujusmodi per Superiorem poterit emendari. *De Appell.* Cap. *Pastoralis.* §. 1. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 53.

II. Sententia cassari potest solummodò propter Judiciarium Ordinem non servatum. *Qui filii sint legitimi.* Cap. *Per Venerabilem.* §. 1. *med.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 17. Cap. 13.

III. De causa Appellationis Ordine judiciario cognoscentes, confirmetis vel infirmetis, sicut justum fuerit, Sententiam à primis Judicibus promulgatam. *De in integrum restit.* Cap. *Ex Literis.* §. 1. *fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 41. Cap. 4.

Judex Appellationis debet Sententiam latam confirmare vel infirmare. *Glossa.*

IV. Si Sententiam primorum Judicum noveritis Canonicè promulgatam, eam confirmetis. *De Testibus.* Cap. *Cùm venisset.* §. 1. *init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. Cap. 25.

V. Cùm ex parte Rei nil rationabile fuerit oppositum & ostensum, quare Sententia pro Actore promulgata debuerit irritari; ea quantùm ad Reum confirmari debet. *De Sentent.* Cap. *Cùm super.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 17.

Ita tenet Sententia quoad unam personam, & non quoad aliam. *Glossa*, verbo, *Monasterium.* Nempè quoad injustè conquerentem tenet, non verò quoad justè conquerentem.

VI. Judex Appellationis Sententiam primorum Judicum quoad unum Capitulum infirmat, eam quoad alios Articulos confirmat. *De Fide Instrum.* Cap. *Cùm Joann.* §. ult. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 22. Cap. 10.

VII. Judex Appellationis Sententiam Judicis Ordinarii in uno Capite pronuntiat injustam, & ab eâ legitimè provocatum, in alio verò Sententiam confirmat ejusdem. *De Testamentis.* Cap. *Raynutius.* §. 1. & 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 26. *Cap.* 16.

Judex Appellationis potest in quibusdam Sententiam confirmare, & in quibusdam infirmare. *Glossa.*

SECTIO XXV.

I. ***Judex appellationis injusta vel frustratoria appellantem debet condemnare in expensis.* II. *Non condemnabit ad expensas si legitimè fuerit appellatum.***

I. Quoties injusta Appellatio pronunciatur, sumptus, quos, dùm sequeretur adversarius, impendit, reddere cogatur. CAUS. II. QUÆST. VI. *Cap.* 27. *Omninò. In Theodosianis Legibus. Tit.* 37.

II. Cùm apparet aliquem frustratoriè appellasse, ad restitutionem cogarur expensarum illarum, quas Partem constiterit propter hoc necessarias in lite fecisse. *De eo qui mittitur.* Cap. *Cùm venissent.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 15. *Cap.* 3.

Si Appellatio non fuit legitima, condemnabitur in expensis tantùm necessariis quas propter hoc constiterit Partem fecisse. *Glossa*, verbo, *Obtulit. fin.*

III. Si constiterit aliquem rationabiliter Appellationem emisisse ad restituendas expensas factas in lite, nullatenùs compellatur. *Ibid. post init.*

Si Appellatio fuit legitima, non condemnabitur in expensis. *Ibid.*

SECTIO XXVI.

Observationes circa collectas Juris Decisiones in hoc Titulo de Appellationibus.

Incipitur, ut par est, ab origine Appellationum, illarumque fine generali, per quem judicare licet an justæ, an injustæ, an admittendæ, an contemnendæ; itidem quid sit, nempè ab inferiote ad superiorem provocatio. Explicatis fine & naturâ illarum, ad illarum species transitur, quarum præcipuæ sunt Judiciales, & Extrajudiciales; Definitivæ. & Interlocutoriæ; singulæque suo ordine exponuntur, per id quod commune vel speciale habent; undè illarum similitudo vel discrimina quoad effectus, quoad formam, quoad tempus præfinitum ad illas inchoandas, prosequendas, & finiendas, perindè ac quoad causas, tàm particulares quàm communes. In iis omnibus tractandis sermo fit de potestate Judicum circà singulas, ac illorum officio seu obligatione. Distinguuntur varia genera gravaminum quæ sunt causæ particulares Appellationum, nempè incidens, reparabile, vel irreparabile in definitivâ subsequens litis definitionem, quod vel novæ Appellationis ansam præbet, vel instantis Appellationis causa fuit; obligationes Partium invicem vel erga Judicem occasione gravaminum præsentium, futurorum, vel præteritorum. Examinatur an licita sit Appellatio generalis ab omni gravaminum genere vel causarum, quæ species esset evocationis, quæ à solo Principe, aliove à quo emanat Jurisdictionum Ordo, concedi solet, utpotè includens exemptionem à Judice Ordinario. Præsentium gravaminum & Sententiæ Interlocutoriæ, quæ est illorum ordinarium remedium, pluribus locis distincta fit mentio.

Cùm inter effectus Appellationum potissimi sint suspensio Jurisdictionis Judicis à quo, nec non omnis Actus Judicialis Partium coràm illo, & devolutio illius ad Judicem ad quem; in illis elucidandis multa diligentia adhibita est. Ob parem rei gravitatem, cujus sit appellare, ac quandò, & cur unius Appellatio aliis prosit, accuratè dilucidatur.

Eadem de causâ non minori cum curâ explanantur peculiares obligationes Appellantis; 1o. Quoad Intimationem. 2o. Quoad vitandam contumaciam in comparendo, & negligentiam in delatione Actorum causæ, in prima Instantiâ ad Judicem ad quem, atque etiam in prosecutione secundæ. 3o. Quoad præstandum antè omnia, quæ circà Apostolos petendos à Judice à quo præscribuntur; quibus adduntur pœnæ contra Appellantem delinquentem circà aliquam illarum obligationum, nimirùm condemnatio in expensis, & confirmatio Sententiæ, eo non audito. Appellantis ac Appellati jura, ut & officia, simili modo tractantur; imprimis in Appellato jus prævertendi Appellantem, quo citiùs lites finiantur, & Partes redeant ad Ecclesias suas, munera sua obituræ; & in Appellante jus renunciandi Appellationi invito Appellato, refusis expensis; ex quo infertur in Appellato jus renunciandi Sententiæ, quia cuique licitum est Juri suo renunciare. Pariter probatur quod desertâ semel Appellatione, neutri Parti, etiam alterâ consentiente, fas est illam prosequi.

Idem dicendum de Juribus & Officiis Judicis Appellationis: Singula, prout necessarium est, expenduntur, servato debito ordine à primo gradatim ad alia transeundo; nempè 1o. Quod sibi constare debeat causam ad se devolutam, de quo certior factus inhibere possit Judici à quo ne procedat, & si quid posteà iste egerit, irritum denunciare; quodque vi Appellationis, Jurisdictione acquisitâ uti non possit, nisi inter Appellantem & Appellatum. 2o. In Appellatione à definitivâ debeat reformare innovata inter Sententiam & Appellationem, necnon & attentata post illam, reducendo statim ad eum statum in quo erant tempore Appellationis. 3o. Appellanti restituere possessionem adjudicatam Parti post Appellationem. 4o. Admittere Appellationem in minimis causis, ut in aliis, eâque admissâ, non debeat causam Appellationis committere Judici à quo, nisi Partes consentiant. 5o. In Appellatione ab Interlocutoria examinare, an vera sit causa, ad quod requiritur, ut sit gravamen aliquod, vel injusta condemnatio. 6o. In utraque possit emendare gravamina illata. 7o. Sententiam irritare ob non servatum ordinem judiciarium. 8o. Infirmare vel confirmare Sententiam debeat, vel in toto, vel in partibus, prout par est. 9o. Condemnare in expensis justè Appellatum, vel injustè Appellantem.

SECTIO XXVII.

An aliquod sit in Jure Canonico remedium peculiare, contra tertiam Sententiam duabus præcedentibus conformem, quo possit reformari? Quæstio nova pro & contrà agitata.

Pro negativâ hæc inter alia dici possunt.

De propositâ Quæstione nulla mentio in Jure, nec tacita, nec expressa; nullus enim est Textus qui de hoc remedio expressè loquatur, nullus quoque ex quo illius decisio erui possit; imò extant nonnulli ex quibus inferre licet hujusmodi remedium ab Ecclesiâ non probari. Talis est *Cap.* 65. *De Appellatione*, quo declaratur, Jure Canonico, ut & Jure Civili, non admitti ultrà duas Appellationes, & si quod esset tale remedium, vim tertiæ Appellationis haberet, undè jus ipsum sibi non constaret, cùm quod prohiberet fieri per viam Appellationis, per aliam permitteret, quod omninò adversatur *Regulæ* 84. *Cùm quid una viâ prohibetur alicui, ad id aliâ non debet admitti;* cujus ratio evidens, nempè, quod legi prohibenti hinc fieret fraus, quod profectò non licet.

Præterea in *Concordato* inter LEON. X. & FRANCISC. I. à *Conc.* LATER. V. approbato, extat DECRET. *Titul, De Causis.* §. *ult.* quod expressè vetat ne appelletur à tertiâ Sententia duobus præcedentibus conformi; istudque est in viridi observantia, nec illi minùs convenit. quod observatum est circà *Cap.* 65. *De Appellat.*

Hinc est quod HENRICUS CANISIUS Juris Canonici peritissimus in *Summa* LIB. IV. *Tit.* 16. loquens de remediis extraordinariis contrà Sententiam, ne verbum

bum habet de remedio peculiari contra illam de quâ hic agitur; tria enim remedia extraordinaria quæ memorat, non sunt peculiaria contra hujusmodi Sententiam, sed communia, nedùm aliis Sententiis, sed & Contractibus; sunt autem Restitutio in integrum, Supplicatio ad Principem, & Syndicatus. De præfatâ restitutione patet ex dictis de illâ dùm de Contractibus quibus illam junximus, quia frequentiùs illos respicit, quàm Sententias; quibus dictis addere est hujusmodi remedium generale esse contra læsionem undequaque provenientem, tàm ex Sententiis Appellationi obnoxiis, quàm ex impedimentis quibus remedia ordinaria præcluduntur, ut fusè ibidem ostensum est.

Quoad Supplicationes ad Principem, pro revisione Sententiarum Supremæ Autoritatis, magnum silentium in Jure Canonico; undè idem Canisius nullum memorat illius Textum qui de illâ loquatur, prout spectare potest Judices Ecclesiasticos; sed omnes quos laudat, ad Jus Civile pertinent, quo illa inducta est ac probata, atque de solis Judiciis Sæcularibus meminerunt.

Idem dic de remedio Syndicatûs quod adversùs ipsos Judices instituitur, qui corrupti pretio, vel gratiâ, malè judicarunt, qui idcircò ad Syndicatum, id est, causæ dictionem, ab iis quibus nocivum est, revocantur, & convicti ad litis æstimationem, læsæ Parti condemnantur; præterea illud remedium tàm Sententias Appellationi obnoxias, quàm alias spectat.

Pro Sententiâ Affirmativâ hæc dici possunt.

Ecclesiastica Sententia, duabus præcedentibus conformis, habetur pro judicio Supremæ Autoritatis, contrà quod nulla datur Appellatio, ideòque illi conveniunt quæ peculiaria sunt aliis Supremis Judiciis; itaque cùm supplicatio ad Principem sit peculiare remedium contra Judicia Suprema, prædictæ Sententiæ hujusmodi remedium convenire debet, proindèque cùm Summus Pontifex sit in Spiritualibus Princeps Supremus, supplicatione ad illum hanc Sententiam reformari posse necessè est. Hoc innixum fundamento *Concil.* Sardicense *ann.* 347. permittere æquum duxit *Cap.* 4. & 7. ut contrà Sententias Conciliorum Particularium, in Episcopos, quæ tunc temporis Supremæ Autoritatis erant, impetrarentur à Summo Pontifice Rescripta, vi quorum illæ retractarentur, sive, ut ferunt citati Canones, judicium renovaretur; quæ renovatio fiebat ab iisdem Judicibus, junctis Episcopis vicinæ Provinciæ, vel Legatis à latere Pontificis, prout isti conducibilius videbatur. Quod dictum est de Supremâ illorum Conciliorum authoritate quoad judicia contrà Episcopos accusatos, patet ex *Can.* 15. *Concil.* Antiocheni, cujus hæc sunt verba; *Si quis Episcopus aliquorum criminum accusatus, fuerit ab omnibus Provinciæ Episcopis condemnatus, & omnes unam consentientem adversùs eum Sententiam tulerint, is ne ampliùs ab aliis judicetur, sed Provinciæ Episcoporum firma maneat Sententia.* Hoc Concilium celebratum est *ann.* 341. sex annis antè *Concilium* Sardicense, quod primum introduxit remedium supplicationis ad Papam, duplici ratione, nempè 1°. Ut honoraretur memoria S. Petri, 2o. Ne si quis Episcopus, conspiratione aliorum contrà illum, injustè condemnaretur, absque auxilio remaneret condemnatus.

Hunc ad Pontificem recursum, supplicationis remedium vocamus, his freti verbis *Can.* 7. *Quod si quis rogat causam suam iterùm audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum &c.* Sic vertit Dionisius *Exiguus*, nec non Isidorus Mercator. Simile quid habemus in versione Gentiani Herveti, *Si quis autem postulet suum negotium iterùm audiri, & ad suam supplicationem Romanorum Episcopum moverit.* Non obstat quod in 4. Canone nulla fiat mentio supplicationis, sed dicatur à Judicibus scribendum Summo Pontifici, quia agitur ibi de alio casu, in quo Judices necessarium ducebant consulendum Pontificem, quàm illo de quo in *Can.* 7. qui de judicio depositionis loquitur, quod *Concilium* Antiochenum firmum manere debere & irreformabile esse præceperat, si unanime fuisset.

Sed hæc ratio non probat extare nunc remedium peculiare, quoad Judicia Ecclesiastica Supremæ Autoritatis, sed extitisse ac etiam respexisse depositionem Episcoporum, à Conciliis particularibus factam, cujus nunc Supremum Judicium Summo Pontifici reservatur, etiam in Galliâ, post examinatam causam à Concilio Provinciali, *ac* ab illo decisam.

Aliæ rationes quæ adduci possent pro Sententiâ affirmativâ, benè perpensæ adeò videntur debiles, ut illas supprimere cogamur; undè finiendum propositæ Quæstionis Examen, unâ pro Gallia Observatione, nempè quod si quis occurrat abusus in Sententiâ duabus præcedentibus conformi, ut fieret, si Ordinationes Regiæ ad unguem servatæ non essent, Appellationi dictæ tamquàm ab abusu subjiceretur, cùm nedùm par, sed eò major instet obligatio illas servandi in hujusmodi judicio, quò majoris sit momenti quàm alia judicia inferiora. Sed hoc remedium peculiare non est Sententiæ de qua agitur.

Huic Observationi alia addenda, quod in Galliâ exemplum extet supplicationis ad Papam, ut ad Regem, contrà nonnulla Suprema Judicia Ecclesiastica, quæ exaudita est ab utroque. Acta ad hoc pertinentia referuntur in Nova Editione Actorum Cleri Franciæ Tom. II. *Cap.* 6. ex quibus patet vi supplicationis illius, aut potiùs ex bono ejus exitu revisum esse judicium depositionis prolatum à 4. Commissariis per 7. novos alios à quibus restitutus est Episcopus; cùm autem Sententia, de quâ hìc agitur, sit quoddam Supremi Judicii genus, ex relato exemplo inferre licet, simili supplicationi locum esse posse contrà hujusmodi Sententiam, cùm in aliis casibus par vel similis ratio occurrere possit. Huic ergo Observationi standum, cùm congruentius nihil videatur.

SECTIO XXVIII.

Communia circà Appellationes.

I. Intimari debere Appellationem Appellato, vel ejus Procuratori, aut in loco publico, ut ea effectum sortiatur.

Appellatio debet intimari Appellato ignoranti. *Glossa.* Nunc etiam scienti.

II. Causa censetur devoluta per Appellationem, cùm fuerit Appellatio intimata seu notificata personæ Appellati, aut Procuratoris ejusdem, dato libello sub scripturâ authenticâ.

III. Quod si Appellatus aut ejus Procurator inveniri non possit, faciat Appellans publicari Appellationem suam in domo, in quâ ipse Appellatus consuevit communiter habitare; aliàs in Ecclesia vel Beneficio, si agatur de causa Beneficiali.

IV. Si propter Appellati potentiam, non sit qui audeat publicare, sufficit ut fiat intimatio in loco aliquo publico.

Istum modum intimandi vult observari in aliis actibus, in quibus exigitur intimatio facienda.

V. Appellat qui recedit à Judice. Protestatio æquivalet Appellationi, ubi justus est metus. Si Appellatio per malitiam non fuerit recepta, modò sit valida, nihilominus tenebit. Uno appellante, cæteri quibus est causa communis, censentur appellare.

Recedens à Judice appellando videtur nolle coram illo Judice dictare. *Glossa.*

VI. Si forsitan interposita provocatio malitiosè recepta vel approbata non fuerit, cùm constiterit legitimè provocatum, nihilominùs eam vigorem volumus obtinere. *De Appellat.* Cap. *Sæpè. §.* 1. *init.* Lib. I,I. *Tit.* 28. Cap. 44.

VII. Cùm per Interlocutoriam repulsa est exceptio peremptoria, nec tamen appellatur, licet post definitivam

definitivam, à qua appellatur, eamdem exceptionem coram Judice Appellationis proponere; secus de exceptione dilatoria.

VIII. Licet ab Interlocutoria, per quam principali negotio præjudicans, vel Judicium nullum reddens, exceptio est repulsa, non fuerit appellatum; si tamen à definitivâ quæ postmodum promulgatur, appellari contingat; potest in Appellationis causa ipsum gravamen per Interlocutoriam eamdem illatum licitè per Appellationis Judicem emendari. *In 6. De Appellat.* Cap. *Licet. init.* Lib. II. Tit. 15. *Cap.* 12. *ult.*

IX. Ubi verò Interlocutoria super eo profertur quod non parat præjudicium negotio principali, vel judicium nullum reddit, nisi fuerit appellatum ab ipsâ, per Appellationem à definitivâ posteà interjectam, gravamen illatum nequaquam poterit revocari. *Ib. fin.*

X. Plures sunt causæ ob quas appellare liceat. Citatur ex Fabiano *ann.* 252. Antè Sententiam licet appellare.

Ubicumque videt aliquis sibi præjudicium generari, potest appellare. Si ante definitivam Sententiam, à Judice quis appellando recedat, & Judex suæ Appellationi non deferens, eo citato vel etiam non citato, ulterius in causa non procedat contrà ipsum, etiam absentem, Sententiam definitivam promulget; poterit idem Appellans à dictâ Sententia intrà debitum tempus appellare, nisi ejus prima Appellatio esset frivola manifestè. *Clem. unic. De dolo & contum.* Lib. II. Clem. *Tit.* 4. *Cap. unico.*

Appellans ante Sententiam definitivam à Judice & recedens, etiamsi eo citato contra eum feratur definitiva Sententia, potest à dictâ Sententia appellare, intra tempus debitum, nisi ejus prima Appellatio esset frivola manifestè, quia si prima Appellatio interposita ab Interlocutoria esset frivola, tunc ipse non posset ampliùs appellare à definitivâ Sententia. *Glossa.*

Quando non auditur Appellans, Vide in *Appendice Concil.* Later. *Part.* X. *post Cap. ult.* ubi Indicem habes eorum quibus inhibetur Appellatio; quindecim sunt genera hujusmodi personarum: Hic Index nullam affinitatem peculiarem habet cum *Cap. ult.* sed multam cum Titulo hujus partis, qui est *De Appellationib.* Utilia continet, sed utiliter fuisset, si cuique casui memorato subjuncti fuissent Textus, si non omnes, saltem præcipuè ex quibus sunt desumpti, ab Autore hujus Collectionis excogitati.

PARS SECUNDA.

De Ordine Judiciario in Causis Criminalibus observari solito, sive Jure Communi, sive Jure Ecclesiæ Gallicanæ.

TITULUS I.

De foro quem sortiuntur Clerici ratione delictorum.

SECTIO I.

Regula generalis est, ibi agendam causam ubi crimen admissum est.

I. Ubi causa agatur, ubi crimen admittitur. Caus. III. Quæst. VI. *Cap.* 18. *Qui crimen. fin. Ex Decreto* Hadriani *in Capitular.* Cap. 52. *ann.* 785.

Presbyteros Canonicè degradatos *Conc.* Cabill. II. *ann.* 813. *Can.* 40. Tom. VII. Conc. *pag.* 1281. Ex illa voce, *Canonicè*, colligere est illos Presbyteros ab Ordinario locorum judicatos.

Criminum discussio ibi agenda est ubi crimen admissum est. Caus. III. Quæst. IX. *Cap.* 7. *Nec extra.* Damasus *ann.* 402. *Codice. Ubi de Criminibus. Lege* 1.

II. Ratione delicti forum regulariter quis sortitur. *De Foro Competenti.* Cap. *Licet. fin. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 2. *Cap.* 20.

Ratione delicti efficitur quis de Jurisdictione alterius. *Glossa*, verbo, *Ratione delicti.*

III. Placuit pro communi utilitate, & instante necessitate, ut nullus Episcoporum graviter ferat, si ejus Parochianum, pro deprædationis causa, alter Episcopus excommunicaverit. Caus. VI. Quæst. III. *Cap.* 4. *Placuit.* In eo bonum commune privato præfertur, juxta *Cap.* 3. *De Postulat.*

In Concilio apud Compendium *Cap.* 5. fortè circa *ann.* 757. Tom. VI. Conc. *pag.* 1694. Nihil legitur in hoc Conc. quod ad rem faciat.

IV. De illis qui de loco ad locum iter faciunt, & ibi rapinas & deprædationes peragunt; placuit ut ab illins loci Prælato excommunicentur. *De Raptoribus.* Cap. *De illis. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 17. *Cap.* 1.

Ex Concil. Meldensi *Cap.* 2. Ibi Crimen puniri debet, ubi quis deliquit. *Glossa.*

Punitio criminis intrà districtum Imperialem commissi, ad Imperatorem pertinet, si in eodem districtu fuit inventus delinquens, vel ad illum de more remissus. Clem. II. *Pastoralis. De Sententia.* Lib. II. Clem. *Tit.* 11. *Cap.* 2. *§.* 8. *Quod si.*

V. Sacerdos habens Ecclesiam in unâ Diœcesi, & residens in eadem, domicilium verò patrimonii ratione in alia, ibi delinquens; per Episcopum in cujus Diœcesi deliquit, pro delicto ibidem commisso debet judicari. *De Foro Competenti.* Cap. *Postulasti.* Lib. II. Decr. *Tit.* 2. *Cap* 14.

Ratione delicti efficitur quis de foro alterius. *Glossa.* Illorum Textuum ratio est, quod crimen faciliùs & certiùs probatur, ubi est commissum. In Gallia servatur *Ord.* 1670. *Tit.* 1. *Art.* 1.

SECTIO II.

Clerici pro vulgaribus Criminibus, non ad Laicum, sed ad Ecclesiasticum Judicem trahi debent.

I. Solus Episcopus cognoscit de criminibus in Diœcesi suâ commissis de Jure Communi, nisi consuetudo vel privilegium sit in contrarium. *Glossa. Ex Conc.* Agathensi *Cap.* 32. *ann.* 506. *in Decreto* Clotarii *I.* Vide differentiam Tom. V. Conc. *pag.* 1654.

Vide *Conc.* Cartagin. III. *ann.* 390. *Can.* 9. Tom. II. Conc. *pag.* 1169.

II. Sicut Clerici à viris Secularibus vitâ & habitu distinguuntur; ita & judicia Clericorum à Laicorum judiciis diversâ penitùs comprobantur. Alexand. III. *Epist.* 10. Tom. I. Conc. *p.* 1196.

III. Ut nullus Judicum neque Presbyterum, neque Diaconum vel Clericum ullum, aut juniores Ecclesiæ, sine scientia Pontificis per se distringat, aut damnare præsumat. Caus. XI. Quæst. *Cap.* 1. *Nullus.* & Lib. II. Decr. *Tit.* 2. *De Foro Competenti.* Cap. 1. *Nullus.* Ex *Concil.* Paris. V. *ann.* 615. *Canone* 4. Tom. V. Conc. *p.* 1650.

Clericus de omni crimine coràm Judice Ecclesiastico debet conveniri. *Glossa.*

IV. In Sacris Canonibus generaliter traditur, ut de omni crimine Clericus debeat coràm Ecclesiastico Judice conveniri. *De Judiciis.* Cap. *Clerici.* Lib. II. Decr *Tit.* 1. *Cap.* 8.

V. Clerici in quocumque crimine, & quocumque ordine deprehensi fuerint, à suo Judice sunt condemnandi. *Glossa. Ex Conc.* Cartag. III. *Cap.* 9. *ann.* 397.

VI. In Clericorum causa, hujusmodi forma servetur, ne quemquam eorum sententia à non suo Judice dicta constringat. *Ibid.* Caus. II. Quæst. I. *Cap.* 49. *In Cle-*

In Clericorum. Ibid. ann. 785. *Idem Cap.* 40. TOM. VI. CONC. *pag.* 1835.

VII. Pulsatus ante suum Judicem causam dicat, & antè non suum Judicem pulsatus, si voluerit, taceat. CAUS. III. QUÆST. VI. *Cap.* 3. *Pulsatus.* FABIANUS *Epist* 2.

VIII. A Sæculari potestate nec ligari, nec solvi Sacerdotem posse, manifestum est. NICOL. I. *Epist.* 10. TOM. VIII. CONC. *p.* 363. Indignum est ut Sacerdotium Senatus præjudicet, cùm pateat populum sequendum non esse, sed docendum. *Conc.* ROM. *sub* JOANNE IX. *ann.* 904. Cap. 2. TOM. IX. CONC. *p.* 503.

IX. Cuncta Ecclesiastica Officia in statûs sui dignitate consistere volumus, & nullum Clericorum pro cujusquam peccati culpâ, vel officii sui aliquâ in Deum offensâ, in Judicio Laïcorum à modo esse permittimus, sed modis omnibus in perpetuum prohibemus. *Constitutiones* ALEXANDRI II. *anno circ.* 1062. TOM. IX. CONC. *p.* 1120. *fin*

Canones à Jurisdictione Sæculari Clericos delinquentes eximere non potuerunt sine autoritate Principis, à quo emanat illa quæ in omnes illius subditos Jure Communi extenditur.

Quod hac de re in Gallia servatur, habetur in *Edicto* 1695. *Art.* 38.

SECTIO III.

Certa esse crimina tàm atrocia, quæ si à Clericis committantur, à solis Judicibus Laicis puniri debent.

I. Si fortè, sicut de talibus scriptum est, *Peccator cùm venerit in profundum malorum contemnit*; ita obstinati & contumaces extiterint, ut doceri non velint; eos necesse est, ne aliorum perditio esse possint, secundùm Canones, per Seculares comprimi Potestates. DIST. XVII. Cap. 4. *Nec licuit. fin.* PELAGIUS I. VALERIANO *Patricio circa annum* 557.

II. Sunt quædam enormia flagitia quæ potiùs per mundi Judices, quàm per Antistites & Rectores Ecclesiarum vindicantur, sicut cùm quis interficit Episcopum, Presbyterum, & Diaconum; hujusmodi Reos, Reges & Principes mundi damnant. CAUS. XXIII. QUÆST. V. Cap. 39. *Sunt quadam.*

III. Clericum convictum vel confessum de crimine coràm Judice Seculari, ex eo non punit Episcopus. *Summa.* Vid. *Can.* 45. CAUS. XI. QUÆST. I. ubi JUSTINIANUS definit quæ sint Partes Judicis Sæcularis, & quæ Judicis Ecclesiastici circà crimina Clericorum.

SECTIO IV.

Est crimen merè Ecclesiasticum, cujus cognitio ad solum Judicem Ecclesiasticum ita pertinet, ut si Clericus illum voluerit detrectare, puniatur.

I. Si crimen Ecclesiasticum est, tunc, secundùm Canones, ab Episcòpo suo, causæ examinatio & pœnà procedat, nullam communicationem aliis Judicibus, in hujusmodi causis, habentibus. CAUS. XI. QUÆST. I. Cap. 45. *Si quis cum Clerico. §. 2. fin. Ex Novella* 83. JUSTINIANI. *ann.* 550. Non à Legibus publicis, non à Potestatibus seculi, sed à Pontificibus & Sacerdotibus, Omnipotens Deus Christianæ Religionis Clericos & Sacerdotes voluit ordinari, & discuti, recipique de errore remeantes. DIST. XCVI Cap. 11. *Si Imperator. fin. Ex* JOANNE VIII. *anno circ.* 873.

II. Clericus si crimine pulsatus fuerit, non alibi quàm in foro suo provocatus audiatur. CAUS. XI. QUÆST. I. Cap. 48. *Clericus.* ADRIANUS I. Cap. 35. *circa annum* 785.

III. Constat eum qui Cælestem militem pulsat, nonnisi ejus forum debere sectari. *Ib.* Cap. 12. *Christianis. med.* GELASIUS *Papa* EZECHIÆ *seu* ZEIÆ *Comiti. ann.* 494.

IV. Nullus audeat criminale negotium, in Seculari Judicio, adversùs Clericum proponere. *Ibid.* Cap. 47. *fin. Clericum. Ex Conc.* AGATHENSI. Cap. 32. *ann.* 506.

Si Presbyter in criminali opere fuerit deprehensus, ad Episcopum suum ducatur, & secundùm Canonicam institutionem constringatur. *Conc.* FRANCOFORDIEN *ann.* 797. *Can.* 39. TOM. VII. CONC. *p.* 1061.

V. Placuit ut quisque Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum seu Clericorum, cùm in Ecclesia ei crimen intentàtum fuerit, si derelicto Ecclesiastico Judicio, publicis Judiciis purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata Sententia, locum suum amittat; & hoc in criminali actione. CAUS. XI. QUÆST. I. Cap. 43. *Placuit. init.*

VI. Hoc jus in CARTHAGINENSI *Concilio* est specialiter promulgatum, ut tàm Episcopi quàm Diaconi, seu quilibet Clerici in criminali negotio, si derelicto Ecclesiastico judicio, publicis judiciis se purgare voluerint, etiamsi pro eis sit lata Sententia, locum suum amittant, & hoc in criminali actione. *De foro competent.* Cap *Si diligenter. §.* 2. LIB. II. DECR. *Tit.* 2. Cap. 12. *Ex Conc.* CARTAGIN. III. Cap. 9. *ann.* 397. Vide *Conc* VERNENSE. *ann.* 755. *Can.* 18. TOM. VI. CONC. *p.* 1669.

Hi quibus tantùm humanis rebus, & non Divinis, præesse permissum est, quomodò de his, per quos Divina ministrantur, judicare præsumant, penitùs ignoramus. DIST. XCVI. Cap. 5. *Denique.*

Restringendum hoc ratiocinium ad Judicium res Divinas quoquomodo spectans, aliàs falsum censeretur. Idem dicendum de Canonibus hic collectis, qui excederent potestatem ac Ecclesiæ mentem, nisi restringerentur ad crimina merè Ecclesiastica.

SECTIO V.

Sunt quadam crimina ordinaria, quorum cognitio ita pertinet ad Judicem Ecclesiasticum, ut non possint sine eo judicari; possunt tamen etiam à Judice Seculari examinari, quamvis necessarium absolutè non sit illa crimina ad ejus judicium remittere.

I. Si Clericus in quocumque Ordine constitutus, in furto vel homicidio, vel perjurio, seu alio crimine fuerit deprehensus, legitimè atque convictus, ab Ecclesiastico Judice deponendus est. *De Judiciis.* Cap. *Cùm non ab homine. med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 10. Cap. 10.

Crimen hæresis, Simoniæ, perjurii, & adulterii, hæc pertinent ad Ecclesiam, & consimilia. *Glossa*; verbo, *Malefactorem, ad* Cap. *Cùm sit. De foro compet.* LIB. II. DECR. *Tit.* 2. Cap. 8. *Ex Novella* 83. JUSTINIANI.

II. Si cum Clerico de Criminali Causa litigium emerserit, tunc competentes Judices in Civitate vel in Provinciis interpellati, consentaneum legibus terminum causæ imponant. Non aliter autem puniatur Clericus, nisi obnoxius repertus, Sacerdotio nudatus fuerit ab Episcopo suo, vel Clericatûs honore. CAUS. XI. QUÆST. I. Cap. 45. *Si quis cum Clerico. §.* 1. & 2.

Cùm Presbyter super incestûs crimine fuit publicè infamatus, Episcopus Ordinarius Judex. *De Purgat. Can* Cap. *Cùm Dilectus.* LIB. V. DECR. *Tit.* 34. Cap. 15.

III. Si Clerici coram Sæculari Judice convicti fuerint, vel confessi de crimine, non sunt propter hoc à suo Episcopo aliquatenùs condemnandi. *De Judiciis.* Cap. *Etsi Clerici. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 1. Cap. 4.

IV. Pro eo quod Sacerdos qui armis acceptis seditionem fecit & guerram, à Comite jussus est fustigari, & posteà ejus mandato traditus patibulo expiravit; non videtur quod interfectores ejus propter hoc, ad obtinendam absolutionem, Apostolicam Sedem adire cogantur *De Sent. Excom.* Cap. *Perpendimus.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 23.

Clericus immiscendo se enormitatibus, Privilegium amitit. *Glossa*, verbo, *Cogantur.*

Canones tribuentes Judici Ecclesiastico judicium Clericorum delinquentium, intelligendi sunt de illo quo Pœnitentiæ pœnæve Ecclesiasticæ imponantur, quæ cùm non sufficiant ad punitionem debitam criminum

Capita-

Capitalium, necesse est illa dimitti vindicanda Judici Sæculari, ut tranquillitas publica conservari possit.

SECTIO VI.

Quæ crimina coràm Ecclesiastico vel Sæculari Judice examinari possint?

I. Vir accusare potest uxorem de crimine adulterii coram Judice Ecclesiastico, ut ab ejus cohabitatione discedat; & hujusmodi Accusatio, etsi de crimine fiat, non est tamen Criminalis, sed quasi mixta inter Civilem & Criminalem. *Cap. mox citando.*

II. Vir accusat uxorem de crimine adulterii coram Judice Sæculari, ad pœnam legitimam inferendam. *De Procurator.* Cap. *Tua.* *§. 1. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 38. *Cap.* 3. INNOC. III. hic agnoscit punitionem adulterii ad forum Sæculare pertinere.

III. Omnes & quoscumque Presbyteros, & alios Clericos, Sæculares & Regulares, cujuscumque gradûs & dignitatis, horrendum illud scelus, quod contrà naturam est, & quo pollutæ fœdatæque Civitates à tremendo Dei judicio conflagrarunt, exercentes; omni privilegio Clericali, omnique Officio, Dignitate, & Beneficio Ecclesiastico privantur; itaque per Judicem Ecclesiasticum degradati Potestati statim Sæculari tradantur, qui de eis illud idem capiat supplicium; quod in Laïcos hoc in exitio devolutos legitimis reperitur Sanctionibus constitutum. *Bulla 72. Piis horrendum. §.3. an.1568. Bullar. Tom. II. p. 267.* Par ratio poscit ut in quovis crimine enormi, simili potestate Judex Sæcularis contrà Clericos illius conscios potiatur.

IV. Prætereà Clerici, qui relicto Ordine Clericali, & habitu suo, in Apostasiam lapsi, tanquam Laïci conversantur, si in criminibus comprehensi teneantur, per Ecclesiasticas Censuras non præcipimus liberari. *Cap.* 1. *De Apostatis.*

SECTIO VII.

I. *In dubio an Clericus sit malefactor, judicat Ecclesiasticus Judex.* II. *Si notorium sit quod sit Clericus, Curia Ecclesiastica debet reddi.* III. *Idem est si deprehensus fuit in habitu Clericali.* IV. *E contrà si pro Laïco publicè se gerebat, antequàm caperetur.* V. *Interim suspendi debet processus Laïci Judicis.*

I. Si Judex Laïcus malefactorem captum detineat, & is se Clericum dicens, ad Curiam Ecclesiasticam petat remitti, vel Curia ipsa eum tanquàm suum Clericum repetat, Judice illum inficiante Clericum, ac ob hoc minimè remittendum; dubitationis hujusmodi, an scilicet sit qui repetitur Clericus, ad Judicem Ecclesiasticum, quia agitur de re Ecclesiastica & spirituali, vocato tamen Judice Sæculari, vel alio cujus interest, cognitio pertinebit. *In 6. De Sent. Excomm.* Cap. *Si Judex. init.* LIB. V. *Tit.* 11. *Cap.* 12. Videtur quod si captus nullum in se habeat Clericale signum, haberi debeat Laïcus, donec se Clericum probet, eique detento terminus præfigendus intrà quem id probet. Si malefactor captus à Judice Laïco dicit se Clericum, hujus rei cognitio ad Judicem Ecclesiasticum spectat. *Glossa*, verbo, *Sed Judex.*

II. Si notorium fuerit quod idem malefactor sit Clericus, qui hujusmodi privilegio gaudere debeat, statim absque aliâ cognitione vel famâ publicâ de hoc constiterit, aut ipse pro Clerico communiter habeatur; incontinenti, etiam ante cognitionem de Clericatu, Ecclesiasticæ Curiæ debet reddi. *Ibid.*

Si notorie, vel publicâ famâ, vel communi æstimatione, habetur pro Clerico, statim fit remissio. *Ibid.*

III. Idem esse censemus, si Reus ipse antè deprehensionem pro Laïco publicè se gerens, deprehensus fuit in habitu Clericali, tonsuram videlicet & vestes deferens Clericales; nam talem debemus Clericum, donec constet de contrario, reputare. *Ibid.*

Idem, si priùs se gerebat pro Clerico, & modò deprehensus fuit in habitu Clericali. *Ibid.*

IV. Is status alicujus esse videtur, in quo ipse deprehenditur, donec contrarium doceatur. *Ibid.*

V. Si antè deprehensionem, pro Laïco publicè se gerebat, ac pro tali communiter habebatur; quamvis deprehensionis tempore repertus fuerit in habitu Clericali, restituendus non est, quousque fidem de Titulo fecerit Clericali, cujus eidem probationis onus incumbat, propter præsumptionem quæ adversùs ipsum orta est ex delatione Laïcalis habitûs præcedenti. *Ibid. fin.*

Si autem priùs se gerebat pro Laïco, licet modò in Clericali habitu deprehensus fuerit, non fiet remissio, donec fuerit de Clericatu probatum. *Ibid.*

VI. Contrà eum interim quivis processus Judicia penitùs conquiescat. *Ibid. fin.*

Interim contrà eum Judex in nullo procedet. *Ibid.*

VII. Cùm nonnulli, quos nec habitus nec tonsura Clericos profitetur, deprehenduntur in aliquibus foris factis, ac resumunt tonsuram abjectam, seu habitum Clericalem, licet ante pro Laïcis ab omnibus haberentur, si Judex Laïcus suam Jurisdictionem exerceat in hujusmodi delinquentes, qui sine tonsurâ & habitu in delicto fuerint deprehensi, Ecclesia æquanimiter ducit tolerandum. *De Privilegiis.* Cap. *Ex parte.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 27.

Qui tonsurâ & habitu dimissis, in delictis deprehenduntur, amittunt privilegium Clericale, & possunt puniri sine pœnâ Excommunicationis. *Glossa.*

VIII. Statuimus ut quævis Persona Ecclesiastica quæ per assassinos interfici fecerit Christianum, Sententiam depositionis ab Ordine & Beneficio incurrat, & sit diffidatus. *Cap. 1. De Homicid. In 6.*

Ex collectis Textibus sequitur, quod Judex Sæcularis non teneatur remittere Clericum repertum in habitu Laïcali tempore capturæ, donec illi constiterit illum esse Clericum, nec Judex Ecclesiasticus remittere Laïcum deprehensum in habitu Clericali, tempore deprehensionis, donec probatum fuerit illum esse Laïcum. Ratio est, quod cùm habitus Clericalis sit insigne Statûs Ecclesiastici, & Laïcalis vestis insigne Statûs Laïcalis, justè præsumitur Clericus qui in habitu Clericali invenitur, & Laïcus qui in habitu Laïcali deprehenditur; hæc autem præsumptio non destruatur nisi probatione contrariâ.

SECTIO VIII.

Causæ Criminales ad solum Clericorum Episcopum deferri debent, nisi speciale sit Privilegium aut Consuetudo peculiaris.

I. Causæ Criminales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum Inferiorum judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantùm examini & Jurisdictioni relinquantur. *Conc.* TRIN. SESS. XXIV. *De Reformat.* Cap. 20. *med.*

Clericorum causas apud Provinciales & Metropolitanos ac Primates, & ventilare & justè finire licet. CAUS. III. QUÆST. VI. *Cap. 7. Quamvis. fin.* ELEUTERIUS.

Contumaces Clerici, prout dignitatis ordo permiserit, ab Episcopis corrigantur. *Concil.* AGATH. *ann. 506. Can. 2.* TOM. IV. CONC. *p.* 1383. DIST. XXX. Cap. *Contumaces.*

II. Legati etiam de latere, Nuntii, Gubernatores Ecclesiastici, aut alii, quarumcumque facultatum rigore, Episcopos in prædictis causis impedire, aut aliquomodo eorum Jurisdictionem iis præripere aut turbare non præsumant. SESS. XXIV. *Cap. 20. cit.*

III. Cùm aliqui Clerici deputati servitio Capituli Cathedralis, aut aliorum Clericorum Diœcesis, Episcopi super excessibus impetuntur; ad Episcopum, utpotè Ordinarium, debent conquerentes habere recursum, maximè si super his impetuntur quæ in ejus noscuntur Diœcesi commisisse. *Cap. 13. De Foro compet.*

Solus

Solus Episcopus cognoscit de criminibus in Diœcesi suâ commissis de Jure Communi, nisi Consuetudo vel privilegium sit in contrarium. *Glossa.*

IV. Cogendi non sunt coràm illis quibus serviunt, querelantibus respondere, cùm illi sibi Jurisdictionem hujusmodi vindicare contendant; licet illos 'escommuuicare non valeant, vel alias etiam coercete, nisi hi quibus delinquentes ipsi deserviunt ex indulgentiâ vel Consuetudine speciali Jurisdictionem hujusmodi valeant sibi viudicare. *Ibid.*

Quam exceptionem probare tenentur, cùm Ordinarius pro se habeat Jus Commune.

V. Non licere Clericis ad Sæculares Judices confugere. *Vide* Caus. XXI. Quæst. V.

VI. De Presbyteris, vobis qui Laici estis, nec judicandum est, nec de eorum vitâ quidpiam investigandum, sed Episcoporum judicio quidquid id est per omnia reservandum. Dist. XXVIII. Cap. 17. *Consulendum. fin.* Nicolaus I. *ad Consulta Bulgarorum*, Cap. 70. *anno* 866.

VII. Contumaces Clerici, prout dignitatis ordo permiserit, ab Episcopis corrigantur. Dist. L. Cap. 51. *Ex Conc.* Agathensi. Cap. 21. *ann.* 506. Dignitas, ut nobilitas, ac aliàs libertas, eximit à quodam pœnarum genere quo viles personæ plectuntur.

VIII. Episcopus in Clericis, si quid reperiri poterit pravitatis, ut in subditis, emendare, quod illicitè gestum fuerit, valet. Dist. LXXXIX. Cap. 5. *Indicatum est. fin.* Gregorius I. Lib. VII. *Epist. 66. Januario Caralitano, anno* 599.

Collecti Textus intelligendi de delictis Ecclesiasticis, quorum correctio ad Judices Ecclesiasticos, quos inter Episcopus solus Jure Communi judicat; cæteri Jure particulari.

SECTIO IX.

Sine Ordine Judiciario procedi non posse ad condemnationem Clericorum nocentium.

I. Si Sacerdos sciat pro certo aliquem esse reum criminis, vel si confessus fuerit, & emendare noluerit, nisi Judiciario Ordine quis probare possit, non debet eum arguere nominatim, sed indeterminatè, sicut dixit Christus, *Unus vestrûm me traditurus est. De Officio Judicii Ordinarii.* Cap. *Si Sacerdos. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 31. Cap. 2.

Providendum ne innocens damnetur. Caus. XI. Quæst. III. Cap 4.

Judex Ordinarius non debet aliquem arguere nominatim, nisi Ordine Judiciario crimen fuerit ei probatum. *Glossa.*

Nullum ante veram justamque probationem judicare præsumat. Caus. XXX. Quæst. III. Cap. 20. *Conc.* Tolet. XI. *anno* 675. Cap. 7. Tom. VI. Conc. *p.* 550.

II. Si ille cui damnum illatum est petierit justitiam, potest excommunicare autorem damni, licet etiam ei confessus sit, sed tamen non nominatim potest eum removere à communicatione, licet sciat eum esse reum, quia non ut Judex scit, sed ut Deus; sed debet eum admonere ne se ingerat, quia nec Christus Judam à communicatione removit. *Ibid.* Cap. 1. *De Off. Jud. Ord.*

Sacerdos potest excommunicare illum qui damnum dedit, hoc modo; Excommunico, quicumque fecerit tale factum; sed nomine proprio, non debet eum excommunicare. *Glossa. Ibid.* S. Augustinus *Homil.* 50.

Ante probationem accusationis illatæ, neminem à suâ communicatione suspendas; quia non statim qui accusatur reus est, sed qui convincitur criminosus. Caus. XV. Quæst. VIII. Cap. 5. *fin. Sciscitantibus.*

Canones collecti ac colligendi qui exigunt probationem criminis ad punitionem illius, loquuntur de probatione judiciaria.

III. Nos in quemquam Sententiam ferre non possumus, nisi aut convictum, aut spontè confessum. Caus. II. Quæst. I. *Cap.* 1. *Nos in quemquam.*

Constitutum est nullum Clericum, qui nondùm convictus sit, suspendi à communione debere, nisi ad causam suam examinandam se non præsentaverit. Caus. II. Quæst. I. Cap. 12. *Nomen. fin.* S. August. *in Epist.* 137.

IV. Judex criminosum discutiens non antè Sententiam proferat capitalem, quàm aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes testes convincatur. Caus. II. Quæst. I. Cap. 2. *Judex. Codex Theodosian* Lib. IX. *Tit.* 40. & in *Capit.* Hadriani. v. 57.

V. Sine judicio quemquam nolumus condemnari. Caus. II. Quæst. I. Cap. 3. *Sicut.* Gregorius I. Lib. VIII. *Epist.* 50. *ann.* 600.

VI. Nemo Episcopus, nemo Presbyter excommunicet aliquem, antequàm causa probetur, propter quam Ecclesiastici Canones hoc fieri jubent. Caus. II. Quæst. I. Cap. 11. *Nemo. init. Novella* 123. *Cap.* 16. Non debet pœnam is sustinere Canonicam, in cujus damnatione non est Canonica prolata Sententia. Caus. XI. Quæst. III. *Cap.* 64.

Canonica Sententia dicitur quoad formam, quæ servato Ordine Judiciario fertur; & quoad materiam, quæ ob crimen certum profertur.

Presbyter non debet sine causæ cognitione, aliquâ Sententiâ condemnari. *De Appell.* Cap. *Ad audientiam.* §. 1. Lib. II. Decr *Tit.* 28. Cap. 34.

Sine causæ cognitione, non debet aliquis condemnari, nisi in notoriis, ubi Ordo Juris non servatur. *Glossa.* Ex *Conc.* Parisiensi tempore Ludovici. *ann.* 829.

In notoriis necessaria est probatio notorietatis, ac Sententia illius declaratoria, saltem in Gallia.

VII. Placuit accusandi licentiam, etiam in Ordinis nostri, si qua existit, levitate, comprimere, ut se Episcopus, si quem judicat abstinendum, & pro humiliatione & correctione Fratris assurgit, exorari à cæteris acquiescat, Fratri de quo agitur, correctione & comminatione adhibitâ. *Conc.* Vasense II. *anni* 442. *Can.* 7. Tom. III. Conc. *p.* 1458. Si se tantùm Episcopus (*Ibid. Conc.* Tom. III. *Can.* 8.). alieni sceleris conscium novit, quandiù probare non potest, nihil proferat; sed cum ipso ad compunctionem ejus secretis correptionibus elaboret.

VIII. Nemo præpropere, vel præposterè, scilicet non commonitus, neque conventus, est judicandus. Caus. XXIV. Quæst. III. Cap. 6. *De illicita, med.*

IX. Multi Sacerdotum culpam zelo Dei se persequi profitentur; sed dùm indiscretè hoc agitur, Sacrilegii facinus incurrunt; & dùm præcipites quasi ad emendandum ruunt, ipsi quoque multò deteriùs cadunt. Caus. XXIV. Quæst. III. Cap. 5. *In perpetuum. post init.* Rabanus *De Ecclesiasticis pressuris.* Lib. I. *circâ annum* 847.

X. *Nonne de iis qui intùs sunt judicatis? Auferte malum à vobis ipsis*: Quibus verbis satis ostendit Apostolus non temerè aut quomodolibet, sed per judicium auferendos esse malos ab Ecclesiæ communione, ut si per judicium auferri non possint, tolerentur potiùs, ne perversè malos quisque evitando, ab Ecclesia ipse discedens, eos quos fugere videtur, vinciat ad gehennam. Caus. II. Quæst. I. Cap. 18. *Multi. med.*

S. Augustinus, *Hom.* 50. *De Pœnit.* nunc *Hom.* 365.

Ideò vocatur ad judicium certa quæcumque persona, ut aut fateatur objecta, aut ut convincatur objectis. Gelasius *relatus ab* Hincmaro *in* 1. *Schedula porrectâ Conc.* Suessioniensi III. *an.* 866. Tom. VIII. Conc. *p.* 820. *Conc.* Roman. *sub* Joanne IX. *ann.* 904. Cap. 1. Tom. IX. *Conc. pag.* 502. Ex hac Regula concludit

FORMOSUM post mortem vocari non potuisse ad judicium, proindéque ad id exhumandum non fuisse; undè quoties judicandus est mortuus reus, datur illi Procurator qui compareat & respondeat pro illo.

Collectæ Decisiones absolutè loquuntur de Judice Ecclesiastico, ideòque ad maximum ut ad minimum extenduntur. In Gallia servandus in eo foro ordo judiciarius in foro Ecclesiastico; idem est ac ille qui servandus est in foro Sæculari. *Ordin. ann.* 1667. *Tit.* 1. *Art.* 1, *Tit.* 6. *Art.* 4. *Ordin. ann.* 1670. *Tit.* 10. *Art.* 17.

TITULUS II.

Quibus modis deveniatur ad cognitionem criminum?

SECTIO I.

Quid crimen notorium, quid manifestum, quid publicum?

I. CRimen est peccatum grave, accusatione & damnatione dignissimum. DIST. LXXXVII. Cap. 1. *Apostolus.* §. 1.

II. Si quis sine crimine est, sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, sacrilegium, & cætera hujusmodi. DIST. LXXXI. Cap. 1. *Apostolus.* Alicujus excessus evidentiâ rei, vel ipsius confessione, aut alio modo legitimo est manifestus. *De Appell.* Cap. *Cùm speciali.* §. 1. *Porrò. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 61.

Istis tribus modis factum dicitur notorium. *Glossa*, verbo, *Confessione.*

III. Peccatum est notorium per Sententiam, seu per Confessionem factam in jure, aut per evidentiam rei quæ tergiversatione aliquâ celari non possit *De Cohabitat. Cleric.* Cap. *Quæsitum.* ult, *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 2. Cap. 10.

Notorium tribus modis dicitur, ut hîc patet. *Glossa.*

IV. Aliud est crimen notorium, aliud occultum. *De Cohab. Cler.* Cap. *Vestra.* §. 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 2. Cap. 7. Crimen notorium est quod non diffitetur jure Presbyter, vel de ipso est Canonicè condemnatus. *De Cohabit. Cler.* Cap. *Vestra.* §. 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 2. *Cap.* 7. Notorium aliud est Juris, aliud facti.

V. Notorium Juris definitur de quo Presbyter Canonicè condemnatur. *De Cohabit.* Cap. *Vestra.* §. 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 2. Cap. 7.

VI. Occultum crimen quod ab Ecclesia toleratur. *Ib.* Non dicitur occultum quod quasi prædicatur à multis, sed manifestum. *De Præsumpt.* Cap. 3. §. 1. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 23. Cap. 13.

VII. Aliquando crimen ita publicum est, ut meritò debeat appellari notorium, si publicum est ex evidentia. *De Cohabit.* Cap. *Tua nos.* §. 1. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 2. Cap. 8.

VIII. Aliquando crimen publicum est, non ex evidentiâ, sed ex fama. *Ibid. Epistola* PAULINI *Forojuliensis.* TOM. VII. CONC. *p.* 1064. Priùs causa criminis subtiliter in veritate est investiganda.

IX. Meritò debet appellari notorium facti, cùm hujusmodi crimen nullâ potest tergiversatione celari. *De Cohabit.* Cap. *Tua nos.* §. 1. LIB. III. DECR. *Tit.* 2. Cap. 8.

X. Offensam illam nos rescribimus intelligere manifestam, quæ vel per Confessionem, vel probationem legitime nota fuerit; aut evidentiâ rei quæ nullâ possit tergiversatione celari. *De Verbor. signif.* Cap. *Cùm olim.* §. 1. LIB. V. DECR. *Tit.* 40. Cap. 24.

XI. Dicitur quod crimen Presbyteri usque adeò publicum sit & notorium, quod nullus inficiationi locus penitùs extat, utpotè cujus vestræ viciniæ populus testis sit. *De Purgat. Canonicâ.* Cap. *Cùm Dilectis.* §. 2. *med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 34. Cap. 15.

In hac Sectione actum est de notorietate, publicitate & evidentiâ criminum, quia primus est modus deveniendi ad cognitionem criminum; actum quoque de significatione nominum istorum, *notorium, publicum, manifestum* seu *evidens*, & ostensum illa esse verè sinonima. Præcipua Quæstio circà notorietatem, spectat illam quæ est facti; hinc enim Ordo Judiciarius inventus est ad discutienda facta controversa; hinc autem si quæ sit notorietas, quæ eximat ab Ordine Judiciario, debet esse notorietas facti, cùm notorietas Juris proveniat ex formâ judiciariâ, nempè ex Confessione factâ in Jure, vel convictione quæ fit per probationes judiciarias.

Itaque vel frustrà dicitur in notoriis Ordo Judiciarius non servandus, vel illud intelligendum de notorietate facti; sed cùm multa videantur notoria, quæ non sunt, *Cap.* 13. 14. *De Appellat.* tutius est ut in notoriis semper aliquis Ordo Judiciarius observetur, ut fit in Gallia.

SECTIO II.

I. Cavendum ne dubia crimina pro notoriis habeantur. II. In notoriis & manifestis non servanda Ordinis Judiciarii subtilitas quoad Testes & Accusatores.

I. Cùm multa dicantur notoria quæ non sunt, providere debes ne quod dubium est, pro notorio videaris habere. *De Appell.* Cap. *Consulit.* §. 1. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 14.

Quantùm ad ferendam Sententiam necessaria examinatio, licet apertissima sit contrariorum reprehensio, verùmtamen oportet ab his, qui dati sunt ad eorum examinationem, ordinem servari. CAUS. XI. QUÆST. III. Cap. 76. *Eorum. fin.* DAMASUS *Papa Epist.* 6. *an.* 427. Manifestus error in hac Chronologia, cùm DAMASUS mortuus sit *ann.* 394. utpotè creatus *ann.* 367. & Pontifex nonnisi 17. annis extiterit.

II. Secundùm traditiones Canonicas, manifestâ accusatione non indigent; nec in eis est Ordo Judiciarius observandus, qui debet in aliis observari. *De Jurejurando.* Cap. *Ad nostram. post init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 14. Cap. 21.

In notoriis per omnia Ordo Judiciarius non est servandus. *Glossa.*

III. In manifestis & notoriis subtilitatem ordinis judiciarii non servari per omnia, ipsa juris ratio postulat & requirit. *Ibid.* §. 2.

In manifestis non est Ordo Judiciarius requirendus. *De Translat. Episc.* Cap. *Licet. med. in init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 7. Cap. 4. *Finali.*

IV. Si factum est notorium, non eget Testium depositionibus declarari; cùm talia probationem vel Ordinem Judiciarium non requirant. *De Testib. cogendis.* Cap. *Super eo. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 21. *Cap.* 3. Adde, nisi ad probandam notorietatem. S. AUGUSTINUS *super Genesim de morte Abel*; *imo Glossa Interlinearis.* S. AMBROSIO tribuitur *in Epistolam ad Corint.* *Ex* STEPHANO V. *Decisione sequenti*, STEPHANUS *Papa V.* LEONI *Episcopo Theanensi, circa annum* 885.

Nolumus ut causa in judicium deducatur, vel testes etiam admittantur, si hoc manifestum existat. *De Filiis Presb.* Cap. *Quoniam.* §. 1. *fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 17. Cap. 10.

V. De manifestâ & notâ pluribus causâ non sint quærendi testes. CAUS. II. QUÆST. I. Cap. *Licet de manifesta.* Nisi ad probandam notorietatem.

In manifestis & notoriis Ordo Judiciarius non est observandus. *Glossa*, verbo, *Manifestum.*

VI. Ex-

VI. Excessus notorius examinatione non indiget. *De Elect.* Cap. *Bona.* §. 13. *post init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 23.

Licet sint notoria quæ contrà aliquem fuerint objecta, tamen Judex ad majorem cautelam multos testes recipit. *De Elect.* Cap. *Bona.* §. 2. *init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 23.

VII. Si crimen ita publicum est ut meritò debeat appellari notorium; in eo casu nec testis nec accusator est necessarius, cùm hujusmodi crimen nulla possit tergiversatione celari. *De cohabit. Cler.* Cap. *Tua nos. init.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 2. Cap. 8.

In notoriis facti non est necessaria probatio. *Glossa.*

VIII. Notoria crimina quæ examinatione non egeant. *In* 6. *De Censibus.* Cap. *Romana.* §. 5. *fin.* Lib. III. *Tit.* 20. *Cap.* 1.

IX. Si crimen Presbyteri notorium existit, in eum condemnationis sententia promulganda. *De Purg. Canonicâ.* Cap. *Cùm Dilectis.* §. *fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 34. Cap. 15.

Cùm crimen notorium est, est condemnationis ferenda Sententia. *Glossa.*

Apud Gallos non recipitur Regula de qua in citatis Canonibus; necessaria est conditio Testium, & Partis publicæ requisitio.

Collectarum Decisionum Ratio generalis est, quod ea quæ verè notoria sunt, certa sunt quoque; ea verò quæ certa sunt & evidentia, probatione non indigent; sed cùm de verâ notorietate constare certò nequeat, sine probatione illius, æquum est ut hæc probatio admittatur, quâ completâ, notorietas per Judicem declaretur.

SECTIO III.

I. *Aliquandò crimen ex solâ famâ manifestum est.* II. *Id non sufficit ad condemnationem.* III. *Judex potest de illo ex officio inquirere.*

I. Aliquandò crimen non est manifestum, fama tamen loci hoc habet. *De Consanguinitate.* Cap. *Super eo.* §. 1. Lib. IV. Decr. *Tit.* 14. Cap. 2.

Sunt quos publicum & notorium est peccasse. *De Accusat.* Cap. *Insinuatum.* §. Lib. V. Decr. *Tit.* 1. Cap. 13. Sunt quorum crimen non est publicum & notorium, sed publica infamia. *Ibid.*

II. Aliquando crimen publicum est, non ex evidentiâ, sed ex famâ. *De Cohabit. Cler.* Cap. *Tua nos.* §. 1. *med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 2. Cap. 8.

III. Si aliquis non vult credere quod incerto auctore fama commendat, non repugnabo. *De consecratione.* Dist. IV. Cap. 36. *Sanctum est. fin.* S. Augustinus *ad Fortunatum*, circà ann. 392.

IV. Si quis Presbiter negligens vitæ suæ, pravis exemplis mala de se suspicari permiserit, & populus infamiam ejus patefecerit, certique accusatores criminis ejus defuerint; admoneatur primò seorsim ab Episcopo, deinde sub duobus, vel tribus testibus; & si non emendaverit, Episcopus eum publicâ increpatione admoneat. *De Purgat. Canon.* Cap. *Si quis. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 34. Cap. 2.

Judex compellere potest secundùm suæ discretionis arbitrium, ut contrà famam juramenta exhibeant. *De Sponf.* Cap. *Cùm in tua.* §. 1. *med.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. Cap. 27. Contra famam probationes admittuntur. *Glossa.*

V. Si verò nec sic se correxerit, ab Officio suspendatur usque ad condignam satisfactionem, ne populus fidelium in eo scandalum patiatur. *Ibid. fin.*

VI. Quæsivisti utrùm aliquis super hoc crimine reputari debeat infamatus, de quo ipsum duo vel tres vel etiam plures dixerint infamatum; licet de ipso nihil sinistri in publico audiatur, ad quod est nostra Responsio: Quod Judex propter dicta paucorum, eum infamatum reputare non debet, cujus apud bonos & graves læsa opinio non existit. *De Accusat.* Cap. *Inquisitionis.* §. *ult.* Lib. V. Decr. *Tit.* 1. Cap. 21.

Dicta paucorum non infamant, sive non inducunt famam. *Glossa*, verbo, *Dicta Paucorum.*

VII. Ut, si rei poposcerit qualitas, Canonica districtio culpam feriat delinquentis, non tanquam idem sit accusator, & Judex, sed quasi denuntiante famâ, vel deferente clamore, officii sui debitum exequatur. *De Accusat.* Cap. *Qualiter. Glossa* 2. *med.* Lib. V. Decr. *Tit.* 1. Cap. 24.

VIII. De Clericis publicè concubinas habentibus, qui quando conveniuntur se esse concubinarios diffitentur, nec apparet contra eos legitimus accusator, si crimen publicum est, non est evidentia, sed est fama.

In eo casu ad condemnationem eorum sola testimonia non sufficiunt; ratio est, quia ex testium qualitate pendet testimoniorum fides, cùm non sit testimoniis, sed testibus judicandum. *De Cohabitatione.* Cap. *Tua nos.* Lib. III. Decr. *Tit.* 2. Cap. 8.

In manifesto autem ex famâ testium qualitas non cognoscitur.

IX. Super causa usurarum, cùm non potest per Testes productos de sortis qualitate liquere, expedit quod exigatur de dicendâ veritate à Partibus juramentum, cùm ex famâ quasi notorium habetur sortem & ampliùs percepisse. *De Jurejurando.* Cap. *Ex litteris.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 35.

Liquere qualitercumque aliquid quod sit divulgatum per famam, seu quasi notorium, non sufficit ad probationem. *Glossa*, verbo, *Ex fama.*

X. Forma juramenti quam super inquisitione faciendâ volumus observari, ut videlicet jurent testes, quod super his quæ sciunt, vel credunt esse in suâ Ecclesiâ reformanda, tàm in capite, quàm in membris, exceptis occultis criminibus, meram & plenam dicant Inquisitoribus veritatem. *Ibid.* §. 2.

In inquisitionibus faciendis de occultis, nec quærendum est, nec dicendum, sed de his tantùm de quibus infamia præcessit. *Glossa.* Manifestum ex famâ justè distinguitur à manifesto ex re ipsa, cùm istud certum sit ut res ipsa; aliud verò sit quid incertum, ut est fama.

SECTIO IV.

I. *Tribus modis criminaliter procedi potest; per Accusationem, per denuntiationem, per inquisitionem.* II. *Excipiendo etiam crimen opponi potest.*

I. Contrà subditorum excessus (ut de notoriis excessibus teneatur) tribus modis potest procedi; per accusationem videlicet, denuntiationem, & inquisitionem ipsorum. *De Accusat.* Cap. *Qualiter, il* 2. §. *penult. post init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 1. Cap. 24. & *De Simonia.* Cap. *Licet. post init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 31.

II. Tribus modis valet crimen opponi, denunciando, excipiendo, & accusando. *De Accusat.* Cap. *Super his. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 1. Cap. 16.

III. Ad depositionem instituitur accusatio. *Ibid.*

IV. Ad correctionem est denunciatio facienda. *Ibid.*

V. Excipiendo crimen objicitur, ut ab accusatione vel testificatione aliquis repellatur; vel ut quis à promotione Officii, vel Beneficii excludatur. *Ibid.*

VI. In modum Exceptionis aliquod crimen Testi objicitur, ut à testimonio repellatur. *De ordine cognitionum.* Cap. *Cùm Dilectus.* §. *ultimo.* Lib. II. Decr. *Tit.* 10. Cap. 2.

VII. Agitur criminaliter contrà Abbatem ut deponatur ab Ordine. *De Simonia.* Cap. *Per tuas.* §. *ultimo.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 32.

VIII. Agitur civiliter contrà eundem, ut ab administratione amoveatur, tanquam immeritus, & damnosus. *Ibid.*

IX. De crimine civiliter agitur. *De Testibus.* Cap. *Testimonium.* §. 1. Lib. II. Decr. Tit. 20. Cap. 54.

X. In Criminali Judicio agitur, institutâ accusatione contrà ipsum. *Ibid.* §. 2. *init.*

XI. Distinguendum, utrùm is contrà quem agitur, de simoniacâ pravitate denuntietur simpliciter, an criminaliter accusetur. *De Simonia.* Cap. *Per tuas.* §. 1. *post init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. *Cap.* 32.

XII. Denunciatio fit, cùm non proposito accusandi, sed ad corrigendum quædam Superiori intimantur. *De Accusat.* Cap. *Licet.* §. 1. *fin.* Lib. V. Dacr. *Tit.* 1. *Cap.* 14.

SECTIO V.

Cùm excipiendo tantùm crimen objicitur, nec fieri debet in scriptis, nec pœna ordinaria imponi.

I. Sustineri potest, si necessitas id postulaverit, ut quis per Procuratorem civiliter accuset, cùm hujusmodi accusatio, etsi de crimine fiat, non est tamen criminalis. *De Procurat.* Cap. *Tua.* §. 2, *fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 38. *Cap.* 5.

Ubi civiliter agitur de crimine, potest Procurator intervenire. *Glossa.*

II. Cùm licet agatur de crimine, non est tamen hujusmodi Quæstio Criminalis; per Procuratorem potest ritè tractari. *De Accusat.* Cap. *Super his. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 1. *Cap.* 16.

Cùm agitur de Crimine non criminaliter, potest etiam tractari per Procuratorem. *Glossa.*

III. Si crimen objicitur ut ab accusatione vel testificatione aliquis repellatur, non est inscribi necesse. *De Accusat.* Cap. *Super his. post init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 1. *Cap.* 56.

IV. Si in modum exceptionis aliquod crimen Testi objicitur, ut à testimonio repellatur; etsi crimen contrà eum civiliter probatum fuerit, non ideò pœna sibi infligitur ordinaria, sed ejus dumtaxat testimonio non creditur; quod eâ ratione contingit, quoniam in ipsum accusatio non procedit. *De Ordine Cognitionum.* Cap. *Cùm Dilectus.* §. *penult. post init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 10. *Cap.* 2.

Cùm crimen civiliter probatur, Testis non punitur pœnâ ordinariâ, sed solummodò à testimonio repellitur. *Glossa.*

V. Si de criminibus ad solam exceptionem objectis Testes convicti fuerint, sive confessi; pœnâ ordinariâ mulctari non debent; cùm accusatio in ipsos, secundùm Juris ordinem, non procedat. Sufficit ergò si à testimonio perbibendo repellantur, præsertim, si crimen quod eis objicitur, causam, de qua agitur, contingere non videtur. *De Exceptionibus.* Cap. *Denique.* §. *ult.* Lib. II. Decr. *Tit.* 25. *Cap.* 1.

VI. Uxor virum ad separationem thori, de adulterio accusat, Procurator ejusdem procedere potest. *Ut lite non contestatâ.* Cap. *Ad hoc.* §. 5. Lib. II. Decr. *Tit.* 6. *Cap.* 1.

Licet agatur hic de crimine, quia tamen non agitur criminaliter, potest intervenire Procurator, & respondere, & agere. *Glossa*, verbo, *Noluit respondere.*

Ex dictis in præcedentibus Sectionibus, sequitur quod quinque modis deveniatur ad cognitionem criminum: Notorietate, Accusatione, Denunciatione, Inquisitione, Exceptione. In singulis Accusatio quædam est: In 1°. Ipsa Notorietas. In 3°. Charitas. In 4°. Fama. In 5°. Ipsa objectio. Sed propriè Accusatio non est, nisi in 2°. cui hoc peculiare, quod inscriptio necessaria sit, & pœna ordinaria imponatur, à quâ secundâ proprietate excipiendus est primus modus, cui etiam annectitur pœna ordinaria.

SECTIO VI.

I. *Qui accusat debet se inscribere.* II. *Agendum sine Procuratore per se.* III. *Debet designare expressè personam, & crimen.* IV. *Suscipiat in se criminis probationem.* V. *Per se, non per Procuratorem, accuset.*

I. Videri potest processus Accusationis adversus Iban. Tom. IV. Concil. Accusatione 1. *p.* 633

Quando crimen opponitur in modum accusationis, oportet inscribi. *De Accusat.* Cap. *Super his. post init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 1. *Cap.* 16.

Accusatio locum non habet, cùm non est quod possit legitimè accusari. *De Despons. Impub.* Cap. *Ad dissolvendum.* §. 1. *med.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 2. *Cap.* 13.

II. Accusationem legitima præcedere debet inscriptio. *De Simonia.* Cap. *Licet Heli. post init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. *Cap.* 31. Vide Gonzal. *ad Cap.* 5. Lib. I. Decr. *Tit.* 38.

Si quis iratus crimen aliquod civiliter temerè objecerit, convitium non est pro accusatione habendum. Caus. II. Quæst. III. Cap. 5. Fabianus *Epistola* 3.

III. Si quis accusare velit de crimine coràm Ecclesiastico Judice, tunc oportet eum inscribere ut designet in scriptis nomen, locum, & tempus, & omnia quæ comprehenduntur in Lege Civili. *De Procurat.* Cap. *Tua.* §. 1. *med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 38. *Cap.* 5.

Accusatores quæcunque volunt dicunt, nec omninò oportet Accusatoribus credi. Tom. IV. Conc. *p.* 752. in Act. 14.

IV. Qui crimen objicit scribat se probaturum. Caus. II. Quæst. VIII. Cap. 4. *Qui crimen. init.* Vide inter *Capitula* Adriani ann. 785. *Cap.* 5. 6. 7. & Tom. VI. *Concil. p.* 1832. Ex Codice Theodosiano. *De Accusat.* Lib. XI. circà ann. 384.

V. Per scripta nullius accusatio suscipiatur, sed propriâ voce, si legitima & condigna Accusatoris persona fuerit, nullus absens accusetur. Caus. II. Quæst. VIII. Cap. 5. *Præscripta. Ibid.*

VI. Qui accusare alium elegerit, præsens per se, & non per alium accuset, inscriptione videlicet præmissâ. Caus. III. Quæst. IX. Cap. 8. *Qui accusare. init.* Damasus *ad Episcopos Italiæ*, *Epistola* 6. ann. 427. Datam hanc falsam esse suprà ostensum est.

VII. Sancti Patres providè statuerunt, ut Criminalis Accusatio, quando ad degradationem intenditur, nisi legitima præcedat inscriptio, nullatenus admittatur. *De Accusat.* Cap. *Qualiter. Glossa* 2. *med.* Lib. V. Decr. *Tit.* 1. *Cap.* 24.

VIII. Si quandò in causa capitali interpellatom fuerit, non per Procuratores, sed per seipsos est agendum. Caus. II. Quæst. VI. Cap. 40. *Si quando.* Adrianus Papa in *Capitulis* à se collectis, *Cap.* 44. ann. 785. Regulare est, quod per Procuratorem non agitur de crimine. *Glossa. Ibid.*

IX. In criminalibus causis, nec Accusator, nisi per se aliquem accusare potest, nec Accusatus per aliam personam se defendere permittitur. Caus. V. Quæst. III. Cap. 2. *In Criminalibus.*

Inscriptio jamdiù abrogata est, nedùm in foro Ecclesiastico, sed etiam in foro Sæculari, idque quia jamdudùm Accusatio ad vindictam, reservata est Officiariis ad id præfectis, qui præsumuntur ex amore justitiæ, non ex furore vindictæ procedere.

SECTIO VII.

Accusatus uti potest Procuratore ad excusandum se.

I. In criminalibus causis, nec Accusator, nisi per se, aliquem accusare potest; nec Accusatus per aliam personam se defendere, permittitur. Caus. V. Quæst. III. Cap. 2. *In Criminalibus.*

Procu-

Procuratores alicujus in causâ non possumus recipere criminali. *De Accusat.* Cap. *Veniens.* §. 1. *med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap. 15.

In causa criminali non intervenit Procurator, nec ad agendum nec ad defendendum. *Glossa*, verbo, *Criminali.* Absens non potest uti Procuratore ad se defendendum.

II. Accusatus ad suam excusationem viarum discrimina per Nuncios & Literas potest allegare. *Ibid.*

Reos Criminum capitalium, absentes etiam, per Procuratorem defendi, Leges publicorum Judiciorum permittunt. CAUS. V. QUÆST. III. *post Cap.* 1. Ex COD. LIB. IX. TIT. *De Accusat. Lege* 3.

Absens & requisitus non potest condemnari. *De his quæ fiunt à majori.* Cap. *Ex ore. unté med. in init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 11. Cap. 3.

III. Si ægrotans fuerit Episcopus, aut aliqua eum gravis necessitas detinuerit, pro se Legatum ad Synodum mittat; nec à Communione suspendatur cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam evocatus minimè occurrerit. CAUS. V. QUÆST. III. Cap. 1. *Si ægrotans. In Capitularibus* ADRIANI, Cap. 5. ann. 785.

Quæ hâc in Sectione dicta sunt, ita vigent in Gallia, ut Ordinationis Criminalis ann. 1670. *Tit.* XI. sit ad id expressus.

SECTIO VIII.

Nullus facilè alium accuset, nec calumnietur, nec celet aliorum crimen, propter aliquod commodum temporale.

I. Sicut non vult quisquam Fratrum se aliorum Judicio prægravari, ita non audeat alii inferre quod sibi non vult fieri. DIST. XLV. Cap. 5. *Licet. fin.* GREGOR. IV. *in Epistola ad Episcopos per Galliam constitutos*, circà ann. 828.

II. Subditi ad infamiam suorum facilè non prosiliant Prælatorum. *De Calumniatoribus.* Cap. *Cùm Dilectus.* §. 1. *fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 2. *Cap.* 2. Nemo debet alium, & præcipuè Prælatum suum, infamare. *Glossa.*

III. Nemo Presbyterorum xenium vel emolumentum quodlibet temporale, imò spirituale detrimentum, à quocumque publicè peccante, accipiat, ut Episcopo vel Ministris ejus peccatum illius celet. *De Simonia.* Cap. *Nemo. init.* LIB. V. DECR. *Tit* 3. Cap. 14.

Canones constituunt Prælatos non passim accusandos. CAUS. II. QUÆST. VII, Cap. 22. *Prælati.* Tribuitur AUGUST. *in Lib. Soliloquiorum*, ann. 387.

IV. Non pro respectu cujuscumque personæ, consanguinitatis, aut familiaritatis, alienis communicans personis, peccatum Episcopo innotescere detrectet. *Ib.*

V. Si qui Prælati subditos suos ad celandum statum Ecclesiarum, Monasteriorum, seu locorum suorum, personarum & rerum ipsorum, juramentis, promissionibus, & obligationibus, aliisque pœnis adstringant, ne tali prætextu in Ecclesiis, Monasteriis & locis eisdem inquisitio, correctio, seu reformatio, cùm faciendæ fuerint, valeant impediri, decretum est quemquam juramentis, promissionibus, obligationibus, vel pœnis hujusmodi non obligari quomodolibet vel astringi. *In* 6. *De Offic. Ordin.* §. *Ordine.* Cap. *Quia plerique.* LIB. I. DECR. *Tit.* 16. Cap. 4.

VI. Delatores sunt qui invidiâ produnt alios. CAUS. V. QUÆST. VI. Cap. 5. *Delatori.* §. 1.

Part. 2. *ex Capitulis* ADRIANI Cap. 49. *ann.* 785. CONC. TOM. VI. *p.* 1836. Prior sic se habet: Delator aut lingua capuletur, aut convicto caput amputetur. Quæ dispositio ex Lege Sæculari desumpta videtur. Eos qui falsò Fratribus suis capitalia objecisse convicti fuerint, placuit usque ad exitum non communicare; nisi dignâ satisfactione pœnituerint. *Conc.* ARELAT. II. *ann.* 452. *Can.* 14. TOM. IV. CONC. *pag.* 1013. Vide *Conc.* ARELAT. I. *Can.* 14.

Laïcis contrà cujuslibet gradûs Clericum, si quid criminale parant objicere, dummodò vera suggerant, proponendi permittimus potestatem. *Conc.* EPAONENSE *ann.* 517. *Can.* 24. TOM, IV. CONC. *p.* 1579. initio Disciplinæ Gallicanæ.

Ut Disciplinæ modus maneat, & qui præsunt, adjuvante Christo, provideant, ut nec falsa objectio maculet innocentes; & illi qui inventi & comprobati in culpâ fuerunt, in nulla districtione habeantur immunes. DECR. *Synod. Paris. II.* anno circ. 555. TOM. V. CONC. *pag.* 852.

Placuit ut si quis Clericorum aliquem in accusatione fornicationis impetit, secundùm præceptum PAULI Apostoli, duo vel tria testimonia requirantur ab illo; quod si non potuerit dictis testimoniis approbare quæ dixit, Excommunicationem accusati accusator excipiat. *Conc.* BRACAR. III. *ann.* 572. *Can.* 8. TOM. V. CONC. *pag.* 898. CAUS. II. QUÆST. IV. Cap 1. *Placuit.*

Concil. MATISCON. I. anno 581. *Can.* 18. TOM. V. CONC. *pag.* 970. jubet deponi Clericum calumniatorem, & excommunicari Laicum hujus culpæ reum.

Nocens Judicium subterfugit. BONIFACIUS *Papa ad Patrocli.* Vide *Epistolam* NICOLAI TOM. VIII. CONC. *pag.* 791.

Si unus neget, alius fateatur crimen. *Conc.* SALEGUNSTADIENS. *anni* 1022. *Cap.* 7. 14. TOM. IX. CONC. *p.* 846. Præcipit, ut si duo accusentur de adulterio, & unus neget, alius fateatur, iste pœnitentiam agat, ille verò se purget; quod si uterque neget, alteruter purget se, & alium; & si in purgatione defecerit, ambo Rei habeantur.

SECTIO IX.

Accusator, sicut & Testis, non sit suspectus, non inimicus, non domesticus, non affinis.

I. Est decretum ne suspecti, aut infames, aut criminosi, aut gratiosi, vel calumniatores, vel affines, aut scelerati, aut facilè litigantes, suscipiantur Accusatores; sed tales qui omni careant suspicione. CAUS. III. QUÆST. V. Cap. 10. *Similiter.* Gratiosi, fortè qui gratiam patrati criminis obtinuerunt. Vide *Cod. Eccl. Afric. Can.* 128. 129. 130. TOM. II. CONC. *pag.* 1133. & *Conc.* CARTAG. VII TOM. II. CONC. *p.* 164. JULIUS *Papa in Rescripto ad Orientales, Cap.* 33. *ann.* 337. *Conc.* ROM. *ann.* 625. *Can.* 15. TOM. V. CONC. *p.* 1691.

Quascumque ad accusationem personas Leges publicæ non admittunt. QUÆST. I. Cap. 19. Impugnandi alterum, & nos licentiam submovemus. CAUS. III. QUÆST. V. Cap. 5.

Nullæ Accusationes à Judicibus audiantur Ecclesiasticis, quæ Legibus sæculi non audiuntur.

II. Accusatoribus inimicis, vel de inimici domo prodeuntibus, vel qui cum inimicis immorantur, aut suspecti sunt, non credantur; ne irati nocere cupiant, ne læsi ulcisci se velint. CAUS. III, QUÆST. V. Cap. 3. *Accusatoribus. init.*

Accusator suspectus est procul dubio repellendus. *Qui Matr. Accusar.* Cap. *Cùm in tuâ.* §. 1. *med.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 18. Cap. 3. SYMMACHUS *Papa in V. Synodo Romanâ*, ann. 503.

III. Canonica Sanctorum Patrum Statuta, ne columnæ Sanctæ Ecclesiæ vacillent, sequentes ac roborantes, omnes infames, cunctosque suspectos, & qui non sint bonæ conversationis, vel quorum vita est accusabilis, ab omni accusatione Episcoporum funditùs submovemus. *Ibid.* Cap. 6. *Canonica.* PELAGIUS II. *Episcopis Italiæ*, ann. 582.

Repellantur ab accusatione cohabitantes inimicis, quia infestationes blasphemiæ affectio solet amicitiæ incitare. *De Accusat.* Cap. *Repellantur.* LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap. 7.

Accusatio nonnisi ab idoneis & probatissimis Viris, qui & suspicionibus & sceleribus carent, fieri debent. CAUS. II. QUÆST. VII. Cap. 15. *Accusatio.* In

Decreto ANACLETI *Papæ* cavetur expressè, Accusatores esse non posse. *De Testib.* Cap. *Constitutis. in init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. *Cap.* 45. Qui antè hesternum diem aut nudiùstertiùs inimici fuerunt, ne irati nocere cupiant, nevè læsi ulcisci.

IV. Jubent Canonica Decreta Patrum, ut Accusatio vel testimonium eorum qui odio quoslibet persequuntur, vel qui inimici aut suspecti habentur, nullo modo recipiantur. CAUS. III. QUÆST. V. Cap. 13. *Omnes. fin. Idem. Epist.* 11. Cap. 4. *ann.* 582.

V. Accusationes & Accusatores, atque ea quæ Sæculares non asciscunt Leges, Divinâ ac Synodicâ funditùs à Clericis repelli autoritate censemus; quia indignum est Superiores pati ab inferioribus quæ inferiores ab eis pati despiciunt. *Ibid.* Cap. 7. *Accusationes. In Capitulis* HADRIAN. Cap. 11. *ann.* 785.

Accusatores & Testes esse non possunt, qui ante hesternum diem, aut nudiùstertiùs inimici fuerunt; ne irati nocere cupiant, vel læsi se ulcisci velint; inoffensus igitur Accusatorum & Testium affectus quærendus est, non suspectus. CAUS. III. QUÆST. V. Cap. 2. ANACLETUS *Epist.* 3. Cap. 5.

Affinis Testis non admittitur. CAUS. III. QUÆST. XIX. Cap. 18.

VI. Non est credendum contrà alios eorum confessioni qui criminibus implicantur, nisi se priùs probaverint innocentes; quia periculosa est, & admitti non debet Rei adversùs quemcumque professio & confessio: CAUS. III. QUÆST. XI. Cap. 3. *Non est credendum. Ibid.* Cap. 33.

VII. Omnes infamiæ maculis aspersi, id est, histriones, ac turpitudinibus subjectæ personæ, hæretici etiam, sive Pagani, sive Judæi, ab accusatione prohibentur. CAUS. XIV. QUÆST. I. Cap. 1. *De Finibus.* §. 1.

VIII. Definimus eum rectè ad accusationem non admitti, qui postquàm excommunicatus fuerit, in ipsâ adhuc Excommunicatione constitutus, sive sit Clericus sive Laicus, accusare voluerit. *Ibid.* CAUS. IV. QUÆST. I. Cap. 1. *Definimus. init.*

Criminaliter adversùs eum agere non potest, cùm ipsum constet ejus inimicum existere. *De Restitut. Spoliat.* Cap. *Item. in init. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 6.

IX. Ex secundæ Universalis Synodi Capitulo declaratur, eos qui sub accusatione priori consistunt, non antè esse acceptabiles in accusatione Episcopi aut aliorum Clericorum, quàm innoxios semetipsos illatorum sibi ostenderent criminum. CAUS. IV. QUÆST. I. Cap. 2. *Omnes. fin.*

X. Accusati, nisi priùs se probaverint innocentes, ab accusatione repellantur. *De Testibus.* Cap. *Non debet. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 56.

Si fuerit Accusatoris persona culpabilis, ad arguendum non admittatur. CAUS. IV. QUÆST. VI. Cap. 1. *Ex Conc.* CARTAG. III. Cap. 7. *ann.* 397. PASCALIS II. GUIDONI *Archiepiscopo* VIENNENS. *ann.* 1115.

XI. In causis Criminalibus, Accusatorum & Testium illa districtio observanda est quæ in Canonibus continetur, ne qui ad probationem domestici assumantur. CAUS. XIV. QUÆST. II. Cap. 1. *Super. med.*

XII. Si Accusator indigna ad accusandum persona invenitur, ad ejus accusationem Reus non judicetur, nisi ubi pro capite Regiæ Majestatis causa versatur. CAUS. III. QUÆST. IX. Cap. 9. *fin. Ex Conc.* TOLET. VI. Cap. 11. *ann.* 638.

XIII. Si legitimus non fuerit Accusator, non fatigetur Accusatus. *De Accusat.* Cap. 1. LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap. 1.

Quod dicitur aliquis à servis suis accusatus; sciendum est quia audiri minimè debuerunt. CAUS. II. QUÆST. I. Cap. 7. *Imprimis.* §. 10. GREGOR. I. JOANNI *Defensori.* LIB. XI. *Epist.* 50. *anno* 603.

XIV. Qui nititur aliquem accusare ut ab eo pecuniam extorqueat, ab accusatione repellendus. *Qui Matr. Accus.* Cap. *Significante.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 18. Cap. 5.

XV. Is cujus frater priùs accusavit Petrum, ab accusatione ejusdem repellitur. *De Accusat.* Cap. *Cùm P. Manconella. med.* LIB. V. DECR. *Tit* 1. Cap. 10. Quia fratres successivè accusantes scorsim eumdem hominem, illius inimici videntur.

SECTIO X.

Accusatio debet fieri in scriptis. Legitima debent esse probationes ex documentis, atque ex Testibus.

I. Sciant cuncti Accusatores, eam se rem deferre debere in publicam notionem, quæ munita sit idoneis Testibus, vel instructa apertissimis documentis, vel indiciis ad probationem indubitatis, & luce clarioribus expedita. CAUS. II. QUÆST. VIII. Cap. 2. *Sciant.*

Accusatorum personæ nequaquàm recipiantur sine scripto. CAUS. II. QUÆST. VIII. Cap. 2. *Accusatorum.* CALIXTUS. *Ex Cod.* LIB. IV. *Tit.* 2. *De Probat. Lege finali. an.* 384. *Conc.* TOLET. VI. *an.* 638. Cap. 11. TOM. V. CONC *p.* 1747. Ad præcedentem Sectionem pertinet potiùs quàm ad istam; loquitur de rejicienda ab accusatione quâvis personâ indignâ, sed cùm dicat rem examinandam juxtà leges & Canones, huc aduci potuit.

Si tantùm Episcopus alieni sceleris se conscium novit, quandiù probare non potest nihil proferat, sed cum ipso ad compunctionem ejus secretis correptionibus elaboret. CAUS. VI. QUÆST. II. Cap. 2. *Si tantùm. Ex Conc.* VASENSI. Cap. 8. *ann.* 442.

II. Clericos aut Laicos passim & sine probatione ad accusationem non recipiendos decernimus, nisi priùs eorum discutiatur æstimationis opinio. CAUS. II. QUÆST. VII. Cap. 49. *Clericos. Ex Conc.* CALCEDON. Cap. 21. *ann.* 451. Duo simul requiruntur in Accusatore, nempè probatio, & bona fama.

III. Si quilibet Clerici à qualibet personâ fuerint accusati, quicunque fuerit ille, sive sublimis vir honoris, sive ullius alterius dignitatis, qui hoc genus illaudabilis intentionis arripuerit, noverit docenda probationibus, monstranda documentis se debere inferre. CAUS. II. QUÆST. VII. Cap. 50. *Si quis Episcopus. In Capitulis* ADRIANI. Cap. 24. *ann.* 785.

IV. Episcopus, si Clerico vel Laico crimen impegerit, deducatur ad probationem. CAUS. VI. QUÆST. II. Cap. 1. *Episcopus. Ex Conc.* CARTAGIN. IV. Cap. 29. *ann.* 318.

Non per Accusatores, sed per Testes crimina comprobantur. *De Simoniâ.* Cap. *Licet.* §. 2. *fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 31.

V. Qui accusatur, per scripturam recusari jubetur. CAUS. II. QUÆST. I. Cap. 9. *Legum. med. Ex Concilio apud Sanctum* MADAROUM. HINCMARUS. DIST. *an.* 853. Intelligi potest de scripturâ probante, ac de illâ quâ accusatio facienda est.

Ut Sancti Patres definiunt, nullius personæ, quantùmlibet exercitatæ, confessioni fides est adhibenda, nisi competentes probationes adhibeat. CAUS. VI. QUÆST. III. *init.* & CAUS. XXXV. QUÆST. VI. *Cap.* ultimo. *fin. Ex Cod.* THEODOS. LIB. II. *Tit.* 14.

VI. Est quæsitum, utrùm aliqui super accusationem nil voce propriâ depromentes, debeant per solam Chartulæ conscriptionem admitti; Respondemus quod in talibus, nisi quantùm ad præsumptionem, nullius momenti est conscriptio quoad Sententiam proferendam, nisi alia legitima adminicula suffragentur. *Qui Matr. accusare.* Cap. *A nobis.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 18. Cap. 2.

Plerumque boni viri propterea sufferunt aliorum peccata, & tacent, quia sæpè deseruntur publicis documentis, quibus ea quæ ipsi sciunt, Judicibus probare non possunt. CAUS. II. QUÆST. VII. Cap. 27.

Plerum-

Plerumque. S. AUGUST. *Homilia* 50. *De Pænit.* nunc *Sermone* 351. Huc pertinent quæ dicta sunt de Probationibus in Priori hujus Tractatûs Parte.

SECTIO XI.

Per duos aut tres Testes Accusator probat crimen. Testis alius esse debet ab Accusatore; non sit suspectus, nec inimicus: Ut Accusatorum, ita & Testium vita debet esse innocens.

I. Placuit, ut si quis aliquem Clericorum in accusatione fornicationis impetit, secundùm præceptum PAULI Apostoli, duo vel tria testimonia requirantur ab illo. CAUS. II. QUÆST. IV. *Cap.* 1. *Placuit. init.* Ex *Concil.* BRACAR. II. *Cap.* 8. *ann.* 572.

Etiam adversùs eos contrà quos fit inquisitio, fides adhibenda non est dictis eorum, qui post Juramentum, vel antè, tacitè vel expressè inimicos se asserunt eorumdem; nisi forsan antè Juramentum in fraudem id facere præsumantur, idque nisi constet quod Testes per quos crimen est probatum, fuerint reprobati. *De Adulteriis.* Cap. *Intelleximus.* §. 1. *med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 16. Cap. 6.

II. Qui crimen intendit, agnoscendum est si ipse antè non sit criminosus; quia periculosa est, & admitti non debet Rei adversus quemcumque professio. CAUS. VI. QUÆST. I. *Cap.* 6. *Qui crimen. init.* HADRIANUS *Papa in Capitulis.* Cap. 68. *ann.* 785.

III. Testes & Accusatores sine aliquâ sint infamiâ. *Ibid.* §. 1. *Accusatio.* SIXTO II. tribuitur.

Apostolus inquit adversùs Presbyterum inscriptionem non recipiendam absque duobus aut tribus idoneis Testibus. CAUS. II. QUÆST. VII. *Cap.* 19. *Accusatio.* JOANN. *Diaconus.* LIB. IV. *Vita* S. GREGOR. Cap. 51. *ann.* 873.

IV. Cùm tribus Testibus crimen quodlibet approbatur. CAUS. V. QUÆST. VI. *Cap.* 3. *Quia juxtà, med.*

V. Ubi numerus Testium non adjicitur, etiam duo sufficient; pluralis enim locutio duorum numero contenta est. CAUS. IV. QUÆST. II. & III. *Cap.* 3. *Si Testes.* §. 26. DIGEST. LIB. XXII. *Tit. De Testib. Leg.* 12.

VI. *Epistola* PAULINI. TOM. VII. CONC. *p.* 1054. nec secundum Evangelium, nec ulla Lex unius testimonio etiam idonei, quempiam condemnat. In Criminibus Accusatorum & Testium illa districtio observanda est, quæ in Canonibus continetur, ne qui ad probationem Domestici assumantur. CAUS. XIV. QUÆST. II. *Cap.* 1. *Super med.*

Per Depositiones duorum Testium constat, quod aliquid factum sit. *De Excessib. Prælator.* Cap. *Inter Dilectos.* §. 4. *init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 31. Cap. 12.

VII. Clericos vel Laicos, Episcopos aut Clericos accusantes non admittendos indiscriminatim &c. TOM. IV. CONCIL. *Can.* 21. *p.* 765. Unius Testimonium ad condemnationem non sufficit alicujus. *De Testib.* Cap. *Veniens. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 10.

Quos esse constiterit inimicos, ad perhibendum Testimonium non admittatis. *De Accusat.* Cap. *Cùm oporteat.* §. 2. *fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap. 19.

Si qui consanguineos suos ac complices intendant ad testificandum producere contrà aliquem, ii admitti non debent. *De Accusat.* Cap. *Cùm oporteat.* §. 1. *fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap. 19.

VIII. Qui eodem est infectus crimine contrà socium testificari non potest. *Ibid.* §. 1. PASCHALIS II. GUIDONI *Archiepiscop.* VIENN. *ann.* 1115.

IX. Infames & notabiles ad Testimonium producti, non sunt recipiendi. *De Testib.* Cap. *Ex Parte.* §. 1. LIB. II. *Tit.* 20.

Viles Testes, notabiles, & infames. contrà Clericos non sunt recipiendi. *Glossa*, verbo, *Nec Evangelium, &c.* CAUS. XXXIII. QUÆST. II. *Cap.* 8. *med.*

Si ad inquisitionem fuerit procedendum, quos alicujus esse constiterit inimicos, nec ad prosequendum inquisitionem, nec ad perhibendum Testimonium admittatis. *De Accusat.* Cap. *Cùm oporteat.* §. 2. *init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap. 19.

X. Testes publico Jure possunt propter infamiam à perhibendo Testimonio removeri. *De Testibus cogendis.* Cap. *Prætereà.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 21. Cap. 7.

Secundùm Instituta Canonica, inimici & conspiratores in nullius debent accusationem admitti. *De Testibus.* Cap. *Constituis. post init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 45.

SECTIO XII.

I. Testes debent alii esse ab Accusatoribus. II. Præsente Accusato cum Jurejurando dicendum est Testimonium. III. Quærendum de Accusantium & Testium Personis. IV. Non valet Testimonium de auditu.

I. Diligenter quærendum est si alii Accusatores, atque alii Testes sint. CAUS. II. QUÆST. I *Cap.* 7. *In primis.* §. 3.

Nec absente eo quem accusare voluerint, quibuslibet accusare non permittatur. CAUS. II. QUÆST. VIII. *Cap.* 1. CALIXTUS.

Qui in Testimonium adductus fuit, ab Accusatione repelli debet. *De Accusat.* Cap. *Cùm P. Manconella* LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap. 10.

Eorum qui accusantur causas discutere non licet, priusquàm Canonicè vocati veniant; & præsens per præsentem agnoscat veraciter, & intelligat, quæ ei objiciuntur; quod benè, & per sapientiam SALOMONIS dicitur; *Antequàm scruteris, ne reprehendas. Intellige priùs & tunc increpa antequàm audieris, ne respondeas.* CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 76. *Eorum.* DAMASUS *Papa Epistol.* 6. *ann.* 427.

II. Si eo præsente qui accusatus est, sub Jurejurando contra eum Testimonium dicitur, si scriptis agitur. *De Accus. Cap.* 10. LIB. V. DECR. *Tit.* 1.

III. De Personis accusantium ac testificantium subtiliter quærendum est, cujus conditionis, cujusve opinionis, aut ne inopes sint, ut ne fortè aliquas inimicitias habeant. *Ibid.*

IV. Utrùm Testimonium ex auditu dixerunt, aut certè se scire specialiter testati sunt. *Ibid.*

Caveant Judices Ecclesiæ, ne absente eo cujus causa ventilatur, Sententiam proferant, quia irrita erit. *Conc.* CARTHAG. IV. *Can.* 30. CONC. TOM. II. *p.* 1205.

V. Quod dicit Accusatus, quia se absente aliqui sint vilissimi Testes exhibiti; hoc, si verum est, nullius esse momenti Lege noscendum est. *Ibid.* §. 12.

VI. Personas quæ veritatem causæ scire possunt, faciatis vestris præsentari conspectibus; tactis Sacrosanctis Evangelis, præbito etiam legaliter Sacramento, quæ in veritate rerum noverunt, professionem suæ testificationis aperiant, ut patefactis omnibus quæ secundùm Leges, & justitiam censenda sunt, cognoscatis, & competentem Legibus & veritati terminum detis. CAUS. III. QUÆST. IX. *Cap* 20. *Hortamur. post init.*

Quoties aliquis super certis accusatur Criminibus, si tales fuerint Accusatores qui justè & Canonicè recipi debeant, Canonicè audiantur. *De Accusat.* Cap. *Quoties. in init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap. 1. PELAG. *Papa* DECORATO *Patricio*, fortè circa annum 557.

VII. Necessè est secundùm Sacrarum Scripturarum documenta, ac secundùm justitiæ tramitem, & Accusatum & Accusatorem simul adesse; & unam partem quantacunque & qualicumque prædita sit autoritate, sic prorsùs audiri, ne alteri Parti ullum præjudicium irrogetur. CAUS. III. QUÆST. IX. *Cap.* 21. *Necessè.* NICOL. I. HINCMAR. *circ. ann.* 865.

VIII. Testes per quamcumque Scripturam Testimonium non proferant, sed præsentes de his quæ noverunt & viderunt, veraciter Testimonium dicant; nec de aliis causis vel negotiis dicant Testimonium, nisi de his quæ sub præsentia eorum acta esse noscuntur. CAUS. III. QUÆST. IX. Cap. 15. *Testes.*

IX. Testes ad Testimonium non admittendos esse censemus, qui nec ad Accusationem admitti præcepti sunt, vel etiam quos ipse Accusator de domo sua produxerit. CAUS. IV. QUÆST. II. & III. *Cap.* 1. *Testes.* Ex *Concil.* CARTHAG. VII. Cap. 4. *ann.* 419.

X. Eorum Testium voces tanquàm plurium non admittuntur, quos temporum quidem diversitas simul interfuisse prohibuit. CAUS. III. QUÆST. IX. *Cap.* 16. *Nihilominùs, fin.* LEO *Papa*, fortè circa annum 450. quando agitur de re uno eodemque tempore factâ.

XI. Quod legitur, *Pater non recipiatur in Causa Filii, nec Filius in Causa Patris*, in criminalibus causis verùm est. *Qui Matrim. accus.* Cap. *Videtur.* §. 2. *init.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 18. Cap. 3.

SECTIO XIII.

I. Nemo judicandus absens, nisi contumax. II. Nisi habeat locum se defendendi.

I. Absens nemo judicetur, nisi ex contumaciâ absens fuerit, quia & Divinæ & Humanæ hoc prohibent Leges. CAUS. III. QUÆST. VIII. *Cap.* 1. *Accusat.* §. ult. *Cap.* 2. 3. *&c.*

Accusatione propositâ, accusatus exceptiones potest proponere per quas nitatur Accusatorem ab accusatione removere. *De Desponsat. impub* Cap. *Ad dissolvendum. init.* LIB. IV. *Tit.* 2. Cap. 13. Ex *Epist.* 2 ZEPHERINO tributa *n.* 5. & *Epistol.* 1. ejusd. CONC. TOM. I. *pag.* 514. & 15. & 510. & 11. CAUS. XI. QUÆST. III. Cap. 76. *Eorum. Epistolâ* GREGOR. VII. LIB. II. TOM. X. CONC. *p.* 71. Accusatus præsens esse debet ut se dafendere possit.

Probat vera esse illa quæ adversùs se dicta sunt, qui ad ea confutanda adesse minime vult; quod si adesse neglexerit, dilationem Sententiæ non lucretur. *Epist.* HINCMARI 1. TOM. IX. CONC. *p.* 335.

II. Quia ex parte accusati persona deest, nos uni Parti ad discrimen alterius credere procul dubio non possumus. CAUS. III. QUÆST. IX. *Cap.* 14. *Judicas. init.* NICOL. I. VENILONI *Archiep. Senon.* circà annum 862.

De crimine præsertim gravi detento, defensionis, quæ à jure provenit, naturalis facultas adimi non valet. CLEMENT. II. *Pastaralis. De Sentent.* §. *Penult. fin.* LIB. II. CLEM. *Tit.* 11. Cap. 2.

III. Leges seculi Accusatores præsentes exigunt, & non per scripta absentes. CAUS. V. QUÆST. II. *Cap.* 3. §. 1. Nullus unquam judicetur, antequàm legitimos Accusatores præsentes habeat, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. CAUS. III. QUÆST. IX. *Cap.* 8. *Qui accusare. post init.* DAMASUS *Epist.* 6. *ann* 427.

Præsens per præsentem agnoscat veraciter quæ ei objiciuntur. CAUS. V. QUÆST. II. *Cap.* 3.

IV. Dignum est ut innocentis vita nullâ maculetur pernicie; non antè accusatus supplicio detur, quàm Accusator præsentetur, atque Legum & Canonum Sententia exquiratur. CAUS. III. QUÆST. IX. *Cap.* 9. *Dignum est. init.* Ex *Concil.* TOLET. VI. Cap. 11. *ann* 638.

Legitima defensio in judicio reservatur. *De Except.* Cap. *Cùm inter.* §. 1. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 25. Cap. 5.

V. Diligenter quærendum est si accusatus licentiam respondendi & defendendi se habuit. CAUS. II. QUÆST. I. *Cap.* 7. *Imprimis.* §. 3. Satis videtur absurdum, si Actore impugnante, Reo defensionis copia denegetur, quia sic condemnaretur multoties absolvendus. *Ibid. fin.*

GREGOR. I. JOANNI *Defensori.* LIB. II. *Epist.* 54. *ann.* 603. Mittitur iste ad Monasterium dissolutum, ut audiat accusatos.

VI. Accusatus per aliam personam se defendere non permittitur. CAUS. V. QUÆST. III. *Cap.* 2. In Criminalibus, cùm aliquod circà negotium non est actum, intrà judicium depositiones Testium non possunt præjudicium generare. HADRIAN. *in Capit.* Cap. 38. *ann.* 785. CONC. TOM. VI. *p.* 1835.

SECTIO XIV.

I. Debere Judicem singula perpendere. II. Non ex conjecturis, sed ex certis probationibus damnandum accusatum. III. Si confitetur crimen, vel convincitur, damnandus.

I. Non sola respiciamus opera, sed tempus, & causam, & voluntatem, & personarum differentiam, & qualiacumque alia ipsis operibus acciderint, diligenter inquiramus; non enim possumus ad veritatem aliter pervenire. CAUS. XXIII. QUÆST. VIII. *Cap.* 14. *Occidit. fin.* Vide *Concil.* ASCANCE *ann.* 598. *Can.* 2. TOM. V. CONC. *p.* 1604.

Quærenda semper est veritas, ut inquiri debeat utrùm accusatum noxa condemnet, an à pœná innocentia patefacta subducat. DIST. XXVIII. *Cap.* 10. *Quia sunt.* GREGOR. I. LIB. X. *Epist.* 59. JOANNI *Panormitano.* S. CHRISOSTOM. XVII. *in* MATTH. *ad Caput* 5. anno circa 400.

In rebus ambiguis judicium non debet esse absolutum. DIST. XXXIII. *Cap.* 7. *Epist. tributa* EVARISTO.

Multi sunt qui indiscussos potestate Tyrannicâ, non autoritate Canonicâ, damnant; & sicut nonnullos gratiâ favoris sublimant, ita quosdam odio, invidiâque permoti humiliant, & ad levem opinionis auram condemnant, quorum crimen non approbant. Si hi, qui in Sæculo à Dominis suis honorem libertatis adepti sunt, in servitutis nexum non revolvuntur, nisi publicè apud Prætoris ac Præsidis Tribunal, in foro fuerint accusati, quantò magis hi qui divinis Altaribus consecrati, honore Ecclesiastico decorantur? *Cap.* 1. CAUS. XV. QUÆST. VII.

II. Nullum antè veram justamque probationem judicare aut damnare debemus. CAUS. XXX. QUÆST. V. Cap. 10. *Nullum. init.* CAUS. II. QUÆST. I. *Cap.* 20. *Deus Omnipotens.*

III. Mala audita nullum moveant, nec passim dicta absque certâ probatione quisquam unquam credat; sed antè audita diligenter inquirat, ne præcipitando quidquàm aliquis agat. *Ibid. fin.*

Ubi peccatum non est evidens, ejicere de Ecclesia neminem possumus. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 22. *Nolite. med.* ORIGENES, *Homilia* 21. *ad Caput* 15. S. AUGUSTIN. *Homilia* 50. *de Pænit.* nunc *Sermone* 351. *num.* 10. *fin.*

IV. Noluit ampliùs hominem ab homine judicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario usurpato judicio; sed potiùs ex Lege Dei, secundùm ordinem Ecclesiæ, sive ultrò confessum, sive accusatum atque convictum.

Illud cur dixit, *Si quis Frater, nominatur inter vos aut fornicator, aut idolis serviens &c.* nisi quia eam nominationem intelligi voluit, quæ fit in quemquam cùm Sententia ordine judiciario atque integritate profertur. CAUS. II. QUÆST. I. *Cap.* 18. *Multi. fin.*

Ut hæc interpretatio vera sit, oportet ut virgula ponatur post *frater*, *si quis frater*; poni autem solet post illa verba, *nominatur inter vos.*

Nemo Episcopus excommunicet aliquem, antequàm causa probetur. CAUS. XXIV. QUÆST. III. *Cap.* 6. *Concil.* WORMAT. *ann.* 868. *Can.* 41. TOM. VIII. CONC. *p.* 953. docet causam diligenter examinandam antè Sententiam.

V. Si aliqua de objectis contrà aliquem probata sunt, aliqua verò doceri minimè potuerunt, cautâ omninò consideratione pensandum est; utrùm leviora Capitula, an certè graviora probata sint, ut ex eis, qualiter definitionem suam formare Judex debeat, possit scire. CAUS. II. QUÆST. I. *Cap.* 7. *Inprimis.* §. 4. GREGOR. I. JOANN. *Defensori*, LIB. II. *Epistolâ* 50. *ann.* 603.

Nonnulla sunt subtilia occultè perscrutanda, ut quibusdam signis erumpentibus, Rector in subditorum mente omne quod clausum latet, inveniat, & interveniente

veniente correctionis articulo, ex minimis majora cognoscat. *Conc.* DUZIACENS. II. *ann.* 874. Cap. 1. *Ex* GREGOR. 1. TOM. IX. CONC. *p.* 265.

VI. Ex Sacri eloquii testimonio tenemus, ut majora mala, cùm forsitan dicuntur, nisi probata, credi non debeant, sed probata citiùs ulcisci. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 52. *In cnactis. med.*

GREGORIUS I. CONSTANTINO *Mediol. Episcopo.* LIB. VI. *Epistola* 14. *ann.* 596.

VII. Est nimiæ levitatis, si quis mala gravia credere studeat quæ probari non possunt. *Ibid.* §. 1. 8.

VIII. Si examinante Episcopo causam Presbyteri vel Diaconi, non fuerit per Testium approbationem Presbyter vel Diaconus fortè convictus, non est scelus Episcopo legitimè manifestum, nisi sua sponte scelus ipse confiteatur. CAUS. XV. QUÆST. V. *Cap.* 2. *Presbyter. med.*

NICOLAUS I. SALOMONI CONSTANT. *Episcopo*, circà *annum* 863.

IX. Sola spontanea confessio, & Canonicus numerus, & qualitas Testium. Accusatore quod objecerat comprobante, Clericum privat proprio gradu. *Ibid. fin.*

Si Presbyter de peccatis non fuerit confessus, nec ab aliquibus potest manifestè convinci, huic ipsi de se potestas committenda. CAUS. XV. QUÆST. VIII. *Cap.* 1. *Qui admisit. med. Ex Concilio* NEOCESAR. *Cap.* 9. 10. *ann.* 314.

X. Mirandum est, si quis confessus non fuerit, quomodò notum possit esse scelus ab ipso perpetratum, nisi Accusatore fortè idoneo per testes idoneos approbante. *Ibid. post init.*

XI. Si suspicio habetur, & Accusatores idonei reperiuntur, & tales testes quales Sacri Canones sanciunt; vocetur & ipse Clericus; & si negaverit, ventiletur causa Canonicè; & si vel spontè confessus, vel legitimis testibus fuerit approbatus, Canonicâ feriatur Sententiâ. CAUS. XV. QUÆST. IX. *Cap.* 1. *De crimine. init.*

STEPHANUS *Papa* LEONI *Episcopo* TRZAN. circà *ann.* 885. Non refertur inter illius Epistolas, TOM. IX. CONC. *p.* 366. ubi aliæ sunt. Si Clerici super aliquo excessu in jure confessi fuerint vel convicti, condemnentur. *De Excessibus Prælat.* Cap. *Illud. med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 31. Cap. 6.

XII. Si quis super excessum fuerit accusatus, convinci tamen non potuit, nec suum voluit confiteri delictum; non damnatur. *De eo qui cognovit.* Cap. *Veniens.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 13. Cap. 9.

Priusquàm audias, ne judicaveris quemquam, atque antè probationem accusationis illatæ, neminem à tuâ Communione suspendas, quia non statim qui accusatur, reus est, sed qui convincitur, criminosus. CAUS. XV. QUÆST. VIII. *Cap.* 5. *Sciscitantibus. fin.* NICOLAUS I. *Ad Consulta Bulgar.* Cap. 71. *ann.* 866.

XIII. Si Clerici coram Episcopo de criminibus in Jure confessi sunt, seu legitimâ probatione convicti, sunt condemnandi. *De judiciis.* Cap. *Etsi Clerici* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 1. Cap. 4.

Confessus in jure pro convicto habetur. *Glossa*, verbo, *In jure confessi sunt.*

XIV. Spontaneâ confessione, vel testium approbatione, publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini judicare. CAUS. II. QUÆST. V. *Cap.* 20. *Consuluisti. med.* STEPHANUS V. UMBERTO seu HUMBERTO MOGUNT. *Episcopo* 1. *ann.* 888. Non reperitur apud LABBÆUM. CONC. TOM. IX. ubi illius Epistolæ referuntur. *p.* 366.

XV. Hi qui probantur vel confitentur reatûs se noxios, eos castiget Episcopalis moderatio. *Ibid.*

XVI. Crimen constat vel per evidentiam rei, vel per confessionem legitimam. *De Adulteriis.* Cap. *Intelleximus*, §. 1. *init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 16. Cap. 6.

SECTIO XV.

I. Ut quis condemnetur, spontanea debet esse confessio. II. Non creditur confitenti crimen contrà alium, vel falsò contrà seipsum.

I. Secundùm utriusque Juris Statuta, de se confessi super aliorum conscientiis interrogari non debent. *De Confessis.* Cap. *Cùm Monasterium.* §. 1. *med.* LIB II. DECR. *Tit.* 18. Cap. 1.

Vide *Epistolam* 22. *Append.* NICOLAUS I. TOM. VIII. CONC. *p.* 510. ubi hæc leges; Imò & censeo nec ullam posse Episcopos sui honoris sustinere jacturam, quos non constat fuisse à 12. Episcopis, præsente Metropolitano, cùm examinarentur, auditos. Non antè Sententiam proferat capitalem, quàm aut Reus fateatur, aut convictus vel per innocentes testes, vel per conscios criminis sui. Et *Concil.* DUZIAC. II. *ann.* 874. Cap. 5. TOM. IX. CONC. *p.* 268. Leges dicunt: Judex criminosum discutiat.

Nulli de se confesso debet credi in præjudicium aliorum. *Gloss.*

II. Crimine læsæ Majestatis excepto, de reatu proprio confitentis, periculosa confessio non est adversùs quemlibet admittenda. *Ibid. fin.*

Confessio criminosi non est contrà alium admittenda. *Gloss.*

Ex fratrum confessione contrà eos Sententia procedere debet. *De Transact.* Cap. 2. LIB. I. DECR. *Tit.* 36. Cap. 10. Confessio hæc non nocet aliis quàm qui illam fecerant.

III. Eos quorum suggestione scelus homicidii Presbyter se perpetrasse proponit, nisi aliis modis verum esse constiterit, nulli censemus pœnæ subdendos. *Ibid. init.*

Quod de crimine læsæ Majestatis in his Canonibus dicitur, locum habet in hæresi & in Simoniâ.

IV. Nemini, præterquàm de crimine læsæ Majestatis, de se confessio credi potest super crimen alienum, quoniam ejus atque omnis rei professio periculosa est, & admitti adversùm quemlibet non debet. CAUS. XV. QUÆST. III. *Cap.* 5. *Nemini.* Desumitur ex *Cod.* THEODOS. *De Accusat.* LIB. XII. Tribuitur tamen JULIO *in Decretis.*

In prodendo crimine læsæ Majestatis, socius etiam initæ factionis omnis non solùm auditur, quinimò præmio & honore donatur. *De Testib.* Cap. *Constitutis. post init.* LIB II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 45. apud GONZALEM.

V. Si accusatus adesse neglexerit, dilationem Sententiæ de absentiâ non lucratur; manifestum est enim confiteri de crimine qui in dicto judicio purgandi se occasione non utitur; nihil interest utrùm in præsenti examine omnia quæ dicta sunt comprobentur, cùm ipsa quoque pro confessione procurata constet absentia. CAUS. III. QUÆST. IX. *Cap.* 10. *Decernimus.*

Cùm negante Sacerdote adultero mulier in confessione persistit, se cum illo intrà Ecclesiam dormivisse, non statim pœna condigna ei imponitur. *De adulteriis.* Cap. *Significasti.* LIB. V. DECR. *Tit.* 5. Cap. 5.

Ad solam mulieris confessionem, asserentis se commisisse adulterium cum Sacerdote, non debet Sacerdos puniri. *Summa.*

Confessio unius super eodem crimine alteri non nocet, quamvis illa sint connexa. *Glossa.* BONIFAC. I. *Papa* ad Gallos, *Epistola* 2. *ann.* 419.

VI. Confitetur de omnibus quisquis se subterfugere judicium dilationibus putat. *De Præsumptionibus.* Cap. *Nullus. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 23. Cap. 4.

Si post præstitum veritatis Juramentum, Reus vel Procurator ipsius, positionibus ab Adversario, interrogatus à Judice, nolit respondere, pro confesso habetur. *In* 6. *De Confessis.* Cap. 2. Secùs, si Reus esset absens antèquam respondere sit jussus.

VII. Cùm duo alicui illata fuerunt, si unum negat, alterum tacendo concedit. *De Præsumpt.* Cap. *Nonne.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 23. Cap. 5.

Qui de uno negat, de alio tacendo confitetur. *Glossa.*

VIII.

VIII. Cùm in jure quis confessus fuerit aliquod, ex quo necessariò sequitur aliud, excusare se non potest quod illud non crediderit. *De Elect.* Cap. *Dudùm.* §. *penult. antè med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 54.

IX. Manifestatione sua quis convictus est. CAUS. XXXI. QUÆST. II. *Cap.* 4. *Notarius. med.* NICOLAUS I. *Delegatis suis.*

Statuimus neminem Clericum ex suspicione damnari, ita ut nec officio careat, nec Beneficio, nisi ipse fortè confessus, vel per idoneos testes veracitet sit convictus. *Constitutiones* ALEXAND. II. ann. circ. 1063. TOM. IX. CONC. *p.* 1120. *fin.*

Pro convicto debet haberi, cùm sua excusatio non valeret, quia confessos in jure pro judicatis haberi placet. *Glossa*, verbo, *Confitetur.*

Confessio quam fecit quis in instrumento, præjudicat ei. *Glossa*, verbo, *Convicto.* NICOLAUS RADOALDO *&c.* circà ann. 863. *Cap.* 4. CAUS. XXXI. QUÆST. II.

SECTIO XVI.

I. Confessio facta incidenter in alio negotio, potest dare occasionem illud puniendi. II. *Confessio facta coràm non suo Judice, non officit.*

I. Si quis, cùm super electione Ecclesiasticâ quæstio verteretur, fuit in jure confessus quod Mediator extitit Simoniacæ pravitatis; Judex vitium hujusmodi persequi potest & debet. *De Confessis.* Cap. *Cùm super.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 18. Cap. 2.

Punitur aliquis, super eo de quo non agitur contra eum directè, in odium criminis. *Glossa*, verbo, *Confessus. fin.*

Si de crimine contingente causam principalem, constat contra aliquem per ejus confessionem, punitur pœnâ ordinariâ, etiamsi directè contra eum non agatur. *Summa.* Si quis confitetur crimen in judicio incidenter, potest Judex Ordinarius ovum inchoando processum, illum punire pœnâ ordinariâ.

II. Sicut Sententia à non suo Judice lata non tenet, ita nec facta confessio coràm ipso. *De Judiciis.* Cap. *Etsi Clerici.* LIB. II. DECR. *Tit.* 2. Cap. 4.

Confessio facta coràm non suo Judice non præjudicat confitenti. *Glossa.*

III. Si Clerici coram Judice Sæculari fuerint confessi de crimine, non sunt propter hoc à suo Episcopo aliquatenùs condemnandi. *Ibid. init.* Vide quæ dicta sunt de Confessione in Judicio Civili, in primâ hujus Tractatûs Parte, & conferendo illa cum iis quæ hic collecta sunt, nota in quo differat ab ea quæ fit in Judicio Criminali.

SECTIO XVII.

Actore non probante crimen, Reus absolvi debet.

I. Juris est explorati quod Actore non probante, is qui convenitur, etiamsi nihil præstiterit, debet absolvi. *Ut Ecclesf. Benef.* Cap. *Ut nostrum.* §. 2. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 12. *Cap. unico.*

Actore non probante, Reus, quamvis nihil probet, debet absolvi. *Glossa.*

II. Si Actor omninò in probatione defecerit, Reus debet, etsi nihil præstiterit, obtinere. *De Jurejur.* Cap. *fin. Juramentum.* §. 1. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 36.

Ubi certi Accusatores defuerint, tunc dictante justitiâ, sine omni controversiâ, Presbyter quæcumque ob hoc injustè amisit, ob Sacerdotium accipiat, & integra Beneficia. CAUS. II. QUÆST. V. *Cap.* 11. *Super causa.* ALEXAND. II. ann. circa 1068.

III. Accusator quod asseverat, probare se non posse agnoscit, profitendo Reum necessitate monstrandi contrarium non adstringi. CAUS. VI. QUÆST. V. *Cap.* 2. *Accusator.*

Nisi Actor prober quod intendit, Reus absolvitur. *Glossa*, verbo, *Accusator quod.* LIB. IV. *Tit.* 19. *De Probat.* GREGOR. I. LIB. V. *Epist.* 25. *ann.* 596.

IV. Nunquàm ratio ei qui accusatur, necessitatem probationis imponit; non Reo, sed Accusantibus hoc onus incumbit. CAUS. VI. QUÆST. V. *Cap.* 1. *Quod autem.*

V. Cùm Judex processum negotii examinaverit diligenter, nec intelligere potuerit probatum esse sufficienter aliquid de excessibus objectis; accusatum absolutum decernat ab objectis. *De Calumniatoribus.* Cap. *Cùm Dilectus.* §. 1. *init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 2. Cap. 2.

VI. EPIPHAN. Presbyterum criminaliter accusatum, cujus nos, ut valuimus, discutientes causam, nihilque in eo objectorum reperientes, ut ad locum suum reverteretur, absolvimus. CAUS. V. QUÆST. VI. *Cap.* 4. *Epiphanium. init.*

Cùm justè præsumitur pro Actore, quod non ex malitiâ, sed ex benignitate procedit, Reo onus probationis super objectis articulis imponatur. *Ut Ecclesf. Benef. Cap.* 12. §. 1. & 3. LIB. III. DECR. *Tit.* 12. *Cap. unic.*

Quando præsumptio est contrà Reum, onus probandi transfertur in eum. *Glossa.*

Hic casus excipitur à Regulâ; Actore non probante, Reus absolvitur. Idem de casu in quo Jus Commune est pro Actore.

SECTIO XVIII.

Cùm Accusator non probat quod objecit, puniendus est; ita & Testis cùm calumniam infert.

I. Omnis qui aliis falsa intulerit, puniatur, & pro falsitate ferat infamiam. CAUS. V. QUÆST. VI. *Cap.* 1. *Omnis.* ADRIANUS *Papa* in *Capitulis*, Cap. 41. *ann.* 785.

II. Juxta Canonicas Patrum Sententias, qui calumniam illatam non probat, pœnam debet incurrere. *Ibid.* Cap. 3. *Quia juxta. init.* JOANN. *Diaconus*, in *Vita B.* GREGORII. LIB. IV. *Cap.* 31. circa *ann.* 873.

Qui crimen opponit, ad extraordinariam pœnam, secundùm arbitrium Judicis discreti, est adstringendus, si defecerit in probando. *De Accusat.* Cap. *Super his. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap. 16.

III. Siquis falsum dixerit, vel personam innocentis falso crimine maculaverit, juxtà Sacerdotis arbitrium, diuturnâ pœnâ expurgetur. CAUS. V. QUÆST. VI. Cap. 7. *Si quis.* ISIDORUS in *Regula Monachorum.* Cap. 17. circa ann. 630.

IV. Puniendi sunt Testes qui ad calumniam aliquid testificantur. CAUS. III. QUÆST. IX. *Cap.* 16. *Nihilominùs. init.* LEO *Papa*, fortè circa ann. 450.

V. Fortiùs punienda sunt crimina quæ insontibus, & maximè Sacratis hominibus inferuntur. *De Calumniatoribus.* Cap. *Cùm fortiùs. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 2. Cap. 1. GREGORIUS ANTHEMIO *Subdiacono.* LIB. IX. *Epistola* 66.

VI. Attendite ut criminatorem pœna conveniens castiget; quia tantæ nequitiæ malum sine dignâ non debet ultione transire. *Ibid.*

SECTIO XIX.

Cùm probatur crimen per Testes, Sententia condemnationis ferenda est, nec admittitur Reus ad probandum se non deliquisse.

I. Cùm per Testes quemlibet articulum criminum constat suffic probatum, in nomine Domini ferenda est sententia, & accusatus condemnandus. *De Dolo & contumacia.* Cap. *Veritatis.* §. 4. *fin.* 5. *med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 14. Cap. 8.

Ut qui publico crimine convicti sunt, Rei publicè judicentur, & publicam pœnam agant secundùm Canones. *Conc.* ARELAT. VI. *ann.* 813. *Can.* 26. TOM. VII. CONC. *pag.* 1238. Vide GONZAL. *ad Caput* 12. LIB. II. *Tit.* 19. *De Probationibus.*

II. Hæc pestis contraria est omni Juri, ut Clerici à criminibus, quæ probari Testibus fide dignis possunt legitime contra eos, reputentur insontes; si se super his

his purgare valeant quoquomodo. *De Probat.* Cap. *Ad nostram.* LIB. II. DECR. *Tit.* 19. Cap. 12.

Si probari potest Reum deliquisse; ejus probatio quod non deliquerit non est admittenda.

III. In hujusmodi probatione negativæ, dum potest affirmativa ex adverso probari, neminem audiatis. *Ibid.* §. 1.

IV. Statutum est ut quotiescumque cuiquam Sacerdoti crimen imponitur, si ipse accusator qui Canonicè est recipiendus, cum legitimo numero verborum & bonorum Testium approbare poterit; tunc Canonicè dijudicetur; & si culpabilis inventus fuerit, Canonicè damnetur. CAUS. II. QUÆST. V. *Cap.* 19. *Omnibus. med. Ex Capitularibus* CAROLI *ann.* 803.

Ecce autem crimina quorumlibet, si ipsis criminosis confiteri nolentibus, undecumque claruerint, quæcumque non fuerint patientiæ levi medicamento sanata, veluti igne quodam piæ increpationis urenda sunt & curanda. Quod si nec sic quidem æquanimiter sustinentis, ac pie increpantis medela processerit in eis, qui diù portati, salubriter objurgati corrigi noluerint, tanquàm putres corporis partes debent ferro Excommunicationis abscindi: ne, sicut caro morbis emortua, si abscissa non fuerit, salutem reliquæ carnis putredinis suæ contagione corrumpit; ita illi, qui emendari despiciunt, & in suo morbo perlistunt, si moribus depravatis in Sanctorum societate permanserint, eos eaemplo suæ perditionis inficiant &c. CAUS. XXIV. QUÆST. III. *Cap.* 18.

SECTIO XX.

In causa criminali Testes cogi possunt per Judices ad ferendum testimonium veritati.

I. Si factum non est notorium, & is qui convenitur factum negaverit, Testes ad ferendum testimonium veritati, passim possunt de juris hujusmodi rigore compelli. *De Testibus cogendis.* Cap. *Super eo.* LIB. II. DECR. *Tit.* 21.

II. Si quis de crimine accusatus, quemdam qui contrà eum ducendus erat in testimonium, juramento adstrinxit, ut non deponeret contra ipsum; ad detegendum tantæ fraudis & calliditatis commentum ipse talis est meritò compellendus. *De Testibus cogendis.* Cap. *Pervenit.* LIB. II. DECR. *Tit.* 21. Cap. 4.

Compelluntur testes etiam in criminali quos accusatus malitiosè accusatori subtrahit.

III. Si à Laïcis enormis & intolerabilis injuria Clerico, multis adstantibus & videntibus, illata est, & illi qui præsentes extiterant, nolint veritati testimonium perhibere; si aliter veritas nequiverit elici, ad illud sunt per censuram Ecclesiasticam compellendi. *Ibid.* Cap. *Pervenit.* LIB. II. DECR. *Tit.* 21. Cap. 5.

Si res aliter probari non possunt, etiam in causa criminali compellendi sunt Testes. *Rubrica.*

IV. Super inquisitionis articulis, cogatis Testes qui nominati fuerint perhibere testimonium veritati. *Ibid.* Cap. *Super his.* LIB. II. DECR. *Tit.* 21. Cap. 8.

Compelluntur testes in criminibus. *Glossa*, verbo, *Cogatis.*

V. Super vitio falsitatis, Testes, si se gratiâ, odio, vel timore subtraxerint, per Censuram Ecclesiasticam debes compellere veritati testimonium perhibere. *Ibid.* Cap. *Cùm contrà.* LIB. II. DECR. *Tit.* 21. Cap. 9.

VI. Si qui præsumpserunt conjurationem facere, ne pro defectu Testium pereat justitia, quos Actor ad testimonium duxerit producendos, si se gratia vel odio vel timore substraaerint, per Censuram Ecclesiasticam compellantur ad perhibendum testimonium veritati. *Ibid.* Cap. *Venerabilis.* LIB. II. DECR. *Tit.* 21. *Cap.* 21. Notandum Testes in criminibus compellendos. *Glossa.*

Nota testes compellendos ad conjurationem probandam. *Glossa.*

Ex præsumptione quod testes qui ad ferendum testimonium in judicio criminali idonei sunt, id facere nolunt, ex injusta causa id recusant, nunc omnes hujusmodi Testes ad id compelluntur. Hinc usus Monitoriorum sub excommunicatione tàm in Criminali quàm in Civili indistinctè usurpatus, communiterque receptus.

SECTIO XXI.

Puniendi qui Testes impediunt à ferendo testimonio.

I. Generalem feras eacommunicationis Sententiam in omnes qui impedimentum aliquod præstare præsumpserint in Testibus producendis. *De Testibus.* Cap. *Constituris.* §. 1. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 2. Cap. 45.

II. Illis quos jurasse constiterit quod contra aliquem nihil dicerent, denuncies juramento hujusmodi non teneri. *Ibid.* §. 2.

Non tenet juramentum quo quis adstringitur non ferre testimonium, & eo non obstante admittitur ejus testimonium. *Glossa.*

III. Si fortè aliqui Testes eos quos Adversarius ad perhibendum testimonium veritati duxerit producendos, præsumpserint impedire, tu ipsos ab ejusmodi præsumptione cessare compellas. *De Testib.* Cap. *Cùm causam* §. 2. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 37.

Qui testes impedit quominùs possint perhibere testimonium veritati, puniendus est. *Glossa.*

IV. Excommunicetur solemniter si quis testes impedire præsumpserit quominus testimonium perhibeant veritati. *De Testibus.* Cap. *Tam litteris.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 33.

Qui testes impediunt, sunt excommunicandi. *Glossa.*

V. Si quis aliquos de Testibus adversarii sui juramento constrinxit, quod testimonium, consilium, & auxilium contrà ipsum non præbebunt eidem; Judex nihilominùs eos qui sunt juramento adstricti, in testimonium recipere non postponat. *De Testibus.* Cap. *Intimavit* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 18.

Non obstante juramento tali quod iniquè fuit exortum, jurabunt dicere veritatem super negotio principali, cùm illud juramentum illicitum fuerit, & sine peccato servari non potest. *Glossa*, verbo, *Juramento.*

Juramentum illicitum non repellit à ferendo Testimonio. *Glossa.*

SECTIO XXII.

Nunc tàm in Causis Criminalibus quàm in Causis Civilibus testes cogi posse per censuras Ecclesiasticas ad ferendum Testimonium.

I. In Causa matrimonii quæ inter aliquos vertitur, si Testes odio, vel gratia, vel timore se subtrahant; eos ad ferendum Testimonium coram Judicibus, Ecclesiastica districtione compellas. *De Testibus cogendis.* Cap. *Causam.* §. 1. *fin.* LIB. II DECR. *Tit.* 21. Cap 1.

In Causa matrimoniali cogendi sunt Testes ferre testimonium; sic loqui videntur Jura in aliâ materiâ Civili. *Glossa prima.*

II. Quisquis metu cujuslibet potestatis veritatem occultat, iram Dei super se provocat; quia magis æstimat hominem quàm Deum. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 8. *Quisquis. Init.*

III. Reus est qui veritatem occultat, quia prodesse non vult. *Ibib.* §. 1.

IV. Cùm super causâ quæ vertitur inter Episcopum, & Abbatem, est testimonium Clericorum aliquorum necessarium, ipsis injungitur, quatenùs perhibituri testimonium veritati, Judici se præsentent; si non venerint, excommunicationis sententiam poterunt formidare. *De Testibus cogendis.* Cap. *Cùm super.* LIB. II. DECR. *Tit.* 21. Cap. 2.

Per Eacommunicationis, suspensionis, & depositionis Sententiam cogendi sunt Testes. *Glossa* 1.

Ubi Testimonium est necessarium, compellendi sunt Testes ad illud ferendum, etiam per suspensionis, excommunicationis, & depositionis Sententiam. *Sum.*

V. Hi qui de rebus Ecclesiasticis testificari recusant, si aliter veritas nequiverit elici, ad illud sunt per Cen-

Censuram Ecclesiasticam compellendi. *De Testibus cogendis.* Cap. *Pervenit ad nos.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 21. Cap. 5.

Non directè respondet ad interrogata; sed eo ipso quod respondet, ut super rebus Ecclesiasticis compellendi sunt, à contrario respondet, quod super illa injuria non sunt compellendi ferre testimonium; quod enim de uno confitetur, de altero negare videtur. *Glossa*, verbo, *Recusant.* In Causa Matrimoniali testes sunt compellendi ad ferendum testimonium, & est notabile in causis de facto. *Glossa.*

VI. Quod super Consanguinitate cogendus sit testis perhibere testimonium veritati, non dubitatur à nobis; cùm id tàm Jus scriptum approbet, quàm Consuetudo actibus utentium approbata, si ipsum constiterit odio vel gratiâ veritatem supprimere, aut timore. *De Testibus cogendis.* Cap. *Ceterùm.* Lib. II. Decr. *Tit.* 21. Cap. 6.

Eo ipso quod monitus non vult testificari, præsumitur contrà ipsum ut statim compellatur, nec est alia necessaria approbatio, & hæc levis præsumptio sufficit. *Glossa*, verbo, *Ipsum constiterit.*

Aliàs fuit hac in re magnum discrimen inter criminale & civile, ut ostensum in Tractatu Gallico, *De Censuris juxtà Gallorum usum*, *Pars.* 2. *Tit. De Monasteriis.*

SECTIO XXIII.

De Præsumptionibus, Indiciis, Conjecturis, Famâ, aliisque Probationum adminiculis.

Cùm hæc omnia præcipuè locum habeant in re criminali, Canones illa spectantes hùc remissi sunt, ubi agitur de Probationibus in judicio criminali adhibendis. Sed notasse sufficiet, 1°. Plura ex illis inserta esse sub Titulis de Probationibus, de Fide Instrumentorum, de testibus, aliaque non pauca referuntur, dùm de Matrimonio, ubi multis agetur de Matrimonio præsumpto, circà quod explicanda veniunt quæ ad præsumptiones pertinent, sed præcipuè distinctio præsumptionum juris, & de jure; item dùm de legitimatione filiorum quorum legitimitas olim frequentissimè probabatur per præsumptiones, quod interdùm etiam nunc fit, seu fieri potest.

2°. Indicia, Conjecturas, Famam, aliaque Probationum adminicula, id unum ut plurimùm operari, quod forment præsumptionem vel levem, vel vehementem, vel violentam, pro cujusque illorum qualitate, sive seorsim sumantur, sive simul concurrant; ex hoc præsumptionum genere nullam habere vim probationis completæ, quàm illam quæ violenta dicitur; hujus autem sermonem fieri in *Cap.* 11. 12. 13. *De Præsumptionibus*, & in *Cap.* 30. *De Sponsalibus*, circa quæ videndus Gonzal. in *Cap.* 13. *De Præsumpt. num.* 9. ubi prædictâ distinctione conciliat omnes Textus Juris, tùm Civilis tùm Canonici, quorum alii docent præsumptionem non sufficere ad probandum, alii verò illam ad id sufficere; interpretando priores de primo & secundo genere Præsumptionum, posteriores autem de tertio. Quoad *Cap.* 30. *De Sponsal.* omnes conveniunt, hoc in Textu pro certo dari, violentam Præsumptionem adeò validam esse probationem ut nullam admittere liceat contrà illam; undè Gonzal. de illa præsumptione loquens ait, illam pro veritate haberi; Fagnanus verò præsumptionem hujusmodi idem operari in casu præsumpto, quod veritas operatur in casu vero; cujus rei causam afferens Cujacius *in illud Caput* dicit, id provenire ex eo quod justa sit præsumptio, nimirùm ex medio jure, sive recepta jure publico, quapropter vocatur præsumptio juris & de jure.

3°. In toto Juris Corpore unicum esse Titulum de Præsumptionibus, quindecim duntaxat Capitibus constantem, quamvis sex extent in secunda Parte Collectiones, eadem methodo & ordine digestæ; eumdem esse in Lib. II. Collectionis Gregorianæ, eumque 23. hincque conjicere licere alios Textus non repertos, qui collectis aliquid notandum adjicerent quod ad hanc rem pertineret: circà quam certum videtur hic tribus observationibus comprehendi quidquid de illa scitu dignius est, utiliusque quoad utrumque judicium, sive civile, sive criminale.

His adde quæ habentur infra *Tit.* 4. *Sect.* V.

SECTIO XXIV.

Accusator potest accusationem deserere, dummodò non fiat per collusionem cum accusato.

I. Si Accusatores citrà vinculum inscriptionis desistere voluerint, eis id non est imputandum. *De Accus.* Cap. *Licet.* §. *Penult.* Lib. V. Decr. *Tit.* 1. Cap. 14.

Licitum est desistere ab accusatione sine pœna, antè inscriptionem. *Glossa.*

II. Quem pœnitere potest accusasse criminaliter, & inscriptionem fecisse de eo quod probare non poterit, dummodò inter eum & accusatum nulla sit collusio; si qua à Judice detecta fuerit, juxtà Leges puniendus est. Caus. II. Quæst. III. *Cap.* 8. *Si quem. init.* *Ex* Codice Theodos. Lib. IX. *Tit.* 37. Cap. 1.

Modò id fiat intrà 14. horarum spatium, ex *Codice Criminali. ann.* 1670.

III. Quod si aliquis deceptus promissione, ab accusatione destiterit, hanc ei culpam ignoscimus. *Ibid.* Caus. II. Quæst. III. *Cap.* 6. *Paulum.* Gratia in consequentiam non trahenda, multòque minùs in Legem convertenda.

IV. Ne autem Judex in absolutione accusati minùs Canonicè procedere videatur, inquisitionem famæ illius curet committendam. *De Accusationibus.* Cap. *Licet.* §. *ultim.* Lib. V. Decr. *Tit.* 1. Cap. 14.

V. Si Judex eum qui accusatus est criminosum esse cognoverit; is qui Reus probatur, pœnam excipiat legibus constitutam. Caus. II. Quæst. III. *Cap.* 8. *Si quem. fin. juxtà Correct. Rom.*

In interpretatione Legis primæ quæ in Codice Theodosiano, Lib. IX. *Tit.* 39. Cap. 5.

VI. Cùm Accusatores & accusatum inter se fecisse gratiam indicatum est, hoc necessè est subtiliùs perscrutari; ne fortè non ex charitate, sed ex prœmio eorum sit concordia comparata. *De Collusione deteg.* Cap. *Scripta.* §. 1. *fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 22. Cap. 1.

Accusatore desistente ab Accusatione, potest Judex ex officio suo inquirere super crimine illato. *Summa.*

VII. Crimina semel audita Gregorius indiscussa nullomodò præteribat, etiamsi accusatus cùm accusatore in gratiam rediisset. *De Collusione deteg.* Cap. *Crimina.* Lib. V. Decr. *Tit.* 22. Cap. 2. Joann. *Diaconus in vita* Gregor. Lib. IV. Cap. 32. *ann.* 873.

Desistente accusatore & accusato, Judex prosequitur. *Summa.*

VIII. Si de Collusione accusati vel inquisiti cum Accusatoribus, vel Inquisitoribus, vel Testibus constiterit, ex integro, super excessibus hâc fraude remanentibus incorreptis, de illis inquirendum est. *Cap.* 4. *De Collus. deteg.* Lib. V. Decr. *Tit.* 22.

Quamvis illud *Cap.* de Accusatoribus expresè non loquatur, Gonzal. tamen in illo comprehendit illos, istamque indè conclusionem elicit: Absolutio de criminibus illatis, per collusionem facta, etiam præcedente Partium transactione, non impedit Judicem punire & inquirere idem delictum; ea verò impugnat suo more, ex eo quod Absolutio & Transactio crimen perimant, ut & res judicata. Eamdem tuetur dicendo. 1°. Quod Absolutio ex collusione data nulla sit. 2°. Quod Jure Canonico prohibeantur Transactiones circà crimina, atque in hoc differt à Jure Civili quod permittit transigere de delictis Capitalibus, quia in istis agitur de vitanda vitæ jacturâ, & ignoscendum est ei qui qualitercumque sanguinem suum redimere voluit. *Leg.* 1. *De bonis eorum qui antè Sententiam*, illiusque discriminis causa est quod Jure Canonico nulla sint crimina Capitalia.

TITULUS

TITULUS III.

De modo procedendi in causa criminali per viam Denunciationis.

SECTIO I.

I. *Qui accusare non potest, potest denunciare.* II. *Denunciationem debet pracedere monitia.*

I. CUm propter Jurisjurandi Religionem, quis accusare non potest. denunciare potest ad Pœnitentiam peragendam. *De Jurejur.* Cap. *Quem ad.* §. *ultim. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24, *Cap.* 25. Juramentum de quo hic, fuit aliàs commune; promittebatur enim in celebratione matrimonii cum juramento, quod numquam sese disjungerent, salvo Jure publico in hac promissione subintellecto, cùm pacto privatorum Juri Publico derogari non possit.

Qui non potest accusare, potest denunciare. *Glossa.*

II. Debet præcedere denunciationem charitativa monitio. *De Accusat.* Cap. *Qualiter. il* 2. §. *penult.* LIB.V. DECR. *Tit* 1. Cap. 24.

III. Si constiterit eum de quo sunt excessus nunciati, de dictis excessibus non fuisse præmonitum, à denunciatione quemlibet repellatis. *De Accusat.* Cap. *Cùm Dilectus.* LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap. 20.

IV. Si constiterit eos, quorum nomine sunt excessus de aliquo nunciari, publicos concubinarios fuisse, à denunciatione repellatis eosdem. *De Accusat.* Cap. *Cùm Dilectus.* LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap. 20.

Criminosus alium denunciare potest. *Glossa*: dummodò non sit publicus, ut infertur ex citato Textu.

V. Qui sunt inimici manifesti, & cum hostibus conversantur, ad denunciandum admitti non debent. *De Accusat.* Cap. *Cùm oporteat.* §. 1. *fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap. 19. Inimici non admittuntur ad denunciandum. *Glossa.*

VI. Licet Rex aliquem per nuntios & literas de crimine detulerit; si tamen ejus suggestio non de caritatis radice procedere videtur, noli aures tuas quasi malignis delationibus inclinare. *De Præsumptionibus.* Cap. *Cum in juventute.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 23. *Cap.* 15. Denunciatio ex caritate fieri debet. *Glossa.* Superior non statim debet credere de subditis quæ referuntur eisdem, sed priùs debet ab aliis inquirere. *Glossa.*

VII. Quando crimen in modum denunciationis opponitur, non est inscriptio necessaria. *De Accusat.* Cap. *Super his. post init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap. 16.

VIII. Ut in omnibus diligens adhibeatur cautela, præcedere debet denunciationem charitativa correctio. *De Simonia.* Cap. *Licet. post init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 5. Cap. 31.

IX. Si qui denunciando demonstrarunt, quod aliquis famæ suæ prodigus & salutis, vitam ducit enormiter dissolutam; Judex mandare debet alicui, quatenùs personaliter accedens ad locum, inquirat sollicitè veritatem. *De Accusat.* Cap. fin. *Prælatorum.* LIB. V. DECR. *Tit.* 1. *Cap.* 27.

X. Non debemus aliquid sinistrum de illo præsumere, quem & excellentia dignitatis, & communis reddit fama præclarum. *De Elect.* Cap. *Scriptum. in init. med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 40.

XI. Si quis Presbyter aut Diaconus negligens vitæ suæ, mala de se suspicari permiserit, & ejus infamia coràm Episcopo Canonicè denotatur, admoneatur ab Episcopo semel, bis, ac tertiò, ut vel prodendo reatum, culpabilem se esse cognoscat; & sic justæ correctionis sententiam accipiat, aut innocentem se esse demonstret, adhibitis secum Collegis, juramento se expurgando, aliove modo. *Concilium* ERFORDIENSE, anno 932. *Cap.* 4. TOM. IX. CONC. *pag.* 592.

SECTIO II.

Non debet fieri inquisitio, nisi sit aliquis infamatus.

I. Nisi super delatis criminibus, famam alicujus læsam esse noveritis, vos ad inquisitionem illorum non subitò procedatis. *De Accusat.* Cap. *Cùm oporteat.* §. 2. *init.* Non est facienda inquisitio, nisi contrà infamatum. *Glossa.*

II. Inquisitio fieri debet solummodò super illis de quibus clamores aliqui præcesserunt. *De Accusat.* Cap. *Inquisitionis.* §. 3. *post init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap. 21.

Sanctitas debet mentem suam à maledicorum hominum rumoribus, atque obtrectatione disjungere; & sola quæ æternæ vitæ sunt, atque ad utilitatem subditorum proficiunt, cogitare. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 52. *In cunctis. fin.*

III. Nec ad petitionem eorum qui libellum infamationis porrigunt, in occulto procedendum est ad inquisitionem, super contentis ibidem criminibus, faciendam. *Ibid. med.*

GREGORIUS I. LIB. VI. *Epist.* 14. CONSTANTINO *Mediolanensi Episcopo*, anno 596.

Si quid de quocumque Clerico ad aures tuas pervenerit, quod te justè possit offendere, facile non credas, nec ad vindictam te res accendat incognita; sed præsentibus Senioribus Ecclesiæ tuæ, diligenter est veritas perscrutanda. DIST. LXXXVI. *Cap.* 23. *Si quis.* & CAUS. XV. QUÆST. VII *Cap.* 2. *Si quid.* GREGORIUS I. JOANN. *Episcopo Panormitano* LIB. XI. *Epist.* 49. anno 605.

IV. Super hoc crimine depositiones contrà eum recipi non debent, super quo aliqua non laboret infamia, seu clamosa insinuatio non processit. *Ibid. init.*

Absit à Christianorum judicio, ut ea quæ maledicorum hominum rumoribus conficta credamus in qualicumque modulo suspicionis adduci. *Ibid. med.*

V. Ut in omnibus diligens adhibeatur cautela; debet inquisitionem clamosa insinuatio prævenire. *De Accusat.* Cap. *Qualiter. il* 2. §. *penult. med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap. 24. & *De Simonia.* Cap. *Licet Heli. post init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 5. Cap. 31. Ille reus est qui aurem citò criminibus præbet. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 77. *Non solùm.* ISIDORUS LIB. III. *Cap.* 59. *De Summo bono*, anno 625.

Semper præcedere debet inquisitionem fama, sive clamosa insinuatio. *Glossa.*

SECTIO III.

I. *Superior ex officio suo debet inquirere in crimina subditorum.* II. *In inquisitione debitus ordo observari debet.* III. *Debet Judex diligenter perscrutari veritatem, postquàm ad eum clamor pervenit de criminibus alicujus.*

I. Debitum inquisitionis ordinem tempore opportuno volumus observari; ut omni gratiâ & timore postpositis, Deum solum habentes præ oculis, via Regiâ incedentes, sine personarum acceptione in negotio procedatis. *De Accusat.* Cap. *Qualiter.* LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap. 17.

Superior potiùs in odore bonæ opinionis subditorum suorum, quàm eorum infamiâ delectari debet. *De Accusat.* Cap. *Licet.* §. *ult. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap. 14.

Prælatus potiùs debet delectari in bona fama Subditorum, quàm in infamia eorumdem. *Glossa.* In inquisitione Ordo Juris servandus est. *Glossa.*

II. Superior ex officii debito potest & debet de Subditorum excessibus ad correctionem inquirere veritatem, aliquo maximè causam & occasionem præstante. *Ut Eccles. Benefic.* Cap. unic. §. 3. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 12. *Cap. unic.* Superior ex Officio suo debet inquirere de Inferiorum excessibus. *Glossa.*

Si postquàm super excessious Presbyteri Episcopus inquisivit, intellecto iterùm quod Ecclesia per malitiam dicti Presbyteri multipliciter læditur, inquisitionis Officium iterare potest. *De Celebrat. Miss.* Cap. fin. *Literas.* LIB. II. DECR. *Tit.* 41. Cap. 14.

III. Qualiter & quandò debeat Prælatus procedere ad inquirendum, ex autoritatibus Novi & Veteris Testamenti colligitur evidenter, ex quibus posteà processerunt Canonicæ Sanctiones. Legitur in Evangelio quod Villicus ille qui diffamatus erat apud Dominum suum, quasi dissipasset bona ipsius, audivit ab illo, quid audio de te? Redde rationem villicationis tuæ? Jam enim non poteris ampliùs villicare. Et in Genesi Dominus ait; descendam & videbo utrùm clamorem qui venit ad me, opere compleverint. Ex quibus autoritatibus manifestè probatur, quod cùm subditus excedit, si per clamorem, & famam ad aures Superioris pervenerit, non quidem à malevolis & maledicis, sed à providis & honestis, nec semel tantùm, sed sæpe, quod clamor innuit, & diffamatio manifestat, debet coram Ecclesiæ Senioribus veritatem diligenter perscrutari. *De Accusat.* Cap. *Qualiter. il* 2. *init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap. 24.

Tunc debet Prælatus procedere ad inquirendum, cùm famam & frequentem clamorem intelligit de excessibus alicujus. *Glossa*, verbo, *Ad inquirendum.*

Super omnibus, rei veritatem per idoneas personas, & famam loci, sollicite inquiratis. *De Appellat.* Cap. 1. *in init.*

Non super his criminibus super quibus inquisitio facta fuit, sed super aliis. *Glossa*, verbo, *Iterans.*

Nullo adversario comparente, Judex suo procedit Officio. *De Appell.* Cap. *Cùm speciali.* §. ult. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 61.

IV. Cùm super excessibus suis quisquam fuerit infamatus, ut jam clamor ascendat, qui diutiùs sine scandalo dissimulari non potuit, vel sine periculo tolerari; absque dubitationis scrupulo, ad inquirendum & puniendum ejus excessus, non ex odii fomite, sed charitatis procedatur affectu. *Ibid. med.* Neque arguas & impugnes eum cujus crimen non deprehenderis. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 13. *§.* 2. S. AMBROS. LIB. II. *De Officiis.* Cap. 24 *n.* 124.

Cùm clamor validus contrà aliquem super criminibus ascenderit, debet dari alicui in mandatis, ut super his diligenter veritatem inquirat. *De Testibus.* Cap. *Cùm clamor. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 53.

V. Descendam, inquit Dominus, & videbo utrùm clamorem qui venit ad me, opere compleverint; tunc enim clamor pervenit ad Prælatum, cùm per publicam famam, aut insinuationem frequentem, Subditorum sibi referuntur excessus; & tunc debet descendere, & videre, id est, mittere, & inquirere, utrùm clamorem qui venit, veritas comitetur; nam juxtà Canonicas Sanctiones, si quid de quocumque Clerico ad aures Prælati pervenerit, quod eum justè possit offendere, non facilè credere debet, nec ad vindictam eum res accendere debet incognita, sed coram Ecclesiæ Senioribus diligenter est veritas perscrutanda. *De Simonia.* Cap. *Licet Heli.* §. 1. LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 3. Vide CAUS. II. QUÆST. I. *Cap.* 1. EX EVARISTO.

Rei veritatem per idoneas personas, & famam loci sollicitè inquiratis. *De Judiciis.* Cap. *Dilecti. in init.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 1, Cap. 6.

Provideatis attentiùs, ne ita subtiliter cujusmodi actio intendatur, inquiratur, sed specialiter & purè factum ipsum, & rei veritatem, secundùm formam Canonum & Sanctorum Patrum, investigetis. *De Appellat.* Cap. 1. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. *Concil.* TRIBUR. *ann.* 895. *Can.* 22. TOM. IX. CONC. *p.* 452.

VI. Superior frequentibus clamoribus excitatus, ex Officio suo debet inquirere de criminibus delatis. *Ibid.*

Si ad inquisitionem fuerit procedendum, per viros idoneos, super his quæ gesta sunt, inquiratis diligentiùs veritatem. *De Accusat.* Cap. *Oporteat.* §. 2. *fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap. 19.

SECTIO IV.

I. Contrà quem fit inquisitio, præsens esse debet, nisi sit contumax. II. *Debent ei exponi capitula, ut possit se defendere.* III. *Dicta & nomina Testium sunt ei communicanda.* IV. *Exceptiones admittendæ, & quæ?*

I. Debet esse præsens is contrà quem facienda est inquisitio, nisi se per contumaciam absentaverit. *De Accusat.* Cap. *Qualiter. il* 2. *§.* 1. LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap. 24.

Ille contrà quem fit inquisitio, debet esse præsens, nisi se absentet contumaciter. *Glossa.*

II. Exponenda sunt ei ea capitula de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi seipsum. *Ibid.*

III. Non solùm dicta, sed etiam nomina ipsa testium sunt ei, ut quid, & à quo sit dictum appareat, publicanda, ne per suppressionem nominum, infamandi audacia præbeatur. *Ibid.*

IV. Exceptiones, & replicationes legitimæ admittendæ; ne per exceptionum exclusionem deponendi falsum audacia præbeatur. *Ibid.* Illæ autem præcedere debent publicationem depositionum, ne propter illas testes reprobet, quos aliàs non reprobasset. Vita & actus cujusque ibi meliùs agnosci possunt, ubi diutiùs est conversatus, idcircò de illis inquirendum. *Ibid.* Cap. 3. *De Elect.*

V. Cùm per aliquos qui juraverunt, perhibere testimonium veritati, multis modis videtur esse probatum; infamatus potest contrà testes multas exceptiones opponere. *De Simonia.* Cap. *Per tuas.* §. 1. *med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 32.

VI. Est casus specialis in quo absque litis contestatione legitimè possunt testes produci, quandò excessuum inquisitio imminet facienda. *Ut lite non contestatâ.* Cap. *Quoniam.* §. 5. *Sunt & alii.* LIB. II. DECR. *Tit.* 6. Cap. 5.

VII. Judex eos qui vel cùm infamato, vel contrà ipsum accedunt, Juramenti vinculo adstringat, ut de propositis plenam quam sciunt exponant veritatem. *De Simonia.* Cap. *Licet Heli.* §. 2. *med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 2. Cap. 31. Horum depositiones in Scripturis redigantur & publicentur. *Ibid.*

VIII. Judex æquitate pensatâ, illas exceptiones oppositas probandas admittat, quibus fortè probatis, testes non zelo justitiæ, sed malignitatis fomite processisse constet; ut conspirationes & inimicitias capitales. *De Simonia.* Cap. *Per tuas.* §. 1. *med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 31.

IX. Cæteras exceptiones, ut furti, & adulterii, Judex repellat; quoniam etsi probatæ fidem testium debilitarent in aliquo, non tamen evacuarent ex toto, aliis adminiculis suffragantibus; præsertim cùm testes de crimine fuerint emendati. *Ibid.*

Processus Judicum meritò debet retractari, cùm lite non contestata procedere præsumpserint contrà aliquem. *De Purgat. Canon.* Cap. *Cùm Dilectis.* §. 1. LIB. V. DECR. *Tit.* 34. Cap. 15. GREGOR. I. JOANN. *Defensori.* LIB. XI. *Epist.* 50. ann. 603.

IX. Si contra aliquem causa aliqua mota est ipso præsente, & pro se rationem reddente, quærendum est & genus causæ, & modus probationis. Causa. II. Quæst. I. *Cap.* 7. *In primis. post init.*

Si fortè aliqua de objectis probara sunt, aliqua doceri minimè potuerunt, cautâ omnino consideratione pensandum est, utrùm leviora capitula, an certè graviora probata sint, ut ex eis qualiter definitionem tuam formare debeas, possis scire. Causa II. Quæst. I. *Cap.* 7. *In primis.* §. 4.

SECTIO V.

Justè judicandum.

I. Veritate cognitâ, cum Dei timore, quod justitiæ ordo suaserit judicandum. Caus. II. Quæst. I. *Cap.* 7. *In primis* §. 2. fin.

Vide Epistolam 9. Nicolai I. Tom. VIII. Conc. *pag.* 343. ubi docet Judicem nullâ re avocandum esse à tuendâ veritate & justitiâ.

Indignum esse videtur ut hic cui etiam ab eo qui injuriam pertulit, & etiam à Præposito suo, innocentiæ testimonium perhibetur, pœnâ non meritâ puniatur. Alex. III. *Append.* 2 *Epist.* 76. Conc. Tom. X. *pag.* 1338. Vid. Caus. II. Quæst. I. *Cap.* 13. ubi hæc inter alia leguntur; Semper ante omnia diligenter inquirite, ut cum justitia & veritate definiatis.

II. Unicuique providendum est, ne aliquem injustè persequatur, judicet, & puniat; ne Jesum persequatur, judicet, & puniat. Causa XI. Quæst. III. *Cap.* 82. *Unicuique.*

Pelagius II. *Epist.* 2. Benigno *Archiepiscopo*, anno 588. Non obstat quod suppositia sit, cùm nihil dicat quod in se verum certumque non sit.

III. Judex cum Dei, sicut decet, timore, causam subtili omninò investigatione perquirat. Dist. XXVIII. *Cap.* 10. *Quia sunt*, med. Gregorius I. Lib. II. *Epist.* 59. anno 603.

IV. Cùm nihil circa negotium aliquod est actum in forma judicii, depositiones Testium non possunt Reo præjudicium generare. *Ut Eccles. Benef.* Cap. unico. §. 1. *init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 12. *Cap. unico.*

Censendum puto ne quisquam insons ab Ordinis sui ministerio dejiciatur injustè. Dist. LXXIV. *Cap.* 2. *fin.* Greg. I. Lib. I. *Epist.* 19. anno 590.

V. Judex criminosum discutiens, non antè sententiam proferat capitalem, quàm aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes Testes convincatur. Hadrian. I. anno 785. *Cap.* 57. Tom. VI. Conc. *pag.* 1837.

In omnibus diligens adhibeatur cautela, ne fortè, per leve compendium, ad grave dispendium veniatur. *De Accusat.* Cap. *Qualiter. il* 2. §. *penult. med.* Lib. V. Decr. *Tit.* 1. *Cap.* 24.

Majus periculum est judicantis quàm ejus qui judicatur. Hadrianus I. *anno* 785. *Cap.* 70. Tom. VI. Concil. *pag.* 1838.

VI. Æterni Tribunal Judicis illum reum non habet quem injustè Judex condemnat, testante Prophetâ; Nec damnabit eum, cùm judicabitur illi. *In* 6. *De Re jud.* Cap. *Cùm æterni. init.* Lib. II. *Tit* 14. *Cap.* 1. Reliquum ad rem etiam facit.

Injustum judicium & definitio injusta Regio metu vel jussu à Judicibus ordinata non valet, nec quicquàm contra Evangelicæ, Propheticæ, & Apostolicæ doctrinæ constitutionem, &c. stabit.

Id est perversum & præcipitatum judicium levis Judicis, quia vult breviare lites, al gravem pœnam procedit. *Glossa*, verbo, *Leve*; verbo, *Grave.*

Condemnatus injustè per Judicem non censetur condemnatus apud Deum. *Glossa.*

VII. Sciendum est quod pleraque capitula ex causa, ex persona, ex loco, ex tempore consideranda sunt, quorum modi, quia medullitùs non indagantur, in erroris labyrinthum nonnulli intricando impinguntur, cùm ante judicant quàm intelligant, antè inculpant quàm iterando lecta perquirant. Dist. XXIX. *Cap.* 1. *Sciendum.* anno 620. *Vid. notam* Correct.

Si Judex præscriptum ordinem custodivit, omni gratiâ & timore postpositis, Deum solum suis præ oculis habens, viâ Regiâ incedens, sine personarum acceptione in negotio procedat. *De Accusat.* Cap. *Qualiter.* §. 1. *fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 1. *Cap.* 17.

TITULUS IV.

De corrigendis Subditorum excessibus; & quas pœnas possint Prælati infligere?

SECTIO I.

Prælatis ex officio incumbere, ut subditos corrigere curent.

I. Admonemus ut non cujusquam personæ gratia, non favor, non quodlibet blandimentum, quemquam vestrûm, vel ad discutiendum quæ vobis nunciata sunt, molliat, vel à veritate excutiat; sed Sacerdotaliter, ad investigandam vos, propter Deum, veritatem accingite. Causa II. Quæst. VII. *Cap.* 46. *Sicut* §. 1.

Vide Tom. IV. *Concil. act.* 14. processum judicii adversus Athanasium Perrhenorum Episcopum, præcipuè sententiam *p.* 741. ubi leguntur opiniones Patrum de processu mentionem facientes.

De judicio per contumaciam, vide *Ibid.* p. 752. Deponendus judicatur, nisi intrà octo menses comparuerit, Objectis responsurus.

Gregor. I. Innocentio Lib. VII. *in Epistola* 8. anno 598. ubi de correctione eorum qui usus Canonicos servare spernunt, vel negligunt.

Vide *Concil.* Rom. sub Hilario *Papa*, anno 465. Tom. IV. Concil. p. 1061. *Can.* 4. qui fert, Prælatum subditos corrigere negligentem subdendum pœnæ meritæ ab illis; in se, inquiens, quidquid in alium non resecarit, inveniet.

II. Ad corrigendos subditorum excessus, tantò diligentiùs debet Prælatus assurgere, quantò damnabilius eorum offensas deferere incorrectas. *De Accusat.* Cap. *Qualiter, il* 2. §. *penult. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 1. Cap. 24. & *De Simonia.* Cap. *Licet Heli. post init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. *Cap.* 31.

III. Magna est in ipsa severitate pietas, per quam tollitur peccandi facultas; nam ubi insana libertas generat vulnera, Sacerdotalis districtio dat medelam. *Concil. Turon.* II. anno 567. *in Præfatione*, Tom. V. *Concil.* p. 852.

IV. Si quis potestatem non habet, quem scit reum, abjicere non valet. Causa XXIII. Quæst. IV. *Cap.* 31.

V. Etsi hi qui contra subditum aliqua dixerant, cum eodem in amicitiam convenerint, nunciati facinoris qualitas Superiorem impellere debet, ut ea quæ audivit, dissimulare nullatenùs debeat. *De collusione deteg.* Cap. *Scripta.* Lib. V. Decr. *Tit.* 22. *Cap.* 1.

VI. Si Sæcularibus officiis ordo suus, & tradita à Majoribus disciplina servanda est, quis ferat Ecclesiasticos Ordines temerariâ præsumptione confundi, audita negligere, & emendanda, non opem ferendo, postponere. *De Reg. juris.* Cap. 7. *in med.* apud Gonzalem.

VII. Vide Epistolam 2. Leonis VII. anno circ. 937. Tom. IX. Concil. p. 596. ubi Gallos, Germanosque Episcopos monet de variis corrigendis excessibus ex violatione Canonum provenientibus, citatque Canones qui illos damnant.

VIII. Si quis in hoc piger aut negligens esse præsumpserit, dictis criminibus apud Deum se noverit participem, cujus zelo ad perscrutandas subtiliter nefandi causas facinoris non movetur. Causa II. Quæst. VII. *Cap.* 46. *Sicut. fin.*

IX. Inferiorum culpæ Ordinum ad nullos magis referendæ sunt, quàm ad desides negligentesque Rectores, qui multam sæpè nutriunt pestilentiam, dùm austeriorem dissimulant adhibere medicinam. DIST. LXXXVI. Cap. 1. *Inferiorum.*

X. LEO I. *Epistola 6. Novæ Edit. Aliàs 86. Num. ult. anno* 444. & *Epistola* 14. *Novæ Edit. Aliàs* 3. *anno* 446. In istâ agitur de exigenda a correctis satisfactione; in illa arguit Episcopos Africanos de neglectu Canonum circà Ordinationem & promotionem Prælatorum.

XI. Facientis culpam procul dubio habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare; scriptum quippè est; Non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, participes judicantur; & negligere cùm possis deturbare, perversos nihil aliud est quàm fovere. DIST. LXXXVI. Cap. 3. *Facientis. init.* JOANNES VIII. circ. an. 874. Notant Correctores Romani quod illa verba sint S. GREG. LIB. IV. *Epist.* 114. *ad* THEODORIC. & THEOBERT. Francorum Reges, quæ est 115. Sed esse etiam possunt JOAN. VIII. cui tribui à Veteri Codice PITHÆUS notat, scribenti Ludovico Regi Franc. Attamen in ista nihil simile repertum est. In GREG. prior pars hujus Canonis habetur; non est malitiæ hominum indulgendum. *Qui matr. accusare.* Cap. *Significante, fin.* LIB. IV. *Tit.* 18. Cap. 5.

Non vos hominum vaniloquia retardent dicentium, quia persecutionem Ecclesia faciat, dùm vel ea quæ committuntur reprimit, vel animarum salutem requirit; errant hujusmodi rumoris fabulatores. Non persequitur, nisi qui ad malum cogit. CAUSA XXIII. QUÆST. V. Cap. 42. *Non vos. init.* PELAGIUS *Papa* VALARIANO *Patricio* circa annum 557. ubi sic pergit. Qui verò malum vel factum jam punit, vel prohibet ne fiat, non persequitur, sed diligit. TOM. V. CONC. *p.* 807.

SECTIO II.

Occulta peccata, seu quæ in judicium non sunt delata, tolerari debent, nec pœnis publicis castigari.

I. Multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in judicium, exigente justitia, non debeant tolerari *De Præbendis.* Cap. *Cùm jam dudum.* §. 2. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 18.

Per patientiam multa tolerantur, quæ non denunciantur vel accusantur, quæ si in judicium deducerentur, secundùm justitiam cassarentur. *Glossa.*

Si quis quem scit reum, probare non valet, immunis est. CAUS. XXIII. QUÆST. IV. Cap. 31. *init.* forte LIBARIUS *Diaconus* circa annum 384.

Secretorum est cognitor Deus & Judex. DIST. XXXII. Cap. 11. *Erubescant. fin.*

II. Non est tutum, cum est secretus alicujus Sacerdotis excessus, ipsum invitum ab officio coërcere. *De simonia.* Cap. *Ex tuæ. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 20. *apud* GONZALEM. *n.* 19.

Crimen occultum Prælatus punire non debet, quia illud scit ut Deus, non ut Judex. *Glossa.*

III. Quoniam peccatum ipsius fore occultum dixisti, mandamus quatenùs pœnam ei condignam imponas. *De temporibus Ordin.* Cap. *Ex tenore.* §. 1. *init.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 11. Cap. 4.

Occulta peccata vindictam non habent in foro exteriori, nam quoad Deum non relinquuntur impunita. *Glossa.*

IV. Si proposita crimina, adulterii, perjurii, vel falsi testimonii, Ordine Judiciario comprobata, vel aliàs notoria non fuerint, non debent Clerici in susceptis Ordinibus impediri. *De temporibus Ordin.* Cap. fin. *Quæsitum.* §. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 11. Cap. 17.

Qui de perjurio, furto, atque fornicatione, & cæteris hujusmodi criminibus, absconditè à se admissis, per occultam confessionem coràm oculis Dei, præsente etiam Sacerdote, qui vel falsi testimonii eis indicturus est pœnitentiam, confitentur, &c. DIST. L. Cap. 34. *fin.* Non incurrunt pœnas Canonicas.

V. Non habent latentia peccata vindictam. CAUS. XXXII. QUÆST. V. Cap. 23. ult. *Christiana. post init.*

VI. INNOCENT. I. *Epistola* 3. ad EXUPERIUM *Episcopum.* Cap. 4. *anno* 405. CONC. TOM. II. *pag.* 1256. Virorum autem latente commisso, non facilè quisquam ex suspicionibus abstinetur... Probatione cessante, vindictæ ratio conquiescit.

Delicta occulta & incognita isti sunt relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum. CAUS. II. QUÆST. V. Cap. 20. *Consuluisti. post med.* STEPHANUS V. HUMBERTO *Episcopo Moguntino*, circa annum 888.

VII. Plerumque boni viri propter ea sufferunt aliorum peccata, & tacent, quia sæpè deseruntur publicis documentis, quibus ea quæ ipsi sciunt Judicibus probare non possunt. CAUS. II QUÆST. VII. Cap. 27. *Plerumque.* S. AUGUST. *Serm.* 355. HOM. 50. *De Pœnit.* circa annum 415. Similes Canones collecti sunt dum de Officio Judicum, de Probationibus, de Censuris.

SECTIO III.

Prælati cum moderatione debita potiùs corrigant, quàm severè, nisi talia sint crimina quæ atrociores pœnas exigant.

I. Licet plerumque accidant in Sacerdotibus quæ sunt reprehendenda; plus tamen erga corrigendos agat benevolentia quàm severitas; plus cohortatio quam comminatio; plus caritas, quàm potestas; cùm nemo nostrum sine reprehensione aut sine peccato vivat. DIST. XLV. Cap. 4. *init.* & Cap. 6. *Licet.*

GREGORIUS IV. *in Epistola Episcopis per Galliam*, circa annum 828. CONCIL. TOM. VII. *p.* 1571. Ubi mox relata verba, pluraque alia ex S. LEONE desumpta habes, eo non laudato, ex quibus, necnon ex similibus aliorum Patrum lasciniis, suspecta falsitatis non immeritò habetur.

Quicumque non dilectione corrigendi, sed inimicandi odio persequitur, displicet nobis. CAUS. XXIII. QUÆST. VII. Cap. 1. *Quicumque.*

II. Necessè est Ecclesiastica quæque negotia, post multarum experimenta causarum, sollicitiùs perspici, & diligentiùs præcaveri, quatenùs per Spiritum caritatis & pacis, omnis materies scandalorum, & præsumptio invidorum, atque oppressio simplicium Fratrum, de Ecclesiis Domini auferantur. *Ibid. med.*

LEO *Epistola* 12. aliàs 84. ANASTASIO *Thessalonicensi Episcopo* §. 1. anno 445.

III. Hi qui quæ sua quærunt, non quæ Jesu CHRISTI, facilè ab hac Lege discernuntur. & dum dominari magis quàm consulere subditis quærunt, placet honor, inflat superbia, & quod provisum est ad concordiam, tendit ad noxam. DIST. XLV. Cap. 6. *Licet. fin.*

LEO *Epistola* 12. aliàs 84. ANASTASIO *Thessal. Episcopo* §. 1. anno 445.

IV. Disciplina vel misericordia multùm destituitur, si una sine altera teneatur, sed circa subditos suos inesse Rectoribus debet, & justè consolans misericordia, & piè sæviens disciplina, quatenus unusquisque qui sanandis vulneribus præest, in vino morsum districtionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis; per vinum mundentur putrida, per oleum sananda foveantur; miscenda est ergo lenitas cum severitate, faciendumque quoddam temperamentum ex utraque, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimiâ benignitate solvantur. DIST. XLV. Cap. 9. *Disciplina.* GREGORIUS I. LIB. II. *Mor.* Cap. 6. *ad* Cap. 29. JOB. anno 590.

V. Cunctis Rectoribus utraque summoperè sunt tenenda, ut nec in Disciplinæ rigore benignitatem mansuetudinis, nec rursùm in mansuetudine districtionem deserant Disciplinæ; quatenus nec à compassione pietatis obdurescant, cùm contumaces corrigunt; nec Disciplinæ rigorem molliant, cùm infirmorum animos conso-

consolantur; regat ergo Disciplinæ vigor mansuetudinem, & mansuetudo ornet rigorem, & sic altera commendetur ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta. DIST. XLV. *Cap.* 14. *Sunt namque. post init.*

GREGORIUS I. in *Cap.* 29. JOB. *Cap.* 16. *anno* 590.

VI. Contumaces Clerici, prout dignitatis ordo permiserit, ab Episcopis corrigantur. *Ex Concilio* AGATHENSI. *Cap.* 2. *anno* 506.

VII. Necesse est ut quidam districtiùs, quidam leviùs corrigantur, & cùm paulò districtiùs agitur, ex caritate agendum est, & non ex furore, quia ipsi hoc præstatur, qui corrigitur, ne gehennæ ignibus tradatur. CAUSA XII. QUÆST. II. *Cap.* 11. *Fraternitatis. med.*

GREGORIUS I. *Cap.* 4. *Responsionum ad* AUGUSTINUM *Anglorum Episcopum, anno* 604.

VIII. Quæ sola admonitionis autoritate non corrigimus, necesse est ut per severitatem congruentem regulis vindicemus. DISTINCT. LXII. *Cap.* 2. *Docendus est. med.*

COELESTINUS I. *Epistolâ* 3. *Cap.* 3. *anno* 419.

IX. Est diligentis & pii sanctique Pastoris officium, morbis omnium lenia primùm adhibere fomenta; post, ubi morbi gravitas ita postulat, ad acriora & & graviora remedia descendere; sin autem ne ea quidem proficiant, illis submovendis, cæteras saltem oves à contagionis periculo liberare. *Concil.* TRID. SESS. XIII. *De Refor. Cap.* 1. *post init.*

X. Crimina quorumlibet, si ipsis criminosis confiteri nolentibus undecumque claruerint, quæcunque non fuerint patientiæ leni medicamento sanata, velut igne quodam piæ increpationis urenda sunt & curanda. CAUSA XXIV. QUÆST. III. *Cap.* 18. *Ecce. init.*

JULIANUS *Pomerius* circa annum 496.

XI. Si negligenter ea quæ malè usurpantur, omittimus, excessus viam aliis aperimus. DISTINCT. XCIII. *Cap.* 11. *Pervenit. fin.*

GREGORIUS I. JOANNI *Episcopo Syracusano*, LIB. VII. *Epist.* 18. *anno* 598.

XII. Boni Rectores ex suâ infirmitate aliorum infirmitates pensantes, magis per humilitatis & mansuetudinis levamentum student patres ab erroris laqueo eruere, quàm per austeritatem in foveam perditionis nutantes propellere. DISTINCT. XLV. *Cap.* 16. *Rudere. med.*

SECTIO IV.

Fama per se non sufficit ad probationem; aliquando confirmat fidem, aliquando cum aliis adminiculis suffragatur. Rumor viciniæ invalidus est sine probationibus fide dignis.

I. Si nihil per certam scientiam, sed tantùm per famam, & eorum qui fuerunt inquisiti credulitatem juratam, contigerit inveniri; propter famam & deponentium credulitatem dumtaxat, non erit ad depositionis sententiam procedendum. *De Accusat.* Cap. *Inquisitionis.* §. ultimo. LIB. V. DECR. *Tit.* 1. *Cap.* 21.

II. Propter dicta paucorum, eum infamatum judicans reputare non debet, cujus apud bonos & graves læsa opinio non existit. *Ibid. fin.*

III. Aliquis super eo crimine reputari non debet infamatus, de quo ipsum duo, vel tres, vel etiam plures dixerint infamatum; licet de ipso nihil sinistri in publico audiatur. *Ibid. med.*

HINCMARUS *anno* 852. *Cap.* 12. TOM. VIII. CONC. *pag.* 578. pluribus adductis autoritatibus, nullum damnandum, nisi debite convictum vel confessum.

IV. Cùm subditus excedit, si per clamorem & famam ad aures Superioris pervenerit, non quidem à malevolis & maledicis, sed à providis & honestis; nec semel tantùm, sed sæpè, quod clamor innuit, & diffamatio manifestat, debet veritatem diligentiùs perscrutari, ut si rei poposcerit qualitas, Canonica Districtio culpam feriat delinquentis. *De Accus.* Cap. *Qualiter*, *II* 2. *post init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 1. *Cap.* 24.

V. Super objectis criminibus veritas per idoneas personas, & famam loci sollicitè inquiri debet. *De Appellat.* Cap. *Dilecti.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 28. *Cap.* 1.

VI. Consentiens fama confirmat rei de qua quæritur fidem. CAUSA. IV. QUÆST. III. §. *Sæpè.*

VII. Si testimonium reddatur etiam de auditu, & præsumptionem violentam fama consentiens subministret, ac alia legitima adminicula suffragentur; standum est testimoniis juratorum. *De Testibus.* Cap. *Præterea. med.* LIB II. DECR. *Tit.* 20. *Cap.* 27. GONZALEZ putans hìc agi de adulterio, cujus probatio facilis non est, ideòque indicia necessaria sunt, examinat an oscula sufficiant, & ostendit ad id non sufficere.

Ex multis præsumptionibus & ex fama fit probatio sufficiens; & quæ non prosunt singula, multa simul collecta valent, & probationem faciunt. *Glossa.*

VIII. Rumor viciniæ non adeò est judicandus validus, nisi rationabiles, & fide dignæ probationes accedant. *De eo qui cognovit.* Cap. *Super eo. fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 13. *Cap.* 5.

Rumor viciniæ non facit probationem, secùs de famâ. *Glossa.*

SECTIO V.

Quæ præsumptiones possint ad condemnandum vel absolvendum prodesse?

I. Non immeritò contrà eum suspicamur, quem omnibus diligenter auditis, comperimus fuisse culpabilem, circà contrarietatem responsi, quia non debet cuiquam ex certâ scientiâ contrariis respondere. *Ut Eccles. Benef.* Cap. unico. §. *penult. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 12. *Cap. unico.*

II. Nullus dubitat, quod ita judicium nocens subterfugit, quemadmodùm ne absolvatur, qui est innocens, quærit. *De præsumptionibus.* Cap *Nullus.* init.

Præsumitur contra illum qui dilationibus subterfugit judicium. *Summa.*

III. Aliquem suspectum vehementer habemus, cùm quod antè dixerat, posteà se dixisse negavit. *De Præs.* Cap. *Litteras.* §. 1. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 23. *Cap.* 14.

Qui contraria dixit tanquam suspectus repellitur. *Glossa.*

IV. Cùm quis vel mendacium priùs dixit in aliquem, vel perjurium posteà commisit in Deum; horum utrumque reddit illum valdè suspectum. *Ibid.*

Contumacia in causâ, præsertim fidei, suspicionis præsumptionem adjicit vehementem. *In 6. De Hær. & Schism.* Cap. *Cum contumacia.* LIB. V. *Tit.* 2.

Nota differentiam inter præsumptionem, & suspicionem. *Glossa.*

Nota ex hâc Decretali suspicionem, & vehementem præsumptionem violentam, non esse unum & idem; hæc plenè probat, secùs de illâ.

V. Ex transactâ vitâ discimus quid de subsequenti conversatione præsumamus. *De Præsumpt.* Cap. *Mandata.* fin. LIB. II. DECR. *Tit.* 23. *Cap.* 6.

VI. Cùm in juventute suâ quis se maturum, honestum & providum exhibuerit; non est de levi credendum quod postquàm ad senilem pervenit ætatem, turpiter abjecerit jugum Domini, fœtores libidinis amplexando; cùm labes hujusmodi quæ nonnunquam in juventute contrahitur, in senectute frequentiùs expietur. *De Præsumpt.* Cap. *Cùm in juventute.* LIB II. DECR. *Tit.* 23. *Cap.* 15.

Ex præteritâ vitâ præsumitur & de præsenti. *Glossa.*

Non præsumitur incontinens in senectute qui in juventute continuit, maximè si est litteratus. *Summa.*

VII. Quis prætereà de facili crederet, quod vir præditus scientia litterarum, propriæ salutis oblitus, ad eam passionis ignominiam se converteret, ut cum propriâ nepte abominabilem perpetraret incestum. *Ibid.*

VIII. Ex his quæ incontinenti subsequuta sunt, ostenditur quod factum est stare non posse. *De Elect.* Cap. *Officii.* §. 2. *init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. *Cap.* 38. Agebatur de Laico eodem die in Abbatem electo, quo Monachus factus fuerat. Ex his quæ incontinenti fiunt, præsumitur contra aliquem. *Glossa.*

SECTIO VI.

Alius est contrà quem gravis & vehemens suspicio est: alius contrà quem levis tantùm suspicio. Etiam propter vehementem suspicionem, non debet condemnari, sed diligenter inquirendum est.

I. Accusatus vel suspectus de crimine, contrà quem de hoc crimine magna & vehemens suspicio orta est. *In 6. De Haret.* Cap. *Accusatus. init.* LIB. V. *Tit.* 2. Cap. 8.

Vid. GONZAL. *in Commentario ad Caput* 2. *De Præsumpt.* LIB. II. *Tit.* 23. Cap. 2.

II. Accusatus vel suspectus de crimine, contra quem levis & modica suspicio est. *Ibid.*

III. Propter solam suspicionem, quamvis vehementem, nolumus aliquem de gravi crimine condemnari. *De Præsumpt.* Cap. *Literas.* §. 2. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 23. Cap. 14.

Delictum non dicitur plenè probatum, etiamsi constet de plenâ præsumptione vehementi. *Glossa. In* 6. *De Hæreticis.*

IV. Talis & tanta securitas recipiatur ab eo, quod timore pœnæ temporalis debeat coërceri, discretam ei pœnam injungendo, ex quâ valeat apparere utrùm in tenebris ambulet, an in luce. *Ibid.*

V. Si de Clericis ipsis talis habeatur suspicio, ut ex eâ scandalum generetur in populo, licet contrà ipsos non apparuerit accusator, inquirendum est. *De Cohabitat.* Cap. *Tua nos. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 2. Cap. 8.

SECTIO VII.

Convicti per Testes, aut sponte crimen confessi debent condemnari.

I. Spontaneâ Confessione, vel Testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini nostro judicare. CAUS. II. QUÆST. V. *Cap.* 20. *Consuluisti. med.* STEPHANUS V. HUMBERTO *Episcopo Moguntino*, circa *ann.* 888.

Vide *Decretum Synodi* PARISIENS. circa *ann.* 555. ubi hæc leguntur. Quia sine dubio culpas ejus esse capitales, Canonum autoritate monstratur, utique Confessione propriæ linguæ dejectioni ipse se fecit obnoxium. Vid. alia similia circa convictos vel confessos, TOM. V. CONC. *pag.* 812.

II. Hi qui probantur vel confitentur reatûs se noxios, tua eos castiget moderatio. *Ibid.*

III. In causis criminalibus accusatus, si in his in quibus accusator, Canonicâ fuerit probatione convictus, Canonicâ procul dubio est ultione plectendus. *De Sententia.* Cap. *Cùm cuncta. in init.* LIB. II DECR. *Tit.* 27. Cap. 3.

Hùc adduci possent collecti Canones, dum *De Probationibus, de Testibus, de Confessione, de Sententiis.*

SECTIO VIII.

Quoscunque Superiores ac Rectores peccare, si non puniant malefactores.

I. Non est innocentiæ parcendo sinere ut in malum gravius incidatur; pertinet ergò ad innocentis officium, non solùm nemini malum inferre, verùm etiam cohibere à peccato, vel punire peccatum, ut aut ipse qui plectitur corrigatur experimento, aut alii terreantur exemplo. CAUS. XXIII. QUÆST. V. *Cap.* 37. *Non est.*

Est injusta misericordia; ut si quis & latronem, filiis deprecantibus motus, & lacrymis conjugis ejus misertus, absolvendum putet, cui adhuc latrocinandi aspiret affectus, nonne innocentes tradit exitio, qui liberat multorum exitia cogitantem? CAUS. XXIII. QUÆST. IV. *Cap.* 33. |S. AUGUSTINUS, LIB. XIX. *De Civit. Dei.* Cap. 26. *anno* 426.

II. Qui vitiis nutriendis parcit & favet, ne contristet peccantium voluntatem, tàm non est misericors, quàm qui non vult cultrum rapere puero ne audiat plorantem, & non timet ne vulneratum doleat vel extinctum. *Ibid.* CAUS. XXIII. QUÆST. V. Cap. 38. *Qui vitiis.*

Non omninò liberabis hominem, nisi cùm persecutus fueris peccatorem; huic officio omnis invigilet disciplina, sicut cuique regenti apta & accommodata est. CAUS. XXIII. QUÆST. IV. *Cap.* 35. *Duo ista.* JOANN. VIII. *Epistola* 315. TOM. IX. CONC. *pag.* 225. S. AUGUST. in *Epistola ad* CÆSARIUM *Velletarium*, fortè circa *ann.* 412.

III. Qui malum vel factum jam punit, vel prohibet ne fiat, non persequitur iste, sed diligit; nam si nemo nec reprimendus à malo, nec retrahendus à malo ad bonum est, Humanas & Divinas Leges necessè est evacuari, quæ & malis pœnam, & bonis præmia, justitiâ suadente, constituunt. CAUS. XXIII. QUÆST. V. *Cap.* 42. *Non vos. post init.*

IV. Non putes tunc te amare servum tuum, quando eum non cædis; aut tunc te amare filium tuum, quando ei non das disciplinam; aut tunc te amare vicinum tuum, quando eum non corripis; non est ista caritas, sed languor; ferveat caritas ad corrigendum, ad emendandum; si sunt boni mores, delectent; si sunt mali, emendentur. CAUS. XXIII. QUÆST. V. *Cap.* 36. *Non putes.* S. AUGUSTIN. *super Epistolam* JOANNIS, *Tract.* 7. circa annum 412.

V. Illi qui impios atque sacrilegos, pro tanto scelere damnorum admonitionibus, vel locorum, vel honorum, vel pecuniæ privatione deterrendos, coërcendosque decernunt, ut cogitantes, quare ista patiantur, Sacrilegium suum cognitum fugiant, & ab æternâ damnatione liberentur, & Rectores diligentissimi, & consultores piissimi deputentur. CAUS. XXIII. QUÆST. V. *Cap.* 35. *Si vos. med.* S. AUG. LIB. *De unit. Eccles. Cap.* 17. circa annum 402.

VI. Multa etiam cum invitis benigna quadam asperitate plectendis agenda sunt, quorum potiùs utilitati consulendum est quàm voluntati; nam in corripiendo filio quantumvis asperè, nunquàm paternus amor amittitur; fit tamen quod nollet, ut doleat qui, etiam invitus, videtur dolore sanandus. CAUS. XXIII. QUÆST. IX. *Cap.* 42. *Non vos.* §. 2. S. AUGUST. *Cap.* LIB. V. *Cap.* 24. fortè circa ann. 412.

VII. Et qui emendat verbere in quem potestas datur, vel coërcet aliquâ disciplinâ, & tamen peccatum ejus quo ab illo læsus aut offensus est, dimittit ex corde, vel orat ut ei dimittatur, non solùm in eo quod dimittit atque orat, verùm etiam in eo quod corripit, & aliquâ emendatoriâ pœnâ plectit, eleemosynam dat, quia misericordiam præstat; multa enim bona præstantur invitis, quando eorum consulitur utilitati, non voluntati, quia sibi ipsi inveniuntur esse inimici. DIST. XLV. *Cap.* 11. *Et qui emendat.*

TITULUS V.

De Sententiis & Appellationibus in Judicio criminali.

Antè omnia admonendum, 1°. Quod hoc in Titulo, si quæ omissa sunt circa Sententias & Appellationes in Judicio civili, colligentur prout sese offeret occasio: 2°. Hic exordium fieri ab illis quæ magis generalia sunt, vel convenientia utrique judicio. 3°. Nihil apparere in Jure Communi quod peculiare videatur Sententiis criminalibus; quæ verò in Jure Gallico hujusmodi occurrunt, magis spectare judicia Sæcularia quàm Ecclesiastica, ut patet ex *Ordin. Criminali*, datâ ann. 1670. *Tit.* 25.

SECTIO I.

In Jure Canonico nonnullum esse Appellationum ab abusu fundamentum.

I. CLericos tibi commendo, ut si ad Delegatorum judicium, eorum adversarii venire contempserint, sublimitatis tuæ tuitione vallentur; ne quid illis aut

aut ſubreptio, aut inimica Legibus violentia, neceſſitatis imponat. Caus. XI. Quæst. I. *Cap.* 52. *Chriſtianis. fin.* Gelasius *Papa* Ezechiæ *Comiti.* ann. circ. 494.

II. Si Sacerdotem ſeu Miniſtrum aliquid ex collatis rebus præviderint defraudare, ſi Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auribus intimare non differant. Caus. XVI. Quæst. VII. *Cap.* 31. *Filiis.*

III. Præcipitis ex parte noſtrâ Prælatis, ut Laïcis; de Clericis conquerentibus, plenam faciant juſtitiam exhiberi, non obſtantibus appellationibus fruſtratoriis, quas Clerici frequenter opponunt, ne pro defectu juſtitiæ, Clerici trahantur à Laïcis ad judicium Sæculare. *Cap.* 17. *Qualiter. De Judic.* Lib. II. Decr. *Tit.* 7.

Gonzal. in hunc Textum citat multos Canones in Corpore Juris Canonici relatos, qui probant poſſe Clericos ad Sæculare judicium trahi, quoties Judices Eccleſiaſtici juſtitiam denegant, illosve alio modo vexant; ex quibus Canonibus inferre licet, Laïcos de Clericis conquerentes coram Judicibus Eccleſiaſticis, ab iſtis ſolitos tunc fuiſſe ad Judices Sæculares totiès provocare, quotiès ab illis Judicibus juſtitiam promptam obtinere non poterant.

IV. Per Dominum feudi cauſam jubeas terminari, & ſi ipſe malitioſè diſtulerit, tu ipſe finem impones. *Cap. Ex tranſmiſſa* 6. *De foro compet.* Lib. II. Decr. *Tit.* 2.

Alexand. III. approbat hîc provocationem à Judice Sæculari ad Eccleſiaſticum, ob denegatam juſtitiam, & æquitas poſcit ut denegante iſto juſtitiam, ad illum provocetur; Princeps enim cujus vices gerit Judex Sæcularis, Protector Subditorum ſuorum, maximè Clericorum qui injuſtè vexantur, ad illum poteſtatem hanc tranſmiſit. *Can.* 23. Caus. XXII. Quæst. V.

Cùm autem Judex Eccleſiaſticus Clericos vexaret per judicia contrà Leges lata, hinc ob parem rationem ab iis Judiciis ad Judices Sæculares, quaſi ab abuſu provocarunt.

Undè ſequitur, quod Judex Eccleſiaſticus viam monſtravit aperuitque ad Appellationem tanquàm ab abuſu, admittendo ſcilicet provocationem à foro Sæculari ad forum ſuum, ob denegatam juſtitiam à Judice Sæculari; iſte illum imitatus eſt, exiſtimans ſe oppreſſis Clericis à Judice ſuo protectionem ſuam debere, utpotè Vicarius Regis, qui Dignitate ſua, officioque Subditorum ſuorum Protector eſt; quemadmodùm Judex Eccleſiaſticus ſimili de cauſa Laïcos, ſimiliter læſos, à Judice Sæculari admittendos ad forum ſuum duxerat, utpotè exercens Juriſdictionem Eccleſiæ, quæ eſt etiam oppreſſorum Protectrix.

SECTIO II.

In cauſâ correctionis, appellatio non ſuſpendit executionem Sententiæ, vel Legis ab Epiſcopo latæ, ſed tantùm devolvit cauſam ad Superiorem.

I. Alicui de Jure non poteſt competere, ut per Appellationem interpoſitam, communem ordinationem Eccleſiæ impediat. *De his quæ fiunt à majori &c.* Cap. fin. *Ex ore.* §. 5. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 11. C. 3.

Appellatio non impedit ne id fiat, quod perpetuo Edicto decernitur. *Gloſſa*, verbo, *Per Appellationem.*

II. Non convenit, ut pro Appellationibus, ab obſervatione Decreti debeat abſtinere. *De Appellat.* Cap. *Conſuluit.* §. 3. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 29.

Appellationi factæ contrà Leges & Canones, non eſt deferendum. *Gloſſa.*

III. Cùm in Concilio Generali, aliquid ſtatutum eſt, patrocinari non debet aliquibus Appellationis diffugium, ſi contrà hujuſmodi intentionem Decreti fuerit interjectum. *De Cler. non Reſid.* Cap. *Relatum eſt.* §. 1. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 4. Cap. 4.

IV. Si notorium exiſteret quod mandatum Epiſcopi indiſcretum fuerit vel injuſtum, ei non tenetur ſubditus obedire, ac per conſequentiam liquet evidenter ſubditum legitimè provocare. *De Appellat.* Cap. *Sollicitudinem.* §. 3. *init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 54.

V. Appellatio executionem eorum quæ ad morum correctionem pertinent, non ſuſpendat. *Concil.* Trid. Sess. XXII. *De Reform.* Cap. 1. *med.*

VI. Nec in his, ubi de viſitatione, exemptio, aut inhibitio, appellatio, ſeu querela, etiam ad Sedem Apoſtolicam interpoſita, eorum executionem, quæ ab his mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquo modo impediat aut ſuſpendat. *Concil.* Trid. Sess. XXIV. *De Reform.* Cap. 10. *fin.*

SECTIO III.

In cauſa correctionis non licet appellare, ſeu potiùs Appellatio non ſuſpendit executionem pœnarum quæ fuerint impoſitæ; modò non excedat modus pœnæ.

I. Epiſcopus procedere valeat, non obſtante Appellationis objectu, ſi qua forſan fuerit interpoſita in objectione Eccleſiaſticæ Diſciplinæ. *De Conſanguinit.* Cap. *Quod ſuper his. in init. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 14. Cap. 5.

A correctione non appellatur. *Gloſſa.*

Subditi contrà Eccleſiaſticam Diſciplinam non appellant, niſi graventur injuſtè. *Gloſſa*, verbo, *Nec ſubjecti. fin.* A correctione non eſt appellandum, niſi modus excedat. *Gloſſa.*

Statutum eſt ut ſubjecti contrà Diſciplinam Eccleſiaſticam, in vocem Appellationis non erumpant. *De Appellat.* Cap. *Reprehenſibilis.* §. 1. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 26.

Contrà Epiſcopale judicium Clericis non liceat proſilire. *Concil.* Andegav. *ann.* 453. *Can.* 1. Tom. IV. Conc. *p.* 1020.

Si aliquorum exceſſus publicus eſt & notorius, Appellationis obtentu non prætermittas quin eos excommunicatos denunties. *De Appellat.* Cap. *Pervenit.* §. 1. *med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 13.

In crimine notorio non admittatur Appellatio. *Gl.*

II. In corrigendis exceſſibus, juxtà Canonicas Sanctiones, Appellationis eſt diffugium interclusum. *De Offic. Jud.* Cap. *Licet. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 31. Cap. 12.

III. Ut Eccleſiarum Prælati, Subditorum, maximè Clericorum, correctionis & reformationis officium liberè valeant exercere, decretum eſt, ut executionem ipſorum nulla conſuetudo vel appellatio valeat impedire, niſi formam in talibus exceſſerint obſervandam. *De Officio Judicis.* Cap. *Irrefragabili.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 31. Cap. 13.

Si exceſſus publicus & notorius eſt. *De Appellat.* Cap. *Pervenit. in init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 13. Vide *Cap.* 12. *in init.* Cap. 38.

IV. Liceat etiam in criminalibus cauſis appellare, nec appellandi vox denegetur ei quem ſupplicio Sententia deſtinavit. Caus. II. Quæst. VI. *Cap.* 20. *Liceat. Ex Cod.* Theodos. *De Appellat.* Lib. XI. *Tit.* 30. *Lege* 20.

Ne collecti Canones contrarii videantur, in eo quod in cauſis correctionis, viſitationis, vel Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, alii prohibeant, alii verò permittant Appellationem, ſciendum eſt, 1°. Quod inſimul iſta devolvat cauſam ad Superiorem, & ſuſpendat executionem Sententiæ, vel Decreti, vel Statuti: quodque ſecundo effectu careat, in prædictis cauſis; atque hac de re dicatur Appellationem non habere locum in his cauſis; cujus locutionis ſenſus eſt, illam in illis totam vim ſuam non habere, cùm careat præcipuo illius effectu, nempè ſuſpenſivo.

Sciendum eſt, 2°. Quod Appellationes ſunt quandòque manifeſtè injuſtæ, eoque caſu admittendæ non ſint; hâc autem de cauſâ dicitur in exceſſu notorio Appellationi locum non eſſe. Sed cùm in correctione, ut in

executione modus excedi possit, pluraque dicantur notoria, quævere notoria non sunt, necesse semper est, ut in hoc triplici genere appellationis prohibitæ, Judex adquem pronunciet illam nullam esse, vel validam infirmet, vel confirmet, ideòque nullum appellationis genus effectu devolutivo carere debet.

SECTIO IV.

A mero executore appellari non potest, nisi modum excedat.

I. Ab executione Sententiæ appellari non potest, nisi fortè executor Sententiæ modum Judicationis exeedat. CAUS. II. QUÆST. VI. *Cap.* 41. *fin.* *§.* 12. *vel* 16.

In Authenticis LIB. VII. DECR. *Tit.* 63. *Lege* 5.

II. Si Judexquicumque non tàm cognitorem, quàm executorem, ad aliquem certum articulum quempiam deputaverit, ab eo, nisi modum excedat, non liceat appellari. *De Offic. Jud. Delegati.* Cap. *Super Quæstionum.* *§.* 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 29. Cap. 27.

III. Ab executione Sententiæ non auditur appellans, nisi fortè adversùs eum modus executionis Canonicus excedatur. *De Sent.* Cap. *Quod ad consultationem.* *§.* 2. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 15.

Ab executore non est appellandum, nisi modum excedat. *Glossa.*

IV. Secundùm Jus ab executoribus appellari non potest, nisi quis forsan modum excedat in exequendo. *De Appellat.* Cap. *Novit.* *§.* 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 43.

Ab executore appellari non debet, nisi modum excedat. *Glossa.*

Hoc intelligendum est de mero executore, qui nullam cognitionem habet, sed tantùm executionem. *Glossa*, verbo, *Ab executoribus.*

V. Cùm aliquis non fuit dictator Sententiæ, sed merus executor, appellationi ab eo interpositæ non est deferendum. *Ibid.* *§.* 1. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 43.

SECTIO V.

In notorio seu manifesto crimine, quod nulla tergiversatione celari potest, appellatio non suspendit executionem Sententiæ.

I. Si aliquorum excessus publicus est & notorius. *Cap.* 13. & 14. *De Appell.* GONZALEZ *in Cap.* 14. fusè explicat quid sit notorium tàm Juris quàm facti, docetque quod in utroque, ut certum habeatur, necessaria sit Sententia declaratoria. *Num.* 3. De notorio facti meminit Cap. 15. *De Purgat. Canonicâ.* & pro tali habet id quod universo viciniæ populo notum est.

II. Appellatio facta in Judicio apud Ecclesiasticas personas solet audiri, nisi fortè manifestus raptor vel fornicator existat, sicut ille quem absentem & irrequisitum Apostolus excommunicavit. *De Appellat.* Cap. *Cùm sit Romana.* *§.* 3. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 5.

In notoriis non admittitur appellatio. *Glossa*, verbo, *Manifestus.* Nullus eorum qui manifestam violentiam commiserit, argumentis convictus, testibus superatus, voce etiam propriâ vitium scelusque confessus, audiatur appellans. CAUS. II. QUÆST. VI. Cap. 41. *§.* 12.

III. Si alicujus excessus evidentiâ rei, vel ipsius confessione, aut alio modo legitimo fuerit manifestus, non est provocationi hujusmodi deferendum. *De Appellat.* Cap. *Cùm speciali.* *§.* 1. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 61.

IV. Appellationis remedium non est ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ institutum. *Ibid.* Hic locus præcedentis ratio est, cùm appellatio ab excessu verè notorio defensio sit iniquitatis.

Nullus eorum qui manifestam violentiam commiserit, argumentis convictus, testibus superatus, voce etiam propriâ vitium scelusque confessus audiatur appellans. CAUS. II. QUÆST. VI. Cap. 41. *§.* 12.

V. Si aliqui, quos manifestum sit & notorium injecisse manus violentas in Clericum, appellaverint, eidem appellationi non est aliquatenùs deferendum. *De Appellat.* Cap. *Consuluit.* *§.* 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 14.

VI. A jure prohibitum est, à Sententia, super manifesto & notorio crimine, vel de quo quis in Jure confessus extitit, promulgatâ appellare. *In* 6. *De Appell.* Cap. *Romana.* *§.* 6. *Si autem.* LIB. II. *Tit.* 15. Cap. 3.

Non admittitur appellatio à notorio per evidentiam rei. *Glossa*, verbo, *Notorio.*

Confessus in Jure non auditur appellans, si cùm ita fit confessus, quod standum sit confessioni; nempè v. g. quando non fuit tormentorum formidine territus, & hoc tàm in Civili quàm in Criminali, nisi vellet allegare se tùm errore facti confessum, in quo casu posset appellare.

VII. Decretum est ab Episcoporum Ordinationibus, Interlocutionibus, & Decretis, antè definitivam Sententiam, vel vim definitivæ habentem, & ubi agetur de morum correctione, nullatenus, etiam ad Sedem Apostolicam, appellari posse. *Bulla* in. *Pii IV. De Salute.* §. 6. *anno* 1560.

VIII. Decretum est per appellationes quascumque, contrà præsentium tenorem quomodolibet interpositas, minimè causas devolvi; aut etiam per quasvis inhibitiones, etiam in quibus censuris & pœnis eis, à quibusvis Judicibus Ordinariis vel Delegatis forsan faciendas, illarum ulteriorem cognitionem & expeditionem; & ubi de morum correctione agetur, etiam legitimam executionem minimè impediri, aut censuris & pœnis hujusmodi ligari aut irretiri, censere. *Ibid.*

SECTIO VI.

Nihil obesse Judici à quo est appellatum, cùm ejus Sententia fuerit reformata.

I. Placuit ut à quibuscumque Judicibus Ecclesiasticis, ad alios Judices Ecclesiasticos, ubi est major autoritas, fuerit provocatum, non eis obsit quorum fuerit soluta Sententia, si convinci non potuerit, vel iniquo animo judicasse, vel aliqua cupiditate aut gratiâ depravari. CAUS. II. QUÆST. VI. Cap. 37. *Hoc etiam.*

II. Cùm fuit appellatum, & exhibentur nova acta, non derogatur prioribus Judicibus, eorum Sententiam infirmando. *De Privileg.* Cap. *Cùm olim.* *il* 2. §. *ult.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 14.

Licet Sententia Judicis revocetur ex novâ causâ, Judex qui eam tulit propterea non notatur. *Glossa.*

III. Cùm à Sententia ad Superioris audientiam fuit appellatum, Sententia primorum Judicum qui aliàs justè pronunciasse noscuntur, cùm aliqua exceptio eoràm ipsis nec probata fuit nec objecta, quoad illud Capitulum infirmari potest. *De fide Instrum.* Cap. *Cùm Joannes.* *§.* *ult.* LIB. II. DECR. *Tit.* 2. Cap. 10.

Licet Sententia lata ex novâ allegatione cassetur, non præjudicatur Judicibus qui ipsam protulerunt. *Glossa.*

SECTIO VII.

Qui appellationi alterius non detulit, suam objicere non potest.

I. Non obstat appellatio alicujus, si ipse appellationi priùs factæ non detulit. *De Appellat.* Cap. *Constitutis.* §. 1. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 23.

Qui non defert appellationi, appellationem contra alium objicere non potest. *Glossa.*

II. Qui appellationi deferre neglexit, se beneficio reddit appellationis indignum. *De Appell.* Cap. *An sit.* §. 1. *fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 42.

Qui

Qui appellationi ab alio interpositæ non defert, nec ei appellanti est deferendum. *Glossa.*

III. Qui appellationi ad Superiorem interpositæ non duxerint deferendum, uti contrà alium hac exceptione non possunt, quod post appellationem ad Superiorem interpositam fuerit processum. *De Elect.* Cap. *Bonæ memoriæ.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 23.

Qui non defert appellationi Adversarii sui, contrà ipsum appellationem non debet opponere. *Glossa.*

SECTIO VIII.

Si quis appellationem prosequi non potuit, hoc non nocet.

Si quisquam pro suâ necessitate crediderit appellandum, competens ei ad prosequendam appellationem terminus præfigatur. *De Appell.* Cap. *Reprehensibilis.* §. 2. *init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 26. Quo impedito non curret.

Quicquid contrà citationem peremptoriam posset ab absente proponi, adversùs appellationem hujusmodi valet allegari. *Ibid.*

Ideò est constitutum tempus, non ut terminus ipse præveniri non possit, sed ne valeat prorogari. *Ibid.*

Quandiù appellationis prosecutio per compromissum, vel aliàs, de Partium expresso consensu differtur, tempus ad prosequendum eamdem, ab homine vel à Jure præfixum, currere nolumus appellanti, nisi fortè Judex videns ex dilatione periculum iminere, præciperet in illa procedi. Clementina IV. *De Appel.* Lib. II. *Clement. Tit.* 12. Cap. 4.

SECTIO IX.

Cùm Ecclesia non habet quid faciat, invocare debet auxilium Brachii Sæcularis.

I. Liberum sit Rectorem Provinciæ, adversùs illum adire, qui plebem, quam invaserat, usque hodiè commonitus, relinquere contemnit: ut qui miri admonitioni acquiescere noluit, & emendare illicitum, auctoritate judiciariâ protinus excludatur. Caus. XI. Quæst. I. Cap. 19. *Petimus. init.*

Sacerdotibus non ex terrenâ potestate Dominus Noster citiùs indignetur, sed excellenti consideratione, propter cum cujus servi sunt, eis ita dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat; nam in Divinis eloquiis Sacerdotes aliquando Dii, aliquando Angeli vocantur. Caus. XI Quæst. I. Cap. 41. Gregor. I. Lib. IV. Epist. 3. anno 594. Mauritio *Imperatori.*

Sicut ait Leo; licet Ecclesiastica Disciplina Sacerdotali contenta Judicio, cruentas effugiat ultiones, Catholicorum tamen Principum Constitutionibus adjuvatur, ut sæpè quærant homines salutare remedium, dum corporale super se metuunt supplicium evenire. *De Hæreticis.* Cap. *Sicut. in init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 7. Cap. 8. S. Leo *Epistola* 91. Temporalis saltem pœna corripiat, quos spiritualis non corrigit Disciplina. *Ibid.* Cap. 19. *fin.*

II. Postulamus ut pseudo-Episcopum ad Clementissimum Principem, sub dignâ custodiâ, dirigatis. Caus. XI. Quæst. I. Cap. 20. *Istud est.*

III. Si quis Presbyter, aut Diaconus, post Excommunicationem, præsumpserit in officio suo agere sicut priùs, non liceat ei; si autem permanserit turbans & concitans Ecclesiam per forinsecam potestatem, oportet eum, sicut sedirionarium, ab omni plebe expelli. Caus. XI. Quæst. III. Cap. 7. *Si quis Episcopus.*

Vide Tom. IV. Conc. *pag.* 753. Hìc describi possent *Can.* 3. & 20. Caus. XXIII. Quæst. V. Cap. 2. *De Clerico excommunicato.* Cap. 27. *De verbor. signific.* Cap. 20. *De Judiciis. Conc.* Trid. Sess. XIII. *De Ref.* Cap. 4. siquidem singuli loquuntur de invocatione Brachii Sæcularis à Prælatis Ecclesiasticis. Hùc etiam attinent Canones quicumque præcipientes ut pœnæ temporales infligantur, cùm illas solus Princeps ejusque Judices infligere valeant: Præcipui illorum collecti sunt in *Institutionibus Ecclesiasticis & Beneficialibus. Part.* 3. Tit. 25.

SECTIO X.

Quæ sint crimina ob quæ debent Ordinarii tradere reos Sæculari Judici.

Hùc faciunt plerique Textus laudati in Sect. IX. cùm invocare Brachium Sæculare, & tradere potestati illius, parùm differant, ideòque nonnulli illorum de hac traditione, v.g. Cap. 27. *De verb. signif.*

I. Decretum est atque statutum, ut quicumque non promotus ad Sacrum Presbyteratûs Ordinem, repertus fuerit Missarum celebrationem usurpasse, vel Sacerdotalem Confessionem audivisse, à locorum Ordinariis, tanquàm Ecclesiæ misericordia indignis, à foro Ecclesiastico abjiciatur, & ab Ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerit, rite degradatus statim Curiæ Sæculari tradatur, per Judices Sæculares debitis pœnis plectendus. *Bulla* 8. Clementis VIII. *Etsi aliàs.* anno 1601. §. 3. Bullarii Tom. III. *pag.* 125.

II. Hujusmodi perditi & nefarii homines, ad Sacrum Presbyteratûs Ordinem non promoti, Missarum celebrationem usurpare præsumentes, non solùm actus idololatriæ, saltem extrinsecè, seu per æterna & visibilia Religionis & pietatis signa exercent, sed etiam quantùm in ipsis est efficiunt, ut fideles qui credunt eos ordinatos esse, & ritè conficere Sacramentum Eucharistiæ, idololatriæ crimen ignoranter incurrant, purum videlicet panem & vinum, tanquam verum Domini nostri Corpus & Sanguinem, eisdem adorandum proponentes. *Ibid.*

Etsi illa idololatria sit materialis ex parte adorantium, ideòque culpâ careant, illa tamen imputatur his falsò consectatoribus.

III. Confessiones autem audientes non solùm Sacramenti Pœnitentiæ dignitatem contemnunt, verùm etiam fideles decipiunt, dum sic iniquè sibi assumunt gradum Sacerdotalem & auctoritatem absolvendi à peccatis, magno cum periculo & scandalo plurimorum. *Ib.*

IV. Statutum & decretum est, ut qui ad Sacrum Presbyteratûs Ordinem non promotus Missam celebrare, aut Sacramentalem confessionem audire præsumpserit, ætate minori annis viginti quinque non excusetur, quominùs eidem Clementis Constitutioni subjiciatur, dummodo vigesimum suæ ætatis annum compleverit. *Bulla* 79. Urbani VIII. *Apostolatûs officium.* §. 3. *fin.* an. 1628. Bullarii Tom. IV. *pag.* 137.

Si quis Presbyter ab Episcopo suo fuerit degradatus, aut officio pro certis criminibus suspensus, & ipse per contemptum & superbiam aliquid de Ministerio sibi interdicto agere præsumpserit, & posteà ab Episcopo correptus in cœpta perduraverit præsumptione; hic omnimodis excommunicetur, & ab Ecclesia expellatur, & quicunque cum eo communicaverit, similiter se sciat excommunicatum. Similiter de Clericis, Laicis, vel fœminis, excommunicatis observandum est, quod si aliquis ista omnia contempserit, & Episcopus emendare non potuerit, Regis judicio exilio damnetur. *Cap.* Si quis 2. *De Cleric. excomm.* Lib. V. Decr. *Tit.* 27. *prout est apud* Gonzalem, Adde *Cap.* 27. *De verb. signific.*

SECTIO XI.

Appellare licet ab Episcopis ad Metropolitanos in causis criminalibus.

I. Si quis Episcopus existat ad iracundiam proclivis, quod quidem à tali viro longè abesse debet, & citò adversùs Presbyterum vel Diaconum commotus, ex Ecclesiâ quemlibet ejicere voluerit; providendum est, ne is repentè condemnetur, Communione privetur, qui ejicitur facultatem habeat confu-

confugiendi ad Episcopum Metropolis ejusdem Provinciæ. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 4. *Osius Episcopus.* Juxta versionem novam.

II. Minimè decet aures non præbere rogantibus; & ille Episcopus qui jure vel injuriâ istum abjecit, generosè ferre debet causam cognosci, ipsiusque Sententiam vel confirmari vel corrigi. *Ibid.*

Episcopus qui aut justè vel injustè abjicit Presbyterum vel Diaconum, patienter accipiat ut negotium discutiatur, ut vel probetur Sententia ejus, vel emendetur. *Conc.* SARDIC. *Can.* 17. Vers. DION. *an.* 347. *Conc.* CONSTANTINOP. IV. *an.* 870. *Can.* 26. TOM. VIII. CONC. *p.* 1143. docet Clericum ab Episcopo injustè depositum, vel aliam injuriam passum, recurrere posse ad Metropolitanum qui in Concilio examinet negotium.

III. Priusquàm diligenter ac fideliter singula quæque examinata fuerint, qui communionem non habet, ante causæ cognitionem non debet suo sibi jure communionem vendicare. *Can.* SARD. *cit. fin.*

IV. Omnis oppressus liberè Sacerdotum si voluerit appellet judicium, & à nullo prohibeatur, sed ab his fulciatur & liberetur, & coràm Patriarcha aut Primate Ecclesiastica negotia judicentur. CAUS. II. QUÆST. VI. *Cap.* 3. *Omnis oppressus.* ANACLETUS. Refertur in *Conc.* COLONIENSI. *ann.* 887. *Cap.* 3. TOM. IX. CONC. *p.* 397.

V. Si quis putaverit se à proprio Metropolitano gravari, apud Patriarcham vel Primatem Diœceseos, aut penes universalis Apostolicæ Ecclesiæ judicetur Sedem. CAUS. II. QUÆST. VI. *Cap.* 8. *Si quis victor. ann.* 186. *Epist.* 1. Cap. 3.

VI. Liceat accusato post auditionem Primatum Diœceseos, si necessè fuerit, Sedem Apostolicam appellare. *Ibid.* Cap. 11 *Decreto post init.* GREGOR. IV. *Omnibus per diversas Provincias. ann.* 835.

VII. Liceat etiam in criminalibus causis appellare; nec appellandi vox denegetur ei, quem supplicio Sententia destinavit. CAUS. II. QUÆST. VI. *Cap.* 20. *Fabianus.*

VIII. Si testibus productis, instrumentis prolatis, aliisque argumentis præstitis, Sententia contrà aliquem lata sit, & ipse qui condemnandus est, aut minimè voce suâ confessus sit, aut formidine tormentorum territus, contrà se aliquid dixerit, provocandi licentia ei non denegatur. CAUS. II. QUÆST. VI. *Cap.* 41. *§.* 13. *Ex Authenticis. Collat.* 5. *§. Sicut.* LIB. VII. *Tit.* 6.

SECTIO XII.

Nulli Episcopo licet per se pœnam reis infligere, neque res Ecclesiæ auferre.

I. Non licet Episcopo manibus suis aliquem cædere; hoc enim alienum à Sacerdote esse debet. DIST. LXXXVI. *Cap.* 25. *Non licet.* Ex *Novella Constit.* 123. Cap. 16. *Apud* JULIANUM *Antecessorem. an.* 546. Vide *Conc.* BRACAR. IV. *ann.* 675. *Cap.* 7. TOM. VI. CONC. *p.* 566. Jubet excommunicari & exilio plecti Episcopos qui verberibus subjiciunt Clericos suos etiam honorabiliores.

II. De lapsis Sacerdotibus, vel Levitis, vel quolibet ex Clero, observare te volumus, ut in rebus eorum nullâ contaminatione miscearis. CAUS. XVI. QUÆST. VI. *Cap.* 5. *De lapsis. init.* GREGOR. I. LIB. I. *Epist.* 42. *ann.* 591.

III. Si qui ex familiâ Ecclesiasticâ Sacerdotes, vel Levitæ, vel Monachi, vel Clerici, vel quilibet alii fuerint, dati eos in pœnam volumus, sed res eorum Ecclesiastien juri non subtrahi. *Ibid.*

IV. Illud statuendum censuimus, ut quascumque munificentias Clericis, aut sibi servientibus, de rebus Ecclesiæ in usum, aut de propriis in proprietatem, præcedentes dederint Sacerdotes, subsequentes Pontifices nullatenùs auferre præsumant. Si quid tamen culpæ extiterit, pro qualitate personarum, vel regulâ præcedentium Canonum, in persona habeatur, non in facultate districtum. CAUS. XVI. QUÆST. VI. *Cap* 8. *fin. Illud.* GELASIUS, fortè cir. ann. 494.

V. Episcopo non licet possessionem Monasterii tollere, quamvis Abbas peccaverit; sed subjiciat eum potestati Abbatis alterius Monasterii. CAUS. XVI. QUÆST. VI. *Cap.* 7. *Ex* MOGUNTINENSI *Conc.* fortè *ann.* 813.

VI. Cognovimus quod si quis ex familia culpam fecerit Ecclesiæ, non in ipsum, sed in ejus substantiam vindicatur; de qua re præcipimus ut quisquis culpam fecerit, in ipsum quidem, ut dignum est, vindicetur. CAUS. XVI. QUÆST. VI. *Cap.* 4. *Cognovimus.* GREGOR. I. LIB. I. *Epist.* 42. *anno* 591.

VII. Si quis eorum talem culpam commisisse constiterit, quod absit, ut constet, tùm non irrationabiliter fuisse depositum; eadem ejus depositio confirmetur, & Ecclesiæ res suæ omnes restituantur quæ ablatæ claruerint. CAUS. XVI. QUÆST. VI. *Cap.* 3. *Si Episcopum.* GREGOR. I. LIB. XI. *Epist.* 50. *ann.* 603.

SECTIO XIII.

Cùm punitio remissa est, iterari non debet.

I. Semel in ablatione remissa punitio recidivo dolore non debet iterari, Divinæ scil. imitatione clementiæ, quæ dimissa peccata in ultionem redire non patitur. CAUS. XXXIII. QUÆST. IV. *Cap.* 29. GELASIUS GERONTIO JOANNI *Germano, &* PETRO *Episcopis.* circ. ann. 494.

II. De iis criminibus de quibus absolutus est accusatus, non potest accusatio replicari. *De Accusat.* Cap. *De iis.* LIB. V. DECR. *Tit.* 1. *Cap.* 6. Vide hic *Commentarium* GONZALIS.

III. Ea quæ frequenti prævaricatione iterantur, frequenti Sententiâ condemnentur. *De Pœnis. Cap.* 1. LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Inter Fragmenta *Conc.* TOLET. TOM. II. CONC. *p.* 236. Cap. *Eaque.*

IV. Antiquus est Canon, ut qui à gradu exciderunt, hoc solo punitionis modo puniantur; primis, ut æstimo legem illam sæculis, non vindicabis bis in idipsum. S. BASIL. *Epist.* 1. *Canon.* 3. *post init.* TOM. II. CONC. *Append. p.* 1719. Citatus Canon videtur esse *Can.* 24. *Apostolorum* qui nixus est huic scripturæ loco: *Non vindicabis bis in id ipsum*; pariter prohibet ne Diaconus ob fornicationem depositus, à communione etiam arceatur propter eamdem culpam. Ab utroque Canone excipienda crimina atrocia quæ excommunicationem cum depositione merentur, ut simonia, ambitio, aliaque similia, quæ duplici pœnâ puniuntur à sequentibus Apostolorum Canonibus.

SECTIO XIV.

Gradatim appellandum esse ab Inferioribus Prælatis ad Episcopos, vel eorum Officiales, & ab his ad Archiepiscopum; nec licere, omisso medio, ad Archiepiscopum appellare.

I. Ab Archidiaconis aliisque Inferioribus Prælatis, Suffraganeis subjectis, & eorum Officialibus, ad Suffraganeos ipsos debet, & non ad Metropolitanam Curiam, omissis dictis Suffraganeis, appellari; nisi aliud Metropolitanæ Ecclesiæ de consuetudine competat in hac parte. *In* 6. *De Appell.* Cap. *Romana.* §. 2. LIB. II. *Tit.* 15. *Cap.* 3. Hujusmodi Consuetudo, si qua esset in Gallia, abusiva declararetur, quia Pragmatica Sanctio & Concordata probibent absolutè appellationes omisso medio.

Placuit ut à quibuscumque Judicibus Ecclesiasticis, ad alios Judices Ecclesiasticos, ubi est autoritas major, audientia non denegetur. CAUS. II. QUÆST. VI. *Cap.* 9. *Placuit.* JULIUS *in Epistola ad Orientales.* Cap. 22. *anno* 337.

De

De ſubdito Epiſcopi ad ipſum, non ad Archiepiſcopum appellatur, niſi aliud eſſet de conſuetudine. *Gloſſa*, verbo, *Romam.* Appellari non poteſt regulariter omiſſo medio. *Gloſſa.*

Clerici tàm locales quàm Diœcéſani, qui ſe ab Epiſcopo gravari cognoverunt, querelas ſuas ad Metropolitanum deſerre non differant; & Metropolitanus non moretur ejuſmodi præſumptiones coërcere. CAUS. X. QUÆST. III. Cap. 6. *Quia cognovimus. fin.* Ex *Conc.* TOLET. III. Cap. 20. anno 589.

II. Ad Archiepiſcopum gradatim eſt appellandum. *De Appell.* Cap. *Dilecti. il* 3. §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 38. *Cap.* 66.

De ſubdito vel Delegato Epiſcopi ad Archiepiſcopum appellare non licet. *Gloſſa. init.*

In Gallia à Delegaro Epiſcopi, ad unam cauſam judicandam. non appellarur ad Epiſcopum, quia hac delegarione transfert illi totam ſuam Juriſdictionem circa illam cauſam, eumque conſtituit Officialem ad hoc, ideòque hac in re idem eſt iſtius ac Epiſcopi Auditorium; qua ratione fit ut ab Officiali non appelletur ad Epiſcopum.

III. Cùm omiſſo Diœceſano Epiſcopo fuit ad Archiepiſcopum appellatum, in cauſa ipſa, de Jure procedere non debet. *Ibid.*

Ad Metropoliranam Civitatem, ab his qui cauſas habent, concurratur. CAUS. IX. QUÆST. III. Cap. 2.

De rebus ad Eccleſiam Archiepiſcopi pertinentibus Patriarcha non diſponat, niſi fortè pro cauſis ad eum, quaſi ad Eccleſiæ Sedem, Patriarcham ſuum provocaverint. CAUS. IX. QUÆST. III. Cap. 8. *Conqueſtus eſt. poſt init.*

IV. Cùm id fuit excipiendo propoſitum, quod omiſſo Diœceſano, fuit ad Archiepiſcopum appellatum, ſi Officialis Archiepiſcopi hujuſmodi exceptionem admittere denegat, legitimè ad Superioris audientiam appellatur. *Ibid.* Appellatio omiſſo medio Judice interpoſita cauſam non devolvit exceptione oppoſitâ. *Summa.*

V. Sententias poſt hujuſmodi appellationem latas, denuntiari debet penitùs non tenere. *Ibid.*

Clerici Archiepiſcopi compelli non debent Judicium Patriarchæ ſubire; niſi cauſa per appellarionem ad ejus audientiam perferatur. *De Offic. Ordinarii.* Cap. *Paſtoralis. fin* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. *Cap.* 9.

VI. Si quis putaverit ſe à proprio Metropolitano gravari, apud Patriarcham vel Primatem Diœceſos judicetur. CAUS. II. QUÆST. VI. Cap. 7. *Si quis putaverit.* & Cap. 15.

SECTIO XV.

Ad Judicem appellationis acta omnia coràm Judice Inferiori geſta, eſſe appellantis expenſis tranſmittenda.

I. Si quis in caſibus à Jure permiſſis appellaverit, aut de aliquo gravamine conqueſtus fuerit, teneatur acta omnia coram Epiſcopo geſta ad Judicem appellationis expenſis ſuis transferre; eodem Epiſcopo priùs admonito, ut ſi quid ei pro cauſæ inſtructione videbitur, poſſit Judici appellationis ſignificare. *Conc.* TRID. SESS. XXIV. DECR. 2. *De Ref.* Cap. 20. *med.*

Alius eſt ejuſdem Concilii locus à Collectore omiſſus qui ad rem propiùs accedit. *Cap.* 3. SESS. XIII. *De Ref.* Reus ab Epiſcopo ... appellans in criminali coràm Judice ad quem appellavit, acta primæ inſtantiæ omninò producat, & Judex, niſi illis viſis, ad ejus abſolutionem minimè procedat; is autem à quo appellatum fuerit, intrà 30 dies, acta ipſa poſtulanti gratis exhibeat, alioquin abſque illis, cauſa appellationis hujuſmodi, prout juſtitia ſuaſerit, terminetur. Loca hæc duo ſeſe invicem illuſtrant, & ſupplent.

Qui ſe ſcit aliis eſſe præpoſitum, non moleſtè ferat aliquem eſſe ſibi prælatum. CAUS. II. QUÆST. VI. Cap. 11. *Qui ſe ſcit. init.*

Si in qualibet Provincia ortæ fuerint quæſtiones, & inter ipſius Provinciæ Epiſcopos diſcrepare cœperit ratio, atque inter ipſos diſſidentes non conveniat, ad majorem tunc Sedem referantur. DIST. XVII. Cap. 5. *Multis.* §. 2. Tribuitur PELAGIO II. *Epiſt.* 8. *fin.*

Unaquæque Provincia ſuos habeat Judices, Sacerdotes, Epiſcopos, ſingulos videlicet ſecundùm Ordines ſuos; & quicumque cauſam tulerit, à ſuis Judicibus judicetur, & non ab alienis, id eſt à ſuæ juſtis Judicibus Provinciæ, & non ab extraneis, niſi à judicandis fuerit appellatum. CAUS. VI. QUÆST. III. Cap. 2. *fin.*

II. Quod ſi appellatus compareat, cogatur tunc is quoque actorum quæ tranſlata ſunt expenſas pro portione ſua, ſi illis uti voluerit, ſubire, niſi aliter ex loci conſuetudine ſervetur. *Conc.* TRID. Cap. 20. SESS. XXIV. *De Reform.*

Peregrina judicia ſunt inhibita. *De Purgat. Can.* Cap. *Ex tuarum.* §. 1. LIB. V. DECR. *Tit.* 34. *Cap.* 8. ADRIANUS I. *Capitul.* 19. anno 785. TOM. VI. CONC. *pag.* 1833.

Si quis putaverit ſe proprio Metropolitano gravari, apud Primatem Diœceſeos agat Judicium. *Inter Capitula* ADRIANI I. anno 785. Cap. 6. TOM. VI. CONC. *pag.* 1832.

III. Porrò ipſam Actorum copiam teneatur Notarius, congruâ mercede acceptâ, appellanti quantocitiùs, ad minùs intrà menſem, exhibere. *Conc.* TRID. *Loco mox cit.* Vide FAGNANUM *in* Cap. 12. *De fide Inſtrument*, ubi fusè tractat de his quæ ſpectant hanc Sectionem, diſcutitque duas Quæſtiones circà citatum Argumentum, explicatque utrumque Concilii Tridentini locum, laudat quoque CONGREGATIONIS *Decreta* circà illa.

SECTIO XVI.

Cauſas Sæculares tàm in criminali quàm in civili non poſſe ad Sedem Apoſtolicam per appellationem deferri, ſed ſolas Eccleſiaſticas, & ſpirituales.

I. Si à Civili Judice, antè judicium vel poſt, ad Apoſtolicam Audienriam fuerit appellatum, hujuſmodi appellatio rener quidem, in his qui ſunt ejus temporali Juriſdictioni ſubjecti, in aliis verò ſecundùm Juris rigorem credimus non tenere. *De Appellat.* Cap. *Si duobus.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 28. *Cap.* 7.

Vide *Epiſtolam* 7 AGAPETI *ad* CÆSARIUM ARELAT. de appellatione contumelioſâ *Regenſis* Epiſcopi anno 535. TOM. IV. CONC. *pag.* 1798. A Civili Judice qui non eſt de temporali Juriſdictione, Eccleſiæ Juriſdictio temporalis non pertinet ad Eccleſiam, nec de ea debet ſe intromittere in præjudicium Judicis Sæcularis. *Gloſſa*, verbo, *Credimus.*

In Judiciis Laïcorum privilegia turbare non vult Sedes Apoſtolica. *De Privil.* Cap. *Sicut. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 35. *Cap.* 2.

II. Ipſi ſunt Canones qui appellationes totius Eccleſiæ ad hujus Sedis examen voluere deferri. CAUS. IX. QUÆST. III. *Cap.* 16. *Ipſi ſunt. init.* GELASIUS I. *ad* FAUSTUM *Legatum* anno 493.

III. Cunctæ per mundum novit Eccleſia quod Sacroſancta Romana Eccleſia fas de omnibus habeat judicandi; ſiquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum eſt. *Ibid.* CAUS. II. QUÆST. III. Cap. 17. *Cuncta.*

Idem omnibus Epiſcopis, anno 495. Vide *Notam Correct.* Quod GELASIUS dicit de appellatione ad Sedem Apoſtolicam, iſtiuſque Judicio de ſingulis Eccleſiis, quin ab ullâ judicari poſſit, videtur deſumptum ex falſa Synodo Sinueſſanâ, cujus ſuppoſitio ipſo antiquior eſſe creditur ab eruditis; prætereà Pontifex loquitur indiſtinctè de appellatione quæ comprehendit tàm extrajudicialem quàm judicialem, tàm illam quæ fit omiſſo medio, quàm illam quæ fit gradatim; porrò appellatio extrajudicialis & appellatio omiſſo medio incognitæ fuere per quatuor priora

ſaltem

saltem Sæcula; hinc citati duo Canones Gelasiani eò benigniùs interpretandi, quod tributi Prædecessoribus suis circà eamdem, & collecti eadem quæstione sint certè suppostititii.

IV. Privilegia Apostolicæ Sedis vos oblivioni tradere nullatenùs debuistis, quibus venerandi Canones judicia totius Ecclesiæ ad hanc deferri jubent. Caus. II. Quæst. VI. Cap. 13. *Arguta.* §. 1.

Nicolaus *Papa* I. *ann.* 865. in *Conc.* Rom. VII. *Epistolâ ad* Hincmarum. Tom. VIII. Conc. *p.* 796.

V. Hinc Sanctæ Sedis privilegia specialiter concessa sunt, ut ab ea omnes auxilium oppressi sumant. Caus. II. Quæst. VI. *Cap.* 17. *Ideò. &* Cap. 10.

Julius *Papa ad Orientales Episcopos.* Cap. 10. an. 337.

VI. Appellationibus ad Sedem Apostolicam interpositis est ab omnibus humiliter deferendum. *De Priv.* Cap. *Antiqua.* §. 2. *fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 33. Cap. 23.

VII. Regnum aliquod, quantùm ad ea quæ jus fori contingunt, suis consuetudinibus ac institutionibus Regum suorum omninò regitur. *De Consuetudine.* Cap. *Ex litteris. in init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 4. Cap. 2.

Plus est revocare negotium ad se, quàm sit appellare. *Glossa*, verbo, *Cùm plus.*

Cùm ex Confessionibus Presbyteri, invenitur quod idem sine igne sacrificabat & aquâ, cùm vel apertâ malitiâ, vel nimia desipientiâ peccasse probetur, Officio & Beneficio ipsum prives. *De Celebratione Missarum.* Cap. fin. *Literas.* §. 1. Lib. III. Decr. *Tit.* 41. Cap. 15.

SECTIO XVII.

An possint Sacerdotes post lapsum restitui in suis gradibus & honoribus, si veram egerint Pænitentiam, illisque Ecclesia indiguerit?

I. Errant qui putant Domini Sacerdotes post lapsum, si condignam egerint Pœnitentiam, Domino ministrare non posse, & suis honoribus, si bonam deinceps vitam duxerint, & suum Sacerdotium condignè custodierint. Dist. L. *Cap.* 14. Calixtus I.

Hanc Epistolam suppostititiam esse patet ex 12. Canonibus à Gratiano anteà relatis, desumptis à Gregorio I. Martino I. Nicolao I. Callixto posterioribus, qui profectò non discessissent ab illius doctrinâ, item à Conciliis post Pontificem eumdem celebratis, nempè Agathensi, & Conciliis quibus Martini Bracharensis collectio constat, probata etiam à *Concilio* Lucensi *an.* 572. quæ Concilia tanti Pontificis Doctrinam haud dubiè reverita fuissent.

Vid. Caus. I. Quæst. VII. *Cap. Requiritis*, ex *Epist.* 2. Leonis IV. Tom. VIII. Conc. *p.* 31. Docet Simoniacos nullâ posse Pœnitentiâ sublevari, ut in acceptis Ordinibus remaneant, idque Concilia & SS. Patres prohibuere, à quibus dissidere nefas.

Vide Hincmarum, *Cap.* ult. Tom. VIII. Conc. *p.* 580. ubi refellens illos qui dicebant Clericos lapsos non deponendos, sed suspendendos, citat Canones qui docent hujusmodi Clericos non posse, nedùm ad gradus superiores ascendere, sed nec in Clericatu manere, post ad illum redire.

Urbanus II. *in Epist.* 1. *Appendicis* Tom. I. Conc. *p.* 445. Confirmat quod dictum est, Sacerdotes lapsos, post Pœnitentiam etiam veram, restitui non posse, nisi id postulet Ecclesiæ necessitas vel utilitas.

Statutum est, ne hi qui publicè lapsi in criminalibus peccatis inveniuntur, citissimè in Sacris Ordinibus restituantur, &c. *Conc.* Rotomag. *ann.* 1072. *Can.* 19. Tom. IX Conc. *p.* 1228. Ne vigor disciplinæ frangatur. *Ibid.* Nisi summâ necessitate & post dignam longæ Pœnitentiæ satisfactionem. *Ibid.*

II. Post dignam satisfactionem credimus posse rediti ad honorem. Dist. L. Cap. 16. *Quia sanctitas.* §. 1. *fin.* Gregor. I. Lib. VII. *Epist.* 53. ann. 599.

III. Ut constitueretur in Ecclesia, ne quisquam post alicujus criminis pœnitentiam, Clericatum accipiat, vel ad Clericatum redeat, vel in Clericatu maneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est Disciplinæ; alioquin contrà claves datas Ecclesiæ disputabitur, de quibus dictum est: *Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in Cœlo.* Sed ne fortè etiam de cæteris criminibus spe honoris Ecclesiastici animus intumescens, superbam ageret Pœnitentiam, severissimè placuit, ut post actam de crimine damnabili Pœnitentiam, nemo sit Clericus, ut desperatione temporalis altitudinis, medicina major, & verior esset humilitatis. Dist. L. Cap. 25. *Ut constitueretur. init.* S. Augustin. *Epist. ad* Bonifacium, alias 59. *Ibid.* Vide Dist. L. *Cap.* 29. *Si quis Diaconus.* Circa quod notandum quod illa verba, *Ecce manifestè constat*, putat Stamundus *in Notis ad Epistolam* 6. Joannis II. esse Cæsarii. Vide Tom. IV. Conc. *p.* 1761. ubi Cæsarius recensitis incommodis nascentibus ex restitutione Sacerdotum lapsorum, hæc subdit; ideò justum est, ut dùm eis, secundùm omnium Canonum Statuta, redeundi ad honorem aditus clauditur, tandem aliquandò tàm gravi malo finis congruus imponatur.

IV. Illos ad pristinos gradus redire Canones præcipiunt quos Pœnitentiæ præcessit satisfactio, vel condigna peccatorum Confessio; & contrà hi qui neque à vitio corruptionis emendantur, atque hoc ipsum carnale delictum quod admittunt, vendicare quadam superstitiosâ temeritate nituntur, nec gradum utique honoris, nec gratiam Communionis recipiunt. Dist. L. *Cap.* 28. Isidori ad Massanem *Episcopum* anno 605. Epistola quæ aberuditis confictâ ideò creditur, quòd illius doctrinæ adversetur.

V. Necesse est illos restaurari in locum honoris, qui per Pœnitentiam reconciliationem recepisse merentur Divinæ pietati; hi enim non immeritò consequuntur ademptæ dignitatis statum, qui per emendationem pœnæ recepisse noscuntur remedium vitæ. Dist. L. *Cap.* 28. *Domino. med.*

VI. Dùm quisque post opus Confessionis suæ confunditur, atque ignominiam portans, depositionem suam cum humilitate luget, revocari secundùm Prophetam ad priorem statum poterit. *Ibid.* §. 1.

VII. Qui negligit nec luget quæ gessit, & lugenda, sine ullo pudore Religionis vel timore Divini Judicii, committit, eum nullomodo posse ad pristinum gradum restaurari cognoscas. *Ibid.* §. 2.

VIII. Si reos durissimam Pœnitentiam per plures annos videremus agere, tunc nos & saluti eorum possemus consulere, & Statuta Canonum deberemus temperare; cùm verò in aliquibus nec compunctio humilitatis, nec instantia orandi, vel plangendi appareat, nec eos jejuniis vel lectionibus vacare videamus, possumus agnoscere si ad pristinos honores redirent, cum quantâ negligentiâ, & cum quanto torpore & animæ suæ securitate permanerent. Dist. L. *Cap.* 29. §. 2.

Nota qualiter in criminibus sit procedendum, ut primò deponatur, posteà excommunicetur. *Glossa*, verbo, *Post modùm.* Eugenius II. *ann.* 826.

Valet interdùm conversis pro animæ salute mutatio loci; plerumque enim dum mutatur locus, mutatur & mentis affectus; congruum est enim indè etiam corporaliter avelli, ubi quisque illecebris deservivit. Nam locus ubi quisque pravè vixit, hoc in aspectu mentis apponit, quod sæpè ibi cogitavit, vel gessit. Dist. LXXXI. *Cap.* 9. *Valet.* Isid. *de Summo bono.* Lib. II. *Cap.* 10. circà annum 625. Plerique ex Collectis Canonibus desumpti sunt ex Dist. L. ubi Gratianus agit de hac restitutione pro & contra, conciliatque ea quæ contraria distinctionibus incongruè, ut notat Van-Espen *in illam*, ac indicat loca operis sui in universum Jus, ubi falsitatem harum conciliationum demonstravit. Videsis illum.

Ex aliis verò Canonibus aliundè depromptis patet quod post octavum sæculum, in quo suppositio facta est, quæ Disciplinam novam invexit, circa Sacerdotes lapsos, duravit tamen per plura Sæcula,

vetua

vetus disciplina circa eosdem, idque inferre est ex *Capitulis* Hincmari, ex Leone IV. Urbano II. ex *Conc.* Rotomag. suprà citatis.

SECTIO XVIII.

Clericos ob crimina juridicè depositos non esse sibi ipsis relinquendos ut vivant more Laicorum.

Ne hi qui culpis urgentibus ab Ordine sunt depositi, quasi ab omni Clericatu liberi, militent Sæculo more Laicali. *Concil.* Rotomag. anno 1074. *Canone* 15. Tom. X. Conc. *pag.* 311.

Cæteros Canones hùc pertinentes habes infra inter collectos de Depositionibus Clericorum.

SECTIO XIX.

Romanum Pontificem non posse causas Ecclesiasticas ad se per appellationem legitimam delatas in partibus committere ultra duas diætas vulgares extra Diœcesim, nisi ex assensu Partium.

I. Statutum est ne quis ultra duas diætas extra suam Diœcesim, per literas Apostolicas ad judicium trahi possit, nisi de consensu Partium fuerint impetratæ. *De Rescriptis.* Cap. *Nonnulli.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 3. Cap. 28.

Cùm à repulsione exceptionis peremptoriæ secundò appellans succumbit, non est neque in causa appellationis postmodùm à definitiva emissæ audiendus ulteriùs super ea; nisi tunc ritè proposita, & eo priùs repulsa fuisset, quia proponebatur ineptè. *Clementina* 7. *De Appell.* Clem. Lib. II. *Tit.* 12. *Cap.* 7. *ultimo.* Ab interlocutoriâ super repulsione exceptionis peremptoriæ confirmatâ, non licet appellare, etiamsi in negotio principali malè proposita fuisset exceptio. *Glossa.*

Vide *Cap.* 15. *In 6. De Appell.* Ultra duas diætas extra suam Diœcesim, per literas Apostolicas nullus trahi potest. *Glossa.*

Diætas iter unius diei dicas, quod de vulgaribus diætis est intelligendum, quia Lex debet convenire consuetudini Regionis. *Glossa.* Ultra duas vulgares diætas, quæ habentur secundùm consuetudinem Regionis.

Legales secundùm quod viginti millia viæ computantur pro diæta. *Ibid. Glossa.* Dieta vulgaris Gallica decem leucas continet.

II. Cùm Actor quempiam autoritate Literarum Apostolicarum traxerit in causam, & ex parte Rei fuerit excipiendo propositum quod autoritate ipsarum Literarum non possit conveniri; eo quod ultra duas diætas à Diœcesi contra Statuta Concilii Generalis distet, si Judex hujusmodi exceptionem admittere denegans procedat in causa, Reus meritò appellabit. *Ibid. De Refor.* Cap. *Dilectus. il* 2. Lib. I. Decr. *Tit.* 3. Cap. 29.

III. Literis Delegato præsentatis, Reus Pars Adversa excipiendo proponere potest quod autoritate ipsarum venire minimè teneatur; quia ultra duas diætas extrà suam Diœcesim trahitur in causam, & si dictus Delegatus hanc exceptionem admittere recuset, Reus vocem appellationis emittere potest. *Ibid.* §. 1.

IV. Si Procurator probare potuerit se in causam trahi ultra duas diætas contrà Constitutionem Concilii Generalis, Judex appellationem ejus legitimam decernens supersedere negotio curet. *De Except.* Cap. *Olim.* §. ultimo. Lib. II. Decr. *Tit* 25 Cap. 7.

V. Si quis autoritate Papæ tractus in causam, excipiendo proponat quod Literæ Apostolicæ non valeant, pro eo quod locus ubi est ejus domicilium principale consistit in Diœcesi quæ ultrà duas diætas à loco delegationis est remota; si constiterit dictum virum terram & mansionem habere in eâ Diœcesi, in quâ interdum consuevit commorari, & ipsam Diœcesim ultra duas à Diœcesi delegationis non distare diætas, & in eodem litigiosam rem esse; in ipso negotio juxta diætarum continentiam, literarum ratione præviâ procedatur. *De foro competenti.* Cap. *Ex parte.* Lib. II Decr. *Tit.* 2. Cap. 15.

VI. Cùm ejusdem Civitatis seu Diœcesis fuerint Actor & Reus, extrà ipsas causa non committatur, nec conveniatur aliquis eorumdem. *In 6. De Rescriptis.* Cap. *Statutum.* §. 1. *Cùm verò.* Lib. I. *Tit.* 3. Cap. 11.

Si Actor & Reus sint ejusdem Diœcesis seu Civitatis, non debet extra ipsas causa committi. Reaufua *in Concordata.* Tit. *De frivolis appellat.* §. *Si quis* 50. *pag.* 738. Guymierius *in Pragm.* Tit. *De causis.* §. *Si verò*, verbo, *In partibus.*

VII. Cùm autem Actor & Reus. Civitatum & Diœcesum fuerint diversarum, si Actor in Civitate, vel Diœcesi Rei Judicem habere recuset, ipsum non in suâ, sed in aliâ Civitate vel Diœcesi liberè impetrare valeat, Reumque trahere ad eandem; dummodò locus ad quem eum traxerit, ultrà unam diætam à fine suæ Diœcesis minimè sit remotus. *Ibid. In 6. De Refor.* Cap *Statutum* §. 2. *Cùm autem.*

VIII. Abbates aut alii Religiosi quibuslibet administrationibus præsidentes, occasione Prioratuum seu aliorum locorum subditorum eisdem, nullum, autoritate literarum Apostolicæ Sedis, vel Legatorum ipsius, quomodolibet valeant convenire; nisi ubi & coram quibus Prioratuum & locorum ipsorum Prioribus, aut aliis Gubernatoribus, liceret. *Clementina* 1. *De Rescriptis. init.* Lib. I. Clem. *Tit.* 2. Cap. 1.

IX. Nec occasione locorum ad Mensas pertinentium eorumdem, aliud ipsis super hoc liceat quàm si loca ipsa sic præmissa speciales sub eis Gubernatores haberent. *Ibid. med.*

X. Si quis aliquem contra hæc vexare præsumpserit, in expensis sibi & interesse per Judicem coram quo vexatio fiet hujusmodi condemnetur; omnisque processus contra præmissa habitus sit irritus ipso jure. *Ibid.* §. 1.

SECTIO XX.

In prædicta commissione præ cæteris eligendi Episcopi, ipsorumque Superiores, causarum Ecclesiasticarum in districtu suo Judices Ordinarii.

Lege *Cap.* 2. Sess. XIII. *De Reform.* & *Cap.* 7. Sess. XIV. *De Reform.* expressè docentes causas Apostolicas Episcopis, eorumque Superioribus committendas; viciniori autem Episcopo, quandò Metropolitanus suspectus est, vel ultrà duas diætas legales distat; Officialem committi posse, quoties Prælatus, cujus est Officialis, committi potest.

I. In Diœcesi in causis Ecclesiasticis subjectorum suorum, Episcopus, postquàm sibi de meritis earum constiterit, sententiam proferre valeat sicut ordo postulat rationis, qualibet consuetudine non obstante. *De Consuetudine.* Cap. *Ad nostram.* Lib. I. Decr. *Tit.* 4. Cap. 1.

Damnata hìc consuetudo eò damnabilior erat, quòd juxta placitum populi judicio adstantis, Episcopus sententiam proferebat, consultis insipientibus ut & sapientibus.

Concilium Turon. *ann.* 1163. *Canon.* 7. Tom. I. Concil. *pag.* 1420. Hic Canon ad rem non facit, nisi in eo quod pravum circa judicia Ecclesiastica usum condemnat, quo potestas judiciaria sub annuo censu locabatur. Vide supra *Tit.* 2. Sectione IV.

II. Scitote certam Provinciam esse quæ habet unum Metropolitanum, aliosque Suffraganeos Episcopos Judices, ad quorum judicium omnes causæ Episcoporum & reliquorum Sacerdotum ac Civitatum referantur, ut ab iis omnibus justè consonâ voce discernantur, nisi ad majorem autoritatem fuerit ab iis qui

jndicendi sunt, appellatum. CAUS. VI. QUÆST. III. Cap. 2. *Scitote. init.* PELAGIUS Papa II. *Epist.* 1. circà annum 580.

III. Unumquemque Episcopum oportet habere Diœcesis potestatem, ut liceat de singulis ipsius Religionis causis cum moderatione & pondere disceptare. CAUS. IX. QUÆST. III. Cap. 2. *Per singulas. med. Ex Conc.* ANTHIOC. Cap. 9. anno 341.

Infiniti sunt propemodùm Canones idem docentes collecti in CAUS. II. IX. & XI. & in TIT. *De Officio Judicis Ordinar.* Quorum primus loquitur expressè de causis criminalibus, & de jure ferendi pœnas, de quibus sequens Titulus.

TITULUS VI.

De Pœnis quas Judex Ecclesiasticus potest infligere, in genere consideratis.

SECTIO I.

Esse de Officio Judicis Ecclesiastici pœnas aliquas infligere.

I. SUnt culpæ in quibus culpa est relaxare vindictam. DIST. XXVIII. Cap. 10. *Quia sunt. init.* Juxtà Canonicas Sanctiones quædam sunt culpæ in quibus culpa est relaxare vindictam. *De postul. Prælat.* Cap. *Ad hæc.* §. penult. LIB. I. DECR. *Tit.* 5. *Cap.* 2.

Concil. SUESS. II. anno 833. Cap. 21. TOM. VIII. CONC. *pag.* 83. Ubi ait quod scientes reos, quorum vindicta ad Episcopos pertinet, excommunicandi sunt, indignationem Regiam perpessuri.

Justum est ut qui Divina contemnunt mandata, & inobedientes Patrum existunt jussionibus, severioribus corrigantur vindictis, quatenùs cæteri talia committere timeant. CAUS. XXIII. QUÆST. III. *Cap.* 9. Cùm eis per quos Ecclesia regitur, adest, salvâ pace, potestas Disciplinæ adversùs improbos exercendæ, tunc aliis aculeis præceptorum quæ ad severitatem pertinent, excitandi sumus. CAUS. XXIII. QUÆST. IV. Cap. 18. §. 1. *fin.*

GREGORIUS I. LIB. XI. *Epist.* 59. VITALI *Defensori.* ann. 603. Loquens de negligentia Episcopi, ait, quod vehementissimè objurgandus esset, nisi senectus ac simplicitas & ægritudo superveniens suspenderent hanc correctionem; anno 603.

Qui non possunt per præmia induci ad observantiam Juris, debent per pœnas coërceri. *Glossa.* Posteà puniuntur per homines sicut per Judices. CAUS. XXIII. QUÆST. V. *Cap.* 49.

Non est crudelitas crimina pro Deo punire, sed pietas. CAUS. XXIII. QUÆST. VIII. *Cap.* 13. Nihil obedientia prodesse videretur humilibus, si contemptus contumacibus non obesset. *De Postul.* Cap. 3. LIB. I. *Tit.* 5. *Cap.* 1.

Nihil nocet amplius quàm qui perversè agens nomen vel ordinem Sanctitatis habet; delinquentem namque hunc nemo redarguere præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando per reverentiam Ordinis peccator honoratur; Episcopus itaque qui talium crimina non corrigit, magis dicendus est canis impudicus, quàm Episcopus. DIST. LXXXIII. Cap. 2. *Nemo.* Tribuitur GREGORIO I. *Pastor.* Cap. 2. anno 590. Vide *Notas* BALUZII *ad* GRATIANUM. *pag.* 472.

II. Ferro necessè est ut abscindantur vulnera quæ fomentorum non senserint medicinam. DIST. LXXXII. Cap. 4. *Quia aliquanti. fin.* Ferro sunt abscindenda vulnera quæ fomentorum non sentiunt medicinam. LIB. V. DECR. *Tit.* 32. *Cap.* 2. *in init. fin.*

SIRICIUS *ad* HIMERIUM *Tarraconensem Episcopum, Epist.* 1. *Cap.* 7. anno 385. Ubi Presbyteros & Diaconos incontinentes pro modo culpæ puniendos præcipit, monitosque graviùs quàm alios.

III. Prælati excessus corrigere debent subditorum; & publicæ utilitatis interest, ne crimina remaneant impunita; & per impunitatis audaciam faciant, qui nequam fuerant, nequiores. *De Sententia excomm.* Cap. *In famæ.* §. 2. *init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. *Cap.* 35.

Ad Publicam utilitatem respicit ut crimina puniantur. *Glossa*, verbo, *Impunita.*

Qui moribus propriis, ac nullâ conscientiæ castigatione corriguntur, saltem Ecclesiasticæ & Canonicæ vindictæ perfodiantur aculeis. CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 58. *Similiter. fin.* SYMMACHUS *in Synodo Romana VI.* anno 504. Nos qui potissimi Sacerdoris administramus officia, transgressionum culpa respiciet, si in causis Dei desides fuerimus inventi.

IV. In ipsa Ecclesia ubi maximè misereri decet, teneri quàm maximè debet forma justitiæ; nonne Sacerdos, cùm uni indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagium provocari; facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi. CAUS. XXIII. QUÆST. IV. Cap. 33. *Est injusta. post med. Ex* SANCTO AMBROSIO *Serm.* 8. *in Psalm* 118. *vers.* 2. circà ann. 380.

Hinc dictum est: Non resistamus malo; ne nos vindicta delectet quæ alieno malo animum pascit, non ut correctionem hominum negligamus. CAUS. XXIII. QUÆST. V. *Cap.* 8.

V. Clericum à temeritate suâ sic compescas, ne pœna illius aliis terrorem incutiat. *De Maledicis.* Cap. *Innotuit.* §. 1. *med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 26. Cap. 1.

Pœna unius debet esse metus multorum.

VI. Agenda sunt multa etiam cum invitis benigna quadam asperitate plectendis, quorum potiùs utilitati consulendum est quàm voluntati. CAUS. XXIII. QUÆST. I. Cap. 2. *Paratus.* §. 3. *Agenda.* S. AUGUST. *Epistola* 5. *ad* MARCELLINUM.

VII. Nihil est infelicius felicitate peccantium, quà pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hostis interior roboratur. *Ibid.* §. 4.

Quandoque contingit ut Ecclesiasticæ severitas Disciplinæ ab iis qui virtutem ejus intelligunt, condemnetur. *De Hæret.* Cap. *Ad abolendam. in init. med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 7. *Cap.* 9. Ad personam in priori loco positam respicit quicquid à minore committitur, nisi sollicitè corrigatur. *De præsumpt.* Cap. *Quanto. in init. med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 23. *Cap.* 8. Apud GONZALEM.

His quibus prodesse non poterit correptio, non parcat abscissio. CAUS. XXIV. QUÆST. III. *Cap.* 34.

VIII. Si Judex es, si judicandi potestatem accepisti, Ecclesiastica est Regula, si apud te quis accusatur, si veris documentis testibusque convincitur, coërce, corripe, excommunica, degrada. CAUS. XXIII. QUÆST. IV. Cap. 11. *Fortè. fin.* Citatur ex *Sermone* 24. *De verbis Apostoli.*

Publicæ utilitati interest ne crimina remaneant impunita. *De Testibus.* Cap. *Constitutis. post init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. *Cap.* 45.

IX. Justum est ut qui Divina contemnunt mandata, & inobedientes Patrum existunt jussionibus, severioribus corrigantur vindictis; quatenùs cæteri talia committere timeant, & omnes gaudeant fraternâ concordiâ, & cuncti sumant severitatis atque bonitatis exemplum; nam si, quod absit, Ecclesiasticam sollicitudinem rigoremque negligimus, perdit desidia disciplinam, & animabus fidelium profectò nocebitur. CAUS. XXIII. QUÆST. III. Cap. *Justum est.*

Sicut justum est excessus corrigere delinquentium, sic iniquum meritò reputatur, si severitas pœnæ puniat innocentes. *De Crimine falsi.* Cap. *Accedens. in init. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 20. *Cap.* 8.

SECTIO

SECTIO II.

I. *Nomine pœnæ intelligitur læsio, quæ punit.* II. *Pietas est punire.* III. *Non puniendum animo vindictæ, sed justitiæ.*

I. Pœna propriè dicitur læsio quæ punit, & vindicat quod quisque commisit. CAUS. XXXIII. QUÆST. III. DIST. III. *Cap.* 4. *Pœnitentiu. fin.*

Ex LIBRO *De vera, & falsa pœnitentia.*

Odio habeantur peccata; non homines; corripiantur tumidi, tolerentur infirmi; & quod in peccatis severiùs castigari necesse est, non sævientis plectatur animo, sed medentis. DIST. LXXXVI. *Cap.* 2. *Odio.* LEO I. *Epist.* 92. nunc 2. *numero* 2. *med.* anno circa 442. ante 443.

II. Non est crudelitas crimina pro Deo punire, sed pietas. CAUS. XXIII. QUÆST. VIII. *Cap.* 13. *Legi.*

HIERONYMUS *Contra* VIGILANTIUM, *anno* 406.

III. Non homo separat quos pœna condemnat, quos reatus accusat, quos maleficium coarctat. CAUS. XXXIII. QUÆST. II. *Cap.* 18. *Quos Deus conjunxit.* ISIDORUS, fortè circa annum 620. Non homo separat, sed lex. *Glossa. hoc verbo.* Huic Canoni subdit GRATIANUS, *Verùm pro his dictum intelligitur, quos Judices Sæculi pro suis sceleribus legum severitate percellunt, quos vel morte puniunt, vel deportare jubent.*

IV. Sine culpâ, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus. *In* 6. *De Regul. Juris. Reg.* 23.

V. Satis perversum & contrà Ecclesiasticam probatur esse Censuram, ut frustrà pro quorumdam voluntatibus quis privetur, quem sua culpa vel facinus ab Officii quo fungitur gradu non dejicit. DIST. LVI. *Cap.* 7. *Satis perversum.*

GREGORIUS *ad* COLUMBUM *Episcopum Numidiæ.* LIB. X. *Epist.* 8. anno 601. ubi, remisso Diacono, se injustè depositum ab Episcopo conquerenti, ad Concilium Provinciale, verbis relatis concludit.

Non debet aliquis alterius odio prægravari. *In* 6. *De Regulis Juris, Regula* 22.

VI. Rem quæ culpa caret in damnum vocari non convenit. *De Constitutionibus.* Cap. *Cognoscentes.* DECR. *Tit.* 2. *Cap.* 2. LIB. I.

Quod legitimè factum est pœnam non meretur. *Glossa,* verbo, *Culpâ caret.*

Dilectionis vestræ sermone monstretur, quæ nunc saltem competens possit satisfactio provenire; illud potiùs exerceatur, ubi animum sanare possit afflicti; sive, irremissibiliter præstet acerbitas, ididem nihilominus vindicetur, ubi plectibilis est orta præsumptio. CAUS. XXIII. QUÆST. IV. *Cap.* 29. GELASIUS circa annum 494.

VII. Cogitationis pœnam nemo patitur CAUS. XXXIII. QUÆST. III. DIST. I. *Cap.* 14. *Cogitationis.* DIGEST. *Lib.* 48. *Tit.* 19. *De pœnis, lege* 18.

VIII. Vitiosa est libido ulciscendi: Judex verò punit non delectatione alienæ miseriæ, quod est malum pro malo reddere, sed dilectione justitiæ, justum pro injusto, quod est bonum pro malo; quod etiam Deus Judex facit. CAUS. XXIII. QUÆST. III. *Cap.* 1. *Lex differentiæ. med.*

S. AUGUST. *in expositione* PSALM. 108. fortè circa annum 420. Imple, Judex Christiane, pii Patris Officium; sic succense iniquitati, ut consulere humanitati memineris, nec in peccatorum atrocitatibus exerceas ulciscendi libidinem, sed peccatorum vulneribus curandi adhibeas voluntatem. *Cap.* 1. CAUS. XXIII. QUÆST. V.

IX. Illa Præpositorum sollicitudo utilis, illa est cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor sibi nihil vindicat; restringenda sub ratione potestas est, nec quidquam agendum priùs, quàm concitata ad tranquillitatem mens redeat: nam commotionis tempore justum omne putat ira quod fecerit. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 67. *Illa.*

GREGORIUS I. LIB. VIII. *Epist.* 12. *ad Guidiscalcum Tom. III. Tract. De Judiciis.*

anno 600. ubi illum monens non esse insontem pro sonte puniendum, subdit, si licitum putatis, ut aliorum culpa sit aliis nociva, multi huic possunt crimini subjacere.

X. Dum justo ampliùs irascimur, & volumus alienum coërcere peccatum, graviora peccata committimus. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 68. *Ira.*

S. AMBROS. LIB. *De Josep. Cap.* 13. circa annum 387.

SECTIO III.

Culpas esse pro modo suo puniendas, graviores magis, minùs leviores; habitâ ratione personarum, juxtà pœnas à Canonibus statutas.

I. Si quid culpæ extiterit, pro qualitate personarum, vel Regula præcedentium Canonum, in personâ habeatur, non in facultate Ecclesiæ districtum. CAUS. XVI. QUÆST. VI. *Cap* 8. *fin. Illud. fin.*

Personæ delinquentes puniantur, sed Ecclesiæ suis bonis non spolientur. *Glossa.*

GELASIUS, forte circa annum 494.

II. Quisquis culpam fecerit, in ipsum, ut dignum est, vindicetur. CAUS. XVI. QUÆST. VI. *C.* 4. *Cognovimus, med.*

GREGORIUS I. LIB. XVI. *Epist.* 42. PETRO *Subdiacono* anno 591. ubi ait; Quisquis culpam fecerit, in ipso quidem, ut dignum est, vindicetur. Pœna juxta Ecclesiasticæ consuetudinis morem, & placita Præpositorum inferenda, & ab iis qui transgressores fuerint, persolvenda est. DIST. XXIII. *Cap.* 6. §. 2. *Ex Concil.* TOLETANO XI. *Cap.* 10. anno 675.

III. Corripiantur à Præpositis suis subditi fratres correctionibus, de charitate venientibus, pro culparum discrimine diversis, vel minoribus, vel amplioribus. CAUS. XXIV. QUÆST. III. *Cap.* 17. *Corripiantur. init.*

S. AUGUSTINUS LIB. *De Correptione, & gratia.* Cap. 15. numero 46. anno 426. aut 417.

IV. Culpantur etiam qui prohibent à malo, si modum peccati modus coërcitionis excedat. CAUS. XXIII. QUÆST. IV. *Cap.* 41. *Qui peccat.* §. ult. *fin.*

S. AUGUST. *De Unitate Ecclesiæ contra Donat.* Cap. 20. numero 51. *fin.* anno circ. 402.

Priùs causa criminis subtiliter est investiganda, & tunc si ita inventa fuerit, secundùm Legis tramitem debet accipere ultionis vindictam. CAUSA XXXIII. QUÆST. II. *Cap.* 8. *med.*

V. Quem major sequitur culpa, majore plectatur vindictâ. DIST. L. *Cap.* 16. *Quia Sanctitas.* GREG. I. LIB. VII. *Epist.* 51. anno 599.

VI. Omnibus pœnam secundùm discretionem tibi à Deo datam injungas. *De Cleric. excomm. Ministr.* Cap. *Latores.* §. 1. *fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 27. *Cap.* 4.

In quo major est culpa, gravior exerceatur vindicta. De *Hæreticis.* Cap. *Excommunicamus.* §. 5. LIB. V. DEC. *Tit.* 7. *Cap.* 13.

VII. Dignum est ut in eo quis puniatur in quo visus est deliquisse. *De Excessibus Prælat.* Cap. *Inter Dilectos.* §. ultimo. LIB. V. DECR. *Tit.* 31. *Cap.* 11.

Sicut ulcus quod graviter serpit in corpore, non nisi gravioribus medicamentis aut ferro curatur, ita perfidorum obstinatio quæ nullatenus cohibetur, durioribus sententiis necesse est ut mulctetur. *Concil.* TOLET. XVI. anno 693. *Cap.* 11. TOM. VI. CONC. *p.* 1343.

VIII. Ubi magis exceditur, ibi est severiùs vindicandum. *De excessibus Prælat.* Cap. fin. *Tanta.* §. 3. *init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 31. *Cap.* 18.

Cùm etsi quis repertus sit culpabilis in quibusdam, ex labore & pudore punitus, quos propter hanc causam incurrit, hujusmodi levis culpa, leviter ei valeat indulgeri. *De Accusat.* Cap. *Cùm Dilecti.* § 1. *fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 1. *Cap* 18.

IX. In eo quis puniendus est, in quo deliquit. *De Appellat.* Cap. *An sit.* §. 1. *init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. *Cap.* 42.

X. Puniantur in hoc in quo delinquere præsumpserunt. *De Cler. excommunicato.* Cap. *Postulasti.* §. 2. *fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 27. *Cap.* 7.

SECTIO IV.

I. *Metiri debet Judex pœnam ex persona quæ læsa fuit.* II. *Cùm peccatum est ex malitia, graviùs punitur.* III. *Ex certa scientia peccans plus punitur.* IV. *Ubi multitudo peccavit, magis puniendi autores sceleris.*

I. Ex dignitate offensi, pœnam metiri decet offendentis. CLEMENT. I. *De pœnis. §. 1. post init.* LIB. V. CLEMENT. *Tit.* 8. Cap. 1. *Si quis.*

Ignorantia veniâ dignos facit, & spontanea confessio, & temporis diuturnitas. S. BASIL. *in Epist.* 1. *Can.* 7. *med. Append.* TOM. II. CONC. *p.* 1753.

Culpantur etiam qui prohibent à malo, si modum peccati modus coërctionis excedat. CAUS. XXIII. QUÆST. IV. *Cap.* 40. *fin.*

II. Sicut in contumacia persistentibus severos nos esse convenit, sic iterùm humiliatis & pœnitentibus negare locum veniæ non debemus. CAUS. I. QUÆST. V. *Cap* 9. *Quantò. fin.* GREGOR. I. LIB. VII. *Indic.* 2. *Epist.* 84. *anno* 599 TOM. V. CONC. *p.* 358.

Fortiùs punienda sunt crimina quæ insontibus & maximè sacratis hominibus inferuntur. *De Calumniat.* Cap 1. *Cùm fortiùs. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 2. Cap. 2.

III. In illis magis plectibilis est offensa, per quos ad excusandas excusationes in culpis, delinquendi autoritas usurpatur. *De excessibus Prælat.* Cap. *Inter Dilectos. §.* 1. *fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 31. Cap. 11.

Peccata suos autores tenere debent; nec pœna est ulteriùs protrahenda, quam delictum fuerit in excedente repertum. *De his quæ fiunt à majori.* Cap. *Quæsivit. in init. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 11. Cap. 2.

In quovis facto cautiùs discernendum est, judiciumque juxtà factum moderamine disponendum. *Conc.* ÆNHAMENSE. *ann.* 1009. *in Anglia.* Cap. 31. ult. TOM. IX. CONC. *p.* 796.

IV. In illis qui delinquunt, malitia graviùs quàm negligentia puniatur. *De Crimine falsi.* Cap. *Ad falsariorum. §.* 2. *fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 20. Cap. 7.

V. Si quis convictus fuerit per malitiam excessisse, graviori subjaceat ultioni *De Elect.* Cap. *Nihil est. §.* 1 *fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 44.

VI. Aliter in his quæ spontaneâ voluntate, & aliter in his quæ ignorantiâ vel necessitate urgente fiunt, noscitur procedendum: Et aliter illa, aliter ista tractanda sunt, & viris discretis, & prudentibus metienda, velut Sacræ Scripturæ testimoniis edocemur. ALEXAND. III. *Epistola ad* S. THOMAM *Cantuariensem in Conc.* CLARENDONENSI. TOM. X. CONC. *p.* 1430.

VII. In Episcopos qui suum transgressi sunt juramentum, est tantò graviùs vindicandum, quantò majori præeminent dignitate, & eorum exemplo faciliùs alii poterunt ad similia provocari. *De Jurejur.* Cap. *Cùm quidam §* 1. LIB II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 12.

Si contagio peccandi multitudinem invaserit, &c. CAUS. XXIII. QUÆST. IV.

VIII. Si multitudinem magnam in aliquo peccantem cognoveris, eos quos magis causam delicti esse constiterit, perpetuâ depositione condemnes, & alios qui non tantùm deliquerunt, ab Officio ad tempus suspendas. *De Clerico excommunicato.* Cap. *Latores.* Vid. etiam *Cap.* 32. CAUS. XXIII. QUÆST. IV.

In populis Prælati delinquunt, ac per hoc ipsi crudeliùs quàm cæteri puniuntur. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 3. NICOLAUS I. *ad* LOTHARIUM, circa annum 863.

Ubi multorum strages jacet, ibi subtrahendum est aliquod severitati, ut addatur ampliùs caritati. CAUS. IX. QUÆST. I. *Cap.* 5. *fin.* URBANUS II. *ex Conc.* PLACENTINO. *Cap.* 9. *ann.* 1905.

IX. In hujusmodi causis, ubi per graves dissentionum scissuras non hujus aut illius hominis est periculum, sed populorum strages jacent, detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis caritas sincera subveniat. DIST. L. *Cap.* 25. *Ut constitueretur.* S. AUGUST. *Epist. ad* BONIFACIUM *al.* 50.

X. Circà eum mitiùs agendum est, qui commissum facinus facili dicitur professione confessus. DIST. L. *Cap.* 3. *Presbyterum. fin.* GREGOR. I. LIB. VII. *Epist.* 25. *anno* 598.

XI. Si malum quis ultrò confitetur, parcatur illi, & oretur pro eo: Si autem deprehenditur atque convincitur, secundùm arbitrium Præpositorum, graviùs emendetur. CAUS. XII. QUÆST. I. *Cap.* 11. *Non dicatis.*

Scire Prælati debent, quia si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt; undè necessè est ut se cautiùs à culpa custodiant. *Ibid. Ex* GREGORIO I. Mitiùs agitur cum sponte confesso, quàm cum convicto. *Glossa*, verbo, *Sponte Defertis.* Cap. fin. *Ex literis.* LIB. V. DECR. *Tit.* 18. Cap. 5.

SECTIO V.

Aliquando de severitate pœnæ remittendum. In pœnis benignè interpretandum. Pœnæ molliendæ potiusquàm exasperandæ.

I. Non semper in eos qui peccaverint vindicandum, quia nonnunquam ampliùs prodest clementia sibi ad patientiam, quàm lapso ad correctionem prosit vindicta. CAUS. XXIII. QUÆST. IV. *Cap.* 26. *Quod* CHRISTUS.

Nos utrumque scire oportet, & quæ sunt summi juris, & quæ sunt consuetudinis: sequi autem, in iis quæ summum jus non admittunt, formam traditam. S BASIL. *Epist* 1. *Can.* 3. *fin.* TOM. II. CONC. *Append. p.* 1722. S. AMBROS. LIB VII. *Commentar. ad Cap.* 9. LUCÆ. *anno* 376.

II. Interdum consideratis locorum & temporum qualitatibus, est severitati aliquid detrahendum. *De Sententia Excommunicationis.* Cap. *Super eo. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 51.

III. Qui clementiam non habet, nec indutus est viscera misericordiæ, & lacry natum, quamvis spiritualis sit, non adimplet Legem CHRISTI. DIST. LXXXVI. *Cap.* 22. *Qui clementiam.* S. HIERONIM. *in Commentario ad* GALATAS. *Cap.* 6. versu, *Alter Alterius*, *anno* 386.

Tutius est in misericordiam quàm in severitatem declinare. *De sortilegis.* Cap. *Ex tuarum. in init.* LIB V. DECR. *Tit.* 21. Cap. 2.

IV. In pœnis benignior est interpretatio facienda. *De Regulis Juris. Reg.* 49.

Severitas exercenda est in peccata paucorum. DIST. XLV. *Cap.* 1. *med.*

Tales ergà subjectos nostros debemus existere, quales nobis, si subjecti fuissemus, nostros volueramus esse Prælatos. DIST. LXXIV. *Cap.* 6. *Quorumdam. med.* GREGOR. I. LIB. 11. *Epist.* 44. *anno* 603.

Odia restringi & favores convenit ampliari. *In* 6. *De Regul. Juris. Reg.* 15.

V. Licet juxta Apostolum arguere, & increpare debeamus, sic tamen debemus excessus corrigere singulorum, ut probemus non quæ nostra sunt, sed quæ JESU-CHRISTI quærere, & in correctione faciendâ videamur modestiam & maturitatem servare. *De pœnis.* Cap. *Licet. in init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 37. Cap. 3.

VI. Quia constitutum non fuit, ut in perpetuum privatio perduraret, is qui Communione privatur, cùm satisfactionem congruam exhibuerit, restitutionem obtineat. *De Constit.* Cap. *Ex literis. §.* 2. LIB. I. DECR. *Tit* 2. Cap. 11.

Pœna specialiter apposita propter contumaciam in dubio intelligitur temporalis, & non perpetua. *Summa.*

VII. Pœ-

VII. Pœnæ Legum interpretatione molliendæ sunt potiusquàm exasperandæ. Caus. XXXIII. Quæst. III. *De Pœnis* Dist. Cap. 18. *Pœna.*

VIII. Poteris interdum aliquid severitati detrahere pro excedentium multitudine, prout deliberatione pensatâ videris expedire. *De Transact.* Cap. fin. *Ex parte tua* §. 2. Lib. I. Decr. *Tit.* 36. Cap. 11.

Quandoque detrahendum est severitati, ut majoribus malis sanandis caritas sincera subveniat. *Glossa*, verbo, *Severitate.*

Imple, Christiane Judex. pii Patris Officium; sic succense iniquitati ut. consulere humanitati memineris, nec in peccatorum atrocitatibus exerceas ulciscendi libidinem, sed peccatorum vulneribus curandi adhibeas voluntatem. Caus. XXIII. Quæst. V. Cap. 1. *Circumcelliones. med.* S. Aug. *Epist.* aliàs 159.

IX. Vera justitia compassionem habet, falsa verò dedignationem; quamvis & justi soleant rectè peccatoribus dedignari; sed aliud est, quod agitur typho superbiæ, aliud quod zelo disciplinæ. Dist. XLV. *Cap.* 15. *Vera.*

Gregorius I. *Homilia* 34. *in Evangelium*, circa annum 593. Miscenda est mansuetudo severitati, & mansuetudini severitas. *Cap.* 14. Dist. XLV.

SECTIO VI.

Posse Judices Ecclesiasticos ad custodiam carceri accusatos mancipare; imò & in pœnam perpetuo carceri devovere.

I. Ad reorum custodiam, non ad pœnam, carcer specialiter deputatus esse noscitur. *In 6. De pœnis.* Cap. *Quamvis. init.* Lib. V. *Tit.* 9. Cap. 3.

Carcer de Jure Civili est introductus ad custodiam reorum, pendente accusatione. *Glossa.*

II. Si Clericos tuæ jurisdictioni subjectos, propter commissos excessus, etiam per Laicos capi facias; & eos ne fugiant, in carcere, pœnâ debitâ posteà castigandos, includas; in his, nisi alias ex proposito excedatur, temeritas vel injuria nequit deprehendi. *In 6. De Sent. Excom.* Cap. *Si Clericos.* Lib. V. *Tit.* 11. Cap. 15.

III. Laicus capiens Clericum de mandato Judicis Ecclesiastici, non incurrit Sententiam Excommunicationis, quia illud non facit injuriosè & temerè, sed licitè. *Glossa. Concil.* Rom. anno 826. Cap. 14. Tom. VIII. Conc. *pag.* 108. Dist. LXXXI. *Cap.* 7. Eugenius ibi jubet, ut Clerici rei constituantur in benè proviso loco. Pithæus in his verbis notat *Carceres Episcopi.*

Eosdem quoque Clericos, si de patendo juri fidejussoriam dederint cautionem, detineri non debere; nisi excessûs enormitas, vel alia causa rationabilis, suadere potest detinendos. *Ibid. fin.*

IV. In omnibus casibus ea ratio habeatur, ut juxtà qualitatem delicti ac personarum, delinquentes ipsi in loco decenti custodiantur. *Concil.* Trid. Sess. XXV. *Decr.* 2. *De Reform.* Cap. 6. *med.*

V. In criminibus ex incontinentiâ provenientibus, & in atrocioribus delictis, depositionem aut degradationem requirentibus, ubi de fuga timetur, ne judicium eludatur, & ideò opus sit personali detentione, possit Episcopus ad summariam informationem & necessariam detentionem procedere. *Concil.* Trid. Sess. XXV. *Sect.* 2. *De Reform.* Cap. 6. *med.*

Personas pestiferas in potestatem seu carcerem Episcoporum ducant, vel duci faciant sine morâ; ubi sub arctâ & diligenti custodiâ teneantur, donec eorum negotium per Ecclesiæ judicium terminetur. *In 6. De Hæret.* Cap. *Ut inquisitionis. post init.*, Lib. V. *Tit.* 2. Cap. 18.

VI. Clericus qui pro eo quod varicaverat & vacillaverat coram vobis, captus est & detentus; infamiam non incurrit. *De Pœnis.* Cap. *Super his.* Lib. V. Decr. *Tit.* 37. Cap. 8.

Clericus qui propter vacillationem incarceratur, infamiam non incurrit. *Summa.* Genus pœnæ per se non infamat, nisi Sententia præcedat. *Glossa*, verbo, *Non incurrit.*

VII. Non improbamus, si subjectos sibi Clericos, confessos de criminibus seu convictos, eorum excessibus & personis, cæterisque circumstantiis providâ deliberatione pensatis, in perpetuum, vel ad tempus, prout videris expedire, carceri mancipes ad pœnitentiam peragendam. *In 6. De Pœnis.* Cap. *Quamvis.* Lib. V. *Tit.* 9. Cap. 3.

Judex Ecclesiasticus potest subditos suos condemnare ad agendum pœnitentiam in pane tristitiæ, & aquâ doloris, ad perpetuos carceres, vel ad tempus. *Glossa.*

VIII. Pro illo falsario scelerato, hoc tibi ducimus consulendum, ut in perpetuum carcerem ad agendam pœnitentiam ipsum includas, pane doloris & aquâ angustiæ sustentandum, ut commissa defleat, & flenda ulteriùs non committat. *De Verbor. signific.* Cap. *Novimus.* §. 1. Lib. V. Decr. *Tit.* 40. Cap. 27. §. 1.

Prælati non solùm possunt, sed debent etiam, Clericos, postquam fuerint de crimine Canonicè condemnati, sub arctâ custodia detinere, cùm sunt incorrigibiles. *De Sent. Excom.* Cap. 35. *Ut famæ.* §. 2.

Clerici de criminibus condemnati qui nolunt corrigi, possunt incarcerari. *Glossa.*

Carcer perpetuus successit veteri inclusioni in Monasterium propter eumdem finem introductæ, nempè ad amovendam Reo occasionem criminum, & populo scandalum.

SECTIO VII.

Judex Ecclesiasticus etiam torturâ moderatâ uti potest, ad inquirendam criminis veritatem; non hinc initium ducendum.

I. Veritatem diversis cruciatibus & latebris suis Religiosus vel rigorosus tortor exigere debet, ut dùm pœnis corpora subjiciuntur, quæ gesta sunt fideliter & veraciter exquirantur. Caus. V. Quæst. V. Cap. 4. *Illi. fin.*

Tribuitur Eusebio I. in *Epistola.* I. anno 307. vel 312. quæ suppositititia est; sed in relato Canone nihil est quod rejici mereatur.

II. Non est dignum, ut passim unusquisque Prælatus, honorabiliora membra sua, prout voluerit, & ut placuerit, verberibus subjiciat & dolori; ne dùm incautè subdita percutit membra, ipse quoque debitam sibi subditorum reverentiam subtrahat; juxta illud quod quidam sapiens dixit: *Leviter castigatus reverentiam exhibet castiganti, asperitatis autem nimia increpatio nec correctionem recipit, nec salutem.* Dist. XLV. Cap. 8. *Cùm Beatus. post. init.*

Ex Concilio Bracarensi *Cap.* 7. anno 675. ubi subdit Prælatum in hac culpâ perseverantem, pro illius gravitate excommunicandum, exilioque plectendum.

III. In ipso causæ initio, non est à quæstionibus inchoandum. *De Regulis Juris.* Cap. *Cùm in contemplatione.* Lib. V. Decr. *Tit.* 41. Cap. 6. Hic non agitur de torturâ, datusque hic sensus est omninò alienus à mente Gregorii ex quo desumitur hic Textus; sed de querelis vel quæstibus, à quibus abstinere vult initio sui Episcopatûs. Vid. Gonzal. locum integrum refert qui communem interpretationem damnat.

A tormentis Judices incipere non debent. *Glossa.*

Judices à principio causæ non debent incipere à tormentis, nisi primò aliquæ præsumptiones præcedant. *Glossa.* Etiam in publicis criminibus Judex non incipit à tormentis, sed etiamsi per indicia sit proce-

procedendum, id faciet, si personarum conditio id patiatur. *Glossa marginalis.*

IV. Judicibus dedimus in mandatia ut illum iniquum sub quæstionibus ad rationem ponant, etiamsi oportuerit vinculis alligatum. *De deposita.* Cap. *Gravis.* §. 2. LIB. III. DECR. *Tit.* 16. *Cap.* 1. GONZALEZ hîc probat Clericos, sicut nec milites, nec in dignitate constitutos, torturæ non subdendos.

Suspecti sunt torquendi, & in vinculis detinendi, & verberibus afficiendi, vel subjiciendi. *Glossa*, verbo, *Quæstionibus*.

V. Scelerum Confessionem non extendente equuleo, non sulcantibus ungulis, non urentibus flammis, sed virgarum verberibus eruisti; qui modus coërcitionis & à Magistris artium liberalium, & ab ipsis Parentibus, & sæpè etiam in judiciis solet ab Episcopis adhiberi. CAUS. XXIII. QUÆST. V. *Cap.* 3. *Circumcelliones.. fin.* S. AUGUST. *Epistol.* 159. *ad* MARCELLINUM. Notandi quatuor modi quibus quarto sæculo tortura fiebat ad eruendam veritatem,

VI. GRATIANUS, CAUS. XV. QUÆST. VI. examinandum suscipit, an liceat cruciatibus confessionem extorquere; attamen etsi quinque Canones sub illa resarat, solus primus ad rem facere videtur; sed desumitur ex Epistola ALEXANDRO I. falsò attributa; nec agit de confessione reorum cruciatibus extorquenda, sed de confessione erroneæ doctrinæ ad quam Prælati errantes cogebant malis artibus, nempe metu, vi, fraude; undè tortura de qua hîc sermo fit, nequaquam illius propositum respicit, exemplumque habes notatu dignissimum defectûs de quo in Prolegomenis præmonuimus, scilicet à GRATIANO interdum colligi Canones suia Titulis non congruentes, omissis aliis ad rem facientibus, quales sunt hîc qui suprà relati sunt.

Circà eamdem Quæstionem VI. *Vide* VAN-ESPEN *in illam*; ostendit Canones relatos pro tortura, vel falsos, vel falsis innixos.

SECTIO VIII.

Judicem Ecclesiasticum non posse infligere pœnam, seu mulctam pecuniariam, nisi illam applicet alicui certo usui pio.

I. Licet juxtà Apostolum arguere & increpare debeamus, sic tamen debemus excessus corrigere singulorum, ut probemus non quæ nostra sunt, sed quæ JESU-CHRISTI quærere, & in correctione faciendâ videamur modestiam & maturitatem servare. Quia igitur sollicitudini nostræ incumbit, Pastorali providere diligentiâ, ne ab Ecclesiasticis personis tuæ Provinciæ, aliquod agatur quod reprehensioni subjaceat, vel Ecclesiasticam honestatem denigret; mandamus quatenùs Archidiaconis tui Episcopatûs ex parte nostrâ & tuâ districtè inhibeas, ne pro excessibus corrigendis, aut criminibus puniendis, à Clericis vel Laicis pœnam pecuniariam exigere audeant. *De pœnis. in integr.* Cap. *Licet.* LIB. V. DECR. *Tit.* 37. Cap. 3.

Pro criminibus pœna pecuniaria exigi non debet. *Glossa*, verbo, *Pœnam*.

Excessus Clericorum puniendi sunt pœnâ spirituali, secundùm Canones, & non pecuniariâ. *Gloss.*

Prohibeatur Archidiaconus Clericos sive Laicos, qui pro suis excessibus puniendi sunt, pecuniariâ pœnâ mulctare. *De Officio Archidiaconi.* Cap. *Mandamus. in init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 23. Cap. 6. Vide hîc GONZALEM.

Provideant diligenter Ecclesiarum Prælati, ne salutare Statutum de corrigendis subditorum excessibus, ad quæstum pecuniæ, vel gravamen aliud non convertant, sed studiosè ac fideliter exequantur. *De Officio Judicis Ordin.* Cap. *Irrefragabili.* §. ult. LIB. I. *Tit.* 31. *Cap.* 13. Pœnas pecuniarias quas recipit Episcopus, non lucratur ipse, sed in utilitatem Ecclesiæ converti debent, vel dividet illas. *Glossa*, verbo, *Utilitatibus*.

II. Nullam Reus pertimescit culpam, quam redimere nummis existimat. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 72. *Pauper. fin.* ISIDORUS. LIB. III. *De Summo bono.* *Cap.* 58. circa annum 625.

III. Provideant diligenter Prælati Ecclesiarum, ut Statutum ad quæstum pecuniæ, vel gravamen aliud non convertant. *De Off. Judic. Ordinarii.* Cap. *Irrefragabili.* §. ult. *init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. Cap. 13.

IV. Presbyteri compositio solvatur, ita ut utilitatibus Ecclesiæ tribuat Episcopus, & in elemosynam justè dispertiat. *De pœnis.* Cap. *Presbyteri.* LIB. V. DECR. *Tit.* 37. Cap. 2.

Pœnam pecuniariam quam recipit Episcopus ab aliquo, sibimet appropriare non debet, sed in utilitatem Ecclesiæ distribuere. *Glossa.* GREGORIUS I. LIB. I. *Epistola* 42. PETRO *Subdiacono.* *anno* 591. *Ibid.* Ubi exemplo suo Prælatos docet abstinere ab omni quæstu indecenti, idemque docet his præcipuè verbis: *Nos sacculum Ecclesiæ ex turpibus lucris nolumus inquinari.*

V. De lapsis Sacerdotibus, vel Levitis, vel quolibet ex Clero, observare te volumus, ut in rebus eorum nullâ contaminatione miscearis. CAUS. XVI. QUÆST. VI. *Cap.* 5. *De lapsis. init.*

VI. Si qui ex familia Ecclesiastica Sacerdotes, vel Levitæ, vel Clerici, vel quilibet alii lapsi fuerint, dari eos in pœnam volumus; sed res eorum Ecclesiastico Juri non subtrahi. *Ibid.* §. 1.

VII. Illud statuendum censuimus, ut si Clericis quid culpæ extiterit, pro qualitate personarum, vel Regula præcedentium Canonum, in personâ habeatur, non in facultate districtum. CAUS. XVI. QUÆST. VI. *Cap.* 8. *Illud.* GELASIUS, fortè circa annum 494.

VIII. Si Jurisdictionem Ecclesiasticam habentes, pecuniarios quæstus percipere non erubescunt, quod acceperint restituere, & ad pios usus omninò convertere, teneantur & compellantur. *Concordat. Tit.* 13. *De publicis.* §. 9.

Vidè *Glossam* REBUFFI *ad hunc locum*: Ubi ait, Prælatum justè præsumi quæstûs causâ pœnam pecuniariam imponere, si illam convertat in usum suum.

Undè contingeret quod Prælatus volens subditorum suorum avaritiam corrigere, ad illam exemplo suo illos provocaret.

Hîc adjici possent Canones omnes qui pœnas pecuniarias ferentes ipso facto incurrendas, jubent illas applicari Ecclesiarum fabricæ, vel pauperibus erogari. *Cap* 1. SESS. VI. *Cap.* 1. SESS. XXIII. *Conc.* TRID. *De Ref.*

SECTIO IX.

Si Clerici crimina commiserint, quæ capitale supplicium, vel gravem corporis pœnam mereantur, relinqui debent Regiis Judicibus condemnandi.

I. Si ita fuerit gravis excessus quod mortem vel detruncationem membrorum debeant sustinere, vindictam reservent Episcopi Regiæ Potestati. *De Raptoribus.* Cap. *In Archiepiscopatum. fin.* LIB. V. DECR. *Tit* 17. Cap. 4.

II. Si fortè aliqui ita obstinati & contumaces extiterint, ut doceri non velint, eos aut attrahi ad salutem quoquomodo necessè est, aut ne aliorum perditio esse possint, secundùm Canones, per sæculares comprimi Potestates. DISTINCT. XVII. *Cap.* 4. *Nec licuit. med.* PELAGIUS I. circa annum 557.

Valet

Valet interdùm conversis pro salute animæ mutatio loci; plerumqoe enim dùm mutatur locus, mutatur & mentis affectus; congruum est enim indè etiam corporaliter evelli, ubi quisque illecebris deservivir; nam locus ubi quisque pravè vixit, hoc in aspectu mentis apponit, quod sæpè ibi vel cogitavit, vel gessit. Dist. LXXXI. *Cap 9. Valet.* Isidorus Lib. II. *Sententiarum, De summo bono. Cap.* 10. circa annum 623. Hæc autem mutatio potissimùm fit exilio quod est pœna Sæcularis.

III. Episcopi, cùm opus fuerit, publicum convocent auxilium, non ad præjudicandum, sed potiùs ad ea, quæ Deo sunt placita, prosequendum. *De Officio Ordinarii.* Cap. 1. *Perniciciosam. §.* 2. Lib. I. Decr. *Tit.* 31. Cap. 1.

IV. Mille Constitutiones sunt quibus evidenter agnoscitur, ur facientes scissuras in Sancta Ecclesia, non solùm exiliis, sed etiam proscriptione rerum, & durâ custodiâ per Publicas Potestates debeant coërceri. Caus. XXIII. Quæst. V. *Cap.* 41. *De Liguribus. fin.* Pelagius *Papa* Narsæ *Patricio & Duci*, anno 556.

V. Clerici, postquàm per Ecclesiasticum Judicem fuerint degradati, Sæculari potestati tradantur, secundùm Constitutiones Legitimas puniendi. *De crimine falsi.* Cap. *Ad falsariorum. §.* 1. *med.* Lib. V. Decr. *Tit.* 20. Cap. 7..

VI. Liberum sit Episcopis Rectorem Provinciæ secundùm Statuta Gloriosissimorum Principum adversùs illum adire, qui si miti admonitioni Episcoporum acquiescere noluerit & emendare illicitum, ab autoritate judiciaria protinus excludatur. Caus. XI. Quæst. I. *Cap.* 19. *Petimus.* Ex *Concil.* Carthag. III. *Cap.* 38. anno 397.

VII. Si Clericus io quocumque Ordine constitutus, in profundum malorum veniens, omnia contempserit, per Sæcularem comprimendus est Potestatem, ita quod deputetur ei exilium, vel alia legitima pœna inferatur. *De Judiciis.* Cap. *Cùm non ab homine. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 1. Cap. 10.

VIII. Non debet Episcopus quemlibet depositum pro suis excessibus, cùm suo sit functus Officio, nec duplici debeat ipsum contritione conterere, Judici tradere Sæculari. *De Judiciis.* Cap. *At si Clerici. §.* 2. *fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 1. Cap. 4. Loquitur de adulteriis, aliisque criminibus illis minoribus, quæ capitalia non sunt, quæque depositione, aliisque pœnis Canonicis, sufficienter puniuntur.

Huc attinent Textus suprà collecti dùm de invocatione Brachii Sæcularis, & de Traditione Curiæ Sæculari.

SECTIO X.

I. *Juxtà formam Judicii Sententia formetur.* II. *Condemnetur aut absolvatur Reus.* III. *Probato crimine Canonica ultio exerceatur.* IV. *Si in Jure sunt pœnæ expressa, infligantur.* V. *Alioquin arbitrio Judicis imponantur.*

I. Illud semper adhibeatur moderamen, ut juxtà formam Judicii, Sententiæ quoque formâ dictetur. *De Accusat.* Cap. *Qualiter. il* 2. *§. Penult. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 1. Cap. 24.

Quispiam Sacerdotum malæ conversationis inventus, pro qualitate culpæ, secundùm Canonum normam, emendari curetur. *Concil.* Eugenii II. *ann.* 826. Cap. 20. Tom. VIII. Conc. *p.* 109.

Semper debet continere definitiva Sententia condemnationem vel absolutionem; aliàs non tenet. *Glossa*, verbo, *Condemnetur.*

Quæ sunt Legibus Canonibusque placita decorentur, & Decreta juvante Domino mancipentur effectui. *De Sententia.* Cap. *Cùm cuncta. in init. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 3.

II. Quoad culpam reatumve alicujus pertinet, cùm eis quorum interest, causam districtè volumus perscrutari, ut vel condemnetur vel absolvatur. *De Accusat.* Cap. *Illa.* Lib. V. Decr. *Tit.* 1. Cap. 3.

III. Postquàm crimen Ordine fuerit Judiciario comprobatum, Canonicæ severitatis exerceas ultionem. *De Simonia.* Cap. *Dilectae. il* 2. *med.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 30.

IV. Si tale fuerit negotium, quod certa exindè pœna in Canonibus exprimatur, eamdem infligas. *De Officio Jud. Delegati.* Cap. *De causis. §. med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 29. Cap. 4.

V. Alioquin ipsos pro delicti qualitate & causæ, secundùm tuum arbitrium punire procures. *Ibid. fin.*

Si nulla pœna statuta est super negotio de quo Judex cognoscit, pœnam contumacibus imponat secundùm arbitrium suum. *Glossa.*

VI. In his super quibus jus non invenitur expressum, procedas æquitate servatâ, semper io humaniorem partem declinando, secundùm quod personas, & causas, loca, & tempora, videris postulare. *De Transact.* Cap. fin. *Ex parte tua.* §. 2. Lib. I. Decr. *Tit.* 36. Cap. 11.

VII. Cùm Jura Canonica & Civilia edita sunt in quibusdam Articulis, procedas secundùm quod necessè fuerit secundùm Canonicas & Legitimas Sanctiones. *Ibid. in integra.*

Si acciderit aliquem contrà voluntatem suam, vel fortè fortuitò delictum aliquod perpetrare, statuitur, non in eum esse animadvertendum, ac si voluntariè hoc faciet & de industria. Quicumque necessitate pulsus in aliquo deliquerit, mitiùs semper & clementiùs judicandus est, ex ipso hoc quod ex necessitate factum perpetraverit. *Concil.* Ænhamense anno 1009. *in Anglia.* Cap. 32. ult. Tom. IX. Conc. *pag.* 796.

VIII. Secundùm personæ merita & qualitatem excessûs, pœnam poterit judicantis discretio moderari. *De Accusat.* Cap. *Inquisitionis. §.* 1. *fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 1. Cap. 21.

IX. Dignum est ut severitatem Ecclesiasticæ Disciplinæ sentiat qui toties salubriter à Sanctis Patribus instituta observare contemnit. Dist. LV. *Cap.* 2. *Nullus. fin.* Ex *Concil* Arelat. III. *Cap.* 3. anno 524.

Sic manifesti excessus, Canonicâ semper moderatione puniendi sunt, ut una res & præteritorum correptio esse possit, & Regula futurorum. *De Præsumpt.* Cap. *Quantò. in init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 23. Cap. 8.

Si supplicantium querela veritati subsistit, ita hoc regulari emendatione corrigere convenit, ut & quàm sit hoc malum quod fecit, agnoscat, & Officii sui terminos discat de cæterò non exire. *Ibid.*

SECTIO XI.

I. *Cùm crimina objiciuntur antè susceptionem Ordinis vel Beneficii, si probentur, illam impedire debent, non tamen dejiciunt promotum.* II. *Cùm opponuntur post confirmationem, si probentur, impediri debet illius executio, ac etiam Ordinum, vel obtentio Beneficiorum.* III. *In atrocioribus dispensari non potest ab executione Ordinum vel Beneficiorum retentione.* IV. *In minoribus dispensare potest Episcopus.*

I. Cùm crimen apponitur, ut quis à promotione Officii vel Beneficii excludatur, si antè confirmationem objicitur crimen hoc modo probatum, impedit promovendum, sed non dejicit promotum. *De Accusat.* Cap. *Super his. med.* Lib. V. Decr. *Tit.* 1. Cap. 16.

Si Episcopus, Presbiter, aut Diacnnus capitale crimen conmiserit, aut chartam falsaverit, aut falsum testimoninm dixerit, ab officii honore depositus in Monasterium detrudatur. DIST. L. *Cap.* 7.

II. Si post confirmationem objicitur, cùm scilicet ordinandus aliquis fuerit, aut etiam consecrandus, etiam ab obtinendo repellit & dejicit ab obtento, pro eo quod crimine sic probato, perdit quod per electionem & confirmationem ei fuerat acquisitum, sed ob hnc priùs habitum non amittit. *Ibid.*

III. Valdè grave est, ut vir de quo tanta & talia nunciantur, cùm ante requiri & discuti debeant, honoretur. *De Accusat.* Cap. *Omnipotens.* LIB. V. DECR. *Tit.* 1. *Cap.* 4.

Qui de aliquo crimine accusatur vel denunciatur, interim promoveri non potest. *Summa.*

IV. Accusati, nisi priùs se probaverint innocentes, à susceptione Ordinum repelluntur. *De Testibus.* Cap. fin. *Non debet. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. *Cap.* 56.

Si Judex ès, si judicandi potestatem accepisti, Ecclesiastica Regulâ si apud te accusatur, si veris documentis testibusque convincitur, coerce, corripe, excommunica, degrada. CAUS. XXIII. QUÆST. IV. *Cap.* 11. *Fortè. fin.*

V. Est tale crimen quod, si probatum fuerit, Ordinis executionem suscepti, aut retentionem Beneficii, etiam post peractam pœnitentiam, impedit; putà, si quis homicidium commiserit, vel adeptus sit Ordinem aut Beneficium vitio Simoniæ. *De Accusat.* Cap. *Inquisitionis.* §. 1. LIB. V. *Tit.* 1. *Cap.* 21. Tribuitur S. AUG. *Serm.* 24. *De verbis Apostoli*; Quæsivi nec inveni.

Vide *Concilium* AURELIAN. III. *anno* 538. *Can.* 8. TOM. V. CONC. *p.* 297. qui Canon degradat ab Ordine Clericum convictum de furto, vel de falsò concessa Communione; convictum verò de perjurio à Communione per biennium suspendit: Hinc non sequitur, quod perjurium minùs sit in Clerico crimen quàm furtum, vel falsum; sed hoc pendet ex circumstantiis hoc discrimen poscentibus.

VI. Sunt talia crimina propter quæ Clerici suspendi debeant vel deponi. *De Judiciis.* Cap. *At si Clerici.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 1. *Cap.* 4.

VII. Si Diaconus aut Presbiter crimen capitale commiserit, simul & Officio & Communione pellatur. *Conc.* AURELIAN. I. *anno* 511. CONCIL. TOM. IV. *pag.* 1406.

VIII. De adulteriis & aliis criminibus quæ sunt minora, potest Episcopus cùm Clericis, post peractam pœnitentiam, dispensare. *De Judiciis.* Cap. *At si Clerici.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit* 1. *Cap.* 4.

IX. Est tale crimen quod probatum deponeret accusatum criminaliter & convictum. *De Accusat.* Cap. *Inquisitionis.* §. 1. LIB. V. DECR. *Tit.* 1. *Cap.* 21.

Anno integro Missas facere non præsumat. DIST. LV. *Cap.* 2. *Nullus. Ex Concil.* ARELAT. III. *Cap.* 5. *anno* 524. Loquitur de Episcopo Canonum transgressore, circà Ordines conferendos.

X. Si fuerit gravis excessus, etsi non degradetur ab Ordine, ab administratione tamen amoveatur omninò; quod est secundùm sententiam Evangelicam, à villicatione Villicum amoveri, qui non potest villicationis suæ dignam reddere rationem. *De Accusat.* Cap. *Qualiter. il* 2. *ante* 1. §. LIB. V. DECR. *Tit.* 1. *Cap.* 24.

De Presbyteris qui de crimine fornicationis, sive aliquo capitali flagitio accusantur, aut si fortè lapsi fuerint, quomodo satisfaciant in quorum judicio tectâ viâ gradiendum est. *In Decretis Concilii* ARVERNENSIS anno 535. *Cap. penult.* TOM IV. CONC. *p.* 1806. Fornicator vel adulter deponuntur, & ad pœnitentiam rediguntur.

XI. Hi qui Sacros Ordines habentes, deprehensi vel capti fuerint publicè in perjurio, furto, atque fornicatione, & cæteris hujusmodi criminibus, secundùm Canonum Sacrorum Instituta, à proprio gradu decidant, quia scandalum est populo Dei tales personas suprà se positas habere, quas ultrà modum vitiosas esse constat, nempè indè retrahuntur homines à sacrificio Dei, & rebelles hinc atque contrarii existentes, eorum pravis exemplis quotidiè pejores fiunt. DIST. L. *Cap.* 34.

SECTIO XII.

I. *Pro qualitate criminum suspendi debent vel deponi Clerici.* II. *Deindè excommunicari debent.* III. *In loco securo constitui, ad agendam pœnitentiam, quod fiebat olim in Monasteriis.* IV. *Non omnis depositus Curiæ Seculari tradendus est, sed si incorrigibilis fuerit tantum.*

I. Si Clerici coràm Episcopo de criminibus in Jure confessi sunt; seu legitimâ probatione convicti, dummodò sint talia crimina propter quæ suspendi debent vel deponi; non immeritò suspendendi sunt à suis Ordinibus, vel ab Altaris Ministerio perpetuò removendi. *De Judiciis.* Cap. *At si.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 1. *Cap.* 4.

De jejuniis in pane & aqua. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 109. JOANNES VIII. Pœnitentiam hujusmodi trienno duraturam imponit iis qui suspensi Sacrum Ministerium exercuerant.

Quando peccata in quibus culpa est relaxare vindictam, ab aliquibus, suggerente Diabolo, committuntur, tanta est eis imponenda correptio; ut ipsi pœnâ docente cognoscant, quàm grave fuerit quod patrant; & cæteros à similibus præsumptionibus Ecclesiasticæ correptionis timor inhibeat. ANASTASIUS IV. *Epistola* 6. TOM. X. CONC. *pag.* 1173.

Canonicæ & ultrices vindictæ. *Concil.* FOROJUL. *anno* 791. *Cap.* 12. *fin.* TOM. VII. *Concil. pag.* 1007. Sic vocantur suspensio ab Officio, excommunicatio major, & depositio, quæ pro modo culpæ infligi præcipiuntur.

Cùm cuncta negotia indagandæ sollicitudine veritatis indigeant; tùm quæ ad dejectionem Sacerdotalium graduum pertinent districtiùs sunt trutinanda, in quibus non tàm de humanis constitutis, quàm Divinæ quodammodò benedictionis refragatione, tractatur. *De sent.* Cap. *Cùm cuncta. in init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. *Cap.* 3. S. GREGORIUS I. GONZALEZ ostendit quod Episcopus non poterat sine consilio Sacerdotum Clericum deponere, quod adhuc vigebat XIII. Sæculo, ut patet ex *Cap.* 1. *De excessib. Prælat.* à GREG. IX. probato *anno* 1230. cùm illud dederit pro normâ in judiciis & scholis sequendâ.

II. Si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet; deindè contumaciâ crescente, anathematis mucrone feriri. *De Judiciis*, Cap. *Cùm non ab homine. med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 1. *Cap* 10. Hæc decisio periculosa esset, nisi exciperentur crimina capitalia quæ publicam quietem perturbant.

Ubi pro crimine primo loco proceditur contrà aliquem, si crimen tale sit quod inducat suspensionem, primò debet suspendi, vel si inducat depositionem debet deponi, & si corrigibilis apparuerit, non proceditur ampliùs contra ipsum; si verò incorrigibilis fuerit, hinc demùm tradatur Curiæ Sæculari, cùm Ecclesia non habeat ultrà quid faciat. *Glossa*, verbo, *Postmodum. Glossa* hæc explicanda ut Textus.

III. Non debet Episcopus quemlibet depositum pro suis excessibus, cùm suo sit functus officio, nec duplici debeat ipsum contritione conterere, Judici tradere Sæculari. *De Judiciis.* Cap. *At si Clerici.* §. 1. *fin.*

fin. Lib. II. Decr. *Tit.* 1. *Cap.* 4. Excipienda crimina atrocia. *Cap.* 17 *De Verb signif.*

IV. Si in profundum malorum veniens contempserit, cùm Ecclesia non habeat ultrà quid faciat, ne possit ultrà esse perditio plurimorum, per Secularem comprimendus est Potestatem. *De Judiciis.* Cap. *Cùm non ab homine. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 1. *Cap.* 10. Sensus esse debet, quod quoties pœnæ Ecclesiasticæ insufficientes sunt, ad debitam criminum punctionem, ista Judici Sæculari relinquenda est.

V. Si Diaconus aut Presbyter crimen capitale commiserit, simul & ab Officio & à Communione pellatur. Dist. LXXXI. Cap. 14. *Si Diaconus. Ex Concil.* Aurelianensi I. *Cap.* 11. anno 511.

Regularia Monasteria require, quæ secundùm Deum vivere sciuntur, & in eisdem Monasteriis ad pœnitentiam lapsos trade; ita ut res lapsorum in eodem loco proficiant, in quo agere pœnitentiam traduntur, quatenus ipsi ex rebus illorum subsidium habeant, qui de correctione eorum sollicitudinem gerunt. Caus. XVI. Quæst. VI. *Cap.* 5. *med.* Gregor. I. Lib. I. *Epist.* 42. anno 601. Verisimile est quod illarum rerum fructus Monasterium percipiebat tantùm, quandiù ipse detrusus in illo vivebat, cùm illi committerentur in subsidium.

VI. Sacerdos aut quivis alius in Ordine Ecclesiastico provectus, si in eo scelere invenitur quo abjiciendus comprobatur, depositus providentiâ Episcopi, benè proviso loco constituatur, ubi peccata lugeat, & ulterius non committat. Dist. LXXXI, *Cap.* 7. *Sacerdos* Eugen. II. anno 826.

VII. Si Presbyteri, amisso gradu, seculariter vivere voluerint, & pœnitentiam agere neglexerint, ab Ecclesiæ communione separentur. Dist. VIII. *Cap. Dictum est fin.*

Ex Concilio Cabilonensi II. *Cap.* 40. anno 813. Si qui Clerici lapsi fuerint, reditum suum accipiant, unde ad pœnitendum subsistant, ne si nudentur, locis in quibus dati fuerint, onerosi sint. *Ibid.*

VIII. Cùm ab Ecclesiarum Prælatis Ecclesiastica Sententia in malefactores aliquos promulgatur, debet rata & firma consistere, ut usque ad dignam satisfactionem inviolabiliter observetur. *Appendice Concilii* Lateran. *Parte* 31. *Cap.* 7.

SECTIO XIII.

Judex aliquando errat. Pudere eum non debet errorem suum corrigere.

I. Si Judex debitum ordinem prætermisit, adhuc ipsum tempore opportuno observet, ne indè nascantur injuriæ, undè jura nascuntur. *De Accusat.* Cap. *Qualiter.* *§.* 1. *post init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 1. Cap. 17.

II. Si alicui objicitur, quod se crimen admisisse confessus fuerit, & contra ille violentiam pertulisse proclamaverit, vel si inimicos Judices fuisse testatus fuerit, tunc illud renovetis judicium secundùm æquitatis normam, ut justitiæ mole non opprimatur. Caus. XXXI. Quæst. II. *Cap.* 4. *fin.*

Si contra præscriptum ordinem tanquàm homo excessit, non pudeat eum errorem suum corrigere, qui positus est ut aliorum corrigat errores; quoniam apud Judicem districtum, in qua mensura mensus fuerit, remetietur ei. *Cap.* 17. *De Accus.*

III. His quæ inordinatè sunt acta, non potest ordinabiliter agi. *Ibid.* ideòque error corrigendus.

IV. Inveniat occasionem aliquam congruentem, per quam, ne illius vilescat autoritas, quantò cautiùs & prudentiùs poterit, supersedeat ad præsens. *Ibidem. Vide* De excomm. *Cap.* Sacro, 48. *De Sent. Excomm. Tit.* 39. Lib. V.

V. Quod quis commisit illicitè, aut à Prædecessoribus suis invenit admissum, si proprium periculum vult vitare, damnabit. Caus. XXXV. Quæst. IX. *Cap.* 3. *Quod quis. init.*

VI. Qui in causis Dei, vel contumaciâ, vel aliquo excessu deliquerit, nisi ipse quod perperam fecit abolere voluerit, in se, quicquid in alio non resecaverit, inveniet. *Ibid.*

TITULUS VII.

De pœnis in specie consideratis.

SECTIO I.

Quis ordo servandus in pœnis contrà Clericos infligendis?

Poenæ hujusmodi aliæ sunt Ecclesiasticæ, aliæ Sæculares; de utrisque hic agitur: Priores vocantur etiam Canonicæ, quia a Canone sunt institutæ, & ab illo adhibentur in casibus quibus conveniunt; & Spirituales, quia afficiunt animam seu spiritum. Posteriores appellantur quoque Legitimæ, quia à lege statutæ; & Temporales, quia privant rebus tempori subjectis. Canones sequentes probant hanc distinctionem.

I. Cùm Ordo Judiciarius servatur adversùs aliquem reum multis criminibus accusatum & contumacem, primò ab Officio Beneficioque suspenditur, tùm excommunicationis Sententia in eum profertur; tandem perpetuæ depositionis Sententia in eum fertur. *De dolo & contumacia.* Cap. *Veritatis.* *§. Nos igitur.* Colligitur. Lib. II Decr. *Tit.* 14. Cap 8.

II. Pœnæ Presbyterorum, primùm suspensio ab Officio & Beneficio Ecclesiastico; deindè, crescente contumaciâ, excommunicatio & depositio. *De Testibus cogendis.* Cap. *Cùm super. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 21. Cap. 2.

III. Est opinio à pluribus approbata, ut Clericus qui propter flagitium grave, non solùm damnabile, sed damnosum, fuerit degradatus, tanquàm exutus privilegio Clericali, Sæculari foro per consequentiam applicetur. *De Verborum sign.* Cap. *Novimus.* Lib. V. Decr. *Tit.* 40. *Cap.* 27. Per crimen damnosum hic intelligitur illud quod publicam quietem turbat, ideòque publicâ vindictâ dignum est.

IV. Alibi cùm Clericus ab Ecclesiastico foro fuerit projectus, ejus est degradatio celebranda, Sæculari Potestate præsente; ac pronunciandum eidem, cùm fuerit celebrata, ut in suum forum recipiat degradatum; & sic intelligitur tradi Curiæ Sæculari. *Ibid. fin.*

V. Si Episcopus vel alia persona, quæ non sit de jurisdictione Judicis Delegati, ei Delegato rebellis aut contumax fuerit; secundùm qualitatem facti, poterit, vel Interdicti, vel suspensionis Sententia, à Judice Delegato compelli. *De Officio & potest Jud. Deleg.* Cap. *Sanè.* *§.* 2. *Ideòque.* Lib. I. Decr. *Tit.* 29. Cap. 11.

VI. Judex secundùm negotii qualitatem temperatè procedere debet; ita ut Episcopo, vel ingressum Ecclesiæ, vel Officium Sacerdotale interdicat, aut terram illius specialiter Interdicto supponat. *Ibid. §. Ita. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 29. *Cap.* 11. Quia Pontificali dignitate præditis, ob reverentiam Sacri Officii quod exercent, plurimùm deferri convenit, & eos plus aliis honorari decet; ut cùm fuerit contra eos ad coactiones aliquas, sive pœnas procedendum, gradus & modestia in hujusmodi processu servetur. *In 6. De Offic. & potest. Jud. Deleg.* Cap. *Quia.* Lib. I. *Tit.* 14. Cap. 2.

VII. Eis quadam condignâ reverentiâ supportatis, primò ipsis Ecclesiæ vel Sacerdotale interdicatur Ministerium; ac deindè ab Officio suspendantur; & subsequenter aggravetur Censura Ecclesiastica contrà eos, nisi forte aliter fieri suaserit nimia contumaciæ protervitas sive culpa. *Ibid. fin.*

Tam

Tàm gravia nonnunquam ſunt delicta ab Eccleſiaſticis commiſſa perſonis, ut ob eorum atrocitatem, & Sacris Ordinibus deponendæ, & Curiæ ſint tradendæ Sæculari. *Conc.* TRID. SESS. XIII. *De Reformat.* Cap. 4.

Quod collecti Canones, aliive ſimiles docent, Clericos reos criminis pœnis Sæcularibus puniendos non eſſe fori Sæcularis, niſi poſt degradationem pronunciationemque; & circà illorum illi traditionem; quodque illos non anteà exui privilegio Clericali exiſtimant; non recipitur in Gallia quæ putat hujuſmodi reos privilegium ſuum amittere ipſâ criminis perpetratione, aliis Canonibus innixa declarantibus, Clericos qui enormitatibus ſeſe immiſcent, perdere hoc privilegium, ut & privilegium Canonis, qui excommunicat manus violentas in Clericos injicientes, meritò perſuaſa utrumque in hoc privilegium pari paſſu incedere. Ad hanc praxim aliis validioribus rationibus impelli potuit; timendum erat, ne Judex Eccleſiaſticus indulgentior erga hos Clericos, traditionem differret, uſquequò ſibi conſtitiſſet illos eſſe incorrigibiles, intereàque committerent plura alia crimina Reipublicæ pernicioſa; ratus id neceſſarium, ut illos incorrigibiles judicaret, atque ad id motus deciſione CLEMENT. III. *Cap.* 10. *De Judiciis*, exiſtimantis expectandum ad illam traditionem faciendam, quod in profundum malorum perveniſſent, in contemptum pœnarum Eccleſiaſticarum ſucceſſivè impoſitarum; metuendum quoque ne Rei Eccleſiæ benignitate abutentes, effugerent in alia loca, graviora crimina commiſſuri, vel priores Sententias eludentes Appellationibus interpoſitis, úſque ad tres conformes, per plures annos debitam prioribus criminibus pœnam ſuſpenderent; quod ſecuritati publicæ exitioſum fuiſſet, cùm alii, eâ ſuſpenſione durante, ſimilem indulgentiam ſperantes, ſimilia atrociorave perpetrarent. Adde quod degradatio eſt mera Ceremonia Eccleſiaſtica, quæ ob multa incommoda quæ ſecùm trahebat, jamdiù penitùs abolita eſt in Gallia, tranquillitatem publicam huic ritui anteponendam juſtè judicante.

SECTIO II.

De pœnis ſpiritualibus, ſive purè, ſive mixtim; ubi ſcitu neceſſaria circà Cenſuras in genere præmittuntur.

Pœnæ omnes ſunt quodammodò ſpirituales, in eo quod affligunt animam, ſed in eo ſenſu hic non accipiuntur, ſed potiùs eo quod ad ſalutem animarum, ex mente Eccleſiæ illas imponentis, tendunt & deſtinantur; ideòque ſingulæ pœnæ Eccleſiaſticæ ſunt medicinales, ex eo quod intendatur præcipuè in illarum impoſitione, ut peccatores verâ converſione curentur. Inter illas autem potiſſimùm Cenſuræ collocandæ ſunt, ſive ad tempus determinatum ferantur, ſive tantùm ad uſque converſionem. Quæ ſunt temporis præfiniti, expiativæ ſunt, ut & medicinales, quia tamquam ſatisfactiones culpæ proportionatæ imponuntur, quibus debitè peractis, debita pœna ſolvitur. Idem quoque eſt de pœnis quæ ad uſque converſionem durant, quia privatio bonorum ſpiritualium eo tempore ſupportata, necnon confuſio indè naſcens, pœnam peccato debitam luunt: Poſterioris generis ſemper fuere & nunc ſunt excommunicationes majores, & ſuſpenſiones uſque ad ſatisfactionem vel obeditionem mandatis Eccleſiæ. Prioris verò generis ſunt Cenſuræ omnes annexæ Pœnitentiæ publicæ, quæ ad tempus præfixum imponi ſolebat; idem quoque de exercitationibus itidem illam comitantibus, nempè jejuniis, abſtinentiis, orationibus, eleemoſinis. Idem de depoſitione cum ſpe reſtitutionis, cujus duratio pendebat à modo quo quis pœnitentiam peragebat, ſufficienti tempore ut certum facere poſſet, & converſionis, debitæque expiationis. Idem dicendum de excommunicationibus minoribus quibuſcumque, à communione quorumdam bonorum ſpiritualium certo tempore arcentibus. Aliud ſentiendum de depoſitione omninò perpetuâ, quæ ſine ſpe reſtitutionis erat, quæque ferebatur ob crimina atrociora, nullâ pœnitentiâ quoad reſtitutionem ad gradus Eccleſiaſticos purgabilia, multòque magis de eâ quæ ob obſtinatam perſeverantiam in crimine infligebatur. Hujuſmodi pœnæ conveniunt cum pœnis Sæcularibus quæ ad vindictam publicam irrogantur, nullâ conſideratione habitâ converſionis futuræ, ſed ſolius ſcandali vel exitii publici amovendi; ſalvo diſcrimine inter utriuſque generis pœnas, quarum iſtæ quietem publicam quærunt, ipſâ ceſſatione criminis, vel ab illo nedùm in Reo qui punitur, ſed etiam in aliis qui timore perterriti contagione pravi exempli ſeſe eximunt; illæ verò ſaluti animarum conſulunt, quæ valdè periclitatur ex malis moribus, non ſolùm ergà illos; ſed etiam ergà iſtorum exceſſuum teſtes.

Pœnæ purè ſpirituales illæ ſunt quæ nihil temporale adjunctum habent; Mixtæ verò, illæ quibus quid temporale annectitur. In iſtis ſervatur Regula, acceſſorium ſequitur naturam principalis: Prioris generis ſunt tantùm quæ à ſuſceptione, vel adminiſtratione, vel confectione Sacramentorum, vel celebratione Miſſarum; Poſterioris generis quæ ſuſpendunt, vel privant perceptione fructuum temporalium, ſacris muniis debitorum; ejuſdem generis ſunt quæ à Communione etiam Civili, ſicut à Communione Sacrâ, arcent; ad Mixtas poteſtas Sæcularis extenditur ratione dictæ annexionis; aliæ in ſe ſpectatæ purè pertinent ad Eccleſiam.

Utriſque eadem nomina quæ etiam pœnis Sæcularibus conveniunt, nempè diſtrictio, correctio, correptio, gladius, ferrum reſecans, aliave hujuſmodi, quæ ut adaptentur pœnis ſpiritualibus, has adjunctas voces habent, Eccleſiaſtica, Canonica, ſpiritualis, ex diverſitate finis, vel materiæ, vel effectûs, neceſſarias.

Cenſuræ nomen, etſi idem ſignificare videatur ac prædicta, pœnis tamen ſpiritualibus ab initio ferè Eccleſiæ affectari conſuevit. Cenſuræ deſumptæ multiplex erat ólim ſpecies, quæ ad tres jam à ſæculo XIII. ad minùs reducuntur, nempè excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum; cùm autem ſingulæ ſpecies à quadam Communione excludant, hoc ſolo inſpecto, omnes ſub generali Excommunicationis nomine comprehendi poſſent, ſed majoris explicationis cauſâ, ſuum utrique aliarum nomen conſervandum eſt. Unaquæque, ut & omnes ſimul, conſiderari poſſunt, vel in ſe, vel in partibus ſuis; ſi inſimul conſiderentur, multa habent ſibi communia; nempè nomen, naturam, diviſiones, cauſas, effectus, proprietates, earumque durationem ac ceſſationem, variaſque circà omnes ſingulaſve Diſciplinæ mutationes. Quæ omnibus communia ſimul collecta præmiſſa ſunt, prout ad expoſitionem cæterorum maximè neceſſaria, eoque modo iterationes inutiles & tædioſæ evitatæ ſunt. Quæ peculiaria ſeorſim tractata ſunt eadem methodo, prout fieri potuit, vel licuit, ſervatâ nempè comparatione cujuſque Cenſuræ ſpeciei, cum aliis ac partium illius inter ſe.

Quod ſpectat ad reſervationem Cenſurarum, tractatum eſt dùm de Sacramento Pœnitentiæ, ubi de reſervatione peccatorum agitur; tanta eſt utriuſque affinitas, ut una ſine aliâ vix explicari poſſit. Eædem ferè circà utramque Regulæ & Obſervationes, ut hic oſtenſum eſt. De Excommunicatione, præſertim majori, multus erit dicendi locus; cùm enim ab ſæculo XI. uſitatiſſima fuerit, frequentiſſima quoque illius mentio fit in Corpore Juris Canonici, plurimâ datâ occaſione; eâ de re proponendi & decidendi dubia, ob

contra-

contrarias verò cauſas de ſuſpenſione pauciora, multaque magis de Interdicto.

SECTIO III.

De Cenſuris in genere. Juris locutiones & deciſiones.

I. Eccleſiaſtica cenſura. Lib. III. Decr. *Tit.* 40. Cap. 7. *Adverſus. De immunit. Eccleſ.*

II. Monitio præmitti debet in cenſuris. *De Sponſalibus.* Cap. *Ex parte. fin.* Cap. *Ex litteris.* Decr. *Tit.* 1. Cap. 9. & 10.

III. Monitio ſemper præmitti debet ante cenſuram Eccleſiaſticam. *In 6. De ſupplenda neglig. Prælat.* Cap. *Graudi.* fin. Lib. I. *Tit.* 8. Cap. 2. *De foro compet.* Cap. *Cùm. In 6.* Lib. II. *Tit.* 2. Cap. 3. Cenſura nervus Eccleſiaſticæ Diſciplinæ. *Clementin. De Sent. excomm.* Cap. *Ex frequentibus. in proemio. fin.* Lib V. Decr. *Tit.* 10. Cap. 1.

IV. Gládius Eccleſiaſticus & arma ſpiritualia quæ ſunt Eccleſiæ propria, ſunt Cenſuræ ſive Sententiæ èxcommunicationis, interdicti, & ſuſpenſionis. *In 6. De Sent. excom.* Cap. *Dilecto. init. juncta Gloſſa.* Lib. V. *Tit.* 11. Cap. 6.

V. Sententia Canonis eſt vel hominis. *Ibid.* Cap. *Eoi qui. In 6.* Lib. V. *Tit.* 11. Cap. 22. Hujuſmodi clauſula, nempè cenſura Eccleſiaſtica, quæ in literis Apoſtolicis apponitur, non ſolùm de Interdicti, ſed etiam ſuſpenſionis & excommunicationis Sententiá valet intelligi. *De verborum ſignif.* Cap. *Quærenti.* Lib. V. Decr. *Tit.* 40. Cap. 20. Dubitandi ratio petebatur ex eo quod in pœnis benignior eſt interpretatio facienda, ideòque cùm pœnarum ſub nomine cenſuræ comprehenſarum minor ſit cenſura & interdictum, quàm ſuſpenſio, & excommunicatio; inferendum videbatur ſolùm intelligendum ſub hac clauſula. Deciſionis ratio deſumitur ex eo quod qualitas cenſuræ ſerendæ fieri debet ex qualitate culpæ, cùm cenſura proportionanda ſit culpæ; cujus proportionis judicium Judici relinquitur.

Sententia juris vel hominis. *In 6. De Majoritate & Obedientia.* Cap. unico. Lib. I. *Tit.* 17.

VI. Quærenti quid per Cenſuram Eccleſiaſticam debeat intelligi, quod per eam non ſolùm Interdicti, ſed Suſpenſionis & Excommunicationis Sententia valet intelligi. *De verb. ſignif.* Cap. *Quærenti.* Lib. V. Decr. *Tit.* 40. Cap. 20.

VII. Tres ſunt tantùm Cenſuræ Eccleſiaſticæ, ſcilicet Interdictum, Suſpenſio, & Excommunicatio. *Ibid.* Colligitur. Loquitur de Cenſuris Jure Decretalium receptis, ad quas veteres omnes reducuntur;

VIII. Sententiæ etiam nullæ ob defectum juriſdictionis, de facto tamen relaxari debent. *De Off. Jud. Ord.* Cap. *Grave.* Lib. I. Decr. *Tit.* 31. *Cap.* 19. Hæc relaxatio nil aliud eſt quàm declaratio nullitatis; idque fit ob vinculum apparens quod tollere decet, ut honor Cenſuris debitus ſervetur, Latorque illarum non ſpernatur.

IX. Non ad Eccleſiaſticos omnes Superiores pertinet Cenſuram Eccleſiaſticam exercere. Clementinarum. *De Celebratione Miſſarum.* Cap. *Gravi.* §. *Vult.* Colligitur. Lib. III. Decr. *Tit.* 14. Cap. 1.

X. Nemo contemnat vincula Eccleſiaſtica; non enim homo eſt qui ligat, ſed Christus, qui nobis hanc poteſtatem dedit. Causa XI. Quæst. III. Cap. 31. *Nemo.*

XI. Non debet is pœnam ſuſtinere Canonicam, in cujus damnatione non eſt Canonica prolata Sententia. Caus. XI. Quæst. III. *Cap.* 64. *Non debet.*

XII. Ut animarum periculis obvietur, Sententiis per ſtatuta quorumcumque Ordinariorum prolatis non ligantur ignorantes, dùm tamen eorum ignorantia craſſa non fuerit aut ſupina. *In 6. De Conſtitutionibus.* Cap. *Ut animarum.* Lib. I. *Tit.* 2. Cap. 2. *init.*

XIII. Cùm excommunicat Eccleſia, in Cœlo ligatur excommunicatus; cùm reconciliat Eccleſia, in Cœlo ſolvitur reconciliatus. Caus. XXIV. Quæst. I. Cap. 6. *Quodcumque. med.*

XIV. Excommunicationis pœnâ in Eccleſiâ nulla major eſt. Caus. XXIV. Quæst. III. Cap. 19. *Corripiantur. poſt init.*

XV. Cenſura tolli poteſt per abſolutionem, vel per revocationem. *In 6. De his quæ vi. Cap. unico.* Colligitur. Lib. I. *Tit.* 20.

XVI. Canon loquens per verbum præſentis temporis, cum adjectione hujus verbi, *omninò*, inducit Canonem latæ ſententiæ. *Ibid. Gloſſa*, colligit. *In 6.* Lib. I. *Tit.* 20. Cap. unico.

XVII. Sententia ſtatim arctat etiam ignorantem. *In 6. De Conceſſione Præbendæ.* Cap. *Quia cunctis.* §. *Adjiciebatur. init.* Lib. III. *Tit.* 7. Cap. 1. Agitur ibi de reſervatione beneficiali quæ ligabat Collatores, etiam ignorantes, etiamſi illam ſcire nequiſſent.

XVIII. Tres ſunt Sententiæ ſeu Cenſuræ Eccleſiaſticæ quæ promulgari poſſunt, Excommunicationes; Suſpentiones, & Interdicta. *De Privilegiis.* Cap. *Cùm Appellat.* Colligitur. Lib. V. Decr. *Tit.* 33. Cap. 16.

XIX. Prælatus poteſt ſuam temporalem injuriam ſuâ propriâ ſpirituali defenſione per cenſuras Eccleſiaſticas tueri. *In 6. De Sent. excom.* Cap. *Dilecto.* § *Licet.* Lib. V. *Tit.* 11. Cap. 6.

XX. Si conditionalis & ad tempus lata fuerit in aliquem Sententia Interdicti, donec Apoſtolicis obediat mandatis; cùm Sedis Apoſtolicis juſſionibus paruerit, tàm Civilis quam Canonici Juris Cenſurâ indubitanter fuit abſolutus. *De ſentent. & re jud.* Cap. *Cùm olim. in integra. med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 21.

XXI. Si cui aliquid præcipitur intra certum tempus faciendum ſub cenſura ipſo facto ſeu commiſſo incurrenda appellaverit, antè elapſum terminum illam non incurrit. *Cap.* 40. *De Appellat.*

Ratio illius eſt quod appellatio ſuſpendat vim præcepti ad uſque definitivam Sententiam, quo pendente ſuſpenſionis adimpletio impunè omittitur; cùm pœna ut acceſſoria ſortiatur naturam conditionemque præcepti cui accedit.

SECTIO IV.

Quam partem habere poſſint Judices Sæculares in ferendis cenſuris?

Nefas ſit Sæculari cuilibet Magiſtratui prohibere Eccleſiaſtico Judici ne quem excommunicet; aut mandare ut latam Excommunicationem revocet *Concil.* Trid. Sess. XXV. *Decr.* 2. *De Ref.* Cap. 3. *poſt med.*

Non ad Sæculares, ſed ad Eccleſiaſticos hæc cognitio pertinet, an contenta in jure in ferendis cenſuris non ſint obſervata. *Ibid.*

Neutrum Galli recipiunt: Magiſtratus putantes ſe ut protectores ac executores Canonum poſſe Eccleſiaſticos Judices compellare, ut in caſibus neceſſariis, à Canonibus probatis, adhibeant Excommunicationem ad veritatem detegendam, quæ alio modo cognoſci nequit, & judicare an requiſita à Canonibus in Galliâ receptis uſu vel Ordinationibus Regiis confirmatis, ſervata fuerint in cenſuris ab Eccleſia latis, ideòque illas pronunciare abuſivas, in quibus hæc prætermiſſa fuerunt; addùnt ſibi Eccleſiam auxilium præſtare debere, ut ipſi tenentur Eccleſiæ ſuum dare auxilium illud imploranti, & ut Vicariis Principis, invigilare debere ne ſubditi vexentur.

SECTIO

SECTIO V.

Quæ requirantur ut Censuræ etiam validè effectus suos habeant in foro externo, post Decretum de excommunicatis non vitandis, à Conc. BASILEENSI *editum.* SESS. XX. *ann.* 1435.

Cùm hoc Decretum multa nova invexerit circà effectus externos Censurarum, scitu maximè necessarium est, ideòque exscribendum, cum necessariis Observationibus, operæ pretium duximus.

„ Ad vitandum scandala, & multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, statuit, quod nemo deinceps à communicatione alicujus, in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque Divinis, vel extra, prætextu cujuscumque Sententiæ, aut Censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis, ab homine vel à jure generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, nisi suspensio, vel censura hujusmodi fuerit in vel contra certum aut certam à Judice publicata & denuntiata specialiter & expresè, aut ita notoriè in Excommunicationis Sententiam constiterit incidisse, quod nullâ possit tergiversatione celari; nam à communicatione illius abstineri vult juxta Canonicas Sanctiones; per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, interdictos, suspensos, seu prohibitos non intendit relaxare, nec eis quomodolibet suffragari „. TOM. XII. CONC. *p.* 551.

Concilium de quibuscumque Censuris loquitur. Verba generalia & absoluta, ratio quoque generalis id exposcunt, insinuantque: excommunicatio minor ut & major sub excommunicationis nomine comprehenditur; Cessatio à Divinis sub interdicto, & sub prohibitione; est enim quoddam Interdicti genus, & quædam prohibitio personas, & quædam loca respiciens; celebrationem Missarum sub diurnis complectitur, ut & cætera Divina Officia, quorum præcipua pars est; singula Sacramenta sub nomine Sacramentorum includuntur. Censurarum ab homine & Censurarum à Jure fit expressa mentio. Ministros ut suscipientes Sacramenta, pariter relevat; scandala & pericula quorum meminit, utrosque contingunt; sunt etiam utrique comprehensi inter conscientias timoratas. Ante hoc Decretum Divinorum Administratores tenebantur ab illorum administratione abstinere erga omnes singulosque censuris ligatos; isti quoque obligabantur non suscipere illa à Ministris qui censuris irretiti dicebantur. Opinio vel rumor hanc obligationem imponebat; idem faciebat Regula; *in dubiis tutior pars est sequenda.* Hinc fiebat plerumque, quod Ministri Sacri non audebant administrare Divina, alii verò illa suscipere verebantur, ne cum ligatis censuris communicarent: Hinc frequens inter utrosque schismatis quoddam genus, alii aliis invicem suspecti erant, jugisque timor utrobique.

Præscribenda ergo erat Regula, quâ certò dignoscerentur vitandi à non vitandis, præsertim sæculo XV. quo editum hoc Decretum, quo frequentissimæ erant censuræ, tàm à Jure quàm ab homine, ex pluralitate Pontificum provenientes, cùm alii aliorum sectatores censuris ferirent: Hoc autem factum est in Prima Parte hujus Decreti, in quâ statuit non vitandos nisi nominatim denunciatos ut vitandos, idemque præstandum de locis piis, Officiisque Divinis destinatis.

In Posteriori verò Parte relictus videtur adhuc aliquis scrupuli locus; notorietas siquidem interdum incerta res est, cùm plurima possint haberi ut notoria quæ non sunt. *Cap.* 13. & 14. *De Appellat.* Proindèque adjiciendum fuisset huic Decreto, ad amovendum cujusvis scrupuli occasionem, quod notorietas facti locum non haberet, nisi post declarationem factam à Prælatis.

Quamobrem apud nonnullas Nationes, nulla habetur ratio hujus notorietatis, nisi declarata sit à Judice, post receptas sufficientes probationes illius, nec à tali praxi dimovet distinctio notorii nascentis ex evidentia rei, & notorii provenientis ex rumore, vel fama; cùm contingere possit quod prior notorietas falsa sit; factum enim, sive actio, quâ incurritur censura, notoria esse potest, quin crimen cui annectitur, sit notorium ut crimen: v. g. Si quis Laicus in loco publico sentiens à Clerico se confossum acutissimo instrumento, nemine id advertente, in illum manus injiciat violentas, percussio illa poterit esse notoria ex evidentiâ rei; attamen crimen nullum erit notorium, cùm ad hoc necessè esset ut malo animo sinè justâ causâ temerèque facta fuisset, non autem ut facta est, vim vi repellendo, injuriamque propulsando.

Postrema hujus Decreti verba, quibus excludit ab ipsius Beneficio quoscumque censuris ligatos, illiusque utilitatem ad alios restringit, confirmant quæ Concilium supponit ut certa, nempè quod Canones Sententiæque ferentes censuras, plures effectus haberent, quoad alios qui illorum Ministerio egebant, vel consortio gaudebant, quemadmodum quoad eos illis ligatos; ostenduntque priores, quos vocant externos, suspensos vi hujus Decreti usque ad denunciationem; posteriores integros, internos vocatos permansisse.

Hujus distinctionis discriminisque ratio est, quod censuris ligati hoc beneficio indigni visi sunt ob culpas suas; è contra cæteros ut insontes, æquum judicatum est nascente hinc præjudicio relevare, cùm ex aliorum culpâ nimiùm gravarentur, idque frequentissimè contingeret. Ex hoc Decreto sic exposito evidenter patet, quàm aliena sit, nedùm à veritate, sed etiam à verisimilitudine, quorumdam Neotericorum Sententia, qui docent censuras à Jure latas ipso facto incurrendas quovis effectu carere, usque ad denunciationem sive declarationem ipsas incursas fuisse; hoc enim Decretum de illis expressè loquitur, ut de illis quæ sunt ab homine; & de utrisque supponit suos omnes effectus habuisse ante denunciationem, & Concilium Jus novum circa hanc rem introduxisse, in eo situm quod careant effectu suo quoad alios quàm illis ligatos, ac quoad istos illum retineant.

Pro refutatâ sententiâ objici nequit *Cap.* 14. *De Sententia excommunicationis*, in quo CLEMENS III. insinuat eos tantùm vitandos fuisse excommunicatos qui ab Ecclesia non tolerabantur; hujusmodi verò eos solos fuisse qui denuntiati non erant; loquitur siquidem de illis qui adeò occulti erant, quod sine injusta diffamatione publicè vitari non poterant; hoc autem ex eo patet quod in eo agitur de excommunicato pro injectione manuum in Clericum, soli Episcopo ut tale cognito, ac præcipitur Episcopo cui scribitur, ut illum privatim vitet. Sed ut faciliùs quisque possit de vi objectionis ac solutionis judicare, ecce verba Textus utramque continentia. *A Communione illius, qui pro Sacrilega manuum injectione in Clericum, in Edictum excommunicationis incidit, licet denuntiatus non sit, debes abstinere, nisi fortè tibi soli pateret. In quo casu ipsum tantummodo vitabis, quamdiù ab Ecclesia toleratur.* Hæc verba, *licet denuntiatus non sit*, evincunt excommunicatos ante denunciationem vitandos fuisse, nisi uni soli ut tales cognoscerentur; quæ exceptio firmat Regulam; illos scilicet vitandos fuisse, cùm excommunicatio pluribus nota erat. FAGNANUS *in hoc Caput* pro certo tenet illud loqui de occulto, ut dictum est accepto, insinuatque Decretum ad vitandum primum exemisse à vitandis excommunicatis non denunciatis. *Glossa*, verbo, *Denuntiatus*, hinc concludit, quod ex quo quis excommunicatus esse noscitur, vitandus est, dummodò pluribus id notum sit: Hæc enim habet,

& sic

& sic quàm citò scio aliquem Excommunicatum, statim debeo ipsum vitare, quamvis non sit denunciatus, nisi solus hoc sciam; quod deindè pluribus probat.

Hanc solutionem confirmare fas est, ex eo quod denunciatio non fieret, ut Excommunicatio innotesceret; cùm *Cap.* 13. *De Appell.* præcipiat, ut denuncietur Excommunicatus, cujus excessus notorius & manifestus est, etsi appellaverit à Sententia insecuta. *Cap.* 14. *ibid.* idem etiam præcipit de illo qui appellationem interpositam à Sententia Excommunicationis non prosequitur, intrà tempus à Judice præscriptum; idemque jubet *Cap.* 14. *De Sententia Excommunicationis, In 6.* His enim casibus Excommunicatio nota est, sed denunciabantur excommunicati, ut pudore suffusi citiùs resipiscerent.

Eidem confirmationi suffragantur Textus qui præcipiunt, ut denunciatio pluries fiat, duretque usque ad Excommunicatorum emendationem, illorumque absolutionem. Ejus generis sunt *Clementina unica, De Consanguinit.* quæ statuit ut qui contraxerint matrimonium, cum notitia impedimenti dirimentis, tamdiù denuncientur excommunicati, donec separentur; atque etiam *Clementina I De Privilegiis*, quâ constituitur ut Religiosi, qui administraverint Sacramenta Parochialia sine Parochi licentia, excommunicati denuntientur usque ad absolutionem, quæ differebatur usque ad congruam satisfactionem.

In favorem ejusdem refutatæ sententiæ adduci potest GRATIANUS CAUS. XI. QUÆST. III. *sub Canone* 21. docens eos solos vitandos qui per Sententiam nominati sunt, idque probans tùm ex Evangelio, ubi CHRISTUS præcipiens, haberi ut Ethnicum & Publicanum, qui Ecclesiam non audierit; loquitur de illo qui correptus à fratre suo primùm privatim, deindè coram aliis, tùm coram Ecclesia, istius sententiam contemnit; tùm ex *Epistola* 1. COR. *Cap* 5. *vers.* 11. ubi jubens ut vitentur fornicarii, aliique peccatores, loquitur de iis qui nominati sunt tales; hæc enim habet: *Cùm ergò per Sententiam quis nominatus fuerit, cum eo communicare non debemus. Cùm autem solo reatu occultè Excommunicationis contraxit pœnam, non est ab ejus communione cessandum; undè Dominus in Evangelio tunc demùm peccatorem dixit habendum ut Ethnicum, & Publicanum, cùm Ecclesiam audire contempserit*: Apostolus quoque non ait; *Si quis frater est fornicator*, sed *si quis frater nominatur fornicator*, Sententiæ nominationem intelligens.

Sed facillima responsio est; nam Ecclesia cujus est Scripturas interpretari, aliter interpretata est objecta loca. Primum intellexit de contemptu Ecclesiæ in Legibus suis, sicut de contemptu illius in Sententiis; idque jure merito, cùm illæ non sint minori honore dignæ quàm Sententiæ. De hac interpretatione constat ex quàmplurimis Canonibus, qui excommunicant ipso facto Ecclesiæ præceptorum transgressores, quique continent Sententiam latam. Horum Canonum collectionem habes in *Tractatu Gallico, De Censuris in genere, & in specie consideratis, ac explicatis per Regulas ex Corpore Juris desumptas.* Nonnulli infra subjicientur, præsertim in locis ubi, certo præscripto ordine, citantur quicumque Canones continentes Censuras Sententiæ latæ, ac præcipientes ut transgressores illarum sese abstineant ab iis quæ hujusmodi viris prohibita sunt, proindèque supponentes ipsâ transgressione illas incurri absque ulla Judicis Sententia.

Posteriorem aliter legit Ecclesia quàm à GRATIANO refertur; nempè *Si is qui frater nominatur, est fornicator aut avarus, aut idolis serviens*; & ita legendum ostendunt tùm præcedentia, tùm subsequentia. Scripserat Apostolus in quadam Epistola, Christianos non debere commisceri fornicariis; nunc monet hoc non intelligendum de fornicariis hujusmodi, aut avaris &c. quia aliter de mundo exire oporteret; sed de solis Christianis in hæc

Tom. III. Tract. De Judiciis.

peccata lapsis, vel adhuc labentibus: cujus restrictionis affert aliam rationem, scilicet suum non esse judicare de his qui foris, sed judicium illud ad Dominum spectare.

Objecta ergo loca non favent adversariis, imò benè explicata ipsis adversantur.

Cætera quæ dici possent de Censuris in genere, explicabuntur in comparatione quæ fiet in fine cujusque Censuræ seorsim tractatæ cum aliis, ubi colligentur quæ communia habent inter se.

TITULUS VIII.

De Censuris in specie, & primùm de Excommunicatione.

SECTIO I.

Quid sit, & quotuplex Excommunicatio?

I. MAjor Excommunicatio à communione fidelium separat. *De Sentent. Excomm.* Cap. *Si quem. fin,* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 59.

II. Major Excommunicatio Anathema dicitur. CAUS. III. QUÆST. IV. *Cap.* 12. *Engeltrudam.*

III. Minor Excommunicatio à perceptione Sacramentorum separat. *Ibid.*

IV. Minor Excommunicatio, simplex dicitur Excommunicatio. *De Electione.* Cap. *Illa. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 39.

V. Excommunicatio minor à fraterna societate separat. CAUS. III. QUÆST. IV. *Cap.* 12. *Engeltrudam. med.* Restringe ad aliquas res, quia particularis est, & in hoc differt à majori quæ privat omni Communione.

VI. Nihil aliud significat, Anathema sit, nisi à Deo separationem. CAUS. XXIV. QUÆST. III. *Cap.* 9. *Certum est. fin.*

VII. Non solùm per Apostolos suos tradidit Deus delinquentes in manus inimicorum, sed & per eos qui Ecclesiæ præsident, & potestatem habent non solùm solvendi, sed etiam ligandi; traduntur peccatores in interitum carnis, cùm pro delictis suis à CHRISTI Corpore separantur. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 21. *Ejusdem.* ORIGENES *ad Cap.* 2. JUDICUM. *Hom.* 2. circa annum 217.

Vide *post Cap.* 24. *ejusdem* CAUSÆ *ubi* GRATIAN. *loquitur.*

VIII. Excommunicatio major, sive anathema, ab ipso CHRISTI Corpore, quod est Ecclesia, recidit. *Ibid. fin.*

IX. Anathema est æternæ mortis damnatio. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 41. *Nemo* 2.

X. Omnis Christianus qui à Sacerdotibus excommunicatur, Satanæ traditur. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 32. *Omnis.*

XI. Superior potest in specie vel in genere Excommunicationum Sententias promulgare. *In 6.* Cap. *Romana.* §. 1. *Porrò.* Colligitur. LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 5.

XII. Excommunicationis Sententia, vel est Juris, vel hominis. *In 6. De Majoritate.* Cap. unico. LIB. I. *Tit.* 17. *Cap. unico.*

XIII. Sententia sub tenore aliquo peculiari prolata, manere debet donec tenor impleatur. JOANN. VIII. *Epistolâ* 231. TOM. IX. CONC. *p.* 166.

XIV. Anathema nihil aliud est quàm separatio à Deo. TOM. VII. CONC. *pag.* 583. *In Epist. Concilii* NIC. II. *ad* CONSTANTINUM *&* IRENAM *matrem ejus.*

XV. Potest etiam quis hujusmodi Sententias pro

culpis & offensis prateriris, vel præsentibus, vel furoris proferre. *Ibid.* Cum §. *sequente. Caveat.* Si pro futuris carent effectu, donec culpa committatur.

XVI. Ipso facto Sententia Excommunicationis incurritur. *Ne Clerici vel Monachi.* Cap. *Super Specula* §. *Nos volentes.* LIB. III. DECR. *Tit.* 50. *Cap.* 9. *De Elect.* Cap. *Sciant. In* 6. LIB. I. *Tit.* 6. *Cap.* 12. & *Cap.* 13. *Generale.*

XVII. Canon latæ Sententiæ dicitur, cùm lata est Excommunicatio ipso facto. *De Sent. Excom.* Cap. *Cùm non ab homine.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. *In* 6. *Cap.* 14.

XVIII. Litteris Ordinarii statur ad probandum aliquem esse publicè excommunicatum. *De Sent. & re jud.* Cap. *Ad probandum.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. *Cap.* 24.

XIX. Excommunicatio lata est ipso facto, cùm talis est culpa, quæ ipso suo genere Suspensionis vel Excommunicationis Sententiam inducit. *De Appell.* Cap. *Reprehensibilis.* §. *Præsent.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. *Cap.* 26. Generalis est Excommunicationis Sententia, si quis ita pronunciaverit; Quisquis furtum fecerit, excommunicatus sit. *De Sent. Excom.* Cap. *A nobis. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. *Cap.* 21.

XX. Excommunicari potest quis nominatim, vel specialiter, expressè vel in genere tantùm. *In* 6. *De Sent. Excom.* Cap. *Licet. Glossa* colligit, verbo, *Expressè.* LIB. V. *Tit.* 11. *Cap.* 14.

XXI. Qui facit quod publicè sub interminatione anathematis prohibitum est, non est excommunicatus, sed Excommunicationi subdendus est. *De Jure Patronatûs.* Cap. *Relatum.* §. *Ad hoc.* LIB. III. DECR. *Tit.* 38. *Cap.* 21.

XXII. Excommunicatio infligitur, maximè à Jure, quandoque pro crimine. EXTRAVAG. COMM. *De Privil.* Cap. *Inter cuncta.* §. *Observent. fin.* LIB. V. *Cap.* 1.

Quæ de divisione & subdivisione Excommunicationis, locum habent in Suspensione; est enim Major & Minor; latæ, & ferendæ Sententiæ; ipso facto, ipso Jure incurritur. Sunt culpæ quæ illam ex genere suo inducunt nullâ præmissâ monitione. Idem dic de Interdicto.

SECTIO II.

Quinam sint effectus Excommunicationis Majoris?

Definitiones illius suprà allatæ, omnes vel saltem præcipuos ejus affectus continent; singuli autem reducuntur ad privationem Communionis Sacræ & Civilis.

I. Per Excommunicationis Sententiam, velut mortuus, à Communione fidelium quis separatur. *Qui filii Sint legitimi.* Cap. *Per Venerabilem.* §. *Sunt autem. fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 17. *Cap.* 13.

II. Secundùm Instituta Seniorum, si quis à Communione Sacerdotali fuerit autoritate suspensus, hunc non solùm à Clericorum, sed etiam à totius populi colloquio atque commercio placuit excludi; donec resipiscens ad sanitatem redire festinet. *Concil.* ARELAT. II. anno 452. *Cap.* 49. TOM. IV. CONC. Excommunicatus à Communione fidelium est exclusus. *De Exceptionibus.* §. *Nos.* LIB. II. DECR. *Tit.* 25. *Cap.* 2.

III. Servetur ista Sententia, ut si qui ab aliis excommunicantur, ab aliis ad Communionem non recipiantur. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 73. *Servetur. init.* Idem dicendum de aliis Censuris; sunt enim quædam Excommunicationes.

IV. Excommunicatio publica repellit à dignitate. *De Elect.* Cap. *Venerabilem.* §. *Sunt enim.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. *Cap.* 34.

V. Executionem Excommunicatio secum trahit. *De Appellat.* Cap. *Pastoralis.* §. *Verum. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. *Cap.* 53.

Ita ut Appellatio ab illa illius effectus non suspendat, quod sibi tamen commune est cum quavis aliâ Censurâ.

VI. Qui ob culpas suas, Episcoporum suorum offensas meritò contraxerunt, dignè etiam à cæteris excommunicati habeantur, quousque Episcopo suo visum fuerit, humaniorem circa eos ferre Sententiam. *Cap.* 73. CAUS. XI. QUÆST. III.

VII. Excommunicatus contrahere potest Matrimonium, licet alia Sacramenta denegentur eidem. *De eo qui duxit in Matrimonium.* Cap. *Significasti. fin. Glossa* colligit. LIB. IV. DECR. *Tit.* 7. *Cap.* 6. *fin.* Adde validè, quia contractus; non licitè, quia Sacramentum.

VIII. Excommunicatio ab Ecclesia, & per consequens à participatione Ecclesiasticorum Sacramentorum, excludit. EXTRAVAG. COMM. *De Privil.* Cap. *Inter cunctas.* §. 6. *Observent. fin.* LIB. V. *Tit. Cap.* 1.

IX. Sicut Excommunicatio, sic ab Officio vel ab ingressu Ecclesiæ lata Suspensio, aut ipsius effectus, per Appellationem sequentem minime suspenduntur. *In* 6. *De Sent. Excom.* Cap. *Is cui.* §. *Sanè.* LIB. V. *Tit.* 11. *Cap.* 20.

X. Ille qui anathematisatur, tanquam impius separatus est. CAUS. XXIV. QUÆST. V. *Cap.* 9. *Certum est. fin.*

XI. Excommunicati, præterquàm in mortis articulo, ad pœnitentiam non admittuntur. *In* 6. *De Sent. Excom.* Cap. *Alma.* §. *Sanè. med.* LIB. V. *Tit.* 11. *Cap.* 24. Eoque casu, nonnisi pœnitenti, ac caventi de parendo mandatis quàm primùm poterit, si convaluerit.

XII. Excommunicatus qui reus criminis Sacramento regenerationis nunquam carebit, etiamsi nunquam reconcilietur Deo, quia nunquàm moritur Deus. CAUS. XXXII. QUÆST. VII. *Cap.* 2. *Licitè. med.* Comparatur cùm vinculo Baptismi vinculum Matrimonii, quod non solvitur nisi morte alterutrius conjugum; cùm ergo Deus mori nequeat, Baptismi vinculum semper manere debet.

Cùm excommunicat Ecclesia, in Cœlo ligatur Excommunicatus. CAUS. XXIV. QUÆST. I. *Cap.* 6.

XIII. Qui præciditur de CHRISTI justi corpore, nullo modo potest tenere Spiritum justitiæ, etiamsi figuram membri teneat quam sumpsit in corpore. CAUS. XXIII. QUÆST. VII. *Cap.* 4. *Quemadmodum. init.*

XIV. *Concilium* VERNENSE anno 755. *Can.* 9. TOM. VI. CONC. *p.* 1667. Recenset præcipuos effectus Excommunicationis Majoris, eosque tribuit illi quæ incurritur communicatione cum excommunicato.

XV. Ecclesiastica Sacramenta eis penitùs sunt deneganda, qui à communione fidelium suis peccatis sunt exigentibus sequestrati. ALEXANDER III. *Epistola* 40. *Append.* TOM. X. CONC. *p.* 1276.

XVI. Majoris Excommunicationis vinculo innodatus Beneficia conferre non potest. *In* 6. *Ne sede vacante.* Cap. *Si ad Episcopum.* Idem colligitur.

XVII. Qui de lata in eum Sententia dubitat Excommunicationis, quia in dubiis via est tutior eligenda, debet potiùs se abstinere quàm Sacramenta Ecclesiastica pertractare. *De Cleric. Excom.* Cap. *Illud.* §. *Licet.* LIB. V. DECR. *Tit.* 27. Cap. 5.

XVIII. Rescriptum ab excommunicato obtentum ipso Jure nullum est; & quicquid ex eo secutum est, nisi fuerit obtentum in ipsâ causâ Excommunicationis, ut ab eâ relevetur vel Appellationis. *In* 6. *De Rescriptis.* Cap. *Ipso jure.* LIB. I. *Tit.* 3. Cap. 1.

XIX. Excommunicati possunt recipere in Canonicum, & valet receptio. *De Prebendis.* Cap. *Pro illorum. Glossa* colligit. LIB. III. DECR. *Tit.* 5. *Cap.* 22. Agebatur de Excommunicatione incursa ob denegatam receptionem, ideòque cessat ipsâ receptione.

XX. Illi proventus Ecclesiastici merito subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur. *De Appell.* Cap. *Pastoralis.* §. *rerum. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 38. Cap. 51.

Si

Si qua ſit in hoc duritia, ſibi imputet excommunicatus, qui hanc pœnam contumaciâ ſuâ promeretur.

XXI. Non poteſt ſtare in judicio, (ut Actor) qui eſt vinculo Excommunicationis adſtrictus. *De Officio & poteſtate Jud. Deleg.* Cap. *Prudentium.* *§.* 6. Lib. I. Decr. *Tit.* 29. *Cap.* 29.

XXII. Excommunicatus publicè, etſi hujuſmodi exceptio à Reo non opponatur, nihilominus ex officio Judicis repellendus. *De excepr. §. ult.* Lib. II. Decr. *Tit.* 25. *Cap.* 12. & *In 6.* Lib. II. *Tit.* 12. *De except.* 1. *Pia. §. ult.* Hæc repulſio eſt Juris Publici, quod Judex, nemine requirente, ſaltem privato, exequi tenetur.

XXIII. Sententia vel Conſtitutio per excommunicatum prolata nulla eſt, nec tractu temporis convaleſcit. *De immunir. Eccleſ.* Cap. *Adverſus. §. Quia verò. Gloſſa* colligit. Lib. III. Decr. *Tit.* 49. *Cap* 7. Nullus major defectus quàm defectus poteſtatis, hâc autem Excommunicatio privat.

XXIV. Excommunicatus Juriſdictionem dare non poteſt. *In 6. De Officio Vicarii.* Cap. *Romana.* Lib. I. *Tit.* 13. *Cap.* 24.

XXV. Nominatio alicujus ad Beneficium, poſt denunciationem Excommunicationis in eum latæ, non valet. *De Appell.* Cap. *Conſtitutir. §. Idem.* Lib. II. Decr *Tit.* 28. *Cap.* 23.

XXVI. Excommunicatus excommunicare non poteſt. Causa XXIV. Quæst I. Cap. 4. *Audivimus. med.*

XXVII. Conſecratio dici nullo modo poteſt quæ ab excommunicatis hominibus eſt celebrata. Caus. IX. Quæst. I. Cap. 1. *Nos.*

XXVIII. Pro excommunicato non eſt à fidelibus orandum. *De Sent. Excom.* Cap. *A nobis.* §. 1. *Nos igitur. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 29. *Cap.* 28.

XXIX. Excommunicati teſtificari non poſſunt, ſed ad cautelam abſolvi debent, ut vocati ad teſtimonium liberè valeant teſtari. *De Teſtibus.* Cap. *Veniens. fin. Juncta Gloſſa.* Lib. II. Decr. *Tit.* 20. *Cap.* 38. Revocandum in memoriam quod ſuprà dictum eſt, Excommunicationem non denunciatam carere effectibus, qui aliis obſunt quàm excommunicato.

SECTIO III.

Propter quas cauſas ſeu culpas ferri debeat Excommunicatio?

Hujuſmodi culparum duplex genus inter mortales, quæ ſemper requiruntur; aliæ ex genere ſuo hanc Cenſuram merentur, quales ſunt illæ quæ illâ feriuntur ipſo jure incurrendâ; aliæ ex contumacia culpæ junctâ; tales ſunt quæ monitione præmiſſâ ferendæ ſunt.

I. Nemo ſine rationabili cauſa excommunicari debet. *In 6. De Officio Vicarii.* Cap. *Romana.* Lib. I. *Tit.* 3. *Cap.* 1.

II. Nullus Sacerdotum quemquam rectæ fidei hominem, pro parvis & levibus cauſis, à Communione ſuſpendat, præter eas culpas pro quibus Antiqui Patres arceri juſſerunt ab Eccleſia committentes. Caus. XI. Quæst. III. Cap. 42. *Nullus.*

III. Vide Caus. XI. Quæst. III. Cap. 4. *& ſeq.* Deſumuntur ex *Conciliis* Sardicensi, Carthaginensi, Antiocheno, quæ damnant Excommunicationes ſine juſtâ cauſâ latas.

IV. Ut temerè nullus excommunicetur. *Concilium* Remense. anno 625. *Canon.* 5. Tom. V. *pag.* 1690. Excommunicatio eſt Pœnitentiæ genus. *Ibid. in fin.*

V. Nemo Canonicè excommunicatur propter crimen aliorum, etiam Parentum, quod abſque ſua voluntate, & ſine ejus conſilio peractum eſt. Caus. I. Quæst. IV. Cap. 5. *Quia Præſulatus.* Colligitur.

VI. Nemo Epiſcoporum quemlibet, ſine certa & manifeſta peccati cauſa, Communione privet Eccleſiaſtica. Caus. XI. Quæst. III. Cap. 41. *Nemo.* 2. *init.*

VII. Vide *Concil.* Agath. anno 506. *Can.* 3. Tom. IV. Conc. *pag.* 1383. Jubet ut Epiſcopi excommunicantes pro levibus culpis, à Coepiſcopis Provinciæ moneantur, & ſi non pareant, priventur ipſi Communione cum illis uſque ad Synodum proximam.

VIII. Anathema non niſi pro mortali debet imponi crimine, & illi qui non potuerit aliter corrigi. Caus. XI. Quæst. III. Cap. 41. *Nemo.* 11. & *Gloſſa in Cap.* 23. Lib. V. Decr. *Tit.* 40. *De Verborum ſignif.* Cap. *Ex Parte.*

IX. Nihil te oſtendis de cœleſtibus cogitare, ſed terrenam te converſationem habere ſignificas, dùm pro vindicta propriæ injuriæ, quod Sacris Regulis prohibetur, maledictionem Anathematis invexiſti. Undè de cætero omninò eſto circumſpectus, atque ſollicitus, & talia cuiquam pro defenſione propriæ injuriæ tuæ inferre denuò præſumas. Caus. XXIII. Quæst. IV. Cap. 27. *Inter.* Gregor. I. Lib. II. *In Epiſt.* 34.

X. Excommunicatur quis pro manifeſtis exceſſibus, videlicet homicidio, violentâ manuum injectione in perſonas Eccleſiaſticas, Eccleſiarum violatione, inceſtu. *De Sepulturis.* Cap. *Parrochiano.* Lib. III. Decr. *Tit.* 36. *Cap.* 14. Colligitur.

XI. Ut nullus Sacerdotum, quem rectæ fidei hominem, pro parvis & levibus cauſis, à Communione ſuſpendat, præter eas culpas pro quibus Antiqui Patres ab Eccleſia arceri juſſerunt committentes. *Conc.* Aurelian. V. anno 549. *Can.* 2. Tom. V Conc. *p.* 391.

XII. Nemo Presbyter, nemo Epiſcopus excommunicet aliquem, antequàm cauſa probetur, propter quam Eccleſiaſtici Canones hoc fieri jubent. Caus. II. Quæst. I. Cap. 11. *Nemo. init.*

XIII. Non temerè quemquam Communione privet Epiſcopus. *Excerpt.* Egberti. Cap. 4. Tom. VI. Conc. *p.* 1590. *Conc.* Meld. anno 845. Cap. 56. Tom. VII. Conc. *p.* 1836. Excommunicationis Sententia propter frivolam cauſam lata denunciatur non tenere. *De Præbendis.* Cap. *Cùm olim. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. *Cap.* 38.

XIV. Conſtitutiones Galteri *Archiepiſcopi Senonenſis.* Cap. 7. Tom. IX. Conc. *p.* 578. Vetat Judicibus ne immoderatè utantur Excommunicationibus, ſive in autores, ſive in participantes.

XV. Interdicti vel Excommunicationis Sententia proferri poteſt pro contumaciâ tantùm, quia ſcilicet citatus ſtare noluit juri; vel etiam pro offenſa, quia videlicet juſſus noluit maleficium emendare. *De Verborum ſignific.* Cap. *Ex parte. §. Ad intelligendam.* Lib. V. Decr *Tit.* 40. *Cap.* 23.

XVI. Talis eſt culpa quæ ipſo ſuo genere Suſpenſionem inducit vel Excommunicationem. *De Appell.* Cap. *Præterea.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 28. *Cap.* 26.

XVII. Poteſt quis propter contumaciam ſuam Excommunicationis Sententiâ innodari. *Ut lite non conteſtatâ.* Cap. *Ad hoc. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 6. *Cap.* 1.

XVIII. *Concil.* Wormatiense anni 868. *Canon.* 13. & 14. Tom. VIII. Conc. *p.* 948. Idem habet quod *Can.* 3. *Conc.* Aurelian. ſuprà relatum.

XIX. Joan. VIII. *Epiſt.* 163. Tom. IX. Conc. *pag.* 507. Damnat Excommunicationes latas antè cognitionem cauſæ.

XX. Dominus Procuratoris, ſi ſciens non purgaverit contumaciam ſui Procuratoris, poteſt Sententiâ Excommunicationis innodari. *Ibid.*

XXI. Propter contumaciam aliquis eſt excommunicandus. *De Judiciis.* Cap. *De quo vult Deo. §.* 1. *Placuit. Gloſſa* colligit. Lib. II. Decr. *Tit.* 1. *Cap.* 1.

Illi extorres debent fieri ab Eccleſia qui Sacerdotali admonitione non corriguntur, dicente Domino; *Auferte malum ex vobis.* Causa XVI. Quæst. I. Cap. 57. *In Canon. §.* 5.

Symmachus *in ſexta Synodo Romana* anno 503. Contumacia de quâ pluties in collectis Canonibus, conſiſtit ut plurimùm in contemptu Monitionum, vel Judicis vocantis ad Jus.

SECTIO IV.

Ad quid utilis, & quàm circumspectè ferri debeat Excommunicatio?

I. Excommunicationis gladius nervus est Ecclesiasticæ Disciplinæ. *Concil.* TRID. SESS. XXV. DECR. *De Reform.* Cap. 3. *init.*

II. Resecandæ sunt putridæ carnes &c. CAUS. XXIV. QUÆST. III. *Cap.* 16. In eis qui diù portati &c. *Ibid.* Cap. 18.

III. Ad continendos in officio populos est valdè salutaris. *Ibid.* Sobriè magnâque circumspectione exercendus est. *Ibid.*

IV. Experientia docet, si temerè aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni quàm formidari, & perniciem potiùs parere quàm salutem. *Ibid.*

V. Abjicienda prorsus pestifera hæc à Sacerdotali vigore; patientia est, quæ sibimet, peccatis aliorum parcendo, non parcit. CAUS. XXIV. QUÆST. III. *Cap.* 34. *Illud. fin.*

VI. Qui excommunicatur, ad hoc excommunicatur ut spiritus ejus salvus fiat in die Domini. CAUS. XXIV. QUÆST. III. *Cap.* 37. *Notandum est. fin*

VII. Excommunicatio Disciplina est, non eradicatio. *Ibid* Cap. 37. *Notandum est fin.*

VIII. Vult Ecclesia ut excommunicati, dùm à communibus actibus excluduntur, rubore suffusi, ad humilitatis gratiam & reconciliationis affectum faciliùs inclinentur. *In 6. De Exceptionibus.* Cap. *Pia.* §. *init.* LIB. II. *Tit.* 12. Cap. 1.

IX. Pastoralis necessitas habet, ne per plures serpant dira contagia, separare ab ovibus sanis morbidam, ab illo cui nihil impossibile ipsa fortitan separatione sanandam. CAUS. XXIV. QUÆST. III. *Cap.* 17. *Corripiantur. fin.*

X. Ipsa correptio, quæ damnatio nominatur; quam facit Episcopale judicium, potest, si Deus voluerit, in correctionem saluberrimam cedere, atque proficere. *Ibid.* Cap. 17. *Corripiantur. post init.*

XI. Multi Sacerdotum culpam zelo Dei se persequi profitentur; sed dùm indiscretè hoc agitur, sacrilegii facinus incurrunt; & dùm præcipites quasi ad emendandum ruunt, ipsi quoque multò magis deteriùs cadunt. CAUS. XXIV. QUÆST. III. *Cap.* 5. *Non in.*

Ferro abscindenda sunt vulnera quæ fomenta non sentiunt. CAUS. XVI. QUÆST. I. *Cap.* 57. *In Canonibus.* §. 2.

Medicinalis est Excommunicatio, non mortalis; Disciplinam non eradicans, dùm tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat. *In 6. De Sent Excom.* Cap. *Cum Medicinalis.* LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 1. *init.* Illi extorres debent fieri ab Ecclesia qui Sacerdotali admonitione non corriguntur, dicente Domino; *Auferte malum de vobis.* CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 57. *In Canonibus.* §. 5. SYMMACHUS *in Synodo* ROMANA 504. *in Concil.* AQUISGRANENSI *sub* PIPINO. Cap. 26.

Caute provideat Judex Ecclesiasticus, ut in Excommunicatione ferendâ, ostendat se prosequi quod corrigentis fuerit & medentis. *Ibid.*

Perpetua Excommunicationis Sententia in aliquos profertur, ut alii terreantur. *De Cohabitatione Clericorum.* Cap. *Clericos.* §. *Verum.* LIB. III. DECR. *Tit.* 2. Cap. 3.

Ex dictis maximè patet Excommunicationis utilitatem pendere ex prudenti illius usu, indè fit salutaris aut lethalis.

SECTIO V.

In quas personas ferri possit Excommunicatio? & qui ligentur?

I. Qui diù portati & salubriter objurgati, corrigi noluerint, tanquam putres corporis partes debent ferro Excommunicationis abscindi. CAUS. XXIV. QUÆST. III. *Cap.* 18. *Ecce. med.*

II. Vide *In 6. De Officio Vicarii.* Cap. *Romana.* LIB I. *Tit.* 13. Cap. 1. Vide CAUS. XXIV. QUÆST. III. Cap. 1.

III. Qui ad Sedem Apostolicam appellant, & post gravia committentes, se, dùm conveniuntur, appellatione tuentur, eos Appellatio non debet in suâ iniquitate tueri, quominùs eorum excessus Canonicâ Censurâ puniantur. *De Appellat.* Cap. *Præterea.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 11.

IV. Excommunicationis Sententia in personas singulares fertur. *In 6. De Injuriis.* Cap. unic. *fin.* Colligitur. LIB. V. *Tit.* 8. Cap. 1. In quo peculiariter differt ab aliis censuris quæ in corpora ferri possunt.

V. Excommunicationum Sententiæ ab Archiepiscopo, suisque Officialibus, generaliter promulgatæ, subjectos ejusdem Jurisdictioni Archiepiscopi, id est, Diœcesanos suos tantùm ligant. *In 6. De Sentent. Excommunicationis.* Cap. *Romana.* §. 1. *Porrò.* LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 5. Loquitur de Sententiis Judicialibus, quibus constitui possunt generales Regulæ à Subditis propriis servandæ, quales non sunt Diœcesani Suffraganeorum, quorum sunt proprii Subditi.

VI. Homicidæ & falsi Testes à Communione Ecclesiastica submovendi sunt, nisi Pœnitentiæ satisfactione crimina admissa diluerint. *Ibid.* Cap. 20. *Itaque.*

VII. Ecclesiarum Dei violatores à gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ, & à consortio totius Christianitatis eliminantur. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 107. *Canonica Instituta.*

VIII. Illi quodammodò excommunicantur, quibus alii communicare non sinuntur. *De Privilegiis.* Cap. *Quantò.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 26.

IX. Excommunicationis vinculo innodatum se quis postmodùm recognovit, dùm per Nuntium suum Absolutionis Beneficium postulavit nisi fecerit ad cautelam. *De Electione.* Cap. *Venerabilem.* §. *Sunt enim.* LIB. I. *Tit.* 6. DECR. Cap. 34.

X. Illi quodammodò excommunicati sunt, cum quibus alios Prælati communicare non sinunt. *De Privilegiis.* Cap. *Quantò.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 26.

XI. Potest Episcopus Excommunicationis Sententiam proferre, tàm in eos qui peccaverunt, quàm in illos qui de cætero peccare præsumpserint. *De Institutionibus.* Cap. *Ex frequentibus.* LIB. III. DECR. *Tit.* 7. Cap. 3.

XII. Episcopi & alii Superiores Prælati, nullius Constitutionis, Sententiæ, sive Mandati occasione, Interdicti vel Suspensionis incurrunt Sententiam, ullatenùs ipso jure, nisi in ipsis de Episcopis expressa mentio habeatur. *In 6. De Sententia Excommun.* Cap. *Quia. fin.* LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 4. Manent ergò Subditi subjecti Excommunicationis Sententiæ, etsi illorum expressè non meminerit. Lege causam hujus novi Juris, *initio. Cap. citati.*

XIII. Episcopus potest Canonicam exercere ultionem, si quis contrà ejus prohibitionem venire præsumpserit. *De Renunciatione.* Cap. 4.

XIV. In Universitatem vel Collegium proferri Excommunicationis Sententiam penitùs prohibitum est. *In 6. De Sentent. Excommun.* Cap. *Romana.* §. ultim. LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 5.

XV. In illos duntaxat de Collegio vel Universitate quos culpabiles esse constiterit, Sententia Excommunicationis promulgetur. *Ibid. fin.* Cap. 5. *Communicatione.* Cap. *Admonet.* LIB. I. DECR. *Tit.* 9. Cap. 4. Invehit secum salutis periculum, cui innoxios subjacere durius esset.

XVI. Qui communicat in crimine cum aliquo Excommunicato, parem incurrit Censuram. *In 6. De Officio Vicarii.* Cap. *Romana.* LIB. I. Tit. 13. Cap. 1. Successor non ligatur Excommunicatione in Prædecessorem lata. *Ibid. juncta Glossa.* Nisi illius peccato participet.

XVII. Qui propter privilegia excommunicari non possunt, nec indirectè excommunicari debent. *De Privileg.* Cap. *Quantò.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 26. Quod fit quandò aliis prohibetur ne communicent cùm illis.

XVIII.

XVIII. Successor io Officio qui succedit in vitium, manet eâdem Ecclesiasticâ Censurâ conclusus. *De immunitatibus* &c.

XIX. Sententia Excommunicationis transit in alium in quem lata non fuit, cùm ille successit in vitium. *De immunitate Ecclesiarum.* Cap. *Adversùs.* §. *Quia verò. fin. Glossa* colligit. Lib. III. Decr. *Tit.* 49. *Cap.* 7.

XX. Excommunicationis & Interdicti Sententiæ in personam & terras ejus ab eo latæ non valent, qui etsi aliàs Jurisdictioni præesse dicatur, in dicta persona nullam Jurisdictionem habet. *De Officio & potestate Judicis Del.* Cap. *Per Litteras. med.* Lib. I. Decr. *Tit.* 29. *Cap.* 40. Casus frequens ob frequentes exemptiones.

XXI. Sententiæ Suspensionis & Excommunicationis ferri possunt in eos qui jam sunt excommunicati & suspensi. *De Rescriptis.* Cap. *Capitulum. post init. Glossa* colligit, verbo, *Suspensionis.* Lib. I. Decr. *Tit.* 3. *Cap.* 30.

XXII. Si quis generalem Sententiam pronunciaverit Excommunicationis in aliquem; hac Sententia, non nisi subditi qui sunt de Jurisdictione illius, obligantur, nisi fortè plus contulerit major & largior autoritas delegantis. *De Senten. Excom.* Cap. *A nobis.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. *Cap.* 21.

XXIII. Fratrum suorum assensu ei obedientiam repromisit. *De Religiosis Domibus.* Cap. *Cum Dilectus.* Lib. III. Decr. *Tit.* 36. *Cap.* 8.

XXIV. Non levis est culpa Excommunicationem infligere insonti. *De Sententia Excommunicationis.* Cap. *Sacro.* §. *Cumque. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. *Cap.* 48.

XXV. Si constiterit Monasterium à Jurisdictione Episcopi exemptum, Sententiæ Suspensionis vel Excommunicationis in Abbatem, & Interdicti in Monasterium, non tenent, eo non obstante hic quod Abbas ab Episcopo circumventus, præter Fratrum suorum assensum, ei obedientiam repromisit. *De Religiosis Domibus.*

XXVI. Excommunicationum Sententiæ ab Episcopo suisque Officialibus generaliter promulgatæ, subjectos ejusdem Jurisdictioni Episcopi ligant. *In 6. De Sent. Excom.* Cap. *Romana.* §. *Porrò.* Lib. V. *Tit.* 11. *Cap.* 5.

XXVII. Capitulum non universim, sed singulariter omnes de Capitulo Majoris Excommunicationis vinculo innodari possunt. *In 6. Ne Sede vacante.* Cap. unico. Lib. III. *Tit.* 8. *Cap. unico.*

XXVIII. Si alicui à Sede Apostolicâ concedatur quod excommunicari non possit, licet id forsan suus ignoret Episcopus, non tamen propter hoc ejus ligatur Sententiâ, si quam proferat in eundem. *In 6. De Concessione Præbendæ.* Cap. *Quia cunctis.* §. 1. *fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 7. *Cap.* 1.

XXIX. In Censuris ferendis contrà fœminas, compatiendum est fragilitati sexûs earum. *De privilegiis,* Cap. *Ex parte.* §. *Sed judices.* Colligitur. *Juncta Glossa,* Lib. V. Decr. *Tit.* 33. *Cap.* 13.

XXX. Statuto Episcopi quo, in omnes qui furtum commiserint, Excommunicationis Sententia promulgatur, subditi ejus furtum extra ipsius Diœcesim committentes minimè ligari noscuntur. *In 6. De Constitut.* Cap. *In animarum.* §. *Statuto.* Lib. I. *Tit.* 2. *Cap.* 2.

XXXI. Potest ignorans & absens Clericus suspendi, & excommunicari. *Cap.* Apostolicæ. *De Clericorum Excommunicatione.* Sed non ligat Excommunicatio nisi ignorantia voluntaria quæ vocatur crassa & supina. *ibid.*

XXXII. Ut animarum periculis obvietur, Sententiis per Statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis non ligantur ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina. *In 6.* Lib. 1. *Tit.* 2. *Cap.* 2.

SECTIO VI.

Quinam ferre possint Sententiam Excommunicationis?

I. Prælatus Excommunicationem ferre non potest, nisi in eum in quem jus habet. *De Sent. Excommunicationis.* Cap. *Officii. init.* Colligitur. Lib. V. Decr. *Tit.* 39. *Cap.* 42.

II. Damnationem facit Episcopale judicium, quâ pœnâ in Ecclesia nulla major est. Caus. XXIV. Quæst. III. *Cap.* 17. *Corripiantur. post init.*

III. Per Litteras Judicis Ordinarii constat quod aliquis excommunicatus fuit. *De probat.* Cap. *Post cessionem.* §. 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 19. *Cap.* 7.

IV. Judex discretus Censuram ferat. *De verborum significat.* Cap. *Quærenti.* Lib. V. Decr. *Tit.* 40. *Cap.* 20. *fin.*

V. Archidiaconus aliquandò vinculo Excommunicationis adstringit; & qui sic adstrictus est debet à Sententia, quâ tenebatur, absolvi. *De Præbendis.* Cap. *Referente.* §. *Nos.* Lib. III. Decr. *Tit.* 5. *Cap.* 7.

VI. Cautè provideat Judex Ecclesiasticus ut in Censurâ ferendâ ostendat se prosequi quod corrigentis fuerit, & medentis. *In* Sexto. *De Sent Excomm.* Cap. 1. *init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 11. *Cap.* 1.

VII. Officiales Archidiaconorum & alii Episcopi Inferiores Jurisdictiones habentes, ferre possunt Sententias Interdicti, Suspensionis, vel Excommunicationis. *Cap.* Romana. *init.* Colligitur. *In 6.* In *Cap.* 3. *De Off. Ordin. n.* 1. *De Sent Exc.* Lib. V. *Tit.* 11. *Cap.* 5. Vid. Gonzalem, ubi de Parrocho probat id non posse Jure Ordinario, quia Jurisdictionem non habet in foro exteriori.

VIII. Cùm per litteras Judicis Ordinarii constiterit quod aliquis excommunicatus fuerit; iis standum est, donec probetur contrarium. *De probationibus.* Cap. *Post cessionem. init.* Lib. II. Decr. *Tit.* 19. Cap. 7.

IX. Excommunicationis seu Interdicti Sententiæ prolatæ ab Episcopo interdicto post Interdicti violationem, sunt irritæ, & inanes. *De excessibus Prælatorum.* Cap. *Tanta* §. *Licet. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 31 *Cap.* 18.

X. Interdictum in aliqua Ecclesia per aliquem vel aliquos de Canonicis, sine Episcopi & Fratrum aliorum assensu positum, Episcopus observare non debet, nec etiam sustinere ut ab aliis observetur. *De his quæ fiunt à majori parte Capituli.* Cap. *Quæsivit.* §. *Fraternitati.* Lib. II. Decr. *Tit.* 11. *Cap.* 2.

XI. Absolutos ad cautelam ab Excommuninatione per Judices Delegatos licitè potest Ordinarius in pristinam Excommunicationis Sententiam revocare, ipsosque tandiu eâdem Sententiâ tenere ligatos, donec eorum Causa legitimum incipiat habere progressum, si ex malitiâ vel desidiâ Judicum Delegatorum suffragium inveniunt ad remanendum in eodem crimine, pro quo fuerunt Excommunicatione notati. *De Jud. Ordinar.* Cap. *Significavit.* Lib. I. Decr. *Tit.* 31. *Cap.* 6.

XII. Excommunicatus te excommunicare non potuit. Caus. XXIV. Quæst. I. *Cap.* 4.

XIII. Archiepiscopus in Officialem sui Suffraganei Excommunicationis Sententiam ex rationabili causa proferre potest. *In* Sexto *De Officio Vicarii.* Cap. *Romana.* Lib. 1. *Tit.* 13. *Cap.* 1. Sed in solo appellationis casu, in quo tantùm ei subest, saltem in Galliâ.

XIV. Indulgentiæ & Privilegia quibuscumque personis singularibus Ecclesiasticis, vel Sæcularibus, cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status, quod interdici à quocumque vel excommunicari non possint, nec terræ vel Ecclesiæ ipsorum Ecclesiastico Interdicto supponi, sub quâcumque formâ verborum concessa, (illis per quæ Regibus & Reginis, eorumque filiis, necnon & Religiosis quibuscumque, non personarum tantùm, sed Ordinum privilegiatorum, vel locorum ratione, in hoc immunitas hujusmodi conceditur dumtaxat exceptis) ad Ordinariorum Sententias processus prohibentur extendi. *In 6. De Privileg.* Cap. *Ne aliqui.* Lib. V. *Tit.* 7. *Cap.* 5.

SECTIO VII.

Quâ formâ ferri debeat Excommunicatio? Quæ sit forma essentialis?

I. Caveat diligenter Episcopus, ne ad Excommunicationem cujusquam, absque manifestâ & rationabili causâ, procedat. *De Sent. Excom.* Cap. *Sacro* §. 1. *Caveat.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. *Cap.* 48.

II. Si fortè Epiſcopus ſine manifeſtâ & rationabili cauſâ proceſſerit, cùm primùm humiliter requiſitus fuerit, proceſſum hujuſmodi debet abſque gravamine revocare. *Ibid.*

III. Epiſcopus aliquem excommunicare ſine ordine Judiciario non præſumat. *De exceſſibus Prælat.* Cap. *Pervenit. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 31. *Cap.* 1.

IV. In Sententia excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, ordo Judiciarius ſervari debet. *Ibid. Gloſſa colligit.*

V. Nemo præproperè vel præpoſterè, ſcilicet non commonitus, neque conventus, eſt judicandus. CAUS. XXIV. QUÆST. III. Cap. 6. *De illicita. med.*

VI. Prohibitum eſt ne quis in aliquem excommunicationis Sententiam, niſi competenti admonitione præmiſſâ, & perſonis præſentibus idoneis, per quas, ſi neceſſe fuerit, poſſit probari monitio, promulgare præſumat. LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 48. Nunc monitio ſcripto facienda, ſaltem in Gallia.

VII. Qui ab Eccleſiaſtica Societate quolibet exceſſu diſcinditur, libelli inſcriptione ejicitur. CAUS. II. QUÆST. I. Cap. 9. *Legum. med.* Id eſt, Sententiâ ſcripto datâ.

Ex *Concilio apud* S. MEDARDUM, anno 853., referente HINCMARO *Remenſi.*

VIII. Sententia quæ ſine ſcripto profertur, nec nomen Sententiæ habere mereatur. *Ibid.* Quiſquis excommunicat, Excommunicationem in ſcriptis proferat, & cauſam Excommunicationis expreſſè conſcribat, propter quam excommunicatio proferatur. *In 6. De Sent. excom.* Cap. *Cùm medicinalis.* §. 1. *Quiſquis.* LIB. V. DECR. *Tit.* 11. *Cap.* 1.

IX In hoc non videtur quis omninò culpabilis, quod non crediderit, quod monitione non præmiſſâ, Judex poſſit Sententiam in eum aliquam Excommunicationis promulgare. *De Clerico excommunicato.* §. *Licet ipſe.* LIB. V DECR. *Tit.* 27. *Cap.* 5.

X. Decretum eſt ut nemo Epiſcopus, nemo Presbyter excommunicet aliquem, antequàm cauſa probetur, propter quam Eccleſiaſtici Canones hoc fieri jubent. CAUS. XXIV. QUÆST III. Cap. 6. *De illicita. init.*

XI. Exemplum ſcripturæ, quâ Judex excommunicat, teneatur excommunicato tradere intrà menſem, ſi fuerit requiſitus. Cap. 1. *De Sent. excom. In 6.* In Gallia hoc exemplum traditur in ipſâ ſignificatione Sententiæ, ſine qua iſta effectu caret.

XII. Super ea requiſitione fieri debet publicum Inſtrumentum, vel Literæ Teſtimoniales confici debent, Sigillo authentico conſignatæ. *Ibid.*

XIII. Si quem ſub hac forma verborum, illum excommunico, vel ſimili, à Judice ſuo excommunicari contingat, non tantùm minori, ſed etiam majori Excommunicatione eſt ligatus. *De Sent. excomm.* Cap. *Si quem.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 59.

XIV. Hæc eadem in ſuſpenſionis & interdicti Sententiis obſervetur. *Ibid. In 6. De Sent. excomm.* Cap. *Cùm medicinalis.* §. 3. *Superior. fin.* LIB. V. *Tit.* 11. *Cap.* 1.

XV. Verborum præſentis temporis prolatio, cum adjectione hujus verbi, omninò, inducit Canonem latæ Sententiæ. *In 6. De bis quæ vi metus-ve cauſâ. Cap Unico.* LIB. I. *Tit.* 20. *Cap. Unico. Gloſſa.*

XVI. Excommunicationis exemplar JOANNES VIII. *Epiſt.* 120. BERNARDI *Comitis* Excommunicatio TOM. IX. CONC. *pag.* 809. & 123. *pag.* 108. *Epiſtola* 165.

XVII. Prælati, niſi Canonicâ commonitione præmiſſâ, ſuſpenſionis vel excommunicationis Sententiam non proferant in ſubjectos. *De Appell.* Cap. *Reprehenſibilis.* §. *Præſenti.* LIB. II. DECR. *Tit* 28. *C.* 26.

XVIII. Id intelligendum, niſi fortè talis ſit culpa quæ ipſo ſuo genere ſuſpenſionis vel excommunicationis Sententiam inducat. *Ibid.* GONZALEZ *in hæc verba*, ſentit poſt alios id ad cenſuras Juris latæ ſententiæ reſtringendum, nullamque ab homine ſine monitione ferri poſſe; quod falſum videtur, quia abuſus quem *Concil.* LATERAN. hic reformat, cenſuras ab homine ſpectabat, fraudulenter latas in aliquos, nedùm ab Epiſcopis, ſed etiam ab Inferioribus Prælatis, quorum non eſt Leges ferre, ſeu Statuta excommunicantia ipſo facto. Præterea monitiones neceſſariæ non ſunt, niſi ut ſit juſta proportio inter pœnam & culpam, quando hæc minor eſt in ſe ut mereatur cenſuram ſine contumacia.

XIX. Speciali prohibitione eſt proviſum, ne quis in aliquem Excommunicationis Sententiam, niſi competenti commonitione præmiſſâ, promulgare præſumat. *De Appellationibus.* Cap. *Cùm ſpeciali. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. *Cap.* 61.

XX. Sententia Excommunicationis, ſuſpenſionis, vel Interdicti, fieri poteſt ſub conditione. *De Appellat.* Cap. *Præterea* 2. Colligitur. LIB. II. DECR. *Tit* 28. *C.* 40.

XXI. Poteſt hoc modo fieri hujuſmodi Sententia, niſi SEMPRONIO infrà viginti dies ſatisfecerit ſe excommunicatum, vel ſuſpenſum, vel interdictum eſſe cognoſcas. *Ibid.* Jam notatum eſt, pro re temporali cenſuras non adhibendas.

XXII. Sententia hujuſmodi non ligat, niſi adveniente die vel conditione. *Ibid. Gloſſa.*

XXIII. Cùm Excommunicationis Sententia promulgata eſt, intra certum diem incurrenda; non incurritur, niſi poſt illum diem elapſum. *De crimine falſi.* Cap. *Dura.* §. 2. *Adjicientes. init. Gloſſa* colligit. LIB. V. *Tit.* 20. *Cap.* 4.

XXIV. Trina admonitio debet præcedere vindictam. *De cohabitatione Clericorum.* Cap. *Si autem.* LIB. III. DECR. *Tit.* 2. *Cap.* 6.

XXV. Sacris Regulis prohibetur, pro vindictâ propriæ injuriæ maledictionem Anathematis inferre. CAUS. XXIII. QUÆST. IV Cap. 27. *Inter. fin.*

XXVI. Nec in ſpecie, nec in genere, pro culpis & offenſis præteritis, vel præſentibus, Excommunicationum Sententiæ, abſque competenti monitione præmiſſâ, promulgentur. Si qui contrà præſumpſerint promulgare, injuſtas noverint eſſe illas. *In 6. De Sent. excomm.* Cap. *Romana.* LIB. V. *Tit.* 11. *Cap.* 5. §. *Porrò.*

XXVII. Caveant etiam ne tales Sententias Excommunicationis, ſive ſpecialiter, ſive generaliter, in aliquos pro futuris culpis, videlicet, ſi tale quid fecerint, vel etiam pro commiſſis, ſub hac forma, ſi de illis intrà tale tempus minimè ſatisfecerint, proferre præſumant; niſi mora in exhibendâ ſatisfactione, vel culpa ſeu offenſa præceſſerit, quibus meritò ad injungendam ſatisfactionem hujuſmodi, & taliter prohibenda ſimilia inducantur, aut alia rationabilis cauſa, quam in ipſis Sententiis exprimant, ſubſit. *Ibid.* §. *Caveant.* Agitur de cenſuris judicialibus.

XXVIII. Ut Canonicè promulgetur Excommunicationis Sententia, ſtatuunt Jura præmitti monitiones. *In 6. De Sententia excom* Cap. *Conſtitutione.* §. *Statuimus.* LIB. V. *Tit.* 11. *Cap.* 9.

XXIX. Judices, ſive monitionibus tribus utantur, ſive una pro omnibus, obſervent aliquorum dierum competentia intervalla, niſi facti neceſſitas aliter ea ſuaſerit moderanda. *Ibid. fin.*

XXX. Excommunicationis Sententia occaſione facti lata, quod eſt legali proviſione ſtatutum, denunciari debet penitùs nulla. *De Arbitris.* Cap. *Innotuit. fin.* §. *Ideòque.* LIB. I. DECR. *Tit.* 43. *Cap.* 12. Hinc patet cenſuram non ferendam pro facto Lege Civili probato, ideòque Judices Eccleſiaſticos illam ſervare tenere in re huic legi obnoxiâ.

XXXI. Poſt tertiam admonitionem, Epiſcopus Sententiam Excommunicationis dictet in Reum, & ſcriptam annunciet. *De treuga & pace.* Cap. *Treugas.* §. *Si quis.* LIB. I. DECR. *Tit.* 34. *Cap.* 1.

SECTIO VIII.

Quas pœnas incurrant qui hujuſmodi formam omittunt in ferendis Cenſuris?

I. Pœnâ docente, diſcant Judices quàm grave ſit Excommunicationum Sententias ſine maturitate debitâ fulmi-

fulminare. *In 6. De Sent. Excommunic.* Cap. *Cùm medicinalis.* §.2. *Si quis. fin.* Lib V. Decr. *Tit.*15. Cap.1.

II. Si quis Judicium hujusmodi institutionis temerarius extitit violator, quâ præscriptum est ut Excommunicatio in scriptis proferatur & causa expresse conscribatur, per mensem unum, ab Ecclesiæ ingressu, & Divinis Officiis, noverit se suspensum. *Ibid.* §. *Si quis. init.*

III. Si sine competenti admonitione præmissâ, Excommunicationis Sententiam promulgare præsumpserit, etiamsi justa fuerit Excommunicationis Sententia, ingressum Ecclesiæ per mensem unum sibi noverit interdictum, aliâ nihilominus pœnâ mulctandus, si visum fuerit expedire. *De Sentent. Excommunis.* Cap. *Sacro. post init.* Lib.V.Decr. *Tit.*39.Cap.48.

Caveant Ecclesiarum Prælati & Judices universi, ne prædictam pœnam suspensionis incurrant; quoniam si contingeret eos sic suspensos Divina Officia exequi sicut priùs, Irregularitatem non effugient juxtà Canonicas Sanctiones, super quâ non nisi per Summum Pontificem poterit dispensari. *Ibid.* §. ultimo. *Caveant.*

Superior ad quem recurritur, Sententiam ipsam sine difficultate relaxans, latorem excommunicationis ad expensas, & omne interesse condemnet, & aliàs puniat animadversione condignâ. *Ibid. §. Superior. Glossa marginalis* in verbo, *Relaxans.* Hinc infert censuras latas sine scripto continente illarum causam, non esse nullas, sed rescindendas.

SECTIO IX.

De denunciatione Excommunicationum, Suspensionum, & Interdictorum.

I. Ad vitandum scandala, & multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, statutum est quod nemo à communicatione alicujus, in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque Divinis vel extra, prætextu cujuscumque Sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis ab homine, vel à jure, generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, vel interdictum Ecclesiasticum observare; nisi Sententia, prohibitio, suspensio, vel censura hujusmodi fuerit, vel contra personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, aut locum certum, aut certam, à Judice publicata & denuntiata specialiter & expresse, aut nisi ita notoriè in aliquam Excommunicationis Sententiam constiterit incidisse, quod nullâ possit tergiversatione celari, aut aliquo juris suffragio excusari. *Concordatorum Tit.* 9.

Vide *Concilium incerti loci ac temporis*, post annum 615. *Can.*13. Tom.V.Conc.*p.* 1656. Respicit Ministros Sacros, quorum est ad Communionem admittere, quibus significandi sunt excommunicati ab homine, ne ex ignorantia facti communicent cum illis. *Conc.* Ravennense. *an.*878. *Statuto* 10. Tom.IX. Conc. *p.*505. Idem habet quod *Can.* 50. Caus. XI. Quæst. II. Honorio I. attributus, idemque sensus *Epist.*53. Eugenii III. Tom. X. Conc. *p.*1081. Multùm differt à Decreto relato, ut ostensum est dum de Censuris in genere.

. II. Per hoc non intendit Ecclesia hujusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos in aliquo relevare, neque eis quomodolibet suffragari. *Eodem Decreto. fin.*

III. Excommunicatus per denunciationem ampliùs non ligatur. *De Appellat.* Cap. *Pastoralis.* §. *Verùm. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.*28. *Cap.* 53. Hujus decisionis sensus est, denunciationem non augere vim Excommunicationis, sed addere tantùm novos effectus. Nunc saltem sic accipienda.

IV. Si quis Excommunicationis Sententiâ innodatus, antè denunciationem ipsius ab eâ, tanquam minùs rationabiliter promulgatâ, curaverit provocare; potest nihilominùs denunciari excommunicatus ut ab aliis evitetur. *Ibid.* Cap. *Pastoralis. §. Verùm. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 38. *Cap.* 53. Id restringendum videtur ad casum quo excessus excommunicato est notorius, ideòque appellatio evidenter frivola. *Cap.* 13. *De Appellat.*

V. Excommunicatus nominatim, specialiter, & expresse, qui post appellationem Excommunicationis Sententiam asserit in se latam, si appellationem eandem, intrà tempus ad ipsam prosequendam, ab hac vel à Jure statutum, non fuerit, ut debuit, prosecutus, lapso eodem tempore, excommunicatus publicè denuntiari debebit. *In 6. De Sentent. Excomm.* Cap. *Licet. med.* Lib. V *Tit.* 11. Cap. 14.

VI. Denunciari potest excommunicatus, qui fortè excommunicatus non est. *Ibid. Glossa* colligit, verbo, *Nunciari.*

VII. Relatis hîc Canonibus adjici possunt. Clem. I. *De Consanguinitate*, & Clement. I. *De Privil.* scitu digna continentes circa denunciationem.

VIII. Cùm factum non potest in Partibus non esse notorium, dari potest in mandatis, ut excommunicatus quis publicè nuntietur, nisi resipiscat intra certum tempus. *De Clerico excommunic.* Cap. *Illud. §. Undè.* Lib.V. Decr. *Tit* 27. Cap. 5.

IX. Excommunicatus publicè nunciatus, nedùm in judicialibus, sed etiam extrajudicialibus, evitari, ac à legitimis actibus removeri debebit. *In 6. De Sentent. Excommunis.* Cap. *Licet. fin.* Lib. V. *Tit.* 11. *Cap.* 14. Hinc inferri posse videtur ante denunciationem nullibi vitandum. Agitur de casu, in quo, durante appellatione, denunciatio fit ob appellantis negligentiam in prosequendâ appellatione.

X. Si qui in Monachos vel Conversos violentas manus injecerint, sublato appellationis remedio, secundùm tenorem Generalis Decreti, excommunicati publicè nuntiati debent. ita ut curetur ipsos sicut excommunicatos arctiùs evitari, donec læsis congruè satisfaciant, & Apostolicæ Sedis conspectui se repræsentent. *De Sent. Excom.* Cap. *Parochiano.* Lib.V.Decr.*Tit.*39. Cap. 9.

XI. Qui pro sacrilega manuum injectione in Clericum, in Edictum Excommunicationis incidit, quamdiù denunciatus non est, dicitur ab Ecclesia tolerari. *Ibid.* Cap. *Cùm non. §. Consultari.* Colligitur. Lib.V. Decr. *Tit.* 39. *Cap* 14. Qui tamen sciunt illum excommunicatum, vitare debent; sivè publicè, si plures rem norunt; sive privatè, si unus tantùm novit. *Ibid.*

XII. Si excessus in Clericum publicus est & notorius, appellationis obtentu prætermittere non debet Judex quin reos excommunicatos denuntiet. *De Appell.* Cap. *Pervenit.* §. *Fraternitati.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 13.

XIII. Clericorum percussores facere debet Judex, sicut excommunicatos, cautiùs evitari, donec passis injuriam satisfaciant. *De Appell.* Cap. *Pervenit.* §. *Fraternitati.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 13.

SECTIO X.

An vitandi, & à quibus excommunicati?

I. Excommunicato, licet juramento firmaverit quod stet mandato Ecclesiæ, communicari non debet, donec per Ecclesiam fuerit absolutus. *De Sent. Excomm.* Cap. *Quod in dubiis.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. *Cap.* 30. Indistinctè loquitur, ideòque intelligendus est Textus de omni excommunicato, etiam non denunciato.

II. Cum excommunicatis communicari non debet. *De Clerico Excommunicato.* Cap *Postulasti. §. 1. Consultationis. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 27. *Cap.* 7. Recurrit Nota præcedens, quæ spectat ad veterem disciplinam *Concilio* Constantiensi anteriorem.

III. Nullus scienter nominatim excommunicato communicare tenetur, nisi quædam personæ quæ per illud Gregorii *Papæ* Capitulum, *Quoniam multos*, specia-

specialiter excusantur. *Ibid.* Cap. 103. CAUS. XI. QUÆST. III. io quo GREG. VII. permittit plutibus personarum generibus cum excommunicatis communicare.

IV. Cum excommunicato neque orare, neque loqui, nec vesci licet. CAUS. XI. QUÆST. III. Cap. 18. *Cum excommunicato.*

V. Nullus cum excommunicatis in oratione, aut cibo, aut potu, aut osculo communicet, nec ave eis dicat. *Ibid.* CAUS. XI. QUÆST. III. Cap. 17. *Excommunicatos.*

VI. Excommunicato, non vitare, multò magis quàm non vitari, periculosum eaistit; non vitare siquidem cùm in eo sit, eacommunicatus sine delicto non potest; sed cùm ex aliis pendeat, sine suo delicto poterit non vitari. *De Cler. Excom.* Cap. *Illud* §. *Illud autem. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 27. Cap. 5.

VII. Uaores, liberi, servi, ancillæ, seu mancipia, nec noo rustici servientes, & omnes alii qui non adeò curiales sunt, ut eorum consilio scelera perpetrentur, ab Anathematis vinculo subtrahuntur. CAUS. XI. QUÆST. III. Cap. 103. *Quoniam multos.*

VIII. Nullus excommunicatum post scriptam denunciationem in communione recipiat. *De treuga & pace.* Cap. *Treugas.* §. *Quis.* LIB. I. DECR. *Tit.* 34. Cap. 1. §. *Si quis.* De scripto publico intelligendum.

IX. Excommunicati & interdicti apud Ecclesiam convocari, & his prædicari verbum Dei, ad eorum correctionem, sine scrupulo conscientiæ potest, quoties videbitur expedire, dummodò contra formam Interdicti nullum eis Divinum Officium celebretur. *De Sent. Excom.* Cap. *Responso.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 43.

X. Personæ in præmisso Capitulo denotatæ, quæ illis in quos lata fuerit Eacommunicationis Sententia, ante prolationem ipsius obsequio tenebantur, familiariter adhærere, cùm postmodùm ad contrarium non teneantur (cùm adhuc debitum duret) Beneficio Canonis id agente, à Priore non sunt obnoxietate solutæ; sed ad familiare tenentur obsequium, & ita per consequens ad Communionem tenentur, sine qua illud nequeunt exhibere. *De Sent. Excomm.* Cap. *Inter.* §. *Ut igitur.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 31.

XI. Non præsumitur Excommunicatus quem Prælatus tanquam non ligatum admisit ad osculum, licet Excommunicatus ab alio Episcopo diceretur. *De privilegiis.* Cap. *Cùm olim.* §. *Nos verò. med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 12.

XII. Excommunicatus post legitimam Appellationem non est vitandus. *De Appellat.* Cap. *Dilecti. Glossa* colligit. LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 55. Ergò eâ pendente non denunciandus.

XIII. Eædem personæ quæ talibus nominatim excommunicatis, arctiori tenentur obnoxietate constrictæ, in his pro quibus sunt Excommunicatione notatæ, ut in criminibus, communicare non debent, sed ab eis penitùs abstinere. *Ibid.* §. *Illud. fin.*

XIV. Viatores, peregrini, mercatores à communione talium personarum, nisi articulus necessitatis immineat, debent abstinere. *Ibid. init.* §. *Illud.*

XV. Ii qui ignoranter excommunicatis communicant, sive illi qui communicant cum illis qui excommunicatis communicant, non sunt excommunicati, sed ab anathematis vinculo subtrahuntur. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 103.

XVI. Quicumque orator, sive peregrinus, aut viator, in terram excommunicatorum devenerit, ubi non possit emere, vel non habeat undè emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam habet. *Ibid.*

XVII. Si quis excommunicatis non in sustentationem superbiæ, sed humilitatis causâ, date aliquid voluerit, non prohibetur. *Ibid. fin.*

XVIII. Est in Jure cautum quod si quisquam per terram hæreticorum, aut quorumlibet eacommunicatorum transierit, necessaria emere, ac recipere poterit ab eisdem. *De Sent. Excomm.* Cap. *Si verè.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap 34.

XIX. Si quis abstinetur ad hunc, vel ad domum ejus nullus accedat; si quis cum illo colloqui aut convivari fuerit deprehensus, ipse abstineatur: sed hoc pertinet ad omnes qui commoniti fuerint de eo qui abstinetur, sive Laico, sive Clerico. *Concil.* TOLET. *vulgo dictum primum. Canone* 15. TOM. II. CONC. *p.* 1225.

XX. Si Pater-familias domus Excommunicationis Sententiâ fuerit innodatus, à participatione illius familia excusatur. De *Senten. Excomm.* Cap. *Si verè.* §. *Est autem. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 34.

XXI. Excusabilis est apud Deum qui in excommunicatorum navibus existens, cum dolore cordis, sub spe pœnitentiæ, communicaverit ipsis, in quibus eorum communionem non poterit vitare. *Ibid.* §. ultimo. *Licet. fin.* Cap. 34. *Si verè.*

XXII. Excommunicato, licet quod stabit mandato Ecclesiæ juramento firmarit, communicari non debet donec fuerit per Ecclesiam absolutus; alioquin post juramentum non esset absolutio necessaria. *De renuntiat.* Cap. *Quod in dubiis. post init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 9. Cap. 8. Vide LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap 30.

XXIII. Licet Dux Venetorum Dominus navium, tanquam Pater-familias domûs, in Excommunicatione persistat, eos qui io navibus ejus fuerint, tanquàm ipsius familiam Ducis, Eacommunicatio non contingat. *Ibid.* §. *Licet.*

XXIV. Ab excommunicatis exigi potest, & recipi quod debetur. *Ibid.* §. 1. *Quod si. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 34.

XXV. Contractus qui sine communione explicari & adimpleri non potest, non dissolvitur, seu impeditur, per Eacommunicationem supervenientem in eum qui tenetur aliquid præstare eacommunicato. *Ibid. Summarium colligit.*

XXVI. Qui solvit pretium operæ quam quis ei locavit, si ad illud restituendum non potest operarium inducere, nec coarctare, poterit cum illo, quamvis eacommunicetur, tandiù communicare, quamdiù necessarium erit ad operam perficiendam; cùm si aliter fieret videretur ille damnum ex pœnitentiâ, excommunicatus verò prœmium ex contumacia reportare. *Ibid.*

XXVII. Excommunicationis Sententiam non incurrit, qui excommunicato in his quæ ad absolutionem, vel aliàs ad salutem animæ pertinent, in locutione participat; licet etiam alia verba incidenter, ut apud Deum magis proficiat, interponat. *De Sententia Excommunicationis.* Cap. *Cum voluntate. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 54.

XXVIII. Prædicatores, ab Excommunicatis penes quos morantur, Elemosynas licitè possunt recipere; præsertim si aliàs non valeant io illo loco sustentari. *Ibid.* Cap. *Voluntate.* §. 1. *Prædicatores.*

XXIX. Excommunicati & nominatim interdicti tàm à Religiosis exemptis, quàm ab aliis omnibus, juata Episcoporum Sententiam, sunt evitandi. *De privil.* Cap. *Cùm & plantare.* §. *Excommunicatos.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 3.

XXX. Nulli se possunt Privilegio Apostolicæ Sedis tueri, quominùs Excommunicatos vitare debeant. *De Senten. Excomm.* Cap. *Nulli. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 8.

XXXI. Qui per coactionem absolutam adstrictus communicat Excommunicatis invitus, Excommunicatione non tenetur, cùm magis pati, quàm agere convincatur. *De his quæ vi.* Cap. *Sacris.* LIB. I. DECR. *Tit.* 40. Cap. 5. Qui per metum tanquàm inductus communicat excommunicatis, Excommunicationis labe inquinatur. *Ibid.* Cap. 5. *Sacris.*

XXXII. Excommunicationis vel Interdicti Sententiâ publicè innodati, dum in Ecclesiis celebrantur Solemnia, debent exire; quod restringendum ad nominatim denunciatus.

SECTIO

SECTIO XI.

Quot modis Sententia Excommunicationis injusta sit? Et quomodo Judex debeat eam tollere?

I. Sententia Pastoris, sive justa sive injusta fuerit, timenda est. Caus. XI. Quæst. III. *Cap.* 1. *Sententia.*

II. Sententia Excommunicationis post appellationem legitimè interpositam nulla est. *De Officio & potestate Jud. Deleg.* Cap. *Cùm contingat.* Lib. I. Decr. *Tit.* 29. Cap. 36.

III. Valdè est timenda Sententia Episcopi, licet injustè liget. Caus. XI. Quæst. III. *Cap.* 27. *Quibus.*

IV. Comperimus quod Episcopus te, nullis exigentibus meritis, Communione privaverit, ideòque &c. Caus. XXIV. Quæst. III. *Cap.* 2.

V. Si quis, non recto judicio eorum qui præsunt Ecclesiæ, foras mittatur, si ipse non antè ita egit, ut mereretur exire, nihil læditur in eo, quod non recto judicio ab hominibus videtur expulsus. Caus. XXIV. Quæst. III. *Cap.* 4. *Si quis. init.*

VI. Si excommunicatus existimat se injustè damnatum, habeat licentiam reclamandi, & si injustè damnatus fuerit, absolvatur; sin justè, impositum Pœnitentiæ tempus exolvat. *Concil.* Rhem. *anno* 625. *Canon.* 5. Tom. V. Conc. *pag.* 1690.

VII. Cùm in Excommunicationis Sententiâ intolerabilis error fuit patenter expressus, nulla est hujusmodi Sententia. *Ibid. Glossa.* Coll. *Cap.* 40. *De Sent. Excommunicationis.*

VIII. Fit interdum, ut ille qui foràs mittitur, intùs sit; & ille foris, qui intùs retineri videtur. *Ibid. fin.*

IX. Cùm appellatum est ab iis Judicibus, ad quos rei illius cognitio non pertinebat, etiamsi illi appellantem Excommunicationis vinculo astrinxerint, in Excommunicationis Sententia non fuisse ligatum pronunciandum est. *De Off. Jud. Deleg.* Cap. *Cùm olim fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 29. Cap. 32.

X. Non in perpetuum damnamur, cùm injustè judicamur. Caus. XXIV. Quæst. III. *Cap.* 5. *Non in.*

XI. Contingit interdùm, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus; & qui liber est apud Deum, Ecclesiasticâ sit Sententia innodatus. *De Sentent. Excomm.* Cap. *A nobis.* §. 1. *Nos igitur.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 28.

XII. Si quisquam fidelium fuerit anathematisatus injuste, potiùs ei oberit qui facit, quàm qui hanc patitur injuriam. Caus. XI. Quæst. III. *Cap.* 87. *Illud. init.*

XIII. Debet quis potiùs Excommunicationis Sententiam humiliter sustinere, quàm peccatum operari mortale. *De Sent. Excomm.* Cap. *Inquisitioni.* §. *In primo.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 44.

XIV. Excommunicationis Sententia in aliquem lata, quia non paret, contra privilegium sibi à Superiore concessum, non tenet. *De Excessibus Prælatorum* Cap. *Cùm ad quorumdam. fin.* Lib. V. Decret. *Tit.* 31. Cap. 7.

XV. Cùm adversùs excommunicatorem de injustâ Excommunicatione constiterit, excommunicator condemnetur ad interesse excommunicato, aliàs nihilominus, si culpæ qualitas postulaverit, Superioris arbitrio puniendus; nisi forsitan erraverit ex causâ probabili, maximè si laudabilis opinionis extat. *De Sent. Excomm.* Cap. *Sacro.* §. 2. *Cùmque. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 48.

XVI. Si contrà Excommunicationis Sententiam nihil rationabile fuerit à conquerente probatum, idem & super injustâ excommunicatoris molestiâ per pœnam ad interesse, vel aliàs secundùm Superioris arbitrium, condemnetur; nisi forsan, & ipsum probabilis error excuset. *Ibid.* §. 3. *Verùm. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 48.

XVII. Idem injustè conquerens super eo pro quo justâ fuerit Excommunicatione ligatus, per cautionem receptam satisfacere compellatur; vel in pristinam reducatur Sententiam, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observandam. *Ibid.*

XVIII. Si Judex recognoscens suum errorem, paratus sit talem revocare Sententiam; & is pro quo lata fuerat, ne absque satisfactione revocet illam, appellet; appellationi non deferat in hac parte, nisi talis sit error de quo meritò dubitari debeat. *Ibid.* §. ultim. *Si verò.*

XIX. Tunc sufficienti cautione receptâ, quod coràm eo ad quem appellatum extiterit, vel Delegato ab ipso juri parebit, Excommunicatum absolvat, sicque pœnæ præscriptæ minimè subjacebit. *Ibid. fin.*

XX. Qui non legitimè excommunicatus est, majoris Sacerdotis autoritate ad gratiam Sanctæ Communionis redeat. Caus. II. Quæst. I. *Cap.* 11. *Nemo. init.*

XXI. Qui non legitime excommunicavit, quantùm majori Sacerdoti visum fuerit, à Sacra Communione abstineat. *Ibid. fin.*

XXII. Si quis Canonicè excommunicatus non est, Canonica super eum fieri debet remissio. Caus. I. Quæst. IV. *Cap.* 5. *Quia Præsulatus. fin.*

XXIII. In Excommunicationis Sententiâ intolerabilis error fuit patenter expressus, si aliquid vi præcepti vel mandati, apertè in ea continetur, quod communiter, vel in suo genere peccatum est; veluti si excommunicatus fuit pro eo quod eleemosynam pauperi tribuebat; vel quia faciebat aliquid aliud quod in se bonum est; aut quia non operabatur id quod suo actu illicitum est, & pravum. *In 6. De Sent. Excommunicationis.* Cap. *Venerabilibus.* §. penult. *potest. med.* Lib. V. *Tit.* 11. Cap. 7.

XXIV. Sententiæ Suspensionis, & Excommunicationis, in aliquos, post appellationem interpositam, prolatæ, juxtà formam Ecclesiæ relaxari debent. *De Rescriptis.* Cap. *Capitulum.* §. *Quocircà.* Lib. I. Decr. *Tit.* 3. Cap. 30.

XXV. Excommunicatus contra Statuta Concilii Generalis, sine difficultate absolvi debet. *Ibid. De Rescriptis.* Cap. *Ab Excommunicato. init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 3. Cap. 41.

XXVI. Cùm quis conqueritur se, post appellationem legitime interpositam, Excommunicatione fuisse innodatum; ac Episcopus paratus est probare se in illum, antequàm vocem appellationis emitteret, hujusmodi Sententiam protulisse, semper utriusque Partis probationes sunt admittendæ, antequàm ad decernendum super hoc aliquid procedatur, per quas denique apparebit, an absolutione indigeat conquerens vel denunciandus sit potiùs non ligatus. *De Officio & potestate Judicis Delegati.* Cap. *Cùm contingat.* §. 1. *Quod.* Lib. I. Decr. *Tit.* 29. Cap. 39.

XXVII. Cùm excommunicatum quis se asserit injustè, vix vel numquam est ejus, antequàm absolutus fuerit, probatio admittenda; nisi tunc tantùm asserit in Excommunicationis Sententiâ intolerabilem errorem fuisse patenter expressum, ad quod probandum admittitur, antequàm absolutionis gratiam consequatur. *Ibid.* §. *In eo.*

XXVIII. Si proponat se specialiter excommunicatum injuste, ac Episcopus ad probandum, quod justè ipsum excommunicavit, suas postulet probationes admitti; non est antè absolutionem illius aliquatenus audiendus; cùm etsi pro certo constaret rationabiliter in illum Excommunicationis Sententiam promulgatam, nihilominùs esset ei absolutio impendenda humiliter postulanti, & ideò in hoc casu ille juxtà Ecclesiæ formam protinùs absolvendus est, ut sic demùm probationibus utriusque admissis Partis, utrum justè vel injustè ligatus fuerit, decernatur. *Ibid.* §. ultim. *Verum.*

XXIX. Cùm Sententia Excommunicationis nulla est, eadem denunciari debet nulla esse, & conquerens denunciandus est non ligatus. *Ibid.* Colligitur.

XXX. Cum Sententia Excommunicationis injustè promulgata est, absolutione indiget conquerens, debetque Superior, juxtà formam Ecclesiæ, beneficium absolutionis illi impendere. *Ibid.*

XXXI. Etsi pro certo constet rationabiliter in aliquem Excommunicationis Sententiam promulgatam, nihilominùs injustè excommunicato, absolutio impendenda est, tunc antequàm audiatur. *Ibid.*

XXXII. Qui nullam Jurisdictionem habens Ordinariam, aut etiam Delegatam, Interdicti, & Suspensionis Sententias promulgavit, debet prudenter corrigere per se ipsum quæ minùs providè attentavit, & prædictas Sententias sine difficultate relaxare. *De Officio Judicis Ordinarii.* Cap. *Grave. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. Cap. 19.

Hinc patet Judicem posse retractare sua judicia, imò quandoque ad id etiam teneri.

Relaxare, id est declarare nullas, cùm tales sint defectu potestatis.

In legendis decisionibus collectis, præcipuè notandum est discrimen inter Censuram nullam, & Censuram injustam; in eo autem situm est, quod primo casu absolutio necessaria non sit; in secundo verò secùs: Ratio discriminis manifesta est, cùm id quod nullum est habeatur pro infecto. *Reg.* 64. *In* 6. ideòque non liget; è contrà quod simpliciter injustum est validum supponitur, proindèque ligat; hinc absolutio necessaria est.

Notandum quoque discrimen inter conquerentem de injustâ Censurâ, & conquerentem de justâ, in eo positum, quod Ordinarius compellatur ad absolvendum illum, antequàm audiantur probationes Partium; istum verò non tenetur absolvere, nisi paruerit Mandatis. In posteriori casu esset, qui agnoscens culpam, & proportionem pœnæ cum illâ, quereretur de modo fineque procedendi contra illum.

SECTIO XII.

Quam pœnam incurrant qui communicant cum nominatim excommunicatis & denunciatis?

I. Communicans nominatim excommunicato in oratione vel osculo, vel cum illo comedendo, non Judicis, sed Juris Sententiâ est ligatus. *De Sent. Excomm.* Cap. *Nuper.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 29.

II. Qui nominatim excommunicato communicat scienter in crimine, simili Censurâ ligatus est. *Ibid.* Colligitur.

Scienter in crimine communicare criminoso dicitur, qui nominatim excommunicato consilium impendit, auxilium, vel favorem. *Ibid.* Cap. 29.

III. Serventur Constitutiones contra illos legitimè promulgatæ, qui in crimine præsumunt participare damnato. *In* 6. *De Sent. Excomm.* Cap. *Statuimus.* LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 3. *Conc.* TRIBURIENSE. *an.* 895. *Can.* 2. TOM. IX. CONC. *p.* 441. In eo referuntur qui vetant communicare cum excommunicatis; penultimus illorum excommunicandum jubet sic communicantem; desumitur è *Conc.* ANTIOCH. mox citando.

IV. Cum excommunicatis non licet communicare. *Conc.* ANTIOCHE. *Can.* 2. *med. an.* 341. *Conc* BRACAR. II. *ann.* 563. *Cap.* 15. TOM. V. CONC. *p.* 841. Eidem condemnationi subjicit communicantem cum excommunicato pro crimine *Conc.* ANTISSIODOR. *an.* 578. *Can.* 38. 39. TOM. V. CONC. *p* 960. Eamdem pœnam ferunt contra eumdem *Conc.* RAVANNENS. *an.* 878. *Statut.* 9. TOM. IX. CONC. *p.* 301. Quod privat ipso facto Communione Eucharistiæ qui animo favendi communicat cum excommunicato.

Vide *De Bigamis non Ordin.* Cap. *Nuper. in init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 21. Cap. 4.

V. Qui scienter ei communicant qui cum participibus suis est vinculo Excommunicationis sententialiter innodatus, tunc & ipsi Sententiam Excommunicationis incurrunt *Ibid.* Cap. *Quod in dubiis.* LIB. V. *Tit.* 39. Cap. 30. *fin.* § *Illi.*

VI. Si quis frater aut palàm aut absconditè cum Excommunicato fuerit locutus, aut junctus Communione, statim cum eo pœnam Excommunicationis contrahat. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 28. *Si quis fortè. Isidorus.*

VII. Illi qui nominatim Excommunicatis præsumptuosè participant, præter personas à Canone *Quoniam multos* annotatas, nisi ab eorum participatione commoniti fortè destiterint, Excommunicationis Majoris vinculo sunt innodandi. *Ibid.* §. *Illi autem. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 30. CAUS. XI. QUÆST. VIII. *Cap.* 103. *Sup. Sess.* inter *Decreta* EUGENII *Papæ* II. anno circa 824. *Cap.* 1. TOM. VII. *p.* 1541.

VIII. Qui communicaverit vel oraverit cum Excommunicatis, si Laicus est, excommunicetur; si Clericus, deponatur. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 19. *Qui communicaverit.* Vide *Ibid.* Cap. 38.

IX. Sanctis Canonibus cautum constat, ut qui excommunicatis communicaverit, excommunicetur. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 110. *Sanctir. init.*

X. Illis qui excommunicatorum participatione se reos esse cognoscunt, consideratâ temporis morâ, quo in eadem nequitiâ perdurarunt, & inquisito si excommunicatis timore vel affectione communicaverint, scienter vel ignoranter, est pœnitentia indicenda. *De homicidio.* Cap. *Sicut dignum.* §. 7. *Illis prætereà.* LIB. V. DECR. *Tit.* 12. Cap. 6.

XI. Nullus omninò nominatim excommunicato scienter communicare tenetur, nisi quædam personæ quæ per illud GREGORII Papæ Capitulum, *Quoniam multos*, specialiter excusantur. *De renunciatione.* Cap. *Quod in dubiis. med. in init.* LIB. I. DECR. *T.* 9. Cap. 8.

XII. Illi Majorem Excommunicationem incurrunt, qui Excommunicatis communicant, in iis rebus per quas ipsi Excommunicationem meruere.

XIII. Qui in contemptum Ecclesiasticæ Disciplinæ, videlicet contra prohibitionem Superioris, communioni excommunicatorum pertinaciter se ingesserit, in eo casu est Anathemate feriendus. *De Clerico excommunicato.* Cap. *Si celebrat.* §. *Peccat. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 27. Cap. 20.

XIV. Si quis cum excommunicato, vel in domo unà precatus fuerit, is segregetur. *Can.* APOST. *Can.* 10. Vide *Epist.* 12. PASCHALIS II. TOM. II. CONC. *p.* 645.

XV. Hi qui ab Ecclesia fuerint separati ab Episcopis non sint recipiendi. *Conc.* CÆSAR-AUGUSTANUM. *ann.* 389. *Can.* 5. Ubi etiam prohibet ne illis detur Communio.

XVI. Participans cum excommunicatis in locutione & aliis, ligatur Excommunicatione Minori. *In* 6. *De Sent. Excom.* Cap. *Statuimus. init.* LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 3.

XVII. Qui excommunicato in locutione vel Oratione scienter communicat, tantùm à Sacramentorum participatione est remotus. *De Exceptionib.* Cap. *A nobis.* LIB. II. DECR. *Tit.* 25. Cap. 2.

XVIII. Nullus Judicum participantes cum excommunicatis ab eo, in locutione & aliis, quibus ligatur participans Excommunicatione Minori, ante monitionem Canonicam, excommunicare Majori Excommunicatione præsumat. *In* 6. *De Senten. Excomm.* Cap. *Statuimus. init.* LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 3.

XIX. Si ex locutione & aliis, quibus participans labitur in minorem, excommunicatus fortiùs indurescat, poterit Judex post monitionem Canonicam, hujusmodi participantes consimili damnare Censurâ. *Ibid.* §. *Quod si.*

XX. Aliter in participantes Excommunicatio prolata non teneat, & proferentes pœnam legitimam poterunt formidare. *Ibid. fin.*

XXI. Ita demùm est monitio Canonica in hoc casu, si aliis ritè servatis, eos qui monentur exprimat nominatim. *Ibid. In* 6. *De Sent. Excom.* Cap. *Constitutionem.* LIB. V. DECR. *Tit.* 11. Cap. 9.

XXII. Participantes Excommunicatis eâ participatione quæ solùm Minorem Excommunicationem inducit, non licet etiam Suspensionis & Interdicti Sententiis ligare, monitione Canonica non præmissâ, & eadem Senten-

Sententiæ non tenent aliter promulgare. *In 6. De Sent. Excomm.* Cap *Statutum.* Lib. V. *Tit.* 11. Cap. 13.

XXII. Qui cum Excommunicato scienter communicaverit, Excommunicationis pœnam contrahit cum eodem. *De Sentent Excomm.* Cap. *Cùm desideret. §. Cui. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Quæst. XV.

XXIII. Ligatus vinculo Minoris Excommunicationis, potest socium eadem Censurâ ligatum absolvere. *De Sentent. Excomm.* Cap. *Duobus. Glossa* colligit. Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 56.

XXIV. Duobus collata potestas, ut à minori Excommunicatione, si in ipsam inciderint, invicem se absolvant, utroque ligato vinculo Excommunicationis, hujusmodi non expirat. *Ibid.*

XXV. Qui præsentibus majori Excommunicatione notatis, scienter celebrare præsumit, licet in hoc temerariè agat, Irregularitatis tamen laqueum non incurrit. *In 6. De Sentent. Excommun.* Cap. *Is qui.* Lib. V. *Tit.* 11. Cap. 18.

XXVI. Si celebrat minori Excommunicatione ligatus, licet graviter peccet, nullius tamen notam Irregularitatis incurrit, nec eligere prohibetur. *De Clerico Excomm.* Cap. *Si Celebrat.* Lib. V. Decr. *Tit.* 27. Cap. 10. Et in electione ex eo non fuit defectus, quod quidam interfuerunt Electioni, qui ex sola participatione, in simplicis Excommunicationis laqueum inciderunt. *De Elect.* Cap. *Illa. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 39.

Rarissima est Excommunicatio minor, proveniens ex prædictâ communicatione, quia rarò excommunicati denunciantur, ideòque impunè frequentati possunt; secùs de Excommunicatione majori, quæ nascitur ex participatione cum excommunicatis in crimine, cùm hæc non pendeat à denunciatione, & incurritur quoties quis excommunicatur à Jure vel ab homine cum suis participibus.

SECTIO XIII.

Quinam actus facti ab excommunicatis non valeant?

I. Prolatio Sententiæ ab excommunicato facta non valet. Vide *De Sentent.* Cap. *Ad probandum. in init.* & Gonzal. Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 24.

II. Si Majores per quos Communitas regitur, sint Excommunicationis Sententiâ innodati; & sint illi in Literis procurationis expressi; vel aliàs eorum autoritate Procuratoris institutio facta fuerit, aut sciens eos esse tales ipsa Communitas unà cum eis constituerit eundem, non est Procurator hujusmodi repellendus. *De Procuratoribus.* Cap. *Consulti.* Lib. I. Decr. *Tit.* 38. Cap. 15.

III. Excommunicatus conveniri potest, & debet per alium in judicio respondere, ne videatur de malitiâ suâ commodum reportare. *De Judiciis.* Cap. *Intelleximus.* Lib. II. Decr. *Tit.* 1. Cap. 7.

IV. Qui excommunicatus erat, cum procurationis Officium assumpsit, non est tanquàm Procurator admittendus. *De Probationibus,* Cap. *Post cessionem.* Lib. I. Decr. *Tit.* 29. Cap. 7.

V. Vinculo Excommunicationis adstricto, legitima defensio in judicio reservatur, & maximè Judicis recusatio, cùm periculosum sit coram suspecto Judice litigare; undè in talibus non excommunicati favor attenditur, sed æquitas judicantis, cùm non debeat claudicare Judicium. *De Exceptionib.* Cap. *Cùm inter. §. Inquisitioni.* Lib. II. Decr. *Tit.* 25. Cap. 5.

VI. Cùm Excommunicato, quandò in causa Absolutionis existit, non sit justa deneganda Sententia; nec interdici debeat eidem Appellationis remedium, si contrà justitiam condemnetur; quâ ratione in uno eodemque negotio ipsi alia legitima subtrahantur suffragia. *Ibid. §. Porrò.*

VII. Non sic in reconventione sentiendum est; ne quod in defensionis remedium sustinetur, ad impugnationis materiam extendatur. *Ibid.* §. ult. *Ceterùm.* Excipe casum in quo reconventio est species defensionis.

VIII. Exceptio Excommunicationis opposita alicui & probata, eum repellit ab agendo. *De Exceptionibus.* Cap. *Dilecti.* Lib. II. Decr. *Tit.* 25. Cap. 8. Replicatio verò paris Excommunicationis non repellit Actorem à defendendo se, vel Ecclesiam. *Ibid.* Vid. Gonzal. Ratio ultimæ decisionis est, cuilibet defensio est permissa.

IX. Si Judices interloquantur, quod priùs probationes recipiant super tali replicatione Excommunicationis, totum debet revocari in irritum. *De Exception.* Cap. *Dilecti. §. ipsi.* Lib. II. Decr. *Tit.* 25. Cap. 8.

X. Si quis probetur excommunicatus, non est propter hoc à defensione suæ Ecclesiæ repellendus. *Ib.*

XI. Pro defensione suæ Ecclesiæ potest quis opponere exceptionem Excommunicationis, perjurii, vel aliam legitimam exceptionem, nec per replicationem Excommunicationis vel perjurii repelli potest. *Ibid.*

XII. Omnis legitima defensio Excommunicato in Judicio reservatur. *De Exceptionibus.* Cap. *Significaverunt.* Lib. II. Decr. *Tit* 25. Cap. 11.

XIII. Pro eo quod unus ex Judicibus Delegatis, qui eandem Sententiam protulerunt, Excommunicationis vinculo esset publicè innodatus, quandò Sententia lata fuit, eadem est infirmanda. *De Sententia & re jud.* Cap. *Ad probandum.* Lib. II Decr. *Tit.* 27. C. 24.

XIV. Si quis Excommunicationem opponit, speciem illius, & nomen Excommunicatoris exprimat. *In 6. De Exceptionibus.* Cap. *Pia. §. Si quis igitur.* Lib. II. *Tit.* 12. Cap. 1.

XV. Qui à Judicibus ex sufficienti gravamine ad Apostolicam Sedem appellans, ad alios Judices super Appellatione sua Literas Apostolicas reportavit; etsi ex causis aliis tempore impetrati Rescripti vinculo fuerit Excommunicationis adstrictus, de quibus ibi mentio non habetur, ad prosequendam, per easdem Literas, Appellationem est admittendus. *De Exceptionibus.* Cap. *Venerabilem.* Lib. II. Decr. *Tit.* 25. Cap. 14. & ult.

XVI. Excommunicatus publicè, etsi hujusmodi Exceptio non opponitur, nihilominùs est officio Judicis repellendus. *Ibid. De Exceptionibus.* Cap. *Exceptionem. §. ult.* Lib. II. Decr. *Tit.* 25. Cap. 12.

XVII. Qui Excommunicato in locutione vel oratione scienter communicat, Excommunicatum ipsum à suâ potest accusatione repellere; licet ille communionem hujusmodi replicet contrà eum. *De Exceptionib.* Cap. *A nobis.* Lib. II. Decr. *Tit.* 23. Cap. 2. *init.*

XVIII. Rescriptum in causâ appellationis impetratum, non factâ mentione de Excommunicatione, post legitimam Appellationem ex sufficienti gravamine lata, valet; non obstante Excommunicationis exceptione. *De Exceptionibus.* Cap. *Dilectæ. junctâ Rubr.* Lib. II. Decr. *Tit.* 25. Cap. 10.

XIX. Excommunicatus potest appellare, & Appellationem prosequi. *Ibid. Glossa* colligit, & ex *Cap. sequenti* 12. *Significaverant.*

XX. Nihil Excommunicato appellare prodesset, si non posset Appellationem suam prosequi, & super ea Literas impetrare. *Ibid. De Exceptionibus.* Cap. finali. *Venerabilem. §. Quia. fin,* Lib. II. Decr. *Tit.* 25. Cap. 15.

XXI. Prætextu Excommunicationis oppositæ, à prosecutione Appellationis non debet quis excludi. *Ibid. De Exceptionibus.* Cap. *Significaverunt.* Lib. II. Decr. *Tit.* 25. Cap. 11.

XXII. Exceptionem Excommunicationis in dilatoriis proponendis Reus scienter omittens, in qualibet parte litis opponere minimè prohibetur; quod est in hac exceptione specialiter observandum, ne quispiam in periculum animæ suæ Excommunicato communicare cogatur. *Ibid. De Exceptionibus.* Cap. *Exceptionem.* Lib. II. Decr. *Tit.* 25. Cap. 12. *init.*

XXIII. Is qui antè Absolutionem se offert in Judicio probaturum se post Appellationem legitimam Excommunicatione innodatum; vel intolerabilem errorem

in

in Sententia fuisse patenter expressum; si ad probandum admittitur, pendente probationis articulo in cæteris quæ ut Actor in Judiciis attentaverit, interim evitetur. *In 6. De Sentent. Excom.* Cap. *Solet. §. 2. In secunda.* Lib. V. *Tit.* 11. Cap. 2.

XXIV. Extra judicium verò in officiis, postulationibus, ac aliis legitimis actibus, nihilominùs admittatur. *Ibid. fin.*

XXV. Nulli Excommunicationem possunt objicere alicui; cùm super hoc nec commonitus nec impetitus fuerit. *De Sent. Excom.* Cap. *In præsentia.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 46.

Qui propter Excommunicationem non duxerunt aliquem evitandum, sed in mensa & etiam in Divinis ei communicaverint, Excommunicationem ei non possunt objicere. *Ibid. fin.*

XXVI. Cùm de absolutione excommunicati, & & communione Episcopi cum ipso, in Ecclesia & in mensa, fuerit facta fides; valent actus ab illo facti. *De Clerico Excom.* Cap. *Proposuit.* §. ult. *Quia verò.* Colligitur. Si Reus qui Actori objicit quod stare non potest in judicio, utpotè vinculo Excommunicationis adstrictus, statim vel intrà terminum competentem non probaverit legitimè quod intendit; Actor permitti debet ut sine offendiculo quolibet audiatur. *De officio & potest Jud. Deleg.* Cap. *Prudentiam §. 6.* Lib. I. Decr. *Tit.* 29. Cap. 20. Ex collectis decisionibus sequitur, quod omnis actus qui sine Jurisdictione validè fieri nequit, nullus est si fiat ab Excommunicato denunciato, idque quia Excommunicatio major, de quâ hic, omni Jurisdictione privat.

SECTIO XIV.

Excommunicatum ab uno non esse recipiendum ab aliis.

I. Si quis Excommunicatum alterius, sive Clericum, sive Sæcularem, recipere post Interdictum præsumpserit, noverit se reum fraternitatis factum. *Concil.* Arelat. II. anno 452. *Canon.* 8. Tom. IV. Concil. *pag.* 1012.

II. Vide *Epistolam* 42. Paschalis II. Tom. X. Concil. *pag.* 671. *Concil.* Remensa anno 1148. *Canon.* 1. Tom. X. Concil. *pag.* 1110.

Manifesta & Ecclesiastica Sanctio continet, ut qui ab uno Episcopo excommunicatus est, ab aliis ei non debeat communicari. *Synod.* Rsgraticina anno 850. *Cap.* 11. Tom. VIII. Concil. *pag.* 66.

III. Ut expulsi Laici, vel quilibet de Clero, pro quibusdam facinoribus, à propriis Episcopis, ab aliis juxtà Canonum Statuta non suscipiantur; ut igne pœnitudinis decocti, misericordiam Domini, prout poterunt, lacrymis fletibusque, sibimet ante mortis obitum acquirant. *Concil.* Tricassinum II. anno 878. *Can.* 5. Tom. IX. Concil. *pag.* 311.

IV. A suis Episcopis excommunicatos ab aliis recipi magnoperè prohibemus. *Concilium* Melphitanum *in Apulia* anno 1089. *Cap.* 15. Tom. X. Concil. *pag.* 477.

V. Nullus Episcopus alterius recipiat excommunicatum *Concilium* Nemaus. anno 1096. *Cap.* 15. Tom. X. Concil. *pag.* 608.

VI. A suis Episcopis excommunicatos, ab aliis Episcopis, Abbatibus, & Clericis, in communionem recipi proculdubio prohibemus. *Concil.* Lateran. anno 1123. *Canon.* 9. Tom. X. Concil. *pag.* 916.

VII. A suis Episcopis excommunicatos, ab aliis suscipi prohibemus omninò. *Concil.* Lateran. *Generale* II. anno 1139. *Canone* 3. Tom. X. Concil. *pag.* 1002.

VIII. Curæ sit omnibus Episcopis excommunicatorum omnium nomina, tàm Episcopis vicinis, quàm suis Parrochianis pariter indicare, ea quæ in celebri loco Prætoribus Ecclesiæ omnibus convenientibus inculcare, quatenùs in utraque diligentia & excommunicatis Ecclesiasticus aditus excludatur, & excusationis causa omnibus auferatur. Causa XI. *Canon.* 20. Quæst. III. Honorius circa annum 630.

IX. De illis qui de loco ad locum iter faciunt, & rapinas & deprædationes peragunt, excommunicentur, quorum Excommunicatio seniori eorum, & proprio Episcopo significanda est, ne eos recipiant ante satisfactionem. *Cap.* 1. *De Rapt. Concil.* Meld. Vide Gonzalem.

X. Ad reprimendam malitiam perversorum, pœnæ certæ sunt in Canonibus constitutæ, quæ sicut latæ à vobis in subditos vultis inviolabiles observari, ita latas ab aliis debetis inviolabiliter observare. *Cap.* 8. *De officio Jud. Ordin.* loquitur speciatim de Excommunicatione. *Vid. Gonzalem in 5. & 7.* ubi plures Canones colligit idem præcipientes.

Collectorum Textuum ratio generalis est, quod Censuræ sunt pœnæ Ecclesiæ Universalis, privantes ejus Communione; hinc est quod excommunicati, suspensi, interdicti ab uno Episcopo, ut tales habendi sint ab aliis.

SECTIO XV.

An, & quomodo excommunicatus sibi possit ante vel post latam Sententiam consulere, & quando sit audiendus?

I. Cuilibet excommunicato defensionis auxilium competere dignoscitur. *De Exceptionibus.* Cap. *Dilecte. post med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 25. Cap. 10.

II. Post appellationem excommunicari nemo potest. *De appellationibus.* Cap. *Ad hæc.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 37. Qui verbo, vel facto, ante latam Excommunicationis Sententiam provocavit, dictæ Excommunicationis vinculo non tenetur. *Ibid. De appellationibus.* Cap. *Dilecti. §. Cùm autem.* Cum *Glossa.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 52.

III. Omnis legitima defensio excommunicato in Judicio reservatur. *Ibid. De Exceptionibus.* Cap. *Significaverunt. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 25. Cap. 12.

IV. Quod si aliquis se reclamaverit quod injustè sit excommunicatus, licentiam habeat ad Metropolitanum Episcopum venire, & ibidem, secundùm Canonicam Institutionem, dijudicetur; interim suam Excommunicationem custodiat. *Concil.* Vernensa anno 755. *Canon.* 8. Tom. VI. Concil. *pag.* 1667.

V. Sententia post appellationem legitimam promulgata irrita est, & inanis. *Ibid. De appel.* Cap. *Dilectis. §. Quia verò.* Lib. II. Decr. *Tit.* 28. Cap. 55.

VI. Proponens post appellationem legitimam, Sententiam Excommunicationis in se latam fuisse, audiri debet, ac revocandum est in statum debitum, quicquid post hujusmodi appellationem invenietur attentatum. *Ibid.* Cap. *Dilecta. §. Quocircà.* Cap. 10. Cùm post appellationem legitimam Sententia lata fuerit, nulla est. *Ibid.* Colligitur.

VII. Si Judices, legitimâ appellatione contemptâ, Excommunicationis Sententiam tulerint, dicta Excommunicationis Sententia denunciari debet penitùs nulla esse. *De Arbitris.* Cap. *Innotuit.* Lib. I. Decr. *Tit.* 43. Cap. 11. *fin.*

VIII. Si constiterit aliquem, antequàm Episcopus in eum Suspensionis, vel Excommunicationis, & Interdicti Sententias tulerit, legitimè appellasse, judicandum est illas Sententias non tenere. *De Religiosis Domibus.* Cap. *Cùm Dilectus.* Lib. III. Decr. *Tit.* 36. Cap. 8.

IX. Excommunicationis Sententia post appellationem legitimam promulgata, per negligentiam appellantis, appellationem suam minimè prosequentis, non ratificatur, nec etiam convalescit. *In 6. De Sent. Excomm.* Cap. *Licet. init.* Lib. V. *Tit.* 11. Cap. 14.

X. Si Judex ita protulerit Sententiam, nisi Sempronio intrà viginti dies satisfeceris, te Excommunicatum vel suspensum aut interdictum esse cognoscas, & ille in quem fertur Sententia medio tempore

tempore appellans ad diem statutum minimè satisfecerit, hujusmodi Sententiam appellationis obstaculum debet impedire. *De Appellat.* Cap. *Prætereà.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 40.

XI. Excommunicato interdicti non debet Appellationis remedium, si contra justitiam condemnetur. *De exceptionibus.* Cap. *Cùm inter.* §. *Porrò. post init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 25. Cap. 5.

Excommunicato, quando in causâ absolutionis existit, non est justa deneganda Sententia. *Ibid. init.*

XII. Qui ab Episcopo ex Ecclesia ejicitur, facultatem habeat confugiendi ad Episcopum Metropolis ejusdem Provinciæ. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 4. *Osius.*

XIII. Excommunicationis Sententia per Appellationis non suspenditur objectum. *De Officio Jud. Ord.* Cap. *Ad reprimendum.* §. *Tu verò.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. *Cap.* 8.

XIV. Cùm aliquis per Superiorem absolvi postulat ad cautelam, dum in se latam Excommunicationis Sententiam asserit esse nullam, absolutio non negetur, quamvis in hoc excommunicator vel adversarius se opponat, nisi eum excommunicatum pro manifesta dicat offensa. *In 6. De Sent. Excom.* Cap. *Solet.* §. *In prima. init.* LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 2. *Dicenti.*

XV. Excommunicato pro manifesta offensa terminus octo dierum indulgebitur, ut si probaverit quod opponit, non relaxetur Sententia, nisi priùs sufficiens præstetur emenda, vel competens cautio de parendo Juri, si offensa dubia proponatur. *Ibid. fin.*

XVI. Si excommunicatus deponat querelam apud Archiepiscopum, vel ejus Officialem, de Suffraganeo, ut imponatur ei pœna, & pro suo interesse, super injustâ Excommunicatione, audire debent eum. *In 6. De Sent. Excomm.* Cap. *Venerabilibus.* §. *Sed si.* LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 1. *init.*

XVII. Si excommunicatus conqueratur apud Archiepiscopum de Suffraganeo, ut relaxetur hujusmodi Sententia contra se, ab eo, seu ad instantiam alterius, pro alio promulgata; quoniam tueri hanc causam non ad ipsum Suffraganeum spectat, sed ad eum pro quo est Sententia lata, audiri non debet. *Ibid.*

XVIII. Si Suffraganeus vel extra Judicium pro suorum defensione jurium, vel etiam in judicio, ex suo procedens Officio, inquirendo videlicet vel quid agendo, aliquem excommunicet; in hoc casu conveniendus est ipse Suffraganeus coram Archiepiscopo vel ejus Officiali, quia ipsius interest defendere causam suam. *Ibid. fin.*

XIX. Si quis ad Excommunicationem cujusquam, absque manifestâ & rationabili causâ, forte processerit, & requisitus humiliter processum hujusmodi non curaverit absque gravamine revocare, gravatus apud Superiorem deponat de injustâ Excommunicatione querelam. *De Sent. Excomm.* Cap. *Sacro.* §. *Caveat.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 48.

XX. Si Superior absque periculo moræ potest, ad excommunicatorem illum cum suo mandato remittat, intrà competentem terminum absolvendum, alioquin ipse per se, vel per alium, prout viderit expedire, sufficienti cautione receptâ, munus ei absolutionis impendat. *Ibid.*

XXI. Si quis probat per testes quod post Appellationem, Excommunicationis Sententia lata fuerit, & Adversarius probet per alios testes, quod ante Appellationem fuerit lata, quia utrumque esse potuit, & quod post primam Appellationem, & ante secundam lata fuerit eadem Sententia; decernenda est non tenere. *De Testibus.* Cap. *Cùm tu.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 26. Probatio per testes hoc in casu nunc non reciperetur, saltem in Galliâ.

XXII. Si excessus in Clericum publicus non sit & notorius, & Rei appellent; Judex debet eos Ecclesiasticâ Censurâ compellere, ut infra conveniens tempus, appellationem interpositam prosequantur. *De Appel.* Cap. *Pervenit.* §. *Fraternitati.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 13. Satiùs esset, ut terminus à lege præfigeretur, relictâ Judici facultate illum producendi in casu impedimenti.

XXIII. Si aliqui, quos manifestum sit & notorium injecisse manus violentas in Clericum, appellaverint, eidem Appellationi non est aliquatenus deferendum. *De Appellat.* Cap. *Consuluit.* §. *Consultati. init.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 14. Sed priùs probanda notorietas.

XXIV. Qui, sicut moris est, præstito juramento, absolvi meretur, & antequàm ei mandetur aliquid, vel mandato recepto, causâ subterfugii, appellaverit, Appellationi, quæ juramento ejus debeat derogare, non est in aliquo deferendum; sed statim erit in eandem reducendus Sententiam, quæ donec mandatum susceperit, & susceptum pro posse fuerit prosecutus, debet firmiter observari. *De Appellat.* Cap. *Quæstioni.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 21. Fraudi obviandum.

XXV. Sententias Interdicti vel Suspensionis seu Excommunicationis in appellantem, ab eo Episcopo à quo appellatum proponitur, promulgatas, Archiepiscopus, vel ejus Officialis nullatenus, nisi vocatis Partibus, & de Appellatione legitimè cognito, revocent, aut denuncient esse nullas. *In 6. De Appell.* Cap. *Romana.* §. 9. LIB. II. *Tit.* 15. Cap. 3. Inauditus nemo judicandus.

XXVI. Ille Episcopus qui jure vel injuriâ aliquem ejecit ex Ecclesia, generosè ferre debet causam cognosci, ipsiusque Sententiam vel confirmari vel corrigi. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 4. *Osius.*

XXVII. Priusquàm omnia diligenter & fideliter examinentur, eum qui fuerit à Communione separatus, ante cognitionem causæ, nullus alius debet præsumere ut communioni societ. *Ibid. fin.*

XXVIII. Si quis excommunicatus ab Episcopo, de injustâ fuerit Excommunicatione Archiepiscopo conquestus, ad ipsum ei, quasi Coepiscopo suo, deferens, absolvendum, secundum Ecclesiæ formam, debet Archiepiscopus remittere. *De Officio Jud. Ordin.* Cap. *Ad reprimendam.* §. *Tu verò.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. Cap. 8. Excipiendus videtur casus manifestæ injustitiæ, quo remissio est nova vexationis occasio.

XXIX. Si Episcopus noluerit ipsum absolvere, Archiepiscopus, receptâ juratoriâ cautione, absolutionis munus ei poterit exhibere, ita tamen quod nisi legitimè ipsi constiterit, eum contra justitiam excommunicatum fuisse, ex debito sibi juramenti præcipiat ut super eo de quo fuerit Excommunicatione notatus, eidem Episcopo satisfaciat competenter. *Ibid.*

XXX. Si taliter absolutus id facere contempserit, Archiepiscopus eum in Excommunicationis Sententiam, Appellatione remotâ, reducere non omittet. *Ibid. fin.* De jure est hujusmodi reincidentia, quia conditionalis erat absolutio, ac justum est ut conditione non impletâ, Excommunicatio revertatur.

Summa horum Textuum est 1°. Quod excommunicato appellationis defensio non est neganda. 2°. Excommunicatio lata post Appellationem nulla est. 3°. Petenti absolutionem ad cautelam concedenda, nisi probetur ipsum pro manifestâ offensa excommunicatum. 4°. Conquerens apud Archiepiscopum, se à suo Episcopo injustè excommunicatum, istumque petitam absolutionem renuisse, remittendus ad Episcopum, intrà præscribendum tempus absolvendus, si constiterit Excommunicationem esse injustam, vel nullam, & fieri possit absque periculo. 5°. Absolutus sub conditione, eâ non impletâ, in Excommunicationem reducendus. 6°. Appellanti ab injusta Excommunicatione præfiniendum tempus intra quod Appellationem prosequatur; nisi notorius sit excessus, quo casu non audiendus. 7°. Si excommunicatus nisi quid præstiterit intrà mensem aliudve tempus, appellaverit ante lapsum termini, eo etiam non præstito intra illud, non incurrit Excommunicationem.

SECTIO XVI.

A quo absolvi debeant excommunicati?

I. Est genus Excommunicationis, cujus absolutio Sedi Apostolicæ reservatur. *De officio & potestate Judicis Delegati.* Cap. *Prudentiam.* LIB. I. DECR. *Tit.* 29. Cap. 21. *§. Cæterum. fin.*

II. Nulla est reservatio in articulo mortis; atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis Censuris absolvere possunt. *Concil.* TRID. SESS. XIV. Cap. 7.

III. Qui nominatim excommunicato communicat scienter in crimine, ei consilium impendendo, auxilium, & favorem; cùm talis communicet crimini, & participet criminoso, ac per hoc ratione damnati criminis videatur in eum delinquere, qui damnavit; ab eo vel ejus Superiore meritò delicti tunc erit absolutio requirenda. *De Sent. Excom.* Cap. *Nuper. §. In primo.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 29.

IV. Si difficile sit ex aliquâ justâ causâ quod ad ipsum Excommunicatorem absolvendus accedat; concessum est ut præstitâ, juxta formam Ecclesiæ, cautione quod excommunicatoris mandato parebit, à suo absolvatur Episcopo, vel proprio Sacerdote. *Ibid. fin. §. Is autem.*

V. Qui nominatim excommunicato communicat, in oratione vel osculo, aut orando secum, aut etiam comedendo, à suo Episcopo, vel à proprio Sacerdote, poterit absolutionis beneficium obtinere. *Ibid. §. In secundo init.*

VI. Quando conditor Canonis excommunicati absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi. *Ibid. fin.*

VII. Si qui irretiti peccatis reservatis, antequàm ab eo qui potestatem habet, absolvi possint, ac mors talium confiteri volentium verisimiliter timeatur, etiam Regulares eos confiteri volentes audiant, ipsisque Beneficium absolutionis impendant, sed subeant juramentum quod liberati se suis Episcopis & Excommunicatoribus præsentabunt; excommunicantium super his pro quibus ab eis excommunicati erant, & Episcoporum pro peccato hujusmodi, pariturі mandatis. EXTRAVAG. COMMUNIUM. *De Privilegiis.* Cap. *Inter cunctas. §. 7. Incendiarios.* fin. LIB. V. *Tit.* 7. Cap. 1.

VIII. Interdicti, Suspensionis, vel Excommunicationis Sententias latas, ab Officialibus Archidiaconorum, seu quibuslibet aliis Jurisdictionem habentibus, Suffraganeorum Metropolitanæ Ecclesiæ subditis, Archiepiscopus & ejus Officiales, omissis ipsis Excommunicatoribus, non relaxent, salvâ contrariâ consuetudine, si quam habent. *In 6. De Sent. Excom.* Cap *Romana.* LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 5.

IX. Si Episcopus antè damnati absolutionem obitu rapiatur, correctum aut pœnitentem Successori licebit absolvere. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 40.

X. Archiepiscopo vel ejus Officiali non licet excommunicatis, ab Archidiaconis vel aliis subditis Suffraganeorum ipsius Archiepiscopi, cùm nec Excommunicantium, nec Excommunicatorum sint Judices, absolutionis beneficium impertiri. *Ibid.* Cap. 7. *Venerabilibus. init.*

XI. Archiepiscopus vel ejus Officialis, excommunicatos ab ipsis Suffraganeis vel eorum Officialibus, possunt absolvere, si ab ipsis litigantibus ad eos fuerit provocatum. *Ibid.*

XII. Neutrâ Partium appellante, si quæ ipsarum per Archiepiscopum, vel ejus Officialem ab Excommunicatione contrà eam latâ pro reliqua postulet absolvi; vel aliàs coram eis de Parte Adversa querimoniam sine appellationis interpositione deponat, non est in hoc ab ipsis audienda. *In 6. De Sententia Excom.* Cap. *Venerabilibus.* LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 7.

XIII. Ab excommunicato qui contra Statuta Concilii Generalis, asserit se ligatum, Litteris ad Excommunicatorem obtentis, ut si est ita, sine difficultate absolvat eundem, & aliis denunciatis Judicibus, qui, eo non parente, Mandatum Apostolicum exequantur, non excommunicatori, qui de facto suo certus esse debet, licet in hoc deferatur eidem, sed illis cognitio demandatur. *De Rescriptis.* Cap. *Ab excommunicato.* LIB. I. DECR. *Tit.* 3. Cap. 41.

XIV. Si vel ex confessione Actoris, vel alio quolibet modo, legitimè constiterit Actorem esse vinculo Excommunicationis adstrictum, secundùm formam Ecclesiæ valet absolvi. *De Officio & potest. Judicis Deleg.* Cap. *Prudentiam. §. Cæterum.* LIB. I. DECR. *Tit.* 29. Cap. 21.

XV. Episcopali Sede vacante, potest Capitulum, seu is ad quem Episcopalis Jurisdictio tunc temporis noscitur pertinere, iis quibus posset Episcopus, si viveret, ab Excommunicationis Sententia, sive juris, sive hominis fuerit, absolutionis beneficium impertiri; nisi fuerit ei à Sede Apostolica specialiter interdicta potestas. *In 6. De Majoritate & obedientia* Cap. 1. LIB. I. *Tit.* 17. *Cap. unico.*

XVI. Si Actor propter aliam justam causam & evidentem, ab Ordinario Judice vel Delegato excommunicatus fuit, ad Excommunicatorem debet absolvendus remitti. *Cap.* 21. *De Off. Deleg.*

XVII. Si qui pro contumacia, vel alia qualibet causa, his cessantibus absolvi debeant quàm citò commodè poterunt, contempserint præsentare, mandatum ipsius super illis, pro quibus excommunicati fuerunt, humiliter recepturi, & satisfacturi, prout justitia suadebit, in eandem Sententiam recidunt ipso jure. *In 6. De Sentent. Excom.* Cap. *Eos qui.* LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 22.

SECTIO XVII.

Quid sit absolutio ab Excommunicatione? & quomodo fieri debeat ab eo qui recepit Mandatum Apostolicum?

I. Illud vinculum quo ligatus est apud Ecclesiam, qui Ecclesiasticâ est Sententiâ innodatus, cùm Sententia remittitur, relaxatur. *De Sent. Excom.* Cap. *A nobis* §. 1. *Nos igitur.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 28.

Absolutionis exemplar JOANNES VIII. *Epistolâ* 258. TOM. IX. CONCIL. *pag.* 186. In illo duo notanda, 1o. Quod excommunicatus absolvatur eâ lege ut satisfaciat. 2o. Quod neglectâ satisfactione intrà terminum præscriptum, in Excommunicationem recidat usque ad satisfactionem. *Concil.* QUINTILINSBURGENSE anno 1085. *Cap.* 1. 2. TOM. X. CONCIL. *pag.* 405. Insinuat omnem excommunicatum à Prælato suo, absolutione indigere, etsi error intolerabilis sit in Excommunicatione, quod adversatur *Cap.* 40. *De Sent. Excom.*

II. Absolutionis forma servetur, ut fiat cùm Pœnitentiali, Psalmo, & tàm Oratione Dominicâ, quàm aliâ consuetâ. *Cap.* 28. *De Sent. Excom. §.* penult. *Absolutionis. De absolutione mortuorum.*

III. Illorum absolutio non tenet, qui occultatis excessibus, pro quibus excommunicati fuerant, absolutionis beneficium per Sedem Apostolicam meruerunt, suæ Excommunicationis causam aliam prætendentes. *De officio Jud. Ordin.* Cap. *Ex parte. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. Cap. 5.

IV. Ex certâ scientiâ debet absolutio impetrari, non per subreptionem. *De Sentent. Excom.* Cap. *Si aliquando. Glossa* colligit. LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 41.

V. Si Episcopo constiterit, aliquos ita occultatis excessibus, absolutionis beneficium per Sedem Apostolicam meruisse, debet eos Ecclesiasticâ Censurâ compellere ad Sedem Apostolicam redire. *Ibid.*

VI. Suppri-

VI. Supprimenti veritatem absolutio Excommunicationis subrepta non prodest. *Ibid.* Cap. *Officii.* §. *Super.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 42.

VII. Absolutionis beneficium ab Excommunicationis Sententia, vel quæcumque revocatio ipsius, aut Suspensionis, seu etiam Interdicti, per vim vel metum extorta, omninò irrita est. *In 6. De his quæ vi* &c. Cap. 1. *Absolutionis. init.* LIB. I. *Tit.* 20. Cap. unico.

VIII. Si de subreptione Episcopo non constiterit, & eos suspectos habuerit quod confessi non fuerint veritatem, ipsos compellere debet exindè coram se, quod veritatem confessi fuerint purgationem præstare. *Cap.* 5. *De Off. Ordin.*

IX. Qui ex necessitate aut ignorantia cum excommunicatis communicant, facile absolvi possunt. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 103 *Excellentissimus. fin.*

X. Qui ex studio & contemptu communicant cum excommunicatis, nonnisi dignâ satisfactione præveniente, debent absolvi. *Ibid. fin.*

XI. Damnationis Sententiam quicumque meretur accipere, si in suo sensu voluerit permanere, nullus relaxare poterit. CAUS. XXIV. QUÆST. II. *Cap.* 5. *Damnationis.*

XII. Excommunicato munus absolutionis, si petierit, juxta formam Ecclesiæ impendi debet. *De eo qui duxit &c.* Cap. *Significasti.* §. 2. *Nos igitur. fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 7. Cap. 6.

XIII Qui absolvitur ab Excommunicatione, Literas suæ absolutionis obtineat, ad cautelam futurorum. *De Clerico excommunicato.* Cap. *Proposuit. Glossa* colligit. LIB. V. DECR. *Tit.* 27. Cap. 8.

XIV. Recepta ab Excommunicato sufficienti cautione, quod Ecclesiæ debeat parere mandato, absolvitur. *De Jurejurando.* Cap. *Ad nostram.* §. *Ideoque. init.* LIB. II DECR. *Tit.* 24. Cap. 7.

Si quis Interdicto vel Excommunicatione tenetur adstrictus & offert se ad justitiam, de his, pro quibus Sententiam excepit, Judex eum, ne in Excommunicatione decedat, absolvere poterit; etiamsi Pars Adversa, ne absolvatur, appellationis obstaculum interponat. *De Appellat.* Cap. *Qua fronte.* §. 1. *Sanè.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 25.

XV. Excommunicatus à Delegato Papæ non potest, sine mandato sui Pontificis, per alium, præterquàm in mortis articulo, absolutionis gratiam obtinere; nisi forsan Delegatus talis extiterit, cui alius succedat in onere & honore. *De Off. Jud. Ord.* Cap *Pastoralis.* §. 2. *Præterea. med.* LIB. I DECR. *Tit.* 31. Cap. 11.

XVI. Si Ordinarius vel Delegatus Judex malitiam adhibuerit, Delegati Judices pro principali causa, id ritu Ecclesiastico libere exequantur, dummodò non sit tale genus Excommunicationis illius, cujus absolutio Sedi Apostolicæ reservatur. *Cap.* 21. *De Offic. Deleg.*

XVII. Ab ipso tamen ante absolutionem sufficiens cautio recipi debet, quod coram Judice, ad cujus audientiam appellatur, juris pateat æquitati. *Ibid. fin.*

XVIII. Si Episcopus obitu rapitur ante damnati absolutionem, correctum aut pœnitentem Successori licebit absolvere. CAUS. XI. QUÆST III. *Cap* 40 *Si Episcop.*

XIX. Nulli, salvâ Legatorum Sedis Apostolicæ autoritate, cui commissum fuerit ab Excommunicatione absolvere aliquos, licet hoc aliis demandare; quia non sibi Jurisdictio, sed certum ministerium potiùs committitur in hac parte. *De Officio & potestate Jud. Deleg.* Cap. *Quoniam.* §. ult. *Cæterum. fin* LIB. I. DECR. *Tit.* 29. Cap. 41. *quod est ultimum.*

XX. Presbyter quilibet in necessitate potest absolvere à qualibet Excommunicatione. *De Sepulturis.* Cap. *Parochiano. Glossa* colligit. LIB. III. DECR. *Tit.* 26. Cap. 14. & *De Raptoribus.* Cap. *In Literis. Glossa* etiam colligit. LIB. V. DECR. *Tit.* 17. Cap. 5.

XXI. Similiter hi quibus, cùm à Sede Apostolica, vel à Legatis ipsius, absolutionis beneficium, à quibusvis Sententiis consequuntur, injungitur, ut Ordinariorum suorum, vel aliorum quorumlibet suscepturi pœnam, ab eisdem, se conspectui repræsentent, & passis injuriam, seu his quibus propter hoc obligati existunt, satisfactionem exhibeant competentem, si hæc, cùm primùm commodè poterunt, non curaverint adimplere, in eandem Sententiam recidunt *In 6. De Sententia Excom* Cap. *Eos qui* §. *Idem.* LIB. V. DECR. T. 11. Cap. 22.

XXII. Cum Papa Excommunicationis Sententiam, nisi forsan in mortis articulo, sine speciali mandato suo à quoquam non vult relaxari; nec etiamsi præsumpta fuerit contrà hoc absolutio, quicquam habebit firmitatis. *De Crimine falsi.* Cap. *Dura.* §. *Adjicientes. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 20. Cap. 4.

XXIII. Eos, qui a Sententia Canonis vel hominis; (cùm ad illum à quo alias de jure fuerunt absolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum; aut aliud impedimentum legitimum, pro absolutionis beneficio habere recursum) ab alio absolvuntur, si cessante posteà periculo vel impedimento hujusmodi, se illi, a quo absolvi debebant, contempserint præsentare, decernimus in eandem Sententiam recidere ipso jure. *In 6. De Sent. Excom.* Cap. *Eos qui.* LIB. V. *Tit.* 11. *Cap.* 22. *init.*

SECTIO XVIII.

Quid contingat excommunicato qui in Excommunicatione persistit?

I. Excommunicatus quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit, ad Sacramenta & Communionem fidelium ac familiaritatem non recipiatur. *Conc.* TRID. SESS. XXV. DECR. II. *De Ref.* Cap. 3. *fin.*

II. Si obdurato animo Censuris annexus in illis per annum induruerit, etiam contra eum, tanquàm de hæresi suspectum, procedi possit. *Ibid. fin.*

III. Qui per duos annos in Excommunicatione persistens juri parere pertinaciter renuit, Claves Ecclesiæ contemnendo; hujusmodi pertinacia non caret scrupulo hæreticæ pravitatis. *De pœnis.* Cap. *Gravem.* §. *Licet.* LIB. V. DECR *Tit.* 37. Cap. 13. & ult.

IV *Glossa*, verbo, *Hæreticæ pravitatis*, docet id non habere locum, nisi quis Excommunicatus propter suspicionem hæresis; citatque *Cap.* Excommunicationis, *Cap.* 13. *De Hæreticis*, quod præcipit damnandos ut hæreticos, qui excommunicati ob talem suspicionem, per annum in Excommunicatione persistunt; sed hæc *Glossæ* Sententia correcta est per subsequentes Canones sub hoc Titulo collectos.

V. Si quis per annum Excommunicationem sustinuerit, contra eum, tanquàm de hæresi suspectum, procedatur. *Conventus* MELODUNENSIS, *Statutorum*, *Tit.* 31. *De his quæ ad Jurisdictionem forensem pertinent. Art. ult.*

SECTIO XIX.

An, & quando absolvendi sint ad cautelam excommunicati, antequàm audiantur, & à quo?

I. Qui opponit se, post appellationem legitimam interpositam, Excommunicatione fuisse notatum; vel in formâ Excommunicationis intolerabilem errorem fuisse patenter expressum, in his casibus ad probationem eorum, etsi absolutionem non petat, debet admitti. *De Sent. Excom.* Cap. *Per tuas.* §. *Nos igitur. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. *Cap.* 40.

II. Licet aliquis non sit excommunicatus de jure, de facto tamen absolvi potest ad cautelam. *De Appell.* Cap. *Ad præsentiam.* cum *Glossa.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. *Cap.* 16.

III. In dubio absolvitur quis ad cautelam. *De Sent. Excom.* Cap. *Per tuas. Glossa* colligit. LIB. V. DECR. *Tit.* 39. *Cap.* 40.

IV. Apostolica Sedes etiam tales consuevit absolvere ad cautelam. *Ibid.*

V. In aliis casibus, nisi Excommunicatus gratiam Absolutionis imploret, non debet audiri, ne Sententiam Ecclesiasticam contemnere videatur, & per hoc ampliùs ligetur. *Ibid.*

VI. Quod si excommunicatus absolutionis beneficium humiliter postulaverit, Metropolitanus cum debet absolvere, nisi suo duxerit Suffraganeo deferendum. *Ibid.*

VII. Si Suffraganeus tali excommunicato absolutionis beneficium, juxtà formam Ecclesiæ, noluerit exhibere, Metropolitanus ipse eum absolvat, cautione receptâ, quod suo parere velit mandato, ac deindè causam audiat, & quod Canonicum fuerit, Justitiâ mediante, decernat. *Ibid.*

VIII. Si Episcopus subditum suum propter manifestum excommunicaret excessum, Metropolitanus non debet ipsum absolvere, nisi Suffraganeus requisitus maliriose sibi absolutionis beneficium denegaret. *Ibid. fin. De Sent. Excomm.* Cap. *Per tuas.* §. *ult. Nos igitur.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. *Cap.* 40.

IX. Archiepiscopus, vel ejus Officiales excommunicatos à Suffraganeis semper, antequàm causam audire incipiant, in casibus, in quibus eis Jurisdictio competit, juxta Ecclesiæ formam, debent absolvere, ut potè si post definitivam fuerit Excommunicationis Sententia promulgata, & ad eos fuerit appellatum, exceptis casibus in quibus jura prohibent post Sententiam appellare. *In 6. De Sent. Excom.* Cap. *Venerabilibus.* §. 1. *Porrò. init.*

X. Si Suffraganeus extrà Judicium excommunicet aliquem pro ejus offensâ, vel pro sui defensione juris, & super hoc querimoniam ille proponat, est ille primitùs, juxta formam Ecclesiæ, absolvendus; nisi Suffraganeus probaturum se offerat, quod pro manifestâ offensâ, Excommunicationis cum vinculo innodavit. *In 6. De Sent. Excomm.* Cap. *Venerabilibus.* §. 1. *Porrò. post init.*

XI. Si ex causâ legitimâ seu probabili quis appellet, putà quia locus non est tutus; & post appellationem hujusmodi, Excommunicatione ligetur, ac deindè constet Superiori, quod ad ipsum ex tali causâ extitit provocatum, non tamen illicò pronunciate debet Excommunicationis Sententiam fore nullam, sed potest eam ad cautelam, juxtà formam Ecclesiæ, relaxare. *Ibid.* §. 2. *Sed si.*

XII. Si certum est Excommunicationis Sententiam esse justam, velut cùm propter manifestum excessum est in aliquem promulgata; Superior Judex, nisi periculum sit in mora, excommunicatum ad excommunicatorem prorsùs remittere debet, nec debet eum absolvere; nisi excommunicator requisitus malitiose illi absolutionis beneficium deneget exhibere. *Ibid.* §. *Sanè. init.*

XIII. Si constet Excommunicationis Sententiam esse injustam, nequaquàm remittendus est ad suum excommunicatorem excommunicatus, sed debet sine difficultate aliqua mox absolvi. *Ibid.*

XIV. Si dubitetur utrùm justa sit vel injusta Excommunicationis Sententia, Superior Judex, nisi excommunicatori deferat, relaxare, juxtà formam Ecclesiæ, potest illam; quanquàm honestiùs & convenientiùs agat, si ei deferat in hoc casu. *Ibid.*

XV. Ubi Superiori competit de Excommunicatione cognoscere, absolutio seu relaxatio quam ipse fecerit, tenet, licet forsitan sit injusta; quoniam etsi contra litigantium, non tamen contra jus Constitutionis absolvit. *Ibid. fin.*

XVI. Potest Archiepiscopus beneficium absolutionis, juxtà formam Ecclesiæ, nonnunquàm impendere ad cautelam, utpotè si asseritur in Excommunicationis Sententia intolerabilem errorem fuisse patenter expressum. *Ibid.* §. 5. *Potest.*

XVII. Si aliquis proponat se ante definitivam Sententiam, in Judicio vel extra, post Appellationem ex causâ legitimâ interpositam, vinculo Excommunicationis adstrictum, potest Archiepiscopus, postquàm sibi de hoc constiterit, etiam priusquàm incipiat de veritate causæ Appellationis cognoscere, absolutionis illi beneficium ad cautelam, juxtà formam Ecclesiæ, impertiri. *In 6. De Sentent. Excom.* Cap. *Venerabilis.* §. ult. *Similiter.* LIB. V. DECR. *Tit.* 11. Cap. 7.

XVIII. Semel Excommunicationis vinculo adstricti, recepto Sacramento quod Judicum vel Ecclesiæ debeant stare mandato, ab Excommunicationis vinculo absolvi debent ad subeundum Judicium. *De iis quæ vi metusve causâ fiunt.* Cap. *Perlatum est.* §. *Ideoque.* Colligitur. LIB. I. DECR. *Tit.* 40. Cap. 1.

XIX. Qui conqueruntur se irrationabiliter Excommunicationi vel Interdicto suppositos, absolvi possunt, etiamsi qui hujusmodi protulerunt Sententiam, ad Sedem Apostolicam duxerint appellandum. *De Appellationibus.* Cap. *Qua fronte.* §. *De his.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 25. De absolutione ad cautelam agitur, quæ numquam deneganda.

XX. Beneficium relaxationis ad cautelam, quoad Interdicti Sententias in Civitates, Castra, vel quælibet alia loca, sive terras aliquas generaliter promulgatas, locum aliquatenùs non habet. *In 6. De Sent. Excom.* Cap. *Præsenti.* LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 10.

XXI. Qui à Judicibus ex sufficienti gravamine ad Apostolicam Sedem appellans, super Appellatione sua ad Judices nostras litteras reportavit; etsi ex causis aliis, tempore impetrati Rescripti, vinculo fuerit Excommunicationis adstrictus, de quibus ibi mentio non habetur, ad prosequendam, per easdem Litteras, Appellationem prædictam decernimus admittendum. *De Exceptionibus.* Cap. *Venerabilem.* LIB. II. DECR. *Tit.* 25. *Cap.* 14. Idque quia Appellatio est defensio, & ista permittitur Excommunicato.

TITULUS IX.

De Excommunicatione quæ incurritur propter violentam manuum injectionem in Clericum, aliisque omnibus quæ dicenda supersunt de Excommunicatione.

SECTIO I.

An, & qui incurrant hanc Excommunicationem?

I. SI quis, suadente Diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, Anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat. CAUS. XVII. QUÆST. IV. *Cap.* 29. *Si quis.*

Vide *De Testibus cogendis.* Cap. *Pervenit. in integra.* LIB. II. DECR. *Tit.* 21. Cap. 5. Ubi testi uni jurato creditur circà violentiam factam Clerico. Præpediti ab Episcopo absolvuntur eâ lege, ut Romam adeant, si impedimentum non sit perpetuum.

Vide *De Bigamis non Ordin.* Cap. *Quia circa. in init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 24. Cap. 6. Docet Laicum qui injicit manum in Clericos reos mandante Prælato, vel in casu defensionis, huic Excommunicationi non subjici.

II. Non dubium est quod hi qui violentas manus in Clericos, vel Canonicos, aut cujuslibet Religionis Conversos, injiciunt, ex Constitutione Concilii, Sententiam Excommunicationis incurrant. *De Sent. Excom.* Cap. *Non dubium. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 5.

III. Injicientes manus in Clericos excommunicatione non innodantur, cùm in illa manuum injectione temeritas vel injuria nequit deprehendi. *In 6. De Sent. Excomm.* Cap. *Si Clericos. med.* Colligitur. LIB. V. *Tit.* 11. *Cap.* 15.

IV. Si

IV. Si aliquia in Clericum nutrientem comam manus injecerit violentas, propter hoc non debet Apostolico præsentari conspectui, nec etiam Excommunicatione notari; dummodo ipsum esse Clericum ignoraverit. *Ibid.* Cap. *Si verò. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 29. *Cap.* 4. De quo constare debet ipsius juramento, ut patet ex *Appendice Concil.* Lateran. *Parte* 14. *Cap.* 1. Ubi duodecim alii Textus referuntur circa eamdem Excommunicationem.

V. Incurritur Excommunicatio quando hujusmodi manus injectio, etsi non violenta Clerico, tamen injuriosa videtur Ordini Clericali. *Ibid. De Senten.* Excomm. Cap. *Contingit.* §. *Licet.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 36.

VI. Si hoc dubium fuerit, & præstare noluerit juramentum, quod eum esse Clericum ignorasset; quia violentas manus constat eum in Clericum injecisse, sicut Excommunicatus haberi debet, donec de mandato Summi Pontificis absolvatur. *Ibid. De Sent.* Excomm. Cap. *Si verò. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 4.

VII. Qui in Clericum, Monachum, vel alicujus Religionis Conversum manus injicit violentas, se defendendo, aut de mandato suorum Prælatorum, vel quia super eum Prælationis Ministerium aut Magisterium habet, non est excommunicatus. *Ibid. De Sent.* Excomm. Cap. *Ex tenore.* §. *Mandamus. fin. Juncta Glossa.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 10.

VIII. Si aliqui violentas manus in fratres suos mittunt, & pœnitentiâ ducti, non convicti, sed privatim veniam postulant, eos monere debes propensiùs, & inducere ut his quos læserunt congruè satisfaciant, & Apostolico conspectui se præsentent; cùm à te, vel ab aliquo, sine speciali mandato Romani Pontificis, absolvi non possint. *Append. Concil.* Lateran. *Parte.* 14. Cap. 3.

IX. Occisores Clericorum aut Presbyterorum, qui contempto Clericali habitu, tyrannidi & enormitati se inverecunde immiscent in odium Clericalis excessus, & terrorem atque correctionem similium, Canone latæ Sententiæ minimè coërceantur, injungatur tamen eis pœnitentia competens, aliquantulùm asperior quàm si in Laicos talia commisissent. *De Sent. Excomm.* Cap. *Cùm non.* §. *In Articulo.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 14.

X. Ex hoc excommunicatus quis nullatenùs videtur quod manibus in Monialem appositis, ut eam extrà Ecclesiam poneret, quod cum Clerico ludendo impedimentum præstabat quominùs Deo Divinum posset obsequium exhiberi, & cùm nollet exire, in trahendo ipsam, coegit eandem extrà Ecclesiam residere. *Ibid.* Cap. 16. *Veniens.*

XI. Laici, citrà Excommunicationis Sententiam, capere Clericos & ad Judicium trahere possunt, si oporteat etiam violenter, dum tamen id faciant de mandato Prælatorum, quorum illi sunt Jurisdictioni subjecti, & quorum est corrigere criminosos; cùm hoc non ipsi, sed illi quorum autoritate id faciunt, facere videantur; dum tamen non ampliùs eorum violentia se extendat, quàm defensio vel rebellio exigit Clericorum. *De Sent. Excomm.* Cap. *In fame.* §. 1. *Laici.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 35.

XII. Laici qui Clericos in custodiâ detinent publicâ, vel privatâ, vel etiam detrudunt in vincula, pœnam Excommunicationis non evadunt; quamvis per eorum factum corporalis læsio non fuerit subsecuta. *De Sent. Excommunicationis.* Cap. *Nuper.* §. 1. *Nos igitur.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 29. & *De Bigamis non ordin.* Cap. *Nuper. In init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 21. Cap. 4.

XIII. Excommunicatus est qui in Clericum etiam volentem manus injecerit temerarias, etiamsi hoc faciat in satisfactionem præcedentis injuriæ. *Ibid.* Cap. 36. *Contingit.* Rubrica.

XIV. Manus injectio in Clericum etiam volentem, etsi non violenta, tamen injuriosa videtur, cùm ille Canon non tàm in favorem Clerici ordinati, quàm in favorem Ordinis Clericalis fuerit promulgatus. *Ibid.* §. *Nos autem.* Cap. 36.

XV. Clericus si quem offenderit, & satisfacere velit offenso, provideatur ut injuriam passo, sine injuriâ Clericali, satisfaciat competenter, quatenus inter eos pax valeat rationabiliter reformari. *Ibid.* Cap. *Contingit.* 36. *fin.*

XVI. In injectione manuum in Clericum, non solùm violentia attenditur, sed etiam temeritas & injuria Ordinis Clericalis. *Ibid. Glossa* colligit.

XVII. Non solùm autores violentæ manuum injectionis in Clericos sunt excommunicati, sed consentientes pari pœnâ plectendos Catholica condemnat autoritas. *De Sent. Excomm* Cap. *Quantæ.* §. *Ne autem. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 47.

XVIII. De his qui Clericis non enormem sed modicam vel levem injuriam irrogaverint, Tuæ Fraternitatis arbitrio duximus relinquendum. *De Testibus cogendis.* Cap. *Pervenit. in init. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 21. Cap. 5. & *De Sent. Excom.* Cap. *Pervenit.* Lib. V. *Tit.* 39. Cap. 17.

XIX. Qui ratione officii quod in Ecclesia obtinent, aut etiam alii Clerici seniores zelo devotionis, pueros vel adolescentes in minoribus Ordinibus constitutos, turbantes Divinum officium, correctionis causâ leviter fortè percusserint, Excommunicationis Sententiam non incurrunt. *Ibid.* Cap. 54. *Cum voluntate.* §. *Si quis.*

XX. Hi qui, obtentu Prælationis vel Magisterii, subditos & scholares correctionis causâ leviter fortè percusserint, Excommunicationis Sententiam non incurrunt. *De Sent. Excom.* Cap. *Cum voluntate.* §. 2. *Si qui.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 54.

XXI. Idem & de his dicendum est qui aliquos de familia sua, vel Propinquos inferiorum graduum, simili modo ut cohibeantur à suis insolentiis, & scientia bonisque moribus informentur, duxerint corrigendos. *Ibid. fin.*

XXII. Illi quos in personas & res Clericorum manus temerarias constiterit extendisse, pro meritis Sententiam recipere debent. *De Excessibus Prælatorum.* Cap. *Tanta.* §. ult. *Illos.* Lib. V. Decr. *Tit.* 31. Cap. 18.

XXIII. Qui Clericos suæ Jurisdictioni subjectos, propter commissos excessus, etiam per Laicos capi facit, & eos, ne fugiant, in carcere pœna debitâ posteà castigandos includit, licet nondum appareat incorrigibiles illos esse, nulla Excommunicatione innodantur. *In. 6. De Sent. Excomm.* Cap. *Si Clericos. init.* Lib. V. *Tit.* 11. Cap. 15.

XXIV. Citra læsionem corporalem, violentia sæpiùs circa Clericos nequiter perpetratur. *De Sent. Excom.* Cap. *Nuper* §. 1. *Nos igitur. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. *Cap.* 29.

XXV. In capiendis Clericis, iisque detinendis, nulla Excommunicatio incurritur, cùm in iis, nisi aliàs ex proposito excedatur in ipsis, temeritas vel injuria nequeat deprehendi. *Ibid.*

XXVI. Si quis violentas manus in Novitium injiciat, Excommunicationis latæ à Canone vinculum non evadit. *In 6. De Sent. Excomm.* Cap. *Religioso.* §. *Quamvis. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 11. Cap. 21.

XXVII. Laicus incidit in Excommunicationis edictum, qui ad jussionem Abbatis, in cujus servitio commoratur, in Clericum, Monachum, aut Conversum temerarias manus præsumit injicere, maximè ubi causa non subest, propter quam debeat verberari. *De Sent. Excomm.* Cap. *Universitatis.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 24.

XXVIII. Cùm quis absque tuo mandato, tuo tamen nomine, manus injicit in Clericum violentas, si hoc ratum habueris, Excommunicationem latam à Canone incunctanter incurris. *In 6. De Sent. Excomm.* Cap. *Cùm quis. init.* Lib. V. *Tit.* 11. Cap. 23.

XXIX. Si injectio eadem tuo nomine non ſit facta, tunc licet pecces ratam habendo eandem, non tamen propter hoc Excommunicationis ullius vinculo innodaris. *Ibid. fin.*

SECTIO II.

A quo abſolvi poſſint ac debeant Laici vel Clerici, qui Excommunicationem incurrerunt, propter violentam manuum injectionem in Clericos?

I. Si Clerici infrà puberes annos, ſe ad invicem, aut unus alterum, percuſſerint, non ſunt ad Apoſtolicam Sedem mittendi, quia eos ætas excuſat. *De Sent. Excomm.* Cap. *Super.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 1.

II. Nec Clerici ſi ſunt plenæ ætatis, & non odio vel invidiâ vel indignatione, ſed levitate jocosâ ſe ad invicem percutere contingat; neque Magiſter, ſi ſcholarem Clericum intuitu Diſciplinæ vel correctionis percuſſerit, ſunt ad Apoſtolicam Sedem mittendi, quia non poteſt in ipſis injectio manuum violenta notari. *Ibid.*

III. Is qui ſe aſſerit in Canonem latæ Sententiæ incidiſſe, nonniſi per Sedem Apoſtolicam abſolutionis poteſt Beneficium promereri; niſi fortè ſit in periculo mortis conſtitutus, vel paupertate, vel infirmitate, vel ſenectute tantâ gravetur, quod ad Eccleſiam Romanam laborem non valeat ſubire veniendi, vel ab hoc alio impedimento Canonico retrahatur. *De Sent. excomm.* Cap. *Quod de his. in init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 26.

IV. Si ex odio iidem Scholares vel Seculares Clerici ſe ſe percuſſerint, pro ſuâ abſolutione, debent ad Apoſtolicam Sedem mitti. *Ibid.* Cap. 1. *Super. fin.*

V. Si alicujus poteſtatis Oſtiarius ſub prætextu ſui Officii malignatus Clericum læſerit; ab Epiſcopo ſuo poteſt abſolvi, niſi fortè eundem Clericum graviter vulneraverit. *Ibid. De Sent. Excom.* Cap. *Si verò. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 3.

VI. Officialis, pro injectione manuum in Clericum, non poteſt, ſine mandato Romani Pontificis, abſolutionis Beneficium promereri; quia nulli Laico ſuper Clericum tanta datur autoritas; niſi fortè turbam arcendo irruentem, non ex deliberatione, ſed fortuito caſu Clericum lædat. *Ibid.*

VII. Si Clericum vim ſibi inferentem vi quis repellat vel lædat, non debet propter hoc ad Sedem Apoſtolicam tranſmitti, ſi in continenti vim vi repellat, cùm vim vi repellere omnes leges omniaque jura permittant. *Ibid.* §. *Si verò.*

VIII. Nec ille compellendus eſt ad Sedem Apoſtolicam ire, qui in Clericum cum uxore, matre, ſorore, vel filia propria turpiter inventum, manus injecerit violentas. *Ibid.* §. *Nec ille.*

IX. Si in Clericum, in ſtupro vel adulterio inventum, quod committit cum eâ quæ ipſum ita proximâ conſanguinitatis lineâ non contingit, violentas manus injecerit, ad Sedem Apoſtolicam ire compellendus eſt. *Ibid. fin.* Cap. 3.

X. Qui in Clericos temerarias manus injiciunt, pro abſolutionis Beneficio ad Apoſtolicam Sedem ſunt mittendi. *De Sent. Excomm.* Cap. *Tua nos.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 19.

XI. Illos qui in Clericos temerè violentas manus injiciunt, ſi valetudine præpediti pro abſolutionis Beneficio ad Sedem Apoſtolicam nequeunt laborare, recepto ab eis, ſicut moris eſt, juramento, poteris abſolvere; ita quod ſanitati priſtinæ reſtituti, Apoſtolico ſe conſpectui repræſentent. *De Teſtibus cogendis.* Cap. *Pervenit. in init. poſt med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 21. Cap. 5.

XII. Sexui verò fœmineo, & pueris, ac ſenibus, ſuper hoc ſatis credimus poſſe liberè diſpenſare. *Ibid.*

XIII. Qui violentas manus in Clericos, vel Canonicos, aut cujuſlibet Religionis Converſos injiciunt, nonniſi in articulo mortis, ſine Romano Pontifice, abſolutionis poſſunt beneficium impetrare. *De Sent. Excom.* Cap. *Non dubium eſt.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 5.

XIV. Si infirmitatis tempore, timore mortis, beneficium fuerit abſolutionis indultum, juramento præſtito eiſdem injungatur, ut poſtquàm ſanitati fuerint reſtituti, ad Romanam Eccleſiam, vel ejus Legatum accedant, mandatum ſuper teſtibus recepturi. *De Sent. Excom.* Cap. *Ea noſcitur.* §. *Si verò. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 13.

XV. Niſi cauſâ regularis diſciplinæ Abbas in propria perſona verberet Clericum, Monachum, aut Converſum, vel ſi neceſſitas urget, per Clericum vel Monachum verberari jubeat, tàm qui tales verberari præcipit, quàm illi qui verberant, etiamſi cauſa ſubeſſet, Excommunicationis Sententiam, donec ad Apoſtolicam Sedem veniant, nequaquam evadunt. *De Sent. Excom.* Cap. *Univerſitatis.* §. *Nobis.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 24.

XVI. Qui non per ſe ipſos, ſed eorum autoritate vel mandato alii, violenter injiciunt manus in Clericos, ad Sedem Apoſtolicam ſunt mittendi; cùm is committat verè cujus autoritate vel mandato delictum committi probatur. *Ibid.* Cap. *Mulieres.* §. *Illi.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 6.

XVII. Mulieres vel aliæ perſonæ quæ ſui juris non ſunt, ab Epiſcopo Diœceſano abſolvi poſſunt, ſi manus in Clericum injecerint violentas. *Ibid.* Cap. 6. *Mulieres. init.*

XVIII. Si aliqui violentas manus in Clericos injiciunt, & ducti Pœnitentiâ, non convicti, privatim veniam poſtulant, ſine ſpeciali mandato Romani Pontificis abſolvi non poſſunt. *Ibid.* Cap 7. *Porrò.*

XIX. Illorum abſolutio qui pro violenta manuum injectione in Clericos, labem Excommunicationis incurrunt, quibuſdam caſibus exceptis, Sedi duntaxat Apoſtolicæ reſervatur. *De Sent. Excomm.* Cap. *Cùm illorum. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 32.

XX. Si quis pro violenta manuum injectione in Clericum, eſt vinculo Excommunicationis adſtrictus, ſi habeat juſtas excuſationes non adeundi Romanum Pontificem, licet Diœceſano Epiſcopo, recepto juramento ſecundùm morem Eccleſiæ, ſibi abſolutionis gratiam impertiri. *Ibid.* Cap. *De cætero. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 11. Sed eſt illi ſub juramenti debito injungendum, ut quàm citiùs opportunitatem habuerit, Romanum Pontificem adeat, Mandatum Apoſtolicum ſuſcepturus. *Ibid.* Cap. 11. *De cætero. fin.*

XXI. Qui aſſerit ſe in Canonem latæ Sententiæ incidiſſe, non aliter quàm per Sedem Apoſtolicam, vel ejus Legatum, abſolutionis poteſt Beneficium obtinere, niſi fortè ſit in mortis articulo, vel paupertate vel ſenectute aut infirmitate gravetur, vel alio impedimento Canonico retrahatur. *Ibid. De Sent. Excomm.* Cap. *Quod de his.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 26.

XXII. Excommunicati per Canonem, *Si quis ſuadente Diabolo*, ſive pauperes, ſive divites, Sedi Apoſtolicæ vel Legato ejus, ut Beneficium abſolutionis obtineant, neceſſè eſt præſentari. *De Sent. Excomm.* Cap. *Ea noſcitur. med. juncta Gloſſa.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 13.

XXIII. Mulieres, ſenes, valetudinarii, ſeu membrorum deſtitutionibus impediti, licet ad Apoſtolicam Sedem non veniant, ab Epiſcopis valent fidelium Communioni reſtitui, ſatisfacto juxtà facultates his quibus per eos conſtiterit injurias irrogatas. *Ibid. init.* Cap. 13. *Ea noſcitur.*

XXIV. De his abſolvendis, qui Clericis non enormem,

mem, ſed modicam & levem injutiam irrogarunt, Epiſcoporum arbitrin commiſſum eſt. *Ibid.* Cap. *Pervenit.* Lib. V. Deca. *Tit.* 39. Cap. 17.

XXV. Exceſſus enormis exiſtit, ſi ad mutilationem membri, vel effuſionem ſanguinis, eſt proceſſum. *Ibid.* Cap. *Cùm illorum.* §. *Qui ſi. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 32.

XXVI. Qui pro injectione manuum in Clericos, vel alias Religioſas perſonas, Excommunicationem incurrerunt, & à Legatis Cardinalibus qui à latere Romani Pontificis deſtinantur, pro tempore abſolvuntur, cùm iidem Legati mandatum ſuper hoc non oſtendant expreſſum, haberi debent, abſque omni hæſitationis ſcrupulo, abſoluti, quos conſtiterit à talibus beneficium abſolutionis adeptos. *De Sent. Excomm.* Cap. *Ad eminentiam.* Lib. V. Deca. *Tit.* 39. Cap. 50.

XXVII. Si Sacerdos, non propulſando, ſed inſerendo injuriam, fuit occiſus, non videtur quod interfectores ejus propter hoc ad obtinendam abſolutionem, Apoſtolicam Sedem adire cogantur. *Ibid.* Cap. *Perſonarum.* Pœna eis competens injungi debet. Cap. *Perpendimus.* §. *Fraternitati.* Lib. V. Deca. *Tit.* 39. Cap. 23.

XXVIII. Quamvis incidens in Canonem latæ Sententiæ propter violentam manuum injectionem, juxtà proprias facultates eis ſatisfaciat, quibus injurias irrogavit; non tamen aliter quàm per Sedem Apoſtolicam, vel ejus Legatum, abſolutionis poteſt Beneficium obtinere; niſi imminente mortis articulo, infirmitate, inimicitiâ, aut inopiâ, puerili vel ſenili ætate, fragilitate ſexûs, ſeu aliâ corporis impotentiâ, ſive quolibet impedimento Canonico retrahatur, quominùs Romanum Pontificem poſſit adire; vel niſi juris beneficio à labore hujuſmodi excuſetur. *De Sent. Excom.* Cap. *Quamvis.* Lib. V. Deca. *Tit.* 39. Cap. 58.

XXIX. Quibuſdam prædictorum, videlicet qui temporali impedimento laborant, exceptis pueris, ſub debito juramento quod ſecundùm Eccleſiæ formam præſtare tenentur, conſuevit injungi, ut impedimento ceſſante, ad Apoſtolicam Sedem accedant, mandatum ipſius humiliter ſuſcepturi. *Ibid. fin.*

XXX. Pueris qui in Canonem inciderunt Sententiæ promulgatæ, ſive antè, ſive poſt pubertatem, poſtulantibus ſe abſolvi, poteſt Diœceſanus Epiſcopus abſolutionis Beneficium impertiri; cùm propter defectum ætatis, in quâ fuit commiſſus exceſſus, vigor ſit manſuetudine temperandus. *De Sent. Excom.* Cap. *Pueris.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 60. *quod eſt ultimum.*

Illorum abſolutio qui propter ſacrilegas manuum injectiones in Clericos, inciduut in Canonem promulgatæ Sententiæ, videtur ex ipſo Legationis officio jam licere Legatis. *De officio Legati.* Cap. *Quod tranſlationem* Lib. I. Deca. *Tit.* 30. Cap. 4. His quibus ex officio in certis caſibus competit illos abſolvere qui pro violentâ manuum injectione, incidunt in Canonem Sententiæ promulgatæ, licet aliis hujuſmodi abſolutionem committere, cùm viderint expedire. *De officio Jud. Ordin.* Cap. *His.* Lib. I. Deca. *Tit.* 31. Cap. 20. *quod eſt ultimum.*

SECTIO III.

A quo abſolvendi ſint Monachi qui Excommunicationem incurrerunt ob violentam manuum injectionem in Clericos?

I. Monachi & Canonici Regulares, quocumque modo ſe in Clauſtro percuſſerint, non ſunt ad Apoſtolicam Sedem mittendi, ſed ſecundùm providentiam ſui Abbatis, diſciplinæ ſubdantur. *De Sent. Excom.* Cap. *Monachi. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 2.

II. De Sæculo fugientibus qui Religionis habitum in Monaſterio receperunt, & inter cætera poſtmodùm confitentur ſe tale commiſiſſe delictum, injiciendo manus in Clericos, per quod ipſo actu Excommunicationis Sententiam incurrerunt, Prælati abſolutionis beneficium impertiri valent, niſi exceſſus ipſorum extiterit difficilis & enormis, utpotè ſi ad mutilationem membri, vel effuſionem ſanguinis eſt proceſſum, aut in Epiſcopum aut Abbatem violenta manus injecta. *De Sent. Excom.* Cap. *Cùm illorum.* Lib. V. Deca. *Tit.* 39. Cap. 32. §. *Qui ſi.*

III. Si diſcretio Abbatis non ſufficit ad correctionem eorum, eſt providentia Diœceſani Epiſcopi adhibenda. *Ibid. fin.*

IV. Si Clauſtralis aliquis in Religioſam perſonam alterius Clauſtri manus injecerit violentas, per Abbatem proprium, & ejus qui paſſus eſt injuriam, abſolvatur. *De Sent. Excom* Cap. *Cùm illorum.* §. *Si verò.* Lib. V. Deca. *Tit.* 39. Cap. 32.

V. Quod ſi Clauſtralis Clericum percuſſerit Secularem, nonniſi per Apoſtolicam Sedem, ut ſcandalum vitetur, abſolutionis gratiam poterit promereri. *Ibid.*

VI. Si Moniales vel in ſe invicem, vel Converſos, vel Converſas ſuas, aut Clericos etiam, manus injecerint temerè violentas, per Epiſcopum, in cujus Diœceſi Monaſteria fuerint, abſolvantur. *De Sent. Excom.* Cap. *De Monialibus.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 33.

VII. Religioſo qui manus violentas in Clericum Sæcularem injecit, ne hoc prætextu habeat materiam evagandi, poterit ab Epiſcopo eo caſu abſolutionis beneficium exhiberi, quo Sæculari Clerico poſſet, ſi alium percutiet. *In 6. De Sent. Excom.* Cap. *Religioſo. init.* Lib. V. *Tit.* 11. Cap. 21.

SECTIO IV.

Eos qui in remotis partibus commorantur, poſſe ab Epiſcopis abſolvi, ubi impotentia aut infirmitas impedit Romam recurrere.

Illis qui in remotis partibus commorantur, Diſpenſatione Apoſtolica indultum eſt, ut illos qui taliter excommunicati ſunt ipſo jure, Epiſcopus, ſi corporum impotentia, aut paupertas eos impediat, aut aliqua inevitabilis & manifeſta neceſſitas, dummodò ſatisfaciant his quos offenderint, & aliquam agant pœnitentiam, ad correctionem ſui, cæterorumque terrorem, à Sententia Excommunicationis, autoritate Apoſtolicâ fretus, abſolvat. *De Sent. Excom.* Cap. *Cùm non ab homine.* In integra. *fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 14.

Circà collectas Deciſiones ſub Sectionibus hujus Tituli, notandum. 1o. Reſervationem de quâ agunt, omnium ferè aliarum antiquiſſimam, ac omninò celebratiſſimam. 2o. Plurimas pati exceptiones quæ in *Cap.* 11. 14. 58. *De Sententia Excomm.* recenſentur, quæque reducuntur ad impotentiam adeundi Romam, ſive naturalem, ſive moralem. 3o. Eaſdem exceptiones locum habere in aliis reſervationibus, etiam circà Diſpenſationes quoad impedimentum Ordinum, vel matrimonii. 4o. His exceptionibus *Concilium* Tridentinum aliam adjeciſſe, provenientem ex eo quod caſus occulti ſint, cujus exceptionis benè intellectæ amplitudo maxima. 5o. Quoad caſus qui Papæ etiam nunc reſervantur, reſervationem penè inutilem, cùm abſolutio obtineri ſoleat per litteras; undè ex illâ ſperatos fructus maximè diminutus eſt. 6o. Obligationem vitandi illos excommunicatos, ut & reliquos, reduci ad caſum, quo denunciati ſunt, abrogato caſu notorietatis facti, atque ex neglectu denunciationis hanc obligationem raro vigere. 7o. Clericos Inferiores beneficio hujus privilegii, quoad reſervationem abſolutionis, plurimis in locis non frui.

 8o. Hæc

8°. Hæc omnia aliaque similia fusè explicata esse in *Consultationibus Canonicis circà Sacramenta in genere & in specie*. 9°. Notitiam prædictarum Decisionum non ideò minùs necessariam, cùm horrorem imprimant criminum his Excommunicationibus obnoxiorum.

SECTIO V.

Quid requiratur ut excommunicati, sive quia injecerunt violentas manus in Clericos, sive quia alia patrarunt crimina, restituantur Communioni fidelium?

I. Moneri debent & induci, ut his quos læserunt, congruè satisfaciant. *De Sentent. Excomm.* Cap. *Porrò.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 7.

II. Mandare solet Papa, ut qui in Clericum manus injecit violentas, recepto ab eo Juramento quod Ecclesiæ debeat mandato parere, Sententia quâ tenetur absolvatur. *Ibid.* Cap. *Ex tenore.* §. *Mandamus. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 10.

III. Cùm ab Inferioribus Ecclesiarum Prælatis Ecclesiastica Sententia in malefactores aliquos promulgatur, rata debet & firma consistere, & usque ad condignam satisfactionem inviolabiliter observari. *De Officio Jud. Ordin.* Cap. *Cùm ab. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. Cap. 3.

IV. Episcopus illam absque Prælati conscientiâ relaxare non debet. *Ibid. junctâ Summario.*

V. Cautio juratoria quam hodie qui excommunicati sunt præstant, potiùs ad cautelam ex consuetudine Ecclesiæ, quàm rigore Canonum, est inducta. *Ibid.* Cap. 15. §. *Cui quæ vi. init. De Sent. Excommun.* Cap. *Cùm desideres.*

VI. Neque momenti tàm validi reputatur, quod nisi Absolutionis beneficium subsequatur, ille qui excommunicatur, debeat Communioni aliorum restitui. *Ibid.* Est enim dumtaxat conditio ad Absolutionem, ideòque si non detur Absolutio, eâ non obstante cautione, nullus Communioni restituendus est.

VII. Excommunicatus, præstito juramento quod stabit mandato Ecclesiæ, absolvitur. *De Officio & potestate Judicis Delegati.* Cap. *Prudentiam.* §. *Penult. Si verò. init.* LIB. I. DECR *Tit.* 29. Cap. 21.

VIII. Nullus Excommunicato communicet donec satisfactione præmissâ fuerit absolutus. *De Judiciis.* Cap. *De quod vult.* §. *Placuit.* LIB. II. DECR. *Tit.* 1. Cap 1.

IX. Qui fuit publicè excommunicatus, adhuc præsumitur excommunicatus, nisi de absolutione ejus fuerit facta fides. *De Clerico Excommunicato.* Cap. *Proposuit. Glossa* colligit. LIB. V. DECR. *Tit.* 27. Cap. 8. §. *ult.*

X. Nec Episcopus, nec alii debent communicare alicui Excommunicato, etiamsi Mandato Ecclesiæ stare juraverit; nisi fuerit, secundùm formam Ecclesiæ, post juramentum præstitum, absolutus. *Ibid.*

XI. Juramentum illud non est de substantia Absolutionis; undè si omittitur in Absolutione, nihilominùs absolutus est qui sic absolvitur. *Ibid. Glossa.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 16.

XII. Licet ille qui violentas manus injecit in Clericum, Episcopo mediante, cum illo composuerit, & ei reconciliatus fuerit, adeòque ei quem læsit satisfecisse taliter videatur, Ecclesiæ tamen quam offendit, ex hoc non satisfecisse dignoscitur; & nisi forma Ecclesiæ, quæ pro Absolutione talium introducta est, observetur, non est communicandum eidem. *De Sent. Excommun.* Cap. *Cùm desideres.* §. ult. *Tertiò.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. *Cap.* 15. Duplex est hoc in casu offensa; alia publica, alia privata; neutra sine satisfactione congruâ remittitur.

XIII. Si constiterit aliquem ob duplicem causam fuisse excommunicatum, & expressisse tantùm alteram in Literis quas super Absolutione suâ impetravit, ipse tanquam excommunicatus satisfacere Ecclesiæ pro alterâ, monitione præmissâ, cogi debet. *Ibid.* Cap. 27. *Cùm pro* §. *Discretioni.*

XIV. Ab his qui Canonico impedimento retrahuntur ab adeundo Ecclesiam Romanam, in formâ Sacramenti exigi consuevit, ut resumptis viribus, & opportunitate concessâ Romanam Ecclesiam in propriâ personâ debeant visitare. *De Sentent. Excomm.* Cap. *Quod de his.* §. *Cæterùm fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 26.

XV. Quantumcumque se quis, juramento præstito quod Ecclesiæ mandato pareret, humiliare curaverit, quantùmcumque Pœnitentiæ signa præcesserint; si tamen morte præventus Absolutionis non potuerit beneficium obtinere, quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur, non tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus. *Ibid.* Cap. *A nobis.* §. 2. *Undè. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 28. GONZALEZ *n.* 3. examinans cur peccator qui signa Pœnitentiæ dedit antè mortem, habetur pro absoluto; econtrà Excommunicatus, etsi hujusmodi signa dederit, sine Absolutione decedens, habetur pro excommunicato; ait id provenire ex eo quod prioris vinculum est internum, ideòque Absolutio interior, quæ à Deo datur, sibi sufficiat; vinculum verò posterioris est externum, ideoque manere debet, donec ab Ecclesia, cujus est illud solvere, relaxatum fuerit.

XVI. Pro tali recipienda non est eleemosyna, nec à fidelibus est orandum. *Ibid. init.* Oratione publica seu facta nomine Ecclesiæ; secùs de privata.

XVII. Qui nominatim Excommunicatis communicant scienter in crimine, cum juramento debent absolvi. *De Sent. Excommun.* Cap. *Nuper.* §. *Is autem.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. *Cap.* 29. Ratio; eodem stringuntur vinculo, ideòque eadem formâ absolvendi.

XVIII. Excommunicati tamen minori Excommunicatione, seu qui communicant nominatim Excommunicato in oratione vel osculo, reconciliari possunt sine juratoria cautione.

XIX. Excommunicato, licet quod stat mandato Ecclesiæ juramento firmaverit, communicari non debet, donec per Ecclesiam fuerit absolutus; alioquin post juramentum non est Absolutio necessaria. *Ibid* Cap. *Quod in dubiis.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 40.

XX. Licet is qui voluntariùs Excommunicatis illis communicaverat, qui cum omnibus fautoribus & participibus suis Excommunicationis Sententiâ sunt adstricti, de Mandato Ecclesiæ Excommunicatos quos priùs foverat, expugnaverit, non tamen priusquàm Absolutionis gratiam perceperit, habendus est absolutus. *De Sentent. Excommun.* Cap. *Sacris.* §. *Licet Sacris.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 38. Vid. *Notam. n.* 6.

XXI. Nec, si occumbat in hujusmodi bello, sunt oblationes recipiendæ pro eo, vel orationes Domino porrigendæ, nisi cum de ipsius viventis Pœnitentiâ, per evidentia signa, constiterit, & defuncto etiam Absolutionis beneficium impendatur. *Ibid. fin.* Ejusdem est solvere, cujus est ligare: Excommunicatione Ecclesia ligat, Absolutione solvit.

XXII. Nisi Excommunicati, super Absolutione sua Literas Apostolicas, vel illius cui vices suas Sedes Apostolica in hac parte commisit, reportaverint, aut alio modò legitimè de illorum Absolutione constiterit, pro excommunicatis, ut priùs, sunt habendi. *Ibid. De Sent. Excommun.* Cap. *Sicut.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 39.

XXIII. Excommunicatis, recepto secundùm formam Ecclesiæ ab eisdem corporaliter juramento, absolutionis beneficium impenditur, ut restituantur. *De Majoritate & obedientia.* Cap. *Cùm in Ecclesiis* §. *Cùm igitur.* LIB. I. DECR. *Tit.* 33. Cap. 10.

Vide *De Rescriptis, Decisione quarta.*

XXIV.

XXIV. Qui propter plures excessus, à pluribus Prælatis jus in ipsum habentibus, Excommunicationis est vinculo innodatus, & uni Prælatorum de uno tantùm satisfacete vult excessu, cum de alio excessu non fatisfecerit aliis, Prælatus veritatem intelligens absolutionem hujusmodi exhibere non debet. *De Sentent. Excomm.* Cap. *Officii.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 42.

XXV. Sententiâ Suspensionia & Excommunicationis ligati, si nullatenus possint induci ad præstandum, juxtà formam Ecclesiæ, juramentum, cum promissione possunt recipi manuali. *Ibid.* Cap. *Super eo.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 51.

XXVI. Quicumque, seu ignorantiâ, seu timore, seu necessitate negotii cujusquam maximi & maximè necessarii, excommunicatorum se convictu, salutatione, oratione, osculatione contaminaverint, cum minoris pœnitentiæ medicinâ societatis aliorum participationem sortiantur. Caus. XI. Quæst. III. *Cap.* 110. *Sanctis. med.*

XXVII. Qui aut spontaneè aut negligenter inciderint, sub eâ disciplinæ coërctione suscipiantur, ut cæteris metus incutiatur. *Ibid. fin.*

XXVIII. In Ecclesia, ubi maximè misereri decet, teneri quàm maximè debet forma justitiæ, ne quis à communionis consortio abstentus, brevi lachrymula, atque ad tempus parata, vel etiam uberioribus fletibus, communionem, quam plutimis debet postulare temporibus, à facilitate Sacerdotis extorqueat. Caus. XXIII. Quæst. IV. *Cap.* 33. *Est injusta. fin.* Optima regula etiam ad absolutionem peccatorum.

XXIX. Qui satisfacere recusaverit, manet Ecclesiasticâ Censurâ conclusus, donec satisfecerit competenter. *De Immunitate Ecclesiæ.* Cap. *Adversùs. §. Quia verò. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 49. Cap. 7.

XXX. Si Summus Pontifex scienter etiam Excommunicato participet, literis, verbo, vel osculo, seu alio quovis modo, ipsum per hoc absolvere nulla ratione censetur; nisi se velle forsitan exprimat, illum ex hoc pro absoluto haberi. Clement. *De Sentent. Excomm.* Cap. *Si Summus. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 10. *Cap.* 4. Subest Ecclesiæ legibus, à quibus se eximere non debet sine justâ causâ.

XXXI. Is in quem Interdicti vel Excommunicationis Sententia est prolata pro contumaciâ tantùm, quia scilicet citatus stare noluit juri, congruè satisfacere credendus est, ut Sententia relaxetur, si priùs sufficiens standi juri cautio tribuatur. *De Verborum signif.* Cap. *Ex parte. §. 2. Ad intelligendum. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 40. Cap. 23.

XXXII. Si lata est Sententia pro offensâ, quia videlicet jussus noluit maleficium emendare, non credendus est satisfacere congruè ut relaxetur Sententia, nisi priùs sufficiens præstetur emenda. *Ibid.*

XXXIII. Si verò dubia est offensa, sufficete videtur ad relaxandum eamdem Senrentiam, si parendi mandato Ecclesiæ competens cautio præbeatur. *Ibidem. fin.*

XXXIV. Tàm Juris Canonici, quàm nostri moris existit, ut qui propter contumaciam, Communione privatur, cùm satisfactionem congruam exhibuerit, restitutionem obtineat. *De Constitutionibus.* Cap. *Ex literis. §. 2. Quia tamen.* Lib. I. Decr. *Tit.* 2. Cap. 11.

XXXV. Absolutus Actor à Delegato ad negligentiam sui Excommunicatoris, præstito juramento quod stabit mandato Ecclesiæ, coràm ipso excommunicatore, super illâ causâ pro quâ fuerat excommunicatus, stare debet, & ejus servare Mandatum; nisi specialiter fuerit illud negotium aliis Judicibus à Sede Apostolicâ delegatum. *De Officio & potestate Jud. Deleg.* Cap. *Prudentiam. §. Si verò & in quo. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 29. Cap. 21.

XXXVI. Si Excommunicator malitiosè distulerit, tunc Delegatus eandem Jurisdictionem quam in principali & in accessorio exercebit. *Ibid. fin.*

In collectis sub hac Sectione Decisionibus, plura sunt quæ aliis Censuris conveniunt; nulla est enim quæ relaxetur sine præmissâ satisfactione, aut promissione illius; nulla quoque quæ ob injuriam vel læsionem alicui factam incurratur, ad cujus absolutionem non requiratur duplex satisfactio, alia privata quæ debetur læso, alia publica quæ debetur Ecclesiæ cujus leges violatæ sunt. In qualibet potest sufficere simplex promissio, quoties Reus adduci nequit ut se Sacramento obliget. In unaquaque absolutio datur præscriptis verbis, vel æquipollentibus: non facto fit seu admissione ad communionem, seu communicatione cum ligato in his à quibus Censura illum excludit. Scripto danda, ut & Censura scripto ferenda: publica esse debet, quoties Censura publica est, nisi de illâ constet, non esse communicandum.

Peculiare videtur Excommunicationi ob injectas manus in Clericos, ut Reus adire Papam teneatur personaliter, nisi justo impedimento detineatur, ad suam absolutionem. Impedimenta hujusmodi sunt, ut inferre licet ex magno Textuum numero *Tit. De Sententia Excommunicationis*, loquentium de hac Excommunicatione, quorum plerique mentionem faciunt de his impedimentis, alii de paucis, alii de multis. Omnia ferè simul colliguntur in *Cap.* 11. 13. & 58. Petuntur 1°. ex ætate, vel puerili, vel senili. 2°. Ex sexu fœmineo. 3°. Ex vivendi sacro genere, ut Clerici, Monachi, Canonici, Sanctimoniales. 4°. Ex infirmitatibus habitualibus. 5°. Ex diminutione membrorum. 6°. Ex conditione servili. 7°. Ex paupertate. 8°. Ex periculo ex parte inimicorum. Præter hæc impedimenta, aliave hujusmodi, ut morbus actualis, item detentio corporalis, sivè ex Captivitate, sive ex incarceratione, quæ excusabant ab adeundo Papam in personâ, extabant quoque privilegia quæ dispensabant ab hoc itinere; hujusmodi Hospitalarii donabantur.

Quod dictum est de impedimento nimiæ distantiæ, in causa esse potuit quod pro simili Excommunicatione non adeatur in personâ Summus Pontifex in remotioribus Regionibus, ut Gallia, sed per literas obtineatur absolutio à prædicta obligatione adeundi Papam in persona. Excipit adhuc *Concilium* Tridentinum casus ab occulto delicto provenientes, nisi deducti fuerint ad forum contentiosum, quod intelligendum de deductione cum effectu, quia verba cum effectu accipienda sunt, præsertim in odiosis, qualis reservatio; talis autem deductio non accidit, nisi quando de facto constat, vel confessione conventi, vel ipsius convictione.

SECTIO VI.

Quam pœnam incurrant Excommunicati qui Ecclesiasticos Ordines accipere non formidant, vel Divina Officia exercere, aliove modo Ecclesiæ claves contemnunt?

I. Sæculares Clerici qui in Excommunicatione positi Ecclesiasticos Ordines accipere non formidant, si sciunt se Excommunicationis vinculo irretitos, à susceptis Ordinibus sunt in perpetuum deponendi. *De Sent. Excomm.* Cap. *Cùm illorum.* §. 1. *Primos.* Lib. V. Decrat. *Tit.* 19. Cap. 32.

II. Circa eos distinguendum videtur; tales enim vel sciunt Excommunicationis se vinculo irretitos; vel non recolunt factum pro quo in latæ Sententiæ Canonem inciderunt; vel factum quidem scientes, juris ignari, nesciunt exinde se teneri. *De Sentent. Excomm.* Cap. *Cùm illorum. post init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 19. Cap. 32.

III. Si tales Clerici non recolunt factum pro quo in

in latæ Sententiæ Canonem inciderunt, vel factum quidem fcientes, juris ignari, nefciunt exinde fe teneri, & fic Ecclefiafticos Ordines acceperunt, tàm Archiepifcopi quàm Epifcopi, abfque Mandato Sedis Apoftolicæ fpeciali, difpenfandi cum iis, ut in fufceptis Ordinibus miniftrent, facultatem fe noverint non habere, quibus etiam eft talium Abfolutio interdicta. *Ibid.*

IV. Majus eft difpenfare cum iis ut in fufceptis Ordinibus miniftrent, quàm eos abfolvere. *Ibid.* Colligitur.

V. Difpenfandi cum iis facultatem non habent, quibus eorum eft abfolutio interdicta, cum majora intelligantur illis prohibita quibus vetita funt minora. *Ibid.* 8. *fin.*

VI. Poterunt in hujufmodi Romani Pontificis auribus intimari, ut ab eo fecundùm rigorem vel æquitatem, refponfum prodeat, prout fua difcretio viderit faciendum. *Ibid.*

VII. Clauftrales excommunicati, qui fcienter in contemptum Ecclefiafticæ Difciplinæ fe fecerint ordinari, ab executione fufcepti Ordinis & Officii manere debent fufpenfi. §. *Si verò.*

VIII. Circà alios Clauftrales facti memoriam vel juris peritiam non habentes, Monafteriorum utilitate penfatâ, poft injunctam Regularem pœnam & peractam, Abbates ipforum poterunt difpenfare; nifi grave fuerit & notabile factum, aut is qui fecit adultus fuerit & difcretus, ut violenter contra oblivionem vel ignorantiam præfumatur. *Ibid. fin.*

IX. Presbyter pro eo quod poft Excommunicationem, contra Appellationem factam Divina cantavit, nullatenùs inquietari debet; fed ad eum ftatum reduci debent omnia in quo erant tempore Appellationis remiffæ. *De Appellationibus.* Cap. *Ad præfentiam.* §. *Ideòque.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 16.

X. Qui poft Sententias Sufpenfionis & Excommunicationis in fe datas celebrare præfumpferit, Sententia perpetuæ depofitionis in ipfum ferri debet. *De Dolo & Contumacia.* Cap. *Veritatis.* §. *Nos igitur. med. Cum Gloffa.* LIB. II. DECR. *Tit.* 14. Cap. 8.

XI. De eo quod Excommunicatus Miffarum Solemnia agere præfumpferit, judicio Epifcopi committitur quâ debeat Pœnitentiâ talis culpa purgari. CAUS. II. QUÆST. V. *Cap.* 9. *Quæ de. med.*

XII. Qui per annum aut ampliùs in Excommunicatione infordefcit, non caret fcrupulo hæreticæ pravitatis. Qui jam per duos annos & ampliùs in Excommunicatione perfiftens, juri parere pertinaciter renuit, Claves Ecclefiæ in fuæ falutis difpendium & plurimorum fcandalum contemnendo; hujufmodi pertinacia non caret fcrupulo hæreticæ pravitatis. *De Pœnis.* Cap. *Gravem. init. in int.* LIB. V. DECR. *Tit.* 37. Cap. 13.

Si Excommunicatus . . . animo obdurato, Cenfuris annexus, in illis per annum infordueris, etiam contrà eum, tamquàm de hærefi fufpectum, procedi poffit. *Cap.* 3. SESS. XXV. *De Reform. in fine.* Vid. GONZALEM *in Cap.* 13. *De Hæretic.* §. *Qui autem.* a. 1.

SECTIO VII.

An, & quomodo Ecclefiaftica Sepultura fit Excommunicatis deneganda?

I. Non licet Excommunicatos & interdictos ad Ecclefiafticam Sepulturam recipere. *De Sepulturis.* Cap. *In noftra. init.* Colligitur. LIB. III. DECR. *Tit.* 28. Cap. 10.

II. Cui communicabatur viventi, communicandum eft jam defuncto. *Ibid.* Cap. *Ex parte. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 28. Cap. 11.

III. Nos quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non poffumus. CAUS. XXIV. QUÆST. II. Cap. 1. *De Communione. fin.*

IV. Sacris eft Canonibus inftitutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis, & ut careant Ecclefiaftica Sepultura qui priùs erant ab Ecclefiafticâ unitate præcifi, nec in articulo mortis fuerint reconciliati. *Ibid. De Sepulturis.* Cap. *Sacris. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 28. Cap. 12.

V. Conftat ex oppofito, quoniam quibus vivis communicavimus, mortuis quoque communicare poffimus. *Ibid.* CAUS. XXIV. QUÆST. II. *Cap.* 3. *Sanè. poft init.*

VI. Si contingat interdum quod vel excommunicatorum corpora per violentiam aliquorum, vel alio cafu, in Cœmeterio Ecclefiaftico tumulentur; fi ab aliorum corporibus difcerni poterunt, exhumari debent, & procul ab Ecclefiafticâ fepulturâ jactari. *Ibid.* §. *Undè.*

VII. Quibus vivis non communicavimus, nec mortuis communicare debemus. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 37. *Quicumque. fin.*

VIII. Quod fi difcerni non poterunt, expedire non videtur, ut cum Excommunicatorum offibus, corpora extumulentur fidelium; cùm licet non obfit juftis fepultura nulla vel vilis, impiis tamen celebris vel fpeciofa non prodeft. *Ibid. fin.*

IX. Excommunicato, qui fuit dùm ageret in extremis, per Presbyterum fuum, juxtà formam Ecclefiæ, abfolutus, non debent Cœmeterium & alia Ecclefiæ fuffragia denegari. *Ibid. De Sepulturis.* Cap. *Parochiano. med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 28. Cap. 14.

X. Si quos exempti in Excommunicatione defunctos, in Cœmeteriis Ecclefiarum fepelierint, eos extrà Cœmeteria ejiciant. *De Privilegiis.* Cap. *Ad hæc. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 5.

XI. Quod fi facere noluerint, Epifcopus hoc, de his quos in Excommunicatione defunctos effe conftiterit, exequetur. *Ibid. fin.*

XII. Cùm excommunicatus in ægritudine conftitutus, acceptâ Pœnitentiâ de commiffis, fuit à Sententia Anathematis abfolutus; moriens, Appellatione ceffante, Ecclefiafticam Sepulturam habere debet. *Cap.* 5. *In Literis. De Raptoribus.* DECR. LIB. V. *Tit.* 17.

XIII. Ne aliqui Sæculares aut Regulares, quibufcumque exemptionis feu libertatis Sedis Apoftolicæ privilegiis communiti, excommunicatos publicè vel interdictos, ad Divina Officia, feu Ecclefiaftica Sacramenta, vel Ecclefiafticam Sepulturam admittant. *In* 6. *De Privileg.* Cap. *Epifcoporum. med.* LIB. V. *Tit.* 7. *Cap.* 8.

XIV. Qui contrà præfumpferint, præter alias pœnas à jure ftaturas, ingreffum Ecclefiæ fibi noverint interdictum, donec ad arbitrium ejus cujus Sententiam contempferunt, fatisfecerint competenter. *Ib. fin.*

SECTIO VIII.

De Excommunicatione & Abfolutione mortuorum.

I. Etfi Ecclefiæ legitur attributa poteftas ligandi atque folvendi homines fuper terram, tamen poteft etiam folvere & ligare fub terra fepultos. *De Sent. Excomm.* Cap. *A nobis.* §. 3. *Nec obftat. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 28.

II. Etiam poft mortem Anathema dicitur. *De Hæreticis.* Cap. *Si quis Epifcopus.* LIB. V. DECR. *Tit.* 7. Cap. 5.

III. In certis cafibus à Canonibus denotatis ligaffe legitur Ecclefia mortuos & folviffe. *Ibid. fin.*

IV. Quid nobis cum mortuis inire bellum, ubi nulla invenitur in congreffione victoria apud Judicem, verùm jam tenentur à quo nullus appellat. *Epiftola* PONTIANI *ad* JUSTINIANUM, *De tribus Capitulis.* TOM. V. CONC. *p.* 324.

V. Poteft

V. Poteſt & debet excommunicato, qui non ſuſcepto beneficio abſolutionis deceſſit, Eccleſiæ beneficio ſubveniri, ut ſi de ipſius viventis pœna per evidentia ſigna conſtiterit, defuncto etiam abſolutionis beneficium impendatur. *§.* 2. *Unde, fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 28.

VI. Non obſtat quod legitur: *Non communicetur mortuo cui non eſt communicatum vivo*; cùm etſi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuiſſet, quem non contemptus Religionis, ſed neceſſitatis articulus impedivit. *Ibid.* §. 1. *nec obſtat. fin.*

VII. Illius mortui abſolutio à Sede Apoſtolica requiratur, qui cùm viveret ab eâ fuerat abſolvendus; aliorum autem abſolutio cæteris indulta eſt, à quibus, dum viverent, fuerant abſolvendi. *Ibid.* *§. Ut autem.*

VIII. Abſolutionis forma ſervetur, ut fiat cum Pœnitentiali, Pſalmo, & tam Oratione Dominica quàm alia conſueta. *Ibid.* *§. Abſolutionis.*

Hæredes quoque ipſius ad ſatisfaciendum pro ipſo, ſi monitione præmiſſâ noluerint, per diſtrictionem Eccleſiaſticam compellantur. *Ibib.* Cap. 18. *A nobis.* *§. ultimo.* Qui in eadem perſiſtens damnatione defunctus eſt, abſolutionem quam ſuper teſtes nec quæſivit omninò nec meruit, mortuus jam non poteſt impetrare. CAUS. XXIV. QUÆST. II. Cap. 4. *Nec quiſquam. init.*

De eo qui in Divino eſt judicio, nobis fas non eſt aliud decernere, præter id in quo eum dies ſupremus invenit. *Ibid. poſt med.* Cap. 4. *Nec quiſquam.* Vid. CAUS. XXIV. QUÆST. II. *Cap.* 6. *Sanè.*

Ex collectis deciſionibus ſequitur, quod judicium de defuncto ſitum eſt in examine ſtatûs in quo erat tempore mortis, nempè an in communione Eccleſiæ, an extra: quod contingere poteſt, vel facto, vel jure; facto, ſi quis excommuni atus decedit poſt ſigna pœnitentiæ, ac abſolutionis voti, hocque caſu, jure erat in Eccleſia, extrà Eccleſiam facto: è contrà erat jure extra, etſi facto in illa erat, ſi invalidè abſolutus fuit antè mortem, & de invaliditate abſolutionis conſtet, et eo quod cùm poſſet ſatisfacere, noluit. Plura ſunt hujuſce judicii exempla in Hiſtoria Eccleſiaſticâ, præſertim in *Concilio* NICÆNO II ab HADRIANO I. Allata Sententia quæ fertur eſt declaratoria hujus ſtatûs, cum juſſione ut ſuffragia Eccleſiaſtica defuncto dentur vel denegentur. Quid ſimile fit in proceſſu contrà defunctorum cadavera qui ſeſe interemerunt, vel in rebellione vel ſeditione deceſſerunt.

SECTIO IX.

De Excommunicatione ad finem, ut aiunt, revelationis; à quo, & quibus in cauſis ferri poſſit?

I. Excommunicationes illas quæ monitionibus præmiſſis, ad finem revelationis, ut aiunt, aut pro deperditis ſeu ſubtractis rebus ferri ſolent, à nemine prorſus, præterquàm ab Epiſcopo, decernantur. *Conc.* TRID. SESS. XXV. DECR. II. *De Refor.* Cap. 3. *poſt init.*

II. Tunc non aliàs quàm ex re non vulgari, cauſa quam diligenter ac magna maturitate per Epiſcopum examinata, quæ ejus animum moveat, decernatur. *Ibid.*

III. Ad eas concedendas cujuſvis Sæcularis, etiam Magiſtratûs, autoritate, Epiſcopus non adducatur; ſed totum hoc in ejus arbitrio & conſcientia ſit poſitum, quandò ipſi pro re, loco, perſonâ, aut tempore, eas decernendas eſſe judicaverit. *Ibid.*

Non obſervatur in Gallia, cujus uſus præſcribitur *Tit.* 7. *Ordinationis Criminalis* anni 1670.

IV. In Cauſis judicialibus mandatur omnibus Judicibus Eccleſiaſticis, cujuſcumque dignitatis exiſtant, ut quandocumque executio realis vel perſonalis in qualibet parte judicii propriâ autoritate ab ipſis fieri poterit, abſtineant ſe tàm in procedendo, quàm definiendo à Cenſuris Eccleſiaſticis ſeu Interdicto. *Ibid.*

V. Si Executio realis vel perſonalis adverſus reos fieri non poterit, ſitque erga Judicem contumacia, tunc reos etiam anathematis mucrone arbitrio ſuo præter alias pœnas ferire poterit. *Ibid.*

VI. In cauſis quoque criminalibus, ubi executio realis vel perſonalis, ut ſuprà, fieri poterit, erit à cenſuris abſtinendum. *Ibid.*

VII. Si dictæ executioni facilè locus eſſe non poſſit, licebit Judici hoc ſpeciali gladio in delinquentes uti; ſi tamen delicti qualitas, præcedente binâ ſaltem monitione, etiam per edictum, id poſtulet. *Ibid.*

VIII. Excommunicationes quæ ad finem revelationis, aut pro deperditis rebus fieri ſolent, ab Epiſcopo aut ejus autoritate, & ex re non vulgari, cauſâque diligenter examinatâ, decernantur, nec ad eas concedendas cujuſvis Magiſtratus authoritate adducatur; ſed totum hoc in arbitrio Epiſcopi aut ejus Officialis & conſcientia ſit poſitum. *Conventus* MALODUN. *Statutorum. Tit.* 31. *Art. ultimo.* ann. 1579.

Cætera quæ Galli noſſe debent circà hanc Excommunicationem, habebunt, Deo dante, in collatione Ordinationum Regiarum cum Decretis Tridentinis, ad quorum executionem factæ videntur, cum modificationibus in hoc Regno neceſſariis.

Interim tamen ut ſimul habeatur Uſus Gallicanus cum Jure Communi deſumpto ex Deciſionibus Concilii Tridentini ſuprà relatis, deſcribetur hic totus *Tit.* 7. *Ordinationis Criminalis* hunc uſum continens. Sed priùs notandum 1o. Quod *Tit. De Teſtibus cogendis*, & *Titulus De Sententia Excommunicationis*, fundamentum ſunt utriuſque Juris, tùm Communis, tùm Gallici; docent ſiquidem contumaciam Teſtium in re gravi dignam eſſe Excommunicatione, qualecumque ſit negotium, ſive criminale ſive civile. 2o. Ut autem res ſit gravis, oportere ut tranſgreſſio circà illam ſit adminus mortalis; alioquin proportio nulla eſſet inter culpam & pœnam, quæ cùm maximè ſit neceſſaria, conſequens eſt ut culpam quæ maxima ſit expoſcat.

3o. In Decreto & in Ordinatione agi præcipuè de Monitorio judiciali, cùm loquantur de illo in quo locum habet executio realis vel perſonalis, quæ eſt actus judicialis; præcipitur enim à Judice, ejuſque autoritate fit: hoc autem Monitorii genus à Monitorio extrajudiciali differt, præſertim in eo, quod ſi agatur de causâ Sæculari pertinente ad forum ſæculare, in iſto Monitorio alius eſt Judex permittens obtineri Monitorium, nempè Judex Sæcularis; alius Judex concedens, nempè Judex Eccleſiaſticus, cujus ſolius eſt Monitorium annuere, quæ circumſtantiæ numquam occurrunt in Monitorio extrajudiciali. Præterea Monitorium prioris generis ab Officiali obtineri ſolet; extrajudiciale verò ab Epiſcopo vel ejus Vicario Generali obtineri debet & ſolet.

4o. In utroque Jure pœnam Excommunicationis hoc in caſu ſubſidiariam eſſe, ideòque non adhibendam niſi in defectum aliarum, ad detegendam veritatem rationum ſeu viarum neceſſariarum; præſertim cùm agitur de re temporali, quæ ex genere ſuo autoritate temporali recuperari debet, cùm excommunicatio nonniſi à Poteſtate ſpirituali emanare poſſit.

5o. Jure Communi Excommunicatio hoc in caſu non adhibetur, niſi contra teſtes notos teſtificari injuſtè recuſantes. *tot. Tit De Teſtibus cogendis*, ubi ex undecim Capitibus quibus conſtat, nullum eſt quod de hujuſmodi Teſtibus non loquatur; è contra Jure Gallico re vel minis profertur, ſive Teſtes noti ſint & recuſent, ſive ignoti vel non recuſent; quod congruentius, cùm ad hoc medium recurratur ad alia habenda neceſſaria ad detegendam veritatem quam refert noſſe & revelationes quibus opus eſt. Ex iſtis ſunt & utiliſſimæ ad notitiam veritatis occultæ. Reliquæ differentiæ inter utrumque Jus poſt relatum Titulum citatum recenſebuntur.

ORDI-

ORDINATIONIS CRIMINALIS, *Ann.* 1670.

TITULUS VII. *De Monitoriis. T. de Testib. cogend.*

Articulus I. Tit. de Sent. Excomm.

OMnes Judices, etiam Ecclesiastici, necnon & Dominorum, poterunt permittere ut obtineantur Monitoria, etiamsi nullum sit initium probationum, nec recusatio depositionis ex parte Testium.

Articulus II.

Injungimus Officialibus, sub pœnâ saisinæ sui temporalis, ut concedant Monitoria, quæ Judex obtineri permiserit.

Articulus III.

Monitoria nulla alia facta continebunt præter ea quæ erunt comprehensa judicio, quo licebit illa impetrare, sub nullitatis pœnâ, tàm Monitoriorum, quàm eorum quæ in consequentiam erunt facta.

Articulus IV.

Personæ non poterunt nominari nec designari à Monitoriis, sub pœnâ centum librarum mulctæ contrà Partem Adversam, & majoris, si opus est.

Articulus V.

Curati & eorum Vicarii tenebuntur sub pœnâ saisinæ sui temporalis, ad primam requisitionem, facere promulgationem Monitorii, quæ poterit nihilominùs, in casu recusationis, fieri ab alio Presbytero ex Officio nominato à Judice.

Articulus VI.

Si post saisinam temporalis Officialium, Curatorum, aut Vicariorum ipsis significatam, recusent concedere & promulgare Monitorium, nostris Judicibus licebit statuere distributionem utrorumque redituum, aut hospitalibus, aut pauperibus locorum faciendam.

Articulus VII.

Officiales non poterunt assumere, nec pro quoque Monitorio exigere, ultrà triginta asses, nec eorum Scriba ultra decem, comprehensis juribus sigilli, nec Parochis aut Vicariis ampliùs quàm decem assignabuntur asses, sub pœnâ restitutionis quadrupli, nec tamen in locis in quibus ex usu minùs datur jura possint augeri.

Articulus VIII.

Qui sese opponunt promulgationi Monitorii, tenebuntur eligere domicilium in loco Jurisdictionis Judicis, qui permiserit hujus obtentionem, sub pœnâ nullitatis eorum oppositionis; & poterunt sine commissione aut mandato assignari ibi, ut comparerant quâdam die & hora, saltem intrà tres dies, non seriùs, nisi esset appellatio ab abusu.

Articulus IX.

Oppositio coram Judice agitabitur assignationis ipso die, & judicium quod interveniet executioni mandabitur, non obstante oppositione aut appellatione, etiam ab abusu. Prohibemus ne nostræ Curiæ & alii omnes Judices, dent prohibitiones aut supersedentias, ne executioni mandentur, nisi postquàm viderint Informationes & Monitorium, & super conclusiones nostrorum Procuratorum; Declaramus irritas omnes illas quæ possent aliter obtineri: Statuimus ut absque eo necessè sit manûs amotionem petere, Senatus-consulta, judicia & Sententiæ executioni mandentur, & Partes Adversæ quæ obtulerint requisitionem, ad finem prohibitionum aut supersedentiarum, & Procuratores præpositi ad hoc, damnentur, (unusquisque) centum Libris mulctæ, quæ non poterit remitti aut moderari, applicabilis pro dimidio ad nos, & ad Partem Adversam pro dimidio.

Articulus X.

Revelationes quas acceperint Curati aut Vicarii, mittentur ab eisdem sigillatæ ad Acta Publica Jurisdictionis in quibus lis pendebit, & providebitur à Judice ad itineris impensas, si opus sit.

Articulus XI.

In materia criminali, Procuratoribus nostris, necnon & Dominorum, & Promotoribus in Officialitatibus, communicabuntur revelationes Testium, & Partibus civilibus nomen illorum, & domicilium tantùm indicabuntur.

Per collationem hujus Tituli cum Decreto suprà citato, Jus Gallicum differt adhùc à Jure Communi. 1°. In solemnitatibus adhibendis. 2°. In pœnis contra Prælatos concedere recusantes vel publicare, quæ eædem sunt, eodemque modo applicandæ. 3°. In salario præfixo concedentibus & Scribæ, necnon & publicantibus. 4°. In procedendo contrà oppositiones. 5°. In usu revelationum, quæ communicandæ sunt Parti Publicæ, sola verò nomina & domicilium eorum qui deposuerunt Parti Privatæ. 6°. In his denique omnibus, quæ concernunt appellationes ab abusu in Monitoriis nonnumquàm adhibitis.

SECTIO X.

De aliis Excommunicationum speciebus notabilioribus; sive, pro quibus criminibus incurratur Excommunicatio?

I. Clerici qui scienter & sponte participant excommunicatis à Papâ, & ipsos in Officiis recipiunt; eadem Excommunicationis Sententiâ cum ipsis involvuntur, & pro beneficio absolutionis habendo ad Sedem Apostolicam remitti debent. *De Sent. Excomm.* Cap. *Significavit.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 18.

II. Qui Ecclesias violenter confregerunt, easque spoliare minimè dubitaverunt, excommunicati nonciari debent, & sicut excommunicati arctiùs evitari, donec passis injuriam congruè satisfaciant, & damna data resarciant, & Apostolico se conspectui repræsentent. *Ibid.* Cap. *Conquesti.* §. *Quoniam.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 22. Violans immunitatem Ecclesiasticam excommunicatus est. *Gloss.*

III. Ob violationem immunitatis Ecclesiasticæ excommunicatus quis publicè nunciari potest. *Ibid.* Cap. *Cùm pro causâ*, LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 27.

Omnes Hæretici utriusque sexûs, quocumque nomine censeantur, & fautores & receptatores & defensores eorum, sunt excommunicati. *De Sent. Excomm.* Cap. *Noverit.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 49.

IV. Si concubinæ publicæ Clericorum Ecclesiasticæ Censuræ districtione notentur; eosdem concubinarios non est dubium Sententiâ majoris Excommunicationis involvi, qui post latam Sententiam communicant in eodem crimine criminosis. *De Sent. Excomm.* Cap. *Si concubinæ*, LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 55.

V. Qui

V. Qui poſt latam Sententiam Majoris Excnmmonicationis, communicant in eodem crimine criminoſis, eadem Sententiâ Majoris Excommunicationis involvuotur. *Ibid.*

VI. Quicumque Laïci illâ incontinentiâ quæ contra naturam eſt, propter quam quinque Civitates ſunt igne conſumptæ, deprehenſi ſuerint laborare, Excommunicationi ſubdantur, & à cœtu fidelium penitùs arceantur. *De exceſſib. Prælatorum.* Cap. *Clerici.* Lib. V. Decr. *Tit.* 31. Cap. 4.

VII. Qui locis Interdicto ſuppoſitis quemquam Divina celebrare Officia quomodolibet cogere præſumpſerint, Excommunicationis Sententiâ, à qua per Sedem dumtaxat Apoſtolicam poſſint abſolvi, innodantur. Clementinarum *De Sent. Excom.* Cap. *Gravis.* fin.

VIII. Illi Excommunicationia Sententiâ innodantur, qui ad Officia eadem audienda aliquos Excnmmunicationis præſertim vel Interdicti ligatos Sententiâ evocare, ſeu qui excommunicati publicè, aut interdicti, de Eccleſiis, dum in ipſis Miſſarum aguntur Solemnia, à celebrantibus ut exeant moniti, prohibere præſumpſeriut. *Ibid.*

IX. Illi excommunicantur qui excommunicati publicè & interdicti; qui in ipſis Eccleſiia nominatim à celebrantibus, ut exeant moniti, remanere præſumpſerint. *Ibid. fin.*

X. Sciant cuncti qui Clericos, vel quaslibet alias perſonas Eccleſiaſticas, ad quos in aliquibus Eccleſiis, Monaſteriis, aut piis locis ſpectat electio, pro eo quod rogati ſeu aliàs inducti, eum pro qoo rogabantur, ſeu inducebantur, eligere noluerint; vel conſanguineos eorum, aut ipſas Eccleſias, Monaſteria, ſeu loca cætera Beneficiis, ſive aliis bonis ſuis, per ſe vel per alios ſpoliando, ſeu aliàs injuſtè perſequendo gravare præſumpſerint, ſe ipſo ſacto Excommunicationis Sententia innodatos. *In 6. De Elect.* Cap. *Sciant.* Lib. I. *Tit.* 6. Cap. 12.

XI. Generali Conſtitutione ſancitum eſt, univerſos & ſingulos, qui Regalia, cuſtodiam, ſive guardiam, advocationis ſeu defenſionis titulum, in Eccleſiis, Monaſteriis, ſeu quibuslibet aliis piis locis, de novo uſurpare conantes, bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, aut locorum ipſorum vacantium occupare præſumunt, quantæcumque dignitatis honore præfulgeant; Clericos etiam Eccleſiarum, Monachos Monaſteriorum, & perſonas cæteras locorum eorumdem, qui hoc fieri procurant, eo ipſo Excommunicationis Sententiæ ſubjacere. *Ibid. In 6. De Elect.* Cap. *Generali. init.* Lib. I. *Tit.* 6. Cap. 13.

XII. Hi quos ad dirigendas in electionibus Moniales contigerit evocari, ab his prorsùs abſtineant, per quæ inter eas ſuper faciendis ipſis electinnibus oriri poſſit diſcordia, vel exorta outriri; aliàs eo ipſo Excommunicationis Sententiæ ſe noverint ſubjacere. *In 6. De Electione.* Cap. *Indemnitatibus.* §. antèpenultimo. *Paſtremò.* Lib. I. *Tit.* 6. Cap. 41.

XIII. Qui abſolutionem ſeu revocationem ab excommunicationis Sententiâ, aut Suſpenſionis, ſeu etiam Interdicti, vi vel metu extorſerint, Excommunicationis Sententiæ ſubjacent. *In 6. De his quæ vi &c.* Cap. un. *Abſolutionis.* Lib. I. *Tit.* 2. Cap. unico. §. *Ne autem.*

XIV. Sub interminatione Anathematis prohibitum eſt, ne quis audeat reſcindere Teſtamenta. *De Teſtamentis.* Cap. *Cùm eſſet.* fin. Lib. III. Decr. *Tit.* 26. Cap. 10.

XV. Ejus excommunicati, qui dum in extremis ageret, ſuit abſolutus, hæredes & propinqoi ad quos bona pervenerunt ipſius, ut pro eodem ſatisfaciant, Cenſurâ ſunt Eccleſiaſticâ compellendi. *De ſepulturis.* Cap. *Parrochiano.* fin. Lib. III. Decr. *Tit.* 28. Cap. 14.

XVI. Qui propriæ temeritatis, audaciâ defunctorum corpora in cœmeteriis, Interdicti tempore, in caſibus non conceſſis à Jure, vel excommunicatoa publicè aut nominatim interdictos; vel uſurarios manifeſtos, ſcienter ſepelire præſumunt, ipſo facto Excommunicationis Senrentiæ ſubjacent. Clementinarum *De ſepulturis.* Cap. *Eos qui.* Lib. III. *Tit.* 7. Cap. 1.

XVII. Ab eâ Excommunicatione nullatenùs abſolvantur, niſi priùs ad arbitrium Diœceſani Epiſcopi, eis quibus per præmiſſa fuerit injuria irrogata, ſatisfactionem exhibnerint competentem. *Ibid.*

XVIII. Nullum eis circa præmiſſa exemptionis, vel quodvis aliud privileginm, ſub quâcumque formâ verborum conceſſum, aliqualiter ſuffragari poteſt. *Ibid. fin.*

XIX. Si quis occaſione Statuti quo Clericis prohibita eſt ſanguinis vindicta, Eccleſiis vel Eccleſiaſticis perſonis aliquod præſumpſerit inferre diſpendium, per Cenſuram Eccleſiaſticam compeſcatur. *Ne Clerici vel Monachi &c.* Cap. *Sententiam. poſt init.* Lib. III. Decr. *Tit.* 50. Cap. 9.

XX. Qui Eccleſiarum incendium, Diabolo inſtigante, commiſit, eſt ipſo jure excommunicatus. *De raptorib. & incendiariis &c.* Cap. *In litteris.* *Gloſſa* colligit, verbo, *Anathematis.* Lib. V. Decr. *Tit.* 17. Cap. 5.

XXI. Omnes falſarii Literarum Apoſtolicarum, qui per ſe vel alios vitium falſitatis exercent, cùm fautoribus & defenſoribus ſuis, Anathematis vinculo ſunt innodati. *De crimine falſi.* Cap. *Ad falſariorum.* Lib. V. Decr. *Tit.* 20. Cap. 7. *med.*

XXII. Laici qui ſub nomine Papæ Litteris falſis utuntur, tamdiù manent Excommunicationi ſubjecti, donec ſatisfaciant competenter. *Ibid.* §. *Qui verò.*

XXIII. Religioſi quicumque, tàm exempti quàm non exempti, cujuſcumque Ordinis & conditionis exiſtant, cùm Cathedralem vel matricem ſeu Parrochialem loci Eccleſiam Interdicta viderint aut ſciverint, obſervare; ſi ea non ſervaverint, Excommunicationis Sententiæ hoc ipſo ſubjaceant. Clementin. *De Sent. Excom.* Cap. *Ex frequentib.* §. *Nos igitur.* Lib. V. *Tit.* 10. Cap. 1.

XXIV. Quod etiam in Interdictis, & ceſſationibus à Divinis, indictis per Provincialium Conciliorum Statuta, vel ipſorum auctoritate, & ceſſationibus generalibus à Divinis, Civitatum, terrarum, & aliorum locorum, quas aliquando, ex conſuetudine vel aliàs, Capitula, Collegia, vel Conventus Sæcularium aut Regularium Eccleſiarum ſibi vendicant, debet obſervari. *Ibid.* §. 2. & 3.

TITULUS X.

De Suſpenſione

Deciſiones Juris propriis verbis conceptæ.

I. SI Clerici coràm Epiſcopo de criminibus in jure confeſſi ſunt, ſeu legitima probatione convicti, dummodò ſint talia crimina propter quæ ſuſpendi debeant vel deponi, non immeritò ſuſpendendi ſunt à ſuis Ordinibus, vel ab Altaris miniſterio perpetuò removendi. *De Judiciis.* Cap. *Etſi.* §. *Si verò.* Lib. II. Decr. *Tit.* 1. Cap. 4.

Vide Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 12. *Cùm olim. in int.* quod docet Suſpenſionem irritare actus ſibi contrarios.

II. Poteſt Clericus ab Officio Beneficioque ſuſpendi. *De dolo & contumaciâ.* Cap. *Veritatis.* §. 1. *Verùm.* Lib. II. Decr. *Tit.* 14. Cap. 8.

III. Suſpenſio à Judicibus facta, autoritate Apoſtolica confirmari poteſt. *Ibid.* §. *Tandem.* Ne quiſquam inſons ab Ordinis ſui miniſterio dejiciatur injuſtè. Distinct. LXXIV. *Cap.* 2. *Geſta. fin.*

IV. Prælati, niſi Canonicâ commonitione præmiſſâ, Suſpenſionis Sententiam non proferant in ſubjectos,

nisi fortè talis sit culpa quæ ipso sun genere Suspensionis pœnam inducat. *De Appellationibus.* Cap. *Reprehensibilis.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 26.

V. Clerico ab officio suo suspenso, si litteras à Sede Apostolica obtinuerit, quæ facti seriem nnn continerent, illæ prodesse non possunt. *De Cohabitat. Clericor.* Cap. *Super eo.* LIB. III. DECR. *Tit.* 2. Cap. 5. §. *Porrò.*

VI. Qui post primam & secundam correctionem fuerit repertus culpabilis, in assumendo indignos ad Beneficia Ecclesiastica, à Beneficiis conferendis per Concilium suspendi debet. *De Præbendis.* &c. Cap. *Grave.* LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 29.

VII. Hujusmodi Suspensionis Sententia præter Romani Pontificis autoritatem minimè relaxetur. *Ibid.* §. *Ut autem.*

VIII. Suspensus non valet in conferendis Præbendia uti propria potestate. *De Concessione Præbendæ.* Cap. *Quia.* §. *Mandamus. med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 5.

Etsi fuerit aliquis suâ culpâ suspensus, non imputatur ei quod ex illa culpa processit. *Ibid. juncta Glossa*, verbo, *Suspensus.*

Falsa videtur illa interpretatio, quia agebatur de Suspensione facti, non juris, quæ proveniebat ex impedimento à Principe posito. Vid. GONZALEM qui illud interpretatur de Suspensioue facti, seu impedimento facti, non juris.

IX. Si Clericos Religionem fidei & juramenti violasse constiterit, ab Officio & Beneficio suspendi debent. *De fidejussoribus.* Cap. *Pervenit.* LIB. III. DECR. *Tit.* 22. Cap. 2. *fin.*

X. Quos in Ecclesia lege sibi Diœcesana subjecta, post Interdictum Divina celebrari cognoverit Episcopus, pœnâ Suspensionis invasete debet. *De Privilegiis.* Cap. *Suarum.* §. 3. *Eos verò.*

XI. Presbyteri suspensi ab Episcopis suis, & per alios ad Officia sua temerè restituti, in eamdem Sententiam Suspensionis reduci debent. *Ibid. fin.* De reductione facti, non juris intelligendum, cùm adhuc Suspensio maneret de jure.

XII. Qui à suis Ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus Ecclesiasticis, à suo Prælato fuerit suspensus, nulla contra ipsius Prælati voluntatem ad priores Ordinis gradus, & dignitatis, sive honoris, restitutio suffragetur. *Conc.* TRID. SESS. XIV. *De Ref.* Cap. 1. *fin.*

XIII. Constitutum est nullum Clericum qui nondum convictus sit, suspendi à communione debere, nisi ad causam suam examinandam se non præsentaverit. CAUS. II. QUÆST. I. Cap. 11. *Nomen. fin.*

XIV. Sacerdos qui manifestum usurarium Christianæ tradiderit sepulturæ, donec ad arbitrium Episcopi satisfaciat, ab Officii sui maneat executione suspensus. *De usuris.* Cap. *Quia in omnibus. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 19. Cap. 3.

XV. Diaconus Missarum celebrationem usurpans, etiam à Diaconatu, pro Episcopi provisione, manere debet suspensus. *De Clerico non ordinato ministrante.* Cap. *Ex litteris.* §. *Consultat.* LIB. V. DECR. *Tit.* 28. Cap. 2.

XVI. Omnes Clerici qui Interdictum damnabiliter violant, suspendi debent ab Officio & Beneficio, & ab omni Jurisdictione. *De Excessibus Prælatorum.* Cap. *Tanta* §. *Quia verò.* fin. *juncta Rubrica.* LIB. V. DECR. *Tit.* 31. Cap. 18

XVII. Clerici ab Officio & Beneficio denunciari possunt esse suspensi, donec mereantur indulgentiam Superioris obtinere. *De Testibus.* Cap. *Tam litteris.* §. *Archipresbyterum.* LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 33.

XVIII. Suspensio post Appellationem lata etiam relaxari debet. *Ibid. De Testibus.* Cap. *Dilecta.* fin. LIB. II. DECR. *Tit.* 20. Cap. 40.

Hic modus loquendi, *Sciatis vos ab Officio & Beneficio Ecclesiastica suspensos*, sonat Censuram latæ Sententiæ. *De Testibus cogendis.* Cap. *Cùm super.* Colligitur.

XIX. Suspensus ab Officio & Beneficio non admittitur ad agendum pro Ecclesiæ ordinatione. *De Exceptionibus.* Cap. *Apostolicæ. Glossa* colligit. LIB. II. DECR. *Tit.* 25. Cap. 9.

XX. Suspensionis Sententia, in modum exceptionis objecta, licet nulla esse per testes idoneos & instrumenta probari possit, ne tamen Ordinationem Ecclesiæ hujusmodi objectionis obstaculo contingat retardari, relaxari debet ad cautelam. *De Exceptionibus.* Cap. *Apostolicæ.* LIB. V. DECR. *Tit.* 25. Cap. 9.

XXI. Post satisfactionem condignam Suspensionis & Interdicti Sententia relaxari debet. *De Electione.* Cap. *Cùm inter.* §. *Ideoque.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 16.

XXII. Qui eligunt contra Ecclesiasticam libertatem, per impressionem Sæcularis Potestatis, suspenduntur per triennium ab Officiis & Beneficiis. *De Electione.* Cap. *Quisquis.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 43.

XXIII. A perceptione proprii Beneficii suspenditur qui ex negligentia indignum electum confirmat. *Ibid.* Cap. *Nihil est. De Elect.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 44.

XXIV. Episcopus de jure nullam Suspensionis Sententiam incurrit, nisi de ipso expressa mentio habeatur. *In 6. De Elect.* Cap. *Si compromissarius.* LIB. I. *Tit.* 6. Cap. 37. §. *Hujusmodi.* Cap. 4. *De Sent Excom. In 6.* Quod fons est alterius cùm ab isto citetur.

XXV. Pœnitentiarii Papæ cum quibusdam suspensis dispensare possunt, vel iis tradere litteras per quas cum ipsis debeat dispensari. *In 6. De temporibus ordinationum.* Cap. *Sæpè.* §. *ult.* Colligitur. LIB. I. *Tit.* 9. Cap. 1.

XXVI. Archiepiscopus potest Sententiam Suspensionis in Episcopum Suffraganeum promulgare. *De Sent. Excomm.* Cap. *Venerabili.* Colligitur. LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap 52.

XXVII. Cùm de viribus Sententiæ Suspensionis dubitatur, ea relaxari potest ad cautelam à Superiore, præstito corporaliter juramento quod suspensus parebit mandatis quæ idem suspendens sibi propter hoc fecerit, si constiterit ipsum in eo pro quo fuit lata prædicta Sententia, culpabilem extitisse. *Ibid. De Sent. Excomm.* Cap. *Venerabili.* juncta *Rubrica & Glossa.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 52.

XXVIII Qui Canonicorum filios, maximè spurios, in eisdem Ecclesiis in quibus instituti sunt Patres eorum, canonicare præsumpserint; à suis Beneficiis suspenduntur. *De filiis Presbiterorum.* Cap. *Ad absolvendum.* fin. LIB. I. DECR. *Tit.* 17. Cap. 16.

XXIX. Licet Episcopis in Suspensionibus omnibus ex delicto occulto provenientibus dispensare: *Concil.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Reform.* Cap. 6.

Liceat Episcopis à Suspensionibus à delicto occulto provenientibus absolvere. *Cap. 6.* SESS. XXIV. *De Ref.*

XXX. Capitulum à Beneficiorum collatione suspendi potest. *Cap.* 1. *Ne sede vacante. In 6.*

Ex his decisionibus colligitur quidquid scitu dignius circa Suspensionem; nempè 1°. Suspensionem esse privationem Juris Ecclesiastici; sive Sæcularis, sive Regularis; per tempus determinatum, vel indeterminatum; pendens vel à correctione Rei, vel à Prælati arbitrio. 2°. Aliam esse totalem, quæ ab Ordine, Officio, Beneficioque suspendit; aliam pertialem quæ suspendit ab altero illorum. 3°. Aliam à Jure, quæ lege generali vel speciali fertur ipso facto incurrenda; aliam ab homine, quæ à Judice cum cognitione causæ post debitas monitiones pronunciatur. 4°. Utriusque violationem per exercitium Sacrorum Ordinum Irregularem efficere. 5°. Suspensionem esse actum Jurisdictionis exterioris, ideòque ferri posse à quocumque illam habente. 6°. Illius materiam gravem esse debere, scilicet peccatum mortale. 7°. Non habere effectus suos exteriores, nisi post denunciationem; tales autem esse qui alios quàm suspensum respiciunt. 8°. Episcopos istiusque Majores in Suspensionibus juris non comprehendi, nisi de illis expressa mentio fiat. 9°. Suspensiones, sicut alias Censuras, reservari posse à Lege, vel Summo Pontifici, vel aliis inferioribus sibi Prælatis, atque inter illas abrogatam fuisse reservationem quoad casus occultos, sive provenientes ex delicto occulto, nisi deducti fuerint cum effectu ad forum contentiosum, ut suprà expositum est dum de Censuris in genere.

TITU-

TITULUS XI.

De Depositione Clericorum, Notabiliores Decisiones Juris, ipsis Textuum verbis.

I. SEntentia perpetuæ depositioois in Episcopum lata, talis est, ut cùm Judex tam à Pontificali, quàm ab omni Officio Sacerdotali privans, sine spe restitutionis aliqua condemnet. *De Dolo & contumacia.* Cap. *Veritatis.* *§.* ult. *Nos igitur.* Lib. II. Decr. *Tit.* 14. Cap. 8.

II. In absentem Clericum contumacem fertur Sententia perpetuæ depositionis, obi meretur delictum. *Ibid. Glossa* colligit. Qui post Sententias suspensionis & Excommunicatioois in se datas celebrate præsumpserit, meretur perpetuò deponi. *Ib. Gl.* colligit.

III. In Clericos contumaces degradationis Sententia oon promulgetur, ut cum eis misericordiret, si expediat, faciliùs agi possit. *De Clericis non residentib.* Cap. *Ex tua.* §. *Contrà. fin.* Lib. III. Decr. *Tit.* 4. Cap. 11.

Cum Clerico deposito non est dispeosandum. *Ibid. Glossa.*

Qui deposuit non potest restituere. *Ibid. Glossa,* verbo finali, *Agi possit.*

IV. Si contra Prælatum aliquem absentem depositionis Sententia proferatur; contractus quos inir ignoranter posteà ut Prælatus, nullum robur obtinent firmitatis. *In 6. De Concess. Præb* Cap. *Quia functis.* *§.* 3. *Adjicieb. init.* Lib. III. *Tit.* 7. Cap. 1.

V. Contrà Jus Canonesque depositus honoris sui gradu carere uoo potuit. Caus. XVI. Quæst. I. *Cap.* 52. *Frater*. §. 1. *De nequissimo.*

In suâ debet reformari Ecclesiâ, atque in propriæ dignitatis Ordinem revocari. *Ibid.*

VI. Degradatio seu depositio perpetua ab Ordinibus vel gradibus Ecclesiasticis, duplex; verbalis, & actualis; sive realis, & solemnis. *In 6. De Pœnis.* Cap. *Degradatio.* Lib. V. *Tit.* 9. Cap. 2.

VII. Proprii Episcopi Sententia sufficit in degradatione eorum qui minores dumtaxat Ordines receperunt. *Ibid.*

VIII. Degradatio est diminutio Capitis, respectu Clericorum. *De Accusationibus.* Cap. *Qualiter.* il 2. Lib. V. Decr. *Tit.* 1. Cap. 24.

IX. Non potest quemquam à Sacerdotali gradu, nisi justis ex causis, concors Sacerdotum Sententia submovere. *De Sententia & re judicata.* Cap. *Non potest.* Lib. II. Decr. *Tit.* 27. Cap. 3.

X. Clericus oon degradatur, nisi propter aliquod flagitium grave, non solùm damnabile, sed damnosum. *De verborum significatione.* Cap. *Novimus.* Lib. V. Decr. *Tit.* 40. Cap. 27.

XI. Clericus degradatus, tanquàm exutus privilegio Clericali, Sæculari foro per consequentiam applicatur. *Ibid. Cap* 27.

XII. Cùm Clericus tanquàm membrum putridum ab Ecclesia perpetuò abscinditur, facere debet Judex vel Superior ut Beneficia sua personis idoneis per illos ad quos donario pertinet assignentur. *De Excessibus Prælat.* Cap. *Gravem. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 31. Cap. 15.

XIII. Clericus qui invasoribus Episcopi sui, vel complicibus, causam vel consilium præbet, taoquàm membrum putridum ab Ecclesia perpetuò abscindi debet. *Ibid.*

XIV. Episcopo per se, seu illius Vicario in Spiritualibus Generali, contrà Clericum in Sacris etiam Presbyteratùs Ordinibus constitutum, etiam ad illius condemnationem, necnon verbalem depositionem, procedete licet. *Concil.* Trid. Sess. XIII. *De Reform,* Cap. 4.

XV. Episcopo per se ipsum, etiam ad actualem atque solemnem degradationem ab ipsis Ordinibus & gradibus Ecclesiasticis, in casibus io quibus aliorum Episcoporum Pœnitentia in numero à Canonibus definito requiritur, etiam absque illis procedere licet. *Ibid. Concil.* Trid. Sess. XIII. Cap. 4. *De Reform.*

XVI. Adhiberi tamen & in hoc Episcopo assistere debent totidem Abbates, usum Mitræ & Baculi ex privilegio Apostolico habentes, si in Civitate aut Diœcesi reperiri & commodè interesse possint; alioquin aliæ personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, quæ ætate graves, ac Juris scientiâ commendabiles existant. *Ibid. fin.*

Paucissimæ hìc decisiones circà depositionem Episcoporum, quia de istâ seorsim & fusè actum est, dùm *de Causis Majoribus*; ibi collecti sunt & explicati Canones illam spectantes, dubia soluta; quæ sint Concilii Provincialis Partes, quæ Summi Pontificis, in illâ ample discussum est.

Reliquæ Decisiones quæ tàm alios Clericos quàm Episcopos respiciunt, docent depositionem differre in pluribus à Suspensione & ab Irregularitate Beneficiis succedente. Ab illâ in eo 1°. Quòd suspensio sit exclusio ab exercitio Ordinis, vel Officii, vel Beneficii, vel omnium simol ad tempus. 2°. Absolutione tollatur vel lapsu temporis. 3°. Sit ab homine, ut à lege, sine Solemnitate feratur. 4°. Non exigat certum numerum Prælatorum. 5°. Sit semper verbalis. E contrà depositio sit semper perpetua, ab illâ dispensari non valeat, sit tantùm à lege, sit realis sicut & verbalis, utraque egeat quandoque certo numero Prælatorum, & realis fiat semper cum variis Solemnitatibus.

Depositio quoque differt ab Irregularitate subsequenti, in eo quod si ista sit ex defectu & involuntaria, numquàm privat Beneficio; nec ab Officio, si defectus non impediat illius exercitium; si verò sit ex delicto, à Beneficio non privar semper, sed tantùm in casibus in Jure expressis; è contrà depositio privat semper ab omni Beneficio & Officio.

TITULUS XII.

De Interdicto.

SECTIO I.

Quid sit Interdictum, & quotuplex? Et in quas personas & loca feratur? Et propter quas causas debeat promulgari?

I. TErra interdicitur cùm in eâ inhibetur Divina Officia celebrari. *De Jurejur.* Cap. *Ex rescripto. fin.* Colligitur. *juncta Gl.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 9.

II. Regnum interdicitur cùm mandatur Archiepiscopis & Episcopis, quatenùs in quacumque Provinciarum illius, oulla Divina Officia, præter Baptismum parvulorum & Pœnitentias morientium, celebrent, vel permittant celebrari. De *Sponsalib.* Cap. *Non est.* §. *Nos itaque.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. Cap. 11.

III. Generale Interdictum dici debet, non solùm cùm Regnum vel Provincia, verùm etiam cùm Villa & Castrum Interdicto suppoountur; ut & io his locum habeat quod de Generali dicitur Interdicto. *De verbor. signif.* Cap. *Cùm in partibus.* Lib. V. Decr. *Tit.* 40. Cap. 17.

IV. Interdicti Sententiæ in Civitates, Castra, & quælibet alia loca, sive terras aliquas generaliter promulgantur. *In 6. De Sent. Excomm.* Cap. *Præsenti.* Colligitur. Lib. V. *Tit.* 11. Cap. 10.

V. Interdictum particulare, cùm locus aliquis, putà Ecclesia, supponitur interdicta. *De Privilegiis.* Cap. *Cùm & plantare.* *§. ult.* Colligitur. Lib. V. Decr. *Tit.* 33. Cap. 3.

Vide LIB. IV. DECR. *Tit.* 20. *De donationib inter. & t.* Cap. 5. *in int.* Agitur de Interdicto Regni Legione. fis, quo durante, licuit Divina Officia celebrare, vetitâ tamen fepulturâ Sacrâ, aliis quàm Clericis, quibus permiffa minùs folemnis. *Vide* GONZALEM.

VI. Si quis ex alia caufa fuit interdictus, Interdicti Generalis Sententiam, & tenetur fortiùs, & poteft faciliùs obfervare. *De poftulat.* Cap. *Ad hæc.* med. *in init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 5. Cap. 1.

VII. Conditionalis & ad tempus lata fuit Sententia Interdicti, fcilicet donec Apoftolicis obediret Mandatis. *De Sent.* Cap. *Cùm olim.* in int. *poft med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 27. Cap. 12.

Unde cum Sedis Apoftolicæ juffionibus paruerit, tàm Civilis quàm Canonici Juris Cenfurâ indubitanter fuit abfolutus. *Ibid.* Ratio; Leges & Canones volunt ut impletâ conditione Sententiæ, Reus abfolvatur.

VIII. Interdictum perfonale quo quis nominatim interdicitur, feu proprio nomine expreffo, vel aliis circumftantiis. *Ibid.* §. *Excommunicatos.* juncta *Gloffa.*

IX. Interdictum hujufmodi promulgari poteft, ut Reo præfente à Divinis in tali Ecclefia ceffetur. *De Appellationib.* Cap. *Dilectis* §. *verùm.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 55.

X. Univerfitas Ecclefiaftico fupponitur Interdicto. *In 6. De injuriis.* Cap. *Etfi. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 8. Cap. unico.

XI. Interdictum ab homine, vel à jure profertur. *De Sent. Excom.* Cap. *Alma.* §. 1. *Sanè.* Colligitur.

XII. Interdictum poni poteft, vel autoritate Sedis Apoftolicæ, vel à locorum Ordinariis, vel autoritate Conciliorum Provincialium, aut per eorum Statuta. CLEMENTINARUM *De Sent. Excomm.* Cap. *Ex frequentibus* §. 1. *Nos igitur.* & §. 2. *Quod etiam. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 10. Cap. 1.

XIII. Interdicti Sententia, quamvis non fine caufa, fine culpa tamen aliquorum ferri poteft. EXTRAVAGANTIUM COMMUNIUM. *De Sent. Excom.* Cap. *Providè.* init. LIB. V. *De Sent. Excomm.* Cap. 2.

XIV. Nulla Provincia, Civitas, Caftrum, Villa, vel locus, territorium, diftrictus, autoritate Ordinariâ vel Delegatâ fupponatur Ecclefiaftico Interdicto, pro pecuniario debito, quocumque quæfito colore. EXTRAVAG. COMM. *De Sent. Excomm.* Cap. *Providè.* LIB. V. *Cap.* 2. Et decernatur irritum & inane, fi fecùs contigerit attentari.

XV. Propter non fervatum juramentum, interdici poteft ingreffus Ecclefiæ, & Abbatiæ Monachis. *De Jurejurando.* Cap. *Ex Refcripta.* §. *Ideòque.* LIB. II. DECR. *Tit.* 24. Cap. 9.

XVI. Nulla civitas, oppidum, caftrum, villa; aut locus Ecclefiaftico fupponi poffit Interdicto, nifi ex caufa, feu culpa ipforum locorum, aut Domini, feu Rectoris, vel Officialium. CONCORDATORUM *Tit.* 10. *De Interdictis non leviter ponendis.* PRAGMATICA SANCTIO. *Tit.* 22. Corrigitur decifio 13.

XVII. Pro delicto Domini, poteft illius terra, quæ ad Jurifdictionem fuam pertinet, fpecialiter Interdicto fupponi. *De Officio & poteft. Jud. Deleg.* Cap. *Sanè.* LIB. I. DECR. *Tit.* 29. Cap. 11. §. *Ita. fin.*

XVIII. Propter culpam feu caufam alterius cujufcumque privatæ perfonæ, hujufmodi loca interdici nequaquam poffint authoritate quacumque Ordinariâ vel Delegatâ; nifi talis perfona priùs fuerit excommunicata ac denunciata, feu in Ecclefia publicata, aut Domini feu Rectoris vel Officialis ipforum locorum autoritate Judicis requifiti, hujufmodi perfonam excommunicatam infra biduum indè cum effectu non ejecerint, aut ad fatisfaciendom compulerint. CONCORDAT. *loco cit.*

XIX. Non proficit ad excufationem alicujus, quod Interdicti Sententia ad illius notitiam non pervenerit, cùm illa, præfentibus multis, folemniter ac publicè cæperit obfervari. *De poftulatione Prel.* Cap. *Ad hæc.* §. *Quod nec.* init, LIB. I. DECR. *Tit.* 5. Cap. 1.

XX. Eâ perfonâ poft biduum ejectâ recedente vel fatisfaciente, mox Divina refumi poffint. CONCORD. *loco cit.*

XXI. Si Sententia Interdicti proferatur in Clerum, non intelligitur, nifi aliud fit expreffum in eâ, interdictus populus; nec etiam è converfo; undè uno interdicto ipforum, alius licitè admittitur ad Divina. *In 6. De Sent. Excomm.* Cap. *Si Sent.* init. LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 16.

XXII. Cùm propter delictum Domini vel Rectoris, eft Civitas interdicta, Cives ejufdem qui culpabiles non exiftunt, dummodò & ipfi propter Dominum, vel Rectorem puniendum, in eis non fuerint interdicti, poffunt extra ipfam Civitatem licitè intereffe Divinis. *Ibid.* §. *Cæterum.*

XXIII. Cùm in tota terra Regni alicujus, Interdicti Sententia fuit promulgata, non poteft præfumi aliqua pars ejus ab eo exempta. *Ibid.* §. 4. *Quod nec. fin.*

XXIV. Cùm alicujus terræ populus Interdicto nodatur, fingulares ex eo perfonas interdictas effe conftat. *Ibid.* §. ultimo. *Cùm verò.*

XXV. Si civitas, caftrum, aut villa, fubjiciantur Ecclefiaftico Interdicto, illorum fuburbia & continentia ædificia eo ipfo intelligi debent interdicta; nam licet prædicta videantur murorum ambitu terminati, hoc tamen cafu, ne vilipendi valeat Sententia Interdicti, quod fieret fi poffet in ipforum fuburbiis, vel continentibus ædificiis licitè celebrari ut priùs, expedit interpretationem fieri latiorem. *Ibid. In 6. De Sent. Excomm.* Cap. *Si civitas.* LIB. V. *Tit.* 11. *Cap.* 17. Hinc propter bonum publicum lex odiofa favorabiliter explicatur.

XXVI. Si ii propter quorum delictum civitas generali fupponitur Interdicto, illud non fervent, nihilominùs tenentur cæteri illud obfervare. *De Privileg.* Cap. *Petiftis. juncto Summario.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. *Cap.* 20. Sed in pœnam abutentium fuis Privilegiis ob quos latum eft, permittitur aliis Officia Divina celebrare. GONZALEZ putat hoc indultum fuiffe perfonale & ad tempus.

XXVII. Qui fub Interdicto conftituti appellant, Interdictum nequeunt, cui ante appellationem eos conftat fuppofitos, declinare. *De Appellat.* Cap. *Ad hæc.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 37.

XXVIII. Non præfumitur interdictus cui Diœcefanus Epifcopus munus benedictionis impendit. *De Elect.* Cap. *Cùm inter.* §. 3. *Sanè.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 16.

Si fit Ecclefia Interdicto fubjecta, Capella ejus & Cæmeterium ipfius eidem Ecclefiæ contigua intelliguntur interdicta. *In 6. De Sent. Excomm.* Cap. *Si civitas.* §. *Ratione.* Colligit *Gloffa.* LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 17. Secùs, fi ei contigua non exiftant. *Ibid. fin.*

SECTIO II.

Quinam fint effectus Interdicti, & quæ obligatio illud fervandi?

I. Ne Sententia Interdicti effectu careat. *In 6. De Sent. Excomm.* Cap. *Si Sententia.* §. 2.

II. Cùm alicujus terræ populus Interdicto nodatur, Divinorum auditio, & Sacramentorum perceptio, populo & univerfis non competunt. *In 6. De Sent. Excomm.* Cap. *Si Sententia.* §. 2. LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 16.

III. Fuit conftitutum, ut in terris feu locis Ecclefiaftico fuppofitis Interdicto, nulla, certis cafibus & Sacramentis exceptis, Divina celebrentur Officia, vel miniftrentur Ecclefiaftica Sacramenta. *In 6. De Sent. Excomm.* Cap. *Alma* §. 1. *Sanè. init.* LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 24.

IV. Sin-

IV. Singulares ex eo populo personæ non debent alicubi, casibus expressis à Jure dumtaxat exceptis, audire Divina vel Ecclesiastica recipere Sacramenta. *Ibid. fin.*

V. In Ecclesia Interdicto subjecta, nec in Capella ejus, celebrari, nec in Cæmeterio ipsius eidem Ecclesiæ contiguis poterit sepeliri. *Ibid. In 6. De Sent. Excomm.* Cap. *Si Civitas. §. Ratione.* Lib. V. *Tit.* 11. Cap. 17.

VI. Interdictus potest agere, vel Procuratorem constituere. *De Verborum signif.* Cap. *Ex parte. §. 1. Glossa* colligit. Lib. V. Decr. *Tit.* 4. Cap. 23.

VII. Qui temerè violat Interdicti Sententiam, despicit Petri Claves, & Ecclesiasticam lædit potestatem. *De Excessib. Prel.* Cap. *Tanta. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 31. Cap. 18. Quod est ultimum.

VIII. Qui Sententiam Interdicti non sunt veriti temeritate propria violare, severitatem effugere, non debent Canonicæ ultionis, ne facti perversitas transeat præsumptoribus in exemplum. *Ibidem. §. Licet.*

IX. Omnis institutio, destitutio, collatio Præbendarum, Beneficiorum, ac Dignitatum, præsumptæ per Episcopum interdictum, post Interdicti violationem, decerni debent irritæ & inanes. *Ibid. §. Licet. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 31. Cap. 18. *& ult* Pœnæ violati Interdicti collocantur inter illius effectus, quia ex illo sequuntur, ut effectus à causâ procedit, sivè proximè, sive remotè.

X. Per generale Interdictum denegatur omnibus tàm unctio quàm Ecclesiastica sepultura. *De Pœnitentiis &c.* Cap. *Quod in te. §. Licet. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 38. Cap. 11.

XI. In Ecclesia Interdicta nullus ad Ecclesiasticum Officium admittitur, nec tunc ibi sepeliuntur corpora defunctorum. *De Privilegiis.* Cap. *Cùm & plantare. §. Quod si.* Colligitur. Lib. V. Decr. *Tit.* 33. Cap. 3.

XII. Cùm aliqui Interdicti Sententiis sunt ligati, contra formam Interdicti nullum eis licet Divinum Officium celebrare. *De Sent. Excomm.* Cap. *Responso. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 43.

XIII. Is cui est Ecclesiæ interdictus ingressus, sibi per consequens censetur in ipsa Divinorum celebratio interdicta. *In 6. De Sent. Excomm.* Cap. *Is cui. init.* Lib. V. *Tit.* 11. Cap. 20.

XIV. Cùm Civitas est Interdicto supposita, sunt ibidem, præter Baptisma parvulorum, & Pœnitentias morientium, universa Sacramenta Ecclesiastica interdicta. *Ibid. §. Prætereà.* Exceptionis ratio, Alma Mater piè sæviens non vult privare mediis proximis salutis illa non negligentes.

XV. Si is cui est Ecclesiæ interdictus ingressus, hoc Interdicto durante decedat, non debet in Ecclesia vel Cæmeterio Ecclesiastico, nisi pœnituerit, sepeliri. *Ibid. In 6. De Sent. Excomm.* Cap. *Is cui.* Lib. V. *Tit.* 11. Cap. 20.

XVI. Ubi interdicitur principale, censetur interdictum consequens & proveniens ex illo. *Ibid. Gloss.* colligit, ideòque omnia quæ in Ecclesia recipi solent. Singuli effectus Interdicti notantur à Gonzale in *Cap.* 18. *De excess. Prælat.*

SECTIO III.

Quænam de Jure concedantur tempore Interdicti?

I. Cùm Civitas est Interdicto supposita, baptizari possunt pueri. *De Sent. Excomm.* Cap. *Responso. §. Prætereà. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 43.

II. Sic & baptisati ad confirmationem in frontibus ab Episcopo possunt Sacro Chrismate deliniri. *Ibid. fin.*

III. Permittitur Ecclesiarum Ministris, semel in hebdomada, tempore Interdicti, non pulsatis campanis, voce submissâ, januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, Missarum Solemnia celebrare, causâ conficiendi Corpus Domini, quod decedentibus in pœnitentia non negatur. *De Sent Excom.* Cap. *Permittimus.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 57.

IV. Licet per generale Interdictum denegetur omnibus tàm unctio, quàm Ecclesiastica sepultura; conceditur tamen ex gratiâ, ut Clerici decedentes, qui tamen servaverint Interdictum, in Cæmeterio Ecclesiæ, sine campanarum pulsatione, cessantibus solemnitatibus omnibus, cum silentio tumulentur. *De Pœnitentiis.* Cap. *Quod in te. §. Licet.* Lib. V. Decr. *Tit.* 38. Cap. 11.

V. In illo verbo, per quod tempore generalis Interdicti, pœnitentia morientibus non negatur, viaticum etiam quod verè pœnitentibus exhibeatur, intelligi debet, ut nec ipsum decedentibus denegetur. *De Pœnit.* Cap. *Quod in te. §. In illo.*

VI. In Conventualibus Ecclesiis, tempore generalis Interdicti, bini & bini, vel simul tres, horas Canonicas valeaut legere, non cantare, januis clausis, interdictis & excommunicatis exclusis, & voce ita demissâ, quod exteriùs audiri non possint. *Ibid. §. Licet. med.*

VII. Baptismus & Confirmatio, nedum pueris, sed & adultis, propter mortæ periculum, exhiberi possunt licitè tempore Interdicti. *In 6. De Sent. Excom.* Cap. *Quoniam. init* Lib. V. *Tit.* 11. Cap. 19.

VIII. Quoniam in Baptismo & Confirmatione, Chrismatis utimur unctione, posse, licet terra interdicta existat, Chrisma die Cœnæ Domini confici, dubium non existit. *In 6. De Sent. Excom.* Cap. *Quoniam.* Lib. V. *Tit.* 11. Cap. 19.

IX. Conceditur quod tempore Interdicti ab homine vel à Jure prolati, non tantummodò morientes, sed etiam viventes, tàm sani etiam quàm infirmi, ad pœnitentiam licitè admittantur. *In 6. De Sent. Excomm.* Cap. *Alma. §. 1. Licet. med.* Lib. V. *Tit.* 11. Cap. 24. *& ult.*

X. Illis propter quorum culpam, dolum, vel fraudem, lata est Sententia Interdicti, nisi de ipso delicto priùs satisfecerint, vel de satisfaciendo idoneam dederint cautionem, non est pœnitentiæ beneficium aliquateoùs concedendum. *Ibid.*

XI. Idem dicendum de illis qui ad perpetrandum delictum, cujus occasione ipsum Interdictum est latum, præbuerunt auxilium vel favorem. *Ibid.*

XII. Nec tunc etiam quoad istos vel alios qui circa hoc maximè deliquerunt, ubi Civitas vel locus alius, seu Universitas Interdicti existunt, facienda est relaxatio Interdicti, sed est eis solummodò injungenda pœnitentia salutaris. *Ibid.*

XIII. Tempore Interdicti singulis diebus, in Ecclesiis & Monasteriis Missæ celebrentur, & alia dicantur Divina Officia sicut priùs, submissâ tamen voce, januis clausis, excommunicatis ac interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis. *Ibid. §. Adjicimus. init.*

XIV. Tàm Canonici quàm Clerici Ecclesiarum, in quibus distributiones quotidianæ, illis qui horis interfuerint Canonicis, tribuuntur, si ad Officia non venerint, supra dictas distributiones easdem amittant, sicut Interdicto perderent non extante, si Divinis Officiis non adessent. *Ibid. fin.*

XV. In festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, & Assumptionis Virginis gloriosæ, campanæ pulsentur, & januis apertis, altâ voce, Divina Officia solemniter celebrentur, excommunicatis prorsùs exclusis, sed interdictis admissis. *Ibid. §. In festivitatibus. init.*

XVI. Hujusmodi interdictis ob reverentiam dictarum solemnitatum, & ut ipsi ad humilitatis gratiam, & reconciliationis effectum faciliùs inclinentur, præfatis diebus participatio permittitur Divinorum. *Ibid.*

XVII. Illi tamen propter quorum excessum Interdictum hujusmodi est prolatum, Altari nullatenus appropinquent. *Ibid. fin.*

SECTIO IV.

De Privilegiis eorum qui tempore Interdicti possunt Divina celebrare.

I. Quævis Privilegia Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, Religionibus, seu personis Ecclesiasticis, Sæcularibus, vel Regularibus, Exemptis & non Exemptis, sub quàvis formâ vel expressione verborum, ab Apóstolicâ Sede concessa contra tenorem Constitutionis, *Alma Mater*, nulli suffragantur. *In 6. De Sent. Excomm.* Cap. *Alma Mater.* §. ult. *Cæteris.* LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 24.

II. Nimiùm vilipendi non debet Sententia Interdicti. *De Privil.* Cap. *Ut Privilegia.* §. ult. *fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 24.

III. Cuilibet, tàm Sæcularibus quàm Regularibus, sufficere debet, ut tempore Interdicti, modo in illa Constitutione præmisso, diebus celebrent supra dictis. *Ibid. fin.*

IV. Licet Ecclesia à sua fundatione libera extiterit & exempta; & de Consuetudine in generali etiam Interdicto licitum fuerit, ut pulsatis campanis, altâ voce, interdictis & excommunicatis exclusis, Divina Officia celebrare; quia ex tali consuetudine, si qua foret, dirumperetur nervus Ecclesiasticæ Disciplinæ, ipsa est irritanda. *De Consuetudin.* Cap. *Cùm inter.* §. *Procurator* LIB. I. DECR. *Tit.* 4. Cap. 5.

V. Religiosi quicumque, tàm exempti, quàm non exempti, cujuscumque Ordinis & conditionis existant, cùm Cathedralem vel Matricem seu Parochialem loci Ecclesiam viderint aut sciverint Interdictum observare, non obstantibus quibuscumque appellationibus, vel aliis objectibus quibuscumque, absque dolo & fraude, illud cum moderatione tamen Decretalis (*Alma*) inviolabiliter conservent. CLEMENT. *De Sent. Excom.* Cap. *Ex frequentibus.* §. 1. *Nos igitur.* LIB. V. *Tit.* 10. Cap. 1.

VI. Quod etiam in Interdictis, & in quibuscumque cessationibus à Divinis, intelligitur observandum. *Ibidem.* §. 2. *Quod etiam.* CLEMENT. LIB. V. *Tit.* 10. Cap. 1.

VII. Antiquo Jure Regularibus, secundùm Privilegium Sedis Apostolicæ, erat indultum, ut cùm generale Interdictum terræ fuisset, liceret eis, januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, submissâ voce, celebrare Divina. *De Pœnitentiis &c.* Cap. *Quod in te.* §. *Licet.* LIB. V. DECR. *Tit.* 38. Cap. 11.

VIII. Cùm aliqui ab Ecclesiâ Romanâ decorari hoc privilegio meruerant, ut cum generale terræ Interdictum fuisset, liceret eis januis clausis, &c. Divina Officia celebrare; nomine terræ non solùm Regnum vel Provincia intelligebatur, verùm etiam villa & castrum, ut & in his locum haberet quod de generali dicebatur Interdicto. *De verborum signif.* Cap. *Cùm in partibus.* LIB. V. DECR. *Tit.* 40. Cap. 17.

IX. Licet id concessum existeret, ad Officia tamen aliquos, etiamsi aliundè venirent, nisi super hoc privilegiati existerent, recipere nulla ratione debebant. *In 6. De Privileg.* Cap. *Licet. init.* LIB. V. *Tit.* 7. Cap. 11.

X. Quod nonnullis erat Religiosis indultum, in favorem Pontificalis Officii, ad Episcopos fuerat extensum, ut cùm commune terræ Interdictum fuisset, excommunicatis & interdictis exclusis, possent quandoque, januis clausis, suppressâ voce, & non pulsatis campanis, Divina celebrare Officia, nisi & hoc ipsum eis expressè fuisset interdictum, & causam aliquam præstitissent Interdicto, vel quidquam fraudis ingessissent. *De Privilegiis.* Cap. *Quod nonnullis. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 25.

XI. Exempti in Oratoriis vel Capellis, sine Diœcesanorum licentiâ constructis, ne quidem tempore Interdicti celebrent, vel faciant celebrari Divina, casibus expressis in Jure dumtaxat exceptis. *In 6. De Privilegiis.* Cap. *Autoritate. init.* LIB. V. *Tit.* 7. Cap. 4.

XII. Ne aliqui Sæculares aut Regulares, quibuscumque exemptionis seu libertatis Sedis Apostolicæ Privilegiis communiti, cujuscumque Ordinis, Religionis, status, vel conditionis existant, scienter celebrent vel faciant celebrari Divina, in locis interdictis ab Ordinariis, sive Delegatis Judicibus, vel à Jure, nisi quatenus eis à Jure conceditur. *In 6. De Privilegiis.* Cap. *Episcoporum. init.* LIB. V. *Tit.* 7. Cap. 8.

XIII. Cùm conceditur singulari personæ, ut modo præmisso tempore Interdicti celebrare valeat, vel audire Divina, ejus familiares domestici ad audiendum cum ea & celebrandum sibi Divinum Officium admittuntur. *In 6. De Privileg.* Cap. *Licet.* §. 1. *init.*

XIV. Non sic autem in familiaribus alicujus Conventûs seu Collegii censendum; illi enim, nisi privilegiati, admitti non debent. *Ibid. fin.*

XV. Hujusmodi quoque concessione gaudere non potest is cujus causâ seu culpâ, dolo vel fraude, fuit Sententia Interdicti prolata; seu qui ad perpetrandum delictum, cujus occasione lata extitit, præbuit consilium, auxilium, vel favorem. *Ibid. fin.* §. *Hujusmodi.*

XVI. Qui privilegiorum suorum fines excesserint, violando temerè Interdictum, quod pro eis fuerat promulgatum, ne videantur de aliorum fletu ridere, Clericis, in pœnam præsumptionis eorum, quod ipsi violaverint Interdictum, dari debet licentia celebrandi. *De Privileg.* Cap. *Petistis.* §. *Sed si.* LIB. V. DECR. *Tit.* 33. Cap. 30.

XVII. Nominatim interdicti omninò non debent admitti ad Divina, etiam per Religiosos exemptos, obtentu alicujus privilegii. *De Privileg.* Cap. *Cùm & plantare.* §. 2. *Summa* & *Glossa* colligunt.

SECTIO V.

De cessatione à Divinis.

I. Si Canonici absque manifestâ & rationabili causâ, maximè in contemptum Episcopi, cessaverint à Divinis, Episcopus, si voluerit, nihilominùs celebret in Ecclesia Cathedrali. *De Off. Jud. Ordin.* Cap. *Irrefragabili.* §. 2. *Cæterum. init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. Cap. 13. *De Appellationibus.* Cap. *Dilectis.* LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 55. *post init.* Decanus Interdictum promulgavit, ut à Divinis, Episcopo præsente, cessetur.

II. Cessatio à Divinis lumen est ad repellendas injurias Ecclesiis factas. CLEMENT. *De Sent. Excomm.* Cap. *Ex frequentibus.* §. 3. *In cessationibus.* LIB. V. *Tit.* 10. Cap. 1.

Vid. *Gloss.* in verbo, *Lumine*, sumitur pro remedio.

III. Vide *Glossam in Caput*, Irrefragabili, *De Officio Judicis Ordinarii.* LIB. I. DECR. *Tit.* 31. *Cap.* 13. verbo, *Cessaverint.* Episcopus & Capitulum non se ipsos interdicunt & suspendunt, quia nemo seipsum judicat, sed ipsas Ecclesias interdicunt, & ipsi in aliis Ecclesiis vel locis celebrant.

IV. Metropolitanus ad querelam Episcopi taliter eos Canonicos per Censuram Ecclesiasticam, cognitâ veritate, castiget, quod metu pœnæ talia de cætero non præsumant. *Ibid. fin.*

V. Si Canonici à Divinis cessare voluerint, prout in Ecclesiis aliquibus sibi, ex Consuetudine vel aliàs, vindicant, antequàm ad cessationem hujusmodi quoquomodo procedant, in instrumento publico, vel patentibus Literis sigillorum suorum

suorum aut alterius Authentici munimine roboratis, cessationis ipsius causam exprimant, & illud vel illas ei contrà quem cessare intendunt, assignent. *In 6. De Officio Jud. Ordin.* Cap. *Si Canonici.* Lib. I. *Tit.* 16. Cap. 2.

VI. Ne à Sæculari vel Regulari Capitulo, Collegio, seu Conventu Ecclesiæ cujuscumque, cessationes ipsæ, nisi vocatis omnibus, prout sunt pro Electionis negotio evocandi, & deliberatione habitâ diligenti, attententur. *In 6. De Officio Jud. Ordin.* Cap. *Quamvis.* Lib. I. *Tit.* 16. Cap. 8.

VII. Neque etiam attentetur, nisi eo vocato cujuscumque dignitatis, præeminentiæ, conditionis, ac status existat, propter cujus injuriam vel offensam eadem videtur cessatio facienda; & post prædictas vocationem & deliberationem de cessando habitam requisito, quod irrogatam injuriam vel offensam emendet. *Ibid.*

VIII. Neque tunc etiam aliquatenùs attententur, si emendam indè habuerint, vel per eos steterit quominùs habeant competentem. *Ibid.*

IX. Cessationes à Divinis indici possunt per Provincialium Conciliorum Statuta, vel ipsorum auctoritate. Clementinarum. *De Sentent. Excommun.* Cap. *Ex frequentibus.* §. 2. *Quod eam.* Clementin. Lib. V. *Tit.* 10. Cap. 1.

Cessationes generales à Divinis, Civitatum, terrarum, & aliorum locorum, aliquandò ex consuetudine vel aliàs, Capitula, Collegia, vel Conventus Sæcularium, aut Regularium Ecclesiarum sibi vendicant. *Ibid.* §. *In Cessationibus.* Illi Conventus sint diligenter attenti, ut Statuta Romanorum Pontificum super his edita diligenter observent. *Ibid. fin.*

Observationes.

Circa Interdictum & cessationem à Divinis.

Interdicto juncta est cessatio à Divinis, quia est veluti species Interdicti, seu pars illius, cùm sit prohibitio localis Divinorum Officiorum publicorum, restricta ad Missam & laudes Divinas publicè celebrandas, ac in cæteris ad illud pertinentibus omninò ab illo discrepans. Hoc autem patebit ex dicendis post comparationem Interdicti cum Excommunicatione & Suspensione; ea autem, intra collectas circà utramque Censuram, necnon & Interdictum, Juris decisiones, continebitur. Interdictum, cùm medium teneat inter Excommunicationem & suspensionem, personale est & locale, atque ad Laïcos ut ad Clericos se extendit; vetatur quoque circà omnia Divina, nempè Sacramenta, Officia, aliaque munia Sacra. Illi proprium est quidquid loca spectat; cætera communia habet cùm aliis duabus Censuris. In eo quod personale habet quoad Clericos, convenit cum suspensione, & cum Excommunicatione. In eo quod sibi convenit quoad personas Laïcorum, ad Collegia producitur, ut & suspensio; cum hoc discrimine, quod ista restringatur ad Ecclesiastica, Interdictum verò indiscriminatim respiciat tàm Sæcularia quàm Ecclesiastica. Suspensio cùm sit Censura Clericalis, ad alia non se extendit, quàm ad illa quæ Clericis peculiaria sunt; undè suspensus non excluditur vi suspensionis à Sacramentis, à sepulturâ; Interdictum è contrà, cùm sit Censura communis tàm Laïcis quàm Clericis, à bonis illis communibus utrosque excludere potest. Suspensio nnmquam perpetua; Interdictum potest esse perpetuum, & revera tale est cùm Ecclesia vel Cœmeterium juridicè profanatur; tunc enim ea quæ ad Divinum cultum spectant, in perpetuum in illis fieri prohibetur. Suspensio, ut & Excommunicatio major, relaxatur ad cautelam, in dubio an lata sit, vel an justè, an validè; Interdictum numquàm hoc modo relaxatur. Etsi Interdictum ab ingressu Ecclesiæ includit suspensionem quoad Clericos, Canones tamen qui eximunt Episcopos à Censura suspensionis à Jure latâ, nisi de illis expressè meminerit, non extenduntur ad Interdictum ab ingressu Ecclesiæ ex naturâ suâ, fed ex eo quod jungatur Interdictum suspensioni, & Interdictum personale ejusdem faciant conditionis ac suspensionem quoad Episcopos. Quod de Interdicto generali, sive Regni, sive Provinciæ, sive Civitatis dictum est, numquàm convenit suspensioni; ideòque ista numquàm dividitur in generalem & specialem, nec in simplicem & mixtam; undè numquàm eguit variis temperamentis vel modificationibus, ne nimiùm noceret, nec abolita fuit in plurimis Regionibus ut Interdictum Generale, necproindè ror passa est mutationes quot istud Interdictum, nec etiam tot privilegia concessa circà illam, quot circà istud. Hinc præcipui Textus de Interdicto loquentes pertinent ad Interdictum generale. Ultimum illius statum habes quoad Textus Juris in *Cap.* 24. *De Sentent. Excomm. In 6.* Quoad vero Canones extrà Corpus Juris vagantes, videre est in Decr. Pragmat. Sanct. & Concordat. ad illud temperandum conditis.

Comparato sic Interdicto cum suspensione & Excommunicatione, paucissima supersunt dicenda de illo cum cessatione à Divinis collato. Præcipua sunt quod ista usu introducta peculiaris erat quibusdam Provinciis, ubi præcepta hac cessatione Clerici non poterant celebrare, nec audire Divina in Ecclesiis huic subjectis; id impunè poterant in aliis, nec fiebant hinc Irregulares; jamjam à pluribus sæculis ubique exolevisse videtur.

TITULUS XIII.

Ad quæ teneantur speciatim Clerici Censuris aut Irregularitate ligati? Et quæ pœnæ decretæ sint in eos qui sic Divina Officia exercent? Ubi non pauca notanda circà Irregularitatem ex homicidio, aliasque notabiliores.

SECTIO I.

De Clericis minori duntaxat Excommunicatione ligatis.

I. Si Clericus celebrat minori Excommunicatione ligatus, licet graviter peccet, nullius tamen notam Irregularitatis incurrit. *De Clerico Excomm.* Cap. *Si celebrat.* Lib. V. Decr. *Tit.* 27. Cap. 10. *init.*

Is eligere non prohibetur, vel ea quæ ratione Jurisdictionis sibi competunt exercere. *Ibid.*

II. Si scienter talis electus fuerit, ejus electio est irritanda, pro eo quod ad susceptionem à Sanctis Patribus est privatus. *Ibid.*

III. Is peccat conferendo Ecclesiastica Sacramenta. *Ibid.* §. *Peccat. init.* Sacramenta ab eo collata virtutis non carent effectu. *Ibid.*

IV. Si in contemptum Ecclesiasticæ Disciplinæ, videlicet contrà prohibitionem Superioris, communioni excommunicatorum pertinaciter se ingesserit, in eo casu est anathemate feriendus. *Ibid. fin.*

Clerici qui excommunicati, vel ab excommunicatis scienter ad Ordines sunt promoti, debent ab Ordine sic suscepto deponi. *De Renunciat.* Cap. *Quod in dubiis. fin. in int.* Lib. I. Decr. *Tit.* 9. Cap. 8.

SECTIO II.

Ad quid teneantur Clerici Irregulares, vel qui sunt Majoribus Censuris ligati?

I. Episcopus Irregularis debet Episcopatui cedere; cùm Pontificale Officium sine Altaris ministerio non valeat adimpleri. *De Excessib. Prælatorum.* Cap. *Ex litteris.* §. *Nos autem.* fin. LIB. V. DECR. *Tit.* 31. Cap. 10.

II. Postquàm Clericus se à Superiore excommunicatum novit, non debet Divina sibi facere celebrari, nec Communioni fidelium se ingerere. *De Clerico Excomm.* Cap. *Illud.* §. 5. *Illud autem.* init. LIB. V. DECR. *Tit.* 27. Cap. 5.

III. Clericus degradatus, aut ab Officio pro certis criminibus suspensus, nihil de Ministerio sibi interdicto agere debet. *Ibid.* Cap. 2. *Si quis. init. Glossa* colligit. LIB. V. DECR. *Tit.* 27. Cap. 2.

IV. In hoc non videtur Clericus omninò culpabilis extitisse, si excommunicatus Divina Officia quantumcumque solemniter celebravit, cùm nec antè factum Monitorias, nec post, Litteras aliquas accepit, & cùm ei, nonnisi per famam, de Sententiâ contra eùm prolatâ constat. *Ibid. De Clerico Excomm.* Cap. *Illud.* §. *Ipse.* & §. *Licet.* LIB. V. DECR. *Tit.* 27. Cap. 5.

V. Quia tamen in dubiis via est tutior eligenda; etsi Clericus de latâ in eum Sententiâ dubitet, debet potiùs se abstinere, quàm Sacramenta Ecclesiastica pertractare. *Ibid.* §. 17. *Licet. fin.*

VI. Episcopus de misericordiâ eumdem sic ordinatum suo jure permittere potest ministrare in Ordine Sacerdotis. *De Clerico per saltum promoto.* Cap. onico. *Junctâ Glossâ*, verbo, *De misericordiâ.* LIB. V. DECR. *Tit.* 29. *Cap. unico.* §. *Mandamus.* fin.

VII. Cùm promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitimâ causâ possit dispensare. *Conc.* TRID. SESS. XXIII. *De reform.* Cap. 14. *fin.*

SECTIO III.

An, & quomodò incurratur Irregularitas ex Sacrorum Ordinum exercitio?

I. Si Suspensione durante, damnabiliter quis se ingesserit Divinis, Irregularitatis laqueo se involvet secundùm Canonicas Sanctiones, à quo, nonnisi per Summum Pontificem, poterit liberari. *In 6. De Sent. & re Judic.* Cap. *Cùm æterni.* §. ult. *Sciturus.* LIB. II. *Tit* 14. Cap. 1.

II. Si contingeret Ecclesiarum Prælatos, & Judices Ecclesiasticos, per mensem unum, ab ingressu Ecclesiæ & Divinis Officiis suspensos, Divina Officia exequi sicut priùs, Irregularitatem non effugient juxtà Canonicas Sanctiones, super quâ, nonnisi per Summum Pontificem, poterit dispensari. *In 6. De Sent. Excomm.* Cap. *Cùm medicinalis.* §. ult. *Caveant.* fin. LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 1.

III. Is cui est Ecclesiæ interdictus ingressus, cùm sibi per consequens censeatur in ipsa Divinorum celebratio interdicta, irregularis efficitur, si contrà Interdictum hujusmodi Divinis in eâ se ingerat, in suo agens officio sicut priùs. *In 6. De Sent. Excom.* Cap. *Is cui. init.* LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 20.

IV. Is qui scienter in loco celebrat supposito Interdicto, nisi super hoc privilegiatus exsistat, aut à Jure concessum sit eidem, Irregularitatem incurrit, à quâ nequit per alium, quàm per Romanum Pontificem, liberari. *In 6.* LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 18.

V. Si Clericus tempore Suspensionis, ignarus celebrat Divina, eum reddit ignorantia probabilis excusatum, nec indiget Dispensatione. *De Cler. Excomm.* Cap. *Apostolica.* init. LIB. V. DECR. *Tit.* 27. Cap. 9.

Si fortè ignorantia crassa & supina aut erronea fuerit, propter hoc Dispensationis gratiâ eget. *Ibid.*

Agitur de ignorantia facti, quæ excusat; non de ignorantia juris, quæ illum non excusat qui Juris gnarus esse debet, qualis Clericus circà hanc Irregularitatis causam. *Cap.* 13. *De Reg. Jur. In 6.*

SECTIO IV.

Quomodo tollantur Irregularitates? & à quo super iis dispensari possit?

I. Ingressus in Religionem non tollit omnes Irregularitates. *De eo qui furtivè &c.* Cap. *Innotuit, Glossa* colligit. LIB. V. DECR. *Tit.* 30. Cap. 3.

II. Ubi subsunt plura impedimenta Canonica, per remotionem unius, non sequitur remotio alterius; putà, licet tollatur illegitimitas, non per hoc tolluntur alia Canonica impedimenta. *In 6. De filiis Presbyterorum.* Cap. *Is qui.* init. *Glossa* colligit. LIB. I. *Tit.* 11. Cap. 1.

III. Salvâ Legatorum Sedis Apostolicæ auctoritate, nulli, cui commissum fuerit dispensare cùm Irregularibus, licet hoc aliis demandare. *De Offic. & potest. Jud. Deleg.* Cap. *Quoniam.* §. ult. *Cæterùm.* LIB. I. DECR. *Tit.* 29. *Cap.* 43. Electa est industria personæ ad examinandum Dispensationis causas, quæ eò majores esse debent, quò major est gratia.

IV. Episcopi non possunt autoritate propriâ dispensare cùm Irregularibus, cùm hoc ex commissione Summi Pontificis concedatur. *Ibid. Glossa* colligit. Contrarium ostensum est in *Institutionibus Ecclesiastic. Part.* 1. *Tit.* 57. 59.

V. Licet Episcopis, in Irregularitatibus omnibus, ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare. *Concil.* TRID. SESS. XXIV. DECR. II. *De Ref. Cap.* 6. Vide circà hanc rem *Cap.* 1. *& ultim. De filiis Presbyter.* Cap. 1. & 2. *Eod. Tit. In 6.* Cap. 7. SESS. XIV. *De Ref.* Cap. 14. SESS. XXIII. *Concil.* TRID. *Cap.* 32. *De Sent. Excom.* Plures alii Textus allegati sunt circà hanc potestatem Episcopi dispensandi ab Irregularitate, citatis Institutionum locis, ubi collecti sunt singuli casus huic potestati obnoxii, antè Concilium Tridentinum, ut ostenderetur hoc Concilium non reservasse Summo Pontifici omnes casus publicos Irregularitatis, concedendo occultos Episcopis; sed mentem illiùs fuisse, mederi malis nascentibus ex reservatione istorum, nec intendisse minuere Episcopalem autoritatem, sed potiùs illam restituere in statum pristinum seu præcedentem; reservationes & exemptiones, ideòque prædictas Dispensationes Episcopalis casus circà Irregularitatem, etiam nunc subsistere. Notatum quoque ibidem, quod Episcopus potest in Diœcesi, quidquid potest Papa in suâ, extrà casus expresse isti reservatos, vel ex certâ notâque consuetudine legitimè præscriptâ, quâ Episcopi consenserunt, ut de illis solus ille dispensaret. Idem argumentum fusè tractatum *In Appendice* 12. *Regularum de Jurisdictione Ecclesiastica* insertarum in 1. *Parte* TOM. II.

SECTIO V.

De Irregularitate quæ oritur ex homicidio, seu, ut aiunt, mutilatione voluntariâ.

I. Etsi voluntatem occidendi quis non habuit, furor tamen & indignatio, ex quibus motio mortifera prodiit, in omnibus, sed præcipuè in Dei Ministris multipliciter inhibentur atque damnantur. DISTINCT. L. *Cap.* 39. *Studeat. fin.*

II. Quantumcumque Clerici gravis sit & enormis excessus, evadit depositionis Sententiam, dummodò homicidium, vel membrorum diminutio non fuerit subsecuta. *De Clericis pugnantib. in duello.* Cap. *Porrò.* LIB. V. DECR. *Tit.* 13. *Cap.* 1. Si quis Clericus in pugnâ pulsatum aliquem uno ictu occiderit, deponatur, propter suam proclivitatem & temeritatem. *Can. Apost.* 64.

Vide *Conc.* ILERDENSE, ann. 524. *Can.* 1. TOM. IV. *Conc. p.* 1621. *Concil.* TRIBUR. *ann.* 895. *Can.* 11. TOM. IX. CONC. *p.* 445.

III. Sa-

III. Sacerdos post perpetratum homicidium, non potest in Sacerdotio ministrare; ac perversi sensûs est æstimare tale quid, vel post quamcumque pœnitentiam, ei concedendum; cùm omninò sit Canonicæ Disciplinæ contrarium. *Ibid.* Dist. L. Cap. 4. *Miror.*

IV. Clerici rei homicidii, etiamsi Ordine Judiciario comprobatum, vel aliàs notorium non fuerit, debent in jam susceptis vel suscipiendis Ordinibus impediri. *De temporibus Ordinationum.* Cap. *Quæsitum est.* Lib. I. Decr. *Tit.* 11. Cap. 17. *& ultimo.*

V. Clerici quos constat armatos interfuisse homicidio, & illi qui consilium dant, ut quis occidatur, perpetuò ab Altaris ministerio deponendi sunt. *De homic. volunt.* Cap. *Sicut.* §. ult. *Clericos.* Lib. V. Decr. *Tit.* 12. Cap. 6. *fin.*

VI. Qui per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab Altari avelli debet. *Concil.* Trident. Sess. XIV. Decr. *De Reform.* Cap. 7. *init.*

VII. Diaconus qui homicidio causam dedisse videtur, non videtur ad Sacerdotium promovendus. *De homicidio volunt.* Cap. *De cætero.* Lib. V. Decr. *Tit.* 12. Cap. 11. & Lib. IV. Decr. *Tit.* 6. *Qui Clerici vel voventes.* Cap. 4. *In int. fin.*

VIII. Si quis homicidii, aut facto, aut præcepto, aut consilio, aut defensione, post Baptismum conscius fuerit, & per aliquam subreptionem ad Clericatum venerit, dejiciatur. Distinct. L. *Cap.* 8. *Si quis.*

IX. Homicidii crimen tale est quod Ordinis executionem suscepti, aut retentionem Beneficii, etiam post peractam pœnitentiam, impediat. *De accusationib.* Cap. *Inquisitionis.* §. 1. Lib. V. Decr. *Tit.* 1. Cap. 21.

X. Is qui mandat aliquem verberari, licet expressè inhibeat ne occidatur ullatenùs, vel membro aliquo mutiletur, Irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens mutilet vel occidat; cùm mandando in culpâ fuerit, & hoc evenire posse debuerit cogitare. *In 6. De homicidio.* Cap. *Is qui.* Lib. V. *Tit.* 4. Cap. 1.

Quoad pœnam Irregularitatis, paria sunt aliquem interficere, vel membris mutilare. *Ibid. Glossa* colligit.

XI. Occidendo vel mutilando incurritur Irregularitas. *Ibid. Glossa.* & *in* Cap. unico. *De homicidio.* Clementinarum Lib. V. *Tit.* 4. Cap. unico. *Si furiosus.*

XII. Si quis Clericus verberet aliquem, in tantùm quod reddat membrum inutile, non propter hoc efficitur Irregularis, nisi fiat mutilatio seu detruncatio alicujus membri. *Glossa in* Cap. *Is qui. De homicidio. In 6.* Lib. V. *Tit.* 4. *Cap.* 3. Mutilatio fit per separationem membri, & quidem principalis. *Glossa in* Cap. *Si furiosus.* Clementinarum Lib. V. *Tit.* 4. Cap. Unico.

XIII. Diaconus, quo expressè inhibente amicis & cognatis, ne quempiam occiderent, aut aliquid ei facerent, undè Ordinis sui discrimen incurrerent, & animæ detrimentum; potest non solùm in Diaconatûs Officio ministrare, sed etiam ad Ordinem Presbyteratûs ascendere, si aliud Canonicum non obstiterit; etiamsi illi irruerint & occiderint, præsertim si super hoc non fuerit respersus infamiâ. *De homicidio.* Cap. *Petrus.* Lib. V. Decr. *Tit.* 12. Cap. 17.

XIV. Non debet alicui imputari, quod contra prohibitionem ejus expressam, eo causam vel occasionem non dante, ausu sacrilego fuit ab ipsius consanguineis attentatum. *Ibid. fin.*

SECTIO VI.

De Irregularitate quæ oritur ex homicidio casu commisso.

I. Cùm Clericus nec voluntate, nec actu homicidium perpetravit, nec dedit operam illicitæ rei, licet occasio mortis fuerit, non debet impediri, quominùs Divina possit Officia celebrare. *De homicidio.* Cap. *Dilectus.* §. fin. Lib. V. Decr. *Tit.* 12. Cap. 13. Sacerdoti qui dabat operam rei licitæ, homicidium casu commissum non potest imputari, si casus omnes fortuitos non prævidit. *Ibid. De homicidio.* Cap. *Joannes.* §. *Nos igitur.* Lib. V. Decr. *Tit.* 12. Cap. 14.

II. Cùm Sacerdos qui dabat operam licitæ rei, studuit eam quam debuit diligentiam adhibere, circumstantibus, quibus periculum imminebat, ita tempestivè & altâ voce præmonitis, quod & intelligere & fugere potuerunt propter homicidium casu commissum, vel quia omnes casus fortuitos qui prævideri non possunt forsitan non prævidit, non debet quoad Officium vel Beneficium impediri. *De homicidio.* Cap. *Quidam.* Lib. V. Decr. *Tit.* 12. Cap. 25.

III. Quoad Irregularitatem ex homicidio fortuito, observanda est distinctio, an quis dederit operam licitæ rei, an illicitæ. *Glossa in Cap.* Dilectus. *De homicidio.* Lib. V. Decr. *Tit.* 12. Cap. 13.

IV. Presbyter qui quemdam puerum intuitu disciplinæ percussit in capite, qui post paucos dies expiravit; tàm ab omni Altaris ministerio debet perpetuò removeri, quàm ab Officio Sacerdotali deponi, si ex ipsâ percussione interierit, vel aliam infirmitatem incurrerit, de quâ noscitur expirasse. *Ibid.* Cap. *Presbyterum.* Lib. V. Decr. *Tit.* 12. Cap. 7.

V. Diaconus qui dans operam ludo, propter non adhibitam sufficientem diligentiam, occasio fuit Laico mortalis vulneris, de quo, post aliquos dies, expiravit, sine licentiâ Romani Pontificis, ad superiorem gradum non ascendere, vel in Diaconatûs Officio nullo unquam tempore ministrare permittitur. *Ibid.* Cap. *Continebatur.* fin. Lib. V. Decr. *Tit.* 12. Cap. 8.

Homicidium casu commissum imputatur ei qui fuit in culpâ, vel dando operam rei illicitæ, vel non adhibendo omnem diligentiam quam debuit. *Ibid. Glossa.*

VI. Si cùm Clericus casu cum quodam Clerico luderet, contigit quod ille projecit istum in terram, cujus cultellus, quem ad latus suum habebat, in alterum incidit, & fortuito casu occubuit vulneratus, si alia justa causa non impedit, liberè permittitur ad Sacros Ordines promoveri. *Ibid.* Cap. 9. §. *Ideòque.*

VII. Homicidium casu commissum non imputatur ei qui non fuit in culpâ. *Ibid.* Cap. 9. Rubr. & *Glossa.* Alexandri. II. *Epistola* 33. 37. &c. Tom. IX. Conc. *p.* 1137. &c.

VIII. Sacerdos non debet impediri, quominùs Divina possit Officia celebrare, cujus equus cùm fracto fræno curreret festinanter, & procul abjecto sessore, in mulierem irruit, quæ veniens ex obliquo infantulum bajulans obviavit, & puerum prædictum oppressit. *Ibid.* Cap. 13. *Dilectus.*

Si Monachus rem necessariam agebat & utilem, & in loco per quem aliquem transire non crederet, vel ibidem existere, vel etiam illuc de consuetudine venire, si casu quemdam occiderit, potest ad altiores Ordines promoveri. *Ibid.* Cap. *Ex Litteris* 2°. Lib. V. Decr. *Tit.* 12. Cap. 15.

IX. Clericus non fit Irregularis, qui equi vitium ignorans, ipsum graviter calcaribus stimulavit, quò factum est ut equus, præter voluntatem sessoris, raptus in cursum, quem obviam huic ex improviso pedibus interfecit. *De homicidio.* Cap. *Significasti.* Lib. V. Decr. *Tit.* 12. Cap. 16.

X. Si Presbyter mulierem per zonam arripuerit, quasi ludens, quæ per hoc sic se asseruit esse læsam, quod occasione hujusmodi abortivit, debet ab Altaris Officio abstinere, si vivificatus erat conceptus. *De homicidio.* Cap. *Sicut.* Lib. V. Decr. *Tit.* 12. Cap. 20.

XI. Si nondùm erat vivificatus conceptus, ministrare poterit. *Ibid.*

XII. Clericus qui de alicujus obitu læsam non habet conscientiam, licet veniam super hoc postulaverit, à receptione Sacrorum Ordinum repelli non debet. *Ibid.* Cap. 22. *Exhibita.*

Qui

Qui in puerili ætate constitutus insequens unum ex coætaneis, lapidem post eum, non animo lædendi, sed timore incutiendi projecit, ex quo nequidem is tactus est, sed ad alium lapidem corruens & caput offendens, tùm propter imperitiam medicantis, tùm propter patris incuriam expiravit; licet ille Clericus veniam super hoc à patre postulaverit, à receptione Sacrorum Ordinum repelli non debet. *Ibid.* Cap. 22. *Exhibita.*

XIII. Sacerdoti qui cùm pulsaret campanas ut signo dato conveniret populus fidelium ad Divina, cadens tintinnabulum percussit puerum, qui cùm vulnus esset mortale decessit, Sacerdotale Officium exequi permittitur. *De Homicidio.* Cap. *Joannes.* LIB. V. DECR. *Tit.* 12. Cap. 23.

XIV. Hi qui arbores incidere videntur, si contigerit ut cadens arbor occiderit hominem, inculpabiles sunt atque innoxii, quia nec voluntate eorum, nec desiderio homicidium perpetratum est. DIST. L. *Cap.* 49. *init. Conc.* TRIBUR. anni 895. *Can.* 36. TOM. IX. CONC. *pag.* 459.

XV. Si verò aliquâ culpâ eorum vel neglectu morientis hominis interitus cognoscitur advenisse, abjiciendi sunt à gradu, & in Sacro Ordine nullatenùs suscipiendi. *Ibid. fin.*

XVI. Sacerdotes Græci quibus legitimo matrimonio licet uti, si ipsis procurantibus, vel studiosè negligentibus, filii in lecto reperiuntur oppressi; ob officio Altaris debent perpetuò abstinere. *De Pœnitent.* Cap. *Quæsitum. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 38. Cap. 7.

XVII. Si ex incuriâ ipsorum mortui inveniantur in cunis, & illud fuerit occultum, eis pœnitentia pro arbitrio Pœnitentiarii imponatur, & in terrorem aliorum ad tempus abstineant à celebratione Missarum. *Ibid. fin.*

SECTIO VII.

An, & quomodò Irregularitas oriatur ex homicidio, in sui suarumque rerum defensionem facto?

I. Vim vi repellere omnes Leges & omnia Jura permittunt. *De Homicidio.* Cap. *Significasti.* 2°. §. 4. *Si verò.* LIB. V. DECR. *Tit.* 12. Cap. 18. & *De Sent. Excomm.* Cap. *Si verò.* §. 1. *fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 3.

II. Id tamen debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam. *De Homic.* Cap. *Significasti.* §. 4. LIB. V. DECR. *Tit.* 12. Cap. 18.

III. Presbyter qui sine odii meditatione, se suaque liberando, hujusmodi Diaboli membra interfecerit, non deponatur. *Ibid. fin.*

Sacerdos qui ligatos fures, cùm illi se solvere niterentur, ne ipse ab eis interimeretur, occidit, abstineat humiliter ab Altaris ministerio, & peccatum suum studeat expiare; quoniam expediebat potiùs post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere jacturam, quàm pro conservandis vilibus rebus & transitoriis, tàm acriter in alios exardescere. *De Homicidio.* Cap. *Suscepimus.* LIB. V. DECR. *Tit.* 12. Cap. 10.

IV. Sacerdos alter qui adjuvit ut illi fures ligarentur, sed in cujus absentià occisi sunt; debet peccatum suum etiam expiare; constat enim fures contra mansuetudinem Ecclesiasticam ex utriusque ope interemptos. *Ibid. fin.*

V. Nullam Irregularitatem incurrit qui, mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem. CLEMENTIN. *De Homicidio.* Cap. unic. *Si furiosus. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 4. Cap. unico.

VI. Clericos qui quod ab inimicis captus homines interfecit, videtur, quoniam non suà sponte id fecisse cognoscitur, indè Canonice nullo modo judicari. DIST. L. *Cap.* 38. *Quia te.*

VII. Licet statim ex quo juri suo præjudicium fuisse irrogatum injuria sibi innotuit, vim vi duxerit repellendam; si defendendo jus suum in offensam alterius modum forsan excessit. *De Restitutione spoliatorum.* Cap. *Olim.* §. *ult. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 12.

VIII. Homicidium necessarium videtur, cùm aliquis se defendendo hominem occiderit. *De Divortiis.* Cap. *Si qua.* Colligitur, *junctâ Rubr.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 19. Cap. 1.

Si contigerit ut Laïcus Sacerdotalis Ordinis se defendendo Paganum occiderit, multùm sibi contulit, si ab Officio Sacerdotali recesserit. DIST. L. *Cap.* 6. *De his. med.*

IX. Clericus qui cum quibusdam ad resistendum prædonibus arma sumpsit, si in conflictu illo aliqui fuerint ab aliis vulnerati ad mortem, ita tamen quod illa homicidia neque facto ejus, neque consilio perpetrata fuerint; Jure Communi poterit ad Superiorem Ordinem promoveri, & Altaris Ministerium exercere. *De Clerico percussore.* Cap. *Continentia.* LIB. V. DECR. *Tit.* 25. Cap. 4. *Junctâ Rubricâ.*

SECTIO VIII.

An, & quomodò incurratur Irregularitas propter homicidium in bello, seu publico, seu privato, commissum?

I. Cùm discreti sint milites sæculi à militibus Ecclesiæ, non convenit militibus Ecclesiæ militare sæculo, per quod ad effusionem sanguinis necessè sit pervenire. DIST. L. *Cap.* 5. *Clericum. fin.*

Clerici conflictibus interesse non debent. *De Clerico percussore.* Cap. *Præsentium. Glossa* colligit. LIB. V. DECR. *Tit.* 25. Cap. 3. & *Cap. sequenti.* 4.

Clericum, qui Paganum in bello occiderit, non oportet ad gradum majorem provehi; qui carere etiam debet acquisito; homicida enim est. *Ibid.* DIST. L. *Cap.* 5. *Clericum. init.*

Clericatûs Officium Clericos reddit inhabiles ad pugnandum. *De Voto & voti redemptione.* Cap. *Ex multâ.* §. ult. *De Clericis. init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 34. Cap. 9.

Statutum est, ut qui Altario ministrant, & CHRISTI Corpus & Sanguinem tradunt, vel Vasa Sacro Officio deputata contrectant, ab omni humano sanguine, etiam hostili, se abstineant. DIST. L. *Cap.* 36. *De his.*

II. Clerici qui in obsidionis necessitate positi, ab hostili sanguine non se abstinuerunt, Officio priventur, nec ulteriùs ad Officia potiora provehantur. *Ibid.*

III. Si Clericus pugnando contra inimicos Dominicæ crucis, ac blasphemos nominis Christiani, quemquam interfecit, Irregularitatem incurrit. *De Homic.* Cap. *Petitio.* LIB. V. DECR. *Tit.* 12. Cap. 24.

IV. Tàm Sacerdotes qui gubernant naves ad pugnam, quàm qui personaliter exercent conflictum, & hi qui alios incitant ad pugnandum, omnes enormiter peccant, ac de rigore Canonico sunt deponendi. *De Pœnit.* Cap. *Quod in dubiis.* LIB. V. DECR. *Tit.* 37. *Cap.* 5. Item *De Renunciat.* Cap. *Quod in dubiis. in integrâ.* LIB. I. DECR. *Tit.* 9. Cap. 8.

V. Si Sacerdos pugilem introduxerit, qui quempiam usque adeò ictibus vulneravit, quod coactus est expirare; quia talis pugil homicida verus existit, prædictus Sacerdus, licet non ipse, sed alius pro eo, in duello pugnaverit, non debet in Sacris Ordinibus ministrare, sicut tradunt Sacrorum Canonum Instituta. *De Clericis pugnantib. in duello.* Cap. *Henricus.* LIB. V. DECR. *Tit.* 14. Cap. 2.

VI. Quantumcumque Clericus in duello gravem & enormem excessum commiserit, Irregularitatem non incurrit, dummodò ex ipso duello homicidium, vel membrorum diminutio non fuerit subsecuta. *De Clericis pugnantibus in duello.* Cap. *Porrò.* LIB. V. DECR. *Tit.* 14. Cap. 1.

SEC-

SECTIO IX.

An, & quomodo incurratur Irregularitas propter Sententiam sanguinis contra aliquos latam?

I. Sententiam sanguinis nullus Clericus dictet, aut promulget; sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur intersit. *Ne Clerici vel Monachi &c.* Cap. *Sententiam.* Lib. III. Decr. *Tit.* 50. *& ult.* Cap. 9.

II. Quia Sacerdores à Christo ad Ministerium salutis electi sunt, ibi consentiant Regibus fieri Judices &c. Caus. XXIII. Quæst. VIII. *Cap.* 29. *Sepè.* Ex *Conc.* Tolat. IV. *an.* 633. *Can.* 31. Tom. V. Conc. *p.* 1714.

III. Clerico causas sanguinis agitare non licet. *In 6. Ne Clerici vel Monachi.* Cap. *Episcopus. fin.* Lib. III. *Tit.* 24. Cap. 3.

IV. Nec quisquam Clericus Literas dictet aut scribat pro vindictâ sanguinis destinandas. *Ibid.*

Vide *Conc.* Tolet. XI. *ann.* 675. Cap. 6. Tom. VI. Conc. *p.* 549. Citatur in *Conc.* Londoniensi *an.* 1075. sub finem. Tom. X. Conc. *p.* 348.

V. In Curiis Principum hæc sollicitudo non Clericis, sed Laïcis committatur. *Ibid.*

VI. Clerici possunt reos pecuniariâ pœnâ multare, & etiam flagellis afficere, eâ moderatione adhibitâ, quod flagella in vindictam sanguinis transire minimè videantur; sed mortem vel detruncationem membrorum non possunt imperare seu infligere. *De Raptorib.* Cap. *In Archiepiscopatu.* Lib. V. Decr. *Tit.* 17. Cap. 4. *Cum Glossâ.*

VII. Judex Ecclesiasticus Reis nec membrum auferri, nec pœnam infligi faciat corporalem, per quam periculum possint mortis incurrere. *De crimine falsi.* Cap. *Ad audientiam.* §. *Fraternitati.* Lib. V. Decr. *Tit.* 20. Cap. 3.

VIII. Potest Reis Clericis, in signum maleficii, caracterem aliquem imprimi facere, quo inter alios cognoscantur. *Ibid. fin.*

IX. Clericus qui in furis suspendio non tantùm autoritatem præstiterit, verùm etiam præsentiam exhibuerit corporalem, indignus est Altaris Ministerio. *De excessib. Prælator.* Cap. *Ex Literis.* Lib. V. Decr. *Tit.* 31. Cap. 10.

X. His à quibus Domini Sacramenta tractanda sunt, judicium sanguinis agitare non licet; & ideò magnoperè talis excessus prohibendus est, ne indiscretæ præsumptionis motibus agitari, aut quod morte plectendum est, Sententia propriâ judicare præsumant, aut truncationes quaslibet personis per se inferant aut inferendas præcipiant. Caus. XXIII. Quæst. VIII. Cap. 30. *His. init.*

Quod si quisquam immemor horum præceptorum, tale aliquid fecerit, concessi Ordinis honore privetur & loco. *Ibid.*

XI. Clericis in Sacris Ordinibus constitutis ex *Conc.* Tolat. judicium sanguinis agitare non licet, undè prohibitum est, ne aut per se truncationes membrorum faciant, aut judicent inferendas; quod si quis tale fecerit, honore privetur & loco. *Ne Cler. vel Mon.* Cap. *Clericis.* Lib. III. Decr. *Tit.* 50.

XII. Clericus censeretur autoritatem præstitisse furis suspendio, qui respondit quod si fur sic evaderet, malum esset. *De excessib. Prælatorum.* Cap. *Ex Literis. post init.* Colligitur. Lib. V. Decr. *T.* 31. Cap. 10.

XIII. Etiam censetur tali suspendio autoritatem præstitisse, qui talibus verbis usus est: Auditis quantus est clamor populi? Omnes dicunt, malum est, si sic evaserit impunitus: & ipse cum Judice & multitudine egressus sit, ac in eorum præsentiâ fur suspensus sit. *Ibid.*

Clerici cùm Jurisdictionem obtinent temporalem, debent & possunt causas sanguinis, metu Irregularitatis cessante, aliis delegare. *In 6. Ne Clerici vel Monachi.* Cap. *Episcopus. fin.* Lib. III. *Tit.* 24. Cap. 3.

XIV. Episcopus, seu quicumque alius Prælatus, vel Clericus, Jurisdictionem obtinens temporalem, si homicidio, aut alio maleficio ab aliquibus in Jurisdictione suâ commisso, Ballivo suo, aut alii cuicumque injungat, ut super hoc veritatem inquirens justitiæ debitum exequatur, Irregularis censeri non debet, quamvis ipse Ballivus vel alius contrà malefactores ad pœnam sanguinis processerit, justitiâ mediante. *Ibid. In 6.* Lib. III. *Tit.* 24. Cap. 3. *init.*

XV. Nolumus possessiones servorum Dei, quasi vicee rationis, paribus suppliciis vindicari; non quò scelestis hominibus licentiam facinorum prohibeamus auferri, sed hoc magis sufficere volumus ut vivi & nulla corporis parte truncati, vel ab inquietudine insanâ ad sanitatis otium, Legum coërcitione dirigantur, vel malignis operibus, alicui utili operi deputentur. Caus. XXIII Quæst. IV. *Cap.* 1. *Circumcelliones. med.* S. Aug. *Epist. al.* 159.

Vocatur quidem & ista damnatio, sed quis non intelligat magis beneficium quàm supplicium nuncupandum, ubi nec sæviendi relaxatur audacia, nec pœnitendi medicina subtrahatur. *Ibid.*

XVI. Si Clericus in conflictu fuerit pro parte illorum qui violentiam repellebant, in quo lapidea ipse projecit, sed aliquem non percutit; etiamsi per alios illi aliqui dicantur occisi, si alia non impedierint, ad sui Officii executionem admitti potest. *De Clerico percussore.* Cap. *Præsentium.* Lib. V. Decr. *Tit.* 12. Cap. 25. Cap. 3. *Cum Rubricâ.*

XVII. Debet tamen ei præcipi ut pœnitentiam agat, putà per aliquod tempus à celebratione Missarum abstineat. *Ibid.*

Punitur Clericus ad cantelam, si conflictui interfuit in quo aliqui fuerunt occisi, licet ipse neminem percusserit. *Ibid. Glossa.*

SECTIO X.

An, & quando Irregularitas ex homicidio orta relaxetur, sive quis dispensare possit ab hujusmodi Irregularitate, & quomodo?

I. Qui suâ voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec Ordine Judiciario probatum, nec aliâ ratione publicum, sed occultum fuerit; nullo tempore ad Sacros Ordines promoveri possit, nec illi aliqua Ecclesiastica Beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferre liceat; sed omni Ordine ac Beneficio & Officio Ecclesiastico perpetuò careat. *Conc.* Trid. Sess. XIV. Decr. *De Reformatione.* Cap. 7. *init.*

II. Si homicidium, non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defenderet, fuerit commissum, etiam ad Sacrorum Ordinum, ac Altaris ministerium, & Beneficia quæcumque, ac dignitates, jure quodammodò Dispensatio debetur. *Ibid.*

III. Si homicidium ita fuisse commissum narretur, committatur loci Ordinario, aut ex causâ Metropolitano, seu viciniori Episcopo, qui, nonnisi causâ cognitâ & probatis precibus ac narratis, nec aliter, dispensare possit. *Ibid. Conc.* Trid. Sess. XIV. Decr. *De Refor.* Cap. 7. *fin.*

IV. Episcopus non potest dispensare cum Clerico suo, si ex ejus excessu homicidium vel membrorum diminutio fuerit subsecuta. *De Clericis pugnantib. in duello.* Cap *Porrò. fin. Glossa* colligit. Lib. V. Decr. *Tit.* 14. Cap. 1.

V. Non licet Episcopis in Irregularitate quæ oritur ex homicidio voluntario dispensare. *Conc.* Trid. Sess. XXIV. Decr. II. *De Refor. Cap.* 6. Colligitur.

Si non Sacerdos ipse, sed alius pro eo pugnaverit; homicidio secuto nunquam debet in Sacris Ordinibus ministrare; poterit tamen cum eo circa habendum Beneficium misericorditer dispensari. *De Clericis pugnantib. in duello.* Cap. *Henricus. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 14. Cap. 2.

VI Cle-

VI. Clerico jaciente lapidem, puer dicitur interemptus; Summus Pontifex illum in suo Ordine permanere permittit, ut tamen semper in Pœnitentia & timore permaneat. DIST. L. *Cap.* 37. *Clerico.*

VII. Si Presbyter duellum spontè obtulit, aut oblatum suscepit, & in eo partem digiti amisit; si non perdiderit tamen de digito, quin sine scandalo possit solemniter celebrare; potest Episcopus, post peractam Pœnitentiam, cum eo misericorditer agere, & permittere ipsum in suo Ordine ministrare, licet ejus excessus gravis admodùm extitisset. *De Corpore vitiatis.* Cap. *De Presbytero.* LIB. I. DECR. *Tit.* 20. Cap. 1.

SECTIO XI.

Quænam excusent ab incurrendâ Irregularitate ex homicidio?

I. Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc Irregularitatem incurrit. CLEMENTINARUM *De homicidio.* Cap. *Si furiosus.* LIB. V. *Tit.* 4. Cap. unico.

Idem censemus de illo, qui aliter mortem vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem. *Ibid.*

II. Qui non suâ spontè homines interfecisse cognoscitur, indè Canonicè nullo modo judicatur. DIST. L. *Cap.* 38. *Quia te. fin.*

III. Qui invitus aliquod fecerit homicidium, extrà Ministerium non est. CAUS. XV. QUÆST. I. *Cap.* 11. *Nec is. init.*

IV. Impuberes ex *Epistola* 146. JOANN. VIII. TOM. IX. CONC. *pag.* 100.

Quibusdam pueris impuberi adhuc ætate inter se rixantibus, hominum illorum instigatione, unus ex illis est interemptus; quapropter mandamus, ut si inculpabiles post peractam Pœnitentiam legitimi rigoris, secundùm Canones, reperti fuerint, gradatim ad Ecclesiasticos Ordines, eos provehere non differas, servatis in omnibus Patrum Regulis.

Hæc verba, *Post peractam Pœnitentiam legitimi rigoris*, notanda sunt; nec minùs ista, *Si inculpabiles reperti*; utraque simul juncta docent quod homicidæ, etiam innoxii, Pœnitentiæ rigorosæ ad cautelam & exemplum subjiciebantur; hoc usu justus pro homicidio horror incutiebatur.

Eâdem mente *Conc.* TRID. *Cap.* 7. *Sess.* XIV. insinuat petendam esse Dispensationem ex homicidio etiam innoxio, hæc habens: *Si verò homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defenderet, fuisse commissum narretur; quam ob causam, etiam ad Sacrorum Ordinum & Altaris Ministerium . . . jure quodammodo Dispensatio debeatur.*

SECTIO XII.

Quæ pœna decreta sint ergà Clericos qui Majoribus Censuris ligati Sacrum Ministerium exercent?

I. Presbyteri qui excommunicati Sacrum Ministerium contingere præsumpserunt, ipsi in se damnationis, sicut Sacri Canones statuerunt, Sententiam intulerunt. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 109. *De illis. init.* JOANN. VIII. *Clero & Ordini Solonitano.* circ. ann. 880.

II. Si quis Episcopus damnatus à Synodo, vel Presbyter aut Diaconus à suo Episcopo, ausi fuerint aliquid de Ministerio Sacro contingere, juxtà præcedentem consuetudinem, nullo modo liceat ei restitutionis spem aut locum habere satisfactionis. *Ibid.* CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 6. *Si quis Episcopus.* 3.

III. Si quis Episcopus in Concilio excommunicatus fuerit, sive Presbyter aut Diaconus à suo Episcopo; & post Excommunicationem præsumpserit, sive Episcopus ille, aut Presbyter, aut Diaconus, quasi in officio suo agere sicut priùs, non liceat ei spem reconciliationis habere. *Ibid.* Cap. 7. *Si quis Episcopus.* 4.

IV. Si autem permanserit turbans & concitans Ecclesiam per forinsecam potestatem, oportet eum, sicut seditionarium, ab omni plebe expelli. *Ibid. fin.*

V. Clerici qui à suis, aut etiam de mandato Romani Pontificis, ab alienis Episcopis interdicti vel excommunicati, antè Absolutionem Divina Officia celebraverint; nisi moniti sine dilatione redierint, perpetuæ depositionis Sententiam pro ausu tantæ temeritatis incurrant. *De Cler. Excommun.* Cap. *Clerici.* LIB. V. DECR. *Tit.* 27. Cap. 3.

VI. Si quadraginta solummodò vel pauciores Clerici, postquàm interdicti vel excommunicati fuerunt, Divina præsumpserunt Officia celebrare; omnes in perpetuum ab Officio Sacerdotali deponi debent. *Ibid. De Clerico Excomm.* Cap. *Latores.* LIB. V. DECR. *Tit.* 27. Cap. 4.

VII. Etiam is, cui nonnisi per famam de Sententia contra eum prolata constat, si Divina Officia celebravit, meretur de rigore Juris pœnam quam Canon infligit his, qui post Excommunicationem Divina præsumpserint Officia celebrare, vel se celebrationi ingesserint Divinorum. *Ibid.* Cap. *Illud.* §. ult. *Junctâ Rubricâ.*

VIII. Cum eo potest misericordiam facere Summus Pontifex. *Ibid.* Colligitur.

IX. Presbyteri & alii Clerici qui pro suis excessibus, nexibus Anathematis Canonicè innodati, præsumpserunt vel præsumunt Officia celebrare Divina, rationabiliter possunt omnibus Beneficiis Ecclesiasticis spoliari. *Ibid.* Cap. *Fraternitati.* LIB. V. DECR. *Tit.* 27. Cap. 6.

X. Clerici qui post latam Interdicti Sententiam, in locis suppositis Interdicto, præsumpserunt & adhuc etiam non verentur Divina Officia celebrare; quamvis propter hoc sint Excommunicationis vinculo innodati, sunt Ecclesiasticis Beneficiis spoliandi. *De Clerico Excomm.* Cap. *Postulastis.* §. *Quæsivistis.* LIB. V. DECR. *Tit.* 27. Cap. 7.

XI. Solus Papa potest in hujusmodi dispensare. *Ibid.* Cap. 3. *Clerici. Glossa* colligit, tùm Cap. 6. *Fraternitati*, tùm *Cap.* 5. *Illud.*

XII. Si quis Episcopus, Presbyter, vel Diaconus depositus justè pro certis criminibus, ausus fuerit attrectare Ministerium sibi dudùm commissum, hic ab Ecclesia abscindatur. *Ibid. De Cler. Excomm.* Cap. *Si quis.* LIB. V. DECR. *Tit.* 27. Cap. 1.

XIII. Si quis Presbyter, aut alius Clericus fuerit degradatus, aut ab Officio pro certis criminibus suspensus, & ipse per contemptum & superbiam, aliquid de ministerio sibi interdicto agere præsumpserit, & posteà ab Episcopo suo correptus in incepta præsumptione perduraverit, modis omnibus excommunicetur. *Ibid.* Cap. *Si quis Presbyter.* LIB. V. DECR. *Tit.* 27. Cap. 2.

XIV. Quod si aliquis omnia ista contempserit, & Episcopus minimè emendare potuerit, Regis judicio, ad requisitionem Ecclesiæ, exilio damnetur. *Ibid. fin.*

Vide *Concil.* VERNENSE *an.* 755. *Can.* 9. TOM. VI. CONC. *p.* 1667.

Quæ ad rem faciunt sic se habent; *Si quis Presbyter ab Episcopo suo degradatus fuerit, & ipse per contemptum, aliquid de Officio suo sine commeatu facere præsumpserit, & posteà ab Episcopo correptus & excommunicatus fuerit; qui cum ipso communicaverit scienter, sciat se esse excommunicatum.* Hæc postrema verba, *sciat se esse excommunicatum*, notanda sunt, cùm contineant exemplum Excommunicationis ipso facto sæculo VIII. usitatæ in Galliâ.

PARS

PARS III. & ULTIMA
TRACTATUS DE JUDICIIS.

Contingens Crimina eorumque causas; in qua referuntur Decisiones Juris tàm circà Conscientiam generatim vel speciatim sumptam, peccatorum causam proximam, quàm circà peccata quæ sunt materia Judiciorum Criminalium.

TITULUS I.

De Conscientia.

SECTIO I.

Quot modis Conscientia habere se possit? Ubi, quid sit Conscientia; qua ejus species; certa, probabilis, vel verisimilis, dubia, seu incerta, levis sea scrupulosa; quid in qualibet agendum, exponitur.

I. CONscientiam alicujus rei potest habere quispiam, vel ita ut certò sciat, se non posse quidquam exercere sine peceato mortali; vel ut non certò sciat, sed tantùm eredat. *De Sententia Excommunicationis.* Cap. *Inquisitioni. init.* Colligitur. LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 44. *De Conscientia* vide GONZALEM LIB. II. DECR. *Tit.* 26. *De Præscript. Cap.* 20. *ultim.* verbo, *Conscientiam.*

II. Bonarum mentium est, ibi timere culpam, ubi culpa minimè reperitur DIST. V. *Cap.* 4. *Ad ejus.* §. ult. *fin.* & *De Observatione jejuniorum.* Cap. *Consilium.* LIB. III. DECR. *Tit.* 46. Cap. 2.

III. Plerumque ubi culpa non est, eam timere solent Conscientiæ timoratæ, quæ in via Dei quodcumque devium expavescunt. CLEMENTINA, *Exivi. De Verborum signific.* §. 1. *Quia verò. med.* CLEMENT. LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 1.

IV. Nullus debet contrà Conscientiam peccare mortaliter, sed potiùs debet sustinere Sententiam Ecclesiæ, quam illud operari quod certò scit, se non posse sine peccato mortali admittere. *Ibid.* & *Glossa De restitutione spoliat.* Cap. *Literas.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 13.

V. Eum qui certus est, certiorati ulteriùs non oportet. *In* 6. *De Reg. Juris. Reg.* 31. LIB. V. *Tit. ult.*

VI. Cùm eredit tantùm Conscieutia haberi potest, vel ex credulitate levi & temeraria, vel ex probabili credulitate & discreta. *Ibid. De Sententia Excomm.* Cap. *Inquisitioni.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 44.

VII. Probabiliter dubitari potest de facto aliquo. *In* 6. *De postulatione Prælatorum.* Cap. *Perpetuo.* §. *Sed ea. Glossa* colligit, verbo, *Probabiliter. In* 6. LIB. I. *Tit.* 5. Cap. 1.

VIII. Non solùm quod malum esse dignoscitur, sed & omne quod speciem habet mali, est à viris perfectis specialiter evitandum. CLEMENT. *Exivi.* §. *Proindè. fin. De Verborum Signif.* CLEMENT. LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 1.

IX. Conscientia levis & temerariæ eredulitatis præcipuè ad sui Pastoris consilium explodi debet. *Ibidem.* Qui ex eo quod Conscientiam nimia habuerit scrupulosam, in difficultatem aliquam est collapsus, eam otique non evadet, nisi deponat errorem. *De Simonia.* Cap. *Per tuas bis.* §. *Nos igitur. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. *Cap.* 35.

X. Cùm Conscientia pulsat animum, ex credulitate probabili & discreta, quamvis non evidenti & manifesta; sic res temperari debet, ut nec contrà Legem, nec contrà Judicium Conscientiæ offensa committatur. *De Sent. Excomm* Cap. *Inquisitioni.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. *Cap.* 44. Plerumque ubi culpa noo est, eam timere solent Conscientiæ timoratæ, quæ in viâ Dei quodcumque devium expavescunt. CLEMENT. I. *Exivi. De Verborum signific.* §. 1. LIB. V. CLEMENT. *Tit.* 11. *Cap.* 1.

XI. In his quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus Conscientiæ, pars securior est tenenda. CLEMENT. I. *Exivi.* §. 4. *Item quia. post init.* LIB. V. *Tit.* 11. *Cap.* 1.

XII. In iis quæ vel dubia fuerint aut obscura, id ooverimus sequendum quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec Decretis Sanctorum Patrum inveniatur adversum. DIST. XIV. *Cap. Sicut* 2. *fin.*

In his quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus. *De Sponsalib & Matrim.* Cap. *Juvenis. med.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 1. *Cap.* 3. In dubiis semper tenendum est illud quod securius & certius est. *Glossa. Ibid*

Tene certum, dimitte ineertum. CAUS. XXXIII. QUÆST. III. *De Pœnitentia.* DIST. VII. *Cap.* 4. *Si quis.* §. *Sed. fin.*

XIII. Plus valet quod est in opinione quàm quod est in veritate. *De Jure Patronatûs.* Cap. *Consultationibus. Glossa* colligit, LIB. III. DECR. *Tit.* 38. *Cap.* 19.

XIV. Propter Conscientiam dubiam ex probabili causa, abstinere quis debet à jure suo exigendo. *De secundis nuptiis.* Cap. *Dominus.* §. *Si verò. Glossa* colligit, verbo, *Nullatenùs exigendum.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 21. *Cap.* 2. Quorumdam cæcæ scrupulositatis ambiguum est, & ipsorum quodammodò indocta scientia, dum suis mavult temerè, sub Conscientiæ velamento, conceptibus, quàm Prælatorum cum obedientiæ merito providè inhærere Sententiis. EXTRAV. JOANN. XXII. *Quorumdam. init. De Verborum Signif. Tit.* 14. *Cap.* 1. Irreligiosa eorum est, vana, & in hoc superstitiosa Religio. *Ibid.*

XV. Particularium omnium eerta non potest dari scientia, neque eorum, eùm infinita sint, contingit fieri Disciplina; non Ars, non Regula circumstantias singulas, accidentiaque cuncta complectitur; habent in illis minores majoribus obsequi, illisque intendere noo in certis solùm, verùm etiam in dubiis & incertis. EXTRAVAG. JOANN. XXII. *Quorumdam.* §. 2. *Quocircà. fin. Tit.* 14 Cap. 1.

XVI. Io omni quod agimus, hæc est moderatio solertiùs observanda; ut si in talem fortè lapsum inciderimus, ex quo, sine aliquo peccati contagio, surgere non possimus, illum potiùs evadendi aditum petamus, in quo minùs periculi nos perpessuros esse eernimus. CAUS. XXII. QUÆST. IV. *Cap.* 7. *Non solùm.* BEDA. *Homilia* 44. *circa annum* 720. Præsunt artibus quibus obediant; præsunt Regulis singulis quibus obtemperent; disciplinis, ut illarum finis egregius, debitis obsequentium ministeriis subsequatur. *Ibid.*

XVII. Duo mala, licet sint cautissimè præcavenda, tameo si periculi necessitas ex his unum perpetrare compulerit, id debemus resolvere quod minori nexu noscitur obligare. DIST. XIII. *Cap.* 1. *Duo mala. init.* Qui ex eo quod Conscientiam nimis habuerit scrupulosam, in difficultatem aliquam est collapsus, hanc utique non evadet, nisi deponat errorem *De Simonia.* Cap. *Per tuas.il* 2. §. 1. *fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. C. 35.

Sic virtus constans in medio sapientem prudentemque deposcit, ne si quisque regarur ut appetit, confestim corruat; senteutiæ namque variantur ut capita,& crescit in stolidis opinionibus phantasia. *Ibid.*

Quid aurem ex his levius, quid sit gravius, puræ rationis acomine investigemus. *Ibid. §. 1.*

Dum meus inter minora & maxima peccata constringitur, si omninò nullus sine peccato evadendi aditus patet, minora semper eliganrur. DIST XIII. *Cap. 2. Nervi. §. 5. Est tamen.* init. SANCTUS DAVID non quidem iratos sanguinem hominis fudit, sed eum falsum jurasse negare quis poterit? De duobus peccatis elegir minus, sed minus fuit illud in comparatione majoris. CAUS. XXII. QUÆST. IV. *Cap. 4. Juravit.* §. 1. Intellige de Juramento quod nocet proximo quoad bona minora quàm sir vita; nam juramentum in se sumptum crimen majus est homicidio.

In dubio potiùs est abstinendum, quia quandoque dicunt aliqui se dubitare, ubi nnn est dubitandum, & è converso; & tutior via est eligenda. *Glossa ad* Cap. *In Civitate. De usaris*, verbo, *Nisi dubium.* LIB. V. DECR. *Tit.* 19. Cap. *6.*

Cùm in dubiis constringimur, utiliter minimis subdimur, ne in magnis sine veniâ peccemus. *Ibid. fin.* Tene certum, dimitte incetrum. *De pœnit.* DIST. VII. *Cap. 4. fin.* Quia circà minima & maxima frequenter humanus deficit intellectus, prudentis est quærere ubi scrupulus dubitationis occurrit. *Dr bigamis noa ord.* C. *Quia circà. init. ia iat.* LIB. I. DECR. *Tit.* 21. Cap. *6.*

Non est in quæstionibus ultrà quàm oportear dubitandum, cùm Leges Humanæ dicant, quod quidam tenui Religione, Sacramenta etiam necessaria & legitima exhibere contemnunt; tenuem Religinnem vocantes, quæ in talibus hæsitat, ubi non est aliquatenùs hæsitandum. *De Simonia.* Cap. *Etsi.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 18. *init.*

Tenuis Religio quæ io talibus hæsitat, ubi non est aliquarenùs hæsitandum. *Ibid.*

Ratione verisimilis dubii aliquando permittitur aliquid fieri quod aliàs facere non liceret. *De usaris.* Cap. *Naviganti. §. Ille & ratione.* Cum *Glossâ*, verbo, *Verisimiliter dubitatur.* LIB V. DECR. *Tit.* 19. Cap. 19. *qaod est ultimum*, & *Glossa. Dr Baptismo & ejus effec.* Cap. *De quibus.* LIB. III. DECR. *Tit.* 42. Cap. 2.

SECTIO II.

Lethale peccatum esse, agere contra conscientiam in rebus gravis momenti.

I. Quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam. *De restitatione spoliatoram.* Cap. *Litteras, §. Porrò.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. Cap. 13.

Contrà conscientiam quis agere non debet, ne fortè ædificet ad gehennam. *Dr Simonia.* Cap. *Per tuas bis. §. Nos igitur* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 35. Peccatum est quod aliter fit quàm probatum est. CAUS. XXVIII. QUÆST. I. *post Cap.* 14.

II. Omne quod aliter fit quàm probatum est, peccatum est: non tamen omne quod fit cum fide, bonum est. *Ibid.*

Contrà conscientiam nullus venire debet: aliàs peccat mortaliter. *Ibid. Glossa*, & *De scratinio ia ordiae faciendo.* Cap. *Ex parte.* LIB. I. DECR. *Tit.* 12. Cap. unico. *Colligit.*

Omne enim quod non est ex fide peccatum est. *De restitutione spoliatorum.* Cap. *Litteras. §. Porrò.* LIB. II. DECR. *Tit.* 13. *Cap.* 13. & *Dr præscriptionib.* Cap. *Quoniam.* init. LIB. II. DECR. *Tit.* 26. *Cap.* 20.

III. Cùm consulitur Pontifex Romanus, utra duarum opinionum potior videatur, respondet secundùm quod ei & Fratribus suis apparet, quæ Sententia meliori & subtiliori nitatur ratione. *De feriis.* Cap. *Capellanas.* LIB. II. DECR. *Tit.* 9. *Cap.* 4. *§.* 3.

IV. In responsione aliquis peccare non est credendus, dummodò contra conscientiam non loquatur. *De Scratinio.* Cap. *Ex parte.* LIB. I. DECR. *Tit.* 12. Cap. unico.

V. Si deprehenderis aliquid evidenter, ita quod non sit aliquatenùs hæsitandum; tu illud intrepidus exequaris. *De Rescriptis.* Cap. *Cùm contiagat.* §. 1. *med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 3. *Cap.* 24.

VI. Si super aliqua re tibi meritò fuerit dubitandum, ad exequendum te procedere non oporret, donec concertatio sopiatur. *Ibid. fin.* In omnibus puram & providam te convenit intentionem habere, ne vel dubitare te dicas, ubi dubitandum noo est; vel etiam te asseras esse certum, ubi certus esse non debes. *Ibid. fin.*

Ex his certa tibi datur doctrina qualiter in his te debeas habere. *Ibid. §. alt.*

VII. Periculosissimè admittitur hæc compensatio, ut oos faciamus aliquid mali, ne alius gravius malum faciat. DIST. XIV. *Cap.* 1.

SECTIO III.

De conscientia erronea.

I. Errare est aliud pro alio putare. CAUS. XXII. QUÆST. II. *Cap. 6. Ia qaibus. fin.* Vide DIST. XXXVIII. *Cap.* 11. *Quamvis.* Error probabilis dicirur qui nititur authoritate aliorum. *Dr frigidis* &c. Cap. *Fraternitatis.* init. Colligirur. LIB. IV. DECR. *Tit.* 15. Cap. *6. post med.*

Falli quàm mentiri minus est malum, quantùm pertinet ad hominis voluntatem. CAUS. XXII. QUÆST. II. *Cap. 7. In ipsarum. med.* S. AUG. *in Enchir. Cap.* 18. n. *6.* circà ann. 421.

II. Conscientia erronea deponenda est. *Dr Simoniâ.* Cap. *Per tuas bis.* fin. *Glossa* colligit. LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 35.

In quibus rebus nihil interest ad capessendum Dei Regnum, utrùm credantur, an non, & utrùm vera sive sint, sive putentur, an falsa; in his errare non arbitrandum est esse peccatum; aut si est, minimum esse atque levissimum. CAUS. XXII. QUÆST. II. *Cap. 6. In qaibus.*

III. Error ex causâ probabili excusat, maximè si persona laudabilis opinionis existat. *De Sent. Excom.* Cap. *Sacro. §.* 2. *Cùmque.* LIB. V. DECR *Tit.* 39. Cap. 48.

Aliquem probabilis error excusat. *Ibid.* §. 3.

Aliquando talis est error de quo meritò debeat dubitari. *Ibid. §. ult.*

In ipsarum quæ dicuntur consideratione rerum, interest quâ in re quisque fallatur. CAUS. XXII. QUÆST. II. *Cap. 7. Ia ipsaram. init. Ex Correctione ad originale.* S. AUG. *in Ench. Cap.* 18. a. *6.* circ. an. 421.

Cui est illata Sententia, deponat errorem, & vacua est. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap. 46. Cai est illata.*

IV. Ignosci potest simpliciter erranti, sicut de se ipso dicit Apostolus Paulus; *Qui primò fui blasphemus, & persecutor, & injuriosus, sed misericordiam merui, quia ignorans feci.* Post inspirationem verò & revelationem factam, qui in eo quod erraverat perseverat, prudens & sciens, sine veniâ ignorantiæ peccat; præsumptione enim atque obstinatione quadam nititur, cùm ratione superetur. DIST. VIII. Cap. *Consuetudo.* §. 8. S. CYPR. in *Epistolâ ad* POMPEIUM. 73. *ann.* 256. *med.*

V. Longè tolerabilius est in his quæ à Religione sejuncta sunt, mentiri, quàm in his sine quorum fide, vel notitiâ, Deus coli non potest, falli. CAUS. XXII. QUÆST. II. *Cap. 7. Ia ipsarum. med.* S. AUG. *in Enchir. Cap.* 18. a. *6.*

SECTIO IV.

Quid, & quotuplex ignorantia?

I. Ignorantia duplex, facti, & juris. *De Sent. Excom.* Cap. *Cùm illoram. post init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 32. Vide CAUS. XXII. QUÆST. IV. post *Cap. ult.*

Ignorantia facti, cùm quis, verbi gratia, non recolit factum pro quo in Sententiam incidit. *Ibid.*

Igno-

Ignorantia juris, cùm quis factum sciens, juris ignatus, nescit exindè se teneri. *Ibid.*

II. Ignorantia affectata æquiparatur scientiæ. *In 6. De temporib. Ordinationum.* Cap. *Eos qui.* Lib. I. *Tit.* 9. Cap. 8.

Crassa & supina ignorantia non excusat. *De ordinatis ab Episcopo qui renuntiavit, &c.* Cap. *Requisivit. fin.* Colligitur. Lib. I. Decr. *Tit.* 13. Cap. 1. *Glossa*, verbo, *Crassa.*

Ignorantia vera & non simulata, vel non ex voluntate processerit; quia plerique sunt qui possunt quidem, sed nolunt recta nosse. Indè Psalmista de hujusmodi, *Noluit*, inquit, *intelligere ut benè ageret.* Caus. XI. Quæst. III. Cap. 102. *med. Excellentissimus.* Vide Gratianum Caus. I. Quæst. IV. *post* Cap. 12.

III. Ignorantia quæ est ex culpa, nocet. Caus. XXVIII. Quæst. I. *post* Cap. 14. *Glossa Ordinaria.* Vide Gonzalem *ad Cap.* 9. Lib. V. Decr. *Tit.* 25. *notâ* a.

SECTIO V.

An, & quando ignorantia excuset à peccato?

I. Nullius crimen maculat nescientem. Caus. I. Quæst. IV. Cap. 1. *Nullius.*

Reus non constituitur, qui nescit quid faciat. Caus. XV. Quæst. I. Cap. 5. *Aliquos. fin.*

Si quis ex ignorancia aliquid fecit, eum ignorantia excusare videtur. *De cognatione spirituali.* Cap. *Si Vir.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 11. Cap. 2.

Ignorantia probabilis excusat. *De Clerico Excommunicato &c.* Cap. *Apostolicæ. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 27. Cap. 9.

II. Quisque de facto suo certus esse debet. *De Rescriptis.* Cap. *Ab excommunicato. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 3. Cap. 41.

Quæ sunt facti & in facto consistunt, probabiliter ignorari possunt. *In 6. De Constitutionib.* Cap. *Licet. Romana. fin.* Lib. I *Tit.* 2. *Cap.* 1 Statuta generalia Juris Communis ab omnibus scici & custodiri debent; seu, nemo præsumi potest ea probabiliter ignorare. *In 6. De Constitutionibus* Cap. *Ut animarum.* Colligitur, eum *Glossa.* Lib. I. *Tit.* 2. Cap. 2.

III. Nulli licet ignorare quod præsentibus multis solemniter ac publice promulgatum est. *De postulatione.* Cap. *Ad hæc.* §. *Quod nec.* Lib. I. Decr. *Tit.* 5. *Cap.* 1. Quædam meliùs sciuntur ipso facto, quàm alicujus Statuti, sive Juris expressione. *De donationib.* Cap. *Apostolicæ.* §. *Nam etsi. fin. Glossa* colligit. Lib. III. Decr. *Tit.* 24. Cap. 9.

IV. Qui potest scire & non scit, idem ac si sciret. *De Clandestina desponsatione.* Cap. *Cùm inhibitio.* §. *Si quis verò. Glossa* colligit.

V. Ignorantia facti, non juris, excusat. *In 6. De Regulis Juris. Regula* 13. Lib. V. *Tit. ult.*

Qui habentes à quo discerent, operam non dederunt, non excusantur. Dist. XXXVII. Cap. 16. Quod est ultimum. *Non omnis.* Licet aliquid pollutum sit per accidentiam, id est oblationem Idoli, cum hoc tamen nescit qui emit, nullum patitur scrupulum, & immunis est. Caus. XXVI. Quæst. II. Cap. 11. *ult.*

VI. Qui voluntariè omittunt id per quod scirent quod scire debent, non expertes scientiæ, sed affectatores ignorantiæ videntur. *De Clandestina desponsatione.* Cap. *Cum inhibitio.* §. *Si quis verò.* Colligitur. Lib. IV. Decr. *Tit.* 3. Cap. 3.

Minimè rei facti sunt qui non voluntate, sed impellente vi nescio quâ, aliquid egerunt nescientes; quomodo enim reus constitueretur qui nescit quid faciat? Caus. XV. Quæst. I. Cap. 5. *Aliquos. fin.*

Aliquis in aliquâ re ex ignorantiâ Juris se potest excusare. Clementina I. *De pœnis.* §. *ult. fin.* Colligitur. Lib. V. Clement. *Tit.* 8. Cap. 1.

Excusantur si aliquid posteà forsan emerserit, aut aliqua antiqua in notitiam de novo pervenerint, quæ verisimiliter ignorare potuerint & etiam ignorarint. *In 6. De Elect.* Cap. *Ut circà. ante* §. 1. Lib. V. *Tit.* 6. Cap. 4.

Excusatur quis ex causis posteà emergentibus, vel cùm latentis alicujus vitii vel defectûs, quæ verisimiliter ignorare potuerit, veritas revelatur. *In 6. De Elect.* Cap. *Nulli licere. med.* Lib. I. *Tit.* 6. *Cap.* 8.

Ex collectis Decisionibus sequitur, quod in eo quod quis scire debet, ignorantia non excusat, nisi sit involuntaria, tàm in se quam in causâ.

SECTIO VI.

An & quomodò ignorans incurrat pœnam?

I. Non omnis ignorans immunis est à pœnâ; ille enim ignorans potest excusari à pœnâ, qui à quo disceret non invenit. Dist. XXXVII. Cap. 16. ult. *Non omnis. init.*

II. Mitiùs agitur cum ignorante Jus Positivum; secùs in Jure Naturali. *De Sent. Excom.* Cap. *Cùm illorum. Glossa* colligit. Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 32.

III. Ignorantia, iis qui sunt sine culpâ, præjudicialis existere non debet. *In 6. De Præbendis.* Cap. *Si Beneficia.* Lib. III. *Tit.* 4. *Cap.* 20.

IV. Qui non scienter aliquid à Jure prohibitum fecerit; nisi crassa & supina fuerit ignorantia, meretur veniam seu Indulgentiam & Dispensationem. *De ordinatis ab Episcopo qui renuntiavit &c.* Cap. 9. *Requisivit. fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 13. *Cap.* 1.

Ignorantia non excusat (ab incurrendâ pœnâ) si scire quis debuit ex facto suo injuriam verisimiliter contingere posse, vel jacturam. *De injuriis & damno dato.* Cap *Si Culpa.* Lib. V. Decr. *Tit.* 36. Cap. 9. *Quod est ultimum.*

V. Qui voluntariè omittunt id per quod scirent quod scire debent, puniuntur ac si scirent. *De Clandestinâ desponsatione.* Cap. *Cùm inhibitio.* §. *Si quis verò.* Colligitur. Lib. IV. Decr. *Tit.* 3. *Cap.* 3.

VI. Imputet sibi quisque, si hoc casu quo de ipsius commodo agitur, id quod per se, vel per alium scire potuerit, ignoravit. Clement. *De Concessione Præbendæ &c.* Cap. *Cùm ei.* §. *Cæterum. fin.* Clement. Lib. III. *Tit.* 3. Cap. unico.

VII. Alterius factum ignoranti & prohibenti damnosum existere non potest; alioquin ille de fraude suâ commodum reportaret. *De Simoniâ.* Cap. *Sicut.* §. *Quamvis. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 33.

VIII. Cùm quis in jus succedit alterius, justam ignorantiæ causam censetur habere. *In 6. De Regulis Juris. Regulâ* 14. Lib. V. *Tit. ult.*

IX. Tempus non currit ignoranti. *De supplendâ negligentiâ Prælatorum.* Cap. *Licet.* Lib. I. Decr. *Tit.* 10. Cap. 3.

Ex collectis sequitur, nullam ignorantiam excusare à pœna, nisi excuset à culpâ; eam verò quæ excusat, tantùm à pœnâ excusare, quantùm à culpa excusat.

SECTIO VII.

An, & quando præsumatur ignorantia, vel probetur?

I. Cùm grave fuit & notabile factum, aut is qui fecit, adultus fuit & discretus; violenter contra oblivionem vel ignorantiam præsumitur. *De Sent. Excom.* Cap. *Cùm illorum.* §. ult. *fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 38.

II. Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur. *In 6. De Reg. Juris. Reg.* 47. Lib. V. *Tit. ult.* Hoc præcipuè in factis alienis, quæ quis scire non debet, de quibus *Reg.* 19. *De Reg. Jur. In 6.*

III. Si dubium sit an quidpiam quis ignoraverit, nec ne, præstare debet juramentum, quod illud ignoravit. *De Sententia Excomm.* Cap. *Si verò bis. med.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 4.

IV. Si præstare noluerit juramentum, præsumitur quod non ignoravit, & punitur ut sciens. *Ibid. fin.*

V. Potest Superior cogere inferiorem, probare ignorantiam quam allegat. *De Electione.* Cap. *Innotuit.* §. *Habito.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 20.

VI. De ignorantia quæ pendet duntaxat ex conscientia sua, cogitur quis facere fidem proprio juramento,

mento. *In 6. De Electione.* Cap. *Nulli. fin.* LIB. I. *Tit.* 6. Cap. 8.

VII. Tenetur quis probare ignorantiam suam. *De homicid. volunt.* Cap. *Significasti. Glossa* colligit. LIB. V. DECR. *Tit.* 12. Cap. 16.

Collecta in hâc Sectione non spectant eos qui scire nec potuerunt nec debuerunt, cùm nulla sit contrà eos justa præsumptio scientiæ, ideòque nulla potest esse obligatio probandi ignorantiam; secùs quoad alios.

SECTIO VIII.

Quandò fieri censeatur dolus, & quomodo probetur?

I. Quod quis mandato facit Judicis, dolo facere non videtur, cùm habeat parere necessè. *In 6. De Reg. Juris. Reg.* 14. Necessitas excusat à dolo. *Glossa,* verbo, *Cùm habeat. med.*

II. Scienti & consentienti non fit dolus. *Ibid. De Reg. Juris. Reg.* 27.

III. Præsumi non debet, quod pro talibus Literis quæ possunt facilè obtineri, fraudem quis commiserit falsitatis. *De crimine falsi.* Cap. *Accedens. med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 20. Cap. 8.

Dolus malus est omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum adhibita; sed sciens non circumvenitur, fallitur, vel decipitur; ergo sibi non infertur dolus. *Glossa,* verbo, *Scienti.*

IV. De fraude appareat saltem per aliquas probabiles conjecturas. *In 6. De Renunciatione.* Cap. *Si te Prabendam. med.* LIB. I. *Tit.* 7. Cap. 2.

Dolus probatur ex perspicuis conjecturis; & qui eum allegat, probare illum debet. *Glossa,* verbo, *Conjecturas.*

V. Dolo uti ex diuturnitate temporis quis videtur. *De Rescriptis.* Cap. *Ex parte. §.* 1. *fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 3. Cap. 12. Ex diuturnitate temporis vel negligentia probatur dolus. *Glossa.*

VI. De fraude perpetrata per Partis juramentum, non constat ad plenum. *De in integrum restitutione.* Cap. *Ex Literis.* §. 1. *init.* LIB. I. DECR. *Tit.* 41. Cap. 4. Noxius est vir qui fraudulenter nocet amico suo; & cùm fuerit deprehensus, dicit, ludens feci. *De Præsumpt.* Cap. *Sicut. fin.* LIB. II. DECR. *Tit.* 23. Cap. 1.

SECTIO IX.

Alicui dolum suum, seu malitiam, non modò non prodesse, sed potiùs obesse debere.

I. Deceptis & non decipientibus Jura subveniunt. *De Rerum permutatione.* Cap. *Cùm universorum. §.* 2. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 19. Cap. 8. Ludus noxius inducit præsumptionem fraudis, seu, in dubio in delictis præsumitur dolus. *Glossa.*

Propria fraus nulli debet prodesse aut patrocinium ministrare. *De fide Instrum.* Cap. *Ex Literis. in int. med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 22. Cap. 3.

II. Non deceptoribus, sed deceptis, jura subveniunt. *De Donationibus.* Cap. *Inter Dilectos.* §. 2. *med.* Alienum est ab ordine Juris, ut de dolo vel fraude quilibet commodum reportet. *Appendice Conc.* LATER. III. *Parte* 10. Cap. 22. *med.*

III. Viam non aperiamus his qui pravitatem suam satagunt palliare. *Ut Ecclesiastica Beneficia.* Cap. unic. §. *ult. fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 12. Cap. unic.

IV. Si fraus detecta fuerit, patrocinari non debet. *De Testamentis.* Cap. *Requisisti.* §. ult. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 26. Cap. 15.

V. Cùm quis dolosè aliquid impedierit, dolus ei suffragari non debet. *De Concess. Præb.* Cap. *Postulastis. §.* 1. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 8. Cap. 15.

VI. Ne aliquod lucrum ex fraude sua quis reportet. *De Offic. Deleg.* Cap. *Pastoralis.* §. ult. *med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 29. Cap. 28.

VII. Ne quis commodum ex dolo vel fraude reportet. *In 6. De Offic. Deleg.* Cap. *Statuimus,* LIB. I. *Tit.* 14. Cap. 13.

VIII. Non videatur dolus suus alicui patrocinium attulisse. *De Offic. Deleg.* Cap. *Cùm olim.* §. ult. *fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 29. Cap. 33.

IX. Fraus & dolus alicui patrocinari non debent. *De Rescriptis.* Cap. *Ex tenore. §.* 2. *fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 3. Cap. 16. & Cap. *Sedes* 15. §. ult. *De Testamentis.* Cap. *Officii. §.* 2. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 26. Cap. 14. *De Appellat.* Cap. *Ex Insinuatione. §.* 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 28. Cap. 50. *De Immunitate Ecclesiæ.* Fraus & dolus cuiquam patrocinari non debent. *De Empt.* Cap. *Ad nostram. §.* 1. *init.* LIB. III. DECR. *Tit.* 17. Cap. 5. *Cap. Adversus. §.* 1. *med.* LIB. III. DECR. *Tit.* 49. Cap. 7.

X. Attendant Judices malitiam & dolum nulli patrocinari debere. *De Dolo & Contumacia.* Cap. *Ex Literis. §.* 1. *med.* LIB. II. DECR. *Tit.* 14. Cap. 2.

XI. Fraus & dolus nemini debet patrocinium impertiri. *De Cler. Resid.* Cap. *Tua. §.* 2. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 4. Cap. 15.

XII. Satis indignum esset si fraus & dolus quæ in præjudicium tui Juris [& aliorum nituntur aliqui committere, in eorum non redundarent incommodum & jacturam. *De Collusione detegenda.* Cap. *Audivimus. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 22. Cap. 3.

Dolus impunitus remanere non debet, ne malitia sit lucrosa. *Glossa,* verbo, *Spoliare.*

SECTIO X.

Quæ dolo fiunt, non valere.

I. Dolo quasi ex perspicuis insidiis probato, transactionem inefficacem penitùs asserendum. *De Constit.* Cap. *Ecclesia. in int. post med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 2. C. 10.

II. Nolo habere hypocritas &c. CAUS. XII. QUÆST. I. *Cap.* 18. *Certè ego. &c.*

Qui hypocrita est, mortuus est. CAUS. XII. QUÆST. I. *Cap.* 10. *Nolo. §.* 3.

Bonæ rei dare consultum &c. CAUS. XII. QUÆST. II. *Cap.* 74.

III. Iniquum est, ut quisque de alio judicare velit, & judicari de se nolit. CAUS. XXXII. QUÆST. VI. *Cap.* 3.

IV. Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus; undè intueri libet, si bona opera in absconditis fieri jubentur, ut pro cujus nomine hæc facimus &c. *Concil.* CALCHUTENSE *ann.* 787. *Cap.* 9. TOM. VI. CONC. *p.* 1865. Fides, spes, charitas. *Conc.* MOGUNT. ann. 813. *Can.* 1. 2. 3. TOM. VII. CONC. *pag.* 1242.

V. Charitas est recta voluntas ab omnibus terrenis & præsentibus prorsùs aversa, juncta Deo inseparabiliter. *De Pœnit.* DIST. II. *Cap.* 5. Ordine dilectionis illi pervertunt &c. *Ibid. §.* 2. *fin.* Corpus nostrum quia pars nostri &c. *Ibid.* Proximos tunc diligimus sicut nos &c. *Ibid.* Hæc est proximi tota dilectio. *Ibid.*

VI. In CHRISTUM credere, est amando in ipsum tendere. *De Pœnit.* DIST. II. *post* Cap. 14.

VII. Fides quæ non est de re visa, & indè est meritum fidei. *De Pœnit.* DIST. IV. *Cap.* 11.

VIII. Admonendus est populus quod hæc sit vera charitas, quæ Deum diligit plus quàm se, & proximum tanquàm se, & quæ nihil vult alii facere, nisi quod sibi vult fieri. THEODUL. *Aurel. in Capitul.* an. 797. *Cap.* 34. TOM. VII. CONC. *p.* 1145.

IX. Bonum obedientiæ de cujus laude quid sentiendum sit, ex diverso meliùs demonstratur; cùm secundùm Prophetam, peccatum ariolandi sit, repugnare, & scelus idololatriæ nolle acquiescere. *De Transl.* Cap. *Quarto. in int. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 7. Cap. 3.

X. Si veram & non fictam vis habere justitiam, quæ verbis ostentas, etiam factis compensare curato. *Conc.* MOGUNT. NICOL. I. *Epistola* 58. TOM. VIII. CONC. *p.* 450. *an.* 813. *Can.* 18. TOM. VII. CONC. *p.* 1247.

XI. Justum quod ei non obediatur à subditis, qui suo contemnit obedire Prælato. *De novi operis nunt.* Cap. *Cùm de injuncto. in int. vers. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 32. Cap. 2.

XII. Discre-

XII. Discretio noscitur omnium virtutum esse mater. *De off. Custodit.* Cap. *Custos Ecclesiæ.* med. Lib. I. Decr. *Tit.* 17. Cap. 1. Qui non fecerit quod debebat ejus est negligentiæ imputandum, aut aliquando malitiæ. *De off. Deleg.* Cap. *Coràm Dilecto.* in int. *fin.* Lib. I. Decr. *Tit.* 19. Cap. 34.

XIII. Factæ causæ nulla Juris constitutione fieri possunt infectæ. *De fide Instrum.* Cap. *Inter Dilectos.* *in int. fin.* Lib. II. Decr. *Tit.* 22. Cap. 6.

XIV. Quædam prohibentur, quia per se mala sunt &c. *De Jurejur.* Cap. *Etsi Christus.med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 26.

XV. Cùm percussio corporalis imminet, utrùm pro purgatione, an pro vindictâ contingat, Dei io hoc judicium ignoratur; & ideò non debet à nobis addi flagellatis afflictio, ne nos culpæ, quod absit, offensa respiciat. *De Cler. ægrot.* Cap. *Cùm percussio.* *init. in int.* Lib. III. Decr. *Tit.* 6. Cap. 1.

XVI. Hanc sibi quodammodò Nobilitas legem imponit, ut debere se, quod spontè tribuit, æstimet, & nisi beneficiis suis creverit, nihil præstitisse se reputet. *De donat.* Cap. 1. *in int. med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 24.

XVII. Apud Nobilium mentes semiplenum bonum videtur, quod sine adjectione relinquitur. *Ibid.*

XVIII. Rarum est omne quod magnum est. Zozimi *Epistolâ* 1. n. 1. *fin.* Tom. II. Conc. *p.* 1557.

XIX. Iracundus est qui semper irascitur, & ad levem responsionis auram atque peccati, quasi à vento folium, commovetur; neque verò qui aliquando irascitur, iracundus est; sed ille dicitur iracundus, qui crebro hac passione superatur. *Concil.* Aquisgran. ann. 816 *Cap.* 10. Tom. VII. Concil. *p.* 1322.

XX. Violentia scurronum est & comessatorum, venterque mero æstuans citò despumat in libidines &c. *Ibid.* Tom. VII. Conc. *p.* 1314. *Cap.* 11. Vide *Concilium* Trosleianum anni 909. *Cap.* 12. Tom. IX. Concil. *p.* 553.

De fide, *Concil.* Mogunt. I. an. 857. *Cap.* I. Tom. VIII. Concil. *p.* 42.

XXI. Dum non possumus adipisci quod volumus, necesse est ut hoc velimus consequi omninò quod possumus & debemus. Nicol. I *Epistolâ* 56. Tom. VIII. Concil. *p.* 445.

XXII. Neminem adjuvat qui aliena mala reprehendit, nisi & ipse illa caveat; quod demonstrat Paulus, dicens: Putas, ô homo, quod tu evades Judicium Dei, qui eadem agis quæ judicas. *Synod.* Carisiaca ann. 858. Cap. 8. *fin.* Tom. VIII. Conc. *p.* 661.

XXIII. Munda debet manus à sordibus esse, quæ alienas sordes curat detergere; & quæ in aliis debetis corrigere, nemo in vobis justè valeat reprehendere. *Ibid.* Cap. 11.

XXIV. Ex amore Dei proximum diligendo adjuvare, miseris & oppressis subvenire; Orationibus, jejuniis, vigiliis, & aliis quàmpluribus bonis præpono; qnia veram charitatem cunctis virtutibus præferre cùm Apostolo non dubito. Gregor. VII. *Epistola* 50. Tom. X. Concil. *p.* 44. anno 1073.

XXV. Vili pretio magnam rem vendit, qui hujus vitæ intuitu Deo servit. *Ibid. p.* 45.

XXVI. Saluti nostræ tunc verè providemus, cùm in cunctis nostris actibus glotiam Dei proponimus. *Epistolâ* 7. Greg. VII. Lib. III. Tom. X. Concil. *p.* 134.

XXVII. Valdè indignum est, ut honorem quem à conservis & fratribus nostris exigimus, Creatori & Redemptori nostro reddere contemnamus.

XXVIII. Ea quæ nobis fieri nolumus, tàm Divinis quàm Humanis legibus, proximis nostris facere prohibemur. Innoc. II. *Epistolâ* 7. Tom. X. Conc. *p.* 950.

SECTIO XI.

Vim, seu coactionem, excusare omninò à peccato, cum ei nullatenùs consentitur; secùs, non excusare.

I. Inter vim & vim est differentia. *De sponsalibus.* Cap. *De muliere.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 1. Cap. 6. *Tom. III. Tract. De Judiciis.*

II. Inter invitum & invitum, coactum & coactum, non absurdè distinguitur. *De Baptismo.* Cap. *Majores.* §. 7. *med.* Lib. III. Decr. *Tit.* 42. Cap. 3.

III. Distinguimus utrùm, is qui communicat excommunicatis invitus, sit per coactionem adstrictus, aut per metum inductus. *De iis quæ vi.* Cap. *Sacris.* §. 1. Lib. I. Decr. *Tit.* 40. Cap. 5.

IV. In primo casu, talem non credimus Excommunicatione teneri, cùm magis pati quàm agere convincatur. *Ibid.* §. 1.

V. Is qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur, aut (ne detrimentum incurrat) fit tanquam conditionaliter volens, licet absolutè non velit; aut nunquam consentit, sed penitùs contradicit. *De Baptismo.* Cap. *Majores.* §. 7. Lib. III. Decr. *Tit.* 42. Cap. 3.

VI. Si ei de vi quam ipse & sui metuebant, constaret, non valeret Electio. *De Elect.* Cap. *Bona.* *init.* Lib. I. Decr. *Tit.* 6. Cap. 23.

VII. Ille notam alicujus reatûs non incurrit, qui contradicens penitùs & reclamans, thurificare idolis cogitur violenter. *Ibid. fin.*

VIII. Qui eò usque adstricti sunt, ut manus eorum comprehendentes violenter attraherent, & funestis Sacrificiis admoverent, aut aliquid polluti cibi per necessitatem sumere cogerentur; hos, velut extrà delictum constitutos, à communionis gratiâ non prohiberi decretum est Distinct. L. *Cap.* 32. *Presbyteros.* §. 1. *Ex Concilio* Ancyrano. *Cap.* 1. *& seq.* anno 314.

Qui in has necessitatis angustias inciderunt, nihil peccaverunt. *Idid.* §. 5.

IX. Eos quos Episcopos, Presbyteros, vel Diaconos fuisse constiterit, & seu optantes forsitan, seu coactos, lavacri unici Salvatorisque claruerit fecisse jacturam per rebaptisationem, usque ad exitus sui diem in pænitentiâ (si resipiscant) jacere conveniat. *De Consecr.* Distinct. IV. Cap. 118. *Eos quos.* Coactos non absolutè, sed per attractionem; tunc enim non erat coactio imputanda; sed hoc aliqua conditione propositâ, ut putà si non patiaris rebaptisari, statim occideris. *Glossa*, verbo, *Coactos.* Surreptio & inimica legibus violentia quid necessitatis imponit. Caus. XI. Quæst. 1. *Cap.* 12. *Christianis. fin.* Gelasius Ezachiæ seu Zaiæ *Comiti.* circ. an. 494.

SECTIO XII.

Metum non excusare absolutè à peccato, sed tantùm illud imminuere.

I. Pro nullo metu debet quis mortale peccatum incurrere. *Ibid.*

II. Qui communicat Excommunicatis per metum inductus, Excommunicationis labe creditur inquinari. *Ibid. fin.*

III. Quisquis metu cujuslibet potestatis, veritatem occultat, iram Dei super se provocat, quia magis timet hominem quàm Deum. Caus. XI. Quæst. III. *Cap.* 80. *Quisquis metu* Tribuitur *Sancto* Augustino *ad Casul.* fortè ann. 396.

IV. Metu unius hominis, tantus Rex non debuit contrà Divinum præceptum in immane præcipitium mergi; in hoc certè se magis reprehensibilem ostendit, in quo amorem Dei amori mundi postposuit. Caus. XXXI. Quæst. II. *Cap.* 4. *Lotharius. post init.* Nicolaus Radoaldo *Portuensi &* Joanni *Ficulensi* *Episcopis.* Circà ann. 863.

V. Nec etiam occisores corporis sunt timendi, contra justitiam hominem impellentes. *Ibidem.*

VI. Pudicitia virtus est animi, comitemque habet fortitudinem, quâ potiùs quælibet mala tolerare, quàm malo consentire decernat. Caus. XXXIII. Quæst. V. *Cap.* 3. *Ita. post init.* S. Augustin. Lib. I. *De Civit.* Cap. 18. ann. 426.

VII. Quod Imperatoris est, faciat Imperator; priùs est ut animam mihi quàm fidem auferat. Caus. XXIII. Quæst. VIII. *Cap.* 21. *Convenior.* §. 5. *fin.*

VIII. Licet metus attenuet culpam, tamen non eam

prorsus excludit. *De iis qua vi.* Cap. *Sacris.* §. 2. LIB. I. DECR. *Tit.* 40. Cap. 5.

IX. Si Episcopi se metu Judicis contra Canones talia fecisse non suâ spoute fassi fuerunt; & tempus eis abbreviandum est, & modus pœnitentiæ temperandus. CAUS. II. QUÆST. I. *Cap.* 7. *Imprimis.* §. 1. *med.* GREG. I. LIB. II. *Epistola* 50. *ann.* 603. Metus hic attenuat peccatum. *Glossa*, vetbo, *Metu.*

X. Quod facere compellitur, hoc contrà voluntatem facere dici solet, sed utique vult, propter quod facit; tanquàm si pejerare oolit; quod tamen facit, si scilicet quisquam, nisi fecerit, mortem minetur; vult ergo facere, quia vult vivere. CAUS. XV. QUÆST I. *Cap.* 5. *Meritò.* S. AUGUST. *Lib.* 4. *Quæst. ad Librum* NUMER. *Quæst.* 24. ad Cap. 15. *Libri* NUMER. fortè circa ann. 400.

XI. Nullo modo ad opprobrium coactæ voluntatis trahitur, quod illicita conditio necessitatis extorsit. CAUS. XXII. QUÆST. IV. *Cap.* 22. *Inter catera. fin.* Tribuitur S. AUGUST. *in Epistola* SEVERO *Milevit.* circa ann. 396.

SECTIO XIII.

Neminem excusari ex violentiâ, faciendo qua per se mala sunt.

I. Nec etiam occisores corporis sunt timendi, contra justitiam hominem impellentes. CAUS. XXXI. QUÆST. II. *Cap.* 4. *Lotharius. med.* NICOLAUS I. RODOALDO *Portuensi*; & JOANNI *Ficolensi Episcopis*, ann. circiter 863.

II. Virtus aoimi comitem habet fortitudinem, qua potiùs quælibet mala tolerare, quàm malo consentire decernat. CAUS. XXXII. QUÆST. V. *Cap.* 3. *Itane. post init.* S. AUGUST. *Lib.* 1. *De Civitate Dei. Cap.* 18. an. 426.

III. Metu unius hominis tantus Rex noo debet, contra Divinum præceptum, in immane præcipitium mergi. CAUS. XXXI. QUÆST. II. *Cap.* 4. *Lotharius. med.* NICOLAUS I. *Suprà.*

IV. Omnis est necessitas toleranda magis quàm à nobis quælibet iniquitas perpetranda. NICOL. I. *ad Consulta Bulgar.* Cap. 81. TOM. VIII. CONC. *p.* 543.

SECTIO XIV.

Actus qui fiunt per vim & metum, de Jure aut esse irritos, aut irritandos, cùm talis est metus qui possit in virum constantem cadere, id est, vel metus mortis, vel cruciatus corporis.

I. Locum non habet coosensus ubi metus vel coactio corporis intercedit. *De Sponsal.* Cap. *Cùm locum. init.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 1. Cap. 14.

II. Necessè est ut ubi assensus cujusdam requiritur, coactionis materia repellatur. *Ibidem.*

III. De illato metu est cum diligentiâ inquirendum; & si talis metus inveniatur illatus, qui cadere potuit in constantem virum, erunt non immeritò aodiendi. *De Sponsalib.* Cap. *Consultationi.* §. 1. *fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 1. Cap. 28.

IV. Quæ vi metûsve causa fiunt carere debent robore firmitatis. *De iis quæ vi.* Cap. *Ad audientiam. med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 40. Cap. 4.

V. Quæ metu & vi fiunt, de Jure debent io irritum revocari. *De iis qua vi.* Cap. *Abbas.* §. 1. LIB. I. DECR. *Tit.* 40. Cap. 2.

Quod per vim introductum est nullâ debet stabilitate subsistere. *De Reg. Juris.* Cap. *Quod latenter.* LIB. V. DECR. *Tit.* 41. Cap. 5.

VI. Violentia quæ proponitur illata, cùm neque metum mortis, neque cruciatum corporis contineret, non debuit cadere in constantes. *De iis quæ vi.* Cap. *Cùm Dilectus.* §. 1. *fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 40. Cap. 6. Vide *De Religionis professione.*

VII. Quis auderet, vel quâ ratione audere aliquis teneretur, se in hostium sinum reponere, ac ad mortem per violentem injuriam, non per justitiam, inferendam ultroneum se offerre; hæc quidem jure timentur, hæc de more vitantur, hæc humana fugit ratio, hæc abhorret natura; desipetet igitur qui citationem hujusmodi saperet arctasse citatum. CLEMENT. II. *De Sent.* §. 5. *med. Clementinarum* LIB. II. *Tit* 11. Cap. 2.

VIII. Quæ metu & vi facta fuerunt, de ratione juris & ordine in irritum revocari debent. *Appendice Concilii* LATERAN. *Parte* 22. *Cap.* 7.

IX. Per compositionem, tanquàm Regio metu violenter extortam, Pars in nullo gravari potest. *De novi operis nunc.* Cap. *Cùm ex injuncto.* in int. *med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 32. Cap. 2.

X. Judex cognoscens alicui factam violentiam manifestam, statuat quod nec concordia sic facta valeat, neque compromissio violenter exorta. *Ibid.*

XI. Omnia quæ vi vel metu acta fuerint, in irritum revocari debent. *Ibidem.*

SECTIO XV.

Actus per viam factos convalescere, si postmodùm consensus accesserit; & quandonam consensum hujusmodi interpretari debeamus?

I. Si legitimè probatum fuerit mulierem, votum quod timore mortis fecit, postmodùm ratum habuisse, tenet. *De iis qua vi.* Cap. *Perlatum est.* §. ult. *junctâ Glossa*, verbo, *Postmodùm.* LIB. I. DECR. *Tit.* 40. Cap. 1.

II. De muliere quæ est invita tradita viro, utrùm posteà consensus intercesserit, exprimi debet, ut certum quid videatur. *De Sponsalibus.* Cap. *De muliere.* LIB. IV. DECR *Tit.* 1. Cap. 6.

III. Quamvis mulier ab initio invita fuerit viro tradita; tamen postmodùm per annum & dimidium sibi cohabitans, consensisse videtur. *De Sponsalib.* Cap. *Ad id. post init.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 1. *Cap.* 21. Quæ per metum fiunt, per sequentem consensum valent. *Gloss.*

IV. Nec recipiendi sunt Testes, si quos memorata mulier ad probandum quod non consenserit, in eundem nominaverit producendos; cùm mora tanti temporis hujusmodi probationem excludat. *Ibid. De Sponsalib* Cap. *Ad id. fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 1. Cap. 21.

V. Ex ratihabitione sibi super hoc silentium non ambigitur indixisse. *Qui matrimonium accusare.* Cap. *Insuper. fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 18. Cap. 4.

VI. Si quem quandoque contradixisse contigerit, ratihabitione secutâ, quod ante gestum fuerat roboratur. *De Regular.* Cap. *Cùm virum.* §. 1. *fin.* LIB. III. DECR. *Tit.* 31. Cap. 12.

VII. Cujuscumque sint ætatis, se possunt per illatam violentiam excusare; nisi post violentiam consensus accedat. *De Despons. Impub.* Cap. *De illis.* §. 2. *fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 2. Cap. 9.

VIII. Si in emissione voti quod præcessit, nulla vel modica coactio aduit, eam patientia & perseverantia sequentis temporis profugat. *Ne Clerici vel voventes.* Cap. *Insinuante.* §. 2. *init.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 6. Cap. 7.

SECTIO XVI.

Multæ Quæstiones gravis momenti quoad acta per timorem quemdam facta, quæ suam habent applicationem in reclamatione orta à violentiâ, alitsque similibus actibus.

I. *An si in Actis à Communitatibus Sæcularibus aut Regularibus habitis, suffragia dantur per timorem, quo possit homo constans labefactari, & aliundè non fuerint fideliter scripta; sunt ne illa Acta nulla, aut solùm cassationi obnoxia?*

II. *Quomodò probari possit hæc facta fuisse per timorem?*

III. *An possint reformari absque authoritate Judicis?*

IV. *Quid Judex præscribere debeat pro illorum reformatione?*

Prima Pars Primæ Quæstionis.

Procul dubio Acta facta per timorem quo possit labefactari homo constans, omnia sunt aut nulla, aut cassa-

cassationi obnoxia. Hæc probata sunt in Textibus Tituli *De his quæ vi metûsue causâ*, juxtà id quod est in *Collectione* Gregor. IX. Bonif. VIII. & Clement. Quemadmodùm perpauca sunt ejusmodi Acta quæ Textus citati asserant esse nulla, quia à tali timore orta fuetant; & quantùm ad alia dicta, dicuut simpliciter illa resurmarioni esse obnoxia, constitui potest tanquam Regula, Acta per timorem scripta, quo valeat homo firmus permoveri, non esse nulla, sed solùm posse infringi, nisi in casibus in quibua Lex expressè dicit illa esse nulla, aut clarè eorum nullitatem supponit; quod cùm ita sit, recolligendi sunt omnes casus hujus ultimi generis. Ex hac Collectiune facilè percipietur, an Acta quæ dederunt occasionem Quæstionibus propositis, sint nulla, aut solùm infractioni subjecta; nam nisi reperiantur inter illa quæ collecta fuerint, jus erit concludendi, illa non esse nullius valoris, sed simpliciter subdita reformationi. Igitur hæc sunt omnia Acta, quæ Lex positivè abrogat & annullat, cùm scripta sunt per metum, quo possit homo firmus labefactari, aut quorum nullitatem supponir aliis Legibus præscriptam, aut usu introductam: Sex sunt ejusmodi Acta; talia sunt, 1. Matrimonia: Hoc probat *Cap.* 15. *De Sponsalib.* Loquitur de homine qui successivè duas mulieres corruperat, & secundam duxerat in uxorem per timorem, & asserit, quod si nulla extitisset promissio Matrimonii, ante cohabitationem cum primâ, debet terinere secundam io uxorem, nisi metus quo illam duxit, sit talis quo possit firmus humo concuti.

Hoc probatur adhuc in *Cap* 2. *De eo qui ducit quam polluit.* In hoc videtur jungendo partem detractam Textui, Mobvium catenis vinctum, ut Sponsam duceret Anniam, & in iis detentum, donec haberet illam uxorem, aliam accepisse conjugem, statim ur fuit liber, & cùm prima mortua esset, quæsivisse an ipsi liceret secundam retinere. Dubitabat de hoc, quod conjugem illam duxerat, nec primum Matrimonium fuerat infractum; & responsum accepit quod illud posset, posito quod violentia quam perpessus fuerat, tanta fuisset ut non poteerit liberè consentire, & hic est effectus ordinarius timoris qui constantem homioem concutere valet.

Secundum Actorum genus à Lege abrogatum solo facto, cùm fiunt per timorem quo quis homo constans valeat concuti & permoveti, sunt illa quæ contrahuntur in solemni voto, aut Religiosâ professione. *Cap.* 1. *De his quæ vi metusve causâ fiunt*, hoc clarè docet; nam in eo legitur, potentem quemdam Nobilem, cùm malas concepisset suspiciones contrà mulierem suam, in animo habuisse ut occideret eam, & cùm hujus executionem credidisset quibusdam militibus, hos eandem in sylvam aliquam duxisse, in quâ misericordia moti super illam, vitam ipsi conservaverunt, modò promitteret se Religiosam vitam amplexutam; & cùm posteà maritus misisset Episcopos qui velum ipsi darenr, confidit iisdem quantam vim patiebatur, & unus ex illis, ut ipsam à furure conjugis tutam servaret, finxit illam ad Professionem recipere impositione veli, & tandem marito mortuo, illam ad secundas nuptias convolasse asserunt, nullâ habitâ ratione cassationis suæ Professionis, de quo Papa Alexanuer III. consultus responder, quod si metu mortis mulier de qua agitur, velum accepit Religiouis, secundæ nuptiæ debent stare. Usus junctus *Cap.* 19. Sess. XXV. *De Regular.* probat adhuc, metu, quo potest homo firmus concuti, Religiosam professionem rescindi; nam si quæ persona cooqueratur de vi sibi illatâ, & probat violentiam intra tempus definitum, ejusdem Professio irrita declaratur.

Ad Tertium ordinem Actorum à Lege abrogatorum, quotiescunque fiunt metu de quo agitur, pertinent omnia illa quibus conjugati sibi mutuo facultatem concedunt Religiosam vitam amplectendi, cùm extorquetur tali timore. Alexanuer II. hoc clarè exprimit, propter mulierem quæ à marito coacta fuerat, minis & terroribus, ut consentiret ipsum Religiosam vitam profiteri Caus. II. *Can.* 33. Quæst. V. & ex eo concludit maritum ipsum qui vim iotulit, posse ad mulierem redire ut cum illa cohabitet.

Tria alia genera actorum à Lege abrogatorum eandem ob rationem sunt 1o. absolutio à Censuris, *Cap.* 1. *De his qua vi metusve causa*, *In* 6. 2o. Confessio facta in jure, Caus. IV. *Can.* 31. Quæst. II. Nicolaus I. hoc expressè dicit, occasione Valrauæ primæ mulieris Lotharii, quæ asserebat se fassam esse solo metu mortis crimen adulterii quo accusabatur. 3o. Resignatio facta à Clerico ad hoc in carcere clauso & detento captivo, donec illam fecetit. Clementina II. *De pœnis*, hoc ita positivè definivit in Concilio Viennensi, ut præverterentur tantæ injustitiæ.

Hæc sunt omnia acta, solo facto à Lege irritata, quoties scribuntur timore qui valeat hominem constantem permovere; undè resultat quud si acta quæ præbuerunt occasionem quæstionibus propositis, non sint ex hoc numero, aut ad eum non referantur, sicut probatio ad Professionem Religiosam, & sponsalia ad matrimonium pertinent, par est ut hæc acta, licet à tali metu orta, minimè nulla sint, sed simpliciter reformationi subjecta; Ratio hujus est quod in genere Actorum vi exscriptorum, Regula est quod debeant rescindi: *Quæ metu & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari.* Cap. 2. De his quæ vi metusve causa. *Carere debent robore firmitatis.* Exceptio est quædam; Acta vi extracta quæ firmum hominem valeat concurere solo facto, irrita habentur, quia major in illis requiritur libertas quàm in aliis; porrò invictum est prioctpium, quod io Regulâ intelligenda sint ea omnia quæ nominatim in exceptione non continentur.

Supponatur ergò, Acta de quibus quæstio, non esse ex illis quæ à Lege irritantur, si proveniaot à metu qui possit constantem hominem labefactare, cousequenter oportet ut non sint irrita, sed simpliciter rescissioni subjecta.

Hoc verisimiliter principio nixi Legati Sanctæ Sedis *in Concilio* Calcedonensi, Sess. XVI. cùm questi fuissent, quod suffragia Pattum vi exturta fuissent, in eo quod statuissent in favorem Patriarchatûs Constantinopolitani, Magistratus qui nomine Imperatoris Synodo aderant, ut pax & bonus ordo in eâ servarentur, examinandam esse quetelæ veritatem arbitrati sunt, ut suffragia quæ fuissent vi erepta rescinderentur.

Secunda Pars Prima Quæstionis.

Potest evenire duplici modo, ut suffragia non sint fideliter scripta. 1o. Per errorem, & idem est de hoc ettore, ac de errore calculi, qui non stat aut cui non adhæretur, sed omnes admittuntur ad petendum ut corrigatur. *Art.* 21. *Tit.* 29. *Ordination.* 1667. 2o. Per fraudem & malignitatem; & juxtà Regulam, fraus & dolus nemini patrocinari deber, & oemo de malitia sua commodum reportare debet. Suffragia ita accepta omni robore carere debent, donec ad statum revocentur, in quo data fuerunt; aliter fraus faveret illis à quibus commissa est, & sua ipsis prodesset malitia.

Quæstio II.

Tribus modis probari potest metus. 1o. A protestatione seu conclamatione quæ præcedit aut sequitur minas. *Concordat.* *Tit.* 12. §. 1. Potest exscribi manu eorum à quibus fit, & possunt illam deponere sigillo munitam in manibus Notariorum; hæc quidem via tutior est. *Cap.* 1. *De his quæ vi &c.*

N 4 Can.

Can. 4. CAUS. XXXI. QUÆST. II. loquuntur de proclamatione in casu violentiæ, & propositæ rei potiùs congruunt.

2o. Epistolæ missæ ad homines quorum interest, quibus declaratur, quod factum est aut fiet contrà, illud vi soli tribuendum esse; idem est de Epistolis quæ scriptæ fuissent aliis hominibus in eodem sensu.

3o. Jussa minacia à parte Potestatum à quibus infligi possunt pœnæ potentes, ut concutiant hominem constantem, verb. gr. mors, tormentum corporis, conjectio in carcerem, spoliatio bonorum fortunæ. *Cap.* 1. 2. 6. *De his quæ vi metusve causâ fiunt.* Cap. 2. *De eo qui ducit quam polluit per adulterium.*

4o. Executio horum mandatorum, contrà multos qui iisdem obsistere visi sint, aut decreverint id facere. *Capit. citatis.*

Quod dictum est protestationem arcanam sufficere, non illud adversatur illis quæ statuuntur & præscribuntur à *Conc.* VIANNENSI, citato per *Concordata* in observato loco, & quod est, ut eadem proclamatio significetur illis quorum interest; nam Concilium & Concordatum loquuntur de casu in quo proclamatio publica non est periculosa, & in casu proposito adducit in extremum discrimen; nam iisdem posset, ac inobedientia, pœnis affici.

QUÆSTIO III.

Acta vi exscripta non possunt reformari, nisi autoritate Judicis. Non refert quod aliqua sint nulla & irrita solo facto; nam viæ nullitatis facti locum non habent apud Gallos, *Praxis Civilis* IMBERTI. LIB. II. *Cap.* 6. *n.* 7. Sed ut hæc nullitas suum sortiatur effectum in foro exteriori, necesse est priùs, ut Judex declaraverit Acta esse nulla; undè ratione Judicis acta irrita propter violentiam, non differunt ab illis quæ sunt rescissioni subjecta ratione ejusdem vis illatæ; nisi in eo quod rescindat ea quæ reformationi sunt obnoxia, & quoad alia simpliciter declaret illa pro nihilo haberi Cæterùm si probanda esset necessitas interponendi autoritatem Judicis, pro actorum rescissione metu ereptorum, facilè hoc fieret per *Cap.* 2. 3. 4. *De his, quæ vi metusve*; nam hâc autoritate, homines quos dicunt ad quædam acta subscribenda coactos, hac iidem restituti sunt: sed in Galliâ nihil potest Judex, nisi ex consequentia Literarum rescissionis à Principe impetratarum.

Quod spectat ad probationes necessitatis ut Judex interveniat in declaratione nullitatis quorumdam actorum vi scriptorum, una extat in *Cap.* 19. SESS. XXV. *De Regularib.* Vetat ne Religiosus conquerens quod ad Professionem Religiosam coactus sit, deponat habitum, priusquàm antè Superiorem suum Regularem, & coràm Ordinario, causam dixerit nullitatis à parte coactionis depromptam.

Idem ferè adhibetur in matrimoniis per vim contractis. Pars quæ conqueritur non accipitur ut convolet ad secundas nuptias, nisi postquàm Officialis, cum causæ notitiâ, pronunciavit priorum nullitatem.

Cùm dictum est Acta per vim scripta non posse reformari absque Judicis autoritate, non ideò statutum esse voluerunt posse illa semper à Judice reformari: & hoc fieri non poterat; nam si hæc acta liberè antè expostulationem approbata sunt à Parte coacta, non est ampliùs accipienda ut conqueratur.

QUÆSTIO IV.

Aut Acta de quibus agitur, solùm sunt perniciosa Communitati, quæ ea per vim exscripsit; & tunc satis est si rescindantur hæc acta, aut irrita promulgentur, postquam abundè probaverint vim de qua conqueritur; aut hæc Acta contraria sunt bono publico; nam famâ Communitatis multi possunt compelli ad sequendum ejusdem exemplum, & propterea non parvi refert, ut Congregatio actum validis rationibus confirmatum, si quæ sint, exscribat, ut hoc destruatur pravus effectus prioris, & tunc operæ pretium esset ut Sententiam ferrent omnes de re cujus est quæstio, & plena cum libertate explicarent ob quas rationes Sententiam sequuntur contrariam ab illâ quam violentiâ amplexi fuerant. Supponamus uno temporis puncto, hic agi de Edicto errores continente, & res adversantes Gentis sive Nationis disciplinæ & Institutis, & potestatis formidandæ interesse illud ut accipiatur, aut saltem illud ita arbitrari: Supponamus adhuc hanc Ordinationem metu acceptam, à quadam insigni Congregatione; & alios inscios, quantam vim passa fuerit, hanc quoque ad hujus exemplum accepisse; his duobus positis, manifestum est tale actum receptionis bono publico perniciosum esse, & magni referre ut rescindatur, & etiam ut ab illa Congregatione contrarium exscribatur, junctis rationibus propter quas illud retractaverit; quod fieri nequit, nisi de novo Sententiam dicant de receptione suppositâ.

Revocandum est ibi factum *Conc.* CALCEDONENSIS suprà allegati: Sunt enim in eo quædam circumstantiæ præcipuè spectantes ad Quartam hanc Quæstionem. Reverà Patres, cùm persuasum haberent esse boni publici, ut Patriarchæ Constantinopolitano confirmarentur honores quos ipsi tribuerant, non satis habuerunt, si declararent seipsos non fuisse coactos, sed etiam cùm de novo Sententiam ferrent quoad fundum, rationes addiderunt Sententiam suam evincentes: Deprompserunt illas ex eo quod Patriarcha Constantinopolitanus sibi jam comparaverat usu & possessione honores ipsi attributos ab illis, ita ut solùm adjudicavissent quod illi debebatur. Usus probatus est consensu & confessione Partium quarum intererat; hi erant Metropolitani Ponti & Asiæ, quorum consecratio arrogata fuerat Patriarchæ, & confessi sunt se Prædecessoresque suos à Patriarcha consecratos fuisse; ex iisdem Patribus multi suas opiniones suprà Canones confirmaverunt; nonnulli mentionem fecerunt de Sanctionibus à 150. Patribus Constantinopolitanis factis; alii Canones attulerunt nullâ factâ mentione illorum de quibus loquerentur.

Quemadmodum in circumstantiis observatis Patres *Conc.* CALCEDONENSIS necessarium putaverunt, ut de novo Sententiam dicerent, & opiniones suas confirmarent, validis rationibus sperantes se magnum Ecclesiæ bonum creaturos, finiendo hac viâ contentionem à Legatis Sanctæ Sedis formatam; videtur quod eorum exemplo, Sententia de novo ferenda sit in casu supposito, & opiniones probandæ, habita ratione utilitatis quam ex illis Ecclesia percipere deberet; nam hoc modo locus esset sperandi fore ut pravi acceptionis vi extortæ effectus cessarent.

TITULUS II.

Continens Decisiones Juris circà peccata generatim vel speciatim sumpta.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex peccatum? Ubi referuntur principia quæ decidunt quidquid ad peccatum spectat.

I. IN suo genere peccatum est, quod suo actu illicitum est & pravum. *In* 6. *De Sent. Excomm.* Cap. *Venerabilibus.* §. *penult. Potest quoque.* LIB. V. *Tit.* 11. *Cap.* 7. Non potest inter peccata deputari quod Lex præcepit, & Deus injunxit. CAUS. XXVIII. QUÆST. I. *Cap.* 1. *Nunquid. fin.* Vid. CAUS. XXIII. QUÆST. VIII. *Cap.* 14. *Occidit.*

II. Pec-

II. Peccatum est duplex, originale scilicet, & actuale. *De Baptismo & ejus effectu.* Cap. *Majores.* §. *Verùm. In Parte* 2. Lib. III. Decr. *Tit.* 42. Cap. 3.

Qui peccat, non peccat Legis authoritate, sed contra Legis authoritatem. Caus. XXIII. Quæst. IV. *Cap.* 40. *Qui peccat.*

III. Peccatum originale quod absque consensu trahitur. *Ibid.*

IV. Peccata quæ ex ignorantia vel infirmitate humanâ committuntur. Dist. XXV. *post Cap.* 3. §. *Nunc.* *Ex* Beda *in Epistolam* Jacobi *ultim.*

V. Peccatum actuale quod committitur cum consensu. *Ibid.*

Universa mortalia peccata, etiam cogitationes, homines iræ filios, & Dei inimicos reddunt. *Concil.* Trid. Sess. XIV. *Capite* 5. Quæ fiunt ex deliberatione. *Ibid.*

Quis ampliùs capitalia plura commemoraverit &c. *Ibid.* *Ex Sermone* Cæsarii 37. *in Appendice* S. Aug. *Serm.* 104. *aliàs Serm.* 41. *De Sanctis.*

VI. Venialia peccata sunt quibus à gratiâ Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur. *Concil.* Trid. Sess. XIV. *Cap.* 5. *med.*

VII. Non modò infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocunque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, accepta justificationis gratia amittitur. *Concil.* Trid. Sess. VI. *Cap.* 15. *De Justificatione.*

VIII. Divina Lex à Regno Dei non solùm infideles excludit, sed & fideles omnes qui lethalia committunt peccata. *Ibid.* Offensa alia manifesta, alia dubia. *De Verborum significatione.* Cap. *Ex parte.* §. 3. *Ad intelligendam.* Lib. V. Decr. *Tit.* 40. Cap. 23.

IX. Crimina quæ per Legis Sacræ Regulam morte mulctanda sunt. Dist. LXI. *Cap.* 18. *Beatè novit. fin.*

X. Offensa manifesta dicitur, quæ vel per confessionem, vel probationem, legitimè nota fuerit, sive evidentiâ rei quæ nulla possit tergiversatione celari. *Ibid.* Cap. *Cùm olim.* Lib. V. Decr. *Tit.* 40. Cap. 24.

XI. Crimen aliquod Canonibus inimicum. Dist. LXI. *Cap.* 17. *Catinensis.*

XII. Crimen est peccatum grave, accusatione & damnatione dignissimum. Dist. LXXXI. *Cap.* *Apostolus.* §. 1. *fin.*

XIII. Crimina, id est homicidium, adulterium, perjurium, falsum testimonium, & reliqua peccata mortifera. Caus. X. Quæst. I. *Cap.* 12. *Placuit. fin.*

XIV. Quædam prohibentur quia per se mala sunt, ut furtum, adulterium &c. quæ non sunt aliquatenùs facienda. *De Jurejurando.* Cap. *Etsi. sub med.* Lib. II. Decr. *Tit.* 24. Cap. 26.

XV. Quædam prohibentur ex causâ, non quia per se mala sunt; sed quia si fiant frequenter & multùm, ex his mala sequuntur. *Ibidem.*

XVI. Sunt etiam peccata ignorantium, quamvis minora quàm scientium. Caus. XXXII. Quæst. VII. *Cap.* 10. *Quemadmodum. init.* Crimen contrahitur si & voluntas nocendi intercedat. Dist. L. *Cap.* 47.

XVII. Pravum est, & contra Dominicum præceptum, & detrimentum animæ suæ infert, qui illud agere conatur, quod ei nullâ ratione conceditur. Caus. X. Quæst. I. *Cap.* 15. *med.*.

XVIII. Nullus audeat irritum facere hoc quod constitutum est, si in perpetuâ damnatione noluerit persistere. *Ibid.*

SECTIO II.

De differentiâ & inæqualitate peccatorum; ubi quæ in Prima Sectione dicta sunt circà varias illorum species, explicantur.

I. Crimina æqualia non sunt. Caus. XXVI. Quæst. VII. *Cap.* 3. *De his. med.*

II. Majus est peccatum quod in Deum committitur, quàm quod in hominem. Caus. XVII. Quæst. IV. *Cap.* 12. *Sicut.* §. *Non ergò. med.*

III. Longè est gravius æternam quàm temporalem lædere Majestatem. *De Hæreticis.* Cap. *Vergentis.* §. 1. *fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 7. Cap. 10.

IV. Non sola respiciamus opera &c. Caus. XXIII. Quæst. VIII. *Cap.* 14. *Occidit.* Non tantùm attendenda sunt quæ fiunt, quàm quo animo. Caus. XV. Quæst. VI. *Cap.* 1. §. *penult.* Ampliùs respicit Deus ad cogitationes &c. *Ibid.*

V. Voluntate ac proposito maleficia distinguuntur. *De Sent. Excomm.* Cap. *Cùm voluntate. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 54.

VI. Aliud est esse ex necessitate, aliud ex ignorantiâ; atque aliud quod ex studio delinquitur; istudque posterius duobus prioribus districtiùs est puniendum. Caus. XI. Quæst. III. *Cap.* 102. *Excellentissimus. med.*

VII. Peccati tres sunt differentiæ, in corde, in facto, in consuetudine. Caus. XXXIII. Quæst. III. *De Pœnis.* Dist. II. *Cap.* 21. *Sicut.*

VIII. Peccatum tribus modis committitur; nam aut ignorantiâ, aut infirmitate, aut studio perpetratur. *Ibid.* Cap. 22. *Sciendum. init.*

Ex Epistola 18. *Appendicis* Nicolai I. Tom. VIII. Conc. *pag.* 504. Ubi addit, ideò absolvendos illos, qui ex necessitate vel ignorantiâ verâ peccarunt, dummodò involuntariæ fuerint.

Proclivis cursus est ad voluptatem, & imitatrix natura vitiorum. Caus. XX. Quæst. III. *Cap.* 2. Non cadit à perfectione qui non peccat malitiæ cupiditate &c. *Synodus* Carisiaca *ann.* 858. *Cap.* 11. Tom. VIII. Conc. *pag.* 662. Loquitur de peccatis venialibus justi qui septies cadit & resurgit.

IX. Plurimùm interest quandò ex deliberatione & propriâ voluntate, & quando ex ignorantiâ vel necessitate, aliqua committuntur. Alexand. III. *in Epistola ad* S. Thomam *Cantuariensem in Concilio Clarendonensi.* Tom. X. Conc. *pag.* 1430.

Graviùs infirmitate quàm ignorantia, sed multò graviùs studio quàm infirmitate peccatur. *Ibid. fin.* Aperta malitia vel nimia desipientia æquiparantur. *De Celebratione Missarum.* Cap. *Literas.* §. *Intellecto.* Colligitur. Lib. III. Decr. *Tit.* 41. Cap. 14.

X. Intentio tua operi tuo nomen imponit; & Omnipotens Dominus, non factum agentis attendit, sed considerat potiùs intentionem, & dijudicat voluntatem. *Ibid.*

Aliud est quod ex necessitate, aliud quod ex ignorantiâ, aliud quod ex studio delinquitur. Caus. XI. Quæst. III. *Cap.* 102. *Excellentissimus. med.*

Istud quod ex studio delinquitur, duobus prioribus est districtiùs puniendum. *Ibid.*

Si tamen ipsa ignorantia, vel necessitas vera & non simulata fuerit, & non ex voluntate processerit. *Ibid.*

XI. Studiosè negligens par peccatum committit, ac qui malum procurat. *De Pœnitentiis.* Cap. *Quæsitum est.* Lib. V. Decr. *Tit.* 38. Cap. 7.

XII. Negligentia & delictum aliquando æquiparantur, scilicet quando eundem effectum operantur. *In* 6. *De Supplendâ negligentia Prælatorum.* Cap. *Eccles. Glossa* colligit, verbo, *Aut perperam. In* 6. Lib. I. *Tit.* 8. Cap. 4.

Quod ex incuriâ fit minus peccatum est. *Ibid.* Colligitur. §. *Utrùm.*

XIII. Reatu majori delinquit qui potiori honore perfruitur; & graviora facit vitia peccatorum sublimitas peccantium. Caus. XXV. Quæst. I. *Cap.* 4. *Nulli.* Leo IV. *in prima Admonitione Concilii* Romani *ann.* 853. Tom. VIII. Conc. *pag.* 114.

XIV. Quantò quis major est, tantò plus peccat. *De Translatione Episc.* Cap. *Inter corporalia.* Lib. I. Decr. *Tit.* 7. Cap. 2.

Peccata scientium peccatis ignorantium præponuntur. Caus. VI. Quæst. I. *Cap.* 21. *Quæro. post init.*

XV. Tantò sunt graviora crimina, quantò diutiùs infelicem animam detinent alligatam. *De Consanguinitate &c.* Cap. *Non debet.* §. 4. *Cùm ergo. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 14. Cap. 8. & *De Simoniâ.* Cap. *Cùm in Ecclesiæ.* §. 1. *fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 3. *Cap.* 9. Diuturnitas temporis peccata non minuit, sed auget,

auget, quæ tantò graviora existunt, quantò infelicem animam diutiùs detinent alligatam. *De Consuet.* Cap. *Quantò. in int. med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 4. Cap. 4.

XVI. In rebus ad utendum concessis, etiam cùm modus exceditur, longè est tolerabilius quàm in eis, quæ concessa non sunt, unus vel rarus excessus. CAUS. XXXII. QUÆST. VII. *Cap.* 11. *Adulterii. fin.*

XVII. In excessibus singulorum, non solùm quantitas & qualitas delicti, sed ætas, scientia, sexus atque conditio delinquentis, sunt attendenda. *De homicidio.* Cap. *Sicut. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 12. Cap. 6.

XVIII. Homo Christianus fortiter cadit in peccato propter duas causas, aut propter magnitudinem peccari, aut propter altitudinem dignitatis. DIST. XXXIX. *Cap.* 5. *Homo Christianus.* AUTHOR *Operis imperfecti in* MATH. *Hom.* 40. *apud* S. CHRYSOST. ann. circiter 400.

XIX. Sæpè se vitia virtutes esse mentiuntur. DIST. XLI. *Cap.* 6. *Sæpè.*

XX. Quid locis & temporibus & personis conveniat, diligenter attendendum est, ne temerè flagitia reprehendamus. DIST. XLI. *Cap.* 1. §. 1.

XXI. Crimina non æqualia sunt. CAUS. XXVI. QUÆST. VII. *Cap.* 3.

XXII. Aliquandò negligentia non multùm distat à culpâ. *De Elect.* Cap. *Scriptum. in int. post med.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 40.

XXIII. Quidam non ex malignitate, sed ex simplicitate peccant. *De Translat.* Cap. *Inter.* §. *ult.* LIB. I. DECR. *Tit.* 7. Cap. 2.

XXIV. Longè est gravius æternam quàm temporalem lædere Majestatem. *De Hæret.* Cap. *Vergentis. in int. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 7. Cap. 10.

SECTIO III.

Quando, & quot modis peccetur? Ubi de circumstantiis peccatorum præsertim agitur.

I. Id fieri non debet quod non potest sine scandalo. *De Prabendis & dignitatibus.* Cap. *Cùm teneamur. fin. Glossa* colligit. LIB. III. DECR. *Tit.* 5. Cap. 6.

II. Fieri non debet, quod jure non potest. *Ibid. Colligitur.* Ad veritatem vitæ pertinet, ut id quod exterius agitur, interiorem mentis dispositionem & habitum repræsentet. CLEMENTINA *Exivi.* §. *Proindè. med. De verborum signif.* CLEMENTINAR. LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 1.

III. Crimen contrahitur, si & voluntas nocendi intercedat. DIST. L. *Cap.* 47. *Frater.* Ea quæ ex improviso & casu potiùs quàm fraude accidunt, fato plerumque, non noxæ imputantur. *Ibid. fin.*

IV. Nemo debet facere, quod in aliis reprobare debuerat. *De Electione.* Cap. *Dudùm bis.* §. *Nos igitur.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 54.

V. Quod infirmari vel vituperari potest, præcaveri debet. *De Servis non ordinandis.* Cap. *Instruendi.* LIB. I. DECR. *Tit.* 18. *Cap.* 1. Qui consentit peccantibus &c. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 100. *Qui consentit.*

VI. Meritò censebitur malefidus, qui in eorum prævaricatione, vel faciendo vel consentiendo, deprehensus fuerit perfidus & perjurus. CAUS. XXII. QUÆST. V. *Cap.* 18. *De formâ. fin.*

VII. Si à patre, sive ab alio, sciente ipso, aut ratum habente, infans expositus extitit, hoc ipso fuit à potestate patriâ liberatus. *De Infantibus &c.* Cap. unico. LIB. V. DECR. *Tit.* 11. Cap. unico.

VIII. Non solùm qui faciunt, Rei judicantur, sed etiam qui consentiunt facientibus. CAUS. XVII. QUÆST. IV. *Cap.* 5. *Omnes. fin.*

Voluntas seu propositum alicujus inspiciendum est, ut de facto ipsius judicetur. *De Sent. Exc.* Cap. *Cum voluntate. Glossa* colligit. LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 54.

IX. Ad animum recurrendum est, ut judicetur de peccato. *De torneamentis.* Cap. *Ad audientiam. Glossa* colligit, verbo, *Animo id faciendi.* Si de areâ vel torculari tollatur aliquid ad Sacrificia Dæmoniorum, sciente Christiano, ideò peccat, quia fieri permittit, ubi prohibendi potestas est. CAUS. XXVI. QUÆST. II. *Cap.* 10. *Quod si factum &c. Ibid.*

X. Facientes & consentientes par peccatum videntur committere. *De Sent. Excom.* Cap. *Quanta.* §. *Ne autem. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. *Cap.* 47. Eos delinquentibus favere interpretans, qui cùm possint, manifesto facinori desinunt obviare. *Ibid.*

XI. Qui scit & non contradicit, consentire videtur. *De his quæ fiunt à Prælatis.* Cap. *Continebatur.* §. 1. *Consultationi. Glossa* colligit. LIB. III. DECR. *T.* 10. Cap. 5.

XII. Qui tacet consentire videtur. *In 6. De Reg. Juris. Regul.* 43. LIB. V. *Tit. ultimo.*

XIII. Peccat qui ratum habet excessum, qui ejus nomine non est factus. *In 6. De Sent. Excomm.* Cap. *Cùm quis. fin.* LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 23.

XIV. Ea facta quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretari debemus. *De Reg. Jur.* Cap. *Estote. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 41. Cap. 2.

XV. Nullus ex consilio, dummodò fraudulentum non fuerit, obligatur. *In 6. De Reg. Jur. Reg.* 62.

XVI. Illa duo semper retenta incorruptum castumque custodiunt, ut nec faciat malum, nec approbet factum. CAUS XXIII. QUÆST. IV. *Cap.* 6. *Ita planè. fin.*

XVII. In malis id quod ipsi facimus, eo quod fieri finimus nobis damnabilius est. CAUS. XXII. QUÆST. II. *Cap.* 8. *Primum.* §. 3. *Nec octavo.* S. AUG. LIB. *De mendacio. Cap.* 21. circ. ann. 395.

XVIII. Qui crimina, cùm potest emendare, non corrigit, ipse committit. CAUS. XXIII. QUÆST. VIII. *Cap.* 11. *Prætereà. fin.*

XIX. Qui potest obviare & perturbare perversos, & non facit, nihil aliud est quàm favere eorum impietati; nec enim caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare. CAUS. XXIII. QUÆST. III. *Cap.* 8. *Qui potest.* & DIST. LXXXIII. *Cap.* 3. *Error. fin.* & DIST. LXXXVI. *Cap.* 3. *Facientis.*

XX. Latum pandit delinquentibus sinum, qui eorum perversis conatibus non resistit. *Ibid.* Cap. unico.

XXI. Dissimulare est, nec contradicere, nec non præstare assensum. *De Cognatione spirituali.* Cap. *Super eo.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 11. Cap. 5.

XXII. Delinquentibus favere interpretamur eos, qui, cùm possint, manifesto facinori desinunt obviare. *De Sent. Excom.* Cap. *Quanta.* §. *Ne autem. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 47.

XXIII. Ab omni specie mala præcipit Apostolus abstinere. *De vitâ & honest.* Cap. *Cùm ab omni. in int. init.* LIB. III. DECR *Tit.* 1. Cap. 10.

XXIV. Non tantùm à malo, sed ab omni specie mali abstinendum est. *De eo qui cognovit &c.* Cap. *Veniens.* §. *Cùm igitur.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 13. Cap. 9. & *De Simoniâ.* Cap. *Audivimus.* §. *Cùm igitur. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 3. Cap. 41.

XXV. Qui desinit obviare, cùm potest, consentit. CAUS. XXIII. QUÆST. III. *Cap.* 11. *Finali.* Ostendit. *fin. Glossa Ordin. Ex* CASSIODORO cujus hæc sunt verba, *Cùm possis obviare perversis, si desinas adversari, non solùm quod malum esse dignoscitur, sed & omne quod speciem habet mali, est à viris perfectis specialiter evitandum.* CLEMENT. 1. *Exivi.* §. 9. *Versùs finem: De Verbor. signif.* LIB. V. CLEMENT. *Tit.* 11. Cap. 1.

XXVI. Etiam prætextu pietatis non est impietas committenda; seu, prætextu boni, malum non est faciendum. *De Usuris.* Cap. *Super eo. Glossa* colligit. LIB. V. DECR. *Tit.* 19. *Cap.* 4. Consentit errori qui errantem non corrigit &c. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 100. Ubi alia exempla peccatorum quæ fiunt consensu.

XXVII. Cogitationes hominum Omnipotenti Deo nequeunt occultari. *De Usuris.* Cap. *In civitat. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 19. Cap. 6.

XXVIII. Verendum nimiùm existit, ne vitia sub specie virtutum occultè subintrent. *De Hæreticis.* Cap. *Sicut in uno. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 7. Cap. 14.

XXIX.

XXIX. Quia dicuntur comprimi posse, nisi eos compescueris, innoxius non habeberis: Scriptum quippe est; Qui crimina, cùm potest emendare, non corrigit, ipse committit. Caus. XXIII. Quæst. VIII. *Cap.* 12. *Prætereà. fin.*

XXX. Hoc videtur dicere, peccare hominem, quo audiente jurat aliquid falsum & sciens tacet. Caus. XXII. Quæst. V. *Cap.* 8. Aug. In illa verba, *Anima quæ audierit vocem jurantis falsum.*

XXXI. Quoties loquimur, aut non in tempore, aut in loco importuno, aut non ut convenit audientibus, toties sermo malus procedit ex ore nostro. Caus. XXII. Quæst. V. *Cap.* 21.

XXXII. Non est sine culpa, qui rei quæ ad eum non pertinet se immiscet. *In 6. De Regulis Juris. Regulâ* 19.

XXXIII. Si propterea non facis furtum, quia times ne videaris, intùs fecisti, corde fecisti; furti teneris, & nihil tulisti. Caus. XXXIII. Quæst. III. *De pœnit.* Dist. I. *Cap.* 29.

XXXIV. Vitia plerumque se virtutes esse mentiuntur. *De Renunc.* Cap. *Nisi cùm pridem. med. in int.* Lib. I. Decr. *Tit.* 9. Cap. 10.

XXXV. Qui præceptum aliter quàm debeat, facit, jam non facit. *De Regulis Juris.* Cap. *Qui ex timore.* Lib. V. Decr. *Tit.* 41. Cap. 8. *Reg.* 8.

XXXVI. Votum pro opere reputatur. *Ibid.* Cap. 5.

XXXVII. Impossibile est actum humanum extrinsecum esse justum, si exercens actum ipsum, nullum jus habeat ipsum exercendi, imò injustus necessariò convincitur. *Extravag.* Joann. XXII. *Quia quorumdam. De verborum significatione.* §. 4. *Rursus. fin.* Extravagantium Joannis XXII. *Tit.* 14. Cap. 5.

XXXVIII. Is committit vere, cujus authoritate vel mandato delictum committi probatur. *De Sent. Excom.* Cap. *Mulieres.* §. *Illi. fin.* Lib. V. Decr. *Tit.* 39. Cap. 6. & *In 6. De Sentent. Excomm* Cap. *Is qui.* init. *Glossa margin.* colligit. Lib. V. *Tit* 11. Cap. 23. *Appendice* Concil. Lateran. *Parte* 14. Cap. 12.

XXXIX. Quod ab uno fit aliis mandantibus, ab omnibus fieri censetur. *In 6. De Sententiâ & re jud.* Cap. *Cùm ab uno. init.* Lib. II. *Tit.* 14. Cap. 4.

XL. Tribus modis impletur omne peccatum, videlicet suggestione, delectatione, & consensu. Dist. VI. Cap. 2. *Sed pensandum est. init.* & Caus. XXXIII. Quæst. III. *De Pænitentiâ.* Dist. II. Cap. 21. *Sicut. init.*

XLI. Primum peccatum est, cogitasse quæ mala sunt: Secundum, cogitationibus acquievisse perversis: Tertium, quod mente decreveris, opere complevisse. Caus. XXXIII. Quæst. III. *De Pœnit.* Dist. 1. Cap. 71.

XLII. Non satis est benèfacere, nisi hoc ex bono fonte, hoc est, ex bona voluntate proficiscatur. Dist. LXXXVI. Cap. 14. *Non satis. post init.*

XLIII. Nisi fiat quod bonum est, à malo abstinere non sufficit. Clementinarum, *De Pœnis.* Cap. *Cupientes.* §. *& quia. init.* Lib. V. *Tit.* 8. Cap. 3.

XLIV. Difficile est ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. Dist. LXI. Cap. 5. *Miramur.* §. 1. *fin.*

XLV. Qui non liberè veritatem pronuntiat, quam liberè pronuntiare oportet; aut non liberè veritatem defendit, quam liberè defendere convenit; proditor est veritatis. Caus. XI. Quæst. III. *Cap.* 86. *Nolite.*

XLVI. Interdùm licet aliquid in genere, quod non licet in specie. *In 6. De concessione Præbendæ.* Cap. *Ne captandæ. Glossa colligit. In 6.* Lib. III. *Tit.* 7. Cap 3.

XLVII. Ipsum licitum partim quidem expedit, partim verò non expedit. Caus. XXVIII. Quæst. I. *Cap.* 9. *Sic enim* §. 12. *Quoniam. post init.* Tunc non expedit id quod licitum est, quandò permittitur quidem, sed usus ipsius potestatis aliis infert impedimentum salutis. *Ibid. med.* Caus. XXVIII. Quæst. I. *Cap.* 9. *Sic enim* Dicam licere, quia hoc non vetat Dominus. Caus. XXVIII. Quæst. I. *Cap.* 9.

XLVIII. Ratihabitio ejus excessus, qui absque tuo mandato, tuo tamen nomine factus est, retrotrahitur, & idem operatur, ac si in principio actus intervenisset. *In 6. De Sentent. Excom.* Cap. *Cùm quis.* Colligitur. *Junctâ Glossâ.* Lib. V. *Tit.* 11. Cap. 23.

XLIX. Peccat qui ratum habet excessum, non suo nomine, nec suo mandato factum. *Ibid.* Colligitur.

L. Ratihabitio retrotrahitur, & mandato debet comparari. *Ibid. med.*

LI. Quis ratum habere nequit quod ejus nomine non est gestum. *Ibid. fin.*

LII. Qui non adhibet diligentiam quam debet, in culpa est. *De homicidio.* Cap. *Continebatur. Glossa.* Lib. V. Decr. *Tit.* 12. Cap. 8.

LIII. Quid est in usu hominum bono ac licito, undè non possit etiam pernicies irrogari? Caus. XXIII. Quæst. V. *Cap.* 8. *De occidendis. fin.*

LIV. Iniquum est, ut quisque de alio judicare velit, & judicari de se nolit. Caus. XXXII. Quæst. VI. Cap. 3. *Iniquum.*

SECTIO IV.

Quænam excusent à Peccato? ubi quæ anteà collecta sunt, & colligenda, illustrantur.

I. Excusatio in delictis quæ per pravam consuetudinem, quæ corruptela dicenda est, palliatur, frivola reputatur. *De excessibus Prælatorum &c.* Cap. *Inter.* §. *Nos igitur. med.* & *De Clericis pugnantibus in duello.* Cap. *Henricus. Glossa* Lib V. Decr. *Tit.* 14. Cap. 2.

II. Sub fiducia pœnitentiæ nemo debuit delinquere; & magis contra peccatorem facit, quod sub spe veniæ deliquerit quàm pro eo. *De Clerico Excommunicato &c.* Cap. *Illud.* §. 5. *Illud autem. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 27. *Cap.* 5.

III. Aliquorum excessus aliis non præbet licentiam excedendi. *De Privilegiis.* Cap. *Petistis. post init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 33. Cap. 20.

IV. Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. *De Reg. Juris.* Cap. *Quod non est. init.* Lib. V. Decr. *Tit.* 41. Cap. 4.

V. Inculpabile judicandum est quod necessitas intulit. Caus. XXX. Quæst. I. *Cap.* 7. *Ad limina. post init.*

VI. Negligentia excusare non debet. *De Rescriptis.* Cap. *Si autem.* fin. Lib. I. Decr. *Tit.* 3. Cap. 9.

VII. Causa facit licitum quod aliàs non liceret. *De Censib. &c.* Cap. *Cùm Apostolus.* §. *Prohibemus. Glossa* colligit. Lib. III. Decr. *Tit.* 39. Cap. 6.

VIII. Imputari non debet ei per quem non stat, si non faciat quod per eum fuerat faciendum. *In 6. De Regulis Juris. Regulâ* 41. Lib. V. *Tit. ult.*

IX. Diuturnitas temporis non diminuit, sed auget peccata. *De Simoniâ.* Cap. *Non satis.* fin. Lib. V. Decr. *Tit.* 3. Cap. 8. & *De Consanguinit. &c.* Cap. *Non debet.* §. 4. *Cùm. fin.* Lib. IV. Decr. *Tit.* 14. Cap. 8.

X. Periculosissimè admittitur hæc compensatio, ut nos faciamus aliquid mali, ne alius gravius malum faciat. Dist. XIV. Cap. 1. *Quod ait. fin.*

XI. Qui abjurat malum quàm citò scit malum, non debet dici culpabilis. *De crimine falsi.* Cap. *Accedent. fin. Glossa* colligit. Lib. V. Decr. *Tit.* 20. Cap. 8.

XII. Alicui non debet imputari quod contra prohibitionem ejus expressam, eo causam vel occasionem non dante, ab ipsius consanguineis vel amicis fuit attentatum. *De homicidio.* Cap. *Petrus.* fin. Lib. V. Decr. *Tit.* 12. Cap. 17..... Aliud est tacere, aliud expressè vetare. *In 6. De Testamentis.* Cap. *Religiosus.* §. *Sanè. fin. Glossa* colligit, verbo, *Expresserit.* Lib. III. *Tit.* 11. Cap. 2.

XIII. Timor attenuat culpam. *De homicidio.* Cap. *Sicut dignum.* §. penult. *Glossa* colligit. Lib. V. Decr. *Tit* 12. Cap. 6.

XIV. Veniam meretur qui non ex malignitate, sed ex simplicitate peccavit. *De translatione Episcopi.* Cap. *Inter corporalia.* Lib. I. Decr. *Tit.* 7. Cap. 2.

XV. Ætas excusat à delictis. *De homicidio.* Cap. *Exhibita, Glossa* colligit, Lib. V. Decr. *Tit.* 12. Cap. 22.

XVI. Absit

XVI. Abfit ut ea quæ propter bonum ac licitum facimus aut habemus, fi quid per hæc, præter noftram voluntatem, cuiquam mali acciderit, nobis imputetur. CAUS. XXIII. QUÆST. V. *Cap.* 8. *De occidendis. poft med.*

XVII. Quod non ex deliberatione, fed fortuito cafu fit, non eft alicui imputandum. *De Sent. Excom.* Cap. *Si verò.* LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 3.

XVIII. Pueris quibus, quod adhuc impuberes funt, à pubertate vocabulum eft, aut etiam fimilibus puellis, quibus ignorantia fuffragatur ætatis, quos excipit à coërcitione Cenfura. *De Confecr.* DIST. IV. *Cap.* 118. *Eos quos. fin.* FELIX III. *ann.* 488. *in Epiftola ad univerfos Epifcopos.*

XIX. Propter hoc quod cogente Ecclefiarum Dei neceffitate, cum hypocritis & feductoribus converfatus es, non confentiens iniquitati eorum; nullum tibi eft detrimentum coràm Deo. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 5. *Antecefor. fin.*

XX. Difcipulos, cùm per fegetes tranfeundo, vellerent fpicas & ederent, ipfius CHRISTI vox innocentes vocat; quia coacti fame hoc fecerunt. *De Confecr.* DIST. V. *Cap.* 26. *Difcipulos.*

Ea quæ ex improvifo, & cafu potiùs quàm fraude accidunt, fato plerumque, non noxæ imputantur. DIST. L. *Cap.* 47. *Frater. fin.*

XXI. Aliquos fcimus fubitò dementes factos, fufte, ferro, lapidibus, morfibus multis nocuiffe; quofdam etiam occidiffe; captos autem induftria, & judiciis oblatos minimè reos factos, eo quod non voluntate, fed impellente vi hæc quâ, hæc gefferint nefcientes. CAUS. XV. QUÆST. I. *Cap.* 5. *Ex* LIB. XCIX. *Veteris & Novi Teftamenti*, QUÆST. II. *fin. in Appendice*, TOM. III. *Operum* S. AUGUST.

SECTIO V.

Caufæ extrinfecæ peccatorum.

I. Litem & feditionem non modicam effe ortam, quod inftigatione verfuti hominis effe factum nemo ambigit; habet enim mille nocendi modos &c. CAUS. XVI. QUÆST. II. *Cap.* 1. *Vifis. poft init.* DIST. XC. *Cap.* 3.

II. Seditio feu difcordia cùm focietatem fraternitatis aliquâ difcordiæ pefte commaculant, Deum produnt, quia Deus charitas eft. CAUS. XI. QUÆST. VIII. *Cap.* 83. *Abiit.* §. 1. *fin.* BEDA *ad Cap.* 54. MARCI circ. ann. 720.

III. Difcordia tàm grande eft malum quod oblatio quæ folet alia peccata delere, non recipitur a Deo, donec difcordia deponatur & ad bonam concordiam redeatur. *Epiftola Concilii* TULLENSIS I. *apud Saponarias ad Britones. an.* 859. TOM. VI. CONC. *p.* 687.

IV. Qui charitatis & veritatis juffa fpernunt, Deum utique, qui charitas eft & veritas, produnt, maximè cùm non infirmitate vel ignorantiâ peccant, fed in fimilitudinem JUDÆ, quærunt opportunitatem, qualiter arbitris abfentibus, mendacio veritatem, virtutem crimine mutent. *Ibid.* §. 2. *Conc.* PARIS. VI. *ann.* 829. LIB. II. *Cap.* 6. TOM. VII. CONC. *p.* 1643. *Conc.* TURON. III. *ann.* 813. *Can.* 36. TOM. VII. CONC. *p.* 1266. *De Eleemofinâ. Cap.* 45. *Capitib.* 11. 12. 13. CAUS. XXIII. QUÆST. IV. *Cap.* 35. DIST. XLVII. *Cap.* 8, *fin.* Vide *Conc.* CLOVESHOVIÆ. II. *ann.* 747. *Can.* 26. TOM. VI. CONC. *p.* 1581... DIST. LXXXVI. *Cap.* 14. *& fequent.* CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 27. CAUS. XII. QUÆST. II. *Cap.* 39. Multa bona præftantur invitis &c. DIST. XLV. *Cap.* 51. *Qui emendat. fin. Conc.* TURON III. *ann.* 813. *Can.* 48. Cap. 3. Cap. *Ante omnia.* Ex *Conc.* VENETICO. TOM. VII. CONC. *p.* 1269. *ann.* 461. TOM. IV. CONC. *p.* 1056.

V. Ebrietas. DIST. XXXV. *Cap. ult.* CAUS. XV. QUÆST. *Cap.* 7. *Sane.* 9. Inebriaverunt. *Conc.* MOGUNTIACUM. *ann.* 813. *Can.* 46. TOM. VII. CONC. *p.* 1252. Vide *Conc.* TURONICUM. I. *ann.* 461. *Can.* 2. TOM. IV. CONC. *p.* 1051.

VI. Si quando fames & penuria. CAUS. XVI. QUÆST. I. Cap. 65. §. 1. CAUS. XXXII. QUÆST. III. *De Pœnit.* DIST. I. *Cap.* 76. In judicio cordis. *De Pœnit.* DIST. V. *Cap.* 5. *Conc.* AQUISGR. II. *ann.* 836. *Can.* 6. TOM. VII. CONC. *p.* 1705.

VII. De correctione fraternâ. LIB. V. DECR. *Tit.* 7. *De Hæreticis.* Cap. 12. §. *ult.* DIST. LXXXI. *Cap.* 2. *Nemo.* CAUS. XXIII. QUÆST. IV. *Cap.* 35. Duo illa nomina. DIST. LXXXVI. *Cap.* 4. *Cap.* 2. *Cap.* 3. CAUS. XXIII. QUÆST. IV. *Cap.* 4. *Ecce & feq. Cap.* 20. CAUS. XXIII. QUÆST. V. *Cap.* 36. *Non putet.* Cap. 38. *Qui vitiis.* CAUS. V. QUÆST. V. *Cap.* 1. 2. 3. CAUS. VI. QUÆST. I. & II. *Cap.* 9. §. 1. Cap. 13. 15. & 16. De irâ. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 67. 68. *Ira.* & LIB. V. DECR. *Tit.* 1. Cap. 3. *in int.*

VIII. De maledicis dicit Apoftolus, quia Regnum Dei non poffidebunt. DIST. XXI. *Cap.* 6. *Denique. fin.* Reus eft qui falfum de alio profert. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap* 77.

IX. Ubi ebrietas, ibi libido dominatur & furor. *Concilium* AQUISGRANENSE. *an.* 836, Cap. 7. *fin.* TOM. VII. CONC. *p.* 1316.

X. Temerarium judicium plerumque nihil nocet ei de quo temerè judicatur &c. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 49. *Temerarium.*

XI. Qui juftus eft & injuftè maledicitur, præmium illi redditur. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 90.

XII. De occultis hominum voluntatibus quas fibi tantùm Dominus refervavit, qui renes & corda fcrutatur, à nobis judicari non poteft, nec debet. *De novi operis &c.* Cap. *Cùm de injuncto.*
Vide fequentia Capita De confcientiâ & famâ. Quem confcientia defendit & inter accufationes liber eft &c. *Cap.* 52. Liber vel fine accufatione effe non poteft, fi fola quæ interius addicit confcientia accufet. *Ibid.*

XIII. Sanctus vir ficut mala de bonis non æftimat, ita judicare mala de bonis recufat. DIST. XLVI. *Cap.* 2. §. 2. *in int. med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 32. *Cap.* 2. Præcipi exiftimo ut ea facta, quæ dubium eft quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.

XIV. Contrà morem Ecclefiafticum eft, fi non patientiffimè toleratur etiam injufta correctio. DIST. C. *Cap.* 8. *Contra morem.* GREG. I. LIB. II. *Epiftol.* 54. JOANNI *Ravennati Epifcopo.* *De Juris Reg. Cap.* 2. Quod fcriptum eft; Ex fructibus eorum cognofcetis eos, de manifeftis dictum eft &c. *Ibid.*

XV. In rebus ambiguis abfolutum non debet effe judicium. DIST. XXXIII. *Cap. ult.*

XVI. Ubi CHRISTUS non eft fundamentum, nullum boni operis eft fuper ædificium. CAUS. I. QUÆST. I. *Cap.* 26.

XVII. Detractores graviter judicantur. CAUS. II. QUÆST. VII. *Cap.* 15. *Accufatio.* §. 5. CAUS. XXIV. QUÆST. III. *Cap.* 3. *De obedientia.* CAUS. VIII. QUÆST. I. *Cap.* 10.

XVIII. Deteriores funt qui vitam morefque bonorum corrumpunt, his qui fubftantias aliorum prædiaque diripiunt. CAUS. IX. QUÆST. III. *Cap.* 55. *Fatta.* §. 5. *Anterius.* & CAUS. VI. QUÆST. 5. *Cap.* 13.

XIX. Sæpè malorum confortia etiam bonos corrumpunt; quantò magis eos qui ad vitia proni funt. CAUS XXVIII. QUÆST. I. *Cap.* 12.

XX. Abfit à Chriftianorum judicio, ut quæ maledicorum hominum rumoribus conficta credimus, in qualicunque modulo fufpicionis adducantur. CAUS. XI. QUÆST. III. *Cap.* 52.

XXI. De Doctoribus qui malè agentibus adulantur. DIST. XLVI. *Cap.* 5. & 2.

Clerici maledici. *Ibidem.*

Detractores. CAUS. III. QUÆST. IV. *Cap.* 10.

XXII. Malum nunquam committitur; bonum autem debet fæpiùs intermitti. *De novi operis nunt.* Cap. *Cum ex injuncto. in int. fin.* LIB. V. DECR. T. 32. Cap. 2.

Secundùm Traditionem Canonicam, quandò non nifi peccando alicui confuli poteft, tunc æftimare debet homo quid faciat non habere. *Ibid. fin.*

In

In ipsis etiam Sæcularibus Legibus invenitur, ut quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & generaliter quæ bonis moribus adversantur, nec posse nos facere sit credendum. *Ibid. fin.*

SECTIO VI.

De Libertate ad peccandum requisita; ubi etiam quæcumque ad illud necessaria referuntur.

I. Nonnisi voluntate peccatur. Caus. XXXII. Quæst. V. *Cap.* 5. *Nan fidelibus. §. Nonnisi.*

II. Omne peccatum ex voluntate nascitur. Caus. XXXII. Quæst. V. *Cap.* 4. *Illa. med.* Quis suorum actuum per liberum arbitrium & voluntatem Dominus dicitur, cùm per hoc illos non exercere valeat, vel etiam exercere. *Extravag.* Joann. XXII. *Ad Canditorem. §.2. De Verb. signific. Tit.* 14. Cap. 3. *p* 145. Quis nesciat nec damnari hominem, nisi meritò malæ voluntatis; nec liberari, nisi bonam habuerit voluntatem. Caus. XXIII. Quæst IV. *Cap.* 38. §. 1, Vide *Epistolam Synodalem Concil.* Tullensis II. *ann.* 860. *post init.* Tom. VIII. Conc. *p.* 707.

Peccatum sine voluntate opus non facit. Caus. XXXII. Quæst. V. *Cap.* 10. *Sicut. init.*

III. Voluntas sine opere frequenter peccat. *Ibid. fin.* Illa cavenda sunt &c. Caus. XV. Quæst. I. *Cap.* 6. *Illa.* Usque adeò peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo peccatum sit, si non sit voluntarium. Caus. XV. Quæst. I. *init. §.* 3.

IV. Liberi arbitrii nos condidit Deus; nec ad virtutes, nec ad vitia trahimur; alioquin ubi necessitas est, nec damnatio nec corona est. Caus. XXXIII. Quæst. III. *De Pænitentiâ.* Dist. II. *Cap.* 40. *Si enim. §. Liberi. init.* St. Augustinus Lib. *De vera Religione. Cap.* 14. & Lib. I. *Retract.* Cap. 13. *n.* 5. *ann. circiter* 426. *&* 427. Aut negandum est peccatum, aut fatendum est voluntate committi. *Ibid.*

V. Quod possumus non facere si volumus, hujus electionem mali nobis potiùs debemus, quàm aliis adscribere. Caus. XV. Quæst. I. *Cap.* 6. *Illa. init.* Et illa quæ non immeritò non voluntaria peccata dicuntur, quia vel à nescientibus, vel à coactis perpetrantur, non omninò possunt non voluntaria dici. *Ibid.*

VI. Cùm malignus Spiritus peccatum suggerit in mente, si nulla peccati delectatio sequatur, peccatum omninò perpetratum non est. Dist. VI. *Cap.* 2. *Sed pensandum est.* August. Lib. I. *Retractationum* Cap. 13. *n.* 5.

Cùm caro delectari cœperit, tunc peccatum incipit nasci. *Ibid.*

Si autem eam ad consensionem ex deliberatione descendit, tunc peccatum cognoscitur perfici. *Ibid.* Quorum nos sumus Domini, horum principia exteriùs non requiramus, nec derivemus in alios, sed agnoscamus ea quæ propriè nostra sunt; quod enim possumus non facere si volumus, hujus electionem mali nobis potiùs debemus quàm aliis adscribere. Caus. XV. Quæst. I. *Cap.* 6. *Illa caveada.* S. Ambros. Lib. X. *Hexameron.* Cap. 8. *n.* 31. *med.* circa ann. 389.

VII. Nemo tenetur ad culpam, nisi voluntate propriâ deflexerit. Caus. XV. Quæst. I. *Cap.* 10. *Non est. init.* S. Ambros. Lib. I. *De Jacob & vita Beata.* Cap. 3. *n.* 10. circ. ann. 387.

VIII. Quidquid in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non priùs ratum est quàm si perseverantiâ apparuit judicium animi fuisse. Caus. XXXIII. Quæst. III. *De Pænit.* Dist. I. *Cap.* 21. *Divortium. med.* Si concupiscentia quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter nostræ voluntatis Legem, quasi sua Lege movetur, quantò magis absque culpâ est in corpore non consentientis, si absque culpâ est in corpore dormientis. Caus. XV. Quæst. I. *Cap.* 8. *Si concupiscencia.* S. August. Lib. I. *De Civitate Dei. Cap.* 25. ann. circirer 413.

IX. In voluntate nascentis causa vitiorum est atque virtutum. Dist. LV. *Cap.* 5. *Nasci. fin.* S. Hieron. *in Epist. ad* Pammachium *adversus errores* Joann. *Hieros.* circ. ann. 403. Furiosus propriè non delinquit, quia delictum non fit nisi animo delinquendi. Clement. *De homicidio.* Cap. *Si furiosus. Glossa* colligit. Clement. Lib. V. *Tit.* 4. Cap. unic.

X. Positus extrà mentem, sive alienatus, non sentit, ac per hoc non valet consentire. *De Regularib.* Cap. *Sicut.* Lib. III. Decr. *Tit.* 31. Cap. 15.

XI. Non solùm pueri ab annis quatuordecim peccata committunt, sed etiam cùm sunt grandiusculi, seu doli capaces. *De Delictis puerorum.* Cap. *Pueris.* Lib. V. Decr. *Tit.* 23. *Cap.* 1. Tunc maximè cùm pubescere cœperint, ea peccata committunt, quæ membris genitalibus admittuntur. *Ibid.* Colligitur.

Furta, mendacia & perjuria sunt peccata; & his plena est puerilis ætas. *Ibid.*

In pueris hujusmodi peccata non ita, ut in majoribus, punienda videntur. *Ibid. fin.*

XII. Non habent crimen quæ inferuntur reluctantibus. Caus. XV. Quæst. I. *Cap.* 10. *Non est. post init.*

XIII. Sæpe sine culpâ agitur quod venit ex culpâ; undè etiam cum esurimus, sine culpâ comedimus, quibus ex culpa primi hominis factum est ut esuriremus.

XIV. Qui antè discretionis annos est, eorum quæ tunc agit plenum non habet intellectum. *In* 6. *De Regularibus.* Cap. *Is qui. §. Qui verò. fin. In* 6. Lib. III. *Tit.* 14. Cap. 1. Qui ad discretionis annos pervenerit, quid agat agnoscit. *Ibid.* Post quartum decimum annum, quis ad discretionis annos pervenit. *Ib.*

XV. Vasis iræ nunquam Dei redderet interitum, si non spontaneum inveniretur homo habere peccatum, quia nec Deus peccanti homini justè inferret iram, si homo prædestinatione Dei cecidisset in culpam. Caus. XXIII. Quæst. IV. *Cap.* 23. *Vasis iræ. init.* S. Fulgentius.

XVI. Omnis ætas ab adolescentia in malum prona est, nihil enim incertius quàm vita adolescentium. Caus. XII. Quæst. I. *Cap.* 1. *Omnis.*

XVII. Peccatum solâ voluntate commissum. *Ibid.* Caus. XXIII. Quæst. IV. *Cap.* 23.

XVIII. Hi de quibus dicitur, ex nobis exierunt, voluntate exierunt, voluntate ceciderunt. *Ibid.* §. 5.

SECTIO VII.

De peccato originali, & concupiscentia.

I. Parvuli peccato tantùm originali tenentur. *De Baptismo* &c. Cap. *Majores. § Cæterum.* Lib. III. Decr. *Tit.* 42. Cap. 3. Vide *Conc.* Arausican. II. *an.* 529. Tom. IV. Conc. *p.* 1667. Vide Canones Sess. V. *Concil.* Trid. *circa peccatum originale.*

Pœna peccati originalis est carentia visionis Dei. *Ibid. §. Verum.*

II. Humana tentatio est, quâ plerumque in cogitatione tangimur etiam nolentes, quia, ut nonnunquam & illicita ad animum veniant, hoc in nobismet ipsis ex humanitatis corruptibilis pondere habemus. Caus. XXXIII. Quæst. III. *De Pænit.* Dist. II. *Cap.* 24. *Inter.* Licet omnia peccata condonata sint in Baptismo, infirmitas tamen peccati adhuc in carne manet. *De Consecrat.* Dist. II. *Cap.* 71. *Iteratur.* Proclivis cursus est ad voluptatem, & imitatrix natura vitiorum. Caus. XX. Quæst. III. *Cap.* 2. *Proclivis. init.*

III. Concupiscentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, si præter nostræ voluntatis Legem, quasi Lege suâ, movetur, absque culpâ est in corpore non consentientis. Caus. XV. Quæst I. *Cap.* 8. *Si Concupiscentia.* Nec grandibus hoc præstatur in Baptismo, nisi fortè miraculo ineffabili Omnipotentissimi Creatoris, ut Lex in membris repugnans Legi mentis penitùs extinguatur & non sit. *De Consecratione.* Dist. IV. *Cap.* 2. *Per Baptismum.*

IV. Cùm animus carnis voluptatibus reluctans in

delectatione carnali aliquo modo ligatur invitus, ut ei ex tatione contradicat, nec consentiat, & tamen delectatione ligatus sit, sed ligatum se vehementer ingemiscat, liber est ex justitiâ quam diligit, sed captivus ex delectatione quam portat invitus. DIST. VI. *Cap.* 2. *Sed pensandum est.* Sciendum est aliud esse quod animus de tentatione carnis patitur, aliud verò cùm per consensum delectationis obligatur; plerumque enim cognitione pravâ pulsatur, sed renititur; plerumque autem cùm perversum quid concipit, hoc intra semet ipsum, etiam per desiderium, volvit. CAUS. XXXIII. QUÆST. III. *De Pœnitentia.* DIST. II. Cap. 23. *Inter hac. init.*

V. Non est peccatum quando nolentes imaginibus nocturnis illudimur. DIST. VI. Cap. 3. *Non est. init.*

Tunc est peccatum, si antequàm illudamur, cogitationis affectibus prævenimur. *Ibid.* Cap. 3.

VI. Per somnium illudi reputatur, qui tentatus immunditiâ, veris imaginibus in cogitatione inquinatur. DIST. VI. Cap. 1. *Testamentum.* §. 1. *Quod tamen. init.*

VII. Mentem nequaquam cogitatio immunda inquinat cùm pulsat; sed cùm hanc sibi per delectationem subjugat. CAUS. XXXIII. QUÆST. III. *De Pœnitentiâ.* DIST. II. Cap. 23. *Inter hac.*

VIII. Concupiscentialis inobedientia absque culpa est in corpore dormientis. CAUS. XV. QUÆST. I. Cap. 8. *Si.* Huc pertinet *Can.* 3. *De Consecr.* DIST. IV.

IX. Dæmoniaca est tentatio, cùm ad hoc quod carnis corruptibilitas suggerit, per consensum se animus adstringit. CAUS. XXXIII. QUÆST. III. DIST. II. Cap. 23.

SECTIO VIII.

De iis quæ sequuntur ex peccato.

I. Rem quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit. *De Constitution.* Cap. *Cognoscentes.* LIB. I. DECR. *Tit.* 2. Cap. 2.

II. Quædam sunt culpæ in quibus culpa est relaxare vindictam. *De Postulatione Prælatorum.* Cap. *Ad hac.* §. *Nos igitur. fin.* LIB. I. DECR. *Tit.* 5. Cap. 1. & DIST. XXVIII. Cap. 10. *Quia sunt. init.*

III. Nemo debet de sua malitia commodum reportare. *De Judiciis.* Cap. *Intelleximus.* LIB. II. DECR. *Tit.* 1. Cap. 7.

IV. Si quis ex malitiâ aliquid fecit, ei sua fraus non debet patrocinari vel dolus. *De cognatione spirituali.* Cap. *Si vir. fin.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 11. Cap. 2.

V. Paria delicta mutuâ compensatione tolluntur. *De adulteriis.* Cap. *Intelleximus.* §. *Quocircà. fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 16. Cap. 6.

VI. Infirmitas corporalis nonnunquam ex peccatu provenit. *De Pœnitentiis &c.* Cap. *Cùm infirmitas. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 38. Cap. 13.

VII. Offendens in uno (præcepto Legis) factus est omnium reus. *De Regulis Juris.* Cap. *Defleat. juncta Glossa.* LIB. V. DECR. *Tit.* 41. *ult.* Cap. 9.

VIII. Semel malus semper præsumitur esse malus. *In 6. De Regulis Juris. Reg.* 8. LIB. V. *Tit. ult.*

IX. Culpa unius aliquando cedit lucro alterius. *De Donationib. inter virum &c.* Cap. *Plerumque. Glossa* colligit. LIB. IV. DECR. *Tit.* 20. Cap. 4.

X. Negligentia seu factum unius alii obesse non debet. *De Elect.* Cap. *Cùm in veteri.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 52.

XI. Sæpè malorum consortia etiam bonos corrumpunt; quantò magis eos qui ad vitia proni sunt. CAUS. XXVIII. QUÆST. I. Cap. 12. *Sæpè. init.*

XII. Pœna actualis peccati, est gehennæ perpetuæ cruciatus. *De Baptismo &c.* Cap. *Majores.* LIB. III. DECR. *Tit.* 41. Cap. 3.

SECTIO IX.

Quandonam præsumptio fuisse intelligatur inter peccandum?

I. Non temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis. *De Consecr.* DIST. IV. Cap. 113. *Si nulla. fin.*

II. Præsumptio damnabilis, cùm quis ex certâ scientiâ quod vetitum est audet attentare. *De Elect.* Cap. *Scriptum.* §. *Si verò.* LIB. I. DECR. *Tit.* 6. Cap. 40.

III. Temeratiè agit qui scienter præsumit facere actum sibi à jure prohibitum. *In 6. De Sent. Excom.* Cap. *Is qui. init. Glossa marginalis* colligit. LIB. V. *Tit.* 11. Cap. 18.

SECTIO X.

De Scandalo.

I. Nihil cum scandalo faciendum. *De Præscription.* Cap. *Nihil prodest.* §. 1. LIB. II. DECR. *Tit.* 26. Cap. 2.

II. Multa sunt facienda non jubente lege, sed liberâ charitate; & ea sunt in nostris Officiis gratiora, quæ cùm liceret nobis etiam non impendere, tamen causâ dilectionis impendimus. CAUS. XXVIII. QUÆST. I. Cap. 8. *Jam nunc. med.* Hæc sine scandalo omitti possunt, quia notum est omnibus ea non deberi.

III. Inter scandalum & scandalum est subtiliter distinguendum, sicut Dominus ipse distinxit, cui cùm dixissent Apostoli, quia Pharisæi scandalisabantur, res- *Matth.*
pondit; *Sinite illos, cæci sunt.* Alibi verò dixit; *Qui scan-* 15.
dalisaverit unum de pusillis istis &c. De renuntiat. Cap. *Matth.*
Nisi cùm pridem. §. *Sed inter.* LIB. I. DECR. *T.* 9. Cap. 10. 18.

IV. Undè prior Dominus ipse, cùm tributum se non debere monstrasset, solvit tamen, ne scandalisaret eos, quibus ad æternam salutem gerens hominem consulebat. *Ibid. Qui fideles estis &c.* CAUS. XI. QUÆST. III. Cap. 22. *Nolite.* §. 1. *post init.*

V. Opera illa quæ sine mortali peccato omitti non possunt, non sunt pro vitando scandalo admittenda. *De novi operis nunciatione.* Cap. *Cùm ex injuncto.* §. *Super eo. init.* LIB. V. DECR. *Tit.* 32. Cap. 2. *Vide in int.*

Ea non debent pro scandalo vitando committi, quæ sine mortali peccato committi non possunt. *Ibid.* Utilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur. *De Reg. Juris.* Cap. 3. *Conc.* TRIBUR. *ann.* 895. *Can.* 50. TOM. IX. CONC. *p.* 464.

Ab his quæ sine mortali peccato committi possunt pariter & dimitti, pro scandalo tollendo cessandum est. *Ibid.* Eisdem est pro vitando scandalo insistendum. *Ibid.* LIB. V. DECR. *Tit.* 32. Cap. 2. *De novi operis nunciatione.* Cap. *Cùm ex injuncto.* Licet majorum scandalum sit vitandum, vitandum est etiam scandalum pusillorum. *Ibid. fin.* Non sunt audiendi, sive viri Sancti, sive fœminæ &c. CAUS. XI. QUÆST. III. Cap. 56. *Non sunt.*

Nec si quisquam in factis nostris tàm malè movetur, ut fiat etiam omninò deterior, longèque à pietate remotior, propterea rectè facta deferenda sunt. CAUS. XXII. QUÆST. II. Cap. 8. *Primum.* §. 3. *Juxtà Correct. ad originale.* S. AUGUSTINUS *in* LIB. *De mendacio.* Cap. 21. *n.* 42. *fin.* circ. ann. 395.

SECTIO XI.

De Sacrilegio.

Vid. *Glossam in* CAUS. XVII. QUÆST. IV. Cap. 4.

I. Quæ Sacra sunt à quoquam violari non debent. *De Reg. Juris.* Cap. *Quæ multoties.* LIB. V. DECR. *Tit.* 41. Cap. 7. *Conc.* TRIBURIENSE *anni* 895. Cap. 4. TOM. IX. CONC. *p.* 445. Cap. 7. *Conc.* TROSLEIANUM. *ann.* 909. *Cap.* 4. Sacrilegium est Sacræ Legis violatio, &c. TOM. IX. CONC. *p.* 530.

II. Quidquid in sacratis Deo rebus ab Episcopis injustè agitur, pro Sacrilegio reputatur. *Ibid.*

III.

III. Sacrilegium committitur si quisin fregerit Ecclesiam. Caus. XVII. Quæst. IV. Cap. 21. *Quisquis. §. 1. init.*

IV. Si quis Ecclesiam Dei vastat, & ejus prædia & donaria expoliat & invadit, fit sacrilegus. Caus. XVII. Quæst. IV. Cap. 12. *Sicut. init.*

V. Si qui Monasteria, & loca Deo dedicata, & Ecclesias infringunt, & deposita, vel alia quælibet exindè abstrahunt, velut Sacrilegi Canonicæ Sententiæ subigantur. Caus. XVII. Quæst. IV. Cap. 21. *Quisquis. §.* ult. *Si qui.*

VI. Si quis donum Dei violaverit, & aliqua, sine licentia illius cui commissa esse dignoscitur, indè abstulerit, vel Ecclesiasticis personis injuriam fecerit, sacrilegii periculo ab omnibus obnoxius teneatur. *Ibid.* §. 2. *Si quis.*

VII. Si quis Ecclesiam Dei vastat, aut impugnat, aut incendit, & hoc gravissimum est Sacrilegium. Caus. XXIV. Quæst. III. *Cap.* 22. *Quisquis.*

VIII. Qui pecuniam vel res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit. Caus. XVII. Quæst. IV. *Cap.* 18. *Qui rapit. fin.*

IX. Qui Dei Sacerdotes insequitur, Sacrilegii reus existit, & Sacrilegus judicatur. Caus. XVII. Quæst. IV. *Cap.* 12. *Sicut. init.*

X. Quisquis per dolum manum suam mittit in Episcopum vel Presbyterum, Sacrilegium grave committit. Caus. XXIV. Quæst. III. *Cap.* 22. *Quisquis. init.*

XI. Qui vel violentiâ vel favore non permittunt Ecclesias regulariter ordinari, ut Sacrilegi sunt judicandi. Caus. I. Quæst. I. *Cap.* 125. *Sunt quidam.* Paschalis II.

XII. Ecclesiam fraudare, Sacrilegium est. Caus. XII. Quæst. II. *Cap.* 71. *Gloria Episcopi.* §. 2. *init.*

XIII. Malefactores Ecclesiæ Sacrilegi sunt censendi. *De foro competenti.* Cap. *Cùm sit generale.* fin. Lib. II. Decr. *Tit.* 2. Cap. 8.

XIV. Cùm valdè sit iniquum, ea quæ collata sunt pro remedio peccatorum, venerabilibus Ecclesiis, vel relicta, aut eis justis modis aliis acquisita, aliis usibus applicari; meritò invasores ipsarum rerum, tanquàm sacrilegi, sunt anathemati, usque ad satisfactionem congruam, supponendi. *De foro competenti.* Cap. *Conquestus est. §.* 1. Lib. II. Decr. *Tit.* 2. Cap. 16.

XV. Qui de Ecclesiâ vi aliquem exemerit, vel in ea cultui, Sacerdotibus, vel Ministris aliquid injuriæ intulerit, ut Sacrilegus, reusque læsæ Majestatis, capitali pœnâ puniendus. Ex Codice. *Tit. De Episcopis.* Caus. XVII. Quæst. IV. *Cap.* 29.

XVI. Ut Hilarius Papa omnibus Episcopis per diversas Provincias in Epistola sua scribit; injuria Sacerdotum & Ecclesiarum sacrilegium est. *De pœnis.* Cap. *Si quis Presbyter. in int. med.* Lib. V. Decr. *Tit.* 37. Cap. 2.

Vid. Cap. 21. Caus. XVII. Quæst. IV. ubi Joannes VIII. plura notanda habet circa sacrilegium. Vide quoque *Notam Corect. Roman.* circà illud, quæ remittit ad *Conc.* Tricass. II. Conc. Tom. IX. *p.* 314. docet Papam adjecisse Codici Legum Gothicarum, Legem de sacrilegio, quia nihil de illo statuerant, vetuerantque ne judicarentur causæ de quibus nihil dixerant. Adjecta autem Lex desumitur ex Justiniano, cujus pœnam pecuniariam moderatur, excommunicatque transgressores, ac nisi satisfecerint, sepulturâ solemni privat. Hanc probatàm à Ludovico Balbo justè præsumitur, cùm Concilio adfuerit, & ex Breviario illius pateat ipsum consensisse omnibus quæ in illo gesta sunt.

Ex suprà collectis sequitur, quòd cùm Sacrilegium nihil aliud sit quàm violatio Sacri, Sacrum autem sit quidquid Deo consecratum est, Sacrilegium locum habere debeat in personis, rebus, locis Deo dicatis, iisque omnibus ad illa pertinentibus.

TITULUS III.

De variis Superstitionum generibus, earum malitia, & pœnis iis debitis.

SECTIO I.

Quid sit Superstitio, quæ illius species?

I. Superstitiosum est quidquid institutum est ab hominibus, ad facienda & colenda Idola pertinens, vel ad colendam, sicut Deum, creaturam, partemve ullam creaturæ. Caus. XXVI. Quæst. 2. *Cap.* 6. *init.* S. Aug. Lib. II. *De doctrina* Christi. *Cap.* 20. *init.* inter ann. 397. & ann. 426.

II. Superstitiosum est quidquid institutum est ad consultationes, & pacta quædam significationum cum Dæmonibus placita atque fœderata; qualia sunt molimina Magicarum Artium. *Ibid.* Vide *Excerptum* Gregorii III. fortè ann. 732. *Cap.* 16. Tom. VI. Conc. *p.* 1481.

Vide *Epistolam* Bonifacii *Moguntini ad* Bonifacium *Papam. Cap.* 6. Tom. VI. Conc. *p.* 1497.

Nicol. I. *Ad Consult. Bulgar. Cap.* 79. Tom. VIII. Conc. *p.* 542.

III. Ad hoc genus pertinent omnes etiam ligaturæ atque remedia, quæ Medicorum quoque disciplina condemnat, sive in præcantationibus, sive in quibusdam notis, quas caracteres vocant, sive in quibusdam rebus suspendendis atque ligandis, vel etiam saltandis quodammodò, non ad temperationem corporis, sed ad quasdam significationes, aut occultas, aut etiam manifestas. *Ibid.*

IV. Neque illi ab hoc genere Superstitionis perniciosæ segregandi sunt, qui olim Genethliaci, propter natalium dierum considerationes, nunc autem vulgò Mathematici vocantur; nam & ipsi, quamvis veram stellarum positionem, cùm quisque nascitur, consectentur, & aliquandò etiam pervestigent; tamen quod indè conantur, vel actiones nostras, vel actionum eventa prædicere, nimis errant, & vendunt imperitis hominibus miserabilem servitutem. *Ibid.* Caus. XXVI. Quæst. II. *Cap.* 6. §. 3. S. Aug. Lib. II. *De doctrinâ Christianâ. Cap.* 20. *n.* 31.

V. Vetustæ consuetudinis instinctione suggeritur, observare auguria, requirere stellarum cursus, & eventus ex iis futurorum rimari, servare somnia, cæterisque hujusmodi superstitionibus implicari; ex idololatria certum est hujusmodi opprobria pullulare. Caus. XXVI. Quæst. II. *Cap.* 9. *Sed & illud. §.* 1. Origenes *Hom.* 5. *ad Cap.* 5. Josue.

VI. Quis æstimaret quàm magnum peccatum sit dies observare, & menses, & annos, & tempora, sicut observant, qui certis diebus, sive mensibus, sive annis volunt & nolunt aliquid inchoare, eò quòd secundùm vanas doctrinas hominum, fausta vel infausta existiment tempora, nisi hujus mali magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus, qui talibus ait; *Timeo ne fortè sine causa laboraverim in vobis*; & intelligat Lector ad tantum periculum animæ pertinere superstitiosas temporum observationes, ut huic loco subjecerit Apostolus: Timeo vos &c. Caus. XXVI. Quæst. VII. *Cap.* 17.

SECTIO II.

Omnes illas superstitiones Christiano esse vetitas; vetitum esse exercere illas Artes, atque etiam consulere eos qui ipsas profitentur.

I. Omnes artes hujusmodi, vel nugatoriæ, vel noxiæ Superstitionis, ex quadam pestiferâ societate hominum & Dæmonum, quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta, penitùs sunt repudianda & fugienda Christiano. Caus. XXVI. Quæst. II. *Cap.* 6. *Illud.* §. *ult.* S. August. Lib. II. *De doctr. Christ. Cap.* 23. *n.* 36.

Qui quascumque divinationes, aut fata, aut auguria, observat aut attendit, aut consentit observantibus inutiliter & sine causâ, magis ad sui damnationem, quàm ad salutem tendit. CAUS. XXVI. QUÆST. VII. *Cap.* 16.

Non oportet Sacris Officiis deditos vel Clericos, Magos aut Incantatores exercere, aut facere philacteria quæ animatum suarum vincula comprobantur. CONC. LAODIC. *Can.* 36. CAUS. XXVI. QUÆST. V. Cap. *Non oportet.* Eos qui his utuotur, ab Ecclesia peili præcipimus. *ibid. fin.*

II. Qui sine Salvatore salutem vult habere, & sine verâ sapientiâ æstimat prudentem se fieri posse, non sanus, sed æger, non prudens, sed stultus in ægritudine assiduâ laborabit, & in cæcitate noxiâ stultus ac demens permanebit; ac proindè omois inquisitio & omois curatio quæ à Divinis & Magis, vel ab ipsis Dæmoniis, in Idolorum culturâ expetitur, mors potiùs dicenda est quàm vita; & qui ea sectantur, si se non correxerint, ad æternam perditionem tendunt, Psalmistâ dicente, *Omnes Dii Gentium sunt Dæmonia*, qui per deceptos homines alios decipere quotidiè gestiunt, ut perditionis suæ faciant eos esse participes. CAUS. XXVI. QUÆST. II. *Cap.* 7. *Qui sine.* RHABANUS. LIB. *De Magorum præstigiis.*

III. Planetarios, quos Mathematicos vocant, consulere, Christiana & vera pietas consequenter repellit & damnat. CAUS. XXVI. QUÆST. II. *Cap.* 8. *Illos.*

Qui magicis falsitatibus credunt, aut ad eorum domum euntes, aut suis domibus introducunt, ut interrogent, sciant se fidem Christianam & Baptismum prævaricatione, & ut Paganum & Apostatam, id est retrò abeuntem & Dei inimicum, iram Dei graviter incurrisse, nisi Ecclesiasticâ pœnitentiâ emendatus Deo reconciletur. *Ibid. fin.*

Si quis Astrologiæ vel Mathesi existimat esse credendum, Anathema sit. *Conc.* TOLET. vulgò I. *in Professione fidei*, *Art.* 15. *ann.* 400. TOM. II. CONC. *p.* 1128. Vide *Conc.* VENETICUM *ann.* 465. *Can.* 16. TOM. IV. CONC. *p.* 1057.

Synodus ANTISSIOOORENSIS. *an.* 578. *Can.* 4. TOM. V. CONC. *p.* 938,

SECTIO III.

Qui sint Divini, Magi, Sortilegi?

I. Divini dicti sunt quasi Deo pleni; Divinitate enim plenos esse simulant, & astutâ quâdam fraudulentiâ hominibus futura conjectant. CAUS. XXVI. QUÆST. III. *Cap.* 1. *Igitur.* §. 2. RHABANUS LIB. *De Magorum præstigiis.* Vide *Epist.* 2. LEONIS IV. *Cap.* 4. TOM. VIII. CONC. *p.* 31.

II. Magi sunt qui vulgò malefici, ob facinorum magoitudinem nuncupantur; hi permissu Dei elementa concutiunt, turbant mentes hominum minùs confidentium in Deo, ac sine ullo veneni hausto, violentia tamen carminis, interimunt; Dæmonibus enim accitis audent ventilare, ut quique suos perimant malis artibus inimicos. CAUS. XXVI. QUÆST. III. *Cap.* 14. *Nec mirùm.* §. 1. ISIDORUS. LIB. VIII. *Etymolog. Cap.* 9. circit *ann.* 630.

III. Sacrilegi sunt qui sub nomine fictæ Religionis, per quasdam, quas Sanctorum sortes vocant, divinationes scientiam profitentur; aut quarumcumque scripturarum inspectione futura promittunt. CAUS. XXVI. QUÆST. I. Cap. un. *Sortilegi.* ISIDOR. *Etymolog.* LIB. VIII. *Cap.* 9. circiter ann. 630.

IV. Per Dæmonum fallaciam illuditur curiositas humana, quandò id impudenter appetunt scire, quod nullâ ratione eis competit investigare; hæc potestas immundis spiritibus ideò datur, ut per vasa sibi apta, hoc est, pravos homines, seducant illos qui spernunt veritatem, & credunt mendacio. CAUS. XXVI. QUÆST. V. *Cap.* 14. *Nec mirum.* §. 8. ISID. LIB. VIII. *Etymolog.* Cap. 9.

SECTIO IV.

Has artes Diabolicas Ecclesiam valdè detestari, & procul à se arcere eos qui illas profitentur, aut qui illis fidem aliquam habent.

I. Episcopi, eorumque Ministri, omnibus modis elaborare studeant, ut perniciosam, & à Diabolo inventam Sortilegam & Magicam artem, ex Parochiis suis penitùs eradicent; & si aliquem virum aut mulierem hujuscemodi sceleris sectatorem invenerit, turpiter dehonestatum de Parochiis suis ejiciant. Subversi sunt, & à Diabolo captivi tenentur, qui relicto Creatore suo, Diaboli suffragia quærunt, & ideò à tali peste debet mundari Sancta Ecclesia. CAUS. XXVI. QUÆST. V. *Cap.* 12. *Episcopi. Tribuitur Conc.* ANQUIRENSI. *Cap.* 1. fortè *ann.* 314. *Conc.* TOLET. IV. *ann.* 633. *Can.* 29. TOM. V. CONC. *p.* 1714. *Anquirensi* pro *Ancyrano* ponitur.

II. Sacerdotes per Ecclesias sibi commissas populo Dei omni instantiâ prædicare debent, ut noverint hæc omninò falsa esse, & non à Divino, sed à maligno spiritu talia Phantasmata mentibus fidelium irrogari. *Ibid.* §. 1. *fin.* Admoneant Sacerdotes fideles populos ut noverint Magicas artes &c. CAUS. XXVI. QUÆST. VII. *Cap.* 15. *Ex Conc.* TURON. III. *Cap.* 42. *an.* 813.

III. Contra Idolorum cultores vel Aruspices atque Sortilegos, Fraternitatem vestram vehementiùs Pastorali hortamur invigilare custodiâ; atque publicè in populo contra hujus rei viros Sermonem facere, eosque à tanti labe Sacrilegii, & Divini intentione judicii, & præsentis vitæ periculo, adhortatione suasoriâ revocare; quos si emendare se à talibus, atque corrigere nolle repereris, ferventi comprehendere se zelo volumus, & inclusione digna districtaque sunt in Pœnitentiam redigendi, ut qui salubria & à morte revocantia audire verba contemnunt, cruciatus saltem eos corporis, ad desideratam mentis valeat reducere sanitatem. CAUS. XXVI. QUÆST. V. Cap. 10. *Contra.* GREG. LIB. VII. *Epist.* 66. *ann.* 599.

IV. Si quis Ariolos, Aruspices, vel Incantatores observaverit, aut Phylacteriis usus fuerit, Anathema sit. CAUS. XXVI. QUÆST. V. Cap. 1. *Ex Decretis* GREGORII JUNIORIS *in Synodo* ROM. Cap. 12. *an.* 712.

V. Qui divinatiooes expetunt, vel in domos suas hujusmodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte Medicâ, aut expiandi causâ, sub Regulâ jaceant, secundùm gradus Pœnitentiæ definitos. CAUS. XXVI. QUÆST. V. Cap. 2. *Ex Conc.* ANCYRANO. Cap. 23. aliàs 24. *ann.* 314.

VI. Auguriis vel incantationibus servientem à conventu Ecclesiæ separandum præcipimus. CAUS. XXVI. QUÆST. V. Cap. 11. *Auguriis.* Ex *Conc.* CARTHAG. IV. Cap. 89. *ann.* 398.

VII. Si quis Clericus, Monachus, vel Sæcularis, divinationem vel auguria crediderit observanda; vel sortes quas mentiuntur esse Sanctorum quibuscunque putaverint intimandas, cum his qui eis crediderint, ab Ecclesiæ Communione pellantur. CAUS. XXVI. QUÆST. V. Cap. 9. *Si quis Clericus.* Ex *Conc.* AURELIANENSI I. Cap. 32. *ann.* 511.

VIII. Aliquanti Clerici sive Laici student auguriis, & sub nomine fictæ Religionis, per eas quas Sanctorum sortes vocant, divinationis scientiam profitentur; aut quarumcumque scripturarum inspectione, futura promittunt; hæc, quicumque Clericus aut Laïcus detectos fuerit, vel consulere vel docere, ab Ecclesiâ habeatur extraneus. *Ibid.* Cap. 6. *Aliquanti.* Ex *Conc.* AGATHENSI. Cap. 42. *ann.* 506.

IX. Si quis Episcopus, aut Presbyter, sive Diaconus, vel quilibet ex Ordine Clericorum, Magos aut Aruspices, aut Incantatores, aut Ariolos, aut certè Augures vel Sortilegos, vel qui profitentur artem Magicam, aut aliquos eorum similia exercentes, consuluisse fuerit deprehensus; ab honore dignitatis suæ suspensus, pœnitentiæ deditus, scelus admissum Sacrilegii solvat. *Ibid. Cap.* 5. Ex *Concilio*, TOLETANO IV. Cap. 28. *ann.* 633.

Quo-

Quomodo Ecclesia se gerere debeat erga Auguratores, Cantratrices & Maleficos. Vide *Epist. 3. Can. 7.* circ. ann. 937. Tom. IX. Conc. *p.* 597.

SECTIO V.

Sunt aliqua sortes quæ, etsi non fiant ope Dæmonum, sed per media quæ videntur licita, tamen usurpari non debent.

I. Qui de paginis Evangelicis sortes legunt, etsi optandum est ut id potiùs faciant quàm ad Dæmonia consulenda concurrant; tamen etiam ista mihi displicet consuetudo, ad negotia sæcularia, & ad vitæ hujus vanitatem, propter aliam vitam loquentia Oracula Divina velle convertere. Caus. XXVI. Quæst. II. Cap. 3. *Hi qui.* S. Aug. *Epist.* 55. *n.* 37. *art.* 119. circa ann. 400.

II. Non statim debemus sub exemplo Jonæ fortibus credere, vel illud de actibus Apostolorum huic testimonio copulare, ubi sorte in Apostolatum Mathias eligitur. *Ibid.* Cap. 2. *Non statim.* Hyeron. *super* Jonam. *Cap.* 1. circ. ann 393. *Idem* Cap. 3. *Ex Bedâ.*

III. In tabulis vel in codicibus sorte futura non sunt requirenda. *De Sortilegis.* Cap. 1. Lib. V. Decr. *Tit.* 21. Cap. 1. *Vide alia Capita.*

IV. Nullus in Psalterio vel in Evangelio, vel in aliis rebus sortiri præsumat, nec divinationes aliquas in aliquibus rebus observare. *Ibid.*

TITULUS IV.

De Peccatis quæ committuntur per luxuriam seu libidinem.

SECTIO I.

An mæchatio seu fornicatio sit peccatum, & quot sint ejus species?

I. Omnis immunda pollutio fornicatio dicitur, quamvis quisque diversâ turpitudinis voluptate prostituatur; ex delectatione enim fornicandi varia gignuntur flagitia, quibus & Regnum Dei clauditur, & homo à Deo separatur. Caus. XXXII. Quæst. VII. Cap. 15. *Non solùm.*

II. De fornicatione quam solutus cum soluta committit, quin sit mortale peccatum non est aliquatenus ambigendum, cùm tam fornicarios quàm adulteros à Regno Dei Apostolus asserat alienos. Innoc. IV. Bulla *Sub Catholicæ.* §. 18. ann. 1254. Bullar. Tom. I. *p.* 126.

III. Fornicari omnibus semper non licet. Dist. LXXXVIII. Cap. 10. *Fornicari.* Author *Quæstionum Veteris & Novi Testamenti. Quæst.* 127. *fin in Append.* Tom. III. S August.

IV. In scripturis nomine Mæchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus, prohibitus debet intelligi. Caus. XXXII. Quæst. IV. Cap. 11. *Meretrices. §. Omnis. fin.* Nulli licet scire mulierem præter uxorem. Caus. XXII. Quæst. IV. Cap. 4. §. 2.

V. *Concil.* Nicæ. II. *Can.* 22. *init.* Tom. VII. Conc. *p.* 615. Non enim mæchia ab eo tantum inhibetur, sed & motio cogitationis ad mæchiæ commissum.

VI. *Concil.* Troslaianum. ann. 909. Cap. 10. Tom. IX. Conc. *p.* 550. Ubi probat allatis S. Pauli Testimoniis, fornicationem esse speciem luxuriæ quæ, ut aliæ, excludit à Regno Dei.

VII. Omne fornicationis crimen Lege Divinâ prohibitum est, & sub pœnâ peccati mortalis necessariò evitandum. Pragmaticæ Sanctionis *Tit.* 20. §. ult. & Concordatorum *Tit.* 8. *De Publicis Concubinar. fin.*

VIII. Fornicatio nulli impune conceditur. Caus. XXVII. Quæst. I. Cap. 20. *Nubendi. fin.*

IX. Meretrices esse, & ad meretrices accedere, prohibet Dominus, quarum publicè venalis est turpitudo. *Tom. III. Tract. De Judiciis.* Caus. XXXII. Quæst. IV. Cap. 11. *Meretrices. init.*

X. Mæchatio est illius quæ carnem suam coinquinat. Caus. XXVIII. Quæst. I. Cap. 6. *Non solùm init.*

XI. In fornicatione non idcircò diversa est fornicatio, si mulier sit pulchra aut deformis, ancilla aut ingenua, paupercula aut opulenta; sed qualiscumque illa fuerit, una est fornicatio. Caus. XIV. Quæst. VI. Cap. 4. *Fur. Concil.* Tolet. XVI. ann. 693. Cap. 3. Tom. VI. Conc. *p.* 1338.

XII. Fornicatio licet videatur esse genus cujuslibet illiciti coitus, qui fit extra uxorem legitimam; tamen specialiter intelligitur in usu viduarum, vel meretricum, vel concubinarum. *Gratianus.* Caus. XXXVI. Quæst. I. §. *Cùm ergò.*

XIII. Adulter vocatur violator maritalis pudoris', eo quod alterius thorum polluit. *Excerpt.* Greg. III. fortè ann. 732. Cap. 4. Tom. VI. Conc. *p.* 1478.

XIV. Stuprum propriè virginum est illicita defloratio. *Ibid.* Gratianus.

XV. Incesti tales dicti sunt, si filius cum matre &c. Cap. 11. Tom. VI. Conc. *p.* 1480.

XVI. Adulterium est alieni thori violatio; undè adulterium dicitur quasi ad alterius torum accessio. *Ibid.* Gratianus.

XVII. In filiabus vestris fornicabuntur, & filiæ vestræ adulteræ erunt. Osea. IV. Notandum est quod in filiabus dicit fornicationem, & in conjugibus adulteria. Caus. XXVII. Quæst. II. *Cap.* 37.

XVIII. Incestus est consanguinearum vel affinium abusus; undè incestuosi dicuntur qui consanguineis & affinibus abutuntur. Gratianus. *Ibid.* Caus. XXXVI. Quæst. I. *Cap.* 2. §. 4.

XIX. Raptus illicitus coitus à corrumpendo est dictus; undè qui raptu potitur, stupro fruitur. Caus. XXXVI. Quæst. I. Cap. 1. *Raptus.*

SECTIO II.

Adulterium esse præcipuè à Deo vetitum; variis in casibus committi.

I. Non mæchaberis, id est, ne quisquam præter matrimonii sui fœdera, aliis fœminis misceatur ad explendam libidinem; nam specialiter adulterium facit, qui præter suam, ad alteram accedit. Caus. XXXII. Quæst. V. *Cap.* 15. *Non mæchaberis. init.*

II. Adulterium, Divinis Humanisque Legibus damnatum, per quod Sanctum matrimonii fœdus Deo authore junctum sacrilegè violatur, cùm tamen illud oporteat caste & Religiosè custodiri, dicente Apostolo; *Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus;* ac conjuges mutuâ se debeant charitate diligere, eodem Apostolo monente: *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro eâ:* & iterùm: *Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet in Domino: Viri diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas* Bulla 46. Gregor. XIII. *Ad compescendam. post init.* ann. 1586. Bullarii *p.* 559.

III. Cognoscimus veluti Præsulem custodemque conjugii esse Deum, qui non patiatur alienum torum pollui; & si quis fecerit, eum peccare in Deum, cujus legem violet & gratiam solvat, & ideò quia in Deum peccat, Sacramenti Cælestis amittit consortium. Caus. XXXII. Quæst. IV. *Cap.* 4. *Nemo. fin.* Nullo modo dubitandum est ad offensionem Christi pertinere, cùm membrum ejus fidem non servat marito. Caus. XXVII. Quæst. I. *Cap.* 41. *Nuptiarum. §. ult.*

IV. In aliena uxore omnis amor turpis est. Caus. XXXII. Quæst. V. *Cap.* 5. *Origo. §. Nihil.* Nec hoc solùm est adulterium cum alienâ peccare conjuge, sed omne quod non habet potestatem conjugii. Caus. XXXII. Quæst. IV. *Cap.* 4. *Nemo. §. 2. Tolerabilior.* Sic non sunt facienda adulteria, etiam voluntate generandi regenerandos; quemadmodum nec furta fa-

cienda sunt, etiam voluntate pascendi pauperes Sanctos. CAUS. XXXII. QUÆST. IV. *Cap.* 10. *Sic non. init.*

V. Fornicari vobis non licet; sufficiant vobis uxores, & si non habetis uxores, tamen non licet vobis habere concubinas. DIST. XXXIV. *Cap. 6. Audite. fin.* S. AUGUST. *Serm.* 263. aliàs *Homil.* 49.

VI. Puto Christianum neminem reluctari illum esse adulterum, qui languente vel diù absente, vel continenter vivere cupiente sua uxore, alteri commistus est fœminæ. CAUS. XXXII. QUÆST. V. *Cap.* 16. *Puto.*

VII. Reatum adulterii committit uxor quæ à viro incognita alii commiscetur. *De eo qui cognovit.* Cap. *Discretionem.* LIB. IV. DECR. *Tit.* 53. Cap. 6. Colligitur.

VIII. Viro suo vivo, quæ alteri nubit adultera est, sicut ipse Dominus definit in Evangelio. CAUS. XXVII. QUÆST. I. *Cap.* 41. *§.* 2.

IX. Si virgo nesciens viro nupserit alieno: hoc si semper nesciat, nunquam ex hoc erit adultera; si autem sciat, jam ex hoc esse incipiet, ex quo cum alieno viro sciens cubaverit. CAUS. XXXIV. QUÆST. I. & II. *Cap.* 5. *Si virgo. initio.*

X. Adulterium committitur cùm vel propriæ libidinis instinctu, vel alienæ consensu, cum altero vel altera, contra pactum conjugale, concumbitur, atque ita frangitur fides. CAUS. XXXII. QUÆST. V. *post Cap.* 54. S. AUGUST. LIB. *De bono conjugali.* Cap. 4. *n.* 4. circ. ann. 401. Non mæchaberis, id est, non ibis ad aliquam aliam præter uxorem tuam. CAUS. XXXII. QUÆST. VI. *Cap.* 5.

XI. Non qui dimittit conjugem suam, mæchatur, sed qui alteram ducit. CAUS. XXVII. QUÆST. II. Cap. 2. *Matrimonium fin.* Mulier viro vivente vocatur adultera, si juncta fuerit alii viro. CAUS. XXVII. QUÆST. II. Cap. 53. *Additur.*

XII. Omne stuprum adulterium est, nec viro licet quod mulieri non licet; eadem à viro quæ ab uxore debetur castimonia; quidquid in eâ quæ non sit legitima uxor, commissum fuerit, adulterii crimine damnatur. CAUS. XXXII. QUÆST. IV. *Cap.* 4. *Nemo. init.*

SECTIO III.

Comparantur peccata luxuriæ, tùm cum aliis peccatis, tùm inter se, quantùm ad gravitatem.

I. Inter cætera septem vitia, vitium fornicationis maximum scelus est, quia per carnis immunditiam Templum Dei violat, & tollens membrum CHRISTI facit membrum meretricis. CAUS. XXXII. QUÆST. VII. Cap. 15. *Non solùm. §. Inter. init.*

II. Qui post fidem CHRISTI fornicatur, violat Templum Dei. CAUS. XXXII. QUÆST. V. Cap. 12. *In eo. med.* Gravius crimen est ubi celebrati conjugii jura temerantur, & uxoris pudor solvitur. CAUS. XXXII. QUÆST. IV. Cap. 4. *Nemo. §.* 2. *Tolerabilior.*

III. Adulterii malum vincit fornicationem, vincitur autem ab incestu, pejus est enim cum matre quàm cum aliena uxore concumbere. CAUS. XXXII. QUÆST. VII. Cap. 11. *Adulterii. init.*

IV. Omnium est pessimum quod contra naturam fit; ut si vir membro mulieris non ad hoc concesso voluerit uti. *Ibid.* CAUS. XXXII. QUÆST. VII. Cap. 11. *Adulterii. post init.* S. AUG. *De bono conjugali.* Cap. 11.

V. Usus contrà naturam semper illicitus, & procul dubio adulterio flagitiosior atque turpior, quem S. Apostolus, in fœminis & in masculis arguebat, damnabiliores volens intelligi, quàm si in usu naturali vel adulterando, vel fornicando peccarent. CAUS. XXXII. QUÆST. VII. Cap. 14. *Usus. post init.*

VI. Flagitia quæ sunt contra naturam, ubique & semper detestanda atque punienda sunt; qualia Sodomitarum fuerunt; non sic fecit Deus hominem, ut se illo uterentur modo. CAUS. XXXII. QUÆST. VII. Cap. 13. *Flagitia. init.*

VII. Violatur ipsa societas, quæ cum Deo nobis esse debet; cùm eadem natura cujus ipse author est, libidinis perversitate polluitur. *Ibid. fin.*

VIII. Usus iste qui est contra naturam, execrabiliter fit in meretrice, sed execrabilius in uxore. CAUS. XXXII. QUÆST. VII. Cap. 11. *Adulterii. post init.*

IX. Magnum quidem est peccatum ancillam quæ clandestinis matrimoniis se dedit, stupri domum implere, Dominumque suum per malam vitam injuriâ afficere; sed multò est gravius sponsam fieri adulteram, & unione cum sponso ignominia & dedecore affectâ se incontinentibus voluptatibus tradere. S. BASIL. *Epist. Canonicâ.* 2. *Can.* 58. TOM. II. CONC. *App. p.* 1734.

Concil. LONDON. *ann.* 1102. *Can.* 28. TOM. X. CONC. *p.* 730 In quo deponit Clericos crimine pessimo convictos, Laicos verò privat dignitate conditionis suæ in Anglia, & absolutionem hujus criminis Episcopo reservat.

SECTIO IV.

Quale peccatum sit concubinatus; & quæ pœnæ sint in concubinarios decretæ?

I. Monet Ecclesia omnes Laicos, tàm uxoratos quàm solutos, ut à concubinatu abstineant; nimis enim reprehensibilis est, qui uxorem habet & ad aliam uxorem accedit. CONCORDATORUM *Tit.* 8. *§. ult.*

II. Grave peccatum est homines solutos concubinas habere; gravium verò & in Sacramento matrimonii singularem contemptum admissum, uxoratos quoque in hoc statu damnationis vivere, ac audere eas quandòque domi etiam cum uxoribus alere & retinere. *Concilium* TRIDENT. SESS. XXIV. *De Ref. matrim.* Cap. 8. *init.*

III. Concubinæ ad tempus adhibitæ, nec, etiamsi causâ filiorum concumbant, justum faciunt concubinatum suum. CAUS. XXXII. QUÆST. I. *Cap.* 5. *Concubinæ.*

IV. Statuit Synodus Tridentina hujusmodi concubinarios, tàm solutos, quàm uxoratos, cujuscumque status, dignitatis & conditionis existant, si postquàm ab Ordinario, etiam ex officio, ter admoniti eâ de re fuerint, concubinas non ejecerint, seque ab earum consuetudine non sejunxerint, Excommunicatione feriendos esse, à quâ non absolvantur, donec reipsâ admonitioni factæ paruerint. *Concil.* TRID. SESS. XXIV. *De Refor. matr.* Cap. 8. Quod si in concubinatu per annum, Censuris neglectis, permanserint, contra eos ab Ordinario severè, pro qualitate criminis, procedatur. *Ibid.*

V. Mulieres, sive conjugatæ, sive solutæ, quæ cùm adulteris seu concubinariis publicè vivunt, si ter admonitæ non paruerint; ab Ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex officio graviter pro modo culpæ puniantur, & extrà Oppidum vel Diœcesim, si id eisdem Ordinariis videbitur, invocato, si opus fuerit, Brachio Sæculari, ejiciantur, aliis pœnis contrà adulteros & concubinarios inflictis in suo robore permansuris. *Ibid. Concil.* TRID. *fin.*

SECTIO V.

Gravis peccati reos esse, qui licet corpore non abutantur, mente tamen illicitè concupiscunt.

I. Non solùm de commissâ fornicatione peccatum regnat in homine; sed si adhuc delectemur, atque animum teneat, procul dubio regnat. CAUS. XXXII. QUÆST. VII. *Cap.* 15. *Non solùm. init.* Vide. DIST. XLIX. *Cap.* 1. *Hinc. §. Ponderosus.*

Est & spiritualis fornicatio, de quâ Dominus ait: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo.* Ibid.

II. Nec solo tactu, sed affectu quoque & aspectu, appetitur & appetit fœmina. CAUS. XXXII. QUÆST. V. *Cap.* 12. *Nec solo.*

III. Impudicus oculus impudici cordis est nuntius, & cùm se invicem sibi, etiam tacente linguâ, conspectu mutuo, corda nuntiant impudica, & secundùm concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit

fugit castitas ipsa de moribus. Caus. XXXII. Quæst. V. *Cap.* 12. *Nec solo.*

IV. Perit & mente virginitas; istæ sunt virgines malæ, virgines carne, non spiritu. Caus. XXXII. Quæst. V. *Cap.* 11. *Si Paulus.* §. 2.

V. Multi corpore quidem castitati student; adulterium autem voluntate committunt; nisi enim ex voluntate sola fornicatio consummaretur, nunquam Dominus diceret; *Qui viderit mulierem &c.* Caus. XXXII. Quæst. V. *Cap.* 10. *Sicut. post init.*

VI. Apertè veritas ostendit quia etiam solo visu cum turpiter vel innupta concupiscitur, adulterium perpetratur. Caus. XXXII. Quæst. V. *Cap.* 13. *Qui viderit. post initium.*

VII. Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo fit id eum cupere, etsi potestas detur facturum esse; non minùs reus est quàm si in ipso facto deprehenderetur. Caus. XXXIII. Quæst. III. Dist. I. *Cap.* 30. *Si cui. init.*

VIII. Dùm in cogitatione voluptas non reprimitur, etiam in actione damnatur. Dist. XLIX. *Cap.* 1. §. 8. Gregor. *in Pastorali.* Cap. 11. *ann.* 590.

IX. Humanum est tentationem in corde perpeti; Dæmoniacum verò est in tentationis certamine in operatione superari. *Ibid.*

X. Omne stuprum adulterium est, nec viro licet quod mulieri non licet; eadem à viro quæ ab uxore, debetur castimonia; quidquid in ea quæ non sit legitima uxor, commissum fuerit, adulterii crimine damnatur. Caus. XXXII. Quæst. IV. *Cap.* 4. *Nemo. init.*

XI. Nec hoc solum est adulterium, cum aliena conjuge peccare, sed omne quod non habet potestatem conjugii. *Ibid.* §. 2. *Tolerabilior.*

XII. Gravius crimen est ubi celebrati conjugii jura temerantur & uxoris pudor solvitur. *Ibid.*

XIII. Cognoscimus veluti Præsulem Custodemque conjugii esse Deum, qui non patiatur alienum torum pollui, & si quis fecerit, eum peccare in Deum, cujus Legem violet & gratiam solvat; & ideò quia in Deum peccat, Sacramenti Cœlestis amittit consortium. *Ibid. fin.*

XIV. In aliena uxore omnis amor turpis est. Caus. XXXII. Quæst. IV. *Cap.* 5. *Origo.* §. *Nihil.*

SECTIO VI.

Non peccare eos qui inviti & violenter amittunt castitatem.

I. Cùm pudicitia virtus sit animi, comitemque habeat fortitudinem, quâ possumus quælibet mala tolerare, potiùs quàm malo consentire decernat; nullus autem magnanimus & pudicus in potestate habeat quid de suâ carne fiat, sed tamen quid annuat mente, vel renuat; quamvis tandem sanâ mente putaverit se perdere pudicitiam, si fortè in apprehensâ & oppressâ carne suâ, exerceatur & expleatur libido non sua. Caus. XXXII. Quæst. V. *Cap.* 3. *Ita.*

II. Proposito animi permanente, per quod etiam corpus sanctificari meruit; nec ipsi corpori aufert sanctitatem violentia libidinis alienæ, quam servat perseverantia continentiæ suæ. *Ibid.* Cap. 4. *Proposito. init.*

III. Non amittitur corporis sanctitas, manente animi sanctitate, etiam corpore oppresso. *Ibid. fin.*

Habetis magnam veramque consolationem, si fidam conscientiam retinetis, non consensisse peccatis eorum qui in vos peccare permissi sunt. *Ibid.* Cap. 5. *Non fidelibus. fin.*

IV. De pudicitia quis dubitaverit quin ea in animo sit constituta, quandòquidem virtus est? Undè à violento stuprante eripi nec ipsa potest. *Ibid.* Caus. XXXII. Quæst. V. *Cap.* 6. *De Pudicitia. init.*

V. Quicquid in carne nec commisit, nec permisit libido patientis, solius erit culpa facientis; omnisque illa violentia, non pro corruptionis turpitudine, sed pro passionis vulnere deputabitur. *Ibid.* Caus. XXXII. Quæst. V. *Cap.* 7. *Ad Deum.*

VI. Tantùm in mente valet integritas castitatis, ut illâ inviolatâ, nec in corpore possit pudicitia violari, cujus membra potuerint superari. *Ibid. fin.*

VII. Violentiâ non violatur pudicitia, si mente servatur; quoniam nec in carne violatur, quandò voluntas patientis suâ turpiter carne non utitur; sed sine consensione tolerat, quod alius operatur. Caus. XXXII. Quæst. V. *Cap.* 9. *Magis. med.*

VIII. Non potest corpus corrumpi, nisi priùs anima fuerit corrupta; munda à contagione anima, caro non peccat. Caus. XXXII. Quæst. V. *Cap.* 8. *Non potest.*

IX. Stupra quæ per vim inferuntur, non sint accusationi obnoxia; quare etsi ancillæ vis allata fuerit à proprio Domino, ea à culpâ est libera. S. Basil. *in Epist.* 2. *Canonicâ. Can.* 49. Tom. II. Conc. *App. p.* 1746.

TITULUS V.

De Homicidio, variis ejus speciebus, & de injuria quæ fit per quamlibet illarum.

SECTIO I.

Homicidii crimine tenentur qui quemcumque hominem privatâ potestate, vel seipsos occidunt.

I. Qui gladio usus fuerit, gladio cadet. Ille gladium accipit qui nulla superiori ac legitima potestate, vel jubente vel concedente in sanguinem alicujus armatur. Caus. XXIII. Quæst. IV. *Cap.* 36. *Ille.* Vide S. Basilii *Epist.* 1. *Canon. Can.* 8. Tom. II. Conc. *Append. p.* 1721. S. Aug. Lib. XXII. *contrà* Faustum *Cap.* 70. *fin.* circ. ann. 400.

II. Non licet privatâ potestate alicui hominem occidere, vel nocentem cujus occidendi licentiam Lex nulla concedit. Caus. XXIII. Quæst. V. *Cap.* 9. *Si non licet. init.* S. August. Lib. I. *De Civit. Dei.* Cap. 17.

III. His exceptis quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur. *Ibid.* Caus. XXIII. Quæst. V. *Cap.* 9. *Si non licet.* §. 4. *fin. Ibid.* Cap. 21. *fin.*

IV. Etiam qui seipsum occidit homicida est; & tantò fit nocentior, cùm se occiderit, quantò innocentior in eâ causâ fuit quâ se occidendum putavit. *Ibid.* Caus. XXIII. Quæst. V. *Cap.* 9. *Si non licet. init.* August. Lib. I. *De Civitate.* Cap. 17. *Concil.* Bracar. II. *ann.* 563. *Cap.* 16. Tom. V. Conc *p.* 841. *Conc.* Antissiodor. *an.* 578. *Can.* 17. Tom. V. Conc. *p.* 959. *Ibid.*

V. Licet propter suum scelus, alio tamen scelere suo occiditur. *Ibid.*

VI. Cur homo qui mali nihil fecit, sibi malè faciat; & seipsum interficiendo, hominem interficiat innocentem, ne alium patiatur nocentem, atque in se perpetret peccatum proprium, ne in eo perpetretur alienum. *Ibid.* Caus. XXIII. Quæst. V. *Cap.* 9. *Si non licet.* §. 1. *Concil.* Tricassinum II. *ann.* 878. *Cap.* 3. Tom. IX. Conc. *p.* 310.

VII. Non frustrà in Sanctis Canonicisque libris nusquam nobis Divinitùs præceptum permissumve reperiri potest, ut vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, vel ullius curandi, cavendique mali causâ, nobismet ipsis necem inferamus; nam & prohibitos nos esse intelligendum est, ubi Lex ait, non occides. *Ibid.* §. 2. L. n. I. *De Civit.* Cap. 20.

VIII. Intelligendum est non licere homini seipsum occidere, in eo quod scriptum est, non occides, nihil

hil deindè addito. Nullus, nec ipse utique cui præcipitur, intelligitur exceptus: non occides, non alterum, ergo nec te; neque enim qui se occidit, alium quàm hominem occidit. *Ibid. §. 3.*

IX. Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, veluti fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas; neminem propter aliena peccata, ne hoc ipso incipiat habere gravissimum proptium, quem non polluebat alienum; neminem propter sua peccata præterita, propter quæ magis hac vita opus est, ut possint pœnitendo sanari; neminem velut desiderio vitæ melioris quæ post mortem speratur, quia reos suæ mortis melior post mortem vita non suscipit. *Ibid. fin.*

X. Præcepta patientiæ semper in cordis præparatione sunt retinenda, ipsaque benevolentia ne reddatur malum pro malo, semper in voluntate complenda. CAUS. XXIII. QUÆST. I. *Cap. 2. Paratus. §. 2. Nec Paulus. fin.*

SECTIO II.

Homicidium facto, præcepto, auxilio, consilio, committitur.

I. Homicidium tàm facto, quàm præcepto, sive consilio aut defensione, non est dubium perpetrari. *De Clericis pugnantib. in duello.* Cap. *Henricus.* §. 1. *fin.* LIB. V. DECR. *Tit.* 14. Cap. 1. Quatuor modis committitur homicidium, facto, præcepto, consilio, & defensione. *Glossa.*

Aliquis homicidii, aut facto, aut præcepto, aut consilio, aut defensione conscius est. DIST. L. *Cap.* 8. *Si quis viduam. Ex Concilio* MARTINI *Papæ. Cap.* 26. circ. ann. 572.

II. Qui sine aliqua publica administratione maleficum, furem, sacrilegum, & adulterum, perjurum vel quemlibet criminosum interfecerit, aut truncaverit, vel membris debilitaverit, velut homicida judicabitur; & tantò acriùs, quantò non sibi à Deo concessam potestatem abusivè usurpare non timuit. CAUS. XXIII. QUÆST. VIII. *Cap.* 33. *Quicumque. post init.*

Citatur ex S. AUG. *in* LIB. *De Civit. Dei* Non indicatur quotus liber sit. ALEXANDER III. Epistolâ 22. *Append.* 1. TOM. X. CONC. *p.* 1264. citat AUGUSTINUM.

Non est grandis differentia an lethum inferas, an admittas mortem enim languentibus probatur inferre, qui hanc cùm possit non excludit. DIST. LXXXIII. *init. ex Libello* ENNODII. malè ex *Symmacho.*

III. Si quatuor aut quinque homines, seu etiam plures contra unum hominem rixati fuerint, & ab his vulneratus mortuus fuerit; quicunque eorum plagam ei imposuit, secundùm Statuta Canonum ut homicida judicetur. CAUS. XXIII. QUÆST VIII. *Cap.* 34. *fin. Si quatuor. init. Ex Concilio apud* VARMERIAS anno 752.

Qui mortis ictum dedit proximo est homicida, sive prior percussit sive se defendit. S. BASIL. *Epist.* 2. *Canonicâ Can.* 43. TOM. II. CONC. *App. p.* 1745.

IV. Perniciosè se decipiunt qui existimant eos tantùm homicidas esse qui manibus hominem occidunt, & non potiùs eos per quorum consilium, fraudem, & exhortationem homines extinguntur. CAUS. XXXIII. QUÆST. III. *De pœnit.* DIST I. *Cap.* 23. *Perniciosè. init.*

Ex variis locis S. AUG. fortè ex dictis *Ferrandi Diaconi.* PETH.

V. Constat ex homicidii reatu immunes non esse qui occisoribus opem contra alios præstare venerunt. *De homicidio.* Cap. *Sicut dignum.* §. 3. *med.* LIB. V. DECR. *Tit.* 12. Cap. 6.

VI. Qui potuit hominem liberare à morte, & non liberavit, eum occidit. *Ibid.*

VII. Quibus & quot modis committatur homicidium; duobus modis perpetratur, scilicet voluntate & actu. *De homicidio.* Cap. *Dilectus. fin. Glossa* colligit. LIB. V. DECR. *Tit.* 12. Cap. 12.

SECTIO III.

Quæ pœnitentia sit ab Ecclesiâ imponenda pro variis illorum criminum gradibus?

I. Illi qui animo occidendi, feriendi, aut capiendi illum qui occisus est citra manuum injectionem se fatentur venisse; si de illâ captione mors ejus secuta fuisset, pari pœnitentiâ vel ferè pari existerent puniendi. *De homicidio.* Cap. *Sicut dignum.* §. 2. LIB. V. DECR. *Tit.* 12. Cap. 6.

Socians homicidam animo occidendi, licet non apponat manum, si tamen ex suâ causâ mors secuta est, tenetur ferè pari pœnâ cum homicida. *Summa.*

II. Illi etiam qui non ut ferirent, sed ut percussoribus opem ferrent, si fortè per aliorum violentiam impedirentur, paulò minori debant pœnâ mulctari. *Ibid. §. 3. init.* Qui sociat homicidam tantùm animo prohibendi ne impediatur, tenetur paulò minori pœnâ. *Rubrica.*

III. Qui se asserunt animum Regis inflammasse ad odium, undè homicidium fuit secutum, durè & asperè, sed non ita severè sunt puniendi; nisi fortè Regem ipsum ad illud homicidium suis suggestionibus provocassent. *Ibid §. 4.* Incitans alium ad homicidium, mitiùs punitur quàm homicida; secùs, si incitavit ad certum homicidium; nam eo secuto tenetur ut homicida. *Summa.*

IV. Hi quoque non sunt à culpâ liberi, nec à pœnâ debent esse immunes, qui licet fuerint machinationis ignari, tamen eis quos sicarios esse sciebant, in sarcinis custodiendis ministerium præbuerunt. *Ibid. §. 5.*

Custodientes sarcinas occidentium scientes eos esse sicarios, non sunt immunes à pœna homicidii. *Summa.*

V. Eos qui dicuntur post mortem occisi ejus spolia occupasse; si nihil aliud in tanto facinore commiserunt, à pœnâ mortis ejus arbitramur esse immunes. *Ib. §. 6.* Occupans bona occisi non per hoc tenetur de homicidio. *Summa.*

VI. Si plures contra unum hominem rixati fuerint, & ab his vulneratus mortuus fuerit, qui eum impugnabant volentes eum interficere, similiter pœniteant. CAUS. XXIII. QUÆST. VIII. *Cap.* 34. *fin. Si quatuor. med. Ex Concilio apud Vermerias,* anno 752.

VII. Qui nec eum impugnabant, nec vulnerabant, nec consilio, nec auxilio cooperatores fuerunt, sed tantùm adfuerunt, extrà noxam sint. *Ibid. fin.*

SECTIO IV.

Etiam homicidas esse qui abortum seu sterilitatem procurant; quantò magis qui infantes occidunt? Quid de Parentibus qui illas secum collocant, & mortui reperiuntur?

I. Est libidinosa crudelitas, vel libido crudelis ut etiam sterilitatis venena quis procuret, & si nihil valuerit, conceptos fœtus aliquo modo intrà viscera extinguat ac fundat, volendo suam prolem priùs interire, quàm vivere; aut si in utero jam vivebat, occidi antequàm nasci CAUS. XXXII. QUÆST. II. *Cap.* 7. *Aliquando.* S. AUG. LIB. *De Nuptiis & concupiscentia.* Cap. 15. circa ann. 419.

II. Si aliquis causâ explendæ libidinis, vel odii meditatione, homini aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare, aut concipere, aut nasci soboles, ut homicida teneatur. *De homicidio.* Cap. *Si aliquis.* LIB. V. DECR. *Tit.* 12, Cap. 5. *Concil.*

Concil. Vormat. ann. 868. *Can.* 35. Tom. VIII. Concil. *p.* 952. *Conc.* Tribur. ann. 895. *Can.* 37. Tom. IX. Conc. *p.* 459.

III. Ille qui conceptum in utero per abortum deleverit, homicida est. Caus. II. Quæst. V. Cap. 20. *Consuluisti. fin.* Stephanus V. Humbarto *Episcopo Moguntino.* circ. an. 888.

IV. Quantò magis qui unius saltem dici puerulum peremerit, homicidam se esse excusare nequibit. *Ibid. fin.*

V. Non formatum puerperium noluit Lex ad homicidium pertinere, nec hominem deputavit quod tale in utero geritur. Caus. XXXII. Quæst. II. *Cap. Quod verò.* init. Id restringendum ad pœnam, quæ ut res odiosa, restringenda est ad id quod propriè homicidium, nempè separatio animæ à corpore, quæ non fit quandò fætus non est animatus, sed quoad culpam imputari debet, ut homicidium, quia festinatio homicidii est impedire nasci. Tertul. S. August. *Quæst. in Exodum. Quæst.* 80. circ. an. 419.

VI. Si illud informe puerperium jam quidem fuerit, sed adhuc quodammodò informiter animatum, Lex noluit ad homicidium pertinere; quia nondùm dici potest anima viva in eo corpore quod sensu caret. *Ibid.* §. 1.

Non est homicida qui abortum procurat, antequàm anima corpori sit infusa. *Summa.*

VII. De infantibus qui mortui reperiuntur cum Patre & Matre, & non apparet utrùm à patre vel à matre oppressus sit ipse vel suffocatus, vel propriâ morte defunctus; non debent indè securi esse Parentes, nec etiam sine pœnitentiâ: sed tamen consideratio debet esse pietatis, ubi non voluntas, sed eventus mortis causa fuerit. *De his qui filios occiderunt.* Cap. *De infantib.* Lib. V. Decr. *Tit.* 10. Cap. 3. *Vid.* Gonsal. præcipuè circà secundam partem ejus Textùs, in quâ agitur de casu ubi constat Parentes interfectores esse, & Papa probat veterem Disciplinam in hoc scelus.

VIII. Si eos non later ipsos interfectores esse, scire debent se graviter deliquisse. *Ibid. fin.*

IX. Hi qui confitentur talis reatus se noxios, Sacerdotalis eos castiget moderatio. Caus. II. Quæst. V. Cap. 20. *Consuluisti. fin.* Stephanus. V ann. circ. 888. Humberto *Episcopo Moguntino*, loquens de hujusmodi infanticidio à Parentibus commisso.

X. Monendi sunt & protestandi Parentes, ne tàm tenellos infantes secum in lecto collocent, ne negligentiâ qualibet proveniente, suffocentur, vel opprimantur; undè ipsi homicidii Rei inveniantur. Caus. II. Quæst. V. Cap. 2. *Consuluisti. post init.*

XI. Si Parentibus procurantibus, vel studiosè negligentibus, filii in lectis reperiuntur oppressi; eis gravis pœnitentia debet imponi. *De Pœnit.* Cap. *Quæsitum.* Lib. V. Decr. *Tit.* 38. Cap. 7. Procurare mortem & studiosè negligere parificantur. *Glossa.* Si ex incuriâ ipsorum mortui inveniantur in cunis, & illud fuerit occultum; eis pœnitentia, pro arbitrio Pœnitentiarii, imponatur. *Ibid.* §. 1. Agebatur de Presbytero Græco, qui pœnitentiæ subjicitur, si culpa publica fuerit; paulò post medium sæculi XII.

SECTIO V.

Voluntate homicidas esse qui vel animo occidendi cædis jussa exequuntur, vel fraudulenter aliis nocent.

I. Cùm Minister Judicis occidit eum quem Judex jussit occidi, profectò si id spontè facit, homicida est; etiamsi eum occidat quem scit à Judice debuisse occidi. Caus. XXIII. Quæst. V. *Cap.* 14. *Cùm Minister.* S. Augustin. *Quæst. in Exodum, Quæst.* 39. circ. ann. 419.

Homicida est qui spontè occidit quos Judex jubet occidi. *Rubr.* S. Aug. Lib. I. *De Civit Dei.* Cap. 26. Vide S. Basil. *in Epist.* 1. *Canon. Canone* 8°. De homicidio voluntario & involuntario. Tom. II. Conc. *p.* 1723.

II. Miles cùm obediens potestati sub quâ legitimè constitutus est, hominem occidit, si suâ sponte atque autoritate fecerit, in crimen effecti humani sanguinis incidit. Caus. XXIII. Quæst. V. *Cap.* 13. *Miles.* Itaque undè punitur si fecerit injussus, indè punitur, nisi fecerit jussus. *Ibid.*

III. Noxius est qui mittit lanceas & sagittas in mortem. *De præsumptionib.* Cap. *Sicut.* Lib. II. Decr. *Tit.* 23. Cap. 5.

Nocens est is qui manifestè nititur nocere, licet fortè non fuerit secutus effectus. *Glossa.* Id est, ut mortem inferat, licet res non habuerit effectum, ex quo processit ad actum. *Glossa*, verbo, *In mortem.* Hoc in casu voluntas manifestata pro facto reputatur.

IV. Omnis iniquitas, & oppressio, & injustitia, judicium sanguinis est, & licet gladio non occidat, voluntate tamen interficit. Caus. XXXIII. Quæst. III. *De Pœnit.* Distinct. I. Cap. 25. *Omnis.* De gravi vexatione sermo fit, quæ tristitiâ quam creat, aliove modo, mortem inferre potest. S. Hier. *In Esaiæ* Cap. 33. ann. 406.

V. Homicidium Lege vetitum putabatur non aliud esse, nisi corporis interemptio; aperuit ergo Dominum omnem iniquum motum ad nocendum fratri in homicidii genere deputari. *Ibid.* Caus. XXXIII. Quæst. III. *De Pœnit.* Dist. I. *Cap.* 28. *Homicidium.* S. Aug. Lib. I. *Contrà* Faustum *Cap.* 23.

SECTIO VI.

Ut indicetur utrùm homicidium sit peccatum, videndum quâ de causâ fiat. Illud quod casu fit, non esse peccatum, nisi potuerit & debuerit prævideri.

I. Cùm homo ab homine occiditur, multùm distat utrùm fiat nocendi cupiditate, vel injustè aliquod auferendi, sicut fit ab inimico, sicut à latrone; an ulciscendi, vel obediendi ordine, sicut à Judice, sicut à Carnifice; an evadendi vel subveniendi necessitate, sicut interimitur latro à viatore, hostis à milite. Caus. XXIII. Quæst. V. *Cap.* 19. *Cùm homo. init.* S. August. *In Epistolâ* aliàs 54. *Ad* Macedon. nunc 153. circ. an. 414.

II. Si homicidium est hominem occidere, potest tamen occidere aliquando sine peccato; nam & miles hostem, & Judex vel Minister ejus nocentem; non mihi videntur peccare cùm hominem occidunt. Caus. XXIII. Quæst. V. *Cap.* 41. *Si homicidium.* S. August. Lib. I. *De lib. arb.* Cap. 4.

III. Si per furorem aliquis innocentem peremerit, obnoxius morti non est. Caus. XV. Quæst. I. Cap. 6. *Illa. med.* Excipiendus furor in causa noxius sive culpabilis, qualis qui accidere potest ex ebrietate voluntariâ, vel ex irâ injustâ, vel justâ si modum excesserit. S. Ambr. Lib. I. *Hexameron.* Cap. 8. n. 31. *fin.* ann. circ. 389.

IV. Etiam ipsius Divinæ Legis Oraculo, si quis per imprudentiam intulerit necem, accipit impunitatis spem, ut possit evadere. *Ibid.* Imprudentia eximit à pœnâ homicidii, non à culpa, etsi illam minuere possit.

Non reus est mortis alienæ qui cùm suæ possessioni ex lapidibus murum circumduxerit, aliquis ex ipsorum usu percussus intereat. Caus. XXIII. Quæst. V. Cap. 8. *De occidendis.* S. August. *ad* Publicolam *Epist.* 144. ann. 398.

V. Neque reus est Christianus, si bos ejus aliquem

quem feriendo, vel equus calcem jaciendo aliquem occidat. *Ibid.*

VI. Absit ut ea quæ propter bonum ac licitum facimus aut habemus, si quid per hæc, præter nostram voluntatem, cuiquam mali acciderit, nobis imputetur: alioqui, nec ferramenta domestica & agrestia sunt habenda, ne quis eis vel se, vel alterum interimat; nec arbor aut restis, ne quis se indè suspendat; nec fenestra facienda est, ne per hanc se quispiam præcipitet. *Ibid.*

VII. De muliere quæ casu inter caballos confracta est, & abortum fecit: ubi voluntas illius non agnoscitur perniciosa, non potest, nec debet addici per Leges. DISTINCT. L. *Cap.* 48. *Quantum.* §. 1. GELASIUS circ. an. 495. *Cod.* THUANÆUS-PELAGIO SINDULÆ *Magistro militum* PITH. Nulla occurrit ejus Inscriptionis inter Epistolas GALASII, nec inter Epistolas PELAGII I. & II.

VIII. Sæpè contingit, dùm quis operi necessario insistens arborem inciderit, ut aliquis subtùs ipsam veniens deprimatur. Et idcircò, si voluntate, vel negligentiâ incidentis arborem factum est, ut homicida, pœnitentiæ debet omninò submitti. Quod si non voto, non incuriâ illius, non denique scientiâ contigit, sed dum ille operi necessario fortassis incumbit, iste insperatus occurrens sub arbore improvisus devenit, & sub ipsâ oppressus est, incisor arboris non tenetur pro homicida. DIST. L. *Cap.* 50. *Sæpè.* *Ex Concilio* VORMATIENSI, *Cap.* 29. ann. 868. TOM. VIII. CONC. *p.* 951.

IX. Si duo fratres in sylvâ arbores succiderint, & appropinquante casurâ ipsius arboris, frater dixerit fratri, cave; & ille fugiens in pressuram arboris inciderit, & mortuus fuerit; vivens frater de sanguine germani dijudicetur. DIST. L. *Cap.* 51. *Si duo.* Intelligendus de eo qui citò non monuit, vel qui cùm posset alio modo à morte liberare, id neglexit. Qui legerit integrum Canonem id ita esse sentiet. *Correctores Romani* monere debuissent, non rectè à GRATIANO relatum. *Ex Concilio* TRIBURIENSI, *Cap.* 36. ann. 895.

SECTIO VII.

Vim vi repellendo hominem occidere non est peccatum, modò id fiat incontinenti læsionis & cum moderamine inculpatæ tutelæ.

I. Jus Naturale est, violentiæ per vim repulsio. DIST. I. Cap. 7. *Jus Naturale.* ISIDORUS LIB. IV. *Etimolog.* Cap. 4. circ. ann. 630.

II. Si vim sibi inferentem, vi quis repellat vel lædat; non debet propter hoc puniri, si in continenti vim vi repellat; cùm vim vi repellere omnes Leges omniaque Jura permittant. *De Sent. Excom.* Cap. *Si verò.* §. 1. LIB. V. DECR. *Tit.* 39. Cap. 3.

III. Quamvis vim vi repellere, omnes Leges & omnia Jura permittant; tamen id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ; non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam. *De homicidio.* Cap. *Significasti.* *il* 2. *§.* 4. LIB. V. DECR. *Tit.* 12. Cap. 18.

Vim vi repellere licet, sed cum moderamine inculpatæ tutelæ. *Glossa.*

Servatur moderamen, si illud tantùm fiat, quo omisso violentia repelli non posset; si, *v. g.* violentum interficis, sic quod periculum mortis ab eo vitare non poteris, eum sine pœna interficis. *Glossa,* verbo, *Moderamen.*

IV. Undè qui priùs, ab aliquo percussus, mox eum cum ligone in capite repercutit, non videtur à pœnâ homicidii penitùs excusari; tùm ratione instrumenti cum quo ipse percussit, quod eùm grave sit, non solet levem plagam inferre; tùm ratione partis in quâ fuit ille percussus, in quâ de modico ictu quis lethaliter solet lædi. *Ibid.* *De homic.* Cap. *Significasti.* *il* 2. *§.* 4. LIB. V. DECR. *Tit.* 12. Cap. 18.

V. Interfecisti furem aut latronem, ubi comprehendi poterat absque occisione; quia ad imaginem Dei creatus est, pœnitentiam agere debes. *De homicidio.* Cap. *Interfecisti.* LIB. V. DECR. *Tit.* 12. Cap. 2. *init.*

Qui occidit latronem, cùm potest se aliter liberare, peccat.

VI. Si autem sine odii meditatione, te tuaque liberando, hujusmodi Diaboli membra interfecisti; secundùm indulgentiam dico, propter imaginem Dei, si aliquid jejunare volueris, bonum est tibi. *Ibid* §. 1. Quamdiù aliquis se defendere, vel sibi consulere aliter potest, neminem, etiam se defendendo, occidere debet. *Glossa.* Si aliter liberare se non potest, non tenetur agere pœnitentiam, nisi ad cautelam.

Vim vi repellere licet; tamen quædam consideranda sunt in repulsione tali. 1°. Ut incontinenti fiat, & non ex intervallo. 2°. Ut causâ defensionis, & non ulciscendi. 3°. Cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut modum non excedat.

SECTIO VIII.

Autoritate publicâ, licet homines nocentes vel hostes in bello occidere.

I. Quicumque malos percutit, in eo quod mali sunt, habet causam interfectionis, minister Dei est. CAUS. XXIII. QUÆST. VIII. *Cap.* 33. *Quicumque.* *initio.* Idem habetur in *Cap.* 29. QUÆST. V. *Ejusdem* CAUS. Sed in hoc legitur *vasa interfectionis*, & in illo *causam interfectionis.* *n.* 29. Tribuitur S. HIERONIMO *super* EZECHIELEM & 33. S. AUGUST. *De Civitate Dei.* Vid. *Notam* CORRECT. ROM. Addendum, si adsit legitima autoritas. S. AUGUST. *In* LIB. *De Civitate Dei.*

Percussor qui non ex dispositione, sed præter voluntatem, fecerit homicidium, Divinæ minister est ultionis. CAUS. XV. QUÆST. I. *Cap* 11. *med.* *Nec is qui.* Adde, nec tamen insons est si imprudenter egerit. S. AMBR. LIB. II. *De Cain & Abel.* Cap. 4. n. 15. *fin.* circ. ann. 375.

II. Præcepto, non occides, quasdam exceptiones ipsa Divina fecit autoritas, ut liceat hominem necidi. CAUS. XXIII. QUÆST. V. *Cap.* 9. *Si non licet.* §. 4. S. AUG. LIB. I. *De Civit.*

III. Et ideò nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum est, non occides, qui Deo autore bella gesserunt; aut personam gerentes publicæ potestatis, secundùm ejus Leges, hoc est, justissimæ rationis imperium, sceleratos morte punierunt. *Ibid.*

Homines ministri sunt & ultores iræ Dei, in his qui malum operantur, undè non sine causâ gladium portant, sed etiam contrariæ fortitudines, quæ appellantur furor & ira Dei. CAUS. XXIII. QUÆST. V. Cap. 27. *Non solùm.* Cap. *Administratores.* *Ibid.* Cap. 26. quod excommunicat Potestates publicas, quas dicit positas ad defensionem personarum miserabilium, si petente Ecclesiâ, illarum injurias ulcisci neglexerint post debitas monitiones.

IV. Non ipse occidit, qui ministerium debet jubenti, sicut adminiculum gladius est utenti. *Ibid.*

V. Officia vindictæ possunt impleri bono animo, quomodò Lex, quomodò Judex. *Ibid.* CAUS XXIII. QUÆST. V. *Cap.* 16. *Officia.* S. AUG. *In Quæst.* *super Evangelia.* LIB. I. *Quæst.* 10.

VI. Non est iniquitatis, sed potiùs humanitatis societate devinctus, qui propterea est criminis persecutor, ut sit hominis liberator. *Ibid.* Cap. 17. *Non est.* S. AUG. *Epist.* al. 54. *Ad* MACEDONIUM nunc 153. circ. ann. 414.

VII. Ho-

VII. Homicidas & Sacrilegos & Venenarios punire, non est effusio sanguinis, sed Legum ministerium. CAUS. XXIII. QUÆST. V. *Cap.* 31. *Homicidas.* S. HIERON. *super* JEREMIAN. *Lib.* 4. *ad* Cap. 22.

VIII. Cùm homo justè occiditur, Lex eum occidit, non tu. CAUS. XXIII. QUÆST. V. *Cap.* 41. *Si Homicidium.* §. 1. S. AUG. *in Quæst.* LEVITICI. *Quæst.* 68.

IX. Quæsitum est super his qui post Baptismum administraverunt, & aut tormenta sola exercuerunt, aut etiam capitalem protulere Sententiam; oihil de his legimus à Majotibus definitum; meminerant enim à Deo potestates has fuisse concessas, & propter vindictam noxiorum gladium fuisse permissum, & Dei esse ministrum vindicem in hujusmodi datum. CAUS. XXIII. QUÆST. IV. *Cap.* 45. *Quæsitum est.*

Non frustrà sunt instituta potestas Regis, & Cognitoris Jus, ungulæ Carnificis, arma Militis, Disciplina dominautis, severitas boni Patris; habent omnia ista modos suos, causas, rationes, otilitates; hæc cùm timentur, & mali coercentur, & quietiùs inter bonos vivunt mali. *Ibid.* Cap. 18. *Non frustrà.* INNOCENT. I. *Epistola* 2. *ad* EXUPERIUM *ann.* 405. Idem *Ibid.* Cap. 5.

X. Miles cùm obediens potestati sub quâ legitimè constitutus est, hominem occidit; nullâ Civitatis suæ Lege reus est homicidii: imò oisi fecerit, reus est imperii deserti atque contempti. CAUS. XXIII. QUÆST. V. *Cap.* 13. *Miles.* S. AUG. LIB. I. *De Civit.* Cap. 26.

XI. De occidendis hominibus, ne ab eis quisquam oecidatur, nisi fortè sit miles, aut publicâ functione teneatur, ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis, vel pro Civitate, ubi etiam ipse est acceptâ legitimâ potestate, sicut ejus congruit personæ. CAUS. XXIII. QUÆST. V. *Cap.* 8. *De occidendis. init.* S. AUG. *Epist. an.* 154. *ad* PUBLICOLAM. Ex Officio non est peccatum hominem occidere. *Summa.*

SECTIO IX.

I. Immane peccatum est abortum procurare. II. Leges Sacra & Profana id prohibent sub severissimis pœnis. III. Sunt ut veri homicida puniendi.

I. De iis qui immaturns fœtus intrà materna viscera adhuc latentes crudelissimè necare non verentur, quis non detestetur tàm execrandum facinus, per quod nedum corporum, sed quod gravius est, etiam animarum certa jactura sequitur? Quis non gravissimis suppliciis damnet illius impietatem, qui animam Dei imagine insignitam, pro quâ redimendâ CHRISTUS Dominus noster pretiosum sanguinem fudit, æternæ capacem beatitudinis, & ad consortium Angelorum destinatam, à beatâ Dei visione exclusit; reparationem Cœlestium Sedium, quantùm in ipso fuit, impedivit; Deo servitium suæ creaturæ ademit, qui liberos priùs vitâ privavit, quàm illi à natura propriam lucem accepere, aut se materni custodiâ corporis eximere potuerint. *Bulla* 87. SIXTI V. *Effrænatam. post init.* ann. 1588. BULLARII TOM. II. *p.* 648. Hæc in Proæmio. Quæ in Corpore sunt, & dispositionem continent, referuntur etiam à LOTERIO *Lib.* 3. *De re benefic. Quæst.* 31. *n.* 51. S. BASIL. *Epist.* 1. *Canon. Can.* 2. TOM. II. CONC. *App. p.* 1719. Formati aut informis subtilitas à nobis non attenditur quoad culpam homicidii. Et *Can.* 8. *fin. p.* 1726. Ea quæ abortum scientia præbent medicamenta, sunt & ipsæ homicidæ, sicut & quæ venena fœtum necantia accipiunt. *Conc.* ILEROSNSE *ann.* 524. *Can.* 2. TOM. IV. CONC. *p.* 1611. præscribit Pœnitentiam septennem contrà fœtus conceptos interimentes. Eas quæ dant abortionem facientia medicamenta, & quæ fœtus necantia venena accipiunt, homicidæ pœnis subjicimus. *Concil.* QUINISEXTUM. *an.* 692. *Can.* 91. TOM. VI. CONC. *p.* 1181. desumptus hic *Canon* ex *Can.* 8. BASILIANO. ALEXAND. III. *Epistola* 22. *Append.* 1. TOM. X. CONC. *p.* 1163. suæ Sedi reservat casum fœtus interimentium.

II. Divinum donum est fœcunditas parientis, eodemque tempore diro hoc flagitio privantur liberis Parentes qui generaverant, vitâ filii qui generati suot, matres conjugii præmiis, terra quæ ab his coleretur, mundus qui ab eisdem cognosceretur, Ecclesia quæ devotæ numero plebis aucta gauderet. *Ead. Bulla.*

III. Quis non damnet gravissimis suppliciis illorum scelera, qui veneais, potionibus, ac maleficiis, mulieribus sterilitatem inducunt, aut ne concipiant, ne patiant, maleficis medicamentis impediunt? *Maleficos*, inquit Dominus ad Moysem, *non patieris vivere*; nimis enim impudenter contrà Dei voluntatem se opponunt, qui, ut S. HIERONYM. ait, dùm natura recipit semen, receptum confovet, confotum corporat, corporatum in membra dividit, dùm inter ventris angustias Dei manus semper operatur, idemque corporis Creator, & animæ est, impiè despicit bonitatem figuli, id est, Dei qui hominem plasmavit; fecit ut voluit; siquidem ut SANCTUS testatur AMBROSIUS, non mediocre munus est Dei dare liberos propagatores generis humani. *Ibid.*

IV. Non immeritò Sextâ Synodo CONSTANTINOP. sancitum est, ut Pœnitentiæ quæ dant abortionem facientia medicamenta, & quæ fœtus necantia venena accipiunt, homicidæ pœnis subjiciantur. *Ibid.*

V. Veteri *Concilio* ILERDENSI cautum est, ut qui conceptos ex adulterio fœtus necare studuerint, vel in ventribus matrum potionibus aliquibus collisefrint; si postcà pœnitentes ad Ecclesiæ mansuetudinem recurrant, omni tempore vitæ suæ fletibus humiliati insistant; si verò Clerici fuerint, officium ministrandi eis recuperare non liceat. *Ibid.*

VI. Omnes tàm Ecclesiasticæ, quàm Profanæ Leges gravibus pœnis afficiunt eos qui in utero matris puerperium interimi, aut ne mulieres concipiant, sive ut conceptos fœtus ejiciant, nefariè machinantur. *Ibid.*

VII. Omnes & quoscumque tàm viros quàm mulieres, cujuscumque statûs, gradus, ordinis, ac conditionis, etiam Clericos Sæculares, vel cujusvis Ordinis Regulares, quavis dignitate & præeminentiâ Ecclesiastica vel mundanâ fulgentes, qui per se, aut interpositas personas, abortus, seu fœtus immaturi, tàm animati, quàm inanimati vel informis ejectionem procuraverint percussionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus, laboribusque mulieri prægnanti impositis, ac aliis etiam incognitis, vel maximè exquisitis rationibus, ità ut reipsa abortus indè secutus fuerit, ac etiam prægnantes ipsas mulieres quæ scienter præmissa fecerint, pœnas tàm Divino quàm Humano Jure, ac tàm per Canonicas Sanctiones, & Apostolicas Constitutiones, quàm Civilia Jura, adversus veros homicidas, qui homicidium voluntarium actu & reipsa patraverint, propositas & inflictas eo ipso incurrere, statutum & ordinatum est. *Ibid.* §. 1.

VIII. Qui Clerici fuerint omni privilegio Clericali, Officiis, Dignitatibus, & Beneficiis Ecclesiasticis privantur, & in futurum inhabiles ad ea suscipienda decernuntur; adeò ut illi qui hoc delictum commiserint, non secùs atque ii qui suâ voluntate homicidium perpetraverint, juxtà *Concilii* TRIDENT. Decreta, etiamsi crimen id, nec Ordine Judiciario probatum, nec aliâ ratione publicum, sed occultum fuerit, ad Sacros Ordines promoveri, aut in susceptis Ordinibus ministrare nullo modo possint, nec illis aliqua Ecclesiastica Beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni Ordine ac Beneficio & Officio perpetuò careant. *Ibid.* §. 2.

IX.

IX. Illos qui Clerici non fuerint, & ralis perpetraverint, inhabiles ad Ordines & alia prædicta decretum est & declaratum. *Ibid.* §. 3.

X. Eisdem pœnis teneri omninò statutum, eos qni sterilitatis potiones, ac venena, potionibus propinaverint, & quominùs fœtum concipiant impedimentum præstiterint, ac ea facienda & exequenda curaverint, sive quocnmque modo in his consuluerint, ac mulieres ipsas, quæ eadem pocula spontè ac scienter sumpserint. *Ibid.* §. 5.

Relata Bulla sola sufficiens fuisset, quia profert nova simul cum veteribus, istaque in corpore pleraque propriis verbis laudat, Theoriam praximque continet, docetque quidquid scitu bac de re oecessarium, nempè fœtûs peremptionem esse gravissimum peccatum, & ita habitam omnibus ferè à Christo sæculis quæ de illâ loquendi ansam habuerunt; verè quoque homicidium, iisdem pœnis plectendum, ac vera homicidia, saltem quoad Ecclesiam spectat. Utilius tamen visum alios Canones adjungere, præsertim antiquiores, & nonnullos sæculi XII. ut clariùs pateret unam eâ de te Doctrinam semper fuisse, & subtilitates quibus usi sunt, inclinante sæculo XIV. &, posteà, qui aliter senseruot, jàm damnatas sæculo IV. extitisse.

FINIS TRACTATUS DE JUDICIIS.



INDEX

INDEX
TITULORUM, SECTIONUM,
QUÆSTIONUM, PARAGRAPHORUM, ET CAPITUM,

Quæ in hoc TRACTATU DE JUDICIIS, continentur

PARS PRÆLIMINARIS.

DE PRÆPARATORIIS AD JUDICIA.

TITULUS I.

De Procuratoribus & Advocatis, 2

Sect. I. *Posse quemlibet, exceptis Criminibus, per alium agere. Procuratorem esse ad lites, & ad negotia; utrumque debere habere speciale mandatum,* ibid.

Sectio II. *Non est Procurator, nisi habeat mandatum; ejusque commissio non extenditur ultrà fines mandati,* 3

Sectio III. *Idoneus est Procurator qui non prohibetur: filius-familias, etiam sine assensu Patris; Laicus, etiam in causis spiritualibus,* ibid.

Sectio IV. *Quæ negotia possit gerere Procurator vi mandati generalis?* ibid.

Sectio V. *Plures Procuratores posse constitui, & quis eorum admitti debeat?* 4

Sectio VI. *Nullus cogi potest ut sit Procurator; sed si semel receperit Procurationis Literas, tenetur ad omnia quæ in his exprimuntur, fitque post litem contestatam Dominus litis,* ibid.

Sectio VII. *Procurator litis post litis contestationem potest substituere alium, & Procurator negotiorum semper potest substituere. Substitutus mandato suscepto revocari non potest. Is qui substituit, causas quas vult retinere, procuret,* 5

Sectio VIII. *Quandonam negligentia, malitia, vel dolus Procuratoris noceat Domino?* ibid.

Sectio IX. *Ratihabitio æquivalet Procurationi?* 6

Sectio X. *Procurator revocatur per mortem Constituentis, vel dando secundum Procuratorem, vel expressè inhibendo ne agat, vel per mandati revocationem, modò perveniat ad Judicem vel Adversarium,* ibid.

Sectio XI. *Falsi Procuratoris exceptionem semper posse objici; eâ probatâ judicium nullum esse; dandas inducias ad eam probandam,* ibid.

Sectio XII. *Inferenda ex collectis Textibus circa Procuratores ad lites.* ibid.

Sectio XIII. *Advocatis licet vendere suum consilium & patrocinium. Judex Partibus dare Advocatum potest,* 7

TITULUS II.

De Arbitris, *ibid.*

Sectio I. *I Arbitros esse Judices quos communis consensus elegerit. II. Posse compromissum fieri in quosdam Judices tanquàm in Arbitros. III. Arbitrium in personâ incertâ non valet. IV. Unum eligat, aut tres. V. Fœminæ Nobiles autoritatem habentes possunt Arbitrorum Officio fungi.* ibid.

Sectio II. *I. Compromitti potest sub certâ pœnâ, vel simpliciter. II. Compromittentes possunt quam voluerint, formam Arbitris præscribere. III. In Laicos Jure Ordinario compromitti non potest de Causis Ecclesiasticis. IV. Sed fieri potest Autoritate Superioris. V. In certis causis Arbitri assumi non possunt,* 8

Sectio III. *I. Arbitri tenentur secundùm compromissi formam judicare. II. Non possunt alia judicare quàm de quibus est compromissum. III. Forma Arbitrii ex instrumento cognoscitur,* ibid.

Sectio IV. *I. Finitur Arbitrium per mortem unius Arbitrorum. II. Item per mortem alterutrius compromittentium. III. Si unus ex Arbitris adesse non potest, non valet Arbitrium, nisi ex forma compromissi aliter appareat,* 9

Sectio V. *I. Arbitri secundùm Juris Ordinem debent judicare. II. Tenet id quod major Pars Arbitrorum decrevit,* ibid.

Sectio VI. *I. Qui se gravatum sentit ex Arbitrio lato potest appellare. III. Judices debeat stare Arbitrio, si veritate subnixum est. III. Si verò iniquum sit, & contra Jus, debent illud infirmare,* ibid.

TITULUS III.

De aliis præparatoriis ad Judicia, 10

Sectio I. *Explicantur termini qui pertinent ad forensem Jurisdictionem,* ibid.

Sectio II. *Leges quæ sunt Actori & Reo communes,* ibid.

Sectio III. *Unicuique licitum esse jus suum persequi,* ibid.

Sectio IV. *Quæ fiat Judiciorum actu?* 11

Sectio V. *Quæ sint in gratiam Rei, ut suam defensionem,* ibid.

Sectio VI. *Quandonam in morâ quis esse censeatur?* ibid.

Sectio VII. *In Judiciis distinguenda causa rea ab occasione innoxiâ; hinc etsi, qui causa est alienæ mortis, aliquandò magis peccet quàm qui occidit, non tamen causa qualibet mortis peccat,* ibid.

Sectio VIII. *De Clausulis Juris, illarum vi, & effectu,* 12

PARS PRINCIPALIS.

Tractatûs de Ordine Judiciario à Jure Communi præscripto, necnon de illo qui in Ecclesia Gallicanâ observari solet.

PARS PRIMA.

De Ordine Judiciario in Causis Civilibus observando, 15

TITULUS I.

De Jurisdictione Contentiosâ, *ibid.*

Sectio I. *Ad Jurisdictionem Contentiosam pertinet Sententiam promulgare,* ibid.

Sectio II. *Nec inferior in Superiorem, nec par in parem habet Jurisdictionem, nec Superior extra territorium,* ibid.

Sectio III. *Nullus debet præsumere quæ sibi non sunt concessa. Jurisdictio non extenditur præter Literas vi quarum conceditur,* ibid.

Sectio IV. *Jurisdictio Delegata cessat, vel revocatione Superioris vel morte concedentis, re integra, id est, si Jurisdictione uti non cœperit; & quandò res integra dicatur?* 16

Sectio V. *Alias esse Causas Civiles, alias in quibus agitur de Crimine,* ibid.

TITULUS II.

De Judicibus, *ibid.*

Sectio I. *Officium Judicis est, justitiam cuique reddere, secundùm Leges judicare, & non ex animi affectu,* ibid.

Sectio II. *Causæ duntaxat Spirituales & Ecclesiasticæ pertinent ad Forum Ecclesiasticum,* 17

Sectio III. *Nullus de Regno Franciæ potest extrà illud trahi ad judicium, virtute cujuscumque Rescripti, sed causa debet in ipsis Francia partibus terminari, exceptis Majoribus usu probatis,* 18
Sectio IV. *Nullam causam, omisso medio, ad Papam deferri posse, qui Judices non nisi in partibus assignabit,* ibid.
Sectio V. *Non licet appellare, neque à duabus interlocutoriis conformibus, neque à tertia definitiva conformi,* 19
Sectio VI. *Sunt Judices Ordinarii, Delegati, Arbitrarii: Singuli debent providere ut causa rectè instituantur,* ibid.
Sectio VII. *Debet Judex ex firmis fundamentis judicium seu sententiam formare,* 20
Sectio VIII. *Sunt in Ecclesia Judices Ordinarii, Episcopi, Prælati, & Plebani aliqui, qui omnes justè judicare debent,* ibid.
Sectio IX. *Ecclesiasticos Judices secundùm Juris Ordinem debere procedere,* ibid.
Sectio X. *Judicem Delegatum vices gerere Delegantis. Illum qui à Sede Apostolica delegatur, majorem esse quocumque alio Judice Ordinaria & Legata,* 21
Sectio XI. *Judicium vendi non debet. Per illud patere non debet injuriis aditus,* ibid.
Sectio XII. *Restringendas esse & expediendas Lites,* 22
Sectio XIII. *Judiciis parendum, ut citati Judicio se sistant,* ibid.
Sectio XIV. *In Judiciis Ecclesiasticis Canonum statuta observari debere,* ibid.
Sectio XV. *Judices non debere ad Sententiam procedere nisi auditis Partibus, & post examen Causæ,* ibid.
Sectio XVI. *Judices suspectos ut inimicos recusari posse,* 23
Sectio XVII. *Formam seu ordinem juris, tàm ex parte litigantium, quàm ex Parte Judicum, observari debere ad amussim,* ibid.
Sectio XVIII. *Prior tempore, potior jure. Qui in jus alterius succedit, eodem jure uti debet, sicut & possessio eodem jure censetur,* ibid.
Sectio XIX. *Quomodò se habeant accessorium & principale in Causis?* ibid.
Sectio XX. *Quid sit protestari, & quando prosit Protestatio?* ibid.
Sectio XXI. *De citationibus, actibusque aliis similibus, Decisiones Juris præcipuæ,* 24
Sectio XXII. *In quâ supplentur quæ omissa sunt, vel omissa videntur à Collectore, à* Tit. IV. *ad* Tit XVIII. *inclusivè* Lib. II. Decr. Gregor. IX. *vel notanda quæ scitu necessaria sunt in unoquoque, vel remittenda ad loca hujus Operis ubi collecta vel explicata sunt* 25

TITULUS III.

De Recusatione Judicum, *ibid.*
Sectio I. *Judices recusari posse cùm suspecti sunt & inimici,* ibid.
Sectio II. *Judex meritò habetur suspectus, si sit consanguineus, vel Advocatus Adversarii, si eum in familiarem admisit, si Dom[illegible] ejus, si socius inimicorum,* 26
Sectio III. *Cuicumque licet recusare Judicem suspectum: hæc recusatio initio litis maximè est proponenda, etiam in processu litis proponi potest,* ibid.
Sectio IV. *Causa suspicionis coràm Judice allegari debet; & eâ probatâ abstineat, nisi Partes consenserint; non probata, suâ autoritate utatur,* ibid.
Sectio V. *Causa Recusationis Delegati Episcopi, seu Officialis, coràm Episcopo discutienda est,* ibid.
Sectio VI. *Judices Delegatos à Sede Apostolicâ posse recusari, & alios petendos esse quos concedet,* ibid.

TITULUS IV.

De Probationibus generatim sumptis quæ in Judicio proponi debent, & particulatim de Instrumentis, Confessione, Evidentia facti, Præsumptionibus, Famâ, Indiciis, 27
Sectio I. *Probationes esse proponendas; claras esse debere: iniquam habere Causam, qui Probationis copiam subtrahunt,* ibid.
Sectio II. *Quibus modis fiant Causarum Probationes?* ib.
Sectio III. *In gratiam Rei judicandum, cùm Pars Adversa non probat suam intentionem,* 28
Sectio IV. *Propositio negans factum probari non potest, scilicet cùm purè ac simpliciter negat; si cum determinatione loci vel temporis, indirectè potest probari; sicut & negativa implicitè affirmationem continens,* ib.
Sectio V. *Probationes Partium eodem in loco, & apud eosdem Judices fieri debent; admitti non debent, ubi factum verisimile non est, vel ubi non prosunt,* ibid.
Sectio VI. *Confessio Partis, Procuratoris, Advocati, po veritate habetur; fit multis modis; nocet confitenti,* 29
Sectio VII. *Per Instrumenta Publica seu Authentica probantur quæ asseruntur; & quæ sint Instrumenta Publica & Authentica?* ibid.
Sectio VIII. *Instrumentum Publicum falsitatis argui facilè non debet, neque modicus defectus ad id sufficit; plura verò sunt falsitatis indicia,* ibid.
Sectio IX. *Ubi originale Instrumentum non apparet, non creditur Exemplari transcripto, nisi Judicis mandato manu publicâ fuerit confectum,* 30
Sectio X. *Falsitatis crimen semper objici potest. & sententia valet retractari prætextu falsitatis, quæ ut expendatur, debent Instrumenta in loco suo collocari,* ibid.
Sectio XI. *Nullus debet Adversario subtrahere litis Instrumenta; contraria Instrumenta, vel a Judice jam reprobata, non probant,* ibid.
Sectio XII. *Non potest uti Instrumento qui illud impugnat, vel qui illud non ostendit,* 31
Sectio XIII. *Quæ in collectis circà Probationes Textibus deficiunt, adjiciuntur, obscura illustrantur, malè ordinata in ordinem suum restituuntur.* ibid

TITULUS V.

De Testibus, 32
Sectio I. *Causæ probantur per Testes, modò jurati deponant de re quàm noverunt,* ibid.
Sectio II. *Unius Testimonium non sufficere ad probandum, sed tres, aut ad minùs, duos Testes necessariò requiri. Effrenata Testium multitudo refrænanda?* ib.
Sectio III. *Quæ personæ omninò repellantur à referendo testimonia, seu quæ de Jure Testes esse non possunt?* 33
Sectio IV. *Illi etiam repellendi sunt Testes in Causa Criminali vel Civili, qui certorum criminum Rei convincuntur,* 34
Sectio V. *Testes repelli possunt cùm sunt malæ famæ, cùm in Causa versantur,* ibid.
Sectio VI. *Recipi debere Testes quos Pars duxerit contrà personas Testium ab Adversa Parte productorum, producendos; contra quos probatio admittatur, non ulteriùs reprobandos.* ibid.
Sectio VII. *Specificari debent in particulari crimina propter quæ Pars intendit Testes reprobare cum eorum nominibus,* 35
Sectio VIII. *Citandam esse Adversam Partem ut Testes validè audiantur. Si Pars adesse noluerit, procedat Judex ac si Pars præsens fuisset,* ibid.
Sectio IX. *Judices debere Testes idoneos recipere, & legaliter ac diligenter examinare; si verò absentes & in loco remota, aliis committere ut illas examinent,* ibid.
Sectio X. *Quomodo Judices receptis Testibus, ex illorum testimoniis animi sui motum formare debeant?* 36
Sectio XI. *Testium dicta non valent cùm vel singulares sunt, vel de auditu tantùm & fama loquuntur, vel cùm variant,* ibid.
Sectio XII. *Quale debet esse testimonium quod ferunt Testes? Diversitas verborum non vitiat, si idem in substantia concludatur,* 37

Sectio

Sectio XIII. *Post publicationem attestationum, de iis potest disputari; illas benignè interpretari convenit; sed non potest ulteriùs in personas Testium aliquid objici, nisi fuerit protestatus, vel probet se posteà dedicisse, vel Testem corruptum falsa dixisse contendas,* 37
Sectio XIV. *Publicatis Attestationibus non posse novos Testes produci, nisi ni causa subornationis, vel appellationis super novis Capitulis,* ibid.
Sectio XV. *Quantum Crimen sit corrumpi Testem, aut falsum dicere; ne semper licere, etiam post publicatus Attestationes, Testes producere ad probandum corruptum Testem falsa dixisse,* 38
Sectio XVI. *Attestationes in uno judicio receptæ fidem faciunt in eadem causa inter easdem Personas, coràm alio Judice, si receptæ coram Arbitris, vel in alio Judicio, Pars potest approbare, vel rejicere; si clausæ fuat, tenetur ratas habere; si fiat publicatæ inter alios & in alio Judicio, non noceat,* 39
Sectio XVII. *Vis Attestationum comparatur cum Instrumentorum efficaciâ in ordine ad probationem?* ib.
Sectio XVIII. *Clericis in negotiis Ecclesiæ suæ fides adbibenda, atque etiam in factis propriis pro respectu ad illorum Dignitatem,* ibid.
Sectio XIX. *Pœnitentia indicenda Testibus qui corrupti falsum dicunt, non pœna instigenda si crimen iis objiciatur per modum exceptionis tantùm, nec cùm reprobatur eorum testimonium infames habentur,* 40

TITULUS VI.

De Jurejurando vel Juramento, *ibid.*

Sectio I. *Considerationes circa collectos Canones de Jurejurando,* ibid.
Sectio II. *Juramentum fieri, cùm Deus quoquomodo ut Testis invocatur, idque non esse per se malum nec peccatum,* ibid.
Sectio III. *Probibitum esse jurare per Creaturas, & puniendos qui sic juraverint, licet servandum sit tale Juramentum,* 41
Sectio IV. *Probibitum esse jurare per Deum, nisi ex necessitate, propter aliorum incredulitatem, ne jurando frequenter, perjuri fiant,* ibid.
Sectio V. *Ut Juramentum licitè fiat, tres habere debere comites, veritatem, judicium & justitiam,* 42
Sectio VI. *Clericis ob dignitatem sine gravissimâ necessitate; & parvulis ob ætatem, & quibusdam publicis peccatoribus ob infamiam, non esse licitum jurare,* 43
Sectio VII. *Juramentum exigi aliquando posse, etiam per falsos Deos aut Creaturas, modò nesciatur jurantem dicturum esse falsum,* ibid.
Sectio VIII. *Juramentum eo modo esse intelligendum, quo is cui juratur, intelligit; & pejerare qui falsum per Creaturas jurant, sive eas pateat Sanctas, sive is cui jurant id existimet,* ibid.
Sectio IX. *Juramentum promissorium, sive quo aliquid promittitur, esse observandum, nisi vertat in perniciem animæ, vel res fiat impossibilis,* ibid.
Sectio X. *Juramentum quo promittitur aliquid illicitum, non esse observandum,* 44
Sectio XI. *Juramentum esse illicitum, cùm sit contra bonos mores, vel contra Canones, seu contra præcedens contrariam Juramentum licitum,* ibid.
Sectio XII. *Juramentum generaliter conceptum non extendi ad id quod impossibile est vel illicitam, & bonis moribus contrarium,* 45
Sectio XIII. *Juramentum etiam non extendi ad ea quæ in formâ ordinariâ Juramenti non continentur,* ibid.
Sectio XIV. *In quolibet Juramento contineri tacitè certas aliquas conditiones honestas, seu exceptiones, contrà quas illud non valet,* 46
Sectio XV. *Jusjurandum quod sub expressâ conditione alicujus eventûs, vel intra certum terminum, factum est, neminem obligat, nisi post impletam conditionem, & intrà statutum terminum,* ibid.
Sectio XVI. *Jusjurandum vi & metu extortum esse voluntarium, & obligare, modò non vergat in dispendium salutis æternæ; sed illius peti posse absolutionem, seu relaxationem,* 46
Sectio XVII. *Multa esse ad quorum observationem ex simplici promissione homo non teneretur; quæ tamen accedente Jurejurando, tenetur corùm Deo observare, nisi petat illius relaxationem,* 47
Sectio XVIII. *Quomodo cognosci possit an Jusjurandum absolutione indigeat a[illegible]vocetur, an interpretatione? & qua ratione interpretari illud debeamus?* 48
Sectio XIX. *Quibus modis cesset obligatio Juramenti?* ibid.
Sectio XX. *Eum qui promissionem Jurejurando confirmavit, puniendum, nisi adimpleat, etiamsi fortiori vinculo se liget,* 49
Sectio XXI. *Etiam pro illicito seu temerario Juramento imponendam esse pœnam ab Ecclesiâ,* ibid.
Sectio XXII. *Perjuros esse qui in dolo promittunt; non qui præstito bonâ fide Sacramento, implere non possunt quod promiserunt; & quæ illius perjurii pœna?* ibid.
Sectio XXIII. *Perjurium lethale esse peccatum, & pœnam de coacto etiam perjurio esse exigendam,* 50
Sectio XXIV. *Etiam fidem datam inter malos esse servandam, nisi mala voluntas emendetur,* ibid.
Sectio XXV. *Fidem mutuò datam inter aliquos esse servandam, nisi alter eorum eam frangat,* ibid.
Sectio XXVI. *Quæ forma Jurisjurandi fidelitatis quod ab inferiore Superiori exhibetur? An Successoribus debeatur? & an præstandum sit, si aliis fuit præstitum?* 51
Sectio XXVII. *De Jurejurando in Judiciis exhiberi solito; quandonam exhibendum? Et quomodo perjurium illius occasione incurratur?* ibid.
Sectio XXVIII. *Ad Ecclesiam pertinere, de Jurisjurandi Religione cognoscere,* 52
Sectio XXIX. *De promissione quæ pars est Juramenti promissorii,* ibid.

TITULUS VII.

De Exceptionibus, *ibid.*

Sectio I. *Generalia circa Exceptiones, tàm extrajudiciarias quàm judiciarias, principia,* ibid.
Sectio II. *Peculiaria Principia circà Exceptiones Judiciarias cum notis necessariis,* 53
Sectio III. *Eadem de re alia Principia, aliundè quàm ex* Tit. De Exceptionibus *deprompta,* 54
Sectio IV. *An Præscriptio, prout est Exceptio, aliquid habent sibi peculiare?* 55
Sectio V. *Peculiaria nonnulla circa Exceptiones peremptorias, & citationes vel terminos peremptorios ad comparendum vel prosequendum,* 56

TITULUS VIII.

De Sententiis quæ feruntur à Judicibus, *ibid.*

Sectio I. *Sententia à Judice stante proferri debet, & suum cuique reddere juxta Leges, ac Scriptis mandari,* ibid.
Sectio II. *Per quæcumque verba Sententia proferri potest, modò constet de mente Judicis; juxtà petitionis formam concipitur, modò in personam Procuratoris, Syndici, Tutoris, Partis,* 57
Sectio III. *Sententia lata semper bona præsumitur, ei que standum est, donec contrarium probetur,* ibid.
Sectio IV. *Sententia Juri contraria, & contrà formam mandati lata, ipso jure nulla est,* ibid.
Sectio V. *Sententiâ à quâ non appellatur, vim & autoritatem rei judicata obtinet,* 58
Sectio VI. *Sententia contra alios, & in alia causa lata, aliis non nocet, nisi in certis casibus,* ibid.

TITULUS IX.

De Appellationibus ad Superiorem à Sententia Judicis inferioris in Causa Civili, *ibid.*

Sectio I. *I. Appellationis remedium ad defensionem, non ad litium prorogationem, est inventum. II. Licitum est appellare. III. Appellare est ad majorem autoritatem provocare. IV. Qui appellat non vult amplius litigare coram Judice à quo. V. Agnoscit Jurisdictionem Judicis ad q[illegible],* ibid.

Continuatio Section. I. *Non deferendum Appellationibus frivolis, iisque non obstantibus in negotio proceditur,* 59

Sectio II. *Sacris Canonibus licitum est tàm extra Judicium provocare quàm in Judicio appellare; in Judicio, tàm antè Definitivam ab Interlocutoriâ, vel gravamine, quàm à Definitivâ appellatur,* ibid.

Sectio III. *Antè Definitivam Sententiam appellare non licet, nisi ex causa rationabili: hoc est, nisi vel Interlocutoria Definitivæ vim habeat, vel gravamen reparari nequeat in Definitivâ vel Justitia denegetur,* ibid.

Sectio IV. *Extra judicium etiam à futuro gravamine appellatur. Si post Appellationem extrajudicialem aliquid fit, valet, modò non sit contra Appellationem,* 60

Sectio V. *Appellatio intimari debet Appellato vel ejus Procuratori; aut, si neutrum fieri potest, in loco publico, ut effectum sortiatur,* ibid.

Sectio VI. *Si Judex à quo revocare velit Sententiam Interlocutoriam per quam infertur gravamen, poterit causam finire, & Appellans non tenebitur coram illo comparere, nisi ad audiendam illati gravaminis revocationem,* 61

Sectio VII. *Si antè definitivam Sententiam appellatur, causa cur appelletur debet in scripto exprimi, & sic eam Judex Appellationis expendere debet, ut si legitimam eam non deprehenderit, negotium remittat ad primum Judicem; in expensis condemnando Appellantem: alioquin de illo cognoscat,* ibid.

Sectio VIII. *Alterâ Parte absente per contumaciam, Judex Appellationis potest cognoscere de gravamine lite non contestatâ, idem cùm lis super negotio fuit contestata,* 62

Sectio IX. *Appellatio generalis pro omnibus causis, & super omni gravamine quod inferri potest, non valet, nec etiam quæ à Papa delegante prohibetur,* ibid.

Sectio X. *Appellatio legitima suspendit Jurisdictionem Judicis à quo appellatur, quantùm ad causam illam, & quantùm ad alia quæ sine Appellatione judicari non possunt,* ibid.

Sectio XI. *Post Appellationem legitimam, nihil debet innovari, nec Sententia proferri, nec executioni mandari, nec valet quod fit,* 63

Sectio XII. *Appellatio non suspendit Jurisdictionem Judicis à quo in aliis causis, nec circa Possessorium, nisi recusetur ut suspectus,* ibid.

Sectio XIII. *Appellare licet ante Sententiam Definitivam, cùm Judex à quo non vult assignare locum securum; cùm instrumenta communia petenti edi non curat; cùm pervertit Juris ordinem,* 64

Sectio XIV. *Nemo appellare potest nisi ipsius intersit. Etiam tertius cujus interest, audietur appellans; uno appellante, cæteri quibus causa communis est, censentur appellasse,* 64

Sectio XV. *I. Appellans tenetur intra tempus certum prosequi suam Appellationem, alioquin rata manet Sententia. II. Judex à quo potest compellere Appellantem ab Interlocutoria, ut vel prosequatur Appellationem, vel Sententiæ pareat. III. Non tamen potest statuere terminum Judici Appellationis ad illam finiendam,* ibid.

Sectio XVI. *I. Appellantis est priùs agere. II. Eo non agente, Appellatus prosequatur Appellationem. III. Neutro prosequente, Superior ipse occurrat si periculum ex dilatione immineat. IV Appellatus terminum prævenire potest, modò ne nimiam præcurrat,* 65

Sectio XVII. *I. Si Appellans stare in Judicio neglexerit, condemnabitur in expensis. II. Contrà eum Judex procedit post terminum, ac si peremptoriè fuisset vocatus. III. Judex contrà absentem, ac si præsens esset, pronuntiabit,* ibid.

Sectio XVIII. *I. Post terminum Appellationis, Appellatio vim habet Edicti peremptorii, ut contrà absentem procedatur. II Si post Sententiam appellatum sit, Judex Appellationis, Parte absente, negotium finire potest,* 66

Sectio XIX. *I. Potest Appellans, invito Appellato, suæ Appellationi renunciare. II. Est in Expensis Parti condemnandus. III. Cùm semel deserta est Appellatio* (l'appel pery) *etiam de consensu non possunt Appellans & Appellatus procedere,* ibid.

Sectio XX. *I. Appellatio legitima causam devolvit ad Superiorem. II. Judex Appellationis de causâ cognoscere non debet, nisi constet eam esse per Appellationem devolutam. III. Non acquirit Jurisdictionem inter alios, quàm inter Appellantem & Appellatum,* ib.

Sectio XXI. *I. Judex Appellationis debet antè omnia cognoscere de his quæ post Appellationem à definitivâ fuerunt innovata. II. Attentata post illam Appellationem, debet omnia statim ad eum statum, quo Appellationis tempore fuerant, revocare. III. In Appellatione ab Interlocutoria cognoscere debet an vera sit causa; & si constiterit de veritate, inhibere potest Judici à quo ne procedat, & quæcumque attentata post inhibitionem irrita renunciare,* ibid.

Sectio XXII. *I. Judex Appellationis innovata post Appellationem à definitivâ antè omnia revocare debet. II. Etiam innovata medio tempore inter Sententiam & Appellationem. III. Appellanti debet restituere possessionem quæ adjudicata est Parti post Appellationem à definitivâ,* 67

Sectio XXIII. *I. Judex Appellationis non admittat Appellationem, nisi constet eam esse, vel propter gravamen, vel propter injustam condemnationem, emissam. II. A definitivâ Appellationem potest admittere pro quibuscumque Causis. III. Non debet partes, nisi de consensu, ad Judicem ad quem remittere,* ib.

Sectio XXIV. *I. Judex Appellationis emendare potest illata gravamina. II. Sententiam irritare potest, propter Judiciarium Ordinem non servatum. III. Infirmare debet Sententiam, si injustam noverit. IV. Confirmare debet Sententiam justam V. Potest Sententiam confirmare in quibusdam Capitibus, in aliis infirmare,* ibid.

Sectio XXV. *I. Judex Appellationis injustæ vel frustratoriæ appellantem debet condemnare in Expensis. II. Non condemnabit ad Expensas si legitimè fuerit appellatum,* 68

Sectio XXVI. *Observationes circa collectas Juris Decisiones in hoc Titulo de Appellationibus,* ibid.

Sectio XXVII. *An aliquod sit in Jure Canonico remedium peculiare, contra tertiam Sententiam duabus præcedentibus conformem, quo possit reformari? Quæstio novæ pro & contrà agitata,* ibid.

Sectio XXVIII. *Communia circà Appellationes,* 69

PARS SECUNDA.

De Ordine Judiciario in Causis Criminalibus observari solito, sive Jure Communi, sive Jure Ecclesiæ Gallicanæ, 70

TITULUS I.

De foro quem sortiuntur Clerici ratione delictorum. ibid.

Sectio I. *Regula generalis est, ibi agendam causam ubi crimen admissum est,* ibid.

Sectio II. *Clerici pro vulgaribus Criminibus, non ad Laicum, sed ad Ecclesiasticum Judicem trahi debent,* ibid.

Sectio III. *Certa esse crimina tàm atrocia, quæ si à Cle-*

Clericis committantur, à solis Judicibus Laïcis puniri debent, 71
Sectio IV *Est crimen merè Ecclesiasticum, cujus cognitio ad solum Judicem Ecclesiasticum ita pertinet, ut si Clericus illum voluerit detrectare, puniatur,* ibid.
Sectio V. *Sunt quadam crimina ordinaria, quorum cognitio ita pertinet ad Judicem Ecclesiasticum, ut non possint sine eo judicari; possunt tamen etiam à Judice Seculari examinari, quamvis necessarium absolutè non sit illa crimina ad ejus judicium remittere,* ibid.
Sectio VI. *Qua crimina coràm Ecclesiastico vel Seculari Judice examinari possint?* 72
Sectio VII. *I. In dubio an Clericus sit malefactor, judicat Ecclesiasticus Jndex. II. Si notorium sit quod sit Clericus, Curia Ecclesiastica debet reddi. III. Idem est si deprehensus fuit in habitu Clericali. IV. E contrà si pro Laico publicè se gerebat, antequàm caperetur. V. Interim suspendi debet processus Laici Judicis,* ibid.
Sectio VIII. *Causa Criminales ad solum Clericorum Episcopum deferri debens, nisi speciale sit Privilegium aut consuetudo peculiaris,* ibid.
Sectio IX. *Sine Ordioe Judiciario procedi non posse ad condemnationem Clericorum nocentium,* 73

TITULUS II.

Quibus modis deveniatur ad cognitionem criminum? 74
Sectio I. *Quid crimen notorium, quid manifestum, quid publicum?* ibid.
Sectio II. *I. Cavendum ne dubia crimina pro notoriis habeantur. II. In notoriis & manifestis non servanda Ordiois Judiciarii subtilitas quoad Testes & Accusatores,* ibid.
Sectio III. *I. Aliquandò crimen ex solâ famâ manifestum est. II. Id non sufficit ad condemnationem. III. Judex potest de illo ex officio inquirere,* 75
Sectio IV. *I. Tribus modis criminaliter procedi potest; per Accusationem, per Denunciationem, per Inquisitionem. II. Excipiendo etiam crimen opponi potest,* ibid.
Sectio V. *Cùm excipiendo tantùm crimen objicitur, nec fieri debet in scriptis, nec pœna ordinaria imponi,* 76
Sectio VI. *I. Qui accusat debet se inscribere. II. Agendum sine Procuratore per se. III. Debet designare expressè personam, & crimen. IV. Suscipiat in se criminis probationem. V. Per se, non per Procuratorem, accuset,* ibid.
Sectio VII. *Accusatus uti potest Procuratore ad excusandum se,* 76
Sectio VIII *Nullus facilè alium accuset, nec calumnietur, nec celet aliorum crimea, propter aliquod commodum temporale,* 77
Sectio IX. *Accusator, sicut & Testes, non sit suspectus, non inimicus, non domesticus, non affinis,* ibid.
Sectio X. *Accusatio debet fieri in scriptis. Legitima debent esse probationes ex documentis, atque ex Testibus,* 78
Sectio XI. *Per duos aut tres Testes Accusator probat crimen. Testis alius esse debet ab Accusatore; non sit suspectus, nec inimicus: Ut Accusatorum, ita & Testium vita debet esse innocens,* 79
Sectio XII. *I. Testes debent alii esse ab Accusatoribus. II. Præsente Accusato cum Jurejurando dicendum est Testimonium. III. Quærendum de Accusantium & Testium Personis. IV. Non valet Testimonium de auditu,* ibid.
Sectio XIII. *I. Nemo judicandus absens, nisi contumax II. Nisi habeat locum se defendendi,* 80
Sectio XIV. *I. Debere Judicem singula perpendere. II Non ex conjecturis, sed ex certis probationibus damnandum accusatum. III. Si consitetur crimen, vel convincitur, damnandus,* ibid.
Sectio XV. *I. Ut quis condemnetur, spontanea debet esse confessio. II. Non creditur confitenti crimen contrà alium, vel falsò contrà seipsum,* 81
Sectio XVI. *I. Confessio facta incidenter in alio negotio, potest dare occasionem illud puniendi. II. Confessio facta coràm non suo Judice, non officit,* 82
Sectio XVII. *Actore non probante crimen, Reus absolvi debet,* ibid.
Sectio XVIII. *Cùm Accusator non probat quod objecit, puniendus est; ita & Testis cùm calumniam infert,* ibid.
Sectio XIX. *Cùm probatur crimen per Testes, Sententia condemnationis ferenda est, nec admittitur Reus ad probandum se non deliquisse,* ibid.
Sectio XX. *In causa criminali Testes cogi possunt per Judices ad ferendum testimonium veritati,* 83
Sectio XXI. *Puniendi qui Testes impediunt à ferendo testimonio,* ibid.
Sectio XXII. *Nunc tàm in causis criminalibus quàm in causis civilibus testes cogi posse per Censuras Ecclesiasticas ad ferendum Testimonium,* ibid.
Sectio XXIII *De Præsumptionibus, Indiciis, Conjecturis, Famâ, aliisque Probationum adminiculis,* 84
Sectio XXIV. *Actusator potest accusationem deserere, dummodò non fiat per collusionem cum accusato,* ibid.

TITULUS III.

De modo procedendi in causa criminali per viam Denunciationis, 85
Sectio I. *I. Qui accusare non potest, potest denunciare. II. Denunciationem debet præcedere monitio,* ibid.
Sectio II. *Non debet fieri inquisitio, nisi sit aliquis infamatus,* ibid.
Sectio III. *I. Superior ex officio suo debet inquirere in crimina subditorum. II. In inquisitione debitus ordo observari debet. III. Debet Judex diligenter perscrutari veritatem, postquam ad eum clamor pervenit de criminibus alicujus,* ibid.
Sectio IV. *I. Contrà quem fit inquisitio, præsens esse debet, nisi sit contumax. II. Debent ei exponi capitula, ut possit se defendere. III. Dicta & nomina Testium sunt ei communicanda. IV. Exceptiones admittenda, & qua?* 86
Sectio V. *Justè judicandum,* 87

TITULUS IV.

De corrigendis Subditorum excessibus; & quas pœnas possint Prælati infligere? ibid.
Sectio I. *Prælatis ex officio incumbere, ut subditos corrigere curent,* ibid.
Sectio II. *Occulta peccata, seu quæ in judicium non sunt delata, tolerari debent, nec pœnis publicis castigari,* 88
Sectio III. *Prælati cum moderatione debita potiùs corrigant, quàm severè, nisi talia sint crimina quæ atrociores pœnas exigant,* ibid.
Sectio IV. *Fama per se non sufficit ad probationem; aliquando confirmat fidem, aliquando cum aliis adminiculis suffragatur. Rumor viciniæ invalidus est sine probationibus fide dignis.* 89
Sectio V. *Quæ præsumptiones possint ad condemnandum vel absolvendum prodesse?* ibid.
Sectio VI. *Alius est contrà quem gravis & vehemens suspicio est; alius contrà quem levis tantùm suspicio. Etiam propter vehementem suspicionem, non debet condemnari, sed diligenter inquirendum est.* 90
Sectio VII. *Convicti per Testes, aut sponte crimen confessi debent condemnari,* ibid.
Sectio VIII. *Quoscunque Superiores ac Rectores peccare, si non puniant malefactores,* ibid.

TITULUS V.

De Sententiis & Appellationibus in Judicio criminali, ibid.
Sectio I. *In Jure Canonico nonnullum esse Appellationum ab abusu fundamentum,* ibid.

Sectio II. *In causâ correctionis, appellatio non suspendit executionem Sententiæ, vel Legis ab Episcopo latæ, sed tantùm devolvit causam ad Superiorem,* 91
Sectio III. *In causa correctionis non licet appellare, seu potiùs appellatio non suspendit executionem pœnarum quæ fuerint impositæ; modo non excedat modus pœnæ,* ibid.
Sectio IV. *A mero executore appellari non potest, nisi modum excedat,* 92
Sectio V. *In notorio seu manifesto crimine, quod nullâ tergiversatione celari potest, appellatio non suspendit executionem Sententiæ?* 92
Sectio VI. *Nihil obesse Judici à quo est appellatum, cùm ejus Sententia fuerit reformata,* ibid.
Sectio VII. *Qui appellationi alterius non detulit, suam objicere non potest,* ibid.
Sectio VIII. *Si quis appellationem prosequi non potuit, hoc non nocet,* 93
Sectio IX. *Cùm Ecclesia non habet quid faciat, invocare debet auxilium Brachii Secularis,* ibid.
Sectio X. *Quæ sint crimina ob quæ debent Ordinarii tradere reos Seculari Judici,* ibid.
Sectio XI. *Appellare licet ab Episcopis ad Metropolitanos in causis criminalibus,* ibid.
Sectio XII. *Nulli Episcopo licet per se pœnam reis infligere, neque res Ecclesiæ auferre,* 94
Sectio XIII. *Cùm punitio remissa est, iterari non debet,* ibid.
Sectio XIV. *Gradatim appellandum esse ab Inferioribus Prælatis ad Episcopos, vel eorum Officiales, & ab his ad Archiepiscopum; nec licere, omisso medio, ad Archiepiscopum appellare,* ibid.
Sectio XV. *Ad Judicem appellationis acta omnia coràm Judice inferiori gesta, esse appellantis expensis transmittenda,* 95
Sectio XVI. *Causas Seculares tàm in criminali quàm in civili, non posse ad Sedem Apostolicam per appellationem deferri, sed solas Ecclesiasticas, & spirituales,* ibid
Sectio XVII. *An possint Sacerdotes post lapsum restitui in suis gradibus & honoribus, si veram egerint Pœnitentiam, illisque Ecclesia indigueris?* 96
Sectio XVIII. *Clericos ob crimina juridicè depositos non esse sibi ipsis relinquendos ut vivant more Laicorum,* 97
Sectio XIX. *Romanum Pontificem non posse causas Ecclesiasticas ad se, per appellationem legitimam delatas, in partibus committere ultra duas diætas vulgares extra Diœcesim, nisi ex assensu Partium,* 97
Sectio XX. *In prædicta commissione præ cæteris eligendi Episcopi, ipsorumque Superiores, causarum Ecclesiasticarum in districtu suo Judices Ordinarii,* ibid.

TITULUS VI.

De pœnis quas Judex Ecclesiasticus potest infligere, in genere consideratis, 98
Sectio I. *Esse de Officio Judicis Ecclesiastici pœnas aliquas infligere,* ibid.
Sectio II. *I. Nomine pœnæ intelligitur læsio quæ punit. II. Pietas est punire. III. Non puniendum animo vindictæ, sed justitiæ,* 99
Sectio III. *Culpas esse pro modo suo puniendas, graviores magis, minùs leviores; habitâ ratione personarum, juxtà pœnas à Canonibus statutas,* ibid.
Sectio IV. *I. Metiri debet Judex pœnam ex persona quæ læsa fuit. II. Cùm peccatum est ex malitia, graviùs punitur. III. Ex certa scientia peccans plus punitur. IV. Ubi multitudo peccavit, magis puniendi autores sceleris,* 100
Sectio V. *Aliquando de severitate pœnæ remittendum. In pœnis benignè interpretandum. Pœnæ molliendæ potiusquàm exasperandæ,* ibid.
Sectio VI. *Posse Judices Ecclesiasticos ad custodiam carceri accusatos mancipare; imò & in pœnam perpetuo carceri devovere,* 101
Sectio VII. *Judex Ecclesiasticus etiam torturâ moderatâ uti potest, ad inquirendam criminis veritatem; non hinc initium ducendum,* ibid.
Sectio VIII. *Judicem Ecclesiasticum non posse infligere pœnam, seu mulctam pecuniariam, nisi illam applicet alicui certo usui pio,* 102
Sectio IX. *Si Clerici crimina commiserint, quæ capitale supplicium, vel gravem corporis pœnam mereantur, relinqui debent Regiis Judicibus condemnandi,* ibid.
Sectio X. *I. Juxtà formam Judicii Sententia formetur. II. Condemnetur aut absolvatur Reus. III. Probato crimine Canonica ultio exerceatur. IV. Si in Jure sunt pœnæ expressæ, infligantur. V. Alioquin arbitrio Judicis imponantur,* 103
Sectio XI. *I. Cùm crimina objiciuntur antè susceptionem Ordinis vel Beneficii, si probentur, illam impedire debent, non tamen dejiciunt promotum. II. Cùm opponuntur post confirmationem, si probentur, impediri debet illius executio, ac etiam Ordinum, vel obtentio Beneficiorum. III. In atrocioribus dispensari non potest ab executione Ordinum, vel Beneficiorum retentione. IV. In minoribus dispensare potest Episcopus,* ibid.
Sectio XII. *I. Pro qualitate criminum suspendi debent vel deponi Clerici. II. Deindè excommunicari debent. III. In loco securo constitui, ad agendam pœnitentiam, quod fiebat olim in Monasteriis. IV. Non omnis depositus Curiæ Seculari tradendus est, sed si incorrigibilis fuerit tantùm,* 104
Sectio XIII. *Judex aliquando errat. Pudere eum non debet errorem suum corrigere,* 105

TITULUS VII.

De Pœnis in specie consideratis, 105
Sectio I. *Quis ordo servandus in pœnis contrà Clericos infligendis?* ibid.
Sectio II. *De pœnis spiritualibus, sive purè, sive mixtim; ibi scitu necessaria circa Censuras in genere præmittuntur,* 106
Sectio III. *De Censuris in genere, Juris locutiones & decisiones,* 107
Sectio IV. *Quam partem habere possint Judices Seculares in ferendis Censuris?* ibid.
Sectio V. *Quæ requirantur ut Censuræ etiam validæ effectus suos habeant in foro externo, post Decretum de excommunicatis non vitandis, à Conc.* Basileensi *editum.* Sess. XX. *ann.* 1435. 108

TITULUS VIII.

De Censuris in specie, & primùm de Excommunicatione, 109
Sectio I. *Quid sit, & quatuplex Excommunicatio?* ibid.
Sectio II. *Quinam sint effectus Excommunicationis Majoris?* 110
Sectio III. *Propter quas causas seu culpas ferri debeat Excommunicatio?* 111
Sectio IV. *Ad quid utilis, & quàm circumspectè ferri debeat Excommunicatio?* 112
Sectio V. *In quas personas ferri possit Excommunicatio? & qui ligentur?* ibid.
Sectio VI. *Quinam ferre possint Sententiam Excommunicationis?* 113
Sectio VII. *Quâ formâ ferri debeat Excommunicatio? Quæ sit forma essentialis?* ibid.
Sectio VIII. *Quas pœnas incurrant qui hujusmodi formam omittunt in ferendis Censuris?* 114
Sectio IX. *De Denunciatione Excommunicationum, Suspensionum, & Interdictorum,* 115
Sectio X. *An vitandi, & à quibus excommunicati?* ibid.
Sectio XI. *Quot modis Sententia Excommunicationis injusta sit? Et quomodo Judex debeat eam tollere?* 117
Sectio XII. *Quam pœnam incurrant qui communicant cum nominatim excommunicatis & denunciatis?* 118
Sectio XIII. *Quinam actus facti ab excommunicatis non valeant?* 119
Sectio XIV. *Excommunicatum ab uno non esse recipiendum ab aliis,* 120
Sectio XV. *An, & quomodo excommunicatus sibi possit antè vel post latam Sententiam consulere, & quando sit audiendus?* ibid.

Sectio

Sectio XVI. *A qua absolvi debeant excommunicati?* 122
Sectio XVII. *Quid sit absolutio ab Excommunicatione? & quomodo fieri debeat ab eo qui recepit Mandatum Apostolicum?* ibid.
Sectio XVIII. *Quid contingat excommunicato qui in Excommunicatione persistit?* 123
Sectio XIX. *An, & quando absolvendi sint ad cautelam excommunicati, antequàm audiantur, & à quo?* ibid.

TITULUS IX.

De Excommunicatione quæ incurritur propter violentam manuum injectionem in Clericum, aliisque omnibus quæ dicenda supersunt de Excommunicatione, 124
Sectio I. *An, & qui incurrant hanc Excommunicationem?* ibid.
Sectio II. *A quo absolvi possint ac debeant Laici vel Clerici, qui Excommunicationem incurrerunt, propter violentam manuum injectionem in Clericos?* 126
Sectio III. *A quo absolvendi sint Monachi qui Excommunicationem incurrerunt ob violentam manuum injectionem in Clericos?* 127
Sectio IV. *Eos qui in remotis partibus commorantur, posse ab Episcopis absolvi, ubi impotentia aut infirmitas impedit Romam recurrere,* ibid.
Sectio V. *Quid requiratur ut excommunicati, sivè quia injecerunt violentas manus in Clericos, sive quia alia patrarunt crimina, restituantur Communioni fidelium?* 128
Sectio VI. *Quam pœnam incurrant Excommunicati qui Ecclesiasticos Ordines accipere non formidant, vel Divina Officia exercere, aliove modo Ecclesiæ claves contemnunt?* 129
Sectio VII. *An, & quomodo Ecclesiastica sepultura sit Excommunicatis deneganda?* 130
Sectio VIII. *De Excommunicatione & Absolutione mortuorum,* ibid.
Sectio IX. *De Excommunicatione ad finem, ut aiunt, revelationis; à quo, & quibus in causis ferri possit?* 131
Ordinationis Criminalis, Ann. 1670. Tit. VII. de Monitoriis. T. de Testib. cogend. 132
Sectio X. *De aliis Excommunicationum speciebus notabilioribus; sive pro quibus criminibus incurratur Excommunicatio?* ibid.

TITULUS X.

De Suspensione, *Decisiones Juris propriis verbis concepta,* 133

TITULUS XI.

De Depositione Clericorum, Notabiliores Decisiones Juris, ipsis Textuum verbis, 135

TITULUS XII.

De Interdicto, 135
Sectio I. *Quid sit Interdictum, & quotuplex? Et in quas personas & loca feratur? Et propter quas causas debent promulgari?* ibid.
Sectio II. *Quinam sint effectus Interdicti, & quæ obligatio illud servandi?* 136
Sectio III. *Quænam de Jure concedantur tempore Interdicti?* 137
Sectio IV. *De Privilegiis eorum qui tempore Interdicti possunt Divina celebrare,* 138
Sectio V. *De cessatione à Divinis,* ibid.
Observationes *circa Interdictum & cessationem à Divinis,* 139

TITULUS XIII.

Ad quæ teneantur speciatim Clerici Censuris aut Irregularitate ligati? Et quæ pœnæ decretæ sint in eos qui sic Divina Officia exercent? Ubi non pauca notanda circà Irregularitatem ex homicidio, aliasque notabiliores, *ibid.*
Sectio I. *De Clericis minori duntaxat Excommunicatione ligatis,* ibid.
Sectio II. *Ad quid teneantur Clerici Irregulares, vel qui sunt Majoribus Censuris ligati?* 140
Sectio III. *An, & quomodo incurratur Irregularitas ex Sacrorum Ordinum exercitio?* ibid.
Sectio IV. *Quomodo tollantur Irregularitates? & à quo super iis dispensari possit?* ibid.
Sectio V. *De Irregularitate quæ oritur ex homicidio, seu, ut aiunt, mutilatione voluntariâ,* ibid.
Sectio VI. *De Irregularitate quæ oritur ex homicidio casu commisso,* 141
Sectio VII. *An, & quomodò Irregularitas oriatur ex homicidio, in sui suarumque rerum defensionem facto?* 142
Sectio VIII. *An, & quomodò incurratur Irregularitas propter homicidium in bello, seu publico, seu privato, commissum?* ibid.
Sectio IX. *An, & quomodo incurratur Irregularitas propter Sententiam sanguinis contra aliquos latam?* 143
Sectio X. *An, & quando Irregularitas ex homicidio orta relaxetur, sive quis dispensare possit ab hujusmodi Irregularitate, & quomodo?* ibid.
Sectio XI. *Quænam excusent ab incurrendâ Irregularitate ex homicidio?* 144
Sectio XII. *Quæ pœna decreta sint ergà Clericos qui Majoribus Censuris ligati Sacrum Ministerium exercent?* ibid.

PARS III. *& ult.* TRACTATUS DE JUDICIIS.

Contingens Crimina eorumque causas; in qua referuntur Decisiones Juris, tàm circà Conscientiam generatim vel speciatim sumptam, peccatorum causam proximam, quàm circà peccata quæ sunt materia Judiciorum Criminalium, 145

TITULUS I.

De Conscientia, *ibid.*
Sectio I. *Quot modis Conscientia habere se possit? Ubi, quid sit Conscientia; quæ ejus species; certa, probabilis, vel verisimilis, dubia, seu incerta; levis seu scrupulosa; quid in qualibet agendum, exponitur,* ibid.
Sectio II. *Lethale peccatum esse, agere contra conscientiam in rebus gravis momenti,* 146
Sectio III. *De Conscientia erroneâ,* ibid.
Sectio IV. *Quid, & quotuplex ignorantia,* ibid.
Sectio V. *An, & quando ignorantia excuset à peccato?* 147
Sectio VI. *An, & quomodò ignorans incurrat pœnam?* ibid.
Sectio VII. *An, & quando præsumatur ignorantia, vel probetur?* ibid.
Sectio VIII. *Quandò fieri censeatur dolus, & quomodo probetur?* 148
Sectio IX. *Alicui dolum suum, seu malitiam, non modò non prodesse, sed potius obesse debere,* ibid.
Sectio X. *Quæ dolo fiunt, non valere,* ibid.
Sectio XI. *Vim, seu coactionem excusare omninò à peccato, cùm ei nullatenùs consentitur; secùs, non excusare,* 149
Sectio XII. *Metum non excusare absolutè à peccato, sed tantùm illud imminuere,* ibid.
Sectio XIII. *Neminem excusari ex violentiâ, faciendo quæ per se mala sunt,* 150
Sectio XIV. *Actus qui fiunt per vim & metum, de Jure aut esse irritos, aut irritandos, cùm talis est metus qui possit in virum constantem cadere, id est, vel metu mortis, vel cruciatus corporis,* ibid.
Sectio XV. *Actus per viam factos convalescere, si postmodùm consensus accesserit; & quandonam consensum hujusmodi interpretari debeamus?* ibid.
Sectio XVI. *Multa Quæstiones gravis momenti quoad acta per timorem quemdam facta, quæ suam habent applicationem in reclamatione orta à violentiâ, aliisque similibus actibus. I. An si in Actis à Communitatibus Sæcularibus aut Regularibus habitis, suffragia dantur per timorem, quo possit homo constans labefactari, & aliundè non fuerint fideliter scripta; sint ne*

ne illa Acta nulla, aut solùm cassationi obnoxia? II. Quomodò probari possit hæc facta fuisse per timorem? III. An possint reformari absque authoritate Judicis? IV. Quid Judex præscribere debeat pro illorum reformatione? ibid.
Pars Prima Primæ Quæstionis, ibid.
Secunda Pars Primæ Quæstionis, 151
Quæstio II. ibid.
Quæstio III. 152
Quæstio IV. ibid.

TITULUS II.

Continens Decisiones Juris circà peccata generatim vel speciatim sumpta, *ibid.*

Sectio I. *Quid, & quotuplex peccatum? Ubi referuntur principia quæ decidunt quidquid ad peccatum spectat,* ibid.
Sectio II. *De differentiâ & inæqualitate peccatorum; ubi quæ in Prima Sectione dicta sunt circà varias illorum species, explicantur,* 153
Sectio III. *Quando, & quot modis peccetur? Ubi de circumstantiis peccatorum præsertim agitur,* 154
Sectio IV. *Quænam excusent à Peccato? Ubi quæ anteà collecta sunt, & colligenda, illustrantur,* 155
Sectio V. *Causa extrinsecæ peccatorum,* 156
Sectio VI. *De Libertate ad peccandum requisitæ; ubi etiam quæcumque ad illud necessaria referuntur,* 157
Sectio VII. *De peccato originali, & concupiscentia,* ibid.
Sectio VIII. *De iis quæ sequantur ex peccato,* 158
Sectio IX. *Quandonam præsumptio fuisse intelligatur inter peccandum?* ibid.
Sectio X. *De Scandalo,* ibid.
Sectio XI. *De Sacrilegio,* ibid.

TITULUS III.

De variis Superstitionum generibus, earum malitiâ, & pœnis iis debitis, 159

Sectio I. *Quid sit Superstitio, quæ illius species?* ibid.
Sectio II. *Omnes illas Superstitiones Christiano esse vetitas; vetitum esse exercere illas Artes, atque etiam consulere eos qui ipsas profitentur,* ibid.
Sectio III. *Qui sint Divini, Magi, Sortilegi?* 160
Sectio IV. *Has artes Diabolicas Ecclesiam valdè detestari, & procul à se arcere eos qui illas profitentur, aut qui illis fidem aliquam habent,* ibid.
Sectio V. *Sunt aliquæ sortes quæ etsi non fiant ope Dæmonum, sed per media quæ videntur licita, tamen usurpari non debent,* 161

TITULUS IV.

De Peccatis quæ committuntur per luxuriam seu libidinem, 161

Sectio I. *An mœchatio seu fornicatio sit peccatum, & quot sint ejus species?* ibid.
Sectio II. *Adulterium esse præcipuè à Deo vetitum; variis in casibus committi,* ibid.
Sectio III. *Comparantur peccata luxuriæ, tùm cum aliis peccatis, tùm inter se, quantùm ad gravitatem,* 162
Sectio IV. *Quale peccatum sit concubinatus; & quæ pœnæ sint in concubinarios decretæ?* ibid.
Sectio V. *Gravis peccati reos esse, qui licet corpore non abutantur, mente tamen illicitè concupiscunt,* ibid.
Sectio VI. *Non peccare eos qui inviti & violenter amittunt castitatem,* 163

TITULUS V.

De Homicidio, variis ejus speciebus, & de injuria quæ fit per quamlibet illarum, *ibid.*

Sectio I. *Homicidii crimine tenentur qui quemcumque hominem privatâ potestate, vel seipsos occidunt,* ibid.
Sectio II. *Homicidium facto, præcepto, auxilio, consilio committitur,* 164
Sectio III. *Quæ pœnitentia sit ab Ecclesiâ imponenda pro variis illorum criminum gradibus?* ibid.
Sectio IV. *Etiam homicidas esse qui abortum seu sterilitatem procurant; quantò magis qui infantes occidunt? Quid de Parentibus qui illos secum collocant, & mortui reperiuntur?* ibid.
Sectio V. *Voluntate homicidas esse qui vel animo occidendi cædis jussa exequuntur, vel fraudulenter aliis nocent,* 165
Sectio VI. *Ut indicetur utrùm homicidium sit peccatum, videndum quâ de causâ fiat. Illud quod casu fit, non esse peccatum, nisi potuerit & debuerit prævideri,* ibid.
Sectio VII. *Vim vi repellendo hominem occidere non est peccatum, modò id fiat incontinenti læsionis & cum moderamine inculpatæ tutelæ,* 166
Sectio VIII. *Autoritate publicâ, licet homines nocentes vel hostes in bello occidere,* ibid.
Sectio IX. *I. Immane peccatum est abortum procurare. II. Leges Sacræ & Profanæ id prohibent sub severissimis pœnis. III. Sunt ut veri homicidæ puniendi,* 167

INDEX VERBORUM

INDEX
VERBORUM ET RERUM
TOMI TERTII.

Litera b. *indicat Tractatum* de Beneficiis; *litera* c. de Contractibus, *litera* ſ. de Sacramentis; *litera verò* j. de Judiciis.

ABBAS.



Abbas & Monachi super Decimis cum Parocho possunt pacificè convenire, b. 137
Abbates possunt conferre Minores Ordines, ſ. 74
Abbates, Præpositi habent Privilegium Confessarium sibi eligendi, ſ. 59
Abbates Generales & Abbates Commendatarii habent idem Privilegium, ſ. 61. 63
Abbates non possunt habere simul plura Monasteria, b. 49. 51
Circa Abbates Regulares, b. 201

ABBATIA.

Eos qui habent Abbatias in Commendam debere esse Sacerdotes intrà annum, nisi cum iis dispenset Romanus Pontifex, b. 204. Vide etiam, b. 10.

ABIGEATUS

Abigeatus quid sit, c. 71
Quid doceat Jus Canonicum circà Abigeatum, c. 73. 74

ABORTUS.

Ille qui conceptum in utero per Abortum deleverit Homicida est, j. 165. 167
Non est Homicida qui Abortum procurat, antequàm Anima corpori sit infusa, j. 165
Circà Abortum casu fortuito factum, j. 166
Immane peccatum est Abortum procurare, j. 167. 168
De Pœnis contra Abortum procurantes, j. 167. 168

ABSENTIA, ABSENS.

Cùm vir & mulier una caro sint, non debet alter sine altero esse diutiùs, ſ. 104
De Absentiâ inter Conjuges per Captivitatem aut per alias Causas, ſ. 104
Contrà illum qui Absens est ex causâ necessariâ non proceditur, j. 11
Absens peremptoriè vocatus, j. 24
Absentes de Criminibus facilè accusare non debent, j. 79.
Nemo judicandus Absens nisi Contumax, j. 80
Electus à Reservatis absolvendi Facultatem [illegible] habet, ſ. 48

ABSOLUTIO.

Soli Sacerdotes sunt Ministri Absolutionis, ſ. 31
Presbyteri in sua Ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiunt, ſ. 31. 37
Potestas Clavium seu Potestas absolvendi quid sit, ſ. 31. 33. 35. 37
Absolutio Sacerdotis est ad instar Actûs judicialis, quo ab ipso velut à Judice, Sententia pronuntiatur, ſ. 37
Quomodò se gerere debeant Sacerdotes in Administratione Sacramenti Pœnitentiæ, ut absolvant vel ligent pœnitentes, ſ. 38
Simplex Sacerdos non habet Potestatem absolvendi à multis magnis peccatis, scilicet à Casibus Reservatis, ſ. 39. 40. 43. 44. 45. 46. 47
Vide Verb. Casus Reservatus. Quandònam intelligatur concessa facultas absolvendi à Casibus reservatis, seu Papæ, seu Episcopis; ſ. 40
Quid faciendum sit Sacerdoti, cùm potestatem non habet absolvendi à Reservatis, ſ. 40
Omnes Sacerdotes Pœnitentes in articulo mortis possunt absolvere à quibusvis Peccatis & Censuris, ſ. 40. 47. 54. 55. j. 122
Nulla est Reservatio in articulo mortis, ſ. 40. 47. 48. 55. j. 122
Ad absolvendum à Casibus Reservatis quænam licentia requiratur, ſ. 47
Si cui conceditur Confessorem eligendi Facultas, hinc ab eo Electus à Reservatis absolvendi Facultatem non habet, ſ. 48

Olim à Titulo suo Potestatem absolvendi quilibet habebat, ſ. 49.
Quoad illos, qui Ordinariam absolvendi potestatem habent, nihil reservatum videtur, nisi quod expressè reservatum est, ſ. 52
An Concilium Tridentinum aliquid definierit circa Insufficientiam Attritionis ad Reconciliationem Peccatoris in Sacramento, ac circà necessitatem satisfaciendi antè Absolutionem, ſ. 65.
Inferior seu Minor non potest absolvere Majorem, j. 15
Excommunicati à quo absolvi debeant, j. 122
Quid sit absolutio ab Excommunicatione, j. 122. 123
In dubio absolvitur quis ad Cautelam, j. 123
De Excommunicatione & Absolutione mortuorum, j. 130. 131
De Absolutione à Censuris factâ per metum aut timorem, j. 151. c. 63

ABUSUS.

In Jure Canonico reperitur aliquod fundamentum Appellationis ab Abusu, j. 90. 91

ACCESSORIUM.

Junge Verb. Principale. Accessorium naturam sequi congruit Principalis, j. 23. 106. c. 15. 62. b. 114
Istud regulariter verum est, ut si Principale non tenet, nec Accessorium, j. 23

ACCUSATIO, ACCUSATOR.

In Criminalibus per Accusationem procedi potest, j. 75. 76
In Criminalibus Accusatio fieri debet per se & non per Procuratorem, j. 76
Qui accusat debet se inscribere, ibid.
Oportet designare expressè Personam & Crimen, ibid.
In Criminalibus accusatus potest se defendere cum auxilio Procuratoris, j. 76. 77
De Pœnis contrà falsos Accusatores, j. 77
Nullus debet accusare alium sine magnâ ratione & Probatione certa & clarâ, ibid.
Quæ personæ de jure Accusatores esse non possunt, j. 77. 78. 79. 80
Accusatio Criminalis fieri debet in Scriptis, j. 78
Duo requiruntur in Accusatore, nempè Probatio & Bona Fama, j. 78
Comparatio Accusatoris cum Teste, j. 77. 78. 79
Accusator debet probare Crimen per duos aut tres Testes, j. 79
Accusator qualis debeat esse, j. 77. 78. 79. 80
Accusator alius esse debet à Teste, j. 79
Accusatus potest proponere Exceptiones, aut adhibere legitimam Defensionem contrà Accusatorem, j. 80
Accusator quid sit, j. 10
Accusatore non probante absolvitur Accusatus, j. 82
Cùm Accusator non probat quod objecit, puniendus est, ibid.
Accusator potest Accusationem deserere, dummodò non fiat per Collusionem cum Accusato, j. 84
Qui non potest accusare, potest denunciare, j. 85

ACOLITUS.

Acolitus est in Minori Ordine constitutus, ſ. 67
Quomòdo fit Ordinatio Acoliti, ſ. 68
Quodnam est Officium Acoliti, ſ. 69

ADOPTIO.

Circà Adoptionem, Vide Verb. Cognatio.

ACTA, ACTUS.

Judex debet habere Personam Publicam quæ scribat Acta judicii, j. 20
Quænam sunt Acta Judiciorum, j. 15
Acta judiciaria in diebus Festorum sunt prohibita, j. 25
Acta judiciaria inter Opera Servilia sunt collocata, j. 25

Omnia Acta coram Judice inferiori gesta, appellantis expensis transmittenda sunt ad Judicem appellationis, j. 95
Notarius exhibere debet copiam dictorum Actorum, congruâ mercede acceptâ. ibid.
Multæ Quæstiones circà Acta facta per timorem, j. 150. 151 152
Acta vi exscripta non possunt reformari, nisi autoritate Judicis, ibid.
Vide Verb. Metus, Vis.
Actus legitimi non recipiunt conditionem neque diem, c. 36

A C T O R.

Actor seu Accusator est, qui ad causam vocat eum quem appellat. j. 10
Leges quæ sunt Actori & Reo communes, ibid.
Quandonam in morâ Actor esse censeatur, j. 11
Actor forum Rei sequi debet, j. 17. 14
Actor debet declarare intentionem suam seu petitionem formare in scriptis. j. 14
Actor debet designare claré & specificè suam petitionem, ibid.
Actore non probante absolvitur Reus. j. 11. 28. 51. 82 b. 199
Non licet Actori, quod Reo licitum non existit, j. 31. c. 10
Explicatio hujus Regulæ, j. 31

ADULTER, ADULTERIUM.

An, & quando liceat alteri conjugum, invito altero, vel Sacros Ordines suscipere, vel Monasticam vitam profiteri, propter adulterium publicum alterius. f. 103
Adulter est in suam uxorem amator ardentior, f. 99
Vide Verb. Conjugium, Fornicatio, Moniales, Mulier.
Casus, in quibus Adulterium impedit matrimonium aut dirimit Contractum, f. 112. 118. 114
An teneatur conjux adulterum dimittere, aut semper possit, f. 121
Quâ ratione procedi debeat ad instituendam accusationem de adulterio ad dissolutionem matrimonii, f. 121
Quâ ratione Judex se gerere debeat in causâ Adulterii coram ipso motâ, f. 122
Adulterium viri debitè probatum, vir cogendus est per Sententiam Judicis ut recipiat uxorem adulteram, f. 122. j. 55
Sed in Galliâ hoc jus non recipitur, nam in illo Regno mulier non potest accusare virum de crimine adulterii. ibid.
De pœnis contrà conjuges adulteros, f. 124. 125
Matrimonium non solvitur per adulterium, f. 96. 121. 124
Ratio est quia matrimonium est indissolubile, f. 96. 124
Punitio adulterii ad forum Sæculare pertinet, j. 72
Circà adulterium probationes difficillimæ sunt, j. 89
Ad probandum adulterium indicia necessaria sunt, ibid.
Adulterium est alieni Thori violatio. j. 161
Adulterium est damnatum per Leges Divinas & Humanas, ibid.
Adulterium committitur in pluribus casibus, j. 162. 102

A D V O C A T U S.

Clerici & Religiosi non possunt esse Advocati. j. 7
Advocatus potest vendere suum Consilium & Patrocinium, ibid.
Casus, in quibus Clerici, Sacerdotes possunt exercere Professionem Advocati, ibid.
Judex dare potest Advocatum Partibus, ibid.
Confessio Advocati præjudicat Parti suæ, nisi fuerit revocata, j. 19

Æ T A S.

Ætas requisita ad Diaconatum est XXXIII. annus. f. 72
Ætas requisita ad Subdiaconatum est XXII. annus, f. 71
Ætas requisita ad Presbyteratûs Ordinem est XXV. annus, f. 73
Ætas necessaria ad contrahendum matrimonium, f. 87
Ætas requisita ad Officium Procuratoris. j. 3
Quæ Ætas requiratur ad capessenda quæque Beneficia Ecclesiastica, b. 22

A F F I N I T A S.

De impedimento Affinitatis. f. 132
Olim triplex erat genus Affinitatis. ibid.

A L B I N A T U S.

Circà jus Albinatûs, b. 40

A L I E N A T I O.

Prælati & Episcopi non possunt alienare res & bona Ecclesiæ, b. 120. 121
Quid nomine Alienationis, quæ Clericis prohibita est, intelligatur, b. 121
Quascumque res immobiles, sive magnas, sive parvas, & quæcumque Ecclesiæ jura, prohibitum est Beneficiatis alienare sub pœnâ Excommunicationis, & restitutionis, b. 121. 122
Propter necessitatem aut utilitatem Episcopus & Clerici possunt alienare bona Ecclesiæ, b. 122. 123

A L T A R E.

Qui Altari servit, de Altari vivere debet, c. 31. b. 118. 142
Maxima reverentia & honos Altaribus Sacris debetur, f. 29
Altaria debent esse munda & nitida, f. 28. 29

AMBROSIUS, (SANCTUS)

Sermones illius Sancti suppositi, b. 142. 143
Pseudo-Ambrosius. b. 149

A N A T H E M A.

Anathema est separatio à Deo, j. 109
Etiam post mortem Anathema dicitur, j. 130
Vide Verb. Excommunicatio Ecclesiastica.

A N C I L L A.

In Galliâ Ancillæ liberæ nascuntur, f. 105
An, & quibus in casibus contrahatur matrimonium inter servos verè servos & Ancillas, f. 106
De matrimonio clandestino cum Ancillâ, j. 162

A N I M A.

Materia est commoda, cùm agitur de Animarum salute, f. 60
Quid fecit Gregor. IX. propter periculum Animarum Episcoporum & aliorum Prælatorum, f. 58
Multa circà salutem Animarum, f. 60
Est Ars Artium regimen Animarum, b. 20
Qui reputandi sunt idonei ad obtinenda Beneficia curam Animarum habentia, præsertim Ecclesias Parochiales, b. 20

A P O S T A T A.

Apostata potest amittere fidem in Christo, sed non potest amittere Sacramentum Baptismi, f. 11
Ratio hujus rei, ibid.

A P O S T O L U S.

Apostoli per manûs impositionem Spiritum Sanctum dabant, f. 13
In Sanctificatione Corporis & sanguinis Christi, solummodò Orationem Dominicam Apostoli decantabant, f. 21
Christus claves Regni Cœlorum commisit Apostolis, f. 31
Petrus erat Apostolorum Coriphæus, f. 58
Apostoli constituti fuerunt à Christo Sacerdotes Novi Testamenti, f. 67
Apostoli aliqua habuerunt quoad proprietatem, c. 2

APPELLARE, APPELLATIO.

Appellare non licet ad alium quàm ad immediatum Superiorem, j. 18
Non licet appellare ad Papam omisso medio, j. 18. 19
Non licet appellare, neque à duobus interlocutoriis conformibus, neque à tribus Sententiis definitivis conformibus, j. 19
Appellare licet ex Judicio seu ex Sententiâ Arbitrorum, j. 9.
Per tempus Appellationis quæ innovantur irrita sunt, j. 25 63. 67
In causâ Appellationis nihil innovari potest à Judice à quo, j. 25. 63
Appellatione pendente nihil est innovandum, j. 63. 66. 67
Appellatio frustratoria non excusat aliquem ab eo quod facere tenetur, j. 49
Cui licet appellare, licet quoque Appellationem prosequi, j. 54
De Appellatio[illegible]s ad Superiorem à Sententiâ Judicis Inferioris in c[illegible] Civili, j. 58
Appellationis remedium est inventum ad defensionem, non ad litium prorogationem, ibid.
Appellatio licita est de minori ad majorem Judicem, j. 58. 59
Appellatio alia est frivola & alia frustratoria. j. 59
Clausula *Omni Appellatione remotâ*, ibid.
Non deferendum Appellationibus frivolis, iisque non obstantibus in negotio proceditur. ibid.
Licet appellare à Sententia Interlocutoria, ibid.
Infrà decem dies appellandum est à Sententia Interlocutoria, j. 58
Ab actibus extrajudicialibus potest quis appellare, j. 59
Potest quis à Definitiva Sententia intrà tempus debitum appellare, ibid.
Circà Appellationes extrajudiciales quid servatur in Galliâ, ibid.
Antè definitivam Sententiam appellare non licet, nisi ex causâ rationabili, j. 59. 60
Antè Sententiam Definitivam nullus debet appellari, nisi gravetur, j. 60
Extrà judicium etiam à futuro gravamine appellatur. ibid.
Si post Appellationem extrajudicialem aliquid fit, valet, modò non fit contrà Appellationem, ibid.
Appellatio intimari debet appellato vel ejus Procuratori, j. 60. 69
Intrà spatium quadraginta dierum appellandum est à Sententia Definitiva. j. 60

Anti-

Antiquo jure intrà decem dies appellandum erat, j. 60
Quo casu Appellatio facienda est in loco publico, j. 60 69
Judex potest mutare Interlocutoriam Sententiam, quo facto Appellatio propter hoc interposita locum non habet, j. 61
Cessante gravamine, cessare debet Appellatio, ibid.
Si Judex à quo est appellatum, à gravamine illud revocat, potest in principali causa procedere, ibid.
Casus, in quibus Judex à quo appellatum est, potest revocare Sententiam Interlocutoriam, ibid.
Appellatio ab exceptionibus valet, dummodò causæ in Appellatione ipsa expressæ fuerint, ibid.
Quid requiritur in Appellatione ab Interlocutoria vel à Gravamine, ibid.
Qui appellat, etiam extrà judicium, causam justæ Appellationis debet exprimere, j. 62
Non admittitur Appellatio, nisi sit rationabilis causa expressa, ibid.
Cùm appellatur antè Sententiam, causa gravaminis exponi debet coram Judice à quo appellatur, ibid.
Alterâ Parte absente per contumaciam, Judex Appellationis potest cognoscere de gravamine lite non contestata; idem cùm lis super negotio fuit contestata, ibid.
Generalis & vaga Appellatio respectu cujuslibet gravaminis, non valet, ibid.
Generalis Appellatio non admittitur, ibid.
Appellatio generalis pro omnibus causis, & super omni gravamine quod inferri potest, non valet, ibid.
Appellatio legitima suspendit Jurisdictionem Judicis à quo appellatur, quantùm ad causam illam, & quantùm ad alia quæ sine Appellatione judicari non possunt, ibid. 63
Judex post Appellationem legitimam, definitivam Sententiam non debet executioni mandare, ibid.
Quod fit post legitimam Appellationem non valet, ibid.
Casus, in quibus Appellatio non suspendit executionem Sententiæ Judicis, ibid.
Appellatio non suspendit Jurisdictionem Judicis à quo in aliis causis, nec circà possessorium, nisi recusetur ut suspectus, ibid. 64
Casus, in quibus licet appellare antè Sententiam definitivam, ibid.
Quænam personæ possint appellare, ibid.
Possunt appellare omnes quorum interest, ibid.
Si quis non prosequatur Appellationem intrà debitum tempus, rata manet Sententia, ibid. 65
Qui non prosequitur Appellationem suam, fingitur non appellasse, ibid.
Qui non prosequitur Appellationem, incidit in Jurisdictionem Judicis à quo appellavit, ibid.
Judex à quo non potest statuere terminum ad finiendam Appellationem, ibid.
Cujacius & Gonzalez laudati circà illum terminum, ibid.
Qui prior appellat, prior agat, ibid.
Appellatus prævenire potest terminum statutum à Lege, ibid.
Si appellans stare in judicio neglexerit, condemnabitur in expensis, ibid.
Contrà eum Judex procedit post terminum, ac si peremptoriè fuisset vocatus, ibid.
In causa Appellationis Judex contrà absentem, ac si præsens esset, pronunciabit, ibid.
Post terminum Appellationis, Appellatio vim habet Edicti peremptorii, ut contrà absentem procedatur. j. 66
Si post Sententiam appellatum sit, Judex Appellationis, Parte absente, negotium finire potest, ibid.
Potest Appellans invito Appellato, suæ Appellationi renunciare, ibid.
In eo casu est in expensis parti condemnandus, ibid.
Cùm Appellatio est deserta, (Gallicè l'Appel peri.) tunc Sententia transit in rem judicatam, ibid.
Per Appellationem legitimam, & Principale & Accessorium ad Superiorem deferuntur, ibid.
Judex Appellationis de causâ cognoscere non debet, nisi constet eam esse per Appellationem devolutam, ibid.
Judex Appellationis non acquirit Jurisdictionem inter alios, quàm inter Appellantem & Appellatum, ibid.
Judex Appellationis debet antè omnia cognoscere de his quæ post Appellationem à definitivâ Sententiâ fuerunt innovata, ibid.
Attentata post Appellationem, debent omnia statim ad eum statum, quo Appellationis tempore fuerant, revocare, ibid. 67
Judex quid debet facere in Appellatione ab Interlocutoria, j. 66
Judex Appellationis innovata post Appellationem à definitivâ antè omnia revocare debet, j. 67
Etiam innovata medio tempore inter Sententiam & Appellationem, ibid.
Appellanti debet restituere possessionem quæ adjudicata est Parti post Appellationem à definitivâ, ibid.
Judex Appellationis non admittat Appellationem, nisi constet eam esse, vel propter gravamen, vel propter injustam condemnationem, ibid.
A definitivâ Appellationem potest admittere pro quibuscumque causis, ibid.
Appellare licet pro minoribus seu levioribus causis, ibid.
In causâ Appellationis Partes dè consensu ad Judicem ad quem debent remittere, ibid.
Judex Appellationis debet Sententiam latam confirmare vel infirmare, ibid.
Judex Appellationis potest in quibusdam Sententiam confirmare, & in quibusdam infirmare, j. 68
Si Appellatio fuit legitima, non condemnabitur in expensis, ibid.
Judex Appellationis injustæ vel frustratoriæ Appellantem debet condemnare in expensis, ibid.
Observationes circà Decisiones Juris collectas in Titulo de Appellationibus, ibid.
Appellatio est justa aut injusta, ibid.
Appellatio est judicialis aut extrajudicialis, ibid.
Appellatio est definitiva aut interlocutoria, ibid.
Quænam sunt causæ particulares Appellationum, ibid.
Quænam sunt effectus Appellationum, ibid.
Quænam sunt peculiares obligationes Appellantis, ibid.
Jura & Officia Judicis Appellationis, ibid.
Jus Canonicum & Jus Civile admittunt tantùm duas Appellationes, ibid.
Communia circà Appellationes, j. 69. 70
Quænam personæ non possunt appellare & propter quas rationes, j. 70
De Sententiis & Appellationibus in Judicio Criminali, j. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96 97
Circà Sententias & Appellationes in re Criminali, quæ in Jure Gallico occurrunt, magis spectant judicia Sæcularia quàm Ecclesiastica, j. 90
Casus, in quibus licet appellare à Judice Ecclesiastico ad Judicem Sæcularem, j. 91
Appellatio non impedit ne id fiat, quod perpetuo Edicto decernitur. ibid.
Appellationi factæ contrà Leges & Canones, non est deferendum, ibid.
De Appellatione à Concilio Generali, ibid.
A Correctione non appellatur, ibid. Nisi modus excedat, ibid.
In Crimine notorio non admittatur Appellatio, ibid.
Plures effectus Appellationis, ibid. 92
Appellationes manifestè injustæ, non sunt admittendæ. j. 91. 92
Ab executore non est appellandum, nisi modum excedat, ibid.
Appellationis remedium non est ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ institutum, ibid.
Non admittitur Appellatio à notorio per evidentiam rei, ibid.
A minori Judice Ecclesiastico ad Majorem Judicem Ecclesiasticum appellandum est, ibid. 93. 94
Qui non defert Appellationi, Appellationem contrà alium objicere non potest, j. 92. 93
Si quis Appellationem prosequi non potuit, hoc non nocet, j. 92
In causis Criminalibus appellare licet ab Episcopis ad Metropolitanos. ibid. 94
In Criminalibus gradatim appellandum esse ab inferioribus Prælatis ad Episcopos, vel eorum Officiales, & ab his ad Archiepiscopum; nec licet, omisso medio, ad Archiepiscopum appellare, j. 94. 95
In Galliâ Appellationes omisso medio, sunt prohibitæ etiam in Curiis Ecclesiasticis, j. 94
In Galliâ à Delegato Episcopi non appellatur ad Episcopum, j. 95
Omnia acta coram Judice inferiori gesta, Appellantis expensis transmittenda sunt ad Judicem Appellationis, ibid.
Fagnanus fusè tractat quæ spectant ad dicta illa acta, ibid.
Causas Sæculares, tàm in criminali quàm in Civili non posse ad Sedem Apostolicam per Appellationem deferri, sed solas Ecclesiasticas, & spirituales, ibid.
Romanum Pontificem non posse causas Ecclesiasticas ad se per Appellationem legitimam delatas in partibus committere, ultra duas Diætas vulgares extrà Diœcesim, nisi ex assensu Partium, j. 97

ARAUSIO.

Concilium Arausicanum laudatum. f. 8. 55. 72

ARBITER, ARBITRIUM.

Arbitrium non valet, cùm Procurator fines mandati excesserit, j. 5
Comparatio Arbitri cum Procuratoribus, j. 7
Arbitrium in personâ incertâ non valet, ibid.
Quænam personæ possunt esse Arbitri, ibid. 8. 19. 20
Unus Arbiter eligi debet, aut tres, j. 7. 8.
Laicus non potest esse Arbiter in rebus Spiritualibus, j. 8
Secùs tamen ut hic, ibid.
Compromittentes possunt quam voluerint formam Arbitris præscribere, ibid.
Arbitri tenentur secundùm compromissi formam judicare, ibid.
Arbitri non possunt alia judicare quàm de quibus est compromissum ibid.
Forma Arbitrii ex instrumento cognoscitur, ibid.
Arbitrium finitur per mortem unius Arbitrorum, j. 9
Arbitrium quomodò aliter finitur, ibid.
Casus, in quibus Arbitrium non valet, j. 8. 9. 10
Arbitri debent judicare secundùm Juris Ordinem, j. 9. 10
Judicium factum per majorem partem Arbitrorum est bonum ac justum, j. 9
Ex judicio seu ex Sententiâ Arbitrorum appellare licet, ibid.

Attestationes Testium receptæ coram Arbitris, Pars potest eas approbare, vel rejicere, j. 39.

ARBITRIUM (LIBERUM)

Liberi Arbitrii nos condidit Deus, j. 157.

ARCHIEPISCOPUS.

Vide Verb. GALLIA, METROPOLITANUS.

ARGENTUM.

Vide Verb. AVARITIA, ELEEMOSYNA, GRATIS, LUCRUM, PECUNIA.

ARMA.

Quænam sunt Arma Spiritualia Ecclesiæ Romanæ, j. 107.

ASTROLOGIA.

Si quis Astrologiæ existimat esse credendum, Anathema sit, j. 160
Vera Astrologia observat stellarum cursus propter utilitatem publicam, j. 159. 160.
Falsa Astrologia seu Astrologia Divinatoria expositione stellarum cùm quisque nascitur, prædicere tentat eventa nostrarum actionum, j. 159.
Ista Astrologia Divinatoria est prohibita per Canones, j. 159. 160
Astrologi periti in Astrologiâ Divinatoriâ, vocantur etiam Genethliaci & Mathematici, j. 159
Planetarii seu Mathematici quinam sunt, j. 159. 160

ATTRITIO.

Contritio imperfecta Attritio dicitur, f. 32
Attritio quid sit, & quomodò disponat ad Remissionem peccatorum in Sacramento obtinendam, f. 32
An Concilium Tridentinum aliquid definierit circà insufficientiam Attritionis ad Reconciliationem Peccatoris in Sacramento, ac circà necessitatem satisfaciendi ante Absolutionem, f. 65

AVARITIA.

Avaritia est Idolorum servitus, f. 8. b. 166. 167. 183
Homo avarus non est Templum Dei, f. 8
In Sacro Caritatis Ministerio omnis cupiditatis suspicio vitanda est, f. 56.
Ecclesiastici quid faciant per Avaritiam, c. 24. b. 160. 161. 162. 163. 164. 165. 166. 167. 168. 179. 182. 203

AUGUSTINUS (SANCTUS)

Sermones illius Sancti suppositi, b. 143.

BALUSIUS.

Balusius laudatur, f. 30. j. 47. b. 57

BAPTISMUS.

Baptismus imprimit Caracterem in animâ, hoc est signum quoddam indelebile, f. 2. 3. 10. 11. 80
Omnibus Baptismus communis est, sed non virtus Baptismi, f. 2
Baptismus est Sacramentorum Fundamentum, f. 3
Baptismus est janua reliquorum Sacramentorum, ibid.
Baptisma circumcisioni successit, ibid
In Baptismo peccata omnia dimittuntur, f. 4. j. 157
Qui sint effectus Baptismi, f. 3. 4.
Baptismus JOANNIS non habuit eamdem virtutem, ac Baptismus CHRISTI, f. 4
In Baptismo materia, quæ est aqua, est visibilis, sed gratia est invisibilis, f. 2. 4. 5
In Baptismo requiritur Elementum aquæ, f. 4.
Casus, in quibus Sacramentum Baptismi est invalidum, f. 4. 5
Nemo potest seipsum baptisare, ibid.
Sacramentum Baptismi est validum, licet factum cum verbis barbarè expressis, f. 4. f. 10
Verba usitata in Baptismo sunt, Ego te baptiso in Nomine Patris, Filii & Spiritûs Sancti, ibid.
Baptismus triplex est, scilicet Aquæ, Fluminis, & Sanguinis, f. 5
Perfecta collatio inter Baptismum Aquæ & Baptismum Sanguinis, f. 5
Nullus salvari potest sine Baptismo, ibid
In casu necessitatis, quilibet potest baptisare, etiam Laicus, f. 6
Canones circà Baptismum extrà Ecclesiam f. 6. 7
Minister Baptismi duplex est, alius scilicet solemnitatis, alius necessitatis, f. 4. 5. 6
De Baptismo Adultorum, f. 6. 7. 8
In Baptismo duo requiruntur, f. 4
Spiritus Dei subministrat Gratiam Baptismi, licet Paganus sit qui baptisat, f. 6
Baptisma Hæreticorum idem est ac Baptisma Ecclesiæ Romanæ, Ecclesiæ Græcæ, seu cujusvis aliæ Ecclesiæ particularis, f. 5. 6. 7
Non sunt rebaptisandi illi, qui ab Hæreticis baptisati sunt, f. 6. 7. 10. 80
Baptismus administrandus est in Ecclesia seu Templo, f. 7. 8.
Secùs in tempore necessitatis, f. 8
Sacramentum Baptismi nunquàm est iterandum, f. 9. 80
Homines recipientes Baptisma cum aliquâ simulatione non obtinent per illud Baptisma Remissionem peccatorum, f. 8. 9
Simon Magus est magnum exemplum hujusce rei, f. 9. b. 160
De illis qui baptisati fuerunt cum solœcismis & barbarismis, f. 10. Vide etiam f. 4. 5
Quid agendum sit quandò ignoratur, vel dubium est, an aliquis fuerit baptisatus, f. 10
Verba seu Forma Baptismi circà Rebaptisationem, ibid.
Ceremoniæ usitatæ in Baptismo reperendæ sunt ex Libris Ritualibus cujusque Ecclesiæ, f. 11
Variæ Ceremoniæ usitatæ in Administratione Baptismi, ibid
Promissiones seu Pacta Deo facta in Baptismo, inviolabiliter sunt observanda, ibid
De variis Unctionibus quæ fiunt antè vel post Baptismum, f. 11. 12. 13
De Fornicatione cum Filiis & Filiabus Spiritualibus, f. 12
Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, f. 10
Baptismus est unus ex septem Sacramentis, f. 1. 3
Fideles vocantur qui baptisantur in CHRISTO, j. 50.
Baptismus & Confirmatio pueris & adultis exhiberi possunt licitè tempore Interdicti, j. 137
Parochi recipientes pecuniam pro Administratione Baptismi committunt detestabile crimen Simoniæ, b. 161. 163

BARONIUS.

Baronius notatus, f. 30

BASTARDUS.

Vide Verb FILIUS.
Proles ex adulterio suscepta non est legitima, f. 128.

BENEFICIUM.

Utrùm aliquis possit habere plura Beneficia, j. 27. b. 44. 45.
Cùm crimina objiciuntur antè susceptionem Ordinis vel Beneficii, si probentur, illam impedire debent, non tamen dejiciunt promotum, j. 103. 104
Cùm opponuntur post Confirmationem, si probentur, impediri debet illius executio, ac etiam Ordinum, vel obtentio Beneficiorum, j. 104
In atrocioribus criminibus dispensari non potest ab executione Ordinum vel Beneficiorum retentione, ibid.
In Minoribus dispensare potest Episcopus, ibid.
Circà mutationem statùs Beneficii Regularis in Secularem, quid requiritur, e. 9
In Beneficiis plenissima Interpretatio est adhibenda, c. 34. 40
Origo Beneficiorum ex Epistolâ Symmachi, b. 1
Beneficium olim sumebatur pro Feudo ex rebus Ecclesiæ dato, b. 1. 59
Prima mentio Beneficii, b. 1
Nomine Beneficii Ecclesiastici intelligi Titulum Spiritualem perpetuum, qui dat locum in Ecclesiâ, & jus percipiendi certos Reditus, ibid.
Rectoria Dignitas est simplex Beneficium, ibid.
Citationes multorum Conciliorum circà originem & naturam Beneficiorum, b. 1. 2.
Sub nomine Beneficiorum quæ res contineantur, b. 2
In materia odiosa sub nomine Beneficiorum quænam contineantur, ibid.
Beneficia Ecclesiastica ad Divinum Cultum atque Ecclesiastica Munia obeunda sunt instituta, b. 2.
Propter Officium Beneficium Ecclesiasticum datur, b. 2. 205
Beneficia Ecclesiastica alia sunt Sæcularia & alia Regularia, b. 3. 199
Beneficia alia sunt Majora & alia Inferiora, b. 3
Regularia Beneficia Regularibus, Sæcularia Sæcularibus sunt concedenda, b. 3. 16. 18. 66.
Beneficia, alia habens Curam Animarum & alia non habens curam Animarum, b. 1. 3
Beneficia Ecclesiastica Hæreditario Jure obtineri non possunt, b. 3. 73
Beneficia haberi non posse nisi vacent, b. 4. 19. 29. 72. 74. 75
Beneficia non posse legitimè acquiri sine Institutione Canonica, vel Canonica Electione, seu legitimo Titulo, b. 4
Pœnæ contra Clericos recipientes & contrà Laicos dantes, Titulum Beneficium Ecclesiasticum, b. 4. 5
Tria vitanda in ingressu ad Beneficium. I. Ne usurpetur propriâ autoritate. II. Ne accipiatur ab eo, qui non habet jus illud dandi. III. Ne à Collatore legitimo per vias illicitas obtineatur, b. 5. 6
Tres sunt præcipui modi Beneficia acquirendi, seu ad illa promovendi; Electio, Collatio, Præsentatio; nomine Provisionis omnes comprehenduntur, b. 9.
Ex his tribus modis providendi, sola Collatio tribuit plenum jus in Beneficio, b. 9
Præsentatio & Electio tribuunt jus imperfectum, quod perficitur ab Institutione vel à Confirmatione, ibid.
Collatores quoslibet teneri Beneficia Ecclesiastica conferre Viris idoneis, cum consensu, & cum examine Episcopi, b. 15. 16. 19. 20. 21.
Ætas, Mores, Scientia & Discretio requiruntur ad Beneficia dignè acquirenda, b. 21

Quinam

Quinam de jure indigni sint ad habenda Beneficia Ecclesiastica, b. 21. 22
Beneficium datum seu confertum de Facto quid sit, b. 26. 72
Circa pluralitatem Beneficiorum, Vide Verb. POLYGAMIA ECCLESIASTICA.
Beneficium datum de jure quid sit, b. 26. 72
In Galliâ Romanum Pontificem non posse ullas Gratias Expectativas, seu Indulta, aut Mandata Apostolica concedere, de conferendis Beneficiis quæ sunt vacatura, b. 30. 31
Beneficia alia sunt compatibilia & alia incompatibilia, b. 41. 44. 57
Quænam sunt compatibilia, b. 44
Quænam sunt incompatabilia, b. 42. 56
Quomodò vacent Beneficia inferiora, quæ quis possidet, cùm aliud obtinet incompatibile, b. 46. 56
Dispensationes à Papa concessas ad obtinenda plura Beneficia; quàm maximè restringendas esse, utpote valdè odiosas, b. 48
Quâ ratione Beneficium sufficiens censeri debeat, b. 49
Reflexiones agendæ circà pluralitatem Beneficiorum, b. 49. 50
Duplex est genus Beneficiorum simplicium, b. 57
Quibus usibus insumendi Beneficiorum reditus sint, per Canones cujusque Sæculi demonstratur, b. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 204
Beneficiatus non est Dominus, sed solùm Administrator Redituum Ecclesiæ, b. 59 60. 61
Beneficia Devoluta transeunt ad Collatores cum suis oneribus, b. 66
Resolutio multorum Dubiorum circà Devolutum Beneficiorum, b. 67. 68
Conferri posse Beneficium ignoranti & absenti, & per alium, b. 69
Episcopus potest imponere honestum quoddam onus super Beneficiis vacantibus, b. 71
Quibus modis vacent Beneficia Ecclesiastica, b. 72
De Conditionibus & Pactis quæ licitè fieri possunt in Beneficiorum acquisitione, b. 71. 72. 73
Nullus impetrare debet Beneficium Clerici viventis, b. 74. 75. 76. 77
Ratio hujus rei, b. 75. 76
De Triennali Possessore Beneficii, b. 70. 78. 79. 80. 81. 82
Circa Beneficia per vim aut violentiam usurpata, b. 70. 82. 83. 106. 107
Decretum de Pacificis Beneficiorum Possessoribus, b. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84
Actiones propter quas Beneficia vacant, b. 90. 91. 115. 167. 168. 169
Crimina propter quæ quis ipso facto à Beneficio privandus est, b. 91. 92. 112. 113. 167. 168. 169
In Galliâ Regressus Casus à Jure expressè permissi recipiuntur, b. 94
Circa regressum ad Beneficia, b. 93 94.
Quibus modis Beneficia amittantur, b. 105. 106. 107. 108. 109. 110. 111. 112. 113
Papa potest dare facultatem conferendi Beneficia vacantia, b. 109
Beneficia ex naturâ suâ sunt perpetua, sic nullus sine gravi causâ Ordine Judiciario probatâ, ex suis Beneficiis spoliari potest, b. 115
Quomodò agendum est ergà Bona & Reditus Beneficiorum vacantium, b. 128. 129
Erectio Beneficiorum quo tempore facta fuit, b. 130
Quomodò judicari possit ea, quæ donata sunt Beneficiariis, fuisse ipsi Ecclesiæ concessa, vel non, b. 130
Obligatio Hæredum Beneficiariorum, b. 130. 131. 158
Circa Beneficiarios Sæculares & Beneficia Sæcularia, b. 199. 200
Cognitionem Possessionis in Beneficiis pertinere ad Judices Sæculares, & quomodò impediri possit apprehensio Possessionis, b. 204. 205
Obligationes Beneficiariorum tàm ad recitanda Officia Divina, quàm ad alia, b. 204. 205. 206
Comparatio inter modum, quo tractantur Beneficia Ecclesiastica, & rationem qua res prophanæ aguntur, b. 206. 207. 208

BENEFICIUM REGULARE.

Junge Verb. BENEFICIUM.
Quædam Singularia quoad Beneficia Regularia, è Corpore Juris deprompta, b. 198. 199. 200. 201.
Collectio illorum Singularium, b. 199
Quid Jus Canonicum doceat de modo, quo Beneficia Regularia Electiva, facta sunt Collativa, b. 199. 200
De Beneficiorum Regularium antiquitate, Regulæ ex Corpore Juris Canonici depromptæ, b. 201
Beneficium Regulare quid sit, ibid.

BERENGARIUS.

Jusjurandum (celeberrimi) Berengarii circà Sacramentum Eucharistiæ, f. 15

BIGAMIA.

Bigamia est permissa, Trigamia quoque, f. 29
Vide Verb. NUPTIÆ.

BONA.

Bona alia sunt mobilia & alia immobilia, c. 1
Bona mobilia sunt quæ consumuntur usu, ut pecunia, c. 1
Bona immobilia seu res Immobiles, quæ usu non consumuntur, c. 1
Annui Reditus inter Immobilia censentur à Jure, c. 1
In Bona distinguendum est dominium plenum seu perfectum, proprietatem, usumfructum, usum, & Possessionem, c. 8.
Bona cum suo onere transeunt ad quemlibet possidentem, c. 17
Ex Jure Naturali omnia Bona communia sunt, c. 25.
Ex Jure Divino omnia Bona Terrestria ad Deum pertinent, c. 1. b. 132
Ex Jure Humano omnia Bona Terræ ad Reges pertinent, & hæc Verba meum & tuum, introducta sunt, c. 1
Clerici, Episcopi possident Bona, & illa Bona sunt aut Patrimonialia, aut quasi Castrensia, aut Ecclesiastica, de quibus illis Bona possunt disponere per Testamenta, c. 20. 21. 46. 47
Quo Tempore Bona Ecclesiæ cœperunt esse fixa ut non auferri possent, b. 2
De Bonis Ecclesiæ, seu de Reditibus annexis Beneficiis Ecclesiasticis, b. 117. 118. 119. 120
Qualia sint Bona Ecclesiæ, & ad quid sint destinata, b. 118. 119. 120
Beneficiarii tenentur rectè administrare Bona Ecclesiæ, b. 126
De Divisione Bonorum Ecclesiæ in quatuor partes, b. 128
Ecclesiastici disponere non possunt de acquisitis nomine Ecclesiæ, secùs de aliis; & quomodò hæc ab illis discernantur, b. 128

BRACHIUM SÆCULARE.

Prælati & Judices Ecclesiastici invocare tenentur auxilium Brachii Sæcularis ad infligendas pœnas Temporales, j. 93. 102. 103. 106. 143
Multi Canones loquuntur de Invocatione Brachii Sæcularis à Prælatis Ecclesiasticis, j. 93. b. 153
Ratio est, quia nullus Clericus potest dictare Sententiam Sanguinis, j. 143

BULLA.

Bullæ sunt stricti Juris, f. 63
Bulla Pii V. non est recepta in Galliâ, b. 108
Clausula Bullarum Jubilei circà Confessarios, f. 58. 63

CABASSUT.

Cabassut. notatus, f. 62

CÆLIBATUS.

Junge Verb. CASTITAS. CONTINENTIA.

CALIX.

Vasa in quibus conficiuntur Mysteria Missæ, sunt Calices & patenæ. f. 25
Ut Calix Domini cum Patenâ, si non ex Auro, omninò ex Argento fiat, ibid.
Nullus Presbyter ligneo aut vitreo Calice præsumat Missam cantare, ibid.
De ære aut auricalcho non fiat Calix, quia, ob vini virtutem, æruginem parit, quæ vomitum provocat, ibid.
Circà materiam ex quâ fieri debeant Calices aliaque Vasa Sacra, ibid.
Calix debet semper esse mundus & nitidus, f. 29

CALUMNIA.

Cùm Testis non probat Calumniam, puniendus est, j. 82
De pœnis contrà Calumniatores, j. 77

CAMBIUM.

Casus, in quibus Usura committitur in Cambiis, c. 79
Ad tollendum in Cambiis Usuræ suspicionem quid faciendum est, ibid.

CAMPANA.

Circà pulsationem Campanarum Tempore Interdicti Generalis, j. 137. 138
Sacerdotes propriis manibus pulsant Campanas antè Celebrationem Missæ, j. 142
Sacerdos in illâ occupatione committit Homicidium fortuitum, ibid.

CAMUS (LE)

P. Le Camus Episcopus Bellicensis, laudatus, c. 8

CANCELLARIÆ ROMANÆ (Regula)

Per Regulam Cancellariæ per annum sex menses Papæ assignantur ad conferenda Beneficia, & Ordinarii habent sex alios menses, b. 36. 37
Observationes in Romanæ Cancellariæ Regulas, ad pacta licita vel illicita circà Beneficia pertinentes, b. 74. 75. 76
Cancellaria est Collegium ad Litteras Sedis Apostolicæ recipiendas deputatum, b. 74
Regulæ Cancellariæ dividuntur in Beneficiales, Judiciales & mixtas, b. 74
Regula de Verisimili notitiâ, b. 76. 77. 78
Autor hujus Regulæ, b 76
Hæc Regula ministrare potest multas Fraudes, b. 77
Regula de Triennali Possessore, b. 78. 79. 80. 81. 82
Expositio Regularum Cancellariæ Romanæ circà Resignationes, b. 87. 88. 89 90
Autor Regularum Cancellariæ, b. 200
Quomodò Regulæ Cancellariæ fieri solent, ibid.

CANON.

Hoc Verbum, Canon, idem est ac Pensio, c. 49
Canones suppositi, b. 142. 143. 149. j. 95

CANONICUS.

Canonicatus est Beneficium Ecclesiasticum, b. 2
Circà Canonicos Regulares, b. 203

CAPELLANIA.

Capellania est Beneficium simplex, b. 54

CAPITULUM.

Capitulum à Beneficiorum Collatione suspendi potest, j. 134
Capitula Ecclesiarum, quid possunt Sede Vacante, f. 75. 76

CARACTER.

Baptismus, Confirmatio & Ordo imprimunt Caracterem in Animâ, hoc est Signum quoddam indelebile, undè ea Sacramenta iterari non possunt, f. 2. 11. 80. 81
Baptismus imprimit Caracterem in Anima, & sic Sacramentum Baptismi nunquàm est iterandum, f. 3. 9. 10
An, & quandò imprimatur Caracter in Baptismo, & utrùm Sacramentum amitti possit, f. 11

CARCER.

Carcer est introductus ad custodiam Reorum pendente accusatione, j. 101
Carcer factus est secundùm Canones, ad Reorum Custodiam non ad pœnam, j. 101
Episcopi habent carceres, *ibid.*
Judex Ecclesiasticus potest Subditos suos condemnare ad agendum Pœnitentiam in pane Tristitiæ, & aquâ Doloris, ad perpetuos Carceres, vel ad tempus, *ibid.*
Carcer perpetuus successit veteri inclusioni in Monasterium propter eumdem finem introductæ, nempè ad amovendam Reo occasionem Criminum, & Populo scandalum, j. 101

CARDINALIS.

An Cardinalis non Episcopus habeat Privilegium sibi eligendi Confessarium, f. 59
Declarationes & Edicta Cardinalium, *ibid.*
Statutum, Congregatio Cardinalium, f. 58
Cardinales sunt Superiores Episcoporum, f. 59
Privilegia Cardinalium circà Electionem Confessarii, f. 62. 63

CASTITAS, CÆLIBATUS.

De Cælibatu Clericorum, Sacerdotum Ecclesiæ Romanæ, f. 72. 75. 86. 91. 107
Historia Cælibatûs, f. 91. 107.
In Historia Cælibatûs quid ostensum est circà Impedimentum Religiosæ Professionis, f. 91
Vide Verb. CONTINENTIA, PUDICITIA.

CASUISTA.

Quid agendum esset hodiè ergà quosdam Casuitas, f. 55

CASUS FORTUITUS.

Casus Fortuitus quid sit, c. 51
Casus, in quibus Casus Fortuitus imputatur, c. 40
Nemo tenetur de Casu Fortuito in contractibus, qui dominium non transferunt, c. 34

CASUS RESERVATUS EPISCOPI.

Episcopi in suâ cuique Diœcesi habent jus sibi reservandi aliquos Casus, f. 39. 40
Reservatio ista est quoad illa Peccata quibus Excommunicationis Censura annexa est, f. 39. 45
Multa circà Peccatorum Reservationem, f. 39. 43
Qui sint Casus communiter in Galliâ Episcopis Reservati, f. 40. 45
Circà Reservationem Peccatorum, vide Libros Rituales uniuscujusque Diœcesis, f. 40
Regulæ circà Reservationem Peccatorum aut casuum, ex Corpore Juris Canonici, Concilioque Tridentino depromptæ, f. 43
Primus Index omnium casuum Reservatorum quisnam est, f. 44
Secundus Catalogus illorum casuum, *ibid.*
In casibus Reservatis Sacerdotes nihil possunt extrà mortis periculum, f. 47
Nulla est Reservatio in Articulo mortis, f. 40. 47. 48
Ex defectu potestatis nulla est Reservatio casuum, f. 47
In dubio quid faciendum est, f. 46
Circà cessationem casuum Reservatorum, f. 47. 48
Qui primus Juris Textus casuum Sedi Apostolicæ reservatorum meminit, idem de casibus Episcopo reservatis mentionem quoque facit, f. 49
Circa casus Episcopis Reservatos, f. 49. 50
Antè BONIFACIUM VIII. specialior jam reservatorum casuum Reservatio nata videtur, f. 50
Discretio seu Religio Summorum Pontificum ergà casus Episcopis reservatos, *ibid.*
Episcopi faciunt amplos casuum Reservatorum Catalogos, f. 52.
Potestas Confessarii circà casus non expressos in illis Catalogis, f. 52
Quæ sit illa Divina Autoritas, cui consona dicitur casuum Reservatio? Estne in Novo, estne in Veteri Testamento? Est-ne in utroque? f. 53
Quodnam est vetustius vestigium Reservationis casuum, f. 55

CASUS RESERVATUS PAPÆ.

Papa ut Summus Pontifex Ecclesiæ Romanæ, suo peculiari Judicio reservavit causas aliquas graviores, f. 39
Qui sint Casus communiter in GALLIA Summo Pontifici Reservati, f. 40
Quandònam de Jure Communi possint Episcopi vel Inferiores Sacerdotes absolvere à casibus Papæ reservatis, *ibid.*
Vide Verb. RESERVATIO PAPA.
Circà casus reservatos Papæ, f. 49
Quisnam est primus casuum reservatorum Sedi Apostolicæ, f. 50.
Casus Sedi Apostolicæ reservati ubicumque reservantur, f. 51
Reservatio casuum Papæ est penè inutilis, cùm absolutio obtineri soleat per litteras, undè ex illâ speratus fructus hodiè maximè diminutus est, j. 127

CATHEDRATICUM.

Cathedraticum est jus Episcopale, b. 179
Quomodò olim vocabatur, *ibid.*

CAUSA.

Causa est materia & origo negotii, j. 10
Dum negotium proponitur, causa est; dum discutitur, Judicium; dum finitur, justitia, *ibid.*
Negotium in causis significat Actionem causæ, quæ est jurgium litis, *ibid.*
Petitio in causâ quomodò fieri potest, j. 11
Diversæ sunt species causarum, j. 16
Causæ favorabiles sunt Matrimonium, libertas, dos, Testamentum, *ibid.*
Causæ aliæ sunt Civiles & aliæ criminales, *ibid.*
De Ordine Judiciario in causis civilibus observando, j. 15
Causæ spirituales & Ecclesiasticæ pertinent ad forum Ecclesiasticum, j. 17. 18. f. 123
Causæ Laicorum & Ecclesiasticorum in Regno Galliæ commorantium extrà Regnum Galliæ judicari non possunt, j. 18
Quomodò se habeant accessorium & Principale in causis, j. 23
Causæ probantur per testes, j. 32
Magnum privilegium causarum Summarium, j. 63
Appellare licet pro minoribus seu levioribus causis, j. 67
Causæ criminales ad solum Clericorum Episcopum deferri debent, nisi speciale sit Privilegium aut Consuetudo peculiaria, j. 72
Romanum Pontificem non posse causas Ecclesiasticas ad se per Appellationem legitimam delatas in partibus committere, ultra duas Diætas vulgares extra Diœcesim, nisi ex assensu Partium, j. 97
In prædictâ Commissione præ cæteris eligendi Episcopi, ipsorumque superiores, causarum Ecclesiasticarum in districtu suo Judices Ordinarii, *ibid.*
Concludere in causâ, quid sit, c. 6

CAUSA MAJOR SEU CAUSA PAPÆ.

Causæ majores per usum & Consuetudinem, Galliæ probatæ ad Papam deferuntur, j. 18

CAUTELA.

Cautela necessaria ad Confessarium præcipuè in Confessionibus Generalibus, f. 54

CENSURA ECCLESIASTICA.

Comparatio reservationis censurarum cum reservatione peccatorum, f. 48. 49. j. 106
Censura est pœna, ideòque reum afficere debet, f. 52
Episcopus à censurâ ab homine alienum Diœcesanum absolvere non potest, *ibid.*
Censura est pœna spiritualis, j. 106
Censura est triplex, scilicet Excommunicatio, Suspensio & Interdictum, j. 106. 107
De Censuris in genere, j. 107
Censura est nervus Ecclesiasticæ Disciplinæ, j. 107. 112
Monitio semper præmitti debet antè censuram Ecclesiasticam, j. 107
Explicatio Clausulæ appositæ in litteris Apostolicis circà Censuras, *ibid.*
Non ad Ecclesiasticos omnes Superiores pertinet Censuram Ecclesiasticam exercere, *ibid.*
Censura tolli potest per absolutionem, vel per revocationem, *ibid.*
Censura est Juris vel hominis, j. 107. 108
Quam partem habere possint Judices Sæculares in ferendis Censuris, j. 107
Quæ requirantur ut censuræ etiam validæ, effectus suos habeant in foro externo, post Decretum de Excommunicatis non vitandis, à Concilio Basileensi editum, j. 108
Hoc Decretum multa nova invexit circà effectus externos Censurarum, *ibid.*
Verba illius Decreti, j. 108. Vide j. 115
Observationes circà verba illius Decreti, j. 108
In Sæculo XV. frequentissimæ erant Censuræ, *ibid.*
Est discrimen inter Censuram nullam & Censuram injustam, j. 118
Est discrimen inter conquerentem de injustâ Censurâ, & conquerentem de justâ, *ibid.*

Cen-

Censuræ sunt pœnæ Ecclesiæ Universalis, sic Excommunicatus ab uno Prælato, ab aliis non est recipiendus, j. 140

CENSUS.

De Censu seu annuo redditu constituto à venditore super bonis venditis, c. 17
Juxtà antiquum & legale dictum, qui negligit Censum, perdit agrum, c. 25
Censum constitutum in certâ quantitate pecuniæ monetæ determinatæ, solvendum non esse secundùm valorem intrinsecum illius, tempore constitutionis, nisi aliud in illa sit expressum, c. 30
De Censibus seu Pensionibus, quæ Beneficiis Ecclesiasticis imponi possunt, c. 30. 31. 32. 33
Census impositi in fundatione Beneficiorum, seu à longo tempore, accuratè solvi debent & nullomodò augeri possunt, c. 30. 31
Censûs nomine alis in Jure etiam significari, quàm Pensionem Beneficiariam, quæ nosse necessarium, c. 32. 33
Per solam solutionem Censûs alicui factam longo tempore illum non acquiri, sed oportere ut constet de causâ solvendi eumque legitimam esse, c. 33
Censum ità in jure distingui à Procuratione, ut in illius Remissione ista remissa non censeatur, c. 33
Contractus censuatis quid sit, c. 40
De annuo Censu constituto super domo, c. 43
Vide Verb. Roma.

CEREMONIA.

Cur Ecclesia Romana adhibet Ceremonias, f. 21

CHRISMA.

De Chrismate usitato in Sacramento Baptismi, f. ee. 12. 13
De Chrismate, f. 3. 55
Chrisma quid sit, f. 12
Chrisma quomodò conficitur, f. 12
Episcopus solus potest conficere Chrisma, f. 13. 55
In die Cœnæ Domini Chrisma conficitur, f. 13
An Presbyteris liceat Baptisatos Chrismate ungere, ibid.
Quale illud Chrisma esse debeat, & à quo petendum sit, ibid.
Chrisma totius Christianitatis salus & perfectio vera, secundùm Joannem VIII. ibid.

CHRISTIANUS.

Duo sunt genera Christianorum, f. 86
Quisnam sit verus Ornatus Christianorum & Christianarum, f. 104
Omnis Christianus memoriter sciat Symbolum & Orationem Dominicam, f. 8
Inter omnes Christianos Sæculares Matrimonium cum pluribus uxoribus est prohibitum, f. 97

CHRISTUS.

Omnia septem Sacramenta à Christo instituta sunt secundùm Concilium Tridentinum, f. 1
Christus Salvator Noster est secundus Adam, f. 5
Circà Baptismum quid Christus dixit, f. 4
Quomodò Christus manducetur in Sacramento Eucharistiæ, f. 16
Cur Christus levavit oculos ad Patrem in institutione Sacramenti Eucharistiæ, f. 24
Corpus Christi in Sindone linteâ fuit involutum, f. 23. 28. 29
Circà Corporale Corporis Christi, f. 28. 29
Vide Verb. Corporale.
Omnis spes, omnis gloriatio hominis verè Christiani est in Christo, f. 35
Christus est agnus Dei & in Arâ Crucis immolatus, f. 41
Christus Nuptiis interfuit, f. 92
Christus est Caput Viri seu hominis, f. 104
Christus, ejusque Apostoli aliqua habuerunt quoad proprietatem, c. 1

CIRCUMCISIO.

Baptisma circumcisioni successit, f. 3. 7
Plus Baptismus hodiè confert Christianis, quàm quondam Judæis Circumcisio contulit, f. 4.

CIRCUMSTANTIA.

Super Fornicatione, Adulterio, Homicidio, & aliis criminibus, Confessarius debet audire in Confessione omnes Circumstantias, f. 36
Confessarius diligenter inquirat circà peccati circumstantias, f. 38
Circà Circumstantias peccatorum, quænam sunt notanda, f. 55
Omnes Canones circà necessitatem confitendi Circumstantias aggravantes peccatorum, f. 57
De Circumstantiis criminum & peccatorum, j. 154. 155. 156

CITATIO.

Citatio, assignatio, vocatio in jus, ac petitio in jure, sunt verba sinonima, j. 24
In Galliâ Citatio seu Assignatio agnoscitur ut basis Processûs, ibid.
In Gallia Assignatio quomodò datur, ibid.
Circà Citationem, j. 24. 25
Intimatio seu Citatio quid sit, j. 24
Fusè de Intimatione in Titulo *De Appel.* j. 24
De Citatione Absentis, ibid.

CLAVIS.

Christus Claves Ecclesiæ concessit Apostolis, eorumque Successoribus, f. 31. j. 96
Quid sint Claves Ecclesiæ, f. 31
Potestas Clavium quid sit, f. 31. 33. 35. 41
De Virtute Clavium, f. 35
Per Claves Regni Cælorum non dubitatur fieri remissio peccatorum, f. 30
Sanctus Petrus est Cæli Claviger, f. 41
Cur Claves Ecclesiæ Romanæ contemnuntur, f. 42
Potestas Clavium circà mortuos, j. 130. 131

CLAUSULA.

De Clausulis Juris, illarum vi, & effectu, j. 12. 13 14
Notitia Clausularum in Judicibus maximè est necessaria, j. 12
Clausulæ aliæ sunt communes, aliæ peculiares, j. 8
Clausulæ communes vel sunt præservativæ vel derogatoriæ, j. 12
Clausulæ peculiares vel sunt Delegatoriæ, vel Judiciariæ, vel Beneficiariæ, vel restringentes, ibid.
Est differentia inter Clausulas Juris & Regulas Juris, ibid.
Clausula, *Ex certa scientia & plenitudine potestatis*, ibid.
Cur hæc Clausula non recipitur in Galliâ, ibid.
Exempla & explicatio plurimarum Clausularum, j. 12. 13. 14
Clausula, *Motu proprio*, apud Gallos nihil operatur, & pro non inserta habetur, j. 12. b. 55.
Nonnullæ Clausulæ pro subjectâ materiâ interpretandæ sunt, j. 13
Clausula, *Servatis servandis*, ibid.
Clausula *Vocatis vocandis*, ibid.
Clausula, *Et aliorum inferiorum*, ibid.
Clausula, *Quod si non omnes*, j. 14
Clausula, *Et quidam aliis*, ibid.
Clausula *Omni Appellatione remotâ*, j. 59
Clausula Bullarum Jubilei circà Confessarios, f. 58. 63
Clausula apposita in Literis Apostolicis circà Censuras, quomodò explicanda est, j. 107
Multæ Clausulæ circà Mandata, b. 34. 35
Clausula, per obitum, b. 40. 78
Clausula, quovis modo circà Resignationem, b. 78

CLERICUS.

Canones notandi de Officio Clericorum ergà Episcopum quoad Confessiones, extrà Corpus Juris deprompti, f. 64
Clericorum gradus & nomina sunt hæc, Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolitus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Episcopus, f. 67
Clericus qualis debeat esse, f. 70
Propter quæ peccata aut facta Clerici non debeant ad Ordines, ac præcipuè ad Sacerdotium, admitti, f. 73
Clerici & omnes Ecclesiastici sunt membra Reipublicæ Sacræ seu Spiritualis, f. 80
Omnes Clerici Ecclesiæ Romanæ non possunt contrahere Matrimonium, f. 107
Sub pœnâ Excommunicationis, f. 107. Vide etiam, b. 113
Quisnam est Judex Clericorum Reorum, j. 17. 18
Clerici & Monachi possunt ferre testimonium in causis Ecclesiarum suarum, j. 39
In Galliâ Clerici & Monachi debent testimonium ferre coram Judice Sæculari, j. 34
Clerici sine magnâ necessitate non admittuntur ad juramentum, j. 48
Clerici non debent servare juramenta facta contrà Canones, aut contra Statuta Ecclesiæ, j. 44. 45
De Foro quem sortiuntur Clerici ratione delictorum, j. 70. *& seq.*
In Galliâ servatur Ord. 1670. j. 70
Clerici à viris Sæcularibus vitâ & habitu distinguuntur, j. 70. 72
Clericus de omni crimine coràm Judice Ecclesiastico debet conveniri, j. 70. 71. 72
Circà crimina Clericorum in Galliâ servatus Edictum 1695. j. 71
Clerici committentes crimina atrocia, sicut homicidia, à solis Judicibus Laicis puniri debent, j. 71
Clericus est cælestis miles, ibid.
Clericus committens enormia delicta amittit Privilegium Clericale, j. 71
Clerici judicandi sunt cum Ordine Judiciario & cum Probatione Judiciaria, j. 73
Clerici contumaces, prout Dignitatis ordo permiserit, ab Episcopis corrigantur, j. 89
Clericus qui propter vacillationem incarceratur, infamiam non incurrit, j. 101
Prælati possunt condemnare Clericos incorrigibiles ad agendum Pœnitentiam in pane tristitiæ, & aquâ doloris, ad perpetuos carceres, vel ad tempus, j. 101
Excessus Clericorum puniendi sunt pœnâ spirituali, secundùm Canones, & non pecuniariâ, j. 102
Si Clerici crimina commiserint, quæ capitale supplicium vel gravem corporis pœnam mereantur, relinqui debent regiis Judicibus condemnandi, j. 102. 103
Clerici pro qualitate criminum suspendi debent vel deponi, deindè excommunicari debent, j. 104
In loco secreto constitui ad agendam pœnitentiam, j. 104. 105
Olim illa pœnitentia fiebat in Monasteriis, ibid.
Vide Verb. Carcer.

Quis Ordo servandus in pœnis contrà Clericos infligendis, j. 105
De Excommunicatione quæ incurritur propter violentam manuum injectionem in Clericum, j. 124. 125. 126. 127. 128. Vide etiam, j. 108. 111. 115. 121.
An, & qui incurrant hanc Excommunicationem, j. 124. 125
A quo absolvi possint ac debeant Laici vel Clerici, qui Excommunicationem incurrerunt propter violentam manuum injectionem in Clericos, j. 126. 127
Casus, in quibus Clerici incurrunt pœnam Excommunicationis, j. 132. 133.
De Depositione Clericorum, Notabiliores Decisiones Juris ipsis Textuum verbis, j. 135
Casus in quibus Clericus est Membrorum putridum, ibid.
Ad quæ teneantur speciatim Clerici Censuris aut Irregularitate ligati? Et quæ pœnæ decretæ sint in eos qui sic Divina Officia exercent, j. 139. 140. 141 142. 143. 144.
De Clericis Minori duntaxat Excommunicatione ligatis, j. 139
Ad quid teneantur Clerici Irregulares, vel qui sunt Majoribus Censuris ligati, j. 140
Clerici ab omni humano sanguine se abstinere debent, j. 142
Clericatûs Officium Clericos reddit inhabiles ad pugnandum, j. ibid.
Sententiam Sanguinis nullus Clericus dictet, j. 143
Clerico Causas Sanguinis agitare non licet, ibid.
Punitur Clericus ad cautelam, si conflictui interfuit in quo aliqui fuerunt occisi, licet ipse neminem percusserit, j. 143
Quæ pœnæ decretæ sint ergà Clericos qui Majoribus Censuris ligati Sacrum Ministerium exercent, j. 144. Vide etiam, j. 129. 130
Clerici habent plura Privilegia quoad solutionem debitorum suorum, c. 29
Quæ sint, qui illis gaudeant, an sint ipsis peculiaria, c. 29 30
Quicquid acquirit Clericus in Ecclesiæ administratione, non sibi, sed Ecclesiæ acquirit, c. 46
Circà Testamenta Clericorum, Monachorum quoad bona Patrimonialia & bona Ecclesiastica, c. 46. 47. Vide etiam, c. 20. 21
Clericus Idoneus quis sit, ibid.
Quomodò judicandum in Foro externo aliquem Clericum non esse idoneum, b. 23
An & quomodò idem Clericus habere possit plura Beneficia, b. 41. 42. 43. 44 45. 46. 47. 48. 49
De pœnis contrà Clericos possidentes plura Beneficia incompatibilia, b 44
Canones per ordinem temporum digesti contrà Clericos possidentes plura Beneficia, b. 51. 52. 53. & seq.
Circà reditus Beneficiorum; an quislibet Clericus de superfluo pro libitu disponere possit, b. 57 58. 59. 60. 61. 62
Clerici Beneficiarii si uxores in Matrimonium sumant, ex illo ipso tempore amittunt omnia Beneficia, b. 113. Vide etiam, b. 91. f. 107
Ecclesiam habere posse bona, quæ Clerici quicumque, seu divites, seu pauperes, possint percipere, b. 117. 118
Quænam sunt Obligationes Clericorum circà administrationem & Titulos bonorum Ecclesiæ, b. 126
Bona Clerici intestati decedentis ad illius Hæredes pertinent, b. 119
Clerici Simoniaci sunt mercatores Sacri & Spirituales, sunt etiam fures & latrones, b. 161. 162. 165. 167. 168. 175. 182. 183
Circà reditus ordinarios & extraordinarios Clericorum. vide Verb. Reditus.
Obligatio Clericorum circà recitationem Officii Divini, b. 205. 206
Aliæ Obligationes Clericorum, b. 204. 205

COACTIO.

Junge Verb. Vis.
Vim, seu Coactionem excusare omninò à peccato, eam ei nolenti consentitur; Secùs, non excusare, j. 149. 156
Inter invitum & invitum, coactum, & coactum non absurdè distinguitur, j. 149
De Matrimoniis factis cum Coactione. f. 90
De pœnis contrà similes Coactiones, ibid.
Matrimonium per Vim aut Coactionem contractum cohabitatione spontaneâ convalescit, f. 105. j. 150.

COGNATIO.

Triplex est Cognatio, alia Naturalis, quæ dici solet Consanguinitas, alia Spiritualis, alia Legalis, f. 107. 111
Vide Verb. Consanguinitas Gradus.
Cognatio Spiritualis quomodò contrahitur, f. 111
An, & quomodò Cognatio Spiritualis impediat Matrimonium contrahendum, & dirimat contractum, & inter quas Personas, f. 111. Vide etiam, f. 12.
An, & inter quas personas oriretur Impedimentum dirimens ex cognatione legali, sive Adoptione civili, f. 112

COLLATIO.

Est Beneficium quod ad alicujus Collationem spectat, b 8
Collatio Canonica quid sit, b. 9
Collatio est una ex tribus præcipuis modis acquirendi Beneficia. b. 9
Collatio tribuit plenum jus in Beneficio, b. 9. 15
Collatores inferiores non tribuunt plenum jus in Beneficio, b. 9.
Circà Collationes Papæ & Legati in forma dignum, b. 9
Is ad quem spectat Collatio Dignitatum seipsum instituere non potest, b. 16. Vide etiam, b. 11
Collatio Beneficiorum sit publica, libera, & gratuita, b. 16. 24. 25. 69. 164. 165. 166. 167.
Quibus in casibus Collatores mereantur suspendi à Facultate conferendi Beneficia, vel illam amittere, b. 23. 66.
Collatores habent spatium sex mensium ad conferenda Beneficia; undè illud sumatur quomodò & contrà quos curat, b. 23. 24. 65. 66.
Collatio post illos sex menses non valet, nisi de Misericordiâ, b. 24
Qui sint Collatores Ordinarii, vel esse possint, b. 26. 27
Cùm Collatio pertinet ad plures, quomodò agendum est, b. 28
Collatio Beneficiorum pertinet ad Jurisdictionem voluntariam, seu Gratiosam, b. 27
Collatio Beneficiorum computatur inter Fructus, seu Reditus cujusque Beneficii, ibid.
Collatione semel factâ Beneficii, nisi illa planè irritetur, novam ejusdem concessionem fieri non posse, b. 29
Acceptatio Electi requiritur post Collationem, b. 69.
Per solam Beneficii Collationem, non dicitur quis acquirere illius Possessionem, ibid.
Collatio est actus legitimus & sic debet fieri sine conditione, b. 71

COMEDIA.

Comediæ, Ludi Theatrales & alia Spectacula prophana in Ecclesia fieri non debent, c. 61

COMMENDA.

Commendæ sunt Beneficia partim Regularia & partim Sæcularia, b. 5.
Circà Commendas Regolares, b. 199 203
Quandò Commenda fit ad vitam dicitur verus Titulus, b. 10
Commendatarii non minùs tenentur ad promotionem Presbyteratûs quàm Titulares, b. 10. 204

COMMISSIO.

Commissio est generalis aut specialis, f. 47
Utraque Commissio quomodò fieri potest, ibid.
Commissio specialis duplex est, ibid.

COMMODATUM.

Commodatum quid sit, c. 18. 50.
Regulæ circà Commodatum è Jure Canonico depromptæ, c. 50. 51

COMMUNIO.

De Dispositionibus necessariis ad Sacram Communionem, tàm ex parte Corporis, quàm ex parte Animæ, f. 19
An Communio veterum Canonum idem sit ac hodiè Absolutio. f. 48
Major Excommunicatio à Communione Fidelium separat, & Minor Excommunicatio à perceptione Sacramentorum separat, j. 109. 110
Homicidæ & Falsi Testes à Communione Ecclesiastica submovendi sunt, j. 112
Quid significant hæc Verba, ab Ecclesiasticâ Communione repelli, b. 74

COMPARATIO.

Comparatio Confessarii cum Medico, f. 33. 35. 37
Comparatio Confessarii cum Judice, f. 31. 32. 35 36. 38
Sacerdos ut Sapiens & perfectus Medicus sit discretus & cautus, f. 37
Comparatio Ordinum Ecclesiæ Romanæ cum Membris Corporis Humani, f. 69.
Comparatio Sacri Ordinis cum Matrimonio, f. 80. 81
Comparatio Reipublicæ Sacræ seu Spiritualis cum Republicâ Profanâ seu Temporali, f. 80
Comparatio improbi Judicis cum Juda, j. 17
Comparatio inter Res Ecclesiasticas & Res profanas, b. 206. 207. 208
Comparatio Episcopi cum Cane immudico, j. 98.
Comparatio Excommunicationis cum Medicinâ, j. 112.
Comparatio Peccatoris cum Juda, j. 156
Comparatio Curati cum bove, c. 31.
Comparatio Furis Ecclesiæ cum Juda, c. 67. 73
Comparatio Usuræ cum Rapinâ, c. 83
Comparatio Clericorum cum Membris Corporis Humani, b. 43
Comparatio Clericorum possidentium plura Beneficia cum vulpe, b. 54
Comparatio Ministrorum Novi Testamenti cum Ministris Veteris Testamenti, b. 142
Comparatio Ecclesiasticorum cum Mercatoribus Mundanis, b. 161. 165. 167. 168

COMPENSATIO.

Compensatio non habet locum in Deposito, c. 40
Sive in Realibus, sive in Personalibus Actionibus compensatio admittitur, si Causa sit liquida, c. 28. 40

COMPROMISSUM.

Compromissum revocatur per mortem Compromissarii, j. 6
Comparatio Compromissi cum Mandato sive Procuratione j. 7
Compromissum de incertâ Personâ in Arbitrum assumendâ non valet, j 7
Compromissum fieri potest simpliciter, vel sub certa pœna, j. 8

Non

Non valet Compromissio facta in Laicum de Rebus Spiritualibus, j. 8

CONCILIUM GENERALE.

Concilium Generale repræsentat Ecclesiam Universalem, f. 131
Papa inferior est Conciliis Generalibus, ibid.
Vide etiam in Tomo Secundo hujus Operis Paginas 7. 26. 104. 149 418

CONCILIA GENERALIA SEX PRIMORUM SÆCULORUM.

Concilium Generale Nicænum I. laudatum, f. 40. 55. 69. 73
Hoc Concilium anno 325. fuit celebratum, f. 69

CONCILIA GENERALIA NOVA SEU RECENTIORA.

Concilium Generale Constantiense. laudatum, f. 3. j. 18. 115
Concilium Generale Basileense, laudatum, f. 3 b 22. 30. 32. 41. 56. 78 79
Anathemata fulminata à Concilio Tridentino circà numerum Sacramentorum & circa Sacramenta in genere, f. 1. 2. 3.
Concilium Generale Lateranum laudatum, f. 41
Concilium Tridentinum partim celebratum est ad condemnationem Hæreticorum. f. 50
Hæretici erraiunt circà casuum Reservationem secundum illud Concilium, f. 50
Concilium Tridentinum novam constituit Disciplinam circà electionem Confessarii, f. 63
Concilium Generale Nicænum II. laudatum, f. 74. j. 135. 161. c. 16
Observationes super Decretum Concilii Basileensis de Excommunicatis non vitandis. j. 108. 109
Concilium Generale Lateran. II. anno 1139 laudatum, j. 120
An certum sit Clementinam III. de Elect. factam esse in Concilio Viennensi, b. 83
Concilium Tridentinum quomodò receptum est in Gallia. b. 84

CONCILIUM PARTICULARE.

Quænam erat autoritas Conciliorum Particularium in sæculo IV. j. 69
Concilium Sardicense ann. 347. laudatum, ibid.
Verba notatu digna Concilii Antiocheni ann. 341. circà Episcopos accusatos de aliquo crimine, ibid.
Quænam erat olim autoritas Conciliorum Particularium circà Depositionem Episcoporum, ibid.
Hodiè Papa habet illam autoritatem, ibid.
Acta seu Decreta Concilii Sinuessani sunt supposititia, j. 95

CONCUBINA.

Homo non potest habere Concubinam, j. 162
De pœna contrà Concubinarios, ibid.
Clerici Concubinarii sunt excommunicati, j. 132

CONCUPISCENTIA.

Concupiscentia per visum est Adulterium, j. 163
Casus in quibus Concupiscentia est peccatum, j. 158. 162

CONCUSSIO.

Concussio quid sit, c. 71
Quid doceat Jus Canonicum circà concussionem, c. 73

CONDEMNATIO, CONDEMNATUS.

Condemnatus injustè per Judicem non censetur condemnatus apud Deum, j. 87
Propter vehementem suspicionem non debet condemnari, sed diligenter inquirendum est, j. 90
Convicti per Testes, aut spontè crimen confessi debent condemnari, ibid.
Condemnetur, aut absolvetur reus per Sententiam Judicis, j. 103

CONDITIO.

An, & quomodò dissolvantur sponsalia ob appositam conditionem non impletam, f. 84
Actus legitimi non recipiunt conditionem, f. 90
Circà conditiones appositas in Matrimonio, ibid.
Enumeratio multarum conditionum contractuum, c. 38. 39
De Conditionibus & pactis quæ licitè fieri possunt in Beneficiorum acquisitione, b. 71. 72. 73

CONDUCTOR.

Conductor & Locator inter se differunt, c. 52
Quandò magno incommodo afficitur Conductor agrorum, tunc fit remissio pensionis, c. 18

CONFESSARIUS.

Per claves Regni Cœlorum non dubitatur fieri Remissio Peccatorum, f. 30
Comparatio Confessarii cum Medico, f. 33. 35. 37
Confessarius qualis debeat esse, f. 37. 38. 39. 57
Comparatio Confessarii cum Judice, f. 31. 33. 35. 36. 37. 38
Confessarius ut Judex Spiritualis quid scire debeat, f. 36
Quem modum tenere debeant Sacerdotes in Pœnitentiis imponendis, f. 35
Est hypochrisis si quis habet duos Confessarios, unum ad Peccata Mortalia, alterum verò ad sola Peccata Venialia, f. 37
Ad Confessiones audiendas approbatio ab Episcopo gratis detur, f. 37. 57
Sacerdotes tenentur ad sigillum Confessionis, f. 39
Quâ pœnâ puniri debeant Sacerdotes qui revelant peccata sibi detecta in Confessione Auriculari, ibid.
Qualis sit crimen Sacerdotum qui cum Pœnitentibus Fœminis sub prætextu Confessionis peccant, & quâ pœnâ puniantur, f. 41
Solus Confessarius ligatur per Reservationem. f. 48. 51
Antè sæculum XIII. nullus Juris Textus de Indulto eligendi Confessarium mentionem facit, nec post sæculum XV. f. 50
An Confessarius sic electus à reservatis absolvere possit, ibid.
Confessarius circà absolutionem servare debet Leges locales, f. 52
An certum sit Confessarium electum vi Indulti, quo Confessarium sibi eligere potest, ab iis quæ Jure Communi reservata sunt Indultum concedenti, absolvere posse, f. 53
Canones de Officio Confessarii, aliundè quàm ex Corpore Juris desumpti, continentes Epitomen antiquæ & novæ Disciplinæ circà Pœnitentias imponendas, circumstantias declarandas, Interrogationes faciendas, Jus Ordinarium & Delegatum Confessiones audiendi, reservationes Casuum, cum Notis necessariis, f. 54. 55. 56. 57
Confessores, Confessores Diaboli quinam sunt, f. 56
Confessarius est Pars & Judex cùm audit Confessiones Mulierum cum quibus carnaliter peccavit, f. 56
Confessarius in Confessione non debet sollicitare Fœminas ad lubricitatem, ibid.
Circà pecuniam datam ex injunctione Confessarii à pœnitentibus sub prætextu Eleemosynæ. ibid.
Idoneus Confessarius inter lepram & lepram debet discernere, ibid. Vide etiam, f. 37.
Verus Confessarius quærere debet in Confessione animarum salutem, & non pecuniam, f. 57
Consultatio spectans ad Privilegium eligendi sibi Confessarium, jure concessum Episcopis & aliis Superioribus, necnon & Prælatis inferioribus immunibus. ibid.
Utilitas & necessitas hujus consultationis. ibid.
An illud privilegium sit adhuc necessarium. ibid.
Origo illius privilegii, f. 58
Duplex est genus Confessariorum secundùm Concilium Tridentinum. f. 58
An hoc privilegium refundatur in illos, seu spectet ad illos qui legitimè sunt impediti ne adeant Confessores Ordinarios, f. 60
Quænam potestas ab hoc privilegio concedatur? An ut solùm quis eligat sibi Confessorem ex iis qui sunt approbati, aut, an ut unum sibi approbet, f. 61. 62
An Prælati possint tempore Jubilei eligere Confessarios non approbatos, f. 61
In sæculo XIII. numerus Confessariorum perpaucus erat, f. 63. Vide etiam, f. 65
Si Confessarius cæcus cæcum ducit, ambo in foveam dilabuntur, f. 70.

CONFESSIO.

Confessio est probatio tàm in civili, quàm in criminali Judicio. j. 25. 27. 81
Probatio per Confessionem est una ex quatuor modis probandi, j. 27
Confessio partis nocet confitenti, j. 29
Confessus in Jure pro judicato habetur, j. 29. 81
Ex Confessione Partium Judex quid colligat, j. 29
Confessio Procuratoris Domino præjudicat, j. 5. 29
Confessio Advocati præjudicat Parti suæ, nisi revocetur. j. 29
Confessio fit multis modis, ibid.
Confessio quomodò revocatur, ibid.
In Collectionibus Gregoriana & Bonifaciana quomodò actum sit de Confessione, j. 31. 32
Crimen constat per Confessionem spontaneam, vel per Confessionem legitimam. j. 81. 90
Nulli de se confesso debet credi in præjudicium aliorum, j. 81
Non creditur confitenti crimen contrà alium, vel falso contrà se ipsum, j. 81. 82
Confessio facta coràm non suo Judice non præjudicat confitenti, j. 82
Confessio facta incidenter in alio negotio, potest dare occasionem crimen confessum puniendi, ibid.
Casus, in quibus confessus in Jure potest appellare, j. 92
Mitiùs agitur cum spontè confesso, quàm cum convicto, j. 100
De Confessione facta in Jure per metum aut timorem, j. 151. c. 63

CONFESSIO SACRAMENTALIS.

Junge Verb. POENITENTIA SACRAMENTALIS.
Utilitas Confessionis. f. 32
Confessio est secunda pars Sacramenti Pœnitentiæ, ibid.
Confessio fuit instituta à CHRISTO, f. 33
Confessio peccatorum est necessaria Jure Divino, f. 32. 33
Non potest quisquam justificari à peccato, nisi antè fuerit peccatum confessus, f. 32
Confessio per literas est falsa, temeraria & scandalosa, f. 33
Sufficit illa Confessio quæ Deo offertur. ibid.
In Confessione dicendum est peccata mortalia & peccata venialia, ibid.
Quousque attendatur obligatio confiteri omnia & singula peccata mortalia, ibid.
An illas circumstantias confiteri teneamur, quæ aggravant peccata mortalia, f. 34
Ecclesia Romana unicam præcepit in anno Confessionem, ibid.
Suadendum est Laicis, ut confiteantur tempore Quadragesimæ, ibid.
An, & quomodò subveniendum sit iis Fidelibus, qui casu quodam impediuntur à confitendis ore peccatis, ibid.
Circà Confessionem infirmorum in lecto decumbentium, f. 39

CON.

Confessio sacrilega quid sit, f. 48. 57
Confessio cum fraude facta. f. 51. Vide etiam, f. 48
Confessio auricularis est maximè periculosa pro Confessario, sic Confessarius maximè eget Dei auxilio. f. 54
Modus interrogandi Pœnitentes in Confessione, f. 55. 57
Notabiliores Canones circà Quadragesimalem Confessionem, f. 64

CONFIDENTIA.

Peculiares circà confidentiam observationes ad Simoniam Beneficiariam pertinentes, b. 194. 195. 196
Quid sit confidentia, b. 172. 173

CONFIRMATIO.

Invalidæ rei, invalida Confirmatio, c. 35. 61
Effectus Confirmationis, b. 9

CONFIRMATIO SACRAMENTALIS.

Confirmatio imprimit caracterem in animâ, hoc est signum quoddam indelebile, f. 2. 13. 80
Confirmatio baptisatorum non est otiosa ceremonia, Spiritus Sanctus quomodò infunditur in Confirmatione, f. 13
Quid sit Confirmatio, ibid.
Varia nomina hujusce Sacramenti, ibid.
Differt à Baptismo, ibid.
Minister hujus Sacramenti Confirmationis est Episcopus Ordinarius. ibid.
Quare Episcopus est solus Minister hujus Sacramenti, ibid.
Confirmatio est utilissima contrà omnes insidias Diaboli, ibid.
Sacramentum Confirmationis ab Apostolorum tempore fuit solis Episcopis reservatum. ibid.
Sacramentum Confirmationis non est à Fidelibus contemnendum. ibid.
Hoc Sacramentum iterandum non est, f. 14
Sacramentum Confirmationis habet tres effectus, f. 13. 14
Confirmatio est Sacramentum. f. 2. 13.

CONJUGIUM, CONJUX.

Junge Verba Matrimonium, Nuptiæ, Separatio.
Duo sunt in Conjugio, videlicet consensus animorum, & commixtio corporum, f. 93
Conjugium commixtione corporum consummatur, f. 93. 94
Conjugium non solvitur per morbum supervenientem, propter sterilitatem, per adulterium, f. 96. 124
Usus conjugii licitus est, f. 86. 99
Finis conjugii est liberorum procreatio, f. 99
Fides Thori est unum de tribus bonis conjugii, ibid.
Utrùm teneantur conjuges ad reddendum sibi mutuò debitum conjugale, & propter quem finem id facere possint. ibid.
In Conjugio maritus sit maritus ergà uxorem suam, & non amator immoderatus aut adulter, f. 99. 100
An propter votum, vel Orationem conjuges possint debitum conjugale sibi denegare, f. 100
Casus, in quibus vir peccat se abstinendo à debito conjugali erga uxorem, ibid.
Et è converso, ibid.
Excepto hoc debito maritus est caput mulieris, ibid.
An possint conjuges diutiùs abesse, & an teneantur se sequi, f. 104
An aliqui casus occurrant in quibus conjuges possint ac debeant continere, & an possint jurare se mutuò debitum non petituros, & ad quid obliget illud Juramentum, f. 103
De aliis generalibus conjugum, tùm ergà se, tùm ergà filios, Officiis, f. 104
An, & quomodò conjuges teneantur sibi reddere debitum, vel possint illud exigere, si contraxerint cognationem spiritualem post legitimum matrimonium. f. 111. 112
Quid agendum sit si alter conjux alteri jurasset se eum nunquàm accusaturum de adulterio, aut dimissurum, f. 122. j. 47
Quænam est Lex conjugii, f. 123
Quandonam debeant reddere vel exigere debitum conjugale, qui impedimenti dirimentis conscii sunt, nec possunt illud probare. f. 125
Conjux non potest ad secundas nuptias transire antequàm habeat Testimonia certa mortis prioris conjugis, f. 130
Quomodò se gerere debeat conjux quoad debitum Conjugale, si antè receptum certum nuncium mortis ad secundas nuptias transivit, ibid.
Ad quid teneatur si posteà deprehenditur priorem Conjugem vivere, ibid.
Post confirmationem Clericorum in Beneficio, tunc conjugium Spirituale contractum est, b. 8

CONSANGUINITAS.

Consanguinitas est vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum, f. 107
Consanguinitas undè oriatur, ibid.
Consanguineorum matrimonia sunt prohibita per Leges Moysis, per Leges Canonicas, & per Leges Civiles Principum, f. 108
Quomodò computentur gradus Consanguinitatis, juxta Jus Canonicum quod vulgò est in usu in Galliâ, ibid.
Vide Verb. Gradus.
Quid Episcopus præstare debeat, ne Consanguinei nubant, f. 109
Qua ratione sit contestanda lis, & finienda, super Consanguinitate, ad impediendum matrimonium contrahendum, f. 110
Qua ratione lis instituenda sit, quoad matrimonium contractum inter Consanguineos dirimendum, f. 110
De exceptione seu recusatione ex Consanguinitate, j. 26. 54

CONSCIENTIA.

Quid sit Conscientia, j. 145
Quot modis conscientia habere se possit, ibid.
Conscientia alia est certa, alia probabilis, alia verisimilis, alia dubia, alia incerta, alia levis, alia timorata, alia scrupulosa, alia erronea. j. 145. 146
Quid in qualibet agendum, exponitur, ibid.
Nullus debet contrà conscientiam peccare mortaliter, j. 145
Conscientia tenere debet certum, & dimittere incertum, j. 145. 146
Agere contrà conscientiam in rebus gravis momenti, est peccatum mortale. j. 146
Conscientia erronea deponenda est. ibid.
Quænam est bona conscientia, j. 156

CONSUETUDO.

Quænam sunt piæ, devotæ & laudabiles Consuetudines secundùm Jus Canonicum, b. 163. 164. 179. 185
Consuetudines approbatæ & reprobatæ circà simoniam, b. 179. 184

CONTESTATIO LITIS.

Omissâ contestatione litis nullus est processus, j. 25

CONTINENTIA.

Junge Verbum Castitas.
An, & quomodò conjuges possunt privatim vovere continentiam, & ad quid tale votum illos astringit, f. 106
Casus, in quibus maritus peccat si propter continentiam propriam sine consensu uxoris, se abstinet à copulâ carnali, ibid.
Et è converso, ibid.
In conjugio multi casus occurrunt in quibus conjuges sine culpâ, sed non sine causâ continere coguntur, f. 103
Juramentum continentiæ inter conjuges est juramentum temerarium, f. 103
Vide Verb. Votum.

CONTRACTUS.

Contractus versantur circà bona temporalia. c. 1
Contractus præcipuè instituti sunt ad transmissionem bonorum temporalium, c. 8
Per Contractus fieri etiam possunt ea, quæ circà personas versantur, ut matrimonium. ibid.
Multa alia fieri possunt per Contractus, c. 9
Contractus ex conventione legem accipit, c. 15
De intentione contrahentium ex formâ Contractûs judicandum est, ibid.
Plena est interpretatio adhibenda in Contractibus, c. 15. 24. 34
Non dissolvitur, nisi contrariâ voluntate, c. 15
Contractus bonæ fidei non dissolvuntur, ibid.
Cùm violenter aut illicitè contractum est, non debet stare, ibid.
In Galliâ omnes Contractus censentur bonæ fidei, ibid.
Quædam Regulæ Generales quæ ad Contractus maximè pertinent, ibid.
Circà Contractus ac quasi Contractus Regulæ ex Jure Canonico depromptæ, c. 33. 34. 5. & seq.
An Contractus irriti ex defectu solemnitatum substantialium valeant quoad pias causas, s. 24. 25
Plurimæ nascuntur injustitiæ ex Contractibus, c. 33
Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur, c. 34. 40
Quæcumque circà Contractus in genere consideratos in Jure Canonico habentur, ad quænam puncta reducuntur, c. 36
Contractus vel latè vel strictè sumitur, c. 37
Contractus considerari potest vel in se, vel ut talis est, ibid.
Casus, in quibus multi Contractus irritantur, c. 37. 38
Variæ divisiones Contractuum, c. 38
Contractus in Jure Canonico mentionati quinam sunt, c. 37
Contractus alii sunt nominati & alii innominati, c. 39
Circà incapacitatem contrahendi, ibid.
Quænam sunt personæ quæ contrahere non possunt, ibid.
Circà Contractuum effectus in Jure Canonico, c. 40
In quibus Contractus conveniunt, ibid.
In quibus Contractus differunt, ibid.
Dum dubitatur, qualis sit Contractus, non ex nomine, sed ex naturâ, de qualitate judicandum, ibid.
Quasi Contractus quid sit, c. 41
Varia exempla quasi Contractûs. ibid.
Multæ Regulæ circà Contractus mixtos, c. 60. 61. 62
Quinam sunt Contractus mixti, c. 60
De præcipuis causis nullitatis Contractuum, c. 62. 63. 64
Vide Verb. Restitutio.
Circà Contractus simoniacos, c. 37. b. 166. 167. 169. 176. 177

CONTRITIO.

Contritio est pars Sacramenti Pœnitentiæ, f. 32
Quid sit contritio in genere, ibid.
Contritio qualis esse debeat, f. 32. 61
Contritio alia est perfecta & alia imperfecta. f. 32
De Contritione perfectâ, ibid.

Contri-

Contritio imperfecta, Attritio dicitur, f. 23
De Contritione imperfectâ; quid sit, & quomodò disponat ad Remissionem peccatorum in Sacramento obtinendam, f. 32
Actus ad excitandum in nobis Contritionem, f. 61

CONTUMACIA, CONTUMAX.

Quilibet vocatus ad judicium debet ire; aliàs condemnatur pro Contumaciâ, j. 22
Quilibet vocatus à Judice suo, venire tenetur allegaturus Privilegium suum, ibid.
Absente altera Partium, cùm citata non fuerit, non debet Contumax judicari, j. 24
Per Scripturas Authenticas probatur Contumacia, ibid.
De judicio per Contumaciam, j. 87
Contumacia aliquandò in quâ consistit, j. 111
Contumacia Testium in re gravi digna est Excommunicationis, j. 131

CONVENTUALIS ECCLESIA.

Modus singularis & particularis in dicendo Horas Canonicas in Ecclesiis Conventualibus tempore generalis Interdicti, j. 137

CORPORALE.

Notabiliores Canones circà usum Corporalium aliondè quàm ex Corpore Juris depromoti, f. 28
Ordo horum Canonum dispositus est secundum Ordinem Chronologicum, f. 28
Corporale super quo Sacra Oblatio immolatur ex linteo fit, f. 28. 29
Corporale nunquàm super Altare remaneat, f. 28. 29
Circà Corporale vide multa apud Beliore, f. 28
De Ablutione Corporalium, f. 28. 29. 30
Corporale ab Episcopo consecrandum est, f. 28. 29
Corporale in ignem projectum, & quare, f. 29. 30
Corporale debet esse mundum, f. 29.
Corporale differt à Pallis, ibid.
Quæ ex collectis Canonibus circà Corporale inferre licet, ibid.
Corporale cur Opertorium vocatur, f. 28. 29

CORPUS.

De Irregularitate ad Ordines propter vitium Corporis, f. 70. 81
Totus digitus & integer in Corpore Sacerdotis est pars valdè utilissima, & necessariò debet habere illum digitum integrum ut possit sine scandalo solemniter celebrare Missam, j. 144
Infirmitas Corporis nonnunquam ex peccato provenit, j. 158

CORRECTIO.

In Criminalibus Prælati cum moderatione debita potiùs corrigant, quàm severè, j. 88
In causâ Correctionis, Appellatio non suspendit Executionem Sententiæ, vel Legis ab Episcopo latæ, sed tantùm devolvit causam ad Superiorem, j. 91
Appellatio executionem eorum quæ ad morum Correctionem pertinent, non suspendat, ibid.
A Correctione non appellatur, ibid.
A Correctione non est appellandum, nisi modus excedat, ibid.
De Correctione Fraterna, j. 156

CRIMEN.

Crimen occultum, Crimen publicum seu Notorium, f. 10 j. 74. 75
Peccatum publicum, peccatum aut delictum occultum, f. 36. 37
Distinctio inter Crimina occulta & publica circa Ordines recipiendos aut exercendos, f. 73.
Crimina sunt materia judiciorum criminalium, j. 2
De Ordine Judiciario in causis Criminalibus observando, j. 70 & seq.
Ibi causa agatur, ubi crimen admittitur, j. 70
Ibi crimen puniri debet, ubi quis deliquit, ibid.
In Galliâ servatur Ord. 1670. ibid.
Crimen est aut Ecclesiasticum, aut Laicum seu Sæculare, ibid.
Crimen merè Ecclesiasticum à Clerico commissum à Judice Ecclesiastico puniri debet, j. 71.
Quæ crimina per Judicem Ecclesiasticum examinari possunt, j. 71. 72
Quæ crimina sunt de Jurisdictione Judicis Sæcularis, ibid.
Crimina punienda sunt cum Ordine Judiciario & Probatione Judiciaria, j. 73.
Crimen est peccatum grave, accusatione & Damnatione dignissimum, j. 74.
Quid sit Crimen Notorium, j. 74. 75
Quid sit Crimen Manifestum, j. 74
Quid sit Crimen Publicum, ibid.
Crimen est Notorium tribus modis, ibid.
Quibus modis Crimina innotescant, j. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80 81. 82. 83 84
Aliquandò Crimen ex solâ famâ manifestum est, j. 75.
Id non sufficit ad Condemnationem, ibid.
Attamen Judex debet de tali Crimine ex Officio inquirere, ibid.
Tribus modis Criminaliter procedi potest, per Accusationem, per Denunciationem, & per Inquisitionem, ibid.
Crimen aliud est occultum, aliud publicum, aliud notorium, aliud manifestum, j. 74. 75
Per modum Exceptionis Crimen opponi potest, j. 75. 76
Ubi Civiliter agitur de Crimine, potest Procurator intervenire, j. 76
Per quinque modos Judex pervenire potest ad cognitionem Criminum, scilicet per Notorietatem, Accusationem, Denunciationem, Inquisitionem & Exceptionem, ibid.
De Crimine civiliter probato, ibid.
In Criminalibus agendum est per se & non per Procuratorem, ibid.
In Criminalibus accusatus tamen potest se defendere cum auxilio Procuratoris, j. 76. 77
Crimina probanda sunt per duos aut tres Testes, j. 79
In Causis Criminalibus Judex antè condemnationem debet omnia examinare cum magno pondere & summâ æquitate, j. 80 81
Crimen constat duobus modis, j. 81
De Crimine Læsæ Majestatis, j. 81. c. 59
Cùm probatur crimen per Testes, Sententia condemnationis ferenda est, nec admittitur Reus ad probandum se non deliquisse, j. 82. 83
In Jure Canonico nulla sunt Crimina Capitalia, j. 84
Judex seu Superior debet diligenter perscrutari veritatem per Inquisitionem, postquàm ad eum clamor pervenit de Criminibus alicujus, j. 85. 86
Crimen occultum Prælatus punire non debet, quia illud scit ut Deus, non ut Judex, j. 88
Prælati cum moderatione debita potiùs corrigant, quàm severè, nisi talia sint Crimina quæ atrociores pœnas exigant, ibid.
Quæ sint Crimina ob quæ debent Ordinarii tradere reos Sæculari Judici, j. 93
Quænam Crimina secundùm Canones, per duplicem pœnam punienda sunt, j. 94
Cùm punitum Criminum remissa est, iterari non debet, ibid.
Non est crudelitas Crimina pro Deo punire, sed pietas, j. 98. 99
Ad publicam utilitatem respicit ut Crimina puniantur, j. 98
Publicæ utilitatis interest ne Crimina remaneant impunita, ibid.
Crimina punienda non sunt animo vindictæ, sed justitiæ, j. 99
Crimina diversissimè sunt punienda & pœnæ secundùm illa Crimina aut minuendæ aut augendæ, j. 103
Severitas exercenda est in peccata aut Crimina paucorum, ibid.
Pro Criminibus pœna pecuniaria exigi non debet, j. 102
Crimen Damnosum quid sit, j. 115
Pro quibus Criminibus incurratur Excommunicatio, j. 132. 133
Crimen quid sit, j. 153
Quænam sunt Crimina mortalia, ibid.
Crimina æqualia non sunt, j. 153. 154
De differentia & inæqualitate Criminum, ibid.
Quandò, & quot modis Crimen committitur, & de circumstantiis Criminum, j. 154. 155. 156
Circà socios Criminis, c. 59. b. 171. 175

CULPA.

Sunt Culpæ in quibus Culpa est relaxare vindictam, j. 98
Quisquis Culpam fecerit, in ipsum, ut dignum est, vindicetur, j. 99
In quo major est Culpa, gravior exerceatur vindicta, ibid.
Culpæ aliæ sunt leviores, & aliæ graviores, ibid.
Culpæ pro modo suo puniendæ sunt, graviores magis, minus leviores; habitâ ratione personarum, juxtà pœnas à Canonibus statutas, ibid.
Duplex est genus Culparum inter mortales, j. 118
Aliquandò negligentia non multùm distat à Culpâ, j. 154
Qui non adhibet diligentiam quam debet, in culpa est, j. 155
Qui abjurat malum, quàm citò scit malum, non debet dici Culpabilis, ibid.
Timor attenuat Culpam, ibid.
Sæpè sine culpâ agitur quod venit ex culpâ, j. 157
Quædam sunt culpæ in quibus culpa est relaxare vindictam, j. 158
Culpa unius aliquandò cedit lucro alterius, ibid.
Culpa alia est lata, alia latior & alia latissima, c. 58

CURATUS.

Junge Verb. Parochus.
Tractatus de *Curato* laudatus, f. 25
Quæ Dispositiones requirantur in Curato ad faciendam Missam, ibid.
Casus, in quibus Curatus præbet ansam Idololatriæ, f. 26
Parochiani non possunt eligere Confessarium sine licentiâ aut consensu Curati, f. 56
Curatus debet concedere illam Facultatem absque magnâ Inquisitione Causæ, ibid.
Si Curatus in Confessione Auriculari sollicitat Fœminam ad lubricitatem, subtrahitur ipso facto à potestate Curati quoad Confessionem, ibid.
Decimæ personales, & Prædiales, quasi debitum exigi possunt per Curatum aut Parochum, b. 134. 135. 143.
Circa Decimas reales & Personales, b. 143
Quinam sunt Curati Primitivi, b. 147
Curati recipientes pecuniam pro Sacramentis administrandis committunt magnum peccatum Crimenque Simoniæ, b. 160. 161. 163. 182
Sic recipientes pecuniam sunt imitatores Fraudis Simoniacæ, b. 161
Sub quocumque prætextu nihil possunt exigere à Laïcis, b. 161. 163. 179

CURIA ROMANA.

An & quomodò Papa possit conferre Beneficia quæ vacant in Curiâ, b 34
Apostolicâ Sede Vacante, possunt Ordinarii conferre Ecclesias Parochiales quæ in Curia vacant, ibid.
Circà hanc Vacationem ubi examinatur, ibid.
Regulæ ex Corpore Juris desumptæ circà vacantium in Curiâ Beneficiorum Reservationem, b. 37 & seq.
Vacare in Curia Romanâ, & vacare apud Sedem Apostolicam, idem sonant, b. 37
Origo & antiquitas hujus Reservationis, b 37. 38
Causa hujus Reservationis. b. 38
Ad quæ Beneficia sese extendat, & ad quos vacandi modos. b. 38. 39
Quomodò Beneficia vacant in Curiâ. b. 39
Usus Galliæ circà Reservationem Beneficiorum vacantium in Curiâ, b. 39. 40. 41
Quænam sunt præcipua discrimina inter vacantium in Curiâ Reservationem, atque alias Juris Corporis clausas. b. 41

CUSTOS.

Officium Custodis, f. 29

DALO.

Dalo laudatus, b. 2

DAMASIUS.

Liber Pontificalis Damasii est suppositus, f. 30
Error in Chronologia circa Damasum Papam, j. 74. 76

DAMNUM.

Quis tenetur si culpâ suâ Damnum dedit. c. 84
Si animal tuum mihi Damnum dedit, tu teneris, c. 85
Si hoc fecit in publico loco, quia qui ocasionem Damni dat, tenetur, ibid.
Non decet alicui suum Officium esse damnosum, ibid.
Suâ culpâ sentire Damnum sibi imputare debet, ibid.

DEBITOR.

Quod debetur, non iniquè repetitur, j. 11
De juramento Debitoris circà usuras solvendas, j. 47
Filii Patris hæredes Debita defuncti, & quique Debitores tenentur sua Debita solvere, cum moderatis expensis atque damnis, c. 27
Instrumenta inspici debent ut de Debitis judicetur, nisi causa exprimatur. c. 28
Tenetur Actor Debitum probare si denegetur, aliàs tenebitur Reus probare se indebitè promisisse. ibid.
Debitor, qui jam liberatus est, non tenetur solvere, ibid.
Non relevatur à Debito, qui alii solvit quod debet, ibid.
Peccat qui exigit ultrà Debitum, c. 29
Pecunia per me vel per alium soluta peti non potest, ibid.
Qui repetit indebitum solutum, illud debet probare, ibid.
Prælatos Ecclesias suas inutiliter obligare pro alienis Debitis, & contrà facientes suspendi ab Administratione Spirituali & Temporali, ibid.
Modus discernendi debita Ecclesiæ à Debitis Beneficiatorum, b. 128

DEBITUM.

Casus, in quibus Conjuges peccant in reddendo sibi Debito Conjugali, f. 99. 100
Casus, in quibus homo peccat si sine consensu mulieris, se abstinet à Debito matrimoniali, f. 100
Et è converso ergà mulierem, ibid.
Ratio est quia mulier est pars corporis mariti, f. 99
Æquale est jus mariti & mulieris quoad Debitum matrimoniale, f. 100
In cæteris vir est Caput mulieris, f. 100. 104
Casus, in quibus maritus potest denegare uxori suæ Debitum conjugale, f. 103
Vide Verb. Conjugium.

DECIMÆ.

De omnibus Decimis nullus sit, qui de Sacerdotibus recipiat Censum vel aliquod servitium, præter Ecclesiasticum, c. 32
Decimæ adhibendæ sunt ad reparationes Ecclesiarum, b. 61. 62. 63. 64. 144. 158.
Decimæ non ab homine, sed ab ipso Domino, sunt institutæ, b. 132
Loci Consuetudo attendenda est in solutione Decimarum. b. 133. 140. 144. 149. 154
Decimæ de quibus rebus à Laicis ad Ecclesiasticos persolvendæ sint, b. 132. 133. 143
Decimæ sunt onera realia, quæ de fructibus terræ persolvi debent, b. 133
Decimas omnium fructuum solvendas esse, nullis deductis expensis, Damnis, aut Censibus, b. 133. 148. 149 158
Decimæ sunt Ecclesiarum & Clericorum jura, b. 133 134. 135
Decimæ prædiales illi Ecclesiæ sunt dandæ, in cujus territorio prædia sunt constituta, b. 134. 148
Sub pœnâ Excommunicationis, b. 134. 135. 146
Decimæ Personales, & Prædiales quasi Debitum exigi possunt per Clericos, b. 134. 135
Omnes, seu Laici, seu Clerici cujuscunque gradûs, ac Regulares tenentur solvere Decimas de prædiis suis, non de hortis, b. 135
Decimæ de Jure Canonico sunt debitæ ad Ecclesiam Parrochialem, b. 132. 133. 134. 135. 137. 140. 141. 147
Decimæ aliæ sunt Majores, aliæ Minutæ, aliæ Mixtæ, aliæ Personales. b. 136. 143. 144. 155. 156
Minutæ Decimæ partus Animalium, b. 136. 144. 146
Decimæ præscribuntur per spatium quadraginta annorum, b. 136. 146. 147. 148. 156
Una Ecclesia potest præscribere Decimas in Parochiâ alterius, b. 136
Nemo potest Decimas uni Ecclesiæ debitas ad aliam transferre, b. 136. 137
Episcoporum esse, cùm novas Ecclesias erigunt, Decimas eis assignare, b. 137. 146
Circà Decimarum solutionem fieri posse compositionem inter Personas Ecclesiasticas, modò pecunia non interveniat, b. 137
Quid inter Clericos & Laicos, ibid.
Solus Papa potest dare privilegia, seu Exemptiones de non solvendis Decimis, b. 138
Laici cum Dispensatione possunt possidere Decimas, b. 139
Possunt etiam possidere Decimas Feudales, & quomodò? b. 139. 140. 150. 151. 152
Decimæ sunt quodammodo ex Jure Divino, b. 132. 140. 150
Modus acquirendi Decimas, b. 141. 147. 148. 149
Decimæ quomodò extingui possunt, b. 141. 146
Regulæ circà Decimas Ecclesiasticas ex Corpore Juris Canonici Conciliōque Tridentino depromptæ, b. 141. 142 143. 144. 145
Decimæ Ecclesiæ Romanæ non idem sunt ac Decimæ Judaicæ, b. 141
Quænam est Terra Decimalis. ibid.
Sub Decimarum nomine quid intelligat Jus Canonicum, ibid.
Decima quid sit, b. 142
Illa Decima differt in multis à Decimis de quibus in isto Articulo, b. 142
Illa Decima est ferè abrogata, ibid.
Textus Antiquiores Juris Canonici circa Decimas, b. 142. 143
Septem sunt genera Decimarum, b. 143.
Circà Decimas personales. b. 143. 149
Circà Minutas Decimas, b. 144.
Decimæ solvendæ sunt tantùm ex Jure Humano secundum Jus Canonicum, ibid.
Causæ propter quas Decimæ solvendæ sint, b. 144. 145
Casus, in quibus Decimæ non sunt solvendæ, b. 145
Ex privilegio quinam Ecclesiastici sunt exempti à Decimarum solutione, b. 145. 146
Circà modum solvendi Decimas, b. 148. 149
Decimæ Ecclesiasticæ sunt ortæ ex Decimis Sæcularibus. b 150
Circà Judicem Causarum Decimalium. b. 152. 153
Quodnam est Gallicum Jus circà Decimas, b. 153. 154. 155 156. 157. 158. 159.
Decimæ sunt res merè Temporales, b. 154
Quænam sunt Novæ Decimæ, b. 156.
Circà Decimas Silvarum, b. 157
Quænam sunt onera Decimatorum & Decimarum, b. 158
Dubia circà Decimas, b. 159

DECRETALE VOLUMEN, SEU DECRETALIS EPISTOLA.

Additio facta in Decretalibus, f. 121
Hæc additio fortassè facta fuit à Raimundo, ibid.
Scripta supposititia Papæ Alexandri I. j 47
Falsæ Decretales, b. 31

DECRETUM.

Canones suppositi à Gelasio Papa allegati. j. 95
Multi Sermones suppositi, b. 142. 143. 149.
Multa circà Decretum de Pacificis Possessoribus, b. 78. 79. 80 81. 82. 83. 84

DEGRADATIO.

Clerici criminosi, postquàm per Ecclesiasticum Judicem fuerint degradati, Sæculari Potestati tradantur, secundùm Constitutiones legitimas puniendi, j. 103. 105
Propter quæ crimina Ecclesiastici ab Ordininibus Sacris degradandi sunt, j. 103
Degradatio est mera Ceremonia Ecclesiastica, j. 106
Degradatio jamdiù penitùs abolita est in Galliâ, ibid.
Multa circà Degradationem. ibid.
Vide Verb. Depositio.

DELATOR.

Delatores quinam sunt, j. 77
Pœnæ contrà Delatores, ibid.

DELEGATIO, DELEGATUS.

Delegatus à Papâ delegare potest, f. 48
Comparatio Delegati cum Procuratoribus. j. 7
Delegatus potest esse Arbiter, retentâ etiam Delegatâ Jurisdictione, j. 8
Delegata Jurisdictio ad nominatas tantùm Personas in Rescripto extendi debet, j. 15
Jurisdictio Delegata finitur variis modis, j. 16
Judices Delegati, j. 19. 20
Judex à Romano Pontifice Delegatus vices illius gerit, j. 21
Delegatus vices gerit Delegantis, j. 21
Delegatus eamdem habet jurisdictionem in accessorio, quàm in principali, j. 21
Delegatus Papæ major est Ordinario, quantùm ad Causam illam quæ est ei commissa, j. 21
Judex Delegatus à Sede Apostolica recusari potest, j. 26. 27
Judex Delegatus ab Episcopo quomodò recusatur, j. 26

DELICTUM.

Ratione Delicti efficitur quis De Jurisdictione alterius. j. 70

Delicta

Delicta occulta & incognita isti sunt relinquenda, qui solus novit corda Filiorum Hominum, j. 88
Delicta non ex furore, sed cum moderatione & justitiâ punienda sunt, j. 89
Delictum non dicitur plenè probatum, etiamsi constet de plenâ præsumptione vehementi, j. 90
Ætas excusat à Delictis, j. 155
Delictum personæ in damnum Ecclesiæ redundare non debet. b. 128

DENUNCIATIO.

In Criminalibus per Denunciationem procedi potest, j. 75. 76
Quomodò fit Denunciatio, j. 76 85
De modo procedendi in Causâ Criminali per viam Denunciationis, j 85. 86. 87
Qui non potest accusare, potest denunciare, j. 85
Quænam personæ non possunt denunciare, ibid.
Criminosus non publicus alium denunciare potest, ibid.
Monitio præcedere debet Denonciationem, ibid.
De Denunciatione Excommunicationum, Suspensionum, & Interdictorum. j 115. Vide etiam, j. 108
Clementinæ ictu digna continentes circà illam Denunciationem, j. 115

DENUNCIATIO MATRIMONII.

Junge Verb PROCLAMATIO.
Tres Denunciationes Matrimonii in Ecclesia Parochiali per tres dies festivos faciendæ sunt, & quare, f. 91. 132
Casus, in quibus nulla Denunciatio Matrimonii facienda est, f. 91
Post Denunciationes factas ad celebrationem Matrimonii procedere licet, ibid.
Circà Denunciationes, f. 132

DEPOSTIO.

Clericos ob crimina Juridicè depositos non esse sibi Ipsis relinquendos ut vivant more Laicorum. j. 97
Propter quæ crimina Ecclesiastici ab Officii honore deponendi sunt, j. 104. 118. 129. 130. 135. usque ad Sæculum XIII. Episcopus non poterat sine Concilio Sacerdotum Clericum deponere, j. 104
Non omnis depositus Curiæ Sæculari tradendus est, sed si incorrigibilis fuerit tantùm, j. 104. 105
Depositio cum spe restitutionis, j. 106
Depositio sine spe restitutionis, j. 106. 135
De Depositione Clericorum, j. 135. 139. 144
Cum Clerico deposito non est dispensandum, j. 135
Qui deposuit non potest restituere, j. 135
De deposito contra Jus & Canones, ibid.
Degradatio seu Depositio perpetua ab Ordinibus vel Gradibus Ecclesiasticis, duplex est, verbalis & Actualis, sive Realis & solemnis, ibid.
Degradatio est Diminutio Capitis respectu Clericorum, ibid.
Depositio Clericorum quomodo fieri debet, ibid.
De Depositione Episcoporum fusè in Tomo Secundo hujus Operis.
Depositio differt in pluribus à Suspensione & ab Irregularitate Beneficiis succedente, ibid.

DEPOSITUM.

Depositum quid sit, c. 18. 52
Depositum est Contractus bonæ fidei, c. 19
In illo Contractu Depositarius aliquandò de solo Dolo, aliquando de culpa tenetur. c. 19. 52. 53
De Restitutione Depositi, c. 18 19. 52
Regulæ circà Depositum, è Jore Canonico depromptæ, c. 52. 53
Triplex est genus Depositi, c. 53

DEVOLUTIO.

Beneficia non data post spatium sex mensium sunt devoluta, undè illud spatium sumatur, quomodò & contrà quos currat, b. 23. 24. 65 67
Principia de Jure Devoluto latè sumpto, b. 65
Devolutio à Jure Devoluto distingui solet, tamen hic sub Jure Devoluto comprehenditur, ibid.
Jus Devolutum quid sit, ibid.
Hoc Devolutum non acceptum est in Galliâ. ibid.
Materia Juris Devoluti duplex est, ibid.
Sex sunt species Juris Devoluti, b. 65. 66
Beneficia Devoluta transeunt ad Collatores cum suis oneribus, b. 66
Circà Devolutum ex incapacitate, b 66. 67
Resolutio multorum Dubiorum circà Devolutum Beneficiorum, b. 67 68
Quandonam, & ad quos devolvatur potestas conferendi inferiora Beneficia Ecclesiastica, b. 68

DEUS.

Promissiones seu pacta Deo facta in Baptismo, inviolabiliter sunt observanda, f. 31
Deus Misericordiam suam promisit omnibus hominibus, f. 31 Vide etiam, f. 50
Omnis potestas à Deo est, f 54
Quia est Minister Dei, ibid.
Vili pretio magnam rem vendit, qui hujus vitæ intuitu Deo servit, j. 149
In cunctis nostris actibus gloriam Dei proponere debemus, ibid.
Omnis terra ad Deum pertinet ex Jure Divino, c. 1. b. 132
Quod semel Deo consecratum est, ad humanos usus transferre non licet, c. 44

DIABOLUS.

Quænam sunt opera & pompæ Diaboli, f. 15
In Baptismo renunciandum est Diabolo, ibid.
Diaboli Confessores quinam Sacerdotes, f. 56
Confessores Diaboli quinam sunt, ibid.

DIACONUS.

Diaconus est in Majori Ordine constitutus. f 67
De Diacono, f. 67. 68
Quomodò fit Ordinatio Diaconi, f. 68 72. 78
Quodnam est Officium Diaconi, f. 69
Diaconus qualis debeat esse, f. 70
Quid requiratur ut promoveantur aliqui ad Diaconatûs Ordinem, f. 72
Ætas requisita ad Diaconatum est XXIII. annus, ibid.
Diaconus ob fornicationem depositus, à Communione non est removendus, j 94.
Diaconus incontinens pro modo culpæ puniendus est, j. 98

DIÆTA.

Diæta est iter unius diei. j 97
Diæta alia est vulgaris & alia legalis, ibid.

DIGNITAS.

Dignitates sunt Beneficia Ecclesiastica. b 21
Sub Dignitatis nomine quid intelligatur, ibid.
De Pœnis contrà Clericos possidentes plures Dignitates, b. 42 43. 44. 45. 53. 54. 55.

DILATIO.

Præsumitur contrà illum qui Dilationibus subterfugit Judicium j. 89
Verba Gonzalis circà Dilationes, j. 25
In Galliâ Dilationes præfixæ sunt ab Ordinationibus Regiis, ibid.

DIOECESIS.

Per egressum è Diœcesi Reservatio cessat ergà quemvis confitentem. f. 48. 51
Responsio ad Objectionem circà hanc cessationem, ibid.
Circà peccata reservata in Diæcesi, f. 52
Vide Verb EPISCOPUS.
An vi Indulti liceat extrà Diæcesim Confessarium eligere. f. 53
Ultra duas Diætas extrà suam Diœcesim, per Litteras Apostolicas nullus trahi potest. j. 97
Diæta quid sit, ibid.
Si Actor & Reus sint ejusdem Diœcesis seu Civitatis, non debet extrà ipsas Causa committi, j. 97
Limites Diœceseos præscribi non possunt. c. 15. 14

DISCIPLINA.

Ritus vel ad Disciplinam pertinent, vel ad Doctrinam. f. 3.
In Ecclesiâ Romanâ Disciplina ubique eadem non est, imò quandòque longè diversa, f. 21
Antiqua & nova Disciplina çircà electionem Confessarii, f. 63
Disciplina tradita à Majoribus servanda est, j. 87
Clerici contrà Ecclesiasticam Disciplinam non appellant, nisi graventur injustè, j. 91
Ex suppositione factâ post Sæculum, VIII. nata est nova Disciplina in Ecclesia Romanâ circà Sacerdotes lapsos, j. 96

DISCRETIO.

Discretio est omnium virtutum mater, j. 149

DISPENSATIO ECCLESIASTICA.

Quænam est potestas Episcopi circà Dispensationem quoad Irregularitates. j. 140
Quænam est potestas Episcopi circà Dispensationem quoad Irregularitatem ex homicidio ortam, j 148
An Episcopus possit dispensare circà Beneficia incompatibilia. b. 54
Dispensatio Episcopi circà Simoniam, b. 185. 186
Jus dispensabile & jus indispensabile, b. 181

DISPENSATIO PAPÆ.

Dispensatio reservata Papæ circa Ordinationes extrà tempora statuta, f. 77
A matrimonio rato Papa, nullâ ex causâ dispensare potest, f. 95
Dispensationes reservatæ Papæ circà Irregularitates. j. 140 141 143. 144
Dispensationes reservatæ Papæ circà Clericos excommunicatos, j 144
Dispensationes circà pluralitatem Beneficiorum sunt odiosæ, b 48
Dispensatio reddit licitum quod erat illicitum, ibid.
Dispensatio circà Beneficia incompatibilia ad solum Papam pertinet secundùm Canones, b. 54
In Dispensatione requiritur ut à Deo sit acceptata, b. 56
Ut filii immediatè succedant in Beneficiis Paternis, solus Papa certis de causis dispensare potest, b. 73
Dispensatio Papæ circà Simoniam, b. 170 171. 178. 185. 186
Quoad Dispensationem circà Polygamiam Ecclesiasticam seu pluralitatem Beneficiorum, b. 199
Vide Verb. POLYGAMIA.

DIVINATIO.

Verus Christianus enutritus in lecturâ Evangelii Christi, condemnat vanas Doctrinas & Divinationes ab hominibus inventas circà dies faustos & infaustos, j. 159. c. 71

Augurium erat Divinatio per volatum avium inter Romanos Æthnicos valdè in usu, j. 159. 160

Divini dicti sunt quasi Deo pleni, j. 160

Auguria, Aruspices, Magia, Divinatio per sortes, Astrologia planetaria seu Divinatoria, prohibentur per Canones sub pœnâ anathematis, j. 159. 160

Hæ omnes Divinationes sunt superstitiosæ, ibid.

DIVISIO.

Jonge Verb. Praebenda, Unio.

De dissolutione Unionis Beneficiorum, eorumque Divisione, ac suppressione, b. 117

Quatuor requiruntur conditiones ad illam Divisionem, ibid.

DIVORTIUM.

Jonge Verb. Separatio.

Matrimonium per carnalem copulam non consummatum dissolvi potest per ingressum in Monasterium, f. 94.

Matrimonium consummatum non solvitur per Divortium, f. 96

De Divortio, seu separatione conjugum quoad thorum seu cohabitationem, f. 119

Divortium aliud est quod fit per Sententiam Judicis, & aliud per propriam autoritatem conjugum, ibid.

An & quandò revocari possit Sententia Divortii inter conjuges lata, f. 123

Post Sententiam Divortii à Judice legitimè promulgatam, alter conjux non potest cum alia persona Matrimonium contrahere, f. 124

Ratio est quia matrimonium est indissolubile usque ad mortem, f. 96. 124

Divortium duplex est, f. 132

DOCTOR.

Inter Doctores variarum Facultatum, quisnam est primus, secundus, &c. b. 18

Idem in Licentiatis & Baccalaureis, ibid.

DOLUS.

De juramento extorto per Dolum aut per fraudem, j. 46 47. 50

Exceptiones ex Dolo malo, j. 53

Est-ne discrimen inter Dolum malum & Dolum bonum, ibid.

Quandò fieri censeatur Dolus, & quomodò probetur, j. 148

Scienti & consentienti non fit Dolus, ibid.

Dolus malus quid fit, ibid.

Ex diuturnitate temporis vel negligentia probatur Dolus, ibid.

In dubio in delictis præsumitur Dolus, ibid.

Ne quis commodum ex Dolo vel fraude reportet, ibid.

Dolus impunitus remanere non debet, ne malitia fit lucrosa, ibid.

Quæ Dolo fiunt, non valere, j. 148. 149. c. 37

Metus & Dolus æquiparantur, c. 37 64

Circà renunciationes seu resignationes propter Dolum adversarii quis restituitur, b. 107

DOMICILIUM.

Non habentes Domicilium quomodò admittuntur ad matrimonium, f. 92

DOMINIUM.

Dominium quid fit & quotuplex, c 8

Dominium ex diversis causis haberi non potest, c. 13. 14

DONATIO.

Donatio propter nuptias, f. 127. c. 45

Infrà viginti quinque annos debet Donatio juramento firmata, j. 47

In Donationibus valet præscriptio, c. 13

Consuetudo servanda est in Donationibus in ultimâ voluntate factis locis Religiosis, c. 22. 23

Donationes Ecclesiis, seu ad Pias causas, tàm in bona valetudine, quàm in ultimâ voluntate minùs solemniter factæ valent, si ità ferat consuetudo, c. 23

Ecclesia non approbat quod Clerici & Monachi per blanditias, promissiones aliasve circumventiones sollicitant fideles ad res suas donandas ad Ecclesias seu Monasteria, c. 24

Plenissima interpretatio in Donationibus est facienda, c. 24. 45

Regulæ circà Donationes, è Jure Canonico desumptæ, c. 45. 46

Qui non est rei donandæ Dominus, donare non potest, nisi proprius consentiat Dominus, c. 45

Non omnis donandæ rei Dominus illam donare potest, ibid.

Quoties Donationis causa est nulla, Donatio quoque nulla est, ibid.

Donatio quandò & quomodò revocari possit, ibid.

Quæ donari aut non donari possint, & per quas Personas, ibid.

DOS.

Nullum fiat conjugium fine Dote, f. 127

Dos assignatur marito ad sustinenda onera matrimonii, ibid. c. 76. 81

Quid fit Dos, f. 127

Omnia bona mariti mulieri propter Dotem obligantur, ibid.

Dos omnibus Creditoribus præfertur, ibid.

An Dos alienari vel amitti possit, ibid.

Favor multus debetur mulieribus in recuperandis Dotibus, ibid.

Soluto matrimonio Dos redire debet ad mulierem, & Donatio ad virum, ibid.

Consuetudo vel pactum in hoc derogat legi, ibid.

Separato licitè matrimonio aut Divortio celebrato Dos restituenda est, ibid.

Dos est res seu causa favorabilis, j. 16

De juramento mulieris circà alienationem Dotis, j. 47

Circà fructus Dotis, c. 76. 81

DUBIUM.

Verbum Dubium non nocet, j. 27. 28

In dubiis tutior pars est sequenda, j. 108

In dubiis semper tenendum est illud quod securius & certius est, j. 145

Probabiliter dubitari potest de facto aliquo, ibid.

In his quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus, ibid.

In Dubio abstinendum est à rebus faciendis, j. 146

Non est in quæstionibus ultrà quàm oporteat dubitandum, ibid.

In Dubio tutius est eligendum, f. 46. j. 110. 140. 146

EBRIETAS.

Ebrietas est causa multorum peccatorum, j. 156

Ubi Ebrietas, ibi libido dominatur, & furor, ibid.

ECCLESIA SEU TEMPLUM.

Ecclesia propter negligentiam Procuratoris restituitur, j. 5. c. 64

Qui Ecclesiarum incendium Diabolo instigante, commisit, est ipso jure Excommunicatus, j. 133

Ecclesia interdicta, quid de Capellà ejus & Cæmeterio ipsius, j. 136. 137

Ecclesia præscribit bona privatorum intrà spatium triginta annorum, c. 10

Laici præscribunt contrà Ecclesiam intrà spatium quadraginta annorum, c. 10. 12

Ecclesia contrà alias Ecclesias præscribere potest, c. 10. 12

Præscriptio legitima contrà Ecclesiam qualis debeat esse, c. 12. 13

Casus, in quibus Præscriptio non currit contrà Ecclesiam, c. 11. 12. 13. 15

Valet consuetudo, per quam Ecclesia acquirit dominium & possessionem rei fine solemnitate legali, c. 23

Vide Verb. Donatio.

Ecclesia habet privilegium ut restituatur in integrum, c. 64

Illa restitutio quomodò peti debeat, c. 65

Nullus potest plures Ecclesias simul possidere, b. 9. 42. 43 44. 45. 51. 52. 53

Secùs tamen, b. 44. 45. 51. 52

Vide Verb. Reditus Ecclesiasticorum.

Filii Presbyterorum non possunt esse hæredes Ecclesiarum Patrum suorum, b. 3. 73

Nullus fine licentiâ sui Prælati debet Ecclesiam suam dimittere, b. 105

Proprietas omnium Beneficiorum pertinet ad Ecclesiam, b. 119

Ecclesia proprias res amittere non debet, b. 121

Ecclesia jure minoris debet semper illæsa servari, b 123

Permutationes possessionum inter duas Ecclesias facere, per se non est inhibitum, b. 125

Clerici disponere non possunt de acquisitis nomine Ecclesiæ, secùs de aliis; & quomodò hæc ab illis discernantur, b. 128

Vacante Ecclesia seu Sede Vacante, nihil fieri potest in præjudicium Ecclesiæ vacantis, b. 129. 130

Quomodò judicari possit ea, quæ donata sunt Prælatis, fuisse ipsi Ecclesiæ concessa, vel non, b. 130

Eos qui habent Beneficia teneri ad reparandas Ecclesias, ibid.

ECCLESIA.

Sacramenta fructuosè penes Ecclesiam Dei fiunt, quia Sanctus in eà manens Spiritus, eorumdem Sacramentorum latenter operatur effectum, f. 2

In Christo Jesu neque liber, neque servus, est à Sacramentis Ecclesiæ removendus, f. 2. 91

Unus Deus, una fides, unum baptisma ab omnibus Ecclesiæ Christianitatis fideliter confitendum, f. 10

Cur Christus instituit Sacramentum Eucharistiæ in Ecclesiâ Christianâ, f. 16

Quid sint Claves Ecclesiæ, f. 31

In Religione Ecclesia Universalis habet Autoritatem Supremam, f. 131

Vide Verb. Concilium Generale.

Ecclesia est Corpus Christi, j. 109

In tribus primis Sæculis Ecclesiæ Christianæ, res pertinentes ad Templa seu Basilicas erant separatæ à rebus Episcopi, & res pertinentes ad Templa erant destinatæ ad Ministrorum sustentationem, b. 58

ECCLESIA AFRICANA.

In Concilio Carthaginensi ann. 419. celebrato eruditi nonnulli existimant conditum fuisse Capitulum Cod. Ecclesiæ Africanæ, f. 55

ECCLESIA GALLICANA.

Usus Ecclesiæ Gallicanæ spectantes ad Censuras, f. 60
De Ordine Judiciario qui in Ecclesiâ Gallicanâ observari solet in causis civilibus, j. 15. & seq. 18. 19. & seq.
De Ordine Judiciario in criminalibus causis secundùm Jus Ecclesiæ Gallicanæ, j. 70 & seq.
Decreta Pragmat. Sanction. & Concordat. condita sunt ad temperandum Jus Canonicum circà Interdictum, j. 159
Circà initium bonorum Ecclesiæ Gallicanæ, b. 118

ECCLESIA GRÆCA.

Mores ac ritus Græcorum, in quantùm cùm Domino fieri potest, sustineri debent, f. 3
Baptismus Ecclesiæ Græcæ est optimus, f. 5
Græci non debent rebaptisare homines baptisatos à Sacerdotibus Ecclesiæ Romanæ, f. 10
Usus Ecclesiæ Græcæ circà Ordinationes; f. 77. 78
In Ecclesia Græcâ Sacerdotes possunt contrahere matrimonium, j. 142. 165

ECCLESIA ROMANA.

In Ecclesiâ Romanâ septem sunt Sacramenta secundùm Concilium Tridentinum, f. 1
Circà ritus ad Disciplinam pertinentes, quævis Ecclesia, saltem es præcipuis libera est, f. 3
De usibus uitatis in Ecclesiâ Romana ad deferendum Sacramentum Eucharistiæ ad ægrotos, f. 19
In Ecclesiâ Romanâ Sacramentum Eucharistiæ est verum Sacrificium, f. 20
In Ecclesiâ Romanâ Disciplina ubique eadem non est, imò quandòque longè diversa, f. 21
Ecclesia Romana est omnium Ecclesiarum mater & Magistra secundùm Concilium Tridentinum, f. 21 b. 36
Ecclesia Romana possidet magnum Thesaurum Indulgentiarum, f. 41
Ille Thesaurus est Cœlestis & inconsumptibilis, f. 42
Gradus & nomina Clericorum Ecclesiæ Romanæ sunt hæc, Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolitus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Episcopus, f. 67
Ostiarii, Lectores, Exorcistæ, Acoliti, Minores Ordines censentur in Ecclesiâ Romanâ, f. 67
Ecclesia Romana magnum sentit commodum dicendo matrimonium esse Sacramentum, f. 131
Canones suppositítii allegati ad exaltationem Ecclesiæ Romanæ, j. 95
Gladius Ecclesiasticus & arma spiritualia Ecclesiæ Romanæ, sunt Censuræ sive Sententiæ Excommunicationis, Interdicti, & Suspensionis, j. 107
Excommunicationis gladius nervus est Ecclesiasticæ Disciplinæ totius Ecclesiæ Romanæ, j. 127. 112
Ad continendos in Officio populos est valdè salutaris, j. 112
Omnes Decisiones Juris Canonici circà Excommunicatos factæ fuerunt ad utilitatem, lucrum vel commodum Ecclesiæ Romanæ & Ecclesiasticorum, j. 116 117 118. 119
In Ecclesiâ Romanâ tres sunt tantùm Censuræ Ecclesiasticæ, scilicet Interdictum, Suspensio & Excommunicatio, j. 106 107
Excommunicationis pœnâ in Ecclesiâ Romanâ nulla major est, j. 107
In Ecclesiâ Romanâ septem sunt Sacramenta, scilicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo & Matrimonium, f. 1
Nemo potest præscribere contrà Ecclesiam Romanam nisi intrà spatium centum annorum, c. 11. 12
Vide Verb. RELIGIO seu ORDO.
In Ecclesiâ Romanâ quoad Beneficia Ecclesiastica, successiones sunt iniquæ & detestabiles, b. 3

ELECTIO.

In alternativis Electoris est Electio, & sufficit alterum adimpleri, c. 36
Vide Verb. GALLIA, MONASTERIUM.
Electio est una ex tribus præcipuis modis acquirendi Beneficia, b. 9
Electio tribuit jus in re, ibid.
Electio differt multùm à Collatione, ibid.
Electiones clandestinæ reprobantur, b. 16
Tempus in quo quis eligere non potest, non currit, & impedito agere non currit tempus, b. 24
Electus consensum adhibere intrà mensem à tempore præsentationis teneatur, b. 69. 105
Circà Beneficia varia quoad Electionem Successoris, ib. 94 95

ELEEMOSYNA.

Sacerdotes intelligunt per hoc verbum (Eleemosyna) stipendium à Laicis datum, pro celebratione Missarum, f. 26. 27
De Eleemosynis pro Missâ, f. 27. Videetiam, f. 25
Exactiones Eleemosynarum per Ecclesiasticos, aut per Sacerdotes à turpi quæstu non longè absunt, f. 27
Laici piè & devotè debent facere Eleemosynas pro defunctis, f. 27
Eleemosyna est fructuosa Pœnitentia, Sacerdos in Confessione debet condemnare Pœnitentes ad Eleemosynas faciendas, f. 35. 36. 54
Homo redimere debet peccata sua per Eleemosynas, f. 54
Circà pecuniam datam à pœnitentibus ex injunctione Confessarii pro Eleemosyna, f. 56
Nolite velle Eleemosynas facere de fœnore & usuris, c. 70

EMPHYTEUSIS.

Emphyteutæ si per biennium sint in morâ solvendæ pensionis, expelli possunt, c. 18. 49 Secùs in Gallia, c. 49. Regulæ circà Emphyteusin, è Jure Canonico depromptæ, c. 49
De sola Rei Ecclesiasticæ Emphyteusi agit Jus Canonicum, & quid circà illam doceat, c. 49
In quibus Emphyteusis differt ab infeudatione, ibid.
Emphyteusis in quibus convenit cum infeudatione, ibid.
Contractus Emphyteuticus differt à Contractu censuali, ibid.
Emphyteusis convenit cum locatione, c. 50
An, & quomodò Beneficiarii possint bona Ecclesiæ in Emphyteusin dare, b. 127

EMPTIO, EMPTOR.

Emptio quid sit, c. 19
Qui contra jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere, c. 36
Emptor quisnam est, c. 41
Regulæ Canonicæ circà emptionem & venditionem, è Jure Canonico desumptæ, c. 41. 42. 43
Circà Emptionem injustam, c. 41. 42
Remedia contrà injustam, vel Emptionem, vel venditionem, c. 41. 43
In quibus Emptor & venditor inter se conveniunt, c. 43

EPISCOPATUS.

Vide Verb. EPISCOPUS.
Episcopatus est à singulis, ac ab omnibus in solidum possessus, f. 52
Unitas Episcopatûs, ibid.
Verba Sancti Cypriani circà illam unitatem Episcopatûs, ibid.
An ex unitate Episcopatûs à casibus aliis reservatis Episcopi absolventes, ut Vicarii id agant, aut ut Ordinarii, ibid.
Circà reditus Episcopatuum an quislibet Episcopus de superfluo pro libitu disponere possit, b 58 59. 60. 61. 62. 63 64
Solus Papa potest unire duos Episcopatus, b 125
Circà unionem & divisionem Episcopatuum apud Gallos, b. 117

EPISCOPUS.

Quid curare debeant Episcopi circà Missarum celebrationem, vel earum reductionem, f. 27
Episcopi debent distribuere Cœlestem Thesaurum Indulgentiarum cum supremo moderamine, ne claves Ecclesiæ Romanæ contemnantur, f. 42
Reservationes limitant potestatem Episcopi, f. 46. Vide etiam, f. 44
Episcopi sunt instituti à Deo, f. 46
Episcopi immediatè à Deo suam potestatem habent, f. 46 b. 36
Episcopus nullam habet potestatem extrà Diœcesin, f. 47. 48
Episcopi faciunt amplos Casuum reservatorum catalogos, f. 52
An dici possit ex unitate Episcopatûs Episcopos habere, ut alienos subditos in Diœcesi sua degentes à reservatis aliis Episcopis absolvere valeant, ibid.
Episcopi à reservatis Papæ absolvere non possunt, f. 52. 54
CHRISTUS dixit Apostolis, quibus Episcopi successerunt: Quodcumque ligaveritis in terris, ligatum erit in Cœlis, f. 53
Episcopi in Diœcesi possunt, quod in totâ Ecclesia Romanâ Summus Pontifex, f. 54. j. 140
Subditi Episcopi sunt duplicis generis, f. 54
Consultatio spectans ad Privilegium eligendi sibi Confessarium, Jure concessum Episcopis & aliis Prælatis, f. 57. & seq.
Origo illius Privilegii, f. 58
Episcopi habent adhuc hodiè illud Privilegium, f. 58. 59
Quid de Episcopo qui Episcopatui renunciavit, f. 59
An Episcopus depositus, habeat adhuc Privilegium Confessorem sibi eligendi, ibid.
Episcopus in partibus, ibid.
Vide Verb. PRÆLATUS.
De Officio Clericorum ergà Episcopum quoad Confessiones, f. 64
Episcopus habet potestatem ordinandi in totâ suâ Diœcesi, f. 74. 75
Proprius Episcopus, ibid.
Episcopus non habet potestatem ordinandi alienos Diœcesanos sine Litteris Dimissoriis, f. 75
Episcopi habent supremam authoritatem ad repellendos ab Ordinibus, vel ad promovendos ad Superiores Ordines quos volunt, f. 78
In Galliâ Episcopus non judicat per se ipsum, sed per Officialem, j. 25
Vide Verb. CONCILIUM PARTICULARE.
Solus Episcopus cognoscit de Criminibus in Diœcesi suâ commissis de Jure Communi, nisi Consuetudo vel Privilegium sit in contrarium, j. 73. 98
Illa crimina intelligenda sunt de criminibus Ecclesiasticis, j. 73
Episcopus ex officio corrigere debet excessus Subditorum, j. 87. 88. 98
Episcopi peccant, si non puniant latrones & malefactores, j. 90

Nulli Episcopo licet per se pœnam Reis infligere, neque res Ecclesiæ auferre, j. 94
De Sententiâ prolatâ ab Episcopo secundùm placitum populi in judicio adstantis, j. 97. Hæc consuetudo damnata est 197
Episcopus non corrigens aut puniens Crimina Ecclesiasticorum, est canis impudicus potiùs quàm Episcopus, j. 98
De depositione Episcoporum fusè in Tomo Secundo hujus Operis.
Episcopus Irregularis quid debet facere, j. 140
Intrà tres menses Episcopos nominatos debere consecrari, & quibus pœnis obnoxii sint, si id facere neglexerint, b. 8,
Episcopus extrà Diœcesim potest conferre Beneficia, b. 27
Ad Jus Episcopale pertinet institutio, ibid.
Post consecrationem electi in Episcopum, vacant Beneficia quæ anteà habebat, b. 44
Olim res seu bona Episcopi à rebus Ecclesiæ distinguebantur. b. 58
Episcopus non potest alienare res aut bona Ecclesiæ, b. 120 121. 122
Propter necessitatem aut utilitatem Episcopus potest alienare bona Ecclesiæ, b. 122
Malè alienata Ecclesiæ bona reddi debere, vel ab ipsis Episcopis, vel ab eorum Successoribus, ac sine difficultate restituenda, b. 122. 123
Episcopi tenentur benè dispensare reditus Episcopatuum, b. 126. 127
Quilibet Episcopus Ecclesiasticarum rerum est Procurator, non Dominus, b. 120. 127. 141
Sede vacante quomodò agendum est ergà bona & reditus Episcopatuum, b. 128. 129 130
Episcopus est Primarius Parochiæ Rector, b. 147
Casus, in quibus Episcopus Simoniacus est mercator Sacer & spiritualis, b. 161. 162. 165. 167. 168. 175. 182. 183

EPISTOLA.

Epistola supposititia Eusebii, f. 30
Epistola supposititia Pelagii II. Papæ, j. 17. 87
Epistola supposititia Gregorii IV Papæ, j. 88. b. 15
Epistola supposititia Calixti I. Papæ, & ratio hujus suppositionis, j. 96
Epistola falsi Isidori. ibid.
Epistola supposititia Eusebii I. Papæ, j. 101
Epistola Alexandro I. falsò attributa, j. 102
Epistola supposita Eutheri Papæ, b. 35
In VIII. & IX. Sæculis Epistolæ Paparum fuerunt suppositæ, b. 75

ERROR.

Errare est aliud pro alio putare, j. 146
Error probabilis dicitur qui nititur autoritate aliorum. ibid.
Error ex causâ probabili excusat, maximè si persona laudabilis opinionis existat. ibid.
Matrimonium contractum per Errorem personæ unius pro aliâ est irritum, f. 105. c. 37.
Error calculi corrigendus est, j. 151
Error in suffragio corrigendus est, ibid.
De Erroribus in Contractibus, c. 57

EUCHARISTIA.

Quid sit Sacramentum Eucharistiæ, f. 14
Sacramentum Eucharistiæ institutum fuit à Christo in ultimâ Cœnâ, f. 14. 17. 20
Eucharistia est adoranda, & quare, f. 15
Christus in Sacramento Eucharistiæ tripliciter manducatur. f. 16
Christus instituit hoc Sacramentum Eucharistiæ in duabus speciebus, attamen Laici non possunt sumere Eucharistiam nisi sub unâ specie, f. 17
Ecclesia Romana habuit justas causas & rationes ad introducendam hanc consuetudinem ergà Laicos, f. 17
An certis quibusdam verbis conficiatur Sacramentum Eucharistiæ, f. 15. 19
Et quænam sint illa verba? Et quid præcisè efficiant. f. 11
Quâ ratione fiat illa conversio panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi? Et quo nomine propriè appelletur, f. 15
Ad quid institutum sit Eucharistiæ Sacramentum, f. 16
An deferri possit Sacramentum Eucharistiæ in Processionibus per vias & loca publica, f. 16
Totum Christum sub unâquâque specie contineri, f. 17
An, & quomodò impositum sit fidelibus præceptum Sacram sumendi Eucharistiam, ibid.
An frequenter, an rarò communicandum sit. f. 18
Quæ & qualis præparatio necessaria sit ad dignè sumendam Sacram Eucharistiam, ibid.
De aliis dispositionibus necessariis ad Sacram Communionem, tàm ex parte corporis, quàm ex parte animæ, f. 19
Cujus sit hoc Sacramentum conficere ac distribuere, ibid.
De usibus usitatis in Ecclesia Romanâ ad deferendum Sacramentum Eucharistiæ ad infirmos, ibid.
De Eucharistia, quatenùs est Sacrificium, sive de Sacrificio Missæ. f. 20
Quale sit illud Sacrificium, ibid.
Qui sint fructus & effectus Sacrificii Missæ, ibid.
Quæ sit materia Sacramenti Eucharistiæ, f. 22
Quo in loco, & quibus in vasis, Sacrificium Eucharistiæ offerri debeat, ibid.
Appendix ad Tractatum de Eucharistiâ, f. 28
Corporale Dominicæ Corpori consecratum, in ignem projectum & quare. f. 29
Eucharistia est una ex septem Sacramentis. f. 1. 14
Per viaticum intelligendum est Eucharistiæ participationem, f. 55
Eucharistia immissa in ore quorumdam mortuorum, f. 57

EVICTIO.

Casus, in quibus venditor non tenetur de evictione, c. 17. 42

EUNUCHUS.

Circà Matrimonium Eunuchorum & spadonum, f. 114. 115

EXAMEN.

De Examine antè Ordines suscipiendos, f. 70
Circà quas res illud Examen debet esse, f. 70. 78

EXCEPTIO.

Antè litis contestationem sunt Exceptiones dilatoriæ proponendæ, j. 15
Peremptoriæ Exceptiones, j. 51. 52. 53. 54. 56
Effectus dilatoriarum Exceptionum, j. 11. 52. 53. 54
Connexio Tituli de Exceptionibus cum Titulo de probationibus, j. 52
Exceptio alia est dilatoria, alia peremptoria, alia declinatoria, alia recusatoria, j. 52. 53
Exceptiones sunt aut judiciariæ, vel extrajudiciariæ, j. 53
Hoc verbum, Exceptio, habet varia significata in Jure, j. 51. 53
Exceptiones sunt veluti clypeum, j. 53
Exceptiones seu recusationes contrà Judicem, Procuratorem, Testem, Accusatorem, ibid.
Omnes Exceptiones non sunt perpetuæ, ibid.
Varia nomina Exceptionum, ibid.
De Exceptionibus contrà Juramentum, aut Jusjurandum, j. 46
Peculiaria Principia circà Exceptiones Judiciarias, j. 53
Exceptio ex Excommunicatione non est recepta in foro, saltem in Galliâ. j. 53
Exceptio de criminibus contra testes, j. 54
De Exceptione judicandum est ex voluntate excipientis, ibid.
Appellans à rejectione suæ Exceptionis, illius veritatem probare debet coram Judice appellationis, ibid.
Nomina multarum Exceptionum peremptoriarum, ibid.
De Exceptione ex consanguinitate, j. 54. Vide etiam, j. 16
De Exceptione Natalium non legitimorum, j. 54
Exceptio malæ tractationis, j. 55
Exceptio adipiscendæ possessionis, ibid.
Exceptio ex præscriptione. ibid.
Nonnulla peculiaria circà Exceptiones peremptorias. j. 56
Exceptiones peremptoriæ differunt à citatione aliove termino peremptorio, ibid.
Per Exceptionem crimen opponi potest, j. 75 76
In Criminalibus Exceptiones Rei quomodò admittendæ sunt, j. 84
Judex non debet admittere omnes Exceptiones, ibid.

EXCESSUS.

Superiores debent corrigere Excessus Subditorum cum moderatione debita, & non cum furore, j. 87. 88. 98
Si excessus publicus & notorius est, non licet appellare, j. 91
Excessus publicus & notorius quid sit, j. 92
Excessus notorius examinatione non indiget, j. 75
Quomodò Judices Ecclesiastici possunt infligere pœnam pecuniariam pro excessibus puniendis, j. 102
Aliquorum Excessus aliis non præbet licentiam excedendi, j. 156

EXCOMMUNICATIO ECCLESIASTICA.

Crimina quibus Excommunicatio Major annexa est, f. 45. Vide etiam, f. 39
De Exceptione ex Excommunicatione, j. 53. 54. 119
Excommunicatus potest se defendere & agere in judicio, j. 51. 119
Exceptio Excommunicationis frequens erat in Sæculo XII. & XIII. j. 54. 105
Excommunicatio est gravamen irreparabile. j. 60
Post Appellationem nemo potest excommunicari, j. 63. 120. 121
Modus excommunicandi, j. 73
Excommunicatio multa habet commonia cum Censuris, j. 106
Cùm excommunicat Ecclesia, in Cœlo ligatur Excommunicatus; cùm reconciliat Ecclesia, in Cælo solvitur reconciliatus, j. 107. 110
Excommunicationis pœnâ in Ecclesiâ Romanâ nulla major est, j. 107
Observationes super Decretum Concilii Basileensis de Excommunicatis non vitandis, j. 108. 109
Excommunicatio alia est Major & alia Minor, j. 109
Major Excommunicatio anathema dicitur, ibid.
Minor Excommunicatio simplex dicitur Excommunicatio, ibid.
Major Excommunicatio à Communione fidelium separat, j. 109 110
Minor Excommunicatio à perceptione Sacramentorum separat, j. 109
Anathema est æternæ mortis damnatio, ibid.
Omnis Christianus qui à Sacerdotibus excommunicatur, Satanæ traditur, ibid.
Excommunicationis Sententia, vel est juris, vel hominis, j. 109

Anathe-

Anathema nihil aliud est quàm separatio à Deo, j. 109
Canon latæ Sententiæ dicitur, cùm lata est Excommunicatio ipso facto, j. 110
Excommunicari potest quis nominatim, vel specialiter, expressè vel in genere tantùm, j. 110. 112
Quinam sunt effectus Excommunicationis Majoris, j. 109. 110. 112
Propter quas causas seu culpas ferri debeat Excommunicatio, j. 111
Excommunicationis gladius nervus est Ecclesiasticæ Disciplinæ, j. 112. Vide etiam, j. 107
Sobriè magnâque circumspectione exercendus est, j. 112
Ad continendos in Officio populos est valdè salutaris, j. 112
Quid experientia docuit circà Excommunicationem temerè aut leviter vibratam, ibid.
Medicinalis est Excommunicatio, ibid.
Excommunicatio est salutaris aut lethalis, ibid.
In quas personas ferri possit Excommunicatio? Et qui ligentur, j. 115. 113
Quinam ferre possunt Sententiam Excommunicationis, j. 113
Quâ formâ ferri debeat Excommunicatio, j. 113. 114
Forma essentialis saltem in Galliâ, j. 114
Quas pœnas incurrant qui hujusmodi formam omittunt in ferendâ illâ Sententiâ, j. 114. 115
Excommunicatio conditionalis, j. 107. 114
Excommunicatio non est adhibenda pro re temporali, j. 114. c. 59
De denunciatione Excommunicatorum, j. 115. Vide etiam, j. 108
Cum Excommunicato neque orare, neque loqui, nec vesci licet, j. 116
Nullus cum Excommunicatis in oratione, aut cibo, aut potu, aut osculo communicet, nec ave eis dicat, ibid.
Valdè est timenda Sententia Excommunicationis Episcopi aut Prælati, sive justa sive injusta fuerit, saltem secundùm Jus Canonicum, j. 117
Quot modis Sententia Excommunicationis injusta sit, ibid. 118
Quomodò Judex debeat eam tollere, ibid.
Omnes Decisiones Juris Canonici circà Excommunicatos factæ fuerunt ad utilitatem, lucrum vel commodum Ecclesiæ Romanæ & Ecclesiasticorum, j. 116. 117. 118. 119
Qui manus violentas in Clericum injicit, ipso jure fit excommunicatus, j. 108. 111. 115. 121. 124. 125. 126. 127. 128
Quam pœnam incurrant qui communicant cum nominatim excommunicatis & denunciatis, j. 118. 119
Sacerdos seu Presbyter non debet celebrare Missam in præsentiâ Excommunicatorum ex Majori Excommunicatione, j. 119
Talia faciendo temerariè agit, ibid.
Quinam actus facti ab Excommunicatis non valeant, j. 119. 120. Vide etiam, j. 53. 54
Excommunicatio Major de omni Jurisdictione privat, j. 120
Excommunicatus ab uno Episcopo seu Prælato, ab aliis non est recipiendus, ibid.
Nullus Episcopus alterius recipiat Excommunicatum, ibid.
An, & quomodò Excommunicatus sibi possit antè vel post latam Sententiam consulere, & quandò sit audiendus, j. 120. 121
Excommunicati à quo absolvi debeant, j. 122. 123
Quid sit absolutio ab Excommunicatione, ibid.
Forma illius absolutionis, ibid.
Quomodò fieri debeat ab eo qui recepit Mandatum Apostolicum, j. 123
Quid contingat Excommunicato qui in Excommunicatione persistit, ibid.
An, & quandò absolvendi sint ad cautelam Excommunicati, antequàm audiantur, & à quo, j. 123. 124
Quid requiratur ut Excommunicati, sive quia injecerunt violentas manus in Clericos, in Monachos, sive quia alia patrarunt crimina, restituantur Communioni fidelium, j. 128. 129
Excommunicatus, præstito Juramento, quod stabit mandatu Ecclesiæ, absolvitur, ibid.
Quam pœnam incurrant Excommunicati qui Ecclesiasticos Ordines accipere non formidant, vel Divina Officia exercere; aliove modo Ecclesiæ Romanæ claves contemnunt, j. 129. 130. 144
De Excommunicatione & absolutione mortuorum, j. 130. 131
De Excommunicatione quæ ad finem revelationis, aut pro rebus deperditis fieri solet, j. 131
Illa Excommunicatio à quo, & quibus in causis fieri possit, ibid.
Usus Galliæ circà illam Excommunicationem, ibid.
Titulus VII. Ordinat. Crimin. ann. 1670. continens usum Galliæ circà illam Excommunicationem, j. 132
Quænam sunt differentiæ inter hunc Titulum & Jus Commune, ibid.
De aliis Excommunicationum speciebus notabilioribus; sive, pro quibus criminibus incurratur Excommunicatio, j. 132. 133
Comparatio Interdicti cum Excommunicatione & Suspensione, j. 139

EXCOMMUNICATIO RESERVATA PAPÆ.

Excommunicatio reservata Papæ, f. 45. 60. j. 122
Sanctus Gregorius ann. 595. Excommunicationem sibi reservat, f. 49
Est genus Excommunicationis, cujus absolutio Sedi Apostolicæ reservatur, j. 125. 123. 124. 125. 126. 127
Nulla est reservatio in articulo mortis, j. 122. f. 40. 47. 48. 54. 55. j. 123
Reservatio circà absolutionem ex Excommunicatione, omnium ferè aliarum est antiquissima, ac omninò celeberrima, j. 127
Hæc reservatio est penè inutilis, cùm absolutio obtineri soleat per litteras, undè ex illâ speratus fructus hodiè maximè diminutus est, ibid.
Circà reservationem Excommunicationis propter injectas manus in Clericos, quænam sunt impedimenta ut reus non adeat ad Papam, j. 129. Vide etiam, j. 126. 127

EXHÆREDATIO.

Casus, in quibus Filii exhæredari non possunt, f. 128
Non licet exhæredare filios levi de causâ, ibid.

EXORCISTA.

Quodnam est Officium Exorcistæ, f. 69
Exorcista est in Minori Ordine constitutus, f. 67
Quomodò fit Ordinatio Exorcistæ, f. 68

EXPENSÆ.

Litigantes, si in probatione defecerint, in expensis legitimis condemnentur, j. 27
Qui deficit in probatione appellationis à gravamine sibi impositæ, condemnari debet alteri Parti in expensis, j. 62
Si appellans stare in Judicio neglexerit, condemnabitur in expensis, j. 65
Judex Appellationis injustæ vel frustratoriæ Appellantem debet condemnare in expensis, j. 68

EXTREMA-UNCTIO.

De usu Extremæ-Unctionis antè Eucharistiam conferendam, f. 18
De hoc usu historicè agit *Launoius*, f. 18. 67
Extrema-Unctio est una ex septem Sacramentis, f. 1. 65
Quid sit Sacramentum Extremæ-Unctionis, f. 65
Sacramentum Extremæ-Unctionis institutum fuit à Christo secundùm Concilium Tridentinum, ibid.
Effectus illius Sacramenti, f. 65. 66
Forma illius Sacramenti, f. 65
Materia illius Sacramenti, ibid.
Verba Sancti Jacobi sunt fundamenta Extremæ-Unctionis, f. 65. 66
Episcopus aut Sacerdos sunt Ministri hujus Sacramenti, f. 66
Quomodò ministrare debeant hoc Sacramentum, ibid.
Qui suscipere debeant hoc Sacramentum, & quo tempore, ibid.
An hoc Sacramentum necessarium sit, ibid.
An hoc Sacramentum Ecclesiæ Romanæ repeti possit, ibid.

FACTUM.

Quæstiones Juris faciliùs expediuntur, quàm Quæstiones facti, j. 27
Probatio per evidentiam facti est una ex quatuor modis probandi, ibid.
Negativa facti quæ habet determinationem loci vel temporis, indirectè potest probari, j. 28
Propositio negans factum purè & simpliciter probari non potest, ibid.
Error in facto nemini nocet, dummodò probetur, negotio nondùm finito, j. 29
Quisque de facto suo certus esse debet, j. 147
Factæ causæ nulla Juris constitutione fieri possunt infectæ, j. 149
Factum legitimè retractari non debet, c. 15. 35

FÆMINA.

Fæminæ duodecimo ætatis anno sunt viri potentes, f. 87. 88
Fæmina Christiana non potest habere simul duos viros, f. 97
Secundus vir non appellatur vir, sed adulter, ibid.
Ab initio una costa in unam Fæminam fuit conversa, sic homo potest tantùm habere unam Fæminam, ibid.
Fæmina potest esse Procuratrix, j. 3
Fæmina Nobilis potest esse Arbiter, j. 8
Fæmina non debet exercere Officium Judicis, j. 19

FAGNANUS.

Fagnanus laudatus, f. 58. 59. 61. b. 206
Doctrina Fagnani & Tamburini circà Privilegium eligendi Confessarium ut hic, f. 61. 62
Considerationes quoad Doctrinam Fagnani & Tamburini ratione dicti Confessarii, f. 63

FALSITAS.

Natura paucarum literarum non reddit falsum Rescriptum, nisi esset in loco suspecto, j. 29
De falso tenetur qui nomina absentium scribit in literis, ac si essent præsentes, j. 30
Falsitas committitur & cognoscitur quatuor modis, ibid.
Instrumentum Publicum non videtur falsum nisi habeat magnos defectus, j. 29. 30
Varia exempla & ratiocinia circà falsitatem instrumentorum, ibid.
Exceptio falsi semper proponi potest, usque ad viginti annos, j. 30
Omnes falsarii Litterarum Apostolicarum, sunt Excommunicati, j. 131. b. 113
Item omnes alii falsarii, j. 113

FAMA.

Fama est adminiculum ad probandum in Judicio, j. 27. 89

De vi Famæ ad probandum in Criminalibus, j. 31. 75. 89
De vi Famæ ad probandum in Civilibus. j. 31
Contrà Famam probationes admittuntur, j. 75
Pauci Testes non inducunt Famam, ibid.
Fama per se non sufficit ad probationem, aliquando confirmat Fidem, aliquando cum aliis adminiculis suffragatur. j. 89

FAMILIARIS EPISCOPI.

Circà Ordinationem Familiarium Episcopi, f. 74

FERIÆ, FESTIVITAS, FESTUM.

Festum Fatuorum est prohibitum, e. 61
Acta judiciaria in diebus Festorum sunt prohibita, j. 25
Circà Ferias messium & vindemiarum, ibid.

FEUDUM.

Vassallus non tenetur de Feudo coràm alio quàm coràm Domino respondere, c. 25. 26. 49
Clericos ratione Feudorum posse Laicis fidelitatem promittere, aliàs non debere, cùm nihil temporale obtinent ab eis, c. 25
Dominus tenens vassalli sui Feudum, fructus suos facit, & vassallus à servitio eximitur, c. 26. 76
Casus, in quibus Prælatus infeudare potest, salvo juramento non alienandi, c. 27. 48
Regulæ circà Contractum Infeudationis, è Jure Canonico desumptæ, c. 48. 49
Quid sit Infeudatio, c. 48
Quis possit infeudare, ibid.
Quænam sunt Infeudationis causæ, ibid.
Vide Verb. Emphyteusis.
Juramentum de non infeudando de novo, non extenditur ad Feuda antiqua, b. 127

FIDEICOMMISSUM.

Jus Canonicum quænam doceat circà Fideicommissa. c. 47

FIDEJUSSIO, FIDEJUSSOR.

Fidejussio quid sit, c. 54
Regulæ circà Fidejussorium Contractum, è Jure Canonico depromptæ, ibid.
Fidejussio est periculosa, ibid.
Quinam fidejubere non possunt, ibid.

PIDELIS.

Fideles sunt hæreditas Christi, b. 118
Fideles quinam sunt. j. 50
Circà fideles, b. 74

FIDES.

Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, l. 10
Justus ex Fide vivit, f. 15
Fides data quomodò est servanda, j. 50. 51
Non servanti fidem fides non est servanda, j. 50
Quod fide hinc indè datâ promissum est, observandum est, ibid.
Omne quod non est ex Fide peccatum est, j. 146
Quid sit meritum Fidei, j. 148
Imperator non potest auferre Fidem, j. 149
Fides sine operibus mortua est, b. 165

FILIUS.

Junge Verb. Infans.
Apud quem è Parentibus educandi sint Filii, quandò alter fidelis est, alter infidelis, f. 118
Quænam sunt jura Filiorum ex legitimo matrimonio susceptorum, f. 128
Matrimonium sequens legitimat filios antè illud ex soluto & solutâ susceptos. ibid.
Quinam sunt Filii legitimi, ibid.
Quinam sunt Filii illegitimi, ibid.
An, & quomodò Filii censendi sint legitimi & hæredes, si post parentum decessum, de illorum statu dubitetur, f. 129
De Filiis ex Adulterio susceptis, f. 38. 128. 129
Filius-Familias potest esse Procurator, j. 3
Filii etiam legitimi Sacerdotum non possunt immediatè succedere in paternis Beneficiis sine Dispensatione, possunt tamen mediatè, b. 73
Filius debita Patris defuncti solvere tenetur, e. 27. 48 b. 128

FORNICATIO.

Quod Dominus in Evangelio dicit; *Non licere viro nisi ob causam Fornicationis uxorem suam dimittere*, quomodò intelligenda sunt hæc verba, f. 94
Conjugati debent ad invicem sibi reddere debitum, non tantùm causâ prolis habendæ, sed etiam causâ Fornicationis vitandæ, f. 99
Vir seu maritus potest dimittere uxorem propter Fornicationem aut Adulterium, f. 120
Mulier habet jus dimittendi virum ob Fornicationem aut Adulterium, f. 120. 121
Quale crimen sit fornicari cum Filiis & Filiabus spiritualibus, f. 12
Omnis immunda pollutio Fornicatio dicitur, j. 161
Fornicatio de soluto cum solutâ, est peccatum mortale, ibid.
Quot sint species Fornicationis, ibid.
Idololatria est Fornicatio spiritualis, f. 123
Cur Fornicatio est maximum scelus, j. 162
Fornicatio spiritualis quid sit, ibid.

FORUM.

Maximum est inter Forum internum, & Forum externum analogia, f. 51
Forum internum territorium non habet. ibid.
Forum externum habet territorium, ibid.
Vide Verb. Versum.
Vide Tom VII. Concil. ubi fusè de causis ad Forum Ecclesiasticum pertinentibus, j. 17
Actor Forum Rei sequi debet, j. 17. 24
In Gallia Ordo Judiciarius Fori Ecclesiastici, idem est ac ille Fori Sæcularis, j. 74

FRAUS.

Fraus & dolus nemini patrocinari debet, j. 148. 151. c. 8. 35. 37. b. 33. 82
Ne aliquod lucrum ex Fraude suâ quis reportet, j. 148
Vide Verb. Cancellaria.

FRUCTUS.

In casu appellationis debent possessionis Fructus sequestrari, c. 8
Fructus pignoris debent computari in sortem, c. 75

FURIOSUS.

Furiosus propriè non delinquit, quia delictum non fit nisi animo delinquendi, j. 157

FURTUM.

Furti nomine intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ, c. 66. 70. 73
Furtum est quicquid invito Domino aufertur, c. 66
Septem sunt Furti species, c. 66. 71. 72
Regulæ circà Furtum, è Jure Canonico depromptæ, c. 70. 71. 72. 73. 74
Quæ peccatorum genera ad Furtum reducantur, c. 67. 71
Quâ viâ liceat aut non liceat Furta detegere, c. 71
Qui inter Fures connumerandi, c. 67. 68 71
Quæ à Furti peccato excusent, c. 71. 72
Non est orandum pro Furibus vel Latronibus, e. 72
De pœnis contra Furem. c. 67. 72. 73
Omnia bona acquisita per Furta restituenda sunt, c. 68. 69. 71
Ecclesiastici Polygamistæ seu plura Beneficia possidentes, sunt Fures, Sacrilegi & vulpes, b. 54

GALLIA.

Carolus Magnus Rex Galliæ, f. 57
Ludovicus Pius Rex Galliæ, ibid.
Notabiliores Canones, aliundè quàm ex Corpore Juris desumpti, circà Quadragesimalem Confessionem, præcipuè docentes per XIV. priora Sæcula, ut & posteà, Gallos ad illam obligatos fuisse, sub variis pœnis hîc enunciatis, f. 64
In multis Provinciis Galliæ Jus Consuetudinarium est in usu, non verò Jus Romanum, f. 112
Olim in Galliâ singulare Juramentum fiebat in quolibet Matrimonio, f. 123
Nullus Laicus aut Ecclesiasticus de Regno Galliæ potest extrà illud Regnum trahi ad Judicium, j. 18
In Galliâ Judices Ecclesiastici servare debent ad unguem Ordinationes Regias, j. 69
Vide Verb. Forum, Regalia.
In Galliâ Magistratus sunt Protectores Ecclesiæ, j. 107
Carolus Crassus concedit Facultatem eligendi Episcopum, b. 6
Hodiè in Galliâ quænam est potestas Regis circà electionem ad Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatias, & Prioratus, b. 6. 7
Bullæ secundùm assertionem Paparum, sunt necessariæ pro confirmatione illius electionis, b. 7. 8
Collatores Ordinarios teneri ex Indultis Apostolicis ad conferenda Beneficia Cancellario Galliæ, Præsidentibus & Consiliariis Parlamenti Parisiensis, & quomodò. b. 18. 19
Reges Galliæ, vacantibus Regni sui Cathedralibus Ecclesiis, Jus habere conferendi Beneficia, quæ in ipsis vacant; exceptis iis, quæ curam habent animarum, b. 27. 28. 29
Quomodò Jus competat Romano Pontifici conferendi inferiora Beneficia in Regno Galliæ, b. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41
Casus, in quibus Papa potest conferre in Galliâ inferiora Beneficia, b 31
Rex Galliæ nominat ad Beneficia Consistorialia. b. 65
In Galliâ Archiepiscopus Lugdunensis possidet jura Primatis, ibid.
Jus Gallicum circà pensiones, b. 104. 105

GENERALIS.

Generales Ordinum immediatè Papæ subjecti, jus habent sibi Confessores eligendi, ab Ordinario locorum non approbatos, f. 61

GIBERT.

Gibert (Joannes Petrus) Gallus, &c.

SCRIPTA.

I. *Consultat, Canon.* f. 21. 23. 24. 25. 27. 28. 34. 39. 55. 57. 69. 82. 114. 115. 117. j. 128
II. Regulæ circà peccatorum Reservationem, jam bis editæ fuerunt Gallico idiomate, f. 39. 4
III. Casus conscientiæ ad praxim spectantes, f. 33
IV. Usus Ecclesiæ Gallicanæ spectantes ad Censuras, f. 69

V. Tractatus de Excommunicatione, &c. f. 60
VI. Traditio Ecclesiæ circà Sacramentum Matrimonii, f. 131
Vide Verb. Traditio.
VII. Tractatus Gallicus de Censuris juxtà Gallorum usum, j. 84. 109
VIII. Institutiones Ecclesiasticæ & Beneficiales, j. 93. 140. b. 7. 29. 37. 87. 113. 117
Liber promissus, sed nondum editus, j. 131
Circà methodum illius Autoris, j. 132. j. 1. 2

GRADUATUS.

Teneri Collatores ordinarios, seu Patronos Ecclesiasticos, conferre tertiam partem Beneficiorum suorum Graduatis Universitatum Regni Galliæ, seu ad illa præsentare, b. 16 17
Duo menses dantur Collatoribus, quibus quem Graduatum voluerint, gratificare possunt, hi menses sunt Aprilis & October, appellantur menses Gratiæ, b. 17. 66
Quale debeat esse tempus studii ad habendas literas nominationis, & quomodò illæ debeant exhiberi, ac quo tempore, b. 17. 18
Graduati simplices quinam sunt, b 17. 66
Graduatus nominatus quis sit, b. 17. 18. 66
Quæ Beneficia in vim literarum nominationis peti possint, & quandò, b. 18
Sub quibus pœnis teneantur Collatores, seu Patroni Ecclesiastici, graduatis conferre Beneficia, & quas in concursu præferre, b. 18
Circa Graduatos Regulares, b. 199

GRADUS.

Junge Verb. Consanguinitas
Quia nuptiæ sine duabus personis fieri non valent; ideò Sacri Canones duas in uno Gradu constituere personas, f. 108
Olim Ecclesia per plura sæcula Gradus computavit eo modo quo Leges Sæculares, ibid.
Modus computandi Gradus secundùm Leges Sæculares & secundùm Leges Canonicas, f. 108 132
In Ecclesiâ Romanâ quartus Gradus consanguinitatis impedit matrimonium, ac dirimit contractum, f. 108. 109. Vide tamen, f. 131
Ecclesia Romana potuit constituere illas Leges secundùm Concilium Tridentinum, f. 108
Est aliquis consanguinitatis Gradus in quo Papa aut Sedes Apostolica dispensare non potest, nec etiam consuevit, f. 109
In secundo Grado nunquam Papa dispensat, nisi inter Magnos Principes, ibid.

GRAPHARIUS.

Quodnam est Officium Grapharii, j. 20
Grapharius est persona publica ad servitium Judicis occupata, ibid.

GRATIA EXPECTATIVA.

Quæ sint in usu de Gratiis Expectativis, in gratiam tùm Graduatorum, tùm eorum qui habent Indulta, b. 29. 30
Hadrianus IV. est Autor Gratiarum Expectativarum, b. 31. 36
In Galliâ sunt quatuor Expectativarum species, b. 35
Gratia est simoniaca, si non gratis datur, b. 160. 161. 165. 166. 167. 177. 178. 182

GRATIANUS.

Gratianus interdum colligit Canones suis Titulis non congruentes, omissis aliis ad rem facientibus, j. 102

GRATIS.

Gratis accepistis, Gratis date, b. 160. 161. 165. 166. 167. 177. 178. 182
Sacramenta administranda sunt gratis, b. 182

GREGORIUS VII.

Hic Papa fuit Autor turbarum circà Investituras, b. 5

GREGORIUS IX.

Supplementa ad Librum Secundum Decretal. Gregorii IX. j. 25
Privilegium concessum per hunc Papam Episcopis & aliis Prælatis circà jus sibi eligendi Confessarium, f. 57
Explicatio Verborum privilegii illius Papæ, f. 57. 58. 59. 60
Vide Verb. Judicium.

HÆRES.

Hæres & Prædecessor censentur una eademque persona, j. 58
Quomodò Hæredes Testamenti commodo uti debeant, c. 20. 21
Filius Hæres debita Patris defuncti solvere tenetur, c. 27. 48
Obligatio Hæredum circà debita defuncti, ibid.
Obligationes Hæredum enunciatæ in Jure Canonico, c. 48
Quænam sunt obligationes Hæredum Beneficiariorum. b. 130. 131. 158

HÆRESIS. HÆRETICUS.

Hæretici errarunt circà casuum reservationem secundùm Concilium Tridentinum, f. 50.
Rationes illorum Hæreticorum, ibid.
Matrimonium non dissolvitur per lapsum in Hæresim, f. 96. 1. 8
Christiani non debent contrahere matrimonium cum Judeis aut cum Hæreticis, f. 117
De separatione conjugum ob lapsum in Hæresim aut Infidelitatem, f. 96. 117. 118. 120
Casus, in quibus Excommunicatus, est de Hæresi suspectus, j. 123. 130
Omnes Hæretici utriusque sexûs, quocumque nomine censeantur, & fautores & defensores eorum, sunt excommunicati secundùm Jus Canonicum, j. 132
Circà usuras quisnam est Hæreticus, c. 81

HIERONYMUS (Sanctus)

Pseudo-Hieronymus, b. 151

HYMNUS.

Hymnus Angelicus, f. 23
Papa antè Hymnum Angelicum ordinatur, f. 77
Hymnus Alleluia in Missa, f. 23
Hymnus Gloria in excelsis in Missâ, ibid.

HYPOCRISIS.

Qui Hypocrita est, mortuus est, j. 148

HISTORIA.

Historia circà Baptismum lectu digna, maximè ergà Gallos apud quos res gesta est, f. 5
Launoius agit historicè de usu Extremæ-Unctionis antè Eucharistiam conferendam, f. 18
Observationes Historicæ circà peccatorum reservationem, è Corpore Juris Canonici, Concilioque Tridentino desumptæ, f. 48
Expositio Historica & practica celeberrimi Canonis *Omnis utriusque sexus*, Concilii Lateranensis IV. f. 65
Historia Cælibatûs, f. 91. 107
Historia Benedictionis nuptialis, f. 93
Historia dissolutionis matrimonii rati per Professionem Religiosam, f. 94. 101
Historia impedimenti ligaminis dicti, f. 97
Historia impedimenti ex defectu consensûs, f. 105

HOMICIDIUM.

Homicidium necessarium quid sit, j. 142
Vide Verb. Irregularitas.
Qui gladio usus fuerit, gladio cadet, j. 163
Homicidium est magnum crimen & prohibitum per Leges Divinas & Humanas, ibid.
Qui seipsum occidit Homicida est, j. 163. 164
Homicidium facto, præcepto, auxilio, consilio, committitur, j. 164
Quæ Pœnitentia sit ab Ecclesiâ imponenda pro variis illorum criminum gradibus, ibid.
Quatuor modis committitur Homicidium, facto, præcepto, consilio, & defensione, ibid.
De homicidio commisso per abortum seu sterilitatem, aut per Parentes dormientes cum infantibus, j. 164. 165. 167
Homicida est qui sponte occidit quos Judex jubet occidi, j. 165
De Homicidio voluntario & involuntario, ibid.
Ut indicetur utrùm Homicidium sit peccatum, videndum quâ de causâ fiat illud quod casu fit, non esse peccatum, nisi potuerit & debuerit prævideri, j. 165. 166
Vim vi repellendo hominem occidere non est peccatum, modò id fiat incontinenti læsionis & cum moderamine inculpatæ tutelæ, j. 166. Vide etiam, j. 142. c. 72
Qui occidit latronem, cùm potest se aliter liberare, peccat, j. 166
Autoritate publicâ, licet homines nocentes vel hostes in bello occidere, j. 166. 167. Vide etiam, j. 142
Ex Officio non est peccatum hominem occidere, j. 167
De pœnis contrà Homicidas procurantes abortum, j. 167. 168

HOMO.

Homo propter matrimonium relinquet patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una, f. 94. 96. 97
Homo non potest habere simul duas uxores, & quare, f. 97
Post matrimonium Homo non habet potestatem sui corporis, sed mulier, f. 99. 100. 101
Casus, in quibus Homo in opere commixtionis cum sua uxore committit peccatum veniale, aut peccatum mortale, f. 99. 100
Homo seu maritus est Caput mulieris, f. 100. 104
Vide Verb. Debitum.
Christus est Caput Viri seu Hominis, f. 104
Adam seu Homo per Evam deceptus est, ibid.
Homo qualis debeat esse, tàm ergà se, quàm ergà proximum, j. 149
Sæpè malorum Hominum consortia etiam bonos corrumpunt; quantò magis eos qui ad vitia proni sunt, j. 158
Hæc Verba meum & tuum, ex Jure Humano inter Homines introducta sunt, c. 1

HONOR.

Præcipuus fin's Refarvationum peccatorum, Cenfurarum, eft uf præcipuæ Sedes honorentur, f. 46. 51
Magnum Jubileum per Papas inftitutum fuit ad augendum magis ac magis honorem Petri & Pauli, ac quædam Templa Almæ Urbis Romæ. f. 42. 43
Per Refervationem præcipuæ Sedes honorantur, f. 51
Prætextus honorandi Memoriam Sancti Petri fuit perutiliffimus inter manus Paparum ad extullendam Autoritatem Summorum Pontificum, j. 69

JANITOR.

Janitor Ecclefiæ, Vide Verb. Ostiarius.

IDOLOLATRIA.

Idololatris coram Deo, Fornicatio eft, f. 123
Idololatria per Vim & Coactionem amplexa, eft excufanda, j. 149. c. 62
Superftitio feoIdololatria eft omne quod inftitutum eft ab hominibus, ad faciends & colenda Idola, vel ad colendam ficut Deum Creaturam, j. 159
Cafus, in quibus Sacerdos præbet anfam Idololatriæ, f. 26
Populus committit Idololatriam audiendo Miffam celebratam per hominem nondum ad Presbyteratûs Ordinem promotum, j. 93
Idololatria commiffa per Vim non eft peccatum, c. 62
Inobedientia eft Scelus Idololatriæ fecundùm Gregorium VII. Papam, b. 5.
Simonia eft Idololatria, b. 174

JEJUNIUM.

De Jejuniis in pane & aqua, j. 104
Vide Verb. Carcer.

IGNORANTIA.

De illis qui baptifati fuerunt cum Solæcifmis & Barbarifmis à Sacerdote ignaro l. 10. Vide etiam, f. 4. 5
Ignorantia alia eft ignorantia Facti & alia Juris. j. 140. 146. 147
Ignorantia ut illa Sancti Pauli antè Converfionem, excufat, j. 146
Ignorantia affectata æquiparatur fcientiæ, j. 147
Craffa & fupina Ignorantia non excufat, ibid.
Ignorantia quæ eft ex culpâ, nocet, j. 146
Nullius crimen maculat nefcientem, j. 147
Ignorantia probabilis excufat, ibid.
Quæ funt facti & in facto confiftunt, probabiliter ignorari poffunt, ibid.
Ignorantia Facti, non Juris, excufat, ibid.
An, & quandò Ignorantia excufat à peccato, j. 147. 153
Aliquis in aliquâ re ex Ignorantiâ Juris fe poteft excufare, j. 147
Ignorantia non excufat, nifi fit involuntaria, tàm in fe, quàm in caufà, ibid.
An, & quomodò Ignorans incurrat pœnam, ibid.
Tempus non currit Ignoranti, ibid.
An, & quandò præfumatur Ignorantia, vel probetur, j. 147. 148
Præfumitur Ignorantia, ubi Scientia non probatur, j. 147

IMITATIO.

Epifcopi in Ordinatione Presbyteri imitari debent obfervata circà hanc rem per Sedem Apoftolicam, f. 77
Vide Verb. Judicium.
Malus Judex aut Judex iniquus imitatur Diabolum, & eft fimilis Judæ, j. 17

IMMUNITAS ECCLESIASTICA.

Violans Immunitatem Ecclefiafticam excommunicatus eft, j. 132

IMPEDIMENTUM.

Impedimentum quoad Matrimonium, idem eft ac Irregularitates quoad Ordines & Beneficia, f. 81
Circà Sponfalia Impedimentum juftitiæ publicæ Honeftatis quid fit, f. 83
Illud Impedimentum vocatur ab Eugenio III. propter Honeftatem Ecclefiæ, ibid.
Quid efficit illud Impedimentum, ibid.
An maneat Impedimentum juftitiæ publicæ honeftatis, etiam poft diffoluta Jure Sponfalia, & inter quas Perfonas fit, ibid.
De variis Impedimentis circà Matrimonium, f. 81. 91. 104. 105. 106. 132
Ex Matrimonio rato oriri Impedimentum juftitiæ publicæ honeftatis, & ad quartum gradum extendi, f. 95
Quod nullum eft, nullum præftat Impedimentum, f. 102
De Impedimentis Matrimonii, f. 104. Vide etiam, f. 81. 91. 105. 106. 132
Qui nunciari debeant Impedimenta Matrimonii, f. 104
Quæ pœnæ malitiosè denunciantium, ibid.
Impedimenta vel impediunt Matrimonium, vel dirimunt contractum, ibid.
De Impedimento erroris, f. 105. 106
De Impedimento quod oritur ex violentiâ injuftè incuffâ, f. 105
Circà Impedimentum Conditionis, f. 105. 106
De Impedimento Voti, tùm fimplicis, tùm folemnis, f. 106
De Impedimento Cognationis, f. 107. 132
Vide Verb. Consanguinitas, Gradus.
De Impedimento cognationis fpiritualis, f. 111. Vide etiam, f. 12
Vide Verb. Cognatio, Patrinus,
De Impedimento cognationis Legalis feu Adoptionis, f. 112
De Impedimento Criminis, ibid.
Duplex eft hujufmodi Impedimentum, ibid.
An, & quomodò contrahatur Impedimentum dirimens, fi Conjux alterius mortem machinetur cum effectu, f. 113
De Impedimento Impotentiæ, f. 114. 115. 116. 117
De Impedimento quod oritur ex diffimilitudine Religionis, feu Cultûs, f. 117. 118. 119
De Impedimento raptûs, f. 119
Quomodò procedi poffit in Judicio Ecclefiæ, cùm proponuntur Impedimenta dirimentia, & qui accufatores admitti, f. 125
Judices Sæculares & Judices Ecclefiaftici poffunt æqualiter cognofcere & difpenfare circà Impedimenta matrimonii, f. 131
An aliquis Textus demonftret, quod poteftas, cujus eft inftituere Matrimonii Impedimenta, debeat effe Suprema, ibid.
An ex Textibus Juris colligatur quid poffit confuetudo circà conftituenda matrimonii Impedimenta, ibid.
De Impedimento Affinitatis, f. 132
Circà excommunicatum propter injectas manus in Clericum, in Monachum, Quænam funt impedimenta ut reus non adeat Papam, j. 126. 127. 129
Non præftat Impedimentum, quod de Jure non valet, c. 35
Impedimenta Canonica circà Beneficia, plurima funt, b. 82
De proteftatione circà Impedimenta quoad Beneficia, b. 82. 83

IMPOTENTIA.

De Impedimento Impotentiæ, f. 114
Impotentia quid fit, ibid.
Effectus impotentiæ, ibid.
An Parochus benedicere debeat matrimonium impotentis, f. 115
Quid judicandum fit in Foro externo, fi conftet matrimonium contractum effe cum Impotentiâ, ibid.
Quid decernere debeat Judex, quandò dubium occurrit de impotentiâ, f. 115. 116
An, & quandò poffint conjuges, probato impotentiæ Impedimento, nubere vel non nubere, f. 116
Hodiernus modus procedendi circà Impotentes eft optimus, ibid.
Quid obfervandum fit, cùm Impotentia provenit ex maleficio, f. 116. 117
Hiftoria Impedimenti Impotentiæ, f. 116
Matrimonium legitimè contractum non dirimitur per Impotentiam fupervenientem, f. 117
Cœleftinus III. laudat Juftiniani Leges circà Impotentiam, f. 131

INCESTUS.

Inceftus eft Confanguinearum vel Affinium abufus, j. 161

INDICIUM.

Per Indicia fit Probatio, j. 27

INDULGENTIA.

Poteftas conferendi Indulgentias à Christo Ecclefiæ conceffa eft, f. 41
Indulgentia eft Remiffio pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, ibid.
Indulgentia triplex eft, fcilicet plena, largior, pleniffima Venia peccatorum, f. 41
Magnus & dives thefaurus Indulgentiarum nunquam finire poteft, f. 41. 42
Ecclefiarum Prælati Indulgentias poffunt concedere in fuâ quifque Dioc efi, f. 41
In confecratione Ecclefiæ, Epifcopus tribuere poteft unum annum integrum Indulgentiarum, fed non *plus ultrà*, f. 41
In Anniverfario Confecrationis quadraginta dies Indulgentiarum, ibid.
Quid obfervandum fit in conceffione vel promulgatione Indulgentiarum f. 41. 42
Per quos gradus Jubilæi anni Indulgentia invaluerit in Ecclefia Romana ad hunc ufque diem, f. 42
Cœleftis thefaurus Indulgentiarum eft inconfumptibilis, f. 42
Vide etiam, f. 41
Magnum Exemplum abufûs Indulgentiæ Romanæ, f. 55

INDULTUM.

De Indulto circà Electionem Confeffarii, f. 50. 52. 53
Illa Indulta ergà Sæculares obfoleverunt, f. 53
De ifto indulto ergà Regulares, ibid.
Notandum eft quod Indultum hujufmodi gratia fit, Favores convenit ampliari, ibid.
An vi illius Indulti liceat extrà Diœcefim Confeffarium eligere, ibid.

INFAMIA.

Genus pœnæ per se non infamat, nisi Sententia præcedat, j. 101
Filii Fautorum criminis Læsæ Majestatis, sunt infames, c. 59
Clericus qui propter vacillationem incarceratur, non incurrit Infamiam, j. 101.
Condemnatus de Injuriâ notatur Infamiâ, nisi injuria sit minima, c. 85

INFANS.

Circà Sacramentum Baptismi quodnam est discrimen inter Infantes & Adultos, f. 6. 7
In quo amentes & dormientes conveniant cum Infantibus, & differant, f. 9
De Officio patris & matris ergà Infantes seu Filios, f. 104
Parvuli peccato tantùm Originali tenentur, j. 157
De Infantibus qui mortui reperiuntur cum patre & matre, j. 165
Quid dicendum de illo infanticidio à parentibus commisso, ibid.
De Infanticidio per abortum commisso, j. 167. 168
Actus legitimi Infantibus sunt interdicti, c. 36

INJURIA.

Circà Injurias vim vi repellere licet, c. 85
Quis tenetur qui Injuriam irrogavit, c. 84
Multis modis fit Injuria alteri. c. 85
Quinam non possunt inferre Injuriam, ibid.
Scienti & consentienti non fit Injuria, ibid.
Injuriaria condemnandus est ad satisfactionem faciendam & ad Expensas, ibid.
Vide Verb. Infamia.

INQUISITIO.

In Criminalibus per Inquisitionem procedi potest, j. 75. 76
Non est facienda Inquisitio nisi contrà infamatum, j. 85
Clamosa infamatio semper præcedere debet Inquisitionem, ibid.
In Inquisitione Ordo Juris servandus est, j. 86
Judex seu Superior ex Officio suo debet inquirere in crimina Subditorum, j. 85. 86
Contrà quem fit Inquisitio, præsens esse debet, nisi contumaciter sit absens, j. 86
Super objectis criminibus veritas per idoneas personas, & famam loci sollicitè inquiri debet, j. 89

INSCRIPTIO.

Legitima Inscriptio præcedere debet accusationem, j. 76
Qui accusat debet se inscribere per se ipsum & non per Procuratorem, ibid.
Inscriptio jamdiù abrogata est in Foro Sæculari & Ecclesiastico, ibid.
Licitum est desistere ab Accusatione sine pœnâ, antè Inscriptionem, j. 84
Quandò crimen in modum Denunciationis opponitur, non est Inscriptio necessaria, j. 85

INSTITUTIO.

Institutio autorisabilis quid sit, b. 9. 12
Institutio pertinet ad Jus Episcopale. b. 27
Institutio pertinet ad Jurisdictionem necessariam, ibid.
Præsentatus quousque fuerit institutus non videtur habere plenum jus, b. 10. 15
Institutio Canonica quid sit, b. 15. 16

INSTRUMENTUM.

Probatio per Instrumentum, est una ex quatuor modis probandi. j. 27. 32
Reus non tenetur dare Actori Instrumenta sua contrà se, j. 27. 31
Publicum Instrumentum est illud quod per manum Notarii confectum est, j. 29
Consuetudo facit aliquod Instrumentum Authenticum quod aliàs non esset. ibid.
Instrumenta publica, & Sigilla authentica fidem faciunt, ibid.
Præsumitur pro Instrumento publico, nisi contrà præsumatur, vel probetur, ibid.
In Instrumento publico non refert diversitas narrandi ubi eadem dicuntur, & veritas non mutatur, j. 30
Vide Verb. Falsitas.
Exemplaria Instrumentorum ad fidem faciendam quomodò debeant esse confecta, ubi Originale Instrumentum non apparet, ibid.
Sub prætextu novorum Instrumentorum, lites non debent instaurari, ibid.
Instrumenta communia Parti Pars exhibere tenetur, j. 31
Instrumentum reprobatum quid sit, ibid.
Nullus debet Adversario subtrahere litis Instrumenta, j. 30
Non potest uti Instrumento qui illud impugnat, vel qui illud non ostendit, j. 31
Instrumentum potest reprobari per aliud Instrumentum, ibid.
Jus Gallicum circà Instrumenta habetur in Ordination. ann. 1667. j. 31. 32
Instrumentorum appellatione Testes continentur, j. 32
Comparatio Instrumentorum cum depositionibus Testium, j. 39
In Gallia tenor Instrumentorum non potest impugnari per Testes contrarium deponentes, j. 39

INTENTIO.

De Intentione Presbyteri circà Sacramenta, f. 2
Sacerdos non habens intentionem consecrandi in celebratione Missæ præbet ansam Idololatriæ, f. 26
Intentio tua Operi tuo nomen imponit, j. 153

INTERDICTUM.

Interdictum multa habet communia cum Censuris, j. 106
Sententia conditionalis Interdicti, j. 107. 114. 136
Quæ de divisione & subdivisione Excommunicationis, locum habent in Interdicto, j. 110
Quâ formâ ferri debeat Sententia Interdicti, j. 114
Forma essentialis & necessaria saltem in Galliâ. ibid.
Quas pœnas incurrant qui hujusmodi formam omittunt in ferenda illâ Sententiâ, j. 114. 115
Sententia Interdicti non est adhibenda pro re temporali, j. 114
De denunciatione Interdictorum. j. 115. Vide etiam, j. 108.
Tres sunt tantùm Censuræ Ecclesiasticæ, scilicet Interdictum, Suspensio, & Excommunicatio, j. 106. 107
De Interdicto, j. 135. 136. 137. 138. 139
Terra interdicitur cùm in ea inhibetur Divina Officia celebrari. j. 135
Interdictum aliud est generale, aliud particulare, & aliud personale, j. 135. 136
Interdictum ab Homine, vel à Jure profertur, j. 136.
Interdictum est Lex odiosa, ibid.
Regnum interdicitur cùm in eo inhibetur Divina Officia celebrari, j. 135. 136
Interdictum propter quas causas debeat promulgari, j. 136
Interdictum aliud est conditionale, & aliud ad tempus, ibid.
Interdictum fieri potest per Papam, per Episcopos, aut per Concilium Provinciale, ibid.
Si sit Ecclesia Interdicto subjecta, Capella ejus & Cæmeterium ipsius eidem Ecclesiæ contigua intelliguntur interdicta, j. 136. 137
Secùs si ei contigua non existant, j. 136.
Quinam sint effectus Interdicti, & quæ obligatio illud servandi, j. 136. 137
Interdictus potest agere, vel Procuratorem constituere, j. 137
Qui violat Interdicti Sententiam, despicit Petri claves, ibid.
Quænam de Jure concedantur tempore Interdicti, ibid.
De Privilegiis eorum qui tempore Interdicti possunt Divina celebrare. j. 138
Comparatio Interdicti cum Excommunicatione & Suspensione. j. 139.
Interdicto juncta est cessatio à Divinis, quia est veluti pars interdicti, ibid.
De cessatione à Divinis tempore Interdicti, j. 138. 139.
Interdictum est Censura Clericalis, j. 139
Præcipui Textus Juris Canonici de Interdicto loquentes pertinent ad Interdictum Generale, ibid.
Decreta Pragmat. Sanct. & Concordat. condita sunt ad temperandum jus Canonicum circà Interdictum, ibid.

INTRUSIO

Circà intrusionem, c. 71. b. 4
Quinam Jure Communi intrusi expressè dicantur, b. 81.
Quinam de Jure Decreti, ibid.

INVESTITURA.

Investitura quomodò fieri potest, b. 69. 70
Investitura alia erat Temporalis & alia Spiritualis, b. 5
In Sæculo XI. ortæ sunt turbæ inter Papam & Reges circà Investituras. ibid.
De vaccâ albâ Simoniacè receptâ pro Investiturâ Ecclesiarum, b. 164. 179

IRA, IRACUNDIA.

Quidquid in calore Iracundiæ vel fit, vel dicitur, condonandum est, j. 157
Iracundus est qui semper irascitur, j. 149

IRREGULARITAS.

Mutilatio quoad Irregularitatem reservatur, & quoad Absolutionem nullibi reservatur, f. 46
Delicta quæ Clericos Irregulares efficiunt, f. 45.
Irregularitas ex homicidio, f. 46. j. 140. 141
De Irregularitate ad Ordines propter vitium Corporis, f. 70. 81
Circà Irregularitates quoad Ordines & Beneficia, f. 81
Depositio differt in pluribus à Suspensione & ab Irregularitate. j. 135
Ad quid teneantur Clerici Irregulares, vel qui sunt Majoribus Censuris ligati, j. 140
An, & quomodò incurratur Irregularitas ex Sacrorum Ordinum exercitio, ibid.
Quomodò tollantur Irregularitates, & à quo super iis dispensari possit, ibid.
De Irregularitate quæ oritur ex Homicidio, seu ut ajunt, mutilatione voluntariâ, j. 140. 141
De Irregularitate quæ oritur ex homicidio casu commisso, j. 141. 142
Quoad Irregularitatem ex homicidio fortuito, observanda est distinctio, an quis dederit operam licitæ rei, an illicitæ, j. 141
An, & quomodò Irregularitas oritur ex homicidio, in sui suarumque rerum defensionem facto, j. 142

Quoad

An, & quomodò incurratur Irregularitas propter Homicidium in bello, seu publico, seu privato, commissum, ibid.
An, & quomodò incurratur Irregularitas propter Sententiam Sanguinis contrà aliquos latam, j. 143
An, & quandò Irregularitas ex Homicidio orta relaxatur, sive quis dispensare possit ab hujusmodi Irregularitate, & quomodò, j. 143. 144
Quænam excusent ab incurrendâ Irregularitate ex Homicidio, j. 144.

ISIDORUS.

Pelsus Isidorus, f. 30. b. 35. 112
Isidorus mercator laudatus, f. 86. c. 4.

ITALIA.

Episcopi Italiæ non possunt ordinare Clericum Ultramontanum sine Literis Dimissoriis à Nunciis Papæ subscriptis, f. 75. 76
Circà pensiones, Leges pecuniosæ & utiles ad Italos, b. 104
De Jubileo instituto per Papas in Roma. (quæ est urbs in Italia sita) f. 42
Vide Verb. Jubileum.
Usus Ecclesiæ urbis Romæ in Celebratione Missæ, f. 22

JUBILEUM.

Papa Bonifacius VIII. tanquàm Magister Cælestis & inconsumptibilis thesauri Indulgentiarum, instituit Jubileum centenarium, f. 42. 43
Peregrini homines per quindecim dies visitantes Templa Apostolorum Petri & Pauli in urbe Romæ sita, obtinebunt secundùm promissiones illius Papæ plenissimam veniam omnium suorum peccatorum, f. 42
Papa Clemens VI. Statuit hoc Jubileum de quinquaginta annis in quinquaginta annos, f. 42. 43
Papa Urbanus VI. restrinxit idem Jubileum de triginta tribus annis in triginta tres annos, f. 43
Papa Paulus II. reduxit hoc Jubileum (ut hodiè adhuc est) de XXV. ann. in XXV. ann. f. 42. 43
Hoc Jubileum per Papas sic institutum fuit ad augendum magis ac magis honorem Petri & Pauli, ac quædam Templa Almæ urbis Romæ, f. 42. 43
Clausula Bullarum Jubileorum circà Confessarios, f. 58. 63

JUDEX.

Judices vel ex Jurisdictione Ordinariâ procedunt, vel ex Delegatâ potestate, vel ex compromisso, j. 15
Inferior seu minor Judex in majorem non debet exercere potestatem, j. 15. 16
Major non potest à minore judicari, ibid.
Statutum Judicis non habet vires extrà territorium, j. 15
Judex undè dicatur, j. 16
Bonus Judex debet secundùm Leges judicare, j. 16. 19
Judex quisnam sit, j. 17
Officium Judicis est Justitiam unicuique reddere secundùm Leges aut consuetudines, & non ex arbitrio aut ex animi affectu, j. 16. 17. 19. 20. 21. 22
Vide Verb. Imitatio.
Judices alii sunt Ordinarii, alii Delegati, alii Arbitrarii, j. 19. 20. Vide etiam, j. 7.
Judex debet ex firmis fundamentis judicium seu Sententiam formare, j. 20
Judex pro pecunia aut pro donis non debet vendere judicium aut Justitiam, j. 21. c. 73
Judex non debet claudicare in justitiâ reddenda, j. 21
Judices quid debent examinare, & quid debent facere antequam pronuntient aut procedant ad Sententiam, j. 22
Causæ propter quas licet recusare Judices, j. 23. 25. 26
Nullus à suspecto Judice judicandus est, j. 25
Periculosum est coram suspecto Judice litigare, ibid.
Nonnulla notanda circà suspectos Judices, ibid.
Judices inimici distinguendi sunt à Judicibus suspectis, j. 27
Quis est Judex circà Judicem recusatum ut suspectum, j. 26. 27
De Sententiis quæ feruntur à Judicibus, j. 56. 57. 58
Vide Verb. Appellare.
Jura & Officia Judicis Appellationis, j. 68
In criminalibus Judex debet judicare justè & secundùm Justitiam, j. 87
Majus periculum est judicantis quàm ejus qui judicatur, j. 87
Condemnatus injustè per Judicem non censetur condemnatus apud Deum, ibid.
Judex aliquandò errat, pudere eum non debet errorem suum corrigere, j. 105

JUDEX ECCLESIASTICUS.

Quomodò Judex Ecclesiasticus decernere debeat circà eos qui fidem sibi dederunt, aut etiam sponsalia Juramento firmaverunt, & adimplere recusant, f. 82
Judices Ecclesiastici deberent tantùm cognoscere de rebus purè Spiritualibus, f. 123. j. 17
Cognitio aut judicium Causarum Matrimonialium pertinet ad Judices Ecclesiasticos, f. 126. 131
Judices Ecclesiastici debent scire Statuta Canonum, f. 126
Judices Ecclesiastici debent judicare secundùm Leges, & justitiam, & non per favorem & contrà conscientiam, j. 20. 21
Judices Ecclesiastici debent judicare causas Ecclesiasticas secundùm Canones, aut secundùm Regulas Decretalium & Decreta Conciliorum, j. 22.
Clerici committentes crimina merè Ecclesiastica à Iudice Ecclesiastico puniri debent, j. 70. 71
Crimen Hæresis, Simoniæ, Perjurii, & Adulterii; hæc & similia pertinent ad Ecclesiam, j. 71
Unaquæque Provincia suos habeat Judices, singulos videlicet secundùm Ordines suos, j. 95. 97
Officium Judicis Ecclesiastici circà crimina, j. 98
Laut Judicis puniendo Crimina, j. 98. 99
Non Judex tanquàm homo separat, sed Lex, j. 99
Judex punit non delectatione alienæ miseriæ, sed dilectione justitiæ, j. 99
Judex sit clemens & indutus viscera misericordiæ & Lacrymarum. j. 100
Tutius est in misericordiam quàm in severitatem declinare. ibid.

JUDEX SÆCULARIS.

Judex Sæcularis habet cognitionem de dote aliisve similibus, f. 127
Aut de hæreditate, j. 17
Judex Sæcularis habet potestatem puniendi Clericum pro Re Spirituali, j. 17
Ut tranquillitas publica conservari possit, Judex Sæcularis punire debet Clericos, aut Ecclesiasticos committentes delicta atrocia, j. 71. 72
Jurisdictio Temporalis non pertinet ad Ecclesiam, nec de eâ debet se intromittere in præjudicium Judicis Sæcularis, j. 95
In Galliâ quænam est Autoritas Judicis Sæcularis circà Censuras & Excommunicationes, j. 107

JUDICIUM.

Tractatus de Judiciis, in genere & in specie consideratis j. 5
Ad imitationem Gregorii IX. Noster Author quædam præparatoria præmisit ad hunc Tractatum de Judiciis, j. 1. 2
Ordo est tantùm pars Judiciorum, j. 8
De aliis præparatoriis ad Judicia, j. 10
Judicium quid sit, ibid.
Cur vocatur Judicium, ibid.
Contradictum seu contradictorium Judicium quid sit; ibid.
Quæ sint Judiciorum Acta, j. 11
De Ordine judiciario in Causis Civilibus observando, j. 15. usque ad pag. 70
Ordo Juris & æquitatis vigor in Judiciis observanda sunt, j. 23
De Ordine Judiciario in Causis Criminalibus observando j. 70. & seq.
Peregrina Judicia sunt prohibita, j. 95
Justum Judicium vendere non licet, c. 73

JURAMENTUM.

An Conjuges possint jurare se mutuò Debitum Matrimoniale non petituros & ad quid obliget illud Juramentum, f. 103. 122
Juramentum Continentiæ inter Conjuges, est juramentum temerarium, j. 103. 122
Vide Verb. Gratia.
Cùm aliquis intentionem suam fundaverit Instrumentis aut Testibus, ei Juramentum non deferatur, j. 27
Juramentum aliud est decisorium, aliud promissorium, aliud assertorium, aliud juramentum calumniæ, j. 40
Juramentum decisorium introductum fuit à Jure Civili, ibid.
Multa circà alia Juramenta notatu digna, ibid.
Juramentum fit cùm Deus ut testis invocatur, j. 40. 41
Juramentum per se non est malum nec peccatum, cùm sit confirmatio veritatis, j. 41
Juramentum per Creaturas est prohibitum, & talia Juramenta punienda sunt. j. 41. Vide tamen, j. 43
Quænam juramenta Christus & Apostoli prohibuerunt, j. 41. 42
Juramentum per Deum est permissum dummodò factum sit ex necessitate, j. 41. 42
Juramentum in defectum probationum est præstandum, j. 42. 51
Ut Juramentum licitum sit, debet habere tres comites, veritatem, judicium, & justitiam, j. 42. 43
Quænam personæ non admittuntur ad Juramentum, j. 43
Juramentum exigitur propter mala evitanda, j. 43
Casus, in quibus Juramentum per falsos Deos aut per creaturas est permissum, ibid.
Juramentum promissorium, dummodò sit licitum, honestum & possibile rigidè observandum est, j. 43. 44
Periculosum est contrà suum Juramentum venire, j. 44
Juramentum quo promittitur aliquid illicitum, non est observandum, j. 44. 48. c. 3
Juramentum illicitum est illud quod est contrà bonos mores, seu contrà præcedens contractum Juramentum licitum, j. 44. b. 107
Juramentum illicitum est etiam illud quod est contrà Canones, j. 44. 45
Circà Juramentum Herodis ergà Sanctum Joannem Baptistam. j. 45
Juramentum generaliter conceptum ad quas res extenditur, aut quomodò intelligendum est, j. 45. 46. 48
Juramentum non extenditur ad illa super quibus non est præstitum, j. 45

In

In Juramento conscientia uniuscujusque hominis est testis idoneus & legitimus. j. 43. 48
Si quis duo fecit Juramenta, quod majori juratur ratione est observandum, j. 45
Non est obligatorium contrà bonos mores præstitum Juramentum, j. 44. b. 107
Casus, in quibus juramenta solemnia, & alia juramenta non sunt servanda, j. 44. 45. 46. 47. 48
Juramentum non est vinculum iniquitatis, j. 45
Juramentum ad casum inopinatum extendi non debet, j. 46
In quolibet Juramento contineri tacitè certas aliquas conditiones honestas, seu exceptiones, contrà quas illud non valet. j. 46
Juramentum vel fides data sub conditione non obligat, nisi conditio servetur. ibid.
De Juramento Josue ergà Gabaonitas, j. 47
De Juramento extorto, per vim, metum, dolum aut per fraudem, j. 46. 47. 50. c. 63. b. 107
Vide Verb. Conjugium.
De interpretatione & absolutione requisitâ in certis juramentis, j. 48
Quibus modis cesset obligatio Juramenti, ibid.
De Juramento facto cum aliquâ promissione, j. 49. 50. 51
Pro illicito seu temerario Juramento imponenda est pœna ab Ecclesia, seu à Ministris Ecclesiæ, j. 49. 50
Temerarium Juramentum seu perjurium quid sit. ibid.
Falsum Juramentum est magnum peccatum. j. 50
Circà Juramentum Purgatorium, j. 51
Forma Juramenti fidelitatis, seu obedientiæ subditorum ergà Superiores, ibid.
An illud Juramentum Successoribus debeatur, ibid.
Juramentum aliud est judiciale, aliud extrajudiciale, aliud voluntarium aut necessarium, j. 52
Quandonam Judex in judicio Juramentum Partibus infligere debet, ibid.
Cognitio circà juramenta ad quem Judicem pertinet, ibid.
Vide Verb. Promissio.
De Juramento apposito in Contractibus, c. 38
Juramentum contrà bonos mores est nullum, c. 36. 38. b. 107
Quid sit illud Juramentum, c. 38

JURISDICTIO ECCLESIASTICA.

Sua cuique servanda Jurisdictio, aliàs Ordo Ecclesiasticus confunditur, f. 57
De Jurisdictione contentiosâ, j. 15
Jurisdictio alia est Ordinaria, alia Delegata, ibid.
Inferior non habet Jurisdictionem in Superiorem, j. 15. 16
Nulla est Jurisdictio extrà territorium, j. 15
Jurisdictio non extenditur præter specificata in literis Concessionis, j. 15. 16
Jurisdictio Delegata cessat variis modis, j. 16
Confirmare, investire, Beneficia conferre, & consimilia, consistunt in Jurisdictione, b. 27
Jurisdictio Episcopalis venit ex Deo, b. 36

JUS.

Jus positivum quotuplex, f. 43
Ubi eadem ratio est ibi idem Jus constituendum est, f. 60
Scientia Juris Canonici est practica, f. 68
Unicuique licitum est jus suum persequi, j. 10
Utens Jure suo aliis injuriam facere non videtur, j. 10. 11. c. 3. 35
De clausulis Juris, illarum vi, & effectu, j. 12. 13. 14
Prior tempore, potior Jure, j. 23
Quibus modis Jus habeatur in bonis temporalibus circà quæ Contractus versantur, c. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9
Jus dictum est à justè possidendo, c. 1
Varia significatio Juris, ibid.
Nullus plus Juris in alium transferre potest, quàm eum constet habere, c. 2. 34. b. 132
De Jure Divino terra ad Deum pertinet, c. 1. b. 132
De Jure Naturali omnia bona sunt communia, c. 25
De Jure Humano Reges sunt possessores terræ, c. 1. 25
Meum & tuum sunt de Jure Humano, c. 1
Circa Textus suppositios Juris Canonici, Vide Verb. Canon, Decretalis, Decretum, Epistola.

JUSJURANDUM.

Considerationes circa Conones collectos de Jurejorando, j. 40
Jusjurandum ad confirmandam veritatem non est prohibitum, j. 41. 42
Jusjurandum per Deum ex necessitate est permissum. ibid.
Vide Verb. Juramentum.
Episcopi debent jusjurandum Papæ & Metropolitano, b. 106

JUS PATRONATUS.

Junge Verb. Patronus.
Jus Patronatûs acquiri potest per quatuor modos, scilicet per hæreditatem, per ædificationem, per dotationem & per fundi assignationem, b. 12. 13
Jus Patronatûs ad defensionis Ecclesiæ subsidium fuit inventum, b. 12
Sub colore Juris Patronatûs Beneficia Ecclesiastice in servitutem redigenda non fuor, ibid.
An, & quomodò Jus Patronatûs transeat ad hæredes, & quomodò illi præsentare possint ad Beneficia, b. 13
Jus Patronatus est Jus Spirituale, ibid.
An donari, vendi, aut acquiri aliquo modo possit, b. 13. 14

JUVENIS, JUVENTUS.

Cùm in Juventute suâ quis se maturum, honestum & providum exhibuerit, quid præsumendum est de illo in senectute, j. 89

LABBÆUS.

Collectio Conciliorum à P. Labbæo Jesuitâ, laudata, f. 1
Omissio illius Jesuitæ in illâ Collectione Conciliorum, j. 81

LAICUS.

In casu necessitatis, Laicus potest baptisare, f. 6
Laici utriusque sexûs, ex præcepto Ecclesiæ Romanæ, tenentur audire Missam in die Dominico, f. 28
Laici sunt membra Reipublicæ profanæ seu temporalis, f. 80
Ut omnes Laici tàm nobiles quàm ignobiles faciant publicas nuptias, ritè per Benedictionem Sacerdotis celebratas, f. 91. 92
Laïcus etiam uxoratus potest esse Procurator Clerici, & potest quoque tractare Causas Spirituales, j. 5
In Judiciis Laicorum privilegia turbare non vult Sedes Apostolica. j. 95
Quænam res spirituales Laici præscribere non possunt, c. 14
Clerici & Monachi Laicos & Fideles spoliare non debent. c. 24
Clerici non habentes temporalia à Laicis, non tenentur eis præstare juramenta fidelitatis, c. 16
Ratio hujus rei secundùm Jus Canonicum, ibid.
Laici ex privilegio possunt Beneficiis providere, b. 4. 5
Laici dederunt bona ad Ecclesias credentes tales donationes esse utiles ad salutem aut requiem eorum animarum, b. 119
Solam Laicorum autoritatem, licet aliàs necessariam, non sufficere ad alienationem legitimam bonorum Ecclesiæ, b. 124
Sub pœnâ Excommunicationis, ibid.
Laicus homo de omnibus, quæ licitè potest acquirere, Decimas ad Ecclesiasticos erogare tenetur, saltem secundùm Jus Canonicum, b. 131. 143
Vide Verb. Oratio.
Laicis dari non posse jus percipiendi Decimas, neque eos posse illud detinere, aut præscribere. b. 139
Sed cum dispensatione habent illam facultatem, ibid.
Laicorum secundùm Autores Juris Canonici, non est extendenda licentia, sed potiùs restringenda, ibid.
Clerici Autores Juris Canonici omnia fecerunt non in favorem Laicorum, sed in favorem Clericorum, j. 102
Vide Verb. Ecclesia Romana, Ratio seu Ordo.
Principes Sæculares seu Laici possunt regere & possidere res temporales & res Sacras secundùm S. Augustinum. b. 159
Clerici & Monachi gratis acceperunt à Deo Sacramenta & Res Spirituales, sic Clerici & Monachi debent gratis omnes eas res ad Laicos dare & administrare, b. 160. 167
Clerici recipientes pecuniam à Laicis pro illis rebus, committunt magnum peccatum crimenque simoniæ, b. 160. 161

LAUNOJUS.

Launoius doctè & methodicè omnia refert, f. 7
Launoius laudatus, f. 11. 18. 65. 67. 80. 131
Launoius laudatus circà Matrimonium clandestinum, f. 132. circà Simoniam, b. 178. 179

LECTOR.

Lector est in Minori Ordine constitutus, f. 67
Quomodò fit Ordinatio Lectoris, f. 68
Quodnam est Officium Lectoris. f. 69
Penes quos sit potestas ordinandi Lectores, j. 74

LEGATUM.

Jus Canonicum quænam notanda doceat circà Legata, c. 47
Ad explicationem Legatorum, quomodò verba sunt inspicienda, b. 130

LEGATUS PAPÆ.

Legatus à latere. j. 127. b. 36
Legatus de latere, j. 72
Quænam est potestas Legati circà resignationes, b. 67. 84. 85. 89. 109
Autoritas Legati circà præventionem, b. 36. 37
Illa autoritas circà præventionem, est tolerata in Gallia, b. 37
Legatus Avenionensis affert gravissimum præjudicium & maximum damnum ad Ordinarios vicinos, b. 32. 37

LEX.

Cujus est Legem condere, ejus illam interpretari. f. 46
Singulæ Leges non ligant omnes in quorum commodum sunt, f. 51
Leges Ecclesiasticæ in foro externo quomodò obligant. f. 54
Offendens in uno præcepto Legis factus est omnium reus, j. 158
Ecclesia non potest ferre Leges circà res temporales, quæ derogent Legibus Civilibus circà eas, c. 25
Principes Supremi habent plenissimam autoritatem circà Leges Civiles & Temporales, c. 23. 24. 25
Contrà eum interpretatio facienda est, qui Legem apertiùs dicere potuit, c. 32. 34. 40
Vide Verb. Pietas.

LIBELLUS.

Vide Verb. Reus.
Citatio per Libelli Oblationem fieri solet, j. 24
Quædam antiquæ formulæ Libelli. ibid.
Libellus est basis processûs. ibid.
Libellus continere debet conclusiones Actoris, ibid.

LIBER.

Quædam per Libros antiquos probantur, j. 27
Scriptura antiquorum Librorum facit fidem, ibid.

LIBERTAS.

De Libertate ad peccandum requisita, f. 157
Liberi arbitrii nos condidit Deus, ibid.

LIS.

LIS.

Forus est exercendarum Litium locus, j. 10
Quomodò quis renunciat Liti, ibid.
In Lite quomodò petitio facienda est, j. 11
In Lite quid faciendum est, ibid.
Pendente Lite nihil Innovandum est, ibid.
Judices expedire debent Lites ne immortales existant, & ne partes ultrà modum graventur laboribus & expensis, j. 22
Lites restringendæ sunt potiùs quàm laxandæ, ibid.
Ordo Judiciarius in controversiis Litium est servandus, j. 23
Quid Jus Commune requirat ut Lis mota dicatur, b. 83
Non decet Religionem Monasticam Litibus & contentionibus intendere, b. 137

LITTERA.

In Galliâ nihil potest Judex circà Acta per vim aut metum facta, nisi ex consequentia Litterarum Rescissionis à Principe impetratarum, j. 152. c. 64. 66

LITTERA DIMISSORIA.

Quas pœnas incurrant tàm Episcopi qui sine Dimissoriis Litteris alienos Clericos ordinant, quàm sic Ordinati, f. 75
Canones cujusque Sæculi circà Dimissorias Litteras, Vide in Tomo Secundo hujus Operis.
Quas Pœnas incurrant tàm qui concedunt Litteras Dimissorias Sede Vacante, intrà annum à die vacationis, quàm qui illas impetrant, ibid.
An, & quomodò Episcopi debeant Litteras dare, vel Dimissorias, vel Testimoniales, Ordinis collati, f. 79

LOCATIO, LOCATOR.

Locatio differt à proprietate, c. 2
Locator non tenetur de futuris casibus domorum, c. 18. 52
Locator expelli potest in quatuor casibus, c. 18. 51
Circà illos qui locant suas operas, c. 18. 52
Regulæ circà Locationem & Conductionem, è Jure Canonico depromptæ, c. 51. 52
Locator & Conductor inter se differunt, c. 52
Variæ species Locationum ibid.
An, & quomodò Beneficiarii possint locare Bona Ecclesiæ. b. 127

LOCUM.

Non licet Prælatis donare Ecclesias vel eorum jura Locis Religiosis, nisi de consensu Capituli, b. 124

LUCRUM.

Damnabile Lucrum ab Ecclesiâ removendum est, f. 27. b. 182. 183

Vide Verb. Pecunia.
Ecclesiastici & Monachi in ore & in corde semper habeant hæc Verba: Nos sacculum Ecclesiæ ex turpibus Lucris nolumus inquinari, j. 102
Turpe Lucrum est, pondera injusta vel mensuras habere, c. 16 42. 84
Lucra terrena ab omnibus Clericis & Sacerdotibus sunt fugienda, c. 24. b. 168
Acquisita per Clericos per turpe Lucrum restituenda sunt, c. 24
Ubi Lucrum, ibi Damnum, Lucrum in arcâ, Damnum in Conscientiâ, c. 74
Propter turpe Lucrum & avaritiam Ecclesiastici volunt habere multa Beneficia, b. 42. 43. 44. 51

LUDUS.

Mutua promissio inest in Ludo, c. 61
Clerici non possunt ludere sine crimine, saltem secundùm Jus Canonicum, ibid.
Decisiones Canonicæ circà Ludos, c. 61 62
Ludi prohibiti per Jus Canonicum, ibid.

LUXURIA.

De peccatis quæ committuntur per Luxuriam seu libidinem, j. 161
Comparantur peccata Luxuriæ, tùm cum aliis peccatis, tùm inter se, quantùm ad gravitatem, j 162
Venter Hominis Luxuriosi despumat in libidinem, j. 149

MÆCHATIO.

Mæchatio quid sit, j 161
Quid significant hæc Verba, Non mæchaberis, j. 161. 162

MAGIA, MAGUS.

Magi sunt qui vulgò Malefici, ab facinorum magnitudinem nuncupantur, j 160
Magna potentia illorum Magorum secundùm Jus Canonicum. ibid.
Ars Magica est à Diabolo inventa, & est prohibita per Canones, ibid.
Magi quærunt suffragia Diaboli, ibid.

MALITIA.

Semel malus semper præsumitur esse malus, j. 158
Nemo de Malitiâ suâ commodum reportare debet, j. 148. 151. 158. b. 82

MANDATUM.

Mandatum, vel est generale vel speciale, j. 3 7. c. 55
Mandatum generale ad negotia, ac ad Judicia se extendit, j. 3
Procurator licet habeat Mandatum Generale, attamen multa negotia gerere non potest, j. 3. 4
Procurator qui excedit fines Mandati non præjudicat Domino, j. 5
Nulla est differentia inter Mandatum procuratorium, & Litteras de rato, j. 6
Mandatum revocatur per obitum Constituentis, j. 6. c. 54. 55. 57
Quomodò Mandatum aliter revocatur, j. 6. c. 57
In quibus conveniunt Mandata sive Procurationes cum Rescriptis, j. 7
Regulæ circà Contractum Mandati, è Jure Canonico depromptæ, c. 54. 55. 56. 57. 58
Mandatum habet varia nomina in Jure Canonico, c. 54. 55
Mandatum quid sit, c. 55
Quænam sunt divisiones Mandati, ibid.
Quænam requirunt speciale Mandatum, ibid.
Quinam mandare non possunt, c. 56
Quinam tenentur mandare, ibid.
Quænam sunt obligationes Mandatarii, c. 57
Qui per alium facit, per se ipsum facit, c. 55

MANDATUM APOSTOLICUM.

Multa circà Mandata Apostolica, b. 34. 35
Illa Mandata jamdiù abolita sunt, b. 35

MANICHÆUS.

Manichæus quid dicebat de Matrimonio, f. 86

MARIA (Sancta Virgo)

Missa celebrata in honorem Beatæ Virginis, f. 23
Christus Claves Regni Cælorum non commisit Sanctæ Mariæ, f. 31
Præfatio addita in Missâ in honorem Sanctæ Virginis Mariæ ann. 1095. f. 24
Vide Verb. Pensio, usus Notabilis.

MARTYR, MARTYRIUM.

Baptisma Sanguinis, quod Martyrium appellatur, f. 5

MATHESIS, MATHEMATICUS.

Si quis Mathesi existimat esse credendum, Anathema sit. j. 160
Circà Mathesin & Mathematicum adhibenda est eadem distinctio, ut illa de quâ in Verbo Astrologia.

MATRIMONIUM.

Vir & uxor sunt una caro per copulam conjugalem, f 12. 94. 97. 101. 110
Cognatio Spiritualis dirimit Matrimonium, f. 12. 111. 112
Matrimonium est unum ex septem Sacramentis Ecclesiæ Romanæ, f. 1. 86
In quibus Sacramentum Ordinis, & Sacramentum Matrimonii conveniant, differantve, f. 80
Matrimonium clandestinum est irritum secundùm Concilium Tridentinum, f. 84. 88. 91. 92. 132
Matrimonium est bonum semper & ubique & ab omnibus honorandum, f. 86. 91. 99
Matrimonium est maris & fœminæ conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens, f. 86
Matrimonium institutum fuit à Deo, f. 86. 92. 94. 96
Matrimonium non facit coitus, sed voluntas. f. 87. 89
Matrimonium est verè unum ex septem Sacramentis Ecclesiæ Romanæ, & non ab hominibus in illa Ecclesia fuit introductum, sed à Christo secundùm Concilium Tridentinum, f. 87
Quomodò, & quibus verbis contrahatur Matrimonium, ibid.
Materia & forma Sacramenti Matrimonii, ibid.
Quid agendum sit cùm vir aut mulier verbis obscuris, vel ambiguis usi fuit, ibid.
Ætas legitima ad contrahendum Matrimonium, f 87. 88
Duo requiruntur ut impuberes Matrimonium possint contrahere, f. 88
An Matrimonium clàm contractum ab impuberibus, saltem valeant ut sponsalia, etiam attento Jure Concilii Tridentini, ibid.
An surdi & muti possint contrahere Matrimonium, ibid.
An furiosi & amentes possint contrahere Matrimonium, f. 89
De Matrimonio contracto per minores, f. 88. 89. 132
Casus, in quibus Matrimonium est irritum, aut non valet, f. 87. 89
Circà requisitum parentum consensum in Matrimonio suorum filiorum, f. 89. 132
Ubi non est consensus utriusque, non est Matrimonium, f. 89. 105
An validè Matrimonium contrahant qui ad illud coguntur. f. 89
Consensus facit Matrimonium, f. 89. 105
Libera Matrimonia esse debent, f. 89. 90. c. 61. 64
Quale peccatum sit cogere aliquos ad contrahendum Matrimonium. f. 90
De pœnis circà similes coactiones, ibid.
De Matrimonio contracto per Internuncium, seu Procuratorem, ibid.
Quæ conditiones apponi possunt in contractu Matrimonii, ibid.
Quæ personæ possint vel non possint contrahere Matrimonium, ibid.
Forma observata in Ecclesia per Parochum in celebratione Matrimonii, f. 91. 92. 93
Quæ pœnæ sint decretæ, tùm adversùs eos qui formam præscriptam non servant, Matrimonium aliter, quàm præsente Parocho, & duobus vel tribus testibus, celebrando, tùm adversus Presbyteros qui conjunxerint aliquos post denunciatum impedimentum, f. 92. 132.
De Matrimonio hominum vagantium & incognitorum, f. 92
Nubentes se debent disponere ad contrahendum Matrimonium per opera pia ac devota, ibid.
De Registris Matrimoniorum à Parocho conscriptis, f. 92. 130

In

In Urbe Romæ in omnibus temporibus anni licet matrimonium apud Notarium per nubentes facere, f. 93
In Galliâ id prohibetur. ibid.
Quæ ceremoniæ adhibeantur in administratione Sacramenti matrimonii, & quid significant. ibid.
Vide etiam, f. 91. 92
Triplex est Matrimonii genus, vel potiùs status, sive gradus, f. 93
Quid sit Matrimonium ratum, ibid.
Quid sit Matrimonium consummatum, f. 93 94
Matrimonium ratum, id est per carnalem copulam non consummatum, dissolvi potest per Professionem solemnem in Monasterio emissam, f. 94
Intrà spatium duorum mensium, ibid.
An Matrimonium ratum dissolvatur ob alias causas, putà, vel suscipientem Ordinis Sacri, vel votum simplex servandæ continentiæ. l. 94. 95
Quodnam impedimentum nascitur ex Matrimonio rato, f. 95
Illud impedimentum usque ad quartum gradum extenditur, f. 95. 96
Matrimonium consummatum est indissolubile, f. 96. 124
Quod Deus conjunxit, inquit Christus, homo non separet. f. 96. 101. 119. 120
Deus instituit Matrimonium in Paradiso Terrestri, f. 96
Matrimonium non dissolvitur per lapsum in hæresim. ibid.
Non solvitur Matrimonium per morbum vel amentiam supervenientem, f. 96 124
Sociale vinculum conjugum non solvitur propter sterilitatem, ibid.
Nec propter separationem aut aliud Matrimonium, f. 96
Nec propter ullum crimen, f. 96. 124
Inter omnes Christianos Matrimonium cum pluribus viris vel uxoribus est prohibitum, f. 97
An Judex compellere debeat conjuges, ut post contractum legitimè Matrimonium, illud consumment. ibid.
Quid Judex decernere debeat, cùm Quæstio vertitur super Matrimonio contracto. f. 98
Quid observare debeat Judex, ut judicet Matrimonium fuisse consummatum, ibid.
De legitimo usu Matrimonii, f. 99
Conjugati debent ad invicem sibi reddere debitum Matrimoniale, non tantùm causâ prolis habendæ, sed etiam causâ fornicationis vitandæ, ibid.
Non voluptatis aut libidinis explendæ, ibid.
Quot modis peccare possint conjuges in reddendo sibi debito Matrimoniali, f. 99. 100
Æquale est jus viri & mulieris quoad debitum Matrimoniale, f. 100
Ex mutuo consensu conjuges possunt se abstinere ab opere carnali Matrimonii, propter votum aut orationem, ibid.
Sed sine mutuo consensu non possunt sine peccato, ibid.
Ratio hujus rei, ibid.
De Impedimentis Matrimonii, f. 81. 91. 104. 105. 106. 132
Vide Verb. Impedimentum.
Matrimonium contractum per errorem personæ unius pro aliâ est irritum, f. 105
Matrimonium per vim contractum cohabitatione spontaneâ convalescit, f. 105. j. 150
Quid observandum sit cùm violentiæ impedimentum proponitur in causâ Matrimonii, f. 105
In Matrimonio pro substantiâ est consensus, f. 105. Vide etiam, f. 89 92
Susceptionem Sacrorum Ordinum, & Professionem Regularem impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, f. 107
Pœna contrà contrahentes illa Matrimonia, ibid.
In initio mundi Matrimonia inter fratres & sorores erant permissa, f. 108
Per Leges Moysis illa Matrimonia fuerunt prohibita ut turpia, ibid.
Contrahitur impedimentum dirimens Matrimonium, per Matrimonii promissionem vel Matrimonium contractum seu in adulterio, seu in stupro, f. 112. 113
Christiani non debent contrahere Matrimonium cum infidelibus, Paganis, Judæis, aut hæreticis, f. 117 118
Matrimonium est res favorabilis, f. 126. j. 16
Matrimonium habet effectus Civiles pendentes à potestate Civili, sive Sæculari, quia Contractus est, f. 131
Alios verò spirituales pendentes à Potestate Spirituali, sive Ecclesiastica, quia Sacramentum est. ibid.
Excommunicatus potest contrahere Matrimonium, j. 110
De Matrimonio per metum aut timorem contracto. j. 151
Ecclesiastici amittunt Beneficia, si cum uxoribus Matrimonium contrahant, b. 113. Sunt etiam Excommunicati, f. 107
Matrimonium est commercium carnale, b. 113
Matrimonium, tùm spirituale, tùm carnale, est indissolubile, b. 199

MENDACIUM.

Mendacium est magnum peccatum, c. 71
De Mendaciis Mercatorum mundanorum & Sæcularium, c. 17. 18
Reus est qui Mendacium dixit, quia nocere desiderat, j. 39

MENDICUS.

Sacerdotes non possunt mendicare sine Ordinis dedecore, f. 71

MENSIS EPISCOPALIS.

Mensis Episcopalis, b. 78
Vide Verb. Cancellaria, Graduatus.

MENSIS PAPÆ.

Quinam sunt Menses Papæ, b. 78
Vide Verb. Cancellaria.

MERCATOR. MERCATURA.

Homo mercator vix aut nunquàm potest Deo placere, qui cùm emit & vendit, sine mendacio & perjurio esse non potest, c. 18
Qualitas lucri negociantem aut excusat, aut arguit, quia est, vel honestus quæstus, vel turpis, ibid.
Verba & Mendacia Mercatorum Sæcularium seu Laïcorum in venditione, c. 17. 18
Mercatura est periculosa, non mala. c. 18
Ecclesiastici Simoniaci sunt Mercatores Sacri & Spirituales, fures & latrones, b. 161. 162. 165. 167. 168. 175. 182. 183
Unusquisque Mercator laudat quod vendit, b. 165
Olim Christus ejecit de Templo Mercatores Sæculares seu Laïcos, dicens, Nolite facere domum Patris mei domum Negociationis, c. 18. b. 161. 168
Societas ad Mercaturam, c. 59
Circà Mercatores, c. 73
De usura inter Mercatores usitatâ, c. 76. 79. 80. 81. 82
Circà Mercatores ementes & vendentes frumentum & vinum, c. 84

MERETRIX.

Meretrix potest esse accusatrix & testis contra Simoniacos, b. 171. 175
Venalis turpitudo Meretricis est prohibita, j. 165

METHODUS.

Circà Tractatum de Sacramentis quare Methodus Scholastica est maximè necessaria, f. 1
Enumeratio omnium rerum Methodi Scholasticæ, f. 14

METROPOLITANA (ECCLESIA.)

Circa Ordinem Missæ, omnes Ecclesiæ debent imitare Ecclesiam Metropolitanam, f. 21

METROPOLITANUS.

Devolutum à Metropolitano ad Papam transfertur, cùm non est Primas qui fruatur jure Primatûs, b. 66
Vide Verb. Jusjurandum.

METUS.

De Juramento extorto per Metum, j. 46. 47 50
Exceptiones ex Metu, j. 53
Metum non excusare absolutè à peccato, sed tantùm illud imminuere, j. 149. 150
Actus qui fiunt per vim & metum, de Jure aut esse irritos, aut irritandos, cùm talis est Metus qui possit in virum constantem cadere; id est vel Metus mortis, vel cruciatus corporis, j. 150. 151. c. 36. 63
Quæ per metum fiunt, per sequentem consensum valent, j. 150
Vide Verb. Timor.
Sex sunt acta quæ Lex positivè abrogat & annullat cùm scripta sunt per Metum, j. 151. c. 63
Tribus modis probari potest Metus, j. 151. c. 64
Metus & dolus æquiparantur, c. 37. 64
Circà causas nullitatis Contractuum ex Metu & vi factorum, Regulæ è Jure Canonico desumptæ. c. 62. 63. 64
In quibus vis & Metus conveniunt & differunt. c. 62
Metus alius est gravis & alius levis, ibid.
Metus cadens in constantem virum quid sit, c. 63
Duplex est effectus Metûs gravis, ibid.

MILES.

Milites sæculi discreti sunt à Militibus Ecclesiæ, j. 142
Cur non convenit Militibus Ecclesiæ militare Sæculo, ibid.
Clericus est Cœlestis Miles, j. 71
Clericatûs Officium Clericos reddit inhabiles ad pugnandum, j. 142
Casus, in quibus Miles est homicida, seu committit homicidium, j. 165. 167
Miles per Officium non committit peccatum cùm occidit hominem, j. 167
Miles in bello potest occidere hostes, j. 167. Vide etiam, j. 142

MINOR.

De Privilegio Minorum circà restitutionem in integrum, c. 64
De restitutione Minorum contrà Contractus, c. 39. 40
Verbum illud Minor, duobus modis potest intelligi, f. 88. 89
De Matrimonio contracto per Minores, f. 89

MISSA.

De Eucharistiâ, quatenùs est Sacrificium, sive de Sacrificio Missæ, f. 20
Sacrificium dicitur quasi Sacrum factum, ibid.
Sacrificium Missæ est tremendum Mysterium, secundùm Concilium Tridentinum, f. 20. 25
Christus in Sacrificio Missæ quotidiè immolatur, f. 20
Qui sint fructus, sive effectus Sacrificii Missæ, ibid.
Quomodò & pro quibus Sacrificium Missæ offerendum sit, f. 20. 21
An adhibendæ sint aliquæ ceremoniæ in Sacrificio Missæ, f. 21
Missa privata, ibid.
Missa Episcopalis, ibid.
In Ecclesiâ Romanâ Sacerdos non potest celebrare Missam in linguâ vulgari, f. 21. 22
Quæ sit materia Sacrificii Missæ, f. 22
Quo in loco, & quibus in vasis, Sacrificium Missæ offerri debeat, ibid.
Qualia debeant esse vestimenta, & alia quibus utuntur Sacerdotes in offerendo Missæ Sacrificio. f. 23. 28
De variis Missæ partibus, f. 23. 24
De Canone Missæ. f. 23. 24. 25
Circà Præfationes Missæ, f. 24

An liceat eidem Sacerdoti plures Missas una die celebrare, & quomodò, f. 25
Quæ dispositiones requirantur in Sacerdote ad faciendam Missam, f. 25. 28
Qua horâ Missa dicenda sit, & qualis. f. 25. 27
Retributio seu stipendium pro singula Missâ, f. 25. 26
De Missa fictâ, aut in fictione à Sacerdote celebratâ, f. 26
Quomodò occurrendum certis quibusdam casibus, qui inter celebrandum possunt contingere, f. 26
Tot Missæ celebrandæ, quot data stipendia, ibid.
Ne Sacerdos partem stipendii sibi traditi reservans, alteri Sacerdoti dicendam committat, ibid.
An, & quoties Sacerdotes teneantur Missam celebrare, f. 27
Quomodò intelligendum sit quod Sacerdotes teneantur quotidie celebrare ratione Beneficii, vel Oblationis, ibid.
Quid curare debeant Episcopi circà Missarum celebrationem, vel earum reductionem, ibid.
De Missa Parochiali, f. 28
Laici utriusque sexûs, ex præcepto tenentur audire Missam in Die Dominico, ibid.
Canones notabiliores circà usum Corporalium, aliorumve hujusmodi ad Missam proximè pertinentium, aliundè quàm ex Corpore Juris deprompti, ibid.
Sacerdos ne Laico ad pœnitentiam venienti obtentu cupiditatis lucri injungat, ut Missas faciat celebrari, f. 56
Nec etiam Confessarius debet illas Missas dicere, ne credatur ipsas Missas injunxisse propter lucrum, f. 57
De pœnâ contrà Sacerdotem celebrantem Missam sine igne & aqua, j. 96
Sacerdotes non debent celebrare Missam in præsentiâ Excommunicatorum ex Majori Excommunicatione, j. 119. Talia faciendo temerariè agunt, ibid.
Modus celebrandi Missam in Civitate aut in Provinciâ interdictâ, tempore Interdicti, j. 137
Totus Digitus & integer in Sacerdote est pars valdè utilissima, & necessariò debet habere illum Digitum integrum ut possit sine scandalo solemniter celebrare Missam, j. 144

MYSTERIUM.

Quid significant hæc Verba: Accipere Mysterium, f. 11
Missa est tremendum Mysterium, f. 20. 25
In Canone Missæ Ecclesiæ Romanæ hæc Verba interposita sunt: Mysterium Fidei, f. 24

MOLINÆUS.

Molinæus notatus, b. 38

MONACHUS.

Nec Monachi comparres, nec Monachæ commatres fiant, f. 12
Monachi Mendicantes quid prædicant circà Confessionem, f. 34
Institutio Mendicantium, illorumque ad Clericalia munia admissio omnia ferè pervertit & mutavit in Ecclesia Romanâ circà Confessionem, f. 49. Vide etiam, f. 34
Uxoratus sine licentia uxoris inter Monachos nullatenùs recipiatur, f. 101
Monachus non potest matrimonium contrahere, f. 107
Sub pœnâ Excommunicationis, ibid.
Monachi & Clerici possunt ferre Testimonium in Causis Ecclesiarum suarum, j. 39
In Gallia Monachi & Clerici debent Testimonium ferre coram Judice Sæculari. j. 34
De Excommunicatione quæ incurritur propter violentam manuum injectionem in Clericum, Monachum & in alias Personas Ecclesiasticas, j. 124. 125. 126. 127. 128. Vide etiam, j. 108. 111. 115. 128
An, & qui incurrant hanc Excommunicationem, j. 124. 125
A quo absolvendi sint Monachi qui Excommunicationem incurrerunt propter violentam manuum injectionem in Clericos. j. 127
An, si in Actis à Communitatibus Sæcularibus aut Regularibus habitis, suffragia dantur per timorem, & aliundè non fuerint fideliter scripta; sunt-ne illa Acta nulla, aut solùm cassationi obnoxia, j. 150. 151. 152
Paupertas Monastica est abdicatio proprii, c. 9
Monachi sibi præscribere non possunt, c. 14
Religiosi possunt ex mandato Superioris esse Testamentorum Executores, exceptis Mendicantibus, qui circà id possunt tantùm dare consilium, c. 22. 47. 48
Superiores Monachorum propter lucrum & avaritiam, quid agunt circà Dotes & circà multa alia, c. 24
Casus, in quibus Monachi committunt detestabile crimen Simoniæ, & sunt imitatores Fraudis Simoniacæ, b. 160. 161. 163
Regulæ circà Translationes Monachorum, b. 202. 203. 204
Monachi debent recitare Officium Divinum, b. 206
Comparatio Monachorum vagantium extrà Monasteria cum piscibus extrà aquam, b. 201
Vide Verb. Religiosus.

MONASTERIUM.

Desponsatæ puellæ licet sibi Monasterium eligere, f. 94
Vir seu homo habet idem Privilegium antequàm matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, ibid.
Ad quid teneantur conjuges, cùm alter eorum sine consensu alterius, vel tantùm cum consensu vi vel dolo extorto, in Monasterio solemne Votum emisit, f. 102
In Gallia paucissimi sunt Monasteria, quæ jus Electionis conservarunt, b. 7
Enumeratio illorum Monasteriorum, b. 8
Reditus Monasteriorum sunt patrimonia pauperum. b. 63. 64
Circà unionem Monasteriorum, b. 115. 116. 117
Venditio Bonorum Monasteriorum propter necessitatem aut utilitatem fieri potest, b. 112. 113
Monasterium læsum in venditione, gaudet Privilegio Minorum, sic restituendum est in integrum. b. 123
Monasterium ex Permutationis causa potest obtinere Ecclesiam, b. 125
Multa Monasteria habent jus percipiendi Decimas, b. 136. 137
Super Decimis Monasterium cum Monasterio potest amicabiliter componere, b. 137
Circa Translationem Regularium, Religiosorum & Monialium de Monasteriis in Monasteria, b. 201. 202. 203. 204

MONIALES.

Virgines quæ post consecrationem nupserunt, non tàm adulteræ sunt, quàm incestæ, f. 107
Moniales Matrimonium contrahentes sunt ipso Facto excommunicatæ, ibid.
In Gallia Moniales jus Electionis jamdiù amiserunt, b. 7
Regulæ circà Translationes Monialium, b. 202. 203. 204

MONITIO.

Caritativa Monitio præcedere debet Denunciationem, j. 85
Monitio semper præmitti debet antè Censuram Ecclesiasticam. j. 107. 114 134
Nunc monitio scripto facienda saltem in Gallia, j. 114
Tria admonitio præcedere debet antè Censuras ferendas, ibid.

MONITORIUM.

Usus Monitorii in causis Criminalibus & Civilibus, j. 83
Monitorium aliud est judiciale & aliud extrajudiciale, j. 131
Quodnam est discrimen inter illa Monitoria, ibid.
Usus Regni Galliæ circa Monitorium. j. 132

MORA.

Mora alia est voluntaria & alia involuntaria, c. 51
Non est in Morâ qui potest exceptione legitimâ se tueri, j. 15
Mora sua cuilibet est nociva, ibid. c. 34. 51. b. 27

MORS.

Cur in articulo Mortis nulla est Reservatio peccatorum, f. 48
Vide etiam, f. 40. 47. 54. 55. j. 122. 123
Canones propter nonnulla peccata, morientibus Communionem denegabant. f. 48
Aliquandò qui causa Mortis fuit, potiùs in culpâ est quàm ille qui occidit, j. 12
Mortuus Reus quomodò judicandus est, j. 74
De Excommunicatione & absolutione mortuorum, j. 130. 131
De Processu contrà mortuorum cadavera, j. 131
Judicium de defuncto in quo examine firum est. ibid.
Plura sunt hujusce judicii exempla in Concilio Nicæno II. ibid.
In Civitate interdictâ per omne tempus Interdicti, Ecclesiastici ad honorandos mortuos non possunt pulsare campanas, sicut perpetuò faciunt in aliis temporibus, j. 137
Quoad Beneficia vide multa circà Regulam de Verisimili notitiâ mortis, b. 76. 77. 78

MULIER.

Mulier quæ ignorante marito, de adulterio prolem suscepit, quamvis id viro suo timeat confiteri, non est Pœnitentia deneganda, f. 48 129. j. 50
Confessor est Pars & Judex cùm audit Confessiones Mulierum cum quibus carnaliter peccavit, f. 56
Quænam Mulieres vir potest in conjuges assumere, f. 90
Cùm Mulieres in consuetis Menstruis detinentur, viris suis misceri prohibeantur, f. 100
De dote Mulieris seu uxoris, f. 127
Licet Mulieri mortuo viro intrà annum nubere, f. 130
Mulier non potest ad secundas nuptias transire antequàm habeat Testimonia certa mortis prioris mariti, ibid.
Mulier non potest esse Testis, j. 35
In alienâ uxore seu Muliere omnis amor turpis est, j. 161. 165
Nulli licet cognoscere Mulierem præter uxorem, j. 161

MUTUUM.

Mutuum transfert dominium, c. 59
Regulæ circà Mutuum vel usuram, c. 80 81. 82. 83. 84
Circà Mutuum, c. 74. 75. 76

NECESSITAS.

Necessitas Legem non habet, c. 70
De Furto per Necessitatem, c. 70. 71

NEGOCIATIO.

Negociatio est periculosa, non mala, c. 18
Vide Verb. Mercator.

NEGOTIUM.

Negotium in Causis significat Actionem causæ, quæ est jurgium Litis, j. 10
Vide Verb. Causa.

NOTARIUS.

Notarius scribit instrumenta, & hæc est ratio cur illa instrumenta dicta sunt Publica, j. 29

NOTORIUM.

Peccatum seu Crimen Notorium quid sit, j. 74. 75. f. 10
In Notoriis necessaria est probatio Notorietatis, j. 73. 74
In Gallia in Notoriis semper aliquis Ordo Judiciarius observatur, j. 74. 75
Aliter servatur alibi, j. 73. 74. 75
Multa dicuntur Notoria quæ non sunt, j. 74
Excessus Notorius examinatione non indiget, j. 75

In

In Notoriis non admittitur Appellatio, j. 92
Gonzales fusè explicat quid sit Notorium tàm Juris quàm Facti, ibid.

NOVALE.

Quid sint Novalia, b. 137
Ex quibus eorum Decimæ debeantur, b. 137. 144.
Terra Novalis, quoad immunitatem à Decimis, Novalis semper est, b. 147
Novales Decimæ Decimarum nomine comprehenduntur, ibid.
Secùs, b. 152
Decimæ Novalium non pertinent ad Laïcum, qui Decimas habet in Feudum, b. 139

NULLITAS.

Vide Verb. Restitutio.
De præcipuis causis Nullitatis Contractuum, c. 62. 63. 64
Viæ Nullitatis facti non habent locum in Gallia, j. 152. c. 66
Acta reformari debent ex auctoritate Judicis, j. 152. c. 65. 66

NUNCIUS PAPÆ.

Nuncius, j. 72

NUPTIÆ.

Nuptiarum bonum semper est bonum, f. 86
Nuptiæ sunt infirmitatis humanæ remedium, & humanitatis solatium, f. 86. 92
Benedictio Sacerdotis semper necessaria fuit in Nuptiis Christianorum, f. 87. 91. 93
Nuptiæ occultæ seu clandestinæ sunt prohibitæ, f. 91
Vide etiam, f. 84. 88. 92
Nuptiæ cum modestia & honestate fieri debent, & non cum ludis & bacchanalibus, f. 92
Tempora, in quibus in Ecclesiâ Romanâ Nuptiæ sunt prohibitæ, f. 92. 93
Illa prohibitio non est superstitio Tyrannica, f. 92
Non celebrentur Nuptiæ noctu, metu præstigiorum, ibid.
Benedictio Nuptiarum fieri debet die & non per tempora noctis metu præstigiorum, ibid.
Benedictio Nuptiarum à proprio Parocho facienda est, f. 93
Cur annulus à sponso sponsæ datur, ibid.
In Ecclesiâ Romanâ conjuges debent offerre oblationes ante Benedictionem Sacerdotalem, ibid.
Primæ Nuptiæ melioris sunt meriti, quàm secundæ, f. 129
Nuptiæ primæ, secundæ, tertiæ, quartæ, quintæ, sextæ, & ultra sunt permissæ, ibid.
Secundæ Nuptiæ in Ecclesiâ Romanâ à Sacerdote benedici non debent, ibid.
Secundùm quædam Ritualia Matrimonium vidui cum virgine benedici potest, ibid.

OBLATIO.

Soli Ecclesiastici possunt recipere Oblationes, b. 140
Quid nomine Oblationum intelligatur, ibid.
Primitiæ, Decimæ & Oblationes, in solis Ecclesiarum bonis præcipuè numerantur, b. 133
Primitiæ, Decimæ, seu Oblationes vivorum & mortuorum, Ecclesiis Dei fideliter reddantur à Laïcis, b. 135

OFFICIALIS.

Officiales dicuntur, quibus Episcopi committunt vices suas, b. 26
Possunt instituere vice Episcoporum, b. 26. 27

OFFICIUM DIVINUM.

Ecclesiastici debent recitare Officium Divinum, b. 205. 206

OLEUM SANCTUM.

De unctione Olei Sancti in Baptismo, f. 11. 12. 13
Unctio Olei Sancti quid significat secundùm opinionem S. Augustini, f. 11
De Oleo Sancto, f. 3

OPERARIUS.

Operarius dignus est mercede suâ, c. 17. 18. 52. b. 141
Obligatio solvendi illam mercedem, c. 18

OPINIO.

Plus valet quod est in Opinione quàm quod est in Veritate, j. 145

ORDINARIUS.

Episcopi, Abbates, Archiepiscopi sunt Judices Ordinarii, j. 20
Omnes Ecclesiarum Prælati sunt Judices Ordinarii, ibid.
Quæ sunt crimina ob quæ debent Ordinarii tradere Reos Sæculari Judici, j. 93

ORDINATIO.

Ordinatio instituta fuit à Christo, f. 67
Ordinatio verbis & signis exterioribus perficitur, ibid.
Additiones & mutationes factæ per Ecclesiam Romanam circà Ordinationem ad Minores & Majores Ordines in veteri Ecclesiâ Christianâ usitatam, f. 68
Quos quisque Episcopus debeat ordinare, & quomodò, f. 74
Observanda per Episcopum in Ordinatione, f. 77. 78
Numerosæ Ordinationes sunt damnatæ, & sunt potiùs ad pompam Episcoporum quàm ad ædificationem populorum, f. 78
Quas pœnas incurrant qui se ordinari patiuntur ab Episcopis Hæreticis, Schismaticis, Excommunicatis, vel qui renunciaverunt Episcopatui, f. 79

ORDO JUDICIARIUS.

Vide Verb. Crimen, Forum, Judicium.

ORDO SEU RELIGIO.

Generales Ordinum immediatè Papæ subjecti sunt, f. 59. 61
Privilegia quorumdam Ordinum circà Translationes, b. 203
Quid circà Ordines mendicantes, b. 203. 204

ORDO SACER.

Ordo Sacer imprimit caracterem in animâ, hoc est signum quoddam indelebile, f. 2. 80. 81
Manûs impositio, sicut Baptismus, repeti non potest, f. 10
Ordo est unum ex septem Sacramentis Ecclesiæ Romanæ, f. 1. 67
Rationes allatæ ad probandum Sacramentum Ordinis esse verum Sacramentum in Ecclesiâ Romanâ, f. 67
Quid sit Sacramentum Ordinis, ibid.
Clerici antè Ordines accipiendos quid debent facere, f. 64
In Ecclesiâ Romanâ sunt Majores & Minores Ordines, f. 67
Ostiarii, Lectores, Exorcistæ, Acoliti, Minores Ordines censentur, ibid.
In Ordinibus conferendis non est aliquid iterandum, sed cautè supplendum quod incautè fuerat prætermissum, f. 69
Quæ sint Officia singulorum Ordinum, ibid.
Quales esse debeant qui ad Ordines assumuntur, ibid.
An sint, & à quo fiat, & de quibus rebus examinandi qui sunt ad Ordines promovendi, f. 70
Quid requiratur ut aliqui ad Minores Ordines promoveantur, f. 71
Sacramentum Ordinis institutum fuit à Christo, f. 70
Propter quæ peccata aut facta Clerici non debeant ad Ordines admitti, f. 73
Penes quos sit potestas conferendi Ordines, f. 74
Quo tempore, & quibus diebus liceat Ordines conferre, f. 76
Quo in loco conferri debeant Ordines, ibid.
An Episcopi possint plures Ordines in uno die, atque etiam in die suæ Ordinationis, conferre, ibid.
Quas pœnas incurrant, tàm Episcopi ordinantes, quàm ordinati, cùm vel extra statuta tempora, vel plures Ordines eodem die, sine Dispensatione Papæ conferuntur, f. 77
Quid observare debeant Episcopi in conferendis Ordinibus, f. 77. 78
In Galliâ Episcopi non coguntur rationem reddere denegationis Ordinum, f. 78
An invitis pueris, aliisque extrà legitimam ætatem, conferri possint Ordines, & quæ pœnæ sint decretæ in eos qui ita vel ordinant, vel ordinantur, ibid.
Sacramentum Ordinis nunquàm est iterandum, f. 80
Sacramentum Ordinis nunquàm amitti potest, f. 80. 81
In quibus Sacramentum Ordinis, & Sacramentum Matrimonii conveniant differantve, f. 80
An, & quomodò possint conjuges ad Sacros Ordines admitti, f. 100
Nemo insons ab Ordinis sui Ministerio dejiciatur injustè, j. 87
Vide Verb. Beneficium.
Qui de aliquo crimine accusatur vel denunciatur, interim promoveri non potest, j. 104
De promotis per saltum, f. 140
An, & quomodò incurratur Irregularitas ex Sacrorum Ordinum exercitio, ibid.

ORNAMENTUM.

Ornamenta Ecclesiæ debent esse nitida, f. 29
Circà vetusta Ornamenta Ecclesiæ, ibid.
Ornamenta Ecclesiæ oppignerari Laïcis non possunt, nisi justissimâ necessitate urgente, b. 125

OSTIARIUS.

Ostiarius est in Minori Ordine constitutus, f. 67
Quodnam est Officium Ostiarii, f. 67. 68. 69
Ostiarius idem est ac Janitor, f. 67
Quomodò fit Ordinatio Ostiarii, f. 68

PACTUM.

Discrimen inter Pactum & Transactionem, j. 53
Exceptiones ex pacto convento perpetuo, ibid.
Hoc verbum, Pactum, varia significata habet in Jure Canonico, c. 37
In Contractibus conditiones vocantur Pacta, c. 38
Enumeratio multarum harum conditionum, c. 38. 39
Quæcumque pertinent ad Pacta in genere considerata, ad quæ reducuntur, c. 60
Pacta sunt vel pura vel simplicia, ibid.
Circà Pacta pura, ibid.
Circà Pacta reciproca, c. 60. 61
De conditionibus & Pactis quæ licitè fieri possunt in Beneficiorum acquisitione, b. 71. 72. 73. 165. 166. 167
Observationes in Romanæ Cancellariæ Regulas, ad Pacta licita vel illicita circà Beneficia pertinentes, b. 74. 75. 76
Omnis Pactio in rebus spiritualibus est illicita; b. 94. 165. 166. 167

POENA.

Quæ pœnas possint Prælati infligere, j. 87. 88
De pœna seu correctione eorum qui usus Canonicos servare spernunt, vel negligunt, j. 87
Homo debitè convictus vel confessus puniendus est, aliàs non. j. 89
De pœnis quas Judex Ecclesiasticus potest infligere, in genere consideratis, j. 98. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 105
Qui non possunt per præmia induci ad observantiam Juris, debent per pœnas coerceri, j. 98
Pœna unius debet esse metus multorum, ibid.
Nomine pœnæ intelligitur læsio quæ punit, ibid.
Quod legitimè factum est pœnam non meretur, j. 99

Judex metiri debet Pœnam ex Personâ quæ læsa fuit, j. 100
Cùm peccatum est ex malitiâ, graviùs punitur, *ibid.*
Ex certa scientia peccans plus punitur, *ibid.*
In Pœnis benignior est interpretatio facienda, j. 100. 107
Pœna specialiter apposita propter contumaciam in dubio intelligitur temporalis & non perpetua, j. 100
Pœnæ Legum interpretatione molliendæ sunt potiùs quàm exasperandæ, j. 100. 101
Pro criminibus Pœna pecuniaria exigi non debet, j. 102
Quomodò Judices Ecclesiastici possunt infligere Pœnam seu mulctam pecuniariam, *ibid.*
Exilium est Pœna Sæcularis, j. 105
Quandò Pœna non est expressa in Canonibus, tunc Judex secundùm suum Arbitrium delictum aut crimen punire potest, *ibid.*
Pœnæ Canonicæ & ultrices vindictæ; Sic vocantur Suspensio ab Officio, Excommunicatio Major, & depositio quæ pro modo culpæ infligi præcipiuntur, j. 104
De Pœnis in specie consideratis, j. 105. 106. 107. 108. 109
Quis ordo servandus in Pœnis contrà Clericos infligendis, j. 105
Pœnæ aliæ sunt Ecclesiasticæ, & aliæ Sæculares, *ibid.*
Pœnæ Ecclesiasticæ vocantur etiam Canonicæ, quia à Canone sunt institutæ, *ibid.*
Pœnæ Ecclesiasticæ vocantur etiam spirituales, *ibid.*
Pœnæ Sæculares appellantur quoque legitimæ & temporales, *ib.*
Singulæ Pœnæ Ecclesiasticæ sunt medicinales, j. 106
De Pœnis Spiritualibus, sive purè, sive mixtim, *ibid.*
Quænam sunt Pœnæ quæ possunt intimidare hominem constantem, j. 150. 151

POENITENS, POENITENTIA.

Quid sit Pœnitentia, f. 30
Quid operatur, *ibid.*
Quomodò semper necessaria fuerit, ac etiamnùm sit, *ibid.*
Nemo à quocumque, seu magno seu parvo peccato ad correctionem sine Pœnitentia potest transire, *ibid.*
Pœnitentia cuique adulto est necessaria duplici de causa, *ibid.*
Vera Pœnitentia veniam promeretur, *ibid.*
Nisi egeris Pœnitentiam, salvus esse non poteris, f. 31
Qualis Pœnitentia esse debeat, f. 31. Vide etiam, f. 30
In corde contritio, in ore Confessio, in opere toto humilitas, hæc est fructifera Pœnitentia, f. 32
Utilitas & necessitas Pœnitentiæ, *ibid.*
Quem modum tenere debeant Sacerdotes in Pœnitentiis imponendis, f. 35. 54. 55. 56
De Pœnitentiâ viventis per evidentia signa constare potest, f. 34
Majora Crimina majoribus abluuntur fletibus, f. 35
Agite Pœnitentiam, appropinquavit enim Regnum Cœlorum, *ib.*
Pœnitentia est moderanda per Confessorem secundùm qualitatem Personæ, f. 36
Pro qualitate delicti, peccati, aut pro merito Personarum tempus Pœnitentiæ impendatur, *ibid.*
Cùm una Pœnitentia fieri non potest, alia satisfactio injungatur, *ibid.*
An sit aliquandò imponenda Pœnitentia publica, *ibid.*
Quæ sunt veræ aut falsæ Pœnitentiæ signa, ut solvant vel ligent Sacerdotes, f. 37
Omne peccatum per Pœnitentiam deletur, f. 39
Per egressum è Diœcesi reservatio cessat ergà quemvis Pœnitentem, f. 48
Responsio ad Objectionem circà hanc cessationem, *ibid.*
An pro certo habendum sit, Pœnitentem reservatione non affici, f. 50. 51
An ex eo quod Pœnitentes reservatiò non liget, necessario sequatur, verbi gratiâ, à peccatis in Diœcesi Parisina reservatis, Parisinos aliis in Diœcesibus commorantes, à quocumque Confessario absolvi posse, f. 51
Pœnitens forum sortitur loci in quo degit, & peccata confitetur, f. 52
Epitome antiquæ & novæ Disciplinæ circà Pœnitentias imponendas, f. 54. 55. 56
Multa circà libros Pœnitentiales, f. 55
Canon antiquior qui exemit Sacerdotes à Pœnitentiâ publicâ, & quare, *ibid.*
Circà Pœnitentias imponendas qui non habet in ære, solvat in cute, f. 56
Caveant Sacerdotes ne gravent Pœnitentes per difficiles vel onerosas Pœnitentias, *ibid.*
De Pœnitentiâ in pane & aqua, j. 104
Vide Verb. Carcer.
De Pœnitentia publica, j. 106

POENITENTIA SACRAMENTALIS.

Pœnitentia est unum ex septem Sacramentis Ecclesiæ Romanæ, f. 1. 30 32
Quid sit Sacramentum Pœnitentiæ, f. 31
Sacramentum Pœnitentiæ à Christo institutum est, f. 30. 32
Quis sit Minister Sacramenti Pœnitentiæ, f. 31
Quæ, & qualis sit forma Sacramenti Pœnitentiæ, *ibid.*
Effectus Sacramenti Pœnitentiæ, f. 31. Vide etiam, f. 30. 32
Quæ sint partes Sacramenti Pœnitentiæ, f. 32
An, & quomodò necessarium sit hoc Sacramentum, & an repeti possit, *ibid.*
Non negamus Pœnitentiam morientibus, f. 34
Qualis esse debeat Sacerdos qui præponitur administrationi Sacramenti Pœnitentiæ, f. 37
Sine Jurisdictione & approbatione, Sacerdotem nullum posse validè administrare Sacramentum Pœnitentiæ, *ibid.*
Quomodò se gerere debeant Sacerdotes in administratione Sacramenti Pœnitentiæ, ut absolvant vel ligent Pœnitentes, f. 38
Appendix ad Tractatum de Pœnitentia, f. 41

PAPA.

Papa aliud non est quàm Episcoporum primus præcipuusque, f. 52. Papatus est primus gradus Episcopatûs, f. 52. Papa est inter Episcopos, quod ergà Apostolos Petrus, f. 52. Papa est Episcopus Urbis Romæ, & sic habet Diœcesim, f. 52. Papa est Episcoporum caput, *ibid.* Papa est Superior immediatus Cardinalium, f. 59. Papa habet magnas occupationes & infirmitates, f. 59. Papa est Superior omnium Prælatorum, f. 58. Papa antè Hymnum Angelicum consecratur, f. 77. Solus Romanus Pontifex in die consecrationis suæ valet Ordines celebrare, f. 77. In Galliâ potestas Papæ est valdè limitata, j. 12. Papa Successoribus suis nullum potest præjudicium generare, j. 15. Papa seu Sedes Apostolica nullam habet potestatem quoad Laicos seu Ecclesiasticos commorantes in Regno Galliæ circà res ad jurisdictionem contentiosam pertinentes, j. 18. Non licet appellare ad Papam omisso medio, j. 18. 19. Papa habet omnia jura in pectore suo, j. 27. Hodiè Papa rarò judicat per se ipsum, j. 27. Concilium Sardicense ann. 347. primum introduxit remedium supplicationis ad Papam, j. 69. Vide Verb. Honor. Reditus Papæ circà reservationes & speratus fructus ex illis reservationibus, hodiè maximè diminuti sunt, cùm absolutio obtineri soleat per Literas, j. 127. Papa est tantùm Princeps Supremus Patrimonii Sancti Petri, c. 12. 23. Multi Canones restringendi sunt ad solas terras ditionis Papæ, ubi pro Legibus haberi possunt, sed non alibi, c. 23. Papa est Dispensator Divinorum munerum & Cœlestium Dignitatum, b. 6. Est omnium fidelium Judex, b. 35. 36. Cur Papa non est Episcopus Universalis, b. 36. Papa quid fecit ad augendam suam potestatem, b. 200. Vide Verb. Jusjurandum. Hæc Verba Papæ: Motu proprio, nihil operantur in Gallia, j. 12

PAR.

Non habet imperium Par in Parem, j. 15

PARADISUS.

Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Cœlorum, f. 4. 5
Hodiè mecum eris in Paradiso inquit Christus ad bonum latronem, f. 5
Ecclesia comparata Paradiso quid indicat, f. 6
Absit ut universi parvuli pereant, misericors est Deus, qui neminem vult perire, f. 7
Qui crediderit & baptisatus fuerit intrabit in Regnum Cœlorum, *ibid.*
Hæc verba: *Qui crediderit & baptisatus fuerit*, intelligenda sunt de adultis, f. 8
Magna utilitas Symboli fidei & Orationis Dominicæ ad evolandum ad Cœlestem Patriam, f. 8
Canones cujusque Sæculi, circà ea quæ scire quisque debet ut salvus fiat, f. 57

PAROCHIALIS (ECCLESIA).

Hoc Verbum *Domus*, idem est ac Parochia vel Diœcesis, f. 34
Parochiani de jure tenentur, saltem in Paschate, proprio confiteri Sacerdoti, *ibid.*
Limites Parochiarum quandò semel constituti ac fixi fuerint, præscribi non possunt, c. 11. 14
Nullus plures Ecclesias Parochiales simul habeat, b. 9. 42. 43 44. 45. 51. 54
Secùs tamen, b 44. 45. 51. 52. 56
Parochiani de quibus rebus debeant solvere Decimas ad Curatum seu Parochum, b. 132. 133
Decimæ de jure sunt debitæ ad Ecclesiam Parochialem, b. 132. b. 133. 134. 135. 137. 140. 141 147
Ecclesia matrix idem est ac Ecclesia Parochialis, b. 147

PAROCHUS.

De Officio Parochi circà Sacramentum Baptismi, f. 11. 12
Parochus debet petere Chrisma ab Episcopo proprio, f. 13
De Officio Parochi circà Sacramentum Eucharistiæ, f. 19
De Officio Parochi circà Missam, f. 22. 23. 24. 25. 26. 28
De Missâ Parochiali, f. 28
De Confessione semel in anno proprio Parocho, f. 34
De extensione factâ circà illum proprium Parochum, *ibid.*
Per abusum, Parochi valdè imminutum jus circà Confessionem ac ferè extinctum, f. 34. 49
Parochus tanquàm Judex Spiritualis aut tanquàm medicus animæ, qualis esse debeat, f. 37. 38. 39
Qua pœnâ puniri debeant Sacerdotes qui revelant peccata sibi detecta in Confessione auriculari, f. 39
Peccatum in Parochiâ reservatum commissum extrà Parochiam simul & Diœcesim, Parochus potest absolvere illud peccatum, f. 48
Olim Parochus habebat magnam potestatem circà Confessionem, f. 49
Parochus solus habet jus & potestatem confitendi Parochianos, f. 56. 57
Parochos in Ecclesiis Parochialibus ministrare debet Sacramentum Extremæ-Unctionis, f. 66
De Officio Parochi circà Sacramentum Matrimonii, f. 91. 92. 93
Officium Parochi circà registra Matrimoniorum, *ibid.*
Plebani aliqui habent Jurisdictionem excommunicandi, j. 20
Plebani sunt Judices Ordinarii, *ibid.*
Parochis, seu Vicariis perpetuis certam Pensionem, seu congruam, ut vocant, portionem, assignari debere, ad honestam eorum sustentationem, à quibuslibet Patronis, etiam Religiosis exemptis, c. 31. 32

Parochi Officium est Beneficium Ecclesiasticum, b. 2
Qualis debeat esse homo ad obtinendam Ecclesiam Parochialem, b. 20
De pœnis contrà Parochos possidentes plures Ecclesias Parochiales, b. 44 52
Secùs tamen, b 44. 45. 51. 52. 56
Parochus non est Dominus, sed tantùm administrator redituum Ecclesiæ Parochialis, b. 62. 63. 64
Circà Parochum seu Curatum, quænam sunt justæ causæ resignationis, b. 86
Quænam sunt injustæ causæ, b. 86. 87
Quid agendum sit de Patrimoniis, quæ procedunt certè ex redita Parochiæ, post mortem Parochi, b. 130. 131. 158
Junge Verb. Curatus.
Parochus debet recitare Officium Divinum, b. 205. 206

PATRINUS.

Patrinus tàm in Baptismo, quàm in Confirmatione intervenire solet, f. 12
Quodnam est Officium hujus Patrini, ibid.
De Patrinis & Matrinis, ibid.
Quot & qui admitti debeant, & quâ ratione cognationem spiritualem contrahant, in Ordine ad dirimendum matrimonium, ibid.
Quale peccatum sit fornicari cum Filiis & Filiabus spiritualibus, ibid.

PATRONUS.

Patronus Clericus se ipsum præsentare non potest, b. 11. 16
Honores, Privilegia & prætogativæ Patroni Ecclesiæ, b. 12
Ex vi Juris Patronatûs fundatores, seu Patronos Ecclesiarum jus habere duntaxat præsentandi Clericos ab Episcopis, seu Collatoribus instituendos, b. 10. 11. 12
Collatio Ecclesiarum non valeret sine Patronorum præsentatione, b. 10
Patronus, tàm Laicus quàm Ecclesiasticus, variare potest in præsentando antequàm præsentatus sit admissus, b. 11
Quantùm temporis habeant Patroni, tàm Laici quàm Ecclesiastici, ad præsentandum ad Beneficia, ibid.
Si Patronus ad inopiam vergat, ab Ecclesiâ illi modestè succurritur, b. 12
Quæ prohibita sint Patronis Ecclesiarum, & an aliquid ex Ecclesiis possint exigere, b. 12. 13

PAUPER.

Pauperes & divites Deus de uno limo fecit, & Pauperes & divites una terra supportat, c. 1
Paupertas Monastica seu Religiosa est abdicatio proprii, c. 9
Non licere quidquam Deo vel pauperibus dare, ex eis quæ malè ablata sunt, c. 70
In primis Sæculis Religionis Christianæ reditus Ecclesiastici erant destinati ad alendos Pauperes, b 58. 59. 60
Bona Ecclesiæ sunt Patrimonia pauperum, b. 118. 119. 127

PECCATUM.

Circà peccata Notoria Sacerdotum seu Clericorum, f. 3
Nunc sola notorietas facti non sufficit, sed requiritur Sententia, quæ à celebratione interdicat, vel interdictum declaret, ibid.
In Baptismo peccatum originale, seu peccatum primi hominis dimittitur, f. 3. 4. 5. 7. j. 157
Quale peccatum sit fornicari cum Filiis & Filiabus Spiritualibus, f. 12
An iis qui post Baptismum peccaverunt, aliquod sit remedium, seu Sacramentum, quo sua peccata reparare possint, f. 30. 32
Peccata remittuntur etiam per Officium Sacerdotis, Sacrumque Ministerium, f. 31. 32
Sufficit illa Confessio peccatorum quæ Deo offertur, f. 33
Peccata mortalia & peccata venialia, f. 31 37. 61. j 153
An illas circumstantias confiteri teneamur, quæ aggravant peccata mortalia, f. 34
Vide Verb. Circumstantia.
Apostolus monet publicè peccantes palàm esse corripiendos, f. 36
Publicè peccantibus publicam injungendam esse pœnitentiam, ibid.
In Sacramento pœnitentiæ, Sacerdos inter lepram & lepram debet discernere, f. 37. 56
Anima pecca e consueta, difficilis est ad Pœnitentiam, f. 37
Omne peccatum bonus Deus indulget, si quis ex toto corde pœniteat, f. 39
An aliqua peccata sint quæ remitti nequeant, ibid.
An cùm peccata dimissa sunt, redire possint, ibid.
An sit in Ecclesiâ Romanâ potestas reservandi aliqua peccata, & quæ, & pe es quos sit, ibid.
Regulæ circà reservationem peccatorum aut casuum, f. 43
Peccatorum reservatio aliud non est, quàm ab illis absolvendi potestatis limitatio, f. 44. 46
Peccata duplici modo reservari possunt, f. 44
Fontes & origines reservationum peccatorum, f. 45
Peccatum omne quod circà rem quoad aliud reservatam versatur, reservatam non est, f. 46
In dubio circà reservantis voluntatem, pro reservato habendum est peccatum, quandiù dubium durat, ibid.
Quisnam sit finis reservationis peccatorum, f. 46 47
Vide Verb Reservatio Ecclesiastica.
Cur peccata levia, communia non reservantur, f. 47
Benedictus XI. primus reservavit peccata, f. 49
De controversiis circà peccata reservata, f. 50. 51. & seq.
Quid sentiendum de Lugdunensi Parisiis commoranti, peccata ibidem reservata confitente, quæ Lugduni, ibi reservata non sunt commissa; habendusne est ut Parisinus? Et quibus indultum est à reservatis absolvant, remittendus ne est, f. 52
Morbus peccati varius & multiformis est, f. 55
Quot modis peccare possint conjuges in reddendo sibi debito conjugali, f. 99 100
Occulta peccata, seu quæ in judicium non sunt delata, toleranda debent, nec pœnis Publicis castigari, j 88
Secretorum peccatorum est cognitor Deus & Judex, ibid.
Occulta peccata vindictam non habent in foro exteriori, nam quoad Deum non relinquuntur impunita, ibid.
Non habent latentia peccata vindictam, ibid.
Superiores ac Rectores peccant, si non puniant latrones & malefactores, j. 90
Omne quod aliter fit quàm probatum est, peccatum est, j. 148
Peccatum quid sit, j. 152
Peccatum est duplex, scilicet Originale & Actuale, j. 153
Originale quod absque consensu trahitur, ibid.
Actuale quod committitur cum consensu, ibid.
Qui peccat, non peccat Legis autoritate, sed contrà Legis autoritatem, ibid.
Peccata quæ ex ignorantiâ vel infirmitate humanâ committuntur, j. 147. 153
Peccata alia sunt manifesta, alia dubia, ibid.
Principia quæ decidunt quidquid ad peccatum spectat, j. 152 153. 157
De differentiâ & inæqualitate peccatorum, j. 153. 154
Tres sunt differentiæ peccati, j. 153
Peccatum tribus modis committitur, j. 153. 155
Quandò, & quot modis peccatur, j. 154. 155
De circumstantiis peccatorum, j. 154. 155. 156
Quænam excusent a Peccato, j. 155. 156. Vide etiam. j. 149. 150.
Causæ extrinsecæ peccatorum, j. 156
De libertate ad peccandum requisitâ, j. 157
Omne peccatum ex voluntate nascitur, ibid.
Cùm caro delectari cœperit, tunc peccatum incipit nasci, ibid.
De peccato Originali, ibid.
Pœna peccati Originalis est carentia visionis Dei, j 157 167
Infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato provenit, j. 158
Pœna actualis peccati, est Gehennæ perpetuæ cruciatus, ibid.
Aliquandò præsumptio co siderata est ut peccatum, ibid.
De peccatis quæ committuntur per luxuriam seu libidinem, j. 161. 162. 163
De peccatis per aspectum, visum, tactum aut per cogitationes, j. 162. 163
De peccatis Mercatorum in venditione, c. 17. 18
Quoad peccata circà furta, Vide Verb. Furtum,
Vide Verb. Simonia.

PECULATUS.

Quid doceat Jus Canonicum circà Peculatum, c. 73
Peculatus furtum dicitur de re Publicâ, c. 66. 71

PECUNIA.

De stipendio seu de pecuniâ à Laicis datâ pro celebratione Missarum, f. 25. 26
Vide Verb. Eleemosyna.
Tot Missæ celebrandæ, quot data stipendia, f. 25
Sacerdos ne Laico ad Pœnitentiam venienti obtento cupiditatis lucri injungat, ut Missas faciat celebrari, f. 56
Circà pœnitentias per Confessarium injungendas qui non habet in ære, solvat in cute, ibid.
Nec etiam Confessarius debet suprà dictas Missas dicere, ne credatur ipsas Missas injunxisse propter lucrum, f 57
Ne potiùs pecuniam, quàm animarum salutem quærere videatur, ibid.
Confessarius exigens pecuniam pro dandâ absolutione, f. 60 b. 161. 162
Quomodò Prælati possunt infligere pœnam seu mulctam pecuniariam, j. 102. b 163
Prælati & Ecclesiastici abstineant ab omni Quæstu indecenti, & præsertim circà pecuniam, j. 102
Fames pecuniæ est causa multorum peccatorum, j. 156
Pecunia habetur inter bona, quæ consumuntur usu, c. 1
Quænam comprehenduntur sub hoc verbo, pecunia, ibid.
Munus à manu, pecunia est, b. 162

PENSIO.

Pendente lite non licet exigere pensiones, j. 23
Pensionum Possessio non potest sibi restitui, cum eâ non fuerit spoliatus, c. 5
Pensiones impositæ in fundatione Beneficiorum, seu à longo tempore, accuratè solvi debent, & augeri non possunt, c. 40 31
Pensio solvenda est secundùm quòd ab initio fuit constituta, sive moneta diminuta fuerit, sive augmentata, c. 31
Autoritate vel collusione eorum qui Beneficia possident, imponi non posse pensiones super Beneficiis, quantumvis accedat Episcoporum consensus, ibid.
Pensionem solvendam in certâ monetâ vel mensurâ, juxtà illam quæ tempore Constitutionis, in usu erat, solvendam esse, si subsistat; vel illius æstimationem, si defierit, c. 42
Hoc verbum, Canon, idem est ac pensio, c. 49
Pensiones imponi non posse Ecclesiis, nisi sint divites, b. 72
Pensiones super Beneficiis constitutæ non censendæ sunt esse Beneficia, ibid.
Quæ spirituales sunt & Ecclesiasticæ, habent onus annexum recitandi Officium Sanctæ Virginis, b. 72 103
Nomen pensionis in Canone sumitur pro summâ annuatim solvendâ, b. 100
In Canone quænam sunt pensionis nomina, ibid.
Divisiones & subdivisiones pensionis, ibid.
Quænam sunt causæ probatæ vel reprobatæ pensionum, b. 100. 101
Ex quâ auctoritate fieri potest, b. 101

Pensio quomodò minuenda vel extinguenda est, b. 102
Quibus modis pensio imponi potest, ibid.
Pensio Clericalis seu Laicalis quibus viis amittitur, b. 103
Pensio Beneficiaria per quæ Crimina amittatur, ibid.
De Translatione Pensionum, b 103. 104
De Novissimo Jure Communi circà Pensiones, b. 103. 104 105
Quænam sunt differentiæ inter Pensiones Clericales consuetas & Beneficia, b. 104
Jus Gallicum circà Pensiones, b. 104. 105

PERJURIUM, PERJURUS

Perjurium est Transgressio Juramenti, j. 49
Perjurus est ille qui in dolo promittit aliquid cum Juramento, j. 49 50
Indiscretum seu temerarium Juramentum, seu perjurium quid sit, ibid.
Perjurus ab Ecclesiâ est removendus, j. 50
A Perjurio Appellatio frustratoria non excusat, j. 49
Perjurium est immane peccatum, j. 50
De pœnis contrà Perjuros, ibid.
Quisnam est Judex circà crimen Perjurii. j. 52
Perjurus reputatur qui unum in uno judicio vel eodem dicit, & posteà aliud, ibid.

PERMUTATIO.

Regulæ circà Permutationem è Jure Canonico depromptæ, c. 43. 44. 45
Quænam sunt Permutationes Ecclesiasticæ in Jure Canonico mentionatæ, c. 44
Permutatio legitima quid sit, ibid.
Quænam sunt Permutationes prohibitæ, ibid.
Quænam sunt Permutationes legitimæ & permissæ, ibid.
Permutationes abrogatæ seu abolitæ, c. 44. 45
Potest fieri Permutatio Beneficiorum non obstantibus Gratiis Expectativis, b. 30
Permutatio Beneficiorum distinguenda est à Resignatione in favorem, b. 94
Regulæ circà Beneficiorum Permutationes, è Corpore Juris Canonici desumptæ, b. 96. 97. 98. 99
Permutatio Personalis Beneficiorum quid sit, b. 96
Divisio illius Permutationis, b. 95. 97
Ex quâ autoritate fieri potest, b. 97. 110
Personalis Permutatio quibus modis fieri potest, b. 97
Quænam sunt Causæ probatæ vel damnatæ Permutationis Personalis, b. 97. 98
Quænam Beneficia sunt apta Permutationi Personali, b. 98
Quisnam consensus requiritur ad Canonicam Permutationem, b. 98. 99
Quænam sunt differentiæ inter Vetus Jus & Jus Novum circà Permutationem Personalem, b. 99
Licere Ecclesiis vel inter se permutare Ecclesias suas, aut eorum bona, etiam refusa pecuniâ si possessiones sunt inæquales, vel cum Laicis certis conditionibus, b 125
Permutationes Beneficiorum sunt valdè frequentes, b. 207

PERSONA.

Quænam sunt miserabiles Personæ, j. 7
Judex Sæcularis sine acceptione, sut Conditione, aut Qualitate Personarum debet judicare, j. 21
Ecclesia est Protectrix Personarum miserabilium, j 17. 166
Confessarius in Confessione non debet quærere nomina Personarum, f. 56. 57
Acceptio Personarum maximè vitanda per Confessarium, f. 54
Pœnitentia est moderanda per Confessarium aut per Spiritualem Judicem, secundùm conditionem aut Qualitatem Personæ, f. 36. 55

PERSONATUS.

Personatus est Beneficium Ecclesiasticum, b. 2
De pœnis contrà Clericos possidentes plures Personatos, b. 44. 54. 55
Secùs tamen, b. 45

PETITIO.

In judicio quomodò Petitio facienda est, j. 12
Cùm obscura sunt Jura Partium, consuevit contrà eum, qui petitor est, judicari. c. 8

PETRUS (SANCTUS)

Petrus erat Apostolorum Coriphæus, f. 52
Petrus est Cœli Claviger, f 41
Ille Apostolus habuit in suâ potestate Thesaurum Indulgentiarum, ibid.
Vide Verb. Honos.

PIETAS.

Scientia Pietatis quid sit. b. 22
Pietas est punire delicta & vitia, & non crudelitas, j. 98. 99
Sub prætextu Pietatis Leges Canonicæ sunt in multis casibus oppositæ Legibus Civilibus, c. 23

PIGNUS.

Pignus est contractus, quo res obligatur pro alterius rei debitæ securitate. c. 53
Fructus Pignoris computandi sunt in sortem, c. 75
Quænam Res in Pignus dari non possunt, c. 153
Regulæ circà Pignoratitium Contractum, è Jure Canonico depromptæ, c. 53. 54
Accepti Pignoris fructus non sunt in sortem computandi, c. 53

PLAGIUM.

Plagium quid sit, c. 71
Quid doceat Jus Canonicum circà Plagium, c. 73

POLYGAMIA ECCLESIASTICA.

Pluralitas Beneficiorum est Polygamia, nam per hunc modum unus vir habet plures uxores, b. 26
Legibus Ecclesiæ vetitum esse in genere habere plura Beneficia, b. 41. 42. 51. 52. 53
Concilium Parisiense abusum habendi plures Basilicas avaritiæ adscribit, b. 42. 43. 44
Nullus Presbyter duas habeat Ecclesias, b. 41. 51
Quænam Beneficia sunt incompatibilia, b. 42. 43
Cur Ecclesia Romana vetat Beneficiorum pluralitatem, b. 43 44. 51
De pœnis contrà Clericos possidentes plures Ecclesias Parochiales, Personatus, aut Dignitates, b. 44. 53
Quomodò Clericus possit simul habere plura Beneficia, absque ullâ Dispensatione Papæ, b. 44 45
Per solam Dispensationem Papæ obtineri posse simul ea Beneficia, quæ dicuntur incompatibilia, & tantùm cum hujusmodi Dispensatione non debere retineri, b. 46. 47. 55
Cur illæ Dispensationes sunt odiosæ, b. 48
Collectio Canonum juxtà temporis Ordinem digestorum quibus condemnatur pluralitas Beneficiorum, b. 51. 52. & seq.
Pluralitas Beneficiorum est abusus, b. 51. 57
Nemini licet plura Beneficia possidere, b. 52
Quinque rationes condemnantes pluralitatem Beneficiorum, b. 53
Clerici Polygamistæ sunt Fures, Sacrilegi & vulpes rapaces, b. 54
Religiosi Regulares cum Dispensatione possunt habere duo Beneficia, b. 199

POLYGAMIA, LAICALIS SEU SÆCULARIS.

Polygamia inter Christianos est prohibita, f. 97.
Homo Christianus est infamis qui duas simul habet uxores, ibid.
Mulier potest tantùm habere unum virum, ibid.
Secundus vir non appellatur vir, sed adulter. ibid.

POSSESSIO, POSSESSOR.

De Jure Divino Domini est Terra & plenitudo ejus, c. 1.
De Jure Humano Reges sunt Possessores Terræ, ibid.
Quisque possidet quod possidet, ibid.
Jure Humano dicitur hæc domus mea est, hic servus meus est ibid.
Possessio alienari non potest, nisi à proprio Domino, c. 2
Quis censeatur rei Possessor, c. 3.
Is possidere dicitur, cujus nomine possidetur, ibid.
Si aliquis ter utitur aliquo jure, per hoc est in quasi Possessione illius, ibid.
Duo in solidum quicquam possidere non possunt, ibid.
Gonzalez hoc tractat pro & contrà. ibid.
Quis sit bonæ vel malæ fidei Possessor, c. 3. 4. 9
Quis sit malus Possessor, c. 3. 4
Quæ sunt commoda Possessionis, c. 4
In pari causâ, potior est conditio possidentis, ibid.
Ex solâ Possessione cum bonâ fide acquiritur jus, ibid.
Eum, qui à possessione rei ejectus est, seu re sua spoliatus, antè omnia esse restituendum, ibid.
In causa spoliatæ Possessionis probandum est spoliatum verè fuisse in Possessione, & fuisse spoliatum, c. 4. 5
Ei qui possidet non competit rei vindicatio, nec restitutio, c. 5
In Rebus Temporalibus Judices non debent simul judicare de Possessione & Proprietate, sed in gratiam Possessionis, salvo jure proprietatis, c. 6
De Jure Civili Judex non tenetur priùs cognoscere de Possessorio quàm de Petitorio, ibid.
Cùm super Possessorio & Petitorio simul est actum, utrumque unâ Sententiâ debet terminari, c. 7
Qui possint intentare Possessorium, seu restitutorium Judicium, & contrà quos instituti possit, ibid.
Interdictum *Undè vi*, datur Hæredi & bonorum Possessori, c. 7
Judex, cum ei constat de Possessione, decernere debet integram Restitutionem rerum omnium ablatarum, cum fructibus indè perceptis, & qui percipi potuerunt, c. 7 8
Possessio quid sit, c. 9
Quasi possessio, c. 3. 9
Titulus & justa causa possidendi, idem sont, c. 10
Qui possidet Jure Communi, opus non habet Præscriptione, ibid.
Possessio centum annorum habetur loco Tituli, ibid.

POSSESSIO BENEFICIORUM.

Postquàm recepisti Beneficium, debes in Possessionem ipsius induci Corporaliter, b. 69
Quid sit illa Possessio & qualis debeat esse, b. 69 70
De Possessione pacificâ, & quomodò habeatur, b. 70. 79
Triennalis Possessor non molestandus, b 70. 78. 79. 80
Eos qui violenter Beneficiorum Possessionem acquirunt iis debere spoliari. b. 70 82. 83
Multa circà Decretum de pacificis Possessoribus, b. 78 79. 80 81. 82. 83. 84

PRÆBENDA.

Præbendæ sub generali Beneficiorum nomine continentur, b 2
Qui sint reputandi idonei ad assequendas Præbendas & Officia Ecclesiarum, quæ obligant ad Residentiam. b 21
Semi-Præbendarius quid sit, b. 26
Præbenda sumpta pro Canonicatu dividi potest ad tempus. b. 26

Præbendæ dividi possint in plores, b. 26. 117
Quinam sint Collatores Præbendarum, b. 25. 27. 28. 29. 30.
Papa potest concedere Præbendas, sive Episcopus fuerit negligens, sive vigilans, b. 31
Nullus potest possidere simul plures Præbendas, b. 52. 53
De unione Præbendarum, b. 115. 116

PRÆLATUS.

Quo major est Prælatus, eo major quoque est illius potestas, f. 46
Prælatus habens Jurisdictionem quasi Episcopalem, f. 47
Prælati nullam habent potestatem extrà Diœcesin vel districtum, f. 47
Per totum illud tempus, per quod ut Prælato suo quisque confiteretur obligatus fuit, peccatorum Reservationi locus non fuisse videtur, f. 49. Vide etiam, f. 51
Prælatus Minister Dei est ad remunerandum sicut ad puniendum, f. 54
Prælati Superiores & Prælati Inferiores Exempti habent Privilegium Confessarium sibi eligendi, f. 59
Prælati Inferiores Exempti quinam sunt, f. 59. 60
Prælati locales, f. 59. 62
Prælati Commendatarii habent Privilegium Confessarium sibi eligendi, f. 60
Prælati Titularii etiam, ibid.
An Prælati possint tempore Jubilei eligere Confessarios non approbatos, f. 61
An Prælatus Excommunicatus possit absolvi à Confessario quem elegit, ibid.
An possit uti suo Privilegio coram Confessore à Generali Approbato, aut à Provinciali, f. 62
An Confessorem habere valeat suæ Jurisdictioni non subditum, f. 62
Omnes Ecclesiarum Prælati sunt Judices Ordinarii, j. 20
Prælati ex Officio corrigere debent excessus Subditorum, j. 87. 88. 98
Prælati & Superiores peccant, si non puniant Latrones & Malefactores, j. 90
Quinam est gladius Ecclesiasticus, & quænam sunt Arma Spiritualia Prælatorum Ecclesiæ Romanæ, j. 107
Verba notabilia circà abusum commissum per Prælatos de Redditibus Beneficiorum, b. 62. 63
Prælati non sunt Domini redituum, sunt tantùm Administratores, b. 59. 60. 61. 120. 126. 127. 131
Quilibet Prælatus Ecclesiasticarum rerum est Procurator, non Dominus, b. 120. 127
Malè alienata Ecclesiæ bona revocari debere, vel ab ipsis Prælatis, vel ab eorum Successoribus, ac sine difficultate restituenda, b. 122. 123
Prælatus Successor debita Antecessoris solvere tenetur, b. 128
Prælati debent recitare Officium Divinum, b. 205. 206
Modus recitandi illud Officium, ibid.

PRÆPOSITURA.

Præpositura est Beneficium Ecclesiasticum, b. 2

PRÆSCRIPTIO.

An Præscriptio prout est Exceptio, aliquid habeat sibi peculiare, j. 55
Præscriptio quid sit, j. 55. c. 9
Varia Præscriptionum genera, j. 55. c. 14. 15
Præscriptio immemorialis, j. 55. c. 15
Titulus de Præscriptione quid demonstrat, c. 9
Ut currat Præscriptio, debet quis possidere de facto & de Jure, ibid.
Sine possessione, Præscriptio non procedit, ibid.
Præscriptio fuit rectè instituta ad vitandam bonorum confusionem, ibid.
Omnis ferè Præscriptio pœna est, c. 15
Bona Fides requiritur ad legitimam Præscriptionem, c. 9. 10
Malæ Fidei possessor non præscribit, c. 9
Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit, ibid.
Nec in Foro Canonico, nec in Civili, valet Præscriptio cum malâ fide, c. 10
In Rebus Ecclesiasticis, quæ prævideri non possunt, vel quæ sunt contrà Jus Commune, bona fides non sufficit ad Præscriptionem; sed requiritur justus Titulus, nisi sit longissimi temporis Præscriptio, ibid.
In Præscriptione rerum Ecclesiasticarum bona fides & justus Titulus exiguntur, ibid.
Probationem incumbere ei qui Præscriptione utitur, & eâ probatâ debere Causam obtinere, ibid.
Ecclesia præscribit bona privatorum intrà spatium XXX. annorum, ibid.
Ecclesiam contrà Ecclesiam præscribere posse, modò res ejus malè non fuerint alienatæ, ac possideri possint, neque precario tantùm possideantur, c. 11
Quænam res sunt Impræscriptibiles, c. 11. 14
De Præscriptione triginta annorum, c. 10
De Præscriptione quadraginta annorum, c. 9. 12. 15
De Præscriptione centenaria, c. 10. 11. 12
De Præscriptione triennali, c. 9. 14
De Præscriptione quinquennali, c. 14
De Præscriptione trimestri, ibid.
Casus, in quibus Præscriptio non currit contrà Ecclesiam, c. 11. 12. 13
Contrà Arbitrium præscribitur & contrà quamcumque aliam Sententiam, c. 13
Præscriptio & Privilegium sunt contraria, c. 14

PRÆSENTATIO.

Possessor Juris præsentandi pendente lite præsentare potest, c. 4
Est Beneficium quod ad alicujus Præsentationem pertinet, b. 8
Præsentatio est una ex tribus præcipuis modis acquirendi Beneficia, b. 9
Præsentatio duplex est, ibid.
Præsentatio tribuit jus ad Rem, ibid.
Præsentatio est Fructus, b. 14
Quomodò agendum est cùm orta est controversia super Præsentatione, b. 14. 15

PRÆSUMPTIO.

Aliquid tàm violenter præsumitur, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis argumentis contrarium probetur, j. 27
Usus Præsumptionum in Matrimonio, in Legitimatione Filiorum, j. 84
Præsumptio levis, vehemens, violenta, ibid.
An Præsumptio sufficiat ad probandum, ibid.
In criminalibus quæ præsumptiones possint ad condemnandum vel absolvendum prodesse, j. 89
Quodnam est discrimen inter Præsumptionem & suspicionem, ib.
Ex his quæ incontinenti fiunt, præsumitur contra aliquem, ibid.
Quandonam præsumptio fuisse intelligatur inter peccandum, j. 158

PRÆTEXTUS.

De Prætextu Canonicæ pietatis, b. 163
Confessarius committit magnum crimen, si sub prætextu Confessionis habet rem aut peccat cum muliere f. 41
Prætextu pietatis, non est impietas committenda, seu Prætextu boni, malum non est faciendum, j. 154.
Vide Verb. Honor, Pietas.
Sub quocumque Prætextu Clerici nihil possunt recipere pro Rebus Sacris administrandis; recipientes pecuniam pro illis committunt detestabile crimen Simoniæ, b. 161. 163.

PRÆVENTIO.

Jus Præventionis, juxtà Gallos, est jus concessum Pontifici, b. 35
Romanum Pontificem prævenire posse Collatores Ordinarios in concedendis Beneficiis, Dignitatibus verè Electivis duntaxat exceptis, b. 31. 32. 36
Præventio est tolerata in Galliâ, b. 31. 37
Quid requiratur ut Præventio Papæ valeat, b. 32. 33
Præventio est odiosa, b. 34. 77.
Quid dicendum in concursu plurium Collationum circà Præventionem concessam in una die, b. 33. 34
De Pontificia in konferendis Beneficiis præventione Regulæ è Corpore Juris Canonici depromptæ, b. 35. 36. 37
Præventio quid sit, & quæ illius fundamenta in Jure leguntur. b. 35. 36
In Sæculo XIII. Papæ præventione uti cœperunt, b. 36
Circà quæ Beneficia locum habeat, ibid.
Plura habentur in Corpore Juris loca, quibus Præventio Beneficiaria damnari videtur, b. 36

PRECARIÆ.

Precariæ & Precaria unum & idem sunt, c. 50
Hic contractus est species Contractûs Emphyteutici, ibid.
Regulæ circà Precarias, è Jure Canonico depromptæ, ibid.

PRECARIUM.

Regulæ circà Precarium, è Jure Canonico depromptæ, c. 50
In quibus Precarium convenit aut differt cum Precariis, ibid.

PRESBYTER.

Junge Verb. Sacerdos.
Nullus Presbyter in ligneo aut vitreo Calice præsumat Missam cantare, f. 23
Vestes Presbyteri In Sacrificio Missæ sunt Amictus, Alba, &c. f. 23
Orario in utroque humero circumseptus, f. 21
Presbytericidium quid sit, f. 40
Quomodò fit ordinatio Presbyteri, f. 68. 77
Presbyter Græcè idem est ac Latinè senior, f. 67
Quid agendum sit, cùm deprehenditur Presbyterum non fuisse baptisatum, f. 68
Presbyter qualis debeat esse, f. 70. 73. 78
Quid requiratur ut aliqui promoveantur ad Presbyteratûs Ordinem, f. 73
Ætas requisita ad Presbyteratûs Ordinem est XXV. annus, ibid.
Quo in loco fieri debeant Ordinationes Presbyterorum f. 76.
Presbyter Canonicè degradandus est, j. 70
Presbyter committens criminale opus à Judice Ecclesiastico judicandus est, j. 71
Presbyter incontinens pro modo culpæ puniendus est, j. 98

PRIMITIÆ.

Primitiæ in Ecclesiarum bonis numerantur, b. 133
Vide Verb. Oblatio.

PRINCIPALE.

Junge Verb. Accessorium.
Cassato Principali, & omnia Accessoria cassata intelliguntur, j. 23
Destructo Principali, & Accessorium corruit, ibid.
Accessorium naturam sequi congruit Principalis, ibid.
Ad quem pertinet Principale, & Accessorium. ibid.

PRIOR, PRIORATUS.

Prioratus Regularis quid sit, b. 3
Priores habent Privilegium Confessarium sibi eligendi, f. 59
Circà Prioratus Conventuales & Regulares, b. 201
Cur Monachi non possunt habere simul plures Prioratus, b. 42.

PRIVI-

PRIVILEGIUM.

Circà Privilegium eligendi sibi Confessarium Jure concessum Episcopis & aliis Prælatis. f. 57
An illud Privilegium sit adhuc necessarium. ibid.
Verba illius Privilegii, ibid.
An hoc Privilegium maneat post Concilium Tridentinum, f. 58
Quidam fruuntur illo Privilegio, f. 59
Origo hujus Privilegii, f. 58
Hoc Privilegium ad omne genus hominum extendi deberet, f. 60
Ratio hujus rei, ibid.
Privilegia sunt Leges, ibid.
Privilegia Ecclesiarum Lugdunensis & Haduensis, Sede Vacante, f. 75
Casus, in quibus Clerici amittunt Privilegium Clericale aut Fori, j. 71. 72
De Privilegiis eorum qui tempore Interdicti possunt Divina celebrare, j. 138
Privilegia sunt omnia sub genere gratiæ, sic sunt favorabilia. c. 24

PROBATIO.

Clara & certa debet esse Probatio, & non dubia, j. 27
Omnes Probationes, quæ tangunt negotium, sunt admittendæ, ibid.
Rerum aut causarum Probatio fit per quatuor modos, scilicet per testes, Confessiones, Instrumenta, & per evidentiam facti, j. 27. 31. 32
Adminicula etsi per se non probant, tantùm adjuvant, j. 27. 31
Per indicia fit Probatio, j. 27
Quodvis Probationum genus adhiberi potest in negotio incidenti, sicut in negotio principali, ibid.
Probatio est alia Juris, alia facti, j. 27
Facultas Probationum non est angustanda, quia publicè interest ne veritas occultetur. ibid.
Iniquam habere causam, qui Probationis copiam subtrahunt, ib.
Probatio alia est vera, alia plena, alia semiplena, ibid.
Non sufficit objicere, nisi probetur objectum, j. 28
Affirmativa primò probari debet, quia ei qui dicit incumbit Probatio, j. 28. 31
Negativa indirectè probatur, j. 28
Æqualitas in Judiciis servanda est, ut utraque pars in eodem loco & coram eodem Judice suas offerat Probationes, ibid.
Non debet quis admitti ad probandum, quod probatum non prodest, ibid.
Quisnam est Ordo eorum quæ generatim ad Probationes spectant, j. 31. 32
Varia supplementa ad materiam Probationum, ibid.
Probatio per Instrumenta publica & authentica, & Probatio per testes in multis conveniunt, j. 32
In quibus differunt, ibid.
Causæ probantur per testes, ibid.
In defectum Probationum juramentum est præstandum, j. 42. 51
In notoriis necessaria est Probatio notorietatis, j. 73. 74
Legitimæ debent esse Probationes ex documentis, atque ex testibus, in Criminalibus accusationibus, j. 78
De Probationibus adhibendis in Judicio criminali, j. 84
Quænam sunt adminicula Probationum, ibid.
Ex multis præsumptionibus & ex famâ fit Probatio sufficiens, & quæ non prosunt singula, multa simul collecta valent, & Probationem faciunt, j. 89

PROCESSUS.

Processus Judicii adversùs Athanasium, j. 87
In illo Processu leguntur opiniones Patrum de Processu mentionem facientes. ibid.
De Processu contrà defunctorum cadavera, j. 131

PROCLAMATIO.

Junge Verb. Denunciatio, Publicatio.
Ne trinæ Proclamationes Matrimonii omittantur, nisi per Dispensationem Episcopi, f. 91
Quid agendum sit, si post Proclamationes aut denunciationes impedimentum aliquod appareat, ibid.

PROCURATIO.

Procurationes inter jura Episcopalia recensentur, c. 14. b. 179
Circà illam Procurationem. c. 33. b. 179
Procuratio olim erat impræscriptibilis, sed hodiè est præscriptibilis secundùm Concil. Tridentinum, c. 14

PROCURATOR.

Universitas de Jure Communi potest constituere Procuratorem. j. 2
Procurator vel est ad lites, vel ad negotia, j. 1. 2. 3. c. 55
Ad Judicia potest fieri Procurator, j. 1. 3. c. 55
Quilibet exceptis criminibus per Procuratorem agere potest, j. 2. 3 c. 56
Procurator ad lites & Procurator ad negotia non possunt agere sine speciali mandato, j. 2. 3. c. 55
Non auditur quis tanquàm alterius Procurator, nisi habeat mandatum legitimè factum, j. 3
Procurator datus ad causam certam, ad alia negotia non potest extendere suum Officium, ibid.
Nuntius seu Procurator missus ad unam rem petendam, aliam petere non potest, quia Procurator non potest excedere ultrà fines mandati, ibid.
Præsens & absens quis potest constitui Procurator, ibid.
In Spiritualibus Procurator Laicus etiam uxoratus constitui potest, ibid.
Quænam aliæ Personæ possunt esse Procuratores, ibid.
Ætas requisita ad Officium Procuratoris, ibid.
Procurator ex vi mandati generalis multa negotia gerere non potest, j. 3. 4
Plures Procuratores constitui possunt, j. 4. c. 58
Ex pluribus Procuratoribus constitutis, quisnam eorum admitti debeat, j. 4
Dando secundum Procuratorem, priorem revocare videtur, j. 4. 6
Officium Procuratoris est Officium arbitrarium, & ideò nullus cogi potest ut sit Procurator, j. 5
Sed si semel receperit Procurationis Literas, tenetur ad omnia quæ in his exprimuntur, j. 4. 5
Quandonam negligentia, malitia, vel dolus Procuratoris noceat Domino, j. 5
Confessio Procuratoris Domino præjudicat, j. 5. 29
Ratihabitio æquivalet Procurationi, j. 6
Factum falsi Procuratoris Domino non præjudicat, ibid.
Exceptio falsi Procuratoris, & antè Sententiam, & post, potest objici. ibid.
In illo casu judicium nullum est, ibid.
Procurator debet esse legitimè constitutus, aliàs repelletur, ibid.
Procurator revocatur pro mortem constituentis, j. 6. c. 57
Procurator potest revocari expressè vel tacitè, j. 6
Varia nomina Procuratorum tàm ad lites quàm ad negotia. ibid.
Procuratores habent peculiarem affinitatem cum Delegatis, Vicariis, Officialibus, &c. j. 7

PROCURATOR AD LITES.

Procurator, post Litem contestatam, Dominus est litis effectur, j. 5
De Procuratore ad Lites, j. 1. 2. 3
Differentiæ inter Procuratorem ad Lites & Procuratorem ad negotia, j. 5
Procurator Litis post Litis contestationem potest solùm substituere alium, ibid.
Procurator substitutus mandato suscepto revocari non potest, ibid.
Revocatio Procuratoris ad Lites pervenire debet ad Judicem, aliàs non valet, j. 6
Et ad Adversarium pervenire etiam debet, ibid.
Quæ ex collectione Canonum circà Procuratores ad Lites inferenda sunt, ibid.

PROCURATOR AD NEGOTIA.

De Procuratore ad Negotia, j. 2. 3. 4
Procurator appellationem prosequi non tenetur invitus, j. 5
Differentiæ inter Procuratorem ad Negotia & Procuratorem ad lites, ibid.
Procurator ad Negotia potest semper & in omni tempore substituere alium, ibid.
Procurator substitutus mandato suscepto revocari non potest, ibid.
Ratihabitio æquivalet Procurationi, j. 6

PROFESSIO.

Professio alia est expressa & alia tacita, b. 90
Professio tacita in Regno Galliæ est prohibita, ibid.
Professio Religiosa est quodammodo species Contractûs. c. 9.
De Professione Religiosâ factâ per metum aut timorem, j. 151 c. 63
Aut per vim & coactionem, j. 152

PROMISSIO.

In Juramento Promissorio duplex est quodammodo Promissio, j. 49
Circà Juramentum Promissorium, j. 40
De juramento facto cum aliquâ Promissione, j. 49
Promissiones factæ cum juramento sunt servandæ, j. 49. 50. 51
De Promissione quæ pars est Juramenti Promissorii, j. 52
Non semper Promissa solvenda sunt omnia. j. 52. c. 61
Quæ fuerunt promissa serventur, j. 52
In malis Promissis fidem non expedit observari, c. 36. 61
De his, quæ Jus Canonicum seorsim docet de Promissionibus, c. 61
Promissiones illicitæ non sunt servandæ, ibid.
Circà Promissiones Simoniacas, b. 165. 166. 167. 169

PROPRIETAS.

Proprietas est jus utendi, vendendi, donandi, mutandi, c. 2. 9
Casus, in quibus Proprietas reputatur inutilis, c. 2
Quædam Principia generalia, quæ consequuntur ex naturâ Proprietatis, c. 2. 3
Qui primò cœpit agere de Proprietate, potest redire ad judicium possessionis, suspenso petitorio, c. 6
In rebus temporalibus Judices non debent simul judicare de possessione & proprietate, sed in gratiam possessionis, salvo jure Proprietatis, c. 6
Sententia lata super possessione non præjudicat proprietati, c. 6 8

PROTESTARI, PROTESTATIO.

Quid sit Protestari, j. 23
Protestatio quid sit, j. 24
Casus, in quibus Protestatio prodest, j. 23. 24. 151. 152

Verbo vel facto quis protestatur, j. 24
Protestatio præmittenda est ne fiat alicui præjudicium circà jus suum, ibid.
Casus, in quibus Protestatio non valet, j. 23. 24
Protestationes quomodò fieri debent, c. 24
De Protestatione circà Impedimenta quoad Beneficia, b. 82. 83

PROXIMUS.

Duo sunt præcepta caritatis. Dei videlicet amor, & Proximi, b. 6
Quales debeamus esse erga Proximum, j. 149
Omne peccatum injustitiæ circà res Proximi, ad furtum reducitur, c. 71

PUBERTAS.

Quid sit Pubertas, & quandò incipiat, f. 88
Ætas requisita ad Pubertatem Legibus & Canonibus est prufixa, f. 131
Ætas discretionis seu pubertatis, j. 157

PULLICATIO.

Vide Verb. Denunciatio Proclamtio.

PUDICITIA.

Pudicitia seu Castitas per vim & violentiam eripi non potest j 163
Pudicitia virtus est animi, comitemque babet Fortitudinem, j. 149. 163

PUER, PUELLA.

Junge Verb. Infans.
Pueri impuberes à pubertate vocabolum est, j. 156
Pueri ab annis quatuordecim peccata committunt, j. 157
Pueris non competit plena administratio Beneficiorum, b. 108
Puerilis ætas est capax doli & aliorum peccatorum, j. 157
Puellæ & Pueri impuberes sunt exempti à Correctione, j. 156
Circà resignationes ad Beneficia, quid dicendum de Pueris, b. 108. 207
Post quartum decimum annum quis ad discretionis annos pervenit, j. 157

PURGATORIUM.

Animæ in Purgatorio detentæ multùm juvantur per Sacrificium Missæ, saltem secundùm Concilium Tridentinum, f. 20

QUADRAGESIMA.

Non oportet in Quadragesimâ Nuptias celebrare, f 92
Notabiliores Canones circà Quadragesimalem Confessionem, f. 64

QUÆSTIO.

Vide Vesb. Tortura.

RABANUS.

Rabanus (Maurus) Scriptor Sæculi X. laudatus, f. 11

RAPINA.

Rapina quid sit, c. 66. 71
Quid doceat Jus Canonicum circà Rapinam, c. 73

RAPTUS.

Raptus quid sit, f. 119
Raptus est magnum & grave crimen, ibid.
Raptus illicitus coitus, à corrumpendo est dictus, j. 161
De Impedimento Raptûs, f. 119
Raptus impedit vel dirimit Matrimonium, ibid.
Pœnæ contrà Raptores, ibid.
Circà Raptum, f. 132

RATIHABITIO.

Ratihabitio seu approbatio, c. 58
Duplex est effectus Ratihabitionis circà Mandatum, ibid.
Quod omnes tangit ab omnibus approbari debet, c. 60

RECUSATIO.

Causæ propter quas licet recusare Judices, j. 23. 25. 26. 119
Judex si sit consanguineus est suspectus, & sic recusari potest, j. 26. 54
Causa recusationis coram Judice allegari debet, j. 26
In omni tempore Litis seu Processûs recusatio contrà Judicem proponi potest, j. 26
Causa recusationis probanda est intrà certum spatium temporis, ibid.
Judex Ordinarius recusari potest, ibid.
Judex ab Apostolicâ Sede datus, legitimè recusari valet ut suspectus, j. 27
Multæ suspicionis aut recusationis causæ ab Ordinatione 1667
Recensitæ à Jure Canonico nominatim probari possunt, ibid.
Quis est Judex circà Judicem recusatum ut suspectum, j. 26. 27
Exceptiones recusatoriæ cadunt non solùm super Judicem, sed etiam super Procuratorem, Testem, Accusatorem, j. 53
Recusationes contrà Accusatorem, j. 77. 78. 79. 80. 119

REDITUS ECCLESIASTICORUM.

Junge Verb. Pensio.
De tribus portionibus redituum, b. 2. 59
De reditu Ecclesiæ in quatuor partes, b. 2. 58. 59. 61. 119. 146 147
Congrua portio est reditus Ordinarius uniuscujusque Curati, c. 31. 32. b. 62
Idem dicendum est circà Vicarios Perpetuos, ibid.
Quibus usibus insumendi Beneficiorum reditus sint, per Canones cujusque Sæculi demonstratur, b. 57. 58. 59. 60. 61 62. 63. 64. 204
Circà reditus Ecclesiarum, an quislibet Ecclesiasticus de superfluo pro libitu disponere possit, b. 58. 59
Beneficiarius non est Dominus, sed solùm Administrator redituum Ecclesiæ, b. 59. 60. 61. 62. 63
Quinam sunt Domini redituum Ecclesiæ, b. 61. 63. 118. 127
De reditibus annexis Beneficiis Ecclesiasticis, b. 117. 118. 119 120
Ad Ecclesiam pertinet proprietas bonorum, & redituum Beneficiis concessorum, b 119
Beneficiarii tenentur benè dispensare reditus Beneficiorum, b. 126. 127
Omnes reditus viduatæ Ecclesiæ apud œconomum ejusdem Ecclesiæ reservari debent, b. 129
Post mortem Beneficiariorum, quid agendum sit de Patrimoniis, quæ procedunt certè ex reditu Parochiæ, aliusve Beneficii, b. 130 131
In Ecclesiâ Romanâ Laïci de omnibus bonis quæ possident, ad Ecclesiasticos Decimas solvere tenentur, saltem secundùm Jus Canonicum, b. 132
Decimæ, Primitiæ seu Oblationes vivorum & mortuorum, Ecclesiis Dei fideliter reddantur à Laicis, b. 135
Unusquisque Sacerdos tàm Sæcularis quàm Regolaris, à Laicis stipendium recipit pro celebratione Missæ, f. 26
Tot Missæ celebrandæ quot data stipenda, ibid.
Oblationes pro Missis mortuorum, b. 142
Oblationes pro anniversariis, b. 140. 179
Quoad populum Decimæ sunt onerosæ, b. 156
Pro Sepultura, b. 179. 180. 181

REDITUS PAPÆ.

In Sæculo XI. natæ sunt turbæ inter Papas & Imperatorem & Reges circà Investituras, b. 5
Gregorius VII. Papa fuit autor illarum turbarum, ibid.
Bullæ Papæ sunt omninò necessariæ, saltem secundum Jus Canonicum, pro Electione aut pro Confirmatione Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, &c. b. 7. 8
Bullæ circà Jubileum, f. 58. 63
Beneficia solvere tenentur annatam Papæ, b. 117
Circà annatam sive medios fructus unius anni, ibid.
Reditus Papæ circà Beneficia unita, b. 180. 207

REGALIA.

Sunt Beneficia quorum provisio ad Regem Jure Regaliæ pertinet, b. 26. 27. 28. 29
Hoc Jus Regaliæ pro legitimo agnitum fuit à multis Papis, b. 28
Edictum 1682. præfigens usum Regaliæ, b. 28
In Galliâ bona vacantium Ecclesiarum Cathedralium ad Regem pertinent Jure Regaliæ, b. 129

REGRESSUS.

Circà regressum ad Beneficia, b. 93. 94

REGULÆ.

Cessante causâ, cessat effectus, c. 35. f. 47. b. 170
Quod plus est, continet quod est minus, f. 4. 44. j. 54
Qui sentit commodum, sentire debet & incommodum, f. 52 c. 35
Ad impossibile nemo obligari potest, f. 60
Est differentia inter Regulas Juris & Clausulas Juris, j. 12
Res inter alios acta aliis non nocet, j. 58
Casus, in quibus res inter alios acta nocet, ibid.
Qui per alium facit, per se ipsum facit, c. 55
Odia restringi & Favores convenit ampliari, b. 8. j. 100
Id quod nullum est habetur pro infecto, j. 118
Rarum est omne quod magnum est, j. 149
Quod semel placuit, ampliùs displicere non potest, c. 15. 24
Regulæ circà Depositum, c. 52. 53
Regulæ circà Emptionem & Venditionem, c. 41. 42. 43
Regulæ circà Commodatum, c. 50. 51
Regulæ circà Simoniam, b 174. 175. & seq.
Regulæ circà Contractum Mandati, c. 54. 55. 56. 57. 58.
Regulæ Generales circà Beneficiorum Resignationem, b. 84. 85 86. 87
Regulæ Particulares circà Beneficiorum Resignationes, b. 90. 91. 92
Regulæ circà Permutationem, c. 43. 44. 45
Regulæ circà Beneficiorum Permutationes, b. 96. 97. 98. 99
Regulæ circà Donationes, c. 45
Regulæ circà Testamenta, c. 46. 47. 48
Regulæ circà Locationem & Conductionem, c. 51. 52
Regulæ circà Contractum Infeudationis, c. 48. 49
Regulæ circà Societatem, c. 58
Regulæ circà Emphyteusin, c. 49
Regulæ circà Precarias, c. 50
Regulæ circà Precarium, ibid.
Regulæ circà Pignoratium Contractum, c. 53. 54

Regulæ circà Fidejussorium Contractum, c. 54
Regulæ circà Causas Nullitatis, c. 62. 63. 64
Regulæ circà Furtum, c. 70. 71. 72. 73. 74
Regulæ circà Mutuum vel usuram, c. 80. 81. 82. 83. 84
Regulæ circà Præventionem, b. 35. 36 37
Vide Verb. CANCELLARIA.
Regulæ circà Decimas, b. 141. 142. 143. 144. 145
Regulæ circà Antiquitatem Beneficiorum Regularium, b. 201
Regulæ circà Translationem Regularium, b. 201. 202
Regulæ circà Translationem Monachorum & Monialium, b. 202. 203. 204

REGULARIS.

Discordia inter Regulares & Clerum Sæcularem, f. 50
De Absolutione à casibus reservatis per Regulares, *ibid.*
Regulares ope Indulti Confessarium eligere possunt per totum tempus anni, f. 53
An, si in Actis à Communitatibus Sæcularibus aut Regularibus habitis, suffragia dantur per timorem, quo possit honor constans labefactari, & aliunde non fuerint fideliter scripta, suntne illa Acta nulla, aut solùm Cassationi obnoxia, j. 150. 151. 152
Regulares non possunt habere plura Beneficia, b. 49. 54. 55
Singularia circà Religiosos Regulares & Beneficia Regularia, b. 198. 199
Vide Verb. TRANSLATIO.
Regulares recitare debent Officium Divinum, b. 206
Modus recitandi illud Officium, b. 205. 206

REGULARIS ECCLESIA.

Regularis Ecclesia quid sit, b. 3

RELIGIO SEU ORDO.

An matrimonium ratum dissolvi possit per Professionem solemnem in Religionem emissam, f. 54
Et quanto tempore sit expectandum, *ibid.*
An pati debeat aliquod damnum qui ingreditur in Religionem, *ibid.*
Ad quid teneantur conjuges post votum Religionis ex consensu emissum, f. 102
Innumeri Canones facti sunt in favorem Religionis & Religiosorum seu Monachorum, sic secundùm illos Canones non requiritur solemnitas in Testamentis in favorem Religionis, c. 22. 23
Vide Verb. ORDO seu RELIGIO.

RELIGIOSUS.

Junge Verb. MONACHUS.
Religiosis vetitum est habere plura Beneficia, b. 42. 49. 51. 53. 54. 55
Religiosi sicut servi, nullam debent habere voluntatem, b. 199
Religiosi non sunt Domini redituum Beneciorum, sed pauperes, b. 62
Non licet Prælatis donare Ecclesias vel eorum jura locis Religiosis, nisi de consensu Capituli, b. 124
Religiosi debent recitare Officium Divinum, b. 206

RENUNCIATIO.

Quilibet potest renunciare ei quod pro se noscitur introductum, c. 35.
Vide Verb. RESIGNATIO.

RES.

Res aliæ sunt mobiles & aliæ immobiles, c. 5
In rebus temporalibus quid considerandum est, *ibid.*
Res cum onere suo transit, c. 17. 35. b. 61. 71
Omnis Contractus circà res spirituales est nullus, si in eo interveniat Simonia, c. 37. b. 166. 167. 169. 176. 177.
In Corpore Juris Canonici quænam sunt res, circà quas omninò vetitum sit contrahere, c. 40
Per quascumque causas res nascitur, per easdem dissolvitur, f. 47. c. 15. 36. 59 b. 117.
Quænam sunt Res Sacræ, b. 175. 176
Comparatio rerum Ecclesiasticarum cum rebus prophanis, b. 206. 207. 208
Res inter alios acta aliis non nocet, j. 58
Vide Verb. REGULA.

RESCRIPTUM.

Clausulæ Communes in Rescriptis usitatæ, j. 12
Clausula, *motu proprio*, inserta in Rescriptis Papæ, *ibid.*
Hæc Clausula apud Gallos nihil operatur, sed pro non inserta habetur, *ibid.*
Exempla & explicatio variarum Clausularum in Rescriptis usitatarum, j. 12. 13

RESERVATIO ECCLESIASTICA.

Junge Verb. CASUS RESERVATUS EPISCOPI.
Regulæ circà Reservationem peccatorum aut Casuum, f. 43. Vide etiam, f. 39
Reservatio locum habet circà peccata, Censuras, Dispensationes, votorum commutationes, &c. f. 43
Reservatio quid sit, f. 43. 52
Reservatio alia est Odiosa & alia non, *ibid.*
Reservatio alia est à Jure, alia ab homine, *ibid.*
Reservationes vim habent coram Deo, f. 44
Reservatio peccatorum quid sit, *ibid.*
Episcopi peccata reservare possunt, *ibid.*
Reservatio peccatorum variis modis fieri potest, f. 45
Reservatio peccatorum est expressa, aut per exempla, *ibid.*
Reservandorum exempla, quæ in Corpore Juris habemus, duplicis sunt generis, *ibid.*
Prioris generis quatuor duntaxat sunt, *ibid.*
Posterioris generis reservata peccata, alia sunt Episcopis, alia Papæ, *ibid.*
Quæ Episcopis eo modo reservantur quænam sint, *ibid.*
Fontes & origines Reservationum peccatorum, *ibid.*
Minora peccata per Episcopus reservantur, f. 46
Sive scripto, sive viva voce, Reservatio fiat, ritè fit, *ibid.*
Quis finis præcipuus Reservationis peccatorum, f. 46. 47
Quis finis Reservationis Censurarum, f. 46
Qui Reservationis peccatorum finis, idem & illius fructus; quæ illius natura, idem est illius effectus, *ibid.*
Ex defectu potestatis nulla est Reservatio peccatorum, f. 47
Varia exempla hujus rei, *ibid.*
Potestas reservandi adhibenda est in ædificationem, non in destructionem, *ibid.*
Reservatio sive à Lege, sive ab Homine fit, revocatione cessat, *ibid.*
Vide Verb. COMMISSIO.
Reservatio peccatorum variis modis cessat, f. 47. 48
Nulla est Reservatio peccatorum aut casuum in articulo mortis, f. 40. 47. 48. 54
Observationes Historicæ circà peccatorum Reservationem, è Corpore Juris Canonici, Concilioque Tridentino desumptæ, f. 48
Comparatio Reservationis Censurarum cum Reservatione peccatorum, f. 48. 49
Circà originem Reservationis peccatorum, f. 49
Circà peccata aut crimina reservata Episcopis, f. 49. 50
Reservatio nihil aliud est quàm potestatis absolvendi limitatio, f. 52. Vide etiam, f. 43
Undè illorum error ortus sit, qui Reservationem, quoad externam tantùm politiam vim habere dixerunt, quosque ideò Anathemate Concilium Tridentinum ferit, f. 14
An facta ab Episcopo Reservatio omnes Diœcesis Sacerdotes liget, *ibid.*

RESERVATIO PAPÆ.

Enumeratio rerum in Gallia Papæ aut Sedi Apostolicæ reservatarum, f. 40
Reservata Sedi Apostolicæ, de quibus in Corpore Juris fit mentio, alia sunt generaliter reservata, alia specialiter, f. 45
Enumeratio casuum specialiter Papæ reservatorum in Corpore Juris, f. 45
Alii Casus reservati in Bullâ le Cœna Domini, f. 46
Omnia majora & graviora peccata sunt reservata per Papam, *ibid.*
Reservationes Summi Pontificis omnes Ecclesiæ Romanæ Episcopos & Sacerdotes ligant, f. 54
Vide Verb. CURIA ROMANA.

RESIDENTIA.

Circa Dispensationem à Residentia, b. 57
Prælati, Episcopi, Clerici non residentes, & in deliciis viventes, sicut otiosi comedunt panem laborantium, b. 62. 63
Beneficia, quæ requirunt Residentiam dicuntur Incompatibilia, b. 42
Ratio est quia nemo potest esse in duobus locis simul & semel naturaliter, *ibid.*

RESIGNATIO

De Resignatione à Clerico facta per Metum aut Timorem, j. 151 c. 63. b. 85
Resignatio alia est pura & simplex, & alia in favorem, b. 67. 93
Regulæ Generales circà Beneficiorum Resignationem, ex Corpore Juris Canonici Concilioque Tridentino depromptæ, b. 84. 85. 86. 87
Varia nomina hujus Resignationis, b. 84
Quinam Resignationes recipere possint, b. 84. 85. 155
Resignatio involuntaria quid sit, b. 85
In dubio an liberè facta sit Resignatio, non libera præsumitur, b. 86
Resignatio fieri potest per Procuratorem, *ibid.*
Quænam sunt justæ causæ Resignationis, *ibid.*
Quænam sunt injustæ Causæ, b. 86. 87
Circà Resignationes in favorem, b. 87. 93. 94. 95. 96. 99. 106 108. 206
Regulæ Cancellariæ Romanæ circà Resignationes, b. 87
Expositio Regulæ Cancellariæ *De Publicandis* Resignationibus, b. 87. 88. 109. 110
Explicatio Regulæ Cancellariæ *De Infirmis* Resignantibus, sive de viginti, b. 88. 89. 108. 109
Expositio Regulæ Cancellariæ de consensu in Resignationibus, b. 89. 106. 107. 108
Consequentiæ colligendæ ex illis tribus Regulis Cancellariæ, b. 80. 90
Incommoda occultarum Resignationum, b. 88. 109
Modus publicandi Resignationes, b. 88. 108. 109
Duplex est genus Resignationum, b. 90
Regulæ Particulares circà Beneficiorum Resignationes, b. 90. 91. 92
Quænam Conditionata inseri possunt in Resignationibus, b. 90
In scribendâ Resignatione quænam servanda sunt, b. 90. 106
Resignatio alia est expressa & alia tacita seu simplex, *ibid.*
Actiones licitæ vel illicitæ circà Resignationes Beneficiorum, b. 90. 91
De Resignatione expressè seu tacitè conditionatâ, b. 92. 93. 94
Resignatio in Favorem est contraria variis principiis Juris, b. 94. 95

De Resignatione cum conditione pensionis. b. 99. 100. 106
Nullus potest resignare Beneficia quæ possidet, sine consensu Episcopi seu Collatoris, b. 105. 106
De Renunciatione seu Resignatione spontè factâ, b. 106.107.108
De Resignatione coactâ cum juramento, aut sine juramento factâ, b. 106 107
Qui resignare possint Beneficia Ecclesiastica, b. 108
Episcopus potest admittere Resignationes Beneficiorum exemptorum, b. 109
Pacta sunt communissima in Resignationibus in favorem, b. 206
Multa circà Resignationem in favorem, b. 207. 208

RESTITUTIO.

Eum, qui à Possessione rei ejectus est, seu re suâ spoliatus, antè omnia esse restituendum. c. 4
Hæc duo tenetur probare qui petit Restitutionem, scilicet se possedisse, & spoliatum fuisse, c. 4. 5
Restitutio peti non potest, cùm nulla possessio juris fuerit, c. 5
Qui petit restitui, ab Adversario reconventus non potest petitorio, ibid.
Qui possint intentare possessorium, seu Restitutorium Judicium, & contrà quos institui possit, c. 7
Ut aliquis condemnetur ad Restitutionem, necessè est ut possideat tempore litis contestatæ, & tempore quo Sententia fertur. c 7
Judex, cùm ei constat de possessione, decernere debet integram Restitutionem omnium rerum ablatarum, cum fructibus indè perceptis, & qui percipi potuerunt, c. 7. 8
Restitutione factâ posse Adversarium de proprietate experiri, ac debere possessionem ei Parti assignari, cui proprietas adjudicatur, c. 8
De Restitutione in integrum circà Contractus, c. 58
Circà Restitutionem contrà ea quæ fiunt vi vel metu, in Galliâ fieri solet per Literas Regias, j. 152. c. 64. 66
De remedio contra Contractus nullos vel rescindendos; nempè de Restitutione in integrum, c. 64. 65 66
Ecclesia & Minores restituuntur in integrum, c 64
Non conceditur Restitutio, nisi læsione probatâ, c. 65
Quomodò petenda est illa Restitutio, c. 65. 66
Jus Gallicum concedit decennium ad petendam illam Restitutionem, c. 66
Majores ob læsionem possunt petere Restitutionem, ibid.
Omnia bona malè acquisita, verbi gratiâ per furta, restituenda sunt, c. 68 69. 71
Circà resignationes ad Beneficia, propter dolum adversarii quis restituitur, b. 107. 108

REUS.

Reus à re quæ petitur nuncupatur, j. 10
Leges quæ sunt Reo & Actori communes, ibid.
Reo legitima defensio in judicio reservatur, j. 11
Actore non probante, absolvitur Reus. j. 11. 28. 51. 81. b. 193
Quandonam in morâ Reus esse censeatur, j 11
Cùm sunt Partium jura obscura, Reo favendum est potiùs quàm Actori. j 11. 28
Cùm libellus ineptè concipitur, Reus ab instantiâ judicii absolvitur, j. 23
Actor sequi debet forum Rei, j. 17. 24
In actione Personali Reus ad quid tenetur, j 24
Reus non tenetur dare Actori Instrumenta sua contrà se, j. 27. 31
In gratiam Rei judicandum, cùm Pars Adversa non probat suam intentionem, j. 28
Intentioni Rei verbum dubium non nocet, ibid.
Reus audiendus est antè condemnationem, j. 80
Casus, in quibus Reus habet onus probationis, j. 82
Quandò præsumptio est contrà Reum, onus probandi transfertur in eum, ibid.
Exponenda sunt Reo capitula de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi se ipsum, j. 86
Dicta & nomina testium sunt ei communicanda, ibid.
Cùm nihil circà negotium aliquod est actum in formâ judicii, depositiones testium non possunt Reo præjudicium generare, j 87
In Criminalibus Reus condemnetur aut absolvatur per Sententiam Judicis, j. 105

REX.

Cùm in totâ terrâ Regni alicujus Regis, Interdicti Sententia fuit promulgata, non potest præsumi aliqua Pars ejus ab eo exempta, j. 136
Regnum interdicitur cùm in eo inhibetur Divina Officia celebrari, j. 135. 136
Regnum Legionensis in Hispaniâ, quomodò fuit interdictum, j 136
Modus agendi Clericorum & Ecclesiasticorum in Regno interdicto per tempus Interdicti, j. 137. 138
De Jure Humano Reges sunt possessores terræ, c. 1. 25
Reges fecerunt jura, c. 1
Papa nullam habet autoritatem quoad temporale in Reges seu Principes Supremos, c. 23
Principes debent regere bona temporalia, c. 24
Reges & Principes sunt Protectores & defensores Religionis, ib.
Principes Sæculares res Ecclesiæ donare & vendere non possunt, b. 124
Rex & Regina Decimas de jure non possunt possidere, b. 139
Laicorum secundùm Autores Juris Canonici, non est extendenda licentia, sed potiùs restringenda, b. 139
Reges secundùm S. Augustinum, possunt regere & possidere Res Temporales & Res Sacras, b. 159

ROMA.

Roma est alma Urbs secundùm Papas. f. 42
Jubileum centenarium fuit institutum per Papam Bonifacium VIII. in Urbe Romæ, f. 42. 43
Illud magnum Jubileum per Papas institutum fuit ad augendum magis ac magis honorem Petri & Pauli, ac quædam templa almæ Urbis Romæ, ibid.
Papa est Episcopus Urbis Romæ, & sic habet Diœcesim, f. 52
Usus Ecclesiæ Urbis Romæ in celebratione Missæ, f. 13
In Urbe Romæ nubentes possunt facere in omnibus temporibus anni apud Notarium promissiones matrimonii. f. 93
In Galliâ illud prohibetur, ibid.
Circà censum annuum solutum à multis Ecclesiis ad Ecclesiam Urbis Romæ, b. 180. 207

RUMOR.

Rumor viciniæ invalidus est sine probationibus fide dignis. j 89
Rumor viciniæ non facit probationem. ibid.
Secùs de famâ, ibid.

SACER.

Sacrum est quidquid Deo consecratum est, j. 159. b. 175
Quæ Sacra sunt à quoquam violari non debent, j. 159

SACERDOS.

Junge Verb. Presbyter.
Officium Sacerdotis circà Sacrificium Missæ, f. 22 23. 24
Sacerdotes quotidiè in Missâ non vinum bibunt, sed sanguinem verum Domini, f. 15. 16. 17. 22
Indumenta Sacerdotalia benedici debent, f. 23
Sacerdos in unâ die potest dicere duas Missas, f. 25
Sacerdos recipit retributionem seu stipendium pro unâquâque Missâ, f. 25. 26
Quæ dispositiones requirantur in Sacerdote ad faciendam Missam, f. 25. 28
An Sacerdos possit fingere se consecrare, vel non sumere Corpus aut Sanguinem Christi, cùm celebravit, f. 26
Sacerdos dum est in Confessionario est Judex, f. 37
Vide etiam, f. 31. 33 35. 36. 38
Sacerdos ut sapiens & perfectus medicus sit discretus & cautus, f. 37
Sacerdos tanquàm Judex Spiritualis aut medicus animæ, qualis esse debeat, f. 37. 38. 39
Qua pœna puniri debeant Sacerdotes qui revelant peccata sibi detecta in Confessione, f 39
Nullus Sacerdos causâ fornicationis ad suam Pœnitentialem accedat. f. 41
Si hoc scelus perpetraverit quâ pœnâ punietur, ibid.
Summi Sacerdotes quinam sunt, f. 44
Simplices Sacerdotes ergà Episcopos, sunt velut Minores Judices, f. 53
De quibus Sacerdotibus Concilium Tridentinum loquatur, dùm dicit Sacerdotes extrà necessitatis articulum in reservatis nihil posse, f. 54
Sacerdotes Judæorum imponebant magna onera super Laïcos, ib.
Verba notabilia Christi circà hypochrisim illorum Sacerdotum. f. 54
Sacerdotium quid sit, f. 67
Sacerdotium à Christo institutum fuit, ibid.
Per quos Ordines ad Sacerdotium ascendatur, ibid.
Sacerdos undè dicatur, ibid.
Quodnam est Officium & potestas Sacerdotis, f. 67 68 69 73
Quomodò fit Ordinatio Sacerdotis, f. 68. 77. 78
De Sacerdote cæco seu ignaro, indocto aut malo, f. 70
Sacerdotes Deorum nomine nuncupantur in Jure Canonico, f. 73
Propter quæ peccata aut facta Clerici non debeant ad Sacerdotium admitti, ibid.
In Ecclesiâ Romanâ Sacerdotes non possunt contrahere Matrimonium cum muliere, f. 107
Talia matrimonia essent potiùs contubernia quàm matrimonia secundùm jus Canonicum, ibid.
In Divinis eloquiis Sacerdotes aliquando Dii, aliquando Angeli vocantur, j 93
An possint Sacerdotes post lapsum restitui in suis gradibus & honoribus, si veram egerint Pœnitentiam, j 96
Incommoda nascentia ex restitutione Sacerdotum lapsorum ibid.
Gratianus agit de hac restitutione pro & contrà, ibid.
Vide Verb. Corpus, Sanguis, Vinum.

SACRAMENTUM.

Tractatus de Sacramentis ex Corpore Juris Canonici Conciliique Tridentino desumptus, f. 1
Ex colligendis Canonibus circà Sacramenta, quid patebit. ibid.
Sacramentum est Sacrum signum, ibid.
Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma, f. 1. 2
Sacramentum undè dicatur, f. 1
Septem sunt Sacramenta, scilicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo & Matrimonium, ibid.
Ecclesiastica Sacramenta alia sunt necessaria, & alia voluntaria, ibid.
Omnia septem Sacramenta à Jesu Christo instituta sunt, ibid.
Præcipuæ differentiæ inter vetera & nova Sacramenta, f. 1. 2
Quomodò conficiantur Sacramenta, & quid requiratur in Ministro, f. 2

Sacramenta valere à quibuscumque peccatoribus collata, secundùm ritum Ecclesiæ; sed accepta extrà Ecclesiam non prodesse, f. 2
In Sacramento necessaria est tantùm solemnis Oratio & non Sacerdotum merita, ibid.
Non potest aliquis, quantumcumque pollutus sit, Sacramenta Divina polluere, ibid.
A quibus Ministris possint Fideles licitè recipere Sacramenta, f. 3
Quæ mutationes fieri possint in Sacramentorum administratione, ibid.
Quis sit Sacramentorum Minister, ibid.
Vide Verb. Simonia.

SACRILEGIUM, SACRILEGUS.

Sacrilegium nihil aliud est quàm violatio Sacri, & Sacrum est quidquid Deo consecratum est, j. 159
Sacrilegium habet locum in personis, rebus & locis Deo consecratis, j. 159. c. 67
Quæ Sacra sunt à quoquam violari non debent, j. 158
Sacrilegium est Sacræ Legis violatio, ibid.
Casus, in quibus Sacrilegium committitur, j. 159. c. 67
Gothi nihil de Sacrilegio statuerant, j. 159
Pœna Papalis sive pœna Excommunicationis adjecta per Papam in Codice Legum Gothicarum contrà Sacrilegos, ibid.
Ecclesiam fraudare Sacrilegium est, c. 66. 67. 73
Quid doceat Jus Canonicum circà furtum, vulgò dictum Sacrilegium, c. 73
Clerici Polygamistæ seu plura Beneficia possidentes sunt fures, Sacrilegi & vulpes, b. 54

SACRISTA.

Circà Sacristam, b. 2
Officium Sacristæ circà Vestimenta Sacra, Vasa Sacra & Ornamenta Ecclesiæ, f. 29

SANCTUS, SANCTITAS.

Usque ad finem sæculi corpora Sanctorum in sepulchris erunt, f. 24
Sancti non indigent nostris Orationibus, f. 25
Sancti sunt perfectè beati, ibid.

SANGUIS.

Junge Verb. Vinum.
Si per negligentiam aliquid de Sanguine Domini stillaverit in terram, linguâ lambetur, & tabula radetur, f. 26
Ecclesia abhorret à Sanguine, Vide Verb. Brachium Sæculare.

SATISFACTIO.

Satisfactio est pars Sacramenti Pœnitentiæ, f. 32
Necessariam esse Satisfactionem ut Pœnitens peccatorum veniam consequatur, f. 35
Quinam sunt effectus Satisfactionis, ibid.
Quomodò adimpleri debeat ista Satisfactio, & quibus operibus potissimùm contineatur, ibid.

SCANDALUM.

Confessio per literas est scandalosa, f. 35
Clerici & Ecclesiastici fornicatores vel vitiosi dant magnum Scandalum, j. 104
Totus digitus & integer in Sacerdote, est pars valdè necessaria, & necessariò debet habere illum digitum integrum ut possit sine Scandalo solemniter celebrare Missam, j. 144
Id fieri non debet quod non potest sine Scandalo, j. 154
De Scandalo, j. 158
Nihil cum Scandalo faciendum est, ibid.
Inter Scandalum & Scandalum est subtiliter distinguendum, ibid.
Matrimonium per Clericos contractum est grave Scandalum saltem secundùm Jus Canonicum, b. 113
Privilegium de non solvendis Decimis extingui potest propter Scandalum, b. 146

SCIENTIA.

Quæ Scientia requiratur ad capessenda quæque Beneficia Ecclesiastica, b. 22
Casus, in quo literatus incontinens non præsumitur, j. 89

SCRIPTURA (Sancta)

Oppositio Canonis Missæ Ecclesiæ Romanæ cum Evangelio, f. 24
In ipso Canone reperiuntur, quæ in Textu Evangelico non leguntur, ibid.
Verba & facta Domini ab Evangelistis omissa, ibid.

SEDES APOSTOLICA SEU ECCLESIA ROMANA AUT SUMMUS PONTIFEX.

Vide Verb. Ecclesia Romana, Papa.
Sedes Apostolica omnium Ecclesiarum Caput est, j. 18
Causas Sæculares, tàm in criminali quàm in civili non posse ad Sedem Apostolicam per appellationem deferri, sed solas Ecclesiasticas, & Spirituales, j. 95
Vide Verb. Curia Romana.

SENEX, SENECTUS.

Non præsumitur incontinens in Senectute, qui in juventute continuit, maximè si est literatus, j. 89

SENTENTIA.

Qui habet Jurisdictionem, habet potestatem promulgandi Sententiam, j. 15
Sententia Judicis non habet vires extrà Territorium, ibid.
Prætextu privilegii de novo reperti, non debet Sententia retractari, j. 31
Sententia à proprio & legitimo Judice proferri debet ac in scriptis mandari, j. 56
Sententia non à suo Judice data nihil firmitatis obtinet, ibid.
Judex in Sententia suum cuique reddere debet juxtà Leges. ibid.
Omnia quæ movent Judicem necessè non est exprimere in Sententia, ibid.
Optima verba contrà indiscretas Sententias, j. 56. 57
Sententia alia est Interlocutoria & alia Definitiva, ibid.
Non refert per quæ verba fiat Sententia, dum tamen de intentione Judicis constet per illa verba, j. 57
Sententia juxtà petitionis formam concipienda est, modò in personam Procuratoris, Syndici, Tutoris, Partis, ibid.
Sententia, à qua non est appellatum, transit in rem judicatam, & facit jus inter Partes, j. 57. 58
Sententia lata semper bona præsumitur, eique standum est, donec contrarium probetur, j. 57
Sententia Juri contraria, aut contrà Leges & Canones non valet, j. 57. 58
Nulla est Sententia continens manifestam iniquitatem, j. 58
Sententia lata contrà formam Canonum aut Mandati non valet, ibid.
Infrà decem dies appellandum est à Sententiâ Interlocutoria, ibid.
In Galliâ Sententia non transit in rem judicatam, nisi post servata quæ præscripta sunt in Ordin. ann. 1667, ibid.
Sententia contrà alios, & in alia causa lata, aliis non nocet, nisi in certis casibus, ibid.
Casus, in quibus Judex à quo appellatum est, potest revocare Sententiam Interlocutoriam, j. 61
Sententia à quâ fuit appellatum, transit in rem judicatam ac si non fuisset appellatum, dummodò appellatio non fuerit prosecuta, sed deserta, j. 66
An aliquod sit in Jure Canonico remedium peculiare, contrà tertiam Sententiam duobus præcedentibus conformem, quo possit reformare, j. 68. 69
Ecclesiastica Sententia, duobus præcedentibus conformis, habetur pro Judicio Supremæ Autoritatis, contrà quod nulla datur appellatio, j. 69
Sententia Canonica quid sit, j. 73
In rebus criminalibus Judex antè Sententiam debet omnia sigillatim examinare cum magno pondere & summâ æquitate, j. 80. 81
De Sententiis & Appellationibus in Judicio Criminali, j. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97
Circà Sententias & Appellationes in re criminali, quæ in Jure Gallico occurrunt, magis spectant Judicia Sæcularia quàm Ecclesiastica, j. 90
A mero executore Sententiæ non est appellandum, nisi modum excedat, j. 92
In notorio seu manifesto crimine, quod nullâ tergiversatione celari potest, appellatio non suspendit executionem Sententiæ, j. 92
Licet Sententia Judicis revocetur ex novâ causâ, Judex qui eam tulit propterea non notatur, ibid.
Licet Sententia lata ex nova allegatione cassetur, non præjudicatur Judicibus qui ipsam protulerunt, ibid.
In causis criminalibus Definitiva Sententia semper debet continere Condemnationem vel Absolutionem, aliàs non tenet, j. 103
Juxtà formam Judicii Sententia criminalis formetur, ibid.

SEPARATIO.

Junge Verb. Divortium.
Quod Deus conjunxit, inquit Christus, homo non separet, f. 96. 101. 119. 120. 121
Quid ad illa verba subaudi potest, f. 119. 123
Conjuges propriâ autoritate non possunt se separare quoad thorum seu cohabitationem, f. 119. 120
Casus, in quibus vir potest se separare ab uxore quoad thorum seu cohabitationem, f. 120. Vide etiam, f. 117. 118. 123. 124
Vide Verb. Hæresis.
Præter adulterium multæ sunt causæ propter quas conjuges possunt se separare quoad thorum & cohabitationem. f. 123. 124
Judex non debet separare conjuges quoad thorum propter leves aliquas causas, vel propter supervenientes aliquos defectus naturales, ibid.
Magna viri sævitia in uxorem justa est separationis causa, j. 55

SEPTEM.

Septem sunt genera Decimarum, b. 143
Septem sunt furti species, c. 66. 71. 72
Septem sunt genera Simoniæ, b. 180. 181
Septem sunt Sacramenta, f. 5
Septem sunt vitia, j. 162
In unaquaque die justus septies cadit & resurgit, j. 153
Septem sunt Psalmi Pœnitentiales, f. 36

SEPULTURA.

Non obest justis Sepultura nulla vel vilis, j. 150
Impiis celebris vel speciosa Sepultura non prodest, ibid.

An,

An, & quomodò Ecclesiastica sepultura sit Excommunicatis deneganda, j. 130
Ecclesiastici sepelientes scienter usurarios manifestos, ipso facto sunt excommunicati, j. 133. 134. c. 78. 79. 83
Ecclesiastica sepultura deneganda est in Civitatibus aut Provinciis Interdictis, j. 136. 137. 139.
Secùs de Clericis, sed sine campanarum pulsatione, & cum silentio, j. 137
Simonia committitur recipiendo argentum pro sepulturâ, b. 163. 179. 180. 182.
Horribilis nimis est, quod pro sepulturis & exequiis mortuorum, & Benedictionibus nubentium seu aliis Sacramentis, aliquid recipiatur, b. 163

SEQUESTRATIO

Sequestratio providet conservationi Fructuum, c. 9

SERVUS, SERVITUS.

Episcopus neque spurios neque servos ordinare debet, f. 69
Servus à Sacramentis Ecclesiæ non est removendus, f. 2. 91
De Matrimonio Servorum, f. 91
In Galliis Servi & ancillæ liberi nascuntur, f. 105
Servilis conditio dirimit Matrimonium, ibid.
In Provincia Mexicana sita in Americâ Septentrionali sunt veri Servi a Catholicis possessi, f. 106
An, & quibus in casibus dirimeretur Matrimonium inter Mancipia, sive inter Servos & Ancillas propriè dictas, f. 106
De Matrimonio Servorum, ibid.
Servi sibi præscribere non possunt, c. 14
Servus manumissus sub conditione, c. 39
Officium Divinum seu Horæ Canonicæ sunt pensum servitutis Ecclesiasticorum Ecclesiæ Romanæ, b. 206

SEVERITAS.

Miscenda est mansuetudo severitati, & mansuetudini severitas, j. 101
Quandoque detrahenda est Severitati, ut majoribus malis sanandis caritas sinceris subveniat, ibid.

SIMONIA.

Simonia quid sit, c. 71. b. 159. 160. 161. 165. 175.
De Simonia circâ Decimas, b. 150. 160. 177
Simonia describitur esse studiosa cupiditas vendendi vel emendi Spirituale, vel Spirituali annexum, b. 160
Simonia est Hæresis ac pestis & crimen gravissimum & detestabile, b. 160. 161. 169. 174. 182
Inter crimina graviora Simonia reputatur, b. 162
Simonia est plantatio Diabolica, ibid.
Omnes Ecclesiastici debent administrare gratis omnia Sacramenta. b. 160. 161. 163. 182.
Recipientes pecuniam pro Baptismo, pro sepulturâ, & pro aliis committunt detestabile crimen Simoniæ, b. 161. 163. 182. 183
Sub quocumque prætextu nihil possunt exigere pro illis Rebus, b. 165
Nec pro Benedictione nubentium sine horribili crimine Simoniæ. b. 163.
Simoniaci laudant quod vendunt, b. 165
Sola promissio super re Spirituali Simoniam inducit, b. 166
Simonia Confidentialis quid sit, b. 172. 173
Peccatum Simoniæ à Simone Mago nomen suum accepit, b. 174
Locutiones Juris Canonici indicantes crimen Simoniæ, b. 174. 175
Comparatio Simoniæ cum peccato Judæ, b. 175
Circà quas res Simonia versatur, b. 175. 176
Enumeratio rerum, quæ Simoniæ materia sunt, b. 176
Quomodò fieri possit, ut res circà quam Simonia non versatur, fiat Simoniæ materia, ibid.
Simonia est res quotidiana in Ecclesiâ Romanâ, b. 173
Regulæ circà Simoniam ex Corpore Juris Conciliique Tridentino desumptæ, b. 174. 175 & seq.
Qui Contractus prohibeantur circà res Simoniæ obnoxias, b. 176. 177
Simonia quo jure prohibeatur, b. 177. 178
Quænam sunt Consuetudines approbatæ vel reprobatæ à Jure Canonico circà Simoniam, b. 179. 180
Casus qui Simoniaci videntur, & non sunt, b. 180
Septem sunt genera Simoniæ, b. 180. 181
Quid cuique Simoniæ generi peculiare, b. 181. 182
Propter quas causas Simonia prohibeatur, b. 182. 183
Quæ à Simoniâ excusent vel non, b. 183. 184
De Simoniâ Mentali, b. 172. 181
Simonia alia est realis, alia conventionalis, b. 80. 167. 180. 181
Casus, in quibus Simonia committitur, b. 161. 162. 163. 164. 165. 167. 168. 169. 177. 178. 192.
Quæ pœnæ in Simoniacos sint decretæ, b. 167. 168. 169. 171. 181. 184. 185. 186
De pœnis contrà eos qui Simoniacè sunt ordinati b. 169. 170. 181. 185
Casus, in quibus Simonia non committitur, licet aliquid retineatur vel detur, b. 171. 172. 180
Dispensatio Papæ circà Simoniam, b. 170. 171. 178. 181. 185
Quinam sunt effectus Simoniæ, b. 184. 187
Dispensatio Episcopi circà Simoniam, b. 185
Errores circà Simoniam, b. 185. 194
Mutationes circà Simoniam, b. 185. 186. 187
Circa peccata ad Simoniam pertinentia, b. 187. 188
De Simoniâ circà Ordines, b. 188. 189. 190. 191
De Simonia circà Beneficia, b. 191. 192. 193. 194
De Simoniâ circà ingressum in Religionem, b. 196. 197. 198.
Vide Verb. Confidentia.

SOCIETAS.

Societas multiplex est, c. 59
Societas fieri potest ad malum & ad bonum. Opus, ibid.

Regulæ circà Societatem, è Jure Canonico desumptæ, c. 58. 59. 60
Societas generaliter sumpta quid sit, c. 59
Duo sunt requisita ad Societatem, ibid.
Circà societatem Conjugalem, ibid.
Quænam habentur in Corpore Juris contrà Socios criminis Læsæ Majestatis, ibid.
Circà Socios Criminis, b. 171. 175. c. 59
Circà Societatem cum Judæis, c. 59. 60
Ad licitam Societatem quid requiritur, c. 59

SODOMIA.

Sodomia est Apostasis à naturâ secundùm Canonistas, b. 92
Usus contrà naturam semper illicitus est, j. 162
Illud crimen est execrabile, ibid.

SOLUTIO.

Circà solutionem indebitam, c. 41
Cùm dies statuta est ad Solutionem, intrà illam solvi debet, ea tamen elapsâ, non cessat solvendi obligatio, c. 27. 40
A Judice quadrimestre tempus ut plurimùm conceditur ad solvendum, c. 27. 28
Potest tamen prorogari, aut breviari, & qui breviorem terminum recipit, non potest posteà Executionem Sententiæ retardare, c. 28
Qui solvere non potest, est excommunicandus, c. 29
Secùs in Gallia, ibid.
Qui non est solvendo, excusatur à solutione, ibid.
De Solutione per Nuncium, c. 18
Bona fides non patitur, ut semel exactum iterùm exigatur, c. 36

SORTES.

Sanctorum Sortes sunt in usu inter Sortilegos, j. 160
Circa Sortes, vide j. 168

SORTILEGIUM, SORTILEGUS.

Sortilegi sunt qui sub nomine fictæ Religionis, per quasdam, quas Sanctorum Sortes vocant, Divinationis scientiam profitentur, j. 160
Sortilegi promittunt etiam futura per inspectionem Sanctæ Scripturæ aut Evangelii, j. 160. 161
Sortilegi quærunt suffragia Diaboli per Sortes, j. 160
Sortilegium est prohibitum per Canones. ibid.

SPIRITUS (SANCTUS)

Spiritus Sanctus nec venundari, nec emi potest. b. 160
Spiritum Sanctum emere vel vendere, Simoniacam Hæresim esse nullus Fidelium ignorat, ibid.
Circà illam Hæresim, Vide Verb. Simonia.

SPOLIUM, SPOLIATIO.

Spolium opponi potest per modum Reconventionis, aut per modum Exceptionis. j. 54. 55. c. 5
Quotiescumque Spoliatio objicitur, antè omnia de illâ cognoscendum est. j. 54. c. 5
Spoliati plenariè sunt restituendi ad omnia quæ amiserunt, cum fructibus perceptis, & qui percipi potuerunt, c. 8
Super rebus amissis statur juramento Spoliati, c. 8
Beneficia ex naturâ suâ sunt perpetua, sic nullus sine gravi causâ Ordine Judiciario probata, suis Beneficiis spoliari potest, b. 111
Spoliatus restitui debet cum fructibus perceptis à tempore Spoliationis, b. 111. 112
Propter quæ crimina Clerici suis Beneficiis per Sententiam debeant spoliari, b. 91. 92. 112
Juris Ordo exigit, ut primò de Spoliatione cognoscatur, quàm de proprietate, c. 5
Spoliatum non posse cogi super aliis articulis respondere Spoliatoribus, antequàm restituatur, ibid.
Quid si Spoliator aliam Spoliationem opponat; si per modum Actionis, quis prior obtinebit; si per modum Exceptionis opponatur alia Spoliatio, quid judicandum, c. 5
Si Spoliatus, neglecto Possessorio judicio, consentit Petitorio, seu de Proprietate experiri, valet processus, c. 6
Spoliatus potest in quacumque litis parte ad possessorium redire, & illi soli insistere, nisi causa Proprietatis sit propè terminanda, c. 6
Qui probat Spoliationem restituitur, ibid.
Cùm agitur de Beneficio Ecclesiastico, quo spoliatum se fuisse quis contendit, Petitorium simul cum Possessorio agitari debet, & illi Possessio adjudicari, cui melior Titulus favet, c. 7
Regula, Deceptis jura subveniunt, applicari potest spoliatis, sive vim passis, ibid.

SPONSALIA.

Sponsalia sunt futurarum Nuptiarum Promissio, f. 81. 93. c. 61.
Sponsalia undè dicantur, f. 81
Sponsalia distinguenda sunt à Matrimonio, ibid.
Sponsalia per quæ verba contrahuntur, ibid.
Sponsalia quâ ratione contrahantur, ibid.
Quâ ætate Sponsalia fieri possunt, ibid.
An, & quomodò teneatur aliquis in conscientiâ fidem Sponsaliorum servare. f. 82
An, & quomodò Sponsalia reddantur nulla ob defectum consensûs, ibid.
De Excusationibus circà Sponsalia, ibid.
Sponsalia incerta quid sint, f. 83

Ex quibus Sponsalibus oriatur, vel non oriatur impedimentum justitiæ publicæ honestatis, & quid efficiat illud impedimentum, f. 83. 95
Sponsalia contracta sub conditione, f. 84
An, & quomodò Sponsalia dissolvantur per alia Sponsalia, vel per Matrimonium posteà contractum, ibid.
Enumeratio causarum propter quas Sponsalia dissolvantur, f. 85. 94. 95
Sponsi proprio motu possunt dissolvere Sponsalia, f. 85
Casus, in quibus Sponsi Judicium Ecclesiæ expectare tenentur, f. 85
An possit aliqua pœna apponi in Sponsalibus, f. 86. c. 61. 64
Duo sunt Sponsaliorum genera, scilicet alia de futuro, alia de præsenti, f. 95. 96

SPONSIO.

Sponsio quid sit, c. 61
Casus, in quibus Sponsiones sunt illicitæ, & non servandæ, c. 62

STELLIONATUS.

Stellionatus quid sit, c. 71

STERILITAS.

Circà Sterilitatem fæminarum aut mulierum, j. 164
De Sterilitate procurata per remedia aut per alios modos, j. 164. 165

STUPRUM.

Stuprum quid sit, j. 161

SUBDIACONATUS, SUBDIACONUS.

Olim in primis sæculis Ecclesiæ Subdiaconi erant in Minoribus Ordinibus constituti, f. 68
Hodiè in Ecclesia Romanâ Subdiaconi sunt in Majoribus Ordinibus constituti, ibid.
Quomodò fit Ordinatio Subdiaconi, ibid.
Quodnam est Officium Subdiaconi, f. 69
Quid requiratur ut aliqui ad Subdiaconatûs Ordinem promoveantur, f. 71
An, & qualem Titulum habere debeant promovendi ad Subdiaconatûs Ordinem, ibid.
Ad quid teneantur Episcopi, qui Subdiaconos sine certo Titulo promovent, & quas pœnas incurrant tàm Ordinantes, quàm Ordinati. f. 72
Ætas requisita ad Subdiaconatum est 22. annus, f. 71

SUBDITUS.

Superior potiùs in odore bonæ opinionis Subditorum suorum, quàm eorum infamiâ delectari debet, j. 85
Prælatus seu Superior quid facere debet circà crimina Subditorum, j. 85. 86
De corrigendis Subditorum excessibus; & quas pœnas possint Prælato infligere, j. 87. 88. 89. 90. 98
Subditi contrà Ecclesiasticam Disciplinam non appellant, nisi graventur injustè. j. 91
Tales erga subjectos nostros debemus existere, quales nobis, si subjecti fuissemus, nostros voluissemus esse Prælatos, j. 100

SUBSTITUTIO.

Substitutio alia est directa, alia obliqua, quæ Fideicommissum vocatur, c. 47
Substitutio directa & obliqua quomodò concipiuntur, ibid.
Quænam Jus Canonicum doceat circà has Substitutiones. ibid.

SUCCEDERE, SUCCESSIO.

Is qui in jus succedit alterius, eo jure quo ille, uti debebit, j. 23 c. 34
Res quæ succedit in locum alterius, eodem jure censetur cum illa, j. 23
Sententia ista pro Prædecessore prodest Successori, j. 58
In Ecclesiâ Romanâ Dignitates & Beneficia Ecclesiastics per Jus hæreditatis aut per successionem acquiri non possunt, b. 3. 73
Vide Verb. Dispensatio Papæ.
Circà Beneficia multa circà electionem Successoris, b. 94. 95
Successor non obligatur ex Contractu habito in damnum Ecclesiæ, facto ab Antecessore, b. 128

SUPERIOR.

Superior immediatus variorum Prælatorum, f. 58
Superiores habent facultatem eligendi sibi Confessarium, f. 57. 58. 59
Origo hujus privilegii, f. 58
Et alii Superiores, quid significant hæc verba, f. 59
Superiorum Monasteriorum privilegia circà electionem Confessarii, ibid.
Superior circà Ordinationem quis intelligitur, f. 74
Superior inferiorem ligat regulariter, & absolvit, j. 15

SUPERSTITIO.

Superstitio est omne quod institutum est ab hominibus. ad facienda & colenda Idola, vel ad colendam sicut Deum Creaturam, j. 159
Vide Verb. Divinatio.

SUSPENSIO.

Propter quæ crimina Ecclesiastici, seu Clerici ab Officii honore suspendi debeant, j. 104. 115. 133. 134
Suspensio multa habet communia cum Censuris, j. 106
Quæ de divisione & subdivisione Excommunicationis, locum habent in Suspensione, j. 110
In quas personas ferri possit Sententia Suspensionis? Et qui ligentur, j. 111. 113
Quâ formâ ferri debeat Sententia Suspensionis, j. 114
Forma essentialis & necessaria saltem in Galliâ. ibid.
Quas pœnas incurant qui hujusmodi formam omittunt in ferenda illâ Sententiâ, j. 114 115
Sententia conditionalis Suspensionis, j. 114
De denunciatione Suspensionum, j. 115. Vide etiam, j. 108
Tres sunt tantùm Censuræ Ecclesiasticæ, scilicet Suspensio, Interdictum, & Excommunicatio, j. 106 107
De Suspensione, j. 133. 134
Clericus potest ab Officio Beneficioque suspendi, j. 133
Suspensio alia est facti seu ab homine. & alia Juris, j. 134
Suspensus ab Officio & Beneficio non admittitur ad agendum pro Ecclesiæ Ordinatione, ibid.
Post satisfactionem condignam Suspensionis & Interdicti Sententia relaxari debet. ibid.
Archiepiscopus potest Sententiam Suspensionis in Episcopum Suffraganeum promulgare, ibid.
Licet Episcopis à Suspensionibus à delicto occulto provenientibus absolvere seu dispensare, ibid.
Capitulum à Beneficiorum Collatione suspendi potest, ibid.
Pœnitentiarii Papæ cum quibusdam suspensis dispensare possunt, ibid.
Suspensio est privatio Juris Ecclesiastici, sive Sæcularis, sive Regularis, ibid.
Suspensio alia est totalis & alia partialis, ibid.
Suspensio à quo ferri potest, ibid.
Monitio semper præmitti debet antè Suspensionem, ibid.
Reservatio circà Suspensionem. sicut circà alias Censuras, ibid.
Depositio differt in pluribus à Suspensione & ab Irregularitate, j. 135
Comparatio Interdicti cum Excommunicatione & Suspensione, j. 139

SUSPICIO, SUSPECTUS.

Aliquem suspectum vehementer habemus, cùm quod antè dixerat, posteà se dixisse negavit, j. 89
Qui contraria dixit tanquam suspectus repellitur, ibid.
Mendacium priùs dictum, vel perjurium in Deum commissum, reddunt hominem valdè suspectum, ibid.
Quodnam est discrimen inter Suspicionem & Præsumptionem. ib.
Accusatus vel suspectus de crimine, contrà quem de hoc crimine magna & vehemens Suspicio orta est, j. 90
Accusatus vel suspectus de crimine, contra quem levis & modica Suspicio est, ibid.
Alius est contrà quem gravis & vehemens suspicio est; alius contra quem levis tantùm suspicio. ibid.

TAMBURINUS.

Tamburinus laudatus, f. 59. 61
Doctrina Tamburini & Fagnani circà privilegium eligendi Confessarium ut hic, f. 61. 62
Considerationes quoad Doctrinam Tamburini & Fagnani ratione dicti Confessarii, f. 63

TEMPUS.

Tempus non currit legitimè impedito, c. 35
Non firmatur tractu Temporis quod ab initio non valuit, ibid.

TERRA OBEDIENTIÆ.

In Terris Obedientiæ pensiones Beneficiales rarò conceduntur Laicis, b. 103
Circà Translationes pensionum in Terris Obedientiæ, ibid.
Jus Gallicum circà pensiones in Terris Obedientiæ, b. 104. 105

TESTAMENTUM, TESTATOR.

Testamentum est causa favorabilis, j. 16
Sub interminatione anathematis prohibitum est, ne quis sudeat rescindere Testamenta, j. 133
De Etymologia, naturâ & formâ Testamenti, c. 19. 20
Uxor potest testari vivente marito, c. 20
Qui testari possunt, c. 20. 21. 46
Quomodò condere possint Testamentum, c. 20. 21
Testator potest sub conditione Testamentum condere, c. 20
Testator potest proponere pœnam hæredi. si suæ non pareat voluntati, ibid.
Qui testari non possunt, c. 20. 21. 46
De quibus rebus aut bonis Clerici & Ecclesiastici possunt, aut non possunt disponere per Testamenta, c. 20. 21. 46. 47
Circà executores Testamentorum, c. 22. 23. 47. 48
In Testamentis plenior est interpretatio adhibenda, c. 22. 24. 34. 40
Cùm de Testamentis agitur, in relictis Ecclesiæ & ad pias causas, non secundùm Leges, sed secundùm Canones judicandum est, c. 22. 45. Vide tamen, c. 23
Galli non admittunt Testamenta sine scripto, c. 22
In Testamentis consuetudo loci observanda est, ibid.
Duo Testes sufficiunt in Testamentis in favorem Ecclesiæ, c. 21. 46
Testamenta & Donationes sunt quodammodo Contractus, c. 24. 25
Regulæ circà Testamenta. è Jure Canonico depromptæ, c. 46. 47. 48
Quænam Jus Canonicum doceat circà Testamenta. c. 46
Quænam circà Testamenta vitare docet Jus Canonicum. ibid.
Circà Clericorum Testamenta, quænam sunt in Jure Canonico enunciata, c. 46. 47
Quinam decedunt ab intestato, c. 48

TESTIS.

TESTIS.

Casus in quibus probatio per Testes est tantùm subsidiaria, f. 123
Testis qualis debeat esse, f. 125. j. 32. 33. 34. 77. 78. 79
Probatio per Testes est unus ex quatuor modis probandi, j. 27. 32
Testes sub nomine Instrumentorum comprehenduntur, j. 32
Duo sunt genera Testium, *ibid.*
Causæ probantur per Testes, modò jurati deponant de re quam noverunt, j. 32
Omnes gentes obligaverunt Testes ad jurandum, *ibid.*
Testes delinquunt duobus modis, *ibid.*
In Galliâ probatio per Testes non valet in re excedente summam centum Librarum. *ibid.*
Testimonium unius Testis non probat, j. 33. 79
Testimonium duorum aut trium Testium requiritur ad probandum aliquid, j. 32. 33 79
Quæ Personæ omninò repellantur à ferendo Testimonio, seu quæ de jure Testes esse non possunt, j. 33. 43. 50. 78
Illi etiam repellendi sunt Testes, qui certorum criminum rei convincuntur. j. 34 79
Testes repelli possunt cùm sunt malæ famæ, cùm in causâ versantur, j. 34. 43. 79
Infrà quatuordecim annos impubes non recipitur ad Testimonium, j. 33. 43
Infames à Testimonio repelluntur, j. 33. 43. 50. 78
Non potest quis in eâdem causâ esse Procurator & Testis, j. 33
Qui & quales esse debeant Testes in Galliâ, j. 34
In Galliâ Clerici & Monachi debent Testimonium ferre coram Judice Sæculari, *ibid.*
Duæ Reprobationes Testium fieri possunt, & non ultrà, *ibid.*
Usus Galliæ circà reprobationes Testium. j. 35
Quomodò reprobatio Testium facienda est, *ibid.*
Pars Adversa citanda est ut Testes validè audiantur, *ibid.*
Si Pars adesse noluerit, procedat Judex ac si Pars præsens fuisset, *ibid.*
Testes sigillatim, secretò & separatim sunt examinandi, aliàs non valent, & Judex fideliter redigat in scriptis Depositiones Testium juratorum, j. 36
Circà Depositiones Testium absentium, infirmorum, &c. *ibid.*
Dignitas & opinio Testium de jure est consideranda. *ibid.*
Quomodò Judex receptis Testibus. ex illorum Testimoniis animi sui motum formare debeat, *ibid.*
Testes singulares non probant. j. 36 79
Testis qui sibi contradicit non valet, j. 36. 37
Vel de auditu tantùm & fama loquitur, j. 36. 37. 79
Diversitas verborum non vitiat Testimonium Testium, si idem in substantiâ concludatur, j. 37
Quale debet esse Testimonium quod ferunt Testes, *ibid.*
Super dictis Testium, cùm fuerint publicata, publicè potest disputari, *ibid.*
Depositiones Testium benignè interpretari convenit, *ibid.*
Post publicationem Attestationum quid liceat facere, *ibid.*
Post publicationem Attestationum, Casus in quibus licet producere novos Testes, j. 37. 38
Testis falsus, seu corruptus tria crimina committit, j. 38
Retractanda est Sententia si constat eam fuisse latam ad dictum corruptorum Testium, *ibid.*
Attestationes Testium in uno judicio receptæ fidem faciunt in eadem causa inter easdem Personas, coram alio Judice, j. 39
Si Attestationes clausæ sunt, Pars tenetur ratas habere, si sint publicatæ inter alios, & in alio judicio, non nocent, j. 39
Comparatio instrumentorum cum Depositionibus Testium, *ibid.*
De pœnis contrà Testes falsum Testimonium ferentes, j. 40
De Exceptione ex criminibus contrà Testes, j. 54
Comparatio Accusatoris cum Teste, j. 77. 78. 79
In Criminalibus falsus Testis puniendus est, j. 82
In causâ Criminali Testes cogi possunt per Judicem ad ferendum Testimonium veritatis, j. 83
De pœnis contrà impedientes Testes ne ferant Testimonium, *ibid.*
Qui Testes impediunt, sunt excommunicandi. *ibid.*
Nunc tàm in causis Criminalibus quàm in causis Civilibus Testes cogi possunt per Censuras Ecclesiasticas ad ferendum Testimonium, j. 83. 84. 131. 132
Contumacia Testium in re gravi digna est Excommunicationis, j. 131
In Testamentis unus Testis cum aliis adminiculis vehementibus, favore Religionis, sufficit ad fidem faciendam, c. 22

THESAURUS.

Cœlestis & inconsumptibilis Thesaurus Indulgentiarum pertinet ad Papam, f. 41. 42. 43
Vide Verb. Indulgentia, Jubileum,

TIMOR.

Junge Verb. Metus.
Multæ Quæstiones gravis momenti quoad Acta per Timorem quemdam facta, quæ suam habent applicationem in Reclamatione orta à violentiâ, aliisque similibus Actibus, j. 150. 151. 152
De suffragiis datis per Timorem in Actis à Communitatibus Secularibus aut Regularibus habitis, j. 150. 151. 152

TITULUS.

Prima mentio Tituli in Concilio Parisiensi, b. 1
Circà Titulum necessarium ad Ordines, f. 71 72
Nullus potest simul duos Titulos possidere, b. 52
Beneficia non posse legitimè acquiri sine Institutione Canonica, seu legitimo Titulo, b. 4
Jure Communi non posse Laicos quoscumque conferre Clericis aut Monasteriis Titulum Beneficii Ecclesiastici, b. 4. 5.
Secùs ex Privilegio, *ibid.*

TORTURA.

In ipso Causæ initio, non est à Quæstionibus inchoandum, j. 101. In illis Verbis, ut vulgò creditur, non agitur de Tortura, *ibid.*
A Tormentis Judices incipere non debent, j. 101
Judices à principio Causæ non debent incipere à Tormentis, nisi primò aliquæ præsumptiones præcedant, *ibid.*
Suspecti sunt torquendi. & in vinculis detinendi, & verberibus afficiendi, vel subjiciendi, j. 102
Clerici, Milites & Homines in Dignitate constituti torquendi non sunt, *ibid.*
Canones relati pro Torturâ sunt falsi aut suppositi, *ibid.*

TRADITIO.

Traditio Ecclesiæ circà Sacramentum Matrimonii, f. 87. 88 97. 105. 106. 107. 116. 118. 123. 124. 131. j. 24. 31. b. 113.

TRANSACTIO.

Transactio quid sit, b. 177. c. 60
Ut valeant Transactiones quænam requiruntur, c. 60. 61
Res circà quas non licet transigere, c. 61. b. 177

TRANSLATIO.

Circà res temporales Translatio valet, si fiat ab eo qui in Judicio verus Dominus declaratur, c. 4
Quænam sunt causæ probatæ seu justæ Translationis, b. 98 203 204
De Translatione Regularium cum facultate standi extrà Monasteria, Regulæ è Corpore Juris, Conciliòque Tridentino depromptæ, b. 201. 202
Regulæ circà Translationes Monachorum & Monialium, b. 202 203 204
In omni Monachorum Translatione quædam votorum commutatio fit, b. 202
Quænam sunt Translationes prohibitæ à Jure Canonico. b. 203 204
Illicita Translatio quid sit. *ibid.*
Translationes Monachorum Mendicantium quomodò fieri debent, *ibid.*
Translationes sunt partim prohibitæ, quia Monasteria diversi Ordinis, diversa habent Instituta, b. 202

TRANSUBSTANTIATIO.

De Transubstantiatione Corporis & Sanguinis Christi, f. 15. 16
Christus adhuc vivens in Institutione Eucharistiæ, transubstantiavit panem & vinum in Corpus & Sanguinem suum, f. 24
Ob hanc rem Christus levavit oculos ad Patrem, *ibid.*

TRIDENTINUM.

Circà Concilium Tridentinum, Vide Verb. Concilia Generalia Nova.

VASA SACRA.

Vasa Sacra Ecclesiarum, f. 22. 28 29
Vasa Sacra debent esse nitida & integra, f. 29
Circà Vasa vetusta, *ibid.*
Circà materiam ex quâ fieri debeant Vasa Sacra, f. 23
Non licet vendere aut pignori dare Vasa Sacra Ecclesiæ, nisi ex justâ & urgenti causâ, b. 125

VASSALLUS.

Vassallus quomodò amittit feudum, b. 207
Vassallus in servitio Domini pro feudo ipso tenetur, c. 25
Vassallus Domino fidelitatem facere tenetur, *ibid.*
De Juramento Vassalli ergà Dominum, *ibid.* b. 206

VENDITIO, VENDITOR.

Venditio est pretium aut pecunia pro domo aut pro aliâ re constituere, c. 16
Venditio alia est pura, & alia non pura seu conditionalis, *ibid.*
In dubio ex formâ Contractûs judicandum est, *ibid.*
In mercato non plus justo pretio taxato vendendum est, *ibid.*
Non iniquis ponderibus & mensuris utendum est in venditione, c. 16. 41
Ubi deceptio est ultrà dimidiam justi pretii, aut rescindendum Contractum, aut supplendum quod deest pro arbitrio decepti, c. 16. 41
Venditio dominium transfert, c. 19. 39
Venditor quisnam est, c. 41
Regulæ Canonicæ circà Emptionem & Venditionem, è Jure Canonico desumptæ, c. 41. 42 43
Venditio injusta quid sit, c. 41
Multi Casus injustæ Venditionis, c. 41. 42
Remedia contrà injustam, vel Emptionem, vel Venditionem, c. 42. 43

In quibus Venditor & emptor inter se conveniunt, c. 43
Non licere Prælatis alienare seu vendere res & bona Ecclesiæ, & credi testimonio Clericorum, qui asserunt se alienationi propositæ semper contradixisse. b. 120. 121
Venditiones quocumque modo factæ sine communi consensu Clericorum Ecclesiæ, irritæ judicantur, b. 122
Vacante Sede seu Ecclesia, vendi non posse illius bona, nec quidpiam in eâ innovari, b. 129. 130

V E R B U M.

Explicatio Verborum quæ pertinent ad forensem Jurisdictionem, j. 10
Citatio, assignatio, vocatio in jus, ac petitio in Jure sunt verba sinonima, j. 24

V E R I T A S.

Judex debet judicare justè & secundùm veritatem & justitiam, j. 87
Judex diligenter veritatem inquirere debet per idoneas personas aut per famam, j. 86. 89

V E S T I M E N T A.

Vestimenta Sacerdotis in Missâ celebranda, f. 23
Oraria, f. 21
Alia indumenta seu Vestimenta Sacra, f. 28. 29
Vestimenta Sacra debent esse nitida, f. 29

VICARIUS EPISCOPI, PAROCHI,

Potestas Vicarii Generalis Episcopi finitur per mortem constituentis, j. 6
Vicarius Generalis Episcopi non revocatur per Constitutionem alterius, *ibid.*
Comparatio Vicarii, Officialis cum Procuratoribus, j. 7
Quænam est potestas Vicarii Episcopi circà Ordinationem, f. 75
Vicarius Generalis potest instituere absque speciali Commissione, b. 26. 27
Circà portionem congruam Vicarii perpetui Parochorum, b. 60. c. 31. 32

V I N U M.

Presbyter quotidiè in Sacrificio Missæ non vinum bibit, sed sanguinem verum Domini; f. 15. 16. 17. 22
De ære aut auricalcho non fiat Calix, quia ob Vini virtutem, æruginem parit, quæ vomitum provocat, f. 23
Junge Verb. SANGUIS.

VIS, VIOLENTIA.

Junge Verb. COACTIO.
Inter Vim & Vim est differentia, j. 149
Vim vi repellere omnes Leges & omnia jura permittunt, j. 142. 166. c. 85
Id tamen fieri debet cum moderamine inculpatæ tutelæ, *ibid.*
Electio facta per Vim non valet, j. 149
Neminem excusari ex violentiâ, faciendo quæ per se mala sunt, j. 150
Actus qui fiunt per Vim non valent, j. 150. c. 36
Quæ per Vim fiunt, per sequentem consensum valent, j. 150
Jus Naturale est Violentiæ per vim repulsio, j. 166
Probatâ Violentiâ per testes, res amissæ probantur per juramentum, c. 8
In quibus Vis & metus conveniunt & differunt, c. 62

V I T A.

Bona Vita est justum Testimonium bonæ mortis, f. 35. 57
Apud Deum non tàm valet mensura temporis, quàm doloris, nec abstinentia tantùm ciborum, quàm bona Vita & mortificatio vitiorum, f. 36
Magnum periculum est in Confessario, fieri Judicem vitæ alienæ, qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, f. 37
In illo casu magnum est periculum ut ambo in foveam cadant, f. 33
Modus agendi circà illos qui Christianè vixerunt antè letargiam vel furorem, f. 57
Sine conjugis consensu marito continenter non licet vivere, f. 100
Ex præteritâ Vitâ præsumitur & de præsenti, j. 89

U N C T I O.

De variis Unctionibus quæ fiunt antè vel post Baptismum, f. 11. 12
Quænam illæ sint, & in quibus partibus adhibeantur, f. 12
Quæ sit materia illarum Unctionum, *ibid.*

U N I O.

De Unione ac divisione Beneficiorum Ecclesiasticorum, b. 114 115. 116. 117
Unio quid sit, b. 114
Unio fieri potest per quatuor modos, *ibid.*
Quinam sunt effectus illarum Unionum, *ibid.*
In Unionibus plus utilitas Ecclesiæ quàm Personæ est attendenda, b. 115
Propter quas causas de Jure Communi fieri possit Beneficiorum Unio, b. 114
Solus Papa potest unire Ecclesias Episcopales, b. 115
Episcopus potest unire Beneficia suæ Diœcesis, sive Sæcularia, sive Regularia, modò non sint exempta aut Papæ subjecta, *ibid.*
Circà Unionem Præbendarum, b. 115. 116
Episcopus qualia Beneficia unire possit, *ibid.*
Archiepiscopus non potest unire Ecclesias suorum Suffraganeorum sine assensu Episcopi, b. 115
Episcopus non potest unire Beneficia alterius Diœcesis, b. 116
Quid observari debeat, ut legitimè fiat Unio Beneficiorum, tùm à Papâ, tùm ab Episcopis; Et quandònam revocari debeat, aut irrita sit, *ibid.*
Circà Unionem & divisionem Episcopatuum & Beneficiorum, quisnam est usus Galliæ, b. 117

V O L U N T A S.

Omne peccatum ex Voluntate nascitur, j. 157
In Voluntate nascentia causa vitiorum est atque virtutum, *ibid.*
In homicidio Voluntas manifestata pro facto reputatur, j. 165
Voluntas facit homicidium, *ibid.*

V O T U M.

An, & quomodò conjuges possint privatim vovere continentiam, & ad quid tale Votum illos astringit, f. 100
Illa Vota continentiæ adaugent peccata hominum, ratio est quia ad peccatum viri pertinet, si priùs permiserit, & posteà prohibuerit, *ibid.*
An, & quomodò possint conjuges ad solemne Votum in Monasteriis, vel ad Sacros Ordines admitti, f. 101
Conjuges post illud Votum ex consensu emissum ad quid teneantur, f. 102
Circa Votum conditionale, *ibid.*
Votum simplex continentiæ servandæ, aut Religionis assumendæ, impedire duntaxat Matrimonium contrahendum, sed non dirimere contractum, f. 106
Quædam Votorum commutatio fit transeundo ex uno Monasterio in aliis Monasteriis diversi Ordinis, b. 202
De Voto facto per mulierem remanentem in domo propriâ, b. 201

U S U R A.

Secundùm Canones promissio seu Obligatio Usurarum non valet, j. 47. c. 78
Usura quid sit, c. 43. 74. 80
Usura est species furti, c. 71. 80. 81. 83
Quandò ampliùs quàm debetur, exigitur, Usura est, c. 74
Casus, in quibus Usura non committitur, c. 75. 76. 82
In Societate Usuræ sunt vitandæ, c. 76. 80
Usurarum crimen est detestabile & horrendum, c. 76. 77. 81
Usuræ restituendæ sunt, c. 77. 79. 83
De pœnia contrà Usurarios, c. 78. 83
Quinam sunt manifesti Usurarii, c. 78. 79
Casus, in quibus Usura committitur in Contractibus societatis & in Cambiis, c. 79. 80
Regulæ circà mutuum vel Usuram, è Jure Canonico depromptæ, c. 80. 81. 82. 83. 84
Multa circà prohibitionem Usurarum, c. 81
Duplex est Usurariorum genus, c. 83

U S U S.

Usus quid sit, c. 2. 9
Usus personalis quid sit, c. 2
Simplex Usus quid sit, *ibid.*
Usus tribus modis sumi potest, *ibid.*
Usus constitui non potest in rebus quæ usu consumuntur, *ibid.*

USUS NOTABILES.

Olim in Galliâ singulare Juramentum fiebat in quolibet Matrimonio, f. 123
In Ecclesiâ Græcâ Sacerdotes habent dulcem libertatem Matrimonium contrahendi cum mulieribus, j. 142. 165
Olim Beneficium sumebatur pro feudo ex rebus Ecclesiæ dato, b. 1
Verbum, Canon, idem est ac pensio, c. 49
Quoad turbas circà Investituras, Gregorius VII. Papa fuit Autor illarum turbarum. b. 5
Confessarius est Pars & Judex cùm audit Confessiones mulierum cum quibus carnaliter peccavit, f. 56
Jubileum centenarium fuit institutum per Papam Bonifacium VIII. in almâ urbe Romæ, f. 42. 43
Vide Verb. JURAMENTUM.
Usus circà pensiones, ortus ex ignorantiâ Episcoporum, b. 101
Ecclesiastici Ecclesiæ Romanæ non possunt facere commercium carnale, id est non possunt contrahere Matrimonium cum uxoribus, sub pœnâ amissionis Beneficiorum & Excommunicationis, b. 113. f. 107
Decimæ prædiales & personales, solvendæ sunt tantùm ex Jure humano, b. 144

Comparatio Clericorum Simoniacorum cum Mercatoribus Laicis seu Sæcularibus, b. 161. 165. 167
Cum Latronibus, b. 162
Vide Verb. Comparatio.
Res Ecclesiasticæ fuerunt valdè mutabiles, circà multa incognita in primis Sæculis Ecclesiæ & per Concilia Nova introducta, Vide Verb. Concilia Generalia Nova.
Mutationes Circà Simoniam. b. 185. 186. 187
Concilium Lateranense quid introduxit circà Recitationem Divini Officii, b. 206
Beneficiarii debent recitare Officium Sanctæ Virginis. b. 72. 103
Polygamia inter Laicos est prohibita, f. 97
Polygamia inter Ecclesiasticos est permissa cum Dispensatione Papæ, b. 46. 47 55
Vide Verb. Polygamia.
Laicus est infamis si duas simul habet uxores, f. 97
Amor Ecclesiæ Romanæ circà numerum Septem, Vide Verb. Septem.
Status Religiosus est Status Pœnitentiæ. abnegationis, b 157
Bona alia sunt Spiritualia & alia Temporalia, b 196
Ingressus in Religionem à nemine gratis fieri potest, & Monasteria talia faciunt sub prætextu paupertatis, b. 196. 197
Vide Verb. Gratis. Simonia.

USUSFRUCTUS.

Ususfructus est jus utendi rebus alienis, salvâ rei substantiâ. c. 2. 9
Ususfructus prout est in re constitutus, servitus dicitur Personalis, & pro eo Reales competunt Actiones, c. 2
Ususfructus differt à Proprietate. ibid.
Cur Usufructuarius dare debet cautionem idoneam, ibid.
Ususfructus constitui non potest in rebus quæ usu consumuntur, ibid.

UXOR.

Vir & uxor una caro per copulam Conjugalem efficiuntur, f. 12. 94. 97. 101
Secundùm verbum Christi, Homo & Uxor efficiuntur per connubium una caro, f. 94. 97. 101. 120. 130
Inter omnes Christianos Homo non potest habere plures Uxores, f. 97
Infamis est qui duas simul habet Uxores, ibid.
Usus naturalis Uxoris licitus est in Matrimonio. f. 99
Post Matrimonium Uxor sui corporis potestatem non habet, sed Maritus, f. 99. 100. 101
Et è converso, ibid.
Uxor est pars Corporis Mariti, f. 99
In Opere commixtionis adulter est in suam Uxorem amator ardentior, ibid.
Homines conquerentes de Fœcunditate suarum Uxorum. f. 100
Æquale est jus Viri & Uxoris quoad debitum conjugale aut matrimoniale, ibid.
Casus, in quibus Maritus peccat si sine consensu Uxoris, se abstinet à copulâ carnali seu ab Opere Commixtionis, ibid.
Et è converso, ibid.
Justum & honestum est ut Viri suas petant Uxores, f. 104
An Uxor jus habeat dimittendi Virum ob fornicationem, f. 120. 121
Maritus petens coram Judice restitutionem Uxoris quid probare & facere debet. f. 126
Vide Verb. Fœmina, Mulier.

FINIS TOTIUS OPERIS.

